VETERVM SCRIPTORVM
A
IVSTO REVBERO
OLIM EDITORVM
TOMVS VNVS.

VETERVM SCRIPTORVM, QVI CAESARVM ET IMPERATORVM GERMANICORVM

RES PER ALIQVOT SAECVLA GESTAS LITTERIS MANDARVNT,

TOMVS VNVS.

A

IVSTO REVBERO

OLIM EDITVS,

NOVA HAC EDITIONE

DILIGENTER RECOGNITVS,

ET LVCVLENTIS ACCESSIONIBVS AVCTVS,

CVRANTE

GEORGIO CHRISTIANO IOANNIS.



FRANCOFVRTI AD MOENVM,

IMPENSIS

VIDVAE B. IOAN. MAXIMIL. A SANDE.

ANNO MDCCXXVI.

GEORGII CHRISTIANI IOANNIS

AD

BONAE MENTIS LECTOREM

PRAEFATIO.

ILlos inter, qui auſpicatiſſime renatis bonarum artium ac liberalioris doctrinae ſtudiis, Scriptores ueteres, ad hiſtoriam Germaniae facientes, hinc inde ſegregatos, in unum atque alterum coegere corpus, locum haud ultimum ſibi uindicat IVSTVS REVBERVS, praeſtanti uir ingenio, multaeque eruditionis; quippe qui cum ſolida iuris utriusque prudentia plurimam antiquitatis, rerumque ueterum ſcientiam cumulate coniunxit. SCHARDIVM enim, REINECCIVM, ac PISTORIVM, uiros multis litteris praeditos, plurimaeque in eruendis id genus auctoribus induſtriae, certo ſecutus iudicio, Scriptores quoſdam antiquos, *qui Caeſarum & Imperatorum Germanicorum res per aliquot ſaecula geſtas litteris mandarunt*, lectu utique dignos, nec tamen id temporis paſſim in tabernis librariis obuios, nominatim EGINHARTI *de uita rebusque geſtis* CAROLI M. *commentarium;* ANONYMI *Annales, qui de rebus* PIPINI, CAROLI M. & LVDOVICII PII *agunt;* PSEVDO-TVRPINI *de uita* CAROLI M. & ROLANDI *Hiſtoriam* fabularem; LIVTPRANDI, Ticinenſis eccleſiae Leuitae, *rerum ab Europae Imperatoribus & Regibus geſtarum libros VIII;* HROSWITHAE, ſanctimonialis Gandersheimenſis, *Panegyrin in laudem & res geſtas Imperatoris* OTHONIS I; ANONYMI *de*

HEN-

HENRICI IV *Imperatoris bello contra Saxones Historiam*, carmine heroico ſcriptam; eiusdem Imperatoris HENRICI *uitam*, abs quodam συγχρόνῳ confectam; Epiſtolas itidem *illius* nonnullas *ad Pontificem Romanum*, *Principesque alios*; ROBERTI Monachi *de Chriſtianorum Principum in Syriam profectione anno MXCVI inſtituta*; GVNTHERI Poetae *Ligurinum* cum ſcholiis *Iacobi Spiegelii*; *C.* Epiſcopi *Chronicon rerum Moguntiacarum*; CONRADI VECERII *de rebus geſtis* HENRICI VII *Commentariolum*, & RICHARDI BARTHOLINI *XII Auſtriados* ſiue *de bello Norico libros*, cum dicti modo *Spiegelii* ſcholiis, partim cum codicibus manu exaratis collatos, partim perquiſitius ac diligentius recognitos, in unum uolumen retulit, ac anno MDLXXXIV Francofurti ad Moenum, heredum Wechelianorum ſumtu, typis exſcribi curauit.

Quo conſilio id operis aggreſſus ſit, quo item ſtudio perfecerit iſtud, cum ipſe in dedicatoria *ad Sereniſſimos Saxoniae Duces* ab initio exponat, actum agerem, ſi quidem id hic repeterem, enarraremque. Suffecerit itaque, uel uerbo referre, tanto applauſu exceptam fuiſſe, quam hoc ipſo opere rei hiſtoriaeque Germanicae amantibus praeſtitit operam, ut breui tempore nullis amplius exemplis in officinis librariis uenalibus, nouam editionem poſcerent eruditi: quam etiam anno ſuperioris ſaeculi XIX Hanouiae e typographeo Wecheliano ſuis dedere impenſis, qui tum ſocietatem inter ſe inierant, AVBRII *Daniel* & *Dauid*, nec non *Clemens* SCHLEICHIVS.

Sedenim & ſecundae huius editionis exemplaribus temporis interuallo haud adeo longo diuenditis, factum, ut a multis iam annis certatim nouam requirerent, ſibique dari peterent, quorum animos ſcriptores

res hosce utiles ac egregios tractandi atque possidendi cupido incesserat ac desiderium *.

* Hos inter *Conradus Samuel Schurtzfleischius*, acri uir ingenio, doctrinaeque singularis, ac multis in bonas litteras meritis; quippe qui iam anno MDCLXXV epistola ad *Ioannem Henricum Horbium*, quae CCXIII est selectiorum primum editarum, p. m. 221; *A te autem iure quodam meo postulo, ut, qua polles Francofurti auctoritate, ea utaris ad Scriptores a REVBERO, FREHEROque editos, denuo excudendos.*

Quod intelligens spectatae, dum uiuebat, uir industriae, & insignis bibliopola, IOANNES MAXIMILIANVS a SANDE, uotis illorum deesse noluit, sed pro singulari illo, quo post fata etiam commendandus uenit, rei librariae promouendae studio, quibus posset rationibus satisfacere constituit.

Id cum sibi proposuisset, ad recognoscendos illos, & accessionibus quibusdam augendos meam requisiuit operam; quod amplissimum uirum, & propter eruditionis haud uulgaris opinionem celebris admodum nominis ICtum, IMMANVELEM WEBERVM, qui aliquot abhinc annis operi se iam accinxerat, ne progrederetur, grauiores distinerent curae atque occupationes. Quam quidem ei hoc minus denegare uolui, quo certior eram, in rei litterariae commodum, quicquid in eos impenderem studii, cessurum.

Quid autem mihi, hanc ingressus prouinciam, usque quaque dederim negotii, cognosces, cum praefationes, quas unicuique Scriptorum, uolumine hoc comprehensorum, praefixi, inspexeris. Satis igitur erit, hic tanquam in summa recolere, me eos primum profligatis operarum erroribus ac mendis elimasse: dein plerosque diuisisse in sectiones tam minores, quam maiores, ut hoc commodius euolui atque enotari queant: tum uero nouis eos, iisque luculentis auxisse accessionibus. Praeter enim quod *I)* ad TVRPINVM *duo Supplementa* e Lambecii *Commentario*

de Bibliotheca Caesarea Vindobonensi attuli, *II)* ROBERTO Monacho tum *notas Barthianas* adieci, tum etiam BOAMVNDI, Principis Antiochiae, *ceterorumque sacri belli Ducum ad* Vrbanum *Papam II epistolam* subiunxi. *III)* Incerti auctoris *de electione* LOTHARII *Saxonis* dedi narrationem. *IV)* Scholiis *Spiegelii* in GVNTHERI *Ligurinum* tum *Conradi Rittershusii*, tum *Casparis Barthii* adnotationes inserui. Nec *V)* negligendas putaui FRIDERICI II Imperatoris, MANFREDI Siculi, CONRADI IV Caesaris, & HENRICI Regis aliquot epistolas, quod ad res illorum cognoscendas facere uiderem. *VI)* HENRICI VII & LVDOVICI IV historiae hoc magis illustrandae nonnulla huc retuli; *illius* quidem *a)* NICOLAI Episcopi Botrontinensis *Relationem de itinere ipsius Italico ad* Clementem *Papam IV*; *b)* ALBERTINI item MVSSATI Historiam eiusdem Caesaris, nec non *c)* ANONYMI *Gesta* Balduini, *Comitis* de *Lucenburg*, Archiepiscopi Treuirensis, quippe quibus plura res HENRICI spectantia immixta sunt. *Huius*, LVDOVICI puta, dicti MVSSATI LVDOVICVM BAVARVM. De notulis, quas hic illic * aspersi, nil dicam, cum exiles sint ac paucae; tum uero ita comparatae, ut in ea nunc iam ipse sim sententia, consultius fuisse, si repudiato amicorum, qui mihi earum adiiciendarum auctores fuere, consilio, meum de praetermittendis istis secutus fuissem iudicium.

* Sigillatim, *Turpini* de *Carolo M.* & *Rolando* historiae fabulari; *Liutprandi* de rerum ab Europae Imperatoribus & Regibus gestarum libris; *Hrosvvithae* Panegyri in laudem *Othonis I*; *Anonymi* de bello *Henrici IV* contra Saxones historiae; *Veterii* de rebus gestis *Henrici VII* commentariolo; & tandem *Anonymo* de uita, rebusque gestis *Balduini* Archiepiscopi ex gente Lucenburgica Treuerensis.

Ceterum lectiones, quas in praefatione ad EGINHARTVM p. 3 e textu *editionis Schminckianae*, anno MDCCXI euulgatae (cum nouam, ab aliquot iam

iam annis promiſſam, etiamnum orbis exſpectet litteratus) excerptas ſub finem illius me daturum recepi, ad calcem huius inuenies Syntagmatis. Poſt eas uero ſimiliter, quas margini *Annalium* PIPINI, CAROLI M. & LVDOVICI Pii, ex editione *Du Cheſnii* & *codice mſcr. Caſſellano* me adſcripſiſſe, in praefatione iis praemiſſa p. 33 dixi. Mutaui enim conſilium, cum uiderem, eas, quas REVBERVS illi adleuerat, ſpatium nouis adiiciendis haud ita facile, commodeque relinquere. Nec neglexiſſem, id l. d. mutatis mutandis indicare, ſi bibliopola SANDIVS de ſuo, quod ceperat, conſilio me tempeſtiuius paullo certiorem reddidiſſet; id uero cum tunc demum fecerit, cum ultra eos operae iam progreſſae erant, non poſſum, quin ſaltim hic id moneam.

Dehinc, mihi ne tribuas, peto, quod numerus paginarum editionis prioris in hac margini interiori haud adiectus ſit. Adiiciendum enim eſſe, non explicate ſolum praemonui, uerum etiam, ſimul ac plagulas prelo liberatas inſpexi, non adiectum eſſe, periniquo tuli animo; quin etiamnum moleſte ferrem, niſi malo, ut ita dicam, remedium inueniſſet Vir iuuenis ingenio, doctrina, probitate, multisque aliis animi dotibus bonis omnibus commendatiſſimus, HENRICVS CHRISTIANVS SENCKENBERG, Mœno-Francofurtenſis, I. V. πρωλύτης digniſſimus. Vt enim loca prioris editionis, quae tibi ſe forte offerent, in noua hac commode & ſine moleſtia inuenire poſſis, ut numeri paginarum utrinque ſibi reſpondent, peculiari complexus tabella eſt. Id quod praeterire nolui, ut ſcires, cui id beneficii debeas.

Quod ad indices, mihi, aliis impedito laboribus, integrum haud fuit, eos, uti quidem conſtitueram, adornare. Adornauit igitur praeſtantiſſimus, quem modo laudaui, SENCKENBERGIVS, eosque tanto

confecit ſtudio, tanta ſollertia, contentioneque, ut uniuscuiusque, qui ſcriptoribus his ſcite uti uoluerit, rationibus quam maxime putem conducturos..

Ad ultimum, licet omnem adhibuerit diligentiam, ut ſine σφάλμασι, ſaltim extantioribus, prodiret noua haec editio, qui eorum expurgandorum in ſe ſuſceperat curam, Vir doctiſſimus, isque iuris apprime ſciens, & bonis litteris haud ſane leuiter tinctus, IOANNES HENRICVS HERMANNVS FRIESE; operarum tamen uel feſtinatione uel negligentia factum, ut hic illic nonnulla irrepſerint. Id quod haud mirandum; cum conſtet, quam aegre mores id genus hominum uincamus, ut ut eos uincere omni nitamur opera. Vt igitur ea beneuole emendes, me uero excuſatum habeas, etiam atque etiam abs te contendo.

His uale, meisque conatibus, qua es humanitate, ſi non indignus uidebor, faue. Scribebam Biponti pridie Kalend. Martias, anno aerae uulgaris MDCCXXVI.

IVSTI REVBERI

BREVE ELOGIVM.

1 Quamuis & ingenio excelluerit IVSTVS REVBERVS, ac eruditionis copia; tum uero amplissimis abundarit honoribus, & rei litterariae non minus profuerit, quam publicae; posteritati tamen ab iis, quorum curam res ista tangebat, uix tribus commendatum inuenias uerbis: ut adeo, cum illius tam tenuis, uel apud ipsos Palatinos exstet memoria (quorum tamen ornamentum fuit ac decus haud uulgare) breuiorem hic, quam quidem uelim, me esse oporteat.

2 Fuit autem gente Westphalus, in agro Episcopatus Paderbornensis *, parentibus multa generis claritudine spectatis prognatus **; patre quidem IVSTO REVBERO, eximiae nobilitatis ac uirtutis Equite; matre uero ANNA de BANNENBERG, femina dignitate nascendi perinde ac rectissimi exempli laudibus plane nobili. Lucem autem primum adspexit anno aerae uulgaris MDXLII, die XVI Augusti.

* Vel ex epitaphio ei posito, quod infra adducturus sum, id colligas. Vt taceam, quod ipse in dedicatoria sequenti *Reinerum Reineccium*, Steinhemio, Episcopatus dicti oppidulo, oriundum †, diserte *popularem* suum uocet.

† Vid. *Reimmannus* parte V *Isagoges in Historiam litterariam Germanorum* quaestione LXXVII p. 386.

** E ueteri, honoratissimarumque imaginum prosapia genus illum duxisse, uel ex epitaphio modo dicto patet. Iuuabit tamen, id propriis etiam illius uerbis firmare. Sic autem ad *Franciscum Hottomannum*, epistola, quae *Hottomannianas* inter a *Meelio* editas CLXXXI est, p. 230; *Nobilitatem generis mihi nunc fere omnes priuatim, nonnulli etiam publicis suis scriptis mihi tribuunt. Qua in re etsi non errant (id quod adolescens impensis necessariis ad liberaliorem & splendidiorem uitam destitutus dissimulaui) tamen ego propria uirtute, quam aliorum clarere malo.*

3 A prima statim pueritia cum ad pietatem, legemque emendatae religionis colendae institutus esset, aetate procedente optimarum artium disciplinis, ad quas natura ferebatur, se dedit, ac, qua par erat industria, in scholis iuxta atque academiis minime uulgarem doctrinae solidioris supellectilem sibi comparauit. Per omnia enim illius genera liberiore ferebatur cursu, ita tamen, ut in iuris & legum scientiam praecipue incumberet.

4 Bonis studiis sic satis excultus, ad altiora enitens, Galliam & Italiam, illas omnis elegantiae prudentiaeque magistras, hominum eruditissimorum copia rum temporis

poris florentissimas, non omnino temere nec sine fructu peragrauit*; sed a praestantissimis terrarum istarum uiris ac doctoribus exactam iuris legumque peritiam adeptus, pleni litteris illustribus iurisconsulti nomen uere meritoque tulit.

* Sic enim ipse in dedicatoria modo citata: *Etsi litteratorum numero nequaquam me aggregare soleam, tamen cum ab ineunte aetate studiis, doctrinisque deditus fuerim, earumque caussa Galliam & Italiam non omnino temere & sine fructu peragrarim; hoc mihi persuadeo* cet.

Sigillatim in Galliis cum alibi, tum maxime uero Valentiae, non incelebri in Delphinatu academia, *Francisco Hottomanno*, inter elegantiores iurisconsultos tum temporis fere principi, strenuam dedit operam, ac tum ei, tum aliis in publica quadam pro cathedra disceptatione eruditionis suae copiam ac iudicii uim tam praeclaro experimento testatam fecit, ut summis illum in iuris studio honoribus ac priuilegiis affecissent, ni renuisset. ultro enim offerebantur. Vtrumque prodit, ac significanter admodum ipse praedicat *Hottomannus*. *Illud* quidem, epistola ad Principem Electorem Palatinum, quae dictas inter CLXXXIV est, dum scribit: *Celsitudinem uestram — ab amico meo, magnifico Palatinatus uestri Cancellario, D.* Reubero, *admoneri; qui mihi ab adolescentia cognitus, permagnam eius uirtutis, atque adeo dignitatis adipiscendae spem fecerat, quam illum uideo & laetor iam summa cum integritate & innocentia & fidei gloria sustinere. Hoc* uero in dedicatoria librorum *de re nummaria; Eo accessit altera, non praetereunda silentio, summa erga te Dei benignitas*, (alloquitur autem *Fridericum*, Palatinatus Septemuiralis Principem heredem) *quod eiusmodi consiliarios & custodes ac monitores in ista tenera aetate consecutus es, quales omnes tibi exoptabant. — Cancellarium autem* Iustum Reuberum, *uirum cum iurisprudentiae atque omnium optimarum artium cognitione insignem, tum etiam usu & maximarum quarumque rerum tractatione praestantem; qui cum adolescens in academiis nostris Gallicis ita iuris ciuilis studio floreret, ut omnibus suis aequalibus longe multumque antecelleret; hunc a nobis Professoribus honorem uno omnium consensu tulit, ut ei, uix biennium in ea disciplina uersato, Doctoratus insignia cupidissime deferremus.*

5 Gallia, Italiaque perlustratis in Germaniam reuertit, ac integrum fere annum in Silesia transegit, cum *Caspare a Seidliz*, Equite Silesio, generis splendore, uirtuteque praeter ceteros illustri, quem in itinere Italico comitem nactus erat, in praedio gentis Seidliziae Strusano, quotidiana optimarum artium tractatione tempus omne transmittens.

Memorat id nobis ipse, in dedicatoria libri *de Testibus*, ad laudatum *Seidlizium*, Spirae Nemetum Non. Februar. an. MDLXXIV scripta, his)(5 b) uerbis: *Tibi uero*, nobilissime & praestantissimé Seidlizi, *cur meam hanc* de Testibus methodum *inscribam, causae complures sunt. Primum summa familiaritas, & domestica consuetudo, quam ante sex annos in peregrinatione Italica tuo beneficio mihi tecum esse uoluisti; ex qua tantus amor mutuus inter nos extitit, ut lustrata Italia facile in Silesiam me abduci passus fuerim, ubi in Strusano uestro in summa animorum coniunctione &* quoti-

quotidiana studiorum communicatione totum fere annum transegimus.

6 Dein uero consilium cepit, quaesitam in umbra & otio iurisprudentiam Spirae Nemetum, in augusta illa iustitiae iurisque officina, usu atque exercitatione forensi confirmandi. Gnarus autem, neminem ad caussas in supremo isto Caesaris ac Imperii dicasterio agendas admitti, nisi qui nomen promeruisset titulumque Doctoris, supremam in iure utroque lauream petiit, ac post sollemnia experimenta summa cum laude obtinuit atque existimatione.

Quod summos Ictorum in ordine honores consecutus sit, uel ipse nobis indicat, dum in epistola, quae semel iterumque iam dictarum CLXIV est, p. 211 ad *Hottomannum* suum scribit: *Probe, ut opinor, meministi, me Doctoratus dignitatem, cum illa tuo, aliorumque Vniuersitatis Valentinae iudicio, post publicam a me habitam dissertationem, mihi ultro deferretur, recusasse: cuius rei tamen postea me poenituit, cum magni in Germania sumtus Doctoratus caussa faciendi essent.* Vt tamen usque huc indagare nequiuerim, qua in academia, quoue anno Doctoris ἀξίωμα sibi acquisiuerit.

7 Hac ornatus dignitate, illuc se contulit, & quum sollertia non minus ac perspicacis ingenii acumine, quam doctrina praestaret, facile locum in celebribus Aduocatorum subselliis inuenit *; quin breui primos inter togatos habitus est, magnam caussis studiose defensis nominis nactus celebritatem.

* Receptus autem in eorum numerum fuit an. MDLXXII, die XXXI Octobris; quo quidem uerba, in quae Aduocati de more adigi solent, dixit. Testis est index illorum, qui *Petri Denaisii*, tribunalis huius quondam Adsessoris, tractatui de *Iure Camerali* p. 736 edition. Argentorati an. MDCLII uulgatae, subiunctus est, his uerbis: *Iustus Rober D.* (iusiurandum scilicet iurauit) *MDLXXII, XXXI Octobris.*

8 Qua eruditionis, industriae, dexteritatis & continentiae fama cum esset, rebusque maioribus non temere par haberetur, anno MDLXXIV a Principe Electore Palatino, *Friderico III*, uero illo uerae uirtutis amatore, uindiceque eximio, honorifice Heidelbergam accitus, ac in splendidissimum Consiliariorum ordinem cooptatus est; collega datus *Christophoro Probo*, *Christophoro Ehemio*, *Hartmanno Hartmanni* ab *Eppingen*, *VVenceslao Zulegero*, *Laurentio Zincgrefio*, uiris doctrina, uirtutumque ornamentis plusquam uulgaribus, tum uero auctoritate publicis in negotiis spectata in primis commemorandis.

9 Hoc in munere ita se gessit, ut accedente ad ceteras, quibus eminebat, animi dotes singulari fide, cum prudentia haud uulgari coniuncta, grauissimis adhiberetur nego-

negotiis, ac opinioni de se conceptae prolixe semper feliciterque satisfaceret.

Sane uix annum Heidelbergae exegerat, cum *Friderici III* expertus clementiam est. Non enim salarii modo, quod petierat, augmentum obtinebat, uerum etiam exantlatae in caussa Cambensi curate defendenda operae auferebat praemium. Consignatum id in uolumine manu scripto laudati modo Principis res strictim complectente: *Werden von Chur-Pfaltz Dero Rath* Iusto Reubern, *der Rechten Doctorn, uf sein ansuchen zur vorigen besoldung — und dann — vvegen der Cambischen rechts-sach, daran viel gelegen vvar, gnediglich bevvilliget. Heidelberg den* 19 *Septembr.* 1575.

10 Praecipue uero tanta apud *Ioannem Casimirum*, Palatinatus Rhenani Septemuiralis, ab *Ludouici VI* obitu, tutorio nomine Administratorem, ualuit gratia, ut non solum ab eo ad consilia sanctiora, rerumque conscientiam adhiberetur *, uerum etiam in altiorem adhuc dignitatis eueheretur gradum, inter tot excellentes, ac meritis non minus, quam genere, litteris, prudentia atque auctoritate spectabiles in curia Palatina uiros, unus omnium maxime delectus, qui uniuersam illam aequi bonique officinam, quam *Cancellariam* uocamus, ut legum rescriptorumque moderator, regeret ac in potestate haberet †.

* Primae apud eundem admissionis fuisse Consiliarium, iam anno MDLXXXV *Tossanus Hottomanno* perscripsit; quamuis se dignitatem istam sibi haud sumere, huic, de honore hoc sibi per litteras gratulanti, his noster testatus uerbis est: *Gratularis mihi, quod me primarium Electoris Consiliarium appellari* Tossanus *ad uos, nescio qua occasione, scripserit. Etsi autem hanc mihi dignitatem haud sumo, sed* Tossanum *suo in me amori aliquid indulsisse puto, tamen hac tua gratulatione iccirco ualde sum delectatus, quod ex ea intellexi, tuam illam ueterem & singularem, atque adeo paternam beneuolentiam erga me nondum refrixisse.* uid. epistolarum dictarum CLXI p. 186.

† Factum id puto anno MDLXXXVII exeunte, uel anni sequentis MDLXXXVIII principio, decessore *Ehemio* adhuc in uiuis agente. Vt autem ita colligam, ipse facit, dum epistola an. MDLXXXVIII die XXV Martii scripta, quae *Hottomannianas* inter CLXIV est, *Hottomanno* in haec respondet uerba: *Interim tamen quod in tuis prioribus de Cancellariatu mihi gratularis, gratiam habeo, idque eo magis, quod sciam, gratulationem illam ex animo profectam.*

Ceterum non est, quod eos, qui uolunt, *Vicecancellarii* tantummodo partes illum obiisse, multis redarguam, cum uerbis modo allatis eos refellat ipse: quamuis e dictis epistolis, cum maxime uero ex ipsis documentis publicis, sigillatim prioribus duobus scriptis, quorum titulos sectione I praefationis *Pareo* praemissae n. V § 2 lit. a) p. 56 dedi, plura ad manus mihi essent, quibus id facerem, loca, eaque clara perinde ac fidei nequaquam dubiae. Conf. modo epistolarum saepius iam memoratarum CLXI, CLXIII, CLXXXIV, & CC: nec non e libellis modo dictis primum, qui inscribitur, *Kurtze Verzeichniss dessjenigen, vvas* — Reichard *Pfaltzgrav bey Rhein* cet.

p. 7

p. 7 & 14; alterum itidem, qui hunc praefert titulum, *Gründlicher und bestaendiger Gegenbericht* cet. p. 15.

Qua uero re factum sit, ut in tanta apud eum laude fuerit atque existimatione, facili negotio diuinare licet. Administratoris enim munia adituro operam, si quis alius, nauarat ac studium. Speciatim, cum res postularet, ut nosceretur, quid *Ludouicus* in supremis suis ordinasset, tabulas illius testamentarias, penes Senatum academiae Heidelbergensis depositas, callida quadam ratione, cum sibi ab Rectore ostenderentur, auertit, atque illi, ualde eas desideranti, attulit; ut illustris *Thulemarius* mihi familiari in colloquio anno MDCCIX Francofurti narrauit: cuius adeo fide hic scribo.

In hoc togatae militiae gradu perstitit incolumis usque ad annum MDXCII, quo, *Ioanne Casimiro* pridie Non. Ianuar. fatis functo, *Fridericus IV* terrarum auitarum habenas sumsit. Tum enim instabilis fortunae uicem expertus est, ex isto dignitatis gradu, nescio quibus de caussis, deiectus, domumque, si ita dicere licet, relegatus *; ut tamen non omni Heri Principis gratia exciderit, sed ab eo postea semel iterumque in consilium fuerit adhibitus; uelut alibi documentis, omni luce clarioribus in medium allatis †, manifestum facturus sum. 11

* Prodit id nobis *Georgius Michael Lingelsheimius* in epistola, de rebus in aula Palatina conuersis, h. a. die IV Maii ad *Hippolytum de Collibus* data, & in κειμηλίοις litterariis amplissimi *Vffenbachii* recondita, quamuis amarulentius paullo, quam uirum tam impense doctum, & diuini perinde ac humani iuris scientem decebat; *D. Reuber*, inquit, *für alle teufel gejagt, und ihm der sack geben, doch, dass er von haus aus, was ihm anbefohlen werde, verrichte; an seine statt* D. Culmann *zum Vice-canzler geordnet.*

† Praecipue consilio, anno MDXCIV eidem, *auf das ausschreiben des Reichs-tags nach Regenspurg*, Argentorati die VII Februar. consignato.

Ex eo aliis utilem nauauit operam. Et primum quidem Canonicis, siue maximi, quod Argentorati ad aedium maximam tum fuit, Collegii Sodalibus, ab Augustanae Confessionis stantibus formula (*den Bruderhofischen* uulgo) & inclito ciuitatis Magistratui, sub ipsum anni huius finem * ad suscipiendas Consiliarii partes honorifice expetitus. Quibus, quum anno sequenti XCIII domicilium Heidelberga illuc transtulisset, non tum modo, sed post etiam, cum res ad turbas & motus excessisset, utrisque Canonicorum caussam illius, quem ab obitu Episcopi *Ioannis*, e Comitibus Manderscheidiis prognati, diuisis suffragiis ediderant, propugnantibus, tam circumspecte curateque suum probauit studium, ut uiri prudentis, fide praestantis, usuque rerum praeter ceteros exercitati laudem ab omnibus referret, atque apud Magistratum aeque ac sacrum Collegium singulari esset dignatione. 12

* Venerabilis namque Capituli, quibus expetebatur, litteras, cum eas dedero (dabo autem propediem) datas leges die XVII Decembr. an. MDXCII.

Ab Magistratu autem, cum eo uenisset, exceptus fuit omni officiorum ac humanitatis genere; ab reuerendissimo uero Collegio feuda quaedam siue beneficia nexu fiduciario obtinuit, una cum prouentu unius ad aedium summam Vicariae, filii in gratiam, percipiendo.

Ceterum quinque propemodum annos cum eorum, tum *Ioannis Georgii*, Marchionis e domo Septemuirali Brandenburgensis, Administratoris, rationibus pro uirili prospexit, &, praeter alia negotia quam dexterrime curata, anno MDXCV illius nomine conuentui Heidelbergae instituto interfuit. Sic enim laudatus *Lingelsheimius* in epistola h. a. die XXI Martii ad *Volradum* de *Plessen* data, quae *Vffenbachio* nostro similiter αὐτόγραφος est: *Hic conuentus habetur de foedere pro propulsandis irruptionibus, & arcendo itinere armatorum. Legati sunt ab Administratore Argentinensi* Reuberus cet. Sequenti XCVI ad ipsum quoque Daniae Regem reuerendissimi Collegii caussa legationem exegit. Refert id *Dauid Chytraeus* in epistola h. a. die VI Augusti ad *Philippum Marbachium*, Theologum Argentoratensem, scripta, quae n. LV partis VI epistolarum a *Fechtio* editarum est, p. 763: *Poloniae Regis legati circa Pascha in Sueciam hac transierunt, coniugium Episcopi uestri cum Poloniae & Sueciae Regis sorore* (Anna) *confecturi. Sed ad nos nondum redierunt. Interea* Reuberus *uester in Dania fuit; ubi ad coronationem hoc mense exeunte peragendam magni apparatus fiunt.* Quin ipse testis in litteris ad *Lobbetium* anno sequenti scriptis; quas cum experientissimi uiri, *Danielis Nebelii*, academiae Heidelbergensis h. t. Rectoris magnifici, beneficio acceperim, hic legi forte non iniucundum erit. *Clarissime Vir, Domine honorande. Nudius tertius libellum, quem ad te mitto, ex Gallia accepi, in quo mille iniuriae narrantur, quibus sub hoc Rege tota Gallia affecti sunt ii, qui reformatam religionem amplectuntur. Si uera sunt, egregie me ante annum in itinere Danico mentitum esse fateor, dum nostrorum conditionem longe meliorem esse, quam unquam in Gallia fuerit, asserui, & huius Regis beneuolentiam & studium erga Euangelicos mirifice praedicaui: Ego, se ita rem habere, Dominum* Bongarsium *saepissime narrare memini, cui sine dubitatione credidi, certe non iccirco, quod, quae cupimus, facilius credamus, sed quod ipsius integritas & fides nunquam mihi suspecta fuerint. Quid de illis inauditis & maximis iniuriis iudices, & an contineantur, rogo mihi significes, & libellum remittas. Vale. Datae in luco Eschauiensi X Augusti.* Tui studiosissimus *I. Reuberus.*

13 Postea loci *Ernesto Friderico*, Marcgrauio Bada-Durlacensi suam addixit operam, ad amplissimum Consiliarii ac Praefecti Etlingensis munus an. MDXCVIII adscitus. Quod quidem non minori, quam ea, quae Heidelbergae antea & Argentorati gesserat, cura atque in rebus tum temporis haud parum impeditis sagaciter explicandis sollertia sustinuit iuxta, obiitque. Haec inter autem id habuit honoris, ut anno MDCII Argentoratum legati mitteretur titulo, cohonestandis *Francisci*, e Ducibus Brunsuico-Lüneburgensibus, Coloniensis & Argen-

Argentoratensis ecclesiarum Canonici, qui anno superiori funesto casu in amne Renchingen (sigillatim im *Rencherloch*) perierat, sollemnibus exsequiis.

14 Annis tandem ingrauescentibus, in praedio, quod *Odernhemii** habebat, ab exantlatis tot laboribus ac negotiis respiraturus, agens, anno MDCVII in morbum incidit, quo superatus die XVII Iunii † naturae concessit, magno sui desiderio bonis omnibus relicto.

* In *Gauia*, siue late patentibus illis Alzeiam inter ac Wormatiam campis, uulgo *Gau-Odernheim*, ut distinguatur ab oppidulo cognomine alio, quod iuxta *Glanum* amnem, uno ab Meisenheimio milliari, situm est, & uulgo *Glan-Odernheim* dicitur, *Cotirodurum* ueteribus, si *Trithemio* a) fides habenda, nuncupatum. Vti uero hoc ditionis Bipontinae, ita illud Palatinae Electoralis est, *D. Rusi* reliquiis non prorsus incelebre b). Paene praeteriissem, quod in oppidis olim fuerit imperialibus c).

a) *Chronici Hirsaugiensis* parte II ad annum MDIV p. 612.

b) Vide, quae dixi lib. V *rerum Moguntiacarum Serarii* in uita *Alberti* siue *Adelberti III* n. 6 ad § II p. 796.

c) Vide tabulas *Caroli IV* Imperatoris an. MCCCLVI signatas, apud *Tolnerum* in *Codice Diplomatico Palatino* n. CLVI p. 110, & conf. quae dixi lib. V *rerum Moguntiacarum* in uita *Gerlaci* n. 26 ad § I p. 669, & in uita *Ioannis II* n. 3 ad § VIII p. 721.

† Vnde corrigendus *Reimmannus*, dum l. d. quaestione LXXXI p. 428 die XVII *Iulii* uita defunctum scribit.

15 Mortuo iusta funeris exsoluit filius IVSTVS CONRADVS, eique λόγον ἐπιτάφιον scripsit, saxo, in aede sacra Odernheimensi parieti ad laeuam arcus, qui chorum a naui separat, inserto, litteris maiusculis insculptum. quem, cum huc usque dictis in quampluribus fidem faciat, in lucem publicam protrahere & huc afferre iuuabit.

IEHOVAE S.

N. V. *IVSTO REVBERO*, IC. *IVSTO REVBERO* ET *ANNA* DE *BANNENBERG* FAMIL. EQVEST. IN. EPISCOP. PADELBORN. NATO XVI AVG. MDXLII, QVI AB ANNO MDLXXIV LAVDATISS. PRINCIPP. *FRID. III*, *LVD. VI*, *IOHANN. CASIM.* ET *FRID. IV.* PALATIN. IN CONSILIARII ET CANCELLARII MVNERE FIDEL. ET VTIL. OPERAM NAVAVIT, ANNO MDXCIII EVANGELICO COLLEGIO IN CATHEDRA. ECCLES. ARGENTIN. DIFFICILL. TEMPORIB. CONSILIO ADFVIT, ANNO MDC SVB ILLVSTRISS. PRINCIPE *ERN. FRID.* MARCHIONE BADENS. PRAEFECTVRAM ETLINGENSEM GESSIT. TANDEM POST TOT LABORES ET IN REM PVBLICAM MERITA EMERITAM HONORATISSIMAMQVE SENECTAM IN PRAEDIO ODERNHEIM AGENS, PRAEMISSA II FEBR. MDCV VXORE SVAVISS. *ELIZABETHA SPRENGERA*, MATRONA LECTISS. ANNO MDCVII DIE IVN. XVII OPTATAM SECVLI MISSIONEM ACCEPIT, SVPREMAE CVRIAE ADSCRIPTVS.

PARENTI OPT. ET DESIDERATISS.

PIETATIS ERGO ET POSTERITATIS STVDIO,
FILIVS OBSEQVENTISS.
IVSTVS CONRADVS REVBERVS AB *ENGER*
H. M. P. C.
BONA CONSCIENTIA OPTIMVM VITAE PRAESIDIVM.

16 Quod uxorem praemiserit, ex epitaphio modo allato patet. Fuit autem ea *ELISABETHA SPRENGERA*, *WENDELINI SPRENGERI*, Consiliarii Septemuiralis Palatini, & *CATHARINAE HECHTIAE* filia; probi femina moris; quacum iugi concordia, amicissimeque uixit ad annum usque MDCV; quo die II Februarii uiuis ereptam non sine graui maerore extulit.

17 E liberis, quos ex ea genuit, mihi occurrere *ELISABETHA*, *IOANNES BERNHARDVS*, &, quem modo dixi, *IVSTVS CONRADVS*. Quorum quidem hunc superstitem reliquit, opum, uirtutisque, si diutius peruixisset, heredem *; illis uero Heidelbergae fato praeceptis exsequias iuit, ac sollemne monumentum statuit †.

* Bonarum enim artium dicatus studiis, cum in patria Germania, Heidelbergae & Argentorati, tum in Galliis laudabilem litteris dedit operam. Quod, cum alioquin nesciremus, nonnullae parentis ad *Lobbetium* nobis testatum faciunt epistolae; quas aequis cum lectoribus alibi, cum hic spatii, quo circumscriptus sum, angustia id non patiatur, communicare haud intermittam. Patri uero haud diu superuixit. Anno certe si non eodem, proximo tamen eundem morte sequutus fuit. Claro nobis indicio est, quod dimidia domus, quae ex hereditate materna Heidelbergae ad eum feudi siue beneficii titulo peruenerat, anno iam MDCVIII *Philippo Stephano Sprengero*, aui materni e fratre *Philippo* nepoti, tanquam proximo heredi, liberis Reuberianis omnibus exstinctis, ab *Friderico IV*, ut ex celeberrimo *Nebelio* cognoui, beneficiaria lege concessa fuerit.

† Quod cum legi mereatur, ex *Apographo monumentorum Heidelbergensium*, quod nobis *Melchior Adami* dedit, huc afferam. Sic autem ibi p. 25 & seqq.

Optima mors parca quae uenit apta die.
Mors spernit altam gloriam, inuoluit humile
Pariter & celsum caput, aequatque summis infima.

WENDELINO SPRENGERO, ELECTORIS PALATINI CONSILIARIO, VIRO HONORATISSIMO, *ELISABETHAE* ET *IOANNI BERNHARDO REVBERIS*, MARITO, SOCERO, PATRI, NEPOTIBVS, FILIISQVE, ANIMVLIS IVCVNDISSIMIS, *CATHARINA HECHTIA*, *IVSTVS REVBERVS*, *ELISABETHA SPRENGERIA*, VXOR, GENER, FILIA, AVIA, MOESTIQVE PARENTES POSVERVNT.

Ille V. A. LXVI, D. XV. Ob. III Kalend. April. An. MDLXXXI.
Elisabetha V. A. II, M. II, D. VI. Ob. IIII Non. Octobr. A. MDLXXX.
Hic, V. M. X. D. X. Ob. VI Idus Decembr. A. MDLXXXII.

Tollenti anathema.
Linquenti benedictio.

Ceterum

18 Ceterum sui uir fuit nominis, magnaque rerum diuinarum ac humanarum scientia clarus; tum uero tantae integritatis, ut bonus magis esse, quam uideri uoluerit. Vid. epistola ad *Hottomannum*, quae dictas inter CLXXXI est, p. 231.

19 Vtrum autem Heidelbergae in ista dignitatis accessione retinuerit, quod difficillimum ceteroquin est, ex auctoritate modum, forte erunt, qui dubitent, ac coniiciant, animi quadam altitudine illum aliorum erga se prouocasse odium, &, qua postea oppressus fuit, indignationem. Vti sane re ipsa sunt, qui putant, non ab omni δοξομανία fuisse immunem; *Lilienthalius* quidem, qui de *Machiauellismo litterario* § XI p. 57; *Vnde nullo modo probari potest* Iusti Reuberi *simplicitas & inane gloriae studium, dum ipse a* Francisco Hottomanno *petiit, ut sui mentionem publice iniiceret, seque, quod ridiculum est, encomio aliquo dignaretur*; *Auctor* itidem *adnotationum* ad primam amplissimi *Menckenii de Charlataneria eruditorum* declamationem, Halae Magdeburgicae editarum, p. m. 50; *Dann es hatte* Iustus Reuber *den* Hottomann *vorher gebeten, er mögte ihn doch „brav loben.* Vt tamen nesciam, an illi coniectura aberrent; hi uero modum excedant. Saltim id ex uerbis, quibus nixi huius eum uitii insimulant, non tam plane, uti quidem putant, sequi puto. Vt hoc uerius aequiusue hac de re iudices, non possum, quin ea hic exhibeam. Sic autem epist. CLXIV p. 211; *Alteram conditionem, quod* libros obseruationum *mihi dedicare uis, remitto. Etsi enim tuum encomium magni facio, tamen magno ut comparem, res meae, quibus tamen ego bene contentus sum, non patiuntur. Itaque alii cuidam, a quo munus aliquod egregium haberes, dedicare, & mei incidenter, ut fecisti aliquando in dedicatione tuarum disputationum feudalium, mentionem facere potes.* Et epist. CLXXXI supra excitata p. 231; *Porro, quod etiam mei in praefatione tua honorificam mentionem facis, gratias ago. Vellem etiam de integritate mea, animique candore, & continentia aliquid additum fuisset. In hoc enim praecipue iam multos annos incumbo, ut cum muneris mei ratio eruditioni maiori comparandae non dare operam patiatur, bonus, integer, candidus, & in munere meo obeundo continens omnibus potius esse uidear, quam singulariter doctus.*

20 Aequi ceteroquin seruantissimum, iustique semper tenacem fuisse, atque adeo in sustinendis muniorum suorum partibus nominibus suis re ipsa nobiliter prorsus respondisse, *Paschasius Brismannus* egregie Iureconsultus & Poeta non incelebris, eleganti hoc dedicauit epigrammate: No-

Nomen te dignum hoc , & eras tu hoc nomine dignus;
Iustitiae *inuictum pectore* robur *habes.*

Legas id inter carmina *Cisneri* in obitum scripta, quippe quibus *Quirinus Reuterus* id inseruit p. 1031 opusculor. Cisnerianor.

21 Vti uero in religionis negotio, cuius temporibus illis cum alibi, tum in Palatinatu Rhenano maxime uaria erat ac commutabilis ratio, se gesserit, mihi, quod haud infitior, non plane liquet. Si coniecturae locus, dixerim, cum ab iuuentute eorum in partes, qui Melanchtonem sequebantur, tanquam mitiores, propensus fuerit, si non ante, in Galliis tamen ac Heidelbergae animum quotidie magis in eorum inclinasse sententiam, qui Heluetiorum addicti erant placitis; quin, ad ultimum iiscum planissime fecisse. Quo minus autem me aberrare putem, *Peucerus* facit, quippe qui an. MDXCIV die XXV Maii his Comiti *Ludouico* de *Witgenstein* respondit uerbis: *Scripsit ad me & D.* Reuberus *de suis annotatis* (ad scriptum, intellige, *Peuceri* apologeticum, quod Princeps Elector Palatinus quibusdam suorum diligenter euoluendum atque expendendum dederat) *quae me legere cuperet: sed puto, satis esse, si uobis satisfaciat. Ne tamen quidquam derogem cuiquam, non existimo, quenquam idiomate germanico caussam tractaturum ipso melius posse, si uelit.* uide epistolam, quae XXVI est illarum, quas operi *epistolarum theologicarum maiori* consultissimus praemisit *Weberus* p. 41. Accedit, quod semel iteramque a *Ioanne Casimiro* eos inter Consiliarios, qui aperte Heluetiorum dogmatibus addicti erant, adhibitus fuerit, quando cum Ministris ecclesiae Heidelbergensis, quae sacris e praescripto Augustanae Confessionis emendatis utebatur, uel etiam ciuibus, de rebus religionem eorum spectantibus, agendum erat. uide *Struuium* cap. VII *Historiae ecclesiasticae Palatinae* § II p. 401, § VIII p. 438 & 441, § XV p. 462, § XVII p. 474, § XVIII p. 476. Vt eorum, quae hanc in rem in epistola ad *Lobbetium*, supra n. 12 p. VI allata, habet, nil hic repetam. Vt ut autem est, ipse, quod notari meretur, in alia ad *Hottomannum* suum (quae CLXI illarum, quas tam saepe numero usque huc citaui, an. MDLXXXVIII, die XXVI Febr. data) aperte professus est, toto se auersari animo tristis ac infelicis illa notae uocabula, quibus ecclesiae, quae Protestantium nomine ab Romana distingui soleant, uulgo appellentur. Non alienum, uti reor, faciam, si ipsa, quibus id perscripsit, hic adscribam uerba. Sic autem l. d. p. 207: *Et nullum Romanus iste Cerberus & sui carnifices inter uestras & nostras ecclesias, siue illae Lutheranae siue Caluinianae sint (a quibus tamen ego nominibus abhorreo) discrimen facit, quam quod uestras commodius primo loco, dein vero, iis oppressis, nostras facile euerti posse existimet.*

22 Vt scriptis multiiugis claresceret, per munerum, quae gessit, arduorum quippe & laboriosorum, rationes haud licuit. Edidit tamen, cum Spirae priuatorum adhuc caussas ageret, *de Testibus* commentarium, Heidelbergae an. MDLXXIV, forma octaui ordinis, stanno *Ioannis Maier* ac sumtu *Matthaei Harnisch*, hoc titulo exscriptum: *IVSTI REVBERI I.V.D. & Camerae Imperialis Aduocati de Testibus methodica traditio* *: decennio post uero, ut historiae Germaniae cultoribus & ipse nauaret operam, Σύνημα hoc *scriptorum*, *Imperatorum & Caesarum res per aliquot saecula exponentium*, Francofurti Wechelianorum impensis, ut in praefatione dixi, excusum.

* Is dein anno sequenti MDLXXV uariorum auctorum *de testibus probandis uel reprobandis* tractatibus, in unum uolumen coactis, & Coloniae Agrippinae, *Ioannis Gymnici* cura atque aere, forma maioris ordinis, in publicum datis, hac insertus inscriptione est: *IVSTI REVBERI, Iureconsulti & Camerae Imperialis Aduocati, de testibus methodica traditio, in hac editione ob commodiorem usum in tres partes distributa, cum suis summariis.* Separatim uero altera uice Heidelbergae prodiit an. MDLXXXIV, 8; quam editionem *Struuius* memorat *Bibliothecae iuris selectae* cap. VI § LXIV p. m. 22; praeter eam uero priorem etiam an. MDLXXIV dicto Heidelbergae euulgatam *Bibliothecae iuridicae* p. m. 559 *Lipenius*.

TANTVM.

ILLVS.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS,

CHRISTIANO, IOANNI CASIMIRO, IOANNI ERNESTO, FRIDERICO WILHELMO, *ET* IOANNI,

SAXONIAE DVCIBVS, LANDGRAVIIS THVRINGIAE, ET MARCHIONIBVS MISNIAE,

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS.

QVanquam, Illustrissimi Principes, *nostri sæculi ea maledicentia & proteruia est, vt etiam qui bene quid faciunt, nasutulorum aculeos & quasi venenatas voces vix effugiant; tamen peruersi huius nostræ ætatis mores apud me non sunt tanti, vt iccirco a meo instituto, & laudabili aliorum studiis commodandi voluntate, recedam. Nam cum duo codices manuscripti,* Eginhardi *illius, qui* Caroli Magni *vitam descripsit; eorumque annalium, qui de rebus* Pipini, Caroli Magni, *itemque* Ludouici, *Francorum Regum & Imperatorum Romanorum, ab incerto auctore scripti, & a generosißimo & doctißimo Comite* Hermanno Neuuenario *superioribus annis in lucem editi sunt, in mea bibliotheca extarent, & non ita pridem etiam supplementum quoddam eius historiæ nactus essem: operæ pretium me facturum existimaui, si manuscriptos cum impreßis codicibus conferrem: errata, si quæ irrepsissent, tollerem: & quæ de nouo a me reperta & conquisita erant, adiungerem. Itaque diligenter manuscriptos cum impreßis conferendo, nihil temere mutaui aut sustuli, sed tantum lectionum varietatem, vt penes ipsum lectorem esset iudicium, notaui, & quatuordecim annorum, qui desiderabantur, acceßione hosce annales ex vetustißimo quodam libro manuscripto adauxi. quem meum qualemcunque laborem etiam hac de caussa historiæ studiosis gratum futurum existimo, quod horum annalium auctorem* Ludouici *Imp.* Caroli Magni *F. ætate vixisse, atque adeo ex ipsius familiaribus & domesticis fuisse, ex noua mea additione animaduertere, & inde de fide narrationis iudicium facere, quodque centum & duorum annorum historiam, continua serie a* Pipini *ætate vsque ad* Ludouici I *mortem contextam, atque vno quasi fasciculo connexam, legere poßint. Quando autem* Ioannes Turpinus, *Remensis Archiepiscopus, in aliqua rerum a* Carolo Magno *gestarum parte*

***

parte, solius nempe belli Saracenici, cui ipse interfuit, descriptione versetur, etsi more Græcorum fabulose multa narret, tamen apponendum iudicaui. Et cum Luitprandus, *ecclesiæ Ticinensis Leuita, non tam vniuersalem historiam eius temporis, quod sibi sumsit, quam aliquot insequentium Impp.* Arnulfi *&* Ludouici, Arnulfi *F.* Conradi *I,* Henrici *I, cognomento* Aucupis *&* Ottonis *I, res gestas describat; idemque institutum teneant* Witikindus *Saxo**, Rosovvita, *nobilis, &, prout ea tulit ætas, docta mulier,* Diethmarus *Mersburgicus*, viri doctissimi,* Reineri Reineccii, *mei popularis, cura primum ante triennium in lucem editus,* Robertus *Monachus,* Guntherus *Ligur poeta; eos omnes, inserta suo loco* Henrici *Imp. eius nominis* IIII *vita, eiusdemque epistolis, & descriptione belli Saxonici, in hunc librum coniungendos, & vnumquemque suo ordine, prout historia ab vnoquoque scripta ratio exigebat, collocandum censui; cum, quod plerique horum scriptorum in paucorum essent manibus, & a multis desiderarentur; tum etiam, vt si non omnibus numeris absoluta & perfecta, tamen non contemnenda veterum Impp. & Regum vsque ad* Henrici VI *ætatem historia, vno libro comprehensa, extaret. In quo hoc etiam præcipue operam dedimus, vt omnia melius distincta, correctiora & emendatiora prodirent, quod præcipue in* Roberto *Monacho videre licet, qui ex vetustissimis codicibus ita emendatus, correctus, atque auctus est, vt multis in locis propemodum nouus esse videatur. Hoc autem loco liberalitatem* Ioannis Pistorii *Medici, viri doctissimi, & in historiis egregie versati, tacitus præterire non debeo, qui præter alios bene multos, nuper primum in publicum productos, rerum Germanicarum scriptores, ad hanc quoque editionem* Robertum *Monachum contulit, & propediem reliquos, qui* Henrici VI *Imp. ætatem secuti, subsequentium Impp. res gestas separatim literis mandarunt, in lucem proferet.*

* *VVitichindum* Saxonem & *Ditmarum* Merseburgensem volumini huic inserere quidem constituerat *Reuberus*; verum cum paullo ante seorsum a *VVechelianis* editi fuissent, iis haud e re visum, eos hic in id referre. Quod monendum duxi, cum ab iisdem in priori editione id monitum etiam fuerit.

Cur autem, Illustrissimi Principes, *meum hunc laborem sub vestro nomine emittere voluerim, caussæ complures sunt. Primum, quod monumenta rerum a magnis Principibus gestarum, magnos præcipue Principes deceant, in quibus tanquam in speculo, quæ in gubernando sequenda, quæque econtra fugienda sint, contemplentur. Recte enim*

Poly-

Polybius *de historia cognitione scriptum reliquit*, ἀληθινωτάτην μὲν εἶναι παιδείαν καὶ γυμνασίαν πρὸς τὰς πολιτικὰς πράξεις τὴν ἐκ τῆς ἱστορίας μάθησιν, verissimam esse institutionem & præparationem ad publicas siue ciuiles actiones historiæ scientiam. *Nam cum rerum humanarum perpetua sit vicissitudo, & nihil nunc accidat, quod non ante sæpius euenerit; proposito præteritarum exitu, cautior præsentium fit & deliberatio & actio. Senibus sapientia tribuitur; & non immerito. Valent enim rerum vsu, ex quo prudentia oritur; quæ, vt inquit* auctor *ad* Herennium, *nihil aliud est, quam multarum rerum memoria, & complurium negotiorum vsus. Quanta igitur, quæso, adminicula ad prudenter & caute agendum & administrandum singula adferet cognitio historiæ, quæ non vnius hominis ætate circumscribitur, sed multorum sæculorum memoriam complectitur? Huc accedit, quod non dubitem, horum annalium lectionem vobis singulariter gratam atque iucundam esse. Narrantur enim in iis initia, & quasi incunabula Imperii Germanici, cuius tu, Princeps* Christiane, *post parentem* Augustum *Elector, atque adeo augustum aliquando columen futurus es: quæ narratio non potest non homini Germano, nedum Principi esse iucundissima & suauissima. Ostenditur præterea, quomodo hoc Imperium* Caroli Magni *virtute partum fundatumque, & deinde* Heinricorum, Ottonum, *&* Fridericorum *inuicta & præpotenti dextera amplificatum ac defensum sit: quarum rerum memoria & diligens consideratio, si vnquam, certe miserrimo hoc nostro sæculo pernecessaria est, quo videmus antiquos Imperii Germanici hostes in hoc denuo totos esse, vt maiestatem Imperii per aliquot iam sæcula languescentem nunc penitus extinguant, & vt tandem aliquando, quod semper conati sunt, & caput & membra Imperii sub dominatum potestatemque suam subiiciant. Sed excitabit Deus aliquando ex* Heinricorum *&* Ottonum *gente (quæ vestra est) Imp. & libertatis Germanicæ vindicem, qui externo hoste remoto, pristinæ per* Heinricos *&* Ottones *partæ & conseruatæ libertati restituat, quique internum morbum, quo periculose admodum iamdudum ægrotat, idoneo adhibito cauterio, quemadmodum in morbis inueteratis fieri solet, penitus tollat. Quod vt fiat, omnes boni & patriæ amantes viri assiduis votis a Deo exoptant, atque ita euenturum certo sibi pollicentur; præsertim quando in mentem illis venit, antiquam illam illustrissimæ vestræ familiæ virtutem, ab heroicis illis* Heinricorum *&* Ottonum *deductam temporibus, nondum refrixisse, sed non ita pridem in* Electore Mauritio, *fortissimo Principe, totum fere orbem compleuisse.*

Hisce tot & tantis caußis, quæ ad hanc dedicationem me impulerunt, accessit omnium fere ordinum de singulari vestra erga literatos humanitate & beneuolentia consentiens iudicium. Etsi enim literatorum numero nequaquam me aggregare soleam; tamen cum ab ineunte ætate studiis doctrinisque deditus fuerim, earumque caussa Galliam & Italiam non omnino temere & sine fructu peragrarim; hoc mihi persuadeo, cum in egregie doctos egregie humani esse consueueritis, saltem aliquid vsitatæ vestræ beneuolentiæ vos mihi quoque, qui fortaßis inter vulgariter eruditos referri potero, impertituros, & qualecunque hoc literarium munusculum augusta & serena fronte accepturos esse. Quod si forte non mea in vos voluntas, studium, obsequium, non vsitatus vester erga literarum studiosos amor & beneuolentia a vobis obtinebunt; saltem Pipinus, Carolus, Ludouici, Friderici, *& inprimis vestri gentiles* Heinrici *&* Ottones *impetrabunt, qui eam ob caussam multo suo labore & sanguine Sclauorum gentem ex iis regionibus, quas poßidetis amplißimas, submouisse videntur, vt vobis ex tanto interuallo nunc tranquilla & pacata parerent: quod vestrum imperium, vt & vobis & subditis diuturnum, felix & tranquillum sit, Deum precor, vobis vt Iosiæ pietatem, prudentiam Salomonis, & Nestoris annos; subditis vero obsequentem animum & debitam magistratui obedientiam largiatur. Datum Heidelbergæ Kalendis Nouembr. Anno Christi* CIↃ IↃ XXCIII.

Vestrarum Illustriss. Celsitudinum

Deditissimus

Iustus Reuberus
Iureconsultus.

PAVLI

PAVLI MELISSI, Franci,

Comitis Palatini & Equitis, Ciuis Romani,

ODE

AD IVSTVM REVBERVM IC.

Electoris Palatini Consiliarium.

TAM docta, & artis scita, celebrium
Scriptorum in oris Teutoniæ manus,
Qualem videmus cum Pelasgos
Tum Latios apud exstitisse,
Queis cura texendæ historiæ fuit,
Rerumque gestarum egregie & domi
Forisque; si florens adæque
Præterita viguisset olim
Aetate: quantum res ea commodi
Nostræ tulisset, quot bona, patriæ!
Quantis abundaremus actis!
Quot monumenta Ducum potentum
Belloque & armis cernere, nec sine
Plausu, liceret! quot modo prœlia
Commissa, pugnataue pugnæ
Disposita in statione Martis
Aures ferirent magnanimis viris!
Fragmenta solum, ac pleraque barbare
Consuta nunc, REVBERE, *restant;*
Vix quoque digna legi, nisi auctor
Vnusque & alter vel tacite insita
Quodammodo vi pectora pertrahat,
Fore adseuerans, inter istas
Vt paleas tenuesque glumas
Inuenta dent se grana aliqua optimæ
Frugis. Dolendum est, vsque adeo suæ
Vixisse famæ negligentes
Teutoniæ proceres vetustos.
Atqui sat illis tunc erat, inclitas
Gessisse res, ac strenua fortibus
Ausis rudimenta, vt decebat,
Militiæ posuisse quondam,
Laudis futuræ sollicitis parum,
Nec curiosis, post nigra funera

**** Quid

Quid scriptitaretur nepoti.
Quemque animo suus excitabat
Honos, & ingens mentibus indita
Virtutis ardor, non nisi in ardua
Scandentis, & praeclara (quoad quis
Viueret) adsidue minantis.
Vt quisque magnam fuderat hostium
Victor cateruam, sic patriam ad dapem
Contentus in praesens vel vno
Saltem erat ille melo canentis.
An non supinos arguerim, & minus
Cautos Latinos, sicut & Atticos
Ciues, nitorem ac puritatem
Linguae vtriusque perire passos?
Flos ille postquam concidit elegans
Sermonis, & lolium immedicabile
Insedit aruis; derepente heu
Finitimas Aquilonis vrbes
Late occupauit barbaries ferox,
Hirsuta frontem, & dentibus aspera,
Induta villosam lacernam,
Oraque vincta gerens soloecis.
Agrestis instar haec suis omnia
Vastare tendens, ac ruere impetu,
Qu[illegible]non penetrauit locorum?
Quidnam, age, liquit atrox inausum?
Ecquem fugit, quam turpiter ipsamet
Iure atque leges collutulauerit?
Qua labe Celsi disciplinam
Polluerit? Sophiaeque in artes
Grassata cultas, mox etiam Iouis
Sacrum profanans contemerauerit
Impune? Quantum exstat malorum,
IVSTE, *notam opprobrii merentum;*
Haec sola eorum est causa. Quid attinet
Culpare nostros? hanc satius feram
Illuc relegandam, malum vnde
Ipsa pedem tulit, arbitreris.
Quod corrigendum se patitur nefas,
Non corrigamus, quaeso, bene ac probe?
Mutare si quid non valemus,
Ferre animo decet illud aequo.

MYRTILLETI,

ANNO CIↃ IↃ LXXXIII,
pridie Kal. Sept.

VITA

VITA ET GESTA
CAROLI
COGNOMENTO MAGNI,
FRANCORVM REGIS FORTISSIMI,
ET
GERMANIAE SVAE ILLVSTRATORIS,
OPTIME MERITI.

PER

EGINHARDVM,
ILLIVS QVANDOQVE ALVMNVM,
ATQVE SCRIBAM ADIVRATVM,
GERMANVM,
CONSCRIPTA.

✝ ✝ ✝

DE EGINHARTO, Commentarii huius *de vita, rebusque gestis CAROLI M.* auctore, libri itidem praestantia, variisque editionibus cum plures alii iam egerint, cum maxime vero elegantis doctrinae, celebrisque admodum nominis vir, *Ioannes Hermannus Schminckius* *; non est, quod de iis & hic ego praefationis loco agam.

* In dissertatione editioni suae praemissa: quam deinde magna ex parte suas in areolas deriuauit *Eginharti illustrati & vindicati* auctor *Ioannes Weinckens*, coenobii Seligenstadensis Prior.

Iuuabit igitur, consilii mei in recensendo illo rationes paucis solummodo indicare. Retinui autem (ut id sine ullis ambagibus exsequar) textum, vt *Reuberus* illum in hoc opere olim edidit. Quanquam enim constitueram, sequi hic editionem, quam laudatus modo *Schminckius* an. MDCCXI dedit, quippe omnium optimam*, vel saltim lectiones, quas ille tanquam veriores in textum recepit, margini adscribere; attamen, cum viderem, neutrum apte iuxta atque congruenter fieri posse, animum mutaui. Ne tamen quid, lectorum dispendio praetermisisse viderer, Schminckianum, in quantum ab illo abit, sub finem peculiarem in recensum redegi.

* Vt bene iudicarunt *Leuckfeldius* annotat. ad cap. III *Antiquitat.* suarum *Northeimensium* p. 263, *Burcardus* parte II Commentarii *de fatis linguae latinae in Germania* cap. III p. 43, *Hechtius* loco mox citando.

Dein textum itidem in sectiones, ut *Besselius* ac *Schminckius* fecere, diuisi; idque hac ratione, vt singulis earum praemiserim argumenta, siue, vt vulgo appellari solent, summas.

Et licet in aperto sit, narrationem de furtiuis *Eginharti* auctoris ac *Immae* amoribus putidum esse commentum; nihilominus tamen, quod viderim, *Reuberum*, quem alii deinde citarunt*, ex chronico Laurishamensi, tum nondum edito, eam praemisisse, praefatiunculae huic itidem subiunxi, vna cum diplomate *Ludouici Pii*, quod *Reuberus* similiter sua in editione olim ex eodem dedit chronico.

* Hos inter *Besselius* in adnotat. ad cap. XIX p. 75, *Hechtius* Germaniae sacrae & litteratae parte II lib. IV cap. VII § II p. 163.

De cetero non possum, quin moneam, *Claudio Arrhenio* tanti hunc *de vita Caroli M.* commentarium saeculo su-

lo superiori visum fuisse, vt dignum iudicarit, quem in Gothicum conuerteret sermonem, & cum annotationibus *Besselii* modo dicti, *Emanuelis Thesauri*, Comitis Itali, *de rebus Gothorum, Longobardorumque in Italia* libris, ex Italico latine, suecice, & germanice ab se redditis, adiiceret *.

*Vid. *Ioan. Schefferus* de Scriptis & Scriptoribus Suecorum p. m. 256. Quae tamen versio, quod sciam, lucem nondum vidit. Fuit autem *Arrhenius* gente Ostrogothus, ac in academia Vpsaliensi primum Philosophiae primae ac rationalis, dein vero Historiarum egit Professorem (vid. *Schefferus* l. d. p. 255) & quum eruditione varia, eaque excellenti, praecipue vero singulari rerum patriarum scientia apud suos haud parum inclaruisset, altiorem honoris conscendit gradum, Nobilium in ordinem, *Örnhiälmi* sub cognomento, euectus, dignusque habitus, qui Regis non tantum a secretis esset, ac scribenda historia, sed Collegii Antiquitatum etiam, quod Holmiae floret, Adsessor. vid. *Mollerus* in Hypomnemat. *Scheffero* subiectis p. 433.

Quod cum iudiciis de *Eginharto*, quae *Schminckius* dissertationi supra excitatae larga satis manu subiecit, addere conueniat, simul noto, Illustrem virum, *Nicolaum Hieronymum Gundlingium* parti II *Otiorum* doctissimam de hoc ipso *Eginharti* commentario commentationem, quae caput V constituit, ac vernacula hoc inscripta titulo est, *Reflexion über* Eginharts *leben* CARL *des* Grossen, p. 202 & seqq. inseruisse Quam, cum totam legi e re sit, velim euoluas, exhauriasque.

Si per me stetisset, eam veste latina donatam laciniae huic, tanquam purpuram, adsuissem; non ignarus, aliquot abhinc annis virum quendam & eruditionis & muneris dignitate perquam conspicuum, tanquam singulari cura conscriptam, lectuque maxime dignam, editioni huic praemittendam censuisse.

Testimoniorum alioquin, praeter ea, quae amicissimus *Schminckius* attulit, haud pauca subiungi possent, si quidem opus esset. Sufficiant itaque sequentia.

Ioannes Henricus Boeclerus
praefat. in historiam *Caroli Magni*,
tomo II opp. p. 139.

Ceterum inter scriptores, quibus velut instrumentis in hoc labore usus sum, primi, Eginhartus, Ganguinus, Acciaiolus, Cuspinianus *sese offerunt, breuiter vniuersam* Caroli *vitam complexi, fidemque consensu merentes, tanto maiorem* ille, *quanto tum vetustate nobilior, tum dignitate apud ipsum Imperatorem eminentior olim fuerat.*

Ioannes Bollandus
in Actis Sanctor. tomo II Ianuar. p. 875.

Is ergo tum alios libros scripsit, tum ——— *insignem libellum de* Caroli *vita & conuersatione.*

Conradus Samuel Schurzfleischius
epist. ad *Christfriedum Waechtlerum* Ictum,
quae CCLXXVIII est earum, quas *H. L. Schurzfleischius*, frater, tomo I complexus est, p. 426;

Eginhartus *testamenti* (Carolini) *perantiqui testis & suffragator locupletissimus.*

Natalis Alexander
Histor. eccles. saec. IX & X cap. III artic. VIII
p. m. 46;

Scripsit vitam Caroli M. (Eginhartus) *tanto meliori fide, quanto ipsi adhaesit familiarius, vt* Sigebertus *obseruat.*

Ioannes Nicolaus Hertius
Notit. Regni Francorum veteris, prolegom.
§ IV p. 216. volum. II,

Scriptores historiarum sub Carolingicis prolixum foret memorare, nisi quod vnius Eginharti, *quem virum in aula educatum, & negotiorum publicorum gnarum, maiestatis iurium callentissimum, ac temperantissimum scriptorem non temere laudat* Baluzius, *obliuisci non possumus. Huic enim vitam* Caroli M. *prudenter & quod in illo aeuo mireris, latine satis scriptam debemus.*

Langlet du *Fresnoy*
in methodo legendi Historias cap. IX,

Legi possunt, quae Eginhartus *de eo scripsit; qui tamen nimius est in elogiis illi tribuendis, parcus vero in vitiis eiusdem recensendis.*

Ioannes Burcardus Mencke,
in annot. ad *Langleti* du *Fresnoy* catalog.
n. LV p. m. 221;

Auctor hic accuratus est, peritus, scriptorumque illius saeculi optimus.

Godefridus Hechtius
Germaniae sacrae & litteratae
parte II lib. IV cap. V p. 154,

Laude omnes, quos haec aetas vidit, coluitque, praestabat Eginhardus, *cuius eloquentiae vis, quam tenuit, commentario illo, breui quidem, attamen ornate, de* Caroli M. rebus gestis *composito, elucet, vt qui primus inter historicos, vt paullo post docebimus, clarus extitit, inter eos merito clarissimus etiam habeatur, qui sermonis elegantia & humanitate, quae quidem eis temporibus esse poterat, excellere putabatur.*

& cap. VII § II p. 164,

Vitam Caroli M. *breuiter, attamen elegantius, quam aetas ferebat, perscripsit, eo consilio, vt memoria tanti Imperatoris ad posteros incolumis maneret.*

NARRA-

NARRATIO
de
EGINHARTO
ex Chronico Laurishamensi.

EINARDVS *Archicapellanus Notariusque Imperatoris Caroli, cum in aula regia laudabiliter seruiens, diligeretur ab omnibus: a filia quoque ipsius Imp. Imma nomine, Regi Græcorum desponsata, amabatur ardentius. Aliquantum temporis fluxerat: amor alternus quotidie inter ambos per augmenta crescebat. Vtrosque enim timor retardauit & offensio regia, ne tam grauia conueniendi inirent conamina. Sed amor improbus omnia vincit. Denique cum vir egregius irremediabiliter amando æstuaret, auresque virginis per internuncium appellare non præsumeret, nouissime sumpta de semetipso fiducia, nocturno tempore latenter ad puellæ tendebat habitaculum. Ibidem ergo pulsans clanculo, & intrare permissus, tanquam allocuturus iuuenculam de regali mandato: statim versa vice solus cum sola secretis vsus alloquiis, & datis amplexibus cupito satisfecit amori. Interea, cum iam appropinquante luce diei, per silentia noctis, vnde venerat, regredi vellet; de improuiso niuem haud modicam decidisse cognouit, & ne per vestigia pedum virilium agnitus proderetur, foras exire timuit: ambosque pro conscientia facti anxietas, simul & formido, intus remanere compulit. Cumque nimia sollicitudine fluctuantes, quid facto opus esset, deliberarent: tandem elegantissima iuuencula, quam audacem faciebat amor, consilium dedit, vt ipsa quidem super se insidentem inclinata exciperet, eumque vsque ad locum illius hospitio contiguum antelucanum deportaret, ibique eo deposito, rursum per eadem vestigia cautius obseruata, rediret. Eam noctem Imperator diuino (vt creditur) nutu insomnem duxit, diluculoque consurgens, eminusque de aula prospiciens, intuitus est filiam suam sub præfato onere nutanti gressu vix incedere, & ad condictum locum, deposita quam gestabat sarcina, celeri repedare recursu. Quibus multo intuitu perspectis, Imperator partim admiratione, partim dolore permotus, non tamen absque diuina dispositione id fieri reputans, sese continuit, & visa interim silentio suppressit. Interea Einhardus sibi conscius certusque rem nullo modo dominum suum Regem diu latere posse; tandem inter angustias reperto consilio, Imperatorem aggreditur, flexis genibus missionem postulans: asserens tot & tantis seruitiis suis condigna non rependi præmia. Illis auditis, Rex dissimulato rei & eue[illegible]* exitus diu

diu conticuit. Dehinc eum certificans, se postulationi eius quantocius responsurum: diem constituit, statimque consiliarios primosque regni sui, & cæteros quosque sibi familiares, passim euocatos, conuenire iussit. Congregata itaque magnifica diuersarum dignitatum frequentia, ita exorsus est: Imperatoriam, inquiens, maiestatem nimis iniuriatam esse, & despectam, in indigna suæ filiæ, Notariique sui copulatione, & exinde non mediocri sese agitari perturbatione. Quibus nimio stupore perculsis, de rei nouitate ac magnitudine quibusdam adhuc ambigentibus, Rex explicauit eis euidentius, referens eis a primordio, quid per semetipsum oculata fide cognouerit, consiliumque eorum ac sententiam super hoc postulans. At illi inter se diuersi diuersa sentientes, in præsumptorem huius rei duras & varias dedere sententias, aliis sine exemplo puniendum, aliis exilio damnandum, aliis alio modo disperdendum, vt cuique impetus erat adiudicantibus. Porro quidam ex eis tanto mitiores, quanto sapientiores, habita secum deliberatione, quam intime Regem exorauere, vt ipse rem per semetipsum examinare, & secundum diuinitus ei collatam sapientiam diffinire dignaretur. Verum vbi Rex singulorum circa se affectum ponderauit, & inter diuersas sententias, quid potissimum consilii sequeretur, expendit, sic eos allocutus est: Non ignoratis, inquit, humanum genus variis subiectum esse casibus, & frequenter euenire, vt res nonnullæ quæ contrariis initiis inchoantur, meliorem aliquando sortiantur exitum. Proinde non est desperandum, sed potius super hac re, quæ & grauitate & nouitate sui nostrum exsuperat ingenium, diuinæ prouidentiæ, quæ nunquam in sui dispositione fallitur, quæque etiam malis bene vti nouit, clementia est expectanda & expetenda. Quapropter tam tristis facti a Notario meo non exigam pœnas, per quas infamia filiæ meæ magis videretur augeri, quam minui. Vnde dignius & laudabilius Imperii nostri gloriæ arbitramur congruere, vt data adolescentiæ venia, legitimo eos matrimonio coniungam, & rei probrosæ, honestatis colorem superinducam. Regis ergo audita sententia, fit incomparabile gaudium, magnitudoque animi eius ac mansuetudo summis effertur laudibus. Interim Einhardus iussus adesse, ingreditur. Quem ex inopinato Rex salutans, ita eum placido vultu alloquitur: Iam dudum auribus nostris a vobis delata est querimonia, quod seruitiis vestris regali munificentia hactenus digne non responderimus. Sed (vt verum fatear) maxime super hoc culpanda est vestra negligentia. Etsi enim sustineam tot & tanta negotia solus: tamen si quid voluntatis vestræ compertum habuissem, seruitia vestra digno fuissem persecutus honore. Verum ne vos diutino sermone protraham, queri-

querimoniis vestris amplissima donatione satisfaciam, & ut vos etiam fidelem mihi ut prius & beneuolum posthac sentiam, iuri vestro nuptum tradam meam filiam, vestram scilicet portatricem, quæ quandoque alte succincta vestræ subuectioni satis se morigeram exhibuit. Protinus ad Regis edictum, cum multo comitatu adducta est eius filia, quæ roseo vultu perfusa rubore, tradita est per manus patris in manus prædicti Einhardi, cum dote plurima, prædiorum quoque nonnullorum, cum innumeris aureis argenteisque donariis, aliisque preciosis supellectilibus. Quibus etiam piissimus Imperator Ludouicus, post obitum patris prædia sua, videlicet Michlinstat, *&* Mülinheim *quæ nunc appellatur* Seliginstat, *tradidit, cum huiusmodi donationis priuilegio:*

In nomine Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, Ludouicus diuina ordinante prouidentia Imperator Augustus. Imperatoriæ celsitudini moris est, fideliter sibi famulantes donis multiplicibus atque honoribus ingentibus honorare atque sublimare. Proinde nos morem parentum nostrorum, regum videlicet prædecessorum nostrorum sequentes, libuit celsitudini nostræ, fidelem quendam nostrum nomine Einhardum, de quibusdam rebus proprietatis nostræ honorare, atque in sui iuris potestatem liberalitatis nostræ gratiam conferre. Nec immerito: quippe cum & fidelitatis obsequio, & obedientiæ deuotione, hoc apud serenitatem nostram digne mereatur adipisci, qui totis nisibus usque quaque nostro seruitio, nostris iussionibus fideliter parere studet. Inde nouerit experientia atque utilitas omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam & futurorum, quia concessimus eidem fideli nostro Einhardo, nec non & coniugi suæ Imma in partibus Germaniæ, locum qui vocatur Michlinstat, *in sylua quæ vocatur* Odonavvaldt, *in cuius medio est basilica lignea modica constructa, de qua in omnem partem quaqua versus pertinent ad eundem locum inter campum & syluam leugæ duæ, id est rasta una. Intra cuius mensuræ circumplexum, manent præsenti tempore serui nostri proprii* XIIII *cum uxoribus suis & filiis. Præter hos sunt in eodem loco inter masculos & fœminas mancipia* XL. *Hunc locum cum terminis suis, sub integritate & mancipiis suis, nec non & villam quæ dicitur* Mülinheim, *quæ est in pago* Moynecgouue, *sita super ripam fluminis* Moyni, *quæ quondam Drogonis comitis possessio fuit, & habet basilicam paruam muro factam, in qua villa sunt mansi* XIX, *& serui præsenti tempore manentes cum uxoribus & liberis numero* XIII: *sicut & in altera villa, eodem vocabulo supra eundem fluuium, quæ vocatur inferior* Mülinheim, *in qua sunt mansi* IIII, *& serui manentes totidem cum uxoribus & paruulis, qui perti-*

pertinent ad superius dictam villam. Hanc villam, id est superiorem Mülinheim, *cum appenditiis suis & mancipiis propriis ad eam pertinentibus, & hac omnia suprascripta cum ecclesiis, villaribus, domibus, mancipiis, sylvis, terris, pratis, pascuis, aquis, aquarumve decursibus, cultum & incultum cum omnibus adiacentis & appenditiis, totum & ad integrum, pradicto fideli nostro Einhardo & coniugi eius Imma in proprium per hanc nostra donationis auctoritatem concessimus, ita videlicet, vt quicquid ab hodierna die in futurum de pradictis rebus & locis, vt de his qua ad eas pertinent, iure hareditario facere voluerint, in omnibus potiantur arbitrio faciendi, & nullus ex fidelibus sancta Dei Ecclesia & nostris, de prascriptis rebus memorato fideli nostro & coniugi sua a nobis concessis, aliquid abstrahere aut minuere tentet, sed liceat eis ipsas res quiete habere & possidere, & cui voluerint, iure hareditario relinquere. Et vt hac auctoritas largitionis nostra per curricula annorum, inuiolabilem atque inconuulsam perpetuo obtineat firmitatem, & a fidelibus nostris, tam prasentibus quam & futuris, seu etiam a successoribus nostris, a nobis facta, verius certiusque credatur, eam manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione signari iussimus*

Signum [monogram: H L O I S] *Ludouici*

Sereniss. *Imperatoris*

Helisachar recognoui. Data III *Idus Ianuarii, anno, Christo propitio, primo Imperii Domini Ludouici piissimi Imperatoris Augusti, Indictione* VII. *Actum Aquisgrani palatio regio, in Dei nomine feliciter, Amen.*

VITA

VITA ET GESTA CAROLI MAGNI PER EGINHARTVM.

PRAEFATIO.

VITAM & conuersationem, & ex parte non modica res gestas, domini & nutritoris mei *Caroli*, excellentissimi & merito celeberrimi Regis, postquam animus scribere tulit, quanta potui breuitate complexus sum; operam impendens, vt de iis, quæ ad meam notitiam peruenire potuerunt, nihil omitterem, neque prolixitate narrandi noua quæque fastidientium animos offenderem: si tamen vllo modo vitari potest, vt noua scriptione non offendantur, qui vetera, & a viris doctissimis atque disertissimis confecta monumenta fastidiunt. Et quamuis plures esse non ambigam, qui otio ac literis dediti, statum æui præsentis non arbitrentur ita negligendum, vt omnia quæ nunc fiunt, velut nulla memoria digna, silentio atque obliuioni tradantur: potiusque velint, amore diuturnitatis allecti, aliorum præclara facta qualibuscunque scriptis inserere, quam sui nominis famam posteritatis memoriæ nihil scribendo subtrahere: tamen ab huiusmodi descriptione non existimaui temperandum, quando mihi conscius eram, nullum ea veracius quam me scribere posse, quibus ipse interfui, quæque præsens oculata, vt dicitur, fide cognoui, & vtrum ab alio scriberentur necne, liquido scire non potui. Satius ergo iudicaui, eadem cum aliis velut communiter literis mandata memoriæ posterorum tradere, quam Regis excellentissimi, & omnium sua ætate maximi, clarissimam vitam, & egregios, atque nostri temporis hominibus vix imitabiles actus, pati obliuionis tenebris aboleri. Suberat & alia non irrationabilis causa, quæ vel sola sufficere posset, vt me ad hæc scribenda compelleret: nutrimentum videlicet in me impensum, & perpetua, postquam in aula eius conuersari cœpi, cum ipso & liberis eius amicitia, qua me ita sibi deuinxit, debitoremque tam viuo quam mortuo constituit, vt merito ingratus videri & iudicari possem, si ... beneficiorum

ficiorum in me collatorum immemor, clariſſima & illuſtriſſima hominis optime de me meriti geſta ſilentio præterirem: patererque vitam eius, quaſi qui nunquam vixerit, ſine literis ac debita laude manere. Cui ſcribendæ atque explicandæ non meum ingeniolum, quod exile & paruum, imo nullum pæne eſt, ſed Tullianam par erat deſudare facundiam. En tibi librum præclariſſimi & maximi viri memoriam continentem, in quo præter illius facta, non eſt quod admireris, niſi forte, quod homo barbarus in Romana locutione perparum exercitatus, aliquid decenter aut commode latine ſcribere poſſe putauerim, atque in tantam impudentiam proruperim, vt illud *Ciceronis* putarem contemnendum, quod in primo Tuſculanarum libro, cum de Latinis ſcriptoribus loqueretur, ita dixiſſe legitur: *Mandare quemquam*, inquit, *literis cogitationes ſuas, quas nec diſponere, nec illuſtrare poßit, nec delectatione aliqua allicere lectorem, hominis eſt intemperanter abutentis & otio & literis.* Poterat quidem hæc oratoris egregii ſententia me a ſcribendo deterrere, niſi animo præmeditatum eſſet, hominum iudicia potius experiri, & ſcribendo ingenioli mei periculum facere, quam tanti viri memoriam, mihi parcendo, præterire.

cap. 3

GENS

VITA CAROLI MAGNI IMP.

CAPVT I

Misera deficientis in Hilderico Merouingorum gentis conditio. Maiorum Domus summa auctoritas.

GENS *Merouingorum*, de qua Franci Reges sibi creare soliti erant, vsque in *Hildericum* Regem, qui iussu *Stephani* Rom. Pontificis depositus ac detonsus, atque in monasterium trusus est, durasse putatur: quæ licet in illo finita possit videri, tamen iamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in se clarum, præter inane Regis vocabulum præferebat. Nam & opes & potentia regni penes palatii præfectos, qui *Maiores domus* dicebantur, & ad quos summa imperii pertinebat, tenebantur: neque Regi aliud relinquebatur, quam vt regio tantum nomine contentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos vndecunque venientes audiret, iisque abeuntibus responsa quæ erat † doctus, vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet: cum præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus aulæ, prout videbatur, exhibebat, nihil aliud proprii possideret, quam vnam & eam præparui reditus villam, in qua domum, ex qua famulos sibi necessaria ministrantes, atque obsequium exhibentes, paucæ numerositatis habebat. Quocunque eundum erat, carpento ibat, quod bubus iunctis, & bubulco rustico more agente trahebatur: sic ad palatium, sic ad publicum populi sui conuentum, qui annuatim ob regni vtilitatem celebrabatur, ire, sic domum redire solebat. At regni administrationem, & omnia, quæ vel domi vel foris agenda ac disponenda erant, præfectus aulæ procurabat.

† al. *edoctus*

CAPVT II

Maiorum Domus sub vltimis e stirpe Merouingica Regibus series, & gesta.

QVo officio tum, cum *Hildericus* deponebatur, *Pipinus* pater *Caroli* Regis iam velut hereditario iure fungebatur. Nam pater eius *Carolus*, qui tyrannos, per totam Franciam dominatum sibi vendicantes, oppressit, & Saracenos, Galliam occupare tentantes, duobus magnis prœliis, vno in Aquitania apud Pictauium ciuitatem, altero iuxta Narbonam, apud Byrram fluuium, ita deuicit, vt in Hispaniam eos redire compelleret, eundem magistratum a patre *Pipino* sibi dimissum egregie administrauit. Qui honor non aliis a populo dari consueuerat, quam iis, qui & claritate generis, & opum amplitudine ceteris eminebant. Hunc cum *Pipinus*, pater *Caroli* Regis, ab auo & patre sibi & fratri *Carolomanno* relictum, summa cum eo concordia diuisum, aliquot annis, velut sub Rege memorato tenuisset, frater eius *Carolomannus*, incertum, quibus de causis, tamen videtur, quod amore conuersationis contemplatiuæ succensus, operosa temporalis regni administratione relicta, Romam se contulit in otium: ibique, habitu permutato, monachus factus, in monte *Soracte* apud ecclesiam *B. Syluestri* constructo monasterio, cum fratribus, secum ad hoc venientibus, per aliquot annos optata quiete perfruitur. Sed cum ex Francia multi nobilium ob vota soluenda Romam solenniter commearent, & eum, velut dominum quondam suum, præterire nollent, otium, quo maxime delectabatur, crebra salutatione interrumpentes, locum mutare compellunt. Nam cum huiuscemodi frequentiam suo proposito officere vidisset, relicto monte in Samnium prouinciam, ad monasterium *S. Benedicti*, situm in arce [illegible] secessit, & ibi, quod reliquum erat temporalis vitæ, religiose conuersa[illegible] compleuit.

CAPVT

CAPUT III

Post Pipini *Regis obitum solio regni Francici imponuntur* Carolus *&* Carolomannus. Carolomanno *fatis functo*, Carolus *solus regnat*.

Pipinus autem per auctoritatem Rom. Pontificis ex præfecto palatii Rex constitutus, cum per XV annos aut eo amplius Francis imperaret, finito Aquitanico bello, quod contra *Waifarium* Ducem Aquitaniæ ab eo susceptum per continuos IX annos gerebatur, apud Parisios morbo aquæ intercutis diem obiit, superstitibus liberis *Carolo* & *Carolomanno*, ad quos successio regni diuino nutu peruenerat. Franci siquidem facto solenniter generali conuentu, ambos sibi Reges constituunt, ea conditione præmissa, vt totum regni corpus ex æquo partirentur: & *Carolus* eam partem, quam pater eorum *Pipinus* tenuerat, *Carolomannus* vero eam, cui patruus eorum *Carolomannus* præerat, regendam susciperet. Susceptæ sunt vtrinque conditiones, & pars regni diuisi, iuxta modum sibi propositum, ab vtroque recepta est, mansitque ista, quamuis cum summa difficultate, concordia, multis ex parte *Carolomanni* societatem separare molientibus, adeo vt quidam etiam eos bello committere sint meditati. Sed in eo plus suspicionis quam periculi fuisse, ipse rerum exitus approbauit, cum defuncto *Carolomanno*, vxor eius cum filiis, & quibusdam, qui ex optimatum eius numero primores erant, Italiam fuga peteret, & nullis existentibus causis, spreto mariti fratre, sub *Desiderii* Regis Langobardorum patrocinium se cum liberis suis offerret. *Carolomannus* quidem post administratum communiter biennio regnum morbo decessit.

CAPUT IV

De Caroli M. *natiuitate & pueritia cum certi nil habeatur, a bellis ipsius, rebusque gestis dicendi sit initium.*

Carolus autem, fratre defuncto, consensu omnium Francorum rex constituitur. De cuius natiuitate atque infantia, vel etiam pueritia, quia neque scriptis vsquam † aliquando declaratum est, nec quicquam modo superesse inuenitur, qui horum se dicat habere notitiam, scribere ineptum iudicans, ad actus & mores, ceterasque vitæ illius partes explicandas ac demonstrandas, omissis incognitis, transire disposui. Ita tamen, vt primo res gestas & domi & foris, deinde mores & studia eius, tum de regni administratione & fine narrando, nihil de iis, quæ cognitu vel digna vel necessaria sunt, prætermittam.

† al. *aliquid*

CAPUT V

Bellorum primum fuit Aquitanicum, *quod describitur.*

Omnium bellorum, quæ gessit, primo Aquitanicum a patre inchoatum, sed nondum finitum, quia cito peragi posse putabatur, fratre adhuc viuo & auxilium ferre rogato, suscepit; & licet eum frater promisso frustrasset auxilio, susceptam expeditionem strenuissime executus, non prius incepto desistere, aut semel suscepto labori cedere voluit, quam hoc, quod efficere moliebatur, perseuerantia quadam perfecto fine concluderet. Nam & *Hunoldum*, qui post *Waifarii* mortem Aquitaniam occupare, bellumque iam pæne peractum reparare tentauerat, Aquitaniam relinquere, & Vasconiam petere coegit. Quem tamen ibi consistere non sustinens, transmisso amne Garomna, *Lupo* Vasconum Duci per legatos mandat, vt perfugam reddat: quod ni † festine faciat, bello eum se expostulaturum. Sed *Lupus* saniori vsus consilio, non solum *Hunoldum* reddidit, sed etiam seipsum cum prouincia, cui præerat, eius potestati submisit.

† al. *festinato*

CAPUT

CAPVT VI

Bellum Langobardicum.

COmpositis in Aquitania rebus, eoque bello finito, regni quoque socio iam rebus humanis exempto, rogatu & precibus ***Adriani*** Rom. vrbis Episcopi exoratus, bellum contra Langobardos suscepit: quod prius quidem & a patre eius, ***Stephano*** Papa supplicante, cum magna difficultate susceptum est: quia quidam ex primoribus Francorum, cum quibus consultare solebat, adeo voluntati eius renisi sunt, vt se Regem deserturos, domumque redituros, libera voce proclamarent. Susceptum tamen bellum est contra ***Haistolfum*** Regem, & celerrime completum. Sed licet sibi & patri belli suscipiendi similis, ac potius eadem causa subesse videretur, haud simili tamen & labore certatum, & fine constat esse completum. ***Pipinus*** siquidem ***Haistolfum*** paucorum dierum obsidione apud Ticinum compulit & obsides dare, & erepta Romanis oppida atque castella restituere, atque vt reddita non repeterentur, sacramento fidem dare. ***Carolus*** vero post inchoatum a se bellum non prius destitit, quam & ***Desiderium*** Regem, quem longa obsidione fatigauerat, in deditionem susciperet, & filium eius ***Adalgisum***, in quem spes omnium inclinata videbatur, non solum regno, sed etiam Italia decedere compelleret, omnia Romanis erepta restitueret, ***Ruodgaudum*** Foroiuliani Ducatus præfectum, res nouas molientem, opprimeret, totamque Italiam suæ ditioni subiugaret, subactæque filium ***Pipinum*** Regem imponeret. Italiam intranti quam difficilis Alpium transitus fuerit, quantoque Francorum labore inuia montium iuga, & eminentes in cælum scopuli, atque asperæ cautes superata sint, hoc loco describerem, nisi vitæ illius modum potius, quam bellorum, quæ gessit, euentus memoriæ mandare, præsenti opere animo esset propositum. Finis tamen huius belli fuit subacta Italia, & Rex ***Desiderius*** perpetuo exilio deportatus, & filius eius ***Adalgisus*** Italia pulsus, & res a Langobardorum Regibus ereptæ, ***Adriano*** Romanæ ecclesiæ rectori restitutæ.

CAPVT VII

Bellum Saxonicum, *quod omnium laboriosissimum fuit.*

POst eius finem Saxonicum, quod quasi intermissum videbatur, repetitum est, quo nullum neque prolixius, neque atrocius, Francorumque populo laboriosius susceptum est: quia Saxones, sicut omnes fere Germaniam incolentes nationes, & natura feroces, & cultui dæmonum dediti, nostræque religioni contrarii, neque diuina neque humana iura vel polluere, vel transgredi inhonestum arbitrabantur. Suberant & causæ, quæ quotidie pacem conturbare poterant, termini videlicet nostri & illorum, pæne vbique in plano contigui, præter pauca loca, in quibus vel siluæ maiores, vel montium iuga interiecta, vtrorumque agros certo limite disterminant, in quibus cædes & rapinæ & incendia vicissim fieri non cessabant. Quibus adeo Franci sunt irritati, vt iam non vices reddere, sed apertum contra eos bellum suscipere, dignum iudicarent. Susceptum est igitur contra eos bellum, quod magna vtrinque animositate, tamen maiore Saxonum quam Francorum damno, per continuos triginta tres annos gerebatur. Poterat siquidem citius finiri, si Saxonum hoc perfidia pateretur. Difficile dictu est, quoties superati, ac supplices Regi se dediderint, imperata facturos polliciti sint, obsides, qui imperabantur, absque dilatione dederint, legatos, qui mittebantur, susceperint. Aliquoties ita domiti & emolliti, vt & cultum dæmonum dimittere, & Christianæ religioni se subdere velle promitterent. Sed sicut ad hæc facienda aliquoties proni, sic ad eadem peruertenda semper fuere præcipites; vt non facile æstimare possis, ad vtrum horum faciliores verius dici possent: quippe cum post inchoatum cum eis bellum, vix annus vllus exactus sit, quo non ab eis huiuscemodi facta sit permutatio. magnanimitas

mitas Regis, ac perpetua tam in aduersis quam prosperis mentis constantia, nulla eorum mutabilitate vel vinci poterat, vel ab iis, quæ agere cœperat, defatigari. Nam nunquam eos, huiuscemodi aliquid perpetrantes, impune ferre passus est, quin aut ipse per se ducto, aut per Comites suos misso exercitu, perfidiam vlcisceretur, & dignam ab eis pœnam exigeret, † donec omnibus, qui resistere solebant, profligatis, & in suam potestatem redactis, decem hominum millia ex iis, qui vtrasque ripas Albis fluminis incolebant, cum vxoribus & liberis sublatos transtulit, & huc atque illuc per Galliam & Germaniam multimoda diuisione distribuit. Eaque conditione a Rege proposita, & ab illis suscepta, tractum per tot annos bellum constat esse finitum, vt abiecto dæmonum cultu, & relictis patriis cærimoniis, Christianæ fidei atque religionis sacramenta susciperent, & Francis adunati, vnus cum eis populus efficerentur.

† al. vsque dum

CAPVT VIII

In bello Saxonico duo commissa prœlia. Alibi interim a Rege gesta.

HOc bellum licet per multum temporis spatium traheretur, ipse non amplius cum hoste quam bis acie conflixit, semel iuxta montem, qui *Osneggi* dicitur, in loco † *Thietmelle* nominato: & iterum apud *Asam* fluuium, & hoc vno mense, paucis quoque interpositis diebus. His duobus prœliis hostes adeo profligati ac deuicti sunt, vt vlterius Regem neque prouocare, neque venienti resistere, nisi aliqua loci munitione defensi, auderent. Plures tamen eo bello tam ex nobilitate Francorum quam Saxonum, & functi summis honoribus viri, consumpti sunt: tandemque anno tricesimo tertio finitum est. Cum interim tot ac tanta in diuersis terrarum partibus bella contra Francos & exorta sint, & solertia Regis administrata, vt merito intuentibus in dubium venire possit, vtrum in eo aut laborum patientiam, aut felicitatem potius mirari conueniat. Nam biennio ante Italicum hoc bellum sumpsit exordium: & cum sine intermissione gereretur, nihil tamen ex iis, quæ alicubi erant gerenda, dimissum, aut vlla in parte ab æque operoso certamine cessatum est. Nam Rex omnium, qui sua ætate gentibus dominabantur, & prudentia maximus, & animi magnitudine præstantissimus, nihil in his, quæ vel suscipienda erant vel exequenda, aut propter laborem detrectauit, aut propter periculum exhorruit; verum vnumquodque secundum suam qualitatem & subire & ferre doctus, nec in aduersis cedere, nec in prosperis falso blandienti fortunæ assentire solebat.

† al. Theotmelli

CAPVT IX

Bellum Hispanicum.

CVm enim assiduo ac pæne continuo cum Saxonibus bello certaretur, dispositis per congrua confiniorum loca præsidiis, Hispaniam, quam maximo poterat belli apparatu, aggreditur, saltuque Pyrenæi superato, omnibus, quæ adierat, oppidis atque castellis in deditionem acceptis, saluo atque incolumi exercitu reuertitur; præter quod in ipso Pyrenæi iugo Vasconicam perfidiam parumper in redeundo contigit experiri; nam cum agmine longo, vt loci & angustiarum situs permittebat, porrectus iret exercitus, Vascones in summi montis vertice positis insidiis (est enim locus ex opacitate siluarum, quarum maxima est ibi copia, insidiis ponendis opportunus) extremam impedimentorum partem, & eos, qui nouissimo agmine incedentes, subsidio præcedentes tuebantur, desuper incursantes, in subiectam vallem deiiciunt: consertoque cum eis prœlio, vsque ad vnum omnes interficiunt: ac direptis impedimentis, noctis beneficio, quæ iam instabat, protecti, summa cum celeritate in diuersa disperguntur. Adiuuabat in hoc facto Vascones & leuitas armorum, & loci, in quo res gerebatur, situs. Econtra Francos & armorum grauitas,

grauitas, & loci iniquitas per omnia Vasconibus reddidit impares. In quo prœlio † *Eghartus*, regiæ mensæ præpositus, *Anshelmus* Comes palatij, & *Rutlandus*, Britannici littoris præfectus, cum aliis compluribus interficiuntur. Neque hoc factum ad præsens vindicari poterat: quia hostis re perpetrata ita dispersus est, vt ne fama quidem remaneret, vbinam gentium quæri potuisset.

† al. Eggiherdus

CAPVT X

Bellum cum Brittonibus *&* Italicum.

DOmuit & Brittones, qui ad occidentem in extrema quadam parte Galliæ super littus Oceani residentes, dicto audientes non erant, missa in eos expeditione, qua & obsides dare, & quæ imperarentur se facturos polliceri coacti sunt. Ipse postea cum exercitu Italiam ingressus, ac per Romam iter agens, Capuam Campaniæ vrbem accessit, atque ibi positis castris, bellum Beneuentanis, ni sese dederent, comminatus est. Præuenit hoc Dux gentis *Aragisus*, filios suos *Rumoldum* & *Grimoaldum* cum magna pecunia obuiam Regi mittens, rogat, vt filios obsides suscipiat, seque cum gente imperata facturum pollicetur: præter hoc solum, si ipse ad conspectum venire non cogeretur. Rex vtilitate gentis magis, quam animi eius obstinatione considerata, & obsides sibi oblatos suscepit, eique, vt ad conspectum venire non cogeretur, pro magno munere concessit, vnoque ex filiis, qui minor natu erat, pro obside retento, maiorem patri remisit, legatisque, ob sacramenta fidelitatis a Beneuentanis exigenda atque suscipienda, cum *Aragiso* dimissis, Romam redit, consumptisque ibi in sanctorum veneratione locorum aliquot diebus, in Galliam reuertitur.

CAPVT XI

Bellum Baioaricum.

BAioaricum deinde bellum & repente ortum, & celeri fine completum est, quod superbia simul ac socordia *Tassilonis* Ducis excitauit. Qui hortatu vxoris, quæ filia *Desiderii* Regis erat, ac patris exilium per maritum vlcisci posse putabat, iuncto fœdere cum Hunis, qui Baioariis sunt ab oriente contermini, non solum imperata non facere, sed bello Regem prouocare tentabat. Cuius contumaciam, quia nimia videbatur, animositas Regis ferre nequiuerat, ac proinde copiis vndique contractis, Baioariam petiturus, ipse ad *Lechum* amnem cum maximo venit exercitu. Is fluuius Baioarios ab Alemannis diuidit. Cuius in ripa castris collocatis, prius quam prouinciam intraret, animum Ducis per legatos statuit experiri. Sed ille pertinaciter agere, nec sibi nec genti vtile ratus, supplex se Regi subiecit, obsides, qui imperabantur, dedit (inter quos & filium suum *Theodonem*) data insuper fide cum iuramento, quod ab illius potestate nemini defectionem suadenti assentire deberet. Sicque bello, quod quasi maximum futurum videbatur, celerrimus est finis impositus. *Tassilo* tamen postmodum ad Regem euocatus, neque redire permissus, neque prouinciæ, quam tenebat, vlterius præesse, sed Comitibus ad regendum commissa est.

CAPVT XII

Bellum cum Slauis *&* Wilsis.

HIs motibus ita compositis, Sclauis, qui nostra consuetudine *Wilsi*, proprie vero, hoc est sua lingua, *Welatabi* dicuntur, illatum est bellum: in quo & Saxones velut auxiliares inter ceteras nationes, quæ Regis signa iussæ sequebantur, quanquam ficta & minus deuota obedientia militabant. Causa belli erat, quod *Abotritos*, qui cum Francis olim fœderati erant, assidua incursione lacessebant, nec iussionibus coerceri poterant. Sinus quidam ab occidentali

cidentali oceano orientem versus porrigitur, longitudinis quidem incompertæ, latitudinis vero, quæ nusquam centum millia passuum excedat, cum in multis locis contractior inueniatur. Hunc multæ † circumsedent nationes. Dani siquidem & Suecones, quos *Nordmannos* vocamus, & septentrionale littus, & omnes in eo insulas tenent. At littus australe *Sclaui* & *Aisti*, & aliæ diuersæ incolunt nationes: inter quas vel præcipui sunt, quibus tunc a Rege bellum inferebatur, *Welatabi*, quos ille vna tantum, & quam per se gesserat, expeditione ita contudit ac domuit, vt vlterius imperata facere minime renuendum iudicarent.

al. circumsidens

CAPVT XIII

Bellum contra Hunos *susceptum.*

MAximum omnium, quæ ab illo gesta sunt bellorum, præter Saxonicum, huic bello successit, illud videlicet, quod contra Auares siue Hunos susceptum est, quod ille & animosius quam cetera, & longe maiori apparatu administrauit. Vnam tamen per se in Pannoniam (nam hanc prouinciam ea gens tum incolebat) expeditionem fecit: ceteras filio suo *Pipino* ac præfectis prouinciarum, Comitibus etiam atque legatis perficiendas commisit. Quod cum ab iis strenuissime fuisset administratum, octauo tandem anno completum est. Quot prœlia in eo gesta, quantum sanguinis effusum sit, testatur vacua omni habitatore Pannonia, & locus, in quo regia *Cagani* erat, ita desertus, vt ne vestigium quidem in eo humanæ habitationis appareat. Tota in hoc bello Hunorum nobilitas periit, tota gloria decidit, omnis pecunia & congesti ex longo tempore thesauri direpti sunt. Neque vllum bellum contra Francos exortum humana potest memoria recordari, quo illi magis ditati & opibus aucti sint: quippe cum vsque in id temporis pæne pauperes viderentur, tantum auri & argenti in regia † compertum, tot spolia pretiosa in prœliis sublata, vt merito credi posset, hoc Francos Hunis iuste eripuisse, quod Huni prius aliis gentibus iniuste eripuerant. Duo tantum ex proceribus Francorum eo bello perierunt, *Ericus* Dux Foroiulianus, in Liburnia iuxta *Tarsaticam* maritimam ciuitatem, insidiis oppidanorum interceptus, & *Geroldus* Baioariæ præfectus in Pannonia, cum contra Hunos prœliaturus aciem instrueret, incertum a quo, cum duobus tantum, qui eum obequitantem ac singulos hortantem comitabantur, interfectus est. Ceterum incruentum pæne Francis hoc bellum fuit, & prosperrimum exitum habuit, tametsi diutius sua magnitudine traheretur: post quod & Saxonicum suæ prolixitati conuenientem finem accepit.

al. repertum

CAPVT XIV

Reliqua bella, Bohemicum, Hilinonicum & Danicum.

BOhemanicum quoque & † Hilinonicum, quæ postea exorta sunt, diu durare non potuerunt: quorum vtrunque ductu *Caroli* iunioris celeri fine completum est. Vltimum contra Nordmannos, qui Dani vocantur, primo piraticam exercentes, deinde maiori classe littora Galliæ atque Germaniæ vastantes, bellum susceptum est. Quorum Rex *Godefridus* adeo vana spe inflatus erat, vt totius sibi Germaniæ promitteret potestatem. Frisiam quoque & Saxoniam haud aliter atque suas prouincias æstimabat. Iam Abotritos, vicinos suos, in suam deditionem redegerat, iam eos sibi vectigales fecerat. Iactabat etiam se breui Aquasgrani, vbi Regis comitatus erat, cum maximis copiis aduenturum. Nec dictis eius, quamuis vanissimis, omnino fides abnuebatur, quin putaretur tale aliquid inchoaturus, nisi festinata fuisset morte præuentus. Nam a proprio satellite interfectus, & suæ vitæ & belli a se inchoati finem accelerauit.

al. Lianicum

CAPVT

CAPVT XV

Regni Francici sub Carolo M. *amplitudo.*

HÆc sunt bella, quæ Rex potentissimus per annos XLVII (tot enim annis regnauerat) in diuersis terrarum partibus summa prudentia atque felicitate gessit, quibus regnum Francorum, quod post patrem *Pipinum* magnum quidem & forte susceperat, ita nobiliter ampliauit, vt pæne duplum illi adiecerit. Nam cum prius non amplius, quam ea pars Galliæ, quæ intra Rhenum & Ligerim, oceanumque & mare Balearicum iacet, & pars Germaniæ, quæ intra Saxoniam & Danubium, Rhenumque ac Salam fluuium, qui Thuringos & Sorabos diuidit, posita, ac a Francis, qui Orientales dicuntur, incolitur, & præter hæc Alemanni atque Baioarii ad regni Francorum potestatem pertinerent, ipse per bella memorata, primo Aquitaniam & Vasconiam, totumque Pyrenæi montis iugum, & vsque ad Iberum amnem, qui apud Nauarros ortus, & fertilissimos Hispaniæ agros secans, sub † *Dertosæ* ciuitatis [al. *Derthusa*] mœnia Balearico mari miscetur: deinde Italiam totam, quæ ab Augusta Prætoria vsque in Calabriam inferiorem, in qua Græcorum ac Beneuentanorum constat esse confinia, decies centum & eo amplius passuum millibus longitudine porrigitur. Tum Saxoniam, quæ quidem Germaniæ pars non modica est, † & ad eam quæ a Francis incolitur, latitudine dupla putatur, cum longitudine possit esse consimilis. [In manuscr. *& eius quæ a Francis incolitur, duplum in lato habere putatur, cum ei*] Post quam vtramque Pannoniam, & appositam in altero Danubii ripa Daciam, Histriam quoque, & Liburniam atque Dalmatiam, exceptis maritimis ciuitatibus, quas ob amicitiam & iunctum cum eo fœdus, Constantinopolitanum Imperatorem habere permisit. Deinde omnes barbaras ac feras nationes, quæ inter Rhenum ac Vistulam fluuios, oceanumque & Danubium positæ, lingua quidem pæne similes, moribus vero atque habitu valde dissimiles, Germaniam incolunt, ita perdomuit, vt eas tributarias effecerit: inter quas fere præcipui sunt, Welatabi, Sorabi, Abotriti, † Bohœmi. [al. *Boemani*] Cum eis namque conflixit; ceteras, quarum multo maior est numerus, in deditionem suscepit.

CAPVT XVI

Caroli M. *apud Reges Galliciæ, Scotiæ, & Persarum, nec non Orientis Imperatores existimatio & dignitas.*

AVxit etiam gloriam regni sui, quibusdam Regibus ac gentibus per amicitiam sibi conciliatis. Adeo namque *Adelfonsum* Galetiæ atque Asturicæ Regem sibi societate deuinxit, vt is, cum ad eum vel literas vel legatos mitteret, non aliter se apud illum, quam *proprium suum* *, appellari iuberet. [* *proprium filium.* *Albericus* chron. ad an. 804. p. 142] Scotorum quoque Reges sic habuit ad suam voluntatem per suam munificentiam inclinatos, vt eum nunquam aliter quam dominum, seque subditos ac seruos eius pronunciarent. Extant epistolæ ab iis ad eum missæ, quibus huiusmodi affectus eorum erga illum indicatur. Cum *Aaron* Rege Persarum, qui, excepta India, totum pæne tenebat Orientem, talem habuit in amicitia concordiam, vt is gratiam eius omnium, qui in toto orbe terrarum erant, Regum ac Principum amicitiæ præponeret, solumque illum honore ac munificentia sibi colendum iudicaret: ac proinde, cum legati eius, quos cum donariis ad sacratissimum Domini ac Saluatoris nostri sepulchrum locumque resurrectionis miserat, ad eum venissent, & ei domini sui voluntatem indicassent, non solum quæ petebantur fieri permisit, sed etiam sacrum illum & salutarem locum, vt illius potestati ascriberetur, concessit, & reuertentibus legatis suos adiungens, inter vestes & aromata & ceteras orientalium terrarum opes, ingentia illi dona transmisit, Cum ei paucos ante annos eum, quem tunc solum habebat, roganti mitteret elephantem. Imperatores etiam Constantinopolitani, *Nicephorus Michael*, & *Leo*, vltro amicitiam & societatem eius expetentes, complu[res] ad eum misere

ſere legatos, cum quibus tamen propter ſuſceptum a ſe Imperatoris nomen, & ob hoc quaſi qui imperium eis eripere vellet, valde ſuſpectum, fœdus firmiſſimum ſtatuit, vt nulla inter partes cuiuslibet ſcandali remaneret occaſio. Erat enim ſemper Romanis & Græcis Francorum ſuſpecta potentia. Vnde & illud Græcum extat prouerbium: τὸν φραγκὸν φίλον ἔχεις, γείτονα οὐκ ἔχεις.

Id eſt, Francum amicum habeas, vicinum ne habeas.

CAPVT XVII

Caroli M. *cura in ædificiis ſacris & aliis exſtruendis, compeſcendisque* Normannorum *irruptionibus.*

QVi cum tantus in ampliando regno & ſubigendis exteris nationibus exiſteret, & in huiuſmodi occupationibus quotidie verſaretur, opera tamen plurima ad regni decorem & vtilitatem pertinentia, diuerſis in locis inchoauit, quædam etiam conſummauit. Inter quæ præcipua fere non immerito videri poſſunt, baſilica ſanctæ Dei genitricis Aquiſgrani opere mirabili conſtructa, & pons apud Moguntiacum in Rheno quingentorum paſſuum longitudinis (nam tanta eſt ibi fluminis latitudo) qui tamen vno, ante quam decederet, anno, incendio conflagrauit: nec refici potuit propter feſtinatum eius deceſſum: quanquam in ea meditatione eſſet, vt pro ligneo lapideum reſtitueret. Inchoauit & palatia operis egregii, vnum haud longe a Moguntiaco, iuxta villam, cui nomen eſt *Ingelheim*: alterum *Nouiomagi* ſuper *Wahalem* fluujum, qui Batauorum inſulam a parte meridiana præterfluit. Præcipue tamen ædes ſacras, vbicunque in toto regno ſuo vetuſtate collapſas comperit, Pontificibus & Patribus, ad quorum curam pertinebant, vt reſtaurarentur, imperauit, adhibens per legatos curam, vt imperata perficerent. Molitus eſt claſſem contra Nordmannos, ædificatis ad hoc nauibus iuxta flumina, quæ & de Gallia & Germania ſeptentrionalem influunt oceanum: & quia Nordmanni Gallicum littus atque Germanicum aſſidua infeſtatione vaſtabant, per omnes portus & oſtia fluminum, qua naues recipi poſſe videbantur, ſtationibus & excubiis diſpoſitis, ne qua hoſtis exire poſſet, tali munitione prohibuit. Fecit idem a parte meridiana in littore prouinciæ Narbonenſis ac Septimaniæ, toto etiam Italiæ littore vſque Romam, contra Mauros nuper piraticam exercere aggreſſos: ac per hoc nullo graui damno vel a Mauris Italia, vel Gallia atque Germania a Nordmannis diebus ſuis affecta eſt: præter quod *Centumcellæ*, ciuitas Hetruriæ, per proditionem a Mauris capta atque vaſtata eſt, & in Friſia quædam inſulæ, Germanico littori contiguæ a Nordmannis deprædatæ ſunt.

CAPVT XVIII

Caroli M. *virtutes, matrimonia, liberi, concubinæ.*

TAlem eum in tuendo & ampliando, ſimulque ornando regno fuiſſe conſtat. Cuius animi dotes, & ſummam in qualicunque, & proſpero & aduerſo euentu conſtantiam, ceteraque ad interiorem atque domeſticam vitam pertinentia, hinc dicere exordiar. Poſt mortem patris cum fratre regnum partitus, tanta patientia ſimultates & invidiam eius tulit, vt omnibus mirum videretur, quod ne ad iracundiam quidem ab eo prouocari potuiſſet. Deinde cum matris hortatu filiam Deſiderii Regis Langobardorum duxiſſet vxorem, incertum qua de cauſa poſt annum repudiauit, & *Hildegardim* de gente Sueuorum præcipuæ nobilitatis feminam in matrimonium accepit: de qua tres filios, *Carolum* videlicet, *Pipinum* & *Ludouicum*, totidemque filias, *Rotdrudim*, *Bertham*, & *Giſlam* genuit. Habuit & filias tres, *Thedradam*, *Hildrudim*, & *Rothaidem*: duas de *Faſtrada* vxore, quæ de Orientalium Francorum, Germanorum videlicet, gente erat: tertiam de concubina quadam, cuius nomen modo memoriæ non occurrit. Defuncta *Faſtrada*, *Luitgardim* Alemannam duxit, e qua nihil liberorum tulit. Poſt cuius mortem quatuor habuit concubinas, *Mathalgardim* ſcilicet, quæ peperit ei filiam, nomine *Rothildim*: *Gerſuindam* Saxonici generis, de qua ei filia nomine

Adal-

Adalrudis nata est: & *Reginam*, quæ ei *Drogonem* & *Hugum* genuit: & *Adelluidam*, ex qua *Thederichum* procreauit. Mater quoque eius *Berthrada* in magno apud eum honore consenuit. Colebat enim eam cum summa reuerentia, ita vt nulla vnquam inter eos sit exorta discordia, præter in diuortio filiæ Desiderii Regis, quam illa suadente acceperat. Decessit tandem post mortem *Hildegardis*, cum iam tres nepotes suos, totidemque neptes in filii domo vidisset: quam ille in eadem basilica, qua pater situs est, apud sanctum *Dionysium*, magno fecit honore humari. Erat ei vnica soror, nomine *Gisla*, a puellaribus annis religiosæ conuersationi mancipata, quam similiter vt matrem magna coluit pietate: quæ etiam paucis ante obitum illius annis, in eo, quo conuersata est, monasterio decessit.

CAPVT XIX

Ratio, quam in educandis tenuit liberis. Nimius in filias amor.

LIberos suos ita censuit instituendos, † vt tam filii, quam nepotes primo liberalibus studiis, quibus & ipse operam dabat, erudirentur. Tum filios, quam primum ætas patiebatur, more Francorum equitare, armis ac venationibus exerceri fecit: filias vero lanificio assuescere, coloque ac fuso, ne per otium torperent, operam impendere, atque ad omnem honestatem erudiri iussit. Ex his omnibus duos tantum filios & vnam filiam, prius quam moreretur, amisit: *Carolum*, qui maior natu erat, & *Pipinum*, quem Regem Italiæ præfecerat, *Rotdrudim*, quæ filiarum eius primogenita, & *Constantino* Græcorum Imperatori desponsata erat. Quorum *Pipinus* vnum filium suum *Bernhartum*, filias autem quinque *Adelhaidem*, † *Atalam*, *Gundradam*, *Berthaidem*, ac † *Thedradam* superstites reliquit. In quibus Rex pietatis suæ præcipuum documentum ostendit, cum filio defuncto nepotem patri succedere, & neptes inter filias suas educari fecisset. Mortes filiorum ac filiæ pro magnanimitate, qua excellebat, minus patienter tulit, pietate videlicet, qua non minus insignis erat, compulsus ad lachrymas. Nunciato etiam sibi *Adriani* Romani Pontificis obitu, quem amicum præcipuum habebat, sic fleuit, ac si fratrem aut charissimum filium amisisset. Erat enim in amicitiis optime temperatus, vt eas & facile admitteret, & constantissime retineret: colebatque sanctissime quoscunque hac affinitate sibi coniunxerat. Filiorum & filiarum tantam in educando curam habuit, vt nunquam domi positus sine ipsis cœnaret, nunquam iter sine illis faceret. Adequitabant ei filii, filiæ vero pone sequebantur, quarum agmen extremum ex satellitum numero ad hoc ordinati tuebantur. Quæ cum pulcherrimæ essent, & ab eo plurimum diligerentur, mirum quod nullam earum cuiquam aut suorum, aut exterorum nuptum dare voluit: sed omnes secum vsque ad obitum suum in domo sua retinuit, dicens, se earum contubernio carere non posse: ac propter hoc, licet alias felix, aduersæ fortunæ malignitatem expertus est, quod tamen ita dissimulauit, ac si de iis nunquam alicuius probri suspicio † orta vel dispersa fuisset.

In manuscr. *vt tam filii, quam filiæ.*

al. *Attalam*

al. *Theoderatam*

In manuscr. *exorta vel fama dispersa fuisset*

CAPVT XX

Pipini *aduersus patrem, & alia Germanorum in Regem coniuratio.*

ERat ei filius, nomine *Pipinus*, ex concubina editus, cuius inter ceteros mentionem nullam fecimus, facie quidem pulcher, sed gibbo deformis. Is, cum pater bello contra Hunos suscepto in Baioaria hiemaret, ægritudine simulata, cum quibusdam e primoribus Francorum, † qui sibi vana promissione regni illuserant, aduersus patrem coniurauit: quem post fraudem detectam, & damnationem coniuratorum, detonsum in cœnobio Prumia religiosæ

al. *qui eum vana promissione regni illuserant*

giosæ vitæ, iamque volentem vacare permisit. Facta est & alia prius contra eum in Germania valida coniuratio, cuius autores partim luminibus orbati, partim membris incolumes, omnes tamen in exilium acti sunt: neque vllus ex eis interfectus est, nisi tres tantum, qui cum se, ne comprehenderentur, strictis gladiis defenderent, aliquos etiam occidissent, quia aliter coërceri non poterant, interempti sunt. Harum tamen coniurationum *Fastradæ* Reginæ crudelitas causa & origo extitisse creditur. Et idcirco in ambabus contra Regem conspiratum est, quia vxoris crudelitati consentiens, a suæ naturæ benignitate ac solita mansuetudine immaniter exorbitasse videbatur.

CAPVT XXI

Caroli M. *liberalitas & humanitas erga peregrinos.*

CEterum per omne vitæ suæ tempus ita cum summo omnium amore atque fauore & domi & foris conuersatus est, vt nunquam ei vel minima iniustæ crudelitatis nota a quoquam fuisset obiecta. Amabat peregrinos, & eorum suscipiendorum magnam habebat curam, adeo, vt eorum multitudo non solum palatio, verum etiam regno non immerito videretur onerosa. Ipse tamen pro magnitudine animi huiuscemodi pondere minime grauabatur, cum etiam ingentia incommoda laude liberalitatis ac bonæ famæ mercede compensaret.

CAPVT XXII

Caroli M. *statura, incessus, vox, valetudo, exercitationes* &c.

COrpore fuit amplo atque robusto, statura eminenti, quæ tamen iustam non excederet: nam septem suorum pedum proceritatem eius constat habuisse † figuram. Apice capitis rotundo, oculis prægrandibus ac vegetis, naso paululum mediocritatem excedente, canicie pulchra, facie læta & hilari: vnde formæ autoritas ac dignitas tam stanti quam sedenti plurima inerat. Quanquam ceruix obesa & breuior, venterque proiectior videretur, tamen hæc ceterorum membrorum celabat æqualitas. Incessu firmo, totaque corporis habitudine virili. Voce clara quidem, sed quæ minus corporis formæ conueniret. Valetudine prospera, præter quod, antequam decederet, per quatuor annos crebro febribus corripiebatur; ad extremum vno etiam pede claudicaret. Et tunc quidem plura arbitratu suo, quam Medicorum consilio faciebat, quos pæne exosos habebat, quod ei in cibis assa, quibus assuetus erat, dimittere, & elixis assuescere suadebant. Exercebatur assidue equitando, ac venando, quod illi gentilitium erat, quia vix vlla in terris natio inuenitur, quæ in hac re Francis possit æquari. Delectabatur etiam vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cuius adeo peritus fuit, vt nullus ei iuste potuerit præferri: ob hoc etiam Aquisgrani regiam extruxit, ibique extremis vitæ annis vsque ad obitum continuo habitauit: & non solum filios ad balneum, verum optimates & amicos, aliquando etiam satellitum & custodum corporis turbam inuitauit, ita vt nonnunquam centum vel eo amplius homines vna lauarentur.

† *al. mensuram*

CAPVT XXIII

Caroli M. *vestitus.*

VEstitu patrio, hoc est *Francico*, vtebatur: ad corpus camisiam lineam, & feminalibus lineis induebatur: deinde tunicam, quæ limbo serico ambiebatur, & tibialia: tum fasciolis crura, & pedes calciamentis constringebat: & ex pellibus † lutrinis thorace confecto, humeros ac pectus hieme muniebat. Sago Veneto amictus, & gladio semper accinctus, cuius capulus ac baltheus

† *lutrinis vel murinis in manuscr.*

baltheus aut aureus, aut argenteus erat: aliquoties & gemmato ense vtebatur: quod tamen non nisi in præcipuis solennitatibus, vel si quando exterarum gentium legati venissent, faciebat. Peregrina vero indumenta, quamuis pulcherrima, respuebat, nec vnquam eis indui patiebatur: excepto quod Romæ semel *Adriano* Pontifice petente (& iterum *Leone* successore eius supplicante) longa tunica & chlamyde amictus, & calceis Romano more formatis, induebatur. In † solennitatibus veste auro texta, & calciamentis gemmatis, & fibula aurea sagum astringente: diademate quoque ex auro & gemmis ornatus incedebat: aliis autem diebus habitus eius parum a communi ac plebeio abhorrebat.

Quæ duab. semilunulis inclusa sunt, in manuscr. desunt.
al. *festiuitatibus*

CAPVT XXIV

Caroli M. *continentia in cibo & potu. Consuetudo item, inter amiciendum audiendi amicos & litigantes.*

IN potu & cibo temperans, sed in potu temperantior: quippe qui ebrietatem in qualicunque homine, nedum in se ac suis, plurimum abominabatur. Cibo enim non adeo abstinere poterat, vt sæpe quereretur, noxia esse suo corpori ieiunia. Conuiuabatur rarissime, & hoc præcipuis tantum † solennitatibus, tunc tamen cum magno hominum numero. Cœna quotidiana quaternis tantum ferculis præbebatur, præter assam, quam venatores verubus † adferre solebant, qua ille libentius, quam vllo alio cibo vescebatur. Inter cœnandum aut aliquod acroama, aut lectorem audiebat. Legebantur ei historiæ, & antiquorum Regum gesta. Delectabatur & libris *S. Augustini*, præcipue iis, quos de ciuitate Dei inscripsit. Vini & omnis potus adeo parcus in bibendo erat, vt sub cœnam raro plus quam ter biberet. Æstate post cibum meridianum pomorum aliquid sumens, ac semel bibens, depositis vestibus ac calciamentis, velut noctu solitus erat, duabus aut tribus horis quiescebat. Noctibus sic dormiebat, vt somnum quater aut quinquies, non solum expergiscendo, sed etiam desurgendo interrumperet. Cum calciaretur & amiciretur, non tantum amicos admittebat, verum etiam, si Comes palatii litem aliquam esse diceret, quæ sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introduci iussit, & velut pro tribunali sederet, lite cognita, sententiam dixit. Nec hoc tantum eo tempore, sed etiam quicquid ea die cuiuslibet officii agendum, aut cuiquam ministrorum iniungendum erat, expediebat.

al. *festiuitatibus*
al. *inferre*

CAPVT XXV

Caroli M. *facundia, peritia linguarum, fauor erga eruditos.*

ERat eloquentia copiosus & exuberans, poteratque quicquid vellet apertissime exprimere. Nec patrio tantum sermone contentus, sed & peregrinis linguis ediscendis operam impendit: in quibus Latinam ita didicit, vt æque illa ac patria lingua orare sit solitus: Græcam vero melius intelligere quam pronuntiare poterat. Adeo quidem facundus erat, vt etiam didascali munus subiisse appareret. Artes liberales studiosissime coluit, earumque doctores plurimum veneratus, magnis afficiebat honoribus. In discenda Grammatica *Petrum Pisanum* Diaconum senem audiuit, in ceteris disciplinis *Albinum* cognomento *Alcuinum*, item Diaconum, de Britannia, Saxonici generis hominem, virum vndecunque doctissimum, præceptorem habuit: apud quem & Rhetoricæ & Dialecticæ, præcipue tamen Astronomiæ ediscendæ plurimum & temporis & laboris impendit. Discebat & artem computandi, & intentione sagaci siderum cursum curiosissime rimabatur. Tentabat & scribere, tabulasque & codicillos ad hoc in lectulo sub ceruicalibus circumferre

al. effigiendis ferre solebat, vt cum vacuum tempus esset, manum † effigiendis literis assuefaceret. Sed parum prospere successit labor præposterus, ac sero inchoatus.

CAPVT XXVI

Caroli M. *pietas & feruor in religione.*

REligionem Christianam, qua ab infantia fuerat imbutus, sanctissime, & cum summa pietate ac veneratione coluit, ac propter hoc miræ pulchritudinis basilicam Aquisgrani extruxit, auroque & argento & luminaribus, atque ex ære solido cancellis & ianuis ornauit. Ad cuius structuram cum columnas & marmora aliunde habere non posset, Roma atque Rauenna deuehenda curauit. Ecclesiam mane & vesperi, nocturnis item horis & sacrificii tempore, quando eum valetudo permiserat, impigre frequentabat: curabatque, vt omnia, quæ in ea gerebantur, cum quam maxima fierent honestate, æditios creberrime commonens, ne quid indecens aut sordidum aut inferri aut in ea remanere permitterent. Sacrorum vasorum ex argento & auro, vestimentorumque sacerdotalium tantam in ea copiam procurauit, vt in sacrificiis celebrandis ne ianitoribus quidem, qui vltimi ecclesiastici ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuisset. Legendi atque psallendi disciplinam diligentissime emendauit: erat enim vtriusque admodum eruditus: quanquam ipse nec publice legeret, nec nisi submisse & in commune cantaret.

CAPVT XXVII

Caroli M. *liberalitas in pauperes & Pontifices Romanos; profectiones item eiusdem Romanæ.*

CIrca pauperes sustentandos & gratuitam liberalitatem, quam Græci eleemosynam vocant, deuotissimus, † quam non in patria sua solum & in suo regno facere curauerit, verum trans maria in Syriam & Ægyptum atque Africam, Hierosolymas, Alexandriam, atque Carthaginem, vbi Christianos in paupertate viuere compererat, penuriæ eorum compatiens, pecuniam mittere solebat: ob hoc maxime transmarinorum Regum amicitiam expetens, vt Christianis sub eorum dominatu degentibus refrigerium aliquod ac releuatio prouenirет. Colebat præ ceteris sacris & venerabilibus locis apud Romam ecclesiam beati *Petri* Apostoli, in cuius donaria magna vis pecuniæ tam auri quam argenti, nec non & gemmarum, ab illo congesta est: multa & innumera Pontificibus munera missa. Nec ille toto regni sui tempore quicquam duxit antiquius, quam vt vrbs Roma sua opera suoque labore veteri polleret autoritate, & ecclesia *S. Petri* non solum per illum tuta ac defensa, sed etiam suis opibus præ omnibus ecclesiis esset ornata ac ditata. Quam cum tanti penderet, tamen intra XLVII annorum, quibus regnauerat, spatium, quater tantum illo votorum soluendorum ac supplicandi causa profectus est.

In manuscr. vt qui non in patria solum & suo regno id faceret

CAPVT XXVIII

Caroli M. *expeditio pro vindicando Pontifice Romano; a quo* Imperator *salutatur.*

VLtimi aduentus sui non solum hæ fuere causæ, verum etiam quod Romani *Leonem* multis affectum iniuriis, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, ecclesiæ statum, ibi totum hiemis tempus protraxit. Quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit; quod primo tantum auersatus est, vt affirmaret, se eo die, quamuis præcipua solennitas esset, ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset. Inuidiam tamen suscepti nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, vicitque eorum

al. dominatu

eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe præstantior erat, mittendo ad eos crebras legationes, & in epistolis fratres eos appellando.

CAPVT XXIX

Caroli M. *studium circa iura & leges emendandas; carmina de veteribus Regibus colligenda; grammaticam sermonis patrii scribendam; nomina mensibus & ventis germanica indenda.*

POst susceptum imperiale nomen cum aduerteret, multa legibus populi sui deesse (nam Franci duas habent leges, plurimis in locis valde diuersas) cogitauit quæ deerant addere, & discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere. Sed in iis nihil aliud ab eo factum est, quam quod pauca capitula & ea imperfecta legibus addidit. Omnium tamen nationum, quæ sub eius † ditione erant, iura, quæ scripta non erant, describere, ac literis mandari fecit. Item barbara & antiquissima carmina, quibus veterum Regum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæque mandauit. Inchoauit & Grammaticam patrii sermonis. Mensibus etiam iuxta patriam linguam nomina imposuit, cum ante id tempus apud Francos partim latinis, partim barbaris nominibus appellarentur. Item ventos duodecim nominibus propriis insigniuit, cum prius non amplius quam vix quatuor ventorum vocabula inueniri possent. † Mensium quidem Ianuarium appellauit, (1) *Winthermonet*; Februarium, *Hornung*; Martium, (2) *Lentzmonet*; Aprilem, (3) *Ostermonet*; Maium, *Wunnemonet*; Iunium, *Brachmonet*; Iulium, (4) *Heumonet*; Augustum, (5) *Arnmonet*; Septembrem, (6) *Herbstmonet*; Octobrem, (7) *Weinmonet*; Nouembrem, *Windmonet*; Decembrem, *Heiligmonet*; appellauit. Ventis vero hoc modo nomina imposuit, vt Subsolanum vocaret, (a) *Osterwindt*; Eurum, (b) *Ostsundren*; Euroaustrum, (c) *Sundostren*; Austrum, (d) *Sundren*; Austroafricum, (e) *Sundwestren*; Africum, (f) *Westsundren*; Zephyrum, (g) *Westren*; Corum, (h) *Westnordren*; Circium, (i) *Nordwestren*; Septentrionem, (k) *Nordren*; Aquilonem, (l) *Nordostren*; Vulturnum, (m) *Ostnordren*.

† al. dominatu

† al. [illegible] de mensibus quidem

(1) *VVindermanoth.*
(2) *Lentzinmanoth.*
(3) *Ostarmanoth.*
(4) *Hevvinmanoth.*
(5) *Aranmanoth.*
(6) *VVitumanoth.*
(7) *VVindrumanoth.*

In manuscr. nomina ventorum ita habentur.

(a) *Ostronivvint.*
(b) *Ostsundroni.*
(c) *Sundostroni.*
(d) *Sundroni,*
(e) *Sunduuestroni.*
(f) *VVestsundroni.*
(g) *VVestroni.*
(h) *VVestnordroni.*
(i) *Norduuestdroni.*
(k) *Nordroni.*
(l) Nordostdroni.
(m) *Ostnordroni.*

CAPVT XXX

Caroli M. *in successore constituendo cura. Eiusdem obitus.*

EXtremo vitæ tempore, cum iam & morbo & senectute premeretur, euocatum ad se *Ludouicum* Aquitaniæ Regem, qui solus filiorum *Hildegardis* supererat, congregatis solenniter de toto regno Francorum primoribus, cunctorum consilio consortem sibi totius regni, & imperialis nominis heredem constituit: impositoque capiti eius diademate, Imperatorem & Augustum iussit appellari. Susceptum est hoc eius consilium ab omnibus, qui aderant, magno cum fauore: nam diuinitus ei propter regni vtilitatem videbatur

tur inſpiratum. Auxitque maieſtatem eius hoc factum, & exteris nationibus non minimum terroris incuſſit. Dimiſſo deinde in Aquitaniam filio, ipſe more ſolito, quanquam ſenectute confectus, non longe a regia Aquenſi venatum proficiſcitur: exactoque in huiuſcemodi negotio quod reliquum erat autumni, circa Kal. Nouembr. Aquaſgrani reuertitur. Cumque ibi hiemaret, menſe Ianuario febre valida correptus, decubuit. Qui ſtatim, vt in febribus ſolebat, cibi ſibi abſtinentiam indixit, arbitratus hac continentia morbum poſſe depelli, vel certe mitigari. Sed accedente ad febrem lateris dolore, quem Græci pleureſim vocant, illoque adhuc inediam retinente, neque corpus aliter quam rariſſimo potu ſuſtentante, ſeptimo poſtquam decubuit die, ſacra communione percepta, deceſſit, anno ætatis ſuæ LXXII, & ex quo regnare cœperat XLVII, V Kal. Febr. hora diei tertia.

CAPVT XXXI

Caroli M. *ſepultura.*

al. *luctu*

Corpus more ſolenni lotum & curatum, & maximo totius populi † planctu eccleſiæ illatum atque humatum eſt. Dubitatum eſt primo, vbi reponi deberet, eo quod ipſe viuus de hoc nihil præcepiſſet. Tandem omnium animis ſedit, nuſquam eum honeſtius tumulari poſſe, quam in ea baſilica, quam ipſe propter amorem Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ob honorem ſanctæ & æternæ Virginis genitricis eius, proprio ſumptu in eodem vico conſtruxit. In hac ſepultus eſt eadem qua defunctus die, arcusque ſuper tumulum deauratus cum imagine & titulo extructus; † cuius hæc fere ſunt verba: SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS CAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII FELICITER † TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS, ANNO DOMINI DCCCXIIII, † INDICTIONE VII, V KALEND. FEBRVARII.

In manuſcr. *Titulus hoc modo inſcriptus eſt*

al. *rexit*

In man. ſic: *Indictione V Kal. Feb.*

CAPVT XXXII

Præſagia mortem eius antecedentia.

Appropinquantis finis complura fuere præſagia, vt non ſolum alii, ſed & ipſe hoc minitari ſentiret. Per tres continuos vitæque termino proximos annos & ſolis & lunæ creberrima defectio, ac in ſole macula quædam atri coloris ſeptem dierum ſpatio viſa. Porticus, quam inter baſilicam & regiam operoſa mole conſtruxerat, die Aſcenſionis Domini ſubita ruina vſque ad fundamenta collapſa. Item pons Rheni apud Moguntiacum, quem ipſe per decem annos ingenti labore & opere mirabili e ligno ita conſtruxit, vt perenniter durare poſſe videretur, ita tribus horis fortuito incendio conflagrauit, vt præter quod aqua tegebatur, ne vna quidem † haſtula ex eo remaneret. Ipſe quoque, cum vltimam in Saxoniam expeditionem contra *Godefridum* Regem Danorum ageret, quadam die, cum ante exortum ſolis caſtris egreſſus, iter agere cœpiſſet, vidit repente delapſam cælitus cum ingenti lumine facem a dextra in ſiniſtram per ſerenum aera tranſcurrere; cunctiſque hoc ſignum, quid portenderet, mirantibus, ſubito equus, cui inſidebat, deorſum capite merſo decidit, eumque tam grauiter ad terram eliſit, vt fibula ſagi rupta, baltheoque gladii diſſipato, a feſtinantibus qui aderant miniſtris exarmatus ſine adminiculo leuaretur. Iaculum quoque, quod tunc forte manu tenebat, ita elapſum eſt, vt viginti vel eo amplius pedum ſpatio procul iaceret. Acceſſit ad hoc creber Aquenſis palatii tremor, & in domibus, vbi conuerſabatur, aſſiduus laquearium crepitus: tacta etiam de cælo, in qua poſtea ſepultus eſt, baſilica, malumque aureum, quo tecti culmen erat ornatum, ictu fulminis diſſipatum, & ſupra domum Pontificis, quæ baſilicæ contigua erat, proiectum eſt. Erat in eadem baſilica in margine coronæ, quæ inter ſuperiores & inferiores arcus interiorem ædis partem ambiebat, epigramma ſynopide ſcriptum, continens quis auctor eſſet eiuſdem templi, cuius in ex-

al. *aſtula*

in extremo versu legebatur, PRINCEPS CAROLVS. Notatum est a quibusdam eodem, quo decessit anno, paucis ante mortem mensibus, eas, quæ PRINCEPS exprimebant literas, ita esse deletas, vt penitus non apparerent. Sed superiora omina sic aut dissimulauit aut spreuit, ac si nihil horum ad res suas quolibet modo pertineret.

CAPVT XXXIII
Caroli M. *Testamentum.*

TEstamenta instituit, quibus filias & ex concubinis liberos ex aliqua parte sibi heredes faceret: sed tarde inchoata perfici non poterant. Diuisionem tamen thesaurorum, pecuniæ ac vestium, aliæque supellectilis, coram amicis & ministris suis, annis tribus antequam decederet, fecit, contestatus eos, vt post obitum suum a se facta distributio per illorum suffragium rata permaneret: quidque ex iis, quæ diuiserat, fieri vellet, breuiario comprehendit, cuius ratio ac textus talis est.

IN nomine Domini Dei omnipotentis, Patris, Filii, & Spiritus sancti. Incipit descriptio atque diuisio, quæ facta est a gloriosissimo atque piissimo Domino, CAROLO Imperatore Augusto, anno ab incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI, DCCCXI, anno vero regni eius in Francia XLIII, & in Italia XXXVI, Imperii autem XI, Indictione IIII: quam pia consideratione facere decreuit, & Domino annuente perfecit, de thesauris suis atque pecunia, quæ in illa die in camera eius inuenta est. In qua illud præcipue præcauere voluit, vt non solum eleemosynarum largitio, quæ solenniter apud Christianos de possessionibus eorum agitur, pro se quoque de sua pecunia ordine atque ratione perficeretur, sed etiam vt heredes sui omni ambiguitate remota, quid ad se pertinere deberet, liquido cognoscerent, & sine lite atque contentione sua inter se competenti partitione diuidere possent. Hac igitur intentione atque proposito omnem supellectilem atque † substantiam suam tam in auro quam in argento, gemmisque & ornatu regio, quæ (vt dictum est) illa die in camera eius inueniri poterat, primo quidem trina diuisione partitus est. Deinde easdem partes subdiuidendo, de duabus partibus XXI partes fecit, & tertiam integram reseruauit. Et duarum quidem partium in XXI partes facta diuisio tali ratione consistit, vt quia in regno illius Metropolitanæ ciuitates XXI esse noscuntur, vnaquæque illarum partium ad vnamquamque Metropolim per manus heredum & amicorum suorum eleemosynæ nomine perueniat, & Archiepiscopus, qui tunc illius ecclesiæ rector extiterit, partem, quæ ad suam ecclesiam data est, suscipiens, cum suis Suffraganeis partiatur, eo scilicet modo, vt pars tertia suæ ecclesiæ sit, duæ vero partes inter Suffraganeos diuidantur. Harum diuisionum, quæ ex duabus primis partibus factæ sunt, & iuxta Metropoliticarum ciuitatum numerum XXI esse noscuntur, vnaquæque ab altera sequestrata, semotim in suo repositorio cum superscriptione ciuitatis, ad quam perferenda erat, condita iacet. Nomina vero Metropoliticarum ciuitatum, ad quas eadem eleemosyna vel largitio data est, hæc sunt: Roma, Reuenna, Mediolanum, Forum Iulii, Gradus, Colonia, Moguntiacum, † Viuanum, quæ & Saltzburgum, Rotomagus, Treueri, Senones, Vesuntium, Lugdunum, Remi, Arelatum, Vienna, † Tarantasia, Ebrodunum, Burdigala, Turones, Bituriges. *Vnius autem partis, quam integram reseruari voluit, talis est ratio, vt illis duabus in supradictas diuisiones distributis, & sub sigillo reconditis, hæc tertia in vsu quotidiano versaretur, velut res, quam nulla voti obligatione a dominio possidentis alienatam esse constaret, & hoc tam diu, quo ad vsque vel ipse superstes esset, vel vsum eius sibi necessarium indicaret; post obitum vero suum aut voluntariam secularium rerum abdicationem eadem pars quatuor subdiuisionibus secaretur, & vna quidem earum supra dictis XXI partibus adderetur: altera a filiis ac filiabus, nepoti-*

In man. *substantiam suam quæ in auro & argento, gemmisque & ornatu regio, in illa, vt dictum est, die*

In man. *Iuuanium* al. *Darantasia*

nepotibusque ac neptibus suis assumpta, & iusta ac rationabili inter eos partitione diuideretur: tertia vero consueto Christianitatis more, in vsum pauperum erogaretur: quarta simili modo, nomine eleemosynæ in seruorum & ancillarum vsibus palatii famulantium sustentationem distributa veniret. Ad hanc tertiam totius summæ portionem, quæ similiter vt ceteræ ex auro & argento constat, adiungi voluit omnia ex ære & ferro, aliisque metallis, vasa atque vtensilia, cum armis & vestibus, aliaque pretiosa aut vili ad varios vsus facta supellectile, vt sunt cortinæ & stragula, † tapetes, fulcra, coria, sagmata, & quicquid in camera atque vestiario eius eo die fuisset inuentum, vt ex hoc maiores illius partis diuisiones fierent, & erogatio eleemosynæ ad plures peruenire posset. Capellam, id est ecclesiasticum ministerium, tam id quod ipse fecit atque congregauit, † quam quod ei ex paterna hereditate prouenit, ut integrum esset, neque vlla diuisione scinderetur, ordinauit. Si qua autem inuenirentur aut vasa, aut libri, aut alia ornamenta, quæ liquido constaret eidem Capellæ ab eo collata non fuisse, hæc qui habere vellet, dato iustæ æstimationis pretio, emeret & haberet. Similiter & de libris, quorum magnam in bibliotheca sua copiam congregauit, statuit: vt ab iis, qui eos habere vellent, iusto pretio redimerentur, pretium in pauperes erogaretur. Inter ceteros thesauros atque pecuniam tres mensas argenteas, & auream vnam præcipuæ magnitudinis & ponderis esse constat: de quibus statuit atque decreuit, vt vna ex iis, quæ forma quadrangula, descriptionem vrbis Constantinopolitanæ continet, inter cetera donaria, quæ ad hoc deputata sunt, Romam ad basilicam beati Petri *Apostoli deferatur: & altera, quæ forma rotunda, Romanæ vrbis effigie † insignita est, Episcopo Rauennatis ecclesiæ conferatur: tertiam, quæ ceteris & operis pulchritudine & ponderis grauitate multum excellit, quæ ex tribus orbibus connexa, totius mundi descriptionem subtili ac minuta figuratione complectitur: & auream illam, quæ quarta esse dicta est, in tertiæ illius, & inter heredes suos, atque in eleemosynam diuidendæ partis augmentum esse constituit.*

al. *tapetia*

In meo manusc. *quam quod ad eum ex paterna hereditate peruenit*

al. *figurata est*

CAPVT XXXIV

Testamenti facti testes, eiusdemque executio.

HAnc constitutionem atque ordinationem coram Episcopis, Abbatibus, Comitibusque, qui tunc præsentes esse potuerunt, quorumque hic nomina scripta sunt, fecit atque constituit. Episcopi: *Hildeboldus, Richolfus, Arn, Wolfarius, Bernoinus, Laidradus, Ioannes, Theodulfus, Iesse,* † *Hetto, Waltgaudus.* Abbates: *Fridogisus, Adalungus, Engilbertus, Irmino.* Comites: *Walach, Meginher, Othulfus, Stephanus,* † *Vnruchus, Burchartus, Meginhartus, Hatto, Richwinus, Eddo, Erchangarius, Gerholtus, Bero, Hildegern, Rhoculfus.* Hæc omnia filius eius *Ludouicus*, qui diuina ei iussione successit, inspecto eodem breuiario, quam celerrime poterat, post eius obitum summa deuotione adimplere curauit.

In meo manusc. *Heito.*
In meo *Vnruocum.*

ANNA-

ANNALES
REGVM FRANCORVM,
PIPINI,
KAROLI M.
ET
LVDOVICI,

A QVODAM EIVS AETATIS
ASTRONOMO,
LVDOVICI REGIS DOMESTICO,
Conſcripti.

✝ ✝ ✝

DE *Annalium* horum *auctore* doctos inter haud conuenit. Qui primus eos in lucem protulit *Hermannus Nuenarius*, per monachum quendam *D. Benedicti* sacris initiatum confectos fuisse suspicatus, hoc eos insigniuit titulo: *Annales Regum Francorum*, Pipini, Karoli, Ludouici, *ab anno post Christum natum DCCXLI usque ad annum DCCCXXVIII* collecti per quendam Benedictinae religionis Monachum, qui ipsas res gestas diligenter accurateque scriptis commendauit* cet.

*pro *DCCCXXVIII* perperam ibi impressum legitur *LXXXVIII.*

Reuberus noster, dum systemati huic eos inseruit, in titulo, quem ego hic retinui, auctorem *illius aetatis Astronomum ac* Ludouici *Regis domesticum* vocat; in breui vero auctorum, hoc volumine comprehensorum, catalogo, in prioribus editionibus post dedicatoriam legendo, rem sic persequitur: *Annales* Pipini, Caroli M. & Ludouici, *Regum Francorum & Imperatorum, vna cum appendice, siue noua quatuordecim annorum accessione, quae hactenus defuit. Scripti sunt a quodam eius aetatis Astronomo, qui (vt ex supplemento apparet)* Caroli M. & Ludouici *familiaris & domesticus fuit, ita, vt verisimile sit, Diaconum illum de Britannia, quo secundum* Albinum *Imperator* Carolus *praeceptore vsus est, quemque* Eginhartus *in rhetorica, dialectica, & astronomia excelluisse scribit, horum annalium auctorem fuisse.*

Freherus, dum eos postea in corpore *historiae Francicae veteris & sincerae* repetiit, *Adelmum*, nescio quem instituti Benedictini monachum, auctorem facit.

Idem in *Directorio Historico* p. m. 43; Adelmi *Benedictini annales* Carolorum, *hactenus sine nomine editi.*

Du Chesnius contra *Eginhartum* illos scripsisse vult, ac rationibus aliquot adductis fortiter contendit. Quem ideo hoc magis audire iuuabit. Sic autem ille: *Qui hos annales primus in lucem dedit* Hermannus *Comes* Nuenarius, *de auctoris illorum nomine certi nil habuit; sed per quendam Benedictinae religionis Monachum collectos fuisse,*

tantum

tantum suspicatus est. Cuius opinioni insistens Marquardus Freherus, *eosdem postea* Adelmo *nescio cui Benedictino, vel secundum alios*, Ademaro *monacho tribuit. Verum incertus alter illius aeui monachus, qui librum* de translatione & miraculis *S. Sebastiani composuit, euidenter indicat, ipsorum verum ac genuinum scriptorem fuisse* Eginhardum, *siue, vt vocat*, Agenardum, *de quo iam ad* Caroli M. *vitam dictum est. In sua enim ad* Ingrannum, *S. Medardi* Suessionensis Abbatem *praefatione sic ait: Agenardus* cognomine *sapiens*, ea qui tempestate habebatur insignis, huius reuerentissimae caelicolae mentionem, in gestis Caesarum, *Caroli M.* & filii ipsius *Hludouici*, faciens, inter alia, quae annotino cursu dictabat, non inoperosum duxit, mortalia acta immortali astipulatione roborare, ita dicens: *Dum haec aguntur*, Hilduinus *Abba monasterii* S. Dionysii *Romam mittens, annuente precibus eius* Eugenio, *S. Sedis Apostolicae Praesule, ossa beatissimi martyris Christi* Sebastiani *accepit, & ea apud Suessionem ciuitatem in basilica* S. Medardi *collocauit. Vbi dum inhumata in loculo, in quo allata fuerant, iuxta tumulum* S. Medardi *iacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per diuinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi martyris enituit, vt a nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat explicari. Quorum quaedam tanti stuporis esse narrantur, vt humanae imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset, Dominum nostrum* Iesum Christum, *pro quo idem beatissimus martyr passus esse dinoscitur, omnia, quae vult, per diuinam omnipotentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in caelo & in terra subiecta est.* De his *Agenardus* ita. *Quae narratio cum iisdem omnino verbis in annalibus istis reperiatur sub finem anni DCCCXXVI, quo* S. Sebastiani *corpus Suessionas delatum est: inde facile reuincitur, eosdem ab* Eginharto *ipso fuisse compositos, qui &* Caroli M. *vitam descripsit. Huic sententiae fauet codex antiquus, in quo* Hermannus Nuenare *vtrumque opus, velut unius ac eiusdem auctoris, coniunctim descriptum reperit, sicque emisit in lucem. Praeterea* Ioannes Trithemius *inter* Eginhardi *opera recenset* Historiam temporum de gestis Germanorum & Francorum: *quae alia ab his annalibus haberi non debet, in quibus res per Francos potissimum & Germanos gestae non minus eleganter, quam accurate consignantur. Ex libris quoque* de translatione & miraculis SS. Marcellini & *Petri* martyrum, *qui ab ipso* Eginharto scripti sunt, constat,

constat, eum otium meditantem circa an. DCCC XXIX aut paullo post e palatio recesſiſſe, in quo poſitus negotiis, *vt ait*, ſaecularibus *occupabatur. Ad quem uſque annum ſolummodo praefati annales perducti fuiſſe reperiuntur. Nam* appendix, *quam his attexuit* Iuſtus Reuberus, *non ſine aliqua annorum perturbatione e vita* Ludouici Pii *tota deſumta eſt. Addo & translationem ſupradictorum Sanctorum in iisdem annalibus tam breuiter ac ſuccincte perſtringi ſub an. DCCCXXVII, vt neminem alium haec ſcripſiſſe ſuſpicari liceat, quam* Eginhartum *ipſum, qui humilitate ductus nomen ſuum reticere voluerit. Sanctae enim deuotionis ardore incitatus, vt alter ſibi coaeuus adnotauit in vita* Ludouici Pii, *Romam miſit, & corpora* SS. Marcellini *&* Petri, *annuente Papa, in Franciam fecit transuehi, & valde decenter in proprio territorio, propriisque ſumtibus recondidit. Denique ſtilus ipſe annalium cum ſtilo* vitae Caroli M. *tam genuine conuenit, vt vtrumque librum ab vno & eodem auctore, ſcilicet* Eginharto, *fuiſſe conſcriptum, quiuis poſſit agnoſcere. Nec contrarium arguit, quod annalium ſcriptor in fine anni DCCLXXIV monaſterium* Laureſheym ſuum *appellet, tanquam in eo monachus vixerit; immo planiſſime confirmat, ipſum alterum non fuiſſe ab* Eginhardo, *qui, vel teſte* chronico Lauriſheimenſi, *tot beneficia in monaſterium hoc contulit, ibique tam familiariter verſatus eſt, vt optimo iure illud* ſuum *vocare potuerit.* Sic *Quercetanus* pater; quem deinde *Miraeus* *, *Lambecius* **, pluresque alii † ſecuti ſunt.

* Mantiſſa auctarii p. 104 edit. Fabric. Eginhartus *praeter ea, quae ſupra p.* 144. *commemorauimus, ſcripſit* annales Francorum *ab an. DCCXLI usque ad an. DCCCXXIX, qui hactenus* Adelmi *ſeu* Adelmari *nomine perperam editi fuerant.*

** Lib. II Commentar. *de Bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi* cap. V § XXXII p. 400 & ſeq. *Ego pro certo habeo, verum eorum annalium auctorem eundem illum eſſe* Eginhartum, *qui Imperatoris* Caroli M. *vitam in eodem codice manuſcr.* (XXI, qui inter mſcr. Hiſtoricos latinos eſt CCCXXVII) *ſine interpoſitione noui tituli proxime praecedentem compoſuit. Inclaruit enim is poſtremis Imperatoris* Caroli M. *temporibus, &, licet ſub filio ipſius Imperatore* Ludouico Pio *multo etiam magis floruerit, ſua tamen ſponte aulicam vitam deſeruit, euaſitque monachus Benedictinus, atque primus Abbas coenobii Seligenſtadenſis.*

† *Gryphi-*

†*Gryphiander* de Weichbildis Saxonicis.
Sagittarius dissertatione de praecipuis scriptoribus Historiae Germanicae p. m. 138.

Sedenim a *Duchesnio* rursus abit *Carolus* le *Cointe*, ac postquam in *annalibus ecclesiast. Francorum* tomo VI ad an. Christi DCCLXXIV a n. 127 usque ad n. 142 illius sententiam reiecit, n. sequenti 143 p. 80 *Explosa*, inquit, Duchesnii, *ceterorumque opinione annales, de quorum auctore adeo copiose disputauimus, a* Laureshamensi *monacho conditos &* Laureshamenses *merito vocandos arbitramur. Sententiam nostram confirmat ipsemet auctor, cum ad hunc annum, vbi de Laureshamensis monasterii dedicatione loquitur, idem coenobium* suum *textu iam citato sic appellat: Carolus* ab Italia regrediens, dedicationem ecclesiae *S. Nazarii* martyris & translationem corporis ipsius in monasterio *nostro* Lauresheym celebrauit, anno incarnationis Domini DCCLXXIV. Ita le *Cointe*, quem sequi non dubitauit *Hertius*, prolegom. *ad notitiam regni Francorum veter.* § IV pag. 216 scribens: *Sed libet potius assentiri* Carolo Cointio, *contrarium pluribus, iisque validis argumentis demonstranti.*

Natalis denique *Alexander* saec. IX & X Histor. ecclesiasticae cap. III articulo VIII p. m. 46 rem in medio relinquit, ac cum *Cointei* sententiam in compendio retulisset, ait: *Qua de re penes eruditos sit iudicium.* Similiter fere nil certi definit doctissimus vir, *Ioan. Hermannus Schminckius* in dissertatione de *Eginharto* historica, *Caroli M.* vitae praemissa, *****3; vt tamen vnam alteramque *Duchesnii* & *Cointei* rationem ad libram vocet. Duchesnius, inquit, Sirmondus, Marca, Lambecius, *aliique* Eginhartum *horum annalium parentem faciunt (quo sub nomine eos & a me citatos deprehendes, licet de eorum auctore certi quicquam proferre nequeam) nixi auctoritate anonymi cuiusdam, qui miracula* S. Sebastiani *descripsit, & in praefatione ad* Ingrammum, S. Medardi *Suessíon. Abbatem, verba ex* Eginharto, *seu, vt illum vocat*, Agenardo, *profert, quae hodie in annalibus ad an. DCCCXXVI in fine reperiuntur. Hoc argumentum sine dubio esset validissimum, modo certo constaret, scriptorem hunc non fuisse deceptum coniunctione vtriusque opusculi,*

opusculi, quod plerumque vitae Caroli M. *adiunctum est, vt Illustrissimus* Comes *a* Nuenare *in suo codice*, Lambecius *in Vindobonensi*, *& ego in Cassellano obseruauimus. Doctissimus* Henschenius *ad nostri commentarium* de translatione SS. Marcellini & Petri *ex dicta historia argumentatur contra hos annales, qui, vt diximus*, Eginharto *vulgo adscribuntur, & ostendit, maxime errare horum annalium auctorem, in describenda SS. martyrum translatione; quod narret ad an. DCCCXXVII, corpora beatissimorum martyrum* Marcellini *&* Petri *de Roma sublata, & Octobri mense in Franciam translata esse, cum ex* Eginharti *historia certo constet, corpora illa iam XVII Ianuarii an. DCCCXXVII Mulenhemium allata fuisse. Ast talem errorem* Eginhartum *commisisse, si vtriusque libelli auctor esset, non est verosimile, ita, vt hi annales vel subeius nomine tantum editi, vel in fine ab aliis aucti videantur. Idem &* Cointeus *in annalibus suis ex eo probare aggreditur, quod pluribus in locis diuersa narrent, & inter se maxime dissideant; hoc autem de vno eodemque scriptore dici non posse. Sed vt verum fatear, inter argumenta eius sunt nonnulla, quae stringunt, alia, quae gratis finguntur; e. g. auctorem horum annalium vocare* Eginhartum *ad an. DCCCXXVII* virum sui temporis prudentissimum; *quod ipsum scripsisse prorsus non sit verosimile: sed nullibi id in annalibus reperitur, verum in vita* Ludouici Pii *ab* Anonymo *scripta, & quamuis legatur in dictis annalibus, id tamen hunc foetum* Eginharto *non adiudicaret; facili enim negotio in textum irrepere potuit.*

Diligenter autem, quisquis ille etiam fuit, *accurateque* fatis *Pipini*, *Caroli M.* nec non *Ludouici* Pii res gestas scriptis commendasse, in titulo editionis suae iam dixit

Illustrissimus *Comes* de *Nuenare Hermannus*

additque: *At illius nomen quia hactenus nobis exploratum non fuit, lectorem ad historiae veritatem remittendum duximus, quae auctori vel incognito fidem facile impetrabit.*

Post quem *Ioannes Henricus Boeclerus*

praefat. ad historiam *Caroli M.*
tomo II opp. p. 139.

Successit

Successit his Adelmus *Benedictinus* (hunc enim annalium horum auctorem esse, cum *Frehero* censet) *cuius annales a* Pipino *ad* Carolum M. *continuati in* Ludouico Pio *(sub hoc enim floruisse dicitur) exeunt, non omittendi praecipue hoc nomine, quod superstes ex aequalibus illius saeculi fusius narrat, quamuis interea rude sermonis genus facile temporis infelicitati condones: adeo barbaries omnia corruperat.*

Quod ad editiones attinet, primum quidem Coloniae prodierunt an. MDXXI, forma quarti ordinis, ex officina typographica *Ioannis Soteri*, studio *Hermanni Comitis* de *Nuenare*, semel atque iterum iam laudati, qui eos vna cum commentario *Eginharti* de vita *Caroli M.* curauit, ac Imperatori *Carolo V* eleganti lectuque dignissima praefatione inscripsit. Tum an. MDLXXXIV Francofurti hos inter scriptores, quos *Reuberus* noster collegit; repetiti postea ibidem an. MDCXIX. Deinde inter *Scriptores annalium & historiae Francorum XII coaetaneos*, quos primum Parisiis an. MDLXXXVIII, & rursus Francofurti an. MDXCIV euulgauit *Petrus Pithoeus*. Post in corpore *veteris*, vt dictum, *& sincerae Historiae Francorum*, quod *Marquardus Freherus* adornauit, ac typis exscribi fecit an. MDCXIII Hanouiae. Tum praeterea an. MDCXXXVI in tomo II corporis *Historiae Francicae*, quod luci publicae dedit *Andreas* du *Chesne*, & quidem multis in locis emendati ope exemplaris manu exarati, quod ex bibliotheca *Georgii* Cardinalis de *Armaniaco* & Episcopi Rhutensis acceperat. Ad extremum in *Scriptoribus rerum Germanicarum*, qui Francofurti ad Moenum an. MDCCVII recusi sunt, secundum editionem Nuenarianam, opera doctissimi viri & amici nostri, *Ioannis Georgii Leuckfeldii*, vt ipse prodit annotat. ad cap. III *Antiquitatum* suarum *Northeimensium* p. 264.

Quod ad hanc, *Reuberianam*, quam mihi retinendam esse videbam, duplici modo auxi. Primum enim margini adscripsi lectiones variantes, quae in editione *du Chesnii*, vtpote omnium praestantissima, occurrunt. Quibus secundo illas etiam, quae e *manuscr.* Cassellano ex-

excerptae in bibliotheca celeberrimi VFFENBACHII (cui eas debeo) habentur*, adieci. Quod breuiter indicaſſe ſufficiat.

*Vid. *Catalog. bibliothecae Vffenbachianae* tomo II parte X ſect. I volum. LXXXV n. XXXIII col. 1234.

De cetero, cum doceat *Lambecius* l. d. p. 401 tres annalium horum in bibliotheca Caeſarea Vindobonenſi eſſe codices, quorum CCCXXVII inter Hiſtoricos multo antiquior ac melioris notae ſit, quam ille, qui eos inter CXLVII eſt, dignusque adeo, qui cum editione *Nuenarii* & hac *Reuberi*, nec non alio chartaceo bibliothecae dictae mſcr. (CCCCXXXVIII inter Hiſtoricos latinos) accurate conferatur, optandum, vt id praeſtent, quibus theſauris iſtis frui licet.

ANNALES REGVM FRANCORVM PIPINI, CAROLI M. ET LVDOVICI PII.

DCCXLI

HOc anno *Karolus* Maiordomus diem obiit, tres filios heredes relinquens, *Karolomannum* scilicet, *Pipinum*, atque *Grifonem*: quorum *Grifo*, qui ceteris maior natu erat, matrem habuit nomine *Suanihildæ*,* neptim *Odilonis* Ducis Baioariorum: hæc illum ad spem totius regni concitauit in tantum, vt sine dilatione *Laudunum* ciuitatem occuparet, ac bellum fratribus indiceret: qui celeriter exercitu collecto *Laudunum* obsidentes, fratrem in deditionem accipiunt, atque ad ea, quæ post mortem patris a Francorum societate desciuerant, recipienda animos intendunt: & vt in externa profecturi omnia domi tuta dimitterent, *Karolomannus Grifonem* sumens, in nouo castello, quod iuxta *Arduennam* situm est, custodiri fecit: in qua custodia usque ad tempus, quo idem *Karolomannus* profectus est, dicitur permansisse.

* Suanahildem

DCCXLII

KArolomannus & *Pipinus* regno Francorum potiti, primo Aquitaniam recipere volentes, contra *Hunoldum* ipsius prouinciæ Ducem, cum exercitu eandem Aquitaniam ingrediuntur, & capto quodam castello, cui *Lucas* nomen est, priusquam ex prouincia secederent, regnum, quod communiter administrabant, in loco, qui *Vetus Pictauium* dicitur, inter se diuiserunt: eodemque anno postquam domum regressi sunt, *Karolomannus* Alemanniam, quæ ipsa a Francorum societate defecerat, cum exercitu ingressus, ferro & igne vastauit.

DCCXLIII

KArolomannus & *Pipinus* iunctis copiis contra *Odilonem* Ducem Baioariorum profecti sunt: prœlioque commisso exercitum eius fuderunt. Et postquam inde reuersi sunt, *Karolomannus* solus in Saxoniam profectus est, & castrum, quod dicitur *Hochsigburg*, & in eo *Thedericbum* Saxonem illius loci primarium in deditionem accepit.

DCCXLIV

IIdem fratres *Karolomannus* & *Pipinus* iuncta manu Saxoniam ingressi sunt: prædictumque *Thedericbum* in deditionem acceperunt.

DCCXLV

HOc anno *Karolomannus* id, quod dudum * secum præmeditatus est, patefecit fratri suo *Pipino*, sæcularem conuersationem se velle dimittere, & habitu monachico Deo seruire. Propter hoc dimisit expeditionem anni præsentis, ad vota *Karolomanni* perficienda, & iter illius disponendum: nam Romam proficisci statuerat: & *Pipinus* vacabat, dans operam, vt frater suus honorifice ac decenter illo, quo desiderabat, perueniret.

* al. quod diu ante

DCCXLVI

DCCXLVI

KArolomannus Romam profectus, dimissa sæculari gloria habitum mutauit, & in monte Soracte monasterium in honorem sancti Syluestri ædificauit: vbi quondam tempore persecutionis, quæ sub Constantino facta est, sanctus Syluester latuisse fertur: ibique aliquandiu commoratus, meliori consilio hoc loco dimisso, ad monasterium S. Benedicti in Samnio prouincia iuxta Cassinam arcem * constitutum Deo seruiturus venit, ibique monachicum habitum suscepit.

* al. Cassinum castrum

DCCXLVII

FRater Karolomanni & Pipini, nomine Grifo, Pipino fratri suo subiectus esse nolens, quanquam sub illo honorifice viueret, collecta manu in Saxoniam profugit, collectoque Saxonum exercitu super fluuio Obacro*, in loco, qui dicitur Horheim, consedit. Pipinus autem cum exercitu Francorum per Thuringiam profectus, contra fratris dolos Saxoniam ingressus est, conseditque super fluuium Missaham, in loco, qui vocatur Schaninge*: prœlium tamen inter eos non est commissum, sed ex placito discesserunt.

* al. Ouacra

* al. Scheninge

DCCXLVIII

GRifo Saxonum fidei diffidens, Baioariam petiit, & copiis, quæ ad eum de Francia confluebant, ipsum Ducatum in suam redegit potestatem, Tassilonem & Hilthtrudim in deditionem accepit, Switgerum sibi in auxilium venientem suscepit. Hæc cum ad Pipinum perlata fuissent, cum maximo exercitu in Baioariam profectus est, fratremque suum Grifonem cum omnibus, qui cum eo vel ad ipsum eo venerant, cepit, Tassilonem in Ducatum restituit: domumque reuersus Grifonem more Ducum XII Comitatibus donauit. Sed ille tali beneficio contentus non erat: nam eodem anno ad Waifarium Ducem Aquitaniæ profugit.

DCCXLVIII

BVrchartus Wirtziburgensis Episcopus, & Folradus Presbyter Capellanus missi sunt Romam ad Zachariam Papam, vt consulerent Pontificem de causa Regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum Regis, sed nullam potestatem regiam habuerunt. Per quos prædictus Pontifex mandauit, melius esse illum Regem, apud quem summa potestatis consisteret: dataque auctoritate sua iussit Pipinum Regem constitui.

DCCL

HOc anno secundum Romani Pontificis sanctionem Pipinus Rex Francorum appellatus est: & ad huius dignitatem honoris unctus sacra vnctione manu sanctæ memoriæ Bonifacii Archiepiscopi & martyris, & more Francorum eleuatus in solium regni in ciuitate *Suessiona. Hilderichus vero, qui falso Regis nomine fungebatur, tonso capite in monasterium missus est.

* al. Suessinas

DCCLIII

HOc anno Pipinus Rex cum exercitu magno Saxoniam ingressus est; & quamuis Saxones ei obstinatissime resisterent, pulsi tamen cesserunt: & ipse vsque ad locum, qui dicitur Rimi, qui est super fluuium Wiseram accessit. In qua expeditione Hildigarius Archiepiscopus interfectus est in monte, qui dicitur Viburg. Reuertenti vero Regi de Saxonia nuntium accepit de morte fratris sui Grifonis, & a quo vel qualiter fuisset interfectus. Eodem anno Stephanus Papa venit ad Pipinum Regem in villa, quæ vocatur Carisiacus, suggerens ei, vt se & Romanam ecclesiam ab infestationibus Langobardorum defenderet. Venit & Karolomannus frater Regis, iam monachus factus, iussu Abbatis sui, vt apud fratrem precibus Romani Pontificis obsisteret.

ſteret. Inuitus tamen hoc feciſſe putatur; quia nec ille Abbatis ſui iuſſa contemnere, nec Abbas illius præceptis Regis Langobardorum, qui ei hoc imperauerat, audebat reſiſtere.

DCCLIV

STephanus Papa poſtquam a Rege *Pipino* eccleſiæ Romanæ defenſionis firmitatem accepit, ipſum ſacra vnctione ad regiæ dignitatis honorem conſecrauit, & cum eo duos filios eius, *Karolum* & *Karolomannum*; manſitque hiberno tempore in Francia. Eodem anno *Bonifacius* Archiepiſcopus Moguntiacenſis in Friſia verbum Dei prædicans, a paganis interfectus, martyrio coronatus eſt.

DCCLV

PIpinus Rex inuitante atque ſuggerente prædicto Romano Pontifice propter erepta Romanæ eccleſiæ per Regem Langobardorum dominia Italiam manu valida ingreditur, reſiſtentibus Langobardis & clauſtra Italiæ tuentibus, ad ipſas montium anguſtias, quas *Cluſas* vocant, acerrime pugnatum eſt: cedentibusque Langobardis, omnes copiæ Francorum viam quamuis difficilem non magno labore ſuperarunt. *Haiſtolfus* vero Rex Langobardorum manum conſerere non auſus, in ciuitate Papia a Rege *Pipino* obſeſſus eſt: qui ante obſidionem non ſoluit, quam firmitatis cauſa pro reſtituendis, quæ Romanæ eccleſiæ ablata fuerant, obſides XL recepiſſet. Datis vero XL obſidibus, promiſſiſque iure iurando firmatis, ipſe quidem in regnum ſuum regreſſus eſt: & *Stephanum* Papam cum *Folrado* Preſbytero Capellano, & non minima Francorum manu Romam remiſit. *Karolomannus* monachus, frater Regis, qui cum *Bertrada* Regina in *Vienna* ciuitate remanſit, priuſquam Rex de Italia reuerteretur, febre correptus diem obiit. Cuius corpus iuſſu Regis ad monaſterium *S. Benedicti*, in quo monachicum habitum ſuſceperat, relatum eſt.

DCCLVI

HAiſtolfus Rex Langobardorum quanquam anno ſuperiore obſides dediſſet, & ad reddendum ea, quæ Romanæ eccleſiæ abſtulerat, tam ſe quam optimates ſuos iure iurando obſtrinxiſſet, nihil promiſſorum opere compleuit. Propter hoc *Pipinus* Rex iterum cum exercitu Italiam intrauit, & *Haiſtolfum* in Papia ciuitate ſe includentem obſedit, & obſidione ad impletionem promiſſorum ſuorum compulit: redditamque ſibi *Rauennam* & *Pentapolim*, & omnem hexarchatum ad *Rauennam* pertinentem, ad *S. Petrum* tradidit: atque iis peractis, in Galliam reuerſus eſt. *Haiſtolfus* autem poſt abſceſſum eius cum meditaretur, quomodo ſua promiſſa non tam impleret, quam doloſe ea, quæ impleta fuerant, commutaret, in venatione de equo ſuo caſu prolapſus eſt: atque ex hoc ægritudine contracta, intra paucos dies viuendi finem fecit. Cui *Deſiderius*, qui Comes ſtabuli eius erat, ſucceſſit in regnum.

DCCLVII

COnſtantinus Imperator *Pipino* Regi multa miſit munera, inter quæ & *organa, quæ ad eum in *Compendio* villa peruenerunt, vbi tunc populi ſui generalem conuentum habuit. Illuc & *Taſſilo* Dux Baioariorum cum primoribus gentis ſuæ venit, & more Francico in manus Regis *inuaſſati cum manibus ſuis, ſemetipſum commendauit: fidelitatemque tam ipſi Regi *Pipino*, quam filiis eius *Karolo* & *Karolomanno* iure iurando ſuper corpus *S. Dionyſii* promiſit. Sed non ſolum ibi, verum etiam ſuper corpus *S. Martini* & *S. Germani*, ſimili ſacramento ſe prædictis Dominis ſuis diebus vitæ ſuæ ſeruaturum eſt pollicitus. Similiter omnes primores ac maiores natu Baioariorum, qui cum eo in præſentiam Regis peruenerant, fidem Regi & filiis eius ſeruaturos in prædictis venerabilibus locis promiſerunt.

* al. organum

* al. inuaſſatum

DCCLVIII

DCCLVIII

PIpinus Rex cum exercitu Saxoniam aggressus est; & quamuis Saxonibus validissime resistentibus & munitiones suas tuentibus, pulsis prœlio propugnatoribus, per ipsum, quo patriam defendere conabantur, vallum intrauit: commissisque passim prœliis, plurimam ex ipsis multitudinem cecidit; coegitque vt promitterent, se omnem voluntatem eius facturos: & singulis annis honoris causa ad generalem conuentum equos CCC pro munere daturos. His ita compositis, & more Saxonico, vt rata esse deberent, confirmatis, in Galliam sese cum exercitu suo recepit.

DCCLIX

NAtus est *Pipino* Regi filius, quem suo nomine *Pipinum* vocari voluit. Sed puer immatura morte præuentus, tertio post natiuitatem suam anno decessit. Hoc anno celebrauit Rex natalem Domini in * *Longlare*, & Pascha in * *Iopia*: neque extra regni sui terminos aliquod iter fecit.

* al. *Lenclare*
* *Iopila*

DCCLX

WAifarius Dux Aquitaniæ cum res quæ in sua potestate erant, & ad ecclesias sub manu *Pipini* Regis constitutas pertinebant, Rectoribus ipsorum venerabilium locorum reddere noluisset, ipsumque Regem de hisce per legatos suos commemorantem contemneret, contumacia sua ad suscipiendum contra se bellum concitauit. Nam Rex contractis vndique copiis Aquitaniam ingressus, se res ecclesiarum bello exacturum pronuntiauit. Cumque in loco, qui * *Thedoad* vocatur, positis castris consedisset, *Waifarius* bello certare non ausus, missa ad Regem legatione spondet, se imperata facturum, ecclesiis sua iura redditurum, obsides, qui imperarentur, daturum. Dedit etiam duos de primoribus gentis, *Adalgarium* & *Itherium*. Et hoc facto ita contra se commotum Regis animum mitigauit, vt statim bello desisteret. Nam acceptis obsidibus, qui ad fidem promissionibus faciendam dati sunt, Rex bello abstinuit: domumque reuersus, dimisso exercitu, in villa *Carisiaco* hiemauit, in qua & natalem Domini & Pascha celebrauit.

* al. *Thedon*

DCCLXI

WAifarius Dux quanquam obsides dedisset, sacramentaque iurasset, satius tamen ratus, de illato sibi anno superiore bello vltionem exigere, exercitum suum, qui Francorum possessiones popularetur, vsque ad *Cabillonem* ciuitatem fecit accedere. Quod cum *Pipino* Regi generalem conuentum agenti in villa *Duria* fuisset nuntiatum, coactis vndique auxiliis cum magno belli apparatu Aquitaniam ingressus, quædam oppida atque castella manu cepit: in quibus præcipua fuere *Burbonis*, *Cantilla*, *Clarmontis*: quædam se victori vltro dederunt: maximeque Auernorum castella, quæ tunc bello premebantur. Rex tamen cuncta, quæ extra munitiones inuenit, ferro & igne deuastans, postquam ad *Limouicam* oppidum venit, reuersus est, & in villa *Carisiaco* hibernis habitis natalem Domini & Pascha celebrauit. In hac expeditione fuit cum Rege filius eius primogenitus *Karolus*, ad quem post patris obitum totius imperii summa peruenit.

DCCLXII

PIpinus Rex suscepto a se bello finem imponere cupiens, iterum Aquitanicam prouinciam cum magnis copiis intrat: captisque *Biturica* ciuitate & castello *Toarcis* reuertitur, hiemauitque in villa *Gentiliaco*; atque in ea natalem Domini ac paschalis festi solennitatem celebrauit.

DCCLXIII

REdeunte anni congruo tempore, conuentu in *Niuernis* habito & contractis vndique copiis Rex *Pipinus* Aquitaniam repetit, & omnia, quæ extra

extra munitiones erant, ferro & igne depopulatus, usque ad *Cadurciam* oppidum accessit. Inde cum exercitu integro in Franciam se recepturus per *Limouicam* regreditur. De qua expeditione *Tassilo* Baioariæ Dux ægritudine per dolum simulata, in patriam reuersus est, firmatoque ad defectionem animo ad Regis aspectum se vlterius venturum abiurauit. Rex dimisso exercitu in hiberna ad hiemandum in villa *Longlare* consedit, atque ibi natalem Domini ac Pascha celebrauit. Facta est autem hoc tempore tam valida atque aspera hiems, vt immanitate frigoris nulli preteritorum annorum hiemi videretur posse conferri.

* *Limouicam*

* al. *Lonclare*

DCCLXIV

REx *Pipinus* distracto in diuersa animo propter duo bella, Aquitanicum scilicet iam olim susceptum, & Baioaricum propter *Tassilonis* Ducis defectionem suscipiendum, populi sui generalem conuentum habuit in *Wormatia* ciuitate: dilataque in futurum expeditione, illo anno domi se continuit; hiemauitque in villa *Carisiaco*, atque in ea natalem Domini & sanctum Pascha celebrauit. Eodem anno eclipsis solis facta est primo die Non. Iunii, hora VI.

DCCLXV

HOc anno Rex *Pipinus* domi se continuit, neque propter Aquitanicum bellum, quamuis nondum finitum, regni sui terminos egressus est, sed generalem populi sui conuentum in *Attiniaco* villa, hiberna *Aquisgrani* habuit; vbi & natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCLXVI

PIpinus Rex propter conficiendum Aquitanicum bellum conuentu in Aurelianis habito, in Aquitaniam profectus, destructum a *Waifario* Argentomagum castrum reparat: dispositoque & ibi & in *Biturica* ciuitate Francorum præsidio regreditur; natalemque Domini ***Salmoniaci*, Pascha vero *Gentiliaci* celebrauit.

* al. *Salmontiaci*

DCCLXVII

ORta quæstione de sancta Trinitate & de Sanctorum imaginibus, inter orientalem & occidentalem ecclesiam, id est, Romanos & Græcos, Rex *Pipinus* conuentu in *Gentiliaco* villa congregato, Synodum de ipsa quæstione habuit; eoque peracto, ad bellum prædictum conficiendum post natalem Domini in Aquitaniam proficiscitur; & per *Narbonam* iter agens, *Tolosam* aggressus cepit: *Albiensem* & *Gauuldensem* pagos in deditionem accepit; & *Viennam* reuersus, postquam ibi & paschalis festi sacra peregit, & exercitum a labore refecit, iam prope æstate confecta, mense Augusto ad reliquias belli profectus est; & in *Bituricam* veniens, conuentum more Francico in campo * egit: indeque ad *Garonnam* fluuium accedens, castella multa & petras atque speluncas, in quibus se hostium manus plurima defendebat, cepit: inter quæ præcipua fuere ***Scoralia*, ***Torinna*, *Petrocia*. Reuersusque *Bituricam*, exercitum in hiberna dimisit: ipse ibi moratus, natalem Domini celebrauit. Eo anno *Paulus* Papa Romanus defunctus est; cuius rei nuntius ibi ad Regem peruenit.

* al. *habuit*

* al. *Scolaria*

* al. *Turremna*

DCCLXVIII

REx *Pipinus* cum primum ad bellum gerendum tempus congruum esse videret, euocato vndique exercitu ad *Santonicam* ciuitatem contendit; captoque in itinere *Rimistaino*, cum ad vrbem prædictam venisset, mater & soror, neptesque *Waifarii* Ducis ad conspectum eius adductæ sunt: quas cum pie susceptas seruari iussisset, ad *Garonnam* fluuium proficiscitur: vbi ei ***Eberwicus* cum alia prædicti Ducis sorore occurrit in loco, qui *Montes* vocatur, seque & illam Regi tradidit. Rebus igitur aliquandiu prospere gestis, Rex

* al. *Ermicus*

Rex reuertitur, & in castello, quod dicitur *Sels*, Pascha celebrauit. Assumptaque secum vxore atque familia sua iterum ad vrbem *Santonicam* venit; dimissaque ibi vxore ac familia, cum omnibus copiis ad persequendum *Waifarium* Ducem animum intendit, neque prius destitit, quam & caperet, & rebellantem quoque interficeret. Interfecto igitur *Waifario* Duce in territorio *Petragorico*, confectoque, vt sibi videbatur, Aquitanico bello, *Santonas* reuersus est. Cumque ibi aliquantum temporis moraretur, ægritudine decubuit: in ipsa tamen valetudine *Turonas* delatus, apud *S. Martini* memoriam orauit. Inde cum ad Parisios venisset, VIII Kalend. Octobr. diem obiit: cuius corpus in basilica *B. Dionysii* martyris humatum est. Filii vero eius *Karolus* & *Karolomannus* consensu omnium Francorum Reges creati; & *Karolus* in *Nouiomago* ciuitate, *Karolomannus* in * *Suessiona* insignia regni susceperunt. *Karolus* Aquas Grani profectus, ibi natalem Domini, & in *Rotomago* ciuitate Pascha celebrauit.

* al. *Suessione*

DCCLXIX

POstquam hi duo fratres patri succedentes regnum inter se partiti sunt, Aquitania prouincia, quæ in sortem maioris natu *Karoli* Regis cesserat, remanentibus in ea transacti belli reliquiis, conquiescere non potuit. Nam * *Hunholtus* quidam, regnum affectans, prouincialium animos ad noua molienda concitauit. Contra quem ipse, cui eadem prouincia sorte obuenerat, Rex *Karolus* cum exercitu profectus est. Sed cum fratris auxilium habere non posset, qui procerum suorum prauo consilio, ne id faceret, impediebatur, colloquio tantum cum eo habito, in loco, qui *Duasdiues* vocatur, fratre in regnum suum commeante, ille *Egolisenam* Aquitaniæ ciuitatem proficiscitur; & inde vndique contractis copiis fugientem * *Hunholtum* prosequitur, paululumque abfuit, quin caperet: sed ille notitia locorum, in quibus Regis exercitum latere poterat, liberatus est; dimissaque Aquitania Vasconiam petiit, tutum se ibi fore arbitratus. Erat tunc Vasconum Dux *Lupus* nomine, cuius fidei se * *Hunholtus* committere non dubitauit. Ad quem Rex missa ocius legatione, iubet sibi perfugam reddi: idque ea conditione, vt nisi dicto obediens esset, sciret se bello Vasconiam ingressurum, neque inde prius digressurum, quam illius inobedientiæ finem imponeret. Lupus minis regiis perterritus, * *Hunholtum* & vxorem eius sine cunctatione reddidit, se quoque, quæcunque imperarentur, facturum spopondit. At Rex, donec legati quos miserat reuerterentur, castellum iuxta *Dornoniam* fluuium nomine *Francicum* ædificat. Reuersis igitur legatis, reductoque perfuga, ædificato castello, in regnum suum regreditur; celebrauitque natalem Domini in villa *Duria*, & Pascha apud *S. Lantbertum* in vico *Leodico*.

* al. *Hunoldus*

* al. *Hunoldum*

* al. *Hunoldus*

* al. *Hunoldum*

DCCLXX

DOminus Rex *Karolus* habuit populi sui generalem conuentum in *Wormatia* ciuitate. *Bertrada* vero mater Regum cum *Karolomanno* minore filio apud *Salusiam* locuta pacis causa in Italiam proficiscitur, peractoque, propter quod illo profecta erat, negotio, adoratis etiam Romæ sanctorum Apostolorum liminibus, ad filios in Galliam reuertitur. *Karolus* autem Rex natalem Domini in *Moguntiaco*, sanctumque Pascha in villa *Haristallio* celebrauit.

DCCLXXI

PEracto secundum morem generali conuentu super fluuium *Scaldam* in villa * *Valentiana*, Rex *Karolus* ad hiemandum proficiscitur. Cumque ibi aliquandiu moraretur, *Karolomannus* frater eius pridie Non. Decembr. decessit in villa * *Salmonciaco*. Et Rex ad capiendum ex integro regnum animum intendens, *Carbonacum* villam venit. Ibi *Wilharium* Episcopum Sedunensem, & *Folradum* Presbyterum, & alios plures Sacerdotes, Comites etiam atque primates fratris sui, inter quos vel præcipui fuere *Warinus* & * *Adel-*

* al. *Valentianas*

* al. *Salmontiaco*

* *Adelhartus*, ad se venientes suscepit. Nam vxor eius & filii cum parte optimatum in Italiam profecti sunt. Rex autem hanc eorum profectionem quasi superuacuam impatienter tulit; celebrauitque natalem Domini in *Attiniaco*, & Pascha in *Haristallio*.

* al. Adelhardus

DCCLXXII

ROmæ *Stephano* Papa defuncto, *Adrianus* in Pontificatum successit. Rex vero *Karolus* congregato apud *Wormatiam* generali conuentu, Saxoniam bello aggredi statuit: eamque sine mora ingressus, ferro & igne cuncta depopulatus, *Eresburgum* castrum cepit, idolumque, quod *Irminsul* a Saxonibus vocabatur, euertit. In cuius destructione cum in eodem loco per triduum moraretur, contigit, vt propter continuam cæli serenitatem exsiccatis omnibus illius loci riuis ac fontibus, *aqua ad bibendum inueniri non posset. Sed ne diutius siti confectus laboraret exercitus, diuinitus factum creditur, vt quadam die cum iuxta morem tempore meridiano cuncti quiescerent, prope montem, qui castris erat contiguus, tanta vis *aquarum in concauitate cuiusdam torrentis eruperit, vt exercitui cuncto sufficeret. Tunc Rex idolo destructo ad *Wiseram* fluuium accessit, ibique a Saxonibus XII obsides accepit. Inde in Franciam reuersus, in villa *Haristallio* & natalem Domini & sanctum Pascha celebrauit.

* al. aqua

DCCLXXIII

ADrianus Papa cum insolentiam *Desiderii* Regis & Langobardorum ferre non posset, decreuit legationem ad *Karolum* Regem Francorum mittere, eumque vt sibi atque Romanis aduersus Langobardos opem ferret, rogare. Et quia id terreno itinere per Italiam fieri non poterat, cum quem miserat legatum, nomine *Petrum*, Romæ nauim conscendere, & *Massiliam* usque per mare ire, atque inde terreno itinere in Franciam fecit peruenire. Qui cum ad Regem in *Theodonis villa*, vbi tunc hiemauerat, peruenisset, & ei legationis suæ causam aperuisset, eadem qua venerat via Romam regressus est. Rex rebus, quæ inter Romanos ac Langobardos gerebantur, diligenti cura pertractatis, bellum sibi contra Langobardos pro defensione Roman. suscipiendum ratus, cum toto Francorum exercitu * *Gebennam* Burgundiæ ciuitatem iuxta *Rhodanum* sitam venit: ibique de bello suscipiendo deliberans, copias, quas secum adduxerat, diuisit, & vnam partem cum *Bernharto* patruo suo per *montem Iouis* ire iussit; alteram ipse ducens, per montem * *Cinisum* Italiam contendit; superatoque alpium iugo, *Desiderium* Regem frustra sibi resistere conantem citra *congressum fugauit, *Ticinoque* inclusum obsedit, & in oppugnatione ciuitatis, quia difficilis erat, totum hiberni temporis spatium multa moliendo consumsit.

* al. Genuam
* al. Cinisium
* al. congressionem

DCCLXXIV

DVm hæc in Italia geruntur, Saxones velut opportunam de absentia Regis nacti occasionem, contiguos sibi Hassorum terminos ferro & igne populantur. Cumque in eo loco, qui nunc *Frideslar* ab incolis nominatur, basilicam a beato *Bonifacio* martyre dedicatam incendere molirentur, atque hoc efficere casso labore conarentur, immisso sibi diuinitus pauore subitaneo, turpi trepidatione confusi domum fugiendo reuertuntur. At Rex dimisso ad obsidionem atque expugnationem *Ticini* exercitu, orandi gratia Romam proficiscitur. Et cum peractis votis inde ad exercitum fuisset reuersus, fatigatam longa obsidione ciuitatem in deditionem compulit: quam ceteræ ciuitates secutæ, omnes se Regis ac Francorum potestati subdiderunt. At Rex subacta & pro tempore ordinata Italia, in Franciam reuertitur, captiuum ducens *Desiderium* Regem. Nam *Adalgisus* filius eius, in quo Longobardi multum spei habere videbantur, desperatis patriæ rebus, relicta Italia in Græciam ad *Constantinum* Imperatorem se contulit, ibique in Patriciatus ordine atque honore consenuit. Rex autem domum reuersus, priusquam eum

cum Saxones venisse sentirent, tripartitum in eorum regiones misit exercitum; qui incendiis ac direptionibus cuncta deuastans, compluribus etiam Saxonum, qui resistere conati sunt, interfectis, cum ingenti præda regressus est.

a) *Karolus* ab Italia regrediens, dedicationem ecclesiæ sancti *Nazarii* martyris, & translationem corporis ipsius in monasterio nostro *Lauresheim* celebrauit. Anno incarnationis Domini DCCLXXIV, Kalend. Septembr.

a) Desunt in manuscr. & videntur a monacho adiecta. Nam historia hæc non a monacho, sed a quodam astrologiæ perito, qui & *Caroli* & *Ludouici* ætate vixit, scripta est.

DCCLXXV

CVm Rex in villa *Carisiaco* hiemaret, consilium iniit, vt perfidam ac fœdifragam Saxonum gentem bello aggrederetur, & eo vsque perseueraret, dum aut victi Christianæ religioni subiicerentur, aut omnino tollerentur. Habitoque apud *Duriam* villam generali conuentu, Rheno quoque transmisso, cum totis regni viribus Saxoniam petiit; & primo statim impetu *Sigiburgum* arcem, in quo Saxonum præsidium erat, pugnando cepit. *Eresburgum* aliud castrum a Saxonibus destructum muniuit, & in eo Francorum præsidium posuit. Inde ad *Wisiram* fluuium veniens, in eo loco, qui *Brunnesberg* vocatur, congregatam Saxonum multitudinem offendit, quæ eum a transitu fluminis arcere conabatur; sed frustra: nam in prima congressione pulsi fugatique sunt, & magnus eorum numerus ibidem interfectus est. Et Rex amne traiecto cum parte exercitus ad **Obacrum* fluuium contendit, vbi *ei *Hesso*, vnus ex primoribus Saxonum cum omnibus Ostfalis occurrens & obsides, quos Rex imperauerat, dedit, & sacramentum fidelitatis iurauit. Inde reuersus cum in pagum, qui **Buchi* vocatur, peruenisset, Angrarii cum suis primoribus ei occurrerunt, & sicut Ostfali, iuxta quod Rex imperauerat, obsides dederunt, & sacramenta iurauerunt. Interea pars exercitus, quam ad *Wisiram* dimisit, in loco, qui *Hudbeki* vocatur, castris positis incaute agens, Saxonum fraude circumuenta atque decepta est. Nam cum pabulatores Francorum circa nonam diei horam reuerterentur in castra, Saxones eis, quasi & ipsi socii essent eorum, sese miscuerunt, ac sic Francorum castra ingressi sunt: dormientesque aggressi, non modicam incautæ multitudinis cædem fecisse dicuntur. Sed vigilantium ac viriliter resistentium virtute compulsi, castris excesserunt, & ex pacto, quod inter eos ex tali necessitate fieri poterat, discesserunt. Quod cum Regi fuisset allatum, quanta potuit celeritate *occurrens, fugientium terga insecutus, magnam ex eis multitudinem prostrauit; & tum demum Westfalorum obsidibus acceptis, ad hiemandum in Franciam reuertitur.

* al. *Ouacerum*
* al. & *Hessonius*
* al. *Buchi*
* accurrens

DCCLXXVI

REgi domum reuertenti nuntiatur **Rotgaudum* Longobardum, quem Foroiuliensibus Ducem dederat, in Italia res nouas moliri, & iam complures ad eum ciuitates defecisse. Ad quos motus comprimendos cum sibi festinandum iudicaret, strenuissimum quemque suorum secum ducens, raptim in Italiam proficiscitur, **Rotgaudoque*, qui regnum affectabat, interfecto, ciuitatibus quoque, quæ ad eum defecerant, sine dilatione receptis, & in eis Francorum Comitibus constitutis, eadem qua venerat velocitate reuersus est. Cui vix alpes transgresso, occurrerunt, qui nuntiarent, *Eresburgum* arcem a Saxonibus expugnatam, & præsidium Francorum, quod in ea posuerat, expulsum: *Sigiburgum* aliud castellum oppugnatum quidem, sed non captum; eo quod ii, qui in eo præsidii causa fuerant constituti, facta eruptione incautos atque oppugnationi intentos Saxones a tergo inuaserunt, & plurimis interfectis, reliquos non solum oppugnationem dimittere, sed etiam fugere compulerunt; palantesque ac dispersos *ad *Lippiam* usque fluuium persecuti sunt. Hæc cum Regi nuntiarentur, conuentu apud *Wormatiam* habito, Saxoniam sine mora statuit exercitu esse petendam; con-

* Hruodgaudum, al. *Ruodgaudum*
* al. *Ruodgaudo*
* al. vsque ad *Lippiam* fl.

contractisque ingentibus copiis tanta celeritate ad destinatum a se in Saxonia locum peruenit, vt omnes hostium conatus, quibus ei resistere *conabantur, illa festinatione peruerteret. Nam ad fontem *Lippiæ* veniens, immensam illius perfidi populi multitudinem, velut deuotam ac supplicem, ac quasi erroris sui veniam poscentem, inuenit. Cui cum & misericorditer ignouisset, & eos, qui se Christianos fieri velle affirmabant, baptizari fecisset, datis & acceptis pro fide seruanda fraudulentis eorundem promissionibus, obsidibus quoque, quos imperauerat, receptis, *Eresburgo* castro, quod dirutum erat, restaurato, alioque castello super *Lippiam* constructo, & in vtroque non modico præsidio relicto, ipse in Galliam reuersus, in villa *Haristallio* hiemauit.

* parabant

DCCLXXVII

REx prima veris aspirante temperie *Nouiomagum* profectus *, & post celebratam ibidem paschalis festi solennitatem, propter fraudulentas Saxonum promissiones, quibus fidem habere non poterat, ad locum, qui † *Padrabrunna* vocatur, generalem populi sui conuentum in eo habiturus, cum ingenti exercitu in Saxoniam profectus est. Eo cum venisset, totum perfidæ gentis senatum ac populum, quem ad se venire iusserat, morigeram ac *fallaciter sibi deuotam inuenit. Nam cuncti ad eum venerunt, præter *Witikindum*, vnum e primoribus Westfalorum, qui multorum sibi facinorum conscius, & ob id Regem veritus, ad *Sigifridum* Danorum Regem profugerat. Ceteri, qui venerant, ita se Regis potestati submisere, vt ea conditione tunc veniam accipere mererentur; si vlterius sua statuta violarent, patria & libertate priuarentur. Baptisata est ex eis ibidem maxima multitudo, quæ se, quamuis falso, Christianam fieri velle promiserat. Venit iisdem & loco & tempore ad Regis præsentiam de Hispania Saracenus quidam nomine *Ibinalarabi*, cum aliis Saracenis sociis suis, dedens se ac ciuitates, quibus eum Rex Saracenorum præfecerat. Idcirco Rex peracto memorato conuentu in Franciam reuersus, natalem Domini in *Duciaco* villa, Pascha vero in Aquitania apud **Cassinogilum* celebrauit.

* est, &
* al. *Paderbrunna*
* faciliter
* Diciaco
* Cassinoinum, al. *Casosinoilum*

† *In veteri editione est* Paderborna.

DCCLXXVIII

TVnc Rex persuasione prædicti Saraceni spem capiendarum quarundam in Hispania ciuitatum haud frustra concipiens, congregato exercitu profectus est: superatoque in regione Vasconum Pyrenei iugo, primo *Pompelonem* Nauarrorum oppidum aggressus, in deditionem accepit. Inde Iberum amnem vado traiiciens, *Cæsaraugustam* præcipuam illarum partium ciuitatem accessit, acceptisque, quos *Ibinalarabi* & **Abithaur*, quosque alii quidam Saraceni obtulerunt, obsidibus, *Pompelonem* reuertitur. Cuius muros, ne rebellare posset, ad solum vsque destruxit; ac regredi statuens, Pyrenei saltum ingressus est. In cuius summitate Vascones insidiis collocatis extremum agmen adorti, totum exercitum magno tumultu perturbabant. Et licet Franci Vasconibus tam armis quam animis præstare viderentur, tamen & iniquitate locorum & genere imparis pugnæ inferiores effecti sunt. In hoc certamine plerique aulicorum, quos Rex copiis præfecerat, interfecti sunt; direpta impedimenta; & hostis propter notitiam locorum in diuersa dilapsus est. Cuius vulneris accepti recordatio magnam partem rerum feliciter in Hispania gestarum in corde Regis obnubilauit. Interea Saxones velut occasionem nacti sumptis armis ad Rhenum usque profecti sunt. Sed cum amnem traiicere non possent, quicquid a **Duicia* ciuitate vsque ad *fluenta *Moselle* vicorum villarumque fuit, ferro & igne depopulati sunt; pari modo sacra profanaque pessundata, nullum ætatis aut sexus discrimen ira hostis fecerat; vt liquido appareret, eos non prædandi, sed vltionem exercendi gratia Francorum terminos introisse. Cuius rei nuntium cum Rex apud *Autisiodorum* ciuitatem accepisset, extemplo Francos orientales atque Alamannos ad propulsan-

* Abutaur
* al. Duitia
* al. *fluentem*

pulsandum hostem festinare iussit; ipse ceteris copiis dimissis, *Haristallium* villam, in qua hiemaret *, venit. At Franci atque Alemanni, qui contra Saxones missi erant, magnis itineribus ad eos ire contendunt, si forte in finibus suis eos inuenire possent. Sed illi iam re peracta reuertebantur ad sua. Quorum vestigia secuti qui a Rege missi fuerunt, in pago *Hassiorum* super fluuium *Adernam* iter agentes repererunt; eosque statim in ipso fluminis vado adorti, tanta strage ceciderunt, vt ex ingenti multitudine ipsorum vix pauci domum fugiendo peruenisse dicantur.

* hiemare constituerat

DCCLXXIX

AT Rex de *Haristallio*, vbi hiemauerat, & vbi natalem Domini ac sanctum Pascha celebrauerat, prima veris temperie mouens, *Compendium* venit. Et cum inde peracto, propter quod venerat, negotio reuerteretur, occurrit ei *Hildebrandus* Dux Spoletanus cum magnis muneribus in villa Wirciniaco: quem benignissime recepit, & muneribus donatum in Ducatum suum remisit. Ipse animo ad Saxonicam expeditionem intento, *Duriam* venit; habitoque iuxta morem generali conuentu, Rhenum traiecit, & vsque ad Lippiam cum exercitu peruenit. Cui cum Saxones in quodam loco, qui * *Bucholt* vocatur, vana spe ducti, resistere tentarent, pulsi fugatique sunt. Rex Westfalorum regionem ingressus, omnes eos in deditionem accepit. Inde ad Wiseram veniens, castris positis in loco, nomine * *Medufulli*, statiua per aliquot dies habuit. Ibi Angeri & Ostfali venientes & obsides dederunt, & sacramenta iurauerunt. Quibus peractis Rex trans Rhenum ad *VVormatiam* ciuitatem in hiberna se recepit.

* al. *Bunnecolt*

* al. *Midufulli* & *Medufulli*

DCCLXXX

INde cum primum temporis opportunitas * adesse visa est, iterum cum magno exercitu in Saxoniam profectus est: transiensque per arcem *Eresburgum* ad fontem *Lippiæ* venit, vbi castra metatus per aliquot dies moratus est. Inde ad Orientem itinere conuerso, ad * *Obacrum* fluuium accessit. Cui cum ibi omnium orientalium partium Saxones vt iusserat conuenissent, maxima eorum multitudo in loco, qui * *Horheim* appellatur, solita simulatione baptizata est. Profectus inde ad *Albiam*, castrisque in eo loco, vbi * *Hora* & *Albia* confluunt, ad habenda statiua collocatis, tam ad res Saxonum, qui exteriorem, quam & Sclauorum, qui vlteriorem fluminis ripam incolunt, componendas operam impendit. Quibus tunc pro tempore ordinatis atque dispositis, in Franciam reuersus est. Initoque consilio orandi ac vota soluendi causa Romam statuit proficisci. Sumptisque secum uxore ac liberis sine mora in Italiam profectus est. Celebrauitque natalem Domini *Ticini*, atque ibi residuum hiemis mansit.

* al. *arridere*

* al. *Ouacrum*

* al. *Orheim*

* al. *Ora*

DCCLXXXI

INde *Romam* veniens, honorifice ab *Adriano* Papa susceptus est. Et cum ibi sanctum Pascha celebraret, baptizauit idem Pontifex filium eius *Pipinum*, vnxitque in Regem. Vnxit etiam & *Ludouicum* fratrem eius, quibus & coronam imposuit. Quorum maior, id est, *Pipinus* in Langobardia, minor vero in Aquitania Rex constitutus est. Rege vero Roma digresso ac *Mediolanum* veniente, *Thomas* eiusdem urbis Episcopus baptizauit ibi filiam eius *Gislam*, & de sacro fonte suscepit; quibus gestis in Franciam reuersus est. Sed cum Romæ esset, conuenit inter ipsum atque *Adrianum* Pontificem, vt simul legatos mitterent ad *Tassilonem* Ducem Baioariæ, qui eum commonerent de sacramento, quod *Pipino* Regi & filiis eius ac Francis iurauerat; scilicet vt eis subiectus esset ac obediens. Electi ac directi sunt in hanc legationem de parte Pontificis *Formosus* ac *Damasus* Episcopi, & de parte Regis *Richolfus* Diaconus, atque *Eberhardus*, Magister pincernarum. Qui cum, vt iussi erant, commemorato Duci locuti fuissent, in tantum cor eius emollitum est, vt diceret, se statim velle ad Regis properare præsen-

præſentiam, ſi ſibi tales darentur obſides, ſub quibus de ſua ſalute dubitare nulla ſit neceſſitas. Quibus datis, ſine cunctatione apud *Wormatiam* ad Regem venit, Sacramentum, quod iubebatur, iurauit, obſides XII, qui imperabantur, ſine mora dedit; quos *Suidbertus* Reginenſis Epiſcopus de Baioaria in *Cariſiaco* ad conſpectum Regis adduxit. Sed idem Dux domum reuerſus, non diu in ea, quam promiſerat, fide permanſit. Rex autem in eadem villa hiemem tranſigens, & natalem Domini & Paſcha celebrauit.

DCCLXXXII

AEſtatis initio cum iam propter pabuli copiam exercitus duci poterat, in Saxoniam eundum, & ibi, vt in Francia quotannis ſolebat, generalem conuentum habendum cenſuit; traiectoque apud *Coloniam* Rheno, cum omni Francorum exercitu ad fontem *Lippiæ* venit: & caſtris ibi poſitis, per dies non paucos ibidem moratus eſt. Vbi inter cetera negotia & legatos *Sigefridi* Regis Danorum, & quos ad ſe *Caganus* & *Iugurrus*, Principes Hunorum, velut pacis cauſa miſerunt, & audiuit & ſoluit. Cumque conuentu completo trans Rhenum in Galliam ſe recepiſſet, *Witikindus*, qui ad Nordmannos profugerat, in patriam reuerſus, vanis ſpebus animos Saxonum ad defectionem concitauit. Interea Regi allatum eſt, quod Sorabi Sclaui, qui campos inter Albim & Salam interiacentes incolunt, in fines *Turingorum ac Saxonum, qui eis erant contermini, prædandi cauſa fuiſſent ingreſſi, & direptionibus atque incendiis quædam loca vaſtaſſent. Qui ſtatim accitis ad ſe tribus miniſtris ſuis, *Adalgiſo* *Cubiculario, *Geilone* Comite ſtabuli, & **Vuorado* Comite palatii, præcepit, vt ſumptis ſecum orientalibus Francis atque Saxonibus, contumacium Sclauorum audaciam quam celerrime comprimerent. Qui cum iuſſa facturi Saxoniæ fines ingreſſi fuiſſent, comperrerunt Saxones ex conſilio *Witikindi* ad bellum Francis inferendum eſſe paratos: omiſſoque itinere, quo ad Sclauos ituri erant, cum orientalium Francorum copiis, ad locum, in quo audierant Saxones congregatos, ire contendunt. Quibus in ipſa Saxonia obuiauit **Thederichus*, propinquus Regis, cum iis copiis, quas audita Saxonum defectione raptim in Ripuaria congregare potuit. Is feſtinantibus legatis conſilium dedit, vt primo per exploratores, vbi Saxones eſſent, vel quid apud eos ageretur, quanta poſſent celeritate cognoſcerent; tum ſi loci qualitas pateretur, ſimul eos adorirentur. Cuius conſilio collaudato, vna cum illo uſque ad montem, qui **Sontal* appellatur, in cuius ſeptentrionali latere Saxonum caſtra erant poſita, peruenerunt. In quo loco cum **Thederichus* caſtra poſuiſſet, ipſi, ſicut cum eo conuenerant, quo facilius montem circuire poſſent, transgreſſi *Wiſiram*, in ipſa fluminis ripa caſtra poſuerunt; habitoque inter ſe colloquio veriti ſunt, ne ad nomen **Thederichi* victoriæ fama tranſiret, ſi eum in eodem prœlio ſecum haberent: ideoque ſine eo cum Saxonibus congredi decernunt: ſumptiſque armis, non quaſi ad hoſtem in acie ſtantem, ſed quaſi ad *fugientem contendunt; terga inſequi, ſpoliaque diripere, prout quemquam velocitas equi ſui tulerat, qua Saxones in acie pro caſtris ſtabant, vnuſquiſque eorum ſumma feſtinatione adoriuntur. Quo cum eſſet peruentum, male etiam pugnatum eſt. Nam commiſſo prœlio circumuenti a Saxonibus, pæne omnes interfecti ſunt. Qui tamen euadere potuerunt, non in ſua, vnde profecti, ſed in **Thederichi* caſtra, quæ trans montem erant, fugiendo peruenerunt. Sed maior Francis quam pro numero iactura fuit; quia legatorum duo, *Adalgiſus* & *Geilo*, Comitum quatuor, aliorumque clarorum atque nobilium uſque ad XX interfecti, præter ceteros, qui hos ſecuti potius cum eis perire, quam poſt eos viuere maluerunt. Cuius rei nuntium cum Rex ſuſcepiſſet, nihil ſibi cunctandum arbitratus, collecto feſtinanter exercitu in Saxoniam proficiſcitur; accitiſque ad ſe cunctis Saxonum primoribus, de auctoribus factæ defectionis inquiſiuit. *Et cum* omnes *Witikindum* huius ſceleris auctorem proclamarent, ipſum tamen tradere nequirent, eo, quod re perpetrata ad Nordmannos ſe contulerat, ceterorum, qui perſuaſioni eius morem gerentes, tantum *facinus pere*[illegible]*bat*, uſque ad MMMMD

* Euringorum

* al. Camerario

* f. VVelrado

* al. Theodericus

* al. Suhtal

* al. Theodericus

* al. Theoderici

* al. fugientium terga inſequenda, ſpoliaque diripienda

* al. Theoderici

MMMMD traditi, & super *Alaram* fluuium in loco, qui *Ferdi* vocatur, iussu Regis omnes vna die decollati sunt. Huiusmodi vindicta perpetrata, Rex *Theodonis* villam in hiberna concessit; ibique & natalem Domini & Pascha more solito celebrauit.

DCCLXXXIII

ARridente veris temperie, cum ad expeditionem Saxonicam se præparasset, nam de omnimoda eorum defectione perlatum fuerat, priusquam de memorata villa se moueret, *Hildegardis* Regina, vxor eius, decessit * pridie Kalend. Maii. Cuius funeri cum more solenni iusta persoluisset, in Saxoniam, sicut disposuerat, duxit. Cumque Saxones in eo loco, qui * *Thietmelle* vocatur, ad pugnam se præparare cognouisset, ad eos summa celeritate contendit, commissoque cum eis prœlio, tanta eos cæde prostrauit, vt de innumerabili eorum multitudine perpauci euasisse dicantur. Cumque de loco prœlii * *Padrabrunnam* se cum exercitu recepisset, atque ibi castris positis partem exercitus, quæ adhuc de Francia venire debuerat, operiretur, audiuit Saxones in finibus Westfalorum super fluuium *Hasam* ad hoc congregari, vt ibi cum eo, si venisset, acie confligerent. Quo nuntio commotus, adunatis, quæ tum ad se venerant, quasque ante secum habebat, Francorum copiis, ad locum, vbi congregati erant, sine dilatione profectus est; congressusque cum eis eadem qua & prius felicitate dimicauit. Cæsa est eorum infinita multitudo, spoliaque direpta: captiuorum quoque magnus abductus est numerus. Inde victor ad Orientem conuertit, primoque vsque ad *Wisuram*, deinde vsque ad *Albim* cuncta deuastando peragrauit. Inde reuersus in Franciam, duxit vxorem filiam *Radolfi* Comitis, natione Francam, nomine *Fastradam*, ex qua duas filias procreauit. Eodem anno defuncta est bonæ memoriæ mater Regis *Berthrada* IV Id. Iul. Ipse in *Haristallio* villa, ibidem hiematurus, consedit, ibique natalem Domini ac sanctum Pascha celebrauit.

* al. II Kal.

* al. Tetmelli

* vet. Paderbornam al. Paderbrunnam

DCCLXXXIV

CVm primum opportunitas temporis aduenit, ad reliquias belli Saxonici conficiendas Rex animo intento, cum exercitu in loco, qui * *Lippeheim* vocatur, Rhenum traiecit, & vastatis Westfalorum pagis, venit ad Wisiram. Cumque in eo loco, qui *Huculbi* dicitur, castris super fluuium positis consedisset, vidit se in aquilonares Saxoniæ partes, sicut statuerat, propter nimias aquarum inundationes, quæ * tam subito ex iugitate pluuiarum acciderant, transire non posse. Idcirco iter in Thuringiam conuertit, & filium suum *Karolum* cum parte exercitus in Westfalorum finibus subsistere iussit. Ipse per Thuringiam iter faciens, venit in campestria Saxoniæ, quæ Albi atque Salæ fluminibus adiacent; depopulatisque orientalium Saxonum agris, ac villis incensis, de *Schaninge* in Franciam regressus est. *Karolus* vero filius eius, cum ei iter agenti in pago *Draigni* iuxta *Lippiam* fluuium occurrisset exercitus, commisso cum eis equestri prœlio, felici ac prospero dimicauit euentu. Nam magno eorum numero interfecto, exteris in diuersa fugatis, victor ad patrem Wormatiam reuersus est. Rex autem congregato iterum exercitu, in Saxoniam profectus est; celebratoque in castris natalitio Domini die, super Ambram fluuium, in pago * *Huettagoe*, iuxta castrum Saxonum, quod * *Dekidroburg* ad locum *Rimi*, in qua *Wisira* & † *Vagarna* confluunt, populabundus accessit. Cumque eum vlterius progredi tam hiemalis temporis asperitas, quam aquarum inundatio prohiberet, *Eresburgum* arcem in hiberna concessit.

* al. Lippeam

* al. tum

* al. Huettagoe

* al. Skidroburg

† al. Waberna

DCCLXXXV

CVm ibi hiemare decreuisset, accitis atque adductis ad se vxore & liberis, reductoque cum eis in eadem arce satis fido ac firmo præsidio, ipse cum expedita manu ad Saxonum pagos vastandos ac villas diripiendas egressus, inquietam

quietam satis hiemem vbique discurrendo, & cuncta cædibus atque incendiis permiscendo, tam per se ipsum quam per duces, quos miserat, Saxonibus reddidit. Cumque huiusmodi vastationibus per totum hiberni temporis spatium omnes fere Saxonum regiones ingenti clade affecisset, transacta tandem hieme, & aduectis ex Francia commeatibus, publicum populi sui conuentum in loco, qui * *Padrabrunna* vocatur, more solenni habuit. Ac peractis iis, quæ ad illius conuentus rationem pertinebant, in pagum nomine *Bardengaw* proficiscitur; ibique audiens *Witikindum* & *Albionem* esse in transalbina Saxonum regione, primo eis per Saxones, vt omissa perfidia ad suam fidem venire non ambigerent, suadere cœpit. Cumque ipsi, facinorum suorum conscii, Regis fidei se committere dubitarent, tandem accepta ab eo, quam optabant, impunitatis sponsione, atque impetratis, quos sibi dari precabantur, suæ salutis obsidibus, quos eis *Amaluuinus*, vnus aulicorum a Rege missus, adduxerat, cum eodem ad eius præsentiam in *Attiniaco* villa venerunt, atque ibi baptisati sunt. Nam Rex, postquam ad eos accersendos memoratum *Amaluuinum* direxit, in Franciam reuersus est; quieuitque illa Saxonicæ perfidiæ peruicacitas per annos aliquot, ob hoc maxime, quoniam occasiones deficiendi ad rem pertinentes inuenire non potuerunt. Facta est eodem anno trans Rhenum apud orientales Francos aduersus Regem immodica coniuratio, cuius auctorem * *Hartradum* Comitem fuisse constabat. Sed huius indicium cito ad Regem delatum est, eiusque solertia tam valida conspiratio citra vllum grande periculum in breui conquieuit, auctoribus eius partim priuatione luminum, partim exsilii pœna condemnatis.

* al. *Paderbrunna*

* al. *Hardradum*

DCCLXXXVI

CVm & hiemis tempus expletum, & sanctum Pascha in *Attiniaco* villa fuisset a Rege celebratum, exercitum in Britanniam cismarinam mittere constituit. Nam cum ab Anglis ac Saxonibus Britannia insula fuisset * inuasa, magna pars incolarum eius mare traiiciens in vltimis Galliæ finibus Venetorum & Coriosolitarum regiones occupauit. Is populus a Regibus Francorum subactus ac tributarius factus impositum sibi vectigal, licet inuitus, soluere solebat. Cumque eo tempore dicto audiens non esset, missus illuc regiæ mensæ Præpositus *Audulfus* perfidæ gentis contumaciam mira celeritate compressit, Regique apud *Wormatiam* & obsides, quos acceperat, & complures ex populi primoribus adduxit. Rex pace vndique parta, statuit Romam proficisci, & partem Italiæ, * in qua *Beneuentum* situm est, aggredi conueniens esse arbitratus, vt illius regni residuam portionem suæ potestati subiiceret, cuius caput, capto *Desiderio* Rege, maioremque partem in Langobardia iam subacta tenebat. Nec diu moratus, sed contractis celeriter Francorum copiis, in ipsa hiemalis temporis asperitate, Italiam ingreditur. Cumque in *Florentia*, Tuscorum ciuitate, natalem Domini celebrasset, cum maxima celeritate Romam ire contendit. Quo cum venisset, ac de profectione sua in *Beneuentum*, tam cum *Adriano* Pontifice, quam cum suis optimatibus deliberasset, *Aragisus* Dux Beneuentanorum, audito eius aduentu, compertaque in terram suam intrandi voluntate, propositum eius auertere conatus est. Misso enim * *Rumoaldo* maiore filio suo cum muneribus ad Regem, rogare cœpit, ne terram Beneuentanorum intraret. Sed ille longe aliter de rebus inchoatis faciendum sibi iudicans, retento secum *Rumoaldo*, cum omni exercitu suo *Capuam* ciuitatem Campaniæ accessit, inde bellum aggressurus, ni memoratus Dux propositum Regis salubri consilio præuenisset. Nam relicta Beneuento, quæ caput illius terræ habetur, in *Salernum* maritimam ciuitatem, velut munitiorem, se cum suis contulit; missaque legatione vtrosque filios suos Regi obtulit, promittens, se ad omnia, quæ imperarentur, libenter obediturum. Cuius precibus Rex annuens, diuini etiam timoris respectu bello abstinuit, & minore Ducis filio, nomine *Grimoaldo*, obsidis loco suscepto, maiorem patri remisit. Accepit insuper a populo obsides vndecim; misitque legatos, qui ipsum Ducem & omnem Beneuentanum populum per sacramenta obstringerent. Ipse posthæc cum legatis

* al. *inuecta*

* al. *qua Beneuentus vocatur*, quam lectionem subsequentia confirmant.

* al. *Rumoldo*

gatis *Constantini* Imperatoris, qui ad petendam filiam suam ad se missi fuerant, locutus est: atque illis dimissis Romam reuersus, sanctum Pascha magna cum hilaritate celebrauit.

DCCLXXXVII

CVm adhuc Rex Romæ esset, *Tassilo* Dux Baioariorum misit legatos suos, *Arnum* videlicet Episcopum, & * *Hunrichum* Abbatem ad *Adrianum* Papam, petens, vt inter Regem & illum mediator pacis fieri dignaretur. Nec Pontifex precibus eius censuit abnuendum, sed sedula admodum instantia apud Regem intercedere curauit, vt inter eos pax & concordia ex sua Apostolicæ auctoritatis admonitione atque interuentu prouenirer. Cui cum Rex idem se magnopere velle respondisset, simulque a legatis memorati Ducis inquireret, quando huius pacis firmitatem facere deberent? responderunt, sibi hac de re nihil esse commissum, nec se de hoc negotio aliud facturos, quam vt responsa Regis atque Pontificis Domino suo reportarent. Quorum verbis Papa commotus velut fallaces ac fraudulentos anathematis gladio statuit feriendos, si ab olim Regi promissa fide discederent; atque ita infecto pacis negotio reuersi sunt. Rex autem adoratis Sanctorum liminibus, votisque solutis Apostolica benedictione percepta, in Franciam reuersus est: Et cum vxorem suam *Fastradam*, filiosque ac filias, & omnem comitatum, quem apud eos dimiserat, Wormatiæ inuenisset, generalem populi sui conuentum ibi habere statuit. In quo cum omnia, quæ in Italia gesserat, coram Optimatibus suis narrando commemorasset, & ad extremum de legatis *Tassilonis*, qui ad se Romæ venerant, mentio facta fuisset, iniuit consilium, vt experiretur, quid *Tassilo* de promissa fide præstare vellet; congregatoque ingenti exercitu, atque in tres partes diuiso, Baioariam atque ipsum *Tassilonem* petere constituit. Cumque *Pipinum* filium cum Italicis copiis in Tridentinam vallem venire iussisset, orientales quoque Franci ac Saxones, vt iussi fuerant, ad Danubium in loco, qui *Pferinga* vocatur, accessissent, ipse cum exercitu, quem secum duxerat, super *Lechum* fluuium, qui Alemannos & Baioarios diuidit, in *Augustæ* ciuitatis suburbano consedit. Inde Baioariam cum tam valida manu procul dubio petiturus, nisi *Tassilo* sibi ac populo suo ad Regem veniendo consuleret. Nam videns se vndique circumsessum, venit supplex ac veniam de ante gestis sibi dari precatus est. Sed & Rex sicut erat natura mitissimus, supplici ac deprecanti pepercit, acceptisque ab eo, præter filium eius *Theodonem*, aliis XII obsidibus, & populo terræ per sacramenta firmato, in Franciam reuersus est: & in suburbano Moguntiacensi, in villa, quæ vocatur *Ingelheim*, quia ibi hiemauerat, & natalem Domini & Pascha celebrauit.

* al. *Heinricum*

DCCLXXXVIII

CVm in eadem villa generalem populi sui Rex fieri decreuisset conuentum, ac *Tassilonem* Ducem sicut & ceteros Vassos suos in eodem adesse iussisset, atque ille, vt ei fuerat imperatum, ad Regis præsentiam peruenisset, crimine læsæ maiestatis a Baioariis accusatus est. Obiiciebant ei, quod postquam filium suum obsidem Regi dederat, suadente coniuge sua *Luitburga*, quæ filia *Desiderii* Regis Langobardorum fuit, & post patris exilium Francis inimicissima semper extitit, in aduersitatem Regis; & vt bellum contra Francos susciperent, Hunorum gentem concitaret: quod verum fuisse rerum in eodem anno gestarum probauit euentus. Obiiciebantur ei & alia complura & dicta & facta, quæ non nisi ab inimico & irato vel fieri vel proferri poterant, quorum ne vnum quidem inficiari cœpit. Sed noxæ conuictus, vno omnium assensu, vt læsæ maiestatis reus, capitali sententia damnatus est. Sed clementia Regis, licet morti addictum, liberare curauit. Nam mutato habitu in monasterium missus est; *a*) vbi tam religiose vixit, quam libens intrauit. Similiter & *Theodo* filius eius tonsus, & monasticæ conuersationi mancipatus est. Boiarii quoque, qui perfidiæ ac fraudis eorum conscii & consen-

consentanei fuisse perhibebantur, exilio per diuersa loca relegabantur. Huni vero, sicut *Tassiloni* promiserant, duobus exercitibus comparatis, vno * *Marchiam Foroiuliensem*, altero *Baioariam* aggressi sunt, sed frustra. Nam in vtroque loco victi fugatique sunt, & multis suorum amissis cum magno damno ad loca sua se receperunt. Quam iniuriam velut vindicaturi Baioariam iterum maioribus copiis petierunt; sed in primo congressu pulsi a Baioariis, & innumera multitudo eorum cæsa, multi etiam ex iis, qui per fugam euadere conati, Danubium tranare voluerunt, gurgitibus fluminis absorpti sunt. Interea *Constantinus* Imperator propter negatam sibi Regis filiam iratus, *Theodorum* Patricium Siciliæ Præfectum cum aliis Ducibus suis fines Beneuentanorum vastare iussit. Qui cum imperata exequerentur, *Grimoaldus*, qui eodem anno post mortem patris Dux Beneuentanis a Rege datus est, & *Hildebrandus* Dux Spoletanorum cum copiis, quas congregare potuerunt, in Calabria eis occurrerunt, habentes secum legatum Regis *Winigisum*, qui postea in Ducatu Spoletano *Hildebrando* successit. Commissoque prœlio immodicam ex eis multitudinem ceciderunt, ac sine suo suorumque graui dispendio victores facti, magnum captiuorum ac spoliorum numerum in sua castra retulerunt. Rex autem in Baioariam profectus, eandem prouinciam cum suis terminis ordinauit atque disposuit. Atque inde regressus, in Aquis Grano palatio suo, vbi hiemauerat, & diem natalium, sanctumque Pascha more solenni celebrauit.

* al. *Marcam*

a) In monasterium Loricense, in Palatinatu situm, vbi adhuc eius sepulcrum videtur, detrusus est.

DCCLXXXIX

NAtio quædam Sclauonorum est in Germania, sedens super littus oceani, qui propria lingua *Welatabi*, Francica autem * *Wilsi* vocantur. Ea Francis semper inimica & vicinos suos, qui Francis vel subiecti vel fœderati erant, odiis insectari, belloque premere & lacessere solebat. Cuius insolentiam Rex longius sibi non ferendam ratus, bello eam aggredi statuit, comparatoque ingenti exercitu Rhenum apud *Coloniam* traiecit: inde per Saxoniam iter agens, cum ad *Albiam* peruenisset, castris in ripa positis amnem duobus pontibus iunxit: quorum vnum ex vtroque capite vallo muniuit, & imposito præsidio firmauit. Ipse fluuio transito, quo constituerat exercitum duxit, ingressusque * *Wilsorum* terram, cuncta ferro & igne vastari iussit. Sed gens illa, quamuis bellicosa, in sua numerositate confidens, impetum exercitus regii diu sustinere non valuit: ac proinde cum primum in ciuitatem *Dragawiti* ventum est, *Wiltzam*, nam is ceteris *Wiltzorum* regulis & nobilitate generis & auctoritate senectutis præeminebat, extemplo cum omnibus suis ad Regem de ciuitate processit: obsides, qui imperabantur, dedit: fidem se Regi ac Francis seruaturum iure iurando promisit: quem ceteri Sclauorum primores ac reguli secuti, omnes se Regis ditioni subdiderunt. Tum ille subacto illo populo & obsidibus, quos dare iusserat, acceptis, eadem via, qua venerat, ad Albiam regressus est: & exercitu per pontem reducto, rebus quoque ad Saxones pertinentibus secundum tempus dispositis, in Franciam reuersus est. Et in *Wormatia* ciuitate & natalem Domini & Pascha celebrauit.

* al. *Wilzi*

* al. *Wilzorum*

DCCXC

HOc anno nulla expeditio a Rege facta est, sed in *Wormatia* residens legatos Hunorum & audiuit, & suos vicissim ad eorum Principes misit. Agebatur de confiniis inter eos regnorum suorum, quibus in locis esse deberent. Hæc contentio atque altercatio belli, quod postea cum Hunis gestum est, seminarium & origo fuit. Rex autem, ne quasi per otium torpere ac tempus terere videretur, per *Mœnum* fluuium ad *Salz* palatium suum in Germania iuxta *Salam* fluuium constructum nauigauit, atque inde iterum per eundem amnem secunda aqua in *Wormatiam* reuersus est. Cumque

Cumque ibi hiemaret, ipsum palatium, in quo conuersabatur, casu accidente nocturno incendio concrematum est. Ibi tamen permanens, natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCI

TRansacto vere circa æstatis initium Rex de *Wormatia* mouens, Baioariam profectus est, ea meditatione, vt Hunis factorum suorum vicem redderet, & eis, quamprimum posset, bellum inferret. Comparatis igitur ad hoc ex omni regno suo quam validissimis copiis & commeatibus, bipartito exercitu iter agere cœpit. Cuius partem *Thedericho* Comiti & *Meginfrido* * Cubiculario suo committens, eos per aquilonarem Danubii ripam iter agere iussit: ipse cum parte, quam secum retinuit, australem eiusdem fluminis ripam Pannoniam petiturus occupauit: Baioariis cum commeatibus exercitus, qui nauibus deuehebantur per Danubium, secunda aqua descendere iussis; ac sic inchoato itinere, prima castra super *Anesum* posita sunt: nam is fluuius inter Baioariorum atque Hunorum terminos medius currens, certus duorum regnorum limes habebatur. Ibi supplicatio per triduum facta, vt id bellum prosperos ac felices haberet euentus. Tum demum castra mota, & bellum genti Hunorum a Francis indictum est. Pulsis igitur Hunorum præsidiis, ac destructis munitionibus, quarum vna super *Cambum* fluuium, altera iuxta *Comagenos* ciuitatem in montem *Cumeberg*, vallo firmissimo erat exstructa, ferro & igne cuncta vastantur. Cumque Rex cum eo, quem ducebat, exercitu usque *Arrabonis* fluenta venisset, transmisso eodem fluuio per ripam eius usque ad locum, quo is Danubio miscetur, accessit; ibique statiuis per aliquot dies habitis, per Baioariam reuerti statuit. Alias vero copias, quibus *Thederichum* & *Meginfridum* præfecerat, per Behemannos via, qua venerant, reuerti præcepit. Sic peragrata ac deuastata magna parte Pannoniæ, cum incolumi exercitu Francorum in Baioariam se recepit. Saxones autem & Frisones cum *Thedericho* & *Meginfrido* per Behemannos, vt iussum erat, domum regressi sunt. Facta est autem hæc expeditio sine omni rerum incommodo, præter quod illo, quem Rex ducebat, exercitu tanta equorum lues exorta est, vt vix decima pars de tot millibus equorum remansisse dicatur. Ipse autem cum dimissis copiis *Reginum* ciuitatem, quæ nunc *Reganesburg* vocatur, venisset, & in ea hiematurus consedisset, ibi natalem Domini & Pascha celebrauit.

* al. Camerario

DCCXCII

ORgellis est ciuitas in Pyrenei montis iugo sita, cuius Episcopus nomine *Felix*, natione Hispanus, ab *Elipando* Toleti Episopo per litteras consultus, quid de humanitate Saluatoris Dei & Domini nostri Iesu Christi sentire deberet, vtrum secundum id, quod homo est, proprius an adoptiuus Dei filius credendus esset ac dicendus? valde incaute atque inconsiderate & contra antiquam Catholicæ ecclesiæ doctrinam adoptiuum non solum pronuntiauit, sed etiam scriptis ad memoratum Episcopum libris pertinacissime prauitatem opinionis suæ defendere curauit. Huius rei causa ductus ad palatium Regis, qui tunc apud *Reginum* Baioariæ ciuitatem, in qua & hiemauerat, residebat. Vbi congregato Episcoporum concilio auditus est; & errasse conuictus, ad præsentiam *Adriani* Pontificis Romam missus: vbi etiam coram ipso in basilica beati *Petri* Apostoli hæresim confessus est atque abdicauit: quo facto ad ciuitatem suam reuersus est. Rege vero ibidem æstatem agente, facta est contra eum coniuratio a filio suo maiore, nomine *Pipino*, & quibusdam Francis, qui se crudelitatem *Fastradæ* Reginæ ferre non posse asseuerabant; atque ideo in necem Regis conspirauerant. Quæ cum per *Ardulfum* Langobardum detecta fuisset, ipse ob meritum fidei seruatæ monasterio

S. Dio-

S. Dionysii donatus est: auctores vero coniurationis, vt rei læsæ maiestatis, partim gladio cæsi, partim patibulis suspensi, ob meditatum scelus tali morte multati sunt. Rex autem propter bellum cum Hunis susceptum in Baioaria sedens, pontem naualem, quo in Danubio ad id bellum vteretur, ædificauit, ibique natalem Domini & sanctum Pascha celebrauit.

DCCXCIII

CVm Rex bellum a se inchoatum conficere cuperet, & Pannoniam iterum petere decreuisset, nuntiatum est, copias, quas *Thedericlnus* Comes per Frisiam ducebat, in pago * *Rhiustri* iuxta *Wisram* a Saxonibus esse intercepcas atque deletas. Cuius rei nuntio accepto, magnitudinem damni dissimulans, iter Pannoniam intermisit. Persuasum tunc Regi erat, si inter *Radantiam* & *Almonum* fluuios fossa nauium capax duceretur, posse commode e Danubio in Rhenum nauigari, quod alter Danubio, alter Rheno miscetur: confestim cum omni comitatu suo eo venit, congregataque hominum multitudine totum autumni tempus in eo opere consumsit. Ducta est fossa inter prædictos fluuios duum millium passuum longitudine, latitudine ccc pedum; sed incassum. Nam propter iuges pluuias, & terram, quæ palustris erat, nimio humore suapte natura imbutam, cœptum opus consistere non potuit: sed quantum interdiu terræ a fossoribus fuerat egestum, tantum noctibus humo iterum in suum locum relabente subsidebat. In hoc opere occupato duo valde displicentia de diuersis terrarum partibus allata sunt. Vnum erat Saxonum omnimoda defectio: alterum, quod Saraceni *Septimaniam* ingressi, prœlioque cum illius limitis custodibus atque Comitibus conserto, multis Francorum interfectis, victores ad sua regressi sunt. Quibus rebus commotus, in Franciam reuersus est: celebrauitque natalem Domini apud sanctum *Kilianum* in *Wirtziburgo* iuxta *Mœnum* fluuium: paschalis vero festi solennitatem super eundem fluuium in villa *Franconofurt*, in qua & hiemauerat.

* al. *Rustri*

DCCXCIV

REx ad condemnandam hæresin Felicianam æstatis initio, quando & generalem populi sui conuentum habuit, concilium Episcoporum ex omnibus regni sui prouinciis in eadem villa congregauit. Affuerunt etiam in eadem synodo legati * Romani Pontificis *Theophylactus* ac *Stephanus* Episcopi, vicem tenentes eius, a quo missi fuerant, *Adriani* Papæ. In quo concilio & hæresis memorata condemnata est, & liber contra eam communi Episcoporum auctoritate compositus: in quo omnes subscripserunt. Synodus etiam, quæ ante paucos annos in Constantinopoli sub *Irene* & *Constantino* filio eius congregata, & ab ipsis non solum septima, verum etiam vniuersalis erat appellata, vt nec septima nec vniuersalis haberetur, diceretur ue, quasi superuacua in totum ab omnibus abdicata est. Mortua est ibi *Fastrada* Regina, & Moguntiaci apud *S. Albanum* sepulta. Quibus peractis, Rex bipertito exercitu Saxoniam petere statuit, eo videlicet modo, vt ipse cum dimidia parte copiarum ab australi parte intraret, *Karolus* vero filius eius cum alia medietate Rhenum apud Coloniam traiiceret, & in eandem regionem ab occidente veniret. Quo facto, licet Saxones in campo, qui *Sintfelt* vocatur, quasi prœlium cum Rege commissuri consedissent, ibique aduentum eius operirentur, amissa victoriæ spe, quam sibi paulo ante falso pollicebantur, ad deditionem omnes conuersi sunt: victique sine prœlio Regis victoris potestati se subdiderunt. Dederunt igitur obsides, & iureiurando fidem se Regi velle seruare promiserunt. Sic omisso prœlio & Saxones domum reuersi sunt, & Rex transmisso Rheno in Galliam se recepit. Et cum *Aquas Grani* venisset, ibidem hibernis habitis, & natalem Domini & Pascha celebrauit.

* al. *ecclesiæ Romanæ*

DCCXCV

DCCXCV

QVamquam Saxones æstate præterita & obsides dedissent, & secundum quod iussi erant, sacramenta iurassent, Rex tamen illorum perfidiæ non immemor, conuentum generalem trans Rhenum in villa *Cuffenstein*, quæ super Mœnum contra Moguntiacum vrbem sita est, more solenni habuit, atque inde cum exercitu Saxoniam ingressus, pæne totam populando peragrauit. Cumque in pagum *Bardengau* peruenisset, & iuxta locum, qui *Bardenwig* vocatur, positis castris, Sclauorum, quos ad se venire iusserat, expectaret aduentum: subito ei nuntiatum est, *Wiltzam* Regem Abotritorum, cum Albim traiiceret, in dispositas a Saxonibus insidias in ipso flumine incidisse, & ab eis esse interfectum. Quod factum animo Regis, ad Saxones citius debellandos, velut quosdam stimulos addidit, & in odium perfidæ gentis amplius excitauit. Terra igitur magna parte vastata, & obsidibus, quos dare iusserat, acceptis, in Franciam reuersus est. In hac expeditione dum castra super Albim haberet, venerunt ad eum legati de Pannonia, vnus ex primoribus Hunorum, qui apud suos vocabatur *Thudun*, & is & suum aduentum & se Christianum fieri velle, promisit. Rex autem *Aquas Grani* veniens, sicut & anno priori ibi temporibus suis & natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCVI

ROmæ *Adriano* defuncto, *Leo* Pontificatum suscepit. Et mox per legatos suos claues confessionis sancti *Petri*, ac vexillum Romanæ vrbis cum aliis muneribus Regi misit, rogauitque, vt aliquem de suis Optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subiectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc *Engilbertus*, Abbas monasterii *S. Richarii*; per quem etiam tunc ad *S. Petrum* magnam partem thesauri, quem *Erichus* Dux Foroiuliensis spoliata Hunorum regia, quæ *Ringus* vocabatur, eodem anno de Pannonia Regi detulerat, misit: reliquum vero inter optimates & aulicos, ceterosque in palatio suo militantes liberali manu distribuit. Atque iis expletis, ipse cum exercitu Francorum Saxoniam petiit: *Pipinum* vero filium suum cum Italicis ac Baioaricis copiis in Pannoniam ire iussit. Et ipse quidem Saxonia magna ex parte vastata, ad hiemandum *Aquas Grani* palatium reuertitur. *Pipinus* autem Hunis trans *Tizam* fluuium fugatis, eorumque regia, quæ vt dictum est *Ringus*, a Langobardis autem *Campus* vocatur, ex tota destructa, direptis pæne omnibus Hunorum opibus ad patrem, *Aquis Grani* hiberna habentem, venit, ac spolia regni, quæ secum detulit, eidem præsentauit. *Thudun* etiam, de quo superius mentio facta est, fidem dictis suis adhibens, ibidem ad Regem venit, ibique cum omnibus, qui secum venerant, baptizatus & remuneratus est. Post datum fidei seruandæ sacramentum domum rediit, sed in promissa fide diu manere noluit, nec multo post perfidiæ suæ pœnas dedit. Rex, vt dictum est, in hibernis considens, ibi & natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCVII

BArcinona ciuitas in littore Hispanico sita, quæ alternante rerum euentu, nunc Francorum nunc Saracenorum ditioni subiiciebatur, tandem per *Zatum* Saracenorum, qui tunc eam inuaserat, Regi reddita est. Nam is æstatis initio *Aquas Grani* ad Regem venit, seque cum memorata ciuitate spontanea deditione illius potestati submisit. Qua recepta Rex filium suum *Ludouicum* ad obsidionem *Oscæ* cum exercitu in Hispaniam misit, & ipse more solito, ad contundendam perfidæ gentis contumaciam, Saxoniam vastaturus intrauit. Nec prius destitit, quam omnes terminos eius peragrasset. Nam vsque ad vltimos fines eius, qua inter Albim & Wisiram oceano abluitur, accessit. Inde regressus, cum *Aquas Grani* venisset, ibique *Abdellam* Saracenum, filium * *Ibinmauge* Regis de Mauritania, ad se venientem suscepisset, legatumque

* Abenmauge

Nicetæ

Nicetæ Patricii, qui tunc Siciliam procurabat, nomine *Theodistum*, litteras Imperatoris de *Constantinopoli* missas deferentem, audisset, consilium iniit, vt ad conficiendum Saxonicum bellum in ipsa regione hiemaret. Sumto igitur comitatu suo, Saxoniam petiit, castrisque super Wisiram positis consedit, & locum castrorum *Heristelli* vocari iussit. Qui locus ab incolis vsque in præsens ita nominatur. Exercitum vero, quem secum adduxit, per totam Saxoniam in hiberna diuisit. Illuc *Pipinum* de Italica, & *Ludouicum* de Hispanica expeditione regressos, ad se venire iussit. Ibi legatos Hunorum cum magnis muneribus ad se missos audiuit & absoluit. Ibi legatum *Adelfonsi* Regis * Asturicæ atque Galetiæ sibi dona deferentem [*al. *Asturiæ atque Galitiæ*] suscepit. Inde iterum *Pipinum* ad Italiam, *Ludouicum* ad Aquitaniam misit: cum quo & *Abdellam* Saracenum ire iussit: qui postea, vt ipse voluit, in Hispaniam ductus, & illorum fidei, quibus se credere non dubitauit, commissus est. Rex autem in Saxonia residens, ibi & natalem Domini & Pascha celebrauit.

DCCXCVIII

CVm iam ver accederet, nondum tamen propter pabuli inopiam exercitus de hibernis produci potuisset, Saxones transalbiani occasionem nacti, legatos Regis, qui ad eos ob iustitias faciendas missi erant, comprehensos interficiunt, paucis eorum quasi ad nuntiandum reseruatis; trucidantes cum ceteris & *Godeschalcum* Regis legatum, quem ille ante paucos dies ad *Sigifridum* Regem Danorum miserat. Is cum legatione functus reuerteretur, ab huius seditionis auctoribus interceptus atque occisus est. Quibus acceptis Rex grauiter commotus, congregato exercitu in loco, cui *Munda* nomen, super Wisiram castra posuit, atque in fœdifragos ac desertores arma corripuit, & vltor necis legatorum suorum, quicquid Saxoniæ inter Albiam ac Wisiram interiacet, totum ferro & igne vastauit. Transalbiani autem, *qui *Nordmanni* vocantur *, [*in manuscr. deest] superbia elati, eo quod legatos Regis impune occidere potuerunt, arreptis armis contra Abotritos proficiscuntur. Quorum Dux *Thrasico*, cognito Transalbianorum motu, eis cum omnibus copiis suis in loco, qui Suentana vocatur, occurrit; commissoque prœlio, ingenti eos cæde prostrauit. Nam in prima congressione quatuor millia eorum cecidisse, narrauit legatus Regis *Eberwinus* nomine, qui in eodem prœlio fuit, & in Abotritorum acie dextrum cornu tenuit. Fusi igitur fugatique, & multis suorum amissis, cum magna calamitate ad loca sua reuersi sunt. At Rex in Franciam regressus, cum Aquas Grani venisset, primo legatos *Irenes* Imperatricis ad se de Constantinopoli missos audiuit. Nam *Constantinus* filius eius propter morum insolentiam a suis comprehensus & excæcatus est: quibus petentibus *Sisinnium* fratrem *Tarasii*, Constantinopolitani Episcopi, olim in prœlio captum, domum redire permisit. Legati fuere *Michael* cognomento *Ganglianos*, & *Theophilus* Presbyter de Blachernis. Post quorum absolutionem venere de Hispania legati *Adelfonsi* Regis, *Basiliscus* & *Froia*, munera deferentes, quæ ille de manubiis, quas victor apud *Olisipponam* ciuitatem a se expugnatam, ceperat, Regi mittere curauit. Mauros videlicet septem, cum totidem mulis atque loricis. Quæ licet pro dono mitterentur, magis tamen insignia victoriæ videbantur. Quos & benigne suscepit, & remuneratos honorifice dimisit. Insulæ *Baleares*, quæ nunc ab incolis earum *Maiorica* & *Minorica* vocitantur, a Mauris piraticam exercentibus deprædatæ sunt. Rex vero Aquis Grani hiemauit, & ibi natalem Domini & Pascha more solito celebrauit.

DCCXCIX

ROmæ *Leo* Papa cum litania processurus, de Lateranis ad ecclesiam beati *Laurentii*, quæ *ad Craticulam* vocatur, equo sedens pergeret, in insidias a Romanis positas iuxta eandem basilicam incidit; ibi equo deiectus & erutis oculis, vt aliquibus visum est, lingua quoque truncata, nudus ac semi-

semiuiuus in platea relictus est. Deinde iussu eorum, qui huius facti auctores fuere, in monasterium sancti *Erasmi* martyris velut ad curandum missus, *Albini* cuiusdam cubicularii sui cura noctu per murum demissus, a *Winigiso* Duce Spoletano, qui audito huiusmodi facinore Romam festinus aduenerat, susceptus ac Spoletum deductus est. Cuius rei nuntium cum Rex accepisset, ipsum quidem vt Vicarium sancti *Petri* & Romanum Pontificem cum summo honore ad se praecepit adduci; iter tamen suum, quod in Saxoniam facere constituerat, non omisit. Habito itaque generali conuentu super Rhenum in loco, qui *Lippenheim* vocatur, ibique eodem amne transmisso, cum toto exercitu suo ad *Paarabrunnam* accessit, ibique in castris considens Pontificis ad se properantis praestolatur aduentum. Misit interea filium suum *Karolum* ad Albim cum parte exercitus, propter quaedam negotia cum *Willis & Abotritis disponenda, & quosdam Saxones de *Nordluidis* recipiendos. Cuius reuersionem cum expectat, venit Pontifex, & valde honorifice ab illo susceptus est; mansitque apud eum dies aliquot; & cum ei cuncta, propter quae venerat, intimasset, iterum Romam cum magno honore per legatos Regis, qui cum eo missi sunt, reductus, atque in locum suum restitutus est. Quo dimisso, Rex paucos dies ibidem moratus, legatum *Michaelis* Patricii de Sicilia, nomine *Danielem*, ad se missum absoluit. Accepit etiam triste nuntium de **Gerholti* & *Erichi* interitu; quorum alter *Gerholtus* videlicet, Baioariae Praefectus, commisso cum Hunis praelio cecidit. Alter vero, id est, *Erichus* post multa praelia & insignes victorias apud *Tarsaticam* Liburniae ciuitatem insidiis oppidanorum interceptus atque interfectus est. Rebus itaque Saxonum pro rerum opportunitate dispositis, Rex in Franciam reuertitur. Et cum Aquis Grani hiemaret, *Wido* Comes ac Praefectus Britannici limitis, qui eodem anno cum sociis Comitibus totam Britonum prouinciam perlustrauerat, arma ducum, qui se dediderunt, inscriptis singulorum nominibus detulit. Videbatur enim ea prouincia tum ex toto subacta, fuissetque, nisi perfidae gentis instabilitas cito id aliorsum more solito commutasset. Allata sunt & signa, quae occisis in *Maiorica* Mauris praedonibus erepta fuerunt: & *Azan* Saracenus Praefectus *Oscae* claues vrbis cum aliis donis Regi misit, promittens, eam se traditurum, si opportunitas eueniret. Sed & monachus quidam de Ierosolymis veniens, benedictionem & reliquias de loco resurrectionis Dominicae, quae Patriarcha Regi miserat, detulit. Et Rex natalem Domini in eodem palatio residens celebrauit, ac monachum reuerti volentem absoluens, *Zachariam* quendam Presbyterum de palatio suo cum eodem ire iussit: cui & donaria sua ad illa veneranda loca deferenda commisit.

* al. *Wiltzis*

* al. *Geroldi*

DCCC

REdeunte *verna temperie, medio fere Martio, Rex Aquis Grani digressus, littus oceani Gallici perlustrauit; & in ipso mari, vbi tunc piraticam Nordmanni exercebant, classem instituit, praesidia disposuit, sanctum Pascha apud sanctum *Richarium* celebrauit. Inde iterum per littus maris agens, *Rotomagum* ciuitatem venit: ibique *Sequana* amne transmisso, *Turonos* ad sanctum *Martinum* orationis causa profectus est. Moratus ibi dies aliquot propter *Luitgardae* coniugis valetudinem, quae ibidem & defuncta & humata est. Obiit autem *pridie Non. Iun. Inde per Aurelianos ac Parisios Aquasgrani reuersus est. Et mense Augusto inchoante *Moguntiacum* veniens, generalem conuentum ibidem habuit, & iter in Italiam indixit. Atque inde profectus, cum exercitu *Rauennam* venit, ibique septem non amplius dies moratus, *Pipinum* filium suum cum eodem exercitu in terram Beneuentanorum ire iussit, mouensque de *Rauenna* cum filio *Anconam* vsque peruenit: quo ibi dimisso Romam proficiscitur. Cui pridie quam illo veniret, *Leo* Papa apud *Numentum* occurrit, & cum magna veneratione ibidem suscepit. Post coenam, qua simul refecti sunt, illo ibi manente, Pontifex ad vrbem processit, posteroque die in gradibus basilicae beati *Petri* Apostoli cum Episcopis & vniuerso Clero consistens, aduenientem Regem, equoque descendentem,

* al. *vernis*

* al. *II. Non.*

tem, Deo laudes dicendo & gratias agendo, suscepit, & cunctis psallentibus in ecclesiam eiusdem beatissimi Apostoli Deum glorificans atque magnificans introduxit. Facta sunt hæc VIII Kal. Decembr. Post septem vero dies Rex concione vocata, cur Romam venisset, omnibus patefecit, & exinde quotidie iis, propter quæ venerat facienda operam impendit: in quibus vt maximum, ita difficilimum erat, quod primo inchoatum est, de inuestigandis videlicet, quæ Pontifici obiiciebantur, criminibus. Qui tamen, postquam nullus eorundem criminum probator esse voluit, coram omni populo in basilica beati *Petri* Apostoli, euangelium ferens, ambonem conscendit, inuocatoque Trinitatis nomine de obiectis se criminibus iure iurando purgauit. Eadem die *Zacharias* Presbyter, quem Rex Ierosolymas miserat, cum duobus monachis, quos Patriarcha cum eo ad Regem misit, Romam venit. Ii benedictionis gratia claues sepulchri dominici ac loci *Caluariæ* cum vexillo detulerunt: quos Rex benigne susceptos per aliquot dies secum detinuit; & redire volentes, remuneratos absoluit.

DCCCI

Ipse autem cum die sacratissima natalis Domini ad Missarum solennia basilicam beati *Petri* Apostoli fuisset ingressus, & coram altari, ubi ad orationem se inclinauerat, assisteret, *Leo* Papa coronam capiti eius imposuit, cuncto Romanorum populo acclamante, *Karolo Augusto, a Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria.* Post quas laudes a Pontifice more antiquorum Principum adoratus est: ac deinde, omisso *Patricii* nomine, *Imperator* & *Augustus* appellatus. Post paucos autem dies iubente ipso ii, qui eundem Pontificem anno superiore deposuerant, in iudicium adducti, & habita de eis quæstione, secundum legem Romanorum, ut crimine læsæ maiestatis rei, capite damnati sunt. Pro quibus tamen Papa pio affectu apud Imperatorem intercessit: nam & vita & membrorum integritas eis concessa est; ceterum pro sui facinoris magnitudine exilio * damnati sunt. Huius factionis fuere principes *Paschalis* Nomenclator, & * *Campulus* Sacellarius, & multi alii Romanæ urbis habitatores nobiles, qui simul omnes eadem sententia damnati sunt. Ordinatis deinde Romanæ urbis, & Pontificis, totiusque Italiæ non tantum publicis, sed etiam ecclesiasticis, & priuatis rebus (nam tota hieme non aliud fecit Imperator) missaque in Beneuentanos iterum expeditione, cum *Pipino* filio suo post Pascha VII Kalend. Maii Roma profectus *Spoletum* venit: ubi dum esset, * pridie Kal. Maii, hora noctis secunda terræ motus maximus factus est, quo tota Italia grauiter concutiebatur. Nam & tectum basilicæ diui *Pauli* Apostoli magna ex parte cum suis trabibus decidit, & in quibusdam locis urbes montesque ruerunt. Eodem anno loca quædam circa Rhenum fluuium & in Gallia & in Germania tremuerunt. Pestilentia propter mollitiem hiberni temporis facta est. Imperator de Spoleto Rauennam venit, & aliquot dies ibi moratus, Papiam perrexit. Ibi nuntiatum est ei, legatos *Aron* Regis Persarum portum *Pisas* intrasse; quibus obuiam mittens inter *Vercellas* & * *Hipporhediam* eos sibi fecit præsentari. Vnus eorum erat Persa de Oriente, legatus prædicti Regis. Nam duo fuerant, alter Saracenus de Africa, legatus *Amirati Abraham*, qui in confinio Africæ in fossato præsidebat. Hic *Isaac* Iudæum, quem Imperator ante quadriennium ad memoratum Regem Persarum cum *Lantfrido* & *Sigimundo* legatis suis miserat, reuersum cum magnis muneribus nuntiauerunt, nam *Lantfridus* & *Sigimundus* ambo in eodem itinere defuncti sunt. Tum ille misit *Erchenbaldum* Notarium in Liguriam, ad classem parandam, qua elephas & ea, quæ cum eo afferebantur, subuehi possent. Ipse autem celebrato die natalis sancti *Ioannis* apud * Hipporediam, alpes transgressus in Galliam reuersus est. Ipsa æstate capta est *Barcinona* ciuitas in Hispania iam biennio obsessa: *Zatus* præfectus eius & alii complures Saraceni comprehensi: & in Italia *Reate* ciuitas similiter capta & incensa est, eiusque præfectus *Roshelmus* comprehensus, castella, quæ ad ipsam ciuitatem pertinebant, in deditionem ac[illegible] sunt. Zatus & Ros-

* al. deportati

* al. Capulus

* al. II Kal.

* al. Hipporediam, vel Eboream

* al. Eporediam, ut supra

& *Rofhelmus* una die ad præfentiam Imperatoris deducti & exilio damnati funt. Ipfius anni menfe Octobri *Ifaac* Iudæus de Africa cum elephanto regreffus, *portum Veneris* intrauit; & quia propter niues alpinas illa tranfitum habere non poterat, in *Vercellis* hiemauit. Imperator Aquifgrani natalem Domini celebrauit.

DCCCII

IRene Imperatrix e Conftantinopoli mifit legatum, nomine *Leonem* Spatharium, pacis confirmandæ gratia inter Francos & Græcos: & Imperator viciffim abfoluto illo mifit *Ieffe* Epifcopum Ambianenfem & *Helmgaudum* Comitem Conftantinopolim, ut pacem cum ea ftatuerent. Celebratum eft Pafcha Aquisgrani. Huius anni menfe Iul. XIII Kal. Aug. venit *Ifaac* cum elephante & ceteris muneribus, quæ a Rege Perfarum miffa fuerunt, & Aquisgrani omnia Imperatori detulit; nomen elephanti erat *Abulabaz*. *Orthona* ciuitas Italiæ in deditionem accepta. *Nuceria* quoque frequenti obfidione fatigata, & ipfa in deditionem venit, præfidiumque noftrorum in ea pofitum Imperator æftatis tempore in *Arduenna* venationi indulgens, miffo exercitu Tranfalbiones Saxones vaftauit. **Grimoaldus* Beneuentanorum Dux in Nuceria *Winigifum* Comitem Spoleti, qui præfidio præerat, aduerfa valetudine fatigatum obfedit, & in deditionem accepit, captumque honorifice habuit. Imperator Aquisgrani natalem Domini celebrauit.

* al. Grimoldus

DCCCIII

HAc hieme circa ipfum palatium & finitimas regiones terræ motus factus & peftilitas fubfecuta eft. *Winigifus* à **Grimoaldo* redditus eft: & legati Imperatoris de Conftantinopoli reuerfi funt: & venerunt cum eis legati *Nicephori* Imperatoris, qui tunc rempublicam regebat (nam *Irenen* poft aduentum legationis Francicæ depofuerant) quorum nomina fuerunt *Michael* Epifcopus, *Petrus* Abbas, *Califtus* & *Candidatus*. Qui venerunt ad Imperatorem in Germania fuper fluuium *Salam*, in loco, qui dicitur † *Salz* & conditionem faciendæ pacis in fcripto fufceperunt. Et inde dimiffi cum epiftola Imperatoris Romam regreffi, atque Conftantinopolim reuerfi funt. Imperator autem in Baioariam profectus, difpofitis Pannoniarum caufis, Decembri menfe Aquasgrani reuerfus eft, ibique natalem Domini celebrauit.

* al. Grimoldo

† *Sels*, Salæ palatium a *Carolo M.* exftructum.

DCCCIV

IMperator Aquifgrani hiemauit; æftate autem in Saxoniam ducto exercitu omnes, qui trans *Albim* & in * *Wihmuodi* habitabant, Saxones cum mulieribus & infantibus tranftulit in Franciam, & pagos tranfalbianos Abotritis dedit. Eodem tempore *Godefridus* Rex Danorum venit cum claffe fua, nec non & omni equitatu regni fui ad locum, qui dicitur * *Slieftorff*, in confinio regni fui & Saxoniæ: promifit enim, fe ad colloquium Imperatoris venturum; fed confilio fuorum inhibitus propius non acceffit. Imperator autem fuper Albim fluuium fedebat in loco, qui dicitur * *Holdunftetin*, & miffa ad *Godefridum* legatione pro perfugis reddendis, medio Septembri *Coloniam* venit: dimiffoque exercitu primo *Aquasgrani*, deinde *Arduennam* venit; & venationi cum indulfiffet, *Aquasgrani* reuerfus eft. Medio Nouembri nuntiatum eft ei, *Leonem* Papam natalem Domini fecum celebrare velle, ubicunque hoc contingere potuiffet: quem ftatim miffo ad fanctum *Mauricium Karolo* filio fuo, honorifice fufcipere iuffit; ipfe ad * *Remorum* ciuitatem obuiam illi profectus eft; ibique fufceptum, primo *Carifiacum* villam, ubi natalem Domini celebrauit: deinde *Aquasgrani* perduxit: & donatum magnis muneribus per Baioariam ire volentem deduci fecit usque Rauennam. Caufa aduentus eius hæc erat. Perlatum fuerat ad Imperatorem æftate præterita Chrifti fanguinem in *Mantua* fuiffe repertum. Propter hoc mifit ad Papam, petens, ut huius famæ veritatem inquireret

* al. Wimodi
* al. Slieftorp & Flieftorp
* al. Holdunsteten
* al. Remensi

inquireret. Qui accepta occasione exeundi primo in Langobardiam, quasi pro inquisitione prædicta, profectus est; indeque arrepto itinere subito ad Imperatorem vsque peruenit, mansitque apud illum dies octo, & sicut dictum est, Romam repedauit.

DCCCV

NOn multo post * *Cacanus*, Princeps Hunorum, propter † calamitatem populi sui Imperatorem adiit, postulans, sibi locum dari ad habitandum inter *Sabariam* & *Carnuntum*, quia propter infestationem Sclauorum, a) (qui *Behemanni* vocantur,) in pristinis sedibus esse non poterant: b) (illi enim omnem terram Hunorum depopulantes, *Lechonem* tunc Ducem habuerunt.) Hunc Imperator benigne c) (erat enim *Cacanus* Christianus, nomine *Theodorus*) suscepit, & precibus eius annuens, muneribus donatum redire permisit: qui rediens ad populum suum pauco tempore transacto diem suum obiit. Et misit * *Cacanus* vnum de optimatibus suis, petens sibi honorem antiquum, quem * *Cacanus* apud Hunos habere solebat. Cuius precibus Imperator assensum præbuit, & summam totius regni iuxta priscum eorum ritum habere præcepit. Eodem anno misit exercitum suum cum filio suo *Karolo* in terram Sclauorum, qui * *Behemanni* vocantur, qui omnem illorum patriam depopulatus, Ducem eorum * *Lechonem* occidit, & inde regressus in *Vogesum* siluam ad patrem venit in loco, qui dicitur *Camp*. Nam Imperator Iulio mense de Aquisgrani profectus, per *Theodonis villam* atque *Metis* transiens, *Vogesum* petiit, ibique venationi vacans, post reuersionem exercitus ad * *Rumrichi castellum* profectus, ibique aliquantum temporis moratus, ad hiemandum in *Theodonis villa* palatio suo consedit. Ibi ambo ad eum filii sui *Pipinus* & *Ludouicus* venerunt, celebrauitque ibi natalem Domini.

* al. *Caganus*
† necessitatem
* al. *Caganus*
* al. *Caganus*
* al. qua Beheim vocatur
* al. Bechonem
* al. *Rumerici*

a) Hæc, *qui Behemanni vocantur*, in manuscr. deest.

b) c) Hisce signis ( ) inclusa quoque in manuscr. desunt.

DCCCVI

STatim post natalem Domini venerunt *Wilharius* & *Beatus*, Duces Venetiæ, nec non & *Paulus* Dux Iaderæ, atque *Donatus* eiusdem ciuitatis Episcopus, legati Dalmatarum, ad præsentiam Imperatoris cum magnis donis: & facta est ibi ordinatio ab Imperatore de Ducibus & populis tam Venetiæ quam Dalmatiæ: illisque absolutis conuentum habuit Imperator cum primoribus & optimatibus Francorum de pace constituenda & obseruanda inter filios suos, & diuisione facienda in tres partes, vt sciret vnusquisque illorum, quam partem regere deberet, si patre mortuo superstitem esse contingeret. De hac partitione & testamentum factum, & iureiurando ab optimatibus Francorum confirmatum; & constitutiones pacis conseruandæ causa factæ; atque hæc omnia litteris mandata sunt, & *Leoni* Papæ, vt ipse sua manu subscriberet, per Eginhartum missa. Quibus Pontifex lectis, & assensum præbuit, & propria manu subscripsit. Imperator dimisso vtroque filio in regnum sibi deputatum, *Pipino* scilicet & *Ludouico*, de *villa Theodonis* per Mosellam & Rhenum secunda aqua *Nouiomagum* nauigauit; ibique quadragesimale ieiunium, & sacratissimam Paschæ solennitatem celebrauit. Et inde post non multos dies Aquasgrani veniens, *Karolum* filium suum in terram Sclauorum, qui dicuntur *Sorabi*, & sedent super Albim fluuium, cum exercitu misit: in qua expeditione *Miliduoch* Sclauorum Dux interfectus est; duoque castella ab exercitu ædificata; vnum super ripam fluminis Salæ, alterum iuxta fluuium Albim. Sclauisque pacatis *Karolus* cum exercitu regressus, in loco, qui dicitur *Sili*, super ripam Mosæ fluminis ad Imperatorem venit. Missa est manus de Baioaria & Alemannia atque Burgundia, sicut anno superiore, in terram *Behemannorum*, vastataque terræ non minima portione, absque vllo graui incommodo regressa. Eodem anno in *Corsicam* insulam contra Mauros, qui eam vastabant, classis de Italia a *Pipino* missa est; cuius aduentum Mauri non expectantes abscesserunt. Vnus tamen nostrorum *Hadumarus*

Comes ciuitatis Genuæ imprudenter contra eos dimicans occisus est. In Hispania vero *Nauarri* & * *Pompelonenses*, qui superioribus annis ad Saracenos defecerant, in fidem recepti sunt. Classis a *Nicephoro* Imperatore, cui *Niceta* Patricius præerat, ad recuperandam Dalmatiam mittitur. Et legati, qui ante quatuor fere annos ad Regem Persarum missi erant, per ipsas Græcarum nauium stationes transuecti, ad *Taruisiani* portus receptaculum, nullo aduersariorum sæuiente, regressi sunt. Imperator celebrauit natalem Domini Aquis grani.

* al. *Pampilonenses*

DCCCVII

ANno superiore IV Non. Septembr. fuit eclipsis lunæ: tunc stabat sol in XVI parte Piscium. Hoc autem II Kal. Febr. fuit luna XVII, quando stella Iouis quasi per eam transire visa est. Et III Id. Febr. fuit eclipsis solis media die, stante vtroque sidere in XXV parte Aquarii. Iterum IV Kalend. Mart. fuit eclipsis lunæ, & apparuerunt acies eadem nocte miræ magnitudinis, & *a*) sol stetit in XI parte Virginis: nam & stella Mercurii XVI Kalend. April. visa est in sole quasi parua macula nigra paululum superius medio centro eiusdem sideris: quæ a nobis octo dies conspicata est; sed quando primum intrauit vel exiuit, nubibus impedientibus, minime notare potuimus. Iterum mense Augusto XI Kal. Septembr. eclipsis lunæ facta est, hora noctis III, sole posito in V parte Virginis, & luna in V parte Piscium. Sicque ab anni superioris Septembri vsque ad anni præsentis Septembrem ter luna obscurata est, & sol semel. *Ratbertus*, missus Imperatoris, qui de Oriente reuertebatur, defunctus est: & legatus Regis Persarum, nomine *Abdella*, cum monachis de Ierusalem, qui legatione *Thomæ* Patriarchæ fungebantur, quorum nomina fuere *Georgius* & *Felix*, ad Imperatorem peruenerunt, munera deferentes, quæ prædictus Rex Imperatori miserat: id est, papilionem & tentoria miræ & magnitudinis & pulchritudinis; erant omnia byssina, tam tentoria quam & funes eorum, diuersis tincta coloribus. Fuerunt præterea munera præfati Regis pallia serica multa & pretiosa, & odores, & vnguenta, & balsamum, nec non & horologium ex orichalco, arte mechanica mirifice compositum, in quo duodecim horarum cursus ad clepsydram vertebatur, cum totidem æreis pilulis, quæ ad completionem horarum decidebant, & casu suo subiectum sibi cymbalum tinnire faciebant: additis in eodem eiusdem numeri equitibus, qui per XII fenestras completis horis exibant, & impulsu egressionis suæ totidem fenestras, quæ prius erant apertæ, claudebant: nec non & alia multa erant in ipso horologio, quæ nunc enumerare longum est. Fuere præterea inter prædicta munera candelabra duo ex orichalco miræ magnitudinis & proceritatis: quæ omnia in Aquensi palatio ad Imperatorem delata sunt. Imperator legatum & monachos per aliquantum tempus secum retinens, in Italiam direxit, atque ibi eos tempus nauigationis expectare iussit. Eodemque anno *Burchartum* Comitem stabuli sui cum classe misit *Corsicam*, vt eam a Mauris, qui superioribus annis illuc venire constituerant, defenderet. Hi iuxta consuetudinem suam de Hispania egressi primo *Sardiniam* appulsi sunt; ibique cum *Sardis* prœlio commisso, & multis suorum cæsis (nam III ibi cecidisse perhibentur) in *Corsicam* recto cursu peruenerunt. Iterum ibi in quodam portu eiusdem insulæ cum classe, cui *Burchartus* præerat, prœlio decertauere, victique ac fugati sunt, amissis XIII nauibus, & plurimis suorum interfectis. Adeo illo anno in omnibus locis aduersa fortuna fatigati sunt, & quod anno superiore contra omnem iustitiam de *Patelaria* insula LX monachos asportatos in Hispania vendiderunt; quorum aliqui per liberalitatem Imperatoris iterum ad sua loca reuersi sunt. *Niceta* Patricius, qui cum classe Constantinopolitana in *Venetia* se continebat, pace facta cum *Pipino* Rege, & induciis vsque ad mensem Augustum constitutis statione soluta Constantinopolim egressus est. Hoc anno Imperator Pascha Aquis celebrauit, nec non & natalem Domini.

a) In manuscr. sic legitur: *Stetit in XI parte piscium, & luna in XI parte Virginis.* Nota auctorem *Caroli M.* tempore vixisse.

DCCCVIII

DCCCVIII

Hiems mollissima ac pestilens fuit illo tempore, vereque inchoante Imperator *Nouiomagum* profectus, ibi quadragesimali ieiunio celebrato ac sancto Paschate, iterum Aquas regressus est. Et quia nuntiabatur, *Godefridum* Regem Danorum in Abotritos cum exercitu traiecisse, *Karolum* filium suum ad Albim cum valida Francorum & Saxonum manu misit, iubens, vt vesano Regi resisterent, si Saxoniæ terminos aggredi tentaret. Sed ille statiuis per aliquot dies in littore habitis, expugnatis etiam & captis aliquot Sclauorum castellis, cum magno copiarum suarum detrimento reuersus est. Nam licet **Thrasiconem* Ducem Abotritorum, popularium fidei diffidentem, loco pepulisset, *Godolaibum* alium Ducem dolo captum patibulo suspendisset, *Abotritorum* duas partes vectigales sibi fecisset, optimos tamen militum suorum & manu promptissimos amisit; & cum eis filium fratris sui, nomine **Reginholtum*, qui oppugnatione cuiusdam oppidi cum plurimis Danorum primoribus interfectus est. Filius autem Imperatoris *Karolus* Albim ponte iunxit, exercitum, cui præerat, in **Hilinones* & *Smeldingos*, qui & ipsi ad *Godefridum* defecerant, celerrime transposuit: populatisque circumquaque eorum agris, transitoque iterum flumine, cum incolumi exercitu in Saxoniam se recepit. Erant cum *Godefrido* in expeditione prædicta Sclaui, qui dicuntur **Wilsi*, qui propter antiquas inimicitias, quas cum Abotritis habere solebant, sponte se copiis eius coniunxerunt: ipsoque domum reuertente, cum præda, quam in Abotritis capere potuerunt, & ipsi domum regressi sunt. *Godefridus* vero, priusquam domum reuerteretur, destructo emporio, quod in oceani littore constitutum, lingua Danorum *Rersch* dicebatur, & magnam regno illius commoditatem vectigalium persolutione præstabat, translatisque inde negotiatoribus, soluta classe ad portum, qui **Sliestorff* dicitur, cum vniuerso exercitu venit: ibi per aliquot dies moratus, limitem regni sui, qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, vt ab orientali maris sinu, quem illi *Ostersalt* dicunt, vsque ad occidentalem oceanum totam *Egidoræ* fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret: vna tantum porta dimissa, per quam carpenta & equites emitti & recipi potuissent. Diuiso itaque opere inter Duces copiarum, domum reuersus est. Interea Rex *Nordhumbrorum de Britannia insula, nomine *Ardulf*, regno & patria pulsus, ad Imperatorem, dum adhuc *Nouiomagi* moraretur, venit, & patefacto aduentus sui negotio Romam proficiscitur; Romaque rediens, per legatos Romani Pontificis & Domini Imperatoris in regnum suum reducitur. Præerat ea tempestate ecclesiæ Romanæ *Leo III*, cuius legatus ad Britanniam directus, & *Adolfus* de ipsa Britannia Saxo, & cum ipso ad Imperatorem missi duo Abbates, *Rutfridus* Notarius, & *Nantharius* Abbas de **S. Othmaro*. Imperator vero ædificatis per legatos suos super Albim fluuium duobus castellis, præsidioque in eis contra Sclauorum incursiones disposito, Aquisgrani hiemauit, natalemque Domini & Pascha celebrauit.

* al. *Thrasiconem*

* al. *Reginoldum*

* al. *Linones*

* al. *Wilzi*

* al. *Sliestorp*

* al. Nordanimbrorum

* al. *Audomaro*

DCCCIX

Classis de Constantinopoli missa, primo Dalmatiam, deinde Venetiam appulit: cumque ibi hiemaret, pars eius **Comiaclum* insulam accessit, commissoque prœlio contra præsidium, quod in ea dispositum erat, victa atque fugata, Venetiam recessit. Dux autem, qui classi præerat, nomine *Paulus*, cum de pace inter Francos & Græcos constituenda, quasi sibi hoc esset iniunctum, apud *Pipinum* Italiæ Regem agere molitur, *Wilhario* & *Beato*, Venetiæ Ducibus, omnes conatus eius impedientibus, atque ipsi etiam insidias parantibus, cognita illorum fraude discessit. At in occiduis regionibus Dominus *Ludouicus* Rex cum exercitu Hispaniam ingressus, *Dertusam* ciuitatem in ripa Iberi fluminis sitam obsedit: consumptoque in oppugnatione illius aliquanto tempore, vbi eam tam cito capi non posse vidit, dimissa obsidione cum incolumi exercitu in Aquitaniam se recepit.

* al. *Comiacium*

recepit. Postquam *Ardulfus* Rex * Nordhumbrorum reductus est in regnum suum, & legati Imperatoris atque Pontificis reuersi sunt, vnus ex iis, *Adolfus* videlicet Diaconus a piratis captus est, ceteris sine periculo traiicientibus, ductusque ab eis in Britanniam, a quodam *Cœnulfi* Regis homine redemptus est, Romamque reuersus. In Tuscia *Populonium*, ciuitas magna, a Græcis, qui Ὀρόβιωται vocantur, deprædata est. Mauri quoque de Hispania *Corsicam* ingressi, in ipso sancto paschali Sabbato ciuitatem quandam diripuerunt, & præter Episcopum ac paucos senes atque infirmos nihil in ea reliquerunt. Interea *Godefridus* Rex Danorum per negotiatores quosdam significauit, se audisse Imperatorem sibi infensum, ob id, quod in Abotritos duxisset exercitum, & suas vltus esset iniurias: addens, velle se purgare ab eo, quod ei obiiciebatur, fœderis irruptionem ab illis prius fuisse inchoatam. Petebat etiam, vt conuentus Comitum Imperatoris atque suorum iuxta terminos regni sui trans Albim fieret, in quo res inuicem gestæ proferri, & emendatione digna inter partes enumerari potuissent. Non abnuit Imperator, colloquiumque trans Albim habitum cum primoribus Danorum in loco, qui dicitur * *Badenfliet*, multisque hinc & inde prolatis ac enumeratis rebus, negotio penitus infecto discessum est. * *Thrasico* vero Dux Abotritorum, postquam filium suum postulanti *Godefrido* obsidem dederat, collecta popularium manu, & auxilio a Saxonibus accepto, vicinos suos * *Wilsos* aggressus, agros eorum ferro & igne vastauit: regressusque domum cum ingenti præda, accepto iterum a Saxonibus validiori auxilio, *Smeldingorum* maximam ciuitatem expugnat: atque iis prosperis successibus omnes, qui ab eo defecerant, ad suam societatem redire coegit. Iis ita gestis Imperator de *Arduenna* Aquas reuersus, mense Nouembri concilium habuit de processione Spiritus Sancti. Quam quæstionem *Ioannes* quidam monachus Ierosolymis primo concitauit. Cuius definiendæ causa *Bernhartus* Episcopus Wormatiensis, & *Adelhartus* Abbas monasterii Corbeiæ, Romam ad *Leonem* Papam missi sunt. Agitatum est etiam in eodem concilio de statu ecclesiarum, & conuersione eorum, qui in iis Deo seruire dicuntur: nec aliquid tamen definitum est, propter rerum, vt videbatur, magnitudinem. Imperator autem, cum ei multa de iactantia & superbia Regis Danorum nuntiarentur, statuit trans Albim ciuitatem ædificare, Francorumque in ea ponere præsidium. Cumque ad hoc per Galliam atque Germaniam homines congregasset, armisque ac ceteris ad vsum necessariis rebus instructos per Frisiam ad locum destinatum ducere iussisset, *Thrasico* Dux Abotritorum in emporio * *Rerich* ab hominibus *Godefridi* per dolum interfectus est. Sed Imperator, postquam locus ciuitati construendæ fuerat exploratus, *Egbertum* Comitem huic negotio exequendo præficiens, Albim traiicere & locum iussit occupare. Est autem locus super ripam *Sturiæ* fluminis, nomine * *Essesfelt*, & occupatus est ab *Egberto* Comite & Saxonibus circa Id. Mart. & muniri cœptus. *Aureolus* Comes, qui in confinio Hispaniæ atque Galliæ trans Pyreneum contra *Oscam* & *Cæsaraugustam* residebat, defunctus est: & *Amaroz* Præfectus *Cæsaraugustæ* locum eius inuasit, & in castellis illius præsidia disposuit: missaque ad Imperatorem legatione, se cum omnibus suis eius obsequio traditurum promisit. Eclipsis lunæ * facta est VII Kalend. Ian.

* al. Nordanimbrorum
* al. Badenfliet
* al. Trasko
* al. Wiltzos
* al. Reric & Reic
* al. Esfelt
* al. contigit

DCCCX

AMaroz Cæsaraugustæ Præfectus, postquam Imperatoris legati ad eum venerunt, petiit, vt colloquium fieret inter ipsum & Hispanici limitis Custodes, promittens, se in eodem colloquio cum omnibus in Imperatoris ditionem esse venturum. Quod licet Imperator, vt fieret, annuisset, multis interuenientibus causis mansit infectum. Mauri de tota Hispania maxima classe comparata, primo *Sardiniam*, deinde *Corsicam* appulerunt, nulloque præsidio in ea inuento, insulam pæne totam subegerunt. Interea *Pipinus* Rex, perfidia Ducum Venetorum incitatus, Venetiam bello marique statuit appetere; subactaque Venetia, ac Ducibus eius in deditionem acceptis, eandem classem ad Dalmatiæ littora vastanda misit. Sed cum *Paulus* Cephalaniæ Præfectus cum orientali classe ad

ad auxilium Dalmatis ferendum aduentaret, regia classis ad propria regreditur. **Rotdrudis* filia Imperatoris, quæ natu maior erat, VIII Id. Iun. diem obiit. Imperator vero Aquisgrani adhuc agens, & contra *Godefridum* Regem expeditionem meditans, nuntium accepit, classem ducentarum nauium de Nordmannia Frisiam appulisse, cunctasque Frisiaco littori adiacentes insulas esse vastatas: iamque exercitum illum in continente esse, terrenaque prœlia cum Frisonibus commisisse, Danosque victores tributum victis imposuisse, ac vectigalis nomine centum libras argenti a Frisonibus iam esse solutas: Regem vero Domi' esse, quod & reuera ita erat. Qui nuntius adeo Imperatorem concitavit, ut missis in omnes circumquaque regiones ad congregandum exercitum nuntiis, ipse sine mora palatio exiens, primo classi occurrere, deinde transmisso Rheno in loco, qui *Lippenheim* vocatur, copias, quæ nondum conuenerant, statuit operiri. Vbi dum aliquot dies moraretur, elephas ille, quem ei *Aron*, Rex Persarum, miserat, subita morte periit. Congregatis tandem copiis, celerrime ad **Araram* fluuium contendit; castrisque iuxta confluentem eius, quo *Wisiræ* flumini coniungitur, positis, minarum *Godefridi* Regis præstolatur euentum. Nam Rex ille vanissima spe victoriæ inflatus, acie se cum Imperatore confligere velle iactabat. Sed dum Imperator in memorato loco statiua haberet, diversarum rerum nuntii ad eum perferuntur. Nam & classem, quæ Frisiam vastabat, domum regressam, & *Godefridum* Regem a quodam suo satellite interfectum; castellum, nomine **Hohbuchi*, Albi flumini contiguum, in quo *Odo* legatus Imperatoris, & orientalium Saxonum erat præsidium, a **Wilsis* captum: & *Pipinum* Regem Italiæ VIII Id. Iul. de corpore migrasse; duasque legationes de diuersis orbis partibus, vnam de Constantinopoli, alteram de Corduba, pacis faciendæ causa aduentare nuntiantur. Quibus ille acceptis, disposita pro temporis conditione Saxonia, domum reuertitur. Tanta fuit in ea expeditione boum pestilentia, vt pæne nullus tanto exercitui superesset, quin omnes vsque ad vnum interirent. Et non solum ibi, sed etiam per omnes Imperatori subiectas prouincias in illius generis animalia mortalitas immanissime grassata est. Imperator Aquasgrani veniens mense Octobri, memoratas legationes audiuit, pacemque cum *Nicephoro* Imperatore, & cum *Abulaz*, Rege Saracenorum fecit. Nam *Nicephoro* Venetiam reddidit; & *Heimrichum* Comitem olim a Saracenis captum, *Abulaz* remittente, recepit. Eo anno sol & luna bis defecerunt; sol VIII Id. Iun. & II. Kal. Decembr. Luna autem XI Kal. Iul. & XVIII Kalend. Ian. Corsica insula iterum a Mauris vastata est. *Amaroz* ab *Abdiraman*, filio *Abulaz* de *Cæsaraugusta* expulsus, & *Oscam* intrare compulsus est. *Godefrido* Danorum Rege mortuo, *Hemmingus*, filius fratris eius, in regnum successit, ac pacem cum Imperatore fecit.

* al. *Rotrudis*

* al. *Alaram*, ut supra an. 782

* al. *Hohbuchi*

* al. *Welsis*

DCCCXI

ABsoluto atque dimisso *Arsaphio* Spathario (hoc erat nomen legato *Nicephori* Imperatoris) eiusdem pacis confirmandæ gratia legati Constantinopolim ad Imperatorem mittuntur *Hatto* Episcopus Basiliensis, & *Hugo* Comes Turonicus, & *Aio* Langobardus de Foroiulii, & cum eis *Leo* quidam Spatharius, natione Siculus, & *Wilharius* Dux Venetorum: quorum alter ante annos decem Romam ad Imperatorem, cum ibi esset, de Sicilia profugit, & redire volens ad patriam remittitur: alter propter perfidiam honore spoliatus, Constantinopolim ad dominum suum duci iubetur. *Indicta inter Imperatorem & *Hemmingum* Danorum Regem pax propter hiemis asperitatem, quæ inter partes commeandi viam claudebat, in armis iurata seruatur, donec redeunte veris temperie, & viis apertis, quæ immanitate frigoris clausæ fuerunt, congredientibus ex utraque parte vtriusque gentis, Francorum scilicet & Danorum, XII primoribus super fluuium *Egidoram*, datis vicissim secundum ritum & morem suum sacramentis, pax firmatur. Primores autem de parte Francorum hi fuere; *Walach* filius *Bernharti*, *Burchartus*, *Vnrochus*, *Vdo*, *Egbertus*, *Thedericbus*,

* al. *Condicta*

Abbo, *Ostdach*, *Wigman*, omnes Comites: de parte Danorum in primis fratres *Hemmingi Hancwinc* & *Angandeo*; deinde ceteri honorabiles inter suos viri. * *Osfred* cognomento *Turdimulo*, & † *VVarsten*, & * *Swomi*, & *Vrin*, & alius *Osfredi* filius *Heiligon*, *Osfred* de *Sconowe*, & *Hebbi*, & *Awin*. Imperator vero cum *Hemmingo* pace firmata, & placito generali secundum consuetudinem Aquis habito, in tres partes regni totidem exercitus misit. Vnum trans Albim in * Hilinones, qui & ipsos vastauit, & castellum *Hohbuochi* superiore anno a * Willis destructum in ripa Albis fluminis restaurauit: Alterum in Pannonias, ad controuersias Hunorum & Sclauorum finiendas. Tertium in Britones, ad eorum perfidiam puniendam; qui omnes rebus prospere gestis incolumes regressi sunt. Ipse autem propter classem, quam anno superiori fieri imperauerat, videndam, ad *Bononiam* Gallicam, ciuitatem maritimam, ubi eædem naues congregatæ erant, accessit; fanumque, ibi ad nauigantium cursus dirigendos antiquitus constitutum, restaurauit, & in summitate eius nocturnum ignem accendit. Inde ad *Scaldim* fluuium veniens, in loco, qui *Ganda* vocatur, naues ad eandem classem ædificatas aspexit, & circa medium Nouembrem Aquas venit. Obuiarunt ei venienti legati *Hemmingi* Regis *Awin* & *Hebbi*, munera Regis & verba pacifica deferentes. Fuere etiam Aquis aduentum eius expectantes, qui de Pannonia venerunt, * *Cani*, *Zauzi*, Principes Auarum, & *Thudum*, & alii primores Sclauorum, circa Danubium habitantium, qui a Ducibus copiarum, quæ in Pannoniam missæ fuerunt, ad præsentiam Principis venire iussi erant. Interea *Karolus* filius Imperatoris, qui maior natu erat, II Non. Decembr. diem obiit. Imperator Aquis hiemauit.

* al. *Osfrid*
† al. *VVarstein*
* al. *Suomi*
* al. Linones
* al. Wiltzis
* al. *Canizauci*

DCCCXII

NEc multo post *Hemmingus* Danorum Rex defunctus nuntiatur. Cui cum *Sigifridus*, nepos *Godefridi* Regis, & * *Amilo*, nepos *Herioldi* quondam Regis, succedere voluissent, neque vterque regnare potuisset, comparatis copiis & commisso prœlio ambo moriuntur, pars tamen * *Amilonis* adepta victoria fratres eius, *Herioldum* & *Reginfridum*, Reges sibi constituerunt: quam necessario pars victa secuta, eosdem sibi regnare non abnuit. In eo prœlio XDCCCCXL viri cecidisse narrantur. *Nicephorus* Imperator post multas & insignes victorias in Mœsia prouincia commisso cum Bulgaris prœlio moritur; & *Michael*, gener eius, Imperator factus, legatos *Karoli*, qui ad *Nicephorum* missi fuerunt, in Constantinopoli suscepit & absoluit. Cum quibus & suos legatos direxit, *Michaelem* Episcopum, & *Arsapium*, atque * *Theognistum*, Protospatharios, & per eos pacem a *Nicephoro* inceptam confirmauit. Nam Aquisgrani vbi ad Imperatorem venerunt, scriptum pacti ab eo in * epistola suscipientes, more suo, id est, græca lingua laudes ei dixerunt, & Imperatorem & Βασιλέα eum appellantes. Et inde reuersi Romam, in basilica sancti *Petri* eundem pacti seu fœderis libellum a *Leone* Papa denuo susceperunt. Quibus dimissis Imperator generali conuentu Aquis solenniter habito, *Bernhartum*, filium *Pipini*, nepotem, in Italiam misit propter famam classis, quæ de Africa & Hispania ad vastandam Italiam venit; (a) *VVallonem* filium *Bernharti* patruelis sui secum esse iussit, quousque rerum euentus securitatem nostris afferret. Hæc classis partim in *Corsicam*, partim in *Sardiniam* venit. Ea quidem pars, quæ in *Sardiniam* venerat, pæne tota deleta est. Classis etiam Nordmannorum Hiberniam Scotorum insulam aggressa, commissoque cum Scotis prœlio, parte non modica Nordmannorum interfecta, turpiter fugiendo domum reuersa est. Pax cum *Abulaz* Rege Saracenorum facta. Item cum Duce Beneuentanorum * *Grimoaldo*, & tributi nomine XXV solidorum auri a Beneuentanis soluta. Expeditio facta in * *VVilsos*, & ab eis obsides accepti. * *Heriholdus* & *Reginfridus* Reges Danorum missa ad Imperatorem legatione pacem petunt, & fratrem suum *Hemmingum* sibi remitti rogant. Hoc anno Id. Maii post meridiem solis eclipsis fuit.

* al. *Amulo*
* al. *Amulonis*
* al. *Theognostum*
* al. *ecclesia*
* al. *Grimoldo*
* al. *VVilzos*
* al. *Herioldus*

(a) Supra an. DCCLXXIII *Bernhardus* Caroli M. patruus dicitur. Itaque necesse est, hunc *VValonem* eius *Bernhardi* ex filio eiusdem nominis esse nepotem.

DCCCXIII

DCCCXIII

Imperator Aquisgrani hiemauit, & incipiente verno tempore *Amalharium* Treuerensis Episcopum, & *Petrum* Abbatem monasterii *Nonantulæ* propter pacem cum *Michaele* Imperatore confirmandam Constantinopolim misit. Pons apud Moguntiacum mense Maio incendio conflagrauit. Post quod Imperator, cum in *Arduenna* venaretur, pedum dolore decubuit: & conualescens Aquisgrani reuersus est. Ac deinde habito generali conuentu, euocatum adse apud Aquasgrani filium suum *Ludouicum*, Aquitaniæ Regem, excipiens, coronam illi imposuit, & imperialis nominis sibi consortem fecit; *Bernhartumque* nepotem suum ex *Pipino* filio Italiæ præfecit, & Regem appellari iussit. Concilia quoque iussu eius super statu ecclesiarum corrigendo per totam Galliam ab Episcopis celebrata sunt: quorum vnum *Moguntiaci*, alterum *Remis*, tertium *Turonis*, quartum **Cabilloni*, quintum *Arelati* congregatum est: & constitutionum, quæ in singulis factæ sunt, collatio coram Imperatore in illo conuentu habita. Quas qui nosse voluerit, in supradictis ciuitatibus inuenire poterit: quanquam & in archiuo palatii exemplaria illarum habeantur. Missi sunt de hoc conuentu quidam Francorum & Saxonum primores trans Albim fluuium, ad confinia Nordmannorum, qui pacem cum eis secundum petitionem Regum illorum facerent; & fratrem eis redderent. Qui cum pari numero, nam XVI erant, de primatibus Danorum occurrissent, iuramentis vtrinque factis pax confirmata, & Regum frater eis redditus. Qui tamen eo tempore domi non erant, sed ad **Westerfældam* cum exercitu profecti: quæ regio ultima regni eorum inter septentrionem & occidentem sita, contra aquilonarem Britanniæ summitatem respicit: cuius Princeps ac populus eius subiici recusabant. Quibus perdomitis cum reuertissent, & fratrem ab Imperatore missum recepissent, filii *Godefridi* Regis & ex primoribus Danorum non pauci, qui iamdudum relicta patria apud Sueones exulabant, comparatis undique copiis bellum intulerunt. Et confluentibus passim ex omni Danorum terra popularium turbis, commisso prœlio, etiam regno non multo eos labore pepulerunt. Mauris de Corsica Hispaniam cum multa præda redeuntibus, *Irmingarius* Comes Emporitanus in Maiorica insidias posuit, octo naues eorum cepit: in quibus quingentos & eo amplius captiuos inuenit. Hoc Mauri vindicare volentes, *Centumcellas* Tusciæ ciuitatem, & *Nicæam* prouinciæ Narbonensis vastauerunt, Sardiniam quoque aggressi, commissoque bello cum eis, pulsi ac victi, & multis suorum amissis recesserunt. At *Michael* Imperator Bulgaros appetens bello, haud prosperis successibus vtitur, ac proinde domum reuersus, deposito diademate monachus efficitur. In cuius locum *Leo* **Papdæ* Patricii filius, Imperator constituitur. **Crumas* Rex Bulgarorum, qui *Nicephorum* Imperatorem ante duos annos interfecerat, & *Michaelem* de *Mœsia* fugauerat. secundis rebus elatus, cum exercitu usque ad ipsam Constantinopolim accessit. Quem mœnibus urbis obequitantem *Leo* Imperator eruptione facta incautum excepit, ac grauiter vulneratum fugiendo sibi consulere, ac in patriam turpiter redire coegit.

* al. *Cabellonæ*

* al. *VVestarfeldam*

* al. *Barda*

* in mscr. *Crimas*

DCCCXIV

Dominus *Karolus* Imperator, dum Aquisgrani hiemaret, anno ætatis circiter LXXI, regni autem XLVII, subactæque Italiæ XLIII, ex quo vero Imperator & Augustus appellatus est, XIV, V Kalend. Febr. rebus humanis excessit. Cuius rei nuntium cum *Ludouicus* filius eius in Aquitania apud *Thedoadum* villam, ubi & ipse tunc hibernabat, plurimis deferentibus accepisset, tricesimo, postquam id acciderat, die Aquasgrani venit, summoque omnium Francorum consensu ac fauore patri successit; & ad suscepti regni * administrationem cura conuersa, primo legationes gentium, quæ ad patrem venerunt, auditas absoluit; alias simili modo ad patrem ante quidem missas, ad se vero venientes suscepit: inter quas præcipua fuit legatio

* al. *regni sui*

legatio de Constantinopoli missa. Nam *Leo* Imperator, qui *Michaeli* successerat, dimisso *Amalhario* Episcopo & *Petro* Abbate, qui ad *Michaelem* quidem missi, ad se tamen venerunt, legatos suos *Christophorum* Spatharium, & *Gregorium* Diaconum cum eis ad Dominum *Karolum*, & per eos descriptionem ac confirmationem pacti ac fœderis misit. Quibus susceptis atque dimissis, Dominus *Ludouicus* legatos suos, *Nordbertum* Rhegiensem Episcopum, & *Richwinum* Patauinum Comitem ad *Leonem* Imperatorem ob renouandam secum amicitiam & prædictum pactum confirmandum misit. Habitoque Aquisgrani generali populi sui conuentu, ad iustitiam faciendam, & oppressiones popularium releuandas, legatos in omnes regni sui fines misit: *Bernhartum* Regem Italiæ, nepotem suum ad se euocatum, muneribus donauit, & in regnum remisit: cum **Grimoaldo* Beneuentanorum Duce pactum fecit atque firmauit, eo modo, quo & pater, scilicet ut Beneuentani tributum annis singulis VII millia solidorum darent. Tunc duos ex filiis suis, **Lotharium* in Baioariam, *Pipinum* in Aquitaniam misit. **Heriholtus* & *Reginfridus* Reges Danorum, qui anno superiore a filiis *Godefridi* victi & regno pulsi fuerunt, reparatis viribus iterum eis bellum intulerunt; in quo conflictu & *Reginfridus* & vnus de filiis *Godefridi*, qui maior natu erat, interfectus est. Quo facto * *Heriholtus* rebus suis diffidens ad Imperatorem venit, & se in manus illius commendauit: quem ille susceptum in Saxoniam ire, & opportunum tempus expectare iussit, quo ei, quemadmodum petierat, auxilium ferre posset.

* al. *Grimoldo*

* al. *Lotharium*

* al. *Harioldus*

* al. *Harioldus*

DCCCXV

IVssum est ab Imperatore, ut Saxones & Abotriti ad hanc expeditionem præpararentur: tentatumque in illa hieme duabus vicibus, si Albis transiri posset: sed mutatione subita aeris emolliti ac glacie fluminis resoluta, negotium mansit infectum: donec tandem hieme transacta circa medium Maium mensem opportunum proficiscendi tempus arrisit. Tunc omnes Saxonici Comites, omnesque Abotritorum copiæ cum legato Imperatoris **Balderîcho*, sicut iussum erat, ad auxilium † *Heriholto* ferendum trans *Egidoram* fluuium in terram Nordmannorum, nomine *Sinlendi* perueniunt; & inde profecti, VII tandem die in loco, qui dicitur *littus oceani*, castra ponunt: ibique statiuis triduo habitis, cum filii *Godefridi* contra eos magnis copiis & ducentarum nauium classe comparata, in insula quadam tribus millibus a continenti separata residerent, ipsique cum eis congredi non auderent, vastatis circumquaque vicinis pagis, & acceptis popularium obsidibus XL, ad Imperatorem in Saxoniam reuersi sunt: ipse enim tunc temporis in loco, qui dicitur *Padrabrunna*, generalem populi sui conuentum habebat. Ibi ad eum omnes orientalium Sclauorum primores & legati venerunt. Priusquam tamen illuc veniret, sed domi adhuc esset, allatum est ei, quosdam de primoribus Romanorum ad interficiendum *Leonem* Papam in ipsa urbe Roma conspirasse: ac deinde cum huius causæ indicium ad Pontificem esset delatum, omnes illius factionis auctores ipsius iussu fuisse trucidatos. Quod cum moleste ferret, ordinatis tunc Sclauorum & * *Heriholti* rebus, ipsoque in Saxonia dimisso, cum ad *Franconofurt* palatium venisset, *Bernhartum* Regem Italiæ nepotem suum, qui & ipse secum in Saxonia fuerat, ad cognoscendum, quod nuntiabatur, Romam mittit. Is cum eo venisset, ægritudine decubuit: res tamen, quas compererat, per *Gerboltum* Comitem, qui ad hoc legatus erat datus, Imperatori nuntiauit: quem legati Pontificis *Ioannes* Siluæ candidæ, *Theodorus* Nomenclator, & *Sergius* Dux subsecuti, de iis, quæ Domino obiiciebantur, per omnia Imperatori satisfecerunt. Legati Sardorum de *Carali* ciuitate venerunt dona ferentes. Pax, quæ cum *Abulaz* Rege Saracenorum facta est & per triennium seruata, velut inutilis rupta, & contra eum iterum susceptum est bellum. *Nordbertus* Episcopus & *Richwinus* Comes de Constantinopoli regressi, descriptionem pacti, quam *Leo* Imperator eis dederat, detulerunt: qui inter cetera terræ motum grauissimum mense Augusto per continuos V dies ibi contigisse retulerunt:

* al. *Baldrico*

† al. *Harioldo*

* al. *Harioldi*

lerunt: quo & ipsius ædificia vrbis complura cecidisse, & aliarum ciuitatum populos ruinis oppressos esse, testati sunt. Sed & in Gallia *Santones* ciuitas Aquitaniæ, mense Septembri dicitur tremuisse. Rhenus fluuius alpinis imbribus auctus vltra solitum exundauit. Cum Romani *Leonem* Papam ægritudine decubuisse viderent, collecta manu omnia prædia, quæ in singularum ciuitatum *ditionibus nouiter extruxerat, primo diripiunt, deinde immisso igne cremant: tum Romam ire statuunt, & quæ sibi erepta querebantur, violenter auferre. Quo comperto, *Bernhartus* Rex missa manu per *Winigisum* Ducem Spoletanum & seditionem illam sedauit, & eos a cœpto desistere fecit: quæque erant gesta per legatos Imperatori nuntiauit.

*al. territoriis

DCCCXVI

HIeme transacta Saxones & orientales Franci expeditione in Sorabos Sclavos, qui dicto audientes non erant, facere iussi, imperata strenue compleuerunt, & contumacium audaciam non magno labore compresserunt. Nam vna ciuitate expugnata, quidquid in ea gente rebelle videbatur, subiugatione promissa quieuit. *Vascones*, qui trans *Garonnam* & circa Pyreneum habitant, propter sublatum Ducem suum, nomine **Sigwinum*, quem Imperator ob nimiam eius insolentiam ac morum prauitatem inde sustulerat, solita leuitate commoti, coniuratione facta omnimoda defectione desciuerunt. Sed duabus expeditionibus ita sunt edomiti, vt tarda eis deditio & impetratio videretur. Interea Dominus *Leo* Papa, anno Pontificatus sui XXI circiter, VIII Kalend. Iun. de corpore migrauit, *Stephanusque* Diaconus in locum eius electus atque ordinatus est. Nondumque duobus post consecrationem suam exactis mensibus, quam maximis potuit itineribus ad Imperatorem venire contendit: missis interim duobus legatis, qui quasi pro sua consecratione Imperatori suggererent. Quod vbi Imperator audiuit, *Remis* ei occurrere statuit, missis obuiam iis, qui eum illo deducerent: & adventum eius præueniens, magno eum honore suscepit. Qui statim Imperatori aduentus sui causam insinuans, celebratis ex more Missarum solenniis, eum diadematis impositione coronauit. Multis deinde inter eos muneribus datis & acceptis, conuiuiisque optime celebratis, & amicitia vicissim fortissimo robore constituta, aliisque vtilitatibus sanctæ Dei ecclesiæ pro temporis opportunitate dispositis, Pontifex Romam, Imperator *Compendium* palatium petiit. Ibi cum moraretur, legatos Abotritorum, & de Hispania legatos ab *Abdirachmam* filio *Abulaz* Regis ad se missos suscepit: completisque ibi XX vel eo amplius diebus Aquasgrani ad hiemandum profectus est.

*al. Sigiwinum

DCCCXVII

LEgati **Abdirachmam* filii *Abulaz* Regis Saracenorum, de Cæsaraugusta missi, pacis petendæ gratia venerunt, & Compendio ab Imperatore auditi, Aquasgrani eum præcedere iussi sunt. Quo cum peruenisset, legatum *Leonis* Imperatoris de Constantinopoli, pro Dalmatarum causa missum, *Nicephorum* nomine, suscepit: quem etiam, *Cadolach* ad quem illorum confinium cura pertinebat, non aderat, & tamen breui venturus putabatur, aduentum illius iussit operiri. Quo veniente, ratio inter eum & legatum Imperatoris de quæstionibus, quas idem detulit, habita est. Et quia res ad plurimos & Romanos & Sclauos pertinebat, neque sine illorum præsentia finiri posse videbatur, illo decernenda differtur: missusque ad hoc cum **Cadolach* & prædicto legato in Dalmatiam *Albigarius Vnrochi* nepos. Legati etiam *Abdirachman* cum tribus mensibus detenti essent, & iam de reditu desperare coepissent, remissi sunt. Filii quoque *Godefridi* Regis Danorum, propter assiduam **Heriholti* infestationem, missa ad Imperatorem legatione, pacem petunt, eamque a se seruandam pollicentur. Sed cum hæc simulata magis, quam veracia viderentur, velut inania neglecta sunt, & auxilium contra eos *Heriholto* datum. Luna Non. Febr. hora noctis II defecit, & cometes in signo Sagittarii apparuit. Intera *Stephanus*

*al. Abdirahman
*al. Cadolah
*al. Herioldi

Papa tertio, postquam Romam venerat, mense, sed nondum exacto, circiter VIII Kal. Febr. diem obiit. Cui *Paschalis* successor electus, post completam solenniter ordinationem suam, & munera & excusatoriam Imperatori misit epistolam, in qua sibi non solum nolenti, sed etiam plurimum renitenti, Pontificatus honorem velut inpactum asseuerat. Missa tamen alia legatione quod praecessoribus suis factum erat, etiam secum fieri ac firmari rogauit. Hanc legationem *Theodorus* Nomenclator & detulit, & ea, quae petierat, impetrauit. Feria quinta, qua *Coena Domini* celebratur, cum Imperator ab ecclesia peracto sacro officio remearet, lignea porticus, per quam incedebat, cum fragili materia esset aedificata, & iam marcida & putrefacta, quae contignationem & tabularum sustinebant, transtra pondus aliquod ferre non possent, incedentem desuper Imperatorem subita ruina cum XX & eo amplius hominibus, qui vna ibant, ad terram vsque depressit. Qui casus cum plerosque ex iis, qui simul deciderant, grauiter affecisset, illi nihil aliud laesionis intulit, quam quod capulo gladii, quo accinctus erat, imi pectoris pars sinistra contusa est; & auris dextera in parte vulnerata, femur quoque dextrum cuiusdam ligni pondere iuxta inguina collisum; sed opera medicorum, qui ei curam adhibebant, summa celeritate conualuit; nam vicesimo, postquam id acciderat, die Nouiomagum profectus, venatu sese exercebat. Vnde reuersus generalem populi sui conuentum Aquisgrani habuit: in quo filium suum primogenitum *Lotharium* coronauit, & nominis atque imperii sui socium sibi constituit: ceteros Reges appellatos, unum *Aquitaniae*, alterum *Baioariae* praefecit. Conuentu peracto cum *Vogesi* saltum venandi gratia peteret, obuios habuit legatos *Leonis* Imperatoris: quos cum in *Ingelheim* palatio iuxta Moguntiacum ciuitatem audiisset, ac legationem eorum non aliam esse, nisi quam *Nicephorus*, eiusdem Imperatoris legatus, proxime attulerat, comperisset, celeriter absolutos dimisit, & quo tendebat proficiscitur, Nunciataque defectione Abotritorum & *Sclaomiri*, Comitibus tantum, qui iuxta Albim in praesidio residere solebant, vt terminos sibi commissos tuerentur, per legatum mandauit. Caussa defectionis erat, quod regiam potestatem, quam *Sclaomir* eatenus post mortem **Thrasiconis* solus per Abotritos tenebat, cum *Ceadrago* filio *Thrasiconis* partiri videbatur. Quae res illum tam grauiter exacerbauit, vt affirmaret, se nunquam Albim fluuium transiturum, neque ad palatium venturum. Statim missa trans mare legatione, iunxit amicitiam cum filiis *Godefridi*, & vt exercitus *trans Albim mitteretur, imperauit. Nam & classis eorum per Albim vsque ad **Essesfeld* castellum venit, quae totam *Sturiae* fluminis ripam deuastauit: & *Gluomi*, Nordmannici limitis Custos, pedestres copias ducens, simul cum Abotritis terreno itinere ad ipsum castellum accessit Quibus cum nostri fortiter: restitissent, omissa castelli oppugnatione discesserunt. Interea dum Imperator venatione peracta de *Vogeso* Aquasgrani reuerteretur, nuntiatum est ei, *Bernhartum* nepotem suum, Italiae Regem, quorundam prauorum hominum consilio tyrannidem meditatum, iam omnes aditus (*a*) (id est, *Clusas*) quibus in Italiam intratur, impositis firmasse praesidiis, atque omnes aditus Italiae in illius verba iurasse: quod ex parte verum, ex parte falsum erat. Ad quos motus comprimendos cum ex tota Gallia atque Germania congregato cum summa celeritate magno exercitu Imperator ad Italiam festinasset, *Bernhartus* rebus suis diffidens, maxime quod se a suis quotidie deseri videbat, armis depositis apud *Cabillonem* Imperatori se tradidit: quem secuti sunt alii, & non solum armis depositis se dediderunt, verum vltro & ad primam interrogationem omnia, vt gesta erant, aperuerunt. Huius coniurationis principes fuere *Eggideo*, inter omnes amicos Regis primus, & *Reginhartus*, *Cubicularius eius, & *Reginharius*, *Meginharii* Comitis filius, cuius maternus auus *Hartradus* olim in Germania cum multis ex ea prouincia nobilibus contra *Karolum* Imperatorem coniurauit. Erant praeterea alii multi praeclari & nobiles viri, qui in eodem scelere deprehensi sunt; inter quos & aliqui Episcopi, *Anshelmus* Mediolanensis, & *Wolfoldus* Cremonensis, & **Theodolphus* Aurelianensis.

* al. *Thrasiconis*

* al. in *Saxoniam transalbinam*

* al. *Esfeld*

* al. *Camerarius*

* al. *Theodulfus*

(*a*) Hac ex margine in textum irrepserunt. Nam in manuscr. desunt.

DCCCXVIII

DCCCXVIII

DEtecta fraude ac coniuratione patefacta, ac seditiosis omnibus in potestatem suam redactis, Imperator Aquasgrani reuertitur: transactoque quadragesimali ieiunio, paucis post Pascha diebus, coniurationis auctores, qui superius nominati sunt, & *Bernhartum* Regem iudicio Francorum capitali sententia condemnatos, luminibus tantum iussit orbari: Episcopos synodali decreto depositos, monasteriis mancipari: ceteros prout quisque vel nocentior vel innocentior apparebat, vel exilio proscribi, vel detondi, atque in monasteriis conuersari. Atque iis ita dispositis ipse cum maximo exercitu *Britanniam* aggressus, generalem conuentum *Venedis* habuit: inde memoratam prouinciam ingressus, captis rebellium munitionibus, breui totam in suam potestatem non magno labore redegit. Nam postquam *Mormanus*, qui in ea præter solitum Brittonibus morem, regiam sibi vendicauerat potestatem, ab exercitu occisus est, nullus Britto inueniebatur, qui resisteret, aut qui imperata facere, aut qui obsides qui iubebantur, dare renueret. Qua expeditione completa, cum Imperator dimisso exercitu *Andegauos* ciuitatem esset reuersus, *Irmingardis* Regina, coniux eius, quam proficiscens ibi ægrotantem dimiserat, duobus diebus, postquam ipse ad eam venit, morbo inualescente V Non. Octobr. decessit. Eclipsis solis contigit VIII Id. Iul. Imperator per *Rotomagum* & *Ambianos*, & *Cameracum* Aquasgrani ad hibernandum reuersus, cum *Haristallium* venisset, obuios habuit legatos *Sigonis* Ducis Beneuentanorum dona deferentes, eumque de nece *Grimoaldi* Ducis antecessoris sui accusantes. Erant ibi & aliarum nationum legati, Abotritorum videlicet, ac *Bornæ* Ducis *Guduscanorum* & *Timotianorum*, qui nuper a Bulgarorum societate desciuerant: simul & * *Liudewiti* Ducis Pannoniæ inferioris, qui res nouas moliens, *Cadolaum* Comitem & Marcæ Foroiuliensis Præfectum, crudelitatis & insolentiæ accusare conabatur. Quibus ibi auditis atque dimissis, Imperator Aquasgrani ad hiemandum profectus est.

* al. *Ludewici*

DCCCXIX

SClaomir Abotritorum Rex, ob cuius perfidiam vlciscendam exercitus Saxonum & orientalium Francorum eodem anno trans Albim missus fuerat; per Præfectos Saxonici limitis & legatos Imperatoris, qui exercitui præerant, Aquasgrani adductus est. Quem cum primores populi sui, qui simul iussi venerant, multis criminibus accusarent, & ille rationabili defensione obiecta sibi refellere non valeret, exilio condemnatus est, & regnum *Ceadrago* * *Thrasiconis* filio datum. Simili modo & *Luppus* *Centuli Vasco, qui cum *Berngario* Tolosæ & *Warino* Auerni Comite eodem anno prœlio conflixit, in quo & fratrem *Garuhandum*, singularis amentiæ hominem, perdidit: & ipse, nisi fugiendo sibi consuluisset, prope interitum fuit, cum in conspectum Imperatoris venisset, ac de perfidia, cuius a memoratis Comitibus accusabatur, se purgare non potuisset, & ipse est temporali exilio damnatus. Conuentus Aquisgrani post natalem Domini habitus, in quo multa de statu ecclesiarum & monasteriorum tractata atque ordinata sunt: Legibus etiam capitula quædam necessaria, quia deerant, conscripta atque addita sunt. Quo peracto Imperator inspectis plerisque Nobilium filiabus, *Welpi* Comitis filiam, nomine *Iudith*, duxit vxorem. Iterumque conuentus mense Iulio apud *Ingelheim* palatium habitus & exercitus de Italia in Pannoniam propter * *Liudewiti* rebellionem missus: qui rebus parum prospere gestis, infecto pæne negotio regressus est. Et *Liudewitus*, superbia elatus, legatos quasi pacem petendo ad Imperatorem misit, conditiones quasdam proponens, ad quarum concessionem ea, quæ iuberentur, se facturum pollicebatur. Quas cum Imperator non reciperet, aliasque ei per suos legatos proponeret, permanendum sibi in inchoata perfidia velut optimum iudicans, missis circumquaque legatis, vicinas gentes ad bellum sollicitare curauit: *Timotianorum* quoque populum, qui dimissa Bulgarorum societate ad Imperatorem venire, ac ditioni eius se permittere

* al. *Thrasiconis*
* al. *Centulli*
* al. *Ludewici*

tere gestiebat, ne hoc fieret, ita intercepit, ac falsis persuasionibus illexit, ut omisso, quod facere cogitabat, perfidiæ illius socius & adiutor existeret. Exercitu vero de Pannonia reuerso, * *Cadolach* Dux Foroiuliensis febre correptus, in ipsa Marchia decessit. Cui cum *Baldrichus* esset surrogatus, & in Carantanorum regionem, quæ ad ipsius curam pertinebat, fuisset ingressus, obuium ibi habuit * *Liudewiti* exercitum; quem iuxta *Drauum* fluuium iter agentem parua manu aggressus, pluribus interfectis, & auertit, & de illa prouincia fugauit. *Borna* vero Dux Dalmatiæ cum magnis copiis ad *Colapium* fluuium *Liudewito* ad se venienti occurrens, in prima congressione a *Guduscanis* deseritur: auxilio tamen Prætorianorum suorum protectus euasit. Periit in eo prœlio *Dragomosus*, socer *Liudewiti*, qui in exordio defectionis, relicto genero, *Bornae* se coniunxerat. *Guduscani* domum regressi, iterum a *Borna* subiguntur. At *Liudewitus* occasionem nactus, cum valida manu mense Decembri Dalmatiam ingressus, ferro & igne deuastauit. Cui cum *Borna* se penitus imparem respiceret, omnia sua castellis inclusit, & ipse cum delecta manu nunc a tergo, nunc a latere insistens, *Liudewiti* copias & interdiu, vbicunque poterat, lacerauit, neque eum in sua prouincia impune versari permisit: ad extremum graui damno affectum regione coegit excedere, tribus hominum millibus de exercitu illius interfectis, & CCC vel eo amplius caballis captis, præter sarcinas & spolia diuersi generis direpta: quæ qualiter gesta fuerint, per legatos suos Imperatori nuntiare curauit. At in partibus occiduis *Pipinus* Imperatoris filius iussu patris *Vasconiam* cum exercitu ingressus, sublatis ex ea seditiosis totam eam prouinciam ita pacauit, ut nullus in ea rebellis aut inobediens remansisse videretur. * *Heriholtus* quoque iussu Imperatoris ad naues suas per Abotritos reductus, in patriam, quasi regnum ibi accepturus, nauigauit. Cui se duo ex filiis *Godefridi*, quasi vna cum eo regnum habituri, sociasse dicuntur, aliis duobus patria expulsis: sed hoc dolo factum putatur. Imperator conuentu dimisso primo *Cruciniacum*, deinde *Bingam* veniens, secunda aqua *Confluentem* vsque per Rhenum nauigauit: inde *Arduennam* venandi gratia proficiscitur: venatorio quoque exercitio more solenni ibidem exacto Aquasgrani ad hiemandum reuertitur.

* al. Cadolah paulo ante Cadolaus

* al. Ludewici

* al. Herioldus

DCCCXX

MEnse Ianuario conuentus ibidem habitus, in quo de * *Liudewiti* defectione deliberatum est, vt tres exercitus simul ex tribus partibus ad deuastandam eius regionem, atque ipsius audaciam coercendam mitterentur. *Borna* quoque primo per legatos, deinde ipse veniens, quid sibi facto opus esse videretur, suggessit. In eo conuentu *Bero* Comes Barcinonæ, qui iamdiu fraudis & infidelitatis a vicinis suis insimulabatur, cum accusatore suo equestri pugna confligere conatus, vincitur. Cumque vt reus maiestatis capitali sententia damnaretur, parsum est ei misericordia Imperatoris, & *Rotomagum* exilio * proscriptus est. Transacta hieme vt primum herba pabulum iumentis præbere potuit, tres illi exercitus contra * *Liudewitum* mittuntur: quorum vnus de Italia per alpes Noricas, alter per Carantanorum prouinciam, tertius per Baioariam & Pannoniam superiorem intrauit. Et duo quidem, id est, dexter ac sinister tardius ingressi sunt, eo quod vnus alpium transitu hostium manu resistente prohibebatur; alter & longitudine itineris & *Drauo* flumine, quod traiiciendum erat, impediebatur: melius autem qui per Carantanos intrabat, quanquam tribus in locis ei resisteretur, feliciori usus fortuna, ter hoste superato, *Drauo* etiam transmisso, celerius ad destinata loca peruenit. Contra hæc *Liudewitus* nihil molitus, munitione tantum castelli, quod in arduo monte construxerat, se suosque continuit; & nec belli nec pacis vel per semetipsum vel per legatos vllum sermonem habuisse dicitur. Exercitus vero postquam in vnum convenerunt, totam pæne regionem ferro & igne vastantes, haud vllo graui damno accepto, domum reuersi sunt. Is tamen, qui per Pannoniam superiorem iter fecerat, in transitu *Draui* fluminis ex locorum & aquarum insalubritate

* al. Ludewici

* al. deportatur

* al. Ludewicum

britate soluti ventris incommodo grauiter affectus est, & pars eius non modica hoc morbo consumpta est. Hi tres exercitus de Saxonia & orientali Francia, & Alemannia, Baioaria quoque atque Italia congregati sunt. Quibus domum reuersis, *Carniolenses*, qui *a*) *Carcasauum* fluuium habitant, & Foroiuliensibus pæne contigui sunt, *Baldricho* se dediderunt. Idem & pars Carantanorum, quæ ad *Liudewiti* partes a nobis defecerat, facere curauit. Fœdus inter nos & *Abulaz* Regem Saracenorum constitutum: & neutri parti satis proficuum, consulto ruptum, bellumque aduersus eum susceptum est. In Italico mari octo naues negotiatorum de Sardinia ad Italiam reuertentium a piratis captæ ac demersæ sunt. De Nordmannia vero XIII piraticæ naues egressæ, primo in Flandrensi littore prædari molientes, ab iis, qui in præsidio erant, repulsæ sunt: vbi tamen ab eis propter iniuriam aliquot casæ viles incensæ, & paruus numerus pecoris est abactus. In ostio Sequanæ similia tentantes, resistentibus sibi littoris custodibus, quinque suorum interfectis irritæ discesserunt. Tandem in Aquitanico littore prosperis vsæ successibus, vico quodam, qui vocatur *Bundium*, ad integrum depopulato, cum ingenti præda ad propria reuersæ sunt. Hoc anno propter iuges pluuias & aerem humore nimio resolutum magna incommoda contigerunt: nam & hominum & boum pestilentia tam immane longe lateque grassata est, vt vix vlla pars totius regni Francorum ab hac peste immunis & intacta posset inueniri. Frumenta quoque & legumina imbrium assiduitate corrupta, vel colligi non poterant, vel collecta computrescebant. Vinum etiam, cuius paruus prouentus eodem anno fuit, propter caloris inopiam acerbum & insuaue fiebat. In quibusdam vero locis ex inundatione fluminum, aquis in plano stagnantibus, autumnalis satio ita impedita est, vt penitus nil frugum ante vernum tempus seminaretur, Luna defecit VIII Kal. Decembr. hora noctis II. Imperator post actum *Carisiaci* conuentum, autumnalemque venationem ex more completam, Aquas reuersus est.

a) In antiquo manuscr. recte, *circa* Sauum *fluuium*, legitur. Nam hæc lectio aperte falsa est.

DCCCXXI

Conuentus mense Septembri Aquisgrani habitus, & in eo de bello Liudevvitico tractatum, ac tres exercitus ordinati, qui futura æstate perfidorum agros per vices vastarent. Simili modo de Marca Hispanica constitutum, & hoc illius limitis Præfectis imperatum est. Iterumque conuentus mense Maio Nouiomagi habendus indictus est, Comitesque, qui illuc venirent, deputati. Eo anno Dominus Imperator post festi paschalis expletionem per Mosam nauigauit, ibique constitutam annis superioribus atque conscriptam inter filios suos regni partitionem recensuit, ac iuramentis Optimatum, qui tunc adesse potuerant, confirmauit. Susceptisque ibidem *Paschalis* Romani Pontificis legatis, *Petro* videlicet Centumcellensi Episcopo & *Leone* Nomenclatore, eisdem celeriter absolutis, Comitibus etiam, qui aderant, ad expeditionem Pannonicam destinatis, ipse paululum ibi remoratus, Aquasgrani reuersus est. Et post paucos dies per Arduennam iter faciens, Treueros ac Metis venit; indeque *Rumrichi castellum* petens, reliquum æstiui caloris & autumni dimidium exercitatione venatoria in *Vogesi* saltu atque secretis exegit. Interea *Borna* Dux Dalmatiæ atque Lyburniæ defunctus est: & petente populo atque Imperatore consentiente, nepos illius, nomine *Ladasclauus*, Successor ei constitutus est. Allatum est & de morte *Leonis* Constantinopolitani Imperatoris, quod conspiratione quorundam Optimatum suorum, & præcipue *Michaelis* Comitis, domesticorum insidiis in ipso palatio sit interemptus; qui suffragio ciuium & prætorianorum militum studio infulas imperii suscepisse dicebatur. *Fortunatus* Patriarcha Gradensis cum a quodam Presbytero suo, nomine *Tyberio*, apud Imperatorem fuisset accusatus, quod *Liudewitum* ad perseuerandum in perfidia, qua cœperat, hortaretur, eumque ad castella sua munienda artifices & murarios mittendo iuuaret, & ob hoc ad palatium ire iuberetur, primo velut iussionem impleturus

turus in Histriam profectus est: inde simulato reditu ad *Gradum* ciuitatem, nullo suorum præter eos, cum quibus hoc tractauerat, suspicante, nactus occasionem clam nauigauit: veniensque *Iaderam*, Dalmatiæ ciuitatem, *Ioanni* Præfecto prouinciæ illius fugæ suæ causas aperuit: qui eum statim naui impositum Constantinopolim misit. Medio mense Octobri conuentus generalis apud *Theodonis villam* magna populi Francorum frequentia celebratur: in quo *Lotharius*, primogenitus Imperatoris *Ludouici*, *Irmingardim*, *Hugonis* Comitis filiam, solenni more duxit vxorem. Illuc etiam legati Romani Pontificis, *Theodorus* Primicerius ac *Florus*, cum magnis venere muneribus. Affuere & Comites in eodem conuentu iam de Pannonia regressi, qui depopulata desertorum & *Liudewito* adhærentium vniuersa regione, cum nullus eis ibidem copiam pugnandi fecisset, domum regressi sunt. Eminuit in hoc placito piissimi Imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos, qui cum *Bernharto* nepote suo in Italia contra caput ac regnum suum coniurauerunt: quibus sibi ad præsentiam venire iussis, non solum vitam & membra concessit, verum etiam possessiones, iudicio legis in fiscum redactas, magna liberalitate restituit. *Adelhardum* quoque de Aquitania, vbi exulabat, euocatum, *Corbeiæ* monasterio, vt prius fuerat, Abbatem ac Rectorem esse iussit: & *Bernarium* fratrem eius reconciliatum eidem monasterio reddidit. Completisque iis, quæ ad regni vtilitatem inchoauerat, & sacramento, quod apud *Nouiomagum* pars Optimatum iurauerat, generaliter consummato, ipse Aquasgrani reuertitur. Filium autem *Lotharium* post nuptias ritu solenni celebratas, ad hiemandum Wormatiam misit. De parte Danorum omnia quieta eo anno fuerunt: & *Heriholtus* a filiis *Godefridi* in societatem regni receptus: quæ res tranquillum inter eos huius temporis statum fecisse putatur. Sed quia *Ceadragus* Abotritorum Princeps perfidiæ & cuiusdam cum filiis *Godefridi* factæ societatis notabatur, *Sclaomir* æmulus eius in patriam remittitur. Qui cum in Saxoniam venisset, ægritudine decubuit, perceptoque baptismatis sacramento defunctus est. Autumnalis satio iugitate pluuiarum in quibusdam locis impedita est: cui hiems in tantum prolixa successit, & aspera, vt non solum minores riui ac mediocres fluuii, verum ipsi maximi amnes, Rhenus videlicet, ac famosissimi Danubius, Albisque ac Sequana, ceteraque per Galliam atque Germaniam in oceanum petentia flumina adeo solida glacie stringerentur, vt XXX vel eo amplius diebus plaustra huc atque illuc commeantia velut pontibus vincta sustinerent: cuius resolutio non modicum villis iuxta Rheni fluenta constitutis damnum intulit.

DCCCXXII

IN regione *Thuringorum* quodam in loco iuxta fluuium cespis longitudine pedum L, latitudine XIV, altitudine sesquipedali de terra sine manibus & præcisus & sublatus est, & ab eo loco, in quo sumptus est, XXV pedum spatio distans inuentus est. Item in parte orientali Saxoniæ, quæ Soraborum finibus contigua est, in quodam deserto loco iuxta lacum, qui dicitur *Arnseo*, in modum aggeris terra intumuit, & limitem vnius leucæ longitudine porrectum, sub vnius noctis spatio absque humani operis molimine ad instar valli sustulit. *Winigisus* Dux Spoletanus, iam senio confectus, habitu sæculari deposito monasticæ se mancipauit conuersationi, ac non multo post tactus corporis infirmitate decessit. In cuius locum *Suppo* Brixiæ Comes substitutus est. Dominus Imperator consilio cum Episcopis & Optimatibus suis habito, fratribus suis, quos inuitos tonderi iussit, reconciliatus est: & tam de hoc facto, quam & de iis, quæ erga *Bernhartum* filium fratris sui *Pipini*, nec non & iis, quæ circa *Adelhardum* Abbatem & fratrem eius *Walachum* gesta sunt, publicam confessionem fecit, & pœnitentiam egit: quod tamen in eo conuentu, quem eodem anno mense Augusto *Attiniaci* habuit, in præsentia totius populi sui peregit: in quo quicquid similium rerum vel a se vel a patre factum inuenire potuit, summa deuotione emendare curauit. Exercitus de Italia propter Liudevviticum bellum conficiendum in Pannoniam missus est. Ad cuius aduentum *Liudewitus* *Sisçia* ciuitate relicta

relicta ad Sorabos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinere dicitur, fugiendo se contulit, & vno ex Ducibus eorum, a quo receptus est, per dolum interfecto, ciuitatem eius in suam redegit ditionem: missis tamen ad exercitum Imperatoris legatis suis, ad eius præsentiam se velle venire promisit. Saxones interea iussu Imperatoris castellum quoddam trans Albim in loco, cui *Delbende* nomen, ædificant, depulsis ex eo Sclauis, qui illum prius occupauerant: præsidiumque Saxonum in eo oppositum contra incursiones illorum. Comites Marcæ Hispanicæ trans *Sicorim* fluuium in Hispania profecti, vastatis agris & incensis compluribus villis, & capta non modica præda regressi sunt. Simili modo post æquinoctium autumnale a Comitibus Marcæ Britannicæ in possessionem cuiusdam Britonis, qui rebellis tunc extiterat, nomine *Wihormachus*, expeditione facta, & omnia ferro & igne vastata sunt. Peracto conuentu, qui *Attiniaci* habebatur, Imperator venandi gratia Arduennam petiit, *Lotharium* vero filium suum in Italiam misit: cum quo *Walachum* monachum propinquum suum, fratrem videlicet *Adelharti* Abbatis, & *Gerungum*, ostiariorum Magistrum, vna misit: quorum consilio & in re familiari & in negotiis ad regni commoda pertinentibus vteretur. *Pipinum* autem in Aquitaniam ire præcepit: cum tamen prius filiam *Thietberti* Comitis Matricensis in coniugium fecit accipere; & post nuptias celebratas ad occiduas regiones proficisci. Ipse vero peracta autumnali venatione trans Rhenum hiematum ad *Franconofurt* profectus est; ibique generali conuentu congregato, necessaria quæque & ad vtilitatem orientalium regni sui finium pertinentia, more solenni cum Optimatibus, quos ad hoc euocari iusserat, tractare curauit. In quo conuentu omnium orientalium Sclauorum, hoc est, *Abotritorum*, *Soraborum*, *Wilsorum*, *Behemannorum*, *Maruanorum*, *Predecentorum*, & in Pannonia residentium *Auarum* legationes cum muneribus ad se missis excepit. Fuere in eodem conuentu & legationes de Nordmannia, tam de parte *Heriholti*, quam filiorum *Godefridi*. Quibus omnibus auditis atque dimissis, ipse in eodem loco constructis ad hoc necessariis ædificiis nouis, quemadmodum secum statuerat, hiemauit.

DCCCXXIII

MEnse Maio conuentus ibidem habitus est, in quo non vniuersæ Franciæ primores, sed de orientali Francia, Baioaria, Alemannia, atque Alemanniæ contermina Burgundia, & regionibus Rheno adiacentibus adesse iussi sunt. In quo inter ceteras barbarorum legationes, quæ vel sua sponte venerunt, duo fratres, Reges videlicet Wilsorum, controuersiam inter se de regno habentes, ad Imperatoris præsentiam venerunt: quorum nomina sunt *Meligastus* & *Celeadragus*: erant enim filii *Liubi*, Regis Wilsorum, qui licet cum fratribus suis regnum suum diuisum teneret, tamen propterea, quod natu maior esset, ad eum totius regni summa pertinebat: qui vbi commisso cum orientalibus Abotritis prœlio cecidisset, Wilsi filium eius *Meligastrum*, qui maior erat, Regem sibi constituunt. Sed cum is secundum ritum gentis commissum sibi regnum parum digne administraret, illo abiecto iuniori fratri regium honorem detulerunt: quam ob causam ambo ad præsentiam Imperatoris venerunt. Quos cum audisset, gentis voluntatem proniorem in iunioris fratris honore agnouisset, statuit, vt is delatam sibi a populo suo potestatem haberet: ambos tamen muneribus donatos & sacramento firmatos in patriam remisit. Accusatus est in eodem palatio apud Imperatorem *Ceadragus* Abotritorum Princeps, quod se erga partem Francorum parum fideliter ageret, & ad Imperatoris præsentiam iam diu venire dissimulasset: propter quod ad eum legati directi sunt: cum quibus ille iterum quosdam ex primoribus gentis suæ ad Imperatorem misit, perque illorum verba promisit, se ad proximum hiemis tempus ad illius præsentiam esse venturum. *Lotharius* vero cum secundum patris iussionem in Italia iustitias faceret, & iam se ad reuertendum de Italia præpararet, rogante *Paschale* Papa Romam venit; & honorifice ab illo susceptus in sancto *Paschali* die apud sanctum *Petrum* regni coronam, & Imperatoris & Augusti nomen accepit. Inde Papiam

Papiam regressus mense Iunio ad Imperatorem venit. Qui cum Imperatori de iustitia in Italia a se partim facta partim inchoata fecisset indicium, missus est *Adelhardus* Comes palatii, iussumque est, vt *Mauringum* Brixiæ Comitem secum assumeret, & inchoatas iustitias perficere curaret. *Drogonem* fratrem eius, sub canonica vita degentem, Metensi ecclesiæ, Clero eiusdem vrbis consentiente atque eligente, Rectorem constituit, eumque ad Pontificatus gradum censuit promouendum. In eodem conuentu locus & tempus alterius conuentus habendi indicta sunt, Nouembris videlicet mensis, & *Compendium* palatium. Peracto itaque placito & dimissis proceribus cum Imperator iam inde digredi statuisset, allatum est ei de interitu *Liudewiti*, quod relictis Sorabis cum in Dalmatiam ad * *Liudemussum*, auunculum *Bornæ* Ducis, peruenisset, & aliquantum temporis cum eo moratus fuisset, dolo ipsius fuisse interfectum. Nuntiatum est etiam, *Theodorum* Romanæ ecclesiæ Primicerium, & *Leonem* Nomenclatorem, generum eius, in Patriarchio Lateranensi primo excæcatos, ac deinde fuisse decollatos; & hoc ideo eis contigisse, quod se in omnibus fideliter erga partes *Lotharii* iuuenis Imperatoris agerent. Erant & qui dicerent, vel iussu vel consilio *Paschalis* Pontificis rem fuisse perpetratam. Ad quod explorandum ac diligenter inuestigandum missi sunt *Adalungus* Abbas monasterii *S. Vedasti*, & *Hunfridus* Comes Curiensis. Sed antequam illi fuissent profecti, venerunt legati *Paschalis*, *Ioannes* Episcopus Siluæ candidæ, & *Benedictus* Archidiaconus sanctæ sedis Apostolicæ, rogantes Imperatorem, vt illam infamiam a Pontifice auferret, qua ille in memoratorum hominum necem consensisse credebatur. Quibus cum ille iuxta quod ratio postulabat respondisset, eosque dimisisset, prædictos legatos suos ad inuestigandam rei veritatem sicut prius, disposuit, Romam ire præcepit: ipse reliquum æstatis tempus in pago Wormatiensi, ac deinde in Arduenna transigens, peracta autumnali venatione ad Kal. Nouembr. sicut condixerat, Compendium venit. Legati Romam venientes rei certitudinem assequi non potuere: quia *Paschalis* Pontifex se ab huius facti communione cum magno Episcoporum numero iureiurando purgauit: & interfectores prædictorum, quia de familia *S. Petri* erant, summopere defendens, mortuos velut maiestatis reos condemnabat, iureque cæsos pronuntiabat; atque ab hoc cum prædictis, qui ad eum missi fuerant, legatis, *Ioannem* Siluæ candidæ Episcopum, & *Sergium* Bibliothecarium, *Quirinum* quoque Subdiaconum, ac *Leonem* Magistrum militum, ad Imperatorem misit. Qui cum tam per illos, quam per suos legatos de sacramento Pontificis & excusatione reorum comperisset, nihil vltra in hoc negotio sibi faciendum ratus, memoratum *Ioannem* Episcopum & socios eius ad Pontificem dato conuenienti responso remisit. *Ceadragus* Abotritorum Princeps, pollicitationibus suis fidem adhibens, cum quibusdam primoribus populi sui *Compendium* venit; dilatique per tot annos aduentus sui rationem coram Imperatore non improbabiliter reddidit: qui licet in quibusdam causis culpabilis appareret, tamen propter merita parentum suorum non solum impunitus, verum muneribus donatus ad regnum ire permissus est. Venerat & *Heriholtus* de Nordmannia, auxilium petens contra filios *Godefridi*, qui eum patria pellere minabantur. Ob cuius causam diligentius explorandam, ad eosdem filios *Godefridi Theotharius* & *Rodtmundus* Comites missi fuerunt. Qui causam filiorum *Godefridi* & statum totius regni Nordmannorum diligenter explorantes, aduentum *Heriholti* præcesserunt, & Imperatori omnia, quæ in illis regionibus comperire potuere, patefecerunt: cum quibus *Ebo* Remorum Archiepiscopus, qui consilio Imperatoris & Romani Pontificis auctoritate prædicandi gratia ad terminos Danorum accesserat, & æstate præterita multos ex iis ad fidem venientes baptizauerat, regressus est.

* al. *Ludembusium*

Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur; in quibus præcipua fuerunt in Aquensi palatio terræ motus; & in territorio Tullensi iuxta villam *Commerciarum* puella quædam annorum fere XXII ab omni cibo per X menses abstinens. Et in Saxonia, in pago, qui vocatur * *Frihsazi*, XXIII villæ cælesti igne concrematæ: & fulgura sereno atque interdiu de cælo cadentia,

* al. *Strisazi*

& in

& in multis regionibus fruges grandinis vastatione deletæ: atque in quibusdam locis simul cum ipsa grandine veri lapides, iique ingentis ponderis decidere visi. Domus quoque de cælo tactæ, hominesque ac cetera animalia passim fulminum ictu præter solitum crebro exanimata dicuntur. Secuta est ingens pestilentia, atque hominum mortalitas; quæ per totam Franciam grassata est, & innumeram hominum multitudinem diuersi sexus & ætatis grauissime sæuiendo consumsit.

DCCCXXIV

Rex Bulgarorum *Omortag* velut pacis faciendæ gratia legatos cum literis ad Imperatorem misit. Quod ille cum audisset, ac literas, quæ allatæ fuerant, legisset, rei nouitate non immerito permotus, ad explorandum diligentius insolitæ & nunquam prius in Franciam venientis legationis causam, **Michelinum* quendam de Baioaria cum ipsis legatis ad memoratum Regem Bulgarorum direxit. Interea hiems aspera valdeque prolixa est facta, quæ non solum cetera animalia, verum etiam homines quosdam immanitate frigoris extinxit. Luna defecit III Non. Mart. hora noctis secunda. *Suppo* Dux Spoletanus decessisse nuntiatur. Legati Romani Pontificis Romam regressi, eundem valida infirmitate detentum & morti iam proximum inuenerunt: qui etiam paucis post aduentum eorum diebus vita decessit. In cuius locum cum duo per contentionem populi fuissent electi, *Eugenius* tum Archipresbyter tit. *SS. Sabinæ*, vincente Nobilium parte, surrogatus atque ordinatus est. Cuius rei nuntium cum *Quirinus* Subdiaconus, vnus ex iis, qui priori legatione fungebantur, ad Imperatorem detulisset, conuentu circiter VIII Kal. Iul. pronuntiato atque Compendii habito, ipse ad Britannicam expeditionem per se faciendam animo intento, *Lotharium* filium, imperii socium, Romam mittere decreuit, vt vice sua functus ea, quæ rerum necessitas flagitare videbatur, cum nouo Pontifice atque Romano populo statueret ac firmaret. Ille ad hæc exequenda post medium Augustum in Italiam profectus est: Imperator vero iter, quod in Britanniam facere instituerat, propter famem, quæ adhuc præualida erat, vsque ad initium autumni aggredi distulit: tum demum adunatis vndique omnibus copiis *Redonas* ciuitatem terminis Britanniæ contiguam venit; & inde diuiso in tres partes exercitu, duabusque partibus filiis suis *Pipino* & *Ludouico* traditis, tertiaque secum retenta, Britanniam ingressus, totam ferro & igne vastauit: consumtisque in hac expeditione XL vel eo amplius diebus, acceptis, quos perfido Brittonum populo imperauerat, obsidibus, *Rotomagum* ciuitatem, vbi coniugem se operiri iusserat, ad XV Kal. Decembr. reuersus est: nam & illuc legatos *Michaelis* Imperatoris sibi occurrere iussit. Cum quibus & *Fortunatus* Patriarcha Gradensis regressus ad eius præsentiam venit. Sed legati Imperatoris literas & munera deferentes, pacis confirmandæ causa se missos esse dicentes, pro *Fortunato* nihil locuti sunt: inter cetera tamen ad legationem suam pertinentia quædam de imaginum veneratione protulerunt, propter quæ se Romam ire atque Apostolicæ sedis Præsulem consulere debere dixerunt. Quos cum legatione eorum audita ac responso reddito absolueret, vt se velle dicebant, Romam ducere iussit. *Fortunatum* etiam de causa fugæ ipsius percunctatus, Romam ire iussit, vt a Pontifice examinaretur. Ipse vero Aquasgrani, vbi hiemare statuerat, profectus est. Quo cum venisset, & ibi natalem Domini celebrasset, allatum est ei, quod legati Bulgarorum Regis essent in Baioaria: quibus obuiam mittens, ipsos vsque ad tempus congruum ibidem manere præcepit. Ceterum legatos Abotritorum, qui vulgo *Prædenecenti* vocantur, & contermini Bulgaris Daciam Danubio adiacentem incolunt, qui & ipsi aduentare nuntiabantur, illico venire permisit. Qui cum a Bulgaris inique infestari se quererentur, & contra eos auxilium sibi fieri deposcerent, domum ire, atque iterum ad tempus Bulgarorum legatis constitutum redire iussi sunt. *Suppone* apud Spoletum, sicut dictum erat, defuncto, eundem Ducatum *Adelhartus* Comes palatii, qui minor vocabatur, accepit: qui cum vix quinque menses eodem honore potiretur, correptus febre decessit. Cui cum

* al. *Madelinum*

Moringus Brixiæ Comes successor esset electus, nuntio honoris sibi deputati accepto decubuit, & paucis interpositis diebus vitam finiuit. *Aeblus* & *Asinarius* Comites cum copiis Vasconum ad * *Pompelonem* missi, cum peracto iam sibi iniuncto negotio reuerterentur, in ipso Pyreneo perfidia montanorum in insidias deducti ac circumuenti, capti sunt: & copiæ, quas secum habuere, pæne vsque ad internecionem deletæ. Et *Aeblus* quidem *Cordubam* missus, *Asinarius* vero misericordia eorum, qui eum ceperant, quasi consanguineus eorum esset, domum redire permissus est. *Lotharius* vero iuxta patris præceptum Romam profectus, ab *Eugenio* Pontifice honorifice suscipitur. Cui cum iniuncta sibi patefaceret, statum populi Romani iamdudum quorundam Præsulum peruersitate deprauatum, memorati Pontificis beneuola assensione ita correxit, vt omnes, qui rerum suarum direptione grauiter fuerant desolati, de restitutione bonorum suorum, quæ per illius aduentum Deo donante prouenerat, magnifice essent consolati.

* al. Pampilonem

Hoc anno paucis ante solstitium æstiuale diebus in territorio Augustudunensi aere in tempestatem subita mutatione conuerso, ingens fragmentum ex glacie simul cum grandine decidisse narratur: cuius longitudo XV, latitudo VII, crassitudo II pedes habuisse dicitur.

DCCCXXV

SAcro paschali festo solenniter Aquisgrani celebrato, arridente iam verno tempore, Imperator venandi gratia Nouiomagum profectus, legatos Bulgarorum circa medium Maium Aquasgrani venire præcepit: nam tunc illo reuerti statuit, habiturus ibidem conuentum, quem de Britannia regressus eo se tempore ibidem habiturum Optimatibus indicauerat. Quo cum peracta venatione fuisset reuersus, Bulgaricam legationem audiuit: erat enim de terminis ac finibus inter Bulgaros ac Francos constituendis. Affuerunt in eo conuentu pæne omnes Britanniæ primores, inter quos & *Wihormachus*, qui perfidia sua & totam Britanniam conturbauerat, & obstinatione stultissima ad memoratam expeditionem illo faciendam Imperatoris animum prouocauerat: tandem saniori vsus consilio, ad fidem Imperatoris, vt ipse dicebat, venire non dubitauit. Cui cum Imperator & ignosceret, & muneribus donatum cum ceteris gentis suæ primoribus domum remeare permitteret, promissam fidem, vt prius consueuerat, gentilitia perfidia commutauit: vicinos suos incendiis & direptionibus, in quantum potuit, non cessans infestare, donec ab hominibus * *Lantberti* Comitis in domo propria circumuentus atque interfectus est. Imperator vero audita Bulgarorum legatione per eosdem, qui ad eum missi fuerant, legatos, Regi eorum missis literis, prout videbatur, respondit: dimissoque conuentu in *Vogesum* ad * *Rumrichi* arcem venandi gratia profectus, filium suum *Lotharium* ex Italia regressum, ibique ad se venientem suscepit; ac peracta venatione Aquasgrani rediens, generalem populi sui conuentum more solenni mense Augusto habuit. In quo conuentu inter ceteras legationes, quæ de diuersis regionibus venerunt, etiam filiorum *Godefridi* de Nordmannia legatos audiuit, ac pacem, quam iidem sibi petebant, cum eis in Marca eorum mense Octobri confirmari fecit. Completis itaque omnibus negotiis, quæ ad illius conuentus rationem pertinere videbantur, Nouiomagum cum filio maiore concessit; minorem vero *Ludouicum* in Baioariam direxit: ipse autumnali venatione completa circa hiemis initium Aquasgrani reuersus est.

* al. Lamberti

* al. Rumerici montem

In territorio Tullensi iuxta *Commerciacum* villam puella annorum circiter XII, post sacram communionem, quam in Paschate de Sacerdotis manu Christiano more susceperat, primo pane, deinde aliis omnibus cibis & potibus abstinens, in tantum ieiunasse perhibetur, vt nulla penitus corporis alimenta percipiens, sine omni victus desiderio integrum triennium compleuerit. Cœpit autem ieiunare anno incarnationis Dominicæ DCCCXXIII, sicut in ipsius anni descriptione superius annotatum est: & hoc anno, id est, DCCCXXV circa Nouembris mensis initium peracto ieiunio escam sumere, ac more ceterorum mortalium manducando viuere cœpit.

DCCCXXVI

DCCCXXVI

CVm Regi Bulgarorum legati sui, quid egissent, renuntiarent, iterum eum, quem primo miserat, ad Imperatorem cum literis remisit, rogans, vt sine mora terminorum definitio fieret; vel si hoc non placeret, suos quisque terminos sine pacis fœdere tuerentur. Cui Imperator, quia fama erat, Bulgarorum Regem a suo quodam Optimate aut regno pulsum aut interfectum, respondere distulit: illoque expectare iusso, propter famæ certitudinem comperiendam *Bertrichum* palatii Comitem ad *Baldericum* & * *Gerholtum* Comites, & Auarici limitis Custodes in Carantanorum prouinciam misit: qui cum reuersus nihil certi super iis, quæ fama vulgauerat, reportasset, Imperator legatum ad se vocatum sine literis remeare fecit. Interea *Pipinus* Rex, filius Imperatoris, vt iussus erat, cum suis Optimatibus & Hispanici limitis Custodibus circa Kalend. Febr. Aquasgrani, nam ibi tunc Imperator hiemauerat, venit: cum quibus vbi de tuendis contra Saracenos occidentalium partium finibus esset tractatum & conclusum, *Pipinus* in Aquitaniam regressus, ibidem totam sequentem æstatem transegit. Imperator vero medio Maio Aquis egressus, circa Kal. Iun. ad * *Ingelheim* venit; habitoque ibi conuentu non modico, multas & ex diuersis terrarum partibus missas legationes audiuit & absoluit; inter quas præcipua ceterisque præeminens erat legatio Romani Pontificis, qua fungebantur *Leo* Centumcellensis Episcopus & *Theophylactus* Nomenclator: & de regionibus transmarinis *Dominicus* Abbas de monte Oliueti: legati quoque filiorum *Godefridi* Regis Danorum, pacis ac fœderis causa missi: & de Sclauorum regionibus quidam Abotritorum Princeps, *Ceadragum* Ducem suum accusantes. Accusabatur & *Tunglo*, vnus de Soraborum primoribus, quod & ipse dicto audiens non esset. Quorum vtrique denuntiatum est, quod si medio Octobri ad Imperatoris generalem conuentum venire distulerint, condignas perfidiæ suæ pœnas esse daturos. Venerunt & ex Britonum primoribus, quos illius limitis Custodes adducere voluerunt. Eodemque tempore * *Heriboltus* cum vxore & magna Danorum multitudine veniens, Moguntiaci apud *S. Albanum* cum iis, quos secum adduxit, baptisatus est, multisque muneribus ab Imperatore donatus, per Frisiam, qua venerat via, reuersus est: in qua prouincia Comitatus, qui *Rhiustri* vocatur, eidem datus est, vt in eum se cum rebus suis, si necessitas exigeret, recipere potuisset. Affuerunt & in eodem conuentu *Baldericus* & * *Gerholtus* Comites, ac Pannonici limitis Præfecti, & adhuc de motu Bulgarorum aduersum nos nihil se sentire posse testati sunt. Venit cum *Balderico* Presbyter quidam de Venetia, nomine *Georgius*, qui se organum posse facere asserebat: quem Imperator Aquasgrani cum *Thancolfo* Sacellario misit, & vt ei omnia ad id instrumentum efficiendum necessaria præberentur, imperauit: indictoque ac pronuntiato ad medium Octobris generali conuentu, ceteris omnibus more solenni absolutis, ipse trans Rhenum ad villam, quæ * *Sels* vocatur, cum Comitatu suo profectus est. Ibi ad eum legati Neapolitanorum venerunt, atque inde accepto responso ad sua regressi sunt. Ibi ad eius notitiam perlatum est de fuga ac perfidia *Aizonis*, quomodo fraudulenter * *Ausonam* ingressus, & a populo illo, quem dolo deceperat, receptus, totam ciuitatem destruxisset; castella eiusdem regionis, quæ firmiora videbantur, muniuisset; missoque ad *Abdirachmam* Regem Saracenorum fratre suo, auxilium, quod petebat, contra nostros accepisset. Sed Imperator, licet huius rei nuntium grauiter ferret, nihil tamen inconsulte gerendum iudicans, consiliariorum suorum aduentum statuit operiri; transactaque autumnali venatione circa Kal. Octobr. per Mœnum fluuium usque ad *Franconofurt* secunda aqua nauigauit. Inde ad *Ingelheim* medio Octobri veniens, generalem ibi, vt indictum erat, populi sui conuentum habuit: in quo & *Ceadragum*, Abotritorum Ducem, nec non & *Tunglonem*, qui apud eum perfidiæ accusabatur, audiuit: & *Tunglonem* quidem, accepto ab eo filio eius obside, domum redire permisit; *Ceadragum* vero, ceteris Abotritis dimissis, secum retinuit, missisque ad populum Abotritorum legatis, si eum sibi vulgus regnare vellet, perquirere

* al. Geroldum

* al. Ingilenheim

* al. Herioldus

* al. Salis

* al. Ausoniam

rere iussit: ipse autem Aquasgrani, vbi hiemare constituerat, profectus est. Cumque legati, quos ad Abotritos miserat, reuersi nuntiassent, variam gentis illius super Rege suo recipiendo sententiam, optimos tamen ac præstantissimos quosque de illius receptione concordare, acceptis ab eo, quos imperauerat, obsidibus, in regnum suum eum fecit restitui. Dum hæc aguntur, * *Ludouicus* Abbas *S. Dionysii* martyris Romam mittens, annuente precibus eius *Eugenio*, sanctæ sedis Apostolicæ tunc Præsule, ossa beatissimi martyris Christi *Sebastiani* accepit, & ea apud *Suessionam* ciuitatem in basilica *S. Medardi* collocauit. Vbi dum adhuc inhumata in loculo, in quo allata fuerunt, iuxta tumulum *S. Medardi* iacerent, tanta signorum ac prodigiorum multitudo claruit, tanta virtutum vis in omni genere sanitatum per diuinam gratiam in nomine eiusdem beatissimi martyris emicuit, vt a nullo mortalium eorundem miraculorum aut numerus comprehendi, aut varietas verbis valeat enuntiari: quorum quædam tanti stuporis esse narrantur, vt humanæ imbecillitatis fidem excederent, nisi certum esset, Dominum nostrum Iesum Christum, pro quo idem passus est, omnia quæ vult per diuinam potentiam facere posse, in qua illi omnis creatura in cælo & in terra subiecta est.

*al. Hilduinus

DCCCXXVII

IMperator *Helisachar* Presbyterum & Abbatem, & cum eo *Hildibrandum* atque *Donatum* Comites ad motus Hispanicæ Marcæ componendos misit. Ante quorum aduentum *Aizo*, Saracenorum auxilio fretus, multa eiusdem limitis Custodibus aduersa intulit, eosque assiduis incursionibus adeo fatigauit, vt quidam illorum relictis, quæ tueri debebant, castellis recederent. Defecit ad eum filius *Beronis*, nomine *Willemundus*, & alii complures nouarum rerum gentilitia leuitate cupidi, iunctique Saracenis *Ceritaniam* & *Vallensem* rapinis atque incendiis quotidie infestabant. Cumque ad sedandos ac mitigandos Gothorum atque Hispanorum in illis finibus habitantium animos, *Helisachar* Abbas cum aliis ab Imperatore missis multa & propria industria & sociorum consilio prudenter administraret, *Bernhartus* quoque Barcinonæ Comes *Aizonis* insidiis & eorum, qui ad eum defecerant, calliditati ac fraudulentis machinationibus pertinacissime resisteret, atque eorum temerarios conatus irritos efficeret, exercitus a Rege Saracenorum *Abdirachman* ad auxilium *Aizoni* ferendum missus, *Cæsaraugustam* venisse nuntiatur: super quem *Abumaruan*, Regis propinquus, Dux constitutus, ex persuasione *Aizonis* haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Imperator filium suum *Pipinum* Aquitaniæ Regem cum immodicis Francorum copiis mittens, regni sui terminos tueri præcepit: quod ita factum esset, ni Ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quam rerum necessitas postulabat, is, quem ducebat, ad Marcam venisset exercitus. Quæ tarditas in tantum noxia fuit, vt Abumaruan vastatis Barcinonensium ac Gerundensium agris, villisque incensis, cunctis etiam, quæ extra vrbes inuenerat, direptis, cum incolumi exercitu Cæsaraugustam se reciperet, priusquam a nostro exercitu vel videri potuisset. Huius cladis præsagia credita sunt visæ multoties in cælo acies, & ille terribilis nocturnæ coruscationis in aere discursus. Imperator autem duobus conuentibus habitis, vno apud *Nouiomagum* propter falsas *Hobrici* filii *Godefridi* Regis Danorum pollicitationes, quibus se illo ad Imperatoris præsentiam venturum promiserat; altero apud *Compendium*, in quo & annualia dona suscepit, & iis, qui ad Marcam Hispanicam mittendi erant, qui vel qualiter agere deberent, imperauit; ipse inter *Compendium* & *Carisiacum*, ceteraque iis vicina palatia vsque ad hiberni temporis initium conuersatus est. Interea Reges Danorum, filii scilicet *Godefridi*, *Heriholtum* de consortio regio eiicientes Nordmannorum finibus excedere compulerunt. Bulgari quoque Sclauos, in Pannonia sedentes, misso per Drauum nauali exercitu, ferro & igne vastauerunt, &, expulsis eorum Ducibus, Bulgaricos eis Rectores constituerunt. *Eugenius* Papa mense Augusto decessit; in cuius

ius locum *Valentinus* Diaconus a Romanis electus & ordinatus vix mensem in Pontificatu compleuit. Quo defuncto *Gregorius* Presbyter *S. Marci* electus, sed non prius ordinatus est, quam legatus Imperatoris Romam veniret, & electionem populi examinaret. Legati Imperatoris *Michaelis* de Constantinopoli, quasi propter fœdus confirmandum missi, Septembri mense Compendium venerunt: quos Imperator benigne receptos ibi audiuit & absoluit. Corpora beatissimorum martyrum *Marcellini* & *Petri* de Roma sublata, & Octobri mense in Franciam translata, ibi multis signis atque virtutibus clarificata sunt.

DCCCXXVIII

Conuentus Aquisgrani mense Februario factus est, in quo cum de multis aliis causis, tum præcipue de iis, quæ in Marca Hispanica contigerunt, ratio esset habita, & legati, qui exercitui præerant, culpabiles fuissent inventi, iuxta merita honorum amissione multati sunt. *Balderichus* etiam Dux Foroiuliensis, cum propter eius ignauiam Bulgari fines Pannoniæ superioris impune vastassent, honoribus priuatus, & Marca inter IV Comites diuisa est. *Halidgarius* Cameracensis Episcopus & *Ansfridus* Abbas monasterii Nunantulæ Constantinopolim missi, & a *Michaele* Imperatore honorifice suscepti sunt. Imperator Iunio mense ad *Ingelheim* venit, ibique per aliquot dies placitum habuit: in quo cum de filiis suis *Lothario* & *Pipino* cum exercitu ad Marcam Hispanicam mittendis consilium iniisset, & id, quomodo fieret, ordinasset, legatos etiam Romani Pontificis, *Quirinum* Primicerium ac *Theophylactum* Nomenclatorem, qui ad eum illo venerant, audita eorum legatione dimisisset, ad villam *Franconofurt* profectus est: ibique aliquamdiu moratus, *Wormatiam* venit, & inde *Theodonis villam* perrexit: qui cum *Lugdunum* venisset, consedit, nuntium operiens, qui se de Saracenorum aduentu faceret certiorem. In qua expectatione cum *Pipino* fratre colloquitur: & comperto, quod Saraceni ad Marcam venire aut timerent aut nollent, redeunte in Aquitaniam fratre, ipse ad patrem Aquasgrani reuertitur. Interea cum in confinibus Nordmannorum tam de fœdere inter illos & Francos confirmando, quam de *Heriholti* rebus tractandum esset, & ad hoc pæne totius Saxoniæ Comites simul cum Marchionibus illo conuenissent, *Heriholtus* rerum gerendarum nimis cupidus, condictam & per obsides firmatam pacem rupit, incensis ac direptis aliquot Nordmannorum villis. Quod audientes filii *Godefridi* contractis subito copiis ad Marcam veniunt, & nostros in ripa *Egidoræ* fluminis sedentes, ac nihil tale opinantes transito flumine adorti castris exuunt, eisque in fugam actis cuncta diripiunt, ac se cum omnibus copiis suis in sua castra recipiunt. Deinde inito consilio, vt vltionem huius facti præuenirent, missa legatione ad Imperatorem, quam inuiti & quanta necessitate coacti id facerent, exposuerunt: se tamen ad satisfactionem esse paratos; & hoc Imperatoris esse arbitrio, quatenus ita fieret, emendatum, vt de reliquo pax firma maneret. *Bonifacius* Comes, cui tutela *Corsicæ* insulæ tunc erat commissa, assumpto secum fratre **Berethario*, & aliis quibusdam Comitibus de Tuscia *Corsicam* atque *Sardiniam* parua classe circumuectus, cum nullum in mari piratam inuenisset, in Africam traiecit, & inter *Vticam* & *Carthaginem* egressus, innumeram incolarum multitudinem subito congregatam offendit; cum qua & prœlium conseruit, & quinquies vel eo amplius fusam fugatamque profligauit: magnaque Afrorum multitudine prostrata, aliquot etiam sociorum suorum per temeritatem amissis, in naues suas se recepit; atque hoc facto ingentem Afris timorem incussit. Luna Kal. Iul. primo diluculo in occasu suo defecit. Similiter & VIII Kal. Ianuar. id est, in natali Domini, media nocte obscurata est. Imperator circa solennitatem *S. Martini* Aquasgrani ad hiemandum venit, ibique totum hiberni temporis spatium diversis conuentibus ob necessaria regni negotia congregatis impendit.

* in antiq. mscr. *Bonohario*

DCCCXXIX

DCCCXXIX

POst exactam hiemem in ipso quadragesimali ieiunio paucis ante sanctum Pascha diebus Aquis terræ motus noctu factus, ventusque tam vehemens coortus est, vt non solum humiliores domus, verum etiam ipsam sanctæ Dei genitricis basilicam, quam *Cappellam* vocant, tegulis plumbeis tectam, ex parte non modica denudaret. Imperator diuersis occupationibus vsque ad Kal. Iul. Aquis moratus, tandem ad conuentum Wormatiæ habendum cum comitatu suo mense Augusto statuit proficisci. Sed priusquam inde moueret, nuntium accepit, Nordmannos velle *transalbinam Saxoniæ regionem inuadere, atque exercitum, qui hoc facturos esset, nostris finibus appropinquare. Quo nuntio commotus, misit in omnes Franciæ regiones, & iussit, vt summa festinatione tota populi sui multitudo in Saxoniam veniret, indicans simul, velle se apud *Nouesium* medio Iulio Rhenum transire. Sed vbi vanam esse compererat, quæ de Nordmannis fama dispersa erat, sicut constituerat, medio Augusto Wormatiam venit, ibique habito generali conuentu & oblata sibi annua dona suscepit, & legationes plurimas, quæ tam de Roma ac Beneuento, quam de aliis longinquis regionibus venerant, & audiuit & absoluit. *Lotharium* quoque filium finito conuentu in Italiam misit; ac *Bernhartum* Comitem Barcinonæ, qui eatenus in Marca Hispaniæ præsidebat, Camerarium in palatio suo constituit. Aliis etiam causis, quæ ad illius placiti completionem pertinere videbantur, congruo modo dispositis atque completis, populoque ad sua ire dimisso, ipse ad autumnale venationis exercitium ad *Franconofurt* villam profectus est: qua transacta ad hiemandum Aquasgrani reuersus, ibidem sancti *Martini* atque *Andreæ* Apostoli, nec non ipsum sacrosanctæ dominicæ natiuitatis diem cum magna lætitia & exultatione celebrauit.

* *transalbianam in mscr.*

Circa tempus porro quadragesimale, cum Imperator loca mari circumiacentia peragraret, factionis iniquæ principes, vltra ferre non valentes, occultatum diu vulnus detegunt. Nam primum inter se primores quodam fœdere coniurant, deinde minores sibi adgregant, quorum pars mutationis semper cupida, more canum auiumque rapacium, alienum detrimentum suum quærunt fieri suppletionis argumentum. Freti ergo multitudine & assensu plurimorum, filium Imperatoris *Pipinum* adeunt, prætendentes abiectionem sui, morum *Bernhardi* insolentiam, despectionem ceterorum, asserentes etiam, eum, quod dictu nefas est, thori incestatorem paterni; patrem porro adeo quibusdam elusum præstigiis, vt hæc non modo vindicare, sed nec aduertere possit. Oportere ergo dicebant bonum filium indigne ferre dedecus paternum, ablatisque e medio talibus, patrem restituere & menti & dignitati: & hæc agentem non solum fama prosequeretur virtutis, sed etiam amplificatio regni: hoc prætexentes nomine culpam. His ergo allectus incitamentis iuuenis, cum eis & suorum multis copiis, per Aurelianensem vrbem, sublato inde *Odone*, & restituto *Marfrido*, *Wermbriam* vsque venerunt. At vero Imperator, vt eorum conspirationem contra se & vxorem, *Bernhardumque* obstinatissime initam comperit, feraliterque armatam, *Bernhardum* quidem fugæ præsidio sese committere permisit, vxorem autem *Landini* esse, & in monasterio *S. Mariæ* consistere voluit, ipse autem *Compendium* venit. Porro hi, qui cum *Pipino Wermbriam* venerunt, misso *Werino* & *Lamberto*, aliisque quamplurimis, *Iudith* Reginam ex ciuitate, monasteriique basilica eductam ad se vsque perduci fecerunt: quam post diuersi generis pœnas morte proposita adegerunt, vt promitteret, se, si copia sibi daretur cum Imperatore loquendi, persuasuram, vt abiectis armis comisque recisis monasterio se inferret; se etiam imposito velo capiti itidem facturam. Quam rem quanto plus cupiebant, tanto facilius crediderunt. Missis enim cum ea suorum aliquibus ad Imperatorem vsque deduxerunt; cui cum ille secretius secum loquendi licentiam præstitisset, permittente illo, vt mortem euadere posset, ipsa velum suo capiti imposuit; de attonsione porro sua Imperator tempus deliberandi poposcit. Tanto enim Imperator, aliis benigne semper viuens, iniusto odio laborabat, vt tæderet eos vitæ ipsius, cuius

illi

illi nisi beneficio viuerent, iuste & merito vita caruissent. Redeunte ergo ad se Regina, aliis quidem malis temperarunt, damnationi autem consentientes, vulgus exilio eam deportari & in monasterium *S. Radegundis* iusserunt detrudi. Circa Maium porro mensem *Lotharius* ex Italia venit, patremque *Compendii* reperit: ad eum venientem tota se illa contulit factio Imperatori inimica; ipse tamen tunc temporis nihil patri intulisse visus est dedecoris, probauit autem, quæ gesta erant. Denique *Heribertus Bernhardi* frater luminum amissione multatus est, contra votum Imperatoris. *Odo*, consobrinus illius, armis ablatis exilio deportatus, tanquam eorum, quæ *Bernhardo* & Reginæ adclamabantur conscii & fautores. In talibus ergo consistens, solo nomine Imperator, æstatem transegit.

DCCCXXX

CVm autem instaret autumnalis temperies, hi, qui Imperatori contraria sentiebant, alicubi in Francia conuentum fieri generalem volebant. Imperator autem clanculum obnitebatur, diffidens quidem Francis, magisque se credens Germanis. Obtinuit tamen sententia Imperatoris, vt *Neomagi* populus conuenirent. Verens porro, ne multitudo contrariorum superaret paucitatem fidelium suorum, iussit, vt vnusquisque ad idem veniens placitum, simplici vteretur comitatu: præcepit etiam Comitem *Lambertum* finium sibi deputatorum custodiam habere; cui *Helisacharem* Abbatem iuris reddendi causa adiunxit. Tandem ergo *Neomagum* ventum est, omnisque Germania eo confluxit, Imperatori auxilio futura. Imperator autem volens adhuc vires aduersariorum attenuare, *Hildunum* Abbatem culpans interrogabat, cur cum simpliciter venire iussus sit, hostiliter aduenerit: qui cum negare nequiret, continuo ex palatio exire iussus est, & cum paucissimis hominibus iuxta *Padræbrunnam* in expeditionali hiemare tabernaculo. *Walah* Abbas iussus est ad monasterium redire *Corbeiæ*, ibique regulariter obuersari. Hæc cum hi, qui Imperatori aduersaturi conuenerant, viderent, ad desperationem vltimam, fracti viribus, sese verterunt, denique per totam noctem coeuntes atque ad habitaculum *Lotharii* filii Imperatoris conuenientes, hortabantur aut bello confligendum; aut aliquo secedendum absque Imperatoris voluntate. In qua deliberatione cum totam expendissent noctem, mane Imperator filio mandat, ne inimicis communibus credat, sed ad se tanquam patrem filius veniat. Quibus ille auditis, licet dehortantibus, qui circa illum erant, ad patrem venit; a quo non est aspera increpatione obiurgatus, sed modesta lenitate correctus. Ingresso autem illo intra penetralia regiæ domus, diabolo instigatore vulgus inter se furere cœpit, processissetque furor usque ad mutuam cædem, nisi imperatoria prospexisset prudentia. Dum enim illi inter se tumultuantes pæne in insanum ruerent furorem, Imperator ad cunctorum cum filio processit aspectum: quo facto omnis illa conquieuit feralis commotio. Imperatoria enim audita oratione, omnis popularis tumultus dissoluitur. Posthæc Imperator omnes illos huius impiæ coniurationis principes sub priuata custodia præcepit adseruari: quos postea ad iudicium adductos, cum omnes iuris censores filiique Imperatoris iudicio legali tanquam reos maiestatis decernerent, capitali sententia feriri, nullum ex eis permisit occidi, sed vsus, vt multis visum est, leniori quam debuit pœna, sibi tamen consueto benignitatis & clementiæ more, laicos quidem præcepit locis opportunis attondi: clericos vero in conuenientibus itidem monasteriis custodiri. His peractis ad hiemandum Imperator Aquasgrani secessit. Habuit autem per idem tempus secum semper *Lotharium* filium. Misit interea in Aquitaniam, coniugemque reuocauit, fratresque illius *Conradum* & *Rodolfum* iamdudum attonsos. Eam tamen coniugis honore non est dignatus, donec se legali præscripto modo ab obiectis purgaret: quod postquam gestum est, quadragesimale tempus Paschæque solennitatem in eodem loco celebrauit.

DCCCXXXI

DCCCXXXI

PAschalibus ergo peractis solemnibus, ad *Igilinheim* Imperator perrexit. Eo quoque tempore consuetæ non immemor misericordiæ, quæ ab initio cum illo creuit, & de vtero matris videtur cum ipso egressa, eos, quos dudum exigentibus meritis per diuersa deputauerat loca, euocatos bonis propriis restituit; & si qui attonsi fuerant, sic ne manere, an in habitum redire pristinum vellent, facultatem dedit. Dehinc Imperator in partes *Rumerici montis* per **Vosagum* transiit, ibique piscationi atque venationi indulsit, & filium *Lotharium* in Italiam remisit. Porro autumni tempore in *Theodonis villa* conuenire generaliter suum populum præcepit. In quo loco tres legati Sarracenorum a transmarinis venere partibus, quorum duo Sarraceni, vnus Christianus fuit, adferentes suæ grandia munera patriæ, odorum scilicet diuersa genera & pannorum: qui pace petita & accepta remissi sunt. Adfuit etiam *Bernhardus*, qui modo prædicto fugiendo se saluans, diu in finibus Hispaniæ exulauerat. Is Imperatorem adiens, modum se purgandi ab eo quærebat more Francis solito, scilicet crimen obiicienti semet obiicere volens, armisque impacta diluere. Sed accusator cum licet quæsitus deesset, cessantibus armis purgatio facta est iuramentis. Præceperat porro Imperator, vt huic placito filius eius interesset *Pipinus*. Sed ille conuentui se subtraxit, post placitum autem aduenit. Imperator autem volens & hanc inobedientiam, plurimamque in eo castigare morum insolentiam, secum eum morari iussit, & vsque ad natiuitatem Domini *Aquis* tenuit. Sed ille vltra se velle teneri grauatus, fugam capessit, & inscio patre in Aquitaniam concessit. Imperator vero, vt cœperat, Aquis permansit.

* al. *Wasgasium*

DCCCXXXII

HIemis rigore transacto & vernali successu reducto, nuntiatum est Imperatori, quosdam excitatos motus in Baioaria, ad quorum compressionem festinus abiit, & ad *Augsburg* vsque venit, insurgentia sedauit, cito rediit, conuentumque publicum Aurelianis fieri iussit, ibique *Pipinum* sibi occurrere mandauit: qui, licet inuitus, occurrit. Sed considerans Imperator quorundam malorum hominum consilia, filii animos tam minis quam promissionibus ad deteriora peruertere festinantium, maximeque *Bernhardum* verens, cuius consilio vti tunc *Pipinus* dicebatur, qui & ipse tunc in Aquitania morabatur, Ligeri transmisso, cum commeatu suo ad *Iocundiacum* venit palatium, in territorio Limouico situm, vbi ventilata vtriusque causa, *Bernhardus* quidem, cum insimularetur infidelitatis, nec tamen vsque ad congressionem probator procedere vellet, honoribus est priuatus. Pipinus vero propter prauorum morum correctionem sub custodia priuata Treuerim perduci iussus; quo cum duceretur & indulgentius haberetur, a suis custodiæ noctu subducitur, & vsque ad Imperatoris ab Aquitania reditum, quaqua versum voluit, peruagatur. Et tunc quidem Imperator inter filios suos *Lotharium* atque *Carolum* quandam diuisionem regni constituit, quæ tamen ingruentibus impedimentis, quæ dicenda sunt, pro voto minime cessit. Eo porro tempore visum est Imperatori, ab Aquitania secedere, & indicto *Turoni* conuentu filium *Pipinum* eodem vocauit. Eo vero patris conspectum non ferente, neque veniente, conuentus dimittitur.

Hoc anno primo quidem pluuiarum inundantia, deinde humectatio terræ glaciali stringente rigore, quæ adeo noxia fuit, vt subtritis pedibus equinis, rarus quisquam foret, qui vectatione equorum vteretur. Fracto ergo exercitu multo laboris incommodo, & improuisos excursus Aquitanorum subinde & moleste ferente, statuit Imperator ad villam, cui nomen est *Restis*, venire, ibique Ligeris amne transmisso, in Franciam hiematum redire: quod & fecit, licet minus honeste, quam decuit.

DCCCXXXIII

HVmano porro generi pacique contrarius diabolus, nequaquam ab Imperatoris infestatione feriabatur, sed per satellitum suorum versutias, filios sollicitabat, persuadens illis, quod pater eos vltro perdere vellet, non considerantes, quod qui mitior esset etiam externis, adeo immanis non posset effici suis. Sed quia corrumpunt bonos mores colloquia praua, & lapidum etiam duritiem mollis aquæ guttula sæpius inlisa terebrare solet, tandem ad id ventum est, vt filios Imperatoris in vnum copiis, quibus poterant, coire facerent, *Gregorium* Papam aduocarent subornato, quasi qui patri solus filios reconciliare deberet & posset. Rei tamen veritas post claruit. Imperator porro econtra peracto Paschate *Wormatiam* venit cum valida manu, ibique, quid agendum sibi foret, diu deliberauit, missoque *Bernhardo* Episcopo cum nonnullis aliis, filios hortabatur, vt ad se redirent. Sed & Papam Romanæ Sedis conueniebat, vt si more prædecessorum suorum aderat, non tantas nectere moras & Imperatori non occurrere. Cum vero rumor vsquequaque diffusus fereret de ceteris, quod verum erat; de Papa vero Romano, quod ideo adesset, vt tam Imperatorem, quam Episcopos excommunicationis irretire vellet vinculis, si qui inobedientes essent suæ filiorumque Imperatoris voluntati, Episcopi Imperatoris præsumptioris audaciæ asserebant nullo modo se velle eius auctoritate succumbere, sed si excommunicans aduenirct, excommunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum auctoritas canonum. Tandem ergo ventum est festiuitate sancti *Ioannis* præcursoris Christi in locum, qui ab eo, quod ibi gestum est, perpetua est ignominia nominis notatus, vt vocetur *Campus mentitus.* Quia enim hi, qui fidem Imperatori promittebant, mentiti sunt, locus, quo id contigit, testis nequitiæ suo nomine remansit. Cum autem haud procul hinc inde aciebus ordinatis consisterent, iam iamque ruendum in arma putaretur, nuntiatum est Imperatori, aduenire Papam Romanum; quem venientem in ipsa acie Imperator consistens, alio modo, quam solebat, suscepit, imputans ei, quod ipse sibi talem susceptionem præparauerit, qui inusitato modo ad se veniret. Deductus autem Papa in habitationem castrensem multis assertionibus perdocuit, non se ob aliud tantum iter suscepisse, quam quod audisset, quod inexorabili discordia contra filios laboraret, ideoque pacem inter vtramque partem serere vellet. Quibus auditis mansit cum Imperatore aliquot diebus. Remissus autem ab ipso ad filios ad pacem conciliandam, cum pæne omnis populus partim donis abstractus, partim promissis inlectus, partim minis territus, ad eos populumque cum eis consistentem more torrentis confluerct, nequaquam, vt fuerat iussus, ad Imperatorem redire permissus est. Tantis ergo congregatis copiis, & Imperatori oppositis, adeo defectio indies inualuit, vt festiuitate Sancti *Pauli* plebeii contra Imperatorem adulando filiis, inruptionem facere minarentur. Quibus Imperator viribus obniti non valens, filiis mandauit, ne se populari exponerent direptioni: cui illi remandant, vt castris relictis ad se veniat, se obuiam ipsi processuros. Venit Imperator, & filiis sibi occurrentibus, eos admonuit equis desilientes, vt promissionis suæ memores, tam sibi, quam filio, & vxori inlibata, quæ olim promiserant, conseruarent: quos congrue respondentes osculatus, & ad castra illorum est prosecutus. Venienti vxor subducitur, & ad *Ludowici* tabernacula transfertur: ipsum vero *Lotharius* ad sua cum *Carolo* admodum puero deduxit, & cum paucissimis in papilione, ad hoc deputato, consistere fecit. Posthæc autem populo iuramentis obstricto, imperium inter se fratres trina sectione partiuntur. Vxor patris exilio iterum deportatur in ciuitatem Italiæ *Cortonam*. *Gregorius* Papa talia cernens cum maximo mœrore Romam regreditur. *Pipinus* in Aquitaniam, *Ludowicus* in Baioariam reuertitur. Porro *Lotharius* patre

patre assumpto, & seorsum cum deputatis equitante atque priuatim manente, *Marlegium* villam deuenit, ibique prout libuit commorans, & quæ visa sunt ordinans, & populum absoluens, sed & *Compendii* conuentum indicens, *Vosagum* per *Mauri* monasterium transiit, & Meti vrbe relicta, transiensque Verduno, Suessionum vrbem adiit, ibique in monasterio sancti *Medardi* patrem sub arcta custodia esse præcepit, & *Carolo* Prumiæ commendato, nec tamen attonso, ipse venationi indulsit, donec autumni tempore, id est, Kal. Octobr. sicut constitutum erat, patrem secum ducens *Compendium* venit: vbi legatio Constantinopolitani Imperatoris *Marcus* Archiepiscopus Ephesi & Protospatharius Imperatoris, ad patrem missa, munera ipsi deputata occulte obtulit: ille vero patri ea subtraxit, & legationem, licet ad patrem missam, tanquam ad se venientem suscepit, audiuit, tragœdiamque reportantem pæne inauditam remisit. In eodem conuentu cum multi insimularentur deuotionis in patrem, defectionis in filium, quidam verbis simplicibus, quidam iuramentis obiecta diluerunt. Omnes tamen hanc rem, exceptis auctoribus, miserabantur, & talem rerum permutationem ægre ferebant: unde verentes inauditi sceleris conspiratores, ne versa vice retro lapsa ferrentur, quæ gesta erant, callido, vt sibi visum est, cum aliquibus Episcoporum vtuntur consilio, vt pro his, de quibus iam pœnitentiam egerat Imperator, iterum publica pœnitentia armis depositis irreuocabiliter quodam modo ecclesiæ satisfacere iudicaretur (cum tamen & leges forenses non contra vnam culpam semel commissam bis inuehant, & nostra lex habeat, bis non iudicari delictum) cui iudicio pauci contradixere, plures adsensum præbuere, maxima pars, vt adsolet in talibus, ne primores offenderent, verbotenus consensere. Damnatum ergo & absentem & inauditum, neque confitentem neque conuictum, ante corpus sancti *Medardi* confessoris & sancti *Sebastiani* martyris arma deponere cogunt, pullaque indutum veste: adhibita magna custodia, sub tectum quoddam detrudunt. Expleto hoc negotio, in festiuitate sancti *Martini* populus licentia accepta, mæstus de talibus gestis, ad propria reuertitur. Lotharius autem patrem secum ducens Aquasgrani hiematum regreditur. Hac hieme gregatim populi tam Franciæ, quam Burgundiæ, nec non Aquitaniæ & Germaniæ coeuntes calamitosis querelis de Imperatoris infortunio querebantur, & quidem in Francia *Eggerardus* Comes & *Wilhelmus* Comes stabuli, quos poterant, sibi in vnione voluntatis restituendi Imperatorem coadunabant. Ex Germania porro *Hugo* Abbas in Aquitaniam ab *Ludowico* & ab eis, qui ad ipsum confugerant, præsertim autem a *Drogone* Episcopo missus, *Pipinum* in hoc ipsum instigabat. Porro *Bernhardus* & *Werinus* Burgundos persuasionibus accendebant, promissionibus alliciebant, & iuramentis ad rem adeo piam exequendam adstringebant.

DCCCXXXIIII

Hieme autem exacta & vere iam adueniente *Lotharius* patre assumpto per pagum Hasbaniensem iter arripuit, venitque *Lutetiam*, ubi obviam ipsi esse cunctos fideles præceperat. Cui *Eggerardus* Comes & alii illius pagi proceres magna coacta manu obuiam pro liberatione Imperatoris pugnaturi processerunt, peruenissetque res ad effectum, nisi piissimus Imperator cauens & multorum periculum simul & proprium, ab hoc incepto mandato & obtestatione eos inhibuisset. Tandem ergo peruentum est ad monasterium *S. Dionysii* martyris. *Pipinus* vero ab Aquitania maxima cum manu exiens, & ad Sequanam usque veniens, cum pontes deiecti, nauesque alto demersæ transitum prohibuissent, substitit. Porro *Werinus* & *Bernhardus* Comites plurimis sociorum ex Burgundia coactis ad Matronam fluuium usque venerunt, & ibi partim austeritate atque intemperie

intemperie aeris retardati, partim in colligendis sociis occupati, in villa *Bonogilo*, & eis, quæ circumiacent prædiis, aliquot consedere diebus. Instabat Quadragesimæ tempus, cuius hebdomada prima feria quinta missi sunt ab illis legati *Adrebaldus* Abbas & *Gauselinus* Comes ad *Lotharium*, postulantes, vt eis absolutus custodiæ vinculis Imperator redderetur: cui si pareret postulationi, se quoque ipsi causam apud patrem salutis & honoris olim dispositi futuros: sin alias, etiam cum suo, si necesse foret, periculo eum requisituros, & resistentibus sibi in hac re, armis, Deo iudice, obuiaturos. Sane huic mandato respondit *Lotharius*, nullum plus vel compati paternæ calamitati, vel congaudere prosperitati, nec debere sibi imputari culpam senioris sibi ablati, cum ipsi eum destituissent ac prodidissent, neque carceralis custodiæ næuum iure sibi inuri, cum constaret hoc actum iudicio episcopali. Cum hac ergo satisfactione legati remissi sunt ad eos, qui miserant, cum mandatis; vt *Werinus* Comes & *Odo*, nec non & *Folco* & *Hugo* Abbates ad se venirent, vt cum eis deliberaret, quomodo huic postulationi satisfaceret; præcepit etiam, vt altero die ad se mitterentur, qui tempus aduentus supradictorum ab eo cognoscerent, vt sic ad condictam diem sibi occurrerent, de causa supra dicta tractaturi. Sed mutato consilio, cum his, qui eius erant intimi, quique suas sequebantur partes, patre in monasterio *S. Dionysii* relicto, Burgundiam transiens, Viennam usque peruenit, ibidemque statiua habere cœpit. At hi, qui cum Imperatore remanserant, eum ad recipiendas imperatorias hortabantur infulas: sed Imperator, quanquam modo, quo prædictum est, ecclesiæ communione eiectus erat, tamen præpropere acquiescere sententiæ, & dominica proxima in ecclesia *S. Dyonisii* episcopali ministerio reconciliari, & ab Episcopis rursus armis accingi voluit. Qua in re tanta populi lætitia visa est, vt etiam ipsa elementa viderentur & iniuriam passo Imperatori compati, & reeleuato congratulari. Tanta enim usque ad illud tempus fuerat procellarum vis, pluuiarumque uehementia, vt extra solitum aquarum superabundantia excresceret, flatusque ventorum inpermeabiles redderent fluuiorum alueos: sed in liberatione & restitutione Imperatoris, ita quodammodo coniurasse visa sunt elementa, vt mox & venti sæuientes mitescerent, & cæli facies antiquam & multo tempore inuisam serenitatem redderet. Imperator ergo ab eo loco digreditur, sed nequaquam filium abeuntem persequi, licet id multi hortarentur, voluit. Inde ergo *Nantogilum*, ac post venit *Carisiacum* villam regiam, vbi opperiebatur filium *Pipinum*, & qui trans Matronam residebant, itemque eos, qui trans Rhenum ad *Ludowicum* filium confugerant, cum ipso *Ludowico*. Dum hic Imperator aliquantulum hæret, maxima multitudo vassorum & fidelium confluit, congratulantes lætitiæ communi, quos Imperator benigne suscipiens, & pro fidei integritate gratias agens, *Pipinum* quidem filium in Aquitaniam, *Ludowicum* in Baioariam, ceteros vero vnumquemque ad sua redire iussit. Ipse autem Aquasgrani profectus, vbi *Iudith* Augustam ab Italia, reducentibus ipsam *Rachanio* Episcopo & *Bonifacio* & *Pipino*, recepit. Filium porro *Carolum* iamdudum secum habebat, ibidemque Paschae solennitatem peregit.

DCCCXXXV

POst cuius celebritatem in *Arduenna* venatione se exercuit, & post Pentecostes festiuitatem ad *Romericum montem* venationi atque piscationi operam dedit. Recedente autem in eum locum, quem diximus, *Lothario*, remanserant in Neustria *Lambertus* Comes & *Marfridus*, ceterique quamplurimi, qui eas partes vi & armis tenere nitebantur: quam rem ægre ferentes *Odo* Comes & alii imperatoriarum partium in eos

eos arma corripiunt, eosque pellere ex illis locis conantur, aut certe cum eis congredi: quæ res cum segnius, quam debuit, administraretur, non exigua clade affecti sunt. Dum enim insperato hostes superuenerunt, illi autem minori, quam res postulabat, cautela vterentur; insistentibus terga hostibus nudauerunt, vbi & ipse *Odo* cum fratre *Wilhelmo* plurimisque aliis interiit: ceteri autem salutem in fugæ subsidio posuerunt. Quo negotio peracto, hi qui victoria potiti sunt, cum neque vbi consistere eis tutum esset, neque *Lothario* se iungere valerent, verentes, ne aut ibi consistentibus Imperator superueniret, aut certe ad suos properantibus in itinere obuiaret, ad *Lotharium* quantocius mittunt, ipsis vt succurreret, quos tanti discriminis circumuallaret metus. Hic audito eorum periculo & rebus gestis, eis subuenire voluit. Sed ea tempestate *Werinus* Comes cum plurimis sociis castrum *Cauillonum* vtcunque communiuerat, vt si aduersariarum partium studiosi aliquid molirentur noui, sibi suisque foret receptaculo atque munitioni: quod cum compertum *Lothario* esset, ex improuiso venire eo voluit: consilio vero ipsius detecto, aduenit tamen & oppidum circumdedit. Quæ in circuitu ciuitatis erant, incendio conflagrata sunt: pugnatum est circiter diebus quinque, & tandem deditione primum vrbs capta, post crudelium victorum more, direptionibus ecclesiæ vastatæ, thesauri deprædati, communes copiæ direptæ sunt, & ad extremum etiam ciuitas voraci depasta est incendio, præter paruam basilicam, quæ stupendo miraculo, cum hinc inde sæuientibus cincta fuerit lambentibus flammis, non potuit aduri: fuit ea consecrata Deo in honorem beati *Gregorii* martyris. *Lotharius* quidem vrbem hanc incendi minime voluit; at militum furor ante incendium conquiescere non potuit. Capta vrbe acclamatione militari *Gauselinus* Comes, itemque *Sunila* Comes, nec non & *Madalelinus* Vasallus Domini capite plexi sunt, & *Gerberga*, filia quondam *Wilhelmi* Comitis, pro venefica aquis submersa est. Quæ dum geruntur, Imperator cum filio *Ludowico Lingonum* ciuitatem venerat: vbi nuntium de his rebus omnibus, quo valde perturbabatur, accepit. *Cauillono* iter suscepit *Augustodunum*, inde venit *Aureliam*, hinc in pagum *Cenomannicum*, in villam, cui nomen est *Marualis*. Sed Imperator vna cum filio *Ludowico* maximis copiis eum persequitur. Quo audito *Lotharius* collectis suis non multo interuallo a patre castra fixit, ibique quatuor diebus legatis intercurrentibus moratum est: quarta nocte *Lotharius* cum suis omnibus referre pedem in posteriora cœpit; contra quem pater Imperator compendioso itinere obambulabat, usque dum peruentum esset ad fluuium Ligerim, propter castrum *Blesense*, quo loco *Ciza* fluuius Ligeri confluit. Vbi positis ex hac fluuii parte castris, occurrit etiam patri *Pipinus* filius, cum quanto potuit apparatu militari. Fractus ergo viribus *Lotharius* supplex ad patrem venit, quem ille coercitum verbis, & obligatum tam ipsum quam proceres eius quibus voluit sacramentis in Italiam remisit, occlusis angustiis itinerum, quibus in Italiam itur, ne quis transire posset sine licentia custodientium. Quibus peractis, *Aureliam* cum filio *Ludowico* petiit, vbi & filio & aliis ad propria redeundi potestate concessa, *Lutetiam* perrexit. Habuit autem eo tempore circa festum sancti *Martini* conuentum generalem in *Attiniaco* palatio: vbi cum multa perperam * molita emendare decreuisset, tam in ecclesiasticis quam publicis rebus, hæc tamen fuerunt præcipua, quod mandauit filio *Pipino* per *Hermoldum* Abbatem, res ecclesiasticas, quæ in regno eius erant, quasque ipse suis attribuerat, iique sibi præripuerant, absque cunctatione ecclesiis restitui, quodque ciuitates & monasteria per legatos visitando statum ecclesiasticum pæne collapsum restitui iussit, itemque præcepit, vt legati per singulos Comitatus mitterentur, qui immanitatem prædonum & latronum, quæ inaudita esse cœperat, cohiberent, & vbi eorum maior vis extitisset, etiam Comites vicinos & Episcoporum homines ad tales domandos & tollendos sibi adsciscerent deque his omnibus sibi in proximo placito generali, quod futuro

* inolita

futuro vere indixerat, sibi renuntiarent. Transegit autem Imperator maximam partem hiberni temporis Aquisgrani, inde profectus est ad Theodonis villam, ante natale Domini, quam festiuitatem Meti cum suo fratre ***Drogone*** celebrauit. Solennitatem ***Purificationis Mariæ*** ibidem agendam statuit, quo etiam populus, qui adesse iussus erat, aduenit: ipse autem de quibusdam Episcopis, quod turpiter se deseruerint, conquerebatur. Sed cum quidam in Italiam confugissent, aliqui ex vocatis non conuenirent, solus ***Ebo*** eorum, qui petebantur, adfuit: qui cum rationis reddendæ causa de talibus vrgeretur, causabatur se solum relictis omnibus, in quorum præsentia hæc facta fuerant, vrgeri; at vero cum ceteri Episcopi obtenderent necessitatem præsentiæ, allegarent autem voluntatem innocentiæ, ***Ebo*** tandem moleste ferens, talibus se solum molestari, consilio petito aliquorum Episcoporum, in se quandam confessionem dictauit, per quam se & indignum sacerdotio, & irreuocabiliter eo abstenturum iudicauit, quod & Episcopis & per eos Imperatori reddidit. Quo facto ***Agobardus*** Lugdunensis Archiepiscopus, qui euocatus venire distulit, cum ter esset vocatus, vsque ad satisfactionem ab ecclesiæ præsulatu remotus est, ceteris, vt diximus, in Italiam fugientibus. Hisce peractis Imperator cum suo comitatu rediit ad villam Theodonis, vbi vnicuique domum redeundi potestate facta, Quadragesimæ tempus exegit, & Paschæ solennitatem celebrauit.

DCCCXXXVI

POst solennitatem porro paschalem atque Pentecosten Wormatiam ad conuentum indictum proficiscitur, vbi ei filii ***Pipinus*** & ***Ludowicus*** occurrunt. More autem suo Imperator nequaquam conuentum istum a publica vtilitate vacare passus est. Diligenter namque in eo examinare studuit, quod quisque eorum, qui in diuersas partes emissi erant egerint. Et quia aliqui Comitum in comprehensione & exterminatione latronum segnes reperti sunt, diuersis sententiis eorum segnitiem cum digna inuectione castigauit, filiosque & populum admonuit, vt æquitatem diligerent, raptores opprimerent, bonos quosque ab eorum oppressione releuarent, minitatus seueriorem iis sententiam, qui huic admonitioni non essent obtemperaturi.

DCCCXXXVII

CVmque ab hoc placito populum dimitteret, & sequens in Theodonis villa post Pascha constituisset, ad hiemandum Aquas se contulit: filio suo ***Lothario*** etiam mandauit, vt nobiles quosque suorum eo mitteret, qui secum de firmæ reconciliationis vi & modo tractarent. Augusta ***Iudith*** cum consiliariis Imperatoris inito consilio, eo quod corporis viribus, vt videbatur, Imperator destitui inciperet, & si mors eius ingrueret, & sibi & ***Carolo*** periculum immineret, nisi aliquem fratrum sibi adsciscerent, coniectantesque, nullum ***Lothario*** ad hanc rem magis esse idoneum, hortati sunt Imperatorem, vt ad eum legatos pacis studiosos mitteret, qui plane eum sibi conciliarent. Imperator paci semper studens, semperque dilector quietis atque amator vnitatis, quærens non modo filios, sed & inimicos charitate sibi vinciri, facile huic petitioni assensit. Missi igitur sunt, qui effecerunt, vt ad diem indictum in villa Theodonis legati a filio venirent quamplurimi, inter quos etiam ****Walha*** primus adfuit. Causa autem supra dicta ventilata, atque ad calcem perducta, Imperator cum coniuge reconciliari voluit primum ipsi ***Walhæ***, demissis quæcunque in eos commiserat delictis, multa cordis alacritate & benignitate, mandauitque per eum & ceteros filii legatos, vt quamprimum ipse veniret: futurum enim hoc omnino e re sua. Hi filio rem retulerunt: sed ne mandatum Imperatoris ad effectum perduceretur, morbus fecit, qui ***Walham*** rebus humanis abduxit, ***Lotharium*** vero lecto deiiciens, maximo tempore languere fecit. Imperator porro clementissimus natura, vt filium aduersa valetudine correptum audiuit, per fidelissimos legatos, ***Hugonem*** fratrem suum & Algarium Comi-

* al. Walah

eum visitauit; atque eius omnia incommoda rescire, iisque mederi studuit. At vero postquam abscedente languore conualuit, nuntiatum est Imperatori, quod conditones sacramentis dudum promissas rumperet, præcipue vero, quod ecclesiam Romanam (quam tam auus eius *Pipinus*, quam pater *Carolus*, nec non & Imperator ipse in tutelam susceperat), hominesque eius crudelissime vexaret: quæ res adeo animum illius exasperauit, vt in continenti extra ordinem legatos mitteret, nullum eis pæne ad tantum iter conficiendum spatium tribuens. Misit namque ad *Lotharium*, monens, ne talia fieri permitteret, monens, vt memor esset, quod quando ei regnum Italiæ donauit, etiam curam ecclesiæ Romanæ simul commisit, & quam ab aduersariis defendendam susceperit, eam a suis diripi non sineret, monens etiam sacramenti ab eo sibi nuper præstiti ne forte obliuiscens aut parui pendens diuinitatem offenderet: impune enim sibi hoc non futurum: simul etiam iubebat sibi parari stipendiarias annonas, statiuaque congrua per omne iter, quo Romam itur. Dicebat enim se limina beatorum Apostolorum inuisere velle. Hoc vero ne fieret, inruptio Nordmannorum in Frisiam impediuit, ad quorum comprimendam insolentiam ipse expeditionem in Frisiam suscepit. Misit legatos ad *Lotharium Folconem* Abbatem & *Richardum* Comitem, cum Abbate *Adrebaldo*: quorum *Folco* & *Richardus* responsum sibi a *Lothario* referrent, *Adrebaldus* porro Romam pergeret, *Gregorium* Papam de necessariis consulturus, & voluntatem Imperatoris, ceteraque iniuncta sibi perlaturus. Sed *Lotharius* de his conuentus, nec non & de rebus quarundam ecclesiarum Italicarum ablatis, quibusdam annuit, quædam se non posse seruare respondit. Et *Folco* atque *Richardus* Imperatori e Frisia post fugam Nortmannorum reuertenti talia renuntiant, in *Francoford* palatio, vbi ipse autumnalem exercens venationem, hiematum Aquas sese conuertit. *Adrebaldus* vero Romam, vt iussus erat, peruenit, *Gregorium* Papam ægrotantem reperit, & maxime fluxu sanguinis, qui licet sensim, continuo tamen e naribus fluebat. Sed tanta alacritate ad verba Imperatoris & compassionem eius recreatus est, vt profiteretur, se pæne incommoditatis propriæ oblitum. Itaque & missum ad se optime habuit, & recedentem amplissimis muneribus donauit, mittens cum eo *Petrum* Centumcellensis vrbis, & *Gregorium* regionalium Romanæ vrbis Episcopos. *Lotharius* vt ablegationem memoratorum Episcoporum ad Imperatorem audiuit, misit Leonem, qui tunc apud illum magno loco habebatur, Bononiam, vt eos vlterius progredi prohiberet, incusso metu & terrore, si aliter facerent. Regressi igitur prædicti sunt Episcopi: *Adrebaldus* tamen epistolam Imperatori destinatam ab eis occulte suscepit, & cuidam suorum habitu mendici, quousque Alpes transiret, ferendam commisit, ac postea Imperatori porrexit. Ea tempestate quanta lues mortalis populum, qui *Lotharium* secuti sunt, inuaserit, mirabile est dictu. Breui enim, a Kal. nimirum Septembris vsque ad *S. Martini* festum, subsequentes ex primoribus eius vita excesserunt: *Iesse* olim Ambianensis Episcopus, *Helias* Tricassinæ vrbis Episcopus, *Walah* Corbeiensis monasterii Abbas, *Marfridus*, *Hugo*, *Lambertus*, *Godefridus*, itemque filius eius *Godefridus*, *Aginbertus* Comites, *Burgarius* quondam præfectus venationibus regalibus: sed & *Richardus* vix euasit, non multo post & ipse mortuus. Hi enim erant, quorum recessu dicebatur Francia nobilitate orbata, fortitudine quasi neruis succisis eneruata, prudentia destituta: sed illis tanquam turbine sæuienti obrutis, ostendit Deus, quam salubre sit, quamque sobrium, obseruare, quod ex eius ore procedit. *Non glorietur*, inquit, *sapiens in sapientia sua, nec fortis in fortitudine sua, nec diues in diuitiis suis.* Imperatoris autem animum iure quis miretur, quantam huic temperantiam diuina clementia dederit. Etenim hoc accepto nuntio nec exultauit, nec morti inimicorum insultauit, sed pugno pectore tunso, lacrimisque oculis oppletis, Deum illis propitium fieri cum ingenti gemitu precatus est.

Hoc eodem tempore Britones res nouas moliri cœperunt: sed nullo labore rursus sedati sunt. Mense autem Februario magnus, Episcoporum præsertim, conuentus Aquisgrani habitus est, in quo cum de aliis ecclesiæ necessitatibus,

tatibus, tum præcipue de his rebus, quas Pipinus & sui multis ecclesiis abstulerant, agebatur. Publico autem & Imperatoris & Episcoporum decreto & consensu monetur *Pipinus*, eiusque primates, cum quanto ipsorum periculo res ecclesiasticas inuaserint, vtque restitui iubeat, præcipitur. Quæ res prosperum exitum habuit. Nam *Pipinus* monita patris pii, sanctorumque virorum libenter suscipiens, obedienter paruit, & omnia inuasa etiam per annuli sui impressionem restitui iussit.

DCCCXXXVIII

INsequens placitum Imperatòr in pago Lugdunensi habuit, tempore æstiuo, in loco, qui vocatur Stramiacus, cum *Pipino* & *Ludowico* filiis. Nam *Lotharium* aduersa valetudo domi retinuit: in quo caussam vacantium ecclesiarum Lugdunensis atque Viennensis ventilari fecit, eo quod Episcopi illorum *Agobardus* ad rationem reddendam non venerit, *Bernhardus* autem Viennensis adfuerit quidem, sed rursus fugam inierit. Verum res imperfecta remansit, propter absentiam, vt dictum est, Episcoporum. Sed & caussa Gothorum ibidem ventilata est; quorum aliqui *Bernhardo* fauebant, alii autem fauore ducebantur *Beringarii*, *Vnroci* quondam Comitis filii: sed *Beringario* immatura morte prærepto, apud *Bernhardum* potestas Septimaniæ remansit, legatis illuc missis, quæ indigebant correctione, emendarent. His peractis etiam filiis populoque dimissis, Imperator autumnali venatione peracta, ad diem *S. Martini* Aquasgrani rediit, hiememque ibidem exegit. Natalem namque Domini, item paschalem solennitatem, iuxta morem debitum & sibi semper familiarem, ibidem celebrauit.

DCCCXXXIX

HOc anno circa festum Paschatis dirum semper ac triste portentum, cometa in signo virginis apparuit, in ea parte, qua pedes eius caudam serpentis, coruumque contingunt: quod cum non more errantium septem siderum orientem versus peteret, per XXV dies (mirum dictu) & leonis & cancri nec non geminorum transiens signa, tandem in capite tauri sub aurigæ pedes igneum globum, vibrarumque prolixitatem, quas vsque quaque porrexerat, deposuit: quod cum Imperator, talium studiosissimus, primus, vt tunc constitit, conspexisset, antequam quieti se daret, me, qui hæc scripsi, & qui huius rei scientiam habere tunc credebar, accitum percontari studuit, quid de hoc cometa mihi videretur. Ego autem cum peterem tempus, quo faciem sideris considerarem, ac ita rei veritatem inuestigarem, & cognitam in crastinum nuntiarem, Imperator, quod verum erat, ratus, tempus me redimere velle, ne cogerer aliquid triste respondere, *Perge*, inquit, *in mœnia huic domui contigua, & nobis, quæ perspexeris, nuntia. Noui enim a me hanc stellam nequaquam præterita vespera visam, vel a te monstratam, sed scio hoc signum cometarum esse, de quibus iam præteritis diebus locuti sumus: quid autem portendere videatur, edicito.* Cumque aliqua dixissem, & nonnulla reticuissem, *Vnum est*, inquit, *quod adhuc silentio premis: immutationem enim regni, mortemque Principis, hoc monstrari portento dicunt.* Cumque ego testimonium Prophetæ in medium protulissem, quo dicitur, a signis cæli, quæ pauent gentes, metuendum non esse; ille solita vsus magnanimitate & prudentia, *Non alium*, inquit, *timere debemus, præter illum, qui monstri & huius creator est sideris: sed eius clementiam non satis laudare atque mirari possumus, qui nostram inertiam, cum simus peccatores & impœnitentes, talibus ammonere dignatur indiciis. Quia ergo & me & omnes communiter tangit hoc ostentum, omnes, pro posse & sapere, meliorari festinemus, ne forte misericordiam suam illo prorogante, duritie nostra impediente, nos illa inueniamur indigni.* His dictis paulisper mero indulsit, & omnibus id facere iussit, noctemque illam, vt relatum nobis est, pæne peruigilem & Dei laudibus & obsecrationibus traduxit. Sub diluculum mane ministros aulicos vocauit, & eleemosynas quam largis-

largiſſime pauperibus ac ſeruis Dei tam monachis quam canonicis porrigi, eosque precibus orationibusque diuinis diligenter vacare iuſſit. Quibus peractis ad conſtitutam venationem in Arduennam proficiſcitur, quæ, vt dicebant, vltra ſolitum ei proſperrime ceſſit: omnia namque, quæ illi placebant, proſpero euentu occurrerunt. Præterea inſiſtente Auguſta & miniſtris Palatinis quandam partem imperii filio ſuo *Carolo* Aquis tradidit: ſed quia hæc donatio effectum ſortita non eſt, a nobis quoque ſilentio premitur. Quam rem cum alii fratres ægre tuliſſent, mutuum iniere colloquium, ſed nihil, quod contra dicerent, inuenientes, remque totam diſſimulantes, motum patris, qui ex hoc accidiſſe videbatur, facillime compoſuere.

Imperator tota æſtate Aquiſgrani ſubſiſtens, autumni tempore, medio namque Septembri in Cariſiaco villa indixit: quo in loco *Pipinus* ex Aquitania ad eum venit, & conuentui interfuit. In hoc conuentu Imperator filium *Carolum* armis virilibus, id eſt, enſe accinxit, corona regali caput inſigniuit, partemque regni, quam homonymus eius Carolus habuerat, id eſt, Neuſtriam attribuit, atque inter filios, quantum potuit, vinculo beneuolentiæ firmato, Pipinum in Aquitaniam, *Carolum* autem in portionem regni ſibi attributam dimiſit; & præſentes quidem Neuſtriæ prouinciæ primores *Carolo* & manus dederunt, & fidelitatem ſacramento obſtrinxerunt: abſentium autem quiſque poſtea itidem fecit. Ibidem quoque omnes pæne Septimaniæ nobiles adfuerunt, conquerentes de *Bernhardo* Duce, eo quod homines illius rebus eccleſiaſticis tanquam priuatis abſque vllo reſpectu diuini humanique iuris pro libitu abuterentur, petieruntque, vt Imperator in ſuam eos reciperet protectionem, & tales legatos eo dirigeret, qui & poteſtate & prudentia de ablatis æquo iudicio iudicarent, & auitam eius legem conſeruarent. Ad quod peragendum miſſi ſunt *Bonifacius* & *Donatus* Comites, & *Adrebaldus* Flauinianenſis monaſterii Abbas. His rite peractis Imperator eo loco diuertit, & venationi autumnali pro more operam dedit, exque ea hiemandum ſe Aquas recepit.

Hac hieme Kal. Ian. ſæuus cometæ ignis in ſigno apparuit ſcorpii non multo poſt ſolis occubitum, cuius minacem vultum non multo poſt *Pipini* mors ſubſecuta eſt. Interea *Iudith* Auguſta conſilii quod pridem cum conſiliariis aulicis, ceteriſque regni Francorum nobilibus inierat, nequaquam immemor, perſuaſit Imperatori, vt ad *Lotharium* filium legatos mitteret, qui eum ad patrem inuitarent, ea conditione, vt ſi fratris ſui *Caroli* adiutor, tutor, atque protector eſſe vellet, veniret ad patrem, & ſciret, ſe ab omnium perperam geſtorum veniam adepturum ſimul & medietatem Imperii, excepta Baioaria, conſecuturum. Quæ res & *Lothario* & ſuis omnino vtilis viſa eſt.

DCCCXL

VEnit erga iuxta diem condictum Wormatiam poſt Paſchæ ſolennitatem. Pater multa cum alacritate eum ſuſcepit, & laute eius comites curari mandauit, & ſicut ipſi nuntiauerat, vniuerſa peregit: datiſque ei triduo induciis, totum Imperium, ſuis in conſilium adhibitis, eum partiri iuſſit, ita tamen, vt partium electio penes Imperatorem & *Carolum* maneret; ſin vero Imperatorem & *Carolum* portionem facere vellet, electio partium ad ſe pertineret. *Lotharius* cum ſuis diuiſionem regni Imperatori committunt, affirmantes, ſe hanc diuiſionem nequaquam exequi poſſe propter ignorantiam locorum. Igitur Imperator æquo, vt ſibi ſuiſque viſum eſt, libramine, omne ſuum diuiſit Imperium, præter Baioariam, quam Ludovvico reliquit, quæque in parte eorum nemini ceſſit. His peractis, & ſuis vniuerſoque populo euocatis, data ſibi optione *Lotharius* a fluuio Moſa auſtralem ſibi partem delegit, occiduam *Carolo* fratri habendam reliquit, & vt haberet, coram cuncto populo ſe velle ſignificauit. Imperator ergo lætabatur, & cunctus populus talibus applaudens omnia ſibi placere dicebat. At vero *Ludowici* animum non parum hæc geſta læſerunt. Imperator hiſce de rebus ex animi ſui ſententia peractis, gratias Deo agebat, filioſque monebat, vt vnanimes eſſent, & ſe alterutro tuerentur;

Lotharius

Lotharius quidem iunioris fratris curam gereret, cuius se spiritualem esse patrem & fratrem meminisse deberet: *Carolus* autem tanquam patri spirituali & fratri seniori debitum honorem deferret. Cumque hæc tanquam veræ pacis peregisset amator, & inter fratres mutuam dilectionem, & inter vtriusque filii populum mutuum seuisset amorem: *Lotharium* lætus in Italiam lætum dimisit, multis ditatum muneribus, donatum benedictionibus paternis, & monitum, ne horum omnium obliuisceretur, & natalis Domini atque Paschæ solennitatem Aquis celeberrime egit.

DCCCXLI

LVdowicus vero audiens huiusmodi patris erga fratres suos voluntatem, & regni inter eos diuisionem, non tulit: sed quicquid trans Rhenum fuit, sibi vindicandum statuit. Quod cum ad Imperatorem delatum esset, Paschatis festo peracto nequaquam procrastinandum esse in talibus ratus, magnis copiis Rhenum ad *Moguntiacum* transiit, & *Triburas* venit, ibique aliquandiu ob colligendum exercitum consedit: quo coacto *Bodoniam* vsque perrexit, quo filius, quanquam inuitus, supplex & increpatus, male se egisse confessus, seque emendaturum perperam gesta professus est. Imperator consueta & sibi semper amica vtens mansuetudine, & filio veniam dedit, & verbis primum asperis, vt dignus erat, obiurgatum, post autem lenioribus demulctum, in regno reliquit, atque redeundo Rhenum in loco, qui *Confluentes* dicitur, traiecit, in Arduenna venationem solitam peracturus. In qua cum exerceretur, nuntii ad eum certissimi venerunt, Aquitanorum alios suam expectare sententiam, qualiter res Aquitanici regni ordinaretur, alios autem indigne ferre, quod audierint *Carolo* id quoque a patre traditum esse. Imperatore autem de talibus sollicito, *Ebroinus* Pictauiensis Episcopus *Flateram* aduenit, idem nuntians, se nimirum & ceteros primores eius regni Imperatoris expectare voluntatem, & paratos esse, imperantis exequi iussionem. Erant huius sententiæ præcipui quique procerum, interque eos dictus *Ebroinus* Episcopus, *Reginoldus* Comes, *Gerardus* itidem Comes, & gener quondam *Pipini*, itemque *Bracharius* Comes, *Pipini* gener, & alii quamplures, horum sequentes voluntatem, & præcipue Episcopi atque clericalis ordo. At vero altera pars populi, quorum præcipuus fuit *Emeno* quidam, assumentes filium quondam *Pipini* Regis, Pipinum nomine, quoquo versum vagabantur, sicut moris talibus est, prædationi atque tyrannidi operam dantes. Rogabat Imperatorem *Ebroinus*, ne hunc morbum serpentem sperneret, aut medicinam differret, sed mature suo aduentu tali incommodo, antequam lues tanta inficeret plures, mederetur. Imperator prædictum Episcopum in Aquitaniam remisit, & quæ visa sunt suis fidelibus mandauit, & vt sibi autumni tempore aliqui eorum in *Cauillono* vrbe occurrerent, imperauit: ibi enim generalem indixit conuentum. Neque vero quisquam succensere deberet Imperatori, quod videatur nepotem suum regno priuare voluisse, cum ipse morem gentis natiuum nouerit, vtpote connutritus illis: qui leuitati atque aliis studentes vitiis grauitati atque constantiæ penitus renuntiarunt, quique vt talem *Pipinum* patrem eius facere possent, fere omnes, qui ob custodiam illius missi erant, sicut sibi olim a patre *Carolo* dati fuerant, ex Aquitaniæ finibus eiecerint: post quorum discessum, quanta & qualia emerserint in eo regno malorum vitiorumque monstra, & publica & priuata, hodierna quoque præsentium studia demonstrant. Volebat Imperator bene pie educari puerum, ne vitiis prostitutus nec sibi nec aliis præesse & prodesse posset, cogitans illud, quod quidam, cum filiis in teneriori ætate adhuc positis regnum tradere nollet, ita se excusasse legitur, *non quod inuideam ex me genitis, honorifice eos haberi veto, sed, quia noui, hoc ferociæ nutrimenta adolescentibus suggerere.* Sed Imperator, vti constituerat, tempore autumnali Cauillonensem vrbem petiit, & tam res ecclesiasticas, quam publicas more suo disposuit. Deinde ad regni Aquitanici ordinationem sese conuertit. Mouit namque ab eodem loco

loco cum Regina & filio *Carolo*, & valida manu Ligeris amne transmisso Auernorum vrbem petiit, ibique fideles suos sibi occurrentes benigne suscepit, & *Carolo* suo filio cum solitis sacramentis obstrinxit: eos, qui occursum debitum & fidelitatem denegabant, & insuper latrocinando exercitui obambulabant, prædas quas poterant exercebant, comprehensos quæstioni legali subdere iussit. Hæc eo agente natalis Domini festiuitas rediit, quam solemnitatem Pictauis cum debito & honore solito celebrauit: vbi eo morante, & quæ vtilitas poscebat disponente, nuntius aduenit, *Ludowicum* filium assumptis Saxonibus & Turingis Alamanniam inuasisse: quæ res maximum ei peperit incommodum. Etenim cum iam senili grauaretur ætate, & phlegmatis abundantia, quæ hieme augebatur, vltra solitum pulmo eius grauaretur, pectusque quateretur: accessit etiam hic tristis nuntius; cuius relatu tanta affectus est tristitia & mærore, vt, quamuis esset pæne vltra humanum modum natura mitis, fortitudine magnanimus, & pietate conspicuus, vt in apostema pituita excrescens duresceret, & intra vitalia vlcus lethale increscerer: inuictus tamen eius animus, dum turbari tali peste ecclesiam Dei, populumque christianum vexari comperit, nec labori cessit, nec dolori fractus succubuit: sed quadragesimali ieiunio cum vxore & filio inchoato, aduersus hanc vim se obicem obiecit, & qui solitus erat hoc tempus psalmorum decantationi, orationum instantiæ, eleemosynarum liberalitati totum dare, ita vt vix vno aut duobus diebus propter exercitationem equitationi indulgeret, nunc propter discordiam fugandam, pacemque reuocandam, nullum diem voluit habere feriatum. Pastoris enim boni sequens exemplum, pro vtilitate gregis sibi commissi non refugiebat etiam proprii corporis facere iacturam, vt non ambigendum sit, ei redditum præmium, quod ita laborantibus se daturum promisit maximus princepsque pastorum. Cum maxima igitur fatigatione impugnantibus ipsius valetudinem iis, quæ diximus, imminente sacratissima solennitate paschali Aquasgrani peruenit, ibique eam cum solita deuotione celebrauit.

DCCCXLII

QVa peracta cœptum explere accelerauit negotium. Nam Rheno traiecto, Turingiam, in qua *Ludowicum* hærere audiuerat, maximis itineribus petit. Qui cum tuto in ea diutius morari non posset, rebusque suis patre appropinquante diffideret, salutem in fugæ subsidio posuit, & per terram Sclauorum in Baioariam rediit. Imperator rebus in Turingia constitutis generalem conuentum in vrbe Vangionum Wormatia congregari præcepit: & quia res *Ludowici* taliter se habebant, *Carolus* autem filius cum matre in Aquitania versabatur, Imperator ad filium suum *Lotharium* in Italiam misit, iubens, vt eidem placito interesset, cum eo de hac re & aliis deliberaret.

Contigit eo tempore insolitum deliquium solis tertio die litaniæ maioris. In tantum enim lucis recessu tenebræ præualuerunt, vt nihil a nocte differre viderentur. Stellarum namque ratus ordo ita cernebatur, vt nullum sidus hebetudinem lucis solaris pateretur, quin potius luna, quæ se ei aduersam præbuerat, paulatim orientem petendo, primo corniculatim illi lumen a parte occidentali restituebat, non aliter, quam cum illa prima vel secunda cernitur, & sic per augmenta integram lucem totum solare corpus recipiebat. Quod prodigium licet naturæ adscribatur, tamen lamentabilis exitus, quid portenderet, docuit. Denuntiabat enim fore vt breui maximum illud lumen mortalium, quod in domo Dei positum super candelabrum omnibus lucebat, piissimæ recordationis Imperator, rebus humanis subtraheretur, & mundus eius abscessu in tenebris tribulationum relinqueretur. Cœpit namque ab eo tempore fastidio tabescere, & nau-

& nauseanti stomacho cibum potumque interdicere, crebris suspiriis vrgeri, singultibus quati, atque omnino viribus destitui. Natura enim suis deserta comitibus, necesse est victa fatiscat. Quod cernens, iussit sibi parari habitacula æstiua expeditionalia in insula quadam contigua Moguntiacæ ciuitati, ibique viribus desertus lectulo sese committit. Verum quis eius explicet pro ecclesiæ & reipublicæ statu sollicitudinem? quis enarret mærorem, quem percipiebat ex ecclesiæ & reipublicæ perturbatione & concussione, quam futuram iam oculis cernebat? Non enim se recessurum dolebat, sed quod futurum nouerat, gemebat, dicens se miserum, cuius extrema talibus clauderentur miseriis? Aderant autem ei venerabiles Antistites *Henricus* Treuerorum & *Otgarius* Moguntiæ Archiepiscopus, & *Drogo* frater Imperatoris, Metensis Episcopus nec non sacri palatii Archicapellanus, quem quanto propinquiorem sibi nouerat, tanto ei familiarius sua omnia & semet ipsum credebat. Per eum namque Deo quotidie confessionis suæ munus, sacrificiumque Spiritus contribulati, & cordis humiliati, quod ille non despicit, offerebat. Cibus eius erat per XL dies exiguus, laudante eo iustitiam Dei, & dicente; *Iustus es, Domine, vt quia Quadragesimæ tempus non ieiunans exegi, saltem coactus hoc tibi ieiunium exsoluam.* Iussit autem fratrem suum *Drogonem* ministros Cameræ suæ vocare, qui rem familiarem, quæ in ornamentis regalibus, coronis, & armis, vasis, libris, vestibusque sacerdotalibus constabat, singulatim describerent, & prout sibi visum fuit, quid ecclesiis, quid pauperibus, postremo quid filiis *Lothario* & *Carolo* largiri vellet, notarent: *Lothario* coronam, ensem, euangelium auro gemmisque redimitum ea lege habendum misit, vt fidem *Carolo* & *Iudith* seruaret, & portionem regni, quam Deo teste & proceribus palatii ille secum largitus ei fuerat, totam relinqueret & tueretur. His ita peractis Deo gratias agit, quod nihil sibi superesse proprium cognosceret. Cumque Antistes *Drogo* & ceteri Pontifices in cunctis, quæ agebantur, Deum celebrarent, eique pro singulari Imperatoris tolerantia & pietate gratias agerent, eaque de re sibi inuicem congratularentur; tamen vnum erat, quod gaudium illorum imminuebat. Verebantur enim, ne forte filio *Ludowico* implacabilis esset, scientes, quod vulnus frequenter incisum, aut cauterio adustum acerbiorem vulneris dolorem afferre solet. Bene tamen de eius inuicta patientia, qua semper vsus erat, sperantes, per Drogonem fratrem, cuius monitiones ille spernere non solebat, animum illius leniter tentant: primum quidem amaritudinem animi monstrauit: at parumper deliberans, & viribus quantuliscunque collectis enumerare conabatur, quot & quantis ab eo affectus sit incommodis, & quid contra naturam & Domini præceptum agendo commeruerit. *Sed quia ipse*, inquit, *ad me venire satisfacturus nequit, ego, quod meum est, ago, vobis testibus & Deo, omnia quæ in me peccauit, illi remitto; vestrum autem erit, illum monere, vt si ego illi totiens perperam gesta indulsi, ille etiam sui non obliuiscatur, qui canos paternos deduxit cum dolore ad mortem, & in talibus communis patris Dei præcepta & minas contempsit.* His dictis, tota illa nocte omnis virtutis corporeæ inops fuit, solius sobrietatis animi compos. Altera die, quæ erat dominica, iussit *Drogonem* communionem sacram sibi tradere, & deinde cuiusdam potiunculæ calidulæ haustum sibi præberi; quo paululum gustato, fratrem aliosque astantes cibum sumere voluit. Instante autem migrationis articulo *Drogonem* iunctis pollicum digitis (hoc enim facere consueuerat, si quando ipsum nutu vocabat) accersit; quo & reliquis venientibus, verbis, quibus potuit, & nutu se ipsis commendauit, benedici petiuit, & quæ solent agi in egressu animæ fieri postulauit: quibus id agentibus, facie in sinistram partem conuersa (id quod mihi plures retulerunt) indignando quodammodo quantis potuit viribus bis dixit, *hors*, *hors*, quod foras significat. Qua de causa creditum est, ipsum malignum spiritum vidisse, cuius

cuius societatem nec viuus nec moriens habere voluit : sed eleuatis ad cælum oculis quanto hic minacius intuebatur , tanto ille alacrius intendebat , ita vt nihil a ridente differre videretur. Eo igitur modo vitæ præsentis terminum sortitus , ad requiem feliciter , vt credimus, commigrauit. Vere enim dictum est , eum non posse male mori , qui bene vixit.

Decessit autem XII Kalend. Iulii anno ætatis suæ LXIIII. Aquitaniæ præfuit annis XXXVII , Imperio XXVII. Mortuum vero corpus *Drogo* frater , Episcopus Metensis , cum aliis Episcopis , Abbatibus , Comitibus , Vassis Domini , magna tam cleri quam populi frequentia, magnoque honore Metim transportari fecit , & in basilica *S. Arnulfi* , qua mater eius condita erat , honorificentissime sepeliuit.

TVRPINI

TVRPINI
DE VITA
CAROLIMAGNI
ET
ROLANDI
HISTORIA.

✝ ✝ ✝

FLoruit quidem sub finem saeculi VIII & initium IX TVRPINVS siue TILPINVS, Monachus primum *S. Dionysii* prope Lutetiam Parisiorum; post vero *Hadriani* Pontificis, vel potius *Caroli M.* beneficio * Archiepiscopus Remensis: vir cum in omni vitae officio circumspectus, tum christianae pietatis praecipua quadam laude spectatus: qui morte interceptus animam Deo transmisit anno aerae vulgaris DCCCXI †, Pontificatus religione, fide, vigilantiaque egregie administrati XLVII, non sine virtutis ac innocentiae fama.

* vid. *Frodoardus* histor. Remensis lib. I cap. V.
† vid. *Idem* l. d. lib. II cap. XVII & XVIII

Sedenim is non est huius *de vita* Caroli M. & Rolandi *historiae*, ut *Trithemius* voluit, de Scriptoribus ecclesiasticis n. CCLXXV p. m. 74. quippe quod pluribus iam docuere virorum eruditione praestantium haud pauci, *Miraeus* auctario Scriptorum ecclesiasticorum n. CCXXXII p. m. 42, *Vossius* lib. II de Historicis Latinis cap. XXXII p. 298 & seq. *Gryphiander* de Weichbildis Saxonicis cap. XIII, XIV, XV, XVI p. 41 & seq. vt *Caueum* parte II historiae litterariae Scriptorum ecclesiasticorum saec. VIII p. m. 148, *Struuium* dissertatione de doctis impostoribus § VII p. 15, *Neu* sectione V Mantissae ad *Degorei Wheari* relectiones hiemales p. 67 & seq. *Oudinum* tomo II Commentarii de Scriptoribus ecclesiasticis saec. IX col. 68 & seq. illorum uestigia secutos, praeteream.

Quis igitur foetum hunc excluserit, quaeris? *Oudinus*, quem modo dixi, in eam deuenit sententiam, ac si *Calixtus* Papa *II* tribus post *Caroli M.* decessum saeculis *Turpino* Remensi eum supposuerit, Sic enim l. d. *Auctor huius operis non* Turpinus, *sed* Calixtus II *Papa, qui tribus post mortem* Caroli M. *saeculis illam fabulam confinxit, non vt* Carolum M. *sed vt* S. Iacobum *Apostolum & ecclesiam Compostellanam, quam ardenter amabat, illustriores his fabulis faceret. Vnde nil mirum, quod in manuscr. codice Cantabrigiensi S. Benedicti* Calixtus II *hanc fabulam a se confictam dicat* opus authenticum, *primusque illius mentionem faciat.* Et saec. XII col. 1088: *Spectant haec opuscula omnia ad* Calixtum II, *Romanorum Pontificem, qui haec composuisse videtur, dum Archiepiscopus esset Viennensis, non tam ad* Caroli M. *commendationem, quam ad peregrinationis ad* S. Iacobum *frequentationem, & Compostellanae ecclesiae, quam summe ambiuit, exaltationem. Nam*

Calix-

Calixtus *omnem suam elevationem referebat ad* S. Iacobum *Apostolum, cuius ergo devotionis peregrinationem ad reliquias eius venerandas Compostellam olim susceperat.* Sic ille quidem.

Cautius longe Cl. *Schminckius.* Tantum enim abest, vt de auctore certi quid definiat, vt potius fateatur, aetatem, qua *Pseudo-Turpinus* hic prodiit, maxime obscuram & incertam esse. Interim e vulgatissima illa fabula, quod *Carolus M.* sanctum Domini sepulcrum bellica vi a barbarorum vindicauit potestate, forte coniectari posse putat, auctorem, quisquis ille sit, vixisse, cum expeditiones cruciatae, vt vocantur, siue sacrae, in terram sanctissimis Christi vestigiis & sanguine signatam instituerentur. *Fabula*, inquit *, *haec* (quod scilicet Carolus M. terram sanctam expeditione ac victoria solemni occuparit) *quando exorta sit, certo definiri nequit. Primus est* Pseudo Turpinus, *qui eius mentionem facit, cuius aetas maxime obscura & incerta est. Si coniecturae sit locus, dicerem, hanc fabulam primum emanasse, cum expeditiones cruciatae in Palaestinam instituerentur. Vt enim earum excellentiam praedicarent legati Papae, finxerunt*, Carolum *(nam talia & multo maiora de* Carolo *nostro otiosos homines commentos fuisse, quis ignorat) etiam in Palaestina fuisse, ac barbaris locum illum salutarem eripuisse; atque hinc forte de aetate turpissimi* Turpini *iudicari possit. Verum, quoniam testimonia indubitatae fidei deficiunt, id aliis diiudicandum, & ex sua obscuritate eruendum relinquo.*

* Annotat. ad *Eginhartum* de vita *Caroli M.* cap. XVI p. 81

Ceterum, quisquis ille etiam fuit, nugator fuit imperitus, turpis, insignite impudens, nec vitam scripsit, sed aniles ac insulsissimas fabulas, commentis militum errantium seu vagabundorum (*Romanzios* vocant) haud absimiles: vt dubitare possis, an doctis impostoribus adnumerandus sit, tam ferrei oris, plumbeique pectoris impostor est ac deceptor.

Id quod eruditos tantum non omnes vno fateri audias ore. Sic enim praeter eos, qui apud doctissimum *Neu* & *Oudinum* locis excitatis legi possunt.

Christophorus Lehmannus
chron. Spirensis lib. III cap. XXVIII p. m. 212

Sunt quidem, qui Turpini *memorati librum magni faciunt. Verum enim vero, qui debito illum iudicio leget, deprehendet omnino, quod plus fabularum autor iste nugarumque afferat, quam historicae veritatis.*

Aubertus Miraeus
l. d. p. 42.

Turpino a Trithemio & *aliis vulgo ad*[illegible]*ibitur liber* de gestis Caroli M. *Sed Critici eruditiores* [illegible] *censent* esse *foetum hominis imperiti, qui meras fabulas* [illegible] *scripserit.* Sane nec

nec Hincmarus, *nec* Flodoardus, *nec vllus veterum illarum quisquiliarum meminit. Accedit, quod scriptor iste cap. XXXII mentionem faciat obitus* Caroli M. *At* Turpinum *ante* Carolum *decessisse, eique* Vulfarium *successisse,* Flodoardus *lib. I cap. XVIII testatur.*

Ioannes Albertus Fabricius
annotat. ad *Trithemium* de Scriptoribus ecclesiast.
l. d. p. 74.

Ceterum libros duos sub Turpini *nomine a* Reubero *& aliis editos, plenos putidis fabulis & longe iunioris esse scriptoris, nemo eruditorum dubitat.*

Quamuis igitur nugis his, quas orbi vendidit turpissimus hic Turpinus, carere potuisset respublica litteraria, semel tamen iterumque typis liber exscriptus est. Francofurti quidem anno MDLXVI cum *Sigeberto Gemblacensi, Roberto* de *Monte*, & *Lamberto Schafnaburgensi*, vt *Sagittarius* prodit, introductione in Historiam ecclesiasticam cap. VIII § VII p. 47, Dein hos inter Scriptores a *Reubero* an. MDLXXXIV: de qua quidem editione *Gryphiander* l. d. *Etsi a* Iusto Reubero, *ICto, inter Scriptores Germanicos editus non esset, eius tamen nugis carere potuisset respublica litteraria: fortasse etiam debuisset.* Astronomus *autem etiam vel potius* Eginhartus, *quod expostularet, haberet, si sibi praelatum* Turpinum, *atque huic inter veros historicos primum consessum tributum videret.*

Oudinus l. d. col. 68 etiam a *Schardio* Scriptorum, qui antiquam Germaniam illustrarunt, tomo Basileae an. MDLXXIV edito, insertum dicit, sed erronee prorsus.

Non equidem inepte. Cum tamen fuerint, quibus ex vsu visum, omnium, qui a Reubero hoc volumine comprehensi sunt, Scriptorum rationem habere, non potui, quin nugatorem hunc retinerem, ac cum ceteris probae notae auctoribus recognoscerem. Id vero dum feci, primum e *Lambecii* libro II *Commentariorum de bibliotheca Caesarea Vindobonensi* cap. V § XXI p. 334 & seq. duo illa Supplementa, quae in codice manuscr. qui inter Historicos latinos laudatae modo bibliothecae in membrana scriptos CXLIX est, IX autem illorum, qui ad vitam resque gestas *Caroli M.* pertinent, reperiuntur, in editis autem non habentur, cap. XXXI & XXXII litteris Italicis exscripta attexui. Dein hic illic ex annotatiunculis, quas aliorum ex lectione codici meo adscripseram, nonnullas uni alterique loco apposui; ratus, licet id leuis operae res sit, aequis tamen lectoribus non prorsus fore iniucundum.

IOANNIS

IOANNIS TVRPINI DE VITA CAROLI M. ET ROLANDI *HISTORIA.*

CAPVT I

Epistola beati Turpini *Archiepiscopi ad* Leoprandum.

TVRPINVS Dei gratia Archiepiscopus Remensis, ac sedulus Caroli Magni Imperatoris in Hispania consocius, *Leoprando* Decano Aquisgranensi salutem in Domino. Quoniam nuper mandastis mihi apud Viennam, cicatricibus vulnerum aliquantulum ægrotanti, vt vobis scriberem, qualiter Imperator vester famosissimus *Carolus Magnus* tellurem Hispanicam & Gallicianam a potestate Saracenorum liberauit, mirorum gestorum apices, eiusque laudanda super Hispanicos Saracenos trophæa, quæ propriis oculis intuitus sum, quatuordecim annos perambulans Hispaniam & Galliciam vna cum eo: quod exercitibus suis pro certo scribere, vestræque Fraternitati mittere non ambigo. Etenim magnalia diuulgata, quæ Rex in Hispania gessit, in *S. Dionysii* Chronico, * vt mihi scripsistis, reperire plenarie autoritas vestra nequiuit. Igitur auctorem illius (aut pro tantorum actuum scriptura prolixa, aut quia idem, absens ab Hispania, ea ignorauit) intentio vestra intelligat, minime ea ad plenum scripsisse, & nusquam volumen istud ab ea discordasse. Viuas & valeas, & Domino placeas, Amen.

* *Chronicon* istud *S. Dionysii*, cuius *Turpinus* heic meminit, *vna cum suo auctore friuolum ac futile non immerito quis iudicet. Besselius* animaduersion. ad cap. 4. *Eginharti* de vita Caroli M. p. 25.

CAPVT II

Carolus *Magnus a* Iacobo *Apostolo ad Hispaniam & Galetiam e Saracenorum potestate liberandam excitatur.*

GLoriosissimus itaque Christi Apostolus *Iacobus*, cum aliis Apostolis & dominicis discipulis, diuersa cosmi climata adeuntibus, vt fertur, primitus in Gallicia prædicauit. Deinde eius asseclæ, Apostolico corpore ab Herode Rege perempto, scilicet ab Hierosolymis ad Galliciam per mare translato, in eadem Gallicia prædicauerunt. Sed ipsi Galliciani postea peccatis suis exigentibus, fidem postponentes, vsque ad *Caroli Magni* Imperatoris Romanorum, Gallorum, Teutonicorum, cæterarumque gentium, tempus, perfidi retro abierunt. Hic vero *Carolus* postquam multis laboribus per multa climata orbis, diuersa regna, Angliam, Galliam, Teutonicam, Boiariam, Lotharingiam, Burgundiam, Italiam, Britanniam, ceterasque regiones, innumerasque vrbes, a mari vsque ad mare, diuinis subsidiis munitus, inuincibili brachio potentiæ suæ adquisiuit, & a Saracenorum manibus abstulit, Christianoque imperio subiugauit; graui labore, ac tanto sudore fatigatus, ne amplius bellum iniret, & vt requiem sibi daret, proposuit. Statimque in cælo intuitus est quandam viam stellarum, incipientem a mari Frisiæ, & tendentem inter Teutonicam & Italiam, inter Galliam & Aquitaniam, rectissime transeuntem per Gasconiam, Basclam, & Nauarram, & Hispaniam, vsque ad Galetiam, qua beati *Iacobi* corpus tunc temporis latebat incognitum. Quam viam cum *Carolus* per singulas noctes sæpe perspiceret, cœpit sæpissime præmeditari, quid significaret. Cui hæc summo studio cogitanti heros

heros quidam, optimam & pulcherrimam, vltra quam dici fas est, habens speciem, nocte in ectasi apparuit, dicens: *Quid ais, fili mi?* At ille inquit, *Quis es Domine? Ego sum*, inquit, *Iacobus Apostolus, Christi alumnus, filius Zebedæi, frater Ioannis Euangelistæ, quem Dominus super mare Galilææ ad prædicandum populis sua ineffabili gratia eligere dignatus est, quem Herodes Rex gladio peremit, cuius corpus in Galetia, quæ a Saracenis adhuc turpiter opprimitur, incognitum requiescit. Vnde vltra modum miror, cum terram meam a Saracenis minime liberasti, qui tot terras tantasque vrbes acquisiuisti. Quapropter tibi notifico, quia sicut Dominus potentiorem omnium regum terrenorum te fecit, sic, ad præparandum iter meum & liberandam tellurem meam a manibus Moabitarum, te inter omnes, vt tibi coronam æternæ retributionis exinde præpararet, elegit. Via stellarum, quam in cælo vidisti, hoc significat, quod tu cum magno exercitu, ad expugnandam gentem paganorum perfidam, & liberandum iter meum & tellurem, & ad visitandum basilicam meam & sarcophagum meum, ab his oris vsque ad Galliciam iturus es; & post te omnes populi a mari vsque ad mare peregrinantes, veniam delictorum suorum a Domino impetrantes, illuc iterum ituri sunt, narrantes laudes Domini & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit: a tempore vero vitæ tuæ vsque ad præsentis seculi finem ibunt. Nunc autem perge quam citius poteris, quia ego ero auxiliator tuus in omnibus, & propter laborem tuum impetrabo tibi coronam a Domino in cælestibus, & vsque ad nouissimum diem erit nomen tuum in laude.* Taliter beatus Apostolus tribus vicibus *Carolo* apparuit. His itaque auditis *Carolus* apostolica promissione fretus, & coadunatis sibi exercitibus multis, ad expugnandas gentes perfidas Hispaniam ingressus est.

CAPVT III

De muris Pampilonia per semetipsos lapsis.

PRima vrbs quam obsidione circuiuit, *Pampilonia* extitit, & sedit circa eam tribus mensibus, & nequiuit eam capere, quia muris inexpugnabilibus munitissima erat. Tunc fecit Domino precem dicens: *Domine Iesu Christe, pro cuius fide in has terras ad expugnandam gentem perfidam veni, da mihi hanc vrbem capere, ad decus nominis tui. O beate* Iacobe, *si verum est, quod mihi apparuisti, da mihi capere illam.* Tunc Deo donante, beato *Iacobo* orante, muri collapsi funditus corruerunt: Saracenos vero, qui baptizari voluerunt, ad vitam reseruauit; & qui renuerunt, gladio trucidauit. His auditis mirabilibus Saraceni vbique *Carolo* pergenti se inclinabant, & mittebant ei tributum, & reddebant ei vrbes: & facta est tota terra illa ei sub tributo. Mirabatur gens Saracenica, cum videbat gentem Gallicam, optimam scilicet ac bene indutam & facie elegantem, & honorifice pacificeque recipiebant eos, armis etiam reiectis. Inde visitato sarcophago beati *Iacobi*, venit ad *Petronum*, & infixit in mari lanceam, agens Deo & sancto *Iacobo* grates, qui eum vsque illuc duxit, quo tamen antea ire non poterat. Galecianos vero, qui post beati *Iacobi* prædicationem discipulorumque eius ad perfidiam paganorum conuersi erant, baptismatis gratia per manus *Turpini* Archiepiscopi regenerauit, illos scilicet, qui ad fidem voluerunt conuerti, qui nondum baptizati erant: illos vero, qui fidem recipere noluerunt, aut gladio trucidauit, aut sub Christianorum imperio captiuauit. Deinde iuit per totam Hispaniam, a mari vsque ad mare.

CAPVT IV

De idolo Mahumeth.

IDola & simulacra, quæ tunc in Hispania inuenit, penitus destruxit, præter idolum, quod est in terra *Alandaluf*, quod vocatur *Salamcadis*: *Cadis* dicitur proprie locus, in quo est *Isalam*, in lingua Arabica *Deus* dicitur.

Traduxit

Tradunt Saraceni, quod idolum istud Mahumeth, quem ipsi colunt, dum adhuc viueret, in nomine suo proprio fabricauit, & dæmoniacam legionem quandam sua arte magica in ea sigillauit: quæ etiam tanta fortitudine illud idolum obtinet, quod a nullo vnquam frangi potuit. Cum enim aliquis Christianus ad illud appropinquat, statim periclitatur. Sed cum aliquis Saracenus causa adorandi vel deprecandi Mahumeth accedit, ille incolumis recedit. Si forte super illud auis qualibet se deposuerit, ilico moritur. Est igitur in maris margine lapis antiquus opere Saracenico optime sculptus, supra terram, deorsum latus & quadratus, desursum strictus, altissimus, scilicet quantum solet volare in sublime coruus: super quem eleuatur imago illa de auro optimo in effigie hominis, fusa super pedes suos, erecta faciem suam tenens versus meridiem, & manu dextra tenens quandam clauam ingentem. Quæ scilicet claua, vt ipsi Saraceni aiunt, a manu eius cadet anno, quo Rex futurus in Gallia natus fuerit, qui totam terram Hispanicam Christianis legibus in nouissimis temporibus subiugauerit. Mox vt viderunt clauam lapsam, gazis suis in terram positis omnibus, fugiunt.

CAPVT V

De ecclesiis, quas Carolus *fecit.*

DE auro, quod Carolo Reges & Principes Hispaniæ dedere, beati Iacobi basilicam, tunc per tres annos in illis oris commorans, augmentauit, Antistitem & Canonicos secundum beati *Isidori* Episcopi & Confessoris regulam instituit, eamque tintinnabulis, palliisque, libris, ceterisque ornamentis decenter ornauit. De residuo vero auro & argento immenso, quod de Hispania attulit, regressus ab ea, multas ecclesias fecit: ecclesiam sanctam beatæ *Mariæ* virginis, quæ est apud *Aquisgranum*; & basilicam *S. Iacobi*, quæ est apud *Tolosam*; & illam, quæ est in Gasconia, inter vrbem, quæ vulgo dicitur *Axa*, & secundum sanctum *Ioannem Cordue* via Iacobitana; & ecclesiam sancti *Iacobi*, quæ est apud vrbem *Parisios*, inter Sequanam fluuium & montem Martyrum: & Abbatias innumeras per mundum, quas fecit.

CAPVT VI

De reditu Caroli *ad Galliam, & de* Aigolando *Rege Africanorum.*

DEinde reuerso *Carolo* ad Galliam, quidam paganus rex Africanus, nomine *Aigolandus*, cum suis exercitibus terram Hispanorum sibi acquisiuit, eiectis etiam & interfectis de oppidis & vrbibus custodibus Christianis, quos ad custodiendam terram *Carolus* reliquerat. His auditis *Carolus* cum multis exercitibus rursum Hispaniam adiit, & erat cum eo dux exercituum *Milo* de *Angleris*.

CAPVT VII

De exemplo eleemosynæ mortui.

SEd, quale exemplum tunc Dominus nobis omnibus ostendere dignatus est, de his, qui mortuorum eleemosynas iniuste retinent, nobis est dicendum. Cum igitur apud *Baionam* vrbem Basculorum *Caroli* exercitus hospitatus esset, miles quidam, nomine *Romaricus*, valde ægrotus, morti proximus, accepta pœnitentia & eucharistia a sacerdote, vt equum, quem habebat, venderet, pretiumque clericis & egenis erogaret, cuidam suo consanguineo præcepit. Quo mortuo, consanguineus ille inuidiæ stimulo tactus, equum centum solidis vendidit, pretiumque cibis potibusque velociter expendit. Sed quia malis factis diuini iudicis vindicta proxima esse solet, transactis triginta diebus, apparuit ei nocte in ectasi mortuus, dicens: Quomodo res *meas pro animæ meæ redemptione in eleemosyna* tibi commendaui ad *dandum? scias omnia crimina mea Deum mihi dimi*sisse, sed, quia iniuste eleemo-

eleemosynam meam retinuisti, per triginta dies in tartareis pœnis morat me intelligas fecisse: te autem in eodem loco infernali, vnde egressus sum, die crastina scias ponendum, & me in paradiso futurum. His itaque dictis mortuus recessit, viuusque tremefactus euigilauit. Qui cum summo mane narraret quæ audierat omnibus, atque omnis exercitus de tanta re inter se loqueretur, ecce subiti clamores super eum in aëre, quasi rugitus leonum, luporum, & vitulorum; & statim de medio circumstantium a dæmonibus in ipsis vlulatibus viuus ac sanus rapitur. Quid plura? quæritur quatuor diebus per montes & valles ab equitibus & peditibus, & nusquam inuenitur. Denique, cum per duodecim dies exercitus noster per deserta telluris Nauarrorum & Laruarum peragrasset, reperitur corpus eius exanimatum ac confractum in cuiusdam silicis fastigio, cuius ascensus tribus leucis habebatur supra mare, distans a præfata vrbe quatuor diætis. Dæmones vero eius corpus ibi eiecerant, animamque ad tartara rapuerant. Nota: Quapropter sciant, qui mortuorum eleemosynas sibi ad dandum commendatas iniuste retinent, damnandos in æuum.

CAPVT VIII

De bello sancti Facundi, *vbi hastæ viruerunt.*

POstea vero cœperunt quærere *Aigolandum* per Hispaniam *Carolus* & *Milo* cum suis exercitibus. Quem cum caute inuestigarent, inuenerunt eum in terra, quæ dicitur de *Campis*, super flumine, quod dicitur *Cera*, in pratis, scilicet in optimo loco & plano, quo postea beatorum martyrum *Facundi* & *Primitiui* basilica ingens & optima iussu & auxilio fabricatur, & in qua eorundem martyrum corpora requiescunt, & monachorum Abbatia constituitur, & magna villa pinguissima in eodem loco. Appropinquantibus vero *Caroli* exercitibus, mandauit *Aigolandus Carolo* bellum, secundum velle suum, vel viginti contra viginti, vel quadraginta contra quadraginta, vel centum contra centum, vel mille contra mille, vel duos contra duos, vel vnum contra vnum. Interea missi sunt a *Carolo* centum milites contra centum Aigolandi, & interfecti sunt Saraceni. Tum *Aigolandus* misit ducentos contra ducentos, & statim occisi sunt omnes Mauri. Deinde *Aigolandus* misit duo millia contra duo millia, quorum pars quædam occiditur, parsque alia terga vertit. Tertia vero die eiecit sortes *Aigolandus* secrete, & agnouit *Caroli* detrimentum, & mandauit ei, vt pugnam plenariam sequenti die faceret, si vellet: quæ ab vtroque concessa est. Tunc astiterunt quidam e Christianis, qui sero ante diem belli arma bellica sua studiose præparantes, hastas suas infixerunt, erectas in terra ante castra, in pratis videlicet iuxta præfatum fluuium: quas summo mane corticibus in frondibus decoratas inuenerunt, hi scilicet, qui in acie proxima martyrii palmam Dei fide accepturi erant: & vltra quam dici fas est, admirantes, tantumque Dei miraculum gratiæ diuinæ adscribentes, absciderunt eas prope terram, & radices, quæ remanserunt in tellure, in modum perticarum ex se magna postea generauerunt arbusta, quæ adhuc in illo loco apparent. Erant enim illorum multæ hastæ de lignis fraxineis. Mira res, magnumque gaudium, magnumque animabus proficuum, ingensque corporibus detrimentum. Quid plura? Dum vero illa agitur vtrorumque pugna, in qua occisi sunt quadraginta Christianorum millia, & dux *Milo Rolandi* genitor cum his, quorum hastæ fronduerunt, ibi palmam martyrii adeptus est, & *Caroli* equus peremptus est. Tunc *Carolus* stans pedes cum duobus millibus Christianorum peditum, in medio belli Saracenorum euaginauit spatam suam, nomine *gaudiosam*, & trucidauit multos Saracenos per medium. Die vero aduesperante, vertuntur Saraceni & Christiani in castris. Altera die venerunt ad succurrendum *Carolo* quatuor Marquisii de Italiæ oris, cum quatuor millibus virorum bellatorum. Mox, vt illos *Aigolandus* agnouit, terga vertens, in Legionenses oras secessit, & *Carolus* cum suis exercitibus tunc ad Galliam remeauit. Nota, in præfata acie fas est intelligi salutem pro Christo certantium. Sicut enim

enim *Caroli* milites pugnaturi, ante bellum arma sua ad bellandum præparauerunt, sic & nos arma nostra, id est, bonas virtutes, contra vitia pugnaturi, præparare debemus. Quisquis enim vel fidem contra hæreticam prauitatem, vel charitatem contra odium, vel largitatem contra auaritiam, vel humilitatem contra superbiam, vel castitatem contra libidinem, vel orationem continuam contra dæmoniacam tentationem, vel paupertatem contra felicitatem, vel perseuerantiam contra instabilitatem, vel silentium contra iurgia, vel obedientiam contra carnalem animum ponit; hasta eius florida & victrix in die iudicii Dei erit. O quam felix & florida erit in cælesti regno victoris anima, quæ legitime contra vitia decertauerit in terra! Non coronabitur, nisi qui legitime certauerit, & sicut Caroli pugnatores pro Christi fide obierunt in bello, sic & nos mori debemus vitiis, & viuere virtutibus sanctis in mundo, quatenus palmam de triumpho floridam habere mereamur in cælesti regno.

CAPVT IX

De vrbe Agenni.

INde *Aigolandus* adunauit sibi gentes innumeras, Saracenos, Mauros, Moabitas, Aethiopes, Parthos, Africanos, Persas, *Texephinum* Regem Arabum, *Vrabellum* Regem Alexandriæ, *Auitum* Regem Bugiæ, *Ospinum* Regem Algarbiæ, *Facinum* Regem Barbariæ, *Ailis* Regem Mallos, *Alphinorgeum* Regem Maioricæ, *Manuonem* Regem Mequæ, *Ebraim* Regem Sibiliæ, *Altumaiorem* Regem Cordubæ, & venit vsque ad vrbem Gasconiæ *Agomum*, & cepit eam. Deinde mandauit *Carolo*, vt veniret ad se pacifice cum parua militum turma, promittens ei auro & argento ceterisque gazis sexaginta equos, in signum amicitiæ & beneuolentiæ oneratos, si imperiis suis tantum subiaceret. Idcirco hoc dicebat, quia agnoscere eum volebat, vt postea eum in bello occidere potuisset. Sed *Carolus* hæc animaduertens, cum duobus millibus fortium vsque ad quatuor milliaria prope vrbem *Agennum* venit, & ibi dimisit illos occulte, & venit cum sexaginta tantum militibus vsque ad montem, qui est prope vrbem, vnde potest ciuitas videri, ibique dimisit illos, & mutatis vestibus suis optimis, sine lancea, retro supra dorsum clypeo verso, vt mos nuntiorum belli est, cum solo milite venit ad vrbem. Ilico quidam ab vrbe egressi, venerunt ad illos sciscitandos, quid quærerent. *Nuntii sumus*, inquiunt, Caroli Magni *Regis missi ad* Aigolandum *Regem vestrum.* At illi duxerunt illos ad vrbem ante *Aigolandum*, qui dixerunt ei: *Carolus misit nos ad te, quia ipse venit, vt imperasti, cum sexaginta militibus, & vult tibi militare, & effici tuus, si vis illi dare, quod pollicitus es: idcirco veni ad eum cum sexaginta tuis similiter pacifice, & loquere ei.* Tunc armauit se *Aigolandus*, & dixit, vt redirent ad *Carolum*, & dicerent ad *Carolum*, vt expectaret eum; & nondum putabat *Aigolandus*, illum esse *Carolum*, qui sibi loquebatur. *Carolus* vero illum tunc cognouit, & explorauit vrbem, qua parte erat ad capiendum fragilior, & vidit Reges, in ea qui erant, & rediit ad sexaginta milites, quos retro reliquerat, cum quibus rediit vsque ad duo millia. *Aigolandus* quidem citius insecutus est illos cum septem millibus militum, volens perimere *Carolum*, sed ipsi animaduertentes fugere cœperunt. Deinde *Carolus* rediens in Galliam, coadunatis sibi exercitibus multis, venit ad vrbem *Agennum* & obsedit eam, & sedit circa eam sex mensium spatio. Septimo vero mense aptatis iuxta murum petrariis, & mangatellis, & troiis, & arietibus ceterisque artificiis ad capiendum, & castellis ligneis a *Carolo*, nocte quadam *Aigolandus* cum Regibus & Maioribus suis per latrinas fraudulenter exiuit, & fluuium Garunnam, qui fluit iuxta vrbem, transmeantes, a *Caroli* manibus euasit. Die vero sequenti *Carolus* in vrbem cum magno triumpho intrauit. Tunc quidam ex Saracenis gladio occisi sunt, quidam tamen per Garunnam cum magno impetu euaserunt. Decem millia Saracenorum gladio perempti sunt.

Anton. *fol.* 109. *part.* 2. habet nouem equos

CAPVT X

De vrbe Sanctonica, *vbi hastæ viruerunt.*

INde *Aigolandus* venit *Sanctonas*, quæ tunc Saracenorum imperio subiacebat: *Carolus* vero secutus eum mandauit illi, vt redderet vrbem; ipse vero noluit reddere, sed exiliuit ad bellum contra eum tali conuenientia, vt esset vrbs, qui vinceret alium. Sero autem ante diem belli, castris & arietibus & turmis præparatis, in pratis scilicet, quæ sunt inter castrum, quod dicitur *Taleburgum*, & vrbem iuxta fluuium *Caranta*, infixerunt Christiani quidam hastas suas erectas in terra ante castra. Crastina vero die hastas suas corticibus & frondibus decoratas inuenerunt, hi scilicet, qui in bello præsenti accepturi erant martyrii palmam pro Christi fide. Qui etiam tanto miraculo Dei gauisi, abscissis hastis suis de terra, simul coadunati primitus in bello perierunt, & multos Saracenos occiderunt, sed tandem martyrio coronantur. Erat enim exercitus eorum quatuor millium: & equus etiam *Caroli* ibi occiditur. *Carolus* vero oppressus fortitudine paganorum, resumptis viribus cum suis exercitibus pedites multos interfecit illorum. At illi bellum ferre non valentes, fatigati ex illis, quos occiderant, fugerunt in vrbem. *Carolus* vero insecutus illos, obsedit vrbem, & circuiuit omnes muros eius, præter illum, qui erat contra fluuium. Demum sequenti nocte *Aigolandus* cum suis exercitibus aufugere per fluuium cœpit; *Carolus* vero hoc animaduertens; insecutus est illos, & occidit Regem Algarbiæ, & Regem Bugiæ, aliosque multos paganos circiter quatuor millia.

CAPVT XI

De fuga Aigolandi, *& de militibus exercituum* Caroli.

TVnc *Aigolandus* fugiens transmeauit portus *Aserros*, & venit vsque *Pampiloniam*, & mandauit *Carolo*, quod ibi expectaret eum causa bellandi. Quo audito *Carolus* rediit in Galliam, & cum summa cura omnes exercitus suos longe lateque ad se venire mandauit, & præcepit per totam Galliam, vt omnes serui, qui sub malis consuetudinibus relegati tenebantur, soluta seruitute proprii capitis, & deposita venditione sua, cum omni progenie sua præsenti & futura, vsque in sempiternum liberi permanerent, & ne alicui barbaræ genti Franci amplius seruirent, illi scilicet, qui cum eo in Hispaniam ad expugnandam gentem perfidam irent, præcepit. Quid plura? Omnes etiam, quos ergastulis captos reperit, absoluit, & quos pauperes inuenit, hos ditauit, nudos vestiuit, maleuolos pacificauit, expulsos ab hæreditatibus, honoribus propriis releuauit, omnes armis doctos & scutiferos militari habitu honorifice ordinauit, & quos ab amore suo iuste separauerat Dei dilectione compunctus, ad amicitiam suam omnino conuertit, amicos etiam & inimicos, domesticos & barbaros, ad pergendum in Hispaniam omnes sibi sociauit: & quos Rex sibi sociabat ad expugnandam gentem perfidam, ego Turpinus Dominica autoritate & nostra benedictione & absolutione hos a peccatis cunctis relaxabam. Tunc coadunatis sibi centum triginta quatuor millibus virorum bellatorum, profectus est in Hispaniam contra *Aigolandum*.

Hæc sunt nomina pugnatorum maiorum, qui fuere cum eo: ego *Turpinus* Archiepiscopus Rhemensis, qui dignis monitis Christi fidelem populum ad bellandum fortem & animatum, & a peccatis absolutum reddebam, & Saracenos propriis armis sæpe expugnabam: *Rolandus* Dux exercituum, Comes Cenomanensis & Blauii Dominus, nepos *Caroli*, filius Ducis *Milonis* de *Angleris*, natus *Berthæ*, sororis *Caroli*, cum quatuor armatorum millibus: alius tamen *Rolandus* fuit, de quo nobis nunc silendum est: *Oliuerius* Dux exercituum, miles acerrimus, bello doctissimus, brachio & mucrone potentissimus, cum tribus millibus virorum bellatorum; *Estultus* Comes Lingonensis, filius Comitis *Odonis*, cum tribus millibus virorum bellatorum: *Arastagnus* Rex Britannorum, cum septem millibus virorum bellatorum: alius

tamen Rex tempore ipsius in Britannia erat, de quo mentio nunc ad plenum non fit: *Engelerus* Dux Aquitaniæ, cum quatuor millibus virorum bellatorum. Isti erant docti omnibus armis, maxime arcubus & sagittis. Tempore istius *Engeleri* erat alius Comes in Aquitania, scilicet in vrbe Pictauorum, de quo non est modo loquendum. Hic vero *Engelerus* genere Gasconus, Dux vrbis Aquitaniæ erat, quæ scilicet vrbs sita erat inter Lemouicas & Biturigas & Pictauos, quam etiam Cæsar *Augustus* primum in illis oris fecit, & Aquitaniam nominauit, cui etiam vrbi Biturigas, & Lemouicas, & Pictauos, & Sanctonas, & Engolismam cum prouinciis subiugauit, vnde tota patria illa Aquitania vocatur. Hæc vero ciuitas post *Engeleri* obitum viduata Duce suo, in vastitatem vertitur, eo quod ciues ipsius omnes in Runtia valle gladio obierunt, nec alios colonos habuit amplius. *Gaiferus* Rex Burdegalensis, cum tribus millibus virorum bellatorum, cum *Carolo* in Hispaniam profectus est, *Galerus*, *Galinus*, *Salomon* socius *Estulti*, *Balduinus*, frater *Rolandi*, *Galdebodus* Rex Frisiæ cum septem millibus heroum, *Oellus* Comes vrbis, quæ vulgo dicitur *Nantas*, cum duobus millibus heroum: (de hoc canitur in cantilena vsque in hodiernum diem, quia innumera fecit mirabilia) *Lambertus* Princeps Bituricensis cum duobus millibus virorum, *Samson* Dux Burgundiæ cum decem millibus heroum, *Rainoldus* de *alba Spina*, *Galterius* de *Thermis*, *Wilterinus*, *Garinus*, Lotharingiæ Dux, cum quatuor millibus virorum, *Hego*, *Albertus* Burgundio, *Berardus* de † *Miblis*, *Gumardus*, *Esturinitus*, *Theodoricus*, *Iuonius*, *Berengarius*, *Hato*, *Ganalonus*, qui postea traditor exitit. Et erat exercitus propriæ telluris *Caroli* quadraginta millibus militum, sed & peditum numerus non erat. Isti præfati sunt viri famosi heroes, bellatores potentibus cosmi potentiores, fortiores Christi proceres, Christianam fidem in mundo propagantes. Vt enim Dominus noster Iesus Christus vna cum duodecim Apostolis suis & discipulis mundum acquisiuit, sic *Carolus* Rex Gallorum & Imperator Romanorum cum his pugnatoribus Hispaniam acquisiuit ad decus nominis Dei.

† *infra cap. 30. Nublis*

Tunc omnes exercitus in Laudis Burdegalensibus coadunantur. Cooperiebant enim totam terram illam, longitudine scilicet & latitudine duabus diætis: spatio duodecim milliarium audiebantur fremitus & sonitus illorum. Item *Arnoldus* de *Bellanda* prius transmeauit portus Asereos, & venit Pampiloniam. Statim insecutus est illum *Estultus* Comes cum suo exercitu. Deinde venit *Arastagnus* Rex, & *Engelerus* Dux cum suo exercitu simul: postea venit *Galdebodus* Rex cum suo exercitu: deinde *Ogerius* Rex, & *Constantinus* cum suis exercitibus venerunt. Nouissime vero venit *Carolus* cum omnibus aliis exercitibus, & cooperuerunt totam terram a flumine Rume, vsque ad montem, qui distat ab vrbe tribus leucis via Iacobitana. Octo diebus moram fecerunt ad transmeandum portus.

Interea mandauit *Carolus Aigolando* qui erat in vrbe, vt redderet ei vrbem, quam ædificauerat, & rursum munierat, aut exiret ad bellum contra eum. *Aigolandus*, vt vidit, quia vrbem non poterat tenere contra eum, elegit ad bellum exire contra eum, quam in vrbe turpiter mori. Tunc mandauit *Carolo*, vt daret sibi inducias quousque omnis exercitus eius egrederetur ab vrbe, & ad bellum præpararetur, & cum eo etiam ore ad os loqueretur. Desiderabat enim *Carolum* videre *Aigolandus*.

CAPVT XII

De datis treugis, & de disputatione Caroli & Aigolandi.

Itaque datis treugis inter se, egressus est *Aigolandus* cum suis exercitibus ab vrbe, & dimissis illis iuxta vrbem, venit cum sexaginta ex maioribus suis ante *Caroli* tribunal, qui cum suis exercitibus vno miliario ab vrbe distabat: & erat tunc exercitus *Aigolandi* & exercitus *Caroli* in quodam plano & optimo, qui est iuxta vrbem, habens in longitudine & latitudine sex miliaria. Via Iacobitana diuidebat vtrumque exercitum. Tunc dixit *Carolus Aigolando*: *Tu es* Aigolandus, *qui terram meam* [illegible] *a me abstulisti,*

listi, tellurem Hispanicam & Gasconicam brachio inuincibili potentiæ Dei acquisiui, Christianis legibus subiugaui, omnesque eius reges in eo imperio auerti; tu autem Dei Christianos, me ad Galliam remeante, peremisti, meas vrbes & castella destruxisti, totamque terram igne & gladio vastasti. Vnde multum conqueror in præsenti. Mox vt *Aigolandus* cognouit loquelam suam Arabicam, quam *Carolus* loquebatur, miratus est multum & gauisus est. Didicerat enim *Carolus* linguam Saracenicam apud vrbem Coletum, in qua, cum esset iuuenis, aliquanto tempore commoratus est. Tunc ait *Aigolandus Carolo*: *Obsecro*, inquit, *vt tu tantum dicas, cur terram, quæ iure hereditatis tibi non contigit, aut pater tuus, aut auus, aut abauus, aut atauus non possedit, a nostra gente abstulisti? Ideo*, inquit *Carolus*, *quod Dominus noster Iesus Christus, creator cæli & terræ, gentem nostram, scilicet Christianam, præ omnibus gentibus elegit, & super omnes gentes totius mundi eam dominari instituit, tuam gentem Saracenicam legi nostræ, in quantum potui, conuerti. Valde indignum est*, ait Aigolandus, *vt gens nostra tuæ genti subiaceat, cum lex nostra magis, quam vestra valeat: nos habemus Mahumeth, qui Dei nuntius fuit nobis a Deo missus, cuius præcepta tenemus; imo Deos omnipotentes habemus, qui iussu omnipotentis Mahumeth nobis futura manifestant, quos colimus, per quos viuimus & regnamus.* Aigolande, inquit Carolus, *in hoc erras, quia nos Dei mandata tenemus, vos vana præcepta vani hominis tenetis: nos in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum credimus, & adoramus; vos diabolum in simulachris vestris & creditis & adoratis. Animæ nostræ per fidem, quam tenemus, post mortem ad paradisum, & ad vitam perennem tendunt; vestræ autem ad orcum proficiscuntur. Vnde liquido patet, quod magis valeat lex nostra, quam vestra. Quapropter aut baptismum accipe tu & gens tua, & viue; aut veni in bellum contra me, vt male moriaris. Absit a me*, inquit Aigolandus, *vt baptismum accipiam, & Mahumeth Deum meum omnipotentem abnegem: sed pugnabo ego & gens mea contra te, & gentem tuam, tali pacto, quod si vestra magis valeat, quam nostra, vos conuincatis, & sit vsque in vltimum diem victis opprobrium, inuictis autem laus & exultatio in sempiternum: insuper si gens mea vincitur, ego baptismum accipiam, si viuere possim: quod ex vtraque parte conceditur.*

Statim eliguntur viginti milites Christiani aduersus viginti milites ex Saracenis in campo belli, & tali pacto cœperunt debellari. Quid plura? ilico interfecti sunt pariter omnes Saraceni. Inde mittuntur quadraginta contra quadraginta, & perimuntur Saraceni. Rursum mittuntur centum contra centum, & statim fugientes Christiani retro interficiuntur, ideo quod mori timentes fugerunt. Nota: Hi vero typum gerunt certantium fidelium Christi, quia qui pro fide volunt pugnare, nullo modo debent retro abire. Et sicut illi ideo occisi sunt, quia retro fugerunt: sic Christi fideles, qui debent fortiter Spiritus sancti adminiculo contra vitia pugnare, si retro reuersi fuerint, in vitiis turpiter & cum æternæ salutis dispendio moriuntur: sed qui bene contra vitia pugnant, hi inimicos, id est, dæmones, qui vitia administrant, facile occidunt. *Non coronabitur quis*, inquit Apostolus, *nisi legitime qui certauerit.* Inde mittuntur ducenti contra ducentos, & interficiuntur omnes Saraceni, denique mille contra mille, & occiduntur omnes Saraceni. Tunc, data ex vtraque parte treuga, venit *Aigolandus* ad alloquendum *Carolum*, affirmans legem Christianam meliorem esse, quam Saracenorum, & pollicitus est *Carolo*, quod die crastina ipse & gens sua acciperet. Itaque rediit ad gentem suam, & dixit Regibus & Maioribus suis, se velle baptismum accipere, & præcepit cunctis gentibus suis, vt baptizarentur omnes: quod alii concesserunt, alii renuerunt.

CAPVT

CAPVT XIII

De ordinibus, qui erant in conuiuio Caroli, *& de pauperibus, unde* Aigolandus *scandalum sumsit, & renuit baptizari.*

CRastina vero die circa tertiam treuga data eundi & redeundi, venit causa baptizandi *Aigolandus* ad *Carolum.* Mox vt vidit *Carolum* prandentem, & mensas multas circa eum paratas, discumbentesque quosdam habitu militari indutos, quosdam habitu monachali atro tectos, quosdam canonicali habitu albo indutos, interrogauit *Carolum* de vnoquoque ordine, cuiusmodi gens erat. Cui *Carolus* inquit: *Quos vides birris vnius coloris indutos, Episcopi & sacerdotes nostræ legis sunt, qui nobis præcepta legis exponunt, & a peccatis absoluunt, & benedictionem nobis dominicam tribuunt: quos habitu atro vides, monachi & Abbates, illi sanctiores sunt, qui dominicam maiestatem semper pro nobis implorare non cessant: Missas quia matutinas & horas Dominicas decantant.* Interea videns *Aigolandus* in quadam parte tredecim pauperes miserrimo habitu indutos, ad terram residentes sine mensa & linteaminibus comedentes, paruo cibo & potu vtentes, interrogauit, cuiusmodi essent. At ipse *Carolus* ait: *Hæc est gens Dei, nuntii Domini nostri Iesu Christi, quos sub numero duodecim Apostolorum Domini per vnumquemque diem ex more pascimus.* Tunc *Aigolandus* respondit: *Hi qui circa te resident, felices sunt, & tui sunt, & feliciter comedunt, & bibunt, & induuntur: illi vero, quos Dei tui nomina esse dicis, & nuntios eius esse asseris, cur fame pereunt & male vestiuntur, & longe a te proiiciuntur, & turpiter tractantur? male Domino suo seruit, qui sic nuntios eius recipit: magnam verecundiam Deo suo facit, qui eius famulis ita seruit. Legem tuam, quam dicebas esse bonam, nunc ostendis falsam.* Et accepta ab eo licentia rediit ad suos, & baptizari renuens mandauit ei die crastino bellum. Tunc intelligens *Carolus*, quod propter paruulos, quos vidit male tractari, renuit *Aigolandus* baptizari, omnes pauperes, quos in exercitu inuenit, diligenter procurauit optime indui, & cibum & potum honorifice illis ex more præbuit. Nota: Hinc animaduertendum, quam magnam culpam Christianus quilibet acquirit, qui Christi pauperibus studiose non seruit. Si *Carolus* Regem baptizandum & gentem suam perdidit, eo quod male pauperes tractauit, quid erit illis in extremi examinis die, qui male hic pauperes tractauere? Quomodo audient vocem terribilem, dicentem: *Discedite a me maledicti, ite in ignem æternum, quia esuriui & non dedistis mihi manducare*, &c. Considerandum, quia lex Domini & fides eius in Christiano parum valet, nisi operibus adimpleatur, *Apostolo* affirmante, qui dicit: *Sicut corpus mortuum est sine anima, ita fides sine operibus bonis mortua est in semetipsa.* Sicut Rex paganus baptismum repulit, idcirco quia baptismi opera recta in *Carolo* non vidit: sic timeo, ne fidem baptismi in nobis Dominus repudiet in die iudicii, idcirco quia baptismi opera non inuenit.

CAPVT XIV

De bello Pampilonensi & de morte Aigolandi.

INde crastina die omnes armati ex vtraque parte conuenerunt in campo, causa pugnandi præfato pacto duarum legum. Et erat exercitus *Caroli* centum triginta quatuor millibus, & exercitus Aigolandi centum millibus. Christiani vero quatuor acies fecerunt, & Saraceni quinque; quarum prima, quæ

quæ ad bellum primitus accessit, & ilico conuicta fuit. Mox vt viderunt Saraceni detrimentum sui, simul coadunantur omnes, & *Aigolandus* in medio eorum extitit. Quod vt Christiani viderunt, accinxerunt illos vndique. Ex vna parte accinxit illos *Arnoldus* de *Bellanda* cum suo exercitu, ex alia *Estultus* Comes cum suo exercitu, ex alia *Arastagnus* cum suo exercitu, & ex alia *Galdebodus* Rex cum suo exercitu, & ex alia *Ogerius* Rex cum suo exercitu, & ex alia *Constantinus* cum suo, & ex alia *Carolus* cum innumeris suis exercitibus. Tunc *Arnoldus* de *Bellanda* cum suo exercitu prius irruit super illos, & trucidauit ac præcipitauit omnes ad dextram, & ad læuam, quousque peruenit ad *Aigolandum*, qui in medio illorum erat, & potenter propria spatha illum peremit. Statimque factus est nimius clamor omnium, & irruerunt ex vtraque parte Christiani super Saracenos, & occiderunt illos omnes. Ibi agitur tanta paganorum occisio, quod nullus eorum euasit, nisi tantum Rex Sibiliæ & Altumaior Cordubæ. Hi cum paucis Saracenorum turmis fugerunt. Tanta sanguinum effusio de illa agitur, quod victores vsque ad bases in sanguine natabant, Saraceni vero, qui inuenti sunt in vrbe, omnes trucidati fuerunt. Ecce quia *Carolus* contra *Aigolandum* decertauit pro pacto Christianæ fidei, occidit illum: quapropter patet, quia lex Christiana omnibus ritibus & legibus totius mundi excellit. Nota: O Christiane, si fidem bene tenueris corde & operibus, quantum poteris, adimpleueris; veraciter super angelos cum capite tuo Christo, cuius membrum es, sublimatus eris. Si vis ascendere, firmiter crede, *quia possibilia omnia sunt credenti*, dicit Dominus. Tunc *Carolus* coadunatis sibi exercitibus suis gauisus est de tanto triumpho: venit vsque ad pontem *Arge* via Iacobitana, & ibi hospitatus est.

CAPVT XV

De Christianis, qui ad illicita spolia redierunt.

TVnc quidam Christiani gazarum cupidi mortuorum, nocte illa retro redierunt *Carolo* ignorante in campo belli, quo mortui iacebant, & auro argentoque diuersis gazis onustati ad *Carolum* redire cœperunt. Ilico Altumaior Cordubæ, qui erat absconditus inter montes, cum aliis Saracenis, qui de bello fugerant, peremit illos omnes, nec vnus quidem ex eis remansit: & erat numerus illorum, qui interficiuntur, circiter mille. Nota: Hi vero typum gerunt fidelium pro peccatis certantium, sed postea ad vitia redeuntium. Quia sicut illi postea inimicos suos deuicerunt, ad mortuos cupiditatis causa redierunt, & interficiuntur ab inimicis: sic fidelis quisque, qui vitia sua deuicit, & pœnitentiam accepit, ad mortuos, id est ad vitia, iterum redire non debet, ne forte ab inimicis, id est a dæmonibus, interficiatur: & sicut illi ad aliena spolia reuertentes præsentem vitam perdiderunt, & nece turpi perierunt; sic religiosi quique, qui sæculum dimiserunt, & ad terrena negocia postea inflectuntur, vitam cælestem perdunt & mortem perpetuam amplectuntur.

CAPVT XVI

De bello Furra.

ALtera vero die nuntiatum est *Carolo*, quod apud montem Garzimi Princeps quidam Nauarrorum, nomine *Furre*, volebat debellare contra eum. Adueniente vero *Carolo* ad montem Garzimi, disposuit Princeps ille venire ad bellum contra eum die sequenti. *Carolus* namque sero, antequam bellum esset, rogauit Dominum, vt ostenderet illos ei, qui morituri erant de suis in bello. Die vero crastina armatis *Caroli* exercitibus, apparuit rubeum signum Dominicæ crucis in humeris moriturorum, retro scilicet super loricas. Quos vt vidit *Carolus*, mox retrusit illos in oratorio suo, ne morerentur

morerentur in bello. Quam incomprehensibilia sunt iudicia Dei, & inuestigabiles viæ eius! Quid plura? peracto bello & perempto *Furre* cum tribus millibus Nauarrorum scilicet & Saracenorum, quos custodia retruserat, *Carolus* reperit exanimatos: & erat numerus eorum centum quinquaginta. O Christi pugnatorum sanctissima caterua, etsi gladius peccatoris non abstulit palmam, tamen martyrii non amisit. Tunc *Carolus* cepit castrum, montesque Garzimi in suum, totamque patriam Nauarrorum.

CAPVT XVII

De bello Ferracuti *Gigantis, & de optima disputatione* Rolandi.

STatimque nuntiatum est *Carolo*, quod apud Nageram Gigas quidam, nomine *Ferracutus*, de genere Goliad aduenerat, de oris Syriæ, quem cum viginti millibus Turcorum Babylonis Admiraldus ad bellandum *Carolum* Regem miserat. Hic vero lanceam aut sagittam non formidabat, vim quadraginta fortium possidebat. Quapropter *Carolus* ilico Nageram adiit. Mox vt eius aduentum *Ferracutus* agnouit, egressus ab vrbe, singulare certamen, scilicet vnum militem contra alterum, petiit. Tunc mittitur ei primum a *Carolo Ogerius* Dacus: quem mox vt Gigas solum in campo aspexit, suauiter iuxta illum vadit, & ilico eum brachio dextro cum omnibus amicis suis amplexatus est, & deportans illum cunctis videntibus in oppidum suum leuiter, quasi esset vna mitissima ouis. Erat enim statura eius quasi cubiti duodecim, & facies eius longa quasi vnius cubiti, & nasus vnius palmi mensurati, & brachia & crura eius quatuor cubiti erant, & digiti tribus palmis. Deinde misit ad eum causa belli *Carolus Rainaldum* de *Alba Spina*, & detulit illum solo brachio ilico in carcerem oppidi sui. Deinde mittitur *Constantinus* Rex Romanus & *Oellus* Comes, & ipsos simul vnum ad dextram & alium ad læuam carcere retrusit. Deinde mittuntur viginti pugnatores, scilicet duo in simul separatim, & illos similiter carcere mancipauit. His itaque inspectis *Carolus*, cunctis insuper admirantibus, neminem postea ausus est mittere ad expugnandum eum: *Rolandus* tamen, vix impetrata licentia a Rege, accessit ad Gigantem bellaturus. At ille Gigas ilico rapuit eum sola manu dextera, & misit eum ante se super equum suum. Cumque illum portaret versus oppidum, resumptis viribus suis, in Domino confisus arripuit eum per mentum, & statim euertit eum retro super equum, & ceciderunt ambo simul de equo prostrati solo: statimque eleuantur a terra ambo pariter, & ascenderunt equos. Ilico *Rolandus*, spatha propria euaginata, Gigantem occidere putans, equum eius solo ictu per medium trucidauit. Cumque *Ferracutus* pedes esset, spathamque euaginatam manu tenens ei nimias minas intulisset, *Rolandus* sua spatha in brachio, quo spatham suam Gigas tenebat, illum percussit, & minime eum læsit, sed spatham eius e manu excussit. Tunc *Ferracutus*, gladio amisso, percutere putans pugno clauso *Rolandum*, eius equum in frontem percussit, & læsit, & statim equus obiit. Denique sine gladiis pedites vsque ad nonam pugnis & lapidibus debellarunt. Die aduesperante impetrabat treugas *Ferracutus* a *Rolando* vsque in crastinum. Tunc disposuerunt inter se, vt die crastina in bello sine equis & lanceis ambo conuenirent, & concessa pugna ex vtraque parte vnusquisque ad proprium remeauit hospitium. Crastina vero die, summo diluculo separatim venerunt pedites in campo belli, sicut dispositum fuerat: *Ferracutus* tamen secum attulit spatham, sed nihil ei valuit, quia *Rolandus* baculum quendam retortum & longum secum detulit, cum quo tota die illum percussit, & minime læsit eum. Percussit eum cum magnis & rotundis lapidibus, quibus campus abundanter erat, vsque ad meridiem, illo tempore consentiente, sed eum nullo modo lædere potuit.

Tunc impetratis a *Rolando* treugis *Ferracutus* somno prægrauatus cœpit dormire: *Rolandus* vero, vt erat iuuenis alacer, [illegible] lapidem [illegible]d caput eius, vt liber-

vt libentius dormiret. Nullus enim Christianorum illum tunc occidere audebat, nec ipse *Rolandus.* Nam talis erat inter eos institutio: quod si Christianus Saraceno, vel Saracenus Christiano daret treugas, nullus ei iniuriam faceret; & si aliquis treugam datam ante diffidentiam frangeret, statim interficeretur. *Ferracutus* itaque; postquam satis dormiuit, euigilauit, & sedit iuxta eum *Rolandus*, & cœpit eum interrogare, qualiter ita fortissimus & durissimus habebatur, quam vt gladium aut lapidem aut baculum non formidabat. *Vulnerari*, inquit Gigas, *non possum, nisi per vmbilicum.* Loquebatur ipse lingua Hispanica, quam *Rolandus* satis intelligebat. Tunc Gigas cœpit *Rolandum* adspicere & interrogare eum, dicens: *Tu autem quomodo vocaris? Rolandus*, inquit, *vocor. Cuius generis*, inquit Gigas, *es, qui fortiter me expugnas? Francorum genere oriundus*, inquit, *Rolandus, sum.* At *Ferracutus ait: Cuius legis sunt Franci?* Et *Rolandus: Christianæ legis Dei gratia sumus, & Christi imperiis subiacemus, & pro eius fide in quantum possumus, decertamus.* Tunc paganus audito *Christi* nomine ait: *Quis est ille Christus, in quem credis?* Et *Rolandus, Filius Dei Patris*, inquit, *qui ex virgine nascitur, cruce patitur, sepulchro sepelitur, & ab inferis tertia die resuscitatur, & ad Dei Patris dexteram super cælos regreditur.* Tunc *Ferracutus, Nos credimus*, inquit, *quia creator cæli & terræ vnus est Deus, nec filium habuit nec patrem: sed sicut a nullo generatus est, ita neminem genuit: Ergo vnus est Deus, non trinus. Verum dicis*, inquit *Rolandus, quia vnus est: sed cum dicis, Trinus non est, in fide claudicas. Si credis in Patrem, crede in Filio eius, & Spiritu sancto. Ipse enim Deus Pater est, Filius, & Spiritus sanctus est, vnus Deus permanens in tribus personis. Si Patrem*, inquit *Ferracutus, dicis esse Deum, Filium Deum, Spiritum sanctum Deum: ergo tres Dii sunt, quod absit, & non vnus Deus. Nequaquam*, inquit *Rolandus, sed vnum Deum & trinum prædico tibi, & vnus est, & trinus est. Totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus; in personis est proprietas, in essentia vnitas, & in maiestate adoratur æqualitas. Trinum Deum & vnum angeli adorant in cælis. Et Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Hoc ostende*, inquit Gigas, *qualiter tria vnum sint. Ostendam etiam tibi*, inquit *Rolandus, per humanas creaturas: Sicut in cithara, cum sonat, tria sunt, ars scilicet, chordæ, & manus, & vna cithara est; sic in Deo tria sunt, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & vnus est Deus. Et sicut in amygdala tria sunt, corium scilicet, nucleus, & testa, & vna tamen amygdala est: sic tres personæ in Deo sunt, & vnus Deus est. In sole tria sunt, candor, splendor, & calor, & tamen vnus sol est. In rota plaustri tria sunt, modius scilicet, brachia, & circulus, & tamen vna rota est. In temetipso tria sunt, corpus scilicet, membra, & anima, & tamen vnus homo es. Sic in Deo & vnitas & trinitas esse perhibetur. Nunc Ferracutus* inquit, *trinum Deum & vnum esse intelligo: sed qualiter Pater Filium genuit, ignoro. Credo*, inquit Rolandus, *quod Deus Adam fecit. Credo*, inquit Gigas. *Quemadmodum*, inquit Rolandus, *Adam a nullo generatus est, & tamen filios genuit: sic Deus Pater a nullo generatus est, & tamen Filium ineffabiliter ante omnia tempora diuinitus, prout voluit, genuit a semetipso.* Et Gigas, *placent*, inquit, *mihi quæ dicis, sed qualiter homo effectus est qui Deus erat, penitus ignoro. Ille*, inquit Rolandus, *qui cælum & terram & omnia creauit ex nihilo, ipse fecit humanari Filium in virgine, sine semine humano, sed spiramine sacro suo. In hoc*, inquit Gigas, *laboro, & qualiter sine humano semine, vt asseris, nascitur de virginis vtero.* & Rolandus ait: *Deus qui Adam sine semine alterius formauit, ipse Filium suum sine semine hominis de virgine nasci fecit, & sicut de Deo Patre nascitur sine matre, sic ex matre nascitur sine homine patre. Talis enim decet partus Deum. Valde*, inquit Gigas, *erubesco, quomodo virgo sine homine genuit. Ille*, inquit Rolandus, *qui fabæ gurgulionem & arbori & glisci facit gignere vermem, & nul-*

tos pisces & vultures & apes & serpentes sine masculo semine facit parere prolem, ipse virginem intactam absque virili semine facit gignere Deum & hominem. Qui primum hominem sine alterius semine, vt dixi, fecit, facile potuit facere, vt Deus homo factus de virgine sine masculo concubitu nasceretur. Bene, inquit Ferracutus, potest esse, quia de virgine natus fuit: sed si Filius Dei fuit, nullatenus, vt asseris, in cruce mori potuit. Nasci, vt dicis, potuit, sed si Deus fuit, nequaquam mori potuit; Deus enim nunquam moritur. Bene, inquit Rolandus, dixisti, quia de virgine nasci potuit, ecce quia vt homo natus fuit. Si natus est vt homo, igitur mortuus est vt homo; quia omnis, qui nascitur, moritur. Si credendum est natiuitati, igitur credendum est passioni, simul & resurrectioni. Quomodo, inquit Ferracutus, credendum est resurrectioni? Quia, inquit Rolandus, is qui nascitur, moritur; & qui moritur, tertia die viuificatur. Tunc Gigas audito verbo miratus est multum, dixitque ei, Rolande cur tot verba inania profers: Impossibile est, vt homo mortuus denuo ad vitam resurgat. Non solum, inquit Rolandus, Dei filius a mortuis resurrexit, verum etiam omnes homines, qui fuere ab initio vsque ad finem, sunt resurrecturi ante eius tribunal & accepturi meritorum suorum stipendia, prout gessit vnusquisque siue bonum, siue malum. Ipse Deus, qui modicam arborem in sublime crescere fecit, & granum frumenti mortuum in terra putrefactum reuiuiscere, crescere ac fructificare facit, ille cunctos propria carne & spiritu de morte ad vitam resuscitabit in die nouissimo. Leonis mysticam tibi assume. Si die tertia leo catulos suos mortuos anhelitu suo viuificat, quid mirum, si Deus Pater Filium suum die tertia a mortuis resuscitauit, nec nouum tibi debet videri, si Dei Filius ad vitam rediit, cum multi mortui ante eius resurrectionem ad vitam redierint. Si Helias & Elisæus facile defunctos resuscitarunt, facilius Deus Pater illum resuscitauit: facile a mortuis resurrexit, a morte nullatenus teneri potuit, ante cuius conspectum mors ipsa fugit, ad cuius vocem mortuorum phalanx resurrexit. Tunc Ferracutus, Satis, inquit, cerno, quæ dicis, sed qualiter cælos penetrauit, vt dixisti, prorsus ignoro. Ille, inquit Rolandus, qui de cælis descendit, polos facile ascendit: qui facile per semetipsum resurrexit, facile polos penetrauit. Exempla multarum rerum tibi sume: vides rotam molendini quantum ad ima de superis descendit, tantum de infimis ad sublimia ascendit. Auis volans in aere quantum descendit, tantum ascendit. Tu ipse si forte de quodam descendisti monte, bene potes iterum redire, vnde descendisti. Sol ab Oriente heri surrexit, & ad Occidentem occubuit, & hodie similiter in eodem loco surrexit. Vnde ergo Filius Dei venit, illuc rediit. Tali igitur pacto, inquit Ferracutus, tecum pugnabo: quod si vera est hæc fides, quam asseris, ego victus sim; & si mendax est, tu victus sis; & sit genti victæ iugiter opprobrium, victori autem laus & decus in æuum. Fiat, inquit Rolandus. Idcirco bellum ex vtroque corroboratur, & ilico Rolandus paganum aggreditur. Tunc Ferracutus ciecit ictum spatha sua super Rolandum, sed ipse Rolandus subsiliit ad læuam, & accepit ictum spathæ in baculo suo. Interea abscisso baculo Rolandi, irruit in eum & ipse Gigas, & illum arripiens leuiter inclinauit subter se ad terram. Statim agnouit Rolandus, quod tunc nullo modo euadere poterat. Cœpit igitur implorare auxilium filii beatæ Mariæ virginis, & erexit se Deo iuuante paulatim, & reuoluit eum subter se, & adiunxit manum suam ad mucronem eius, & punxit eius parumper vmbilicum, & euasit. Tunc alta voce cœpit Deum suum Gigas inuocare, dicens: Mahumeth, Mahumeth, Deus meus, succurre mihi, quia iam morior. Et statim ad hanc vocem accurrentes Saraceni sustulerunt eum, portantes manibus versus oppidum. Rolandus vero iam incolumis ad suos redierat, & statim Christiani vna cum Saracenis, qui Ferracutum deferebant in oppidum, vrbem violento impetu ingrediuntur. Sicque Gigante perempto vrbs & castra rapiuntur, & pugnatores a carcere eripiuntur.

CAPVT

CAPVT XVIII

De bello Laruarum.

POst exiguum vero tempus relatum est Imperatori nostro, quod apud Cordubam *Ebraim* rex Sibiliæ & Altumaior, qui de bello Pampiloniæ olim fugerant, expectabant eum causa pugnandi, & venerant ad eos in auxilium viri bellatores de septem vrbibus *Sibiliæ*, scilicet *Granada*, *Desatina*, *Dema*, *Vbeda*, *Abula*, *Baëtia*. Tunc disposuit *Carolus* ire ad bellum contra illos. Cum itaque Cordubam cum exercitibus suis appropinquaret, exierunt Reges præfati cum exercitibus suis contra eum armati, longe ab vrbe tribus milliaribus: & erant Saraceni circiter decem millia, nostri vero sex millia. Tunc disposuit *Carolus* exercitum suum in tribus turmis, quarum prima militum probatissimorum fuit, secunda peditum, vltima vero militum extitit: & Saraceni similiter fecerunt. Cumque appropinquaret, iubente *Carolo*, prima turma militum nostrorum contra primam turmam militum paganorum, venerunt ante singulos equos illorum singuli pedites, habentes laruas barbatas, cornutas, dæmonibus consimiles, tenentesque singuli tympana, quæ manibus fortiter percutiebant, quorum sonitus & voces equi nostrorum militum mox vt audierunt, terribilesque illorum viderunt similitudines, nimis pauefacti, retro quasi amentes fugere cœperunt, & nullatenus milites eorum retinere valebant. Cumque aliæ duæ turmæ nostrorum exercitus primam turmam fugere viderunt, in fugam omnes conuersæ sunt. Tunc Saraceni valde gauisi retro lento gradu insecuti sunt nos, quousque ad quendam montem peruenimus, qui ab vrbe fere duobus milliaribus distat. Illic vero omnes coadunati ex nobismetipsis asylum fecimus, illos expectantes ad bellum. Quod illi videntes aliquantulum retro redierunt: ilico tentoria nostra fiximus, ibi manentes vsque in crastinum: mane autem facto accepto consilio *Carolus* cum omnibus pugnatoribus præcepit, vt omnes equites exercitus nostri equorum suorum capita linteis & pannis velarent, ne laruas nefandorum præaspicerent, & aures eorum similiter fortiter obturarent, ne tympanorum sonitus audirent. Ars mirabilis. Ilico clausis oculis & auribus eorum, accesserunt confidenter ad pugnam, paruipendentes sonitus subdolos impiorum. Tunc constanter nostri simul similiter expugnauerunt illos, a mane vsque ad meridiem, & multos illorum occiderunt, non tamen vsque ad omnium internecionem. Et erant omnes Saraceni simul coadunati, & in medio illorum erat plaustrum, quod octo boues trahebant, super quod vexillum rubeum eorum eleuabatur: mosque erat, quod nemo de bello fugeret, quamdiu vexillum eorum erectum videret. Quod cum *Carolus* agnouisset, lorica & galea & spatha inuincibili septus, diuina virtute obumbratus, ingressus est inter acies iniquorum, præcipitando illos ad dexteram & læuam, quousque peruenit ad plaustrum. Tunc propria spatha perticam, quæ vexillum sustentabat, abscidit: & statim omnes Saraceni huc illuc dispersi fugere cœperunt. Ilico vtrorumque exercituum magnoque clamore & impetu octo millia Saracenorum interficiuntur, & Rex Sibiliæ occiditur; & Altumaior cum duobus millibus Saracenorum ingressus vrbem muniuit. Crastina vero die tandem victus reddidit Imperatori nostro vrbem tali pacto, vt baptismo subiiceret, imperioque *Caroli* subiaceret, & vrbem amplius de illo teneret. His itaque gestis terras & prouincias Hispaniæ pugnatoribus & gentibus suis, illis scilicet, qui in illa manere volebant, tunc *Carolus* dimisit, terram Nauarrorum & Basclorum Britannis, & terram Castellanorum Francis, terram Nageræ & Cæsaraugustam Græcis & Apulis, qui in nostro exercitu sunt, & terram Arraginis Picardis, & terram Alandaluf iuxta maritima Teutonicis, & terram Portugallorum Dacis & Flandris dedit. Terram Galliciæ Franci inhabitare noluerunt, quoniam aspera eis videbatur. Nemo postea fuit, qui auderet in Hispania *Carolum* impugnare.

CAPVT

CAPVT XIX

De concilio Caroli, *& profectione eius ad sanctum* Iacobum.*

TVnc, dimissis maioribus exercitibus, *Carolus* in Hispania beati *Iacobi* limina adiit, &, quos in illa patria habitantes reperit, Christianos amplificauit. Illos vero, qui ad perfidiam Saracenorum reuersi fuerant, aut gladio peremit, aut in Galliam exules misit. Tunc constituit per ciuitates Antistites, & Presbyteros, & adunato in vrbe Compostella Episcoporum & Principum concilio, instituit a maiore beati *Iacobi*, quod cuncti Præsules & Principes & Reges Christiani, Hispani scilicet & Galliciani, præsentes & futuri, Episcopo sancti *Iacobi* obedirent: apud Iriam Præsulem minime instituit, quia illam pro vrbe non reputauit, sed villam subiectam sedi Compostellensi esse præcepit. Tunc in eodem concilio, ego *Turpinus* Rhemensis Archiepiscopus beati *Iacobi* basilicam, & altare cum quadraginta Episcopis *Caroli* rogatu Kalendis Iunii honorifice dedicaui. Et subiugauit Rex eidem ecclesiæ totam terram Hispanicam & Gallicianam, deditque ei in dote, præcipiens, vt vnusquisque possessor domus totius Hispaniæ & Galliciæ quatuor nummos annuatim ex debito daret, & ab omni seruitute, Rege præcipiente, liberi essent. Et constituitur die illo, vt illa ecclesia amplius vocitetur *sedes Apostolica*, eo quod ibi *Iacobus* Apostolus requiescat, & in ea Episcoporum totius Hispaniæ crebro concilia teneantur, & episcopales virgæ, & regales coronæ per manus Episcopi eiusdem vrbis ad decus Apostoli Domini præbeantur. Et si fides in aliis vrbibus, peccatis populorum exigentibus, vel dominica præcepta defecerint, ibi concilio eiusdem Episcopi reconcilientur, & merito in ecclesia illa venerabili fides reconciliari & stabiliri decernitur. Et sicut per beatum *Ioannem* Euangelistam, beati Iacobi fratrem, in orientali parte apud Ephesum Christi fides & Apostolica sedes instituitur; sic per beatum *Iacobum* in occidentali parte, regni Dei apud Galliciam fides eadem, & Apostolica sedes constituitur.

**Venisse tum* Carolum Compostellam, *& celebrato Præsulum conuentu, templo* B. Iacobi, *qui illis in locis sepultus fertur, primariam auctoritatem inter omnia Hispaniæ templa tribuisse*, Turpinus *vulgauit: nos auctori relinquimus. Ita* Bœclerus *Histor.* Caroli M. §41 *p.* 168.

Hæ sunt procul dubio sedes, *Ephesus* scilicet, quæ est ad dexteram in regno terreno Christi, & *Compostella*, quæ est ad sinistram. Quæ videlicet sedes his duobus fratribus filiis Zebedæi in diuisione prouinciarum contigerunt, quia ipsi petierant a Domino, vt vnus ad dexteram in regno eius sederet, & alius ad læuam. Tres Apostolicas sedes principales præ omnibus sedibus in orbe merito religio Christiana venerari præcipue consueuit, *Romanam* scilicet, & *Gallicianam*, & *Ephesinam*. Sicut enim tres Apostolos, *Petrum* scilicet, & *Iacobum*, & *Ioannem* præ omnibus Apostolis Dominus instituit, quibus sua secreta plenius ceteris, vt in Euangeliis patet, reuelauit: sic per eos tres has sedes præ omnibus cosmi sedibus reuerendas constituit: & merito hæ sedes dicuntur principales. Quia sicut hi tres Apostoli dignitatis gratia ceteros præcesserunt Apostolos: sic loca illa sacrosancta, in quibus prædicauerunt, & sepulti fuere, dignitatis excellentia totius orbis sedes iure præcedere debent. Iure *Romæ* sedes Apostolica prima præponitur, quia eam princeps Apostolorum *Petrus* prædicatione sua & proprio sanguine & sepultura dedicauit. *Compostella* quoque sedes secunda merito dicitur, quia beatus *Iacobus* inter ceteros Apostolos præcipua dignitate & honore & honestate maior post beatum *Petrum* extitit, & in cælis primatum super illos tenet, prius martyrio laureatus, eam sua prædicatione olim muniuit, sepultura sua sacratissima consecrauit, & miraculis adhuc perlustrat, & indeficientibus beneficiis indesinenter ditare non cessat. Tertia sedes rite *Ephesus* dicitur, quia beatus *Ioannes* Euangelista in ea Euangelium suum (scilicet *In principio erat verbum*) eructauit, coadunato Episcoporum concilio, quos ipse per vrbes disposuerat,

fuerat, quos etiam in Apocalypsi sua angelos vocat, eamque doctrina sua & miraculis & basilica, quam in ea aedificauit, insuper propria sepultura consecrauit. Si ergo aliqua iudicia, aut diuina, aut humana, in aliis sedibus orbis sua difficultate terminari forte nequeant, in his tribus sedibus tractari & definiri legitime & iuste debent. Itaque Gallicia in primis temporibus a Saracenis expetita, virtute Dei & beati *Iacobi* & auxilio *Caroli* constat honesta vsque in hodiernum diem in fide orthodoxa.

CAPVT XX

De persona & fortitudine Caroli.

ET erat Rex *Carolus* capillis brunis, facie rubeus, corpore decorus & venustus, sed visu efferus (*a*). Statura vero eius erat in longitudine octo pedum suorum, scilicet qui erant longissimi (*b*), amplissimus renibus, ventre congruus, brachiis & cruribus grossus, omnibus artubus fortissimus, certamine doctissimus, miles acerrimus. Habebat in longitudine facies eius vnum palmum & dimidium, & barba vnum (*c*), & nasus circiter dimidium, & frons eius erat vnius pedis, oculi leonini scintillantes vt carbunculi, supercilia oculorum eius dimidium palmum habebant. Statim perterritus erat, quem ipse ira commotus apertis oculis respiciebat. cingulum namque, quo ipse cingebatur, octo palmis extensum habebatur, praeter id, quod dependebat. Parum panis comedebat, sed quartam partem arietis, aut gallinas duas, aut anserem, aut spathulam porcinam, aut pauonem, aut gruem, aut leporem integrum edebat (*d*); modicum vinum, & aquae lympham sobrie bibebat. Tantae fortitudinis erat, quod militem armatum sedentem super equum, a vertice capitis vsque ad bases, simul cum equo, vno ictu, propria spatha secabat, quatuor ferraturas equorum simul facile extendebat, militem armatum rectum stantem super palmam suam a terra vsque ad caput suum sua manu velociter eleuabat. Et erat donis largissimus, iudiciis rectissimus, locutionibus luculentus. In quatuor solennitatibus per circulum anni, praecipue in Hispania, curiam suam tenens, coronam regiam & sceptrum gestabat, die scilicet *Natalis Domini*, & die *Paschae*, & die *Pentecostes*, & die sancti *Iacobi*. Ante eius tribunal spatha nuda more imperiali ferebatur. Circa lectum eius per singulas noctes assidue centum viginti fortes orthodoxi constituebantur ad custodiendum eum, quorum quadraginta primam noctis vigiliam trahebant, decem scilicet ad caput, & decem ad pedes, & decem ad dextram, & decem ad laeuam, manu dextera nudam spatham, & sinistra ardentem candelam tenebant. Eodem modo secundam vigiliam alii quadraginta, similiter alii quadraginta tertiam vigiliam noctis, vsque ad diem, aliis dormientibus, obseruabant. Sed si quem magna eius gesta audire delectauerit, enarrare nobis magnum est & onerosum. Quemadmodum *Galafrus*, Admiraldus Coleti, illum in prouincia exulatum ornauit habitu militari in palatio Coleti, & quomodo idem *Carolus* postea ob merita eiusdem *Galafri* occidit in bello *Braimantum* magnum ac superbum Regem Saracenorum, *Galafri* inimicum, & qualiter diuersas terras & vrbes acquisiuit, & trino nomini subiugauit, & quomodo Abbatias multasque ecclesias per mundum instituit, & quomodo multorum Sanctorum corpora & reliquias in auro & argento collocauit, & qualiter Romae Imperator fuit, & dominicum sepulchrum adiit (*e*), & qualiter lignum Dominicum secum attulit, vnde multas ecclesias dotauit, scribere nequeo: magis deficit manus & calamus, quam eius historia. Quemadmodum tamen post liberationem telluris Galliciae ab Hispania rediit, nobis breuiter est dicendum.

(*a*) *Schminckius* in not. ad *Eginharti* cap. 22 p. 105; *Turpissimus* Turpinus Carolo *adscribit* visum ferum: *quo si seueritatem innuere velit, admitto: vnde ortum putem, quod nonnulli Historici* Carolum *vocent* terribilem.

(*b*) *Si vera sunt* (quae scilicet *Ferius Helpericus* dicit § 173, & *Freherus* habet *philoponemate de* Statura Caroli M. p. 224) *Morboniam abire iubendus* Turpinus, *qui staturam* Caroli *longitudine octo pedum suorum, eorumque longissimorum fuisse nugatur. Cuius*

ius tamen commenta repetit Sifridus Presbyter *Epitom. chronolog. ad an.* 801. *Besselius* animaduers. ad cap. 22 *Eginharti* conf. *Freherus* l. d.

(c) Turpino, *dum barbam* Carolo *palmi longitudine tribuit, fidem haud temere habendam putem; cum quidem* Eginhartus, *non paullo locupletior testis, qui corpus, staturam, apicem capitis, oculos, nasum, canitiem, faciem, ceruicem, ventrem, pedes, incessum, vocem,* Caroli *accurate describit, barba nullam mentionem faciat, non omittenda, si qua vel laude vel nota digna fuisset.* Ita *Freherus* l. d.

(d) *Eginhartus* cap. 24; Cibo non abstinere poterat, vt sæpe quereretur, noxia esse suo corpori ieiunia. *Hinc forte* Turpinus *ansam fabulandi cepit, Carolum vno pastu edisse leporem integrum, & duas gallinas, vel anserem. Schminckius* ad dictum *Eginharti* cap. p.

(e) Dum *Pseudo-Turpinus Carolum* dicit *sepulcrum* adiisse *dominicum*, reliquos, qui id dicunt, decepit. *Besselius* ad cap. 16 *Eginharti* p. 61.

CAPVT XXI

De proditione Gannalonis, *& de bello* Runciæuallis, *& de passione pugnatorum* Caroli.

POstquam *Carolus Magnus* imperator famosissimus totam Hispaniam diebus illis ad Dei & Apostoli eius sancti *Iacobi* decus acquisiuisset, rediens ab Hispania Pampiloniam, cum suis exercitibus hospitatus est: & erant tunc temporis commorantes apud Cæsaraugustam duo Reges Saraceni, *Marsirius* scilicet & *Beligandus* frater eius, ab Admiraldo Babylonis de Perside ad Hispaniam missi, qui *Caroli* imperiis subiacebant, & libenter ei in omnibus seruiebant, sed in caritate ficta. Quibus *Carolus* per *Gannalonem* mandauit, vt baptismum subirent, aut tributum ei mitterent. Tunc miserunt ei triginta equos oneratos auro & argento gazisque Hispanicis, & quadraginta equos vino dulcissimo & purissimo, aliisque itidem pugnatoribus ad potandum, & mille Saracenas formosas. *Gannaloni* vero viginti equos argento & auro & palliis oneratos fraudulenter obtulerunt, vt pugnatores in manu illorum traderet. Qui concessit, & pecuniam illam accepit. Itaque inter se firmato pacto prauo traditionis rediit *Gannalon* ad *Carolum*, & dedit ei gazas, quas Reges illi miserant, dicens, quod *Marsirius* vellet effici Christianus, & præparabat iter suum, vt veniret ad *Carolum* in Galliam, & ibi baptismum acciperet, & totam terram Hispanicam deinceps de illo teneret: maiores vero pugnatores vnum ab eo solummodo acceperunt, mulieres vero nullatenus, sed iuniores sustulerunt. Tunc *Carolus* credens verbis *Gannalonis*, disposuit transire portus Cisereos, & redire in Galliam. Inde accepto consilio a *Gannalone*, *Carolus* præcepit carissimis suis, *Rolando* nepoti suo, Cenomatiensi & Blauiensi Comiti, & *Oliuerio* Gebennensi Comiti, vt cum maioribus pugnatoribus & viginti Christianorum millibus vltimam custodiam in *Runciavalle* facerent, donec ipse *Carolus* cum aliis exercitibus portus Cisereos transiret, idque factum est. Sed quia præcedentibus noctibus vino Saracenico ebrii quidam cum mulieribus paganis, & Christianis etiam feminis, quas secum multi de Gallia adduxerant, fornicati sunt, mortem incurrerunt. Quid plura? dum *Carolus* portus cum viginti millibus Christianorum & *Turpino* & *Gannalone* transiret, & præfati vltimam custodiam facerent, *Marsirius* & *Beligandus* cum quinquaginta millibus Saracenorum summo mane exierunt de nemoribus & collibus, vbi consilio *Gannalonis* duobus diebus totidemque noctibus latuerant: & fecerunt duas turmas bellicas. Vna viginti millium, primum cœpit post tergum subito percutere nostros: ilico nostri reuersi sunt contra illos, & expugnantes eos a mane vsque ad tertiam, omnes occiderunt, nec vnus quidem ex viginti millibus euasit. Statim nostros, tanto bello fatigatos & lassos, alia triginta millia Saracenorum aggrediuntur, & percusserunt eos a maiore vsque ad minorem, nec vnus quidem ex triginta millibus Christianorum euasit: alii lanceis perforantur, alii perticis verberando perimuntur, alii spathis decollantur, alii securibus absciinduntur, alii sagittis & iaculis perforantur, alii viui excoriantur, alii igne cremantur, alii arboribus suspenduntur, [illegible] cultellis ibi interficiuntur omnes

Antonin. f. 109. quadringentos dicit.

omnes pugnatores præter *Rolandum*, & *Balduinum*, & *Turpinum*, & *Thedricum*, & *Gannalonem*. *Balduinus* & *Thedricus* dispersi per nemora tunc latuere, & postea euaserunt. Tunc Saraceni vna leuca retro redierunt. Nota: Hoc in loco interrogandum est, cur illos, qui minime cum mulieribus fornicati sunt, Dominus mortem incurrere permisit? Quia noluit, vt ad propriam patriam redirent, ne forte ibi grauiora peccata committerent. Etenim voluit illis pro laboribus suis coronam cælestis regni per passionem rependere: illos vero, qui fornicati sunt, mortem permisit incurrere, quia per gladii passionem voluit illorum peccata delere. Nec credendum est, quod clementissimus Deus voluerit remunerare transactos labores, eorum scilicet, qui in finem nomen eius confessi sunt, peccata confitentes: licet enim sint fornicati, tamen pro Christi nomine sunt in fine perempti. Igitur pergentibus ad prœlium, patet, quod perniciosus sit comitatus feminarum. Quidam enim terreni Principes, *Darius* scilicet & *Antonius*, olim cum vxorum comitatu perrexerunt in bellum, & ambo ibi corruerunt: *Darius* superatus ab *Alexandro*, *Antonius* vero ab *Octauiano Augusto*. Quapropter nec decet, nec expedit habere mulieres in castris: vbi libido castranda est, impedimentum animæ simul & corpori. Illi qui inebriati & fornicati sunt, significant sacerdotes & religiosos viros, contra vitia pugnantes, quibus non licet inebriari & mulieribus coinquinari. Quod si fecerint, ab inimicis suis, id est, a dæmonibus se nouerint superandos, & æterna morte plectendos.

CAPVT XXII

De passione Rolandi, *& morte* Marsirii, *& fuga* Belligandi.

ITaque peracto bello, cum rediret *Rolandus* solus causa explorandi aduersus paganos, & adhuc ab eis longe distaret, inuenit quendam Saracenum atrum, de bello fessum, in nemore latentem, & captum, viuumque nexum fortiter cum quatuor retortis, ad arborem quandam dimisit. Tunc ascendit in montem quendam, & explorauit illos, & vidit, quia multi erant, & rediit retro ad viam Runciæuallis, qua illi pergebant, qui portus transire cupiebant. Tunc insonuit tuba sua eburnea: ad cuius vocem redierunt ad eum ex Christianis circiter centum. Cum quibus retro per nemora, versus Saracenos, vsque ad Saracenum nexum rediit, quem citius a vinculis absoluit, & eleuauit spatham suam nudam super caput eius, dicens: *Si mecum veneris, &* Marsirium *mihi demonstraueris, viuum te dimittam; alioquin te interficiam.* Nondum enim cognoscebat *Rolandus* Marsirium. Ilico iuit Saracenus ille cum eo, & ostendit inter agmina Saracenica a longe *Marsirium* cum equo rufo & clypeo rotundo. Tunc *Rolandus* illo dimisso animatus ad bellum resumptis viribus Dei, cum his, quos secum habuit, irruit ilico super Saracenos, & vidit quendam inter alios, qui erat statura maior aliis, & vno ictu secuit illum & equum eius propria spatha, a summo vsque deorsum, ita quod pars Saraceni & equi eius cecidit ad dextram, & alia ad læuam. Quod vt alii Saraceni viderunt, ilico *Marsirium* cum paucis in campo dimittentes fugere huc illucque cœperunt. Mox *Rolandus* Dei virtute fretus, intrauit inter acies Saracenorum, illos ad dexteram & læuam præcipitando, & consecutus est *Marsirium* fugientem, & potenti virtute Dei illum inter alios peremit. Tunc in eodem bello centum socii *Rolandi*, quos secum adduxerat, interfecti sunt, & idem *Rolandus* quatuor lanceis, imo hastis & lapidibus grauiter percussus & attritus euasit. Mox vt *Belligandus Marsirii* necem agnouit, cum aliis Saracenis ab illis oris ilico recessit. *Thedricus* vero & *Balduinus*, vt prædiximus, & alii quidam Christiani, per nemora huc illucque dispersi & perterriti latitabant, alii vero portus transibant. *Carolus* vero cum suis exercitibus iam montis fastigia transierat, & quæ post tergum facta fuerant, ignorabat. Tunc *Rolandus* tanto bello fatigatus, de nece

de nece Christianorum & tantorum virorum dolens, Saracenorum ictibus magnis & percussionibus acceptis afflictus, vsque ad pedem portuum Ciseræ per nemora solus peruenit, & ibi sub arbore quadam iuxta lapidem marmoreum, qui ibi erectus erat in prato optimo super Runciæuallem, equo desiliit. Habebat ipse adhuc quandam spatham suam secum, opere pulcherrimam, acumine incomparabilem, fortitudine inflexibilem, mira claritate resplendentem, nomine *Durenda*. *Durenda* interpretatur *durus ictus*: cum ea namque prius deficiet brachium, quam spatha. Quam cum euaginasset, & manu eam teneret, intuitus eam lacrymosis vocibus dixit: *O ensis pulcherrime, sed semper lucidissime, longitudinis decentissimæ, latitudinis congruæ, fortitudine firmissime, capulo eburneo candidissime, cruce aurea splendidissime, superficie deaurate, pomo beryllino deaurate, magno nomine Dei insculpte, acumine legitime, virtute omni prædite, quis amplius tua virtute vtetur? quis amplius te possidebit? quis tenebit, quis habebit te? Qui te possidebit, erit inuictus, non attonitus, non formidine inimicorum perterritus, non vllis phantasiis pauidus, sed semper erit diuina virtute fretus, auxilio diuino circumdatus: per te Saraceni destruuntur, gens perfida destruitur, lex Christiana exaltatur, laus Dei & gloria & celeberrima fama acquiritur. Quotiens Domini nostri Iesu Christi sanguinem per te vindicaui? quotiens Christi inimicos peremi? quot Saracenos per te trucidaui? quot Iudæos ac perfidos pro Christianæ fidei exaltatione destruxi? Per te Dei iustitia adimpletur, pes manusque latrocinio assueta amputantur. Quotiens per te aut Iudæum perfidum, aut Saracenum peremi, totiens Christi sanguinem, vt arbitror, vindicaui. O spatha felicissima, acutissimarum acutissima, cui similis non fuit, nec amplius erit. Qui te fabricauit, nec ante, nec post consimilem fecit. Nullatenus viuere potuit, qui ex te vulneratus aliquantulum extitit. Si miles ignauus aut timidus te habuerit, si Saracenus aut aliquis perfidus, valde doleo.* His itaque dictis timens, ne in manus Saracenorum deueniret, percussit spatha lapidem marmoreum trino ictu, a summo vsque deorsum lapis diuiditur, & gladius biceps illæsus educitur.

CAPVT XXIII

De sonitu tubæ, & de confessione & transitu eius.

DEinde tuba sua cœpit altisona tonitruare: si forte aliqui ex Christianis, qui per nemora Saracenorum timore latitabant, ad se venirent: vel si illi, qui portus iam transierant, forte ad se redirent, suoque funeri adessent, spathamque suam & equum acciperent, & Saracenos persequerentur. Tunc tanta virtute tuba sua eburnea insonuit, quod flatu omnis eius tuba per medium scissa, & venæ colli eius & nerui rupti fuisse feruntur. Cuius vox ad aures *Caroli*, qui in valle, quæ *Caroli* dicitur, cum exercitu suo tentoria fixerat, loco scilicet, qui distabat a *Carolo* octo milliaribus versus Gasconiam, Angelico ductu peruenit. Ilico *Carolus* voluit ad eum, laturus auxilium, redire. Sed *Gannalonus* passionis *Rolandi* conscius, dixit ei: *Noli retro, domine mi Rex, redire: quia* Rolandus *pro minimo solet tubicinare quotidie; scias, quia nunc auxilio tuo non indiget, sed venandi studio aliquam feram persequens, per nemora cornicando discurrit.* O subdola consilia Iudæ proditoris traditioni comparata. Cumque super prati herbam *Rolandus* iaceret, aquam quam ad refocillandam sitim nimis desideraret, superueniente *Balduino*, vt sibi aquam præberet, innuit. Qui cum aquam huc illucque quæreret, nec inueniret, videns eum morti proximum, benedixit ei, & formidans, ne in manus Saracenorum incideret, equum eius ascendit, & *Caroli* exercitum præcedentem, relicto eo insecutus est. Quo recedente, ilico aduenit *Theodoricus*, & cœpit valde super eum lugere, dicens ei, vt animam suam fidei confessione muniret. [...]cepit ipse *Rolandus* die eodem eucharistiam & delictorum suorum confessionem a quibusdam Sacerdo-

Sacerdotibus, antequam ad bellum properaret. Erat enim mos, vt omnes pugnatores eucharistia & confessione per manus Sacerdotum, Episcoporum, & Monachorum, qui ibi aderant, munirentur, antequam pugnam aut bellum inirent. Tunc eleuatis in cælum oculis *Rolandus* Christi martyr ait: *Domine Iesu Christe, pro cuius fide patriam meam dimisi, in hisque barbaris oris ad exaltandam Christianitatem tuam veni, multa perfidorum bella, tuo munitus auxilio, deuici, innumeras alapas, ruinas, vulnera multa, opprobria, irrisiones, fatigationes, calores, frigora, famem, sitim, anxietates pertuli, tibi in hac hora commendo animam meam. Sicut pro me de virgine dignatus es nasci, crucem pati, mori, sepeliri, & tertia die ab inferis resuscitari, cælos, quos nunquam tui numinis præsentia deseruisti, voluisti ascendere; sic animam meam liberare digneris a morte æterna. Vltra quam dici fas est, me reum & peccatorem esse confiteor: sed tu, qui omnium peccatorum indultor clementissimus es; quique misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam; qui peccatoris omnia facinora, in quacunque die ad te reuersus fuerit, & ingemuerit, obliuioni in perpetuum tradis; qui inimicis pepercisti, & mulieri deprehensæ in adulterio pepercisti, & Magdalenæ remisisti, & Petro lacrymanti relaxasti, & latroni confidenti Paradisi ianuam aperuisti; mihi veniam non deneges delictorum, quodque in te peccaui, mihi remitte, & animam meam in æterna requie fouere digneris. Tu enim es, qui non perimis moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius; qui animam a corpore separatam meliori vita viuere facis; qui dixisti, te malle vitam peccatoris, quam mortem. Credo corde, & ore confiteor, quia idcirco animam meam ab hac vita vis educere, vt post mortem eam in meliori vita facias viuere. Sensum & intellectum, quem nunc habet, tanto meliorem habebit, quantum differt vmbra a corpore.* Et tenens pellem & carnem circa mammas, & cor, vt idem *Thedricus* postea retulit, dixit cum lacrymosis gemitibus: *Domine Iesu Christe, fili Dei viui & beatæ Mariæ virginis, totis visceribus confiteor, & credo, quod tu redemptor meus viuis, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum, & in carne ista videbo Deum saluatorem meum.* Tribus vicibus carnem & pellem suam fortiter tenens manibus, ait; *Et in carne ista videbo Deum saluatorem meum*: & misit manus super oculos, & tribus vicibus similiter ait; *Et oculi isti conspecturi sunt*: & rursum apertis oculis cœpit aspicere cælum, & omnes artus suos & pectus signo sanctæ crucis munire, & dicere cœpit; *Omnia terrena inuilescunt: nunc enim, Christo donante, intueor, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quod præparauit Deus diligentibus se.* Denique manus suas ad Dominum expandens, effudit precem pro his, qui in bello præfato mortui fuerant, dicens: *Moueantur viscera tua misericordiæ Domine super fideles tuos, qui hodie in bello mortui sunt, de longinquis partibus in has barbaras oras ad expugnandam gentem perfidam, & ad exaltandum nomen sanctum, & vindicandum sanguinem tuum pretiosum, & declarandam fidem tuam aduenerunt. Nunc autem pro te manibus Saracenorum perempti iacent, sed tu, Domine, maculas eorum clementer absterge, & a barathri cruciatibus animas eripere digneris, mitte archangelos tuos super illos, qui eorum animas recipiant de regionibus tenebrarum, & perducant eos in regna cælestia, quatenus vna cum sanctis martyribus tuis regnare valeant tecum sine fine, qui viuis & regnas cum Deo Patre & Spiritu sancto in secula seculorum, Amen.* Et statim, *Theodorico* recedente, in hac confessione & prece beati *Rolandi* martyris anima beata de corpore egreditur, & ab angelis in perenni requie transfertur, vbi regnat & exultat sine termino, choris sanctorum martyrum dignitate meritorum coniuncta.

CAPVT XXIV

De nobilitate & moribus Rolandi.

NOn decet hunc igitur vacuis deflere querelis,
Quem lætum summi nunc tenet aula poli.
Nobilis antiqua decurrens prole parentum,
Nobilior gestis nunc super astra manet.
Egregius, nulli de nobilitate secundus,
Moribus excellens, culmine primus erat.
Templorum cultor, recreans modulamine ciues,
Vulneribus patriæ fida medela fuit.
Spes cleri, tutor viduarum, panis egentum,
Largus pauperibus, prodigus hospitibus.
Sic venerabilibus templis, sic fudit egenis,
Mitteret vt cælis quas sequeretur opes.
Dogmata corde tenens plenus velut arca libellus,
Quisquis quid voluit fonte fluente bibit.
Consilio sapiens, animo pius, ore serenus,
Omnibus vt populis esset amore parens.
Culmen honoratum, decus almum, lumen opimum,
Laudibus in cuius militet omne decus.
Pro tantis meritis hunc ad cælestia vectum,
Non premit vrna rogi, sed tenet aula Dei.

CAPVT XXV

De visione Turpini *Episcopi, & de lamentatione* Caroli *super morte* Rolandi.

QVid plura? dum beati *Rolandi* anima exiret de corpore, & ego *Turpinus* in valle *Caroli* loco præfato astante Rege, defunctorum missam eodem die, scilicet sextodecimo Kalendas Iulii, celebrarem, raptus in ectasin audiui choros in cælestibus cantantes, ignorans quid hoc esset. Cumque illi ad sublimia transirent, ecce post tergum tetrorum militum phalanx quasi de raptu rediens prædamque ferens, ante me transiuit. Cui subito mox dixi: *Quid fertis? Nos*, inquiunt, Marsirium *portamus ad inferna; tubicinem virum cum multis* Michaël *fert ad superna*. Tunc missa celebrata dixi: Conci†: regi *veraciter, Rex, scias, quia* Rolandi *animam cum multis aliorum Christianorum beatus* Michaël archangelus *deducit in cælum; sed qua morte mortuus est, prorsus ignoro: sed & dæmones cuiusdam* Marsirii, *cum animabus multorum infidelium, ad incendia gehennalia ferunt.* Dum hæc dicerem, ecce *Balduinus* super equum *Rolandi*, qui omnia, quæ facta fuerant, & *Rolandum* in agone positum iuxta lapidem in monte se dimisisse nobis enarrauit. Moxque per omnem exercitum omnibus exclamantibus retroque redeuntibus, inuenit prius *Carolus Rolandum* exanimatum, iacentem conuersis brachiis supra pectus, in effigie crucis positum, & circuiens super eum, cœpit lacrymosis gemitibus, & singultibus incomparabilibus, suspiriisque innumerabilibus lugere, manus complodere, faciem suam vngulis laniare, barbam & capillos vellere, & dixit altis sonis mœrens: *O brachium dextrum corporis mei, barba optima, decus Gallorum, spatha iustitiæ, hasta inflexibilis, lorica inuiolabilis, galea saluationis*, Iudæ Machabæo *probitate comparatus*, Samsoni *assimilatus*, Sauli & Ionathæ *mortis fortuna consimilis, miles acerrime, bello doctissime, fortissime fortiorum, genus regale, destructor Saracenorum, defensor Christianorum, murus clericorum, baculus* orphanorum, *viduarum refectio, tam pauperum quam diuitum, releuatio* ecclesiarum, *lingua ignara mendacii in iudiciis omnium, Comes inclite* Gallorum, *Dux exercituum fidelium, cur te in has oras duxi?* cur mortuum

tuum te video? cur non morior tecum? cur me mæstam & inanem dimittis? Heu miser quid faciam? Viuas cum angelis, exultes cum martyrum choris, læteris cum omnibus Sanctis. Sine fine tamen lugendum est super te, quemadmodum luxit & doluit Dauid *super* Saul *&* Ionatham *&* Absolon. Versus:

Tu patriam repetis, nos tristi sub orbe relinquis;
Te tenet aula nitens, nos lacrymosa dies:
Sex qui lustra gerens, octo bonus insuper annos,
Ereptus terræ iustus ad astra redis,
Ad paradisiacas epulas te ciue reducto:
Vnde gemit mundus, gaudet honore polus.

His verbis & similibus *Carolus Rolandum* luxit quam diu vixit. Statimque in eodem loco, quo *Rolandus* iacebat defunctus, illa nocte tentoria sua *Carolus* fixit cum suo exercitu, & corpus exanimatum balsamo & myrrha & aloe condiuit, & exequias magnas cantibus & luctibus, precibusque, circa eum luminaribus & ignibus per nemora accensis, honorifice, tota nocte illa cuncti peregerunt.

CAPVT XXVI

De hoc, quod sol stetit spatio trium dierum, & de quatuor millibus Saracenorum, & morte Gannalonis.

CRastina itaque die summo diluculo armati ad locum, quo bellum peractum fuerat, & pugnatores perempti iacebant, in Runciavalle ierunt, & singuli amicos suos, quosdam penitus exanimatos, quosdam adhuc viuos, sed lethaliter vulneratos inuenerunt. *Oliuerium* namque, ab hac luce in meliorem translatum, iacentem inuenerunt super solum terræ euersum, in effigiem crucis extensum, quatuor palis in terra fixis cum quatuor retortis fortiter nexum, & a collo usque ad vngues pedum & manuum cultellis acutissimis excoriatum, iaculisque & sagittis, lanceisque & spathis perforatum, magnisque ictibus baculorum attritum. Clamor quoque & luctus & vox plangentium innumerabilis erat, quia vnusquisque super amicum suum dolebat, totum nemus & vallem clamoribus suis replebant. Tunc iurauit Rex per Regem omnipotentem, quod post paganos currere non cessaret, quousque illos inueniret. Ilico eo post illos currente cum sua tanta militia, sol stetit immobilis, & prolongata est dies illa spatio quasi trium dierum, & inuenit eos iuxta fluuium *Ebra* nomine, iuxta Cæsaraugustam iacentes & comedentes. Tunc quatuor millibus ex his interfectis, reuersus est Rex noster cum sua militia ad Runciamvallem. Quid plura? Defunctis & infirmis & vulneratis ad locum, quo *Rolandus* iacebat, translatis, cœpit inquirere *Carolus*: Si verum esset, an non, quod *Gannalon* pugnatores, vt multi asserebant, tradidisset. Ilico duos milites armatos, *Pinabellum* scilicet pro *Gannalone*, & *Theodoricum* pro semetipso, ad declarandam veritatem congredi iussit. Quorum *Theodoricus* ilico peremit *Pinabellum*. Sicque traditione *Gannalonis* declarata, iussit illum *Carolus* quatuor equis ferocissimis totius exercitus alligari, & super eos quatuor sessores agitantes, contra quatuor plagas cœli: & sic digna morte discerptus interiit.

CAPVT XXVII

De corporibus mortuorum aromatibus & sale conditis.

TVnc defunctorum corpora amici eorum diuersis aromatibus condiuerunt, alii myrrha, alii balsamo, alii sale diligenter perfuderunt: multi corpora per ventrem findebant, & stercora eiiciebant, & sale, alia aromata non habentes, condiebant: alii feretra lignea ad ferendum ea aptabant, alii super equos vectabant, alii humeris, alii inter manus ferebant, alii vulneratos & infirmos in scalis super colla sua portabant, alii alios ibidem sepeliebant

liebant, alius vsque Galliam vel ad proprium locum amicum suum deferebat, alius portabat illum, quousque in putredinem dissolueretur, & tunc sepeliebant.

CAPVT XXVIII

De duobus cœmeteriis sacrosanctis, uno apud Arelatem, *altero apud* Blauium.

ET erant tunc temporis bina cœmeteria præcipua sacrosancta, alterum apud *Arelatem* in *Aylis* campis, alterum apud *Burdegalam*, quod Dominus per manus sanctorum septem Antistitum, scilicet *Maximini* Aquensis, *Trophini* Arelatensis, *Pauli* Narbonensis, *Saturnini* Tholosanensis, *Frontornii* Petragoricensis, *Martialis* Lemouicensis, *Eutropii* Sconnensis consecrauit; in quibus pars maxima illorum sepelitur, & illi, qui in acie montis Garzimi gladiis intacti obierunt, in his cœmeteriis aromatibus peruncti sepeliuntur.

CAPVT XXIX

De sepultura Rolandi, & ceterorum, qui apud Belinum, & diuersis locis sepulti sunt.

BEatum namque *Rolandum* super duas mulas tapeto aureo subuectum, palliis tectum, vsque Blauium *Carolus* deferri fecit, & in beati *Romani* basilica, quam ipse olim ædificauerat, Canonicosque regulares intromiserat, honorifice sepeliuit (*a*), mucronemque ipsius ad caput, & tubam eburneam ad pedes, scilicet ad decus Christi & probæ militiæ eius suspendit. Sed & tubam postea aliam in beati *Seuerini* basilicam, apud Burdegalam condigne transtulit. Felix vrbs dignissima Blauii, quæ tanto hospite decoratur, cuius corporali solatio lætatur, eius subsidiis munitur. Apud Belinum sepelitur *Oliuerius*, & *Galdibodus* Rex Frisiæ, & *Ogerius* Rex Daciæ (*b*), & *Arastagnus* Rex Britanniæ, & *Garinus* Dux Lotharingiæ, & alii multi. Felix villa macilenta Belini, quæ tantis heroibus honoratur. Apud Burdegalam cœmeterio S. *Seuerini* sepelitur *Satferus* Rex Burdegalensis, *Engelerus* Dux Aquitaniæ, *Lambertus* Princeps Bituricensis, *Galerus*, *Galinus*, *Rainaldus* de *Alba Spina*, *Galterius* de *Thermis*, *Willerinus Bego*, cum quinque millibus aliorum. *Oellus* Comes apud Nantas vrbem suam cum aliis multis Britannis sepelitur. His itaque viris sepulturæ traditis, ac pro animarum eorum salute duodecim millibus vnciis argenteis, totidemque talentis aureis, vestibusque & cibariis, *Carolus* instar Machabæi largitis, egenis totam terram, quæ circa basilicam sancti *Romani* Blauiens. milliariorum † spatio porrigitur, totumque oppidum Blauiense cum cunctis, quæ sibi pertinent, & etiam mare, quod sub eo est, vsibus eiusdem ecclesiæ in allodio amore *Rolandi* dedit, & præcepit Canonicis eiusdem loci, ne alicui personæ humanæ seruitutis officia amplius exhiberent, sed solummodo pro salute animæ nepotis sui sociorumque eius, die passionis eorundem annuatim triginta pauperes cunctis vestibus necessariis induerent, cibariisque reficerent, & triginta psalteria, totidemque missas, cum vigiliis, ceterisque plenariis defunctorum obsequiis in commemorationem eorum annuatim non solum pro his, verum etiam pro omnibus, qui in Hispania martyrium pro diuino amore vel acceperant, vel accepturi forent, diligenter Canonici, scilicet præsentes & futuri, celebrarent, quatenus ipsorum coronæ in cælestibus participes fieri mererentur. Quod illi sub pacto iurisiurandi faciendum promiserunt.

Hic deest numerus

(*a*) *Leodius* lib. I annal. de vita *Friderici II* Palatini p. m. 5; *Fabulantur Francorum annales*, Carolum (*Magnum* scilicet) *eiusque duodecim proceres, quos* Franciæ Pares *appellant, inaudita corporis magnitudine fuisse.* *Quod rescire cupiens* antiquitatis amantissimus Franciscus *Rex Fran*[corum]*, ex Hispaniæ captiuitate in suum re*[gnum] *rediens, postquam Blauiam peruenit,* subterraneum illud specum *descendit, vbi* Rolandus & Oliuerius

rius, *& medius* D. Romanus *in marmoreis sepulcris non admodum magnis tumulati sunt. Iussit autem de* Rolandi *tumulo frustum marmoris abrumpi, & illico, postquam intus inspexisset, calce seu caemento reliniri, de communi fama nihil detrahens, ne videretur frustra, vt credo, id tentasse. Post paucos vero dies, salutato de itinere Rege, in oppido* Cognaco, Fridericus Palatinus, *qui tum Imperatorem* Carolum *in Hispaniam adibat, Blauiam etiam diuertit, & eadem monumenta videre voluit. Aderamus ego, & Doctor* Ioannes Langius *Principis insignis Medicus, qui de singulis diligentius scire volentes, perscrutati sumus a Monacho, qui Principi omnia indicabat, de ossibus* Rolandi, *an adhuc integra, & ea, qua fama diceret, longitudine in marmore concluderentur? Respondit, illam famam nihil esse mentitam, neque nos monere debere marmoris breuitatem. Fuisse enim post multos annos a strage Roncinalle translata, putrefactis iam iuncturis non cohaerentia, sed simul, veluti in fascem, colligata, ibi esse reposita, & marmor pro longitudine tibiarum, quae adhuc integra forent, excauatum fuisse. Admirati sumus vehementer, si Monachus verum diceret,* Rolandi *magnitudinem, cuius pro marmoris dimensione tibia tres pedes ad minus longitudinis habuisset. Dum haec nobiscum rationaremur, abiit Princeps cum Monacho; nos duo remansimus soli, inter nos dicentes; Quid si fragmentum marmoris reuelleremus, cum nondum coaluisse caementum videamus? Placuit consilium, & admouemus manus, quibus libenter cessit lapis, totumque sepulcrum intus conspeximus. Vbi prorsus nihil erat, nisi officulorum cumulus, vix duorum pugnorum crassitudine; quo disperso, os vix vllum digiti longitudine inuenimus. Quare reposito, vt ante fuerat, fragmento, risimus inter nos Monachi vel inscitiam, vel impudentem mentiendi audaciam.*

(*b*) *Eccardus* histor. genealog. primorum Misniae Marchionum cap. 5. col. 177 & seq. Ogerii (*ex vero* Autcario *vel* Otgerio, *Bauaro Principe &* Carolomanni, *fratris* Caroli M. *milite) fictitii herois a poetis facti, cognomen fuit* Danus. Pseudo-Turpinus *inde* Daciae *vel* Daniae *Regem fuisse fabulatur, & cum* Eccardo *siue* Egario *eum confundens, ipsum vna cum* Rolando *pugnae Roncevallicae interfuisse somniat——Pugnator siue miles olim Germanis* Degen, Dagen *& alia dialecto* Thanus, Thainusque, *hoc est*, probus, vtilis, *scilicet ob fortitudinis virtutem, dictus est, voce a* dögen, taugen, tügen, *valere, & probum esse, deriuata. Hac vox* Turpino *& reliquis fabulatoribus ansam praebuit, vt* Ogerium *natione* Dacum *vel* Danum *facerent.*

CAPVT XXX

De his qui sepulti sunt apud vrbem Arelatem, in Aylis campis.

POstea vero ego & *Carolus* cum quibusdam exercitibus nostris a Blauio discedentes, per Gasconiam & Tolosam tendentes Arelatem perreximus: ibi vero inuenimus Burgundionum exercitus, qui a nobis in *Hosta* valle discesserant, & per Morlanum & Tolosam venerant cum mortuis suis & vulneratis, quos lectulis & bigis secum adduxerant ad sepeliendum eos in coemeterio in Aylis campis. In quo coemeterio per manus nostras sepulturae traduntur, *Estultus* Comes Lingonensis, & *Salomon*, & *Samson* Dux Burgundionum, & *Arnoldus* de *Bellanda* & † *Albericus* Burgundio, *Gumardus* & *Esturinitus*, *Hato* & † *Iuerius* & *Berardus* de *Nublis*, & *Berengarius*, & *Naaman* Dux Boiariae cum decem millibus aliorum. *Constantinus* praefectus apud vrbem Romam, per mare delatus, cum aliis multis Romanis & Apulis sepelitur, pro quorum animabus vncias duodecim millia argenti totidemque talenta aurea *Carolus* apud Arelatem egenis dedit.

† sup. *Albertus*
† sup. cap. 11. *Iuonius.*

CAPVT XXXI

De concilio, quod apud beatum Dionysium Carolus *adunauit.*

POst haec Viennam simul perreximus, & ibi vulnerum cicatricibus, verberibusque, percussionibus, multisque alapis, quas in Hispania pertuli, angustiatus remansi, & Rex aliquantulum debilitatus cum suis exercitibus Parisiacam adiit vrbem. Tunc adunato Episcoporum & Principum concilio in basilica *S. Dionysii*, agens Deo grates, qui sibi vim dederat paganam gentem subiugandi, omnem Franciam ecclesiae eius in praedio dedit, sicut beatus

Paulus

Paulus Apostolus & *Clemens* Papa beato *Dionysio* in Episcopatu antea illam præbuerant. Et præcepit, vt omnes Franciæ Reges & Episcopi, præsentes & futuri, pastori eiusdem ecclesiæ essent obedientes in Christo: nec Reges sine eius consilio essent coronati, nec Episcopi ordinati, nec apud Romam recepti essent, aut damnati. Rursum post plurima dona eidem ecclesiæ unusquisque possessor vniuscuiusque domus totius Galliæ quatuor nummos annuatim ad ædificandam ecclesiam daret, & omnes seruos, qui hos nummos libenter darent, manu misit. Tunc beatum *Dionysium*, iuxta eius corpus stans, implorauit, vt pro salute eorum, qui libenter illos dabant, Domino precem funderet, & pro Christianis similiter, qui propria sua pro diuino amore dimiserant, & in Hispania in bellis Saracenorum martyrii coronam acceperant. Nocte proxima Regi dormienti beatus *Dionysius* apparuit, eumque excitauit, dicens: *Illis, qui tua admonitione & exemplo tuæ probitatis animati, in bellis Saracenorum mortui, & morituri sunt, delictorum suorum omnium veniam, & illos qui nummos ad ædificandam ecclesiam meam dant & daturi sunt, grauioris sui vulneris medicamina a Deo impetraui.* His a Rege relatis, populi nummos saluberrimæ promissionis deuotissime offerebant, & qui libentius reddebat, *Francus sancti Dionysii* vbique vocabatur, quomodo liber ab omni seruitute Rege præcipiente erat. Hinc mos surrexit, vt terra illa, quæ antea vocabatur *Gallia*, tunc *Francia* vocaretur, id est, ab omni seruitute aliarum gentium libera. Qua propter *Francus* liber dicitur, quia super omnes gentes alias dominatio & decus illi debetur. Tunc *Carolus* Rex Aquisgranum versus Leodio perrexit, & balnea, aqua calida & frigida temperata, in eadem villa parauit, & beatæ *Mariæ* virginis basilicam, quam ibi ædificauerat, auro & argento, cunctisque ornatibus ecclesiasticis decenter adornauit, veterisque & nouæ legis historiis eam depingi iussit, & palatium similiter, quod ipse iuxta eam ædificauerat. Bella namque, quæ ipse in Hispania deuicit, & septem liberales artes inter cetera miro modo in eo depicta sunt *.

*al. *depinguntur*

Post hæc verba in codice mscr. *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis*, qui inter Codices Historicos latinos CXLIX est, hoc occurrit Supplementum, quod e *Lambecii* Commentar. de eadem Bibliotheca Cæsarea lib II. cap. V § XXI p. 334 & seq. huc afferre visum.

Grammatica *scilicet, quæ est omnium mater, per quam omnes scripturæ, & cælestia & terrestria noscuntur, quæ docet, quot & quales litteræ debent exerceri, & quando scribi, & quibus litteris partes & syllabæ debent adscribi, & quibus locis diphtongon componi, vt duo orthographiæ codices, qui primum inter ceteros ostendunt.* Orthographia *est scientia recte scribendi. Nam* orth *s græce dicitur recte*, graphia *scriptura. Per hanc artem lectores in sancta ecclesia, quæ legunt, intelligunt. Quam qui ignorat, lectionem quidem legit, sed plenarie minime intelligit: sicut qui non habet thesauri clauem, & nescit, quid intus latet.*

Rhetorica, *quæ scienter & conuenienter, placide & pulchre docet loqui & recte* rectos *græce dicitur* facundus. *Verbis enim facundum & eloquentem scientem se ars reddit.*

In altero codice manuscr. Cæsareo inter Historicos latinos num. CCII legitur; *& recte* Rectos *græce dicitur* facundus *latine. Verbis enim facundum &* ——— quare puto mendosum hunc locum ita corrigendum esse; *& recte, qui* Rhetor *græce dicitur* facundus *latine. Verbis enim facundum* ———

Dialectica *in aula Regis depingitur: quæ docet verum a falso discernere, disputare, de verborum ingeniis tractare, stultos concludere, scientes verbis abundare. In qua si pedem firmiter posueris, inde extrahere non poteris.*

Arithmetica *depingitur ibi, quæ loquitur de nume[illegible] omnium rerum: quam qui plenarie intelligit, cum turrim aut mur[illegible] videt excelsum, scit, quot lapides in eo sunt, vel quot guttæ lymph[illegible] sint in scypho, vel nummi in vno cumulo, vel quot in vno exercitu h[illegible]ines vel millia habeantur*

beantur, comprehendit. Per hanc artem lapicidæ, quamuis ignorantes eam, turres excelsas & muros operantur.

Musica *ibi depingitur, quæ est scientia bene & recte cantandi, qua etiam diuina ecclesiæ officia celebrantur & decorantur, vnde carior habetur. Hac vero arte Cantores in ecclesia canunt & organizant; quam qui ignorat, & more quidem bouis valet vlulare, sed vocum melos & gradus nequit scire; sicut qui in pergameno torta regula lineas facit, si vocem suam emittit. Et sciendum, quia non est cantus secundum Musicam, nisi per quatuor lineas scribatur. Per hanc etiam artem* Dauid *cum sociis suis in psalterio decachordo & cithara & tubis ductilibus & cymbalis, in tympano & choro & organo, diu cecinerunt psalmos. Omnia musicorum instrumenta per hanc facta fuere. Hæc namque ars ab angelicis vocibus & cantibus diuinitus in cælo edita fuit. Quis ergo dubitet, voces canentium ante altare Christi in ecclesia dulci corde emissas, angelicis vocibus in cælis ammisceri? Ait namque* liber Sacramentorum * *sic*; Cum quibus, i. e. cum angelis, & nostras voces vt admitti iubeas, deprecamur. A terra vsque ad aures summi Regis vox digne canentium fertur. *In hac arte magna sacramenta, magna mysteria continentur. Nam quatuor lineæ, quibus scribitur, & octo toni, quibus continetur, quatuor virtutes, prudentiam scilicet, fortitudinem, temperantiam, & iustitiam, & octo beatitudines, quibus anima nostra munitur & decoratur, designant.*

* S. Gregorii M.

Geometria *ibi depingitur, quæ mensuratio terræ dicitur. Hæc ars terrarum, montium, & vallium & marium spatia & milliaria & leucas mensurare docet; quam qui intelligit ad plenum, cum spatium cuiuslibet regionis, vel loci, vel campi, vel prouinciæ, vel vrbis videt, quot vel quantis brachiis vel pedibus, vel milliariis potest longitudine & latitudine mensurari scit. Per hanc artem Sanatores Romani ceteras antiquas vrbes componentes, & milliaria & vias de vrbe ad vrbem, & filii Israel terram desiderabilem funiculo distributionis latitudine & longitudine olim mensurauerunt. Hac etiam arte agricolæ, quamuis ignorantes, terras & vineas, prata & lucos & campos mensurant & laborant.*

Astronomia *in opere Regis pingitur; quæ dicitur rimatio stellarum; qua accidentia bona siue mala, præterita siue præsentia siue futura, quæ alibi fiunt, noscuntur. Quam qui plenarie intelligit, cum in itinere ire, vel aliquid magnum facere appetit, quid sibi futurum est, prænoscit. Per hanc autem Romæ Senatores necem virorum & bella in oris barbaris facta, Regumque & regnorum detrimentum, statum & stabilimentum nouerunt.* Magi & Herodes, *stella apparente, Christum natum per eam cognouerunt. Vnaquæque istarum artium filiam sibi subiectam de se habet.*

Nigromantia, *ex qua oritur* Pyromantia, & Hydromantia, & Liber sacratus, *imo* execratus, *in aula Regis non pingitur; quæ libera ars minime habetur. Sciri enim libere potest, sed operari nisi dæmonum familiaritate nullatenus valet. Et idcirco* ars adultera *dicitur, quod etiam eius nomine adprobatur.* Mantia *enim græce* diuinatio *dicitur*, & * nigro *quasi* nigra, *vnde* nigromantia *nigra diuinatio, quia ad atra dæmoniorum vincula vtentes se adducit.* ** Pyros *græce* ignis *vel* rogus *dicitur*; Hydros † *lympha. Vnde* Pyromantia *ignea diuinatio*, & Hydromantia *lymphatica dicitur, quia ad rogum & lympham inferni operantes se adducunt. Vnde* Iob *Propheta ait*: A nimio calore transibunt ad aquas nimium. *Quapropter quicunque hunc* Turpini *libellum legis, stude illum euitare: titulus enim* Nigromantiæ *sic dicit*: Incipit mors animæ.

* Vulgus corrupte dicit *Nigromantia* pro *Necromantia*, quæ est diuinatio per euocationem *τῶν νεκρῶν*, hoc est, mortuorum, vt responsa dent de futuris.

** *Pyros* corrupte pro πῦρ.

† *Hydros* corrupte pro ὕδωρ.

CAPVT

CAPVT XXXII

De morte Caroli.

POst exiguum vero tempus *Caroli* Regis mors mihi demonstratur. Cum igitur apud Viennam in ecclesia ante altare die quadam raptus in ecstasi, precibus insisterem, psalmumque *Deus in adiutorium meum*, &c. cantarem, tetrorum agmina innumerabilia militum ante me præterire, ac versus Lotharingiam tendere agnoui. Qui cum omnes pertransirent, intuitus sum quendam illorum, Æthiopi consimilem, retro lento gradu alios insequentem. Cui dixi: *Quo tenditis? Aquisgranum*, inquit, *ad* Caroli *mortem tendimus, vt eius spiritum ad tartara rapiamus.* Cui dixi: *Adiuro te per nomen Domini Dei nostri Iesu Christi, vt peracto itinere tuæ dispositionis, ad me reuerti non renuas.* Tunc modicum commorati vix expleto psalmo, eodem ordine ad me redierunt, & dixi nouissimo, cui prius locutus fueram: *Quid egistis?* & Dæmon Gallitianus inquit, *sine capite, tot ac tantos lapides ac ligna basilicarum suarum in statera suspendit, quod magis appenderunt bona, quam eius mala, & idcirco eius animam a nobis abstulit*: & his dictis Dæmon euanuit. Itaque intellexi eadem die *Carolum* ex hac luce migrasse, & subsidiis beati *Iacobi*, cuius ecclesias multas ædificauerat, ad superna merito regna subuectum. Nam & ego ab eo, die scilicet, qua nos ab inuicem apud Viennam separauimus, impetraueram, vt si fieri posset nuntium mortis suæ mihi mitteret, si ante mortem meam mors illi veniret: similiter ipse a me impetrauerat, vt mortem ei prænuntiarem. Quapropter cum ægritudine esset detentus, factæ promissionis memor, præcepit cuidam militi alumno, antequam moreretur, vt cum eius mortem agnouisset, ilico mihi nuntiaret. Quid plura? Post eius mortem transactis quindecim diebus per eundem nuntium didici, ab ipso tempore, quo ab Hispania recessit, usque ad diem mortis suæ illum assidue ægrotasse, ac pro salute præfatorum defunctorum eadem die, qua ipsi martyrium pro diuino amore susceperunt, scilicet XVI Kalendas Iulii, duodecim millia vnciarum argenti, totidemque talenta aurea, vestes etiam & cibaria, annuatim in omni vita pauperibus solitum erogasse, totidemque psalteria, missasque & vigilias cantari fecisse, atque eadem die & hora, qua visionem ego videram, scilicet quinto Kalendas Februarii, anno dominicæ incarnationis octingentesimo & quartodecimo illum ab hac vita migrasse, & apud Aquisgranum in beatæ *Mariæ* basilica rotunda, quam ipse ædificauerat, honorifice sepultum illum fuisse.

Et hæc signa ante mortem eius per tres annos contigisse audiui. Nam solem & lunam sex dierum spatio atro colore ante eius mortem contigit immutari. Nomen eius, id est, CAROLVS PRINCEPS, quod erat scriptum in pariete ecclesiæ præfatæ, ante eius mortem omnino per semetipsum deletum est. Porticus, quæ inter basilicam & regiam erat, die ascensionis dominicæ funditus per semetipsam cecidit. Pons ligneus, quem ipse apud Moguntiam sex annorum spatio ingenti studio super fluuium Rheni ædificauerat, incendio funditus per semetipsum consumptus fuisse dicitur. Cumque ipse de loco ad locum die quadam pergeret, subito dies atra efficitur, & flamma magna rogi, a parte dextera versus læuam, ante eius oculos velociter pertransiit. Vnde ipse valde paucefactus, attonitusque in alteram partem de equo cecidit, & arca, quam manu ferebat, in aliam. Ilico socii eius occurrerunt, & manibus a terra eum eleuarunt. Nunc igitur illum esse participem in corona martyrum præfatorum credimus, quorum labores illum cum eis sustulisse credimus. In hoc (*a*) exemplo datur intelligi, quod (*b*) qui ecclesiam ædificat, regiam (*c*) Dei sibi præparat (*d*), a dæmonibus, vt *Carolus*, eripitur, & in cælesti regia (*e*) subsidiis Sanctorum, quorum ædificat basilicas (*f*), collocatur.

† Solem & lunam sex dierum spatio atro colore ante *Caroli* mortem immutatos esse, quod *Turpinus* h. l. dicit, *malitiosa verborum* Eginharti i[...] [...]tatio est. Besselius in animadu. ad Eg[...] [...]cap. 32. p. m. 111.

(a) In manuscr. Cæsareo; *In hoc ergo exemplo* —

(b) In manuscr. Cæsareo; quia *qui ecclesiam* ———

(c) In manuscr. Cæsareo; regnum *Dei sibi* ———

(d) In manuscr. Cæsareo; *preparat*, & *a dæmonibus.*

(e) Sic etiam in mscr. Cæsar. in aliis, *in cælesti regno.*

(f) in mscr. Cæsar. rectius; *quorum ædificauerit ecclesias.*

Post caput XXXII in eodem Codice manuscripto sequitur aliud Supplementum, quod e memorato *Lambecii* Commentario p. 336 & seq. hic subiungo.

S*Ed valde dignum est, vt inter cetera ad Domini nostri Iesu Christi decus reuocetur ad memoriam quoddam optimum exemplum, quod beato* Rotolando*, *dum adhuc viueret, antequam etiam ingrederetur Hispaniam, vt fertur, accidit.*

* Ita ibi scriptum est, non autem *Rolandus.*

Cum igitur vir venerandus Rotolandus *Comes Granopolim vrbem cum innumeris Christianorum exercitibus septem annorum spatio* per circuitum *obsedisset, velox aduenit paranymphus, nuntians ei, quod* Carolus, *eius auunculus, in arce quadam vrbis Germaniæ obsidione trium Regum, Wandalorum scilicet, Saxonum & Frisonum, omnique eorum exercitu tenebatur, mandans & efflagitans, vt sibi cito cum suis exercitibus succurreret, eumque a paganis liberaret. Tunc nepos auunculi sui dilecti anxietate mæstus præmeditari studuit, quid sibi melius esset faciendum, aut vrbem, pro qua tantos labores passus fuerat, relinquere, aut auunculum liberare, aut illum dimittere, & vrbem expugnare, & Domino nostro Iesu Christo eam subiugare. O virum per omnia laudabilem, pietate redundantem, inter duas fortunas meditatione angustatum! Sed quid vir venerandus egerit, nobis est diligenter audiendum. Tribus diebus, totidemque noctibus non manducans aut bibens, sacris precibus cum suis exercitibus vacat, Deumque sibi in auxilium vocat; dicens:* Domine Iesu Christe, fili patris altissimi, qui diuisisti mare rubrum in diuisiones, & eduxisti Israel per medium eius, & præcipitasti Pharaonem in mari rubro, & transduxisti populum tuum per desertum: qui percussisti gentes multas eius aduersarias, & occidisti reges fortes, Seon Regem Ammoræorum, & Og, Regem Basan, & omnia regna Chanaan, & dedisti terram eorum hereditatem populo tuo Israel; qui Iericho muros, quibus aduersantium cingebatur exercitus, sine humana pugna & absque machinatione humani artificis, optima processione facta, tubis clangentibus præcipitasti. Tu, Domine, destrue vrbis huius fortitudinem, totamque eius armaturam in manu tua potenti & brachio tuo inuincibili confringe, vt gens pagana, quæ in sua feritate, non in te confidit, agnoscat te Deum viuum, omnium Regum fortiorem, omnipotentem, Christianorum auxiliatorem & protectorem esse; qui cum Patre & Spiritu S. viuis & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen. *Quid plura? Facta hac prece, tertia die sine humano tactu lapsis vndique muris vrbis, detrusisque paganis & effugatis,* Rotolandus *Comes gauisus cum suis exercitibus ad* Carolum, *in terram scilicet Teutonicam, cito profectus est, eumque potenti virtute Dei ab inimicorum nexibus eripuit. A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

Qui legis hoc carmen, *Turpino* posce iuuamen,
Vt pietate Dei subueniatur ei.

Beatus itaque Turpinus, *Remensis Archiepiscopus, Christi martyr, post beati* Karoli *Regis transitum * ex hoc mundo, modico tempore viuens, apud Viennam doloribus vulnerum & laborum suorum angustiatus, digna nece ad Dominum migrauit, & ibi iuxta vrbem, vltra Rhodanum scilicet versus orientem in quadam ecclesia olim sepultus extitit. Cuius sanctissimum corpus nostris temporibus quidam ex nostris clericis in quodam sarcophago optimo Episcopalibus vestibus inductum, pelle etiam propria & ossibus adhuc integrum inuenerunt, & ab ecclesia illa, quæ erat*

erat vastata, detulerunt illud contra Rhodanum in vrbem, & sepelierunt in alia ecclesia, vbi nunc veneratur. Modo coronam victoriæ obtinet in cælis, quam laboribus multis acquisiuit in terris.

* Hoc omnino falsum est. Obiit enim Archiepiscopus *Turpinus* ante Imperatorem *Carolum M.* quippe a quo successor eius in Archiepiscopatu Rhemensi constitutus est *Wulfarius*, teste *Flodoardo* lib. 2. c. 18.

Credendum, quod hi, qui in Hispania martyrium pro fide Christi acceperunt, in cælestibus regnis merito coronantur, & quamuis Karolus *&* Turpinus *vna cum* Rotolando *&* Oliuero, *ceterisque martyribus in Runtia valle necem minime accepissent, tamen ab eorum corona perpetua non alienantur, qui sensere, quamdiu vixere, plagarum & percussionum & laborum dolores, quos cum illis in agone acceperunt.* Si socii passionum, *inquit* Apostolus, fuerimus, simul & consolationis erimus. Rotolandus **interpretatur* rotulus scientiæ: *quia omnes Reges & Principes omnibus scientiis imbutus excellit.* Oliuerius *interpretatur* heros misericordiæ, *quia clemens & misericors super omnes extitit, clemens sermonibus, clemens martyrii generibus.* Karolus *interpretatur* lux carnis, *quia omnes Reges carnales post Christum luce omnium virtutum & sanctitatum excellit.* Turpinus *interpretatur* pulcherrimus *siue* non turpis, *quia aut turpia opera aut verba in nullo, sed honesta dilatauit.*

* Etymologiæ nominum propriorum *Rotolandi* seu *Rolandi*, *Oliuerii*, *Karoli* & *Turpini*, quæ deinceps sequuntur, ineptissimæ sunt, & risu potius quam refutatione dignæ.

Sexta decima Kalend. Iulii, illa die scilicet, qua de mundo ad Dominum transierunt, officium defunctorum, vigilia scilicet & missa, requiem æternam cum propriis exequiis & horis debent celebrari non solum pro Karoli *defuncti pugnatoribus, sed etiam pro his cunctis, qui a tempore eiusdem* Karoli *vsque in hodiernum diem in Hispania & in Hierosolymitanis oris pro Christi fide martyrium sumpserunt. Quot & quanta* Karolus *pro animarum eorum salute die passionis eorundem egenis visus sit impertiri, superius legendo fas est inueniri.*

Quid patriæ Gallæciæ *post* Karoli *necem accidit, nobis est memoriæ tradendum. Cum igitur post* Karoli *necem Gallæciæ tellus per multa tempora in pace temporali quiesceret, dæmonis instinctu surrexit quidam Saracenus, Altumaior Cordubæ, dicens, quod terram Gallæcianam & Hispanicam, quam* Karolus *ab antecessoribus suis olim abstulerat, ipse sibi acquireret, legibusque Saracenis subiugaret. Tunc coadunatis sibi exercitibus multis & terram & patriam huc & illuc deuastando, vsque ad beati* Iacobi *vrbem** *peruenit, & quicquid inuenit in ea, totum vi abstulit. Similiter basilicam Apostolicam indigne totam deuastauit, codices & mensas argenteas, & tintinnabula ab ea abstulit. Cumque in ea Saraceni ipsi cum equis suis hospitati essent, gens dira digestionem etiam circa altare Apostolicum agere cœperunt. Quapropter alii ex illis, diuina vltione operante, solutione ventris commoti, quicquid corpore continebant, per posteriora foras eiiciebant, alii vero oculorum lumina, per basilicam & vrbem vt cæci errantes, amittebant. Quid plura? Hac ægritudine idem Altumaior tactus, etiam excæcatus, consilio cuiusdam captiui sui, eiusdem basilicæ Sacerdotis, cœpit inuocare Deum Christianorum in auxilium, his verbis dicens:* O Deus Christianorum, Deus Iacobi, Deus Mariæ, Deus Petri, Deus Martini, Deus omnium Christianorum, si me ad pristinam sanitatem reuocaueris, Mahummet Deum meum abnegabo, & Iacobi, viri magni, ad patriam rapacitatis causa amplius non veniam. O Iacobe, vir magne, si vtero meo & oculis meis salutem dederis, quicquid a domo tua abstuli, omnia restituam. *Tunc post quindecim dies, omnibus dupliciter restitutis, ad pristinam salutem Altumaior reuocatus, a patria* S. Iacobi *recedit, promittens, se non amplius venire in oras eius causa rapacitatis, prædicans Deum Christianorum esse magnum,* Iacobum *magnum esse virum. Postea vero oras Hispanicas de[illegible]ando, peruenit ad villam, quæ vulgo dicitur* Ornez*, *in qua beati [illegible] basilica optima &*

* nempe *Compostellam*

ma & pulcherrima erat, palliis & codicibus optimis, & crucibus argenteis, & textis aureis decorata. Ad quam cum iniquus Altumaior venit, rapuit quicquid in ea inuenit, & villam similiter deuastauit. Cumque in eadem villa cum suis exercitibus hospitatus esset, quidam Dux exercituum eius ingressus, in eadem basilica vidit columnas pulcherrimas lapideas, quæ eiusdem ecclesiæ tecta sustentabant; quæ etiam in summitate deargentatæ & deauratæ erant, nequitiæ inuidia tactus, quendam cuneum ferreum inter bases cuiusdam columnæ & eandem columnam fixit. Cum itaque *cuneum illum mallo ferreo fortiter magnisque ictibus feriret, totamque basilicam præcipitare tentaret, diuino operante iudicio idem homo lapis efficitur. Qui etiam lapis vsque hodie in effigie hominis in eadem basilica persistit, habens talem colorem, qualem eiusdem Saraceni tunica tunc gerebat. Solent etiam peregrini enarrare, qui illuc precum causa tendunt, quod lapis ille fœtorem emittit. Quod vt Altumaior vidit, ait domesticis suis:* Magnus est reuera Deus Christianorum, & glorificandus, qui tales habet alumnos, qui cum sint ab hac vita migrati, tamen in nos sibi rebelles ita iustificant, quod vni oculorum lumen auferunt, & alium lapidem mutum faciunt. *Iacobus* lumen oculorum a me abstulit; *Romanus* lapidem fecit. Sed magis *Iacobus* clementissimus est, quam iste *Romanus. Iacobus* enim oculos meos reddidit mihi misertus, sed hominem meum reddere non vult *Romanus.* Fugiamus ergo ab his oris. *Tunc confusus abscessit paganus cum suis exercitibus; nec fuit postea per multum tempus, qui beati* Iacobi ** *patriam debellare auderet. Sciant igitur se damnandos in æuum, qui eius tellurem amplius inquietauerint. Qui vero a potestate Saracenorum illam custodierint, cælesti munere remunerantur.*

Finito libro sit maxima laus Rotolando.

* *Orense*, ad Minium fluuium in Gallæcia. vid. *Ortel.* thesaurus geographicus, voce *Aqua calida*, & *Auria*.

** Per *patriam S. Iacobi* intelligenda hic est *Gallæcia*, quia metropolis eius *Compostella* propter venerandas S. *Iacobi* Apostoli, fratris S. *Ioannis* Euangelistæ, reliquias est celeberrima, ideoque etiam nunc *Santiago* dicitur. vid. Cardinalis *Baronii* not. ad Martyrolog. Roman. d. XXV Iulii.

LIVTH-

LIVTHPRANDI,

TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,

RERVM

AB EVROPAE IMPERATORIBVS ET REGIBVS GESTARVM

LIBRI VI.

● ● ●

LIVTHPRANDVS, siue vt aliis vocatur, LVITHPRANDVS ac LITHOBRANDVS, qua ortus fuerit gente, non vna omnium est sententia. Si *Trithemium** audias, *natione* fuit *Italus*, *ex Papia ciuitate oriundus.* Si *Biuarium*, gente Hispanus, domo Cordubensis, saltim Baeticus, vnaque cum parentibus a Saracenis fugatus consedit in Italia. †

* De *Scriptoribus ecclesiasticis* n. CCCI p. m. 78, vbi tamen perperam *Eutrandum* dici videas.

† In censura operibus *Liuthprandi* nostri praemissa, vt apud *Caueum* legas in *Historia litteraria Scriptor. ecclesiast.* saec. X p. m. 408.

Vtcunque vero se res habet, id certum est, & vel ex ipsa hac rerum sui temporis historia patet, quod puer vixerit in Italia*; patrem Papiae paruulus amiserit†; Regi *Hugoni* delicatulae vocis suauitate puer gratus fuerit atque acceptus.

* Vid. infra lib. IV cap. I.

† Vid. infra lib. III cap. V, quo de obitu illius loquens, *post dies*, inquit, *quindecim*, "*me paruulo derelicto*, *migrauit ad Dominum.*

Parentibus honoratis, dignitateque conspicuis in lucem editum fuisse, vel hinc colligere licet, quod pater ob morum pariter probitatem ac oris facundiam dignus habitus fuerit, qui Constantinopolin legati iret titulo, ac Regis *Hugonis* res apud *Romanum*, Graecorum Imperatorem, expediret: mater vero, marito mortuo, in matrimonium rursus ex dignitate sua iuerit, viro eximiae auctoritatis, & tum opum magnitudine, tum consilio in rebus publicis spectato, nupta. Quae eis nomina fuerint, haud memorauit: meritorum tamen & patris & vitrici, qua erga eos erat pietate, luculentam fecit mentionem. *Illius* quidem lib. III cap. V his verbis: *Cui* (*Romano* scilicet) *tum propter morum probitatem*, *tum propter linguae vrbanitatem genitorem meum direxit nuntium* (Rex *Hugo*) Et paullo post: *Post reditum vero*, *paucis interpositis solibus*, *languore correptus monasterium petiit*, *sanctaeque conuersationis habitum sumsit* cet. *Huius*, lib. V cap. V: *Quoniam meus vitricus*, *vir grauitate ornatus*, *plenus sapientiae*, *Regis* Hugonis *fuerat nuntius* cet.

Mature salutaribus vitae praeceptis institutus, & non minus ad doctrinae, quam virtutis decus capessendum sollicite

ſollicite incitatus, ad praeclara quaeque contendit, ac eximias animi dotes diſciplina vſuque confirmauit. conf. infra lib. VI cap. I.

Cum ſic iuuentam optimis artibus probe exercuiſſet, eccleſiaſticum vitae genus amplexus, tuta planaque via ad honorum ſucceſſit gradus. Primum autem factus eſt *Ticinenſis eccleſiae Leuita*, h. e. Diaconus. Parentum deinde cura, liberalitate, atque beneficio in altiorem adſcendit locum, atque in aula *Berengarii II* Italiae Regis muneris illuſtriſſimi amplitudine proceſſit longius, ſcribendis ſignandisque epiſtolis ac edictis praefectus*. Et cum non magna ſolum ſcientiae & virtutis floreret opinione, ſed facundia etiam praeſtaret (vid. infra lib. VI cap. I) ac conſilio reque gerenda promptus eſſet, anno DCCCCXLVI ab Hero ad *Conſtantinum* Graecorum Imperatorem, firmandae vtrinque amicitiae cauſſa, legati miſſus dignitate eſt: a quo quam honorifice & humaniter Conſtantinopoli exceptus fuerit, pluribus ipſe lib. VI cap. II, III, IV, & V narrat.

**Tanta hac* Berengarii *fama, liberalitate parentes acciti mei ei ad ſeruiendum me tradunt. Cui etiam immenſis oblatis muneribus, ſecretorum eius conſcium ac epiſtolarum conſtituunt ſignatorem.* Ita ipſe lib. V cap. XIV.

Domum reuerſus, legationis gnauiter & cum laude nominis ſui adminiſtratae praemium tulit, Epiſcopatus Cremonenſis impoſitus ſolio. Vtrum eodem ſtatim anno, an ſequenti, non adeo liquet. Vnde *Caueus* l. d. ἀπορῶν quaſi: *Idque ſi in re obſcura coniicere fas ſit, eodem vel ſequenti ſaltim anno.*

Conſcenſo culmine in rebus eccleſiae ſuae tractandis acris vigilantisque fuit ingenii, & ſicuti ſapientiæ & conſilii maturitate longe tunc alios inter primus erat, ita magna apud *Berengarium* floruit gratia. Qua tamen poſtea, vt graues viri haud raro fortunae varietate iactari ſolent, excidit, ab eoque non de dignitatis ſolum gradu deiectus eſt, ſed multis etiam variique generis incommodis affectus. Pro teſtimonio loquatur ipſe. Sic autem in prooemio libri III de eo ac coniuge ipſius *Willa*: *Intentio huius operis ad hoc reſpicit, vt* Berengarii *huius, qui nunc in Italia non regnat, ſed tyrannizat, atque vxoris eius* Willae, *quae ob immenſitatem tyrannidis ſecunda* Iezabel, *& ob rapinarum inſatietatem* Lamia *proprio appellatur vocabulo, actus deſignet, oſtendat, & clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum diſpendia, tanta impietatis molimina in me & domum meam, cognationem, & familiaritatis gratis exercuere, quanta nec lingua proferre, nec calamus valet ſcribere* cet.

In

In tantis rerum angustiis in Germaniam velut in portum se recepit, & Francofurti ad Moenum lares fixit. Vbi cum ageret, ac melioribus se seruaret temporibus, solatium sibi quaesiuit a litteris. Primas certe libri *historiarum sui temporis* tertii lineas ibi ducere occoepit, eique titulum fecit Ἀνταπόδοσις; cuius quidem inscriptionis rationem his l. d. verbis explicat: *Sit igitur eis praesens pagina* ἀντίδοσις *h. e.* retributio, *dum pro calamitatibus meis* τὴν ἀσέβειαν *eorum, i. e.* impietatem *praesentibus futurisque mortalibus denudauero. Nec minus etiam sanctissimis & fortunatis viris pro collatis in me beneficiis* Antidosis *erit. Ex memoratis sane aut memorandis nullus inuenitur aut rarus, hoc vno* Berengario *scilicet impio excepto, quorum non beneficiis genitores aut genitus vehementer gratulemur. Denique quod in captiuitate seu peregrinatione libellus hic conscriptus dicatur, praesens indicat exulatus. Coeptus quippe in* Franconouord, *qui est XX miliariis locus a* Moguntia *distans, in* Paxu *insula nongentis aut eo amplius Constantinopoli miliariis, usque hodie exaratur.*

Haec inter & eruditionis & virtutis fama innotuit *Othoni I*, Germanorum tum Regi, a quo variis, iisque haud exigui momenti ad[illegible]bitus negotiis est. Sigillatim an. DCCCCLXIII in Synodo Romana interpretis eidem praestitit vicem, quae Saxonica lingua locutus erat Imperator, ipse Latina Episcopis reddens *. Quatuor annis post ab eodem Constantinopolim ad *Nicephorum Phocam*, Graecorum Imperatorem, missus est, *Othoni* filio, Regi designato, *Annam*, *Romani* Imperatoris filiam, dicti *Nicephori* priuignam, petiturus in coniugium **; quam quidem legationem non diligenter solum, etsi magna cum difficultate, obiit, sed peculiari etiam complexus narratione est †.

* Vid. infra *Appendix* cap. I.

** Vid. *Continuat. Rheginonis* ad annum DCCCCLXVII, *Chronographus Saxo* ad an. eundem.

† Quam ex codice mscr: bibliothecae metropolitanae Treuirensis a *Christophoro Browero* exscriptam, & cum *Marco Welsero* communicatam, primum *Henricus Canisius* edidit Ingolstadii an. MDC.

Vixit adhuc anno DCCCCLXX, vt *Caueus* habet l. d.

Vt meritis, ita scriptis etiam nomen posteris commendauit. In his primum locum occupant *Historiarum de rebus sui temporis in Europa gestis libri VI.* qui, vt supra patuit, a *Reubero* hac editi sunt inscriptione: *Liuthprandi, Ticinensis ecclesiae Leuitae, rerum ab Europae Imperatoribus & Regibus gestarum libri VI* *.

* VII rerum harum libros illum reliquisse dicit *Trithemius* loco mox citando. *Sed enim septimi loco videtur legisse descriptionem legationis ad* Nicephorum Phocam *anno Christi DCCCCLXVIII*

DCCCCLXVIII. Ita *Fabricius* in notis ad hunc *Trithemii* locum p. 79. Vltimum, qui VI numero est, illum haud scripsisse vult *Arnoldus* in catalogo libris, queis doctrinam moresque Christianorum ex prima repetiit exposuitque origine, praemisso cap. XL p. m. 133 (*Das sechste buch hat ihn selbst nicht zum autor*) Sed oppido fallitur, nisi per sextum forte tantum intellexit *Appendicem*, sex posteriora capita complectentem: quippe quam alius, non autem *Liuthprandi* esse, viri docti passim censuere, *Baronius* ad annum DCCCCLXIII § II p. m. 523, *Vossius* de Historicis Latinis cap. XL p. 345, *Caueus* l. d. *Natalis Alexander* Histor. ecclesiast. saec. IX & X cap. III artic. XXXIX § II p. m. 77, *Sagittarius* Introd. in Histor. ecclesiast. cap. IX § VIII p. 48, *Neu* sect. VIII Mantissae p. 98.

Editi autem aliquoties sunt sex hi, quos scripsit, historiarum sui temporis libri. Francofurti quidem an. MDXIX. Dein an. MDLXXXIV in hac Scriptorum συλλογῆ. Tum Antuerpiae an. MDCXL inter opera illius. Vltimo Parisiis an. MDCXLI a *Duchesnio* tomo III scriptorum Historiae Francicae Italicos inter inserti.

Secundum quam editionem praesentem ego recognoui, & cum sex posteriora libri VI capita, vti dictum, alius auctoris esse censeant eruditi, peculiari ea a quinque prioribus titulo distinxi.

De cetero *Liuthprandum* aetate sua prae ceteris floruisse doctrina, hos vero, quos in publicum edidit, libros & vtiles esse, & fide dignos, docti passim testantur. Sic enim

Sigebertus Gemblacensis
cap. CXXVI p. m. 107.

Luitprandus, *Ticinensis ecclesiae Diaconus, scripsit luculento & alterno stilo ad* Regimundum *Episcopum Eliberitanae ecclesiae Hispanorum,* Historiam de gestis Regum & Imperatorum sui temporis, *quam attitulauit* Antapodosin, *id est,* Retributionem.

Ioannes Trithemius
de Scriptoribus ecclesiasticis
n. CCCII p. 78 & seq.

Eutrandus, *Ticinensis ecclesiae Diaconus, natione Italus, ex Papia ciuitate oriundus,* Berengarii Regis *Italiae quondam Scriba & Secretarius, vir in saecularibus litteris valde eruditus, & diuinarum scripturarum non ignarus, ingenio*

genio acer & vehemens, graeco & latino sermone peritus, & non minus carmine excellens, quam prosa. Fertur nonnulla praeclara scripsisse opuscula, quibus nomen suum notificauit. A Berengario *Rege Italia pulsus venit in Germaniam, & apud Francofurtum positus scripsit insigne opus historiam sui temporis & tyrannidem ipsius Berengarii continentem, quod quasi pro vicissitudine iniuriarum ab eo perceptarum praenotauit* Antapodosin, *id est,* Retributionum*, *lib. VII. De aliis nil vidi. Scripsit autem praefatum volumen ad* Regimundum *Episcopum Liberitanae Hispanorum ecclesiae, in quo aliquando carmine vtitur, aliquando Graeco sermone, multa de Germanorum gestis interserens. Claruit sub* Othone I *Imperatore anno Domini DCCCCL.*

*Putant alii librum III tantum ita inscriptum ab auctore. Sed potest etiam toti operi illum deinde titulum aptasse; quod hoc opere & amicis laudem, & inimicis impietatis eorum denudationem retribuerit. Ita *Fabricius* in not. p. 79.

Guilielmus Caue

Histor. litterar. Scriptor. ecclesiastic. saec. X
p. m. 408,

Luitprandus *tam rudi indoctoque saeculo vir plane non ineruditus, Graece pariter Latineque peritus, poetica facultate insignis; cuius vt & reliquarum artium humaniorum vestigia in operibus eius vbiuis deprehenduntur.* Quae verba repetit, suaque facit *Neu* l. d. p. 99.

Caspar Sagittarius

Introd. in Historiam ecclesiasticam
cap. IX § VIII p. 48 & seq.

Aliter se res habet cum Liuthprandi *Historia de rebus suo tempore in Europa gestis, quam* Antapodosin, *quasi* Retributionem *dicas, nominauit. Nempe quia in hoc libro, vt par pari redderet, quasi penicillo depinxit tyrannidem* Berengarii II, *a quo, ceu diximus, Episcopatu deiectus fuit. Opus illud sex libris constat: qui ab* Arnulfi *Germaniae Regis ac Imperatoris temporibus exordium ducunt, ac desinunt in descriptione prioris legationis Constantinopolitanae. Nam cetera capita ab alio quodam auctore assuta stili diuersitas, & rerum, quae narrantur, cum reliquae historiae corpore male cohaerentium inconcinnitas, &* Liuthprandi Cremonensis Episcopi *iterata mentio, facile persuadent. Coepisse librum III (sic enim accipio, non de toto opere) quem singulariter* Antapodosin *inscripsit,*

Franco-

Francofurti componere, cap. I affirmat, ac vide, quae de se affert alia, lib. III cap. V, lib. IV cap. I, lib. V cap. V. In hac historia, quia libere tum de Imperatoribus agit, tum de Romanis Pontificibus, horumque vitia ac flagitia minime dissimulat, Romanae & tantum non totius ecclesiae occidentalis faciem viuis nobis depingit coloribus.

Burcardus Gotthelf Struve

Bibliothecae Historicae cap. VII § II p. 118,

Luithprandi *Historiarum suo tempore in Europa gestarum libri VI, qui etiam fide digni.*

Cap. VIII § V p. 186 seq.

Sex libri historiarum de rebus suo tempore in Europa gestis —— *ab* Arnulfi *Imperatoris temporibus incipiunt, in descriptione prioris legationis Constantinopolitanae desinunt. His autem tyrannidem* Berengarii II, *a quo Episcopatu deiectus fuerat, viuis coloribus depingit: imo etiam Romanorum Pontificum vitia atque flagitia minime dissimulat.*

Ioannes Christianus Neu

Accession. ad *Degorei Wheari* Relectiones Hiemales sect. XXXVIII p. 290,

Libri VI Historiae rerum in Europa suo tempore gestarum etiam historiae ecclesiasticae inseruiunt, de quibus inter Scriptores rerum Germanicarum.

Christianus Eberhardus Weismannus

Histor. eccles. N. T. saec. X § II p. 699,

Magis seria & memorabilis est historia concilii Romani, in quo Iohannes XII *depositus est, quae* Luitprando *autori adscribitur, licet id falsum esse mallet* Baronius; *cuius tamen suspectum est iudicium, vtpote* Luitprando *infensi, quod de* Othone M. *& depositione* Iohannis XII, *secus ac vellet Cardinalis, historica fide tradiderit, vt* Spanhemius *annotat tomo II p.* 1015. *Immo potius* Baronius *anonymum auctorem maluit substituere, quia fides* Luitprandi *apud ipsum in honore fuit.*

Ita illi. Perturbatioris tamen οἰκονομίας ac ordinis hos, quos nobis reliquit, libros esse; ceterum vero non sine debita circumspectione legendos, non sine causa monent alii. E quibus vel Duumuiros sequentes adduxisse suffecerit.

Ioannes Petrus a *Ludevvig*
Dissertat. de *Conrado I* Caesare, cap. VI § II col. 242 tom. II opuscul.

Denique Liutprandus, *Ticinensis Diaconus, cuius historiarum libros VI, caute legendos, suo tomo inseruit* Iustus Reuberus.

Nicolaus Hieronymus Gundlingius
Gundlingianor. fascic. XIII obseruat. I § XI p. 198 & seq.

Confuse scribit ille, & cum ordinis chronologici haud sit obseruans non adeo singulari esse potest vsui. Vid. infra lib. III cap. XIII

LIVTH-

LIVTHPRANDI,
TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,
PRAEFATIO
AD REVERENDVM PATREM,
RAIMVNDVM,
LIBERITANAE ECCLESIAE IN HISPANIA EPISCOPVM.

Reuerendo, totiusque sanctitatis pleno Domino
RAIMVNDO,
Liberitanæ ecclesiæ Episcopo,
LIVTHPRANDVS,
Ticinensis ecclesiæ, suis non meritis, Leuites,
salutem.

BIennio ingenii paruitate petitionem tuam, *Pater carissime*, distuli, qua totius Europae me Imperatorum Regumque facta, sicut is, qui non auditu dubius, sed visione certus, ponere compellebas. Hae siquidem res animum deterruere meum, ne id inciperem, copia (cuius sum penitus expers) dicendi, & detractorum inuidia, qui supercilio tumentes, lectionis desides, ac (secundum eruditi viri *Boetii* sententiam) philosophiae vestis particulam habentes, totamque se habere putantes, haec mihi sunt insultantes dicturi: *Tanta maiores nostri scriptitarunt, vt multo amplius lectores quam lectiones deficiant.* Illudque Comicum garrient: *Nihil dicetur, quod non fuerit dictum prius.* Quorum latratibus hoc respondeo, quod philosophi more hydropicorum, qui quo amplius bibunt, eo ardentius sitiunt, quo saepius legunt, eo auidius noua quaeque perquirunt. Qui si perplexa facundi Tullii lectione fatigantur, apertis saltem naeniis animentur. Nam, ni fallor, sicut oculorum obtutus, nisi alicuius interpositione substantiae, solis radiis reuerberatus obtunditur, ne pure, vt est, videatur: ita plane mens Academicorum, Peripateticorum, Stoicorumque doctrinarum iugi meditatione infirmatur, si non aut

aut vtili comoediarum riſu, aut heroum delectabili hiſtoria refocillatur. Quod ſi priſcorum ritus execrabilis paganorum, non ſolum inquam non proficuus, verum auditu ipſo non parum nocuus, † *Thronus memorandus* inſcribitur: quid iſtorum Imperatorum facta, *Iulii, Pompeii, Hannibalis*, fratrisque eius *Haſdrubalis*, ac *Scipionis Africani* inſignium Imperatorum, laudibus coaequanda ſilebuntur? quum praeſertim inſit his domini noſtri Ieſu Chriſti, dum ſancte vixerint, bonitas recitanda: dum quid deliquerint, ſalubris ab eodem correctio memoranda. Nec moueat quempiam, ſi eneruatorum facta Regum Principumue effeminatorum huic libello inſeruero. Vna eſt enim iuſta omnipotentis Dei, Patris ſcilicet, Filiique & Spiritus ſancti, virtus, quae hos iuſte ſuis pro ſceleribus comprimit, illos dignis meritis extollit. Haec inquam eſt vera domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctis facta promiſſio: *Obſerua & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & affligentes te affligam, & praecedet te angelus meus.* Per *Salomonis quoque os, Sapientia* (quae eſt Chriſtus) clamat; *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos.* Quod quotidie, etiam qui ſtertit, animaduertit.

† al. Tonus

LIVTH-

LIVTHPRANDI,
TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,
HISTORIARVM LIBER I.

CAPVT I

De Fraxineti *oppidi in confinio Italiæ situ, & eius a viginti Saracenis piratis occupatione & munitione cum* Mauro *monte, deque Saracenorum incrementis per inuidiam & factionem vicinorum Christianorum inter se.*

VT autem euidens ex innumeris subdatur exemplum, me tacente loquatur oppidum vocabulo *Fraxinetum*, quod in Italicorum prouincialiumque confinio stare manifestum est. Cuius vt cunctis liquido pateat situs (quemadmodum tuam, *Pater*, prudentiam latere minime reor, imo me melius scire, sicut ab ipsis, qui vestri sunt tributarii Regis *Abderahamenis*, potestis coniicere) mari vno ex latere cingitur, & in ceteris densissima spinarum silua munitur. Quam si ingressus quispiam fuerit, ita sentium hamis tenetur, & acutissimis aculeis perforatur, vt neque progressionis neque reditus nisi cum magno labore habeat facultatem. Sed occulto, & (quoniam secus esse non potest) iusto Dei iudicio viginti tantum Saraceni lintre parua ex Hispania egressi, nolentes istuc vento delati sunt. Qui piratæ noctu egressi, villamque clam ingressi, Christicolas (proh dolor) iugulant, locumque sibi proprium vendicant, montemque *Maurum* villulæ cohærentem contra vicinas gentes refugium parant: spineam siluam hoc pacto maiorem & spissiorem sua pro tuitione facientes, vt si quis ex ea vel ramum incideret, mucronis percussione hominem exiret. Sicque factum est, vt omnis præterquam vnius angustissimæ viæ aditus demeretur. Loci igitur asperitate confisi, vicinas gentes circumquaque perlustrant. Accersitum complures in Hispaniam nuntios dirigunt, locum laudant, vicinasque gentes nihili se habere promittunt. Centum denique tantummodo Saracenos secum mox reducunt, qui veram rei huius caperent assertionem. Interea prouincialium, qui illic consederant, vicinorum inuidia cœpit intra sese dissidere, alius alium iugulare, substantiam rapere, & quicquid mali excogitari poterat, facere. Sed quia pars partem, vt inuidia & dolor postularant, satis sibi subigere non poterant: hos, quos prædiximus, Saracenos, non minus callidos, quam perfidos, in auxilium rogant, cumque his sibi proximum quisque conterit. Nec iuuat solummodo proximum trucidare, verum terram fructiferam in solitudinem reddere. Sed videamus, quam iusta secundum quendam profuerit inuidia, quam ita describens ait:

Iustius inuidia nihil est, quæ protinus ipsum
Autorem rodit, excruciatque suum.

Quæ dum decipere conatur, decipitur: dum extinguere molitur, extinguitur. Quid igitur? Saraceni quum hoc suis viribus minime possent, alteram alterius auxilio partis debellantes, suasque copias ex Hispania semper augentes, quos primo defendere videbantur, modis omnibus insequuntur. Sæuiunt itaque, exterminant, nil reliqui faciunt. Trepidare iam vicinæ ceteræ gentes, quoniam secundum Prophetam horum vnus persequebatur mille, & duo fugarunt decem millia. Ex qua re? Quia deus suus vendidit eos, & dominus conclusit illos.

CAPVT II

Quis ea tempestate Papa, & qui Principes terrarum fuerint, & quid gesserint Leo & Basilius, *quem* Michael *Imperator ex famulo monachi in socium assumpsit imperii, & quomodo ab eo interemptus est, & Christus* Basilio *apparuit minabundus, qui in pœnitentiam ædem diuo* Michaeli *extruxit.*

HAc autem tempestate *Leo* Porphyrogenitus, *Basilii* Imperatoris filius, *Constantini* huius pater, qui nunc vsque superest & feliciter regnat, Constantinopolitanæ ciuitatis regebat imperium. *Symeon* fortis bellator Bulgaris præerat, Christianus, sed vicinis Græcis valde inimicus. Hungarorum gens, cuius omnes pæne nationes expertæ sunt sæuitiam, quæ miserante Deo sanctissimi atque inuictissimi Regis *Othonis* potentia, vt latius dicturi sumus, mutire non audet exterrita, nobis omnibus tunc temporis habebatur ignota. Quibusdam namque difficillimis separata a nobis erat interpositionibus, quas *clusas* nominat vulgus, vt neque ad meridianam, neque ad occidentalem plagam exeundi habuerit facultatem. Per idem tempus *Arnulfus* Rex potentissimus defuncto *Carolo* prænomine *Caluo*, Baioariis, Sueuis, Francis, Teutonicis, Lotharingis, audacibusque principabatur Saxonibus, cui & *Zwentebaldus* Marauanorum Dux viriliter repugnabat. *Berengarius* & *Wido* Imperatores ob regnum Italicum confligebantur. *Formosus* Portuensis ciuitatis Episcopus Romanæ sedis summus & vniuersalis Papa habebatur. Sed nunc, quid sub vnoquoque horum gestum sit, prout breuius possumus, explicemus.

Leo igitur Græcorum piissimus Imperator, cuius supra fecimus mentionem, *Constantini* scilicet huius *Porphyrogeniti* pater, vndique pace habita sancte & iuste Græcorum regebat imperium. *Porphyrogenitum* autem non in purpura, sed in domo, quæ *Porphyra* dicitur, natum appello. Et quoniam res processit in medium, quod de huius *Porphyrogeniti* genesi audiuimus, proferamus. *Constantinus* Imperator Augustus, ex cuius nomine Constantinopolis est sortita vocabulum ciuitas, domum istam ædificari iussit, cui *Porphyra* nomen imposuit, voluitque successuram nobilitatis suæ sobolem istic in lucem prodire, quatenus, qui suo ex stemmate nascerentur, luculenta hac appellatione *Porphyrogeniti* appellarentur. Vnde & hunc *Constantinum Leonis* Imperatoris filium ex eius sanguine nonnulli dicunt originem ducere. Veritas autem rei huius ita se habet. *Basilius* Imperator Augustus, auus huius, Macedonia humili fuerat prosapia oriundus, descenditque Constantinopolim τῆς πενίας ζυγῷ quod est *paupertatis iugo*, vt cuidam seruiret † Abbati. Igitur Imperator *Michael*, qui tunc temporis erat, quum orationis gratia ad monasterium istud, in quo hic ministrabat, descenderet, vidit hunc forma præ ceteris egregia, accitumque ad se Abbatem rogauit, vt se donaret hoc puero. Quem suscipiens in palatio cubicularii donauit officio. Tantæ denique post paululum potestatis effectus est, vt *alter* ab omnibus *Imperator* sit appellatus. Verum quia omnipotens Deus, seruos suos iuste visitat, quacunque vult censura, hunc Imperatorem *Michaelem* sanæ mentis ad tempus non esse permiserat, vt quo eum grauius premeret in infimis, eo misericordius remuneraret in summis. Nam, vt fertur, huius tempore passionis, familiares etiam capitis iusserat damnari sententia. Quos tamen ad se rediens hoc pacto requirebat, vt nisi quos iugulari iusserat redderentur, pari ipsi qui hoc effecerant sententia damnarentur. Hoc igitur terrore quos damnari iusserat, seruabantur. Sed quum hoc sæpius & iterum *Basilio* faceret, huiusmodi a sibi obsequentibus (proh nefas) accepit consilium: *Ne forte insana regis iussio aliquando ex industria a te non diligentibus, imo odio habentibus impleatur, eum tu potius occidito, atque imperialia sceptra suscipito.* Quod sine dilatione, cum terrore compulsus, tum etiam

† al. ἡγουμένῳ

regnandi cupiditate deceptus compleuit. Hoc itaque interfecto factus est *Basilius* Imperator. Denique paruo transacto tempore, huic Dominus noster Iesus Christus per visionem apparuit, Domini huius Imperatoris, cuius hic necis extiterat autor, dexteram tenens, eumque ita conueniens: *Vt quid interfecisti Regem*, hoc est, *dominum tuum Imperatorem*? Expergefactus itaque tanti se reum nouit esse reatus: moxque ad se rediens, quid super hoc faceret, cogitabat. Confortatus itaque hac Domini nostri Iesu Christi per prophetam salubri & vere acceptabili promissione; *In quacunque die peccator ingemuerit*, *saluus erit*: cum lacrymis & gemitibus se peccatorem, se reum, se sanguinis innocentis effusorem esse confitebatur. Bono autem accepto consilio, amicos sibi de mammona iniquitatis effecerat, vt quos hic temporalibus subsidiis consolaretur, eorum precibus ab æterno gehennæ incendio liberaretur. Fabricauit autem pretioso & mirabili opere iuxta palatium, orientem versus, ecclesiam quam *νέαν*, id est *nouam*, vocant, in honore summi & cælestis militiæ principis, archangeli *Michaelis*, qui Græce ἀρχιστρατηγὸς appellatur.

CAPVT III

De Constantinopoleos *nominibus*, *situ*, & *circumhabitantibus*, *deque vigilia nocturna ibidem constituta a* Leone *Imp. cuius vt fidem & diligentiam experiretur*, *in habitu iuuenis lasciui illapsus in duas custodias*, *eas muneribus corrupit*, *a tertia in carcerem ductus*, *priores exilio mulctauit*, *posteriores opibus & honore extulit.*

NVnc autem non pigeat libellulo huic res duas quas eiusdem *Basilii* filius memoratus *Leo* Imperator Augustus memoria sua dignas fecit, inserere. Constantinopolitana vrbs, quæ prius *Byzantium*, *noua* nunc dicitur *Roma*, inter ferocissimas gentes est constituta. Habet quippe ab aquilone Hungaros, Pizenacos, Chazaros, Russios, quos alio nomine nos Nortmannos appellamus, atque Bulgaros nimium sibi vicinos: ab oriente Bagdas. Inter orientem & meridiem, Ægypti, Babyloniæque incolas: a meridie vero Africam habet, & notam illam vicinam sibique contrariam insulam Cretensem. Ceteræ vero, quæ sunt sub eo climate, nationes, Armenii scilicet, Persæ, Chaldæi, Auasgi huic deseruiunt. Incolæ denique ciuitatis huius, sicut memoratas gentes diuitiis, ita & sapientia superexcellunt. Moris quippe eorum est, ne a vicinis gentibus opprimantur, singulis quibusque noctibus per totius ciuitatis biuium, triuium, quadriuiumque armatos milites causa custodiendæ ciuitatis, qui eam inuigilent, ponere. Fitque, vt si post crepusculum quenquam deambulantem aliquo custodes offenderint, captus protinus, verberibusque cæsus, custodia peruigili, compedibus in carcere strictus, vsque in crastinum in publicum producendus seruetur. Hoc denique pacto non solum ab hostibus, verum & a latronibus illæsa ciuitas custoditur.

Leo itaque Imperator vigilum fidem constantiamque probare volens, solus post crepusculum e palatio descendens ad primam peruenit custodiam. Quem vt vigiles fugientem, & quasi metu declinantem viderunt, comprehensum, quis esset, interregauerunt, quoue pergeret. Qui e multis vnum se esse, & lupanar petere, dixit. Cui mox, *Cæsum te acriter*, inquiunt, *compedibusque strictum vsque in crastinum reseruabimus.* Quibus respondit, *Nequaquam, fratres, nequaquam, accipite quod porto, permittite ire, quo volo.* Qui XII aureis acceptis, eum dimiserunt. Inde vero transiens ad secundam venit custodiam. Qua quemadmodum & in prima captus, datisque viginti aureis, est dimissus. Ad tertiam deinde dum venisset, est captus: verum non vt a prima ac secunda datis aureis est dimissus; sed ablatis omnibus, compedibusque grauiter strictus, pugnis flagrisque verberatus custodia vsque in crastinum

craſtinum producendus ſeruatur. His itaque diſcedentibus, cuſtodem carceris Imperator ad ſe vocans, *Amice mi*, inquit, *Leonem Imperatorem noſti? Quomodo*, infit, *noſcere poſſim, quem vidiſſe me non meminerim? Ad publicum ſane, quanquam raro, dum procedo, a longe, quia prope nequeo, eum intueor: mirabile quiddam, & non hominem, videre videor. Dare autem te operam, quo illæſus exeas, quam id percontari, tibi commodius eſt. Non æque vos, te quidem in carcere, illum autem in aureo triclinio fortuna fouet. Parua ſunt hæc, grauiora addantur vincula, ne ſit ſpatium de Imperatore meditandi.* Cui ille, *Deſine*, inquit, *deſine: Imperator enim ipſe ſum* Leo *Auguſtus, qui de palatii dignitate non bono omine prodii.* Carceris autem cuſtos ſperans, non vera eſſe, quæ dixerat, *Egon'*, inquit, *hominem impurum, bona ſua cum meretricibus abligurientem Imperatorem credam? Quoniam tete tu neglexiſti, pro te ego deſpiciam matheſin. Mars trigonus,* Saturnus *Venerem reſpicit, Iupiter quadratus, Mercurius tibi iratus, Sol rotundus, Luna in ſaltu, mala fortuna te premit.* Imperator vero, *Vt vera*, inquit, *probes eſſe, quæ dico, dum matutinale dederint ſignum (ante enim non auſi ſumus) mecum ad palatium potiori quam ego deſcenderim omine venito: Si me vt Imperatorem non iſtic recipi videris, occidito. Non minoris quippe criminis erit, me Imperatorem dixiſſe, ſi non ſim, quam aliquem occidiſſe. Si vero te ob id mali quicquam pati formides, hoc faciat mihi Deus, & hoc addat, ſi non potius præmium pro hac re ſumes, quam ſupplicium.* Igitur carceris cuſtos credulus effectus, dato, Imperator vt dixerat, matutinali ſigno, eum ad palatium vſque comitatur. Quumque eodem veniſſet, venerabiliter ſicut a ſe noſcentibus ſuſceptus, comitem ſuum exanimatum nimia admiratione reddidit. Sane dum huic omnes dignitates occurrere, laudes reddere, adorare, ſoccos detrahere, alia atque alia pro ſe quemque facere contemplaretur, emori ei ſatius tunc eſſe duxit, quam euiuere. Cui Imperator, *Contemplare*, inquit, *nunc matheſin, & ſi vere quo huc adueneris omine dixeris, veram te augurandi ſcientiam habere probabis. Prius tamen quæſo, quid morbi ſit, proferas, quod te tam pallidum reddidit.* Cui ille, *Parcarum*, infit, *optima Clotho iam nere deſinit: Lacheſis vero in torquendo amplius laborare non cupit: ſæuiſſima autem harum Atropos ſolam imperii tui ſententiam expectat, vt fila contrahens abrumpat. Palliditatis autem vultus mei cauſa hæc eſt, animam a capite deſcendiſſe, ſecumque in inferiorem corporis partem ſanguinem perduxiſſe.* Subridens igitur Imperator, *Recipe*, inquit, *animam, recipe, & cum hac bis binas aureorum libras aſſume, nullique de me, niſi aufugiſſe, reſpondeas.* His ita geſtis, Imperator vigiles, qui ſe captum dimiſerant, quique cæſum cuſtodiæ manciparant, venire præcepit. Quibus & ait, *Vigilantibus vobis, cuſtodiamque ciuitati præbentibus, nunquid fures aliquando adulteroſque offendiſtis?* Qui pretio eum dimiſerant, nil ſe vidiſſe reſponderunt: qui vero cæſum illum cuſtodiæ mancipauerant, ita reſponderunt: *Præcepit δεσποτεία σου ἁγία*, id eſt, *dominatio tua ſancta, vt ſi vigiles poſt crepuſculum quenquam aliquo deambulantem offenderent, captum protinus, verberibuſque cæſum cuſtodiæ traderent. Tuis itaque nos parentes iuſſionibus, dominator ſanctiſſime, hac, quæ præſentem præceſſit diem, nocte quendam lupanaria petentem cepimus, flagellauimus, carcerique impoſitum imperio tuo producendum ſeruauimus.* Quibus Imperator, *Cito*, inquit, *vt in medium proferatur, poteſtas imperii mei etiam atque etiam imperat.* Nec mora, vinctus vt ducatur, percurrunt. Quem dum aufugiſſe audirent, ſemiuiui ad palatium ſunt reuerſi. Quod quum nuntiaſſent Imperatori, mox Imperator ſe exutum, nimiſque cæſum oſtendens, *Venite*, inquit, *nolite formidare, ipſe ego ſum, quem flagellaſtis, quemque e carcere nunc aufugiſſe formidatis. Scio enim, & vere credo, quod non Imperatorem ſed Imperatoris inimicum tundere cogitaſtis.* Hos, qui *non vt Imperatorem me, ſed vt latronem, vitæque meæ inſidiatorem dimiſere, morte tenus verberatos, vrbe expelli, bonisque omnibus priuari mea*

non

non solum cupit, verum & iubet autoritas. Vos autem non solum meis, sed & horum peruersorum diuitiis dono. Quod quam prudenter egerit, Paternitas tua in hoc aduertere poterit: quoniam ceteris extunc ciuitatem diligentissime custodire, hunc etiam absentem quasi præsentem sperare necesse erat. Sicque factum est, vt Imperator amplius de palatio non descenderet, & sui omnia fideliter custodirent.

CAPVT IV

De altero Leonis *Imp. ludo, quo vigiliam vnius e XII corporis sui custodibus remunerauit, cæteris elusis ob somnolentiam.*

ALterum, quem ipse gessit, ludum, silentio tegi absurdum esse diiudico. Constantinopolitanum palatium ob Imperatoris salutem multorum præsidiis militum custoditur. Custodientibus vero victus censusque quotidie non paruus impenditur. Contigit itaque, duodecim post corporis refectionem in ipso feruore diei vna in domo quiescere. Mos quippe Imperatori erat, cunctis quiescentibus totum perreptare palatium. Qui quum die quadam eodem, quo duodecim memorati lethæo sese dederant sopori, peruenisset, ligno modico, vt non incallidus, ostii pessulo proiecto ingrediendi sibi aditum fecit. Vndecim vero dormientibus, vt ars artem falleret, duodecimus peruigil stertere ceu dormiens cœperat, contractisque in faciem brachiis, totum, quod Imperator faceret, diligentissime considerabat. Imperator igitur ingressus, dum obdormire cunctos perspiceret, aureorum numismatum libram pectori vniuscuiusque apposuit, moxque clam egressus, ostium, vt prius fuerat, clausit. Eo autem hoc egit, quatenus excitati & de lucro gratularentur, ac qualiter hoc acciderit admirarentur. Denique discedente Imperatore, qui vigil solus extiterat, surrexit, dormientiumque numos aureos sibi assumpsit atque reposuit: postea vero quieti sese reddidit. Imperator igitur de hoc ludo solicitus, post nonam, XII hos, quos nominauimus, ad se venire præcepit, eosque ita conuenit: *Si forte vestrum quempiam somnii visio deterruit, aut hilarem reddidit, vt in medium proferat, mea iubet autoritas: nec minus & si quid nouitatis expergefactus quisque vidit, vt detegat, imperat.* Hi itaque quemadmodum nihil viderant, nihil se vidisse responderunt. Magis autem super hoc admirati, conticuere, intentique ora tenebant. Existimans Imperator, eos non rei veritate, sed calliditate aliqua reticere, succensus est, atque magis cœpit nonnulla terribilia reticentibus comminari. Quod qui omnium conscius erat vt audiuit, huiusmodi humillima & supplici voce Imperatorem conuenit: *Humanissime Imperator, hi quid viderint, nescio; ego tamen delectabile, atque vtinam quod persæpe contingeret, vidi somnium. Vndecim his conseruis meis & hodie vere, sed omnino mihi opportune dormientibus, visus sum, quasi non dormiens, vigilare. Ecce autem* magnitudo Imperii tui, *quasi occulte ostium reserans, clanculumque ingressa, libram auri apposuit supra singulorum pectus. Quumque* Imperium tuum *quasi repedare, sociosque hac visione stertentes cernerem, continuo ceu lætus exurgens, XI dormientium tuli libras aureorum numismatum, meoque marsupio, in quo vna erat, apposui, quatenus ob transgressionem decalogi, ne solum XI, verum ad memoriam Apostolorum mea vna adhibita & ipsæ essent XII. Visio hæc,* Pater Auguste, *bonum sit nescio, vsque modo me non deterruit, sed hilarem reddidit. O vtinam interpretatio alia* Imperio tuo *non placeat. Nam & me diuinum & somnii venditorem esse liquido patet.* His auditis, magno est cachinno Imperator inflatus, verum prudentiam eius atque solicitudinem plus admiratus, procinus infit; *Antehac te neque diuinum, neque somnii venditorem esse audiui. Hanc vero rem nunc ita aperte vidisti, ac si nulla* circum-

circumitione vsus esses: sed quia vigilandi facultatem sine auspicandi scientia habere non posses, nisi diuino esset tibi munere traditum, seu verum sit vt speramus, imo credimus, seu falsum: fertur enim de quodam, quod dormiens multa reperit, a gallo excitatus nihil inuenerit: tu tamen quicquid videris, quicquid repereris, tuum sit. His auditis quanta ceteri sint confusione repleti, quantoque is gaudio sit plenus, eorum quisque in se personas suscipiens, animaduertere poterit.

CAPVT V

De Arnulfi, *qui per Hungaros* Zvventebaldum *vicit, stolida temeritate, quum genti perniciosa ad Christianos subiugandos aditum munierit.*

A*Rnulfus* interea earum, quæ sub Arcturo sunt, gentium Rex fortissimus, quum *Zwentebaldum* Marauanorum Ducem, quem supra memorauimus, sibi viriliter repugnantem debellare nequiret: depulsis his (proh dolor) munitissimis interpositionibus, quas vulgo *clusas* nominari prædiximus, Hungarorum gentem cupidam, audacem, omnipotentis Dei ignaram, scelerum omnium non insciam, cædis & omnium rapinarum solummodo auidam, in auxilium conuocat; si tamen auxilium dici potest, quod paulo post, eo moriente, tum genti suæ, tum ceteris in meridie occasuque degentibus nationibus, graue periculum, imo excidium fuit. Quid igitur? *Zwentebaldus* vincitur, subiugatur, fit tributarius: sed domino solus. O cæcam *Arnulfi* Regis regnandi cupiditatem! o infelicem amarumque diem! Vnius homuncionis deiectio, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribusque orbitates, virginibus corruptiones, sacerdotibus populisque Dei captiuitates, ecclesiis desolationes, terris inhabitatis solitudines, cæca ambitio paras? Legisti*, obsecro, ipsius Veritatis verba dicentis, *Quid prodest homini, si totum mundum lucraretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Quod si te veri iudicis non terruit seueritas, ipsa saltem furorem tuum humanitatis temperaret communitas. Eras enim inter homines homo, si dignitate sublimis, non tamen natura dissimilis. Flebilis heu miserabilisque conditio, quum illa bestiarum serpentiumque seu alitum genera, quæ intolerabilis sæuitia ac lethale virus ab hominibus separata esse facit, vt sunt basilisci, qui latine reguli, vel rhinocerotes seu gryphes, quæ & aspectu suo cunctis perniciosa esse videntur, inter se tamen pro originis ipsius affinitatisque consortio pacata & innoxia perseuerant: homo autem, quum sit ad imaginem & similitudinem Dei formatus, legis Dei conscius, rationis capax, non solum proximum non amare potest, sed & odisse plurimum valet. Videamus igitur, quid *Ioannes*, non quilibet, sed virgo ille egregius cælestis secreti conscius, cui Christus in cruce matrem virginem virgini commendauit, super talibus dixerit: *Qui odit fratrem suum, homicida est; & scimus, quod omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem**. Sed redeamus ad rem. Deuicto namque *Zwentebaldo* Marauanorum duce, *Arnulfus* pace habita regno potitur. Hungari interim obseruato exitu, contemplatique regionem, cordibus malum, quod postmodum in propatulo apparuit, machinabantur.

* *Grauiter coarguit* Arnolfum *Imperatorem, quem tamen, contra fidem diplomatum, & historia omnis,* Regem *duntaxat vocat, inuidia impetu inflammatus* Liutprandus, *& imprudentia, non sine caussa accusat, ac fructum, quem ex Vngarorum ope, contra unius impetum, ceperunt posteri, explodit, detrimentumque, quod ab feroci & barbara tum gente profectum est, exponit, neque auxilium id dici posse pronuntiat.* Ita ad h. l. *Hechtius* Germaniæ sacræ & literatæ part. II lib. V cap. I p. 192.

CAPVT VI

De Widonis *(quem alii* Guidonem *alii* Hugonem *vocant)* *&* Berengarii *Ducum confœderatione : ita vt mortuo* Carolo Caluo, Wido *se Francia Romana Regem inungi curauerit :* Berengarius *Italia. Franci autem iam* Odonem *Regem constituerant. Et de causa leui, quur Franci* Widonem *reiecerint.*

DVm hæc aguntur Rex Galliæ *Carolus*, qui cognominatus est *Caluus* *, præsentem moriendo mutauit vitam. Cui dum viueret, duo ex Italia præpotentes Principes seruiebant, quorum alter *Wido*, alter dictus est *Berengarius*. Hi sane tanto sunt amicitiarum fœdere conglutinati, vt sibi hoc iureiurando promitterent, quod si Regi *Carolo* superstites forent, alterius alter ordinationi conniueret, simul vt *Wido* quam *Romanam* dicunt *Franciam*, *Berengarius* obtineret *Italiam*. Sed quum sint nonnulla incerta & instabilia amicitiarum genera, quæ diuersis modis humanum genus dilectionis societate connectunt, vt quosdam præcedens commendatio postmodum amicitiæ inire facit commercia, alios negotiationis seu militiæ vel artis ac studii similitudo : quæ & sicut ex diuersis vel lucri, vel libidinis, vel necessitudinum variarum societatibus acquiruntur ; ita intercedente qualibet diuortii occasione soluuntur. Hoc tamen est, hoc inquam amicitiæ genus, quod multis experimentis est sæpissime comprobatum, nullo modo eos, qui amicitiarum fœdus coniurationis iniere principio, indiruptam quiuisse seruare concordiam. Sane quidem callidissimus ille humani generis inimicus, vt homines sui præuaricatores faciat sacramenti, celerius sagaciusque ad irrumpendam amicitiam laborat. Quod si animos recte sapientum de vero amicitiarum genere percontamur, respondebimus concordiam veramque amicitiam nisi inter emendatos mores, eiusdemque virtutis & propositi viros stare non posse. Contigit itaque vtrunque *Widonem* atque *Berengarium Caroli* Regis funeri deesse. Cuius tamen interitum *Wido* vt audiuit, Romam profectus est, & absque Francorum consilio totius Franciæ vnctionem suscepit imperii. Franci itaque *Odonem*, quoniam *Wido* aberat Regem constituunt. *Berengarius* vero *Widonis* consilio, quemadmodum ei iureiurando promiserat, Italici regni suscepit imperium. *Wido* autem Franciam petit. Quumque Burgundionum regna transiens, *Franciam* quam *Romanam* dicunt ingredi vellet, Francorum nuntii ei occurrunt, se redire nuntiantes, eo quod longa expectatione fatigati, dum sine Rege esse diutius non possent, *Odonem* cunctis petentibus elegerunt. Fertur autem hac occasione Francos *Widonem* Regem sibi non assumpsisse. Nam dum ad Metensem venturus esset vrbem, quæ potentissima in regno Lotharii claret, præmisit dapiferum suum, qui alimenta illi more regio præpararet. Metensis vero Episcopus, dum cibaria ei multa secundum Francorum consuetudinem ministraret, huiusmodi responsa a dapifero suscepit : *Si equum saltem mihi dederis, faciam vt tertia obsonii huius parte sit Rex* Wido *contentus.* Quod Episcopus audiens, *Non decet*, inquit, *talem super nos regnare Regem, qui decem drachmis vile sibi obsonium præparat.* Sicque factum est, vt *Widonem* desererent, *Odonem* autem eligerent. Francorum igitur legationibus non parum Rex *Wido* perturbatus, nonnullis cœpit cogitationibus æstuare, tam ex Italico regno *Berengario* iureiurando promisso, quam ex Francorum, præsertim quod penitus illud se non posse sciuerat adipisci. Inter vtramque autem æstuationem, quoniam Francorum Rex esse nequibat, frangere quod *Berengario* fecerat iusiurandum deliberat : collectoque prout potuit exercitu, traxerat sane & a Francis quandam affinitatis lineam, Italiamque concite ingressus, Camerinos atque Spoletinos fiducialiter vt propinquos adiit. *Berengarii* etiam partibus fauentes, vt infidos pecuniarum gratia acquirit : itaque

que *Berengario* bellum parat. Copiis denique vtraque ex parte collectis, iuxta fluuium Teruiam, qui quinque a Placentia miliariis distat, ciuile bellum parant: in quo quum partibus ex vtrisque caderent multi, *Berengarius* fugam petiit, triumphum *Wido* obtinuit. Nec mora, diebus paucis interpositis, collecta *Berengarius* multitudine, in Brixiæ latissimos campos *Widoni* bellum parat: vbi quum maxima strages fieret, fuga sese *Berengarius* liberauit.

* *Struuius* dissertatione 10 Syntagmat. Historiæ Germanicæ § 32 annot. * p. 272; *Sine dubio intelligendus est* Crassus, *cum ipsi successorem in Gallia tribuat* Othonem. Calo *vero successerat* Ludouicus Balbus: *huic* Carolomannus, Carolus Simplex *&* Carolus Crassus.

CAPVT VII

Berengarius Imp. Arnulfum *in auxilium pollicitationibus pellicit in* Guidonem, *qui quum alteram fluuii ripam teneret, & congredi nequirent, Baioarius quidam* Arnulfi *eques Italos ad certamen insolentius prouocauit, & ab* Hubaldo *quodam victus occubuit,* Arnulfique *nothus bello decessit.* Berengarius *autem* Arnulfum *rursum promissis onerat, qui rediens multas vrbes subiugauit.*

IAm vero *Berengarius*, quum *Widoni* resistere copiarum paucitate nequiret, potentissimum, quem prædiximus, *Arnulfum* Regem in auxilium rogat, promittens, se suosque eius potentiæ seruituros, si virtutis suæ adminiculo *Widonem* superaret, regnumque sibi Italicum vendicaret. Huius plane tantæ promissionis gratia accitus Rex *Arnulfus* filium suum *Zwentebaldum* quem ex concubina genuerat, valido cum exercitu, huius in auxilium dirigit, veneruntque pariter omni sub densitate Papiam. *Wido* vero ita fluuiolum, qui Papiam alluit, Veruauolum nomine, tam sudibus quam exercitu munierat, quatenus altera alteram, ipso medio discurrente, pars partem oppugnare nequiret. Vnus & vicesimus dies transierat, quum, sicut prædiximus, altera pars alteri nocere non posset: & Baioariorum vnus quotidie agminibus exprobrans Italorum, imbelles eos, atque equitandi inscios clamabat. Ad augmentum etiam dedecoris inter eos prosiliit, hastamque vni ex manu excussit, sicque lætus in suorum castra repedauit. *Hubaldus* igitur *Bonifacii* pater, qui post nostro tempore Camerinorum & Spoletinorum extitit Marchio, tantum gentis suæ cupiens dedecus vindicare clypeo accepto, obuiam mox prædicto Baioario tendit. Is autem triumphi præteriti non solum non immemor, sed eo factus audacior, ceu de victoria iam securus, hunc contra properat lætus. Cœpitque vertibilem equum modo impetu vehementi dimittere, strictis modo habenis retrahere. Memoratus vero *Hubaldus* recta eum cœpit adire. Quumque in eo esset, vt mutuis se figerent vulneribus, more solito Baioarius equo versili varios flexosque per anfractus cœpit discurrere, quatenus argumentis posset *Hubaldum* decipere. Verum, quum hac arte terga verteret, vt mox rediens *Hubaldum* ex aduerso percuteret, equus, cui *Hubaldus* insederat, vehementer calcaribus tunditur, & per scapulas, antequam reuerti posset, Baioarius lancea ad cor vsque perforatur. *Hubaldus* igitur freno Baioarii præripiens equum, ipsum in medio fluuioli alueo exutum homine reddidit: sicque suorum iniuriæ vltor de triumpho ad suos rediit hilarior. Hoc sane factum non mediocrem Baioariis terrorem, Italicis audaciam intulit. Inito quippe Baioarii consilio, nonnullisque *Zwentebaldus* a *Widone* argenti acceptis ponderibus in propria remeauit. Igitur *Berengarius* dum vbi prospera inimico, sibi aduersa prospiceret, cum *Zwentebaldo* pariter *Arnulfi* Regis adiit potentiam, orans ac pol-

ac pollicens, vt si ipsum adiuuaret, se totam Italiam, vt ante promiserat, ditioni eius suppositurum. Qui tantæ promissionis gratia excitus, copiis collectis, cominus Italiam adit. Cui *Berengarius*, vt promissioni suæ daret fidem credulitatis, arrahonem clypeum portat. Susceptus itaque a Veronensibus, ad vrbem proficiscitur Pergamum: vbi dum firmissima loci munitione confisi, imo decepti homines ei occurrere nollent, castrametatus ibidem belli fortitudine vrbem capit, incolas iugulat, trucidat. Ciuitatis etiam Comitem *Ambrosium* nomine, cum baltheo & armillis, ceterisque pretiosis indumentis suspendi ante portæ ianuam fecit. Quod factum ceteris omnibus vrbibus, cunctisque Principibus terrorem non paruum attulit. Quicunque enim hoc audierat, vtraque auris eius tinniebat. Mediolanenses igitur atque Ticinenses hac fama perterriti, eius non ausi sunt præstolari aduentum: verum præmissa legatione, iussioni suæ se obtemperaturos esse promittunt. *Othonem* itaque Saxonum potentissimum Ducem, huius gloriosissimi atque inuictissimi Regis *Othonis*, qui nunc vsque superest & feliciter regnat, auum, Mediolanum dirigit gratia defensionis, recta ipse Ticinum petit.

CAPVT VIII

De Widonis *a facie* Arnulfi *fuga,* Arnulfi *metrica ad suos concione, post quam vrbs Roma capta est. Et de* Formosi *Papa ab Romanis persequutione & causa simultatis,* Sergiique *Antipapa postmodum intrusi in eum defunctum immanitas: & miraculosa* Formosi *sepultura.*

DEnique *Wido* huius impetum ferre non valens, Camerinum Spoletumque versus fugere cœpit. Quem sine dilatione acriter Rex insequitur, vrbes & castella omnia sibi resistentia debellans. Nullum siquidem castrum fuerat natura etiam ipsa tam munitum, quod virtuti huius saltem resistere moliretur. Quid autem mirum, quum ipsa ciuitatum omnium regina, magna scilicet Roma, huius impetum ferre nequiuerit? Enimuero dum a Romanis ingrediendi vrbem huic fiducia negaretur, conuocatos ad se milites ita conuenit:

Magnanimi proceres & clari Marte secundo,
Arma quibus studium fuluo radiare metallo,
Romulidæ sueti vacuis quod condere sceptris;
Sumite nunc animos, vobis furor arma ministret.
Non Pompeius adest, non Iulius ille beatus,
Qui nostros domuit proauos mucrone feroces.
Indolis en huius summam deduxit ad Argos,
Protulit in lucem quem sancta † Ritanica mater:
Bis torta studium pingues captare siluros
Cannabe, non clypeos manibus gestare micantes.

† al. Britannica

His heroes dictis animos accensi, vitam auiditate contemnunt. Clypeis denique cratibusque cateruatim operti muros adire contendunt. Plurima etiam bellorum parauerant instrumenta, quum inter agendum populo considerante contigit lepusculum clamore eius exterritum vrbem versus fugere. Quem dum populus exercitusque, vt assolet, impetu vehementi sequeretur, Romani putantes se impugnari, de muro sese proiiciunt. Quod populus cernens, sagmatibus sellisque, quibus equis insederant, iuxta murum proiectis, per eorum aceruum muros ascendunt. Populi vero pars quædam, accepta mox trabe quinquaginta pedum procera longitudine, portam quatiunt, & Romam, quam *Leonianam* dicunt, in qua beati *Petri* Apostolorum principis pretiosum corpus quiescit, vi capiunt. Ceteri vero, qui trans Tiberim erant, hoc timore compulsi huius dominatui colla submittunt.

Hoc in tempore *Formosus* Papa religiosissimus a Romanis vehementer afflictabatur, cuius & hortatu Rex *Arnulfus* Romam aduenerat, in cuius ingressu, vlciscendo Papæ iniuriam, multos Romanorum Principes obuiam sibi properantes decollari præcepit. Causa autem simultatis inter *Formosum* Papam & Romanos hæc fuit. *Formosi* præcessore defuncto, *Sergius* quidam Romanæ ecclesiæ Diaconus erat, quem Romanorum pars quædam Papam sibi elegerat. Quædam vero pars non infima nominatum *Formosum* Portuensis ciuitatis Episcopum pro vera religione diuinarumque scripturarum & doctrinarum scientia Papam sibi fieri anhelabat. Nam dum in eo esset, vt *Sergius* Apostolorum vicarius ordinari debuisset, ea, quæ *Formosi* partibus fauebat pars, cum non mediocri tumultu & iniuria *Sergium* ab altari expulit, & *Formosum* Papam constituit. Descenditque *Sergius* in Tusciam, quatenus *Adelberti* potentissimi Marchionis auxilio iuuaretur: quod & factum est. Nam *Formoso* defuncto, atque *Arnulfo* in propria reuerso, is, qui post mortem *Formosi* Papa constitutus est, expellitur, *Sergius*que Papa per *Adelbertum* constituitur. Quo constituto, vt impius doctrinarumque sanctarum inscius, *Formosum* e sepulchro extrahere, atque in sedem Romani pontificatus sacerdotalibus indumentis indutum collocare præcepit. Cui & ait: *Quum Portuensis esses Episcopus, cur ambitionis spiritu Romanam vniuersalem sedem vsurpasti?* His expletis, sacratis mox exutum vestimentis, digitisque tribus abscissis, in Tiberim iactare præcepit, cunctosque, quos ipse ordinauerat, gradu proprio depositos iterum ordinauit. Quod quam male egerit, *Pater sanctissime*, in hoc animaduertere poteris, quoniam & hi, qui a Iuda Domini nostri Iesu Christi proditore, ante proditionem salutem seu benedictionem Apostolicam perceperant, ea post proditionem propriique corporis suspensionem minime sunt priuati, nisi quos improba forte defœdarant flagitia. Benedictio siquidem quæ ministris Christi impenditur, non per eum, qui videtur, sed, qui non videtur, sacerdotem infunditur. Neque enim qui rigat, est aliquid, neque qui plantat, sed qui incrementum dat Deus. Quantæ autem autoritatis, quantæque religionis Papa *Formosus* fuerit, hinc colligere possumus, quoniam dum a piscatoribus postmodum esset inuentus, atque ad beati *Petri* Apostolorum principis ecclesiam deportatus, Sanctorum quædam imagines hunc in loculo positum venerabiliter salutarunt. Hoc namque a religiosissimis Romanæ vrbis viris persæpe audiui. Sed his omissis ad narrandi ordinem redeamus.

CAPVT IX

De Firmi *per* Arnulfum *obsidione, & per astum vxoris* Guidonis, *qua potionem soporiferam* Arnulfo *propinandam curauerat, solutione: de causa mali in* Arnulfo *eiusque insolentia & templorum profanatione. De* Arnulfi *consilio in* Berengarium *cæcandum, eiusque deinde contemtu: de seditione & cæde* Ticini *qua nunc* Papia *dicitur, facta. De* Anscarii *metu, &* Arnulfi *tetro exitu.*

REx *Arnulfus* desiderii sui compos effectus, persequi *Widonem* non desiit, profectusque Camerinum, castrum vocabulo & natura *Firmum*, in quo *Widonis* vxor erat, obsedit. *Wido* autem in incertis latuit locis. Præfatum igitur castrum nomine & natura *Firmum*, vallo circundatur, omnia bellorum instrumenta, quibus capi posset, præparantur. Quumque *Widonis* vxor magnis vndique angustiis premeretur, & euadendi spes illi omnis negaretur, causas mortis regiæ viperina cœpit calliditate exquirere. Accitum nanque ad se quendam *Arnulfi* Regis familiarissimum magnis cum muneribus rogat, vt se adiuuet. Qui quum se non aliter posse testaretur,

testaretur, nisi ciuitatem Domini sui traderet ditioni: illa etiam atque etiam magna auri pondera non solum pollicens, verum in præsentiarum tribuens, orat, vt quodam poculo ab ea sibi collato dominum suum Regem potarat: quod non periculum mortis daret, sed mentis feritatem mulceret. Quæ etiam suis vt fidem dictis præberet, ante illius præsentiam hoc vnum suorum potat seruorum. Qui vnius horæ spatio conspectu huius astans, sanus abscessit. Verum veridicam *Maronis* illius sententiam in medium proferamus:

> *Quid non mortalia pectora cogis*
> *Auri sacra fames?*

Sumptum namque lethale poculum festinus Regi propinat. Quo accepto, tanta hunc confestim somni virtus inuasit, vt totius exercitus strepitu triduo excitatus euigilare nequiret. Fertur autem, quoniam dum familiares hunc modo strepitu, modo tactu inquietarent, apertis oculis nil sentire, nil loqui potuisse perfecte. Positus tamen in mentis excessu mugitum reddere, non verba edere videbatur. Huius autem rei actio repedare omnes compulit, non pugnare. Credo autem *Arnulfum* Regem iusta seueri iudicis censura huiusmodi pestem incurrisse. Secundæ enim res dum imperium huius vbique magnificarent, virtuti suæ cuncta tribuit, non debitum omnipotenti Deo honorem reddidit. Sacerdotes Dei vincti trahebantur, sacræ virgines vi opprimebantur, coniugatæ violabantur. Neque enim ecclesiæ confugientibus poterant esse asylum. In his namque symbola faciebant, gestus turpes, cantus ludicros, & debacchationes. Sed & mulieres eodem publice prostituebantur. Denique redeuntem *Arnulfum* Regem cum magna multitudine, paulatim rex *Wido* persequitur. Quumque *Arnulfus* Bardonis montem conscenderet, ibi suorum consilio definiuit, quatenus *Berengarium* lumine priuaret, sicque securus Italiam obtineret. Cognatorum vero *Berengarii* vnus, qui non parua *Arnulfo* Regi familiaritatis gratia inhærebat, huius consilium vt agnouit, absque mora *Berengario* patefecit: qui mox vt sensit, lucerna, quam ante *Arnulfi* Regis præsentiam tenebat, alii tradita fugit, atque Veronam percitus venit. Omnes extunc Italienses *Arnulfum* flocci-pendere, nihili habere. Vnde quum Ticinum veniret, non modica orta est in ciuitate seditio, tantaque istic strages exercitus facta est, vt cryptæ ciuitatis, quas alio nomine *cloacas* dicunt, implerentur horum cadaueribus. Quod *Arnulfus* cernens, quoniam per Veronam non potuit, per Hannibalis viam, quam *Bardum* dicunt, & *montem Iouis*, repedare disposuit. Quumque Iporegiam peruenisset, *Anscarius* Marchio istic aderat, cuius exhortatu ciuitas rebellabat. Verum hic *Arnulfus* iureiurando promiserat, nunquam se a loco eodem discessurum quam præsentiæ suæ repræsentarent *Anscarium*. Is autem, vt erat homo formidolosus valde, ei omnino similis qui a *Marone* canitur, *Largus opum, lingua melior, sed frigida bello Dextra*, de castello exiit, & iuxta murum ciuitatis in cauernis petrarum latuit. Hoc eo fecit, quatenus licite possent Regi *Arnulfo* iureiurando satisfacere, *Anscarium* in vrbe non esse. Itaque iusiurandum istud accepit Rex, atque iter, quod cœperat, peragens abiit. Profectusque in propria turpissima valetudine expirauit. Minutis quippe vermibus, quos *pedunculos* aiunt, vehementer afflictus spiritum reddidit. Fertur autem, quod præfati vermes adeo scaturirent, vt nullis medicorum curis minui possent. Vtrum vero pro tam immenso scelere, Hungarorum scilicet emissione, secundum prophetam duplici sit contritione attritus, an vt ex præsenti supplicio consequeretur veniam in futuro, solius Dei scientiæ dimittamus: quod & Apostolus dicit: *Nolite ante tempus iudicare, quoad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique a Deo.*

CAPVT X

De Widonis *obitu*, Berengarii *in regnum receptione, sed mox* Lanthberti *filii* Widonis *coronatione, populi in eum fauore & Principum odio. Nam* Maginfredus *Mediolanensis Comes in eum grassabatur: sed victus capite punitus est: &* Adelbertus *Diues in eum mouit.*

IVstus autem Deus vxori *Widonis*, quæ huic parauerat mortem, parat viduitatis dolorem. Sicut enim præfati sumus, dum redeuntem *Arnulfum* Rex *Wido* e vestigio sequeretur, iuxta fluuium Tarum defunctus est. Cuius obitum *Berengarius* vt audiuit, venit festinus Papiam, regnumque potenter obtinuit: fideles vero fautoresque *Widonis*, veriti ne ab eis illatam *Berengarius* vlcisceretur iniuriam, & quia semper Italienses geminis vti dominis volunt, quatenus alterum alterius terrore coerceant, *Widonis* Regis defuncti filium, nomine *Lanthbertum*, elegantem iuuenem, adhuc ephebum, minusque bellicosum Regem constituunt. Cœpit denique hunc populus adire, *Berengarium* deserere. Quumque *Berengarius Lanthberto*, cum exercitu magno Papiam tendenti, copiarum paucitate occurrere non auderet, Veronam petiit, isticque securus degit. Non post multum vero temporis Lanthbertus Rex, quum esset vir seuerus: Principibus grauis est visus. Vnde & legatos Veronam dirigunt, & Regem *Berengarium* ad se venire, *Lanthbertum* vero expellere petunt. *Maginfredus* præterea Mediolanensis vrbis Comes, quinquennio huic rebellis extiterat, qui non solum vrbem, in qua rebellis erat, Mediolanum scilicet, defenderat, verum & vicina circumquaque *Lanthberto* loca seruientia depopulabatur. Quod factum Rex non passus abire inultum, psalmographicum illud persæpe ruminans: *Quum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Nam post paululum capitis hunc iusserat damnari sententia. Quæ res terrorem cunctis Italiensibus non minimum incussit. Denique hoc eodem tempore *Adelbertus* illustris Tuscorum Marchio atque *Hildebrandus* præpotens Comes huic nisi sunt rebellare. Tantæ quippe *Adelbertus* erat potentiæ, vt inter omnes Italiæ Principes solus ipse cognomento diceretur *Diues*. Huic erat vxor nomine *Berta*, *Hugonis*, post nostro tempore Regis mater: cuius instinctu tam nefaria cœpit ipse facinora. Nam collecto exercitu, cum *Hildebrando* Comite constanter Papiam tendere festinat.

CAPVT XI

De Lanthberti *strenua victoria in* Hildebrandum, *quem fugauit, &* Adelbertum, *quem cepit, & cauillo illusit post multorum stragem.*

LAnthbertus interea Rex harum rerum inscius in Marinco iam aliquantis diebus venationi vacabat. Quumque *Adelbertus* Marchio & *Hildebrandus* Comes cum diuerso & inualido Tuscorum exercitu Bardonis montem transirent, *Lanthberto* Regi medio in nemore venanti, vt sese res habuerat, nuntiatur. Is vero, sicut erat animi constans, viribusque potens, suos non passus est milites præstolari, sed collectis, quos secum habebat, centum fere militibus, cursu præpeti eis occurrere festinat. Iamiam Placentiam venerat, quum iuxta fluuium Sesterrionem ad Burgum, in quo sanctissimi & pretiosi martyris *Dominici* corpus positum veneratur, castra metasse nuntiantur. Ignorantes igitur, quid superuentura nox pareret, temulenti post nonnulla inutilia τραγῳδήματα, id est *cantilenas*, somno sese dedere, stertere, nauseam alii sumptus intemperantia facere. Rex igitur animi ferox, tum ingenio callens, in ipso eos noctis conticinio opprimit, dormientes ferit, oscitantes iugulat. Ventum est denique ad illos, qui ductores huius exercitus erant. Quumque eis non ex multitudine alius, sed Rex ipse præclari huius facinoris nuntius esset, non solum pugnandi, sed & fugiendi terror ipse abstulit facultatem.

tem. Verum *Hildebrandus* fuga elapsus, *Adelbertum* intra animalium præsepe latitantem dereliquit: qui dum repertus, atque ante Regis præsentiam ductus esset; Rex eum ilico ita conuenit: *Sibyllino spiritu uxorem tuam* Bertam *prophetasse credimus, quæ te aut scientia sua Regem, aut asinum facturam se promisit. Verum quia Regem noluit, aut, vt magis credendum est, non potuit, asinum, ne mentiretur, effecit, dum te etiam cum Arcadiæ pecuaribus ad præsepe declinare coegit.* Præter eum autem & alii cum ipso nonnulli capiuntur, vinciuntur, Papiam ducuntur, custodiæ mancipantur.

CAPVT XII

De mortis Lanthberti *duplici opinione, quarum verior putatur, quod ab* Hugone *Mediolanensi casus sit, quod conqueritur.*

His ita gestis, Rex *Lanthbertus* iterum præfato in loco Marinco venationibus occupatur, quo ab omnium Principum decreto, quid super captis agendum esset, deliberaretur. Sed o vtinam venatio hæc feras caperet, non Reges! Aiunt sane hunc Regem, dum, sicut moris est, apros effreni consectaretur equo, cecidisse, collumque fregisse. Verum assertioni huic fidem præbere, absurdum esse duco. Est enim alia mortis huius, quæ mihi verisimilior videtur, atque ab omnibus populis narratur, assertio. *Maginfredus* Mediolanensis vrbis Comes, cuius superius paulo fecimus mentionem, dum pro scelere in Rempublicam atque in Regem commisso capitis iudicio damnaretur, vnicum possessionis vicarium *Hugonem* filium dereliquit. Quem dum *Lanthbertus* Rex tum forma egregia, tum animi audacia nonnullos superare videret, non paruum pro patris morte dolorem collatis visus est beneficiis mulcere quamplurimis. Vnde & eum præ ceteris familiaritatis dilexerat priuilegio. Factum est autem, dum *Lanthbertus* Rex nominato in luco Marinco venaretur (est enim ibidem miræ magnitudinis & amœnitatis lucus adeo venationibus aptus) huc illucque cunctis, vt moris est, discurrentibus, hoc cum vno scilicet *Hugone* ipsum solummodo inibi remansisse. Quumque Rex aprum in transitu præstolaretur, diuque multum remorante longa expectatione lassaretur, paululum sese quieti dedit, vigiliæ custodiam huic infido, quasi fido, committens. Absentibus igitur cunctis, *Hugonis* mens custodis, imo proditoris atque carnificis, collatorum beneficiorum immemor, plurimum patris mortem animo cœpit reuoluere: non considerauit genitorem suum iustam incurrisse necem, iusiurandum, quod fecerat Regi, violare non metuit, vicarium se Iudæ Domini nostri Iesu Christi proditoris appellari non timuit. Verum conamine toto virium, ligno non modico dormienti collum fregit. Gladio quippe ferire timuit, ne peccati huius autorem res eum manifesta probaret. Eo namque mens peruersa ita egit, vt non gladii cicatrix, sed ligni manifesta collisio, hæc reperientibus fidem daret, equo cecidisse, collique fractione hominem exiuisse. Latuitque res per annos quamplurimos: sed dum processu temporis *Berengarius* Rex, nullo sibi resistente, regnum viriliter obtineret, ipse reatus proprii, sicut fuerat autor, extitit & proditor. Impleuitque illud quod Propheta canit, *Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniqua gerens benedicitur.* Sed aliter fecisse minime potuit, propter hæc ipsius Veritatis verba dicentis; *Nihil opertum, quod non reueletur, & occultum, quod non in publicum veniat.* His itaque gestis quum *Berengarius* ampliori ac pristina dignitate regia honoraretur, *Adelbertus* Marchio & ceteri ad propria destinantur. Iuuat autem, *Pater charissime*, tanti huius obitum Regis & deflendo scribere, & scribendo deflere. Inerat namque illi honesta morum probitas, sancta & formidolosa seueritas, & quem iuuentus ornauerat in corpore splendida, mentis canicies decorabat sancta. Plane plus ille reipublicæ, quam respublica decoris ei contulerat. Quod si non cita mors hunc raperet, is esset, qui post Romanorum potentiam totum sibi orbem viriliter sub[illegible]ura.

LIVTHPRANDI,

TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,

HISTORIARVM LIBER II.

CAPVT I

De Ludouico Arnulfi *filio, cuius tempore Hungari Baioariam inuadentes, eam immaniſſime vaſtauerunt. In quos* Ludouicus *bellum parat iuxta Lemannum lacum.*

POSTQVAM vitalis calor *Arnulfi* Regis membra deſerens, corpus reddidit exanime, eius filius *Ludouicus* Rex cunctis a populis ordinatur. Tanti denique caſus viri vicinos Hungaros, ſicut nec in toto orbe degentes, latere non potuit. Siquidem lethi huius fama fuit ipſis omni feſtiuitate iocundior, gratiis omnibus præſtantior. Quid igitur? Primo mortis huius, natique eius ordinationis anno, permagno collecto exercitu, Marauanōrum gentem, quam virtutis eorum adminiculo Rex *Arnulfus* ſubdiderat, ſibi vendicant, Baioariorum etiam fines occupant, caſtra diruunt, eccleſias conſumunt, populos iugulant, & vt magis magiſque timeantur, interfectorum ſeſe ſanguine potant. *Ludouicus* itaque Rex, gentis ſuæ depopulationem, illorumque intelligens crudelitatem, ſuorum omnium animos hac formidine inflammat, vt ſi bello eodem quenquam, quod tum acturus eſſet, deeſſe contingeret, laqueo proculdubio vitam finiret. Innumerabilis denique illa gentis peſſimæ collectio copiis huius obuiam properare feſtinat. Nec videas ſitientem animam ardentius hauſtum laticis gelidi, quam prœlii diem gentem hanc crudelem appetere. Neque enim haud aliud, quam dimicaſſe iuuat. Vt autem ex libro, qui *de origine Hungarorum* inſcribitur didici, horum matres mox pueris editis ferro acutiſſimo faciem ſecant, ſcilicet, vt antequam lactis nutrimenta percipiant, vulnerum tolerantiam ſubire cogantur: dant huic aſſertioni fidem vulnera, quæ pro deficientium dolore propinquorum, viuorum corporibus infliguntur: ſanguinem neque prout *ἀθέως καὶ ἀσεβῶς ἀντὶ τῶν ἀκόντων*, id eſt, *ſine Deo, ſine pietate pro inuitis* fundunt. Iamiam Rex *Ludouicus* collecta multitudine Auguſtam venerat, quæ eſt in Sueuorum, Baioariorum, ſiue orientalium Francorum confinio ciuitas, quum inſperata magis, non autem optata gentis huius nuntiatur vicinitas. Sequenti igitur die Lemanni ſecus fluminis campos, Martio operi capacitate ſua aptos, vtræque acies conuenere.

Neque Luitprandum *moramur, qui neſcio quam famam ſecutus, primum Boiorum cum Vngaris prœlium in vaſtiſſimis Lycatium campis ad Auguſtam Vindelicorum peractum ſcripſit, idque aliquot Vngarorum in Italiam eruptionem annis: qua in re cum aduerſarios tot ſcriptores habeat, apud cordatos ſane fidem non meretur, auctor etiam alias ſæpe vanitatis & oſcitantiæ in aſſignanda maxime temporum certa ratione manifeſtus. Ridendus nihilominus* Auentinus, *qui cum hanc ipſam* Luitprandi *pugnam multo quam ille inflatius recenſuiſſet, ab* Auguſta *Ratia vſque ad* Anaſſum *fluuium eam ſubmouit, deceptum vocis ſimilitudine Italum ſcriptorem clamitans: nam cum* Anaſſiburgi *dimicatum fuerit, quæ vrbs* Ansburg *contractim vulgo diceretur, ſub hæc ipſa tempora contra barbarorum impetus extructa,* Luitprandum Auguſtam *ſubſtituiſſe, quam* Augſpurg *nominari audierat, vnaque inuerſa litterula in errorem inobſeruabilem eſſe inductum: quo quidem dici nihil ineptius poteſt; vt enim de* Anaſſiburgo Auentino *litem non moueam, nihil omnino eorum, quæ a* Luitprando *dicuntur, maneri loco poteſt, &* Auguſtæ *abiudicari.* Ita *Brunnerus* lib. 2 annal. Boic. part. 2 col. 92.

CAPVT

CAPVT II

Hungari positis insidiis Ludouici *copias vincunt & delent, votique compotes, Francorum, Saxonum, Sueuorumque terras deprædantur.*

PRius itaque ac Titani croceum linqueret aurora cubile, Hungarorum gens necis sitiens, belli auida, hos videlicet Christianos adhuc opprimit oscitantes: nonnullos namquam spicula, priusque clamores, euigilarunt. Citius enim ab eis spiritus recessit, quam somnus. Grauis itaque hinc inde oritur pugna. Versi terga seu in fugam Hungari directis acriter belis, id est telis, plurimos sternunt.

Nubibus omnipotens Heloim quum condere Phœbi
Lumina chrysocomi venerandus cœperit atris,
Vertice quumque polum summo clamore remugit.

Alios vero cubilibus confossos, neque strepitus, neque vulnera excitarunt.

Fulgura crebra volant solio demissa tonantis
Ignea; mox trepidant, qui nigrum in candida vertunt;
Conscia tunc metuunt scelerum sulcare suorum
Pectora, iudicio pariter ruitura superno.
Haud secus e vacuis volitant concussa pharetris
Spicula, scinduntur validæ queis terga loricæ:
Concutit ipsa ruens segetes cum grando superba.
Fit sonitus, clangorque simul per tecta sonorus,
Sic galeæ strictis reboant tunc ensibus ictæ,
Corpora sicque cadunt mutuis confossa sagittis.

Iam descendens septimam Phœbus occupauerat horam, & serenus adhuc *Ludouici* partibus Mars fauebat: quum Turci, sicut non incallidi, positis ex aduerso insidiis, fugam simulant. Quos dum Regis populus, doli ignarus, impetu validissimo insequeretur, omni ex parte prodeunt insidiæ, quasi victi ipsi victores interimunt. Rex ipse e victore se victum esse miratur: sicque illi non opinatus grauior casus. Videres equidem saltus, agros passim cadaueribus stratos, riuos & flumina sanguine permixta rubere: tunc hinnitus equorum, clangorque tubarum, fugientes etiam atque etiam terrere, persequentes magis magisque hortari. Hungari præterea compotes voti sui effecti, Christianorum hac tam immensa nece propriæ non satisfecere nequitiæ: sed vt rabiem perfidiæ satiarent, Baioariorum, Sueuorum, Francorum omnia deflagrando regna percurrerunt. Nec quisquam erat qui horum præsentiam, nisi labore non paruo, naturaue munitissimis præstolaretur in locis, factusque est per nonnullos annos populus hic tributarius.

CAPVT III

De Adelberti *Comitis rebellione, & capitali sententia in eum circumuentum* Hattonis *Archiepiscopi insidiis lata.*

HVius tempore *Adelbertus* quidam non fortunæ mediocris, sed ex primatibus magnus ille heros simultatem non modicam in castello *Bauenburg* contra rempublicam exercebat. Sæpe Rex *Ludouicus* congregatis omnibus super eum irruerat. Cui nominatus heros non iuxta castellum, vt a plerisque assolet, sed procul a munitione præparat bellum. Regis itaque milites priusquam re ipsa huius audaciam mirarentur, Regem præeuntes pugnæ præludio hunc extra castrum illicere atque interficere cogitabant. *Adelbertus* præludii huiusmodi non solum gnarus, verum etiam † debriatus, his obuiam tam longe a castro processerat, vt non hunc milites eousque & aduersariis esse cognoscerent.

scerent, quoad in eorum ceruices istius mucro cædis impatiens desæuiret. Sed quum septennio ferme *Adelbertus* heros rebellionem huiusmodi exerceret, sciens *Ludouicus* istius audaciæ fortitudinem haudquaquam se nisi tergiuersatione quadam posse deuincere, *Hattonem* Maguntinæ sedis Archiepiscopum, quid sibi super hac re faciendum esset, consuluit. Qui, vt erat versutiæ plenus, *Desine*, ait: *ego te securum meis solicitudinibus reddam, ego, vt ad te veniat, prouidebo, tu, ne redeat, curato. Hatto* itaque animi confidentia, qua nonnullas res ex infortunio secundas effecerat animatus, Bauenburg quasi *Adelberto* compassurus adiit. Cui & ait: *Si non & aliam vitam præter instantem putares, tamen iniuste faceres, quod domino tuo rebellis existeres, præsertim quum & quod agis, facias gratis: eo enim quo ferocitatem animi vinceres, quantum ab omnibus, & præcipue a Rege diligaris, non intelligis. Consulenti itaque mihi fidem admitte, iusiurandum accipe, quo sine animi vacillatione de castello exire valeas & redire. Si sacerdotii mei promissionibus minime credis, iuramento saltem ne diffidas, quoniam vt te saluum & incolumem de castello eduxero, ita & reducere procurabo. Adelbertus* igitur huius melle dulcioribus elogiis delibutus, imo deceptus, iusiurandum ab *Hattone* accepit, eumque, vt secum pranderet, protinus inuitauit. *Hatto* vero tergiuersationis, quam exercere post paululum cupierat, non immemor, eodem se haudquaquam pransurum omnimodis interdixit. Nec mora, *Hatto* de castello egreditur, cuius *Adelbertus* dexteram tenens mox eum insequitur. Quem quum extra castellum conspiceret, *Pœnitet*, inquit, *me, heros egregie, quia secundum tuum consultum, præsertim quum longum iter immineat, corpus edulio aliquo non refecerim.* Ignorans denique *Adelbertus*, quantum incommodi, quantumue infortunii hæc scientia habebat; *Reuertamur*, ait, *Domine mi, & ne ieiunii maceratione tabescas, cibo saltem paululum te recreato.* Conniuens itaque eius petitionibus *Hatto*, per quam eum eduxerat viam repedauit, & reduxit dexteram tenens. Haud mora, cibus sumitur, atque ab eisdem die eadem vsque ad Regem properatur. Clamor in castris oritur, fit tumultus non modicus, quandoquidem *Adelbertus* Regi aduenisse nuntiatur. Rex præterea huius ob aduentum non parum exhilaratus, proceres ad se venire, atque in iudicio residere præcepit. Quibus & ait: *Iam fere septennio* Adelbertus *quantas strages dederit, quas nobis turbationes egerit, quot rapinarum & incendiorum infortunia nobis intulerit, re ipsa potius, quam fama deferente percepimus. Vnde & sententiam vestram, pro hoc tanto scelere quid recompensationis impræsentiarum accipiat, expectamus.* Qui omnium decreto, secundum priscorum instituta Regum, maiestatis reus adiudicatus, capite truncatur. Verum dum vinctus traheretur ad mortem, *Hattonem* intuitus: *Periurii*, inquit, *reus eris, si me necem incurrere sinis.* Cui *Hatto*, *Sanum te*, inquit, *e castro educturum, ita & reducturum promisi: quod me tunc implesse intellexi, quum te e castello eductum, saluum & incolumen mox in castellum reduxi.* Tunc se istuc aduenisse dolens, & *Hattonis* dolum tarde intellexisse suspirans, tam inuitus spiculatorem sequitur, quam libenter viueret, si liceret.

CAPVT IV

De Hungaris collecto innumerabili exercitu Italiam petentibus, & exploratoribus eorum quale consilium dederint, & quare territi ab Italia ingressu sint reuersi, sed mox reparatis viribus Italis occurrerint.

PAucis vero interpositis annis, quum nullus esset, qui in orientali ac australi plaga Hungaris resisteret: (nam Bulgarorum gentem atque Græcorum tributariam fecerant) ne quid inexpertum his esset, quæ sub meridiano atque sub

fub orientali degerent climate nationes visere satagunt: immenso itaque innumerabilique collecto exercitu miseram petunt Italiam. Quumque iuxta fluuium Brennam defixis tentoriolis, imo centonibus, triduo exploratoribus directis, qui terræ situm gentisque multitudinem seu raritatem considerarent, repedantibus nuntiis huiusmodi responsa suscipiunt: *Planicies hæc nonnullis plena colonis, vno (vt cernitis) ex latere montibus asperrimis atque fertilibus, altero mari cingitur Adriatico: oppida vero tum nonnulla, tum munitissima: gentis quanquam ignoretur imbecillitas aut fortitudo, immensa tamen conspicitur multitudo. Neque enim hanc tam paucis copiis inuadere hortamur: verum quum nonnullæ sint res, quæ nos pugnare compellant, triumphus scilicet assuetus, animi fortitudo, pugnandi scientia, opes præsertim, quarum desiderio fatigamur, quæ hic tot insunt, quot toto in orbe nec vidimus nec videre sperauimus: nobis tamen consultis (neque enim longum arduumve remeandi iter est, quod decem potest & eo minus diebus perfici) reuertamur, quatenus vere omnibus gentis nostræ collectis fortissime redeamus, sitque his tum in fortitudine, tum nostra in multitudine terror.* Nec mora, his auditis, ad propria reuertuntur, totamque hiemis asperitatem in fabricandis armis, in acuendis spiculis, in docendis iuuenibus belli notitiam, ducunt. Sol needum piscis signum deserens, arietis occupabat, quum immenso atque innumerabili exercitu collecto Italiam petunt, Aquileiam & Veronam pertranseunt, munitissimas ciuitates, & Ticinum, quæ nunc alio excellentiori vocabulo Papia vocatur, nullis resistentibus veniunt. Rex igitur *Berengarius* tam præclarum nouumque facinus satis mirari non potuit: antehac enim neque nomen gentis huius audierat. Italorum igitur Tuscorum, Volscorum, Camerinorum, Spoletinorum quosdam libris, alios nuntiis directis, omnes tamen in vnum venire præcepit, factusque est exercitus triplo Hungarorum validior.

CAPVT V

Quur Rex Berengarius *contra Hungaros non ierit, & quur Hungari Italos fugerint, & quomodo fugientes pacem petierint, & de præludio prœlii, in quo prius vicerunt Hungari, post fugerunt. Et quomodo propter defatigatos equos ad Brennam fluuium a Christianis deprehensi, pacem ab eis petierunt, quam non obtinuerunt.*

QVumque sibi *Berengarius* tot adesse copias cerneret, superbiæ spiritu inflatus, magisque triumphum de hostibus multitudini suæ, quem Deo tribuens, solus cum paucis quodam in oppidulo degens, voluptati operam dabat. Quid igitur? tantam mox vt Hungari contemplati multitudinem, animo consternati, quid facerent, deliberare non poterant, prœliari penitus formidabant, fugere omnino nequibant: verum inter vtramque hanc æstuationem fugere magis, quam prœliari iuuat: persequentibus Christianis, Abduam fluuium natando, ita vt nimia festinatione plurimi submergerentur, transeunt. Hungari denique consilio non malo accepto per internuntios Christianos rogant, quatenus præda omni cum lucro reddita, ipsi incolumes remeare possent. Quam petitionem Christiani funditus abdicantes, his, proh dolor! insultabant, potiusque vincula, quibus Hungari vincirentur, quam arma, quibus necarentur, exquirunt. Quumque pagani Christianorum animos hoc pacto mulcere nequirent, vetus rati consilium melius, cœpta sese liberare fuga satagunt, sicque fugiendo in Veronenses campos perueniunt. Christianorum primi horum iam nouissimos insequuntur, sicque eodem pugnæ præludium, in quo victoriam habuere pagani; validiore vero propinquante exercitu fugæ non immemores, [illegible]um iter percurrunt.

Veneruntque Christicolæ cum idololatris iuxta fluuium Brennam: equi enim nimium defatigati fugiendi copiam negabant Hungaris. Simul igitur vtræque acies conuenere, memorati tantummodo fluuii alueo separatæ. Hungari denique nimio terrore coacti, omnem supellectilem, captiuos, arma omnia, equos, singulis tamen, quibuscum remeare possent, retentis, dare promittunt: hoc præterea in honorem suæ petitionis adiungunt, vt si vita tantum comite datis omnibus illos remeare permitterent, se nunquam Italiam amplius ingressuros, filiis suis obsidibus datis. Verum heu! Christiani superbiæ tumore decepti, minis paganos, ceu iam victos, insequuntur, eisque continuo huiusmodi apologiam remittunt: Si contraditum nobis, præsertim a contraditis iamque canibus mortuis munus reciperemus, fœdusque aliquod iniremus, insanos capite non sanus iuret Orestes.

CAPVT VI

De consilio Hungarorum ex desperatione inito, & victoria eorum in Christianos per insidias circumuentos: quam victoriam docet ob Christianorum peccata, non illorum merita, adeptos.

HAc igitur legatione Hungari desperantes, collectis in vnum fortissimis, tali sese mutuo sermone solantur: *Si hac, quæ in præsentiarum cernitur, luce perdita, nihil est quod deterius prouenire possit hominibus, & quia locus preci nullus, fugiendi spes omnis ablata, colla submittere mori est, quid verendum est nobis, tela inter ipsa ruere, morte mortem inferre? Nunquid non fortunæ, & non imbecillitati casus deputandus noster? Viriliter enim pugnando occumbere, non est mori, sed viuere. Hanc famam tantam, hanc κληρονομίαν, id est, hereditatem, vt a patribus nostris accepimus, etiam relinquamus heredibus. Nobis debemus, nobis saltem credere expertis, qui copiarum paucitate nonnunquam plurimos strauimus. Inualidæ plebis sane congregatio plurima ad cædem tantum est exposita. Sed & fugientem sæpissime Mars perimit; dimicantem fortiter protegit. Hi enim, qui nobis supplicantibus non miserentur, ignorant, neque mente percipiunt, quia vincere quidem bonum est, superuincere nimis inuidiosum.* Hac itaque exhortatione vtcunque animos recreati, tres in partes insidias disponunt, recta ipsi fluuium transeundo hostes in medios ruunt. Christianorum enim plurimi longa propter internuntios expectatione defatigati, per castra, vt cibo recrearentur, descenderant: quos tanta Hungari celeritate confoderunt, vt in gula cibum transfigerent, aliis quibusdam fugam equis negarent ablatis, eoque illos leuius perimebant, quod sine equis eos esse conspexerant. Ad augmentum sane perditionis Christianorum non parua inter eos erat discordia. Nonnulli Hungaris non solum pugnam non inferebant, sed vt proximi caderent, anhelabant, atque hoc ipsi peruersi peruerse fecerant, quatenus dum proximi caderent, soli ipsi liberius quasi regnarent. Qui dum proximorum necessitatibus subuenire negligunt, eorumque necem diligunt, ipsi propriam incurrunt. Fugiunt itaque Christiani, sæuiuntque pagani, & qui prius placare muneribus nequibant, supplicantibus postmodum parcere nesciebant. Interfectis denique fugatisque Christianis, omnia Hungari regni loca sæuiendo percurrunt. Neque erat, qui eorum præsentiam nisi munitissimis forte præstolaretur in locis. Illorum sane adeo præualuerat virtus, quatenus eorum pars quædam Baioariam, Sueuiam, Franciam, Saxoniam, quædam vero depopularetur Italiam. Neque tamen hoc eorum meruerat virtus, sed verus Domini sermo, terra cæloque durabilior, mutari non poterat, quemadmodum per *Hieremiam* prophetam omnibus nationibus in persona domus Israel comminatur dicens: *Ecce ego adducam super vos gentem de longinquo, gentem robustam, gentem antiquam,*

antiquam, gentem, cuius ignorabis linguam, nec intelliges, quid loquatur. Pharetra eius quasi sepulchrum patens, uniuersi fortes, & comedet segetes tuas, & panem tuum deuorabit, filios tuos & filias tuas comedet, gregem tuum & armenta tua, comedet vineam tuam & ficum tuam, & vrbes munitissimas, in quibus tu habes fiduciam, gladio conteret. Veruntamen in diebus illis, ait Dominus Deus, non faciam vos in consummationem.

CAPVT VII

De Ludouici *obitu, &* Conradi *coronatione, & qui Principes sub eo fuerint, inter quos* Henricus *Dux Saxoniæ: qui Regi rebellantes ab eo victi sunt, fugiente* Arnoldo *Baioario in Hungariam. Et quomodo* Conradus *moriturus, Principes omnes de pace inter se, & vt* Henricum *Saxonem Regem constituant, exhortatur, transmissis ad eum regalibus ornamentis. De* Arnoldi *Baioarii ex Hungaria reditu, & bellico in* Henricum *apparatu: sed suorum ex hortatu* Henrico *deditus, eidem militat.*

HAc autem tempestate *Ludouicus* Rex moritur. *Conradus* ergo Francorum ex genere oriundus, vir strenuus, bellorumque exercitio doctus, Rex cunctis a populis ordinatur. Sub quo potentissimi Principes *Arnoldus* in Baioaria, *Burcardus* in Sueuia, *Euerhardus* Comes potentissimus in Francia, *Gisilbertus* Dux in Lotharingia erant. Quos inter *Henricus*, Saxonum & Thuringorum Dux præpotens, clarebat. Secundo itaque regni huius susceptionis anno memorati Principes huic, præsertim *Henricus*, rebelles extiterant. Quos *Conradus* Rex tam sapientiæ vigore, quam fortitudinis robore superauit, suamque ad fidelitatem perduxit. *Arnoldus* autem nimio eius terrore coactus, cum vxore & filiis ad Hungaros fugit, fuitque ibidem, quoad vitalis aura *Conradi* Regis rexerat artus. Septimo denique regni sui anno, vocationis suæ ad Dominum tempus agnouit. Quumque memoratos Principes se adire fecisset, solummodo *Henrico* non præsente, ita conuenit: *Ex corruptione ad incorruptionem, ex mortalitate ad immortalitatem vocationis meæ tempus agnosco, &, vt cernitis, præsto est; proinde pacem concordiamque vos sectari etiam atque etiam rogo. Me hominem exeunte nulla vos regnandi cupiditas titillet, nulla præsidendi ambitio inflammet.* Henricum *Saxonum & Thuringorum Ducem prudentissimum Regem eligite, Dominum constituite. Is enim est & scientia pollens, & iustæ seueritatis censura abundans.* His itaque prolatis, propriam coronam non auro, quo cuiuscunque ordinis pæne Principes pollent, verum gemmis pretiosissimis non solum, inquam, ornatam, sed grauatam, sceptrum & cuncta, quæ regalia sunt indumenta, in medium venire præcepit, ac prout valuit, huiusmodi verba effudit: *Heredem, regiæque dignitatis vicarium regalibus meis ornamentis* Henricum *constituo, cui vt obediatis non solum consulo, sed & oro.* Quam iussionem mox sequitur interitus: & interitum est obedientia prosequuta. Ipso namque mortem obeunte, memorati Principes coronam, cunctaque regalia indumenta *Henrico* Duci contulerunt; atque vt Rex *Conradus* dixerat, cuncta per ordinem narrauerunt. Qui regiæ dignitatis culmen & prius humiliter declinauit, ac paulo post non ambitiose suscepit. Verum nisi pallida mors, quæ pauperum tabernas, Regumque turres æquo pulsat pede, *Conradum* Regem citissime raperet, is esset, cuius nomen multis mundi nationibus imperaret.

* Liuthprandus *tanquam vno halitu cuncta essent peracta, rem effert.* Ita *Gundlingius* dissertat. *de Henrico Aucupe* § II annot. lit. d) p. 73. *Plures tamen inuenio, qui spatium interiiciant, ac post exsequias demum* Eberhardum *in conspectum Ducis Saxonici producam, quos ut* [illegible] *quo, inclinat animus.* Idem l. d. p. 71. annotat. lit. f) p. 74.

Hoc eodem tempore *Arnoldus* cum vxore & filiis ab Hungaria rediens, honorifice a Baioariis atque ab orientalibus ſuſcipitur Francis: neque enim ſolum ſuſcipitur, ſed vt Rex fiat, ab eis vehementer expoſcitur. Rex *Henricus* quum obtemperare ſuis omnes iuſſionibus, *Arnoldum*que ſolum reſiſtere cerneret, perualido collecto exercitu, in Baioariam tendit. Quod *Arnoldus* vt audiuit, eius non paſſus eſt in Baioaria præſtolari aduentum. Verum collectis, quibus valuit, copiis, huic obuiam properat. Cupierat ſane & ipſe Rex fieri. Quumque in eo eſſent, vt bellum pariter inire deberent, ſicut vir ſapiens, & Deum timens, Rex *Henricus* cogitans ex vtraque parte irrecuperabile poſſe damnum accidere, *Arnoldo*, quatenus cum ſolo ſolus loquatur, denuntiat. Putans igitur *Arnoldus*, quod ſingulari ſe acciret certamine, ad condictum ſolus hora ſtatuta peruenit. Quem ſibi obuiam properantem Rex *Henricus* tali eſt ſermone aggreſſus:

Inſana Domini iuſſis quid mente reſiſtis?
Quod populus Regem me cupit, eſſe ſcias
Imperio Chriſti, quo conſtat machina mundi,
Tartarus hunc metuit, hunc Phlegethon timuit,
Conterit hic nitidos Reges dudumque tremendos,
Sublimesque volens erigit hic miſeros,
Quo meritas laudes Domino per ſecula ſoluant.
Tu ne ſuperbe, reus, perfide, dure, ferox,
Inuidiæ ſtimulis ſæuaque cupidine tactus,
Corpora Chriſticolum perdere valde ſitis:
Si Regem populus cuperet præponere temet,
Protinus is fierem, quem magis is cuperet.

Hoc igitur quadrifario dicendi genere, copioſo ſcilicet, breui, ſicco & florido, Rex *Henricus*, vt erat animo prudens, *Arnoldi* animum mulcens, ad ſuos rediit. *Arnoldus* vero, quum ſuis omnia retuliſſet, huiuſmodi ab eis audiuit ἀπόκρισιν, id eſt, reſponſionem: *Sapiens prompſit illius ſapientiæ veræ ſententiam, quæ ait*, Per me Reges regnant; Principes imperant, & prudentes iuſtitiam decernunt. *Qui huic reſiſtit, illum Dei ordinationi reſiſtere quis ambigit? Neque enim in huius electione totius populi poſſet animus eſſe vnus, ſi a Trinitate ſumma, quæ Deus vnus eſt, ante mundi conſtitutionem non eſſet electus. Si bonus fuerit, diligendus erit, Deuſque in eo laudandus: ſi vero malus, æquanimiter tolerandus. Subditorum namque plerunque exigunt merita, quatenus nonnunquam a prælatis grauentur, non regantur. Æquum autem iuſtumque nobis videtur, vt a ceteris non diſſentiens hunc Regem eligeres. Ipſe vero te, vt tam fortunatum & prædiuitem virum, hoc pacto bearet, animique tui feritatem mulceret, vt quod prædeceſſores non habuere tui, tibi concedatur, ſcilicet, quatenus totius Baioariæ Pontifices tuæ ſubiaceant ditioni, tuæque ſit poteſtatis, vno defuncto alterum ordinare.* Conniuens igitur *Arnoldus* huic optimo ſuorum conſilio, *Henrici* Regis miles efficitur, & ab eo, vt iam dictum eſt, conceſſis totius Baioariæ Pontificibus honoratur.

Texit alia ratione Liuthprandus *hiſtoriæ ſuæ filum* (quam Witichindus) *Huic ſi calculos adiicimus, neque in vrbe* Arnulfus, *neque tectis ſe abdidit, neque adeo* Henrici *exercitum in Boicam irruentem exſpectauit; ſed aduenienti effuſo agmine obuiam proceſſit, prœlii exitum fortunæ magno animo nec minori ſpe commiſſurus, niſi legatos Rex miſiſſet, qui colloquii copiam exigerent. Quæ omnia adeo prope a veritate abeſſe videntur, vt* Brunnerus *atque* Adlzreitterus, *ſcriptores Boii, hanc narrationem præ ceteris probantes, orationem, quam* Liuthprandus Henrico *affingit, multis verborum luminibus illuſtriorem reddiderint. Mihi perinde eſt, quamcunque aliquis recenſionem ſuffragio ſuo dignetur. Vtrobique enim conſentitur ac quaſi conclamatur, Arnulfum poſitis armis ac turmis, quæ iam incitatæ erant, ſubito cohibitis, ad pacem atque concordiam rediiſſe. At ſuadet tamen propenſus ad quietem Regis animus, quem veterum nonnulli in Regis virtutibus ponunt, eſſe hic* Liuthprandi *ſtilo paullo plus tribuendum, quam* Witichindo, *qui verbis nimium adſtrictis vtitur, & quod ad poſteritatem memorabile, omittit. Gundlingius* l. d. §15 p. 85.

CAPVT

CAPVT VIII

De Hungaris, audita morte Conradi, *Saxoniam inuadentibus. Quibus* Henricus, *quamuis infirmus, occurrit, & suos exhortatus est, votumque vouit.*

PEr idem tempus dum *Conradi* Regis interitum, atque *Henrici* in regni successionem Hungari audirent, tali sese mutuo sermone sunt aggressi: *Rex forte nouus nouis vti legibus cupit. Copiis igitur collectis non minimis, ascendamus, scrutemurque, debita vtrum* Henricus *Rex velit tributa persoluere. Quod si non, vt credimus, Regibus dissentit a ceteris, regnum eius cæde atque immensis depopulemur incendiis; non Baioariorum, sed Saxonum, vbi Rex ipse est, primo fines occupemus, vt si forte (quod non speramus) congregare exercitum velit, neque de Lotharingia, neque de Sueuia, neque de Baioaria, ei mature possit occurrere. Sed & Saxonum ac Thuringorum terra facile depopulatur, quæ nec montibus adiuta, nec firmissimis oppidis est munita.* Rex *Henricus* grauissima valetudine detinetur, & Hungarorum ei aduentus proxime nuntiatur. Vix finetenus verba nuntiantis audierat, quum directis per Saxoniam nuntiis, post triduum quotquot poterat capitali sententia se adire præcepit *.

* Liuthprandus, *quanquam temporum rationes hic turbet, hoc tamen momentum, quod ceteri omittunt, curate describit.* Ita *Gundlingius* dissertat. *de Henrico Aucupe* § 31 annot. lit. g) signata, p. 222.

Validissimo igitur per quatriduum collecto exercitu (est enim Saxonum mos laudandus atque imitandus, quatenus annum post vnum atque duodecimum nemini militum bello deesse contingat) etsi corporis inualidus viribus, tamen mentis vigore animatus, prout valuit equum ascendit, atque collectis in vnum copiis, huiusmodi verbis ad pugnandi rabiem exitauit:

Inclita Saxonum ceu leo frendens
Bella per innumera gens erat olim.
Restitit hæc Carolo *ense cruento,*
Qui sibimet totum strauerat orbem,
Fugit & hic victus victor vbique.
Quod sibi nos rediens subdidit omnes,
Id Domini pietas gessit, ob hoc quod
Participes voluit esse salutis.
Nunc mala Turcorum, nescia Christi
Gens, inimica Deo, gaudet in omnem
Ecclesiæ populum ducere ferrum.
Proh dolor, heroes heus mage quod nunc
Subdere nostra volunt colla tributo.
Sumite nunc animos more virili:
Membra secare, precor, vique ferire
Sit furor heus ardens, sancta cupido:
Hæc Stygias referant munera ad undas,
Et calidos numerent igne trientes.

Talibus itaque Rex exhortationibus ad pugnam suorum accendi animos videns, indicto cunctis silentio, hoc iterum diuini munere flaminis tactus adiecit: *Priscorum facta Regum, sanctorum scripta Patrum nobis quid agere debeamus insinuant. Non enim Deo difficile, paucis plures sternere: si tamen horum qui id agere cupiunt, fides meretur, fides, inquam, non professionis tantum, sed operis, non solummodo oris, sed etiam cordis. Voueamus itaque, ac secundum* Psalmistam *vota reddamus: Ego, inquam, ego prius, qui dignitate videor & ordine primus. Simoniaca hæresis Deo inuisa, & a beatissimo Apostolorum principe* Petro *damnata, quæ ab antecessoribus nostris hactenus est temere custodita, modis omnibus a nostro sit regno expulsa. Connectet inuicem charitas vnitatis, si quos diuisit calliditas dæmonis.*

CAPVT IX

De nuntio qui Hungaros in Meresburgo esse nuntiabat, omnia deuastantes, & de exploratoribus, quos Hungari a captiuis moniti mittebant. Item de pugna commissa cum Hungaris. Et de bono consilio Henrici *Regis & victoria. Et vbi sit ipsa victoria depicta.*

REx nonnulla his similia dicere cœperat, quum volipes nuntius Hungaros in Meresburgo, quod castrum in confinio Saxonum, Thuringorum, & Sclauorum, esse nuntiabat*. Adiecerat etiam, eos non modicam paruulorum ac mulierum habere prædam, virorum vero immensam fecisse stragem. Condixerat enim, a decimo & deinceps anno neminem esse superstitem relicturos, quatenus per hoc terrorem non paruum adhiberet Saxonibus. Rex igitur, vt erat animi constans, talibus non terretur, verum magis magisque, vt pro patria pugnare, ac laudabiliter, si necesse sit, occumbere velint, exhortatur. Vinctos interea Hungari si impugnari debeant, sciscitantur. Quumque ab his non aliter posse fieri testaretur, exploratoribus directis, si hoc verum esse possit, exquiritur. Profecti denique exploratores, *Henricum* Regem immenso cum exercitu iuxta præfatum oppidum Meresburgum contemplantur. Denique vix ad suos poterant repedare, aduentum exercitus nuntiaturi. Neque enim his fuerat alius, verum Rex ipse belli nuntius.

** Gundlingius* l. d. annot. lit. i) p. 223; *Coniungendi sunt* Witechindus *ac* Luitprandus, *vt quod vni deest, suppleat alter: quodque hic obscurius extulit, ille paullo clarius ostendit. Et* Luitprandus *sane* Merseburgum *appellat ciuitatem obsessam, quam* Witichindus *ne nominauit quidem* —— *Itaque haud temere* Ticinensis *sermonem sectabimur.*

Haud mora, bellum incipitur, atque ex Christianorum parte sancta mirabilisque vox Κύριε: ex eorum turpis & diabolica *hui hui* frequenter auditur. Dederat autem Rex *Henricus* suis ante belli inchoationem huiusmodi sapiens ac salubre consilium: *quum ad Martis præludium cœperitis properare, nemo socium velociori, quanquam habeat, attentet equo præire: verum clypeis altrinsecus operti, primos super scuta sagittarum ictus recipite: deinde cursu rapido, impetuque vehementissimo super eos irruite, quatenus non prius vobis sagittarum ictus secundo possint emittere, quoad vestrorum sibi armorum sentiant vulnera peruenisse.* Saxones igitur admonitionis huius saluberrimæ non immemores, ordinata æqualiter acie currunt, nec est, qui velociori transeat equo tardiorem: verum clypeis, vt Rex dixerat, altrinsecus cooperti, sagittarum super clypeos recipiunt ictus innocuos: deinde, vt prudentissimus vir dixerat, super hos cursu præpeti veniunt, adeo vt eorum prius vita cum gemitu fugeret, quam secundo iaculorum fulmina mitterentur. Fitque diuini muneris pietate, vt potius hos fugere, quam præliari iuuet. Velox tunc sonipes gaudet pigro queritante. Phalerarum præterea decor, armorumque honor non Hungaris tutelæ, sed oneri erant. abiectis quippe arcubus, demissis spiculis, phaleris etiam, quo expeditius equi currerent proiectis, fugæ solummodo operam dabant. Verum omnipotens Deus, qui eis pugnandi audaciam abstulerat, fugiendi etiam copiam omnino negabat. Cæsis igitur fugatisque Hungaris, immensa captiuorum turba dissoluitur, atque in lætitiæ cantum vox gemitus permutatur. Hunc vero triumphum tam laude quam memoria dignum, ad Meresburgum Rex in superiori cœnaculo domus per ζωγραφίαν, id est, *picturam*, notari præcepit, adeo vt rem veram potius, quam verisimilem videas.

CAPVT

CAPVT X

De Ludouico *quodam, quem Itali super se regnare inuitabant: & cur* Adelbertus *Marchio hoc fecerit, qui gener erat* Berengarii. *De* Adelberti *ex bono in malum mutatione. De eodem* Ludouico *in verba* Berengarii *iurante, &* Adelberto *eundem instinctu vxoris ad rebellionem solicitante. Qui contra iusiurandum reuersus,* Berengarium *Verona expulit; & Lucam profectus, honorifice ab* Adelberto *illic suscipitur. Cuius conspecta potentia, inuidiæ stimulis agitatur, ob quam rem ab eius fide* Adelbertus *mox discessit.*

DVm hæc aguntur, Italienses pæne omnes *Ludouicum* quendam, Burgundionum genitum prosapia, nuntiis directis inuitant, vt ad se veniat, regnumque Berengario auferat, sibi obtineat. Huius vero tam turpis sceleris autor *Adelbertus* Iporegiæ ciuitatis Marchio erat, cui & idem *Berengarius* filiam suam, nomine *Gisilam*, coniugio copulauerat, ex qua filium genuerat, cui & aui sui vocabulum dederat. Iste est, inquam, iste *Berengarius* ille, cuius immensitate tyrannidis tota nunc luget Italia, cuiusque lenocinio a quibuscunque gentibus premitur, non iuuatur. Sed vt ad rem redeamus, satis nunc dixisse sufficiat. Præterea idem *Adelbertus*, quod bonis omnibus cauendum est, nequaquam sui similis fuit. Nam dum feruente ætate iuuenilem duceret vitam, miræ humanitatis, miræque sanctitatis fuit, adeo sane, vt si ei a venatione redeunti pauper occurreret, aliudque non esset, quod illi præstare posset, cornu protinus, quod collo eius fibulis aureis dependebat, sine dilatione concederet, rursumque ab eodem, quanti æstimabat, acquireret. Tam diræ autem postmodum factus est famæ, vt huiusmodi vera de eo tam a maioribus, quam a pueris cantio diceretur. Et quia sonorius est, Græce illud dicamus, *Adelbertus comis curtis μακροσπαθὴς μικροπιστής*: quo signatur & dicitur, *longo cum vti ense, & minima fide.* Huius itaque aliorumque ac nonnullorum Italiensium hortatu præfatus *Ludouicus* in Italiam venit. Cui mox *Berengarius*, vt audiuit, obuiam venit. Quumque *Ludouicus Berengario* sibi obuiam venienti magnas adesse copias, sibi vero paucas cerneret, iureiurando ei hoc terrore compulsus promisit, vt si sese dimitteret, quibuscunque promissionibus accitus amplius in Italiam non veniret. Fecerat namque sibi *Berengarius* plurimis collatis muneribus *Adelbertum* Tuscorum præpotentissimum Marchionem valde fidelem, atque ideo *Ludouicus* tam facile est expulsus. Modica vero temporis transcursa intercapedine, Rex *Berengarius* nominato *Adelberto* grauis est visus. Cui rei *Berta* coniunx sua, *Hugonis* Regis, qui nostro post tempore in Italia regnauit mater, non modice fomitem ministrauit. Vnde factum est, vt consulto eodem *Adelberto* Marchione, ceteri Italienses Principes propter eundem *Ludouicum*, vt adueniret, transmitterent. Qui cupiditate regnandi, oblitus iurisiurandi, venit concitus in Italiam. Videns itaque *Berengarius*, quod *Ludouicus* tam ab Italiensium, quam a Tuscorum susciperetur Principibus, Veronam profectus est. *Ludouicus* vero cum Italiensibus eum prosequi non desistens, Verona etiam illum expulit, totumque regnum sibi viriliter subiugauit. His ita gestis, bonum visum est *Ludouico*, vt sicut circumcirca viderat Italiam, videret & Tusciam. Exiens denique Papia, proficiscitur Lucam, vbi decenter miroque paratu ab *Adelberto* suscipitur. Quumque *Ludouicus* in domo *Adelberti* tot militum elegantes adesse copias cerneret, tantam etiam dignitatem, totque impensas prospiceret, inuidiæ zelo tactus suis clanculum infit: *Hic Rex potius, quam Marchio poterat appellari. In nullo quippe mihi est inferior, nisi quomodo nomine.* Quæ re-

res *Adelbertum* latere non potuit. Quod *Berta*, vt erat mulier non incallida, audiens, non solum virum suum ab eius fidelitate amouit, verumetiam ceteros Italiæ Principes ei infideles effecit. Vnde factum est, vt dum e Tuscia rediens, Veronam pergeret, degeretque ibidem, nihil hæsitans, nihilque mali suspicans, *Berengarius* dato pretio, custodes ciuitatis curruperit, collectisque viris fortissimis, in ipso noctis conticinio ciuitatem ingressus fuerit.

CAPVT XI

Descriptio Veronensis oppidi, & Athesis fluuii, & pontis super eum. Vbi Ludouicus *corruptis a* Berengario *ciuibus, traditus, & regno & lumine priuatur: Hungaris Italiam laniantibus.*

FLuuius Athesis, sicut Romam Tiberis, mediam ciuitatem Veronam percurrit, super quem ingens marmoreus miri operis, miræque magnitudinis pons est fabricatus: a læua autem parte fluminis, quæ est Aquilonem versus, ciuitas posita est, difficili arduoque colle munita, adeo vt si ea pars ciuitatis, quam memoratus fluuius dexteram alluit, ab hostibus capiatur, ea tamen viriliter possit defendi. In huius vero collis summitate pretiosi operis ecclesia est fabricata, & in honore beatissimi *Petri* Apostolorum principis consecrata, vbi & propter amœnitatem ecclesiæ, locique munitionem *Ludouicus* manebat. *Berengarius* denique, vt præfati sumus, noctu ciuitatem ingressus, clam *Ludouico* suis cum militibus pontem pertransiens, in ipso auroræ crepusculo hunc vsque aduenit. Qui clamore strepituque militum excitatus sciscitatur, quid esset, in ecclesiam fugit, nullusque eum, præter *Berengarii* militum vnum, vbi esset, agnouit. Qui misericordia motus, noluit hunc prodere, sed celare. Timens vero idem, ne ab aliis repertus proderetur, vitaque multaretur, *Berengarium* adiit, eumque ita conuenit: *Quandoquidem tanti Deus te habuit, vt tuum proprias in manus traderet hostem, debes & tu eius monita, imo præcepta magnifecere. Insit enim*: "Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite "iudicare, & non iudicabimini: nolite condemnare, & non condemnabi"mini. "Intellexit itaque *Berengarius*, vt vir non incallidus, hunc, quo ipse lateret, scire locum, eumque hac sophistica responsione decepit: *Putasne me, insulse, quem mihi Dominus tradidit hominem, imo Regem, velle occidere? Nunquid & Dauid sanctus Regem Saulem a Deo sibi in manus traditum seruauit, non quod occidere non potuit, sed quia noluit?* His sermonibus miles inclinatus locum ostendit, in quem confugerat *Ludouicus*. Qui captus, & ante *Berengarii* præsentiam ductus, huiusmodi a *Berengario* sermonibus increpatur: *Quousque tandem abutere*, Ludouice, *patientia nostra? Num infitiari potes, te illo tempore meis præsidiis, mea diligentia circumclusum, commouere etiam contra non potuisse, meque misericordia inclinatum, quæ tibi nulla debebatur, te dimisisse? Sensistine inquam te periurum in istis esse victum? Confirmasti sane mihi, teipsum nunquam Italiam ingressurum.* Vitam tibi, sicut ei, qui te mihi prodidit, promiseram, concedo: oculos vero tibi auferri non solum iubeo, sed compello. His dictis *Ludouicus* lumine priuatur, & *Berengarius* regno potitur. Hungarorum interea rabies, quia per Saxones, Francos, Sueuos, Baioarios nequibant, totam per Italiam nullis resistentibus dilatatur. Verum quia Berengarius firmiter suos milites habere fideles non poterat, amicos sibi Hungaros non mediocriter effecerat. Sed & Saraceni, qui, sicut dixi, Fraxinetum inhabitabant, post labefactionem prouincialium quasdam summas Italiæ partes sibi vicinas non mediocriter laniabant, adeo vt depopulatis pluribus vrbibus, *Aquas* venirent, quæ est ciuitas XL ferme milliariis a Papia distans. Quæ etiam propter thermas miro in tetragonum modo

modo ad lauandum ibi constitutas vocabulum huiuscemodi sortita est. Tantus timor inuaserat vniuersos, vt nullus esset, qui horum præsentiam nisi forte tutissimis præstolaretur in locis.

CAPVT XII

De Maurorum Saracenorum irruptione in Calabriam, Apuliam, Beneuentum, qui Garelianum montem, quem alii Garganum scribunt, pro munitione habebant. Et qua occasione ab Africa exierint Domino id permittente.

EOdem tempore Saraceni ab Africa ratibus exeuntes, Calabriam, Apuliam, Beneuentum, Romanorum etiam ciuitates ita occupauerunt, vt vnamquamque ciuitatem mediam Romani obtinerent, mediam Africani. In monte quippe † Gareliano munitionem constituerant, in quo vxores, captiuos paruulos, omnemque supellectilem satis tuto seruabant. Nemo etiam ab occasu, siue ab arcturo, orationis gratia ad beatissimorum limina Apostolorum transire poterat, qui ab his aut non caperetur, aut immodico pretio dato dimitteretur. Quamuis enim misera Italia multis Hungarorum & ex Fraxineto Saracenorum cladibus premeretur: nullis tamen furiis aut pestibus sicut ab Africanis agitabatur. Fertur autem eos hac occasione ab Africa exiuisse, atque Italiam adiisse. *Leone* atque *Alexandro* Imperatoribus Augustis hominem exeuntibus, *Romanus* (vt latius sumus dicturi) cum *Constantino*, qui nunc vsque superest, *Leonis* Imperatoris filio, Constantinopolitanum regebat imperium. Et sicut fieri assolet, primo, quo *Romanus* suscepit imperium, anno, nonnullæ ei gentes, præsertim ἀνατολικαί, hoc est, orientales, visæ sunt rebellare. Factum est autem, dum Imperator exercitum ad expugnandas eas transmitteret, Apuliam & Calabriam binas regiones, quæ ei tunc temporis seruiebant, huic rebellasse. Quumque Imperator, maximis orientem versus copiis directis, exercitus huc multitudinem destinare non posset, rogauit primo, vt ad sui fidelitatem pristinam sponte redirent. Qui quum renuerent, atque hoc se facturos minime dicerent, ad Africanum mox Imperator dirigit Regem, eum pretio rogans, vt se adiuuet, virtutisque eius auxilio Apuliam sibi atque Calabriam subdat. Hac ex legatione Rex Africanus accitus, innumerabiles ratibus copias in Calabriam Apuliamque direxit, binasque has regiones Imperatoris dominatui potentissime subdidit. Sed dum processu temporis has regiones dimitterent, Romam versus aciem gyrauerunt, montemque Garelianum maxima pro tuitione sibi vendicauerunt, multasque munitissimas ciuitates debellantes vi ceperunt. Dominus vero noster Iesus Christus, coæternus & consubstantialis Patri sanctoque Spiritui, cuius misericordiæ plena est terra; qui neminem vult perire, sed omnes saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ne pereant; qui solus Deus ante mundi constitutionem præuidit, atque post omnem creaturam quasi dominum, cæteris vtentem ac dominantem, creauit hominem, quemque in fine temporis per sui sanguinis effusionem verus homo, verusque Deus, non duo, sed vnus, redemit, ad amorem sui, propriæque patriæ dilectionem quosdam beneficiis inuitat, terroribus alios compellit, non quo sibi, qui nec augmentum bonitate nostra, vt Propheta testatur dicens, *Quoniam bonorum meorum non eges*, nec detrimentum malitia sumere possit, sed vt nobis prosit. Placuit itaque ei, quia beneficiis noluimus, huiusmodi nos ad tempus castigare terroribus. Sed ne Saraceni nobis diutius insultarent & dicerent, *Vbi est Deus eorum?* conuertit Deus corda Christicolarum, adeo vt amplior eis pugnandi, quam fugiendi prius esset cupido.

CAPVT XIII

De Ioanne *Rauennate, qui per nefas summum pontificatum inuaserat, per* Theodoram *videlicet meretriculam. Item de quodam iuuene Africano, qui ad Papam venit, eique consuluit, quomodo cum Africanis feliciter pugnare posset: quod eodem duce factum est.*

QVo tempore venerandæ Romanæ sedis *Ioannes* Rauennas summum pontificatum tenebat. Hic autem tam nefando scelere contra ius fasque pontificii culmen obtinuit. *Theodora* scortum impudens, huius *Alberici*, qui nuper hominem exuit, auia (quod dictu etiam fœdissimum est) Romanæ ciuitatis non inuiriliter monarchiam obtinebat. Quæ diras habuit natas, *Maroziam* atque *Theodoram*, sibi non solum coæquales, verumetiam Veneris exortiuo promptiores. Harum vna *Marozia* ex Papa *Sergio*, cuius supra fecimus mentionem, *Ioannem*, qui post *Ioannis* Rauennatis obitum sanctæ Romanæ ecclesiæ obtinuit dignitatem, nefario genuit adulterio: ex *Alberto* autem Marchione *Albericum*, qui nostro post tempore Romanæ vrbis principatum vsurpauit. Per idem tempus Rauennatis sedis, qui secundus post Romanum Archieteum Archipræsulatus habebatur, *Petrus* pontificatum tenebat. Qui dum subiectionis officio debitæ nominatum *Ioannem* Papam, qui suæ minister ecclesiæ tunc temporis habebatur, Romam sæpius & iterum Domino dirigeret Papæ, *Theodora*, vt testatur vita eius, meretrix impudentissima, Veneris calore succensa, in huius speciei decorem vehementer exarsit, secumque hunc scortari non solum voluit, verumetiam atque etiam post compulit. Hæc dum impudenter aguntur, Bononiensis Episcopus moritur: & *Ioannes* iste loco eius eligitur. Paulo post ante huius diem consecrationis nominatus Rauennas Archiepiscopus mortem obiit, locumque eius *Ioannes*, *Theodoræ* instinctu, priore Bononiensi ecclesia deserta, ambitionis spiritu inflatus contra sanctorum Patrum instituta sibi vsurpauit. Romam quippe adueniens, mox Rauennatis ecclesiæ ordinatur Episcopus. Modica vero temporis intercapedine, Deo vocante, qui eum iniuste ordinauerat, Papa defunctus est. *Theodoræ* autem Glycerii mens peruersa, ne amasii ducentorum miliariorum interpositione, quibus Rauenna sequestratur a Roma, rarissimo concubitu potiretur, Rauennatis hunc sedis Archiepiscopatum coegit deserere, Romanumque (proh nefas) summum pontificium vsurpare. Hoc igitur sanctorum Apostolorum vicario constituto, Pœni, vt præfatus sum, Beneuentum Romanasque vrbes misere laniabant. Accidit itaque Pœnorum quendam iuuenem, iniuriis lacessitum, Pœnos deserere, & ad *Ioannem* Papam aduenire, tactumque diuino spiramine Papam ita conuenisse: *Sacerdos magne, si saperes, populum terramque tibi subiectam a Pœnis tam grauiter laniari non sineres. Elige igitur iuuenes, nimia quasi mobilitate volipedes, qui me imperatorem, præceptorem, dominum æquanimiter audiant. Horum neminem præter singulas parmas, singulaque pila, ensesque singulos & simplices vestes cum exiguitate obsonii habere permittito.* Sexaginta denique huiusmodi iuuentis, sibique traditis, aduersum Pœnos properat, latuitque secus angustas, qua Pœnorum iter erat, vias. Quumque circumcirca sæpius & iterum Pœni depopulantes redirent, clamore cum maximo ex improuiso atque insperato ex insidiis prosilientes, eos faciliter trucidabant. Clamor ex ore, ictusque simul a manu processerant. Neque enim Pœni, qui quidve esset, prius scire poterant, quam istorum spicula horum corporibus inhærebant. Hac denique fama, hocque exercitio nonnulli Romanorum acciti, plurimis in locis Pœnos prostrauerant, callidoque hoc Africani consilio attriti, ciuitates penitus rupto inter se fœdere deserebant, solumque Garelianum montem sibi pro munitione deligebant.

f. duas

CAPVT

CAPVT XIV

De consilio Landulfi *Beneuentanorum Principis* Ioanni *Papæ dato, vt Imperatorem in auxilium aduocaret: cuius auxiliis fretus, feliciter cum Saracenis pugnatum est, diuis* Petro *&* Paulo *opitulari visis.*

IOanne itaque, vt præfatus sum, Papa constituto, *Landolfus*, vir quidam strenuus, bellorum exercitio doctus, Beneuentanorum & Capuanorum omnium Princeps clarebat. Pœnis igitur statum reipublicæ labefactantibus, *Landolfum* hunc Principem egregium, quid super re huiuscemodi faciendum esset, quam Africani agunt, *Ioannes* consulit Papa. Quod Princeps vt audiuit, Papam per internuntios ita conuenit: *Res hæc* Pater, *palam magnis est inuestiganda consiliis: mittito itaque ad Græcorum Imperatorem cuius & ipsi quæ cis mare est terram, sicut & nostram, depopulari non cessant. Camerinos etiam atque Spoletinos nostrum ad auxilium inuitato, ineamusque protectore Deo cum his bellum. Si vincimus, non multitudini, sed Deo imputetur victoria: si vero vicerint Pœni, peccatis nostris, & non inertiæ deputetur.* His auditis Papa confestim nuntios Constantinopolim dirigit, suppliciter Imperatoris auxilia sibi dari deposcens. Imperator vero, vt vir sanctissimus, Deumque timens, copias absque mora classibus aduehendas direxit. Quumque per Garelianum flumen conscenderent, affuit & Papa *Ioannes* cum *Landolfo* pariter Beneuentanorum Principe potentissimo, Camerinis etiam atque Spoletinis. Horrida denique inter eos pugna exoritur. Verum dum Christianorum partem Pœni præualere conspicerent, in Gareliani montis summitatem confugiunt, angustasque tantum vias defendere moliuntur. Ex parte vero illa, qua difficilior erat ascensus, Pœnisque ad fugiendum aptior, Græci castrum die illa constituunt, in quo residentes Pœnos, ne fugerent, obseruabant, quotidieque oppugnantes non mediocriter trucidabant. Græcis igitur Latinisque quotidie confligantibus, Deo miserante, Pœnorum ne vnus quidem superfuit, qui non aut gladio trucidaretur, aut viuus continuo caperetur. Visi sunt autem a religiosis fidelibus in eodem bello sanctissimi Apostoli Petrus & Paulus, quorum precibus Christianos credimus meruisse, quatenus Pœni fugerent, & ipsi victoriam obtinerent.

CAPVT XV

De Adelberti *Tusciæ Marchionis obitu, & filii eius* Widonis *præfectura, & matris eius a* Berengario *captione: & quot suspicati sint* Bertham *peperisse liberos* Adelberto. *De rebellione Mediolanensium, & causa eius. De Comite palatii capto, &* Lanthberto *non opportune commendato, quem* Berengarius *frustra requisiuit.*

HOc in tempore *Adelbertus* Tuscorum potens Marchio moritur: filiusque eius *Wido* a *Berengario* Rege Marchio patris loco constituitur. *Bertha* autem eius vxor cum *Widone* filio post mariti obitum minoris non facta est, quam vir suus, potentiæ. Quæ tum calliditate & muneribus, tum hymenæi exercitio dulcis, nonnullos sibi fideles effecerat. Vnde contigit, vt dum paulo post a *Berengario* simul cum filio caperetur, & Mantuæ in custodia teneretur, suas ciuitates & castella omnia *Berengario* minime reddiderit, sed firmiter tenuerit, eamque postmodum de custodia simul cum filio liberarit. Hæc, vt rumor est, tres ex viro suo genuerat liberos: *Widonem*, quem prædiximus, atque *Lanthbertum*, qui nunc vsque lumine priuatus superest; *Ermengardam* etiam

etiam natam suam sibi Aphroditi dulcedine coæqualem, quam *Adelberto* Iporegiæ ciuitatis Marchioni, *Gisila Berengarii* Regis filia, *Berengarii* scilicet Regis huius matre defuncta, hymenæi consortio copulauerat: quæ ei filium genuerat nomine *Anscarium*, qui quantæ virtutis, quantæque audaciæ fuerit, liber subsequens declarabit. His temporibus idem *Adelbertus*, gener regius, Iporegiæ ciuitatis Marchio, atque *Odelricus* palatii Comes, qui ex Sueuorum sanguine duxerat originem, necnon & *Gilebertus* prædiues Comes, & strenuus, *Lanthbertus*, etiam Mediolanensis Archiepiscopus, nonnullique alii Principes Italiæ *Berengario* rebelles extiterant. Causa autem rebellionis huius hæc fuit. Dum *Lanthbertus* defuncto antecessore suo Mediolanensis Archiepiscopus ordinari debuisset, non paruam ab eo Rex *Berengarius* contra sanctorum instituta Patrum accepit pecuniam, quantam cubicularii, quantam ostiarii, quantam pauonarii, ipsi etiam altilium custodes accipere deberent. *Lanthbertus* igitur Archipræsulatus amore vehementer animatus, quæcunque Rex posceret, quanto cum dolore tribueret, ex hoc intelligere poteris, quod subsequens lectio declarabit. *Odelricum* palatii Comitem, quem prædiximus, vinctum tunc *Berengarius* tenebat. Cumque *Lanthbertum* Archiepiscopum constitueret, *Odelricum* ei, donec quid de eo ageret deliberaret, commendauit. Is autem pecuniæ multæ, quam pro Episcopatu erogarat, non immemor, hoc cum pacto cœpit de eius infidelitate discutere. Paucis denique interpositis diebus, Rex *Berengarius* nuntiis directis, *Odelricum* ad se venire præcepit. Quos ironica hac responsione conuenisse non dubium est: *Sacerdotis officio penitus carere debeo, si iugulandum quempiam in manus alicuius tradidero.* Intellexerunt itaque nuntii hunc publice rebellasse, quem a Rege sibi traditum absque eius licentia nouerant dimisisse. Qui regressi protinus ad Regem, *Terentianum* illud pro responsione dederunt: *Huic commendes, si quid recte curatum velis.*

CAPVT XVI

De Rodulfo *Burgundione ad regnum ab Italis accito, & qualiter Hungari* Odelricum Berengarii *aduersarium occiderint, &* Adelbertum *ac* Gilebertum *ceperint: sed* Adelbertus *astu quodam pro gregario milite redemptus, elapsus sit.*

QVo tempore *Rodolfus* Rex superbissimus Burgundionibus imperabat. Cui in augmentum potentiæ hoc accessit, vt potentissimi Sueuorum Ducis *Burchardi* filiam, nomine *Bertham*, sibi coniugio copularet. Igitur Italienses nuntiis directis hunc ad se venire, *Berengarium* vero expellere petunt. Inter agendum autem contigit, Hungaros Veronam his ignorantibus aduenisse, quorum duo Reges *Dursac* & *Bugat* amicissimi *Berengario* fuerant. *Adelbertus* denique Marchio atque *Odelricus* Comes palatii, †*Gilebertus* etiam Comes, pluresque alii, dum in montem Brixianæ ciuitatis, quæ quinquaginta miliariis a Verona distat, conuenticula ob *Berengarii* deiectionem haberent, rogauit *Berengarius* Hungaros, vt si se amarent, super inimicos suos irruerent. Hi vero, vt erant necis auidi, bellandi cupidi, a *Berengario* mox præduce accepto, per ignotas vias a tergo hos vsque aduenìunt, tantaque illos celeritate confodiunt, vt nec induendi sumendive arma spatium haberent. Captis igitur cæsisque multis *Odelricus* palatii Comes, qui se viriliter defenderat, occiditur. *Adelbertus* autem Marchio & *Gilebertus* viui capiuntur. Verum *Adelbertus*, vt erat vir non bellicosus, sed sagacitatis miræ nimiæque calliditatis, dum irruere Hungaros vndique cerneret, essetque illi omnis spes fugiendi ablata, baltheum, armil-

† al. *Gisilbertus*

armillasque aureas, omnemque pretiosum apparatum proiecit, vilibusque se militis induit vestimentis, ne ab Hungaris quis esset dignosceretur. Captus igitur sciscitatusque, quis esset, militis cuiusdam militem se esse respondit. Rogauitque se ad vicinum castellum duci, vocabulo Calcinaria, in quo parentes, qui eum redimerent, se habere asserebat. Ductus igitur, quia non agnitus, vilissimo pretio comparatur. Emit autem illum suus ipsius miles, nomine *Leo*.

CAPVT XVII

De Giliberto *humaniter a Rege* Berengario *dimisso, sed perfide ad* Rodulfum *profecto: quem in* Berengarium *sic reduxit, vt eum præter Veronam regno spoliauerit: deque pugna in* Berengarium *&* Rodulfum.

G*Ilebertus* autem, quia agnitus flagellatur, vinctus seminudusque ante *Berengarii* Regis præsentiam ducitur. Enimuero dum ante eum sine femoralibus curta indutus † endromade ductus Regis ad pedes concitus caderet, genitalium ostensione membrorum ad risum omnes commouit. Rex autem, vt erat pietatis amator, misericordia, quæ ei nulla debebatur, inclinatus ei, non vt populus optauit, malum pro malo reddidit: verum confestim lotum, optimisque vestibus indutum, abire permisit. Cui & ait: *Iusiurandum a te nullum exigo, fidei tuæ teipsum committo. Si male contra me egeris, rationem te scias Deo redditurum.* Hunc denique ad propria redeuntem, Regis gener *Adelbertus*, ceterique, qui cum illo rebelles extiterant, accepti immemorem beneficii ad *Rodulfum*, vt adueniat, dirigunt. Profectus itaque eodem *Gilibertus*, ante triginta dies in Italiam eum aduentare coëgit. Qui susceptus ab omnibus, nil *Berengario* ex omni regno præter Veronam dimisit, totumque tenuit per triennium viriliter regnum. Quum duodecim sibimetipsi horis hoc placeat, displiceat hoc, modo diligat illud, mox aspernetur, qui fieri potest, vt omnibus semper æquanimiter placeat? Igitur intra triennium iste Rex *Rodulfus* quibusdam bonus, aliis grauis est visus. Vnde factum est, vt totius regni media pars populi *Rodulfum*, media *Berengarium* vellet. Parant itaque ciuile bellum non modicum: & quoniam Placentinæ ciuitatis Episcopus *Wido Berengarii* partibus fauebat, duodecim longe a Placentia miliariis iuxta Florentiolam bellum parant.

† Ital. sopravveste (margin note, partly illegible)

Tum perquam horrida pugna oritur ciuilis & atra,
Heu quater ante Calendas Sextilis: tamen ipse
Dum parat horrendos radios emittere Phœbus,
Buccina Martis adest: gnato pater ipse perennem
Infert interitum, perimitque patrem genitura.
Proh dolor, acer auus lethum parat ecce nepoti,
Sternendus per eum, furiis pulsatus ab atris:
Fratrem qui fodit, fratrem fodit eminus alter.
Berengarius *ipse ruit medios Rex percitus hostes,*
Et properat. Fertur ceu cælo fulgur ab alto,
Dum coquit arentes cancri graue sidus aristas:
Non aliter dirus miserum Rex ipse Rodulfus
Deiicit innocuum stricto mucrone popellum.

CAPVT XVIII

De victoria, quam Rodulfus *per* Bonifacium *cognatum suum obtinuit, &* Rodulfi *in Italia regno. Et de* Flamberto *Veronensi, qui* Berengarium *occidere tentauerat.*

DEderat Rex *Rodulfus Waldradam* sororem suam tam forma quam sapientia, quæ nunc vsque superest, honestam matronam, coniugem *Bonifacio* Comiti potentissimo, qui nostro tempore Camerinorum ac Spoletinorum extitit Marchio. Hic collecta multitudine, cum *Gariardo* Comite *Rodulfo* Regi in auxilium veniebat, atque vt erat vir tam callidus, quam audax, maluit potius in insidiis positus cum suis rei exitum expectare, quam primum belli impetum sustinere. Iam *Rodulfi* pæne omnes milites fugerant, & *Berengarii* dato victoriæ signo colligere spolia satagebant: quum *Bonifacius* atque *Gariardus* subito ex insidiis properantes, hos tanto leuius, quanto inopinatius sauciabant. Pepercerat *Gariardus* nonnullis, hasta eos & non ferro percutiens, Bonifacius nulli parcens immensam fecerat stragem. Signum itaque victoriæ Bonifacius ceperat, conueniuntque, qui ex *Rodulfi* parte confugerant, persequentesque Berengaricos fugam illos inire cogebant. *Berengarius* vero in incognitum a Domino Veronæ perrexit asylum. Tanta quippe tunc interfectorum strages facta est, vt militum vsque hodie permagna raritas habeatur. His ita peractis, regnum sibi Rex *Rodulfus* potentissime subiugauit, Papiamque concite veniens, congregatisque omnibus, *Quoniam*, inquit, *superni muneris largitate mihi contigit deuictis hostibus regni solium adipisci: nunc cordi est, meum vestræ regnum fidei commendare, Burgundiamque patriam veterem visere.* Cui mox Italienses, *Si bonum tibi*, inquiunt, *videtur, præsto sumus.* Igitur post *Rodulfi* Regis abscessum, malo Veronenses accepto consilio, vitæ *Berengarii* insidiari moliuntur: quod *Berengarium* non latuit. Autor autem ac repertor tam sæui facinoris *Flambertus* quidam erat, quem sibi, quoniam ex sacrosancto fonte filium eius susceperat, compatrem Rex effecerat. Pridie vero, quam pateretur, eundem ad se *Flambertum* venire præcepit.

CAPVT XIX

De prudenti Berengarii *Regis ad* Flambertum *sermone, & poculo aureo, quo eum, vt placaret, donauit.*

CVi & ait: *Si mihi tecum hactenus non & multæ & iustæ causæ amoris essent, & quoquo modo, quæ dicuntur, credi possent, insidiari te vitæ meæ aiunt: sed non ego credulus illis. Meminisse autem te volo, quantæcunque tibi accessiones & fortunæ & dignitatis fuerunt, eas te non potuisse nisi meis beneficiis consequi. Vnde & hoc animo in nos esse debes, vt dignitas mea in amore atque fidelitate tua conquiescat. Neque vero cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse vnquam puto, quantæ mihi fuit honos tuus. In quo mea omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem omnem fixi. Vnum hoc sic habeto: Si a te mihi seruatam fidem intellexero, non mihi tam mea salus chara, quam pietas in referenda gratia iocunda.* His expletis, aureum non parui ponderis poculum Rex ei porrexit, atque subiunxit: *Amoris salutisque meæ causa quod continetur, bibito; quod continet, habeto.* Vere autem & absque ambiguitate post potum introiuit in illum Sathanas. Beneficii quippe præsentis & præteriti immemor, insomnem illam in Regis necem populos instigando pertulit

pertulit noctem. Rex autem nocte illa quemadmodum & solitus erat, iuxta ecclesiam non in domo, quæ defendi potest, sed in tuguriolo quodam manebat amœnissimo. Sed & custodes nocte eadem non posuerat, nihil suspicans mali.

CAPVT XX

De Berengarii *cade, perfidia* Flamberti *peracta, & sanguine eius adhuc in lapide apparente. Et de* Milone *milite, qui* Berengarii *cadem vltus est.*

SE primum quatiens strepit
Gallus, quum vigiles facit
Mortales, solito sonat
Et pulsata Deo canit
Iam tunc ænea machina:
Inuitatque docens bene
Lethæum graue spernere,
Laudes huic modo reddere,
Qui vitam tribuit, dedit,
Et nobis superam bene
Sanctam quærere patriam.
Hic Rex ecclesiam petit,
Ac laudes Domino canit.
Flambertus *properans volat,*
Quo cum multa simul manus:
Vt Regem perimat bonum.
Rex eorum vigil inscius
Audit dum strepitum, nihil
Formidans, properat citus,
Hoc quid visere sit, videt
Armatas militum manus.
Flambertum *vocat eminus.*
Quid turbæ est, *ait*: En bone
Vir, quid nunc, quid populus cupit
Armatas referens manus?
Respondit, Vereare nil.
Te non vt perimat ruit,
Sed pugnare libens cupit
Hac cum parte, tuum petit
Mox quæ tollere spiritum.
Deceptus properat fide
Rex hac, in medios simul
Tunc captus male ducitur:
A tergo hunc ferit impius.
Romphæa. Cadit heu pius,
Felicemque suum Deo
Commendat pie spiritum.

Denique quam innocentem sanguinem fuderit, quamque peruerse peruersi egerint, nobis reticentibus lapis ante cuiusdam ecclesiæ ianuam positus sanguinem eius cunctis transeuntibus ostendens insinuat. Nullo quippe delibutus aspersusque liquore discedit. Nutrierat sibi Rex *Berengarius* familiariter lauteque iuuenem, imo heroem quendam, *Milonem* nomine, memoria satis ac laude dignum. Cuius si Rex fretus consiliis esset, fortunas sibi omnes non tantum aduersarii sentiuisset, nisi quia forte & hoc diuinæ prouidentiæ consilium fuit, vt aliter fieri non posset. Is sane nocte eadem, qua Rex *Berengarius* deceptus est, adhibitis sibi copiis, nocturnas ei vigiliarum custodias voluit exhibere. Rex vero promissionibus *Flamberti* deceptus, *Milonem* se non solum custodire non siuit, verum etiam atque etiam vehementer prohibuit. *Milo* autem sicut vir fidelis & rectus, ac beneficii sibi a Rege collati non immemor, quem defendere quia defuit, non potuit, cito acriter vindicare curauit. Tertia quippe post Regis necem die, *Flambertum*, eique in tam nefario scelere conniuentes, vi captos, suspendio vitam finire præcepit. Fuerunt sane in hoc viro nonnullæ perfectæque virtutes, quæ Deo propitio suis in locis vita comite silentio non tegentur.

LIVTHPRANDI,
TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,
HISTORIARVM LIBER III,
QVI *ANTIDOSIS* INSCRIBITVR.

OPERIS huius titulum, *Pater sanctifice*, satis te mirari non ambigo. Ais forte, *Quum virorum illustrium actus exhibeantur*, *cur* Antidosis *ei inseritur titulus*? Ad quod respondeo: Intentio huius operis ad hoc respicit, vt *Berengarii* huius qui nunc in Italia non regnat, sed tyrannizat, atque vxoris eius *Willæ*, quæ ob immensitatem tyrannidis secunda *Iezabel*, & ob rapinarum insatietatem *Lamia* proprio appellatur vocabulo, actus designet, ostendat, & clamitet. Tanta enim mendaciorum iacula, tanta rapinarum dispendia, tanta impietatis molimina in me & domum meam, cognationem & familiam gratis exercuere, quanta nec lingua proferre, nec calamus præualet scribere. Sit igitur eis præsens pagina *Antidosis*, hoc est *retributio*, dum pro calamitatibus meis τὴν ἀσέβειαν eorum, id est, impietatem, præsentibus futurisque mortalibus denudauero. Nec minus etiam sanctissimis & fortunatis viris pro collatis in me beneficiis *Antidosis* erit. Ex memoratis sane aut memorandis nullus inuenitur aut rarus, hoc vno *Berengario* scilicet impio excepto, quorum non beneficiis genitores aut genitus vehementer gratulemur. Denique quod in captiuitate seu peregrinatione libellus hic conscriptus dicatur, præsens indicat exulatus. Cœptus quippe in *Franconouord*, qui est XX miliariis locus a *Moguntia* distans, in *Paxu*, insula nongentis & eo amplius a Constantinopoli miliariis, vsque hodie exaratur. Sed redeamus ad rem.

CAPVT I

Quomodo defuncto Berengario, *&* Rodulfo *ab Italia discedente, Hungari Italiam dilaniauerint: & de Papiæ conflagratione, quæ metro describitur, & quomodo, Deo miserante, capta & deleta non sit.*

REge *Berengario* defuncto, atque *Rodulfo* absente, Hungarorum rabies *Salardo* duce totam per Italiam dilatatur, adeo vt muros Papiensis ciuitatis vallo circundaret, ac defixis per gyrum tentoriis, exeundi aditum ciuibus prohiberet. Qui quum his viribus resistere non possent peccatis promerentibus, nec munere mulcent,

Clarus ab infuso discedens sidere Phœbus
Zodiaci primum solito conscendere sidus
Incipit, & gelidas dissoluere colle pruinas,
Æolus atque suos bis binos mittere flatus,
Hungrorum furibunda manus quum gaudet in vrbem
Flatibus Æoliis adiuta infundere flammas.
Spiritibus validis paruus diffunditur ignis:
Nec iuuat Hungarios solis hos vrere flammis,
Vndique conueniunt, mortemque inferre minantur:
Confodiunt telis, calidus quos terruit ignis.
Vritur infelix olim formosa Papia:
Vulcanusque suos attollens flatibus artus
Templa Dei patriamque simul conscendit in omnem.

Extin-

Extinguunt matres, pueri, innuptæque puellæ.
Sancta cateruatim moritur catechumena plebs, tunc
Præsul in vrbe sua hac moritur, sanctusque sacerdos,
Nomine qui proprio bonus est, dictusque Ioannes.
Quod fuerat longo thecis in tempore clausum,
En iacet, hoc aliena manus ne tangeret aurum,
Atque per immensas dissoluitur igne cloacas.
Vritur infelix olim formosa Papia,
Cerneres argenti riuos, paterasque micantes,
Corpora maiorum passim combusta virorum.
Iaspidis hic precium viridis, rutilique topazi,
Spernitur & sapphirus, onyx, pulcherque beryllus.
Institor heu faciem nullus deflectit ad aurum.
Vritur infelix olim formosa Papia.
Lucidus immensas seruat, nec fonte carinas
Ticinus, sentina simul diffunditur igne.

Vsta est infelix olim formosa Papia anno dominicæ incarnationis DCCCCXXIIII, IIII Idus Martii, indictione XII, feria VI, hora III. Quorum memoriam, qui ibidem combusti sunt, vos & quicunque legeritis, faciatis vehementer exoro. Verum piissimi omnipotentisque Dei ira, cuius Propheta misericordiam & iudicium concinit, cuiusque misericordia plena est terra, vsque ad consummationem non deſæuit. Nam etsi peccatis promerentibus est exusta, non tamen inimicorum manibus tradita. Impleturque quod Rex & Propheta canit; *Nunquid in æternum proiiciet Deus? aut non apponet, vbi complacitior sit adhuc? aut in finem misericordiam suam abscindet, a generatione in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut continebit in ira sua misericordias suas?* Itemque & alius Propheta dicit: *Cum iratus fueris, misericordiæ reminiscaris.* Reliquiæ igitur, quæ superenant, Hungaris non inuiriliter resistebant, adeo vt lætabundi canerent cum Propheta: *Hæc est mutatio dexteræ Excelsi.*

CAPVT II

Quod Papia beati Syri *eiusdem patroni meritis sit liberata. Et quod idem beatus* Syrus *Papiam veniens, in spiritu prophetico eius affluentiam, & Aquileiæ casum denuntiarit. Et cur* Ermegarda *post* Adelberti *mariti sui obitum tam potens extiterit.*

Accessit ad hoc, magnumque iuuamen præbuit sanctissimi patris nostri doctorisque egregii beati *Syri*, cuius in præfata vrbe requiescunt exuuiæ, intercessio gloriosa. Ac ne eius vaticinium falleretur, prædicta vrbs Papia, vt caderet, est impulsa. Verum misericorditer a Domino est liberata. Missus siquidem prædicationis gratia a beato *Hermagora* Euangelistæ *Marci* discipulo Papiam, beatissimus pater huiusmodi eam prophetiæ spiritus præsagio honorauit: *Delectare gaudiis, vrbs* Papia, *quia veniet tibi ab æternis montibus exultatio. Non vocaberis minima, sed copiosa in ciuitatibus.* Et vt hoc eius vaticinium firmius crederetur, Aquileiæ non ignotæ ciuitatis casum hac eadem hora sermone huiusmodi nuntiauit: *Væ tibi,* Aquileia, *quia quum inter impiorum incesseris manus, destrueris, nec vltra reædificata consurges.* Quod ita esse completum visibus patens ratio manifestat. Aquileia namque prædiues, atque olim ciuitas immensa, ab impiissimo Hunnorum Rege *Attila* capitur, atque funditus dissipatur, nec vlterius, vt in præsentiarum cernitur, eleuatur. Papia vero, vt vir sanctissimus dixerat, copiosa & appellatur & cernitur: non solum quippe vicinas, sed & longe positas præcellit opibus ciuitates. Quid alias memo-

memorem, quum ipsa insignis, & toto orbe notissima Roma hac inferior esset, si pretiosa beatissimorum Apostolorum corpora non haberet? Patet igitur, quod hanc intercessio beatissimi patroni nostri Syri eripuit, qui eam tam veridico ac pretioso præsagio honorauit. Exusta deniquePapia,factaque per Italiam non modica præda, Hungari ad propria reuertuntur. Hoc eodem tempore defuncto *Adelberto* Eporegiæ ciuitatis Marchione, vxor eius *Ermegarda*, *Adelberti* præpotentis Tusciæ Marchionis & *Bertæ* filia, totius Italiæ principatum obtinebat. Causa autem potentiæ eius hæc erat, quoniam, quod dictu etiam fœdissimum est, carnale cum omnibus non solum Principibus, verum etiam cum ignobilibus commercium exercebat.

CAPVT III

Quod Regi Rodulfo, a Burgundia regresso, Ermegarda paulo post rebellis extiterit, ita vt cum Italiensibus Papiam tenuerit. Et quomodo Rodulfus illuc tetenderit. Et quomodo astu Ermegarda Rodulfus suos deserens, ad eam noctu vt transfuga venerit, & quomodo mane a suis quæsitus sit: & re cognita, Mediolanum milites eius fugerint. Item quomodo Italienses Hugonem accesserint.

PEr idem tempus Rex *Rodulfus* e Burgundia rediens in Italiam venit: defunctoque Berengario, regnum potenter obtinuit. Post autem aliquot dies Italienses omnes cœperunt inter se dissidere. Zelo quippe non modico propter *Ermegardæ* pulchritudinem iuxta carnis huius putredinem trahebantur, eo quod ea stuprum aliis præbebat, aliis denegabat. Vnde factum est, vt prædiues Mediolanensis Episcopus, nonnullique alii Regis *Rodulfi* partibus fauerent. Cum *Ermegarda* vero tot simul rebelles aderant, quot ipsam etiam regni caput Papiam non inuiriliter defenderent. Factum est autem, vt Rex *Rodulfus* collectis copiis Papiam contenderet, castra metatus quinto miliario ab vrbe, eo in loco, quo Ticinus simul & magnus ille Padus conueniunt: in cuius laudibus *Maro* sic canit,

> *Fluuiorum rex Eridanus.* Idem:
> *Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.*

Ermegarda, vt non incallida, *Rodulfo* Regi huiusmodi noctu per memorati alueum fluuii mandata transmisit: *Si te perdere vellem, iam longo tempore extinctus esses. Tui quippe omnes te deserere, meque ardenter adire, si meum modo adsit velle, contendunt. In his enim es locis, in quibus captus vinctusque esses, si eorum iamdudum consiliis paruissem.* Talibus Rex legationibus non solum credulus, verumetiam territus, nuntiis remissis, se acturum quicquid ea consuleret, remandauit. Nec mora, sequenti nocte *Rodulfus* clam custodibus dimissis omnibus, dimisso tentorio, lecto etiam bene composito, lintrem ingressus suos deseruit, atque ad *Ermegardam* quantocius properauit. Igitur mane facto, magno silentio Regis milites tentorium circuibant: venientibus vero Principibus, non parua inter eos admiratio erat, quur præter solitum Rex hora huiusmodi dormitaret. Quumque strepitu, vt spadones quondam Holofernem, euigilare niterentur, nullum, quemadmodum ipse, dabat responsum. Introeuntibus autem tentorium, nihilque reperientibus, raptum hunc alii, interfectum alii clamitabant. Nemo tamen, quod transfuga fieret, animaduertere poterat. Verum dum hac admiratione fluctuarent, nuntius venit, qui diceret Rodulfum Regem super eos cum aduersariis eorum velle irruere. Qui mox animo consternati, tam celeri fuga cœperunt discedere, vt non hos currere, sed si videres, diceres transuolare. Quumque Mediolanum, tutum

tutum scilicet ad locum, peruenissent, consensu omnium *Lanthbertus* Archiepiscopus *Hugoni* potentissimo & sapientissimo prouincialium Comiti mandat, regnum vt *Rudolfo* auferat, sibique potenter obtineat. Erat enim longo ex tempore multis argumentis & ipse periclitans, si forte regnum posset obtinere Italicum. Hic enim *Berengarii* iam nominati Regis tempore cum multis in Italiam venerat. Sed quia regnandi tempus nondum ei aduenerat, a *Berengario* territus est atque fugatus.

CAPVT IV

Quomodo Rodulfus *in Burgundiam reuersus*, Burchardum *socerum suum ad auxilium adduxerit. Et qua ratione idem* Burchardus *sit Mediolanum profectus, & ibidem honorifice susceptus, & de eius morte tractatum. Qui Mediolano rediens, Nouariam venit: vbi & ab Italiensibus cum omnibus suis occisus est. Et* Rodulfus *Burgundiam repetiit.* Hugo *vero Comes prouinciæ Pisas appulsus est, vnde Papiam venit, & Rex Langobardorum fit.* Wido *autem,* Berthæ *filius, Tusciæ præficitur.*

R*Odulfus* denique quum infidelitate suorum prænominatos aduersarios superare non posset, in Burgundiam profectus, *Burchardo* Sueuorum Duci, cuius sibi filiam coniugio copulauerat, denuntiat, vt sibi in auxilium veniat. Qui collectis copiis, cum Rodulfo confestim conuenit in Italiam. Quumque peruenissent Eporegiam, *Rodulfum Burchardus* ita conuenit: *Ipse ego vt legationis obtentu Mediolanum proficiscar, non absurdum videtur. Hac occasione vrbem explorare, atque eorum potero cognoscere voluntatem.* Profectus itaque quum iam Mediolanum peruenisset, priusquam vrbem ingrederetur, ad beati pretiosique martyris *Laurentii* ecclesiam orationis gratia declinauit: sed, vt aiunt, non tantum petitionis gratia, quantum alterius rei causa. Dicunt enim, quia prope ciuitatem est ecclesia, miro atque pretioso opere fabricata, eum ibidem munitionem construere velle, qua non solum Mediolanenses, sed & plures Italiæ Principes coercere decreuisset. Inde vero exiens, quum iuxta murum ciuitatis equitaret, lingua propria, hoc est Teutonica, suos ita conuenit: *Si Italienses omnes vno vti tantummodo calcari, informesque non fecero equas caballicare, non sum Burchardus: fortitudinem siquidem muri huius seu altitudinem, qua se muniri confidunt, nihili pendo: ictu quippe lanceæ meæ aduersarios de muro mortuos præcipitabo.* Hoc autem eo dicebat, quoniam neminem aduersariorum suæ ibi linguæ gnarum esse putabat. Verum suo omine non bono quidam istic aderat, quanquam pannosus & despectus, eius tamen loquelæ scius, qui omnium horum *Lanthberto* Archipræsuli celer factus est nuntius: qui vt erat ingenio pollens, *Burchardum* non despexit, sed eum alio animo suscipiens, mirabiliter honorauit: sed & inter cetera, quasi hoc esset priuilegium amoris, concessit ceruum, quem is suo in brolio venaretur, quod nulli vnquam nisi charissimis magnisque concessit amicis. *Lanthbertus* interea Papienses omnes nonnullosque Italiæ Principes ad *Burchardi* necem inuitat, eumque tamdiu tenuit, donec congregatos esse omnes speraret, qui eum occidere deberent. Factum est igitur, vt *Burchardo* Mediolano discedente, Nouariam die perueniret eadem. Quumque istic nocte transacta diluculo surgeret, Eporegiam tendens ciuitatem, Italicæ super eum irruentes subito apparuere phalanges. Quas contra non vt vir bellicosus properat, verum mox fugam inceptat. Et quoniam secundum beati *Iob* sententiam, *terminus eius constitutus præteriri non poterat*, & fallax equus ad salutem [illegible] in fossam, quæ muros circuit

circuit ciuitatis, equus decidens eum proiecit: vbi & ab irruentibus Ausoniis confossus lanceis vitam morte pommutauit. Sui denique hoc videntes, quoniam alio non poterant, intra ecclesiam sanctissimi confessoris *Gaudentii* confugiunt. Ausonii itaque, vt ex *Burchardi* minis non mediocriter inflammati atque indignati, ecclesiæ fores frangunt, omnesque in ea repertos, sub ipso etiam altari confodiunt. Quod *Rodulfus* vt audivit, Italiam dereliquit, & Burgundiam percitus venit. Hæc itaque dum aguntur, *Hugo* Arelatensium seu prouincialium Comes nauim conscenderat, & per Tyrrhenum mare in Italiam festinabat. Deus itaque, qui hunc in Italia regnare cupiebat, prosperis eum flatibus breui Alpheam, hoc est Pisam, quæ est Tusciæ prouinciæ caput, duxerat: de qua sic *Maro*; *Alpheæ ab origine Pisæ*. Quumque eodem peruenisset, affuit Romani Papæ *Ioannis* scilicet Rauennatis nuntius. Affuerunt etiam pæne omnes Italienses nuntii, qui hunc, vt super eos regnaret, inuitabant. Is autem, vt erat longo ex tempore hæc cupiens, percitus venit Papiam, cunctisque conniuentibus regnum suscepit: post paululum Mantuam abiit, vbi & *Ioannes* Papa ei occurrens, fœdus cum eo percussit. Quo tempore *Berta* matre *Hugonis* Regis mortua, *Wido*, filius eius, quem ex *Adelberto* genuerat, sicut prædiximus, Tusciæ Marchiam tenebat, qui *Maroziam* scortum Romanum sibi vxorem acceperat.

CAPVT V

De plurimis Regis Hugonis *virtutibus libidine fœdatis. De duobus filiis eius. De amicitia eius cum* Henrico *Imperatore. De patre* Liuthprandi, *huius operis autoris, ad Imperatorem Græcum ab* Hugone *misso. De duobus canibus Imperatori missis, qui eum dilaniare parabant. Et de patre, quur tam magnifice sit ab Imperatore susceptus.*

FVit autem Rex *Hugo* non minoris scientiæ, quam audaciæ, nec inferioris fortitudinis, quam calliditatis, Dei etiam cultor, sanctæque religionis amatorum amator: in pauperum necessitatibus curiosus: erga ecclesias solicitus, religiosos philosophosque viros non solum amabat, verum etiam fortiter honorabat. Qui etsi tot virtutibus clarebat, mulierum tamen illecebris eas fœdabat. Hic ex Francorum genere, ex genere Teutonicorum vxorem acceperat nomine *Aldam*, quæ filium ei genuerat nomine *Lotharium*. Habuerat sane tunc temporis ex quadam muliere nobilissima, vocabulo *Wandelmoda*, filium, nomine *Hubertum*, qui nunc vsque superest, & Tusciæ prouinciæ potens Princeps habetur. Cuius acta, Domino propitio, suis in locis exponentur. *Hugone* igitur Rege constituto, sicut vir prudentissimus, quocunque terrarum cœpit nuntios suos dirigere, multorumque Regum ac Principum amicitiam quærere: *Henrici* præsertim famosissimi Regis, qui, vt supra memorauimus, Baioariis, Sueuis, Lotharingis, Francis atque Saxonibus imperabat. Hic etiam Sclauorum gentem innumeram subiugauit, sibique tributariam fecit. Primus etiam hic Danos subiugauit, sibique seruire coegit: ac per hoc nomen suum multis nationibus celebre fecit. Rex igitur *Hugo*, quum Reges ac Principes amicos circumcirca acquireret, studuit nomen suum etiam Argiuis, longe a nobis positis, notum facere. Imperabat vero his tunc temporis memoria satis & laude dignus *Romanus* Imperator, liberalis, humanus, prudens ac pius: cui tum propter morum probitatem, tum propter linguæ vrbanitatem genitorem meum direxit nuntium. Qui quum eodem peruenisset, inter cetera, quæ Imperatori *Romano* Rex *Hugo* miserat munera, duxit duos canes, quales in eadem patria non sunt alicui visi. Qui quum ante eius præsentiam adducti fuissent, nisi multorum brachiis constricti fuissent, eum protinus morsibus

morsibus laniassent. Puto enim, quod dum hunc Græcorum more theristro opertum, habituque insolito viderunt indutum, non hominem, sed monstrum aliquod putauerint. Denique magno cum honore ab eodem susceptus est Imperatore. Nec tam pro rei nouitate, aut munerum magnitudine, quantum quoniam, dum præfatus genitor Thessalonicam venisset, Slauorum quidam, qui rebelles Imperatori *Romano* extiterant, terramque eius depopulabantur, super eum irruerunt. Verum Dei actum est pietate, vt eorum Principes viui nonnullis mortuis caperentur. Quos dum præsentaret Imperatori, immensa affectus est lætitia, magnoque ab eo genitor munere donatus, ad *Hugonem* Regem, qui se illuc transmiserat, rediit lætus. Post reditum vero eius, paucis interpositis solibus, languore correptus monasterium petiit, sanctæque conuersationis habitum sumpsit, in quo post dies quindecim mortuus me paruulo derelicto migrauit ad Dominum. Nunc autem quoniam Imperatoris *Romani* mentio facta est, quis fuerit, qualiterue ad imperii culmen peruenerit, hic non absurdum mihi videtur referre.

CAPVT VI

De leone ferocißimo, quem Romanus *qui postea imperauit, fortißime peremit, & de socii eius pauore.*

IMperante quoque *Leone*, *Constantini* huius genitore, *Romanus* iste Imperator quanquam *πτωχὸς*, id est, pauper, ab omnibus tamen *χρήσιμος*, id est, vtilis, habebatur. Erat autem ex mediocribus ipsis, qui nauali pugna stipendia ab Imperatore acceperant. Qui quum sæpius & iterum *εἰς τὴν μάχην*, id est, in pugna, nonnulla *χρήματα*, id est, vtilia, faceret, a sibi præposito adeo honoratus est, vt primus nauium fieri mereretur. Quadam autem nocte, dum Saracenos exploratum abiret, essetque in eodem loco palus, atque arundinetum non modicum, contigit leonem ferocissimum ex arundineto prosilire, ceruorumque multitudinem in paludem demergere, vnumque eorum capere, sicque rabiem ventris mitigare. *Ῥωμανὸς δὲ τῶν αὐτῶν*, id est *Romanus* autem eorundem, sonitum audiens, timuit valde. Putauit enim multitudinem Saracenorum esse, qui conspectum se fraude aliqua vellent perimere. Mane autem primo exurgens, quum diligentissime omnia consideraret, conspectis vestigiis *εὐθέως*, id est, confestim, quid hoc esset, agnouit. Leone itaque in arundineto commorante, *Romanus* Græcum ignem, qui nullo præterquam aceti liquore extinguitur, vndique per arundinetum præcepit iactari. Erat autem in arundineto aceruus arundinibus plenus, in quem leo confugiens, illo ab igne est saluatus. Ventus quippe contraria ex parte flans, ignem, ne ad aceruum vsque perueniret, amouit. *Romanus* præterea post ignis extinctionem, vno tantum cum assecla, ensem solum dextera, sinistra autem pallium gestans, locum omnem peragrans lustrat, si forte os ex eo vel signum aliquod reperiret. Iam vero quum in eo esset, vt nihil inueniens repedaret, quid hoc monstri esset, quod aceruus ille sit ab igne saluatus, studuit visere. Quumque duo prope assisterent, secumque rebus ex nonnullis fabularentur, leo hos tantum audiuit, quoniam quidem ob caligantes oculos *παρὰ τῷ καπνῷ*, id est, ob fumum, videre non potuit. Volens igitur leo animi sui feritatem, quam ab igne conceperat, in hos euomere, saltu rapidissimo, qua illorum voces audierat, inter eos prosiliit. *Romanus* vero, non vt suus assecla pauitans, sed ea potius mente consistens, vt etsi fractus caderet orbis, impauidum ruinæ ferirent, pallium, quod manu gestabat, inter brachia misit. Quod dum pro homine leo discerperet, *Romanus* hunc a tergo totis viribus inter clunium iuncturas ense percussit. Qui dissociatis diuisisque cruribus quia stare non poterat, penitus cecidit. Leone igitur interfecto, *Romanus* seminecem asseclam in suum solo stratum eminus vidit, quem & vocare voce præcipua cœpit. Ad quem quum nullum daret

ret omnino responsum, idem *Romanus* propter eum astitit, pedeque pulsans, *Surge*, inquit, *miser*. Qui consurgens, præ admiratione, dum leonis immanitatem conspiceret, non habuit vltra spiritum. Stupebant autem omnes, de isto *Romano* hæc audientes. Vnde factum est, vt tam pro ceteris, quam pro præclaro hoc præsenti facinore non multo post a *Leone* Imperatore tanto donaretur honore, vt omnes naues ipsius essent in manibus, eiusque iussionibus obedirent.

CAPVT VII

De iis, qui Leoni *Imperatori successerunt, &* Constantini *morte, ac* Romani *per stratagema & astum ad imperium euectione.*

LEo denique, Græcorum piissimus Imperator, cuius supra fecimus mentionem, corporis humani debitum soluens, viamque carnis vniuersæ ingrediens, regni sui heredem, *Alexandrum* fratrem germanum, vnicumque filium *Constantinum*, qui nunc vsque superest, & feliciter regnat, paruulum, & (vt Græci aiunt) ἄλαλον, id est, mutum, & infantem dereliquit. Quibus ad tuendum palatium, tutandamque rem priuatam, vt istic moris est, eunuchum officio † *Parachimmenon* dedit. *Phocam* vero Domesticum maiorem, hoc est terrestris ducem exercitus, fecit. *Romanum* autem non claro natalium ortu, sed cordis magnanimitate nobilem, naualis exercitus principem ordinauit. *Alexander* post modicum defunctus, soli *Constantino* paruulo imperium dereliquit. Denique tempore, quo magnus Imperator *Leo* migrauit ad Christum, *Phocas*, præfatus Domesticus, terrestris dux exercitus contra *Simonem* Bulgarorum Regem copias duxerat, eique Constantinopolim venire cupienti non inuiriliter repugnabat. *Romanus* vero, vt non incallidus, audito Imperatorum, hoc est *Leonis* atque *Alexandri* interitu, haud longe ab vrbe collecto classium exercitu fugit, atque in insulam paruam iuxta Constantinopolim, ita vt e palatio videri pæne posset, ratibus collectis aduenit: ad palatium autem minime transfretauit, laudesque iuxta consuetudinem Porphyrogenito minime decantauit. Quæ res eunucho *Parachimmeno*, cunctisque Constantinopoleos Principibus stuporem timoremque non paruum attulit. Internuntiis itaque, quid hoc monstri sit, quod Regem non adierit, laudesque debitas non soluerit, sciscitantur. His a *Romano* respondetur, quod propriæ vitæ timens palatium declinarit, & adiecit, quod si *Parachimmenos* ceteris cum Principibus se non adiret, vitamque iureiurando promitteret, mox se ad Cretensium Saracenorum Regem conferret, regnumque Argiuorum sui auxilii fortitudine debellaret. Quod quam callide dixerit, exitus declarabit. Igitur quod præfati sumus Principes terrore compulsi, ignorantes, quod lateret anguis in herba, omnes hunc fiducialiter adeunt, quod mandauerat gratanter cupientes implere. Quos omnes non malo consilio accepto proiectos in sentinam ligat: sicque securus ad vrbem magno cum comitatu festinat, hisque, quos suspectos habuerat, palatium purgat, suæ parti parentes ibi collocat: rectorem, magistros, patricios, logotheum, eparchon, κοιτωνίτας cubicularios, protospatharios, spatharios, spatharocandidatos, παραθαλασσίους facit: ceteros, vt diximus, abdicat. Qui etiam vt cœptum opus firmius patraret, cum Porphyrogeniti matre † *Zoizone* nomine, Venerea est dulcedine iunctus. Tota mox ciuitas coronatur, & *Romanus* pater *Basileos* appellatur.

† forte παρακοιμώμενον

CAPVT

CAPVT VIII

De Phoca *altero ex Principibus aulæ, qui audito, quod* Romanus *esset ad imperium euectus, victoriam Bulgaris sponte concessit, cum multa suorum strage fugiens: quocirca a* Romano *captus oculis priuatur. De* Simeone *Bulgarorum Rege ex monacho, cuius filius* Baianus *magica arte homines in lupos vertit. Item de* Helena *seu* Irena, *quæ* Constantino *Imperatori nupsit.*

CVm Bulgaris prætetea pugnanti *Phocæ* Domestico, qui & ipse *pater Basileos* ardenter fieri cupiebat, in ipso bello iam de hostibus triumphum tenenti, quid a Romano actum sit nuntiatur. Qui mox animo consternatus, nimio dolore compulsus, victoriæ signum, quo hostes insequebatur, proiecit, terga vertit, fugam suos inire fecit. Reparant itaque Bulgari *Simeonis* hortatu animos, & quos prius aduerso Marte fugarat, prospero postmodum insequuntur, tantaque tunc Argiuorum strages efficitur, vt longo post tempore campus plenus ossibus videretur. Omni denique cum festinatione iam nominatus *Phocas* Domesticus Constantinopolim redit, palatium ingredi cupit, & arte fieri *pater Basileos* satagit. Sed quia consilii vis expers mole ruit sua, & (vt *Flaccus* dicit) Dii rem temperatam prouehunt in maius, a *Romano* Domesticus iste capitur, atque vtroque lumine priuatur. Bulgaris non minima vis augetur, iisque Græcos depopulandi vicissitudo dupla rependitur. Tunc etenim *Simeonem* ἡμίαργον, id est, semigræcum, esse aiebant, eo quod a pueritia Byzantii Demosthenis rhetoricam, Aristotelisque syllogismos didicerit. Post hæc autem relictis artium studiis, vt aiunt, conuersationis sanctæ habitum sumpsit: verum paulo post regnandi cupiditate deceptus, ex placida monasterii quiete ad sæculi procellam transiit, elegitque potius apostatam *Iulianum*, quam beatissimum *Petrum* cælestis regni clauigerum imitari. Qui duos filios habuit, vnum nomine *Baianum*, alterum, qui nunc vsque superest, potenterque Bulgaris principatur, nomine *Petrum*. *Baianus* autem adeo fertur didicisse magicam, vt ex homine fieri lupum, & quamcunque vellet aliam cerneres feram. *Romanus* præterea eodem, quo *pater Basileos* constitutus est anno, filiam suam *Helenam* Imperatori paruulo, suo Domino, *Constantino* Porphyrogenito coniugem dedit. Porphyrogenitum autem non in purpura, sed in domo, quam *Porphyram* superius diximus nominatam, appello: vt videre est libro primo pluribus capitibus. De æde autem sacra, quam ædificauit, hoc addi potest, quod ipsam νέαν, hoc est, *nouam*, alii vocant: alii vero ἐννέαν, quod lingua nostra *nouennalem* sonat, appellant; eo quod ibidem horarum ecclesiasticarum machina nouem pulsata ictibus seu vocibus sonet.

CAPVT IX

De oratione Romani *ad Principes Romanos, postquam Imperator constitutus est. De humilitate prosapiæ* Romani, *qui* Christophorum *filium suum inique* Constantino *Imperatoris filio in imperii aditione prætulit: quam iniuriam Deus morte* Christophori *vltus est. De* Constantini *Prophyrogeniti religione & exercitatione, paceque cum Bulgaris per* Irenam *facta.*

SEcundo itaque, quo *pater Basileos* constitutus est [illegible], *Romanus* conuocatos ad se Principes ita conuenit; *Romanæ* [illegible] *[d]ignitatis* δεχοντες, id est, *Principes, quoniam vobis consultis non solum* [illegible] *inquam, pater Basileos*

leos *sum constitutus, verum etiam sanctissimi Imperatoris fidelitati* γλαυκώπιδος *Helenae*, id est, *virides oculos habentis, coniunctione sociatus; hic aliquo imperialis ornatus indicio monstrari dignum in corpore reor, quod celebratur a populis ex nomine dignitatis.* Iudicatum denique a populo, communique decretum est consilio, vt quia tantae erat dignitatis, & λευκόλλινον filiam suam *Helenam* Imperator ei copularat, rubricatarum pellium caligis, vt istic Imperatorum moris est, vteretur. Sed ne hoc quidem satis ei visum fuit: siquidem post vnius anni synaxin, quum ampliori iam potentiae esset, talibus aggreditur eosdem Principes sermonibus: *Quoniam communi vestro iudicio definitum est, imperialibus me vti caligis*, περίφαντοι ἥρωες, id est, *nobilissimi heroes, vestrae autoritatis beneuolentia, quae contulistis, mihimet videntur pretiosa; diligentius vero consideranti risum mouere videntur; illi enim facile ad risum turbas illiciunt, qui variis sese depingunt coloribus. Denique risum non solum aliis, sed & mihiipsi mouent, dum pedibus Imperatorem, capite communem videor imitari plebem. Namque comoediae mimus quisque melior. Igitur aut coronam praebete, aut caligas, quibus ridiculus populo videar, auferte.* Hoc plane dicto, magis autem qua cunctis praeerat potestatis autoritate, omnium iudicio coronam recepit, & caligarum decorem minime perdidit. Huius miretur prudentiam nemo, sed laudes referat Deo cordis ex intimo, qui erigit elisos, soluit compeditos, cuius in manu calix vini meri plenus mixto inclinans ex hoc in hoc. Is autem humili erat prosapia, ex Armeniorum scilicet gente oriundus, neque solum mente conceperat futurum, se Regis in aula esse, nedum imperialia sceptra tenere, sed quod prophetissa *Anna* dicit, *Dominus pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat, suscitat de puluere egenum, & de stercore eleuat pauperem, vt sedeat cum Principibus, & solium gloriae teneat. Domini enim sunt cardines terrae*, &c. Regi itaque immortali, inuisibili, soli Deo honor & gloria per cuncta saeculorum saecula, Amen. Denique *Romano* Imperatore constituto, *Christophorum*, quem ante imperii dignitatem habuerat, Imperatorem constituit. Post imperii vero sui ordinationem vxor eius filium ei peperit, nomine *Stephanum*. Rursus concepto foetu alium ei peperit, nomine *Constantinum*. Quos omnes Imperatores constituens, contra ius fasque, & secum *Christophorum* primogenitum Domino suo Imperatori *Constantino* Porphyrogenito praeposuit: adeo plane, vt procedentes ad publicum, ad sanctam *Sophiam* scilicet, vel ad ε'λαχέρνας, seu, *ad sanctos Apostolos*, *Romanus* cum *Christophoro* primogenito praecederet: *Constantinus* Porphyrogenitus, & duo ceteri sequerentur. Quod quam indigne iustus iudex pertulerit, vltio subsequens declarauit. Nam post modicum *Christophorus* defunctus est. *Constantinus* itaque Porphyrogenitus tum orationi tum lectionibus vacans, totum se Domino commendabat, opere manuum victum quaeritans, sane τὴν ζωγραφίαν, id est, *picturam*, perpulchre exercebat. Eodem tempore *Simeon* cum Bulgaris Argos coepit vehementer affligere. Quem *Romanus* filii sui *Christophori* filia filio illius *Petro*, qui nunc vsque superest, vxore data, ab incoepto furore compescuit, sibique foedere placito sociauit. Vnde & puella mutato nomine εἰρήνη, id est, *Pax*, est vocata, eo quod per eam inter Bulgaros & Graecos pax sit firmissima constituta.

CAPVT X

De Walberto *&* Gezone *Papiensibus, qui seditionem contra* Hugonem Regem *concitauerunt, & de* Hugonis *concione.*

His temporibus *Walbertus* & *Gezo*, praenomine *Euerhardus*, Papiae praepotentes iudices erant. Causa autem potentiae *Walberti* haec erat. Quoniam Cumis ditissimo in loco filium suum *Petrum* Episcopum fecit: *Razam* vero

vero natam suam, *Gileberto* Comiti palatii coniugio sociauerat. Ea tamen tempestate vterque defunctus erat. Ticinensis itaque, qui & Papiensis, populus omnis ad hunc conuenerat, causasque omnes & controuersias ante eum decidebat. Participatione denique huius potentiæ memoratus *Gezo*, prænomine *Euerhardus*, quoniam affinitate quadam ei iungebatur, præpotens habebatur: qui nobilitatem suam prauis moribus deturpabat. Fuit enim ambitiosus nimis, cupidus, inuidus, seditiosus, iuris corruptor, præceptorum Dei immemor. Quod Deus non passus est abire inultum. Et ne diutius protraham sermonem, Catilinæ omnino similis, qui sicut consulem & Reipub. defensorem *Marcum Tullium Ciceronem* conabatur occidere, ita & hic Regem *Hugonem* morti molitus est tradere. Quadam enim die, dum nihil mali suspicans Rex *Hugo*, Papiæ cum paucis degeret, hic seditione facta voluit super eum irruere: sed *Walberto* (qui non tam ferocis animi erat) remorante tardatus est. Nec minus etiam eos Rex *Hugo* suis rhetoricis ac melle dulcioribus eloquiis ab incepto furore compescuit. Dum enim seditionem super se exortam, atque in domum *Walberti* congregatam esse cognosceret, huiusmodi omnes per internuntios sermone conuenit: *Quid est, viri fortes, quod tam subito, tamque insperate contra Dominum, imo & Regem vestrum commoti estis? Si quippiam quod displiceat actum est, consolidetur. Neque enim sera emendatio reprehendi potest, præsertim si nulla negligentia prætermissa est.* His auditis cuncti animi furorem mitigarunt. Solus *Gezo* in qua prius fuerat proteruia manens, operam dabat, vt omnes super Regem irruerent, eumque turpissima morte trucidarent. Verum disponente Deo, affectus eius prauus effectum habere non potuit. Reuersi igitur ad Regem nuntii, prout viderant & audierant, enarrauerunt.

CAPVT XI

De Walberti *&* Gezonis *captorum suppliciis, prudentia* Hugonis *& virtute* Samsonis, *& fabula* Tiresiæ, *quur cæci vitales sint, & de* Hilduini *&* Ratherii *Episcoporum ambitione.*

VErum Rex *Hugo* hæc omnia quasi pro nihilo mente subdola ducens, Papia egressus, longe alio properare festinat, missisque circumcirca literis, milites suos ad se venire præcepit. Quos inter *Samson* præpotens Comes aduenerat, qui iam dicto *Gezoni* inimicissimus erat. Is denique vt Regem vidit, ita eum conuenit: *Solicitum te equidem de vrbanis rebus contra te tumultuose & moleste his diebus actis intueor: verum si me audis, mihique obtemperas, suis ipsi capientur laqueis. Alter enim, qui melius consilium dare possit, quam ego, non facile potest inueniri: tibi certe nemo melius dabit. Vnum tamen peto, vt dum capti fuerint mea opera,* Gezo *cum omni sua ὑπαρξει id est, substantia meis tradatur in manibus.* Quem dum dari sibi a Rege audiuit, adiecit, Leo *Ticinensis Episcopus ciuitatis* Walberto *&* Gezoni *non habetur amicus. Hi sane quibuscunque possunt ei modis aduersantur. Scitis denique, moris esse, Regi ab aliis locis Papiam tendenti ciues fortiores extra vrbem occurrere. Mandate itaque clam Episcopo, vt dum statuto tempore Papiam veneritis, & ipsi nobis extra vrbem obuiam venerint, portas ciuitatis omnes serari faciat, clauesque sibi ipse retineat, vt dum capere eos cœperimus, nec in vrbem confugere, nec ab vrbe auxilium possint expectare.* Quod & factum est. Nam dum statuto tempore Rex Papiam tenderet, & memorati ei obuiam exirent, Episcopus libenter, vt ei imperatum fuerat, fecit. Rex itaque omnes capere, vt Samson consilium dederat, fecit. Confestim igitur *Gezo Samsoni* traditus, vtroque lumine priuatur, & lingua, quæ in Regem blasphemiam dixerat, ei abscinditur. O factum bene, si sicut cæcus, ita & mutus cunctis extitisset temporibus. Sed o scelus! Quoniam lingua abscissa loquelam

non perdidit, secundum Græcorum fabulas oculorum priuatione vitam sibi protelauit, quæ multis ad perniciem vsque in præsentem diem esse non desinit. Fabulam vero, quur cæci plurimum viuant, secundum Græcorum ineptiam his inseramus, quæ talis est, ζεὺς καὶ Ἥρα, &c. hæc est interpretatio, Iupiter & Iuno contenderunt de amoribus, vter plures libidines haberet in coitu. Et tunc *Tiresiam Euri* filium quæsiuerunt. Ille enim in vtrasque naturas transmutatus erat, quia draconem calcauerat. Hic ergo contra Iunonem pronuntiauit. Iuno irata cæcauit eum. Iupiter autem donauit ei multos viuere annos, & quæcunque diceret, diuinando dicere. Sed redeamus ad rem. *Gezone*, vt prædiximus, membris defœdato, substantia illius diripitur. Ceteri complures custodiæ mancipantur. *Walbertus* postridie capite truncatur, thesaurus cuius infinitus diripitur. Vxor eius capitur, & vt thesauros occultos tradat, diuersis cruciatibus laniatur. Creuit extunc non solum Papiæ, sed & per omnes Italiæ fines Regis timor. Neque hunc vt Reges ceteros flocci pendere, verum modis omnibus honorauere. Eodem tempore *Hilduinus* Laudociensis ecclesiæ Episcopus propria sede expulsus, ad *Hugonem* Regem, cui affinitatis linea iungebatur, in Italiam venit. Qui honorifice ab eo susceptus, Veronensem ei Episcopatum ad stipendii concessit vsum. Factum est autem, vt post paululum *Lambertus* Archiepiscopus moreretur, & hic loco eius Mediolani Episcopus ordinaretur. Venerat autem cum præfato *Hilduino* monachus quidam, *Ratherius* nomine, qui ob religionem septemque liberalium artium peritiam Veronæ Episcopus constituitur : vbi & *Milo*, de quo supra commemorauimus, Comes habebatur.

CAPVT XII

Qualiter Ioannes *Papa sit captus, custodiæque in qua moriturus erat, traditus. Qua munitione vrbs Roma munitur, & quomodo* Hugo *per* Albericum *vrbe sit eiectus: quod diuinæ dispositioni abscribendum censet, ob peccatum* Hugonis *Regis.*

WIdo interea Tusciæ prouinciæ Marchio cum *Marozia* vxore de *Ioannis* Papæ deiectione cœpit vehementer tractare, atque hoc propter inuidiam, quam in *Petrum* fratrem Papæ habebant : quoniam quidem illum Papa quasi fratrem proprium honorabat. Contigit itaque *Petro* Romæ degente, *Widonem* clam multos habuisse milites congregatos. Qumque die quadam Papa cum fratre paucisque aliis in Lateranensi palatio esset, *Widonis* & *Maroziæ* milites super eos irruentes, *Petrum* fratrem ipsius ante oculos interfecerunt, eundem vero Papam comprehendentes, custodiæ manciparunt, in qua non multo post defunctus. Aiunt enim, quod ceruical super os eius posuerint, sicque eum pessime suffocarint. Quo mortuo, ipsum *Maroziæ* filium nomine *Ioannem*, quem ex *Sergio* Papa meretrix ipsa genuerat, Papam constituunt. *Wido* vero non multo post moritur, fraterque eius *Lambertus* ipsi vicarius ordinatur. *Marozia* vero scortum impudens nimis, suos nuntios post *Widonis* mariti sui mortem *Hugoni* Regi dirigit, eumque inuitat, vt se adeat, Romamque nobilissimam ciuitatem sibi assumat. Hoc autem non aliter posse fieri testabatur, nisi eam sibi Rex *Hugo* vxorem faceret.

Quid Veneris facibus compulsa Marozia sæuis?
Coniugis ecce tui spectas tu suauia fratris.
Nubere germanis satagens Herodia binis,
Immemor aspiceris præcepti cæca Ioannis,
Qui fratri vetuit, fratris violare maritam.
Hæc tibi Moyseos non præstant carmina vatis,

Qui

Qui fratri sobolem fratris de nomine iussit
Edere, si primus nequeat sibi gignere natum.
Nostra tuo peperisse viro te sæcula norunt.
Respondes (scio) tu, Nihil hoc Venus ebria curat.
Aduenit optatus ceu bos tibi ductus ad aram
Rex Hugo, *Romanam potius commotus ob vrbem.*
Quid iuuat, o scelerata, virum sic perdere sanctum?
Crimine dum tanto satagis Regina videri,
Amittis magnam Domino tu iudice Romam.

Quod recte esse actum non solum sensata, verumetiam insensata animaduertunt. In ingressu Romanæ vrbis quædam est miri operis, miræque fortitudinis constituta munitio, ante cuius ianuam pons est pretiosissimus super Tiberim fabricatus, qui primus Romam ingredientibus atque egredientibus est; nec est alia, nisi per eum transeundi via. Hoc tamen nisi consensu munitionem custodientium fieri non potest. Munitio autem ipsa, vt cetera desinam, tantæ altitudinis est, vt ecclesia, quæ in eius vertice videtur, in honore summi & cælestis militiæ principis archangeli Michaelis fabricata, dicatur *ecclesia sancti Angeli vsque ad cælos.* Rex denique ob munitionis confidentiam relicto longe exercitu, cum paucis Romam aduenit. Qui decenter a Romanis susceptus, in prædictam munitionem ad prædictæ *Maroziæ* meretricis thalamum declinauit. Cuius incesto dum potitus esset concubitu, Romanos quasi iam securus despicere cœpit. Habuerat sane *Marozia* filium, nomine *Albericum*, quem ex *Alberico* Marchione ipsa genuerat. Qui dum matris hortatu Regi *Hugoni* vitrico scilicet, aquam funderet, vbi manus ablueret, ab eo pro correctione in faciem cæsus est, eo quod non moderate & prudenter aquam effunderet. Is vero, vt illatam sibi posset vlcisci iniuriam, congregatis in vnum Romanis, huiusmodi eos sermone conuenit: *Romanæ vrbis dignitas ad tantam est stultitiam ducta, vt meretricum etiam imperio pareat. Quid enim fœdius, quidve turpius, quam vt vnius mulieris incestu Romana ciuitas pereat? Romanorum aliquando serui, scilicet Burgundiones, Romanis imperent? Si meam, priuigni scilicet sui, faciem cecidit, quum præsertim nouus habeatur hospes, quid vobis iam inueteratum facturum creditis? An Burgundionum voracitatem atque superbiam ignoratis? Ipsam enim nominis saltem etymologiam dispicite:* Burgundiones *ideo dictos, quoniam dum Romani orbe deuicto ex gente hac captiuos ducerent multos, constituerunt eis, vt extra vrbem domos sustollerent, a quibus & paulo post a Romanis ob superbiam expulsi: & quoniam ipsi domorum congregationem, quæ muro non clauditur,* Burgum *vocant* *, Burgundiones, *quod est*, a Burgo expulsi, *a Romanis apellati sunt. Ceterum secundum naturale nomen* Galli Allobroges *nuncupantur. Ego autem πρὸς φρένησιν*, id est, *per sapientiam*, Burgundiones *eos quasi* gurguliones *appello, vel quod ob superbiam toto gutture loquantur, vel quod verius est, quod edacitati, quæ per gulam exercetur, nimis indulgeant.* Nec mora, his auditis, *Hugonem* Regem cuncti deserunt, atque eundem *Albericum* sibi dominum eligunt, & ne spatium quidem milites introducendi suis Rex *Hugo* haberet, munitionem confestim oppugnant. Liquet diuinæ dispensationis esse hoc consilium, vt quod Rex *Hugo* tam nefario turpiter cœperat scelere, id eum omnimodo obtinere non posse. Tanto quippe est terrore coactus, vt præsertim seipsum ea ex parte, qua ciuitatis muro munitio inhærebat, deponens eam desereret, atque ad suos confugeret. Expulsus igitur est Rex *Hugo*, & cum præfata *Marozia* Romanæ vrbis monarchiam *Albericus* tenuit, fratre *Ioanne* suo summi atque vniuersalis præsulatus sedi præsidente.

* *Clarius* Liuthprandus — ipsi domorum congregationem, quæ non clauditur, burgum vocant. *Nisi fere τὸ non sit delendum.* Ita *Conringius* exercitatione de rep. Imperii *Germ.* 3, quæ de vrbibus Germaniæ est. § 22 p. 81.

CAPVT

CAPVT XIII

Qualiter & quur Hugo *Rex* Lambertum *fratrem suum ceperit, & Consilio* Bosonis *eum excaecauerit. Et quod Rex* Hugo *iusiurandum a* Rodulfo *Rege acceperit, &* Henricum *Regem sibi amicum muneribus effecerit. Et de Danorum subiectione.*

Aiunt *Bertam*, *Hugonis* Regis matrem, *Adelberto* Marchioni viro suo nullum filium peperisse, sed ab aliis mulieribus clam acceptos simulato partu *Widonem* & *Lambertum* sibi supposuisse, quatenus post mortem *Adelberti*, *Bertae* non deessent filii, quorum adiutorio omnem viri sui potentiam possideret. Hoc autem mendacium mihi ideo videtur esse inuentum, quatenus incestum suum Rex *Hugo* tegeret, & infamiae ὕβριν, id est, contumeliam & vituperium euaderet. Ea tamen quae nunc narranda est, quur hoc dictum sit, verisimilior mihi videtur assertio. *Lambertus*, qui post *Widonis* fratris sui mortem Tusciae Marchiam tenebat, vir erat bellicosus, & ad quodlibet facinus audax. Quem ob regnum Italicum Rex *Hugo* suspectum nimis habebat. Timebat enim, ne Italienses se desererent, & *Lambertum* Regem constituerent. *Boso* denique ex eodem patre Regis *Hugonis* frater, insidiarum huic laqueos parauerat, eo quod ipse Marchio Tusciae fieri vehementer ardebat. Consilio igitur huius *Lamberto* Rex *Hugo* comminando denuntiat, ne se fratrem suum amplius dicere audeat. Is vero, vt erat animi ferocis atque indisciplinati, non moderate, vt debuit, sed effrenate ita respondit: Ne infitiari Rex possit, me fratrem suum esse, nos vno ex corpore eundem per aditum in lucem prodisse, duello cupio cunctis cernentibus comprobare. Quod Rex vt audiuit, iuuenem quendam, *Teduinum* nomine, elegit, qui cum eo hanc ob rem pugnam singularem commisit. Deus autem, qui iustus est, & rectum est iudicium eius, in quo non est iniquitas, vt amphibologiam dirumperet, ac veritatem cunctis ostenderet, fecit, vt *Teduinus* citissime caderet, & *Lambertus* victoriam obtineret. Quamobrem Rex *Hugo* non mediocriter est confusus. Consilio autem accepto, eundem *Lambertum* tenuit, & custodiae tradidit. Timuit enim, ne si illum dimitteret, regnum sibi auferret. Hoc igitur capto, *Bosoni* fratri suo Tusciam contradidit: & non multo post *Lambertum* lumine priuauit. His temporibus Italienses in Burgundiam ad *Rodulfum* mittunt, vt adueniat. Quod *Hugo* Rex vt cognouit, nuntiis ad eundem directis, omnem terram, quam in Gallia ante regni susceptionem tenuit, *Rodulfo* dedit: atque ab eo iusiurandum, ne aliquando in Italiam veniret, accepit*. Nec minus etiam *Henricum*, quem supra memorauimus, Regem fortissimum, multis collatis muneribus amicum sibi effecerat: cuius ex hoc apud Italos nomen maxime tunc clarebat, quod Danos nulli ante subiectos, solus ipse debellaret, ac tributarios faceret. Est enim gens indomita, sub Septentrione in oceano degens, cuius saeuitiam multarum saepe gentium nobilitas luxit. Hi aliquando classibus per Rheni fluminis alueum conscendentes, ferro & igne cuncta misere laniarunt. Ipsas insuper nobilissimas ciuitates, *Agrippinam*, quae nunc *Colonia* vocatur, atque *Treueros* non longe a Rheno positas, nonnullasque alias in regno Lotharii debellantes vi ceperunt, cunctisque ablatis, ea quae secum deferre non poterant, combusserunt. † Thermas etiam *Grani* palatii atque palatia combusserunt. Verum his omissis, ad narrandi seriem redeamus.

† *Aquisgrani nunc.*

* Bene fecisset *Liutprandus*, si annum, quo haec transactio facta fuit, addidisset. Tum enim res curatius capi posset ac intelligi. Sedenim [illegible] ille perturbatioris est scriptor, & cum ordinis chronologici haud sit obseruans, non adeo singulari esse potest vsui. Interim plerique opinantur, an. DCCCCXXX illos inter ita conuenisse. *Gundlingius* fascic. XIII *Gundlingianorum* cap. 1 § IX p. 198 & seq.

CAPVT

CAPVT XIV

De Arnoldo *Duce Baioariorum in Italiam irrumpente, &* Hugone *illi occurrente, & Baioariorum strage, &* Arnoldi *fuga. Et de Verona* Hugoni *restituta. Et de* Ratherio *capto, & opere, quod ipse in carcere de se composuit.*

ARnoldus Baioariorum & Carentanorum Dux, cuius superius fecimus mentionem, quum non multum ab Italia longe distaret, collectis copiis, quatenus *Hugoni* regnum auferret, aduenit. Qui Tridentinam ea ex parte primam Italiæ Marchiam pertransiens, Veronam vsque peruenit. In qua a *Milone* Comite atque *Ratherio* Episcopo libenter, vt qui eum inuitarant, suscipitur. Quod Rex *Hugo* vt audiuit, collecto exercitu, ei obuiam tendit. Quumque eodem peruenisset, & † caballicatas (vt vulgo aiunt) circumcirca dirigeret, Baioariorum quædam pars non minima de castro, vocabulo *Gauseningo*, egrediens, cum Italiensibus pugnare cœpit. A quibus grauiter confossa, vix ex ea vel qui hoc ceteris nunciaret, euasit. Qua ex re *Arnoldus* Dux non parua est confusione repletus. Vnde factum est, vt consilio accepto, *Milonem* Comitem vellet capere: atque Italia derelicta, fecit illum in Baioariam ducere, quatenus reparato exercitu, cum eo iterum redire posset: quod *Milonem* non latuit. Qui diuersis cogitationibus æstuans, quid ageret penitus ignorabat. *Hugonem* Regem plane, vt meruerat, adire timebat: cum *Arnoldo* vero in Baioariam duci, non solum mortem, sed infernum putabat. Hac itaque in ambiguitate, quoniam Regem *Hugonem* cito misericordia nouerat inclinari, *Arnoldum* fugere, & ad eum deliberat tendere. *Arnoldus* vero quo citius potuit, in Baioariam est regressus. Munitionem autem, quæ in eadem ciuitate erat, prius oppugnans, fratrem *Milonis*, militesque eius, qui eam defendere conabantur, secum in Baioariam duxit. Quo discedente, *Hugoni* Regi mox ciuitas redditur, & *Ratherius* ejusdem ciuitatis Episcopus ab eo captus, Papiæ exilio relegatur. In quo faceta satis vrbanitate de exilii sui ærumna librum componere cœpit. Quem si quis legerit, nonnullas ibi hac sub occasione res expolitas inueniet, quæ legentium intellectui non minus placere possunt, quam prodesse.

† id est, equitatus

LIVTHPRANDI,

TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,

HISTORIARVM LIBER IV,

CAPVT I

Pro proœmio quarti libri dicit, se deinceps, quæ vidit, scripturum, quomodo videlicet Hugo Lotharium *filium suum Regem constituit, & Romam cum exercitu perrexit, vbi* Aldam *filiam suam* Alberico *per dolum despondet, voto tamen non potitur.*

HACTENVS quæ dicta sunt, *Sacerdos sanctissime*, sicut a grauissimis, qui ea creuerant, viris audiui, exposui: ceterum, quæ narranda sunt, vt qui interfuerim, explicabo. Eo siquidem tempestate tantus eram, qui Regis *Hugonis* gratiam vocis mihi dulcedine acqui-

acquirebam. Is enim εὐφωνίαν magnopere diligebat, in qua me coæqualium puerorum nemo vincere poterat. Igitur Rex *Hugo* dum prospere sibi cuncta prospiceret, filium suum *Lotharium*, quem ex *Alda* vxore sua genuerat, cunctis conniuentibus, post se Regem posuit. Quo constituto, qualiter Romam, ex qua eiectus turpiter fuerat, posset acquirere cogitabat. Collecta itaque multitudine, proficiscitur Romam. Cuius quanquam loca & prouincias circumcirca misere deuastaret, eamque ipsam quotidiano impetu impugnaret, ingrediendi eam tamen effectum obtinere non potuit. Sperans denique, calliditate sua *Albericum* posse decipere, ei denuntiat, vt filiam suam *Aldam*, *Lotharii* Regis nati sui germanam, sibi coniugio tollat, sicque pace habita, vt suus ipsius filius securus permaneat. *Albericus* igitur, vt vir haud fatuus, filiam ipsius sibi coniugio iunxit. Romam autem, quam nimis ardebat, non tradidit, seque ei minime credidit. Vere tamen *Albericum* Rex *Hugo* inescasset & cepisset, nisi illius hoc cauisset astutia militum, qui aliquando pacem cum ipso habere non cupiebant. Si quem enim Rex suorum vellet corripere, ad *Albericum* mox studuit fugere, a quo ob Regis metum gratanter susceptus Romæ vixerat honoratus.

CAPVT II

De Saracenis, qui Fraxineto relicto, Aquas venerunt, vbi commissa pugna, omnes perierunt. Et de prodigioso sanguinis fluxu apud Genuam, quæ eodem anno ab Afris capta est.

DVm hæc aguntur, Fraxinetum Saraceni inhabitantes, collecta multitudine, *Aquas* (qui est locus quinquaginta miliariis a Papia distans) vsque peruenerant. Horum πρόβολος, id est prædux, *Sagitus* Saracenus pessimus impiusque extiterat. Deo tamen propitio pugna commissa, ταλαίπωρος, id est, miser, cum omnibus suis interiit. Per idem tempus in Ianuensi vrbe, quæ est in Alpibus Cocciis, octingentis stadiis a Papia distans, supra Africanum mare constituta, fons sanguinis largissime fluxit, subsequuturam cunctis patenter ruinam insinuans. Eo quippe anno Pœni cum multitudine classium illo perueniunt, ciuibusque ignorantibus, ciuitatem ingrediuntur, cunctos, pueris exceptis & mulieribus, trucidantes: cunctosque ciuitatis & ecclesiarum Dei thesauros nauibus imponentes, in Africam sunt reuersi.

CAPVT III

De Manassis *Arelatensis Episcopi cauillo, & friuola ratione, qua se ad exemplum diui* Petri *Episcopatus sedem mutasse dictitabat. Et de arguta* Liuthprandi *in eum responsione.*

HOc in tempore *Manasses* Arelatensis ciuitatis Episcopus, agnita Regis *Hugonis* potentia, a cuius ipse sanguine affinitatis lineam traxerat, deserta commissa sibi ecclesia ambitionis spiritu, multas violaturus, imo laceraturus ecclesias, Italiam petiit. *Hugo* autem Rex se regnum securius obtinere sperans, si affinitate sibi coniunctis regni officia largiretur, contra ius fasque Veronensem, Tridentinam, Mantuanam commendauit illi, seu quod verius est, in escam dedit ecclesias. Ac ne his quidem contentus, Tridentinam adeptus est Marchiam: quo honore impellente, quum miles esse inciperet, Episcopus esse desinit. Libet autem, *Pater ἅγιε*, id est, *sancte*, aliquantulum immorarier, suaque ipsius ipsum sententia, quur hoc ageret, Deo largiente, propria iugulare. Beatus inquit, *Petrus*, Antiochena dimissa ecclesia, ad Romanam vrbem, quæ potentiæ magnitudine cunctis tunc nationibus

nibus imperabat, postmodum transuolauit: vbi quum disponente Deo sanctam toto orbe venerandam fundaret ecclesiam, discipulo suo beato Euangelistæ *Marco* pristinam Antiochenam simul commendauit; ita tamen, vt Aquileiensem & ipse primo institueret, atque Alexandrinam concite peteret. Quod ita factum esse, neminem eorum, qui actus Apostolicos legerit, nescire cognouimus. Sed, *vt nobis respondentibus, o* Manasses, *vera te super his non sentire cognoscas, ex nominis tui etymologia parentes tuos videntes fuisse intelligis.* Manasses *quippe* obliuiosus *seu* obliuio Domini *interpretatur. Quid enim verius aut apertius parentes tui hoc nomine vaticinari potuerunt? Ita, inquam, es oblitus tui, vt nec hominem quidem te esse reminiscare. Diabolus quippe scripturas nouit: & tamen, vt peruersus est, peruerse eas interpretatur: & quum his vtitur, ad perniciem, non ad salutem vtitur. Scisne hunc, quum tentationum iaculis Dominum & redemptorem nostrum Iesum Christum ausu nefario sauciare conaretur, his propheticis male vsum verbis?* Quoniam angelis suis mandauit de te, vt in manibus tollant te, ne vnquam offendas ad lapidem pedem tuum. *Hoc sane ita esse scriptum, ac de eo dictum, nullus fidelium ambigit. Sed quam fraudulenter vera hæc Leuiathan ille proferat, ipsius, qui non solum mortalium, sed & angelorum sensus exuperat, responsione animaduertere poteris:* Non tentabis, inquit, Dominum Deum tuum. *Vides igitur quod & tu veris quidem, sed fraudulentis assertionibus vteris, quemadmodum & apostata* Iulianus *respondisse dicitur Christianis, quos auiditate rapinæ censu proprio defraudauit:* Nolite, *inquit magister vester,* possidere aurum neque argentum. *Et illud,* Facilius est introire camelum per foramen acus, quam diuitem intrare in regnum cælorum. *Et item,* Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. *Cedo igitur, quid peruersius ille, quidve fœtidius te dixisse credendum est? Quod enim* Petrus *ad iustitiam, tu transfers ad culpam. Credo enim te actus Apostolorum non intellexisse, aut quod credibilius est, minime legisse. Ibi plane sic scriptum reperies:* quoniam fideles vendebant prædia sua, & ponebant pretium ante pedes Apostolorum, quibus erant omnia communia, nec quisquam aliquid suum esse dicebat: diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. *Si igitur quod in humano censu est pretiosius, tibique anima tua charius,* Petrus *aurum, quasi quiddam pestiferum, tangere noluit, qua ratione eum Antiochena deserta, ad Romanam asseris ecclesiam transuolasse? Si latras illum, quod omnino falsum est, quæsiuisse censum: ego animarum lucrum & gloriosum comprobo martyrium. Prædictum quippe ipsi a magistro, imo creatore & redemptore omnium fuerat:* Quoniam quum esses iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas: quum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans, qua morte clarificaturus esset Deum. *Denique & alio in loco post resurrectionem* Petro *se, quo iret, interroganti, respondisse Dominus dicitur:* Romam, iterum crucifigi. *Venit igitur Romam* Petrus, *non ambitione inflammatus, sed martyrio animatus, non quærens aurum, sed animarum lucrum. O felicem, imo beatum, si talem te tua conscientia testaretur. Nec infitiari quidem potes, te Veronensem Episcopatum vendidisse, quod* Petro *non cuilibet, sed Apostolo illi nunquam didicimus contigisse. Quare non solum spirituali, verumetiam corporali honore sensus alienatione te priuatum esse cognouimus. Hæc autem interim dicta ad propositum redeundo sufficiant, quoad largiente Deo latius differere suis in locis, qualiter Mediolanensem vsurpauerit cathedram, veniamus.*

CAPVT

CAPVT IV

De Berengario, *& eius vxore, & fratre* Anscario. *Et de* Theobaldo *Marchione, qui Græcos a se in prœlio captos castrauit. Et de muliere, quæ festiuo commento marito virilia seruauit.*

EO tempore *Berengarius* ille, cuius tyrannidem nunc luget tota Italia, Eporegiæ ciuitatis Marchio habebatur. Cui Rex *Hugo* neptem suam, nomine *Willam*, quam ex *Willa* vxore sua *Boso* Tusciæ prouinciæ Marchio, Regis frater, genuerat, coniugem dedit. *Anscarius* vero, *Berengarii* frater, quem ex *Adelberto Ermegarda* Regis *Hugonis* genuit soror, virium audacia potentiaque clarebat. *Theobaldus* etiam heros quidam, proxima Regi *Hugoni* affinitate coniunctus, Camerinorum & Spoletinorum Marchio erat. Hic in auxilium Beneuentani Principis contra Græcos, qui eum vehementer oppresserant, abiit. Quibus quum bellum inferret, victoria est potitus. Contigit denique multos Græcorum iam non arua, sed castra obtinentium, hunc cepisse. Quibus dum virilia amputaret, talia στρατηγῷ, id est, qui eis præerat, nuntiauit: *Quoniamquidem viro sancto Imperatori spadonibus nil pretiosius esse cognoui, hos studui paruulos sibi verecunde transmittere; plures quamprimum, Deo propitio, transmissurus.* Ludibrium autem, imo sapientiam, quam quædam tunc mulier gessit, his inseramus. Dum enim quadam die Græci cum ipsius terræ hominibus extra castrum quoddam ad pugnam aduersus *Theobaldum* memoratum exirent, nonnulli ab eodem sunt capti. Quos quum eunuchizaret, eosque in castellum dirigeret, mulier quædam mariti succensa amore, eius pro membris non parum solicita, sparsis crinibus de castello exiit furibunda. Quæ, quum cruentis vnguibus ora discerperet, atque ante *Theobaldi* tentorium clamosis vocibus fieret: *Quid causæ est*, inquit, *mulier, quod tam sonoris vocibus quereris?* Quæ (quia stultitiam simulare loco, prudentia summa est) ita respondit: *Nouum inauditumque facinus est, heroes, vt bellum non repugnantibus mulieribus inferatis: nostrarum nulla ex Amazonum sanguine prosapiam ducit: Mineruæ quippe solum operibus deditæ, armorum penitus sumus ignaræ.* Cui quum *Theobaldus* diceret, *Quis vnquam sani capitis heros, præterquam Amazonum temporibus, bellum mulieribus intulit?* Ea respondit; *Quod cedo crudelius mulieribus bellum inferre, quidve incommodius his potestis auferre, quam vt ea viris certetis* ἰσχία, id est, *testiculos, amputare, in quibus nostri corporis refocillatio, & quod omnium potissimum est, nascituræ spes extat prolis? Dum enim eos eunuchizatis, non quod illorum, sed quod nostrum est, tollitis. Nunquam armentorum seu ouium copia, quam mihi ante hos dies abstulistis, vestra me castra adire coegit. Animalium quæ mihi fecistis dispendia laudo, iacturam hanc tantam, tam crudelem, tam irrecuperabilem, modis omnibus horreo, fugio, nolo. Sancti Dei omnes talem a me auertite pestem.* His auditis, nimio sunt omnes cachinno commoti, totiusque in eam populi fauor excreuit, vt non solum virum suum integrum, verumetiam cuncta quæ sibi animalia ablata fuerant, recipere mereretur. Quæ quum his receptis abiret, directo *Theobaldus* post eam nuntio, interrogauit, *Quid viro suo auferret, si ad pugnam amplius contra se de castello exiret. Oculi*, inquit, *sunt illi, nares, manus & pedes. Si hoc egerit, illi quæ illius sunt auferat: quæ mea sunt, suæ ancillulæ derelinquat.* Verum quia fauorem populi prima sibi loquutione adesse per risum & mariti donum intellexit, hæc postmodum per directum nuntium remandauit.

CAPVT

CAPVT V.

De Bosonis, *qui consilio vxoris perfidus extiterat, ab* Hugone *captiuitate, & vxoris eius* Willæ *ab Italia eiectione. Et de baltheo pretioso impudenter a seruo in loco pudendo comperto.*

PEr idem tempus Regis *Hugonis* frater *Boso*, *Willa* vxore sua cupidissima stimulante, aduersus Regem noua quædam & peruersa molitus est agere. Quod *Hugonem* minime latuit. Qua ex re captus, custodiæ est continuo traditus. Causa deiectionis eius hæc fuit. Dum *Lamberto*, quem supra memorauimus, lumine priuato, idem *Boso* Marchiam Tusciæ obtineret, coniunx eius *Willa* φιλαργυρία, id est, amore pecuniæ, cœpit flagrare: adeo, vt totius Tusciæ prouinciæ nulla nobilium matronarum quantiuis se pretii ornamentis excoleret. Hæc quum prolem virilem non haberet, quatuor habuerat natas, *Willam, Bertam, Gislam, Richildam.* Harum *Willa*, *Berengarii* huius, qui nunc superest, vere marita, hoc effecit, ne genitrix sua omnium mulierum esset nequissima. Vt autem non per longas ambages eius acta ponamus, vno turpissimo descripto, quæ & quanta fuerit in ceteris, animaduertere poteris. Vir eius *Boso* miræ longitudinis & latitudinis, aureum habebat baltheum, qui multarum & pretiosarum splendebat nitore gemmarum. Hunc, quum *Boso* caperetur, super omnes gazas eius diligenter Rex iussit inquiri: sumptisque diuitiis, vxorem eius quasi profanam, & sceleris totius auctricem turpiter de regno Italico præcepit expelli, atque in Burgundiam, de qua oriunda fuerat, duci. Verum quum diligenter omnia perscrutati, baltheum non reperirent, cetera nuntii reportantes, ad *Hugonem* sunt reuersi. Tum Rex, *Reuertentes*, inquit, *phalerarum eius omnem apparatum, puluinar etiam, quod equitando premit, euertite. Et si nec ibi quidem baltheum poteritis reperire, vestimentis omnibus eam exuite, ne alicubi super se possit occulere: noui enim, quam callida, quamque sit cupida.* Igitur illis redeuntibus, Regisque iussioni parentibus, quum requisitis omnibus nil inuenissent, vestimentis eam omnibus nudauerunt. Hoc denique tam turpe facinus atque inauditum, quum auertentibus oculis proborum nemo conspiceret, seruorum quidam directo obtutu, purpuream secus natium speroidem, id est curuaturam, vidit dependere corrigiam, quam impudenter arripiens, fœditerque trahens e secretiori parte corporis, eam sequutus baltheus est egressus. Seruus itaque idem non solum inuerecundus, sed eo ipso facinore turpi hilarior redditus: *Ha ha he*, ait, *quam peritus obstetricandi miles. Rufus puer est natus heræ, quæso, vt sit superstes. O me fortunatum, imo omnibus feliciorem, si tales saltem duos vxor mea mihi pareret natos; hos Constantinopolim dirigerem nuntios: quoniamquidem, vt institoribus narrantibus agnoui, huiusmodi libenter Imperator suscipit.* Talibus præterea *Willa* confusa sermonibus, lacrymis effusis, latentem sub corde cunctis aperit dolorem. Seruus autem, vt seruorum proprium est, eius deiectione non solum non inclinatus, verumetiam animatus, hæc ad exaggerandum doloris vulnus adiecit:

Willa, quid insanis? aurum quur condere cæcis
Incipis in membris? proh non audita cupido!
Allecta a furiis gemmas in corpore condis?
Matribus insolitum tales producere partus,
Hinc tibi nulla decem tulerant fastidia menses.
Alma parens tales nobis haud desine fœtus
Edere, qui nati superent te ætate parentem.
Talia cunctanti collum percusserat vnus
Impiger, ac verbis illum culparat amaris.

His ita peractis, baltheus Regi adducitur, eaque in Burgundiam destinatur. Veruntamen, quæ abscondit, an qui eum inquirere iussit, fœdius egerit, mihi quidem videtur amphibolum. Liquet tamen, quod vterque auri gemmarumque nimia sit cupidine animatus.

CAPVT VI

De morte Rodulfi *Regis Burgundionum, cuius vxorem Rex* Hugo *duxit, & filiam filio suo tradidit. Et quomodo ob pellices vxoris vxorem suam despexerit.*

BVrgundionum præterea Rex *Rodulfus* mortem obiit, cuius viduam nomine *Bertam* Rex *Hugo*, *Alda Lotharii* Regis, filii sui, matre defuncta, maritali sibi coniugio sociarat. Sed & filio suo Regi *Lothario Rodulfi* & ipsius *Bertæ* natam, nomine *Adelheidam*, tum forma honestissimam, tum morum probitate gratiosam coniugem tulit. Quod Græcis omnibus non videtur idoneum, scilicet, vt si pater matrem, quum sint duo vnum, vxorem accipiat: filius filiam non sine reatu valeat sibi coniugio sociare. *Hugo* denique multarum concubinarum deceptus illecebris, præfatam coniugem suam *Bertam* maritali non solum non cœpit amore diligere, verum modis omnibus execrari. Quod quam Deus iuste punierit, suis in locis ponere non pigebit. Verum quum nonnullæ essent concubinæ, in tres supra ceteras turpissimo ardebat amore: *Bezolam*, vilissimorum Sueuorum sanguine cretam, ex qua & natum genuit nomine *Bosonem*; quem in Placentina post *Widonis* obitum Episcopum ordinauit ecclesia: *Rozam* deinde, *Walberti* superius memorati filiam decollati, quæ ei miræ pulchritudinis peperit natam: tertiam *Stephaniam*, genere Romanam, quæ ei filium peperit nomine *Theobaldum*, quem postmodum in Ecclesia Mediolanensi Archidiaconum ea ratione constituit, vt defuncto Archiepiscopo, eius ipse vicarius poneretur. Quid autem fuerit, quod effectum Deus habere hæc non siuerit, vita comite, scribendus ordo nudabit. Sed & has tres ob turpis impudicitiæ facinus, *dearum* nominibus, *Bezolam* videlicet *Venerem*: *Rozam Iunonem*, ob simultatem & odium perpetuum; quandoquidem ea secundum pulchritudinem carnis, hæc speciosior videbatur: *Stephaniam* vero *Semelen* appellabat. Et quoniam non Rex solus his abutebatur, earum nati ex incertis patribus originem ducunt.

CAPVT VII

De morte Henrici *Regis, & vbi sit sepultus, & de prudentia eius, qui filium suum* Othonem *Regem constituit, qui* Otho *ante regni susceptionem sororem Regis Anglorum duxerat.*

EO in tempore Rex *Henricus*, in castello quod est inter Thuringorum & Saxonum confinia, & dicitur *Himeleuna* (*a*), grauissima valetudine correptus, migrauit ad Dominum. Cuius corpus in Saxoniam deportatum, in nobilissimarum ac religiosissimarum monasterio puellarum, quod in ipsius Regis prædio, vocabulo *Quintelingaburch*, situm liquet, intra ecclesiam cum immensa est veneratione repositum. Vbi & venerabilis eius coniunx, regnique consors, ex eadem gente nomine *Mathildis*, vltra omnes quas viderim & audierim matronas, pro delictorum expiatione celebre exequiarum officium, viuamque Deo hostiam offerre non desiuit. Hæc ante regni susceptionem viro suo filium peperit, quem vocauit *Othonem*. Iustum, inquam, cuius mundi partes Aquilonaris & occidua potentia reguntur, sapientia pacificantur, religione

religione lætantur, iustique iudicii seueritate terrentur. Post regiam autem dignitatem duos peperit, vnum quem patris nomine vocauit *Henricum*, facetia satis ornatum, consiliis prouidum, vultus nitore gratiosum, oculorum vigilantia placidum: cuius pro recenti funere non mediocres lacrymas adhuc fundimus. Tertium deinde, *Brunonem* nomine, quem pater sanctus, quoniam Nortmanni Traiectensem destruxerant omnino ecclesiam, ob eiusdem recuperationem voluit militare. Verum istorum actus suis in locis latius explicemus. Quantæ fuerit prudentiæ, quantæque Rex *Henricus* scientiæ, hinc probari potest, quod optimum, & potissimum, & religiosissimum natorum suorum Regem constituit (*b*). Imminebat enim, Rex prudentissime, obitu tuo totius populi casus, si tantus regiæ dignitati non subiret vicarius. Qua ex re in amborum laudem hos pangimus versus:

Ipse qui quondam superare gentes
Impias bello solitus cruento,
Nouimus nunc, Rex, dederis popello
Morte quam magnas propria ruinas.
Turba certatim viduata caro
Rege iam cesset lacrymare: quando
Alter exurgit similis cluenti
Filius patri, venerandus orbi
Rex Otho: *gentes ditione magna*
Qui premet, pacemque feret beatam.
Quicquid Henrici *periit recessu,*
Præstitit claro populis hic ortu,
Blandus & mitis, patiensque sanctis,
Pestifer duris, rabidusque sæuis.
Bella nonnullis tibi sunt gerunda;
Ex quibus nomen referens in astra,
Cuncta calcabis pedibus per orbem,
Quæ premit tardus radians Bootes,
Et quibus nomen dedit hesper almus:
Lucifer rursus vocitatus idem,
Surgit eoo properans corusco.

Duxerat idem Rex *Otho* ante regni susceptionem ex Anglorum gente nobilissimam Regis *Adelstani* fratris filiam (*c*) sibi vxorem, nomine *Orgit*: ex qua & filium genuit, nomine *Liutolphum*. Cuius ob recentem iacturam quoties memoriam agimus, lacrymis sinum replemus. O si nunquam natus, aut non tam mature esset defunctus.

(*a*) Rectius *Memleben*, vt auctor *vitæ Mathildis* vocat cap. 2 § 9, fine, vt *Ditmarus Merseburgensis* lib. 1 p.m. 328, & lib. 3 p. 341 *Miminlene*; item *Mimmeleben*, lib. 2 p. 340.

(*b*) *Ast sola erat designatio, cum aliud ius non haberet. Ipsa electio nonnisi post ipsius mortem demum fuit facta.* Idem *Struuius* d. Syntagmat. Histor. German. dissertatione 11 § 25 not.**** p. 315.

(*c*) Immo, Regis *Ethelstani* sororem, *Eduardi* Regis filiam, eamque maiorem natu; id quod non Angli modo scriptores habent, sed *Hrosuuitha* poetria etiam & *Albericus* diserte dicunt: *hic*, ad an. 934; Otho *filius* Henrici *vxorem ducit filiam* Eduardi, *sororem* Ethelstani, *Regis Anglorum. Illa*, in panegyri *de gestis Othonum* &c.

Demandans, vt continuo (tardamine misso)
Eduardi *Regis natam peterent* Eaditham.

Notauit iam hunc *Liuthprandi* errorem *Struuius* Syntagmat. Histor. German. dissertatione 12 § 31 in not.* p. 351.

CAPVT VIII

De Henrico *peruersorum consilio* Othoni *rebellante, & exclamatione autoris in eum.*

QVo in tempore Regis eiusdem frater *Henricus* quorundam peruersorum instinctu eidem est nimium aduersatus. Is enim, qui post creationis suæ mox clarissimam dignitatem creatori suo se similem fieri voluit, per auditores suos

suos talibus *Henricum* contra fratrem, imo Regem & Dominum, sermonibus instigauit: *Rectene patrem egisse vere, in regia tibi dignitate genito, non in eadem genitum proponendo? Plane non discretionis hoc censura ponderauit, verum passionis magnitudine aberrauit. Ergo age, neque tibi deerunt copiæ, fratrem deiice, regnum accipe, sitque tibi regnandi facultas, cui accidit Deo largiente & in eadem dignitate natiuitas.*

Regnandi tibi quid iuuenum tam dira cupido
Optime Saxigenum? prohibet Deus.
Haud pater Henricus *dedit his: quia sceptra mouebat*
Astripotens bonus ipse Deus pius,
Quo sine nec regnum capitur, nec tempora sistunt.
Quicquid in orbe, Deus, geritur, iubet:
Per quem iura Duces cernunt, Regesque triumphant.
Fraternas acies nunc nunc male,
Conflictare cupis, fallax, crudelis, inique,
Impie Leuiathan Beemoth paras
Antiquum renouare tua iam fraude duellum.
Crimine pro cuncto pœnas lues,
Hic reprobum numeris culpans quod peccat, in æuo
Improbe supplicium referes simul:
Et quæcunque malis debentur flammea cunctis
Vincula, parta tibi misero: neque
Ignicomas erebi iuste demersus ad vndas,
Perpetuo tecum arsuros trahes
Christicolas: quia siqua sacro baptismate loti
Debita post traxere, Dei manet
Gratia, quæ lapsos erexit sanguine gratis.

CAPVT IX

De Euerhardo, *qui* Henricum *adhuc Regi* Othoni *fratri suo fidelem cepit, & in Franciam abduxit. Item qua ratione* Euerhardus *dictus* Gilibertum *a Regis fidelitate seiunxerit, & quomodo* Gilibertus *&* Euerhardus Henricum *carcere emiserint.*

TAnti huius ac tam perniciosi facinoris illex *Euerhardus* extitit Comes: huius enim primæ rebellionis tempore *Henricus* fratri suo Regi & Domino, prout debuerat, adminicula dederat, nisuque omni aduersarios fatigabat. Verum quia incuria non solum temporalibus rebus, sed etiam æternis deditis, atque in ipsa internæ contemplationis visione constitutis, lapsum nonnunquam parat, & quod (vt *Vegetius Renatus* in libro *Rei militaris* ait) *necessario amplior securitas grauius solet habere discrimen*, *Henricum* in quodam oppido manentem, incautiusque se tuentem, prædictus *Euerhardus* collecta multitudine obsedit, ac priusquam ei frater Rex adminiculari posset, expugnauit, secumque illum & gazam non paruam in propria transportauit. Rex igitur tantum fratris, imo suum cupiens dedecus vindicare, præfatum *Euerhardum*, sibique conniuentes toto cœpit conamine persequi. *Euerhardus* sane *Gilibertum* Lotharingorum Ducem a Regis fidelitate seiunxerat, cuius adiutorio Regi non modice resistebat. Quanquam idem *Gilibertus* Regis sororem haberet vxorem, maluit tamen suscipiendi regni spe animatus Regi obsistere, quam eum, vt debuerat, contra suos æmulos adiuuare. Sed quum se Regi nec sic conspicerent posse resistere, non incallido secundum hominem, sed fatuo secundum Deum accepto consilio, huiusmodi verbis *Henricum* conueniunt: *Si consiliis nostris te parere nobis*

nobis iuramento promittis, non solum, quia captus es, te dimittimus; sed quod maius est, si tamen Rex velis fieri, nostrum te Dominum constituimus. Hoc autem non eo dicebant, vt facerent, sed vt eius auxilio Regem debellarent.

CAPVT X

Qua calliditate Euerhardus Henricum & Gilebertum *in acquirendo regno decipere voluerit, & quomodo id iactanter coniugi dixerit.*

HAbuerat plane Rex nonnullas maximas & fortissimas copias, & earum duces *Hermannum* scilicet Sueuorum Ducem, fratremque eius *Vdonem* atque *Conradum* cognomine *Sapientem.* Qui quanquam affinitatis linea *Euerhardo* iungerentur, maluerunt tamen iuste, si necessitas incubuisset, iusto cum Rege occumbere, quam cum consanguineo iniuste triumphare. *Henricus* igitur præmissa iam promissione deceptus, propriis mox collectis copiis, totis viribus ipsos adiuuare, Regemque cœperat debellare. Verum quia scriptum est, *Mentita est iniquitas sibi*, libet paululum immorari, & quemadmodum tunc mentita sit iniquitas sibi, explicare. *Euerhardus* haud prius *Gilebertum* a Regis fidelitate seiungere valuit, donec Regem eum se facturum esse promisit. *Gilebertus* autem arte hac *Henricum* decipere voluit, vt dum suo audiutorio Regem deuinceret, ipsum deponeret, sibi regni solium obtineret. Verum *Euerhardus* longe aliter disposuerat. Voluit enim Regem posse deuincere, regnoque priuare vtrosque, sibique vsurpare, quemadmodum ex verbis ipsius, quæ paulo antequam moreretur, vxori suæ dixit, coniicere possumus. Quam dum foueret in sinu, *Iocundare*, inquit, *in gremio Comitis, breui lætatura in amplexibus Regis.* Quod non ita accidisse, & iniquitatem sibi mentitam esse, tempestas indicat præsens.

CAPVT XI

De admirabili victoria, quam Rex Otho *orando obtinuit, & de* Henrico *in brachio vulnerato in eo prælio.*

IGitur, vt præfati sumus, huiusmodi *Henricus* promissione animatus, imo deceptus, collecto exercitu, cum *Gileberto* pariter atque *Euerhardo*, Regi præparat bellum. Quos contra Rex properat lætus, non eorum multitudine territus, sed Dei pietate confisus. Sed vt scias, quam facile est Deo in paucis plures vincere, & quod quisque in abundantia virtutis suæ non saluabitur, audi antiquum a Domino renouatum miraculum. Regis milites supra Rhenum ad locum vocabulo *Bierzuni* peruenerant, Rhenique alueum transire cœperant, ignorantes quod *Henricus* cum præfatis Comitibus tanta vicinitate eis iam esset proximus. Perpaucis denique e nauibus egressis, vix equos ascendere, seseque armis induere poterant, quum prænominatorum legiones non nuntiantur properantes, sed intuitu ipso cernuntur præsentes. Tali igitur sese mutuo sunt sermone aggressi: *Fluminis huius, vt cernitis, magnitudo socios nostros nobis succurrere, nosque etiam, quamuis volentes, redire non sinit: nec clam nobis est, quam ridiculum nostris præsertim sit nationibus, fortes viros se hostibus tradere, & non resistendo mortem fugere, vitamque sempiternis opprobriis comparare. Quamquam enim euadendi (quæ nunquam hostibus obest) oblata desperatio, & supplicandi opprobrium sempiternum pugnandi nobis fiduciam præstent: ea tamen est, quæ nos præsertim veritatis scilicet & iustitiæ causa pugnare compellit. Si enim terrestris domus nostri resistendo iniustitiæ dissoluatur, æternam non manu factam recipiemus in cælis.* His itaque dictis accensi, hostes inter præcipiti cursu tran[...] Rex denique suorum tantam

tantam constantiam non sine diuino instinctu considerans, quoniam, fluuio intercedente, corporali præsentia subuenire suis non poterat, recordatus populi Domini, qui repugnantes sibi Amalechitas orationibus Moysi serui Dei deuicerat, protinus de equo descendit, seseque cum omni populo, lacrymas fundens ante victoriferos clauos manibus Domini nostri Iesu Christi affixos, suæque lanceæ impositos, in orationem dedit: quantumque iusti viri (secundum iusti viri sententiam *Iacobi*) tunc valeret oratio, res manifesta probauit. Eo namque orante, quum ex suis nullus occumberet, hostes sunt omnes in fugam conuersi, nonnullique eorum, quur fugerent, penitus ignorabant: quoniam quidem præ paucitate sese insequentes hostes videre non poterant. Cæsis igitur plurimis, *Henricus* est vehementer in brachio percussus, & quamquam loricæ triplicis fortitudo ad carnem vsque ensis aciem non admitteret, pondere tamen percussionis acerbæ brachium est adeo in liuorem conuersum, vt nullis medicorum curis ita mederi posset, quin subsequente anno dolorem permagnum sentiret. Vnde & paulo post huius facinoris occasione ipsum falsi sunt hominem exuisse. Sed quia lanceæ ipsius sanctæ memoriam fecimus hic, qualiter ad eum peruenerit, inseramus.

CAPVT XII

De lancea dominica per* Henricum *inuenta, & ad* Othonem *perlata.*

BVrgundionum itaque Rex *Rodulfus*, qui nonnullis annis Italicis imperauit, lanceam illam a *Samsone* Comite dono acceperat. Erat enim excepta ceterarum specie lancearum, nouo quodammodo opere, nouaque elaborata figura, habens iuxta limbum medium vtrobique fenestras. Hæ pro pollicibus perpulchre duæ acies vsque ad decliuum medium lanceæ extenduntur. Hanc igitur *Constantini* Magni sanctæ *Helenæ* filii, viuificæ crucis inuentricis, fuisse affirmant, quæ media in spina, quam limbum superius memoraui, ex clauis, manibus pedibusque Domini & redemptoris nostri Iesu Christi affixis, cruces habet. *Henricus* itaque Rex, vt erat Domini timens, totiusque religionis amator, audito *Rodulfum* tam inæstimabile donum habere cæleste, nuntiis directis tentauit, si præmiis aliquibus id posset acquirere, sibique aduersus visibiles inuisibilesque hostes arma inuictissima, triumphumque perpetuum præparare. Quod quum Rex *Rodulfus* modis omnibus se nunquam facturum ediceret, Rex *Henricus* quia mollire hunc muneribus non potuit, minis terrere magnopere curauit. Omne quippe regnum eius cæde atque incendiis se depopulaturum esse promisit. Quia vero, quod petebatur, munus erat, quo cælestibus terrea Deus coniunxerat, lapis scilicet angularis faciens vtraque vnum, *Rodulfi* Regis emolliuit cor, iustoque Regi iusta iuste petenti cominus dedit. Neque enim pace præsente simultati locus erat. Nam & eo, qui his crucifixus est, a Pilato ad Herodem properante, facti sunt amici in illa die, qui prius inimici erant adinuicem. Quanto autem amore Rex *Henricus* præfatum inæstimabile donum acceperit, tum in nonnullis rebus, tum in hoc præsertim claruit, quod non solum eo donantem se auri argentique muneribus, verumetiam Sueuorum prouinciæ parte non minima honorauit. Deus autem, qui, quo quisque quid animo peragat, intuetur, non muneris quantitatis, sed bonæ voluntatis inspector ac retributor, quanta ob prælibatam rem mercede æterno in sæculo pium donauerit Regem, indiciis quibusdam hoc etiam in tempore prodidit, dum contra se insurgentes hoc victorifero præeunte signo semper hostes terruit atque fugauit. Hac igitur occasione, imo Dei voluntate, sanctam Rex *Henricus* adeptus est romphæam, quam filio, vnde inpræsentiarum nobis sermo est, decedens cum regno hereditario dereliquit. Qui quanta donum inæstimabile veneratione coluerit, victoria non solum indicat præsens, verumetiam diuinorum, vt prompturi sumus, admiranda largitio munerum.

His

His itaque perterritis atque fugatis, Rex rediit non tantum de victoria lætus, quantum de diuina miseratione magnificus.

* Lanceam hanc Constantinianam *Liuthprandus dominicam* vocat, non quod fuerit illa, quæ latus Domini aperuit; sed quia clauis dominicis, vel saltim reliquiis clauorum dominicorum insignita erat. *Gretserus* cap. 13 syntagmatis de Insignibus Imperii, col. 199 edit. Ludeuuig.

CAPVT XIII

Probat autoritate sanctæ scripturæ, victoriam Othonis *non fuisse fortuitam, sed Deo ita disponente prouenisse.*

LIbet autem paululum immorari, & quod non fortuito, sed Deo disponente hæc ita acciderint, enarrare. Quod luce nobis clarius constabit, si Domini ac saluatoris nostri Iesu Christi apparitionem, quæ post resurrectionem mulieribus & discipulis facta est, in medium proferamus. Fidem *Petri*, dilectionem *Ioannis* supra pectus Domini in cœna recumbentis, *Thomas* firmiter nouerat, eosque ad sepulchrum cucurrisse, nihilque præter linteamina inuenisse audierat: angelorum etiam visiones, qui eum viuere assererent, mulieribus apparuisse cognouerat. Sed esto, forte mulierum infirmitatem considerans, mulieribus non credebat. *Cedo*, inquam, *sancte Thoma, si duobus discipulis ad castellum Emaus properantibus, quibus non solum apparuit, sed etiam scripturas, quæ de se erant, aperuit, imo etiam secundum consuetum morem panem benedixit, & fregit, ac dedit, non credis: omnibus tamen condiscipulis, quibus ianuis clausis apparuit, quid fidem non adhibere contenais? Meministine*, inquam, *eundem Dominum & præceptorem tuum, cui te commoriturum promittebas ante passionem, hæc omnia prædixisse? Ait namque*, Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur: & postquam flagellauerint, occident eum: & tertia die resurget. *Quur itaque eum dubitas resurrexisse, quum gentibus traditum, flagellatum, consputum, crucifixum, sicut prædixerat, videas? Haud ab re est, quod Dominum tuum manibus propriis tractare contendis. Ipse Dominus namque Rex noster, qui operatus est salutem in medio terræ, qui nouit omnia, antequam fiant, multos præuidens hoc errore perituros, vt est misericors & clemens*, Infer, *ait*, digitum tuum huc, & mitte manum tuam in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis. *Confitere*, Thoma sancte, *& tua dubietate omne nostrum exclude amphibolum.* Dominus, *inquit*, meus & Deus meus. *O ambiguum omni laude dignissimum! O dubium cunctis seculis prædicandum! Si tu non dubitares, ego non tam firmiter crederem.* Si mulierum credentium, si condiscipulorum fidem hæreticis, qui non vero corpore Dominum Iesum Christum resurexisse latrabant, diceremus, multa nobis argumenta diabolica calliditate opponerent. Sed quum dubitantem Thomam corpus tractasse, vulnerum cicatrices tetigisse, ac mox dubitatione remota Deum & Dominum exclamasse audiunt: qui prius erant multisoni, mox vt pisces videntur insoni, cognoscentes, quia & vera caro est, quæ tractari potuit, & Deus, qui ianuis clausis intrauit. Et quod Thomas dubitauit, non fors, sed Dei omnipotentis dispensatio fuit. Sic itaque, sic, Rex piissime, insperata ob militum paucitatem victoria diuinæ consilium prouidentiæ fuit, volens mortalibus indicare, quam charus Deo esset, qui orando tam immensum cum paucis triumphum obtinere promeruit. Forte enim, imo certe & tu prius ignorabas, quam charus existeres: quod post te cognoscere fecit, quum tanta victoria honorauit. Sancti etenim viri quid virtutis habeant, & quanti in conspectu diuini examinis existant, nisi probauerint, ignorant. Quod in facto *Abraham* filium immolare cupientis, ex verbis angeli dicentis colligere possumus: ait enim, Ne extendas manum tuam

tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognoui, quod timeas Dominum, id est, teipsum & posteros cognoscere feci. Nouerat enim Dominus etiam, antequam filium immolare vellet, quanta Abraham patriarcha sanctus cum charitate diligeret: sed is, qui diligebat, quam perfecte diligeret, non nouit, donec per dilecti filii immolationem apertissime cognouit. Possumus & hanc ex beati *Petri* promissione approbare: *Domine*, inquit, *tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire.* Cui Dominus, *Dico*, ait, *tibi* Petre, *non cantabit in hac nocte gallus, donec ter abneges nosse me.* O *sancte Petre*, melius quam tu nouit te, qui fecit te. Tu profiteris, quemadmodum putas, veram fidem: sed qui priusquam fiant omnia nouit, ter se negaturum te esse prædixit. Huius quippe sententiæ non immemor, quum postmodum te, an se diligeres, interrogaret, magis ipsi credens quam tibi, amorem tuum hac temporata responsione declarasti, dicens, *Domine, tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Conscientia quidem mea plus diligo te, quam me, nisi quia te diligendo diligo me. Vtrum autem, vt existimo, ita se veritas habeat, ipse quam ego melius nosti: qui me vt essem fecisti, & vt te diligerem amore iustissimo inflammasti. Bone itaque Rex, non ob tuam hoc, sed ob infirmorum actum est fidem, qui victoriam non nisi multitudine putant consistere, & humanas res non nisi fortuito prouenire. Scimus enim, quia si cum duodecim legionibus transires, ac victoriam obtineres, non eam Domino, sed tibi imputares. Et hæc ratio est, quod cum paucis orando voluit te Deus vincere: vt & in se sperantes ad amorem sui magis accenderet, & te quantum diligeret, nescientibus indicaret. Sed his omissis, ad alia festinemus.

CAPVT XIV

De iis qui in Alsatia Othonem *Regem fraude* Frederici *Archiepiscopi deseruerunt: & de animoso* Othonis *ad suos responso.*

Brisacum

EST in Alsatiæ partibus castellum, *Brisecgauue* patrio vocabulo nuncupatum, quod & Rhenus in modum insulæ cingens *, & naturalis ipsa loci asperitas munit. In hac itaque suorum *Euerhardus* posuerat multitudinem militum, quorum terrore non solum sibi magnam partem præfatæ prouinciæ vendicabat, verumetiam circumcirca Regis fideles misere laniabat. Rex denique bonus, non quæ sua, sed quæ suorum erant considerans, collecto exercitu, in Alsatiam, vt præfatum castrum obsideat, proficiscitur. Quumque eodem peruenisset, *Frederici*, qui cum eo tunc aderat, Moguntiæ sedis Archiepiscopi exhortatione, Episcoporum quamplurimi, defixis noctu per gyrum amissis tentoriis, cœperunt Regem deserere, clamque ad ciuitates proprias confugere, Frederico cum eodem subdole permanente. Quod Regis milites considerantes, huiusmodi Regem sunt aggressi sermone. *Consule, Rex, saluti tuæ, loca hæc deserens, & Saxoniam petens. Nec clam te est, quod* Henricus *frater tuus bellum tibi inferre conatur: qui si tam paruas tecum esse copias senserit, ita repentinus irruet, vt ne fugiendi quidem locus sit. Melius est igitur reparato exercitu redire, quam aut mori misere, aut turpiter fugere.* Quibus Rex imperterritus, vt quondam suis Iudas cognomento Machabæus, *Nolite*, ait, *nolite talia loqui. Et si appropinquauit tempus nostrum, moriamur omnes in virtute, & non inferamus crimen gloriæ nostræ. Melius est enim pro vera iustitia mortem subire, quam eam fugiendo turpiter viuere. Denique si illos Dei ordinationi resistentes, auxilium a multitudine sola & non a Deo sperantes, iniuste præliari, mori, & ad inremissibiles erebi pœnas descendere iuuat, nihilominus nos imo acrius pugnare delectet, qui & prælia i pro iustitia securi, & si sors carnis vniuersæ acciderit, securius possumus mori. Nam pro iustitia pugnatores ob copiarum paucitatem ante*

pugnæ

pugnæ experimentum terga dare, Deo diffidere est. His dictis non solum eos a fugæ proposito reuocauit, verumetiam, vt vehementer pugnarent, animauit.

* *Insulam oppido vicinam, vt* Cluuerius *German. antiq. lib. III cap. IV arbitratus est, pro oppido haud accepit* Luitprandus *per errorem; sed vere recteque ipsum oppidum in insula situm esse credidit. Suntque illa vestigia alnei, quæ ab altero Brisaci latere suo adhuc tempore superfuisse testatur* Rhenanus *rer. Germanic. lib. III p. 278, indicio, non quidem totum fluuium, sed partem tamen eius aliquando id oppidi latus occupasse. Deseruit post* Luitprandi *tempora Rhenus illum iterum alueum, diuque continuo amne Brisacum ab Alsatia diuisit, donec an. MCCXCV iterum montem circumflueret, insulamque ex oppido efficeret. Testis eius rei coæuus e vicinia Monachus,* annal. Dominican. Colmariens. *parte I ad eundem annum* Rhenus, qui longo tempore oppidum Brisacum ab Alsatia diuiserat, isto anno pro parte ad latus montis se ad aliud transferebat. Ita *Obrechtus* Prodrom. rer. Alsaticar. cap. XIII p. 351.

CAPVT XV

De animoso & prudenti responso Othonis, *quo confutauit impudentiam Comitis, Abbatiam in præmium auxilii petentis.*

VNum autem, vnum *Pater, egregie*, velim diligenter attendas, quod quum audieris, plus eum animi passiones, quam hostes vicisse miraberis. Huiusmodi vincere aduersarios permittente Deo non nunquam & peccatores possunt: inconcussam autem animi tenere virtutem, prosperis scilicet non extolli, & aduersis non frangi, perfectorum solummodo est. Audi igitur in tanta hac fluctuante procella, quo fidei supra petram, qui Christus est, sit ardore fundatus. Comes quidam tunc prædiues cum eo erat, cuius multitudo militum Regis aciem condecorabat. Hic itaque videns, quamplurimos ex Regis acie desertores ac transfugas fieri, non interiorem, sed exteriorem considerans hominem, tacitus hæc secum voluere cœpit: *Quicquid a Rege in hac turbatione constituto petiero, sine dubio impetrabo, præsertim quum & acre nobis bellum immineat, ac se ne deseram timeat.* Nuntiis itaque directis Regi supplicat, vt Abbatiam quandam *Lauresheim* dictam, prædiis ditissimam, sibi concedat: cuius possessionibus quod sibi deerat, militibus suis ministrare præualeat. Rex autem columbina non solum, sed vt erat viperina calliditate suffarcinatus, non hoc, quid portenderet, minime aduertere potuit: vnde & huiusmodi nuntiis apologeticum dedit: *Illi quid super hac re sentiam, verbis ipse potius explicabo, quam nuntiis.* Quod, qui hos direxerat, audiens, immensa est affectus animi lætitia, sperans, se quod poposcerat impetrasse. Vnde & moræ impatiens, Regem adiit, eumque sententiam super hac re promere postulauit. Cui Rex populo circumstante, *Obedire*, inquit, *magis oportet Deo, quam hominibus. Quis enim sanum sapiens ignorat, te hæc non humilitate petitionis, sed comminationis autoritate dixisse? Scriptum est enim*, Nolite sanctum dare canibus. *Quod quamuis a doctoribus spiritualiter intelligendum esse prædicetur, ego tamen satis me dare canibus sanctum censeo, si monasteriorum prædia, quæ a religiosis viris Deo sunt militantibus tradita, tulero, & sæculo militantibus dedero. Tibi vero tam procaciter iniusta petenti, sub testimonio totius populi, nec hoc nec aliud vnquam te a me accepturum esse testificor. Si cordi tibi est, cum ceteris infidelibus auolare, quanto citius, tanto melius.* His auditis, quia facies speculum est mentis, cordis verecundiam vultus rubore nudauit, concitusque Regis ad pedes corruens, se peccasse, se grauiter deliquisse confessus est. Perpende itaque, qua constantia Dei athleta non solum visibiles, verumetiam inuisibiles conterat hostes. Antiquus etenim hostis non ei se nocuisse putauit, dum tot fortissimos Principes contra illum surgere persuasit, fratrem etiam, qui ei regnum auferret, instigauit, quoniam hæc exteriora esse damna cognouit: quin & præfatum Comitem ad expetendam Sanctorum hereditatem incitauit, quatenus Rex eo velocius offensam Dei incurreret, quo seruorum Dei stipendia suis iniuste militibus traderet. Verum quia nequiuit, nunc quantum Rex sanctus ob tentationis huius constantiam Deo pro se pugnante creuit, in medium proferamus.

CAPVT XVI

Quomodo Deo pro Othone *Rege pugnante*, Gilebertus & Euerhardus *apud Andernacum sint occisi.*

DAuid sanctus ex persona Domini dicit: *Si populus meus audisset me, Israel si in viis meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.* Quod in Rege hoc Dominum audiente, atque in viis eius ambulante esse completum, quam prompturus sum, ratio declarabit. *Euerhardus* atque *Gilebertus*, audito Regem in Alsatia esse, quoniam neminem, qui eis resisteret, verebantur, permagno collecto exercitu, Rheni alueum ad *Andernacum* petransеunt, Regisque fideles circumquaque demoliri procedunt. *Vdo* sane, *Hermanni* Ducis Sueuorum frater, necnon & *Conradus* cognomento *Sapiens*, quos superius Regi diximus esse fideles, ipsius in patribus erant, sed quia eorum copiæ istorum copiis impares extiterant, his occurrere trepidabant. Verum iubente Deo, non locutionis, sed inspirationis modo, hos cum multis spoliis redeuntes pone sequuntur. Quumque paululum processissent, quidam eis flens & eiulans obuiam venit sacerdos. Qui rogatus ab eis, *quo iret, cur fleret? Ab istis*, inquit, *prædonibus ego venio, qui paupertatis meæ ærumnam vno quod solum possederam iumento ablato dilatarunt.* Quod quum præfatus *Vdo* ac *Conradus* audirent, an *Gilebertum* atque *Euerhardum* viderit, examussim sunt sciscitati. Quo respondente, quoniam cum præda cunctis pæne trans Rhenum missis, ipsi soli cum eorum electis militibus (quod nec bene vertat) capiunt cibum, tanta celeritate super eos irruunt, vt si videres, non eos currere, sed diceres transuolare. Quid plura? *Euerhardus* gladiis occiditur, *Gilebertus* Rheni vndis submergitur, quas quoniam exorbere præ multitudine non potuit, anima recedente defecit. Ceterorum vero nullus aufugit, qui non aut viuus caperetur, aut gladio truncaretur. Vides igitur, quemadmodum super Regem tribulantes Dominus manum miserit, quem in viis suis ambulantem cognouit.

CAPVT XVII

De nuntio, qui Othoni *cædem* Gileberti & Euerhardi *nuntiauit, quum templum peteret: & de pietate eius.*

DVm hæc aguntur, Rex in Alsatia horum inscius, mori potius, quam adversarios fugere est paratus. Accidit itaque, vt quemadmodum ei moris erat, mane primo, quoniam ecclesia longe aberat, super equum consideret, eoque se munitum orationibus iret, dum directis procul oculis, obuiare sibi sub nimia celeritate hominem vidit: quem ilico nuntium esse intellexit, eo quod subsequuturam lætitiam quodam præludio hilaritatis ostendit. Hoc igitur indicio, quia secunda eum nuntiare, qui aderant, intelligunt, arrectis auribus vt eum audiant currunt. Quibus moderata huius processio, capillorum ac vestium compositio, honesta salutatio annuerat. Vidit Rex populum anhelare, & quod dicendi moram nuntius faceret, grauiter ferre. *Age*, ait, *ad quod missus es fare, præpostero ordine rem prius exprime, circumstantium metus adime, eorumque animos gaudio exple: dehinc per longa exorsa, & rhetorum proœmia salutationibus nos demulce. Non qualiter, sed quid dicas, præsens tempus expectat. Malumus enim rusticana simplicitate lætari, quam Tulliana eloquentia periclitari.* His auditis, Euerhardum atque Gilebertum hominem exutos esse primo impetu nuntiauit, volentemque, qualiter hoc acciderit, prosequi, Rex manu compescuit, ac mox de equo descendit, seseque cum lacrymis Deo gratias agens in orationem dedit. Qua expleta, surrexit, atque itinere, quo ceperat, Deo se commendaturus, ad ecclesiam tendit.

CAPVT

CAPVT XVIII

Quomodo Otho *Rex Bertholdo Baioariorum Duci, amico suo, res latas denuntiauit, & nuptias sororis aut filiæ eius obtulit: & de* Frederici *Episcopi inani contra Regem factione.*

HOc in tempore *Bertholdus* Baioariorum Dux, *Arnolfi* Ducis frater, vir strenuus, Regis partibus toto fauebat conamine. Volens itaque Rex, vt quemadmodum tribulationis præteritæ, ita & lætitiæ præsentis fieret particeps, sequenti die, quanta erga eum Dominus beneficia egerit, nuntiis directis, aperuit. Cui etiam in augmentum lætitiæ, quoniam coniugali minime connubio tenebatur, demandauit, ac iuramento promittere fecit, vt si sororem suam, scilicet *Gileberti* vxorem, habere posset, eam illi coniugio copularet. Quod si minus procederet, ipsius *Gileberti* ex eadem sorore genitam, quam penes se habuerat, fere iam nubilem maritali ei coniugio traderet. Quo audito, *Bertholdus* immenso est gaudio affectus, elegitque nondum nubilem potius filiam expectare, quam matrem, quæ iam nupserat, tollere. *Fridericus* denique Moguntiacensis ecclesiæ Archiepiscopus, cuius consilio nonnulli Episcoporum Regem dimiserant, vt quám occulte gestabat, infidelitas cunctis pateret, decem ferme diebus ante prænominatorum interitum Regem deseruit, ac Moguntiam concitus venit, in qua nihil moratus, Metensem vrbem adiit. Disposuerat enim Regis frater *Henricus*, redeuntibus *Euerhardo* atque *Gileberto*, cum eodem *Frederico* illic exercitum congregare, sicque Regi in Alsatia degenti bellum maximum præparare. Quumque illo peruenisset nominatus Archiepiscopus, insperate & non opportune ei nuntii occurrerunt, qui iam prælibatos Principes morte intercedente non viuere dicunt. Is autem animo consternatus, quid faceret penitus ignorabat.

CAPVT XIX

De eiusdem Frederici *Archiepiscopi captiuitate. Et de sorore* Henrici, *prohibente, ne in munitiones quasdam contra Regem se recipiat. Et quomodo* Henricus *tandem ad misericordiam Regis fratris sui se submiserit.*

REx interea Alsatiam deserens, Franciam occupabat. Cuius ob metum Moguntiæ ciues redeuntem Archiepiscopum intra vrbis mœnia non suscipiunt. Vnde factum est, vt non multo post a Regis fidelibus captus, & ante eius præsentiam adductus, custodiæ sit in Saxoniam traditus: in qua aliquandiu commoratus, miseratione Regis dignitati pristinæ est restitutus. *Henricus* denique Regis sui atque fratris terrore compulsus, in castellum *Capræmons* vocabulo, non solum ingeniis hominum, verum natura ipsa munitum, ingredi voluit. Quod eius soror, vidua scilicet *Gileberti*, prænoscens, non solum ne id facere posset prohibuit, verum huiusmodi sermonibus eum conuenit: *Proh, non tete miseriarum mearum tædet, quas interempto* Gileberto *marito perpetior; ni etiam meis in munitionibus te occludendo Regis iram super regionem velut aquam effundas? Non feram, non sinam, non patior, non tanta mihi vecordia innata erit, vt ex meis incommodis tua compares commoda.* His *Henricus* auditis, quum aliud quid faceret ignoraret, assumptis secum, quorum auxilio iuuaretur, quibusdam Episcopis, die quadam nudis pedibus Regis ad pedes ignorante ipso peruenit, supplexque misericordiam implorauit. Cui Rex, *Indignum*, inquit, *facinus tuum misericordiam non meretur. Verum quia video te humiliatum coram me, non inducam malum super te.* Iussit itaque Rex eum ad palatium suum, quod in Francia in loco, qui dicitur *Inglinheim*, constitutum est, proficisci, solertique illum vigilantia custodiri, quoad iræ remota paululum ægritudine, quid super illo faceret, consilio sapientium definiret.

LIVTHPRANDI, TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE, HISTORIARVM LIBER V.

CAPVT I

Qualiter Hermannus *Sueuorum Dux* Liuthulfo *filio Regis* Othonis Idam *filiam suam coniugem obtulerit. Et de eclipsi solis ante victoriam* Radamiri *in Hispania: & de apparitione cometa. Item qualiter Rex* Hugo *Romam vexauerit.*

FACTVM est, vt post mortem *Euerhardi* atque *Giliberti*, necnon & *Henrici* fratris Regis inclusionem, concurrentibus vndique ad Regem congratulationis causa proceribus, veniret etiam vir ditissimus Sueuorum Dux *Hermannus*, qui post congratulationis satietatem talibus est Regem aggressus sermonibus: *Non clam Domino meo est, tum prædiorum latitudine, tum pecuniarum immensitate prædiuitem me absque liberis esse, nec est præter vnam paruulam natam, quæ mearum rerum me redeunte heres existat. Placeat itaque Domino meo Regi filium suum paruulum* Liuthulfum *mihi adoptare filium, quatenus vnicæ filiæ meæ maritali commercio sociatus, me migrante, mearum fiat hereditate rerum magnificus.* Hoc itaque quia placuit Regi consilium, quod poposcerat sine dilatione compleuit. Hoc in tempore, vt ipse, *Pater*, bene nosti, sol magnam & cunctis terribilem passus est eclipsin, sexta feria, hora diei tertia. Qua etiam die *Abdaram* Rex noster a *Radamiro* Rege Christianissimo Galitiæ in bello superatus est. Sed & in Italia octo continuis noctibus miræ magnitudinis cometa apparuit, nimiæ proceritatis igneos ex sese radios fundens, subsequuturam non multo post famem portendens, quæ magnitudine sua misere vastabat Italiam. Eadem tempestate *Hugone* Rege turpiter expulso, *Albericus*, vt præfati sumus, Romanæ ciuitatis monarchiam obtinebat. Quem Rex *Hugo* quotannis grauiter opprimebat, gladio & igne quæ poterat vniuersa consumens, adeo vt ciuitates præter Romam, in qua ipse consederat, omnes auferret. Sed & ipsam sine dubio tum depopulando, tum ciues muneribus corrumpendo conquisiuisset, nisi occulta & iusta iusti Dei sententia illi prohibuisset.

CAPVT II

De Berengario & Anscario *fratribus, quorum posterior Marchio Camerinorum & Spoletinorum ab* Hugone *constituitur. Item de* Sarlio, *seu* Harlio, *quem Rex* Hugo *contra* Anscarium *noua molientem miserit: & de* Anscarii *verbis: Item de bono consilio* Wiberti, *& malo* Archodi *Regi dato.*

PEr idem tempus *Berengarius* atque *Anscarius* in Italia fratres clarebant, vno quidem patre, *Adelberto* scilicet, Eporegiæ ciuitatis Marchione, sed non vna matre progeniti: *Berengarium* namque, vti præfati sumus, *Gilla*, *Berengarii* Regis filia; *Anscarium* autem *Ermegarda*, *Adelberti* Tusciæ prouinciæ Marchionis, quam ex *Berta*, Regis *Hugonis* filia, habuerat, peperit.

Quorum

Quorum *Berengarius* consiliis prouidus, ingenio callidus: *Anscarius* vero ad quodlibet facinus promptus. Quem & Rex *Hugo* nimis suspectum habuerat, ne se occideret, ac regnum sibimet obtineret. Consilio itaque accepto, quia *Theobaldus* Marchio hominem exierat, Spoletinorum eum ac Camerinorum constituit Marchionem, quatenus eo securius viueret, quo longius hunc ab sese esse sequestratum cognosceret. Quo dum profectus esset, vti animi impatiens erat, quicquid ex Rege mali mens ei cogitando suggesserat, rerum signis continuo declarabat. Quod Regem *Hugonem* minime latuit. Igitur quod remedium huic ægritudini dare posset excogitans, *Sarlionem* ad se, Burgundionum ex gente progenitum, aduocat. Cui & ait; *Camerinorum ac Spoletinorum hominum non est mihi fides incognita. Est enim calamo similis, cui si innisus fuerit homo, perforabit manum suam. Vade itaque, atque accepta a me pecunia, mentes eorum corrumpe, ab Anscarii dilectione eos amoue, tibique coniunge. Te nemo est qui possit facere, tum melius, tum commodius. Habes enim illius* Theobaldi, *nepotis mei defuncti optimi, Marchionis vxorem, cuius auxiliis fretus cunctus ad te veniet populus.* Profectus itaque est, & eo annitente, haud secus atque Rex prædixerat, Camerinorum ac Spoletinorum populus egit. Congregata itaque multitudine, ad eam, in qua *Anscarius* erat, ciuitatem properare festinat. Quod quum audisset *Anscarius*, antesignanum suum nomine *Wibertum* talibus adorsus est verbis:

> Sarlius *imbellis, multorum fisus in armis,*
> *Pugnaturus adit: cui fortes pectore & armis*
> *Occursare decet, bellumque inferre cruentum.*
> *Lecta manus iuuenum, bellis exercita multis,*
> *Post huc tendentem quæ me comitata patronum,*
> *Protinus adueniet, fuluo decorata metallo.*

His auditis, *Wibertus*, vt erat vir non audacia solum, verumetiam scientia fretus, *Mane*, ait, *copias prout potis es congregato. Pergraue est enim, cum paucis innumeris occurrere. Sed & si quibuscum res agitur animaduertis, heroes sunt, haud segnius atque nos bello assuefacti.* Iam *Anscarius Wiberto* recta sibi consulenti conniuere decreuerat, directisque vsquequaque nuntiis, congregare exercitum cupierat, quum *Archodus*, Burgundionum sanguine ortus, *Wibertum* sibi consulentem dictis increpabat amaris: *Chremeti*, inquit, *similis es, qui ob Thrasonis metum Thaidi de occludendis ædibus consilium, quo aduocatos sibi a foro duceret, dedit: quem quum Thais prohiberet, quod cum salute tua*, ait, *cauere possis; stultum est admittere. Malo ego vos prospicere, quam vlcisci accepta iniuria. Optime*, *Wibertus* inquit, *Thrasonis fecisti memoriam militis, qui prius ore deseuiens, quum ad rem veram ventum esset, Syriscum in dextro cornu, Simalionem in sinistro constituens, ipse sibi locum post principia elegit.* Burgundiones enim garrulos esse, voraces ac imbelles, nullus, qui eos nouerit, ambigit. Sed & quam fortiter sæpe feceris, quas fugiendo declinasti, cicatrices indicant corporis.

Terentii locus festiue adductus.

CAPVT III

De prima pugna inter Sarlionem *&* Anscarium, *in qua* Wibertus *lethaliter vulneratus est, &* Archodus *fugit. Item de secundo prœlio, in quo* Anscarius *strenue pugnans,* Hattonem *Comitem hasta occidit, ac postmodum de equo per dolum decidens, ab hostibus occisus est.*

HViusmodi *Anscarius* atque *Wibertus* excitari dictis, vbi Sarlionem cum multis esse audiunt, quam mox cum paucis ... compendium. Sex

Sarlio

Sarlio acies habuerat, quarum tres contra *Anscarii* vnam, in qua ipse *Anscarius* erat, direxerat. Ipse vero fluuio interiecto rei spectans euentum, cum tribus remanserat. Verebatur enim, quod nec tanta eum multitudo quiret defendere, si suos in eum *Anscarius* posset obtutus inducere. Haud mora, bellum incipitur, in quo *Archodus*, quia fugerat, non videtur. *Wibertus* morte tenus vulneratur, quoniam quidem mori satius, quam fugere duxit. His itaque omnibus ab *Anscario* debellatis, duas in eum iterum *Sarlius* mittit acies, vna solummodo secum retenta. Quumque *Anscarius*, quis suorum occumberet, inquirere vellet, non suo tantum quam aliorum sanguine cruentatus *Wibertus* ei occurrit, cui & ait, *Duæ contra nos acies perpulchre armis instructæ adueniunt, quas te potius declinare quam expectare etiam atque etiam rogo.* Archodus, *vt ipse bene nosti, pugnæ huius incensor, qualiter aufugerit vides. Ego vero positus in extremis, non cogito iam de pugna, sed misericordem Dominum rogo pro anima, ne mihi imputet, quæ ob dilectionem tui hodie commerui crimina, multa hominum neci dando corpora.* His expletis expirauit. Collectis itaque *Anscarius* quos potuit, duabus phalangis occurrens, eas inter furibundus insiliit, stragemque innumeram dedit. Comes quidem, *Hatto* nomine, duabus illis præerat aciebus, qui hac occasione & fiducia *Anscario* occurrit, quoniam confracta iam lancea, solam in manu eius viderat hastam. Quem dum intuitus esset *Anscarius*, *Tu ne es*, infit, *qui contempto crucis & sanctorum iuramento, periurus in nomine Dei tui me tuum Dominum deseruisti, & ad vulpem* Sarlium *transfuga ac desertor abiisti? Esse aliquos manes & subterranea regna, in quibus periuri puniantur*, Cocytum & Stygio ranas in gurgite nigras, *qui vsque modo somniasti, re ipsa experiere.* Hæc dicens, hastam, quam sine ferro gestabat, per os illius valide iaciens, sanguine cerebroque resparsam per occipitium duxit: enseque abstracto, quoniam multi super se irruerant, dimicare vehementer cœpit. Quumque nullis sibi adminiculantibus, omnium pæne hostium solus impetum sustineret, huc illucque discurrens, sonipes quo insederat, adeo in scrobem cecidit, vt collo supposito, cruribusque & pedibus sursum erectis, eousque super *Anscarium* iaceret, donec ab irruentibus hostibus missilibusque directis occideretur. Quo mortuo, *Sarlius* Marchia secure potitur, & Rex Hugo gaudio immenso afficitur.

CAPVT IV

De missis ab Hugone *Constantinopolim ad Imperatorem pro nauibus & igne Græco contra Saracenos. Item de* Berengarii *fuga, qui acceperat Regem* Hugonem *oculis suis insidias parare, & se velle excæcare: & de vxoris eiusdem fuga. Item de imprecationibus autoris in montes, qui illis peruii fuerunt. Item qualiter* Hermannus *Dux* Berengarium *suscepit, &* Othoni *Regi commendauit.*

DVm hæc aguntur, montana quibus ab occidua seu septentrionali parte cingitur Italia, a Saracenis Fraxinetum inhabitantibus crudelissime depopulantur. Quamobrem *Hugo* Rex consilio accepto, nuntios Constantinopolim dirigit, rogans Imperatorem *Romanum*, vt naues sibi cum Græco igne transmittat, quas *chelandria* patrio sermone Græci cognominant. Hoc autem eo fecit, vt dum terrestri itinere ipse ad destruendum tenderet Fraxinetum, eam partem, qua mari munitur, Græci obsiderent nauigio, eorumque naues exurerent, ac ne ex Hispania victus eis aut copiarum subsidia prouenirent, diligentissime prouiderent. Interea *Berengarius*, memorati frater *Anscarii*, atque Eporegiæ ciuitatis Marchio, occulte quædam in Regem

cœpit

cœpit moliri. Quod dum Regi compertum foret, simulata beneuolentia, dissimulataque ira, dum ad sese veniret, luce eum priuare disposuit. Filius vero eius, nomine *Lotharius*, Rex & ipse paruulus, & necessariarum sibi rerum adhuc ignarus, quoniam consiliis his interfuit, celare quemadmodum puer haud potuit, verum destinato ad *Berengarium* nuntio, quod pater illi suus facere vellet, aperuit. Hoc itaque *Berengarius* vt audiuit, Italiam quam mox deseruit, ac per montem Iouis in Sueuiam ad *Hermannum* Ducem properauit; vxorem vero suam *Willam* per aliam viam ad eandem prouinciam venire præcepit. Quæ itinere digressionis suæ per montem ausum, fœta partuique vicina, qualiter montes tam asperos atque inuios transire pedibus potuerit, satis nequeo mirari: nisi quia fortunas omnes aduersas mihi fuisse certo scio. Sed ô quod sibi decipulam *Lotharius* præparauerit, futuri ignarus, videre non potuit. Dum enim *Berengario* consuluit, qui regnum & vitam auferret, sibimet præparauit. Imprecor itaque mala plurima non *Lothario*, qui leuitate peccauit pueritiæ, idque amare postmodum pœnituit, verum montibus illis crudelibus contra insuetum omnibus morem facile eis iter præbentibus. Itaque liber mihi in eorum contumeliam nunc exclamare:

Improbe mons auium, tali
Neque tu nomine dignus:
Conseruas quia nam pestem,
Nunc quam perdere possis.
Inuius esse soles etiam,
Cum sol igneus ardet,
Tempore quo Cererem messor
Curua falce reposcit,
Tempore quo radiis Phœbi
Cancri sidus adurit.
Pessime nunc es inaudito
Rigidæ tempore brumæ
Peruius: atque vtinam possent
Mea nunc vota valere,
Protinus in barathrum vulsus
Aliis montibus isses.
Ecce Berengarium *seruat,*
Sinit & tramite recto
Mons transire Iouis, mirum
Haud suetos perdere sanctos,
Et seruare malos, vocitant
Heu quos nomine Mauros.
Sanguine qui gaudent hominum,
Iuuat & viuere rapto.
Quid loquar? ecce Dei cupio
Tete fulmine aduri,
Conscissusque chaos cunctis
Fias tempore cuncto.

Igitur *Hermannus* Sueuorum Dux venientem ad se *Berengarium* benigne suscepit, eumque cum magno honore ante piissimi Regis præsentiam duxit. Quem quanta Rex deuotione susceperit, quantisve muneribus eum donauerit, quantumque honorauerit, stilus meus se scribere posse diffidit. Verum quantum poterit designatis, cuius sanctitatis, quantæ humanitatis Rex fuerit, quantæque etiam *Berengarius* improbitatis extiterit, facile prudens lector animaduertere poterit.

CAPVT

CAPVT V

De legatione Hugonis *ad* Othonem, *vt* Berengarium *non suscipiat: & de pecunia illi frustra oblata. Item de legatione* Romani *Græcorum Imperatoris, postulantis nepoti suo* Hugonis *filiam coniugem.*

REx *Hugo*, audita *Berengarii* fuga, nuntios suos Regi *Othoni* direxit, promittens se secundum voluntatis eius deliberationem auri argentique copiam ei daturum, si Berengarium non susciperet, eique adminicula non conferret. Quibus Rex apologeticum huiusmodi dedit: Berengarius *non ob dominii vestri deiectionem, verum, si potis est, ob reconciliationem, nostram adiit pietatem, siqua in re adminiculari illi penes dominium vestrum potero. Gazas mihi ab illo promissas non suscipio, verum illi meas libentissime tribuo*: Berengario *vero, seu cuilibet nostræ pietatis clementiam imploranti, subsidium non præbere, summæ dementiæ est.* Perpende itaque, quanta cum Rex pius charitate dilexerit, qui promissum non solum non accipere, sed propriam pro illo voluit dare pecuniam. Dum hæc aguntur, Constantinopolitanus Imperator cum Regis *Hugonis* nuntiis suos dirigit, mandans, naues & omnia quæ desideraret se ei daturum, si nepoti suo filiam suam coniugem daret. *Constantinum* autem *Leonis* Imperatoris, non ipsius *Romani* filium dico. Tres enim cum *Romano* hoc imperabant simul, eius videlicet duo filii, *Stephanus* atque *Constantinus*, & *Constantinus Leonis* Imperatoris filius. Rex itaque *Hugo*, audita hac legatione, directis iterum nuntiis, Romano denuntiat, se legitimam ex coniugio natam non habere: sed si ex concubinarum filiabus vellet, egregiam ei forma posse præstare. Et quoniam Græci in genescos nobilitate, non quæ mater, sed quis pater fuerit, inquirunt, Imperator *Romanus* naues continuo cum Græco igne præparauit, munera maxima misit, atque vt illam nepoti suo coniungeret mandauit. Quoniam meus vitricus, vir grauitate ornatus, plenus sapientiæ, Regis *Hugonis* fuerat nuntius, pigrum non sit mihi inserere, quod cum de Imperatoris sapientia & humanitate, & qualiter Russios vicerit, audiui sæpius dicere.

CAPVT VI

De Nortmannis Russis: & de pugna nauali Romani cum Ingero *Rege Russorum seu Nortmannorum, quem mirabiliter vicit, iniiciendo ignem.*

GEns quædam est sub Aquilonis parte constituta, quam a qualitate corporis Græci vocant *Russos*, nos vero a positione loci vocamus *Nordmannos*. Lingua quippe Teutonum *Nord* aquilo, *man* autem mas seu vir dicitur: vnde & *Nordmannos* Aquilonares homines dicere possumus. Huius denique gentis Rex *Inger* vocabulo erat, qui collectis mille & eo amplius nauibus Constantinopolim venit. Quod *Romanus* Imperator vt audiuit, quoniam naualem exercitum suum directum contra Saracenos, & ad insularum custodiam habuit, æstuare cœpit cogitationibus. Quumque cogitationibus non paucas insomnes noctes duceret, & *Inger* cuncta mari vicina diriperet; nuntiatum est *Romano*, XV semifracta se habere chelandria, quæ populus ob vetustatem sola reliquerat. Quod vt audiuit, τοὺς καυπηγοὺς, hoc est, nauium fabricatores, ad se venire præcepit, quibus ait: *Properantes sine dilatione ea, quæ remanserunt, chelandria præparate. Sed & argumentum non solum in prora, quo ignis proiicitur, verumetiam in puppi,* insuper

insuper in vtrisque lateribus ponite. Compositis itaque secundum iussionem suam chelandriis, sapientissimos in eis viros collocat, atque vt Regi *Ingero* occurrant denuntiat. Profecti denique quum in pelago eos impositos Rex *Inger* aspiceret, exercitui suo praecepit, vt viuos illos caperet, & non occideret. Denique miserator & misericors Dominus, qui se colentes, se deprecantes, se adorantes, non solum protegere, verumetiam victoria voluit honorare, ventis tunc placidum reddidit mare. Secus enim ob ignis emissionem Graecis erat incommodum. Igitur in Russorum medio positi ignem circumcirca proiiciunt. Quod dum Russi conspiciunt, e nauibus confestim sese in mare proiiciunt, eliguntque potius aquis submergi, quam igni cremari. Alii tunc loricis & galeis onerati, nunquam visuri ima pelagi petunt: nonnulli vero natantes, inter ipsos maris fluctus vruntur, nullusque die illa euasit, qui fuga sese ad terram non liberauit. Russorum, etenim naues, ob paruitatem sui, vbi aquae minimum est transeunt, quod Graecorum chelandria ob profunditatem sui facere nequeunt. Ingenti *Inger* confusione postmodum ad propria est reuersus. Graeci vero victoria potiti, viuos secum multos ducentes, Constantinopolim regressi sunt laeti. Quos omnes *Romanus*, in praesentia Hugonis nuntii, vitrici scilicet mei, decollari praecepit.

* *Vel nomen hodie testatur*, Russos & Moscouos *eosdem esse*; *vt adeo* Liuthprandus *caute interpretandus sit*, gentem, *inquiens*, quam a qualitate temporis Graeci vocant *Russos*, nos positione loci vocamus *Nordmannos*. Ita *Cellarius* de rebus seculi christiani 10, p. m. 120, in not. lit. c) signata.

CAPVT VII

Vt Hugo *Fraxinetum tendens, Graecos eo cum nauibus miserit: qui cum Fraxinetum destruere potuerit, noluit, sed cum Saracenis foedus icit.*

Rex itaque *Hugo* congregato exercitu, classibus per Tyrrhenum mare directis ad Fraxinetum, terrestri ipse eo itinere pergit. Quo dum Graeci peruenirent, igne proiecto, Saracenorum naues mox omnes exurunt. Sed & Rex Fraxinetum ingressus, Saracenos omnes in montem Maurum fugere compulit: in quo eos circumsedendo capere posset, si res haec, quam prompturus sum, non impediret. Rex *Hugo Berengarium*, ne collectis & ex Sueuia & ex Francia copiis super se irrueret, sibique regnum auferret, maxime timuit. Vnde non bono consilio accepto, ad propria Graecos mox remisit: ipseque cum Saracenis hac ratione iniit foedus, vt in montibus, qui Sueuiam atque Italiam diuidunt, starent: vt si forte *Berengarius* exercitum per eos ducere vellet, transire eum omni modo prohiberent. Eo vero loco constituti quam multorum Christianorum ad beatorum Apostolorum *Petri* & *Pauli* limina transeuntium sanguinem fuderint, ille scit solus numerum, qui eorum nomina tenet scripta in libro viuentium. Perquam inique tibi Rex *Hugo* regnum defendere conaris. Herodes ne terreno regno priuaretur, innocentes multos occidit; tu vt obtineas, nocentes & morte dignos dimittis: atque vtinam ea ratione nocentes illi viuerent tunc, ne postmodum innocentes interimerent. Puto, seu quod verius est, credo, te non legisse, imo nec audiuisse, qualiter iram Domini incurrerit rex Israel Achab, dum Regem Syriae morte dignum foederatum dimitteret Benadab. Vnus enim de filiis prophetarum dixit ad Achab: *Haec dicit Dominus, Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Quod & factum est: verum quantum tibi in hac re obfueris, stilus noster suis in locis opportunius enarrabit.

CAPVT VIII

De Amedeo Berengarii *milite astuto, qui explorator in Italiam venit, & de Hungaris ab* Hugone *in Hispaniam ablegatis.*

TEmpore, quo *Berengarius* ab Italia fugit, quendam secum *Amedeum* nomine militem duxit, apprime nobilem, & vt postmodum claruit, non Vlysse calliditate ac temeritate inferiorem. Fortissimus Rex *Otho*, quum nonnullis impeditus rebus, tum quotannis ab *Hugone* Rege muneribus immensis delinitus, *Berengario* copias parare non posset, ipse quem præfatus sum *Amedeus Berengarium* ita conuenit: *Nec clam te est*, inquit, *Domine, quod inuisum se imperio duro Rex* Hugo *cunctis Italicis effecerit; præsertim quum & concubinarum filiis ac Burgundionibus dignitates sit largitus: nec vllus inuenitur Italicus, qui non aut expulsus, aut dignitatibus omnino sit priuatus. Et quod in Regem non aliquid moliuntur, hæc causa est: quoniam quidem, quem sibi constituant Principem, non habent. Si itaque nostrum aliquis mutato habitu, ne agnosceretur, eo tenderet, eorumque voluntatem inquireret, consilium proculdubio nobis bonum exculperet.* Cui *Berengarius*, *Te*, inquit, *tum commodius, tum nemo potest facere melius.* Igitur *Amedeus* mutato habitu, cum pauperibus, qui orationis gratia Romam tendunt, Romam quasi profecturus, Italiam petiit, Principes conuenit, & quid vnusquisque cordi haberet inquisiuit: neque enim eodem se omnibus habitu ostendebat: nunc niger aliis, subniueus aliis, maculosus aliis videbatur. Verum fama, malum, quo non aliud velocius vllum mobilitate viget, eum in Italia esse auribus Regis indicauit. Quem dum diligenter iuberet inquiri, ipse prolixam & pulcherrimam barbam pice adeo defœdauit, capillos subaureos nigredine immutauit, faciem deturpauit, debilem finxit, adeo vt inter pauperes, Regis in præsentia comedentes, se Regi nudum ostenderet, & vestem ab eo, qua indueretur, acciperet, & quicquid Rex de *Berengario* & ipso loqueretur audiret. Hoc denique modo cunctis diligentissime perscrutatis, non eodem modo, quo venerat, cum oratoribus est regressus. Præceperat enim Rex clausarum custodibus, ne quempiam transire permitterent, nisi prius, quis esset, diligenti inuestigatione inquirerent. Quod *Amedeus* audiens, per inuia quædam & aspera nulli custodita pertransiit, atque ad *Berengarium* cum ea qua voluit legatione peruenit. Hoc in tempore Rex *Hugo* datis decem numorum modiis pacem cum Hungaris fecit, quos ab Italia acceptis obsidibus expulit, atque in Hispaniam dato eis præduce direxit. Quod vero & ad Hispaniam, & ad ciuitatem ipsam, in qua Rex morabatur, Cordubam non venerint, hæc causa fuit, quoniam triduo per inaquosam & asperam viam ducti, quum timerent, se siti perituros, præduce sibi ab Hugone concesso morte tenus vulnerato, celeriori cursu reuersi sunt.

CAPVT IX

De Berta Hugonis *ex concubina filia, Constantinopolim missa nuptum* Romano *iuniori. De fortitudine palatii Constantinopolitani: & qualiter* Stephanus *&* Constantinus *filii* Romani, *patrem suum e palatio & imperio eiecerint.*

HAc etiam eadem tempestate idem Rex *Hugo Bertam* filiam suam, quam ex meretrice *Bezola* ipse genuerat, per *Sigefredum*, venerabilem Parmensis

Parmensis ecclesiæ Antistitem, Constantinopolim direxit, ***Romano*** paruulo ***Constantini*** Porphyrogeniti filio copulandam coniugio. Tenebatque summum imperium ***Romanus*** maior, eiusque filii duo ***Constantinus*** & ***Stephanus***, quibus post ***Romanum*** præstabat ***Constantinus***, ***Leonis*** Imperatoris filius, cuius paruulus ex ***Helena***, ***Romani*** maioris filia, natus iam nominatam ***Bertam***, quam mutato nomine Græci ***Eudoxiam*** dixerant, vxorem duxerat. His itaque quatuor imperantibus, ***Stephanus*** atque ***Constantinus*** fratres, ignorante ***Constantino***, ***Leonis*** Imperatoris filio, aduersus ***Romanum*** patrem suum quædam dolosa machinabantur. Tædebat enim eos, patris seueritate opposita quæcunque vellent facere non licere. Vnde & malo mox accepto consilio, quatenus patrem deiicerent, pertractabant. Constantinopolitanum palatium non pulchritudine solum, verumetiam fortitudine omnibus, quas vnquam viderim, munitionibus præstat, quod etiam iugi militum stipatione non minima obseruatur. Moris itaque est, hoc post matutinum diluculum mox omnibus patere: post tertiam vero diei horam emissis omnibus dato signo, quod est ***Mis***, vsque in horam nonam cunctis aditum prohibere. In hoc igitur ***Romanus*** aureo triclinio, quæ præstantior est pars, potentissime degens, ceteras partes palatii genero ***Constantino***, filiisque suis ***Stephano*** & ***Constantino*** distribuerat. Hi denique duo, vt prædiximus, non ferentes patris iustam seueritatem, in cubiculis suis multis copiis congregatis, diem constituerunt, quando patrem deiicere, solique ipsi possent regnare. Quumque dies adueniret optata, cunctis de palatio iuxta morem egressis, ***Stephanus*** & ***Constantinus*** facta congressione super patrem irruunt, eumque de palatio omnibus ignorantibus deponunt, & ad vicinam insulam, in qua cœnobitarum multitudo philosophabatur, tonso ei, vt moris est, capite, ad philosophandum transmittunt. Fit quam mox multirumiger Constantinopoli sonitus, ***Romanum*** quidem eiectum, ***Constantinum*** vero eius generum alii interfectum clamitabant. Nec mora, totius populi ad palatium fit concursus. ***Romanus*** quasi Imperator abusiuus non requiritur; verum an supersit ***Constantinus***, ab omnibus percontatur. Quum seditio inquisitionis non modica fieret pro ***Constantino***, rogantibus ***Stephano*** & ***Constantino***, ex ea parte, qua ***Zucanistrii*** magnitudo portenditur, ***Constantinus*** per cancellos crines solutus caput exposuit, suaque ostensione populi mox tumultum sedauit, ac in propria quemque repedare coegit. Quod factum grauem duobus fratribus ingessit dolorem. ***Quid profuit***, inquiunt, ***quod abdicato patre, qui non pater est, dominum sustinemus? Tolerabilius enim decentiusque paternam, quam exteram pateremur dominationem. Quid illud***, aiunt, ***quod in huius auxilium non solum propriæ, sed exteræ venere nationes?*** Sigefridus ***quippe Episcopus***, ***Regis*** Hugonis ***nuntius***, ***assumptis secum suæ linguæ nationibus a Meluatinis, Romanis, Caietanis, nobis ad interitum, huic præsidio fuit.***

CAPVT X

De eisdem Stephano *&* Constantino, *qui* Constantinum Leonis *filium, conati sunt eiicere, a quo & ipsi sunt capti fraude* Diabolini, *atque in monasterium apud patrem, qui eos lepide redarguit, missi.*

HIs dictis armatorum manibus cubicula pro parte complent. Quibus ***Diabolinus*** præfuit, qui & eorum animorum incensor, & post paululum proditor extitit. Constantinum denique libris incumbentem ita conuenit: ***Quæ tibi incommoda & a*** Stephano ***& a*** Constantino ***fratribus, imo inimicis tuis præparentur, isthæc, quæ in te vetus permanet, religio ignorat. Si enim infortunia tibi parata cognosceres, quatenus posses viuere, cogitares. Vxoris tuæ fratres***, Stephanus ***&*** Constantinus, ***armatorum manibus congregatis, atque in cubiculis iam conclusis, te non vt patrem de pala***

de palatio expellere, verum hic cogitant interficere. Occasio autem tui interitus hæc erit: Cœnatum te post triduum Constantinus *&* Stephanus *inuitabunt. Qumque sessionis tuæ medium excellentiæ tuæ, quatenus moris est, obtinere tentabis, percusso mox scuto, inclusi de cubiculo exilient, tuamque fuso sanguine vitam finient. Fidem autem si relatis exposcis, vsque inpræsentiarum affirmo argumentis, quoniam conclusorum tibi personas rimis ostendo: deinde quod saluti solennius est tuæ, ostiorum tibi claues trado.* His auditis *Constantinus, Age,* infit, *vt coniuratorum prodidisti perfidiam, quatenus deuincam hanc, exprime sententiam. Non enim tam mihi salus mea chara, quam pietas erit in referenda gratia iocunda.* Cui *Diabolinus, Non enim,* inquit, *clam te est, Macedones tum tibi deuotos, tum bello duros existere: mittito itaque, ac cubilia propria,* Stephano *&* Constantino *ignorantibus, eis suffarcinato. Qumque designata dies conuiuii aduenerit, atque ob sessionis fastum si tumultus irrepserit, dato signo, vt præfatus sum, percusso scilicet clypeo, quum illorum manus armatorum præsidio eis esse non poterit, tui mox ex improuiso prosiliant, eosque tanto commodius, quanto insperatius capiant, atque ad vicinum monasterium, ad quod patrem suum, socerum tuum, miserant, tonsis, vt moris est, capitibus, philosophatum transmittant. Diuinæ siquidem rectitudo iustitiæ tuum negotium secundabit, cuius recompensatio, ne in patrem peccarent, illos non terruit, & te, ne offenderes, custodiuit.* Quod iusto Dei iudicio ita accidisse, non solum Europa, sed & Asia nunc cantat & Africa. Designato etenim die, dum simulata pace *Constantinum* hunc & *Stephanus* & *Constantinus* fratres ad conuiuium inuitarent, & ob sessionis fastum tumultus insurgeret, percusso, vt dictum est, scuto Macedones ex insperato proruunt, duosque fratres *Stephanum* & *Constantinum* quam mox comprehensos, capite tonsos, ad vicinam insulam, ad quam patrem suum ablegarant, philosophatum mittunt.

CAPVT XI

De Romani *in filios irrisione, & oratione ac prece, quam contra eos egit, gratias agens Deo, quod impietatis pœnas darent, & quomodo filii eius custodiæ addicti fuerint.*

QVorum pater Basileus *Romanus* aduentum vt audiuit, gratiarum actiones Deo exhibuit, eisque extra monasterii fores læta facie obuians, *Festiuum,* inquit, *tempus, quod humilitatem nostram imperium vestrum visitare coegit. Charitas puto, quæ me de palatio expulit, filiationem vestram non ibi diu permanere permisit. O factum bene, quod me pridem præmisistis. Confratres enim mei & commilitones mei, supernæ tantum philosophiæ incumbentes, qualiter Imperatores susciperent, ignorarent, si non me iamdudum imperialibus institutis tritum haberent. Parata iam frigidior occiduis aqua decocta pruinis, dulces adsunt fabæ, lachana, porrique recentes. Non hic marinæ deliciæ morbos, sed crebra potius ieiunia creant. Turbam vero hanc tantam, tam sumptuosa modicitas nostra non recipit; vestrum solummodo imperium suscipit, quod ne paternam deserat senectutem, aduenit. Romano* hæc & huiusmodi perstringente, *Stephanus* & *Constantinus* filii pudibundo contuentes lumine terram, quam inuite monasterium peterent, non est percontari necesse, sed credere. Expansis itaque post hæc manibus ad altare *Romanus* ante crepidinem fusus, huiusmodi cum lachrymis Deo preces effudit:

Christe

Christe pater, cum quo Pater est & Spiritus vnum,
Iure Patris verbum, per quod Pater omnia mundo
Ostendit secreta poli, seu mystica pandens:
Respice figmentum propria bonitate creatum:
Ne patiare, precor, me dæmonis arte perire,
Sanguine quem sacro voluisti reddere vitæ:
Da Deus, vt mundi pompas calcare superbas
Iam valeam: sistatque procul corruptor iniquus,
Cui labor est animas semper fœdare beatas.
Imperium libuit, quum sceptra tuli, haud placet: ergo
Gratia sit tibi, dignatus quod pellere iniquos,
Imperii teneant solium ne forte paternum.

His ita gestis, *Stephanus* atque *Constantinus* custodia iugi obseruantur, patre ea, quæ acciderant, æquanimiter perferente. Aiunt enim hunc, & sub attestatione confirmant, dum a fratribus lentis ob purgationem culparetur, respondisse: quod luculentius regnaret, qui seruorum Dei humilitatibus deseruiret, quam qui potentibus mundi peccatoribus imperaret.

CAPVT XII

De aduentu Berengarii *desiderati in Italiam. Et quur* Manasses *Arelatensis eius partibus fauit. Et de* Milone *ac aliis qui deserto* Hugone *ad* Berengarium *transfugerunt; &* Berengarii *in regnum restitutione.*

DEsideratus interea *Berengarius*, ex Sueuorum partibus, paucis ipsum comitantibus, a Sueuia per venustam vallem Italiam petiit, applicuitque castra secus munitionem, vocabulo *Formicariam*, quæ a *Manasse*, vt iam prædiximus, sedis Arelatensis Archiepiscopo, tuncque Tridentinæ, Verononsis, atque Mantuanæ sedium inuasore, *Adelhardi* eius clerici erat vigiliæ commendata. Quumque *Berengarius* nullius machinamenti apparatu, nulliusque belli impetu hanc se capere posse conspiceret, Manassis ambitionem & κενοδοξίαν, id est, *vanam gloriam*, cognoscens, *Adelhardum* ad se venire coegit, cui & ait: *Si munitionem hanc potestati meæ tradideris, dominumque tuum* Manassen *ad adiutorium meum inflectere potueris, illum in cathedram promoueo Mediolani Archiepiscopatus, te vero Cumani Episcopatus dignitate post acceptam regni potestatem donabo. Et vt promittenti mihi fidem admittas, quod verbis spondeo, iuramentis affirmo.* Hæc dum *Manassi* ab *Adelhardo* narrantur, tum ille munitionem non solum *Berengario* dari iussit, verumetiam Italos omnes in eius auxilium inuitauit. Fama igitur, malum, quo non aliud velocius vllum mobilitate viget, *Berengarii* aduentum quam mox omnibus nuntiauit. Cœperunt mox nonnulli, *Hugone* deserto, adhærere *Berengario*. Horum *Milo* præpotens primus, qui dum *Hugoni* suspectus, appositis clam custodibus, obseruaretur, simulans se non intelligere custodiri, ferme cœnam vsque ad noctis protraxit medium. Quumque omnes tum vino, tum somno aggrauati, corpora quieti traderent, solo se eo, qui portauerat clypeum, comitante, Veronam percitus peruenit, directisque nuntiis *Berengarium* exciuit; quem & in Verona, quo *Hugoni* firmius resisteret, suscepit. Sane nulla hunc infidelitas ab *Hugone* diuisit, verum illata ipsi ab eodem nonnulla incommoda, quæ iam diu sustinere non potuit. Prosequitur hunc *Wido*, Præsul Mutinensis ecclesiæ, non iniuria lacessitus, sed maxima illa Abbatia *Nonantula*, quam & tunc acquisiuit, animatus. Qui *Hugonem* non solum deseruit, verumetiam multorum multitudinem secum abstulit. Quod *Hugo* vt audiuit, congregatis copiis ad eius castrum † *Nucolam* venit, idque viriliter, sed inutiliter oppugnauit. Quod quam mendacii alienum sit,

† alias, Vincolam.

sit, sententia subsequens declarabit. Nam dum eodem loco degeret, *Berengarius* ab *Harderico* Archiepiscopo accitus, Veronam deseruit, ac Mediolanum concitus venit. Quo audito, Rex *Hugo* Papiam tristis venit. Cœperunt interea omnes Italiæ primates omine non bono *Hugonem* deserere & egenti *Berengario* adhærere. Egentem autem, non nihil possidentem, sed cui nunquam quicquam satis est, aio. Quoniam improbi & auari, qui incertas atque in casu positas possessiones habent, & plus semper appetunt, nec eorum quisquam adhuc sibi sufficiens inuentus est, cui quod haberet esset satis, non modo non copiosi diuites, sed etiam pauperes & inopes existimandi sunt. Soli enim sunt diuites, & fructuosas ac sempiternas possessiones possidentes, qui suis rebus contenti, satis esse putant, quod est. Non esse cupidum, vera pecunia est. Non esse emacem, vectigal est. Fateamur ergo, vter est ditior, cui deest, an cui superat? qui eget, an qui abundat? cui possessio quo est maior, eo plus requirit ad se tuendum: an qui se suis viribus sustinet? Contentum etenim suis rebus esse, maximæ sunt certissimæque diuitiæ. Verum de hoc nunc id dictum esse sufficiat. Ad *Berengarium* stili initium redeat, cuius in aduentum aureum omnes sæculum promittebant, & felicia, quæ talem extulerant, tempora clamitabant.

CAPVT XIII

Quomodo Rex Hugo Lotharium *filium suum Mediolanum misit ad concitandam miserationem Italorum. De* Berengarii *astutia. De* Ioseph *Brixiano Episcopo, & de* Waldonis *Episcopi iniquitate.*

EO namque Mediolani degente, ac Italicas dignitates sibi adhærentibus dispensante, Rex *Hugo Lotharium* filium suum non ad *Berengarium* solum, verum ad totius populi præsentiam dirigit, petens, quia se eis non morigerum abdicauerunt, filium, qui nil in eos deliquerat, saltem pro Dei amore suscipiant, ac voluntatibus eorum morigerum reddant. *Lothario* denique Mediolanum petente, Rex *Hugo* Papia omni cum pecunia egressus, Italiam deserere, atque in Burgundiam ire cogitauit. Sed res ista eum retinuit, quoniam dum misericordia inclinati, *Lotharium* in ecclesia beatorum confessoris & martyrum *Ambrosii, Geruasii, & Protasii*, ante crucem prostratum erigerent, & Regem sibi constituerent, quamprimum ad *Hugonem* dirigunt nuntium, per quem illum iterum super se regnare promittunt. Hoc plane consilium, imo deceptionem, non omnes, sed *Berengarius* (vt erat calliditate suffarcinatus) adinuenit, non quo hos regnare disponeret, sed, vti post claruit, ne *Hugo* discederet, atque immensa pecunia, quam habebat, Burgundionum atque aliarum gentium super se populos inuitaret. Hoc tempore *Ioseph* quidam moribus senex, diebus iuuenis, ciuitatis Brixianæ clarebat Episcopus. Quem *Berengarius*, vt erat tyrannus vehemens, ob morum probitatem Episcopatu priuauit, eiusque loco *Antonium*, qui nunc vsque superest, nullo consilio habito, nulla Episcoporum deliberatione, constituit. Sed & Cumis tunc non *Adelhardum*, vt iurauerat, verum ob Mediolanensis Episcopi amorem *Waldonem* quendam ordinauit. Quod quam bene fecerit, subditorum depopulatio, vitium incisio, arborum decorticatio, multorum oculorum excussio, simultatis sæpissima repetitio, tum signis, tum gemitibus narrant. *Adelhardum* autem Regiensi præfecit ecclesiæ.

CAPVT

CAPVT XIV

Quur Berengarius *Placentinum & Papiensem Episcopos dimiserit, & quur* Liuthprandum *autorem huius operis parentes sui* Berengario *commendarint, factusque sit eiusdem a secretis. Item quomodo* Hugo *desperans de victoria, cum omni pecunia in Prouinciam aufugerit. Et quomodo ad eum* Raimundus *Aquitanorum Princeps venerit, eidem militaturus. Et de* Hugonis *obitu.*

B*Osonem* vero, *Hugonis* Regis spurium, Placentinæ sedis, & *Liutefredum* Papiensis ecclesiæ expellere Episcopos cogitauit. Verum intercedente pretio, ob Dei amorem eos se dimisisse simulauit. Quam immensum tunc Italis gaudium! Alterum *Dauid* venisse latrabant. Sed & *magno Carolo* hunc cæca mente præferebant. Quanquam enim iterato Reges *Hugonem* atque *Lotharium* Italici susciperent: *Berengarium* tamen nomine solum Marchionem, potestate vero Regem: illos vocabulo Reges, actu autem neque pro Comitibus habebant. Quid plura? Tanta hac *Berengarii* fama, humanitate, liberalitate, parentes acciti mei, ei ad seruiendum me tradunt. Cui etiam immensis oblatis muneribus, secretorum eius conscium ac epistolarum constituunt signatorem. Cui quum fideliter longo tempore deseruirem, hac me, quam prosecuturus sum suis in locis, mercede donauit. Verum hæc retributio pæne me ad desperationem vsque pertraheret, si in re consimili consocios plurimos non excederet. De isto enim pulchre dictum accipimus: *Pennæ struthionis similes sunt pennis accipitris & herodii. Quum tempus aduenerit, in altum alas erigit, deridet equitem & ascensorem eius.* Hic enim superstitibus *Hugone* & *Lothario*, magnus voraxque struthio, non bonus, sed bono similis est visus. Eis autem decedentibus, & ad regni fastigia omnibus illum promouentibus, quantum alas erexerit, quantisque diludiis nos omnes irriserit, non tam verbis quam suspiriis ac gemitibus narro. Sed his omissis, ad narrandi seriem redeamus.

Rex *Hugo*, quum diuinam animaduersionem declinare, ac *Berengario* præesse non posset, relicto *Lothario*, & simulata pace, *Berengarii* fidei tradito, in Prouinciam omni cum pecunia properauit. Quo audito *Raimundus* Aquitanorum Princeps eum adiit, & pro minis mille se in militem dedit, fidemque ei iuramento seruaturum affirmauit, etiam congregatis copiis Italiam ingressurum, ac *Berengarium* debellaturum esse promisit. Quod quanto nos omnes cachinno affecerit, gentis illius vilitas palam facit, quæ etsi præsidio esse posset, ad effectum tamen haudquaquam perduceret. Quoniamquidem vocante Domino, *Hugo* Rex breui est viam vniuersæ carnis ingressus, *Bertæ* nepti suæ, *Bosonis* Arelatensis Comitis viduæ, pecunia derelicta. Quam etiam breui spatio intercedente, memoratus *Raimundus* impudentissimæ gentis Princeps impurior, sibi maritam effecerat, cuius non solum concubitu, verumetiam osculo indignum elegantes formarum inspectores eum esse confirmant.

CAPVT XV

De vxore Berengarii *accusata crimine incesti, & quomodo sit purgata. Item de pecunia, quam* Berengarius *causa Hungarorum pauperibus & ecclesiis Dei extorsit.*

H*Vius hoc in tempore soror, *Berengarii* scilicet vxor, *Willa*, passa est crimen incesti. Quod ita verum esse non solum aulici vel cubicularii, verum aucupes & cupedinarii clamant. Habuit etiam ... presbyterulum capellanum

lanum nomine *Dominicum*, statura breuem, colore fuligineum, rusticum, setigerum, indocilem, agrestem, barbarum, durum, villosum, petulcum, insanum, rebellem, iniquum, cuius magisterio duas *Willa* commendarat natas, *Gislam* scilicet atque *Gerbertam*, vt eas literarum scientia epotaret. Occasione itaque puellarum, quas presbyter *Dominicus*, hirsutus, illotus, facete docebat, mater ei propitiauerat, vt visa ingrata ac tenax, hinc existeret larga. Sententia tamen veritatis, quæ ait, *Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non in publicum veniat*, diu ignorare homines passa non est. Nam quum nocte quadam, *Berengario* absente, ad cubile dominicum more solito hirsutus idem vellet accedere, canis hunc morsu vehementi laniauit. Consurgentes denique qui in domo erant, quum eum comprehenderent, &, quo iret, interrogarent, apologeticum istud anticipando Domina dedit: *Ad mulieres nostras ibat perditus.* Sperans itaque presbyterulus sibi leuius fore, si teneret sententiam dominæ suæ, *Ita est*, inquit. Cœpit itaque Domina vitæ eius insidiari, pretiumque promittere, si esset, qui vitam ei auferret. Sed quum timerent omnes Deum, & mors eius differretur, peruenit ad *Berengarium* sermo. *Willa* vero cœpit aruspices maleficosque inquirere, quo eorum carminibus iuuaretur. Vtrum autem horum carminibus, an *Berengarii* adiuta sit mollitie, nescio: adeo mens eius est inclinata, vt sponte maritali submitteret ora capistro. Presbyterulus itaque, quia ad Dominæ asseclas adhinniuit, virilibus amputatis dimittitur. Domina vero magis a *Berengario* diligitur. Dixerunt autem, qui eum eunuchizauerunt, quod merito illum Domina amaret, quem Priapeia arma portare constaret. Per idem tempus *Taxis* Hungarorum Rex magno cum exercitu in Italiam venit, cui *Berengarius* non ex propria pecunia, sed ex ecclesiarum ac pauperum collectione decem modios numorum dedit. Fecit autem hoc, non vt populi curam haberet, sed vt hac occasione magnam pecuniam congregaret. Quod & fecit. In omni enim ætate vtriusque sexus, tamque ablactatus, quam lactens, pro se numum dedit: quibus æs commiscens, ex paucis decem modios fecit, ceteram vero partem, & quicquid ex ecclesiis tulit, sibi retinuit.

LIVTHPRANDI,

TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,

HISTORIARVM LIBER VI.

TEMPORIS instantis qualitas tragœdum me potius, quam historiographum quæreret, nisi pararet Dominus in conspectu meo mensam aduersus eos, qui tribulant me. Explicare enim non possum, quot peregre profectus quatiar incommoditatibus, iuuatque hominem exteriorem potius lugere, quam scribere. Interior vero Apostolicis confirmatus institutis, in huiusmodi tribulationibus gloriatur, sciens quod tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Pareat itaque interiori exterior, suaque infortunia non solum non exhorreat, verum in his potius conquiescat: dumque scribendo operam dans, fortunæ rota hos extolli, illos deprimi dixerit, præsentem incommoditatem minus sentiet, eiusque mutabilitati congaudens, deteriora, quod fieri nequit, nisi mors aut membrorum debilitatio intercedat, iam non metuat, sed fortunata semper expectet. Instantia enim si maturauerit, salutem, quæ deest, afferet: infortunatum, quod adest, expellet. Scribat itaque, & superioribus veris hæc, quæ sequuntur, vera adiungat.

CAPVT

CAPVT I

De Oratore a Constantino *Imperatore ad* Berengarium *misso cum literis, quibus illi* Lotharii *custodiam commendabat, Oratoremque ab eo petebat: quem vt sine sumptu mitteret,* Liuthprandum *impensis vitrici sui misit.*

REge *Hugone* Prouinciæ in partibus defuncto, *Berengarii* nomen celebre apud nonnullos, præsertim apud Græcas extitit nationes. Is enim Italicis omnibus principabatur virtute: Rex vero *Lotharius* solo nomine. *Constantinus* itaque, qui, deiectis *Romano* filiisque eius, Constantinopoleos regebat imperium, audito, *Berengarium* potentia præstare *Lothario*, per *Andream* qui ab officio *Comes curiæ* dicebatur, literas *Berengario* dirigit, in quibus continebatur, vehementer se *Berengarii* nuntium velle videre, cuius in reditu cognosceret, quanta eum charitate diligeret. Scripsit etiam & commendatitias literas eidem pro *Lothario*, vt fidelis ei esset administrator, cui Deo largiente extiterat gubernator. Constantinus namque solicitudinem non paruam *Lotharii* pro salute habebat, religiose ob amorem nurus suæ cogitans, quæ *Lotharii* soror extiterat. *Berengarius* itaque calliditate suffarcinatus, cogitans, quem potissimum mitteret, cui nil impensæ ob itineris longinquitatem præberet, vitricum meum, cuius tunc sub cura degebam, conueniens, *Quanti*, inquit, *esset, priuignum tuum Græcas literas non ignorare*? Cui quum diceret: *Vtinam diuitiarum mearum ea gratia partem mediam distributam haberem. Non necesse*, inquit, *habes, neque centesimam impartiri. Constantinopolitanus Imperator literis, vt meum ad se nuntium dirigam, orat. Quod tum ob animi constantiam nemo melius, tum ob dicendi copiam nemo commodius facere potest. Quid dicam, quam facile doctrinas ebibet Græcas, qui tam puerilibus in annis epotauit Latinas?* Hac spe quam mox vitricus animatus, impensas omnes distribuit, meque magnis cum muneribus Constantinopolim direxit.

CAPVT II

Quo tempore Liuthprandus *tanquam Orator* Berengarii *Constantinopolim venerit, Papia egressus: & de mirabili Imperatoris domo, qua* Magnaura, *aut potius* Megaula, *aut* Megaron *dicta est: & susceptione nuntiorum: & miris ibidem ostensis in arbore & solio Imperatoris.*

DIe quippe Kalendarum Augustarum Papia exiens, per Eridani alueum triduo Venetias veni, vbi & *Salomonem* Comitem Græcorum, nuntium κοιτωνίτην eunuchum reperi ab Hispania & Saxonia regressum, Constantinopolim versus tendere cupientem, secumque ducentem Domini nostri tunc Regis, nunc Imperatoris magnis cum muneribus nuntium, *Liutefredum* scilicet Maguntinum, institorem dignissimum. Octauo autem Kalend. Septembris die Venetiis egressi, XV Kalend. Octobris Constantinopolim venimus, vbi quam inaudito miroque modo simus excepti, scribere non pigebit. Est Constantinopoli domus palatio contigua, miræ magnitudinis ac pulchritudinis, quæ a Græcis ε loco λ posita † *Megaura*, quasi magna aura, pro aula, dicitur. Hanc itaque *Constantinus*, tum ob Hispanorum nuntios, qui tunc nouiter eo venerant, tum ob me & *Liutefredum* hoc modo parari iussit. Ærea sed deaurata quædam arbor ante Imperatoris oculos stabat, cuius ramos itidem æreæ diuersi generis, deauratæque volucres replebant, quæ secundum species suas diuersarum auium voces emittebant. In primis vero solium huiusmodi erat arte compositum, vt in momento humile, excelsius modo

† al. μέγαρον

modo, quam mox videretur sublime. Sed sedile, quod erat immensæ magnitudinis, incertum vtrum æris an lignei, verum auro tecti leones quasi custodiebant. In hac igitur duorum eunuchorum humeris incumbens, ante Imperatoris præsentiam sum deductus. Quumque in aduentu meo leones rugitum emitterent, aues secundum species suas perstreperent, nullo sum terrore, nulla admiratione commotus: quoniamquidem ex his omnibus eos, qui bene nouerant, fueram percontatus. Tertio itaque Imperatorem pronus adorans caput sustuli, & quem prius moderata mensura a terra eleuatum sedere vidi, mox aliis indutum vestibus penes domus laquear sedere prospexi. Quod qualiter fieret, cogitare non potui, nisi forte eo sit subuectus ergalio, quo torcularium arbores subuehuntur. Per se autem tunc nihil loquutus; quoniam & si vellet, intercapedo maxima indecorum faceret, de vita *Berengarii* & sospitate per *Logothetam* est percontatus. Cui quum consequenter respondissem, interprete sum innuente egressus, & in datum mihi hospitium mox receptus.

CAPVT III

Quæ dona Liuthprandus *propriis impensis, licet nomine* Berengarii, *Imperatori* Constantino *obtulerit: & quæ ab Imperatore vicissim munera susceperit, & in domum Imperatoriam, quæ* decaennea cubita *dicuntur, admissus miranda dona ac poma viderit.*

SEd nec hæc pigeat memorare, quid tunc pro *Berengario* egerim, scilicet vt agnoscatur, quanta cum charitate dilexerim, & cuiusmodi recompensationem pro bene gestis acceperim. Hispanorum nuntii, & nominatus *Liuthfredus*, Domini nostri tunc Regis *Othonis* nuntius, magna ex eorum parte Dominorum munera Imperatori *Constantino* detulerant. Ego *Berengarii* ex parte nihil præter epistolam, & hanc mendacio plenam detuleram. Æstuabat itaque non parum hac pro verecundia animus, & quid super hac re faceret, cogitabat attentus. Æstuanti autem mihi, & nimium fluctuanti meus animus suggessit, quatenus dona, quæ Imperatori mea ex parte detuleram, *Berengarii* ex parte conferrem, paruumque munus prout possem verbis ornarem. Obtuli autem loricas optimas IX, scuta optima cum bullis deauratis VII, cuppas argenteas deauratas duas, enses, lanceas, verua, mancipia, quatuor carsamatia, Imperatori nominatis omnibus preciosiora. *Carsamatium* autem Græci vocant, amputatis virilibus & virga puerum eunuchum: quos Verdunenses mercatores ob immensum lucrum facere solent, & in Hispaniam ducere. His itaque gestis, Imperator me post triduum ad palatium vocari præcepit, proprioque mecum ore loquutus, ad conuiuium inuitauit. Postque conuiuium magno me meosque asseclas munere donauit. Verum quia narrandi se occasio intulit, qualis eius mensa, festis præcipue diebus, qualesque ad mensam ludi celebrentur, bonum opinor non silere, sed scribere. Est domus iuxta Hippodromum, Aquilonem versus, miræ & altitudinis & pulchritudinis, quæ *decaennea cubita* vocatur. Quod nomen non ab re, sed ex apparentibus causis sortita est: δέκα enim græce, latine decem: ἐννέα nouem: cubita aut a cubando inclinata, vel curuata possumus dicere. Hoc autem ideo, quoniam quidem XIX mensæ in ea, quæ secundum carnem est, Domini nostri Iesu Christi natiuitate apponuntur. In quibus Imperator pariter & conuiuæ non sedendo, vt ceteris diebus, sed recumbendo epulantur: quibus in diebus non argenteis, sed tantum aureis vasis ministratur. Post cibum autem aureis vasis tribus sunt poma delata, quæ ob immensum pondus non hominum manibus, sed purpura tectis vehiculis sunt allata. Apponuntur autem duo hoc modo. In mensa per foramina laquearis tres sunt funes pellibus deauratis tecti, cum annulis aureis depositi, qui ansis quæ in scutulis prominent positi, adiuuantibus inferius

inferius quatuor aut eo amplius hominibus, per vertibile quod supra laquearium est ergalium in mensam subuchuntur, eodemque modo deponuntur. Ludos denique, quos ibi perspexerim, quia nimis longum est scribere, prætermitto: vnum solummodo ob admirationem hic inserere non pigebit.

CAPVT IV

De mirabili spectaculo ligni in fronte portati, & puerorum super ipsum ludentium, & de familiari Imperatoris cum Liuthprando *super ea re disquisitione.*

VEnit quidam, vigintiquatuor & eo amplius pedum longitudinis lignum sine manuum adminiculis in fronte gerens, quod cubitum a summitate inferius, bicubitum transuersum in fronte habuerat. Adducti sunt autem duo pueri nudi, sed campestrati, id est succinctoria habentes, qui per lignum ascendentes, ita seruauerunt immobile, ac si radicitus terræ esset affixum. Denique post vnius descensum alter qui remanserat, eodemque solus luserat, ampliori me admiratione attonitum reddidit. Quoquo modo enim quoadusque luserant, lignum per quod ascenderant gubernabant. Vnus vero, qui in ligni summitate remansit, quia ita se æqualiter ponderauit, vt & luserit ac sanus descenderit, ita me stupidum reddidit, vt ipsum etiam Imperatorem mea admiratio non lateret. Vnde & accersito interprete, quid mihi ceteris mirabilius videretur sciscitatus est: puerne, qui se adeo moderate rexerat, vt immobile esset lignum: an is, qui ipsum in fronte tam argumentose tenuerat, vt puerorum neque pondus, neque ludus illud vel modicum flecteret. Quumque me ignorare, quid mihi *θαυμαστότερον*, id est, mirabilius, videretur, edicerem, magno inflatus cachinno se similiter nescire respondit.

CAPVT V

De erogatione numismatum & aliorum donorum pro veteri Imperatoris Græci more ante diem palmarum in magistratus & clientes Imperatorios.

SEd nec hoc silentio prætereundum esse arbitror, quid noui mirique aliud ibidem perspexerim. In ea quæ est ante *Βαϊοφόρον*, quod nos *palmarum ramos* dicimus, hebdomade, tam in militibus quam in diuersis constitutis officiis numismatum aureorum erogationem, prout cuiusque meretur officium, Imperator facit. Cui erogationi quia me interesse voluit, me venire præcepit. Fuit autem huiusmodi. Erat apposita decem cubitorum longitudinis, ac quatuor latitudinis mensa, quæ numismata loculis congregata, prout cuique dabatur, numeris extrinsecus in loculis scriptis retinebat. Ingrediebantur denique ad Imperatorem non confuse, sed ordinatim secundum vocantis vocem, quæ scripta virorum nomina secundum officii dignitatem recitabat. Quorum primus vocatus est *rector domus*, cui non in manibus, sed in humeris posita sunt numismata cum scaramangis quatuor. Post quem *ὁ domesticos tos Ascalonas*, & *ὁ de Longaristis Ploas*, sunt vocati: quorum alter militibus, nauigantibus præerat alter. Hi itaque paris numeri, quia dignitas par erat, numismata & scaramanga suscipientes, præ multitudine non iam in humeris portauerunt, sed adiuuantibus aliis post se cum labore traxerunt. Post hos admissi sunt magistri numero XXIIII, quibus erogatæ sunt numismatum aureorum libræ, vnicuique secundum eundem numerum vigintiquatuor cum scaramangis duobus. Patriciorum deinde ordo hos pone est sequutus, & duodecim numismatum libris cum scaramanga vna donatus. Qui sicut nec Patriciorum, ita nec librarum, nisi quod vnicuique dabatur, numerum nescio. Turba post hos immensa vocatur, protospathariorum, spathariorum, candidatorum, & id genus clientum

APENDIX
ad
LIVTHPRANDI,
TICINENSIS ECCLESIAE LEVITAE,
LIB. VI
HISTORIARVM SVI TEMPORIS.

CAPVT I

De Othone *primo Imperatore, & legatis ad eum missis, & qualiter ecclesiam Romanam, ac totam Italiam tyrannis liberauit, Imperiique vnctionem & insignia cum iuramento* Ioannis *Papæ non diu in fide permansuri, accepit. De Romanorum, de dicti Papæ sacrilegiis, incestis, stupris, & aliis flagitiis querimonia: & Papa ficta promissione de emendanda vita: & acri Imperatoris in eum recriminatione: & eius, hoc est Papæ, obstinatione, qui* Adelbertum *recepit: de vtriusque eiectione: & synodo Romæ celebrata.*

REgnantibus, imo sæuientibus in Italia, & vt verius fateamur, tyrannidem exercentibus, *Berengario* atque *Adelberto*, *Ioannes* summus Pontifex & vniuersalis Papa, cuius tunc ecclesia supradictorum *Berengarii* atque *Adelberti* sæuitiam erat experta, legatos sanctæ Romanæ ecclesiæ, *Ioannem* videlicet Cardinalem Diaconum, & *Azonem* Scriniarium serenissimo atque piissimo tunc Regi, nunc Augusto Cæsari *Othoni* destinauit, suppliciter literis & Regum signis orans, quatenus pro Dei amore, sanctorumque Apostolorum *Petri* & *Pauli*, quos delictorum suorum cuperet esse remissores, se sibique commissam sanctam Romanam ecclesiam ex suorum faucibus liberaret, ac saluti & libertati pristinæ restitueret. Hæc dum Romani legati conqueruntur, vir venerabilis *Walbertus*, sanctæ Mediolanensis ecclesiæ Archiepiscopus, semiuiuus ex prædictorum rabie *Berengarii* atque *Adelberti* liberatus, superius memorati *Othonis* potentiam adiit, indicans, se non posse pati *Berengarii*, *Adelberti*que necnon *Willæ* sæuitiam, quæ *Manassen* Arelatensem Episcopum contra ius fasque Mediolanensis ecclesiæ sedi præfecerat. Aiebat sane hanc ecclesiæ suæ calamitatem, quæ quod se suosque capere oporteret, interciperet. Sed *Waldo* Cumanus Episcopus hunc pone est sequutus, non disparem a *Berengario* atque *Adelberto* & *Willa*, quam *Walbertum*, contumeliam se esse perpessum clamitans. Venerant & nonnulli alterius ordinis ex Italia viri, quos inter illustris Marchio *Otbertus* cum Apostolicis cucurrerat nuntiis, a sanctissimo *Othone* tunc Rege, vt dixi, nunc Augusto Cæsare, consilium auxiliumque expetens. Horum itaque Rex piissimus lachrymosis questibus inclinatus, non quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi cogitans, filium suum sibi cognominem, contra morem puerilibus in annis Regem constitutum, in Saxonia dereliquit: ipse collectis copiis in Italiam percitus venit. Qui tanto *Berengarium* atque *Adelbertum* celerius regno expulit, quanto euidentius constat, quod commilitones *Petrum* & *Paulum* sanctissimos Apostolos habuit. Bonus itaque Rex dispersa colligens, & confracta consolidans, quod cuique proprium fuit restituit.

Dehinc Romam similia facturus adiit, vbi miro ornatu, miroque apparatu susceptus, ab eodem summo Pontifice & vniuersali Papa *Ioanne* vnctionem

nem suscepit imperii. Cui non solum propria restituit, verumetiam ingentibus gemmarum, auri & argenti muneribus ipsum honorauit. Iusiurandum vero ab eodem Papa *Ioanne* supra pretiosissimum corpus *Petri*, atque omnibus ciuitatis proceribus, se nunquam *Berengario* atque *Adelberto* auxiliaturum, accepit *. Post hæc in patriam properanter repedauit.

* *Schurzfleischius* dissertat. *de diuisione Imperii Carolini*, quæ 67 est opp. § 76 p. 911, b); *Distinguendi sunt anni* occupationis Imperii, *&* pacti de Imperio. *Quorum* illa *anno* 962 *contigit*; hoc *anno* 964 *insignitur*. *Quod obseruari par est, & facit, vt clarius intelligatur* Liuthprandus, *qui* 6 *libri* 6 *capite notat priorem annum verbis*; Dehinc Romam. *posteriorem designat sequentibus*; Iuxta vrbem Imperator castra metatus est cet.

Interea præfatus Papa iuramenti & promissionis oblitus, quam fecerat sancto Imperatori, ad *Adelbertum*, vt se adeat, mittit, iuramento ei affirmans, se illum contra sanctissimi Imperatoris potentiam adiuturum. Adeo enim eundem *Adelbertum*, ecclesiarum Dei, eiusdemque Papæ *Ioannis* persequutorem, Imperator sanctus terruerat, vt omnem Italiam deserens, Fraxinetum adiret, seque Saracenorum fidei commendaret. Imperator autem iustus, qui cur *Adelbertum Ioannes* Papa, quem prius vehementi odio insequebatur, nunc diligeret, satis mirari non potuit, accersitis quibusdam familiaribus, an hoc verum esset, Romam dirigit percontatum. Quumque illo iidem nuntii peruenissent, huiusmodi non a quibuslibet aut paucis, sed ab omnibus Romanis ciuibus responsa suscipiunt. *Non dispar videtur ratio, cur* Ioannes *Papa sanctissimum Imperatorem, suum scilicet ex* Adelberti *manibus liberatorem, & diabolus oderit creatorem. Imperator, quemadmodum re ipsa experti sumus, ea quæ Dei sunt sapit, operatur, diligit, ecclesiastica & secularia negotia armis tutatur, moribus ornat, legibus emendat*: Ioannes *Papa his omnibus aduersatur. Non clam est populo, quod fatemur. Testis est* Rainera, *sui ipsius militis vidua, quam cæco captus igne multis præfectam vrbibus, sacrosanctis beati* Petri *donauit aureis crucibus atque calicibus. Testis est* Stephana, *eius amica, quæ in effusione, quod ex eo conceperat, recens hominem exiuit. Quod si cuncta taceant, Lateranense palatium, Sanctorum quondam hospitium, nunc prostibulum meretricum, non silebit amicam coniugem* Stephanæ *patris concubinæ sororem. Testis omnium gentium, prꝰterquam Romanorum, absentia mulierum, quæ sanctorum Apostolorum limina orandi gratia timent visere, quum nonnullas ante dies paucos hunc audierint coniugatas, viduas, virgines vi oppressisse. Testes sunt sanctæ Apostolorum ecclesiæ, quæ non stillatim pluuiam, sed totum intrinsecus, supra ipsa etiam sacrosancta altaria imbrem admittunt. Quanta nos terrore tigna afficiunt, quum diuinam opem eodem deposcimus? Mors in tectis regnat, quæ nos orare multa volentes impedit, atque domum Domini mox linquere cogit. Testes sunt non solum iuncearum curatura, sed & quotidianarum formarum mulieres. Cui eædem sunt, & silicem pedibus quæ conterunt atrum, & quæ magnorum subuehuntur adiutorio iumentorum. Atque hoc rei est, quod tanta ei cum Imperatore sancto discordia est, lupis & agnis quanta sortito obtigit. Illi hoc vt impune liceat*, Adelbertum *sibi tutorem & defensorem parat*. Hæc dum a redeuntibus nuntiis Imperator audiret, *Puer*, inquit, *est, facile bonorum immutabitur exemplo virorum. Spero eum obiurgatione honesta, suasione liberali, facile ex illis sese emersurum malis, dicemusque tunc cum Propheta*: Hæc est immutatio dexteræ Excelsi. Et adiecit: *Quod prius rerum ordo deposcit*, Berengarium *in Feretrato monte resistentem propulsemus, dein paterna abdicatione Dominum papam conueniamus: si non voluntate, verecundia saltem in virum perfectum sese mutet. Sicque forsitan deuictus, bene consuescere, studebit his desuescere*. His expletis, Papiæ nauim conscendit, ac per Eridani alueum Rauennam vsque peruenit: indeque progrediens montem Feretratum, quod oppidum *sancti Leonis* dicitur, in quo *Berengarius* & *Will*[illegible]erat, obsedit. Quo & præfatus Papa *Leonem*, venerabilem sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc Protoscriniarium, nunc in eadem sede beati *Petri* Apostolorum vicarium, necnon & *Deme-*

Demetrium, optimatem Romanorum illustrissimum, sancto Imperatori nuntios dirigit, mandans, haud mirum esse, si hactenus iuuentutis igne deuictus, quid puerile gesserit. Iam tempus instare, quum alieno cuperet viuere more. Mandauit etiam dolose, quod quendam *Leonem* Episcopum, & *Ioannem* Diaconum Cardinalem suos infideles suscepisset, & quod sanctus Imperator promissionis suæ fidem violaret, dum eos, qui eo loci manebant, iuramento non ipsi, sed sibi astringeret. Quibus Imperator: *Pro correctione*, inquit, *ac morum immutatione, quam promittit, gratias ago. De promissis vero fidem mutare, cuius me arguit, an verum sit, ipsi perpendite. Omnem terram sancti* Petri, *quæ nostræ potestati subiecta est, ecclesiæ promisimus reddere: atque id rei est, quod ex hac munitione* Berengarium *cum omni familia pellere laboramus. Quo enim pacto terram hanc ei reddere possumus, si non prius eam ex violentorum manibus ereptam, potestati nostræ subdamus?* Leonem *Episcopum, &* Ioannem *Cardinalem Diaconum suos infideles, quos nos suscepisse accusat, his temporibus non vidimus, nedum suscepimus: Constantinopolim Domino Papa eos ad iniuriam nostram proficiscentes dirigente, Capuæ sunt, vt audiuimus, capti. Quibuscum etiam* Saleccum, *natione Bulgarum, educatione Hungarum, Domini Papæ familiarissimum, &* Zachæum *virum reprobatum, diuinarum atque humanarum inscium literarum, a Domino Papa Episcopum nouiter consecratum, & Hungaris ad prædicandum, vt super nos irruant, destinatum, eodem captos esse loco audiuimus. Hæc Dominum Papam nullis narrantibus fecisse crederemus, nisi literæ fidem admitterent, quæ plumbo signatæ eius nominis characteres monstrant.*

His expletis, *Landohardum* a Saxonia Numendensem*, & *Liuthprandum* ab Italia Cremonensem, Episcopos cum præfatis nuntiis Romam dirigit, Domino Papæ se inculpabilem esse satisfacturum. Quorum etiam militibus hoc Imperator iustus imposuit, vt si secus Dominus Papa non crederet, duello verum esse approbarent. Præfati igitur *Landohardus* & *Liuthprandus* Episcopi Romam ante Domini Papæ præsentiam venientes, tanto sunt in honore suscepti, vt non eos lateret, quanto sanctum Imperatorem tædio fastidiret. Ordinatim tamen, prout eis iniunctum fuerat, enarrantes, non iuramento, non duello satisfactionem Papa recipere voluit, sed in eadem, qua fuerat, duritia permansit. Subdole tamen post dies octo *Ioannem* Episcopum Narniensem, & *Benedictum* Cardinalem Diaconum cum istis Domino Imperatori destinauit, putans, hunc suis posse eludere versutiis, cui nimis est verba dare difficile. Ante quorum reditum *Adelbertus*, inuitante Papa, a Fraxineto rediens, Centumcellas aduenit: deinde Romam profectus, non, vt debuit, repudiatus, sed a Papa honorifice est susceptus.

* l. Mindensem

Hæc dum aguntur, Phœbi radiis graue cancri sidus inæstuans Imperatorem Romanis arcibus propellebat. Sed quum virginale sidus gratam rediens temperiem ferret, collectis copiis clam Romanis inuitantibus Romam aduenit. Quid clam dixerim, quum maior Romanorum pars optimatum sancti *Pauli* castellum inuaserit, sanctumque Imperatorem obsidibus etiam datis inuitauerit? Quid multis morer? iuxta vrbem Imperator castrametatus est. Roma Papa simul atque *Adelbertus* aufugiunt. Ciues vero sanctum Imperatorem cum suis omnibus in vrbem suscipiunt, fidelitatemque promittunt: hæc addentes, & firmiter iurantes, nunquam se Papam electuros, aut ordinaturos præter consensum atque electionem Domini Imperatoris *Othonis* Cæsaris Augusti, filiique ipsius Regis *Othonis*.

Post triduum, rogantibus tam Romanis Episcopis, quam plebe, magnus in sancti *Petri* ecclesia fit conuentus, sederuntque cum Imperatore Archiepiscopi: ab Italia pro *Engelfrido* Aquileiensi Patriarcha, quem in eadem vrbe languor repente, vt fit, ortus arripuerat, *Rodulfus* Diaconus, *Walbertus* Mediolanensis, *Petrus* Rauennas: a Saxonia, *Adeltac* Archiepiscopus, & *Landohardus* Episcopus Numendensis: a Francia, *Otgerius* Episcopus Spirensis, *Bubtus* Parmensis*: ab Italia, *Liuthprandus* Cremonensis, *Hermenaldus* Regensis: a Tuscia, *Conradus* Lucensis, *Euerarius* Aricìensis, Pisanus

Senensis,

Senensis, *Florentius* Pestruensis, *Petrus* Camerinensis, Spoletinus Romanus, *Gregorius* Albanensis, Spoletinus, *Sico* Hostiensis, *Benedictus* Portuensis, *Lucidus* Canensis, *Theophylactus* Prænestinus, *Wido* Syluæ candidæ, *Leo* Velitriensis, *Sico* Blebensis, *Stephanus* Serensis, *Ioannes* Nepesinus, *Ioannes* Tiburtinus, *Ioannes* Foroiuliensis, *Romanus* Ferentinensis, *Ioannes* Normensis, *Ioannes* Berulensis, *Martinus* Sutrinus, *Ioannes* Narniensis, *Ioannes* Sapiniensis, *Ioannes* Gallacensis, Phalarensis, Alaterensis, Ortanus, *Ioannes* Anagniensis, Trebensis, Salibatinus, Tarraconensis, *Stephanus* Cardinalis Archipresbyter titulo *Balbinæ*, *Dominicus* titulo *Anastasiæ*, *Petrus* titulo *Damasi*, *Theophylactus* titulo *Chrysogoni*, *Ioannes* titulo *Equitii*, *Ioannes* titulo *Susannæ*, *Petrus* titulo *Pammachii*, *Adrianus* titulo *Calixti*, *Ioannes* titulo *Cæciliæ*, *Adrianus* titulo *Luciniæ*, *Benedictus* titulo *Sixti*, titulo quatuor coronatorum, *Stephanus* titulo *Sabinæ*, *Benedictus* Cardinalis Archidiaconus, *Ioannes* Diaconus, *Bonofilius* Diaconus, Cardinalis Primicerius, *Georgius* Secundicerius, *Stephanus* Adminiculator, *Andreas* Arcarius, *Sergius* Primicerius defensorum, *Ioannes* Sacellarius, *Stephanus*, *Theophylactus*, *Adrianus*, *Stephanus*, *Benedictus*, *Azo*, *Adrianus*, *Romanus*, *Leo*, *Benedictus*. Item *Leo* & *Leo* Scriniarii, *Leo* Primicerius scholæ cantorum, *Benedictus* Subdiaconus & Oblationarius, *Azo*, *Benedictus*, *Demetrius*, *Ioannes*, *Amicus*, *Sergius*, *Benedictus*, *Vrso*, *Ioannes*, *Benedictus* Subdiaconus, Subpulmentarius, & *Stephanus* Archiacoluthus cum omnibus Acoluthis & Regionariis. Ex primatibus Romanæ ciuitatis, *Stephanus*, filius *Ioannis Superista*, *Demetrius* Meliosi, *Crescentius* caballi marmorei, *Ioannes* cognomento *Nuzina*, *Stephanus* de *Muza*, *Theodorus* de *Rufina*, *Ioannes* de *Primicerio*, *Leo* de *Camirzuli*, *Richardus*, *Petrus* de *Canaparia*, *Benedictus* cum *Bulgamino* filio suo ex plebe, *Petrus*, qui & *Imperiola* est dictus, astitit cum omni Romanorum militia.

* Mendum librariorum hic latere agnoscit *Schilterus* lib. 3 de libertate ecclesiarum German. cap. 5 § 15 p. 322, dum his *Liutbprandi* verbis inspergit sequentia; *a Francia Episcopum Spirensem & Parmensem* (Paderbornensem, *Goldastus*; *forte* Warmensem *siue* Wormatiensem; *aut transpositio est vocabulorum, & pertinet post verba*, ab Italia) Sic ille. Sed minus bene. *Bubus* enim ille *Parmensis* non alius est, quam *Poppo II Herbipolensis*, qui alios inter synodo huic interfuit. vid. *Trithemius* parte prima chron. Hirsaugiensis ad an. 962 p. 104, *Frisius* chron. Wirzburgensi in *Poppone* hoc *II* p. 437. Deinde *Landohardus Numedensis*, quem *Schilterus*, licet & ipsummet vitiose expressum, præterit, est *Landohardus Mindensis*. vid. idem *Trithemius* l. d.

CAPVT II

al. lib. 6. cap. 7

Quæ acta sint in concilio contra Ioannem *Romanum Pontificem, in quem moderato animo & maturo consilio processit* Otho: *& quæ illi flagitia obiecta sint a congregatis in concilio; enormia certe & vix credibilia, etiam in sicario aut pagano.*

His itaque residentibus, silentiumque summum tenentibus, ita sanctus est Imperator exorsus: *Quoniam decorum esset, tam claro sanctoque Dominum Papam* Ioannem *interesse concilio, quur tantum declinauerit cætum, vos, ô sancti Patres, consulimus, quibus communis labor ecclesiasticus ac commune negotium existit.* Tunc Romani Pontifices & Cardinales, Presbyteri ac Diaconi cum vniuersa plebe dixerunt: *Miramur, sanctissimam prudentiam vestram nos hoc velle percontari, quod nec Ibericos, nec Babylonicos, nec Indicos incolas latet. Non hic iam de illis est, qui veniunt in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces: ita aperte sæuit, ita aperte diabolica pertractat negotia, ut nihil circuitionis vtatur.* Imperator respondit: *Iustum nobis videtur, ut accusationes nominatim exprimantur: deinde quod agendum est, communi consilio pertractetur.* Tunc consurgens *Petrus* Cardinalis Presbyter, se vidisse [illegible] ...um missam celebrasse, & non

& non communicasse testatus est. *Ioannes* Episcopus Narniensis, & *Ioannes* Cardinalis Diaconus, se vidisse illum Diaconum ordinasse in equorum stabulo, non certis temporibus sunt professi. *Benedictus* cum ceteris Condiaconis & Presbyteris dixit se scire, quod ordinationes Episcoporum pretio faceret, & quod annorum decem Episcopum in Tudertina ciuitate ordinaret. De sacrilegio non esse necesse percontari dixit, quia plus videndo quam audiendo scire potuissemus. De adulterio dixerunt, quod oculis non viderant, sed pro certo scirent, viduam *Raineri* & *Stephanam* patris concubinam & *Annam* viduam cum nepte sua abusum esse, & sanctum palatium lupanar & prostibulum fecisse: venationem dixerunt publice exercuisse. *Benedictum* spiritualem patrem suum lumine priuasse, & mox mortuum esse. *Ioannem* Cardinalem Subdiaconum virilibus amputatis occidisse, incendia fecisse, ense accinctum, galea & lorica indutum fuisse testati sunt. Diaboli in amorem vinum bibisse, omnes tam clerici quam laici acclamarunt. In ludo aleæ *Iouis*, *Veneris*, ceterorumque dæmonum auxilium poposcisse dixerunt. Matutinas & canonicas horas eum non celebrasse, nec signo crucis se muniuisse professi sunt. His auditis Imperator, quia Romani eius loquelam propriam, id est Saxonicam, intelligere nequibant, *Liuthprando* Cremonensi Episcopo præcepit, vt Latino sermone hæc Romanis omnibus, quæ sequuntur, exprimeret. Surgens itaque sic cœpit.

al. lib. 6 cap. 8

CAPVT III

De Imperatoris Othonis *matura in* Ioannem *Pontificem maximum consultatione per interpretem facta: & de Patrum contra eum attestatione, etiam cum sui anathematizatione, si minus vera dicerent: deque consilio inito, vt in persona citetur ad sui purgationem.*

P*Ersæpe contigit, & nobis expertis credimus, vt in dignitatibus constituti inuidorum infamia maculentur: displicet bonus malis, quemadmodum & malus bonis. Atque hoc rei est, quod hanc in Papam accusationem, quam modo* Benedictus *Cardinalis Diaconus legit, & vobiscum fecit, amphibolam retinemus, incerti, vtrum e zelo iustitiæ an impietatis liuore proruperit. Vnde mihi indigno secundum concessæ dignitatis autoritatem omnes obtestor per Deum, quem fallere, etsi vult, nemo potest, sanctamque eius genitricem intemeratam virginem* Mariam, *perque pretiosissimum Apostolorum principis corpus, in cuius hæc recitantur ecclesia, vt nulla in Dominum Papam iaculentur conuitia, quæ non sint ab ipso patrata, atque a viris probatissimis visa.* Tunc Episcopi, Diaconi, clerus, & cunctus Romanorum populus quasi vir vnus dixerunt: *Si non & quæ per* Benedictum *Diaconum lecta sunt, hisque turpiora & ampliora* Ioannes *Papa indigna commisit facinora, non nos a peccatorum vinculis absoluat Apostolorum princeps beatus* Petrus, *qui verbo cælum indignis claudit, iustis aperit. Simus anathematis vinculo innodati, atque in die nouissima in sinistra parte positi, cum eis, qui dixerunt Domino Deo,* Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus. *Quod si fidem nobis non adhibetis, exercitui Domini Imperatoris saltem debetis credere, cui ante V dies ense accinctus, clypeo, galea, lorica indutus occurrit: solus Tiberis, qui interfluxit, ne sic ornatus ab exercitu caperetur, impediuit.* Mox sanctus Imperator dixit: *Tot sunt huius rei testes, quot sunt nostro in exercitu bellatores.* Sancta synodus dixit: *Si placet sancto Imperatori, mittantur literæ Domino Papæ, vt adueniat, seque ex his omnibus purget.* Tunc eidem sunt literæ destinatæ.

CAPVT

CAPVT IV

al.lib.6 cap.4

Diploma siue exemplum literarum Imperatoriarum autoritate concilii ad Ioannem *Papam missarum, quibus vitia a Concilio illi obiecta, summatim recitantur; cum humili obsecratione, vt ad se purgandum in Concilium venire non recuset.*

S*Vmmo Pontifici & vniuersali Papæ, Domino* Ioanni, Otho *diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus, cum Archiepiscopis Liguriæ, Tusciæ, Saxoniæ, Franciæ, in Domino Salutem. Romam ob seruitium Dei venientes, dum filios vestros Romanos, scilicet Episcopos, Cardinales, Presbyteros, Diaconos, & vniuersam plebem de vestra absentia percontaremur, & quid causæ esset, quod nos ecclesiæ vestræ vestrique defensores videre noluissetis; talia de vobis tanquam obscœna protulerunt, vt si de histrionibus dicerentur, vobis verecundiam ingererent. Quæ ne magnitudinem vestram omnia lateant, quædam vobis sub breuitate describimus: quoniam si cuncta nominatim exprimere cuperemus, dies nobis non sufficeret vnus. Noueritis itaque, non a paucis, sed ab omnibus tam vestri quam alterius ordinis, vos homicidii, periurii, sacrilegii, & ex propria cognatione, atque ex duabus sororibus, incesti crimine esse accusatos. Dicunt & aliud auditu ipso horridum, diaboli vos in amorem vinum bibisse; in ludo aleæ Iouis, Veneris, cæterorumque dæmonum auxilium poposcisse. Oramus itaque Paternitatem vestram obnixe, venire, atque ex his omnibus vos purgare non dissimuletis. Si forte vim temerariæ multitudinis formidatis, iuramento vobis affirmamus, nihil fieri præter sanctorum canonum sanctionem. Data VIII Idus Nouembris.*

CAPVT V

al.lib.6 cap.5

De Ioannis *Papa apologetico, id est responso, vt autor accipit, quum apologiam potius dicat, qua excommunicatos pronuntiat, si ad noui Pontificis electionem processerint. Et de rescripto Patrum in Concilio ad eundem Papam, quod verbis sacris fulcitur.*

HAnc epistolam quum legisset, huiusmodi apologeticum scripsit. Ioannes *Episcopus, seruus seruorum Dei, omnibus Episcopis. Nos audiuimus dicere, quod vos vultis alium Papam facere: si hæc facitis, excommunico vos de Deo omnipotenti, vt non habeatis licentiam vllum ordinare, & Missam celebrare.* Quum hæc epistola in sancta synodo legeretur, aduenerunt, qui prius defuerant religiosi a Lotharingia, *Henricus* Treuerensis Archiepiscopus, ab Æmylia & Liguria, *Wido* Muziensis, *Gezo* Tertonensis, *Sigulfus* Placentinus: quorum consilio Domino Papæ ita rescribunt. *Summo Pontifici & vniuersali Papæ Domino* Ioanni, Otho *diuinæ respectu clementiæ Imperator Augustus: sed & sancta Synodus Romæ ob seruitium Dei congregata in Domino, Salutem. Præterita synodo, quæ celebrata est VIII Idus Nouembr. literas vobis direximus, in quibus accusatorum vestrorum verba, atque accusationis causæ continebantur. Rogauimus etiam eisdem literis magnitudinem vestram, quemadmodum iustum est. A vobis, non quales temporis qualitas, sed inconsultorum vanitas exposcit hominum, literas accepimus. Non veniendi ad synodum rationabilis esse excusatio debuit. Sed & Præsentes magnitudinis vestræ debuerunt nuntii interesse, qui aut ægritudinis, aut certe difficultatis causa satis-*

satisfacerent, sanctam vos synodum declinasse. Est & aliud vestris in literis scriptum, quod non Episcopum, sed puerilem ineptiam scribere deceret. Excommunicastis enim omnes, vt non habeamus licentiam canendi missas, ordinandi ecclesiasticas dispositiones, si alium Romanæ sedi constitueremus Episcopum. Ita enim scriptum erat, Non habeatis licentiam vllum ordinare. *Nunc vsque putauimus, imo credimus, duo negatiua vnum facere dedicatiuum, nisi vestra autoritas priscorum sententias infirmaret autorum. Nos vero intentioni vestræ non verbis respondeamus. Si ad synodum venire, & obiecta purgare non differtis, autoritati vestræ proculdubio obediemus. Sed si, quod absit, venire, & obiecta vobis capitalia crimina purgare dissimulatis, quum præsertim vos venire nil impediat, non maris nauigatio, non corporis ægritudo, non itineris longitudo: tunc excommunicationem vestram paruipendemus: eam potius in vos retorquebimus, quoniamquidem iuste facere possumus. Iudas Domini nostri Iesu Christi proditor, imo venditor, cum ceteris prius ligandi atque soluendi potestatem a magistro in hæc verba acceperat:* Amen dico vobis, quæcunque ligaueritis super terram, &c. *Quamdiu enim bonus inter discipulos fuit, ligare atque soluere valuit: postquam vero cupiditatis veneno homicida factus, vitam occidere voluit, quem postea ligatum soluere, atque solutum ligare potuit, nisi seipsum, quem infelicissimo laqueo strangulauit? Data X kalend. Decembr.* & missa per *Adrianum* Cardinalem Presbyterum, & *Benedictum* Cardinalem Diaconum. Qui quum ad Tiberim peruenissent, eum non inuenerunt. Pharetratus enim in campestria iam abierat. Nec quisquam erat, qui his, vbi ipse esset, indicare posset. Quumque eum inuenire non possent, cum eisdem literis ad sanctam synodum, quæ tunc tertio est habita, sunt reuersi. Mox Imperator ait: *Expectauimus aduentum eius, vt præsente eo, quod nobis egerit, quereremur: verum quoniam eum non affuturum certo scimus, quam perfide nobiscum egerit, vt diligenter agnoscatis, etiam atque etiam flagitamus. Notum itaque vobis facimus Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, reliquoque clero, necnon & Comitibus, Iudicibus, omnique plebi, quod idem* Ioannes *Papa oppressus a* Berengario *atque* Adelberto, *rebellibus nostris, misit nobis in Saxoniam nuntios, rogans, vt pro amore Dei in Italiam veniremus, & ecclesiam sancti* Petri *ac seipsum ex faucibus eorum liberaremus. Nos vero adiuuante Deo, quantum fecerimus, non est necesse dicere, vt impræsentiarum videtis. Ereptus vero mea opera ex eorum manibus, & honori debito restitutus, oblitus iuramenti & fidelitatis, quam mihi supra corpus sancti* Petri *promisit, eundem* Adelbertum *Romam venire fecit, & contra me defendit, seditiones fecit, & videntibus nostris militibus, dux belli factus, lorica & galea est indutus. Quid super hoc sancta synodus decernat, edicat.* Ad hæc Romani Pontifices, reliquusque clerus, & cunctus populus dixerunt: *Inauditum vulnus inaudito est cauterio exurendum. Si corruptis moribus sibi soli, & non cunctis obesset, quoquo modo tolerandus esset. Quot prius casti huius facti sunt imitatione incesti? Quot probi huius exemplo conuersationis sunt reprobi? Petimus itaque magnitudinem imperii vestri, monstrum illud nulla virtute redemptum a vitiis, a sancta Romana ecclesia pelli, aliumque loco eius constitui, qui nobis exemplo bonæ conuersationis præesse valeat, & prodesse sibi: recte viuat, ac bene viuendi nobis exemplum præbeat.* Tunc Imperator, *Placet*, inquit, *quod dicitis, nihilque gratius nobis, quam vt talis, qui huic sanctæ & vniuersali sedi præponatur, inueniri possit.*

CAPVT

CAPVT VI

De Leonis *Protoscriniarii in summum Pontificem electione: &* Ioannis *depositi largitione, qua Romanos in cædem Imperatoris & noui Papæ solicitauit: sed Imperatore vincente, frustra conati sunt.* Leonis *tamen indulgentia obsidibus remissis, quum Imperator abesset, meretricularum illecebris populus Romanus rursum* Ioannem *recipit, qui in* Leonis *asseclas mire sæuit, donec a diabolo enectus est. Post quem Romani* Benedictum *Papam declarant: sed* Leoni *sedes redditur,* Benedicto *exulante.*

HIs dictis omnes vna voce dixerunt: *Leonem venerabilem, sanctæ Romanæ ecclesiæ Protoscriniarium, virum approbatum, ad summum sacerdotii gradum nobis in pastorem eligimus, vt sit summus & vniuersalis Papa Romanæ ecclesiæ, reprobato ob improbos mores* Ioanne *apostata.* Quum hoc omnes tertio dixissent, annuente Imperatore, nominatum *Leonem* ad Lateranense palatium secundum consuetudinem cum laudibus ducunt, & certo tempore in ecclesia *S. Petri* ad summum sacerdotium sancta consecratione attollunt, & fideles se ei affuturos iureiurando promittunt.

His ita gestis, sperans sanctissimus Imperator, cum paucis Romæ se degere posse, ne consumeretur Romanus populus ob multitudinem exercitus, multis, vt redirent, licentiam dedit. Quumque hoc *Ioannes*, qui deiectus est, Papa cognosceret, non ignorans, quam facile Romanorum mentes pecunia posset corrumpere, clam Romam mittit nuntios, beati *Petri*, omniumque ecclesiarum pecuniam repromittentes, si super pium Imperatorem & Dominum *Leonem* Papam irruerent, eosque impiissime trucidarent. Quid multis morer? Romani quam mox exercitus paucitate confisi, imo decepti, & pecuniæ promissione animati, buccina concrepante, super Imperatorem, vt eum occidant, festinare contendunt. Quibus Imperator super pontem Tiberis, quem Romani plaustris impeditum habebant, occurrit. Cuius fortes milites assuefacti bello, pectore & armis intrepidi, eos inter prosiliunt, & quasi accipitres auium multitudinem nullo resistente proterunt. Non latibula, non corbes, non concaua ligna, non cryptæ, sordium receptacula, fugientibus tutelæ esse possunt. Occiduntur itaque, & vt assolet contingere viris fugientibus, passim a tergo vulnerantur. Quis tunc Romanorum cladis huius superstes fieret, si non Imperator sanctus misericordia, quæ eis nulla debebatur, inclinatus, suos adhuc interficere sitientes retraheret & reuocaret?

Itaque deuictis omnibus, atque iis, qui supererant, obsidibus acceptis, venerabilis Papa *Leo* pedibus Imperatoris prouolutus orat, vt Romanis obsides reddat, seque eorum fidei commendet. Rogatu denique venerabilis Papæ *Leonis* Imperator sanctus Romanis obsides reddit, non incertus, quod persecuturus sum, incepturos. Igitur Romanorum fidei eundem Papam quemadmodum lupis agnum commisit. Deinde Roma exiens, Camerinum Spoletumque versus, vbi Adelbertum esse audierat, properauit. Interea mulieres, quibuscum *Ioannes*, qui dictus est Papa, voluntatis suæ ludibrium exercebat, non ignobiles & plures concitauerunt Romanos, vt *Leonem* summum & vniuersalem Papam a Deo & ipsis electum perderent, & Ioannem in vrbem susciperent. Quod cum fecissent, Deo miserante, ex eorum manibus est venerabilis Papa *Leo* liberatus, paucisque ipsum concomitantibus, ad piissimi Imperatoris misericordiam est profectus.

Imperator denique sanctus tantum dedecus ægre ferens, tum ex Domini Papæ *Leonis* deiectione, tum ex *Ioanne* Cardinali Diacono, & *Azone* Protoscriniario, quorum alterum manu dextera, alterum lingua, duobus digitis, naribusque abscisis, *Ioannes* abdicatus defœdauerat, reparato exercitu, Romam redire disposuit. Priusquam tamen sancti Imperatoris copiæ essent congregatæ,

gregatæ, volens cunctis sæculis innotescere Dominus, quam iuste esset *Ioannes* Papa a suis Episcopis & omni plebe repudiatus, quamque postmodum iniuste receptus, quadam nocte extra Romam, dum se cum cuiusdam viri vxore oblectaret, in temporibus adeo a diabolo * est percussus, vt intra dierum octo spatium eodem sit vulnere mortuus. Sed eucharistiæ viaticum, ipsius instinctu, qui eum percusserat, non percepit: quemadmodum a suis cognatis & familiaribus, qui præsentes erant, persæpe sub attestatione audiuimus.

* *Ioannem XII* Auctor appendicis ad *Luitprandum* nocte quadam, dum fœdis amoribus indulgeret, in temporibus a diabolo percussum (alii a mulieris, qua abutebatur, marito) eoque ex vulnere infra octo dies mortuum scribunt. *Othonis* Imperatoris partibus, quem *sanctissimum* semper vocat, penitus deuotum & *Leoni VIII* Antipapæ addictum auctorem illum, certum est, vt non immerito veniant in suspicionem plurima, quæ de *Ioanne XII* & infausto eius obitu memorat. *Natalis Alexander* Histor. ecclesiast. sæc. IX & X cap. I artic. XXI § II p. m. 315 & rursum p. 32; Mortis pessimæ genus Cardinalis *Baronius* non negat, sed solum id ipsi contigisse diffitetur, quod iniuste damnatus, & iniuste receptus esset. *Sed*, inquit, *quia tot vexationibus a Deo admonitus nec a peccatis consuetis abstinuit, iuste meruit, a Deo tandem puniri.*

Quo mortuo, Romani omnes iuramenti, quod sancto Imperatori promiserant, immemores, *Benedictum* Cardinalem Diaconum Papam constituunt, insuper & iuramento, nunquam se eum dimissuros, sed eum contra Imperatoris potentiam defensuros promittunt. Quo audito Imperator vrbem vallauit, neminem, qui non membris truncaretur, exire permisit; machinis & fame vsqueadeo afflixit, donec Romanis nolentibus vrbem reciperet, *Leonem* virum venerabilem debitæ sedi restitueret, ac *Benedictum* summæ sedis inuasorem eius præsentiæ præsentaret. Residentibus itaque Domino *Leone* summo & vniuersali Papa in ecclesia Lateranensi, necnon & Imperatore sanctissimo *Othone*, & Episcopis Romanis, Italicis, a Lotharingia & Saxonia, Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superius ascribuntur, aduenit *Benedictus*, Apostolicæ sedis inuasor, eorum qui se elegerant manibus adductus, pontificalibus vestibus indutus. Quem *Benedictus* Cardinalis Archidiaconus tali est sermone aggressus: *Qua tibi autoritate, quaue lege, o inuasor, hæc pontificalia indumenta vsurpasti, superstite hoc præsente Domino nostro venerabili Papa* Leone, *quem tu nobiscum, accusato & reprobato* Ioanne, *ad Apostolicatus culmen elegisti? num inficiari potes, præsenti Domino Imperatori iuramento promisisse, nunquam te cum ceteris Romanum Papam electurum aut ordinaturum absque illius, filiique sui Regis* Othonis *consensu?* *Benedictus* respondit: *Si quid peccaui, miseremini mei.* Tunc Imperator effusis lacrymis, quam misericors esset ostendens, rogauit synodum, ne Benedicto præiudicium fieret. Si vellet & posset, ad interrogata responderet: quod si non posset, aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inueniret. Quo audito, ad Domini *Leonis* Papæ pedes, ipsiusque Imperatoris idem *Benedictus* concite procidens, se peccasse, seque sanctæ Romanæ sedis inuasorem esse acclamauit. Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum pontificali ferula, quam manu gestabat, Domino Papæ *Leoni* reddidit. Quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde *Benedictum* in terra sedere præcepit. Cui casulam, quam *planetam* vocant, cum stola pariter abstulit. Post autem omnibus Episcopis dixit, *Benedictum sanctæ & Apostolicæ sedis Romanæ inuasorem, omni pontificatus & presbyteratus honore priuamus: ob eleemosynam vero Domini Imperatoris* Othonis, *cuius sumus opera in sedem debitam restituti Diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non iam Romæ, sed in exilium destinamus.*

HROSVI-

HROSVITH

SANCTIMONIALIS GA
HEIMENSIS,

PANEGYR

IN LAVDEM ET RES (

OTHONI

CVM

HENRICI MEIBOMII,
RVMQVE
ADNOTATIONIBV

PAucis hic agam, cum HROSVVITHAE, quae hanc *in laudem & gesta* OTHONIS cognomento *Magni* Πανήγυριν ad posteros transmisit, genus, patriam, ingenii dotes, opera, aliaque plures iam enarrarint*.

* Sigillatim *Meibomius* in vita illius *Panegyri* huic praemissa, tomo I opp. p. 706 & seq. *Vossius* de Historicis Latinis lib. II cap. XLI p. 351 & seq. *Leuckfeldius* Antiquitatum Gandersheimensium cap. XXIV p. 271 & seq. *Oudinus* tomo II Commentarii de Scriptoribus & Scriptis ecclesiast. col. 502 & seq. cum maxime vero *Schurtzfleischius* iunior in eruditissima praefatione operibus illius praefixa p. 1 & seqq.

Fuit autem *Hrosvvitha* nostras natione Germana. Neque enim hic audiendus *Humfredus*, qui *Anglam* dixit, vt praeter *Meibomium*, *Vossium*, *Oudinum*, aliosque, rationibus & argumentis, quae non fallunt, ostendit *Schurtzfleischius* l. d. p. 7 & seqq. Et Saxonum quidem, quod certis testimoniis constat, gente orta fuit*: sed qua familia, incertum. Quod enim alii *Rossouiorum* stirpe prognatam volunt, ac *Helenam* a *Rossovv* appellant**; alii vero e *Rossingiorum* descendisse prosapia malunt †, nullo antiquitatis monumento suffragante statui, alii iam docuere ††.

* Sic enim Auctor *chronici Episcoporum Hildesiensium & Abbatum S. Michaelis* tomo II Scriptorum Historiae Brunsuicensi inseruientium p. 787; *Vixit eodem tempore in Gandersheimensi coenobio eruditissima monialis, Domina* Rosuuitis, "*puella Saxonica.* Fr. *Henricus Bodo* in Syntagmate de ecclesia Gandersheimensi tomo III Scriptorum modo dictorum p. 712; *Sub illustrissima Domina* Garburgi *ista secunda vitam egit ac floruit illustris virgo sanctimonialis* Hrosuitha, "*in Saxonia nata.* Quin in vetustissimo codice opp. mscr. diserte *Saxonicam* vocari testis est *Celtes*, in praef. p. 46 edition. Schurtzfl. *Reperi vetustissimum littera ferme Gothica & mulieris manu conscriptum codicem, sub titulo & inscriptione virginis & monialis Germanae* "*gente Saxonicae, quo continebantur, quae in fronte & indice huius voluminis continentur.* Hinc *Ioannes Tholophus*, Praepositus, carmine in *Celtis* modo laudati editionem scripto, p. 51;

Nata ex Saxonicis casta Poeta plagis.

& *Ioannes Lateranus* alio p. 52;

Olim in Arctoa generata terra
Saxonae gentis generosa virgo.

** In his *Martinus Fridericus Seidel*, Consiliarius Brandenburgicus, in elogiis ac iconibus eorum, qui Marchiam Brandenburgensem ornarunt, *Sagittarius* Introduct. in Histor. ecclesiast. cap. XXIV § XXXII p. 622, *Struuius* Bibliothecae

thecae Historicae cap. VII § XVI p. 153, *Neu* sectione VIII Mantissae ad *Degorei Wheari* Relectiones Hiemales p. 99, *Gundlingius* Obseruationum selectarum I § II not. u) p. 12, qui quidem *Seidelium* eam *non male* sic appellasse censet.

† Teste illustri *Leibnitio*, qui Introductione in Collectionem Scriptorum iam excitatorum tomo II praemissa § XXVI p. 29 eos notat, ac *Rossingiam*, inquit, *alii malunt*, *simili errore*, *quae familia in Brunsuicensibus terris floret. Sed talia comminiscentis sunt, non narrantis.*

†† Contra *Seidelium* quidem, ceterosque idem sentientes *Schurtzfleischius* aeque ac *Leibnitius*: *ille*, l. d. p. 2: *hic* l. d. p. 29. Contra eos, qui genere *Nobilium* a *Rossing* natam malunt, idem *Leibnitius* l. d. vt ex iam dictis manifestum est.

Atque adeo non equestri, sed longe illustriori genere edita fuit. Forte *Hrosuuitham*, aggregatis in parthenone Gandersheimensi in vitae communionem virginibus Abbatissae siue Rectricis dignitate, post tres fundatoris filias, praepositam, propinqua cognatione contigisse *Leibnitius* l. d. haud inaniter suspicatur. *Illustrißimam feminam* Fr. *Henricus Bodo* dicit in praefatione Syntagmati suo Gandesiano præfixâ tomo II opp. Meibomii p. 479.

Quum fluxa rerum periturarum aspernaretur gaudia, in eodem, quem modo laudaui, parthenone Christi se dedit seruitio, ac *Richarde* & *Gerberga* magistris* vitae doctrinaeque praeceptis initiata, animum non litteris tantum latinis, sed graecis etiam **, quin scitis quoque sapientiae, quae Philosophia dicitur, supra sexus saeculique sui captum excoluit, vt recte l. d dixerit *Oudinus*, stirpe sanguinis quidem apprime fuisse claram; clariorem vero obscuro isto saeculo ob bonarum artium disciplinas, quarum, cum a viris tum litterarum negligerentur studia, bene sciens & perita fuerit.

* Vid. *ipsa* praefatione in opera sua carmine conscripta p. 70.

** *Bodo* l. d. Syntagmatis de ecclesia Gandesheimensi edit. Leibnitianae: *Graecae etiam linguae notitiam habuit.* Vt adeo erret *Oudinus*, dum l. d. col. 503 scribit, *Tritbemii* verba de ea reperisse *Conrad. Gesnerum* in Bibliotheca vniuersali, verbo *Roswida*: adiecisse tamen, *sed gratis forsan & absque idoneo ad id teste*, habuisse scilicet eandem notitiam linguae Graecae. Quod ceteroquin graece docta fuerit, *Gyraldus*, *Bodoni* suppar, dixit dialogo V de Poetis Historicis, *Vossius* item l. d. p. 351, & *Caueus* parte I Historiae litterariae Scriptorum ecclesiasticorum saec. X p. m. 412.

Ad Abbatissae siue Antistitae Gandersheimensis dignitatem euectam esse, sunt, qui velint; sigillatim *Boeclerus* de rebus saec. a Christo nato IX & X, in Othone II p. m.

p. m. 362, Bibliographiae item Criticae cap. X § III p. 318, *Kortholtus* Histor. ecclesiast. N. T. saec. X cap. III p. 392. Sed falluntur, & cum *Hrosuuitha*, quae gregi Gandersheimensi seruando, vt ante dictum, post tres fundatoris filias praefuit, eandem confundunt. Monuere id iam alii; generatim quidem *Leuckfeldius* l. d. § II p. 272, *Oudinus* l. d. col. 506: speciatim vero *Schurzfleischius* l. d. p. 27 & seq.

Claruit autem temporibus *Othonis* I, vulgo *Magni* cognomento illustris, & *Othonis II.* Augustorum, vt contra *Trithemium*, qui sibi hic non constat, locis dictis planum fecere *Meibomius*, *Voßius*, *Neu*, *Oudinus*, &, quem primo loco nominare par erat, *Schurtzfleischius* p. 17 & seq.

Praeter plura, quae tam prosa quam vorsa posteritati reliquit, hortatu praeceptoque *Gerbergae* atque *Othonis II* * carmine heroico scripsit hanc de gestis *Othonis I* Historiam **, quam Graeca voce inscripsit Πανήγυριν

* Vid. ipsa in praefatione illius ad *Gerbergam*, & carmine secundo praeliminari ad *Othonem II.*

** Sunt qui putent, de patris & filii gestis eam egisse; immo, de trium Imperatorum *Othonum.* Sed falli illos, res ipsa docet. Conf. *Hechtius* Germaniae sacrae & litteratae parte II lib. VI cap. III p. 235 & seq.

Opera quidem non plane contemnenda; vt eruditorum, quod merito adiiciendum, plures iam dudum censuere. Sic enim

Martinus Polichius, Mellerstadius,
carmine in editionem operum a *Celte* procuratam:

Gloria quanta fuit magnis Othonibus *armis*
Gloria tanta tibi, Rosuitha, *in historia.*

Ioannes Cuspinianus,
de Caesaribus, in *Othone I* Imperatore, p. 243:

Res gestas Othonis Rosuitha *monialis complexa est versibus: qui licet sint, vt tempora ferebant, neque elegantes, neque satis culti, mirandum tamen est, ingenium muliebre in Saxonia, & in ipsa barbaria educatum & genitum ea praestare potuisse.*

Henricus Meibomius, auus,
l. d. p. 707:

Panegyricum de laudibus Othonis M. *confecit hortatu* Gerbirgae *Abbatissae, vt testatur in praefatione; in secundo carmine praeliminari innuit*, Othonem II *Imperatorem*

torem poema ipſum videre deſideraſſe. Dictio eſt tolerabilis, ſaeculum, quo vixit, redolens: in proſodiam plurimum peccauit, quod ſexui condonandum eſt.

Saepius autem *Panegyris* haec prodiit. Primum quidem coniunctim*, cum ceteris Poetriae operibus, Norimbergae anno MDI, cura *Conradi Celtis*, qui ea in monaſterio *D. Emerani*, quod apud Ratisbonenſes eſt, inuenit †, ac deinde in lucem protraxit.

* Non ſeparatim, vt *Struuius* habet l. d. p. 153.
† Vid. *Schurzfleiſchius* l. d. p. 39 & 40.

Hunc ſecutus *Reuberus* eam anno MDLXXXIV his, quos publico tum dedit, Scriptoribus inſeruit. Inde *Henricus Meibomius*, auus, ſeparatim recenſuit, ac notis illuſtratam *Witichindi* annalibus anno MDCXXI Francofurti emiſſis, adiecit: quam editionem poſtea *Henricus* nepos tomo I rerum Germanicarum an. MDCLXXXVII repetiit. Poſtremo *Henricus Leonhardus Schurzfleiſchius* anno MDCCVII Witenbergae cum ceteris illius operibus laudabili opera recognouit, additiſque ſimul Meibomianis annotationibus recudi curauit.

Bæclerus quidem de Scriptoribus Graecis & Latinis p. 90: *Witikindus & Roſwida. Edidit cum notis Reineccius. Sed iſta,* inquit *Krauſius* cap. XII animaduerſ. in Bibliographiam eiuſdem Criticam § III p. 869, *falſa ſunt, quantum ad* Roſuitham *attinet; quamuis* Witichindum *ediderit* Reineccius *Francofurti an. MDLXXVIII.*

Quod ad nouam, quam hic habes, editionem attinet, *Reuberianam* ego cum *Schurzfleiſchiana* compoſui, ac lectiones, quae mihi in hac occurrerunt, variantes margini litteris Italicis exſcriptas adieci. Dein annotationes Meibomianas, quas *Leibnitius* l. d. *egregias* vocat, locis, quo pertinent, ſubſtraui: iis autem nonnullas aliunde, cum maxime vero ex indice, quo *Schurzfleiſchius Hroſuuithae* ſcribendi genus inficetum nonnunquam & ab latinitate genuina recedens explicuit, deſumtas, inſperſi iuxta immiſcuique. Id quod breuibus monere, e re duxi.

PRAEFATIO
HROSVITHAE GERMANICAE IN PANEGYRIM ODDONIS.

GERBERGAE *, Illuſtri Abbatiſſæ, cui pro ſui eminentia probitatis haud minor obſequela venerationis, quam pro inſigni regalis ſtemmate generoſitatis, *Hroſuith* Gandeshemenſis, vltima vltimarum, ſub huiuſmodi perſonæ dominio militantium, quod famula heræ.

O mea *Domna*, quæ rutilanti ſpiritualis varietate ſapientiæ perlucetis, non pigeſcat veſtri almitatem perluſtrare, quod veſtra confectum non ignoratis ex iuſſione. Id quidem oneris mihi impoſuiſtis, vt geſta Cæſaris Augusti, quæ nec auditu vnquam affatim valui colligere, metrica percurrerem ratione. In huius ſudore progreſſionis quantum meæ inſcitiæ difficultatis obſtiterit, ipſa coniicere poteſtis: quia hæc eadem non prius ſcripta reperi, nec ab aliquo ** digeſtim ſufficienterque dicta elicere quiui, ſed veluti, ſi aliquis neſcius ignoti per latitudinem ſaltus eſſet iturus, vbi omnis ſemita niuali denſitate velaretur obducta, hicque nullo duce, ſed ſolo præmonſtrantium nutu inductus, nunc per deuia erraret, nunc recti tramite callis improuiſe incurreret, donec tandem emenſa arboreæ medietate ſpiſſitudinis, locum optatæ comprehenderet quietis, illicque gradum figens, vlterius progredi non præſumeret, vſque dum vel alio ſuperueniente induceretur, vel præcedentis veſtigia ſubſequeretur, haud aliter magnificarum prolixitatem rerum iuſſa ingredi, regalium multiplicitate geſtorum nutando & vacillando ægerrime tranſcurro, hiſque admodum laceſſita, competendi in loco pauſando ſileſco, nec Auguſtalis proceritatem excellentiæ ſine ducatu appono ſubire. Si enim facundiſſimis diſertiſſimorum ſententiis, quas vel modo ſcriptas vel ocius de his rebus non dubito fore ſcribendas, fuerim animata, fortaſſe nanciſcerer, vnde mei ruſticitas velaretur aliquantiſper. Nunc autem omne latus tanto magis caret defenſione, quanto minus vlla fulcitur

citur auctoritate: vnde etiam vereor, me temeritatis argui, tendiculasque multorum non deuitare conuitii: eo quod verbis pomposis facetæ vrbanitatis exponenda eloquentius, præsumpserim dehonestare inculti vilitate sermonis. Si tamen sanæ mentis examen accesserit, quæ res recte pensare non nescit, quanto sexus fragilior, scientiaque minor, tanto venia erit facilior: præsertim cum non meae præsumptionis, sed vestræ* causa iussionis, huius stamen opusculi cœperim ordiri. Cur tamen aliorum iudicia formido? quæ vestri solummodo censuræ, si quid fefelli, obnoxia existo: vel cur nequeam deuitare conuitia? quæ solummodo silentio studere debeo: ne si seriem, pro sui vilitate nulli ostendendam, velim propalari, merito omnium succumbam reprehensioni. Vestro autem, vestrique familiarissimi, cui hanc rusticitatem sanxistis præsentatum iri, scilicet Archipræsulis *Vilhelmi*, iudicio, quoquomodo factum sit, æstimandum relinquo.

*Cum, quæ in hoc poemate aliquid obscuritatis siue difficultatis habitura videntur, in notis ad *Witichindum* suo loco illustrata sint, necesse non est, vt hic prolixi simus. Pauca tantum ibi prætcrita enucleabimus.

Gerbirgis, eius nominis secunda, cœnobii *Gandesheimensis* magna sacerdos, cui *Hroswitha* poema suum consecrauit, filia fuit *Henrici* Rixosi, Ducis Bauariæ, ex *Iuditha* siue *Iutta*, *Arnolfi*, Bauariæ Ducis, filia herede. Sororem germanam habuit *Heideuuigin*, vxorem *Burchardi*, Sueuorum Ducis, cui, exauctorato filio *Ludolfo*, *Otho* Imperator Ducatum commisit. Occubuit in bello Vngarico an. 955. Fuit *Heideuuigis* singularis ingenii & naturæ mulier, moribus supra sexum seueris, græce & latine docta, proficiendi semper auida. Quomodo Imperatoris Græci, *Constantini*, nuptias, a quibus abhorrebat, declinarit, inuenies apud *Ekkihardum* iuniorem de casibus monasterii Sangallensis cap. 10. Præterea *Gerbirgis* germanum habuit *Henricum* Hezelonem, itidem Ducem Bauariæ, qui cum an. 995 ad sororem diuertisset, peste correptus Gandersheimii obiit, sepultus in templo primario ante aram S. crucis, vt *Ditmarus* lib. 3. *Gerbirgis* a Collegio concorditer electa, consecrationem ab *Ochwino* (Ditmarus *Aduinum* nominat) Episcopo Hildeshemense, accepit. Præfuit annos circiter 50. Nam scriptores variant. In suburbio oppidi *Gandesheim* condidit monasterium sanctimonialium, quod ab *Othone II* Imperatore confirmatum est sequenti diplomate.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otho *diuina fauente clementia Imperator Augustus. Nouerit omnium fidelium nostrorum, tam præsentium quam futurorum industria, qualiter neptis nostra,* Gerbirg *nominata,* Gandesheimensis *cœnobii Abbatissa, quoddam ibidem monasterium, in superiore plaga ciuitatis situm, penitus a fundamento construere, in honorem sanctæ* Mariæ, *ob cælestis gaudi spem proponens, voluntate sanctimonialium suarum ibidem prius manentium constituit; illucque triginta sanctimoniales in diuini seruitii collegium aggregauit. Quibus vero, tam ibi manentibus, quam imposterum mansuris, victum & vestitum procurans, quandam proprietatem suam* Sundronhoff *in Pago* Gollochkeune, *& in Comitatu* Gerungi *consitam, cum omnibus ea die ad hanc seruientibus, & omnes censuales, qui singulos solidos pro capite quisque persoluent, tam ad hoc prædium, quam ad aliud,* Paldoluesheim *nuncupatum, iure pertinentes,*

nentes, cum omnibus suis vtriusque sexus mancipiis, quæ iure potuit tradere, nec non omnibus rebus cuiuslibet possessionis, excepto auro coccino, ad hoc etiam & censores alii fideles in Saxonia in loco Ehte *terram vnam, quam vulgo* Seliland *vocant, alteram in* Makkenrode, *& tertiam in* Abbactiskonrod, *in* Heringehusomarcha, *pro eius voluntate ob animarum parentum nostrorum remedium ibidem quiescentium, nec non omnium sanctimonialium illic defunctarum, vel deinceps futurarum requie, eidem ecclesiæ & XXX sanctimonialibus, Deo illic & sanctissimæ eius genitrici sub regula sancti* Benedicti *Abbatis seruientibus, in perpetuum vsum cum Aduocati manu contradidit: aliamque eius proprietatem* Paldolvesheim, *cum omnibus ea die ad hanc seruientibus, ad illud vetus monasterium, quod primitiua est ecclesia, cum manu etiam Aduocati ea ratione contradidit, vt, si aliquid ipsæ nouiter constitutæ in consiliis egeant, & forte in rebus deficiant, a veteri monasterio habeant. Quo facto, ipsa nostram adeunte Serenitatem, plurimumque rogante, pro genitoris nostri, omniumque debitorum animabus, arbitrium illis inter se Abbatissas, quascunque communiter voluerint, cum assensu veteris monasterii Abbatissæ, eligendi nostra potentia concessimus. Insuper etiam, pro iam dictorum parentum nostrorum requie, nostri iuris proprietatem, quantum in loco* Brunnimehuson *habuimus, & XX familias & totidem mansos, in villis* Schuson, Wurothhuson, Pilindon, Hammingorod *sitos, ad idem nouum monasterium nostra Imperiali potentia concessimus, firmiterque in perpetuum vsum donauimus, cum vtriusque sexus mancipiis, ædificiis, terris, cultis & incultis, pratis, pascuis, siluis, aquis, aquarumue decursibus, viis & inuiis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omnibus iuste ad huc pertinentibus, in Comitatu* Roetvvigi *Comitis sitis, eo tenore, vt hæc ad eiusdem statum monasterii sub manu Abbatissæ firmiter, vti ceteræ res ad ecclesias a Regibus & Imperatoribus contraditæ, consistant. Et vt hæc nostræ concessionis & donationis auctoritas firmior stabiliorque cunctis perpetim credatur, hanc cartam inscribi, annuloque nostro signatam manu propria subtus firmari curauimus.*

Signum Domini *Othonis* [monogram] inuictissimi Imp. Augusti.

Villisus *Cancellarius vice* Roberti *Archicapellani subscripsi. Data VII Idus Iun. anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXIII, Indictione I, anno regni Domini* Othonis *XIII, Imperii autem VI. Actum* Gruonah *feliciter. Amen.* (M.)

** i. e. *ordinatim, disposite.* Eodem sensu Comœd. I act. I p. 11 opp. *Dic digestim.*

HROSVI-

HROSVITHAE,

illustris mulieris Germanicae, in gesta ODDONIS I *præfatio.*

POllens imperii regnator Cæsariani,
Oddo *qui Regis pietate fauente perennis*
In sceptris Augustalis præclarus honoris
Augustos omnes superas pietate priores,
5 *Quem plures gentes passim metuunt habitantes,*
Muneribus variis Romanus donat & orbis:
Exiguum munus ne spernas carminis huius,
Iste sed oblatus laudum placeat tibi census,
Quem postrema gregis soluit tibi Gandeshemensis,
10 *Quem dulcis patrum collegit cura tuorum,*
Continuumque tibi debet studium famulandi.
Forsan gestorum plures scripsere tuorum,
Et sunt scripturi post hæc insignia multi:
Sed non exemplum quisquam mihi præbuit horum,
15 *Nec scribenda prius scripti docuere libelli.*
Causa sed est operis tantum deuotio mentis.
Hæc & ad audendum suadebat opus metuendum.
Nam sat formido, quod gesta tui modulando
Incaute sim falsa sequens, non vera retexens,
20 *Sed hoc non suasit mala mis† præsumptio mentis.*
Nec, summa veri contempta, sponte fefelli.
Sed res, vt scripsi, sese sic prorsus habere,
Ipsi dicebant mihi, qui scribenda ferebant.
Hinc Augustalis pietas non spernat honores,
25 *Quos simplex humilis gessit deuotio mentis.*
Et cum te libri laudantes congrue multi
Post hæc scribentur, meritoque placere probentur:* * *scribantur* (S.)
Ordine postremus non sit tamen iste libellus,
Quem prius exemplo constat scriptum fore nullo.
30 *Et licet imperii teneas decus Octauiani:*
Non dedigneris vocitari nomine Regis:
Donec, perscripto vitæ regalis honore,
Ordine digesto nec non sermone decoro,
Dicatur sceptri decus Imperiale secundi.

† Pro *mei.* Genitiuus antiquus ab *ego.* Ennius;
Ingens cura mis *est concordibus æquiparare* (S.)
Poetria nostras Comoed. 4 p. opp. 34; *Maria* mis *optima filia.* Et *passione S. Pelagii* in præfatione §. 6, 7;
Et fac, exigui supero de rore rigari
Pectoris obscurum iam mis *clementius antrum.*

Alia præfatio eiusdem ad ODDONEM II *Regem, cuius iussu hunc librum scripsit.*

35 ODdo, *Romani præfulgens gemmula regni,*
Oddonis *flos Augusti splendens venerandi:*
Cui Rex altithronus, Perpes quoque filius eius
Præstitit imperium pollens in vertice rerum.
Vilem ne spernas vilis textum monialis,
40 *Quem præsentari (si digneris reminisci)*
Ipse tui claris iussisti nuper ocellis.

Et cum perspicias maculis sordescere crebris,
Ad celerem tanto veniam mox pronior esto:
In monstrando tuis quantum plus pareo iussis,
45 *Si tis* † *præcepto non vrgerer metuendo,*
Non foret vsque modo * *mihimet fiducia tanta:*
Vt tibi præsentis scrutandum rusticitatis
Auderem satis exiguum perferre libellum:
Qui præstante Deo patri subiunctus in aula
50 *Ipsius & monitis promptus parere paternis,*
Par decus imperii retines concorditer ampli,
Comportans dextra sceptrum regale tenella.
Sed quia te memini sublimiter assimilari
Nato famosi Regis Dauid, Salomoni,
55 *Qui, genitore suo præsente iubenteque sancto,*
Optata regnum suscepit pace paternum.
Ipsius exemplo te contentum fore spero,
Qui, cum regnando resideret in arce superba,
Prudenter legum condens decreta sacrarum
60 *Ac penetrans animo rerum secreta profundo,*
Nunc libet & minimis mentem laxare rimandis,
Sed nec conflictum fastidit rite duarum
Soluere iudicii celeri discrimine recti,
Prolem restitui veræ mandans genetrici.
65 *Hinc supplex te posco quidem, nostrum Salomonem*
Et licet imperii tenearis sollicitandi
Cura, digneris tamen & propriæ monialis
Transcurrens seriem nunc lectitare recentem,
Quo male compositis verbis mox dedicat omnis
70 *Rusticitas oris, de tractibus imperialis*
Nominis & titulo signata tui venerando.
Despectus nimia meriti tueantur ab aura.

* *vsque modo* (S.)

† Antiquus genitiuus, pro *tui*. *Plautus* Milite act. 4 sc. 2 § 42; *Quia* tis *egeat, quia te careat.* *Hrosuitha* nostras ipsa *de lapsu & conuersione Theophili* § 340; *En* tis, *vir Domini, tristis compunctio cordis.* & *de passione S. Dionysii* § 213; *Quo* tis *secretum scrutaret mysteriorum* (S.)

HROSVITHAE HISTORIA.

I

Postquam stirps *Caroli* magni desiit, Imperium Romanum ad Saxones migrauit, quod *Henricus* primus cum vxore *Mathilda* suscepit.

POstquam Rex regum, qui solus regnat in æuum,
Per se cunctorum transmutans tempora Regum,
Iussit Francorum transferri nobile regnum
Ad claram gentem Saxonum (nomen habentem
5 *A saxo per duritiem mentis bene firmam)*
Filius Oddonis, *magni Ducis & venerandi,*
Scilicet Henricus, *suscepit regia primus*
Iusto pro populo * *moderamine sceptra gerenda.*
Hic pollens quantæ fuerat bonitatis honore,
10 *Et quanta populos rexit pietate subactos:*
Qualiter & Reges meritis tunc temporis omnes
Præeminet eximius, excedit denique vilis

* *populi* (S.)

Huius

Huius carminuli † *textum nimium vitiosi.*
Nam fuit immitis reprobis, blandus quoque iustis,
15 *Summo conseruans studio legalia iura,*
Aequa satis meritis reddens quoque præmia cunctis.
Huic Rex pacificus dederat de sidere Christus
Eius ciuilem vitæ per tempora pacem.
Omine felici tenuit quoque culmina regni,
20 *Ni fallor, denos labentis temporis annos*
Nec non bis ternos multum feliciter actos,
Conregnante sua Mathilda *coniuge clara,*
Cui nunc in regno non compensabitur vlla,
Quæ posset meritis illam superare supremis.

† *Carminulum*, carmen tenue. Conf. dedicatoriam *Historia* B. Mariæ *virginis* præmissam, vbi v. 4. Poetria hæc nostras; *Qua tibi purganda hic offero* carminula.

II

Henricus tres filios ex *Mathilda* suscepit, *Oddonem*, *Henricum*, & *Brunonem* Episcopum Coloniensem.

25 *TRina quibus deitas dederat tres denique natos,*
Iam tunc felici disponendo pie genti,
Ne post Henrici *mortem Regis venerandi*
Imperium regni male surriperent scelerosi.
Hii sed regalis nati de germine stirpis
30 *Rexissent regnum concordi pace paternum,*
Quamuis dissimiles hiis seruarentur honores,
Binis regnanti subiectis scilicet vni.
Inter quos primus fulsit, ceu lucifer ortus,
Oddo, *micans radiis nimium claræ bonitatis,*
35 *Gratia quem Regis solita pietate perennis*
Rectorem plebi præuidit rite fideli.
Hic ætate prior fuerat, meritis quoque maior.
Congruus & sceptris defuncto patre gerendis.
Non opus est verbis eius summam probitatis
40 *Dicere, vel pueri meritum laudabile tanti:*
Cui Christus talem iam nunc augescit honorem,
Possidet vt Romam pollenti iure superbam
Quæ semper stabilis summum fuerat caput orbis,
Edomat & gentes (Christo fauente) feroces,
45 *Quæ prius ecclesiam laniabant sæpe sacratam.*
Post hunc Henricus *fuerat feliciter ortus,*
Impositoque patris famoso nomine Regis,
Prouida quem Domini pariter sapientia Christi
Dignatur seruare Ducem populo bene fortem,
50 *Belliger vt fortis, belli doctissimus artis,*
Fortiter ecclesiam præmuniret venerandam,
Ceu murus iaculis obstans fortissimus hostis.
Post hunc ecclesiæ pastor Brun *nascitur almæ,*
Gratia Pontificis quem duxit summa perennis
*Dignum (S.) 55 *Dignum* catholici curam gestare popelli.*
Hinc quoque, diuino nutu, patris pia cura
Ipsum seruitio Christi fecit religari,
Abstractum gremio charæ nutricis amando,
Vt regni pompis posset constare relictis
60 *Miles stelligera semper regnantis in aula.*
At Christus, Patris sapientia vera perennis,

Tironem

Tironem refouendo suum clementius istum,
Ipsi dona dedit tantæ præclara sophiæ
Quod non est illo penitus sapientior vllus
65 *Inter mortales fragilis mundi sapientes.*

III

Henricus primogenito *Oddoni* vxorem *Eaditham* dat, ex qua *Ludulfum* genuit.

His igitur pueris regali more nutritis,
Ipsorum patri, famoso denique Regi,
Henrico, *placuit (factis quod rite repleuit)*
Vt, vitæ calidas sospes dum carperet auras,
70 *Ipse suo primogenito, Regique futuro,*
Oddoni, *dignam iam desponsaret amicam,*
Quæ propriæ proli digne posset sociari.
Hanc non in proprio voluit conquirere regno,
Trans mare legatos sed transmisit bene cautos,
75 *Gentis ad Anglorum terram sat deliciosam,*
Demandans, vt continuo (tardamine (a) *misso)*
Eduardi *Regis natam peterent*, Eaditham (b),
Quæ patre defuncto iam tunc residebat in aula,
Fratre suo regni sceptrum gestante paterni,
80 *Quem peperit Regi consors non inclita regni,*
Istius egregiæ genitrix clarissima Domnæ:*
Altera sed generis mulier satis inferioris (c).
Hæc nam, versiculis, proles, quam scriptito, Regis,*
Hæc, inquam, fama cunctis fuerat bene nota,*
85 *Nobilitate potens, primis meritis quoque pollens,*
Edita magnorum summo de germine Regum.
Cuius præclaro facies candore serena
Regalis formæ miro rutilabat honore,
Ipsaque perfectæ radiis fulgens bonitatis,
90 *In patria talis meruit præconia laudis,*
Vt fore (d) *iudicio plebis decernitur omnis*
Optima cunctarum, quæ tunc fuerant mulierum.
Nec mirum, meritis sic lucebat bene primis,
Germen sanctorum quam producebat auorum.
95 *Hanc tradunt ergo natam de stirpe beata*
Osualdi *Regis* (e), *laudem cuius canit orbis,*
Se quia subdiderat morti pro nomine Christi.
At Regis nostri venientes denique missi
Ad fratrem Domnæ, iam tunc residentis in arce,
100 *Illi nudabant* (f), *quæcunque secreta ferebant.*
Quæ sibi percerte (g), *comperta satis placuere,*
Moxque suæ dulci narrabat voce sorori,
Exhortans illam, Regi parere fideli,
Illam qui propriæ proli voluit sociari.
105 *Cumque suæ monitis menti instillaret amicis*
Oddonis *dulcem, pueri regalis, amorem,*
Colligit innumeras summo conamine (h) *gazas.*
Ast vbi collecti visum fuerat satis ipsi,
Prædictam sociis Domnam comitantibus aptis,
110 *Trans mare percerte summo direxit honore,*
Condonans illi gazas nimium pretiosas,
Nec non germanam secum transmisit Adiuam,
Quæ fuit ætatis, meriti pariterque minoris:
Quo sic maiorem prorsus conferret honorem

* *Ipsius* (S.)
* *scriptis* (S.)
* *fuerat cunctis* (S.)

Oddoni,

115 Oddoni, *nato famosi Regis amando,*
Egregiæ binas stirpis mittendo puellas,
Vt sibi, quam vellet, sponsam licito sociaret.
Aspectu primo sed mox Eadith *veneranda,*
Iure placens cunctis habitu summæ bonitatis,
120 *Regali nato censetur congrue digna.*
Hæc illi dulcem peperit clarissima prolem,
Nomine Luidulfum, *tantis genitoribus aptum:*
Quem populus merito dilexit amore tenello,
Exoptans, prolongari vitam satis ipsi.

(a) i. e. *mora* (S.)

(b) In historia Regum Illyricorum nominatur *Etuta*, *Honnni* Dardanorum Regis filia; quæ primo nupsit *Platori*, *Pleurati* Illyricorum Regis filio; quo a fratre *Gentio*, quod suspectas hasce haberet nuptias, interempto, a fratricida coniunx eligitur. Huius *Etuta* nomen idem esse putat cum *Editha* Anglicanæ nomine, vt sit *Editha Hetbute*, custodia patris, de qua coniectura cuilibet liberum esto iudicium. (M.)

(c) *Adelstanus* quadam natiuitatis macula laborabat. Erat enim eiusdem mater opilionis filia; sed eminentis pulcritudinis puella; cuius lepore Rex *Eduardus* captum se sensit. *Hrosvvitha* vates id paullo obscurius insinuauit, quod *Ioannes Bromptonus* Iornallensis, quem ex mscr. *Ioannes Seldenus* tom. I. Scriptor. histor. Anglic. p. 831 publicauit primum, clarius enuntiat. Ita enim ille; *Erat illis temporibus in quadam villa VVestsaxoniæ opilionis filia, elegantis speciei puella, cui dormienti visum est lunam de suo ventre splendere, & de hoc lumine totam Angliam illustrari. Quod cum cuidam matronæ, quæ pueros Regis nutrire consuerat, retulisset, puellam recepit in domum suam, & filiæ loco cibis delicatis nutriuit, & vestibus eam cultioribus vestiens, gestu & moribus informauit. Et non multo post iste* Edvvardus, Aluredi *filius, casu per villam transiens, ad domum istius matronæ diuertit, credens famæ suæ detrimentum inferre, si nutricem videre, quæ ipsum educauerat, fastidiret. Vbi visa prædicta puella, quæ* Edgiua *dicebatur, amore captus, dormiuit cum ea; quæ vno complexu grauidata peperit ei filium suum primogenitum, quem propter fidem somnii vocauit* Ethelstanum. Ex quo haud difficulter *Hrosvvitha* versiculos interpretabimur. *Gundlingius* de *Henrico Aucupe* § XXVI annotat. lit. x) p. 193 & seq.

(d) i. e. *esse*. Similiter, vt v. 251 de passione *S. Agnetis*;

Testaturque Deum verum fore *iure colendum*,

& v. 337;

Atque Deum verum clamans dixit fore *Christum*.

(e) *Osuualdus*, Rex Northumbriæ christianissimus, patrem habuit *Edilfridum*, Northumbriæ Regem, matrem *Acham*. *Ceduualdum* Britannum, suos vltus, occidit, potitus regno integro, & subiugatis Pictis & Scotis. Regnauit annos 9, occisus in prœlio cum *Penda*, Rege Merciorum, in campo Maserfeld, anno 642. Successorem habuit *Osuuinum* fratrem. Catalogo Sanctorum *Osuualdus* adscribi meruit, dignaque est historia de liberalitate eius erga pauperes, quam præcipue declarauit in præsentia *Aidani* Episcopi; cuius promisso & benedictione, manus ipsius dextra a vermibus deinde non consumpta esse scribitur. Vide *Bedæ* historiam ecclesiasticam gentis Anglorum lib. 3 cap. 2, 3, 6, 9. Encomium *Osuualdi* habet Continuator historiæ Anglicanæ lib. 1 cap. 4. In veteri codice manuscr. reperi de eo hoc distichon;

Osuualt *ter denis vixit Rex optimus annis,*
Regnauitque decem, mox subeundo necem. (M.)

(f) i. e. *aperiebant*. Eadem significatione voce hac vtitur in *Gangolfo* v. 432

Illi nudauit omnia, quæ studuit.

& infra v. 330;

Sed mox consilium cunctis nudauit *eorum*.

(g) i. e. *omnino*, *profecto* conf. v. 110, 179, 320, 348, 423, 442, 541, 702.

(h) Est Poetarum dictio, pro *conatu*, (S.) vid. infra v. 194, & 361.

IV

Henricus moritur, & *Oddo* in Regem vngitur.

125 I*Stis sic habitis, instabat denique finis*
Henrici *Regis, cuius mortem gemit omnis*
Illius imperio populus iureque subactus.
Quo nam defuncto, regnum susceperat Oddo,
Eiusdem primogenitus Regis venerandus,
130 *Et voto cuncti iam respondente popelli*
Vngitur in Regem (*Christo præstante*) *potentem* (a),

Cui

Cui Rex gratiolæ (b) *cæli munuscula tantæ*
Contulit, vt, digne cunctis celeberrimus ipse,
Gestorum Reges fama præcelleret omnes,
135 *Oceanus refluis quos iam circumfluit vndis.*
Insuper e tantis ipsum sacra dextra Potentis
Protegit insidiis, occulta fraude paratis,
Et tam magnificis ornat persæpe triumphis,
Vt credas, Regem Dauid regnare fidelem,
140 *Iam nunc antiquis fulgentem rite triumphis.*
Nec solum gentes frænis moderat (c) *bonitatis,*
Quæ prius imperio patris dederant sua colla:
Sed multo plures certe sibi vendicat ipse,
Subdens gentiles Christi seruis nationes,
145 *Quo pax ecclesiæ fieret stabilita sacratæ.*
Ad bellum certe quotiens processerat ipse,
Nullus erat populus (quamuis virtute superbus)
Lædere qui posset, vel exuperare valeret
Ipsum, cælestis fultum solamine Regis.
150 *Eius nec cessit telis exercitus vllis,*
Ni, sua spernendo forsan regalia iussa
Illic pugnaret, quo Rex idem prohiberet.

(a) Coronatio *Othonis M.* Imperat. describitur a *VVitichindo* initio lib. 2. Luculentius in *chronico Hirsaugiensi* ad annum 936 (M.)

(b) *Gratiola* pro *gratia*; qua ceteroqui vocula Poetria nostras sæpius vtitur. vid. infra v. 208, 239, 337, 446.

(c) Actiue, pro, regit, gubernat. Eadem forma *Plautus* Milite act. 2 sc. 2 extr. *Ego voci* moderabo *mea.* Forma verbi patientis Poetria hæc nostra Comœd. 1 act. 1 p. 8; *Cuius dispositione consistunt & moderantur vniuersa* (S.)

V

Henricus ducit in vxorem *Arnulfi* filiam *Iuditham.*

AT *Dux* Henricus, *frater Regis venerandus,*
Princeps in regno fuerat tunc nempe quieto
155 *Post Regem plebi merito venerabilis omni,*
Qui sibi condigne legali iunxit amore
Arnulfi *natam Ducis egregii generosam,*
Nomine Iuditham, *vultus splendore coruscam,*
Ac fulgore magis cunctæ nitidam bonitatis.
160 *His ita digestis fuerat pax vndique nostris*
Ad tempus modicum, libitoque minus populorum,
Bellorum certe sæuo clangore tacente.

VI

Henricus Oddonis frater ab *Everhardo* capitur, & a fratre liberatur.

O, *quam tranquillum ridens deduceret æuum*
Fortunata satis nostræ respublica gentis,
165 *Quæ nimis imperio Regis regitur sapientis:*
Si non antiqui mala calliditas inimici
Turbaret nostrum secreta fraude serenum.
Denique deuictis alienigenum bene telis,
Exoritur nostris subito discordia fortis,
170 *Læserat & plebem bellum ciuile fidelem,*
Plusquam bellorum structura frequens variorum.
Huius causa mali fuerat non parua dolendi,
Denique conflictus quorundam non moderatus.

Ex qui-

Ex quibus Henrico quædam pars mente benigna
175 Deuouit Regis fratri ius vernulitatis (a),
Pars Euerhardo Comiti studium famulandi.
At, cum quisque sui peteret solamina damni,
Hinc grauior dominis discordia nascitur ipsis,
Tandem percerte, conflictu progrediente,
180 Prædictus præses male collectas legiones
Mox ad castellum Badulini (b) capiendum
Ex improuiso mittens sub nocte nigella
Duxit captiuum fratrem Regis generosum,
Henricum, vinclis palmas stringendo cruentis
185 Eius candidulas, ornamentis magis aptas.
Atque suas gazas dispergens quam numerosas,
Ad sua mox prolem secum deduxit herilem,
Vtitur vt socio proprii Domini quoque nato.
Quo Rex comperto, mærens sub corde secreto,
190 Defleuit tristis nimium miserabile factum:
Vix quoque germani damnum patiens graue chari,
Nobile mox Abrahæ factum sequitur patriarchæ,
Quod miserans egit, dum Loth ex hoste redemit:
Militibusque suis summo conamine lectis,
195 Nec non immodica tota de gente caterua,
Pompa regali pergit solamina fratri
Ferre, sub ingenti cordis languore dolenti.
Nec mora, quem venit fratrem refouere, redemit,
Auctores tanti condemnauitque piacli,
200 Suspendens quosdam ligno, reprobis reparato,
Quosdam de patria mandans discedere chara.

(a) i. e. status vernilis (S.)
(b) Deprauate oppidum Bellik, infra Rudenam ad Ruram, Comitatus Marcani in Westphalia fluuium, Badulini vocat Hrosvvitha. Badiliki dicit VVitichindus Corbeiensis lib. 2 annalium cap. 11 p. 645; Badalikki Continuator Rheginonis; Henricus Claudus in diplomate quodam cœnobio Gandershemensi an. 109 dato, Badelicke. Meibomius ad d. VVitichindi l. p. 688.

VII

Secunda conspiratio Euerhardi in Oddonem primum.

His bene dispositis, Regis iussu sapientis,
Protulit antiqui rursum mala fraus inimici
Inuentum sceleris, primo mage deterioris,
205 Cunctis horrendum seclis, meritoque stupendum.
Denique prædictus postquam rediens Euerhardus
Præses ab exilio, patriam remeabat amandam,
Hoc sibi gratiola Regis præstante benigna,
Gisberto Comiti vinclis sociatus amoris,
210 Consilium dederat (quod non tibi, Christe, placebat)
Vt caperent iustum Regem Domini benedictum.
Et, quod plus, iusto non iustam vim faciendo,
Illum mox proprio depriuarent male regno.
Hoc quoque consilium, peruersa mente repertum,
215 Henrico Regis fratri suasere fideles,
Mulcentes nimium verbis ipsum male blandis,
Quo prius illatum nollet iam reddere damnum,
Ipsorum votis sed plus parendo nefandis,
Susciperet regnum, depulso fratre, regendum.
220 Qui male blanditiis tandem victus suadelis
Proh dolor, ipsorum se promisit fore promptum
Votis.

Votis, ac firmis hoc confirmauerat orsis.
Sed spero certe, non se sic corde tenere,
Illis consensum sed vi præbere coactum,
225 *Qui male namque spei vacuæ solamine capti,*
Sperabant Regem, populis olim dominantem,
Ipsorum fragili citius subiungere iuri.
Sed Rex de cælis, iudex æquissimus orbis,
Cunctorum solus qui cognoscit cogitatus,
230 *Quanam mortalis potis est disperdere cordis*
Commentum tanti sceleris, virtute potentis
Dextræ confregit, qua cuncta creata creauit:
Scilicet insidias Christi Domino reparatas
Vertit in auctores tanti meritoque piacli,
235 *Quique suo laqueos domino tendere malignos,*
Ex ipsis ipsi primum sunt illaqueati.

VIII

Vincuntur ab *Oddone Euerhardus* & *Gisbertus.*

Non me plus licito tantæ sophiæ fore iacto,
Vt sperem, plene verbis me edicere posse,
Quanta gratiolæ Christus virtute supernæ,
240 *Sæpius hunc ipsum Regem, digne benedictum,*
Fecit multiplices saluum percurrere fraudes,
Nec non insidias hostili parte paratas.
Sed nec hoc fragilis fas esse reor mulieris,
Inter cœnobii positæ secreta quieti,
245 *Vt bellum dictet, quod non cognoscere debet:*
Hæc perfectorum sunt conseruanda virorum.
Principium quod cunctorum, finis quoque, Regum,
Hoc dico solum, recte quod dicere possum.
Sudori quis posse dedit sapientia mentis
250 *Omnia compositis sapienter dicere verbis?*
Qui solus semper fecit miranda potenter,
Quique Dauid Regem totiens de fraude fidelem
Eripiens Sauli, sceptrum regni dedit ipsi;
Hunc pariter Regem, Dauid pietate sequentem,
255 *Protexit de millenis persæpe periclis.*
Denique cum solus perpauco milite septus,
Esset ab aduersis circumdatus vndique turmis,
Insuper atque fugam propriæ partis male factam
Pectore mærenti ferret nimiumque dolenti,
260 *Credere nec paucis sese præsumeret ipsis,*
Illum qui reliquis non deseruere relapsis;
Sed ratus tantum se mox grauiter moriturum,
Ocius auxilii fultus virtute superni,
Miratur, turbæ se iam superare cruentæ
265 *Tantas absque suæ fraudes discrimine vitæ.*
At si forte suos (pugna crescente sinistra)
Audiuit socios lethali vulnere læsos,
Prædicti Regis lachrymans mox vtitur orsis,
Quæ mærens dixit, tristi cum pectore sensit,
270 *Ictibus angelici populum gladii periturum.*
En, qui peccaui (*dixit*) facinusque peregi,
Hinc ego vindictæ dignus sum denique tantæ.
Hii quid fecerunt? damnum qui tale tulerunt?
Iam nunc, *Christe*, tuis parcens miserere redemptis,
275 Ne premat insontes iusto plus vis inimica.

Hæc

Has igitur preculas miserans diuina potestas
Parcebat Regis solita pietate ministris,
Et dedit optatum miserans ex hoste triumphum,
Iusto prædictos Comites examine perdens.
280 Ipso namque die, quo decepti vacua spe,
Sperauere suis constringendum fore vinclis
Regem, qui merito tenuit regalia sceptra,
Ex improuiso præses proruperat Vdo,
Adducendo quidem multam secum legionem,
285 Ac subiit validum forti luctamine * bellum.
Nec mora: percussus periit gladiis Euerhardus,
Gisbertus sæuis fugiens quoque mergitur vndis.
At Rex interea nescit tam fortia bella,
Auerso quid ni residens in littore Rheni,
290 Nec tunc auxilii sciuit solamina tanti
Iam (miserante Deo) subito casu sibi missa.
Denique dum pugnæ sensit discrimina tantæ,
Haud gaudens inimicorum de morte suorum,
Sed plus tantorum mærens de cæde virorum,
295 Sumpsit non modicum (Dauidis more) lamentum
Qui super occisum doluit Regem pie Saulum.
Ast vbi victores læti venere, videntes
Illius fusis vultum lachrymis madefactum,
Haud aptum tanto luctum dixere triumpho:
300 Sed reddi grates Regi debere perenni,
Qui tunc impleri fecit pietate fideli
Quod patet in libro Regis scriptum Salomonis,
Dicentis, iustum de tristitia liberandum,
Nec non iniustum pro iusto mox fore dandum.
305 Hiis mentem Regis demulcendo suadelis,
Ipsum tristitiam cogunt deponere tantam,
Et bene victrici congaudentem legioni,
Se post bella suis blandum præbere ministris.
Qui nam lætitiam vultu monstrans moderatam,
310 Sed clam subtristem seruans in corde dolorem,
Reddebat grates imo de pectore Christo:
Non dederat propriis ipsum quia tunc inimicis
Prædam, sed dextra protexit rite superna.
Ipsius titulum tanti clarumque triumphi
315 Non sibi, sed Christi designauit pietati.

* Voce hac *Virgilius* etiam vtitur Aeneid. 8 v. 89;
——— *remo vt* luctamen *abesset.*
Poetria ceteroqui nostras, locis pluribus. Ita *de conuersione Proterii* v. 105
In somnis quia te vidi luctamen *inire.*
& *de passione S. Agnetis* v. 38
Celibis & vita durum luctamen *inire.*
Similiter infra v. 317;
——— *requieuit*
Ciuilis belli populus luctamine *lassus.*

IX

Tertia conspiratio in cædem *Oddonis*, per *Henricum* fratrem eius.

HIis ita digestis, modicum tempus requieuit
Ciuilis belli populus luctamine lassus,
Sed nec sic veteris finem sumpsit dolus hostis,
Qui semper fragiles tentat peruertere mentes,
320 Post factum facinus suadens sua peiora peius.

 Fertur

* pectora (S.)

Fertur percerte quorundam pectore bile*
Tanto pestiferi tandem penetrare veneni:
Vt mortem Regi vellent inferre fideli,
Ipsius & fratrem populo præponere Regem:
325 *Nec timuere diem paschæ sanctum maculare,*
Si posset fieri, fuso cum sanguine iusti.
Sed non consensit tanti commissa piacli
Agnus paschalis, qui pro nobis redimendis
Se dedit electum Patri moriens holocaustum:
330 *Sed mox consilium cunctis nudauit eorum,*
Et sic insontis saluatus erat bene sanguis,
Quique rei placitæ sunt inuenti scelerosi,
Pro modulo culpæ pœnis damnantur amaris:
Quidam iudicio condemnantur capitali:
335 *Quidam de patria longe pelluntur amanda.*

X

Describitur pœnitentia *Henrici* propter coniurationem in Regem fratrem.

POst hæc Henricus, *frater Regis generosus,*
Christi gratiola tactus, sub corde secreto
Secum tractauit, summoque dolore reuoluit,
Contra iustitiam quicquid perfecerat vnquam:
340 *Hoc quoque defleuit nimiis persæpe lamentis,*
Quod male blanditis horum cessit suadelis,
Ipsum qui verbis corruperunt simulatis.
Sed quamuis talem ferret sub corde dolorem:
Præsentare tamen spatii per tempora longi
345 *Non se regali præsumebat faciei:*
Absens sed cordis studio florente dolentis
Optabat veniæ dari munus sibi dulce.
Tandem percerte, forti deuictus amore
Illico pœnalem proicit de corde timorem,
350 *Et sub nocturnis nimium secreto tenebris*
Adueniens, in regalem se contulit orbem,
In qua natalem Regis celebrare perennis
Rex pius obsequiis cœpit solemniter aptis,
Depositisque suis ornamentis pretiosis
355 *Simplicis & tenuis fruitur velamine vestis,*
Inter sacratos noctis venerabilis hymnos,
Intrans nudatis templi sacra limina plantis,
Nec horret hiemis seuum frigus furientis,
Sed prono sacram vultu prostratus ad aram,
360 *Corpus frigoreæ* sociauit nobile terræ:*
Sic sic mærentis toto conamine cordis
Optans præstari veniæ munus sibi dulcis.
Quo Rex comperto, victus pietate benigna,
Instantisque memor festi, cunctis venerandi,
365 *In quo cælicolæ pacem mundo cecinere,*
Læti Rege suo tenera de virgine nato,
Vt pie saluaret mundum merito periturum:
Pro diei tantæ, pacem portantis, honore
Condoluit, miserans fratri commissa fatenti,

* i.e. frigidæ (S.)

Atque

370 *Atque suam pie gratiolam concessit habendam*
Illi, cum veniæ dilecto munere plenæ.

XI

Henricus Bauariæ Dux eligitur: & Hungari bello victi per eum, & Bauari.

NEc non post aliquot spatii tempuscula parui
Ipsius iuri proceres subiunxerat omnes
Famosæ nimium gentis Baioariorum;
375 *Ipsum nempe Ducem merito faciendo potentem:*
Et post hæc vltra fuerat discordia nulla
Inter eos, animis fraterno fœdere iunctis,
Avaresque per hunc sæui sæpissime victi.
Post hæc Oddonis *regnum Regis spatiosum*
380 *Non lædunt telis (consueto more) cruentis,*
Tangere nec contingentes audent nationes,
Ex terrore Ducis tanti nimium tremefacti.
Hic, quia prudentis functus valetudine mentis,
Hiis hominum monstris bellis obstans iteratis,
385 *Ad nos pergendi calles recluserat omnes.*
Insuper & primus, Christi bene nomine tutus
Audenter cum subiectæ plebis legione
Eiusdem populi patriam petiit scelerosi,
Impugnans gentem cunctis retro namque rebellem
390 *Scilicet & spoliis rerum captis variarum,*
Quas sibi communes collegerunt prius hostes,
Orbis perplures deuastantes regiones,
Vxores procerum, soboles rapuit quoque dulces,
Et sic prostratis rediit gaudens inimicis.

XII

Vxor *Oddonis* Regis *Editha* moritur.

395 *ISTis sic habitis, properata diecula tristis*
Venerat, ingentem nostris augendo dolorem.
In qua præfulgens meritis Regina supremis,
Edith, *præsentis vitæ discessit* ab oris,*
Ipsius imperio genti faciens famulanti
400 *Tristitiam, nec non nimium cordis cruciatum*
Eius in abscessu, magno quam denique luctu
Et non immerito fleuit plebecula cuncta,
Quam plus maternæ fouit pietatis amore,
Quam dominatricis iussis confringeret artis:
405 *Cui licet a Christo requiem sine fine perennem*
Nec non lætitiam iustis retro reparatam
Præstari citius, iam non dubitauerit vllus,
Qui meritum vitæ sciuit laudabile castæ,
Ipsius ac mitem, gessit quam, denique mentem,
410 *Attamen humanæ pro consuetudine causæ*
Non mirum populus planctum sibi sumpsit amarum:
Dum sibi tam subito fuerat spes tanta subacta,
Et facies Dominæ nimium regalis amandæ,
Nec non subiecti præfulgens gloria regni.
415 *Mandatur terræ gremio seruanda sub amplo,*
Donec assurgat, non corrupt[illegible]que resumat,
Quod nunc includit tumulus, [illegible] pranibile corp[illegible]

* decessit (S.)

XIII

XIII

Luidulfus Oddonis filius & filia *Lingarda.*

HAec igitur puerum, supra paucis memoratum,
Acriter orbatum, dimittebat, Luidulfum:
420 *Feminei dulcem sexus vnam quoque prolem,*
Nomine Lingardam, *summa bonitate coruscam,*
Moribus & facie similem matri venerandæ.
In quas percerte soboles mox stirpis amandæ
Affectu cordis populus deducitur omnis
425 *Magno, pro meritis summis vtriusque parentis.*
Sed magis, ac iuste, dulci feruebat amore
Erga regalem puerum, Dominum Luidulfum,
Ipsum spe mentis tota complexus amantis.
Hicque sibi naturales imitans bene mores,
430 *Extiterat cunctis blandus dulcedine mentis,*
Mansuetus, clemens, humilis, nimiumque fidelis.
Hinc quoque gratiolam (Christo præstante benigno)
Tantam promeruit, meritam digneque recepit,
Gentibus vt cunctis, patris imperio religatis,*
435 *Vt quicunque suæ saltim perpaucula famæ*
Verbula conciperet latebris propensius auris,
Ipsius in dulcem totus raperetur amorem,
Absentem venerans animis Dominum studiosis.
Quem pater, egregius Rex & senior venerandus,
440 *Dilectæ matris mortem grauiter patientem*
Affectu patrio, nec non pietate benigna,
Digno percerte iam sublimauit honore.
Subiectis faciens regni digne dominari.

* *Gentibus in cunctis* (S.)

XIV

Conradus, Franciæ Dux, ducit *Luidgardam*, & *Ludulfus* ducit *Idam*, *Hermanni*, Sueuorum Ducis, filiam; sic Franci & Sueui *Oddonis* obediunt imperio.

NEcnon Luidgardam, *simili causa venerandam,*
445 *Vnica feminei quæ spes sexus fuit illi,*
Gratiola parili coluit, prouexit, amauit.
Hanc quoque Conrado *vinclis sociauit amoris,*
Egregio strenuoque Duci, nimium quoque forti,
Munere qui talis dignus constabat honoris (a).
450 *Vtque suo subdi nato faceret,* Luidulfo,
Multum deuotæ perfecto mentis amore
Francorum gentis dominos prænobilis almos,
Nec non primates Sueuorum scilicet omnes,
Ipsi legali perpulcram fœdere iungi
455 Idam *iussit* Hermanni *natam, Ducis almi.*
Qui fuit illustris Princeps in partibus illis.
Hæc quoque regalis fuerat consortia prolis
Pro meritis propriæ probitatis digna subire,
Ac vice Reginæ summo veneratur (b) *honore,*
460 *Rege iubente quidem per consuetam pietatem,*
Illam nec habitare locis voluit segregatis,

Rex

Rex idem nati digne succensus amore,*   * *suscensus* (S.)
Sed ceu Reginam regnum transire per amplum:
Quo sic dilectus sentiret filius eius
465 *Dulcia gratiolæ semper munuscula magnæ,*
Ipsi cum sponsa regni sociatus in aula.

* Satis superque ad *VVitichindi* historiam (lib. 1 p. m. 684) de *Conrado* Duce, *Othonis M.* genero diximus. Hoc loco de posteris eius agemus. Deriuant enim ab eo genus *Conradi Saliqui* Imperatoris. Stemma tale est.

VVernerus,
natus ex illustri familia, quæ patria lingua *Gorblingen* cognominatur, vt *Cuspinianus*,

Conradus cognomento *Sapiens*.
Dux *VVormatiensis*, vt *Otho* Frisingensis, vt alii, *Franconia*.
vxor eius *Luitgarda*, *Othonis M.* fil.

- *Henricus* siue *Hezilo*. vx. *Adelheidis* Lotharingica.
  - *Conradus* Senior, cognomento *Salicus*, Romanor. Imperator. † an. 1039. vx. *Gisela*, f. *Hermanni*, Ducis Alemanniæ, † an. 1049.
    - *Henricus III* Romanor. Imperat. Augustus. vx. *Gunhildis*, f. *Canuti*, Angliæ, Daniæ & Norvvegiæ Regis. † an. 1038
      - *Henricus IV.*
  - *Gebhardus*, Episcopus Ratisbonensis, el. an. 1036. sepultus in monasterio Oringavv.
- *Bruno* Papa, alio nomine *Gregorius V.*
- *Conradus*, Dux Carinthiæ. † an. 1012. vx. *Mechtildis*, f. *Conradi* Regis Burgundiæ.
  - *Cuno* iunior, *Adalberonem*, Ducem Carinthiæ, vicit apud Vlmam an. 1019, † an. 1039.

Cuspinianus in Historia Cæsarum, in vita *Conradi Salici*, patrem eius nominat *Hermannum*, nepotem *Conradi*, Ducis Franconiæ, ex filio *Othone*; quod aperte pugnat cum *VVippone* & *Hermanno Contracto*, qui concorditer *Salici* parentem *Henricum* vocant, h. m. genealogiam deducentes.

Conradus,
Cæsaris gener.
|
Otho,
Dux Franconiæ.
|
Cuno siue *Conradus*.

- *Sigfridus*.
- *Eberhardus*.
- *Hermannus**, Comes Franconiæ. vxor eius *Adelheidis*, nata in Francia orientali.   * l. Henricus
  - *Conradus* Salicus, Imperator.
  - *Gebhardus*, Episcopus Ratisbonensis.
  - *Inditha*, vx. *Guilielmi* Comitis Montisferrati.

(a) *Gisela*, *Conradi* Salici vxor, ante hoc postremum matrimonium connupta fuit cum *Brunone*, eius nominis *secundo*, Marchione Saxoniæ, filio *Ludolfi* Marchionis, vrbis Brunsvvigæ amplificatoris. Encomium *Giselæ* habet *VVippo* in vita *Conradi* Imp. his verbis; *Erat* Gisela *liberalis ingenii, illustris sollertia, auida gloria, non laudis, pudoris amans, feminei laboris patiens, incassum minime profusa, in rebus honestis & vtilibus abunde larga, diues in prædiis, summos honores bene tractare perita* (M.)

(b) Deponentis forma, pro, *honore afficitur*. Eadem *Hrosuuitha* hæc nostras etiam in *Historia natiuitatis, laudabilisque conuersationis intactæ Dei genetricis* v. 343

Nomine Deus colitur, dignéque potens veneratur. (S.)

XV

Lotharius Rex Italiæ moritur, & regnum *Athelheidæ, Rodulfi* filiæ, relinquitur: illa per *Berengarium* regno suo priuatur, & incarceratur.

INterea Rex Italicus grauido Lotharius
Infectus morbo, mundo discessit ab isto,
Italiæ regnum linquens merito retinendum
470 *Summæ Reginæ, sibi quam sociauit amore,*
Regis Rodulfi *fuerat quæ filia magni,*
Edita magnorum longo de stemmate Regum,
Cui nomen clarum dictauit summa parentum
Nobilitas, illam digne vocitans Athelheidam.
475 *Hæc quoque regalis formæ præclara decore,*
Atque suæ causis personæ sedula dignis
Factis regali respondet nobilitati.
Scilicet ingenio fuerat prælucida tanto,
Vt posset regnum digne rexisse relictum,
480 *Si gens ipsa dolum mox non dictaret amarum.*
Denique defuncto, quem prædixi, Lothario,
Pars quædam plebis, fuerat quæ retro rebellis
Menteque peruersa propriis dominis inimica,
Restituit Berengarii *regnum ditioni,*
485 *Quod patre defuncto raptum violenter ab illo*
Olim per Regis manus deuenit Hugonis.
Optato certe qui sublimatus honore,
Detegit, inuidiæ quicquid sub pectore tristi
Gessit, dum regni defleuit damna paterni,
490 *Felleque plus iusto cordis succensus amaro,*
Fudit in insontem concretum quippe furorem,
Iniustam vim Reginæ faciens Athelheidæ,
Quæ regnans illi damnum non fecerat vllum.
Nec solum celsæ solium sibi præripit aulæ,
495 *Sed simul ærarii claustris eius reseratis,*
Omne, quod inuenit, dextra tollebat auara:
Aurum cum gemmis, varii generis quoque gazis,
Nec non regalis sertum prænobile frontis,
Ornatus nec particulam dimiserat vllam,
500 *Nec timuit propriis illam spoliare ministris,*
Obsequiis quoque personis regalibus aptis,
Regalique potentatu, miserabile dictu!
Postremo quoque pergendi, pariterque meandi
Quo vellet, libertatem male denegat omnem:
505 *Solam cum sola committens namque puella*
Seruandam cuidam Comiti, sua iussa sequenti,
Qui iussis captus Regis non iusta iubentis,
Non metuit propriam, culpæ sine crimine, Domnam
Clausam carcereis claustris seruare cubili,
510 *Circum diffusis custodum denique turmis,*
Vt mos personas est seruari scelerosas.
Sed qui de vinclis Petrum tollebat Herodis,
Hanc, quando voluit, miti pietate redemit.

XVI

Quomodo in carcere fuit liberata per Episcopum *Adelhardum.*

CErte dum variis animo foret anxia curis,
515 *Nullaque spes sibimet certi solaminis esset,*

Præsul

Præsul Adelhardus (a) *factum deflens miserandum,*
Vixque suæ damnum charæ patiens graue Domnæ,
Illi transmisit missum mox namque secretum,
Vtque fugam caperet, monitis suasit studiosis,
520 *Ac peteret muris vrbem structam bene firmis,*
Quæ caput ipsius constabat Pontificatus.
Hic loca præsidii mandans tutissima certi,
Illi condignum quoque præberi famulatum.
His nam regales monitis, pulsantibus aures,
525 *Inclita demandans Elis* (b) *Regina benignis,*
Lætior exoptat vinclis absoluier artus,*
Quid faceret tamen ignorat, quia nulla patebat
Ianua, quæ somno pressis custodibus alto
Illam nocturnis pateretur abire sub horis.
530 *Sed nec personam charam in famulatibus vllam,*
Subiectam sibi, carcereis possedit in antris,
Ipsius implendis esset quæ sedula iussis,
Ni supra dictam solummodo namque puellam,
Necnon Presbyterum vitæ laudabilis vnum.
535 *His vbi continuis narraret cuncta lamentis,*
Quæ mærens animo multum voluebat amaro,
Voti communis placito visum fuit illis,
Res melius verti, studio si forte latenti
Sub terra foueam facerent fodiendo secretam,
540 *Per quam de vinclis possent euadere duris.*
Hæc ita percerte constat completa fuisse
Ocius, auxilio Christi præsente benigni.
Nam caute fouea iuxta placitum reparata
Aduenitque libertati nox apta recenti,
545 *In qua dum somnus plebis proserperet artus,*
Tantum cum sociis Regina piissima binis
Custodum fraudes fugiens euaserat omnes,
Atque viæ spatium noctis sub tempore tantum
Pertransit, plantis quantum valet ergo tenellis.
550 *Sed mox, vt scissis cessit nox furua tenebris,*
Atque polus radiis cœpit pallescere solis,
Abscondens in secretis se cautius antris,
Nunc vagat in siluis, latitat nunc denique sulcis,
Inter maturas Cereris crescentis aristas,
555 *Donec nox, solitis rediens induta tenebris,*
Obtegit rursum nebulo terram tenebroso:
Tunc iterato viam studuit percurrere cœptam.

* artis (S.)

(a) *Adelhardus*, Episcopus Regiensis, postquam *Adelheidis* ex custodia in castro Gardæ ad lacum Benacum, Martini Sacerdotis sui ope, euasisset, quia ipse loco ad eam custodiendam munito careret, auctor ei fuit, vt ad *Athonem*, auunculum suum, se conferret, qui arcem Canusii non longe firmissimam obtineret. Ita *Adelheidis* ad *Athonem* profecta, caput ei suum commendauit cet. Vid. *Sigonius* lib. 6 de regno Italiæ (M.)

(b) Nullo sensu. Legendum putem; *demandatelis*; qua alias voce semel iterumque Virgo nostras & Poetria vtitur. vid. vers. 639, 648, 771.

XVII

Quæritur per diuersa loca *Athelheida* Regina.

Denique custodes, illam non inuenientes,
Narrabant factum Comiti, multum tremefacti,
560 *Cura cui conseruandæ fuit inclita Domnæ.*
Qui terrore grauis percussus corde timoris,
Pergit cum sociis illam per [illegible] *quirere multis;*
[illegible]

Et cum

Et cum deficeret, nec iam dinoscere posset
Quo Regina suum tulerit clarissima gressum,
565 *Detulit ad Regem* Berengarium *timidus rem.*
Hic quoque, continuo nimiam conuersus in iram,
Circumquaque suos subito mittebat alumnos,
Præcipiens, illos nullum transire locellum,
Sed caute cunctas iam perlustrare tenebras,
570 *Si forsan latebris Regina lateret in vllis.*
Ipseque cum fortis sequitur turba legionis:
Ceu qui vult hostes bello superare feroces,
Et rapido segetem cursu peragrauit eandem,
In cuius sulcis latuit tunc Domna recuruis,
575 *Hæc, quam quærebat, Cereris contecta sub alis.*
Scilicet huc illucque locum percurreret ipsum,
In quo non paruo iacuit terrore grauata,
Et quamuis circumpositos disiungere culmos
Nisibus extenta cunctis temptauerit hasta,
580 *Non tamen inuenit, Christi quam gratia texit.*
Ast vbi confusus rediit, nimium quoque lassus,
Præses Adelhardus *mox aduenit venerandus,*
Induxitque suam gaudenti pectore Domnam
Intra namque suæ muros vrbis bene firmos:
585 *Hicque sibi digne toto seruiuit honore,*
Donec maiorem, Christo miserante, decorem
Regni suscepit, pridem quem mæsta reliquit.

XVIII

Oddo intrauit Romam, & ducit in vxorem *Athelheidam*, misso prius *Ludolfo* filio, vt res Italiæ exploraret, & *Athelheidam* in Germaniam duceret.

Denique nostrates quidam, tunc experientes,
Reginam Domino desolatam fore charo,
590 *Cuius prædulcem gustauerunt pietatem:*
Crebrius Oddoni *magno, tunc denique Regi,*
Augusto sed Romani nunc denique regni,
Nullam dicentes aliam consistere dignam
Tecta sub ipsius thalami regalia duci,
595 *Post obitum Domnæ flendum cunctis* Eadithæ.
Et Rex, lætatus tantæ dulcedine famæ,
Pectore voluebat tacito per tempora longa,
Quo pacto sibi Reginam coniungeret istam,
Quæ fuit insidiis Regis circumdata tantis.
600 *Venit & in mentem, prædictum denique Regem,*
Qui quondam patriis fuerat depulsus ab aruis,
Eius & auxilio citius miserante reductus,
Ingratum fore nunc donis tantæ pietatis.
Hinc quoque mox aditum sibimet prouiderat aptum,
605 *Ipsius Italicum iuri subiungere regnum.*
Hoc vbi colloquio sensit narrante paterno
Patris amor verus, spes & gentis, Luidulfus,
Non sua sollicitans, patris sed commoda tractans,
Perpaucis secum sociis secreto resumptis
610 *Italiam petiit, fortique manu penetrauit,*
Exhortans patris imperio populum dare collum:
Moxque redit, clarum referens sine Marte triumphum.

Quo

Quo Rex comperto populis narrantibus, Oddo,
Corde super natum læto plaudebat amandum,
615 *Ipsius causa qui iam discrimina tanta*
Audacter subiit, gentem turbando ferocem.
Vtque labor talis non frustraretur amoris,
Ipse quidem gentem festinus adiuit eandem,
Plebis non parua propriæ comitante caterua,
620 *Regalis pompæ vario comptusque decore,*
Alpibus accinctas altis intrauerat oras.

XIX

Berengarius aduentum *Oddonis* in Italiam audiens, Papiam se contulit, quam *Oddo* cepit.

HIs Berengarius *compertis, obstupefactus,*
Non bellum mouit Regi, non obuius exit,
Sed se saluandum castello protinus apto
625 *Intulit, in tutis posito firmisque locellis*.*
At Rex famosus noster, virtute superbus,
Audacter satis ignotas pertransiit oras,
Italici Papiam regni cepit quoque dominam.
Qua certe capta, cuncti velut agmine facto
630 *Quærentes Regem proceres venere recentem,*
Certabantque suo iuri se subdere magno.
Quos nam more suo suscepit mente benigna,
Promittens ipsis eius munus pietatis,
Si post hæc illi seruirent mente fideli.

*Pro, *locis*; vt alibi etiam. Sigillatim in Historia *natiuitatis & conuersationis B. M. V.* v. 740.
Quæ Paradisiacis constans plantata locellis.
& in *Gangolfo* v. 131
Me vacuum tanti meritoque dolere locelli.
& rursum v. 231, 232
Euomit & tumidas ipso disrupta locello
Vndas præscripti denique fonticuli.

XX

Oddo nuptias cum *Athelheida* Papiæ celebrat.

635 ISTis sic habitis, crebro tractamine cordis
Reginæ satis egregiæ memor est Athelheidæ,
Regalem certe cupiens quandoque videre
Ipsius faciem, cuius didicit bonitatem.
Vnde quidem mandatelis secretius actis,
640 *Quæ fuerant pacis, nec non prædulcis amoris,*
Sub signo fidei firmæ mandauerat illi.
Hoc quoque suadelis exhortabatur amicis,
Vt celeri Papiam cursu peteret, populosam
Vrbem, quam cum tristitia dimisit amara,
645 *Quo præstante sacra Regis pietate perennis*
Hic modo sublimem gaudens captaret honorem,
Quo prius ingentem fuerat perpessa dolorem.
His mandatelis cessit Regina benignis,
Et quo iussa fuit, pariter comitantibus iuit
650 *Permultis subiectorum cuneis populorum.*
Vt Rex hos sensit, cuius mandamine venit,*
Ipsius Henricum *fratrem præcepit amandum*
Huius in occursum regredi trans littora Padi,
Vt sublimandam regni splendor ... bus heram

 tanti

655 *Tanti compositus Ducis ornaret famulatus.*
Qui studio mentis præcepta sequens senioris
Egreditur certe cum regali legione,
Castraque Reginæ gaudens petiit venerandæ,
In queis cum sociis residebat denique multis.
660 *Illam condigne summo comitatus honore.*
Donec regali præsentaret faciei,
Quæ merito Regi statim placuit satis ipsi;
Eligiturque sui consors dignissima regni.

* Mandato, præcepto; vti *de conuersione Proterii* v. 224
Ad quem Basilius forti mandamine *functus.*
Legis mandamina dicit hist. *natiu. & conuersat. B.M.V.* v. 636, & rursum v. 813 *sacra mandamina* (S.)

XXI

Oddo rebus Italiæ compositis, cum Regina vxore Saxoniam petit, & *Conrado* Papiam & Italiam committit.

TVnc Rex se nouitate rei cernens retineri,
665 *Tempore ne patrias instante rediret ad oras,*
Luidulfum *placuit charum præmittere natum,*
Vt gens Saxonum fortis volitaret ad illum,
Et regnum sub patrono staret vt bene tanto.
Qui parens iussis deuota mente parentis,
670 *Ad patriam rediit, curam regnique recepit:*
Omnia prudenter, necnon nimium sapienter
Complens, in patria quæ tunc fuerant facienda.
Interea Dux Henricus, *Regis venerandus*
Frater, in Italia cordis conamine summo
675 *Obsequiis operam gessit regalibus aptam,*
Officium non germani solummodo chari,
Sed mage ius serui studio complendo benigni:
Hinc non immerito Regi placuit satis ipsi.
Est quoque Reginæ fraterno vinctus amore,
680 *Affectuque pio fuerat dilectus ab illa.*
Tunc Rex Italiæ peragrauerat vndique regnum,
Primates regni propriæ subdens ditioni.
His quoque completis, iuxta votumque locatis,
Ne Berengarius *regnum raperet sibi rursum,*
685 Conradum *cum non paucis, ex agmine lectis,*
In Papia residere Ducem iussit sapientem,
Cui veneranda suæ dederat consortia natæ.
Ipseque continuo rediit cum coniuge clara,
Intendens patriæ sedem festinus adire.
690 *Quem gauisa quidem plebs suscepit venientem,*
Altithrono grates spargens super æthera dulces,
Qui miserando suæ plebis solita pietate,
Quem pius elegit, Regem cum pace reduxit.

XXII

Conradus ducit *Berengarium* ad *Oddonem*, quem *Oddo* regno Italiæ restituit.

HAc ita lætitia dignis rebus celebrata,
695 *Aduenit Dux* Conradus, *cum pace reuersus;*

Adducens

Adducens Berengarium *supra memoratum,*
Ipsius ingenii captum sic arte profundi:
Gratis vt Oddoni *venit se subdere Regi*.*
Tunc iidem Rex, qui semper fecit sapienter,
700 *Hunc Regem certe digno suscepit honore,*
Restituens illi sublati culmina regni,
Ista percerte tantum sub conditione:
Vt post hæc causis non contradiceret vllis,
Ipsius imperio multis longe metuendis
705 *Sed (ceu subiectus) iussis esset studiosus.*
Hoc quoque sollicitis decreuit maxime dictis,
Vt post hæc populum regeret clementius ipsum,
Quem prius imperio nimium contriuit amaro.
Qui se complendis simulans promptum fore iussis,
710 *Ocius abcessit, patriam lætusque petiuit.*

* *Ditmarus* lib. 2 (p. m. *Post hæc Rex, Papia præsidio munita, dispositisque ibi rebus necessariis, reuertitur, quem* Beringerus *cum Duce* Conrado *subsequitur, Regisque gratiam in vrbe Augustana, sua filiique deditione promeruit, simulque Regina iram supplici venia placauit, bonaque cum pace patriam reuisit.* Restitutum quidem est regnum *Berengario*, sed adempta Marchia Veronensi & Foroiuliensi, quas *Otho* Imp. *Henrico* fratri se attribuisse affirmabat (M.)

XXIII

Berengarius restitutus rursus bellum in Italia commouet.

At vbi sublimem regni possederat arcem,
Læsus suadelis quorundam namque sinistris,
Mox infelici grauiora quidem iuga genti
Infert vi magna, pro despectu sibi facto:
715 *Se regnum pretio contestans emere magno,*
Nec fore culpandum, si ius fregisset auorum.
Sed magis Oddoni *culpæ meritum reputari*
Ipsi, primates plebis qui venderet omnes.
Hæc res ad Regem mox vt deuenit eundem,
720 *In* Berengarium *iusta succenditur ira,*
Corde super populi damnis mærens miserandi;
In meliusque statum statuit conuertere rerum.
Et faceret citius, Christi munimine fultus,
Si non fortunæ restaret causa sinistræ.
725 *Namque decore sui florente per omnia regni,*
Cum se gauderet cunctis fulgere secundis,
Protulit antiqui renouata lues inimici
Fraudis commentum, cunctis per secla dolendum,
Iam tunc pacificum tentans confundere regnum.
730 *Hoc vt quantocius posset patrare malignus,*
Regni rectores primum turbauerat omnes,
Sperans interitum plebis mox esse futurum.
Denique famosi natus Regis, Luidulfus,
Vt cognouit amicitiam, signis satis aptis,
735 *Qua tunc perfectæ fidei dilexit amore.*
Henricum, *Regis fratrem, Regina fidelis,*
Quodque suæ fidei studiose subdidit omne,
Tangitur interni iaculis secreto doloris,
Haud ira feruens, odii nec felle tabescens,
740 *Sed super amisso charæ genetricis amore,*
Ex ægri latebris ducens suspiria cordis,

Deceptus

* pectora (S.)

Fertur percerte quorundam pectore bile*
Tanto pestiferi tandem penetrare veneni:
Vt mortem Regi vellent inferre fideli,
Ipsius & fratrem populo præponere Regem:
325 *Nec timuere diem paschæ sanctum maculare,*
Si posset fieri, fuso cum sanguine iusti.
Sed non consensit tanti commissa piacli
Agnus paschalis, qui pro nobis redimendis
Se dedit electum Patri moriens holocaustum:
330 *Sed mox consilium cunctis nudauit eorum,*
Et sic insontis saluatus erat bene sanguis,
Quique rei placitæ sunt inuenti scelerosi,
Pro modulo culpæ pœnis damnantur amaris:
Quidam iudicio condemnantur capitali:
335 *Quidam de patria longe pelluntur amanda.*

X

Describitur pœnitentia *Henrici* propter coniurationem in Regem fratrem.

POst *hæc* Henricus, *frater Regis generosus,*
Christi gratiola tactus, sub corde secreto
Secum tractauit, summoque dolore reuoluit,
Contra iustitiam quicquid perfecerat vnquam:
340 *Hoc quoque defleuit nimiis persæpe lamentis,*
Quod male blanditis horum cessit suadelis,
Ipsum qui verbis corruperunt simulatis.
Sed quamuis talem ferret sub corde dolorem:
Præsentare tamen spatii per tempora longi
345 *Non se regali præsumebat faciei:*
Absens sed cordis studio florente dolentis
Optabat veniæ dari munus sibi dulce.
Tandem percerte, forti deuictus amore
Illico pœnalem proicit de corde timorem,
350 *Et sub nocturnis nimium secreto tenebris*
Adueniens, in regalem se contulit orbem,
In qua natalem Regis celebrare perennis
Rex pius obsequiis cœpit solemniter aptis,
Depositisque suis ornamentis pretiosis
355 *Simplicis & tenuis fruitur velamine vestis,*
Inter sacratos noctis venerabilis hymnos,
Intrans nudatis templi sacra limina plantis,
Nec horret hiemis sæuum frigus furientis,
Sed prono sacram vultu prostratus ad aram,
360 *Corpus frigoreæ* sociauit nobile terræ:*
Sic sic mærentis toto conamine cordis
Optans præstari veniæ munus sibi dulcis.
Quo Rex comperto, victus pietate benigna,
Instantisque memor festi, cunctis venerandi,
365 *In quo cælicolæ pacem mundo cecinere,*
Læti Rege suo tenera de virgine nato,
Vt pie saluaret mundum merito periturum:
Pro diei tantæ, pacem portantis, honore
Condoluit, miserans fratri commissa fatenti,

* i.e. frigida (S.)

Atque

370 *Atque ſuam pie gratiolam conceſſit habendam*
Illi, cum veniæ dilecto munere plena.

XI

Henricus Bauariæ Dux eligitur: & Hungari bello victi per eum, & Bauari.

NEc non poſt aliquot ſpatii tempuſcula parui
Ipſius iuri proceres ſubiunxerat omnes
Famoſæ nimium gentis Baioariorum;
375 *Ipſum nempe Ducem merito faciendo potentem:*
Et poſt hæc vltra fuerat diſcordia nulla
Inter eos, animis fraterno fœdere iunctis,
Avareſque per hunc ſæui ſæpiſſime victi.
Poſt hæc Oddonis *regnum Regis ſpatioſum*
380 *Non lædunt telis (conſueto more) cruentis,*
Tangere nec contingentes audent nationes,
Ex terrore Ducis tanti nimium tremefacti.
Hic, quia prudentis functus valetudine mentis,
Hiis hominum monſtris bellis obſtans iteratis,
385 *Ad nos pergendi calles recluſerat omnes.*
Inſuper & primus, Chriſti bene nomine tutus
Audenter cum ſubiectæ plebis legione
Eiuſdem populi patriam petiit ſceleroſi,
Impugnans gentem cunctis retro namque rebellem
390 *Scilicet & ſpoliis rerum captis variarum,*
Quas ſibi communes collegerunt prius hoſtes,
Orbis perplures deuaſtantes regiones,
Vxores procerum, ſoboles rapuit quoque dulces,
Et ſic proſtratis rediit gaudens inimicis.

XII

Vxor *Oddonis* Regis *Editha* moritur.

395 *IStis ſic habitis, properata diecula triſtis*
Venerat, ingentem noſtris augendo dolorem.
In qua præfulgens meritis Regina ſupremis,
Edith, *præſentis vitæ diſceſſit* ab oris,*
Ipſius imperio genti faciens famulanti
400 *Triſtitiam, nec non nimium cordis cruciatum*
Eius in abſceſſu, magno quam denique luctu
Et non immerito fleuit plebecula cuncta,
Quam plus maternæ fouit pietatis amore,
Quam dominatricis iuſſis confringeret artis:
405 *Cui licet a Chriſto requiem ſine fine perennem*
Nec non lætitiam iuſtis retro reparatam
Præſtari citius, iam non dubitauerit vllus,
Qui meritum vitæ ſciuit laudabile caſtæ,
Ipſius ac mitem, geſſit quam, denique mentem,
410 *Attamen humanæ pro conſuetudine cauſæ*
Non mirum populus planctum ſibi ſumpſit amarum:
Dum ſibi tam ſubito fuerat ſpes tanta ſubacta,
Et facies Dominæ nimium regalis amandæ,
Nec non ſubiecti præfulgens gloria regni.
415 *Mandatur terræ gremio ſeruanda ſub amplo,*
Donec aſſurgat, non corruptamque reſumat,
Quod nunc includit tumulus, prænobile corpus.

* deceſſit (S.)

XIII

XIII

Luidulfus Oddonis filius & filia *Lingarda.*

Haec igitur puerum, supra paucis memoratum,
Acriter orbatum, dimittebat, Luidulfum:
420 *Feminei dulcem sexus unam quoque prolem,*
Nomine Lingardam, *summa bonitate coruscam,*
Moribus & facie similem matri venerandæ.
In quas percerte soboles mox stirpis amandæ
Affectu cordis populus deducitur omnis
425 *Magno, pro meritis summis vtriusque parentis.*
Sed magis, ac iuste, dulci feruebat amore
Erga regalem puerum, Dominum Luidulfum,
Ipsum spe mentis tota complexus amantis.
Hicque sibi naturales imitans bene mores,
430 *Extiterat cunctis blandus dulcedine mentis,*
Mansuetus, clemens, humilis, nimiumque fidelis.
Hinc quoque gratiolam (Christo præstante benigno)
Tantam promeruit, meritam digneque recepit,
Gentibus vt cunctis, patris imperio religatis,*
435 *Vt quicunque suæ saltim perpaucula famæ*
Verbula conciperet latebris propensius auris,
Ipsius in dulcem totus raperetur amorem,
Absentem venerans animis Dominum studiosis.
Quem pater, egregius Rex & senior venerandus,
440 *Dilectæ matris mortem grauiter patientem*
Affectu patrio, nec non pietate benigna,
Digno percerte iam sublimauit honore.
Subiectis faciens regni digne dominari.

* *Gentibus in cunctis* (S.)

XIV

Conradus, Franciæ Dux, ducit *Luidgardam*, & *Ludulfus* ducit *Idam*, *Hermanni*, Sueuorum Ducis, filiam; sic Franci & Sueui *Oddonis* obediunt imperio.

Necnon Luidgardam, *simili causa venerandam,*
445 *Vnica feminei quæ spes sexus fuit illi,*
Gratiola parili coluit, prouexit, amauit.
Hanc quoque Conrado *vinclis sociauit amoris,*
Egregio strenuoque Duci, nimium quoque forti,
Munere qui talis dignus constabat honoris (a).
450 *Vtque suo subdi nato faceret*, Luidulfo,
Multum deuotæ perfecto mentis amore
Francorum gentis dominos prænobilis almos,
Nec non primates Sueuorum scilicet omnes,
Ipsi legali perpulcram fœdere iungi
455 Idam *iussit* Hermanni *natam, Ducis almi.*
Qui fuit illustris Princeps in partibus illis.
Hæc quoque regalis fuerat consortia prolis
Pro meritis propriæ probitatis digna subire,
Ac vice Reginæ summo veneratur (b) *honore,*
460 *Rege iubente quidem per consuetam pietatem,*
Illam nec habitare locis voluit segregatis,

Rex

Rex idem nati digne succensus* amore,
Sed ceu Reginam regnum transire per amplum:
Quo sic dilectus sentiret filius eius
465 Dulcia gratiolae semper munuscula magnae,
Ipsi cum sponsa regni sociatus in aula.

*suspensus (S.)

* Satis superque ad VVitichindi historiam (lib. 1 p. m. 684) de Conrado Duce, Othonis M. genero diximus. Hoc loco de posteris eius agemus. Deriuant enim ab eo genus Conradi Saliqui Imperatoris. Stemma tale est.

VVernerus,
natus ex illustri familia, quae patria lingua Gorblingen cognominatur, vt Cuspinianus,

Conradus cognomento Sapiens.
Dux VVormatiensis, vt Otho Frisingensis, vt alii, Franconiae.
vxor eius Luitgarda, Othonis M. fil.

- Henricus siue Hetzilo. vx. Adelheidis Lotharingica.
  - Conradus Senior, cognomento Salicus, Romanor. Imperator. † an. 1039. vx. Gisela, f. Hermanni, Ducis Alemanniae, † an. 1049.
    - Henricus III Romanor. Imperat. Augustus. vx. Gunhildis, f. Canuti, Angliae, Daniae & Norvvegiae Regis. † an. 1038
      - Henricus IV.
  - Gebhardus, Episcopus Ratisbonensis, el. an. 1036. sepultus in monasterio Oringavv.
- Bruno Papa, alio nomine Gregorius V.
- Conradus, Dux Carinthiae. † an. 1012. vx. Mechtildis, f. Conradi Regis Burgundiae.
  - Cuno iunior, Adalberonem, Ducem Carinthiae, vicit apud Vlmam an. 1019, † an. 1039.

Cuspinianus in Historia Caesarum, in vita Conradi Salici, patrem eius nominat Hermannum, nepotem Conradi, Ducis Franconiae, ex filio Othone; quod aperte pugnat cum VVippone & Hermanno Contracto, qui concorditer Salici parentem Henricum vocant, h. m. genealogiam deducentes.

Conradus, Caesaris gener.
Otho, Dux Franconiae.
Cuno siue Conradus.

- Sigfridus.
- Eberhardus.
- Hermannus*, Comes Franconiae. vxor eius Adelheidis, nata in Francia orientali.
  - Conradus Salicus, Imperator.
  - Gebhardus, Episcopus Ratisbonensis.
  - Iuditha, vx. Guilielmi Comitis Montisferrati.

*l. Henricus

(a) Gisela, Conradi Salici vxor, ante hoc postremum matrimonium connupta fuit cum Brunone, eius nominis secundo, Marchione Saxoniae, filio Ludolfi Marchionis, vrbis Brunsvvigae amplificatoris. Encomium Giselae habet VVippo in vita Conradi Imp. his verbis; Erat Gisela liberalis ingenii, illustris sollertiae, auida gloriae, non laudis, pudoris amans, feminei laboris patiens, incassum minime profusa, in rebus honestis & vtilibus abunde larga, diues in praediis, summos honores bene tractare perita (M.)

(b) Deponentis forma, pro, honore afficitur. Eadem Hrosuitha haec nostras etiam in Historia natiuitatis, laudabilisque conuersationis intactae Dei genetricis v. 343

Nempe Deus colitur, dignéque potens veneratur. (S.)

XV

Lotharius Rex Italiæ moritur, & regnum *Athelheida*, *Rodulfi* filiæ, relinquitur: illa per *Berengarium* regno suo priuatur, & incarceratur.

INterea Rex Italicus grauido Lotharius
Infectus morbo, mundo discessit ab isto,
Italiæ regnum linquens merito retinendum
470 *Summæ Reginæ, sibi quam sociauit amore,*
Regis Rodulfi *fuerat quæ filia magni,*
Edita magnorum longo de stemmate Regum,
Cui nomen clarum dictauit summa parentum
Nobilitas, illam digne vocitans Athelheidam.
475 *Hæc quoque regalis formæ præclara decore,*
Atque suæ causis personæ sedula dignis
Factis regali respondet nobilitati.
Scilicet ingenio fuerat prælucida tanto,
Vt posset regnum digne rexisse relictum,
480 *Si gens ipsa dolum mox non dictaret amarum.*
Denique defuncto, quem prædixi, Lothario,
Pars quædam plebis, fuerat quæ retro rebellis
Menteque peruersa propriis dominis inimica,
Restituit Berengarii *regnum ditioni,*
485 *Quod patre defuncto raptum violenter ab illo*
Olim per Regis manus deuenit Hugonis.
Optato certe qui sublimatus honore,
Detegit, inuidiæ quicquid sub pectore tristi
Gessit, dum regni defleuit damna paterni,
490 *Felleque plus iusto cordis succensus amaro,*
Fudit in insontem concretum quippe furorem,
Iniustam vim Reginæ faciens Athelheidæ,
Quæ regnans illi damnum non fecerat vllum.
Nec solum celsæ solium sibi præripit aulæ,
495 *Sed simul ærarii claustris eius reseratis,*
Omne, quod inuenit, dextra tollebat auara:
Aurum cum gemmis, varii generis quoque gazis,
Nec non regalis sertum prænobile frontis,
Ornatus nec particulam dimiserat vllam,
500 *Nec timuit propriis illam spoliare ministris,*
Obsequiis quoque personis regalibus aptis,
Regalique potentatu, miserabile dictu!
Postremo quoque pergendi, pariterque meandi
Quo vellet, libertatem male denegat omnem:
505 *Solam cum sola committens namque puella*
Seruandam cuidam Comiti, sua iussa sequenti,
Qui iussis captus Regis non iusta iubentis,
Non metuit propriam, culpæ sine crimine, Domnam
Clausam carcereis claustris seruare cubili,
510 *Circum diffusis custodum denique turmis,*
Vt mos personas est seruari scelerosas.
Sed qui de vinclis Petrum tollebat Herodis,
Hanc, quando voluit, miti pietate redemit.

XVI

Quomodo in carcere fuit liberata per Episcopum *Adelhardum.*

CErte dum variis animo foret anxia curis,
515 *Nullaque spes sibimet certi solaminis esset,*

Præsul

Præsul Adelhardus (a) *factum deflens miserandum,*
Vixque suæ damnum charæ patiens graue Domnæ,
Illi transmisit missum mox namque secretum,
Vtque fugam caperet, monitis suasit studiosis,
520 *Ac peteret muris vrbem structam bene firmis,*
Quæ caput ipsius constabat Pontificatus.
Hic loca præsidii mandans tutissima certi,
Illi condignum quoque præberi famulatum.
His nam regales monitis, pulsantibus aures,
525 *Inclita demandans Elis* (b) *Regina benignis,*
Lætior exoptat vinclis absoluier artus,* * *artis* (S.)
Quid faceret tamen ignorat, quia nulla patebat
Ianua, quæ somno pressis custodibus alto
Illam nocturnis pateretur abire sub horis.
530 *Sed nec personam charam in famulatibus vllam,*
Subiectam sibi, carcereis possedit in antris,
Ipsius implendis esset quæ sedula iussis,
Ni supra dictam solummodo namque puellam,
Necnon Presbyterum vitæ laudabilis vnum.
535 *His vbi continuis narraret cuncta lamentis,*
Quæ mærens animo multum voluebat amaro,
Voti communis placito visum fuit illis,
Res melius verti, studio si forte latenti
Sub terra foueam facerent fodiendo secretam,
540 *Per quam de vinclis possent euadere duris.*
Hæc ita percerte constat completa fuisse
Ocius, auxilio Christi præsente benigni.
Nam caute fouea iuxta placitum reparata
Aduenitque libertati nox apta recenti,
545 *In qua dum somnus plebis proserperet artus,*
Tantum cum sociis Regina piissima binis
Custodum fraudes fugiens euaserat omnes,
Atque viæ spatium noctis sub tempore tantum
Pertransit, plantis quantum valet ergo tenellis.
550 *Sed mox, vt scissis cessit nox furua tenebris,*
Atque polus radiis cœpit pallescere solis,
Abscondens in secretis se cautius antris,
Nunc vagat in siluis, latitat nunc denique sulcis,
Inter maturas Cereris crescentis aristas,
555 *Donec nox, solitis rediens induta tenebris,*
Obtegit rursum nebulo terram tenebroso:
Tunc iterato viam studuit percurrere cœptam.

(a) *Adelhardus*, Episcopus Regiensis, postquam *Adelheidis* ex custodia in castro Gardæ ad lacum Benacum, Martini Sacerdotis sui ope, euasisset, quia ipse loco ad eam custodiendam munito careret, auctor ei fuit, vt ad *Athonem*, auunculum suum, se conferret, qui arcem Canusii non longe firmissimam obtineret. Ita *Adelheidis* ad *Athonem* profecta, caput ei suum commendauit cet. Vid. *Sigonius* lib. 6 de regno Italiæ (M.)

(b) Nullo sensu. Legendum putem; *demandatelis*; qua alias voce semel iterumque Virgo nostras & Poetria vtitur. vid. vers. 639, 648, 771.

XVII

Quæritur per diuersa loca *Athelheida* Regina.

Denique custodes, illam non inuenientes,
Narrabant factum Comiti, multum tremefacti,
560 *Cura cui conseruandæ fuit inclita Domnæ.*
Qui terrore grauis percussus corde timoris,
Pergit cum sociis illam perquirere multis:

 Et cum

Et cum deficeret, nec iam dinoscere posset
Quo Regina suum tulerit clarissima gressum,
565 *Detulit ad Regem* Berengarium *timidus rem.*
Hic quoque, continuo nimiam conuersus in iram,
Circumquaque suos subito mittebat alumnos,
Præcipiens, illos nullum transire locellum,
Sed caute cunctas iam perlustrare tenebras,
570 *Si forsan latebris Regina lateret in vllis.*
Ipseque cum fortis sequitur turba legionis:
Ceu qui vult hostes bello superare feroces,
Et rapido segetem cursu peragrauit eandem,
In cuius sulcis latuit tunc Domna recuruis,
575 *Hæc, quam quærebat, Cereris contecta sub alis.*
Scilicet huc illucque locum percurreret ipsum,
In quo non paruo iacuit terrore grauata,
Et quamuis circumpositos disiungere culmos
Nisibus extenta cunctis temptauerit hasta,
580 *Non tamen inuenit, Christi quam gratia texit.*
Ast vbi confusus rediit, nimium quoque lassus,
Præses Adelhardus *mox aduenit venerandus,*
Induxitque suam gaudenti pectore Domnam
Intra namque suæ muros vrbis bene firmos:
585 *Hicque sibi digne toto seruiuit honore,*
Donec maiorem, Christo miserante, decorem
Regni susceperit, pridem quem mæsta reliquit.

XVIII

Oddo intrauit Romam, & ducit in vxorem *Athelheidam*, misso prius *Ludolfo* filio, vt res Italiæ exploraret, & *Athelheidam* in Germaniam duceret.

Denique nostrates quidam, tunc experientes,
Reginam Domino desolatam fore charo,
590 *Cuius prædulcem gustauerunt pietatem:*
Crebrius Oddoni *magno, tunc denique Regi,*
Augusto sed Romani nunc denique regni,
Nullam dicentes aliam consistere dignam
Tecta sub ipsius thalami regalia duci,
595 *Post obitum Domnæ flendum cunctis* Eadithæ.
Et Rex, lætatus tantæ dulcedine famæ,
Pectore voluebat tacito per tempora longa,
Quo pacto sibi Reginam coniungeret istam,
Quæ fuit insidiis Regis circumdata tantis.
600 *Venit & in mentem, prædictum denique Regem,*
Qui quondam patriis fuerat depulsus ab aruis,
Eius & auxilio citius miserante reductus,
Ingratum fore nunc donis tantæ pietatis.
Hinc quoque mox aditum sibimet prouiderat aptum,
605 *Ipsius Italicum iuri subiungere regnum.*
Hoc vbi colloquio sensit narrante paterno
Patris amor verus, spes & gentis, Luidulfus,
Non sua sollicitans, patris sed commoda tractans,
Perpaucis secum sociis secreto resumptis
610 *Italiam petiit, fortique manu penetrauit,*
Exhortans patris imperio populum dare collum:
Moxque redit, clarum referens sine Marte triumphum.

Quo

Quo Rex comperto populis narrantibus, Oddo,
Corde super natum læto plaudebat amandum,
615 *Ipsius causa qui iam discrimina tanta*
Audacter subiit, gentem turbando ferocem.
Vtque labor talis non frustraretur amoris,
Ipse quidem gentem festinus adiuit eandem,
Plebis non parua propriæ comitante caterua,
620 *Regalis pompæ vario comptusque decore,*
Alpibus accinctas altis intrauerat oras.

XIX

Berengarius aduentum *Oddonis* in Italiam audiens, Papiam se contulit, quam *Oddo* cepit.

HIs Berengarius *compertis, obstupefactus,*
Non bellum mouit Regi, non obuius exit,
Sed se saluandum castello protinus apto
625 *Intulit, in tutis posito firmisque locellis*.*
At Rex famosus noster, virtute superbus,
Audacter satis ignotas pertransiit oras,
Italici Papiam regni cepit quoque domnam.
Qua certe capta, cuncti velut agmine facto
630 *Quærentes Regem proceres venere recentem,*
Certabantque suo iuri se subdere magno.
Quos nam more suo suscepit mente benigna,
Promittens ipsis eius munus pietatis,
Si post hæc illi seruirent mente fideli.

*Pro, *locis*; vt alibi etiam. Sigillatim in Historia *natiuitatis & conuersationis B. M.V.* v. 740.
Quæ Paradisiacis constant plantata locellis.
& in *Gangolfo* v. 131
Me vacuum tanti meritoque dolere locelli.
& rursum v. 231, 232
Euomit & tumidas ipso disrupta locello
Vndas præscripti denique fonticuli.

XX

Oddo nuptias cum *Athelheida* Papiæ celebrat.

635 I*Stis sic habitis, crebro tractamine cordis*
Reginæ satis egregiæ memor est Athelheidæ,
Regalem certe cupiens quandoque videre
Ipsius faciem, cuius didicit bonitatem.
Vnde quidem mandatelis secretius actis,
640 *Quæ fuerant pacis, nec non prædulcis amoris,*
Sub signo fidei firmæ mandauerat illi.
Hoc quoque suadelis exhortabatur amicis,
Vt celeri Papiam cursu peteret, populosam
Vrbem, quam cum tristitia dimisit amara,
645 *Quo præstante sacra Regis pietate perennis*
Hic modo sublimem gaudens captaret honorem,
Quo prius ingentem fuerat perpessa dolorem.
His mandatelis cessit Regina benignis,
Et quo iussa fuit, pariter comitantibus iuit
650 *Permultis subiectorum cunctis populorum.*
Vt Rex hos sensit, cuius mandamine venit,*
Ipsius Henricum *fratrem præcepit amandum*
Huius in occursum regredi trans littora Padi,
Vt sublimandam regni splendoribus heram

655 *Tanti compositus Ducis ornaret famulatus.*
Qui studio mentis præcepta sequens senioris
Egreditur certe cum regali legione,
Castraque Reginæ gaudens petiit venerandæ,
In queis cum sociis residebat denique multis.
660 *Illam condigne summo comitatus honore.*
Donec regali præsentaret faciei,
Quæ merito Regi statim placuit satis ipsi;
Eligiturque sui consors dignissima regni.

* Mandato, præcepto; vti *de conuersione Proterii* v. 224
Ad quem Basilius forti mandamine *functus.* *Legis mandamina* dicit hist. *natiu. & conuersat. B. M. V.* v. 636, & rursum v. 813 *sacra mandamina* (S.)

XXI

Oddo rebus Italiæ compositis, cum Regina vxore Saxoniam petit, & *Conrado* Papiam & Italiam committit.

TVnc Rex se nouitate rei cernens retineri,
665 *Tempore ne patrias instante rediret ad oras,*
Luidulfum *placuit charum præmittere natum,*
Vt gens Saxonum fortis volitaret ad illum,
Et regnum sub patrono staret vt bene tanto.
Qui parens iussis deuota mente parentis,
670 *Ad patriam rediit, curam regnique recepit:*
Omnia prudenter, necnon nimium sapienter
Complens, in patria quæ tunc fuerant facienda.
Interea Dux Henricus, *Regis venerandus*
Frater, in Italia cordis conamine summo
675 *Obsequiis operam gessit regalibus aptam,*
Officium non germani solummodo chari,
Sed mage ius serui studio complendo benigni:
Hinc non immerito Regi placuit satis ipsi.
Est quoque Reginæ fraterno vinctus amore,
680 *Affectuque pio fuerat dilectus ab illa.*
Tunc Rex Italiæ peragrauerat vndique regnum,
Primates regni propriæ subdens ditioni.
His quoque completis, iuxta votumque locatis,
Ne Berengarius *regnum raperet sibi rursum,*
685 Conradum *cum non paucis, ex agmine lectis,*
In Papia residere Ducem iussit sapientem,
Cui veneranda suæ dederat consortia natæ.
Ipseque continuo rediit cum coniuge clara,
Intendens patriæ sedem festinus adire.
690 *Quem gauisa quidem plebs suscepit venientem,*
Altithrono grates spargens super æthera dulces,
Qui miserando suæ plebis solita pietate,
Quem pius elegit, Regem cum pace reduxit.

XXII

Conradus ducit *Berengarium* ad *Oddonem*, quem *Oddo* regno Italiæ restituit.

HAc ita lætitia dignis rebus celebrata,
695 *Aduenit Dux* Conradus, *cum pace reuersus;*
Adducens

Adducens Berengarium *supra memoratum,*
Ipsius ingenii captum sic arte profundi:
Gratis vt Oddoni *venit se subdere Regi*.*
Tunc iidem Rex, qui semper fecit sapienter,
700 *Hunc Regem certe digno suscepit honore,*
Restituens illi sublati culmina regni,
Ista percerte tantum sub conditione:
Vt post hæc causis non contradiceret vllis,
Ipsius imperio multis longe metuendis
705 *Sed (ceu subiectus) iussis esset studiosus.*
Hoc quoque sollicitis decreuit maxime dictis,
Vt post hæc populum regeret clementius ipsum,
Quem prius imperio nimium contriuit amaro.
Qui se complendis simulans promptum fore iussis,
710 *Ocius abcessit, patriam lætusque petiuit.*

* *Ditmarus* lib. 2 (p. m. *Post hæc Rex, Papia præsidio munita, dispositisque ibi rebus necessariis, reuertitur, quem* Beringerus *cum Duce* Conrado *subsequitur, Regisque gratiam in vrbe Augustana, sua filiique deditione promeruit, simulque Regina iram supplici venia placauit, bonaque cum pace patriam reuisit.* Restitutum quidem est regnum *Berengario*, sed adempta Marchia Veronensi & Foroiuliensi, quas *Otho* Imp. *Henrico* fratri se attribuisse affirmabat (M.)

XXIII

Berengarius restitutus rursus bellum in Italia commouet.

Ast vbi sublimem regni possederat arcem,
Læsus suadelis quorundam namque sinistris,
Mox infelici grauiora quidem iuga genti
Infert vi magna, pro despectu sibi facto:
715 *Se regnum pretio contestans emere magno,*
Nec fore culpandum, si ius fregisset auorum.
Sed magis Oddoni *culpæ meritum reputari*
Ipsi, primates plebis qui venderet omnes.
Hæc res ad Regem mox vt deuenit eundem,
720 *In* Berengarium *iusta succenditur ira,*
Corde super populi damnis mærens miserandi;
In meliusque statum statuit conuertere rerum.
Et faceret citius, Christi munimine fultus,
Si non fortunæ restaret causa sinistræ.
725 *Namque decore sui florente per omnia regni,*
Cum se gauderet cunctis fulgere secundis,
Protulit antiqui renouata lues inimici
Fraudis commentum, cunctis per secla dolendum,
Iam tunc pacificum tentans confundere regnum.
730 *Hoc vt quantocius posset patrare malignus,*
Regni rectores primum turbauerat omnes,
Sperans interitum plebis mox esse futurum.
Denique famosi natus Regis, Liudulfus,
Vt cognouit amicitiam, signis satis aptis,
735 *Qua tunc perfectæ fidei dilexit amore.*
Henricum, *Regis fratrem, Regina fidelis,*
Quodque suæ fidei studiose subdidit omne,
Tangitur interni iaculis secreto doloris,
Haud ira feruens, odii nec felle tabescens,
740 *Sed super amisso charæ genetricis amore,*
Ex ægri latebris ducens suspiria cordis,

Deceptusque malis permultorum suadelis
Pertimuit (fragilis pro consuetudine mentis)
Quod post non vti donis deberet honoris
745 *Condigni, sed forte locum subire secundum:*
Quod fieri Christus nunquam permitteret aequus
Si staret regnum iusta sub pace quietum.
Ast vbi sub tristi vultu sæpissime patri
Monstratur mæstus, solito nec more serenus,
750 *Sensit* * *deceptum serpentis fraude dolosi:*
Sed quo legalem patris hinc augeret honorem
Hiis Rex compertis, ex prosperitate fidelis
Lætatus prolis tota dulcedine mentis,
Hæc illi mandat scriptis extemplo remissis:
755 In sæclum sæcli maneat laus omnipotenti,
Qui dedit in tantis temet gaudere secundis:
Grates atque tibi dentur, charissime fili,
Quem constare quidem penitus cognosco fidelem,
Haud obscura tuæ fidei quia signa dedisti:
760 Cum per te regnum cupiens augescere nostrum,
Signasti nobis proprii decus omne laboris.
Hinc ego gratanter, quæ fecisti sapienter,
Accipiens, vice conuersa condigna rependo,
Hoc ipsumque tibi regnum committo regendum,
765 Imperio subdi nostro quod constituisti:
Præcipioque tibi iussis, dilecte, paternis,
Vt quem victrici populum dextra superasti
Absque mora tecum facias firmare tenendum
Fœdus, cum iuramento structum metuendo:
770 *Hæc Dux* Luidulfus *decreta legens venerandus,*
Lætior ex mandatelis tantæ pietatis,
Iussus, cum iuramento religat sibi firmo
Ad patris obsequium populum digne moderandum.

* Sunt qui (S.)

Habet hæc narratio aliquid artis & dissimulationis. *Baclerus* de rebus sæc. IX & X p. m. 307.

XXIV

Oddo secundo Italiam petit, & coronatur in Imperatorem (a).

His bene dispositis summo cum fœdere pacis,
775 *Ardens absentis faciem meruisse parentis,*
Coniugis & charæ dulci deuictus amore,
Ac prolis geminæ longe post terga relictæ,
Posthabitæ fines patriæ placuit repedare (b).
Quo post exilii pondus nimium graue duri
780 *Posset quandoquidem patriæ captare quietem,*
Vtque celer morulis hæc impleret sine cunctis,
Non iter optatum pondus tardauerit vllum:
Collectim patrias iussit præmittere gazas,
Ipsius & faciem turbam præcedere totam,
785 *Quam belli causa secum deduxerat illo,*
Promittens ipsum (vita comitante) futurum
Ad fines patriæ spatii post tempora parui.
Hoc quoque mellifui verbis signauerat * *oris*
In queis castellis, in queis voluitque locellis,
790 *Sumptus hospitii dignos sibimet reparari.*
Hac moti fama nostrates desiderata,

* signauerio (S.)

Affectu

Affectu cordis studebant interioris,
Omneque mæroris pondus, cunctique doloris,
Quod prius absentis causa tulerant senioris,
795 *Ex animo deponentes communiter omnes,*
Causam lætitiæ duxerunt esse supremæ:
Si post paucorum meruissent ergo dierum
Cursus, promissi iuxta præconia læti.

* * *

Atque ferens sceptrum capitis diademate pulchrum,
800 *Atque sui cultus omnes regalis amictus:*
Ornatus sed maioris suscepit honoris.
Augusto summo pariter mox conbenedicta.

(a) *Otho* Imperator a *Ioanne* Pontifice coronatus est Romæ an. 962, vniuerso populo, cleroque faustis vocibus Augusto Imperatorique felicitatem ac victoriam acclamante (M.)

(b) i. e. *repetere.* Sic in historia *natiuitatis & conuersationis* B. M. V. v. 196
Et rapido patriam cursu repedare *relictam,*
& rursum v. 780
faciam dici spatio repedari (S.)

XXV

Oddo factus Imperator *Berengarium* in exilium mittit cum vxore *Villa*, Papam deponit, & rediens in Saxoniam filium infantulum in cunis in Regem Aquisgrani creat.

H*Actenus* Oddonis *famosi denique Regis*
Gesta (licet tenui musa) cecini modulando.
805 *Nunc scribenda quidem constant, quæ fecerat idem*
Augustus, solium retinens in vertice rerum:
Tangere quæ vereor, quia femineo prohibebor
Sexu: nec vili debent sermone reuolui,
Qualiter inuicti duro luctamine belli
810 *Obtinuit constructa locis castella marinis,*
Quæ Berengarius, *coniunx possedit & eius* (a),
Ac illum, iuramento cogente peracto,
Misit in exilium, misera cum coniuge Villa.
Qualiter & recti compunctus acumine zeli,
815 *Summum Pontificem, quædam peruersa patrantem,*
Eius nec monitis dignantem cedere crebris,
Sedis Apostolicæ fraudari fecit honore (b):
Constituens alium rectoris nomine dignum (c):
Qualiter & regno tranquilla pace quieto
820 *Nostrates adiens, illinc iterumque reuertens,*
Ipsius prolem, post illum iam venientem
Scilicet Oddonem, *nutricis ab vbere Regem,*
Ad fasces Augustalis prouexit honoris,
Exemploque sui digne fecit benedici (d).
825 *Hæc igitur nostris nequeunt exponier orsis:*
Sed quærunt seriem longe sibi nobiliorem.
Hinc ego, tantarum prohibente grauedine rerum,
Vltra non tendo: finem sed prouide pono,
Post hæc incepto ne succumbam male victa.
830 *Hiis ita finitis, & summatim replicatis,*
Est ingens Regis pietas oranda perennis,
Quo pius Augustum præstet deducere nostrum*
Instantis vitæ tempus feliciter omne,
Et fultos semper cunctis ad vota secundis
835 *Ecclesiæ multos custodes seruet in annos,*
Nobis solamen dantes clementius, AMEN.

* prius (S.)

(a) Gobe-

(a) *Gobelinus Persona* ætat. 6 cap. 48; Berengarius, *inuasor regni Italiæ, postquam Rex* (Otho M.) *Italiam intrauerat, &* Willa, *vxor sua, nec non* Adelbertus *&* Guido, *filii eius, nunquam publice audebant comparere; sed castellis, quibus poterant, se magis occultabant. Nam cum* Otho, *postquam coronatus est, ad Lombardiam reuertitur,* Berengarius *in castro dicto* ad S. Leonem *se continuit.* Willa, *uxor eius, in quadam insula, dicta* ad S. Iulium, *in lacu maiore se inclusit. Filii vero eorum huc illucque incerti vagabantur, videlicet* Gard *castellum, &* Traualliam, *& insulam in lacu Cumano.* Willa *inprimis inuaditur, & adempto de lacu exitu, vndique quotidianis fundibulariorum & sagittariorum impugnationibus fatigatur. Et postquam duobus mensibus obsessa est, capitur, & demum clementia Imperatoris dimissa, quo velit ire, libere permittitur; quæ quanta velocitate potuit,* Berengarium *adiit, &, ne Imperatori se dederet, omnimode persuasit. Deinde Imperator* Berengarium *in castro* montis Leonis *obsedit.*. Et paullo post; *Inter hæc* Berengarius, *obsidione fatigatus, diruto castello in* monte S. Leonis, *capitur, & cum uxore sua in* Bavvenberg *in exilium mittitur, & ibidem mortuus est.* Hactenus *Gobelinus* (M.)

(b) *Otho* Imperator coacta Romæ frequenti Episcoporum, aliorumque Ecclesiasticorum hominum synodo, *Ioannem* Pontificem, eius nominis *XII*, multiplicium scelerum reum actum conuictumque, dignitate & officio priuari curauit. Id Poetria nostra *recto zelo* factum existimat. Dissentit *Bellarminus* scribens, hanc exauctorationem bono quidem zelo, sed non secundum scientiam factam. Videatur tomo 1 p. 818. Cum hoc facit *Baronius* tom. 10, ad an. 965, his verbis vtens; *Zelus Imperatoris, de quo illud Apostoli congrue dici potest;* testimonium ipsi perhibeo, quod zelum habet, sed non secundum scientiam. *Ditmarus* lib. 2 de depositione *Benedicti*, Pseudopontificis, eiusdem *Othonis* iussu instituta, sic loquitur; *Romanorum Prapotens Imperator Augustus valentiorem sibi in Christo Dominum Apostolicum, nomine* Benedictum, *quem nullus absque Deo iudicare potuit, iniuste, vt spero, accusatum deponi consensit, quod vtinam non fecisset.* Rectius, vereque masculo & Germanico animo *Theodericus* de *Niem* lib. 3 de schismate cap. 11; *Ecce quantus & qualis fuit iste Augustus*(Otho Magnus) *qui tot laboribus & expensis pro reformatione vnionis in ipsa ecclesia vltro se submisit, & felicior operatus est. Nam mali inquietem aliis præparantes cogendi sunt ad pacem & ad bonum. Regia potestatis interest præcipue, vt per eam mali coerceantur a malo, vt boni quiete inter malos viuant, vt sacri canones docent, sed non intelligitur de alia potestate, quam Imperiali, quæ omnes dignitates temporales excellit. Et omnes quasi Reges mundi & tot Prælati ecclesiastici, & communitates egregiarum ciuitatum, ad exstirpandum schisma nouissimum ab ipsa ecclesia efficaciter hactenus proficere non potuerunt, nec possunt: & quis tunc disputasset cum eodem magno Augusto* Othone, *de ipsius iudicio super contendentes super Papatu, seu peruerso vnico Papa, scilicet, quod nisi a Deo possint iudicari? Vtinam talis Imperator surgeret temporibus nostris, qui nunc cassaret scripturarum multiplicitatem in hoc labyrintho, quæ adeo creuerunt propter multitudinem scribentium in hoc passu, quod vix eos centum cameli portarent. Clarum est enim, quod omnium Christianorum maxime interest, quod Papa, a quo omnes normam viuendi capiunt, esse debet mundus, non simoniacus, sanguinolentus, adulter, vel lubricus aleator, ebriosus, venator, vel venereus, vel aliter publicus baratrator. Quis enim sciens, Papam esse talem, posset sine remorsu conscientiæ aut adulationis vitio illius pedes vel manus osculari, aut illum* sanctum Patrem *cordialiter nominare? Igitur idem Augustus sic faciendo non peccauit vel excessit. Quinimo, vt Dei minister optime fecit, qui fuit adeo gloriosus & constantis animi, deificus, mundusque Imperator, vt eius magnificentia & memoria digna gesta testantur, sicut nunquam fuit aliquis Romanus Patricius, Rex, vel Augustus, nec tenetur forte, communi vtilitate suadente, Imperator vel Rex Romanorum fidelitatis iuramentum præstitum tali peruerso Papa, vel alteri ecclesiastico Prælato, notorio peccatori vel incorrigibili, obseruare: quia ibi virtus deficit potestatis, vbi successit abusus; & iuramentum iniquitatis vinculum esse non debet; alias enim sequeretur, quod arctante illo iuramento tales peruersos & malos nemo impedire, atque vt ad viam redirent, admonere posset; quod iuri communi & rectæ rationi repugnat, & cederet in reipublica detrimentum; quia non perturbando peruersos, cum possis, est ipsos in eorum malitiis confouere: & error, cui non resistitur, approbari videtur, cum oporteat esse Episcopum sine crimine, quasi dispensatorem Dei, sed multo magis Papam, qui omnibus præest.* Hucusque *Niemius* (M.)

(c) *Saxonica mulieris, quæ* Leonem VIII Rectoris nomine dignum, *i. e. Pontificia sede canit, haud magna auctoritas est. Mulier est, poetria, & Saxonica, Othonis partibus addicta.* Ita *Natalis Alexander* parte 2 sæc. dissertat. 16 p. 677, animo *Othoni* & *Germanis* inimico.

(d) *Lambertus Schafnaburgensis* ad an. 968; Otho *Imperator misit legatos suos ad* Wilhelmum *Archiepiscopum & alios Principes, vt* Othonem *filium suum cum omni dignitate regali ad Italiam mitterent; quem ipse suscipiens Romam perduxit, vt Papa* Ioannes *posterior Imperatorem faceret, quod & libenter fecit* (M.)

PANEGYRICI
HROSVVITHAE GERMANICAE
FINIS.

HENRICI

HENRICI IV
IMPERATORIS
VITA,
A QVODAM EIVS TEMPORIS
CONSCRIPTA.

EIVSDEM
HENRICI
EPISTOLAE ALIQVOT
AD PONTIFICEM ROMANVM,
ALIOSQVE PRINCIPES.

* * *

QVi HENRICO IV Imperatori, Principi tota vita miris fortunae ludibriis exagitato, funebrem hanc orationem ſcripſit, ſuum nobis nomen inuidit, haud ſecus ac ille, qui verſu bellum illius cum Saxonibus geſtum cecinit, ſine dubio periculi metu, quod iis impendebat, qui Caeſaris partes vel ſequebantur, vel defendebant.

Cum ita aliquot ſaeculis in Anonymis habitus fuiſſet, *Melchior Goldaſtus*, dum eam ſuperiori Apologeticis pro *Henrico* ſcriptis inſeruit ac Hanouiae recudi curauit, in diſſertatione de auctoribus, praefationis loco, praemiſſa p. 34 coniecit, ſcripſiſſe eam *Otbertum*, eccleſiae Leodienſis id temporis Antiſtitem. Rationes, queis inductus, id ſtatuit, vel potius opinatus eſt, ſunt, quod auctor primum fateatur, ſe Imperatori familiarem & a ſanctioribus fuiſſe conſiliis: dein, quod idem ſatis ſuperque innuat, ſe praeſto fuiſſe animam agenti *Henrico;* quandoquidem omnium, quae tum contigere, curate faciat mentionem: & tandem, quod in prooemio operis diſerte dicat, ſpem ſuam in *Henrico* poſitam fuiſſe, ac ſolatium: *Obertus* vero primariae admiſſionis apud eundem fuerit Miniſter, in eius familiaritatem penitus intrarit, conſtantiſſima illi adhaeſerit mente, in extremis adfuerit, ac defuncti cadauer, inferialibus ſollemniter peractis, dederit ſepulturae.

Quas quidem rationes non plane nullius momenti eſſe, nemo facile negauerit. *Aegidius* enim aureae vallis Monachus in *geſtis Pontificum Leodienſium* cap. XV p. 45 *Epiſcopus*, inquit, Obertus — *cum Leodienſibus ſemper* Henrico *pro poſſe adhaeſit. Albericus* in chronico ad an. MXCI p. 139; Henricus *Leodienſis Epiſcopus, amator pacis & religionis, obiit* — *eique* Obertus *ex clerico eiuſdem eccleſiae ſuccedit. Qui* Obertus *fuit Praepoſitus eccleſiae* S. Crucis *in Leodio, per Epiſcopum* Henricum *eiectus, ſeruiuit fideliter Imperatori* Henrico *in parte* Guiberti *Rauennenſis, & ita donatus eſt* (ei Epiſcopatus ſub illius temporis ſtatu, vt *Monachus Nusſienſis* in magno chronico Belgico p. 144 addit) Et ad annum MCVI p. 204: *Epiſcopus* Obertus *Leodienſis multorum corda ad auxilium patris contra filium ſollicitauit.* Auctor *chronici Leodienſis* tomo II Anecdotorum *Edmundi Martene* & *Vrſini Durand* p. 1407; *Imperator* — *rebus Imperii priuatus, ab*

Otberto

Otberto & *ciuibus Leodiensibus —— sustentatur.** Abbas *Svvarzahensis* in chronico ad annum MCVI: *Leodiensis Episcopus, ceterique Coepiscantes inter cetera recipiuntur in communionem poenitentiae hac conditione, quo cadauer ipsius excommunicati Imperatoris per se pridie in monasterio tumulatum effoderent, & absque vlla sepultura vel exsequiarum communione in loco* (non) *consecrato deponerent, comprobantibus his, qui aderant, Archiepiscopis & Episcopis.* Certe nec *Meibomius*, nec *Neu*, nec *Reimmannus*, viri doctissimi, inficias eunt, rationes has ita comparatas esse, vt *Goldastus* magna omnino verisimilitudine coniectarit, *Obertum* vitae huius esse auctorem: *ille*, introductione in Historiam inferioris Saxoniae p. 95; *iste*, sectione IX Mantissae ad *Degorei Wheari* Relectiones Hiemales p. 109; *hic*, parte II Tentaminum isagoges in Historiam litterariam Germanorum sectione II § 283 p. 357.

* Quin ipse Auctor infra cap. XIII; *Quamobrem cum iam instante Pascha pater recedere vellet*, Episcopus & Henricus *Dux* (*qui & ipse ab Episcopo fuerat inuitatus*) *eum recedere prohibebant: non se posse pati, vt in tanta festiuitate e tectis hominum siluas peteret, latebrasque ferarum.* Et Rex *Henricus V* cap. XIV: *Cum Leodium ituri, vbi nobis curia paschalis habenda fuerat, ad fluuium Mosam venissemus*, Episcopus Leodiensis & *Dux* Henricus, *de quorum fide & obsequii deuotione multum praesumebamus, nobis latenter insidias posuerunt, & nostros inscios & ad pugnam imparatos caedebant, capiebant, fugabant.*

Enimuero, quisquis ille sit, certe non ex plebe, neque nobilitate minori, sed ex Optimatibus & Principibus Imperii fuit, potens in aula Caesaris, atque Imperatori familiaris. Conf. *Goldastus* l. d. *Meibomius* l. d.

Quod ad ipsam hancce, quam nobis ille reliquit, narrationem attinet, *Baronius* quidem ad an. MCVI tomo XII p. 60 egregii mendaciorum contextoris opus illam vocat. Vult enim, *Reineccium* eam confinxisse. Sed quam turpiter ac improbe, non est, quod demonstrem. Demonstrauit enim id iam fuse iuxta docteque laudatus *Meibomius* l. d. Elegantem contra, veritateque fundatam censent alii: quamuis forte negandum haud sit, panegyricae magis orationis, quam narrationis historicae, ad veritatis leges sine vllo partium studio consignatae, ad modum scriptam esse*.

* *S. F. Hahn* tomo III *der Reichs-Historie* cap. II de *Henrico IV* § I in not. lit. f. p. 42; *Der Auctor vitae* Henrici, *der sonst mehr einen panegyricum, als rechte unpartheyische Historie von seinem Kaiser verfertiget.*

Iuuabit

Iuuabit ipsissima illorum verba oculis subiicere. Sic autem

Isaacus Casaubonus
verbis in vestibulo voluminis *Reuberiani* manu sua adscriptis * ;

Ex omnibus scriptoribus, qui hoc volumine continentur, nullus conferendus ulla ex parte cum eo, qui vitam maximi Principis, Imperatoris Henrici IV *descripsit. Quo in libello quid prius admirer, nescio, elegantiam sermonis illis temporibus stupendam, an sententiarum grauitatem, an pietatem, quae patet fuisse ingens in eo autore. Quem equidem, si felicioribus saeculis vixisset, putem nemini veterum aut Latinorum aut Graecorum postponendum; nec illud opusculum postposuerim* Taciti *libello* de vita Agricolae. Subiicit, dum elogium hoc *Introductione in H. E.* cap. XXIV § XXXVIII p. 626 affert, *Caspar Sagittarius*, celebris famae vir: *Quod tanti viri elogium merito excitare deberet iuuentutem studiosam, hoc scriptum cum cura vt perlegat.*

* vid. *Caueus* parte I histor. litterar. scriptor. ecclesiasticor. saec. XII p. 446.

Guilielmus Caue
l. d.

Historicus est antiquae fidei & elegantis ingenii, quique ob sinceram & illibatam in enarrandis Henrici *rebus fidem, inuidiae & persecutionis metu nomen suum occultasse videtur.*

Ioannes Christianus Neu
l. d.

Vita Henrici —— *insigne huius aeui monumentum, a familiari quodam Imperatoris, arcanorum consiliorum participe, perscriptum.*

Godefridus Hechtius
Germaniae sacrae & litteratae parte II lib. VIII cap. IV § XIV p. 324;

Scribendi genus superat expectationem lectoris, vt facile dubitare quis possit, barbaro hoc saeculo vixisse hunc tam argutae ac politae dictionis auctorem, nisi interdum proderet ingenium saeculi, aetatemque praeferret. Quo animo scripserit, extrema indicant verba, quibus fortunam Imperatoris deplorauit. Quae, *ait*, sicut non poterant absque lacrymis a me scribi, sic non poterunt absque lacrymis a te legi.

Christianus Eberhardus Weismannus
Histor. ecclesiast. N. T. saec. XII § 10 pag. 793,

Anony-

Anonymus autor vitae Henrici IV *Imperatoris absque dubio propter pericula nomen suum reticuit, multis reuera titulis commendabilis. Testis eorum euentuum, quorum maximam partem ipse vidit & audiuit.*

Quae cum ita sint, non mirandum, viris doctis toties operae pretium fuisse visum, publicae eam luci exponere. Edidit autem, vt id addam, qui eam Ratisbonae in aede *D. Emerano* sacra inuenit, *Ioannes Auentinus* Augustae Vindelicorum anno MDXVIII. Tum an. MDXXXII Basileae vna cum *Witichindo Corbeiensi* typis Heruagianis *Martinus Frechtus.* Post quem *Ortuinus Gratius*, Theologus Coloniensis, eam an. MDXXXV in *Fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum* repetiit. Deinde *Helmoldo* adiecit ac Francofurti euulgauit *Reinerus Reineccius* an. MDLXXXI. Quem *Reuberus* noster secutus, eam an. MDLXXXIV his scriptoribus inseruit, & anno statim sequenti MDLXXXV suis tomo I *Christianus Vrstisius.* Ad extremum vero dictis supra Apologeticis *Melchior Goldastus* Hanouiae anno MDCXI emisit.

Praeter has editiones, cum commentariis etiam *Aeneae Siluii* de Concilio Basileensi, sed sine mentione loci & temporis, prodiisse illam, prodit *Sagittarius* l. d.

Epistolas, quae hanc de vita *Henrici* narrationem sequuntur. *Reineccium* haud confinxisse ac eidem supposuisse, vel exinde patet, quod eas longe ante, quam ille in lucem susceptus fuit, ediderit, vt modo dictum, *Auentinus:* nonnullas vero diserte citarint, quin ad verbum attulerint, scriptores antiqui, fideque digni. II quidem, III & IV *Bruno* de bello Saxonico p. m. 198 & seq. X ad Galliarum Regem *Otho Frisingensis* lib. VII chronici cap. XII p. 145, & *Albericus* in chronico ad an. MCVI p. 199 & seq. ex *Sigeberto.* Quod monuisse sufficiat.

I HEN-

I
HENRICI IMP. EIVS NOMINIS IIII VITA.

Autoris prooemium.

QVIS dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, vt lugeam non excidia captæ vrbis, non captiuitatem vilis vulgi, non damna rerum mearum, sed mortem *Henrici* Imperatoris Augusti, qui spes mea & vnicum solatium fuit, imo vt de me taceam, qui gloria Romæ, decus Imperii, lucerna mundi extitit? Erit posthac mihi vita iocunda? erit absque lachrymis dies aut hora? aut tecum, o dulcissime, potero illius mentionem habere sine fletu? Ecce dum scribo, quod dictauit impatientia doloris, cadunt lachrymæ, madent fletu literæ, & quod notat manus, diluit oculus. Sed forsan impatientiam doloris mei redarguis, & vt fletum meum reprimam, ne forte iis, qui de morte Imperatoris gaudent, innotescat, instruis. Recte me doces, fateor: Sed non possum imperare mihi, quin doleam, non possum me continere, quin lugeam, licet in me furorem suum exacuant, licet me membratim discerpere cupiant: dolor timere nescit, dolor illatas pœnas non sentit. Nec ego solus mortem eius lamentor: hanc Roma plangit, hanc omne Romanum Imperium deflet, hanc in commune diuites & pauperes, præter insidiatores potentiæ vitæque eius, lugent. Nec mihi priuata doloris causa est: publicam lamentari cladem pietas me cogit. Nam illo recedente, iustitia terras reliquit, pax abiit, fraus in locum fidei subintrauit, chorus laudantium Deum conticuit, solennitas officii diuini siluit, vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum non auditur: quia qui hæc omnia solenniter ordinauit, non inuenitur. Monasteria patronum suum, claustra patrem amiserunt, quibus quid commodi, quid honoris ipse conferret, nunc demum agnoscitur, cum extinctus ea non tenet. Ergo claustris omnibus vera dolendi causa subest. Nam cum illo sepulto gloria eorum sepulta est. Heu Moguntia, quantum decus perdidisti, quæ ad reparandam monasterii tui ruinam talem artificem amisisti? si superstes esset, dum operi monasterii tui, quod inceperat, extremam manum imponeret, nimirum illud illi famoso Spirensi monasterio contenderet, quod ille a fundo fundatum vsque mira mole & sculptili opere comple-

compleuit, vt hoc opus ſuper omnia Regum antiquorum opera laude & admiratione dignum ſit. Qualem etiam ornatum ex auro, argento, lapidibus pretioſis & ſericis veſtibus illi monaſterio contulerit, difficile eſt credere, niſi cui contingit & videre. Vobis quoque, o pauperes, vel maxima cauſa dolendi eſt: nam nunc demum pauperes facti eſtis, cum paupertatis veſtræ conſolatorem amiſiſtis: ille vos pauit, ille manibus ſuis lauit, ille nuditatem veſtram texit: non ante ianuam, ſed ante menſam eius Lazarus iacuit: nec micas, ſed regias delicias expectauit. In ipſa menſa famem & fœtorem vlceroſi non abhorruit, cum miniſter menſæ contra fœtentem nares corrugaret, aut obſtiparet. In cubiculo eius cæci, claudi, & diuerſis morbis confecti iacebant; hos ipſemet excalceabat, hos collocabat, hos de nocte conſurgens tegebat, nec abhorrebat vel eius tactum, quem ægritudo compulerat vſque ad ſordidandum lectum: iter eius pauperes præcedebant, comitabantur, ſequebantur: quorum curam tametſi ſuis intimis commendaſſet, ipſemet tamen eos tanquam nulli commendatos curabat. Sed & per curtes ſuas vſquequaque ſtipendia pauperibus diſpoſuerat, quorum numerum & obitum ipſe ſcire voluit, vt & defuncti memoriam ageret, & in eius locum alterum ſubrogatum noſſet. Sed quando ſterilitas anni famem indixit, multa millia pauenda ſuſcepit, vere memor verbi dominici præcipientis: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* Quid putamus, quo dolore pauperes afficiuntur, cum hæc bona, quæ enumerauimus, ſe habuiſſe, & nunc non habere, recogitant? Quis enim illis hanc humanitatis curam impendit? quis quærit, vbi æger cubet, vel quid alimenti poſtulet? quis amplius iis miſericordiæ officiis inſeruit, quibus *Henricus* Imperator inſeruiuit? O virum pietatis & humanitatis laude inſignem! Imperauit mundo, pauperes illi: mundus illi, pauperibus ipſe miniſtrauit*.

* *Natal. Alexander* Hiſtor. eccleſ. ſæc. XI & XII cap. IX artic. III p. m. 620; *Hæc ſi non finxit, ſane amplificauit orator* Henrico III *addictiſſimus.*

Hæc de bono miſericordiæ in pauperes, quos multum amauit: & quod ab hominibus abſcondi non potuit, non pro dignitate facti, ſed pro facultate ingenii primo locuti (quis enim ſcire poſſet, quæ ſolo Deo teſte peregit?) de aliis quoque virtutibus, quibus claruit, aliqua dicamus. Nam omnia dicere non ſufficimus. Nemo miretur, ſi luctui mortis eius vitæ quoque eius læta geſta immiſceam, cum hic mos dolentium ſit, vt cum extinctum amicum lugent, totam eius retro vitam & mores in argumentum doloris ſui ediſſerant. Itaque iuuat me de eo ſcribere, iuuat indulgere dolori, & mortuum flere, qui dum viueret gaudium meum fuit. Ille modo perſo-

personam Imperatoris, modo tanquam militis gerebat: ex vno gerendæ dignitatis, ex altero documentum præbens humilitatis. Tam subtilis ingenii, tamque magni consilii fuit, vt dum sententia Principum vel in causa decernendi iuris, vel in tractandis regni negotiis hæsitaret, ipse cito nodum solueret, & quid æquius, quid vtilius esset, tanquam ex ipsius arcano sapientiæ sumptum, edoceret. Intendebat aliorum verbis, ipsemet pauca loquebatur: nec prius ad sententiam erumpebat, sed aliorum expectabat. In cuius vultum aciem oculorum suorum fixisset, eius animi motus perspiciebat, videbatque tanquam lynceis oculis, siue aduorsum se cor odii, seu gereret amoris. Nec illud laude vacat, quod in turba procerum ceteris eminentior, & maior seipso videbatur, & quod in vultu terribile quoddam decus præferebat, vnde intuitus aspicientium tanquam fulmine reuerberaret, cum inter domesticos suos, & raram turbam, vultu placidus & statura æqualis appareret. Non solum potentes Imperii sui metuebant eum, sed & Reges orientis & occidentis adeo fama eius perterruit, vt ante tributarii sint facti, quam victi. Ipse Rex Græciæ, vt metum dissimularet, amicitiam eius expetebat, & quem futurum hostem timuit, muneribus, ne fieret hostis, præuenit. Testatur hoc aurea tabula Spirensis altaris, tam artis nouitate, quam metalli pondere miranda, quam Rex Græciæ, dum Imperatoris votum & studium circa Spirense monasterium feruere cognosceret, nobile donum & tam eo, qui misit, quam cui mittebatur, dignissimum transmisit. Sed & Rex Africæ, quia potentiam Imperatoris timuit multum, eius fisco multum addidit. Oppressores pauperum oppressit, raptores in direptionem dedit, contra se contumaces, contraque suam potentiam se leuantes, adeo retudit, vt in posteris eorum regiæ vindictæ vestigia vel hodie compareant: quo nimirum facto & suis in præsenti, & Imperii rebus in futurum prouidit, vt discant non disturbare pacem, non armis imperium vexare. Hic velim abrumpere stilum: nam ventum est ad factiones, ad fraudes & scelera, de quibus vera scribere periculum, falsa crimen est: hac lupus, hac canis vrget. Quid igitur faciam? eloquar an sileam? manus incipit & dubitat, scribit & renuit, notat & delet, vt pæne ignorem, quid velim: sed turpe est, inceptam materiam mutilatam relinquere, & caput absque manibus pinxisse. Pergam igitur, vt cœpi, constans & securus inde, quod fides tua ea mihi perspecta est, vt hæc scripta nulli detegas, aut si qua foras exierint, autorem non prodas.

CAPVT

CAPVT I

Proceres Imperii Henricum *matri eripiunt, & ætate eius immatura abutuntur.*

CVm Imperator *Henricus*, de quo nobis sermo est, patri suo gloriosissimo Imperatori, tertio *Henrico*, adhuc puer succederet in regnum (nam illo paruulo pater naturæ concessit) regno priorem statum adhuc tenente, non bella pacem disturbabant, non classica quietem rumpebant, non rapina grassabatur, non fides mentiebatur. Adhuc iustitia sui vigoris, adhuc potestas sui iuris erat. Hunc beatum regni statum *Agnes* Imperatrix serenissima, virilis ingenii femina, multum iuuit, quæ vna cum filio rempublicam pari iure gubernauit. Sed quoniam ætas immatura parum timori est, & dum metus languet, audacia crescit, pueriles anni Regis multis suggerebant animum sceleris. Igitur quisque nitebatur maiori se æqualis, aut etiam maior fieri: multorumque potentia scelere creuit. Nec legis metus vllus erat, quæ sub Rege paruulo paruulam autoritatem habebat, & vt omnia licentius facere possent, primo puerum matre spoliabant, cuius maturam sapientiam, grauesque mores metuebant, illud causantes, non decere Regnum administrari a femina, cum multæ Reginæ legantur administrasse virili sapientia. Sed postquam Rex puer de sinu matris abstractus in manus Principum nutriendus venit, quicquid illi præscribebant faciendum, vt puer fecit. Quem volebant, exaltauit, quem volebant, deposuit, vt Regi suo non tam ministrasse, quam imperasse merito dicantur. Cum Regni causam tractabant, non tam Regi, quam suæ causæ consulebant. Idque præcipuum eis fuit in omnibus, quæ agerent, ante omnia suum quæstum facere. Fuit hæc perfidia vel maxima, quod cum quasi sub sigillo seruandum in puerilibus actis suæ potestati relinquebant, vt & sic elicerent ab eo, quod affectabant. Sed cum in eam ætatis & ingenii metam euasisset, vt quid honestum, quid turpe, quid vtile, quid non, discernere posset, retractans quæ suggestione Principum inductus gessisset, multa, quæ gesserat, damnauit: & ipse iudex sui factus, ex iis mutanda mutauit. Prohibebat quoque bella, violentiam & rapinas. Nitebatur pulsam pacem & iustitiam reuocare, neglectas leges restituere, & sceleris licentiam resecare. Quos assuetos sceleri, per edictum coercere non potuit, per censuram legis & ius curiæ, mitius tamen quam culpa exigeret, correxit. Quod illi non iustitiam, sed iniuriam putantes, & qui per omne nefas ruebant, frena pati respuentes, qualiter eum vel extinguerent, vel priuatum facerent, consiliis incumbebant, non recolentes, se debere ciuibus suis pacem, regno iustitiam, Regi fidem.

CAPVT II

Saxones in Henricum *insurgunt: quorum ille commotus iniuriis, bello eos aggreditur & compescit.*

Igitur Saxones, gens dura, bellis aspera, tam præceps ad arma quam audax, vendicans sibi prærogatiuam laudis ex incepto furoris, repente super Regem armis ruebant. Qui cum paucis contra innumeros armatos confligere periculosum existimans, vix elapsus vitam laudi, salutem fortunæ prætulit. Itaque videntes inceptum suum votis non respondisse, ossa filii Regis, nec dum enim Imperator factus erat, (o inhumanam mentem, o probrosam vindictam!) effodere. Qua vtraque iniuria grauissima Rex commotus, exercitum contra illam gentem duxit, conflixit, vicit. Vicit, inquam, aciem contra se instructam, non obstinationem erectam. Nam licet eos in pugna congressos vinceret, victos fugaret, fugatos persequeretur; licet bona [illegible]torum deuastaret, munitiones euerteret, & omnia, quæ victori libent, faceret, non tamen ad deditionem

nem cogi potuerunt. Iterum cum inde digressus, reparato in breui exercitu, eos inuaderet, diffidentes viribus suis, vtpote in priori bello grauissime contusis, quod saluti proximum erat, se dedidere, sperantes Regem sola deditione contentum, gratiam suam facile donaturum. Sed longe præter spem euenit: nam Rex eos exilio addictos, in alienas terras misit, vbi dura custodia constricti, relaxationis edictum expectarent. De quo exilio alii fuga elapsi, alii propter pecuniam a custodibus dimissi, dum ad patriam & domum suam repedassent, recenti coniuratione se inuicem obligabant, vt parati essent ante mori, quam denuo deditioni subiici. Sed & validior eorum coniuratio facta est, quia nonnulli Longobardorum, Francorum, Bauarorum, Sueuorum, data & accepta fide, illis conglutinati sunt, qui Regem bellis vndique pulsarent.

CAPVT III

Rebelles Papam contra Henricum *concitant; quem* Gregorius *proin a sacris repellit, multis indignantibus; noxis tamen & detestationibus tandem, cum veniam ille peteret, absoluit.*

VIdentes autem Regem bellis tangi posse, non deiici: vexari, non superari: quippe cuius robur adhuc erat inexpugnabile: vt vires eius extenuarent, confictis conscriptisque super eo criminibus, quæ pessima & immundissima potuit odium & liuor excogitare, & quæ mihi scribenti & tibi legenti nauseam pararent, si ea ponerem, vera falsis miscentes, apud Romanum Pontificem *Gregorium* septimum eum deferebant: non decere tam flagitiosum, plus notum crimine quam nomine, regnare: maxime cum sibi regiam dignitatem Roma non contulerit: oportere Romæ suum ius in constituendis Regibus reddi: prouiderent Apostolicus & Roma ex consilio Principum, cuius vita & sapientia tanto congrueret honori. Qua surreptione delusus Apostolicus, simul & honore creandi Regis, quem sibi fallaciter obtulerant, impulsus, Regem banno innodauit, & Episcopis, aliisque regni Principibus, vt a communione excommunicati Regis se retraherent, denuntiauit: se cito venturum in Teutonicas oras, vbi de negotiis ecclesiasticis & potissimum de regno tractaretur. Quin etiam & hoc addidit: absoluit omnes a iuramento, qui fidem Regi iurauerant, vt contra eum impelleret absolutio, quos fidei tenuit obligatio. Quod factum multis displicuit (si cui displicere licet, quod Apostolicus fecit) & asserebant, tam inefficaciter, quam illicite factum, quod factum est. Sed non ausim assertiones eorum ponere, ne videar cum eis Apostolici factum refellere. Mox & Episcopi, tam illi, quos amor, quam quos timor in partem Regis traxerat, metuentes ordini suo, ab eius auxilio se plerique retrahebant: quod & maior pars procerum factitabat. Tum vero videns, rem suam in arcto sitam, inito tam occulto quam astuto consilio, subitum & inopinatum iter in occursum Apostolici arripuit, vnoque facto duo peregit, scilicet & banni solutionem accepit, & suspectum sibi colloquium Apostolici cum aduersariis suis ipse medius intercepit. Pro imposito sibi crimine parum respondit, quia ad accusationem inimicorum suorum, etsi vera fuisset, non sibi respondendum asseruit. Quid vobis profuit hoc egisse, vt banno illigaretur, cum de banno solutus potentia sua potenter vtatur? Quid vobis profuit, eum fictis criminibus accusasse? cum accusationem vestram facili responso, vt ventus puluerem, dissipauerit? Imo, quæ dementia vos contra Regem vestrum & orbis rectorem armauit? Nihil coniurata vestra malignitas proficit, nihil peragit. Quem DEI manus in regno firmauit, vestra deiicere non poterit. Vbi fides, quam illi iurastis? Quare beneficiorum, quæ regia liberalitate contulit in vos, obliti estis? Vtimini vel adhuc sano consilio, non furore: pœniteat vos incepti, ne fortior vobis superueniens vincat vos, & pedibus suis conculcet vos, & ea vindicta feriat, quæ futuris sæculis demonstret, quid regia manus valeat. Saltem vos, o Episcopi, videte, ne pereatis de via iusta, videte, ne transgressores fidei promissæ fiatis: alioqui quid consequatur vos, ipsi nostis.

CAPVT

CAPVT IV

Rudolfus *Dux contra* Henricum *Rex constituitur.* Henricus Rudolfum *bello petit, & post variam fortunam acie deuincit. Victus paullo post ex vulnere moritur.*

IGitur Rex ab Apostolico digressus, benedictione pro maledictione accepta, *Rudolfum* Ducem super se Regem creatum inuenit. Qui audita regressionis eius fama, ante paratus ad fugam, quam ad pugnam, ante pulsus, quam victus, in Saxoniam fugit. Facile est regnum accipere, difficile tueri. Sed nulli mirum sit, virum in rebus bellicis exercitatum & strenuum tunc fugisse: quia sæpe iustior & victrix causa fortes in metum mittit & in fugam. O auaritiam, pestem pessimam, quæ bonos mores transuertit, & sæpe ipsas virtutes ad vitia trahit. Iste *Rudolfus* Dux eximius, vir magnæ autoritatis & laudis in toto regno, veri rectique tenax, fortis in armis, denique spectatus in omni genere virtutum: iste, inquam, auaritia, quæ vincit omnia, victus, & supplantator Domini sui factus, fidem incerto postposuit honori. Fuere tum, qui dicerent, ab Apostolico eum immissum, nec vnquam tantæ virtutis virum magis auaritiæ, quam consilio cessisse. Et hoc in argumentum sumebant, quod Apostolicus tacuit, dum post absolutionem regis *Rudolfus* regnum inuasit, iuxta illud Comici? *Qui tacet, satis laudat.* Itaque Rex cedente *Rudolfo*, cuius caput, si deprehensus esset, vindex gladius digne rotaret, Bauariam, Sueuiamque inuasit, & coniurationis aduersum se socios vastauit, munitiones eorum fregit. Nec tamen pro iniuriæ suæ materia se vindicabat, sed sciens in vltione freno vti, longe infra metam culpæ cohibebat habenas vindictæ. Sed *Rudolfus* vt dedecus fugæ virtutis facto recompensaret, Wirtziburgensem ciuitatem obsedit, vbi tamen fraude magis, quam virtute pugnatum est. Nam cum Rex ad propellendum hostem exercitum conuocasset, instructa amborum partium acie, & primis inter se prœlia miscentibus, quidam equites regiæ partis mercede conducti, qui se Regis lateri quasi fidi clientes applicuerant, subito in ipsum arma verterunt: sed ære munito corpori liuorem, non vulnus inflixerunt. Heu miserrimi, quibus pretium & sceleris causa fuit & necis, quos vno in loco & crimen inuoluit & vindicta. Nam eos tot vindices dextræ in frusta concidebant, vt in eis humani cadaueris figura periret. Fit tumultus, exoritur clamor, spargitur rumor, Regem interfectum: quo rumore perterritus exercitus fugit, hostis insequitur. Et quoniam in equis equitum salus, solis peditibus miserabile fatum incubuit. Ideoque victoria quanto maior, tanto minoris tituli fuit. Sic hostis vrbe capta, impositoque præsidio, in Saxoniam regressus est. Quid improbe tibi profuit, vel indiscreta cædes fugientis vulgi, vel fortuna captæ vrbis, cum nec vrbe diu, nunquam autem regno potiaris? Rex enim breui post tempore cum exercitu reuersus, ereptam vrbem recepit. Nam ii, quibus prouincia vrbis tuendæ tradita fuerat, ex vrbe profugerant. Post ea Saxoniam cum exercitu sæpius ingressus, aut victor aut æqua manu recessit. Sed ad vltimum reuersus, tam notanda quam felici victoria vicit; magnumque mundo documentum datum est, vt nemo contra dominum suum consurgat. Nam abscissa *Rudolfi* dextera dignissimam periurii vindictam demonstrauit, qui fidem domino suo Regi iuratam violare non timuit: & tanquam alia vulnera non sufficerent, ad mortem accessit etiam huius membri pœna, vt per pœnam agnosceretur & culpa. Sed & aliud notandum in illa victoria contigit, videlicet quod tam victor, quam victus exercitus: nimirum hoc ordinante desuper diuina clementia, vt post ruinam capitis ex alterna fuga tolleretur nefas alternæ cædis.

CAPVT V

Aduersa nouorum Anticæsarum fortuna. Hermannus *iactu lapidis perimitur.* Ecbertus *in mola quadam ab Henricianis ex inopinato trucidatur.*

SEd gens dura nec damno monita est, nec signo, quin potius vt obstinatione vinceret, quod manu non poterat, *Hermannum* nouum sibi Regem constituit, qui & ipse nouo modo periit. Nam cum Saxones eum de terra sua proturbarent, quicquid illud fuerit, quod eis in illo displicuit, reuersus in patriam suam, portans inane nomen Regis, ad *Hermannum* Treuirensem Episcopum se contulit, quem etiam ad ausum sentiendi contra Regem inexpugnabilis munitionum firmitas impulerat. Quanta potentia Regis, qui alendus fuerat non ex suis, sed ex opibus alienis? Quadam die cum iter ageret, incidit animo suo iocus ille, vt ad castellum, quo ituri erant, sub specie hostium ruerent, & quæ audacia, quæ virtus animis defendentium inesset, tentarent. Quam mirabilem viam, quam inopinam sæpe inuenit, quod futurum est, vt fiat? Cumque portam absque claustris & absque custode repertam irrumperent, aliis, qui intus erant, raptis armis viriliter contra procurrentibus, aliis latebras eneruiter quæritantibus, femina sexu, femina non animo, quæ in turrim euaserat, molarem in caput Regis demisit: Et sic ille manu feminea, vt mors eius turpior esset, occubuit. Sed vt hoc dedecus dealbarent, feminæ factum in virilem personam ex composito transtulerunt. Post hanc Regum fortunam in creatione Regum diu hæsitatum est, & casus præteriti metus erat futuri. Vicit tandem cupiditas, & *Ecbertum* Marchionem ad ambitum regni forti manu impulit, qui tamen in morte sero didicit, quod alter ex alterius damnis instrui possit. Vrbs erat in Saxonia, quæ quia fortunam Regis prospero ire cursu videbat, in partes eius se conuerterat, præsumens fiduciam & ex loci sui firmitate & ex regia subuentione. Quod indigne ferentes Saxonum proceres, vrbem obsidione vallabant. Marchio vero *Ecbertus*, qui spe potiundi regni intumuerat, vt se accommodaret ad id, quod affectabat, maiori super omnes robore ad obsidionem illam ibat, præmissaque multitudine cum paucis ipse sequebatur. Quem deuiantem a publica via, ne forte incideret in hostes (quis enim tam potens, qui hoste careat, aut qui hostiles insidias non metuat?) latens semita per quoddam arbustum duxit. Quam occulta iudicia tua, DEVS, quam miro ordine & abscondis quæ facturus es, & aperis quod abscondisti! Iam meridianus ardor solis equos equorumque sessores vrebat, & vt fit, sitim æstus accendebat. Præterea tam grauis sopor fessis obrepsit, vt colla somno languida penderent, & equi frenis non fessi liberam viam carperent. Haud procul in recessu saltus solitarium molendinum conspexere, quo diuertentes sopori se dedere, misso interim molendinario, qui de villa potum sitientibus afferret. Qui dum imposito scapulis suis vtre festinaret, aliquos scutatos ad prædictam obsidionem tendentes obuios habuit, qui erant occulte fideles Regis, licet aduersæ partis. A quibus interrogatus, vnde prodiret, quo tenderet, cur tam anhelus properaret, nesciens celare, quod sciebat, hospitem suum & causam itineris indicauit. Qui stupefacti, seu metu, seu potius gaudio, versantes inter se, quid agerent, quid periculi, quidque præmii, quid virtutis, quid laudis, quid fidelitatis inesset, si tam magnum hostem Regis ferirent: occasionem illam non frustra sibi oblatam: maximam virtutem per maxima discrimina probari: incitatis alternatim animis, immissis equis ad molendinum properabant. Sed peruenerunt ante votis, quam equis. Incepta est pugna, quæ diu dura fuit & dubia, quia virtute pares & numero congressi, hi pro laude, illi pro vita pugnabant. Regis tamen fortuna vicit, & hostis ferocissimus non in acie, sed in molendino peremptus turpiter iacuit. Felix nimium es, & multi semper nominis mola, ad quam trahit homines non tam tuum volubile officium, quam fama, quæ & molendo pugnam illam narras, & narrando molis. Sic ille conuentus Procerum confusus, procinctum soluit, sic ab obsidione infecto negotio recessit. Itaque res Regis in altiorem & feliciorem statum se quotidie promouebant: aduer-

adversariorum autem eius deorsum vergebant, & omne eorum inceptum in turpem exitum desinebat.

CAPVT VI

Proceres denuo Papam sollicitant, vt Henricum *regno exuat.* Henricus *cum exercitu Italiam ingressus, Romam occupat; & nouum Pontificem constituit; a quo ritu vetusto Imperator inungitur.*

CVm ergo cernerent, nullum se habere successum, nec in armis, nec in electione Regum; iterum se conuitiis armauerunt, & eum apud Apostolicum præter alia multa & nefanda criminati sunt, quod Reges christianissimos, quos ipsi non sine autoritate Apostolici creassent, ille ob crimen suum extorris a regno factus, occidisset, regnum sanguine vsurpasset, igne, præda, ferro cuncta vastasset, & tyrannidem suam aduersus ecclesiam & regnum omnibus modis exercuisset. Ad quorum criminationem Apostolicus eum iterum banno, vt ipsi iactabant, illigauit. Sed non magni ponderis ille bannus habebatur eo quod non rationis, sed arbitrii, non amoris, sed odii esse videretur. Cernens autem Rex, Apostolicum ad hoc tendere, vt se regno priuaret, nec alia sua obedientia contentum, nisi vt regno renuntiaret, ex obedientia in rebellionem, ex humilitate in tumorem relabi coactus, hoc Apostolico facere parabat, quod Apostolicus sibi facere intenderat. Cessa obsecro, Rex gloriose, cessa ab hoc molimine, vt ecclesiasticum caput de suo culmine deiicias, & in reddenda iniuria te reum facias. Iniuriam pati felicitatis est, reddere criminis. Quærebat itaque Rex causas & occasiones, qualiter eum eiiceret, inuentumque est, eum Romanam sedem olim abiuratam insedisse: quam idcirco abiurauerit, quia ad eam, dum Archidiaconus esset, adhuc viuente Domino suo, per ambitionem aspirare voluerit. Verum hæc vera sint, an falsa, parum comperi: alii asserebant, alii figmentum esse dicebant: vtrisque Roma fuit in argumentum: his, quod Roma mundi domina nunquam pateretur tale nefas: illis, quod ea cupiditatis ancilla facile permitteret ob pretium omne nefas. Mihi autem in medio res relinquenda est, cum incerta nec possim defendere, nec ausim affirmare. Igitur cum exercitu Romam pergebat, proterens in via quicquid obstabat, oppida fregit, tumida pressit, ardua curuauit, factiones dissipauit, in cuius aduentu Roma persuasa, quæ debuerat honores, arma, tanquam Pœnus Hannibal Alpes transcendisset, parabat, & Regi suo velut hosti portas præcludebat. Vnde Rex iusta commotus indignatione, vrbem obsidione (qua res postulabat) occlusit, & qui sibi aditum, illis exitum negauit. Missi circumquaque qui castella frangerent, villas euerterent, bona diriperent: prouinciæque nocuit foris, quod Roma se clauserat intus. Foris bella, intus metus erat, vndique machinæ surgebant: hinc murum aries pulsabat, inde miles scalis ascendere parabat. Contra qui in vrbe erant, tela, saxa, præustas sudes, ignemque iactabant, interdum egressi, cominus committebant, vtrinque fortiter pugnatum est: hos causa, illos periculum fortes fecit. Quadam die, cum exercitus vterque pugna æstuque fessus, circa meridiem sopori se dedisset, nec speculator (vt fortuna voluit) vigilaret, vnus ex scutariis propius ad murum, vt pila legeret, accessit. Cumque erectis & intentis auribus explorasset, intus neminem adesse (nam murum & propugnacula vacua cernebat) adiutus & animi confidentia, & corporis leuitate, manibus & pedibus sursum enitebatur, donec tandem muri summitatem apprehendit. Tum vero cum iactatis circumquaque oculis neminem videret, inter spem & metum positus, toto corporis motu sociis innuebat, vixque se a clamore, cum tardius innuentem attenderent, abstinebat. Qui raptis armis & scalis properantes, citiusque (vt aiunt) dicto murum superantes, captam vrbem fero defendentes interficiunt, capiunt, fugant. Dedignabatur tam Rex reclusum portarum aditum, vbi & sequens a præeunte tardaretur, & præcedens a sequente premeretur:

meretur: sed in vltionem temerariæ præclusionis iussit, vt fracto muro, tam latum sibi ingressum panderent, quo totus exercitus æquato iunctoque latere se simul immergeret. Igitur vbique mors, vbique luctus erat. Roma contremuit, dum impulsa turrium altitudo corruit. Fugit Apostolicus, & qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deseruit. Tandem Romam præsumptionis suæ pœnituit, & quæ prius meruisse poterat, vt a Rege donis honoraretur, nunc ingenti pecunia apud Regem vix obtinuit, ne tota subuerteretur. Mox sedatis omnibus, Rex causam cur venisset, in publicum protulit, quod de Apostolico crimen accepisset, retulit. Multis hoc ita factum confessis, *Clementem* Papam ad electionem omnium instituit: a quo ipse communi omnium fauore consecratus Imperator, & Patricius factus, Romæ se per aliquod tempus, dum omnia in solidam reformaret concordiam, continuit. Nec prætereundum, quod & relatio fidelium personarum in Teutonicas oras diffamauit, & ipsa Roma asserit.

CAPVT VII

Imperator insidias sibi paratas saluus euadit, ac in Germaniam redit.

IMperator consueuerat quoddam oratorium orationis causa frequentare, & nullum diem, quin veniret, prætermittere. Elegerat autem sibi in eodem auditorio locum orationi familiarem, vbi tanto intentius, quanto secretius orationi vacaret. Hanc eius consuetudinem dum quidam profanæ mentis attenderet, seu propria seu potius aliena instimulatus nequitia, grande saxum super trabem ad feriendum desuper caput Imperatoris posuit, sublataque de laquear tabula, quæ caput Imperatoris recta despiciebat, mittendo ponderi foramen aperuit, demisso fune sæpe explorans, ne saxum in cadendo falleret. Postquam satis exploratum est, minister doli sursum in nocte scandens, desuper obseruabat, dum Imperator staret ad orandum in loco, quo consueuerat. Tamen ille auidus alieni exitii, sed nescius sui, cum pondus in caput Imperatoris libraret (Imperator autem parum se de loco mouerat) cum pondere infelix ipse pondus illæso Imperatore cecidit. Per totam Romam cito res innotuit, & plebs, quæ non facile sedari potest, dum mota fuerit, inuito Imperatore semianime corpus per rupes per saxa tractum in frusta discerpsit. Tum vero cuncti rem signo non euentui assignantes, fide & animis Imperatori deuinctiores facti sunt: & inimicum consilium non solum illi fideles firmauit, sed & multos ex inimicis fideles fecit: sicque dum nocere studuit, profuit. Denique Imperator omnibus Romæ compositis, impositoque vrbi præsidio, ne ei fidem mutaret, nouæ dignitatis apicem gerens, in Teutonicum regnum reuersus est.

CAPVT VIII

Romanis res nouas molientibus, Henricus *denuo in Italiam mouet.* Conradum *filium* Mathildi *opponit: a qua tamen hic inductus aduersus patrem insurgit: qui eo propterea reiecto* Henricum, *filium iuniorem regni heredem instituit.* Conrado *non longe post morte oppresso, pax redit ac tranquillitas.*

SEd nulla fortuna longa est. Nam hi, quos Imperator Romæ præsidio imposuerat, ægritudine correpti, quam & locus & tempus intulerat (erat enim æstus) ne vno quidem superstite mortui sunt. Tunc Roma iugo præsidii sublato, compos arbitrii sui facta, ad ingenium rediit, & resumptis aduersus Imperatorem armis, pulso Apostolico alium constituit. Nam ille prior *Gregorius* a vita discesserat. Quod vbi Imperatori compertum esset, iterum aduersus Romam exercitum promouit. Sed in Italiam veniens, cum legati a Roma

Roma pactum pacis ferentes occurrerent, & cum inimici moliminis fama sequeretur, relicto in Italia filio *Conrado*, iam tum regni sui herede designato, regressus est, scilicet qui se grassanti *Mathildi*, & pæne totam Italiam sibi vendicanti, opponeret, & regnum, quod futurum erat suum, de manu feminæ tolleret. Quid facient inimici, cum insurgant in parentes ipsi filii? vnde securitatem sibi quis promittat, cum nec ab eo tutus sit, quem genuit? Cessent iam connubia: nemo sibi optet heredem: heres tuus erit hostis tuus. Nam non solum te domo tua prædiisque spoliat, sed & vita spoliare festinat. Filius Imperatoris, quem in Italia relictum a patre, & quam ob causam relictum diximus, a *Mathilde* persuasus, (quem enim astutia feminea non subuertat, aut decipiat?) iunctus inimicis patris, coronam sibi imposuit, regnum inuasit, profanauit ius, & ordinem confudit, impugnauit naturam, quærebat patris sanguinem: quia non nisi sanguine patris regnare potuisset. Quod vbi ad hostes Imperatoris currens fama pertulit, exultabant, plaudebant, cantabant, laudabant factum filii, præcipue feminam, ducem facti. Mittebant propere legatos, qui stimulum animo noui Regis adiicerent, & adderent oleum camino, qui per se, sed contra se fidem & opem perpetuam iurarent. Quanquam dudum se tam filio, quam patri nunquam obtemperaturos coniurassent. Imperator autem ad hanc famam tametsi intus doluit, in grauitate tamen sua se foris tenuit: & non suam, sed filii fortunam conquestus est. Cum autem eum ab incepto reuocare non posset, non tam suam iniuriam, quam exemplum iniuriæ per vltionem tollere quærens, filium exheredare, & fratrem eius *Henricum* adhuc puerum in regnum promouere cogitabat. Igitur multis procerum conuentibus habitis, Imperator super filio suo *Conrado* conquestus est: quia additus hostibus, regnum inuasisset, & quod patrem non solum regno sed & vita priuare conaretur: iniuriam suam publicam esse debere, vel si nullum ea moueret, saltem hoc reipublicæ causa præstarent, vt per vim nemimem & scelus regnare paterentur: transferrent potius electionem in minorem filium suum, quam iure maior amisisset. Plerique contra nitebantur, magis vtentes ingenio, quam iusto & vero. Multi autem publico bono fauentes, sententiæ votoque Imperatoris concordabant. Tandem omnibus in vnam sententiam coeuntibus, & concordi fauore approbantibus, Imperator minorem filium, inuasore prius ex decreto curiæ diiudicato, heredem regni sui constituit: a quo, ne & ipse abiret in viam fratris sui, iusiurandum accepit, videlicet ne vnquam se vel de regno, vel de prædiis patris eo viuente (nisi forte ex consensu ipsius) intromitteret. Iam tum murmur & metus erat, inter duos fratres intestina bella fore, magnamque regni cladem futuram. Sed qui omnia dispensat, hunc metum letho maioris filii sustulit, & vt regnum in vnam concordiam redire posset, occasionem dedit. Quibus ita transactis, hostes Imperatoris, detruncato toties capite non habentes cui adhærerent, pactione subacti, quod optimum erat, in pacem bella, in domesticam securitatem castra conuerterunt. Igitur vt vbique pax & tranquillitas esset, conuocatis ad curiam primatibus, pacem per totum regnum sub iuramento firmari fecit. Et ad inhibenda mala, quæ fiebant, grauem pœnam in transgressores decreuit. Quod quidem pacis decretum quantum miseris & bonis profuit, tantum peruersis & potentibus nocuit: illis copiam, istis egestatem & famem intulit. Nam qui in milites bona sua distraxerant, vt multo milite stipati procederent, & aliis armorum copia longe præstarent, hi dum sibi licentia rapinarum erepta est (quod pace illorum dictum sit) egestate laborabant, cellaria eorum penuria & fames possidebat. Qui nuper spumeo ferebatur equo, contentus esse cœpit vel rustico iumento. Qui nuper non aliam vestem quærebat, nisi quæ rubeo murice tincta arderet, bene secum actum aiebat, si nunc vestem, quam natura suo colore tinxisset, haberet. Gaudebat aurum, non se iam in luto calcari, dum ferreis calcaribus inopia cogeret vti. Denique quicquid vanitatis, quicquid superfluitatis corrupti mores intulerant, totum penuria magistra resecabat. Oppida in ripis posita, quibus præda nauium victum præbebat, nauta securus, esuriente oppiduli præside, præteribat. Mira res, nec minus ridicula. Alii iniurias suas armis vindicant, Imperator suas pace vindicabat.

CAPVT IX

Henricus *filius Procerum instinctu a patre deficit.*

CVm autem domini cum satellitibus suis per aliquot annos hac lege stringerentur anxii, quod non liceret eis vti libertate peruersitatis suæ, iterum aduersus Imperatorem murmur mouebant, iterum super eius factis sinistrum rumorem seminabant. Quid illud (rogo) est, quod admisit? Nempe hoc erat, quod scelera prohibebat, quod pacem & iustitiam reuocabat, quod iam latro viam non obsedit, quod silua suas insidias non occultauit, quod nautis mercatoribusque liberum erat suam ire viam, quod vetitis rapinis raptor esuriebat. Cur, obsecro, vobis non aliunde nisi ex rapto viuere placet? Reddite agris, quos ex agro depulistis armis: coæquate numerum satellitum ad mensuram facultatum, recolligite prædia vestra, quæ stulte sparsistis, vt multos armatos haberetis, & redundabunt omnibus bonis horrea & cellaria vestra: nec erit amplius necesse, aliena tollere, cum quilibet ex proprio possit abundare. Sic fit, vt nec Imperator crimine denotetur, nec bellum in regno moueatur. Sic fit, vt & corpori satisfacere habeatis, & animas vestras (quod felicissimum est) saluetis. Sed nihil ago, asinum ad lyram voco. Consuetudo mala aut nunquam aut vix tollitur. Igitur assueti rapinis, vt occasionem repetendæ consuetudinis inuenirent, mouendis iterum bellis animum intendebant, iterum æmulum Imperatoris reperire quærebant. Ad quam rem filium eius maxime idoneum existimabant. Itaque vt suggestioni locum inuenirent, quæ prima decipiendi lenocinia erant, frequenter eum venatum secum abducebant, conuiuiorum illecebris inescabant, iocis in dissolutionem animi mulcebant, & ad pleraque facienda, quæ adolescentia suadet, secum trahebant. Denique vt fit inter adolescentes, quodam sodalitatis glutino vincti sunt, vt etiam fidem dextramque mutuis sacramentis darent. Cum ergo eum multis dolis irretitum decipi posse considerarent, quodam die inter alia tanquam ex obliquo patrem eius in mentionem adducebant: se mirari, quod tam durum patrem pati posset: nihil eum a seruo differre, cum omnia, quæ serui sunt, toleraret; patrem eius senem esse, & moderandis regni habenis inualidum: si inuestituram regni vsque ad obitum eius differret, haud dubium, quin alter illud sibi præriperet: illum multos fautores habiturum propter inuidiam & odium patris sui: se autem omnium vota in se transferre, si non cunctaretur suscepti regni gubernacula possidere, maxime cum patrem eius excommunicatum & ecclesia dudum reiecerit, & proceres regni reprobauerint. Nec sibi obseruandum, quod incaute iurauerit, imo tum demum se sanctificasse, si iuramentum excommunicato iuratum irritum faceret. Pater vero de filio nihil mali suspicatus, familiaritatem eius cum Maioribus regni probauit, sperans, eos sibi postmodum tanto fidelius & validius auxilium ad obtinendum regnum laturos, quanto prius inuicem in amore magis coaluissent. Quid multa? statim illectus & abstractus a concupiscentia, malignæ suggestioni (vt semper seductilis est adolescentia) nec voto defuit nec facto. Igitur filius Imperatoris obseruans tempus recedendi a patre, quando id maximo patris incommodo fieret, euntem illum cum exercitu contra quosdam Saxonum rebelles, qui per legatos obuiam Imperatori missos pactioni insistebant, repente abstractis ab eo multis, deseruit, proculdubio deserendus ab iis, qui sibi, vt desertor fieret, persuaserunt.

CAPVT X

Imperator filium frustra ad sanam mentem reducere laborat. Et in arma ruenti cedit.

MIssis Imperator post eum legatis, tam lacrymis quam mandatis reuocauit, obtestans eum, ne senem patrem contristaret: imo ne patrem omnium offenderet, ne se sputis hominum exponeret, ne se fabulam mundo faceret. Insuper memi-

meminisset, qua se sibi cautione obligasset: hostes esse, non amicos, insidiatores, non consultores, qui sibi talia suggessissent. Ille prorsus abnuit, & se non vlterius secum partem habiturum, quia excommunicatus esset, asseruit. Ita sub specie causæ DEI suam causam egit. Illico Bauariam, Sueuiam, Saxoniam percurrit, proceres conuenit, attraxit omnes (vt sunt ingenia nouarum rerum cupida) & subintrauit in regiam potestatem, tanquam sepelisset patrem. Mox castellum *Norinberch* minax obsedit, vbi quanta virtute pugnatum sit, clades vtriusque partis argumento fuit. Sed obsessis quanto minus spei, tanto plus animi inerat: & nisi Imperator sceleri parcens, castellum tradere præcepisset, adhuc ibi cassa obsidione laboraret, excepto, si sola fames quæ cuncta expugnat, illud non expugnaret. Ecce quanta pietas patris! Reddidit contra filii factum paternitatis affectum: non attendit iniuriam, sed naturam: maluit oppidum tradi, quam filii discrimine liberari: maluit eius iniurias tolerare, quam vindicare. Igitur oppidani oblata, qualem vellent, pactione, oppidum tradiderunt: dimissoque exercitu, Rex *Ratisbonam* se contulit, vt eam, dum adhuc ancipiti penderet animo, stabilem sibi fixaque fide immobilem faceret. Quod vbi comperit Imperator (sedit enim tunc in vrbe Wirtziburgensi) reputans filium vel in itinere vel in vrbe comprehendi posse, tam præcipiti tamque tacito cursu vestigia eius sequebatur, vt iter eius non ante, donec modica turba suorum, transito Danubio, ad vrbem immissis equis ruerent, præsciretur. Obstupefactus filius ad tam subitam & inopinatam rem, ex vrbe profugit. Cur fugis non fugiendum? cur fugis patrem tuum? sequitur te, non persequitur: sequitur, inquam, non vt hostis, sed vt pater: non vt perdat, sed vt seruet: sequitur vt turbatam ex te rempublicam in quietum statum restituat, & tuis rebus in futurum prospiciat. Missis illico Rex nuntiis per Bauariam & Sueuiam, sparsum exercitum recolligit. Quæ res Imperatorem coegit, vt & ipse exercitum cogeret. Igitur exercitus vterque ad fluuium, cui *Regino* nomen, se sibi opposuit: hinc pater, inde filius: hinc pietas, inde furor consedit. Cumque potentiores vtriusque partis, tanquam tanti dissidii mediatores, conuenirent, qui ex parte Imperatoris erant, persuasibilibus illecti verbis, & multis magnisque pollicitationibus attracti, erga Imperatorem in fide frigebant: & nisi domesticam fraudem præsensisset, solus cum paucis periculo relictus esset. Igitur quod faciendum fuit, sceleri fortunæque cedendum putauit, & ad similitudinem Dauid, ne filius parricida fieret, fugit. Quam mirabiliter gratia DEI operatur? quam euidenti signo nos docet, si doceri vellemus, si cæcum cor non haberemus? Cogitans Imperator, quod inimici sui via, qua venerat, persequerentur eum, ad Ducem Bohemiæ diuertit. Qui quamuis nuper eum in arcto non bene reliquisset, cum magno tamen honore suscepit, & vsque in Saxoniam deduxit: vbi quamuis infestos & fortes inimicos haberet, per eos tamen, & ab eis vsque ad Rhenum honorifice deductus est. Vnde hoc? nisi quod manus Domini erat cum eo, & inuisibilem ducem habebat, qui eum securum per tela, per hostes ducebat? Hoc miraculo monitus es, o fili Imperatoris, si moneri posses, vt disceres venerari patrem tuum, non persequi, quem venerati sunt, cum in manus eorum venisset, etiam inimici. Sed durius moneberis, cum ex hac tam leni admonitione non corrigaris. Cum autem Imperatoris fuga cognita esset, euentus ille multos ab eo seduxit, multumque rebus filii sui accedere, suis autem decedere fecit.

CAPVT XI

Imperator astu filii castello Beckelnheim *tanquam captiuus includitur; Imperio se abdicare cogitur.*

COntinuo Rex vt fauentem sibi fortunam vrgeret, curiam Moguntinam ad natalem Domini indixit, inuitauit proceres, accersiuit multos, vt cunctis innotesceret, quia dominus rerum esse vellet. Ad quam curiam etiam Imperator, conuocatis necessariis suis, venire disposuit, volens in ratione ponere, recte ne secum an secus actum esset. Quod cum agnouissent aduersarii eius, metuen-

metuentes sibi & causæ suæ, si veniret ille, tam armatus multitudine, quam ratione, hanc fraudem Regi suggerebant, vt obuius patri, sumpto valde pœnitentis vultu, culpam fateretur, & gratiam expeteret: dolere se, quod malignæ suggestioni consensisset, paratum se ad omnem satisfactionem, dum gratiam inueniret. Et si sic occasionem fraudis inuenire posset, vteretur illa: sin autem, fraus ipsa pro fide, simulatio teneretur pro veritate. Hac instructus arte cum venisset ad patrem, pater credulus verbis & lachrymis filii, irruit super collum eius, flens & deosculans eum, gauisus instar illius euangelici patris, reuixisse filium qui mortuus erat, & inuentum, qui perierat. Quid multa? condonauit filio tam pœnam quam culpam: & hoc fuit illi iniuriam filii vindicasse, paterna lenitate filium corripuisse, iuxta illud Comici: *pro magno peccato filii, paululum supplicii satis est patri.* Post hæc patrem sicut ficta pœnitudine, sic & consilio fefellit, suggerens ei, quemadmodum sibi suggestum fuerat, vt dimissa tanta multitudine, ad curiam ambo mediocri copia venirent: nihil esse, cum ipsi consentiant in concordiam, quod illi resisteret: vastari omnia, si pergerent ea copia. Placuit consilium patri: bonum quidem, si fraudulentum non fuisset. Dimissaque multitudine, non plus quam trecentis viris ad curiam filio comite pergebat. Ventum est ad nocturnam mansionem: ibi se filius obsequio patris totum impendebat, ibi se pater cum filio mirum in modum per totam illam noctem oblectabat, colloquebatur, colludebat, amplexabatur, osculabatur, auidus recompensare damnum oblectationis diu intermissæ: sed nesciens, illam oblectationis noctem vltimam esse. Mirum, fraudem vtinque tam ordinatam fortunam habuisse. Postera namque die, cum appropinquarent Moguntiæ, venit nuntius subornatus, qui diceret, Bauaros & Sueuos cum ingenti multitudine Moguntiam venisse. Tunc filius suggessit Imperatori, non esse tutum, venire in medios hostes, nisi prætentatis eorum animis: audaciam hominum nullis regi frenis: diuerteret potius ad castellum, quod iuxta erat, dum ipse conueniret eos, & a sententia incœpti deduceret, & ad eum, ob requirendam eius gratiam, secum adduceret. Fecit Imperator, vti filius suggesserat, diuertit ad castellum, non cernens laqueum doli, quem texerat pulchra species mendacis fidei. Cum autem Imperator cum paucis intrasset, occlusa porta, fidelibus eius aditus negabatur, detectaque fraude, qui receptus est vt dominus, tentus est ibi vt captiuus. Itaque appositis patri custodibus, cum hoc fraudis triumpho ad Moguntinam curiam reuersus filius, tanquam rem virtutis egisset, cum magna iactantia retulit, quo ingenio patrem comprehendisset. Tum vero curia plausu lætitiaque resonabat: & nefas iustitiæ, fraudem virtuti ascribebant. Statim misso legato, patri mandauit, vt si vitam seruare vellet, absque mora sibi crucem, coronam & lanceam, ceteraque regalia transmitteret: & munitiones, quas firmissimas tenebat, in manum eius transferret. Nec ille cunctabatur, omnia quæ iussus est facere, nec imperium pluris habebat, quam se. Sed non in hoc satis fecisse videbatur, nisi & ipse coram veniret, & in conspectu omnium imperio renuntiaret. Venit ergo non suæ potestatis, sed in comprehensione adductus: solus coram eis, qui dudum coram se steterant, stetit: nec orationis libertatem habens, vt captiui fortuna postulabat, loquebatur. Inquisitus de spontanea imperii renuntiatione, non quod voluntas habuit, sed quod necessitas coegit, respondit: se videlicet imperio renuntiare, non vi coactum, sed propria voluntate inductum, sibi iam defecisse vires ad moderandas regni habenas, non se eius iam cupiditate teneri, quod longo vsu didicisset, habere plus molestiæ, quam gloriæ: tempus esse, vt honore cum onere deposito, prouideret animæ suæ: tantum filius caueret, ne quid tale faceret in se, quod indignum esset, & illum facere & se pati. Multos & oratio Imperatoris & fortuna ad gemitus & lachrymas commouit: filium autem ad miserationem nec ipsa natura mouere potuit. Et cum caderet ad pedes filii, orans, vt recogitaret in se saltem ius naturæ, nec vultum nec animum ad patrem reflexit: cum ipse potius ad patris pedes aduolui debuisset, eo quod illi regnum (cuius heres ab ipso designatus fuerat) impatiens moræ, præripuisset. Præterea veniam precabatur ab omnibus, quos vnquam iniuste læsisset. Sed & pedibus Apostolici legati aduol-

aduoluitur, orans & obsecrans, vt se a banno solueret, & communioni ecclesiæ redderet. Laici misericordia moti, veniam dabant: Legatus autem Domini Apostolici absolutionem negabat, asserens, non hoc suæ potestatis esse: oportere ab ipso Apostolico absolutionis gratiam eum expectare. Quid multa? abrenunciata imperiali dignitate priuatus discessit, & ad quandam ciuitatem, quam filius victui illius permiserat, recessit. Quam impotens potentia mundi, quam instabilis! Sed nec potentia dicenda est, quæ ad omnia, quæ vult, efficax non est, & quam qui assequitur, amittere potest.

CAPVT XII

Nouus Rex superiorem Rheni tractum pertransit. Rubeacensium tumultum acerrime vltum it. Patrem Leodii harentem in manus suas redigere conatur; quod tamen parum processit.

His ita transactis, finitaque curia, Rex superiores Rheni regiones & vrbes pertransiit, & vt res postulabat, hos beneficio, illos iniuria sibi subiecit. Cum autem intrasset Alsatiam, ibi fortuna eius aliquantulum hæsit, ibi pugnam tam infelici euentu, quam imprudenti gessit incepto. Nam cum in villa *Rufach*, quæ multitudine præualet & armis, satellites eius superbe grassarentur, frequentia ciuium iniuriam prohibebat: nec enim dum iniuria modum excederet, patiens esse poterat. Audito tumultu, Rex properabat, non vt iniuriam prohiberet, sed iuuaret, non vt pugnam sedaret, sed amplius commoueret. Quæ res totius villæ turbam exciuit: ruit irreuocabile vulgus, femina cum viro, seruus cum domino, ignauus cum forti: & vt plerunque fit, animum iniuria ministrauit. Incepta pugna, incepta est fuga. Nam qui regiæ partis erant, cum viderent impetum furentis turbæ, & rem in arcto sitam, considerantes in virtute sua cladem, in sola fuga salutem, qui poterant fuga vitam seruabant. O infelicem euentum, ó dedecus regni: fugiente Rege, regalia insignia vulgi præda facta sunt. Resipisce tandem, Rex bone, resipisce, & supernam iram in hac sorte tua recognosce. Iudicium iræ DEI est, vt fugeres, qui patrem fugasti: & insignia perderes, quæ patri abstulisti. Sed his postea receptis, interueniente pacto pacis & gratia veniæ, Regem sententiam mutare fecit altum vulnus iniuriæ, vt maiori robore collecto, villam incendio prædaque vastaret, & in homines loci illius indiscreta cæde sæuiret. Sed quod in se fortuna tantum ausa est, ex patris consilio prodisse suspicatus, nouas iniuriarum cogitationes in eum cogitare cœpit: & ne sibi esset obstaculi materia, vel ad comprehensionem eius, vel ad expulsionem animum intendit. Itaque Leodii, vbi eum fidem & fortunæ suæ receptaculum inuenisse audierat, Pascha sibi celebrandum statuit, vt & ipsum, si fieri posset, comprehenderet, & ab Episcopo, qui sui honoris æmulum recepisset, iniuriam expostularet. Cumque pater audisset, quod filius Leodii Pascha celebrandum statuisset, legationem ad eum in hunc modum direxit: *Si interrogem te, fili dulcissime, traditio hominum, an mandatum DEI præstantius, magisque tenendum sit, respondebis, nisi a vero deductus sis, similem esse iumentis, qui cælestia terrenis, humanis diuina non præferat. Cur ergo magis audis eos, qui tibi suggerunt, persequere patrem tuum, quam verbum ipsius DEI, honora patrem tuum? Isti te decipiunt, non instruunt: isti honori tuo non prouident, sed inuident: isti sub specie fidei, perfidiæ laqueos nectunt: non aliter peruenire potuerunt ad destructionem honoris tui, nisi per destructionem nostri. Fuerit sane, vt peccatis meis exigentibus (quæ sententia aduersariorum meorum est) abiecerit me Deus, ne regnem: attamen tuum non erat, in abiectionem meam operam dedisse, & regnum, quod tibi parueram, mihi præripuisse. Barbara regna tam inhumanum facinus damnant ac deuouent: ipsi pagani abhorrent, & qui Deum nesciunt, quid naturæ debeant, recognoscunt. Sed quid* in diligendis hominibus surreptio[illegible] seducti[illegible]orum, si maligna [illegible]

seductilem & immaturam ætatem decepit, cum etiam senes & fixum animi statum ad malum mala consilia nonnunquam inflectant: Fortuna mea alieni potius, quam tui sceleris est. Nam tu in manibus suadentium eras, non illi in tuis. Si autem iniuriam addideris, non iam excusari poteris, cum & factam crimen esse scias, & infectam non facere queas. Audiui enim, quod Pascha Leodii celebrandum decreueris: quo in loco fides & pietas Episcopi me recepit, cum non esset, qui vel beneficiorum nostrorum recordaretur, vel fortunæ compateretur: citius profecto beneficiis in me te decet regia liberalitate respondere: tantoque certior de eius fide poteris esse, quanto fidelius erga nos probatur egisse. Hic, nisi te forte domo receperit, me secum in festiuitate paschali retinendum decreuit. At dicis, dignum & conueniens esse, vt ea festiuitas nos iungat, potius quam diuidat: te velle, te cupere, vt ibi tecum agam dies paschalis lætitiæ: quod quidem & ego admodum cuperem, si non esset, quod timerem. Neque enim non possum non timere eos, quos mihi vitam permisisse pœnitet, dum in manibus eorum mors & vita fuisset. Omnia mihi suspecta sunt, omnia timenda sunt, maxime in turba, vbi tanto difficilior est periculi cautio, quanto maior sceleris occasio. Inde est, quod ex medio eorum, qui me oderunt, longe recessi, & in extremis regni tui finibus me contraxi: vt vel secessu loci tutus sim, vel si fortuna mea postulauerit, extraneam humanitatem expetere, citius regno tuo cedere possim. Precor ergo, vt causa patris tui paschalem curiam alibi disponas, & in domo eius, qui me humanitatis gratia recepit, cum non liceat Imperatorem, saltem hospitem esse sinas, ne vel in meum ludibrium, vel in tuum opprobrium narretur, quod in solennitate dominicæ resurrectionis incerta hospitia fortuna mea quærere cogatur. Si feceris, quod postulo, maximas grates habeo: Sin autem, malo villicus esse in externis regnis, quam ludibrio haberi in regnis quondam meis.

CAPVT XIII

Leodio Henricus *Rex excluditur, ad pontem Mosæ grauem ab* Henrici *Lotharingiæ Ducis militibus stragem accipit.*

HAnc legationem patris aure surda audiuit filius, nec a sententia sua deduci potuit. Quamobrem cum iam instante pascha pater recedere vellet, Episcopus & *Henricus* Dux (qui & ipse ab Episcopo fuerat inuitatus) eum recedere prohibebant: Non se posse pati, vt in tanta festiuitate tectis hominum siluas peteret latebrasque ferarum: illum quidem absque causa destitutum imperio, sed non amicorum obsequio: si pace frui permitterentur, nihil se magis quam pacem velle: sin autem res armis agenda sit, arma sibi non defore. Ille vero, ne eis materia cladis esset, cedere quam manere vtilius asserens, tandem eis, cum importunius instarent, consensit, &, vt postulabant, mansit. Iamque multus equitatus faciem Regis longe præcedens ad pontem fluuii, qui vocatur *Mosa*, venerat, & alterius ripæ crepidinem filius prædicti Ducis cum paucis occupat. Nam turbam armatorum non longe per opportuna loca in insidiis locauerat. Qui vt pugnam prouocaret, nunc equum in rectam cursus lineam immisit, nunc in orbes flexit & reflexit, & si pares numero confligere secum auderent, inquisiuit. Nec mora, transierunt ad eos totidem ex parte Regis, mixtique inter se vario reflexu, nunc pugnam inferebant, nunc fugam agitabant. Interim vnus & alter transito ponte sociorum numerum latenter auxit, & rupto certaminis pacto, ex æquali inæqualem fecit. Quod videns filius Ducis, terga cum suis vertit, non tam vt fugeret, quam vt falleret: nec tam vt fugiens periculum vitaret, quam vt sequentes in periculum deduceret. Hi autem, qui ex aduersa ripa erant, visa fuga, præcipiti cursu pontem transeuntes, fugientes persequebantur, ignari futuræ sortis & fraudis, quæ latebat. Postquam enim ventum est ad locum, vbi dispositæ fuerant insidiæ, exurgentes de insidiis, impetu magno in persequentes ferebantur. Illi autem inopino territi

territi periculo metuque turbante, nil rationis in armis habentes, in fugam se retorserunt. Sed quid profuit auertisse pectora, & vulneribus terga dedisse? Itaque multi capti, multi truncati, multi occisi sunt: victorque cruentus non alium modum sceleris habebat, nisi quem fastidium faciebat. Ad pontem vero vbi fugax multitudo se coarctauerat, tanto plus sceleris impia manus peregit, quanto minus constipata turba se mouere potuit. Sed multo plures fluuius absorbuit, quam ensis hausit. Nam cum hostis a tergo premeret, impellente metu se in fluuium præcipitabant, & attoniti confusique de morte in mortem ruebant. Erat ibi cernere & aliam miseriam vel maximam, cum pons multitudine prægrauatus repente corruit, & fluuius homines equosque pariter inuoluit. Nulli locus erat euadendi: nulli profuit ingenium natandi. Nam aut armorum pondere, aut inhærentium connexione fatigatus in profundum trahebatur. Quod malum vt scelestius esset, in ipsa die parasceue contigit, creuitque magnitudo sceleris ex reuerentia temporis.

CAPVT XIV

Henricus *Rex similiter a Coloniensibus haud admittitur; aduersus quos propterea vltionem meditatur.*

His ita transactis, Rex iter Coloniam conuertit. Sed cum illa quoque aditum sibi præclusisset, in villa, quæ dicitur *Bonna*, dominica tantum Paschæ peracta, Moguntiam festinus rediit. Et sparsis vbique legatis, querimoniam ad proceres in hunc modum direxit: *Si per inuasionem regnum occupassem, tamen resistentes potestati nostræ retunderem, in quantum possem. Nunc autem cum insumpta regni dignitate vestris paruerim præceptis, ausus est quispiam impune in publicam contumeliam regnum & nos armis vexare. Cum enim Leodium ituri, vbi nobis curia paschalis habenda fuerat, ad fluuium Mosam venissemus, Episcopus Leodiensis & Dux* Henricus, *de quorum fide & obsequii deuotione multum præsumebamus, nobis latenter insidias posuerunt, & nostros inscios & ad pugnam imparatos cædebant, capiebant, fugabant. Quæ & quanta clades ibi acciderit, tam pudet referre, quam inultum dimittere. Igitur constrictus & euentus asperitate & temporis articulo Coloniam diuerti. Quæ cum me recipere satis superbe refutaret, apud villam Bonnam sanctum diem Paschæ vtcunque peregi. Cui vnquam regiæ personæ tanta contumelia facta est? Nec solum me petit hæc contumelia, vos despecti estis: isti præsumptores decreta vestra authoritatem habere nolunt, sua tantum statuta firma esse volunt; denique in quos totum regni pondus se reclinet, haberi cupiunt, Regem quem constituistis, destituere parant, vt nihil eorum quæ vos decernitis, ratum sit. Igitur hæc iniuria mea regni potius est, quam mea. Nam vnius capitis licet summi deiectio, reparabile regni damnum est. Principum autem conculcatio, ruina regni est. An hæc impune feremus? & ex ignobili patientia nostra magis tumebit eorum superbia? Absit, vt qui dicimur inhonorati, dicamur & inulti: pauca dixisse sat est: desides animi prolixæ cohortationis stimulo opus habent. In strenuis causa magis ad incitamentum facit, quam verba. Quia igitur contra tam superbos hostes R. P. viribus vtendum est, expeditionem vobis & rogando præcipimus & præcipiendo rogamus, cuius collectioni tempus* Kalendas Iulias, *locum Wirtziburgensem vrbem præfinimus.*

CAPVT

CAPVT XV

Imperator induci haud potest, vt imperialem recipiat dignitatem. Henricus *Rex Coloniam obsidet.*

CVm ergo audisset *Henricus* Dux, & Colonienses cum Leodiensibus, quod super se Rex exercitum ducere vellet, arma parabant, copias colligebant, vrbes firmabant, & ad resistendum pari voto studioque se accingebant. Sed & Imperatorem consiliis & precibus vrgebant, vt imperialem dignitatem, quam non ratione conuictus, sed vi ferroque mortem intentante coactus dimisisset, resumeret, se sibi nec armis defore, nec animis: multos illum in breui fautores habiturum, quia multi multum abominarentur tam insolitum facinus & inhumanum. Quorum importunitati hac ille ratione reniti cœpit, impossibile esse amissum imperium armis repetere, quod possessum armis retinere nequiuisset: illud sibi non esse tanti, vt multorum exitio recipiendum existimaret: beatius sibi & tutius fore, vt priuatus, licet indigne deiectus, viueret. Sic vtrinque data redditaque ratione, cum instare non desinerent, ne benignitatem circa se remoueret a se, nec ad integrum consensit, nec abnuit, prouidusque futuri, præcipites eorum animos spe dubia suspendit. Igitur primo Coloniam, quæ primum impetum latura fuerat, vallo turribusque muniebant, & congestis belli stipendiis, impositoque præsidio periculum suum fortibus animis expectabant. Sic & alias vrbes, quas inuadendas credebant, munitione, machinis, & robore militum firmabant. Sed & edictum sub comminatione crudeli vbique spargebant, vt aduersus exercitum in magna superbia super se venturum parati essent, & patriam, libertatem, vitamque defenderent, nec sinerent vxores suas corruptionis ludibrio substerni, vel agros in alienos dominos distrahi. Iam Rex Rhenum cum exercitu valido transierat, & primo Coloniam, quæ quasi caput inter alias vrbes eminebat, magno impetu inuasit, putans se sibi membra facilius subiicere posse, contrito tam valido capite. Sed res longe præter spem euenit. Nam cruenta repulsa retroacti, procul locatis castris vrbem obsidione vallabant. Magis autem dixerim, obsessores ab obsessis obsessos. Nam præreptis sibi nauibus, quæ per Rhenum descendentes exercitui commeatum portabant, premente fame quasi quadam obsidione constricti laborabant. Interim vt vrbem ab obsidione liberarent, totius patriæ robur vndique coibat. Sed Imperator tam cruentum facinus detestatus, pugnam obnixe dissuadebat: cur eis tantus ardor pellendæ obsidionis inesset, quæ non nisi magna sui clade pelli posset: tollerent omnem solicitudinem capiendæ vrbis, quæ & ex firmitate murorum & ex forti milite tutissima, & omni victus genere esset opulentissima, accedente & Rheni beneficio, qui per naues delicias, quas appeterent, inuito obsessore subministraret: sinerent potius eos in cladem suam furere, & inexpugnabilem vrbem, vnde vulnera tantum cæsosque reportarent, impugnare: sinerent eos late vastare, dum ruris copia consumpta, esurire inciperent: sinerent eos grassari, dum equos viresque labor eneruaret: fore, vt victoria sibi paruo constaret, si paululum tolerantia & opportunitate temporis vti voluissent. Sic Imperatoris hortatu a pugna reuocati, hostiles tantum excursus obseruabant, & ignaros loci passim cædentes metum hosti, ne longius euagaretur, incutiebant. Omnia vero, quæ prædixerat Imperator, euenerunt. Quoties enim tentabant portas infringere, ariete murum perrumpere tormentis turres deiicere, infecto negotio, vulnera tantum & funera ad castra reportabant. Sed nec vlterius progredi latitante insidiis hoste præsumebant: homines & equi exhausti tam alimentorum penuria quam laboris improbitate, viribus deficiebant. Nam agris in circuitu vastatis, nihil reperiebant. Accessit his malis etiam morbus, quem fœtor castrorum (vt fieri solet) aere vitiato concitauerat, qui non solum vulgus, sed ipsos Principes aut ægritudine confecit, aut letho rapuit. Huiusmodi rerum aduersitate fatigati, quid facturi

futuri essent; ambigebant, quia volentes mori, occasionem pugnæ non inueniebant: aut si reditum pararent, certi quod hostis a tergo premeret, exercitum suum fuga spargendum metuebant.

CAPVT XVI

Imperator Henricus, *durante obsidione*, Leodii *in fata concedit.*

QVa tempestate mentis dum fluctuarent, subito fama veniens, nubila tantæ perturbationis in serenum conuertit. Retulit enim, Imperatorem mortis debitum persoluisse. Ad quam famam primo hæsitabant. Sed cum nuntius extremum munus, patris annulum videlicet & gladium, cum mandatis filio portans venisset, tanta lætitia oborta est, vt voces gratulantium minime sedari possent. Sed non minor luctus circa funus Imperatoris erat: proceres plangebant, vulgus lamentabatur, vbique gemitus, vbique planctus, vbique vox dolentium audiebatur: ad exequias illas viduæ, pupilli, denique totius patriæ pauperes conueniunt: deflent se orbatos patre, fundunt in corpus lacrymas, deosculantur largas manus, vix auellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulum deserebant, ibi vigiles lacrymis & orationibus vacabant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quænam opera misericordiæ fecisset in se: quanquam mors eius plangenda non fuit, quam bona vita præcessit, qui fidem rectam, spem firmam, compunctionem cordis amaram in extremis suis tenuit, quem nec de pudendis admissis publicam agere confessionem pudet, qui tota cordis auiditate dominici corporis cibum sumpsit. Felix es, Imperator Henrice, qui tales excubias, tales intercessores tibi parasti, qui nunc multipliciter auctum de manu Domini recipis, quod in manus pauperum abscondisti: turbulentum regnum pro tranquillo, defectiuum pro æterno, terrenum pro cælesti mutasti. Nunc demum regnas, nunc diadema portas, quod tibi nec heres tuus præripiat, nec aduersarius inuideat. Ergo continendæ sunt lacrymæ, si contineri possunt: huic tuæ felicitati debetur tripudium, non luctus; exultatio, non planctus; voces gratulantium, non dolentium. Post hunc rerum euentum hi qui contra regiam maiestatem bellum susceperant, mortua spe sua animis & viribus deficiebant, & quod in illo rerum articulo faciendum fuit, ad gratiam Regis deditione, pecunia, quoquo modo quisque poterat, recurrebant.

Ecce habes de gestis, de expensis in pauperes, de fortuna, de obitu Imperatoris *Henrici*, quæ sicut non poterant absque lacrymis a me scribi, sic non poterunt absque lacrymis a te legi.

HISORIAE

DE HENRICI IIII IMPERATORIS VITA

FINIS.

M m II HEN-

II

HENRICI IMPERATORIS *EIVS NOMINIS IIII* EPISTOLAE ALIQVOT.

I

Ad Annonem *Archiepiscopum Coloniensem*

HENRICVS DEI GRATIA REX ANNONI, Coloniensi Archiepiscopo, *salutem, dilectionem.*

IN maximis negotiis maximis maximorum opus est consiliis, qui & facultatem habeant exterius, & voluntate non careant interius, vt rei, cui bene cupiunt, bene consulere & velint & possint. Quia in cuiuslibet rei profectu, nec facultas sine voluntate, nec voluntas sine facultate proderit. Quod vtrunque tu fidelissime, vt arbitramur, æqualiter possides, vel vt verius dicamus, licet maximo tibi maxima non desit facultas, maior tamen adhuc maxima facultate (si te bene nouimus, si fidem tuam diligenter notauimus) in nostram & regni vtilitatem exuberat voluntas. De præteritis enim fideliter exhibitis in futuris crescit spes fidelius exhibendis. Tuæ autem Dilectioni committimus, ne spes nostra maior sit fide tua: quia de nullius regni Principum vel Episcoporum fidelitate, quam de tua maiora speramus, sicut hactenus non modo in præteritarum rerum exhibitione, verum etiam in sperandarum promissione tua gauisi sumus. Adsit igitur hoc tempore opportuna tua cum facultate voluntas, quam non modo nostra, verum & omnium Episcoporum, fratrumque tuorum, imo totius oppressæ ecclesiæ exoptat necessitas. Non etiam hanc oppressionem ignoras, tantum vide, ne oppressæ ecclesiæ te subtrahas, sed regno & sacerdotio condoleas: quo vtroque sicut hucusque ecclesia est exaltata, ita nunc heu humiliatur viduata. Nam vnus dum vtrunque sibi vendicauit, vtrunque dissipauit, nec in vno profuit, qui in neutro prodesse voluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te suspendamus, accipe, quem dicimus, *Hildebrandum* scilicet, monachum habitu quidem, dictum Apostolicum, non pastoris cura, sed inuasoris violentia Apostolicæ sedi præsidentem, & de sede pacis catholicæ, pacis vnitæ vincula dissipantem, vt tibimet in promptu est scire. Vt enim de pluribus pauca referamus, regnum ac sacerdotium Deo nesciente sibi vsurpauit, in quo piam Dei ordinationem contempsit, qui non in vno, sed in duobus, duo, id est regnum & sacerdotium, principaliter consistere voluit: sicut ipse Dominus saluator in passione sua de duorum gladiorum sufficientia typica intelligi innuit. Cui cum diceretur: *Ecce Domine, duo gladii hic*: respondit, *satis est*: significans, hac sufficiente dualitate spiritualem & carnalem gladium in ecclesia esse gerendum, quibus omne nociuum foret amputandum, videlicet sacerdotali ad obedientiam Regis pro Deo, regali vero gladio ad expellendos Christi inimicos exterius, & ad obedientiam sacerdotii interius, omnem hominem docens fore castigandum, vt ita de alia in aliam charitate tenderetur, dum nec regnum sacerdotii, nec sacerdotium regni honore priuaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter *Hildebrandica* insania confuderit, tu ipse nosti, si scire voluisti. Nam nullum eius iudicio licet esse sacerdotem, nisi qui hoc a fastu suo emendicauerit. Me quoque, quem Deus in regnum, non autem illum vocauit ad sacerdotium, quia me de Deo, & non de illo regnare velle vidit, quia ipse me Regem non constituit, regno priuare studuit, minitans regnum animamque mihi tollere, quorum neutrum concessit. Hæc & iis similia cum sæpius in nostram, vt ipse nosti, contumeliam struxerit, non tamen adhuc sufficere credit, qui de die in diem

diem noua exquisita confusionis genera nobis ingerit, vt in nostris nunciis nouiter argumentum dedit. Nam charta exponere non sufficit, qualiter eosdem nostros nuntios tractauerit, quam indignis modis affecerit, quam crudeliter eosdem incarcerauerit, & carceratos nuditate, frigore, fame, siti ac plagis contriuerit, sicque demum ad exemplum per medium ciuitatis circumductos omnibus spectaculum præbere iusserit, ita vt eundem cum Decio tyranno insanire, & sanctos assare credas & dicas. Vnde ne pigeat, charissime, communi nostrum, scilicet meæ & Coepiscoporum tuorum petitioni satisfacere, vt in Pentecosten Wormatiam venias, & ibi plura, quorum pauca docet chartula, cum cæteris audias Principibus, & quid agendum sit, doceas: rogatus per dilectionem Coepiscoporum, monitus per ecclesiæ vtilitatem, obligatus per vitæ nostræ & regni totius honorem.

II

Ad Clerum, populumque Romanum.

HENRICVS DEI GRATIA REX
Vniuersæ sanctæ Romanæ ecclesiæ,
Clero & populo,
gratiam, salutem, & omne bonum.

HÆc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti & absenti seruatur, nec diuturna eius, cui debetur, absentia, nec longi temporis tædio immutatur. *Et de alia epistola:* Exurgite in eum fidelissimi, & primus in fide, sit primus in eius damnatione. Non autem vt sanguinem eius effundatis, dicimus: quippe cum maior sit sibi post damnationem pœna vita, quam mors. Sed vt eum, si nolit descendere, cogatis, & alium communi omnium Episcoporum & vestro consilio a vobis electum, in Apostolicam sedem recipiatis, qui quod iste in ecclesia vulnerauit, curare velit & possit.

III

Ad Gregorium *Pontificem* VII.

HENRICVS non vsurpatiue, sed pia Dei ordinatione REX,
HILDEBRANDO non iam Apostolico,
sed falso Monacho.

HAnc talem pro confusione tua salutationem promeruisti, qui nullum in ecclesia ordinem prætermisisti, quem confusionis non honoris, maledictionis non benedictionis, participem non feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ ecclesiæ, videlicet Archiepiscopos, Episcopos vel Presbyteros non modo non tangere, sicut Christos Domini, non timuisti, quin sicut seruos, nescientes quid faciat Dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti: in quorum conculcatione tibi fauorem ab ore vulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te autem solum omnia nosse iudicasti: qua vtique scientia non ad ædificationem sed ad destructionem vti studuisti: vt iure hoc beatum *Gregorium*, cuius nomen tibi vendicasti, de te credamus prophetasse dicentem sic: *Ex affluentia subiectorum plerumque animus prælati extollitur: existimat se plus omnibus nosse, cum se videt plus omnibus posse.* Et nos quidem hæc omnia sustinuimus, dum Apostolicæ sedis honorem conseruare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timori fore intellexisti: ideoque in ipsam regiam potestatem, nobis a Deo concessam, exurgere non timuisti, quam a nobis auferre ausus es minari: quasi nos a te regnum acceperimus: quasi in tua & non Dei manu sit regnum vel imperium, quia Dominus noster Iesus Christus nos ad regnum, te autem non vocauit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti: scilicet astutia & fraude, quodque monachica professio abominatur, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro sedem pacis adisti, & de seda [illegible]

de sede pacis pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti, dum Episcopos nostros a Deo vocatos, tu non vocatus spernendos docuisti: dum laicis ministerium eorum super sacerdotes vsurpasti, vt ipsi deponant vel condemnent, qui ipsos de manu Domini per impositionem manuum Episcoporum docendos acceperant. Me quoque, licet indignus inter Christianos sum ad regnum vocatus, te teste, quem sanctorum patrum traditio soli Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi a fide (quod absit) exorbitauerim, deponendum asseruit: cum etiam Iulianum apostatam prudentia sanctorum Episcoporum non sibi, sed soli Deo deponendum commiserit. Ipse vero quid verus Papa beatus *Petrus* clamat? *Deum timete, regem honorificate.* Tu, inquam, quia Deum non times, me constitutum eius inhonoras. Vnde beatus *Paulus*, vbi angelo de cælo alia si prædicauerit non pepercit, te quoque in terris alia docentem non excepit. Ait enim, *Si quid vel ego vel angelus e cælo præter id, quod euangelizauimus, vobis euangelizauerit, anathema sit.* Tu igitur hoc anathemate, & omnium Episcoporum nostrorum iudicio damnatus, descende, vendicatam tibi sedem Apostolicam relinque, alius in solium beati *Petri* ascendat, qui nulla violentia religionem palliet, sed beati *Petri* sanam doctrinam doceat. Ego *Henricus* Rex Dei gratia cum omnibus Episcopis nostris tibi dicimus, descende, descende.

IV

Ad Paschalem *Pontificem.*

HENRICVS IMPERAT. Romano Pontifici PASCHALI.

SI illa inter nos pax esset & concordia, quæ inter nostros olim & tuos fuit antecessores, quæ inter nos etiam & *Nicolaum* & *Alexandrum*, viros catholicos & religiosos Romanos Pontifices, plena charitate & integra deuotione viguit, mandaremus tibi quicquid filius patri: sed distulimus expectantes, & recognoscere desiderantes, si in beneplacito Dei sit, nobis in charitate & amicabiliter posse conuenire, & ecclesiam suam nostris temporibus, nostro labore ipso cooperante in statum redire vnitatis pristinæ. Hoc quanquam dudum, Deo teste, desiderauimus, tamen cognita nimia eorum austeritate qui in Romana erant ecclesia, non vtile nobis visum est, vel competens, eos de hac causa conuenire: quia magis videbantur nos prosequi odio & indignatione, quam zelo iustitiæ, vel etiam quam velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum ecclesiæ. Effectus hoc probat: quia cum ipsi regnum hereditario iure nobis collatum tempore religiosorum virorum Romanorum Pontificum pacifice a nobis diu possessum contra nos commouere studerent & armare, multa inde orta est strages populorum, tam corporum quam etiam, quod magis dolendum est, animarum. Nunc quoque filius noster, quem tam vehementer dileximus, vt vsque ad solium regni nostri exaltaremus, eodem veneno infectus, consilio quorundam perfidissimorum & periuratorum sibi adhærentium, insurgit in nos; postpositis omnibus sacramentis, quibus se nobis obligauerat; posthabita omni fide & iustitia, tantum vt ecclesiarum bona & regni libere valeant perdere, rapere, & inter se diuidere. Et cum multi nobis persuadeant, absque dilatione in eos vi & armis esse vlciscendum, maluimus tamen adhuc differre, vt tam in Italico quam in Teutonico regno sciatur manifeste, quod nec nostræ sit voluntatis, nec culpæ, si tandem inuiti & coacti in eos insurrexerimus, quæcunque mala vel infortunia vel populorum strages inde euenerint. Præterea quia audiuimus, te hominem discretum, Deum timentem, charitati insudantem, sanguinem hominum non sitire, rapinis & incendiis non gaudere, vnitatem ecclesiæ super omnia diligere, consilio & suggestione Principum nostrorum mittimus tibi nuntium istum cum legatione nostra. Per hanc quippe volumus cognoscere, si est tibi voluntati, te nobis in charitate & amicabiliter, & nos vniri tibi, saluo nobis honore regni & imperii & totius nostræ dignitatis, sicut & auus & pater noster aliique antecessores nostri habuerunt, seruato etiam tibi a nobis honore Apostolicæ dignitatis, sicut antecessores nostri, tuis antecessoribus seruauerunt, & nos prælatis Pontificibus. Quod si placuerit tibi,

tibi, paterne nobiscum agere, & eam quam mundus dare non potest, pacem integre nobiscum componere, mitte nobis familiarem nuntium tuum, cum priuatis literis tuis & secreta legatione, cum hoc nuntio nostro, vt hoc modo indubitanter possimus cognoscere omnem de hac re certitudinem voluntatis tuæ. Qua cognita, mittemus tibi de maioribus Principibus nostris, quales & nos tibi mittere, & te deceat a nobis recipere, ad tantam rem componendam, per quos exclusa omni ambiguitate manifeste possis cognoscere, nos veraciter velle complere, quæ tibi mandamus secrete. Præterea quæ hic inscripta non sunt, commisimus huic fidelissimo nostro nuntio, quædam tibi dicenda, quibus tam veraciter quam scriptis credas.

V

Ad eundem.

CVm hactenus a te ea, quæ sunt patris, expectarem, tibique in omnibus magna fidelium nostrorum indignatione obedirem, recepi a te vicissitudinem, qualem oportebat ab eo, qui vitæ regnique nostri perniciosissimus hostis esset. Nam cum primum omnem hereditariam dignitatem, quæ mihi ab illa sede Apostolica debebatur, superbo ausu rapuisses, longius inde progrediens, regnum Italiæ pessimis artibus alienare tentasti: neque hoc contentus, in reuerendissimos Episcopos, qui nobis velut dulcissima membra vniti sunt, manum mittere non timuisti, eosque superbissimis iniuriis acerbissimisque contumeliis contra diuina & humana iura, vt ipsi aiunt, exagitasti: quæ omnia cum ego quadam patientia dissimularem, tu hoc non patientiam sed ignauiam existimans, in ipsum caput insurgere ausus es, mandans quæ nosti, scilicet, vt tuis verbis vtar, quod aut tu moreteris, aut mihi animamque regnumque tolleres.

VI

Ad Regem Galliarum.

HENRICVS Rex REGI Celtarum.

PRinceps clarissime, & omnium in quibus post Deum speramus fidelissime: primum & præcipuum inter omnes vos excepi, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miserias necessarium duxi, & etiam genibus vestris aduolui, si licet salua maiestate Imperii. Primum quidem est, quod non solum vobis, sed totius Christianæ professionis hominibus grauissimum ac intolerabile arbitramur, quod de Apostolica sede, vnde vsque ad memoriam nostri temporis salutifer fructus consolationis, dulcedinis & saluationis animarum oriebatur, modo persecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur: nec ponunt vllum modum sententiæ, tantum vt satisfiat voluntati indiscretæ. Huius voluntatis suæ intemperantia adeo vsque nunc abusi sunt, vt nec Deum, nec quid aut quantum mali inde proueniat pensantes, per se & per suos omnibus modis in nos inuehantur, cum obedientiam & omnem subiectionem debitam sæpe obtulerim Apostolicæ sedi, si tamen honor debitus & reuerentia, sicut antecessoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, opportunius significabo vobis, si quando optati colloquii copiam Deus dederit nobis. In hac igitur persecutionis & odii sui inflammatione, cum parum viderent se proficere, contra ipsum ius naturæ laborantes, quod sine maximo cordis dolore, sine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremisco, filium meum, Absolon inquam dilectissimum, non solum contra me armauerunt, sed etiam tanto furore animauerunt, vt inprimis contra fidem & sacramentum, quod vt miles Domino iurauerat, regnum meum inuaderet, Episcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores meos sustineret: ad vltimum, quod maxime vellem taceri, aut si taceri non potest, vellem non credi, omnem affectum naturæ abiiciens, in salutem & animam meam intenderet, nec quicquam pensi haberet, quomodo [illegible] vi & fraude ad hanc periculi & ignomi-

ignominiæ suæ summam aspiraret. In hac tanta mali sui machinatione, cum essem in pace & in aliqua salutis meæ securitate, in locum, qui *Confluentia* dicitur, in ipsis dominici aduentus sanctissimis diebus ad colloquium euocauit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cum vidi, illico ex paterno affectu tactus, intrinsecus dolore cordis mei ad pedes suos procidi, admonens & obtestans per fidem, per salutem animæ, si pro peccatis meis flagellandus eram a Deo, de me ipse nullam conquireret maculam honori & nomini suo, quia culpæ patris vindicem filium esse nulla diuinæ legis constituit sanctio. At ille tam pulchre, imo miserrime institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile scelus cœpit detestari. Et procidens ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari: in reliquum vt miles Domino, vt patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurum promisit cum lacrymis, si modo sedi Apostolicæ vellem reconciliari. Quod cum promtissime annuissem, & deliberationi suæ & consilio Principum hoc tantum mancipandum promisissem, in præsenti natiuitate se producturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quam fidelius posset acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum, promisit in ea veritate & fide, qua patrem a filio honorari, & filium a patre præcipit Deus diligi. Hac permissione, quæ & gentili obseruanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat. Et ecce quidam fideles verissime me deceptum affirmabant, & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Reuocatus autem filius meus, & iterum a me instantissime admonitus, sub eiusdem fidei & sacramenti obtestatione, animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice. Cum ergo ad locum, qui *Binga* vocatur, peruenissem, iam existente die Veneris ante Natiuitatem, numerus armatorum suorum iam satis augebatur, iam fraus ipsa de se detegebatur, & filius ad me, *Pater*, inquit, *nobis secedendum est in vicinum castellum: quia Moguntinus Episcopus in suam ciuitatem non admittet vos, quamdiu in banno eritis. Nec vos inpacatum & irreconciliatum audeo ingerere inimicis vestris. Illic Natiuitatem cum honore & pace agatis, quoscunque placuerit vobis, vobiscum habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis vtrisque laborabo, quia causam vestram meam existimo esse.* At ego, *mi* inquam *filii, iudex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie Deus, quomodo te in virum & heredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inseruierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim & habeam, solus conscius es.* Ille autem tertio sub eiusdem fidei & sacramenti attestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit. Sic postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifeste rei ostendit euentus. Ex omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit: custodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici. Benedictus per omnia Deus, exaltandi & humiliandi, quæ voluerit, Rex potentissimus. Cum ergo ipso sacratissimo die Natiuitatis suæ omnibus redemptis suis ille sanctus sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam vt taceam opprobria, iniurias, minas, gladios in ceruicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem, præterea famem & sitim, quam perferebam ab illis, quos iniuria erat videre & audire, vt etiam taceam, quod est grauius, me olim satis felicem fuisse: illud nunquam obliuiscar, illud nunquam desinam omnibus Christianis conqueri, quod illis sanctissimis diebus sine omni Christiana communione in carcere illo fui. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus a filio meo missus venit ad me quidam Princeps *Wigbertus*; dicens, nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine vlla contradictione omnia regni insignia redderem ex voluntate & imperio Principum. At ego; etsi omnis terra, quantum inhabitatur, mei regni terminus esset, nollem regno vitam commutare: quia vellem nollem sic agendum, & sicut definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quasi me eo adducturus, sub multa frequentia armatorum suorum

suorum me abductum ad villam, quæ dicitur *Engilzaim*, fecit me ad se adduci, vbi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inueni, nec ipsum filium ceteris mihi meliorem reperi: & quia firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogerent me regnum & omnia regalia exsestucare, simili modo & ipsi omnes minabantur mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consilium fieri posse. Tunc ego inquam; *quia de sola vita mea agitur, qua nihil pretiosius habeo, vt saltem viuens pœnitentiam exhibeam Deo, quicquid imperatis faciam.* Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus essem, Apostolicæ sedis legatus, qui ibidem aderat (non dico, qui omnia hæc audiuerat) respondit, me nullo modo eripi posse, nisi publice confiterer, me iniuste *Hiltebrandum* persecutum esse, *Wigbertum* ei iniuste supposuisse, & iniustam persecutionem in Apostolicam sedem & omnem ecclesiam hactenus exercuisse. Tunc cum magna contritione animi prostratus cœpi per Deum, per ipsam conscientiam orare, vt locus & tempus mihi daretur, vbi in præsentia omnium Principum, cum innocens essem, vellem ex iudicio omnium me expurgare, & in quo culpabilem me recognoscerent, ex consilio omnium sanioris sententiæ pœnitentiam & satisfactionem, quo ordine iuberent, quærere, & in principibus regni de fidelibus nostris, quoscunque obsides vellent, dare. At idem legatus locum & diem mihi abnegauit, dicens: aut ibi totum debere determinari, aut nulla spes mihi esset euadendi. In tanto tribulationis articulo, cum interrogarem, si confiterer omnia, quæ imperabantur, an confessio mea, vt iustum est, veniam & absolutionem consequeretur: ibi legatus dixit; non esse iuris sui me absoluere: Si vellem, inquit, absolui, Romam irem satisfacere Apostolicæ sedi. Sic desolatum & spoliatum (nam & castella & patrimonia, & quicquid in regno conquisieram, eadem vi & arte sua extorserant a me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cum aliquo tempore commoratus essem, & filius meus ex eodem fraudis suæ consilio demandasset, vt ibidem eum expectarem, superueniens quorundam fidelium meorum legatio præmonuit, vt siquidem ad monitum ibidem remanerem, fore aut in perpetuam raperer captiuitatem, aut in eodem decollarer. Quo nuntio satis tunc vitæ meæ diffisus, illico aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni. In quibus locis fideles viros, & in fide regni constantes semper inueni. Horum ceterorumque regni fidelium consilio vsus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare has omnes meas miserias. Fiducialius quidem propter mutuum consanguinitatis & antiquæ amicitiæ debitum: honestius autem, propter tanti regni nomen gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac iniuriis propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etsi inter nos non essent, vestra tamen & omnium Regum terræ interesset, iniuriam & contemptum meum vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare.

VII

Ad Henricum V *filium.*

HENRICVS D. G. IMP. ROMANOR. AVGVST. HENRICO filio suo.

SI ea nos debita affectione tractasses, qua deberes, lubentissime tecum loqueremur, & paterna tibi mandaremus: verum quia longe alius quam paternæ affectionis & humanitatis circa nos animus tibi fuit, nequimus aliter tecum loqui, quam quod ipsa rei manifestissimæ veritas habet. Tu enim ipse scis, sicut ipse publico experimento facti tibi conscius es, qualiter data fide & securitate personæ & honoris nostri, omni affectione deuotionis promisisti, nos ducere Moguntiam coram Principibus & inde nos securissime reducere, quocunque vellemus. Hac fiducia cum te [illegible] amanter & indubitanter ascenderemus,

deremus, contra datam fidem apud Bingam nos cepisti: vbi nec paternæ lacrymæ, nec patris mœror, nec tristitia, qua ad pedes tuos aliorumque aduoluebamur, te commouit ad misericordiam, quin nos caperes, & captum mortalibus inimicis illudendum & custodiendum traderes, vbi multimodo genere contumeliæ & terroris afflicti, compulsi sumus ferme venire vsque ad ipsum mortis articulum. Ante captiuitatem abstulisti nobis Episcopatus, & quicquid de honore regni potuisti, & prædia nostra, & ipsam familiam: in captiuitate vero quicquid residuum erat, vt lanceam & crucem & omnia regalia insignia vi & timore mortis, vt ipse bene scis, & omni ferme notum est Christianitati, a nobis extorsisti, relicta vix ipsa vita. Cum hoc tibi de nobis non sufficeret, postea semper vbicunque fuimus, modis omnibus quibus potuisti, nos persequi non cessasti, vt vel perderes, vel de regno expelleres. Verum nos satis mirari non possumus, qua ratione vel occasione tam obstinate facias, cum de Domino Papa & Romana ecclesia nulla tibi residua sit occasio. Nos enim nuntio Domini Papæ, & Romanæ ecclesiæ te præsente parati fuimus & sumus obedire, & omnem debitam obedientiam & reuerentiam ei coram & semper exhibere, & consilio Principum & spiritualis patris nostri *Henrici*, Cluniacensis Abbatis, aliorumque religiosorum virorum de statu ecclesiæ & honore regni libentissime agere. Te ergo rogamus pro honore regni & tua & paterna deuotione, & per autoritatem Romani Pontificis & Romanæ ecclesiæ, vt de iniuria nobis illata, & de his, quæ nobis vi & iniuste abstulisti, iustitiam facias. Rogamus etiam, vt cum nil rationis tibi sit, quare nos prosequaris, nos & fideles nostros cesses infestare, imo permittas nos pacifice & quiete viuere, vt integre & cum tranquillitate possimus omnia supra dicta agere. Recognosce etiam, & tecum cogita, quia Deus iustus iudex est, cui commisimus causam nostram & vindictam: cuius etiam iudicia sunt occulta, velut abyssus multa. Quoniam quantumcumque super afflictionem & infortunia glorieris, & super humilitatem te extollas, forsitan de sede sancta sua inter me & te gratuita misericordia aliud iam definiuit, intercedente iustitia, quam tu ipse cogites & disponas. Quod si nulla alia vel reuerentia vel intercessio nobis valet, opto vt iustitiam consequi possimus, vel vt tuæ persecutionis impetus cesset. Ad hoc idem Romanum Pontificem, & sanctam vniuersalem Romanam ecclesiam appellamus.

VII

Ad Archiepiscopos, Principes, populumque Saxoniæ.

HENRICVS DEI GRATIA IMPERATOR ROMANOR. AVG.

Archiepiscopis, & ceteris Saxoniæ Principibus,

ac etiam reliquo populo,

gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

CONquerimur Deo omnipotenti, & dominæ meæ sanctæ Mariæ, & beato Petro, principi Apostolorum, patrono nostro, & vobis Principibus omnibus, quia iniuste & inhumane & crudeliter in illa confisi fide, qua dubitare non debuimus, tractati sumus, & tam honore regni quam prædiis omnibus, quæ habebamus, contra diuinum & humanum ius, ad infamiam & vituperium regni, ita exspoliati sumus, vt nihil penitus præter vitam nobis relictum sit. Vbi cum ferme omnes essetis, magna pars vestrum visa est dolore contristari: sed proh dolor, nihil nobis contulit vestra tristitia, quin in nobis sibi satisfaceret voluntas inimicorum odiosa. Et quia consilio & rogatu filii nostri, fide & securitate vitæ & honoris primum ab eo accepta, fiducialiter & desideranter Moguntiam in præsentiam legati Romani & Principum tenderamus, vt eorum dispositione ageremus tam de statu ecclesiæ & honore regni, quam de salute animæ nostræ, ipse non est veritus in hac voluntate & obedientia nos

tia nos contra datam fidem capere, & vsque ad articulum mortis ferme ducere: non ausi sumus ita nos illi credere, vt iniuria & contumeliis nos pro voluntate sua, sicut prius, valeat tractare. Quapropter multum vos rogamus, & obnixe precamur, vt pro timore Dei & honore regni, & honestate vestra, dignemini studere, quomodo de iniuria in manibus vestris nobis illata, per vos possimus recuperare iustitiam. Nos autem pro consilio vestro, & aliorum, qui nos odio non habent, religiosorum virorum parati sumus, tam filio nostro, si in aliquo eum offendimus, quam alicui in regno libenter rationem dare. Præterea sicut Domino Papæ in præsentia legati sui & vestra obedire parati fuimus, ita nunc parati sumus, ei omnem debitam reuerentiam & obedientiam sincero corde & deuotione præsentialiter exhibere, & tam consilio vestro, quam spiritualis patris nostri, *Henrici* Cluniacensis Abbatis, aliorumque religiosorum de statu ecclesiæ & honore regni quantum in nobis est disponere. Cum ergo ad hæc omnia parati simus, rogamus vos & obnixe precamur, quatenus pro Deo & honore regni & vestro instanter moneatis filium nostrum, cum nulla ei secundum præfatam sententiam aduersum nos residua sit occasio, a modo desistat nos & fideles nostros persequi, & pacifice & quiete viuere permittat, vt supra dicta integre & cum tranquillitate perficiantur. Quod si noluerit, rogamus vos per autoritatem Romanæ ecclesiæ, cui nos committimus, & honorem regni, ne super nos & fideles nostros veniatis, quia manifestum est, non eum diuinæ legis zelo, vel Romanæ ecclesiæ dilectione, sed concupiscentia regni, patre iniuste eo priuato, hoc incepisse. Apud quem si interpellatio vestra, nullaque alia interuentio ad præsens prodesse poterit, appellamus Romanum Pontificem, & sanctam vniuersalem Romanam sedem & ecclesiam.

IX

Ad S. R. I. Archiepiscopos, Episcopos, Duces, Principes, Comites.

HENRICVS DEI GRATIA IMPERATOR ROM. AVG.
Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus,
ceterisque regni Principibus
gratiam & dilectionem dignantibus eam recipere.

ROgamus filium nostrum, & vos multum precati sumus, vt dimisso exercitu ordinaretur, quomodo possemus conuenire, vt de iniuria nostra & pace componenda ad honorem regni possit digne & decenter definiri. Placuit vobis remandare, vnde nobis longe grauior priori oritur querimonia, quod dimissa obsidione Coloniæ vultis super nos & fideles nostros sub specie colloquii cum exercitu venire, datis induciis octo dierum, quæ nunquam datæ sunt homini alicuius conditionis, vt bene scitis, vsque ad hanc diem pro legitima definitione alicuius minoris negotii, nedum pro tanta re, secundum legem diuinam vel humanam, vel etiam secundum vsum hominum. Oportet enim nos habere, si vobis placeret, saltem tales inducias, intra quas possimus conuocare, & precibus inuitare, ad hanc eandem causam, Moguntinum, Treuirensem, & Bremensem, Archiepiscopos; Frisingensem, Augustensem, Curiensem, Basiliensem, Episcopos; Ducem Magnum cum Duce Theodorico, & Ducem Bohemicum & Comitem Flandrensem cum Comite Burgundiæ, & aliis qui ad præfatum negotium, vt bene scitis, sunt valde necessarii. Quapropter (sicut prius) rogamus & obnixe precamur, quatenus pro Deo & anima vestra & pro appellatione Domini Romani Pontificis *Paschalis* & Romanæ ecclesiæ, & pro honore regni, dignemini apud filium nostrum efficere, vt dimisso exercitu cesset nos persequi, & ordinetur, quomodo

modo secure & absque ambiguitate possimus nos cum ceteris supra dictis ad agendum de nostra iniuria & pace in regno componenda, quiete & pacifice conuenire. Quod si nullatenus cessare voluerit, proclamationem inde fecimus, & semper facimus Deo & sanctæ Mariæ, & beato Petro, patrono nostro, & omnibus Sanctis, & omnibus Christianis, & vobis maxime, omni deuotione precantes, vt dignemini cessare eum persequi ad persecutionem tantæ iniuriæ, & vos eum imitari. Appellauimus, & tertio appellamus Dominum Romanum Pontificem *Paschalem*, & sanctam vniuersalem sedem & Romanam ecclesiam. Quod si hoc tantum nobis, & ad hoc, vt ipse cesset nos persequi, prodesse non poterit, committemus nos omnipotenti Patri & Filio, sanctoque Spiritui paracleto, & beatæ Mariæ perpetuæ virgini, & beato Petro & Paulo & sancto Lamberto omnibusque Sanctis, vt diuina miseratio, omniumque Sanctorum intercessio humilitatem nostram respicere, nosque contra tantum tamque iniuriosum imperium defendere dignetur, Amen.

EPISTOLARVM
HENRICI IV IMPERATORIS
FINIS.

ANO-

ANONYMI
DE
HENRICI IV
IMPERATORIS
BELLO CONTRA SAXONES
HISTORIA
CARMINE HEROICO SCRIPTA
ET LIBRIS III COMPREHENSA.

AVctorem hunc, qui *de bello* HENRICI IV *contra Saxones* gesto sermone numeris vincto egit, *Melchior Goldastus* in Apologeticis pro *Henrico IV* scriptis hoc recudi fecit titulo: *Anonymi Episcopi siue Abbatis, qui rebus gestis interfuit, & nos* RVPERTVM, *Goslariensem Praepositum & postea Babenbergensem Episcopum hoc eodem anno* factum fuisse opinamur, de* HENRICI IV *Romanorum Imperatoris bello contra Saxones libri III.*

* *An. MLXXV, quo haec historia scripta est in ipso regio comitatu.* G.

Quae coniectura ita deinde aliis placuit, vt *Struuius* Bibliothecae historicae selectae cap. VII § XVIII p. 154, Syntagmatis item Historiae Germanicae dissertatione XIV § XV not. ** p. 432 auctorem *Rupertum Goslariensem* vocet: *Heineccius* vero Antiquitatum Goslariensium lib. I p. 90 scribat, nihil in toto opusculo occurrere, quod non optime ad *Rupertum* referri possit: quippe qui & litterarum tum claruerit fama, & *Henrico* maxime fuerit familiaris, vt non adeo videatur incredibile, eum ad enarranda, vindicandaque *Henrici* gesta animum calamumque applicuisse. Accedere dein, quod tempus scriptionis egregie cum *Ruperti* historia conueniat; eodem enim anno opus absoluisse, quo ad sacerdotium Bambergense transierit: Episcopum vero factum vlterius haud progressum esse, sed Pontificis metu ab hoc scribendi genere abstinuisse. Nec multum obstare nominum formam, veluti cum Goslariam *Gossariam*, Hartzburgum *Arcispolin*, Heimburgum *Hennenberg*, Vnstrutam *Vnstardi* vocet: concedendum enim id videri poetis, vt in nominibus propriis ad metrum ac euphoniam flectendis ludant.

Sed vt minus nobis in hac *Goldasti* sententia praesidii sit, ipse *Goldastus* facit, qui sententiam hanc suam postea abiecit. In dissertatione enim *Apologiae* suae praemissa de poematis huius auctore p. 14 & 15 ita commentatur: *Ita est; vere Anonymus iste auctor, quicunque tandem ille fuit. Nam quod de* Ruperto *Praeposito Goslariensi adscriptum est, nunc muto, & factum nolim. Quippe memoriam meam decepit nominum* Ruperti *&* Rulandi *initialis affinitas.* Rulandum *autem quendam pro* Henrico IV *Imperatore scripsisse, in rerum gestarum monumentis legeram. Inde ad* Ruperti *coniecturam perueni, quod scirem, in more hoc instituteque Imperatoris huius positum fuisse,* vt

vt monachos clericosue, bene de se dictis ac scriptis meritos, Episcopatibus & Abbatiis remuneraretur. Ex hac nota sane Rupertus *ille fuit, de quo* Lambertus *Hersfeldensis monachus, praeter sententiam collegii sui schismaticus & Hildebrandinus, in chronico scribit sub anno MLXXV:* " Igitur profectus Babenberg (*Henricus* Imperator) *Rupertum* Goslariensem Praepositum in natali " *S. Andreae* Apostoli pro eo (*Hermanno* scilicet) ordinari fecit Episcopum, virum pessimae existimationis in " populo, eo quod Regi familiarissimus, & omnibus eius " secretis semper intimus fuisset, & omnium, quae Rex " perperam & praeter regiam magnificentiam in republica gessisset, potissimus incentor extitisse putaretur.

Nolim igitur, vt *Heineccium* praeeuntem sequar, pro certo haberi, *Rupertum* hunc Goslariensem librorum horum auctorem esse; quamuis coniecturam, qua *Goldastus* primum ductus, eundem illorum scriptorem opinatus est, donec melior aliqua, codicis cuiusdam vetusti, probaeque fidei prodierit, non plane putem reiiciendam.

Apparet autem, auctorem, quisquis fuit, rebus gestis interfuisse, & in comitatu Imperatoris vixisse cum existimatione aliqua & auctoritate, vt bene *Goldastus* l. d. censet, quem *Neu* sectione IX Mantissae ad *Degorei Wheari* Relectiones hiemales p. 112 repetitis illius verbis sequitur.

Incipit ab anno MLXXIII *, & peruenit usque ad finem anni MLXXV, quo Principes Saxoniae proelio nouo, eoque admodum cruento infracti, *Henrici* Imperatoris potestati se permiserunt.

* Vid. lib. I v. 30 & seqq.

Quo stilo scripserit ac affectu, malim dicant alii. Sic autem

Ioannes Cuspinianus

in *Henrico IV* p. 283

Scripsit quidam carmine heroico bella, quae in Saxonia Henricus *gessit, versu quidem triuiali (vt tempora erant) quibus quisque maluit scribenda facere, quam facienda aut facta scribere. Si quis & hunc incertum voluerit legere scriptorem, operis, quod tres continet libellos, initium hoc est:*

HENRICI Regis volo dicere Proelia quarti cet.

Melchior

Melchior Goldastus

l. d. p. 20

Hunc auctorem opponimus Brunonis *Magdeburgensis libro de bello Saxonico*, & Bertholdi Constantiensis *chronico de eodem.*

Ioan. Michael Heineccius

l. d. ad an. MLXVI p. 77

Autor belli Saxonici, Goldasto *aliquando* Rupertus Goslariensis *vocatus*, *qui historiam huius belli ciuilis in media barbarie non ineleganter composuit.*

Editionum, quibus in publico apparuit, duae mihi notae sunt. Prior est, quam *Reuberus* his in scriptoribus dedit. Posterior, quam *Goldastus*, vti iam dictum, in *Apologias* pro *Henrico* scriptas relatam anno MDCXI relatam emisit Hanouiae.

Quod tandem libris praefixerim summaria, versibus vero numeros: locis item quibusdam breues apposuerim notulas, cum leue sit, quamuis haud prorsus, vt arbitror, inutile, praetereo.

HISTO-

HISTORIAE
DE BELLO HENRICI IV IMP. CONTRA SAXONES
LIBER I.

Saxonibus teneriore Henrici *Regis ætate immoderatius abusis, ipse prodeuntibus annis arctioribus eosdem legibus obstringit, quod illi ægre ferentes, legatos ad eum mittunt, de iniuriis acceptis conquesturos, quos* Henricus *sine caussa queri respondet. Vnde Saxones bellum animo agitant, quo percepto Rex diem iis dicit, quem cum non obirent, castellis eos frenat. Hinc illi prædationibus omnia miscent, castrum* Heimenburg *obsident ac oppugnant; sed a præsidiariis repulsi, id eminus claudunt, ac eisdem ære corruptis deditione tandem capiunt. Inde* Hartesburgum *premunt obsidione, sed fortiter propulsantur, multis suorum amissis. Ergo pacem petunt, & certa sub conditione obtinent, quæ tamen non fuit diuturna. Cum enim Goslarienses duos ex Hartenburgensibus in vrbe indigne sustulissent, præsidiarii pecus illis omne abigunt; ciues id armis recuperare conantes magna afficiunt strage, & pace sic rupta tum ipsi, tum regiarum partium alii terrore populationum & incendiis omnia complent.*

*R*Egis Heinrici *volo dicere prælia quarti*
Contra Saxonum gentem, sua iura negantem,
Quæ dum fallentes sociaret viribus arces,
Plurima bella dolis fidens commisit & armis.
5 *Alme Deus succurre mihi proferre latentes*
Vsque modo causas: ea gens quo læsa dolore
Quidue timens, tantos belli commouerit æstus
Aduersus Regem, nulli pietate secundum:
Cuius & externi gaudent iuga ferre Tyranni,
10 *Et cui se nunquam tulit impune obuius hostis.*
Domini Regis, adhuc pueri gens effera laxis
Dum fluit imperiis, nec habebat iura timoris,
Non falsum vero, nec iniquum segregat æquo,
Quod fuerat libitum sibi, quisque secutus eorum
15 *Ecclesias spoliant, viduis sua diripiebant:*
Pupillos, miserosque premunt, vi cuncta geruntur:
Pauperis heredem statuit fortuna potentem:
Plus nocuit, qui plus potuit, lex nulla coercet,
Fasque nefasque, sibi fuerat cuiusque voluntas.
20 *Sed Rex, vt teneros superat virtutibus annos,*
Ante nimis laxas huic genti strinxit habenas,
Iura dedit, leges statuit, cohibenda coercet,
Ecclesiis, viduis, miseris, vi rapta requirit:
Nec fecit quisquam posthæc impune rapinam.
25 *Talia quod populus tolerabat frena superbus,*
Perdoluit, multumque timens, ne pœna sequatur
Tot malefacta sui, studuit contraria Regi
Viribus atque dolis, furor hinc euenerat omnis.
Hinc belli causæ veniunt sub imagine recti.

Cuius

30 *Coniurata dolo gens vt conuenit in vnum,*
Consiliis instructa suas fallentibus artes:
Tres oratores legatos eligit omni (Anno MLXXIII)
Ex numero, sua qui deferrent nuntia Regi:
Qui missi, cursum tendunt ad regia tecta:
35 *Vt sunt ingressi, fuit & locus aptus agendi,*
Inter eos animis qui maximus extat, & armis
Verbis Saxonum sic Meginfridus *agebat*
Rex, tam virtutum, quam regni nobilis heres
Patris auique tui, meritis contraria nostris
40 *Plurima pertulimus, tibi nunc semperque fideles.*
Vim qui ferre solent aliis in partibus orbis,
Hanc nobis faciunt: pupillus & aduena quiuis
Indigenas prohibent siluis communibus vti,
Pascua præripiunt, abigunt armenta gregesque,
45 *Heredes circumueniunt, vi prædia tollunt,*
Omnibus atque modis fit ab his iniuria nobis,
Quam, pie Rex, cohibe posthac, & corrige facta,
Leges redde tuis, ablataque patria iura:
Quod tibi debemus, si nunc optata feremus,
50 *Quo nos cunque vocant, sequimur tua iussa volentes.*
Sic fatus, Regis responsum tale recepit.
Corrigo, si qua piis meritis aduersa tulistis,
Nec quisquam frustra queritur mihi vindice digna,
Quam vos arguitis, non est iniuria nec vis:
55 *Non vestras leges, non ius discindere quærens,*
Passis vsque modo miseris vim, rapta reposco,
Reddo, nec absistam, donante Deo mihi vitam.
Si qua tamen vestræ superest querimonia genti,
Regni primates mihi conueniantque fideles,
60 *Horum consilio super hac re subpeditabo.*
Missi dicta suis referunt dum regia castris,
Infelix populus ruit ad bellum studiosus:
Aeque maiores, æque furuere minores;
Illi ne perdant, quæ plurima rapta tenebant;
65 *Hi quia pauperiem sperabant vincere prædis.*
Quisque manu patrium sibi vis ait experiundum.
Talibus auditis constanti pectore fortis
Rex iubet ad sese Saxonum quemque vocare
Conditione sub hac, si se velit & sua salua.
70 *Nescia mens hominum spectans instantia tantum,*
Quot mala vitares, si prouida viuere scires:
Hi modo gauderent, si regia iussa fuissent
Sectati, soluisse dolent, semperque dolebunt.
Vt perspexit eos Rex nolle venire vocatos:
75 *Sex ibi castellis multo munimine firmis*
Præsidia imposuit, victum quoque largiter addit:
Ipse rebellantes aciem ducturus in hostes
Ibat, vti propere conduceret arma virosque.
Saxonum populus digresso Rege superbus
80 *Leges, iura magistratus, fas excidit omne:*
Ante sibi vetitas gaudet cumulare rapinas
Ecclesiæ, viduæ, pupillus & aduena quisque
Nuper desueti, vim sunt iam denuo passi.
Sic indiscrete praui rapiuntque ruuntque
85 *Nec minus interea circundant milite castra*
Regia, præsidiis quæ sunt commissa relictis:
Hennenberg* *primum, quod erat superabile visum,*

* Heimenburg

Aggressi,

Aggressi, bello decertauere cruento,
Nam castellani fortes ad belláque docti
90 *Inuictique forent, si solum contenuissent*
Crimen auaritiæ, quod peruertit bona quæque.
Hoc igitur positum montano vertice castrum
Circundant vulgi tria millia nocte silenti.
Vix expectabant lucem, summisque ruentes
95 *Viribus ad montem, certatim scandere temptant*
Hostica quo vitent acta testudine tela.
Vndique conferti properant super ardua niti
Gressum dextra iuuat, manus arma sinistra gerebat.
Sic ascendentes, & iam vallo propiantes
100 *Ecce vident fortes occurrere desuper hostes,*
Indutos omnes insignia bellica quæque.
Exoritur propere non paruus clamor vtrimque;
Eminus emissis crebrescunt vulnera telis.
Posthæc res agitur gladiis (miserabile visu)
105 *Nec mora nec requies, Castellani meliores*
Bello magnifice vulgus funduntque fugantque:
Vulnera multiplicant, iræque satis faciebant:
Præterea stantes ad propugnacula castri,
Ne sine se vincant socii, certamina temptant,
110 *Ferratos fustes alii mittunt super hostes,*
Tormentis alii lapides, quidam baleari
Arcu dimissis hostes sternere sagittis.
Plebs deuicta fugam facit hostibus & miserandam.
Namque cadunt plures, dum descendunt fugientes,
115 *Intereuntque suis infixi corpora telis.*
Gens fera Saxonum cur non capis hinc documentum?
Ecce patent plane cladis documenta futuræ.
Nam vincunt primo pauci tua millia bello.
Sed cum seruari non possint pernicici
120 *Debita; tu surgis rursum, nec victa quiescis.*
Ergo Palatinus Comes e Saxonibus vnus
Sex armatorum collectis millibus ipsum
Castrum circundat, bellique moras redimebat,
Sperans expugnare fame, quos ense nequibat.
125 *Sed quæ disposuit, cum non procedere sensit,*
Castellanorum primos per munera temptat,
Quæ constant morum peruersio magna bonorum.
His dum multa dedit furtim, sed plura spopondit,
Si tradant castrum, mentes peruertit eorum,
130 *Vt facerent turpem pro munere deditionem.*
Cur tibi tanta fames auri fuit, impie miles?
Auro vende fidem, forsan lucrabere mercem?
Quod pretium dederis tu, quodque receperis vna,
Si pensare velis, tibimet furuisse videris.
135 *Non lapides castri tantum, non ligna dedisti,*
Vile capis pretium dans carius omnibus vnum,
Quo sine semper eges, quod habens, ditissimus esses.
Perfide sic certas miles, sic credita seruas.
At tibi dissimiles referent per tempora laudes,
140 *Hæc quibus arcipolis fuerat commissa, trecentos*
Quos merito longum virtus & fama per æuum
Insignes faciunt, si quicquam carmina possunt.
Millia Saxones ex se bis de[illegible] legentes
Arcipolim circumueniunt [illegible] [illegible]os castraque ponunt,*

* Hartesburgum Arcem

Vi

Arcem quo capiant, armisue dolisue retractant.
Nunc castellanis fontes & pabula temptant
Claudere, nunc dictis illos mulcere dolosis,
Hic quoque confisi deuincere viribus auri.
Verum nunc talis labor est absumptus inanis.
150 *Nam via nulla dolis, nec prosperitas patet armis.*
Regius iste fidem miles non comparat auro.
Quam sit in arma potens, iam gens Saxonica sensit.
Nunc licet hostiles circundederint legiones,
Non petitur, sed sponte petit tot millia fortis:
155 *Hinc equites lecti descendunt arce ducenti,*
Insignes animis, nitidi fulgentibus armis,
In castris resides, & nil hostile timentes
Hostes inuadunt, & bellica signa canebant.
Saxones subito stupefacti corda periclo
160 *Discurrunt, trepidant, consulto nil agitabant,*
Pars cecidit, pars arma capit, pars maxima fugit.
Instant victores: oritur miserrima cædes:
Castra cruore madent, Mars sæuit vbique cruentus.
Sic deuastatis castrorum partibus illis,
165 *Victores captas abigunt ad mœnia prædas.*
Sed victi luctum variantes clade suorum,
Pars interfectos sepelit: pars membra leuauit
Saucia, viuorum curas habitura suorum.
Corpora vix placidæ componunt fessa quieti,
170 *Cum descendentes e mœnibus arcipolenses*
Irrumpunt iterum castris, somnoque iacentes
Cædunt atque fugant, armis & equis spoliabant,
Circum castra sitas incendunt vndique villas.
Sic decertabant, sic hostibus vsque nocebant,
175 *Obsessisque suos obsessores numerosos*
Tandem cogebant, quod pacem sponte petebant.
Pax sed vtrimque fide datur hac sub conditione,
Si pactum absentis firmaret gratia Regis.
Abscedunt aliis quoque castris obsidiones,
180 *Otia reclusis agitantur, & vndique partis*
Ibant pacifice quocunque placebat vtrisque.
Sed breuibus spatiis durant hæc commoda pacis;
Nec potuit veterem gens impia ponere fraudem.
Nam duo cum iuuenes descendunt arcipolenses
185 *Et noua Gossariæ* voluerunt arma parare:* (*Gosslaria)
Capti, nudati sunt, in cruce suntque leuati.
Gens fera sic seruas pacem, quam tute petebas?
At quod sperasti, nec & hæc impune tulisti,
Nam tua pro geminis fleuisti funera centum.
190 *Velox fama volat referens de pace soluta*
Ad castellanos, & turpi morte suorum:
Qui sperasse fidem Saxonum sero dolentes,
Consiliis agitant, mala qua mercede rependant,
Denos ergo viros mittebant, qui pecus omne
195 *Gossariæ* campis abigant, prædam simulantes.* (*Gosslaria)
Quo facto: prædam properanter ad eripiendam
Gossariæ currunt pariter iuuenesque senesque* (*Gosslaria)
Sutores, fabri, pistores, carnificesque,
Militibus comites ibant in bella ruentes.
200 *Vix extra villam pars agminis vltima venit,*
Cunctaque per latos procedunt millia campos:

In

In castellani centum de valle latenti
Procurrunt equites, mediosque feruntur in hostes:
Vt segetes grando maturas proterit olim,
205 *Dispergunt, cædunt, aduersos confodiuntque,*
Colla metunt gladiis, madet vndique terra cruore,
Strataque tam latos texere cadauera campos.
Saxonum reliqui tam multa strage suorum
Visa, scuta retro iacientes terga dedere,
210 *Atque caballorum fodiunt calcaribus armos.*
Pars ad vicinam tendebat currere siluam,
Pars fugit ad villam, memor vxorisque domusque:
Victores instant, fugientes atque trucidant.
Præmia nunc sceleris gens impia ferre videris,
215 *Quæ pro funeribus tibi sunt illata duobus.*
Quid modo? num pacem malles seruasse priorem?
Et tibi dulce domum deferre cadauera centum?
Certe maioris sunt hæc tibi signa doloris,
Quæ posses plane, si sis bene sana, notare.
220 *Nam cum nec paucis numerosa resistere possis,*
Inuictum contra Regem potes arma leuare;
Cuius mira pari virtus caret atque carebit.
Cuius militiæ vix vltima signa tulisti,
Sed scio, dissimilem sperans succedere finem
225 *Principiis, audes animo præstare superbo.*
Perge tibi pœnas mentis cumulare futuras,
Nondum vincla pati & claustra satis meruisti.
Dum sic dissoluunt condictum fœdus vtrique,
Castellanorum virtus experta laborum
230 *Fortis in arma furit, per tempora nulla quieuit*
Hostibus vsque nocens, sibi laudis nomen adaugens.
Nunc terram vastant præda, nunc torre, & ense,
Sic castellorum quoque custodes aliorum
Fines Saxonum deuastauere propinquos,
235 *Quosque suis castris, simul igni, cæde, rapinis*
Multi modis omnes: sed primitus arcipolenses
Certant magnifice Domini pro Regis honore.

HISTORIAE
DE BELLO HENRICI IV. *IMP.* *CONTRA SAXONES*

LIBER II.

Henrico *bellum instruente, Saxones missis in castra illius nuntiis de pace agunt. Quibus auditis, nonnulli sermonibus illorum inducti, auersos a Rege animos gerere incipiunt; contra Francorum, Sueuorumque non plane nulli, Boiorum vero plures in fide Regi data persistunt. Quo rerum statu præsidiarii Hartenburgenses* ab Henrico *commoniti, hostibus prædas agendo, cremandoque plurimum nocent. Saxones vero* Hartenburgo *castellum quoddam opponunt,* illos-

illosque commeatu priuare laborant; quibus tamen regii plus damni infligunt, quam accipiunt. Henrico *dein castra mouente, Saxones quidem vndique concurrunt; sed quum ex frigore graui, calique intempestate haud parum incommodi accepissent; tum vero conspecto Regis exercitu ei se impares esse cernerent, pacem supplices petunt, quam illis* Henricus *concedit, ac Hartenburgensibus, quod strenue se gessissent, præmia dat, ductoribus honores addit.*

INterea Regis Germania læta iubentis
Imperiis acies ad prælia misit alacres,
Agmina Vangionum, cum robore Boiariorum,
Sueuos, Lotharios, equites ad bella valentes.
5 *His comitatus, iter Rex protendebat ad hostes.*
Eius vt aduentum gens audiit illa propinquum,
Diffidens armis spem quærit in arce salutis:
Mittit legatos ad regia castra decenos,
Vt cunctis regni primis sua nuntia ferrent.
10 *Qui proficiscentes ad castraque peruenientes,*
Primos militiæ Regis, Comitesque Ducesque
Pontificesque pios, compellant vocibus istis:
O prouisores regni, Regisque fideles,
Auxiliis vestris vsi per prospera pacis,
15 *Hæc & consilio vitare pericula vestro*
Sperant nostrates, cui parent vsque volentes:
Aduersus Regem se deliquisse fatentur.
Sed quocunque modo vos vultis siue iubetis:
Vtque placet Regi, sunt hæc purgare parati.
20 *Hanc igitur veniam præstate petentibus vnam,*
Vt vos conueniant, rem vobis ordine pandant,
Et decernatis, quid vos sibi præcipiatis.
Maiores nostrum paucis tantum comitati
Huc prope castra fide vestra venere, manentes
25 *Vestrum consilium, vestrum super omnia iussum.*
Ad quæ primates respondent, cuncta placere
Hæc mandata sibi, de colloquio simul illis
Esse locum dandum, si Rex permittere vellet.
Et mox narrantes Regi mandata, rogabant,
30 *Vt legatorum liceat sibi verba probare.*
Ipse doli nihil esse ratus permiserat illis.
Pontifices igitur primique Duces, Comitesque
Conueniunt iuncti Saxonibus æquore campi.
Plurima Saxones de Domno Rege querentes,
35 *Nunc supra dictas etiam meminere querelas,*
Qualiter impulsi cœpissent talia niti,
Compositisque dolis, sic peruertere potentes
Ex æquo, cœptum quo quisque probaret eorum,
Astringuntque fidem, se Regem commonituros,
40 *His vt ius patrium reddat, commissa remittat:*
Si nollet, se iusta petentibus haud nocituros.
Sed quibus inducti primates artibus, illi
Genti consensum tunc præbuerint scelerosum,
Hoc alias patesit, mihi vita salusque superfit.
45 *Nunc iuuat ire viam directo tramite cœptam.*

Princi-

Principibus cunctis sic in contraria versis,
Fortis Rex patria virtute nitens & auita,
Non sua fortunæ subiecit colla superbæ,
Maluit in paucis multorum victor haberi,
50 *Quam cedens multis tanto caruisse triumpho.*
Quid tibi nunc veteris prodest solertia fraudis
Effera Saxonum gens? quæ tibi commoda rerum
Confert? num scelerum pœnas vitasse putabas?
Rapta tene, secura sede, rape plura, licebit:
55 *Forsan decisis Rex inclitus hæsitat alis,*
Cum paucisque tuas formidat adire phalanges.
Accipe, quas illi laudes hac fraude parasti,
Per quam multorum pauci sumpsere triumphum,
Qua sine paucorum cessisset gloria multis.
60 *An præstat multis multos, an vincere paucis?*
Paucos maiori leuat hæc victoria laude.
Nam si sint plures, daret his diuisa minorem,
Tale & omne bonum minus est in plura direptum.
Collige, iam quid te contra reputando sequatur.
65 *Nam si victores extollit gloria paucos,*
Nonne ferent ignominiam victi numerosi?
Hoc ratio probat, aduersis aduersa cohærent.
Qui fuerant illi tunc regia castra secuti,
Non de Principibus, quos legit regia virtus,
70 *Primatum parit his virtus & nobilitatem.*
Pauci Francorum, pars plurima Boiariorum,
E Sueuis aliqui numero non robore pauci,
Hi veteris fidei seruabant pignora soli.
Protinus in patriam Saxonum nuntia mittens
75 *Rex super arcipolim*, castellaque cetera, mandat*
Militibus fidis, ne propter deficientes
Ab se primates regni cunctentur in arma,
Hostibus vt nunquam cedant, bene credita seruent,
Se cito venturum, ferro sua castra solutum.
80 *Continuo Regis castrenses iussa facessunt,*
Hostibus obsistunt, castellis quæque propinqua
Vastantes igni, prædaque & cæde cruenta.
Postquam Saxones ex Principibus redeuntes
Excussisse sibi sperabant regia frena:
85 *Castellis aliquam tractant obtendere technam.*
Resque monebat eos, clades non parua suorum,
Cetera maiori circumdant obsidione.
Arcipolin autem temptare per obsidionem*
Nullus præsumpsit, casus memorando priores.
90 *Ergo dolos artesque nouas expromere quærit.*
Immenso monti, qui proximus imminet vrbi,
Castellum super ædificant (mirabile dictu)
Altis ilicibus tantum resecando quadratis.
Præsidium patriæ, vigili tutamen ab hoste
95 *Illuc imponunt, armatos mille ducentos,*
Qui despectarent hostes, quodcunque pararent,
Ne quis posset eis deferre cibaria: & si
Vnquam descendant ad prædas diripiendas,
Descendant vt & hii, concurrant hostibus hostes.
100 *Et castellanis furtim stipendia si quis*
Attulit, aut cæcant, suspendunt, siue trucidant.
Vtraque iam resident aduersa tegmina castris.

* Hartesburgum

* Hartesburgum

Hinc

Hinc maior numerus, hinc bello clara iuuentus,
Hostibus vt noceant vigiles, speculantur vtrique:
105 Nec ponunt fessi nocturnæ membra quieti.
Nostri maiores bello, numeroque minores
Saxonum turbam multo certamine temptant.
Nunc arcus celeres, nunc contorsere balistas,
Hostibus aduersis transfigunt pectora telis.
110 Nunc illis igni corrumpunt mœnia castri,
Aediles ipsos perimebant, aut capiebant,
Sæpeque perplures victu rhedas oneratas
Hostibus allatas rapiunt violenter, & ipsos
Vectores capiunt, cædunt, funduntque fugantque.
115 Sic inter sese belli certamina miscent.

Illic cum fortis Rex agmina lecta suorum
Cogens, aduersos cursum tendebat in hostes.
Regius en campis miles procedit apertis
Paucus, at ingenti virtutum laude probatus,
120 Nec minus inducijs belli quam fulgidus armis.
Loricæ, galeæque tegunt fortissima cunctæ
Corpora militiæ, scutis impicta gerebant
Fortia facta patrum, quo talia visa virorum
Incendant animos solius laudis auaros.

125 Velox fama volat Saxonum nuntia genti,
Regem venturum, ferro sua castra solutum,
Instructis totis acies incedere campis.
Nec mora, tam raras speculantur Regis vt alas,
Confisi numero statuunt decernere ferro.
130 Denique per patriam mittebant nuntia totam,
Cunctus vt ad bellum populus properaret agendum.
Indiscreta ruunt e cunctis agmina villis,
Rusticus abiecto quiuis discedit aratro,
Et studio belli studium postponit arandi.
135 Pastores pecorum, custodes atque domorum
Præposuere suis pugnæ discrimina curis.
Capta peregrinis mercator munera terris
Negligit, in bellumque ruit securus, ad horam
Accedat quantum summæ, quantumue recedat.
140 Omnis conditio bellum cupit, omnis & ordo,
Maxima pars pedes iuit, equis pars fertur in altis,
Armati variis sibi quæ sors obtulit armis.
Tales militibus comites in bella ruebant,
Ignari, se quam crudelia facta sequantur,
145 Infaustique suas ausi dimittere curas.
Ergo fremens campis exercitus ibat apertis,
Cum glacialis hiems cursus frenarat aquarum:
Vndaque nauigiis prius, est modo peruia plaustris.
In stabulis armenta, feræ siluisque rigebant,
150 Multa metallorum præ frigore dissiluere,
Nec minus & pluuias venti spirant hiemales.
Talis tempestas Saxonum contigit alas,
Ex quibus intereunt miserando funere multi.
Nam vulgus peditum gradiens per deuia fessum,
155 Dum sedet in campis, requiem quærendo laboris,
Frigore concrescunt sudore madentia membra.
Corpora multa gelu nocturno diriguere
In siluis hinc igne, sed hinc corrupta pruinis.

Ast equites arti carpentes pernicia callis
160 *A tergo insequitur vis maxima turbinis atri,*
Excussosque via cumulo niuis abdidit altæ.
Hic nec sessor equum iuuat, aut iuuat ille sedentem,
Saxonum multi ceciderunt funere tali.
Cetera de tantis pars conseruata periclis;
165 *Regis vt instructas videt aduentare cohortes,*
Sol & in auratas galeas clypeosque refulsit,
Cernit & erectis acies accedere signis:
Horribili stupet aspectu, furit igneus ardor,
Consumens villas in circuitu numerosas.
170 *Procurrunt equites ex agmine Regis alacres,*
Exultantque suis flectentes colla caballis,
Alternos ineunt discursus, atque recursus,
Versuras celeres duplicantque decenter equestres,
Ac desiderio pugnandi bella lacessunt.
175 *Nec prædicta viris nocuerunt frigora tantis,*
Nam sanguis calidus fuit his & bellica virtus.
Talia Saxones irritamenta videntes,
Quid faciant? quid agant? qua vi certamina temptent?
Languida vix tanto motabant frigore membra,
180 *Armis exuti, demissi colla superba,*
Nudatique pedes, pariter cum supplice voto
Regis castra petunt, cui se sua cunctaque dedunt.
Carmine quo tanti laudes celebrabo triumphi,
Tempore de Caroli qualis non contigit vlli?
185 *Virtus celsa dedit huic quod natura negauit,*
Quæ sic in cunctis vires animantibus æquas
Destinat esse suas, vt maior turba minori
Eiusdem generis certamine præstet in omni.
Vix modo victores deuictos addecimabant,
190 *Millia sex vincunt, decies tot victa fuere.*
Participes tanti felices vsque triumphi,
Virtus nostra feret decus immortale per æuum
Pro tantis meritis, si quid mea carmina possunt.
Nec mihi quis dicat, non hæc victoria præstat,
195 *Non sunt victores tam multa laude notandi,*
Qui non pertulerant vllum vincendo laborem;
Non hostes iugulant, nec terram cæde cruentant.
Concertare valens num quisquam supplicat hosti?
Num fidens armis spem quærit ab hoste salutis?
200 *Tanto maiorem fert hæc victoria laudem,*
Quanto maior erat honor hostibus imperitare
Viuis, quam gladiis & quauis cæde peremptis.

Rex igitur facta Saxonum deditione,
Supplicibus mitis, contrarius atque superbis,
205 *More leonino substratis hostibus iram*
Iustam deposuit, commissaque cuncta remisit.
Ibat per patriam Rex inuictissimus illam,
Incorrecta regens, leges & iura reponens,
Restituens cunctis sua dudum despoliatis.
210 *Hinc propriam sedem tendens ad Gosfariensem*,*
Saxonum genti dat patria iura petenti,
Per totam patriam pacis iubet esse quietem,
Iusto iudicio causas componit & æquo.
Hic quoque militiam donat bene munere dignam.

* Goslariensem

215 Ad

215 *Ad se custodes castrorum conuocat omnes,*
Castraque reclusis iubet esse patentia portis.
*Primitus insignes donauit & arcipolenses**
Muneribus meritis, auri dat pondera puri,
Ingentesque viros extollit honoribus amplis:
220 *Virtutem laudat, bene gestaque prælia iactat.*
Namque solet virtus hominum committere maius;
Acrius atque calet, si laus sua facta sequatur.
Sic castellorum quoque præsidiis aliorum
Munera condigne dat pro quocunque labore.
225 *Sic ibi dispositis rebus, pacemque fideli*
Mente gerens, factisque probans se transtulit inde.

* Hartesburgenses

HISTORIAE

DE BELLO HENRICI IV. *IMP.* *CONTRA SAXONES*

LIBER III.

Saxones, pacis conditiones haud adimpletas caussantes, castrum Hartesburg *exspoliant, exspoliatum indomito furore incendunt ac deuastant; eodem & castella cetera euertunt. Quo precepto Rex indignatione succensus, per omnes regni prouincias militem cogit, collectoque insigni ac copioso exercitu in eos mouet; gente effera e contrario ad bellum propulsandum omni studio se comparante. Cum vterque exercitus non procul Vnstruta fluuio consedisset, res venit ad gladios, prælioque in noctem vsque protracto, Saxones tanta afficiuntur clade, vt plerique aut ferro occumberent, aut Vnstruta mergerentur, aut captiui in Regis venirent potestatem. Qua victoria obtenta, suorum* Henricus *agit curam; militeque dein ad bellum conficiendum oratione habita incitato, victricia arma per omnem Saxoniam circumfert, crebris excursionibus suos locupletat, omnia quaqua versum depopulatur. Saxonibus denuo delectum instituentibus, & ipse subito exercitum contrahit, eisque imminet. Qua re perculsi, supplices pacem exposcunt, eique se dedunt.*

A*T gens exitio dudum deuota futuro,*
Vt fuerat solitæ concessa licentia prædæ,

Concipit

Concipit immanem diro sub corde furorem,
Et ruit effrenis, quo se tulit impetus amens.
5 *Fana profana simul miscet, fas discidit omne,*
Criminibusque nouis dissignat fœdera pacis.
Præsidiis vacuam placida iam pace quietam
Arcipolin armis inuadunt millia gentis,*
Mœnia despoliant, æraria regia frangunt,
10 *Thesauros, cultusque nouos auroque rigentes,*
Aurea vasa, cyphos, lances, insignia regni
Plurima diripiunt, incendunt mœnia flammis.
Aduersusque Deum vertentes arma furoris
Ecclesiam inuadunt, auellunt aurea mensis
15 *Ornamenta sacris, tabulas capsasque rescindunt,*
Atque sacerdotes sua munia iam celebrantes
Vestibus abscissis audent obtundere pugnis,
Auratasque cruces manibus lacerare cruentis,
Et defunctorum violare sepulchra reiectis
20 *Ossibus, intactum nullum liquere furorem.*
Flammarumque globos iactant ad culmina templi,
Venti dant vires flammis, furit æstus ad auras
Aequaturque solo regalis machina tota.
Sic aliis castris custode carentibus igni
25 *Incensis, plures ornatibus exspoliatas*
Ecclesias etiam corrumpunt ignibus atris.
Multas regales deuastant vndique curtes:
Pupillis, viduis violenter dilaceratis
Multiplicant prædas, confundunt fasque nefasque.
30 *Gens fera Saxonum, factrix memoranda malorum,*
Est hæc deditio tua? Sunt hæc fœdera pacis
Condictæ? Tales voluisti pectore fraudes?
Quis tua non stupeat crudelia facta fidelis?
Fraudis vel scelerum venient tibi digna tuorum
35 *Præmia: perge modo, rape, destrue, distrahe cuncta:*
Non diuina fides, te non humana reflectat.
Facti fama volat, totum regnumque replebat.
Cuncti Saxonum crudelia sacrilegorum
Facta stupent, artesque nouas, pollutaque pacis
40 *Fœdera. Primates propriis se vocibus vltro*
Incusant, gentem prius hanc audisse nefandam,
Fallentemque dolis & regia iura negantem.
Detestantur eos simul omnis sexus & ætas.
Nec mora, percepto Rex magnus crimine tanto,
45 *Egregia pietate nitens, fortissimus armis,*
Zelo iustitiæ flammato pectore feruet:
Aduersum tantos præsumptus colligit iras:
Ignescunt animi iusto sub corde feroces:
Non sua iam, sed iura Dei violata dolebat.
50 *Imperat exciri totius robora regni,*
Armauitque acies acer viturus in hostes.
Regis ad edictum cuncti se in bella parabant,
Aeque maiores, æque studuere minores,
Arma nouant, animos acuunt, docuere caballos
55 *Currentes facili ceruice reflectere cursus,*
Horrificos belli non exhorrere tumultus.
Primus init bellum cogens in prælia secum
Sueuos vnanimes Dux fortis in arma Rudolfus,
Quos prius expertos Saxonica bella celebrat 60 Gloria

* Hartesburgum

60 *Gloria quæsiti* Carolo *sub Rege triumphi.*
Hic & in arma rapit secum quos patria misit
Curia, mille manus Ararim Rhodanumque bibentes.
Hos Romanorum sequitur de gente vetusta
Dux Catulus* *nomen referens moresque genusque.*
65 *Signa Ducis sequitur gens inclita Boiariorum,*
Quam toticus domitis celebrat victoria Parthis,
Et nunquam violata fides, bellisque probata
Virtus, Boiemicis multisque superba triumphis.
Nec non Vangiones ibant in prælia fortes,
70 *Gens antiqua, potens armis & munere terræ.*
Regia signa sequi bello quæ gaudet in omni,
Solaque regales servat per prælia fasces,
Nunc quoque signa sui sequitur fulgentia Regis,
Agmine multiplici cingens insignia regni.
75 *Rex cunctas acies excellens vertice celso*
Alto fertur equo, mediis in millibus extans.
Arma nitent aurata nitentibus addita membris,
Emicat e cunctis rutilans ut Lucifer astris.
Post hos insignis Dux agmen agit Gotefridus*,
80 *Corda gerens patris, quamuis sit corpore dispar,*
Consuetas iuuenum ducens ad bella phalanges,
Ripheas habitant urbes, Thilen, Nimagumque,
Extremos regni fines ubi bella mouentur
Semper, & hostili crudescit sanguine terra.
85 *Tum Dux Lotharios* Tiedricus* *cogit in arma,*
Dux insignis eques, in equestria bella valentes
Turmas educens, armis animisque vigentes.
Et Vuestualorum, Fresonum, Boiemiorum
Exibant acies accitu Regis alacres,
90 *Millia multa nimis decorata nitentibus armis.*
His comitatus iter Rex ultor tendit in hostes.
Ergo frequens campis exercitus ibat apertis:
Tellus cornipedum cursu pulsatur equorum.
Talia Saxones ex fama percipientes,
95 *Absumpti figmenta prius fraudesque dolosque,*
Coguntur tandem nunc se defendere bello.
Emittunt equites strictis mucronibus acres,
Per totam patriam vulgi concire cateruas
Omnes ad bellum seque & sua quemque tuendum.
100 *Concita plebs rerum mox ardet amore nouarum:*
Omnes agricolæ fractis agrestibus armis
Arma parant belli, durisque ligonibus enses
Conflant ancipites, curuis e falcibus hastis
Spicula præfigunt, pars aptat scuta sinistris
105 *Leuia, pars ferro galeas imitatur equestres,*
Pars triplici philtro: fustes ad prælia quernos
Millia multa parant, plumbo ferroque grauabant.
Mille modis acies ad bellum armantur agrestes.
Squalent arua suis cultoribus exspoliata,
110 *Pastores pecorum, custodes atque domorum*
Præposuere suis belli discrimina curis.
Quisque frequens, curas cum vertit ad arma redemptor,
Concitus in bellumque ruit, securus ad horam,
115 *Accedat quantum summa, quantumue recedat.*
Ergo tegunt latos passim tot millia campos,

* *Welfo*, Azonis Estensis ex Cunitza Wellica filius.

*Vulgo Gibbosus, Lotharingiæ inferioris Dux, Gosfridi II filius.

* *Fortis* cognomento, *Gerhardi* superioris Lotharingiæ Ducis, filius.

Quot

Quot & Pontus agit fluctus, & messis aristas.
Nec minus assuetæ bellis armisque phalanges
Indocili turbæ dictant discrimina pugnæ,
120 *Irritantque rudes verbis ad prælia mentes,*
Quam sit turpe iugum seruile pati dominorum
Ingenuos, quantumque mori sibi præstet in armis.
His aliisque modis accensum pectora vulgus
Indomitum, specie belli præludit agendi,
125 *Per virgas discens subducere corpus ab ictu,*
Et iuuat armorum sonitus, clangorque tubarum.
Sic ruit exitii gens inconsulta futuri.

Nec mora, iam cunctæ transportantur vada turmæ
Fluminis Vustardi, qui cladem nomine genti* *Vustrum
130 *Iam præsignasset, si non tardanda fuisset.*
Ecce vident nigras glomerari puluere nubes,
Et magis atque magis tenebras insurgere campis.
Paulum progressi longe splendescere cernunt
Æratas acies, erectaque signa volare.
135 *Quid faciant? Iam nulla doli figmenta patebant,*
Nec transire fuga poterant vada fluminis alti.
Ergo manu conferre parant, cunctasque phalanges
Sacrilegas bello disponunt ordine longo.
Regius instructis processit suauiter alis
140 *Miles, & aduersos iamiam properabat in hostes:*
Sueui, Boiarii, qui Regis in agmine primi
Extant, quos celebrat numerosis fama triumphis,
Præcurrunt celeres, primique feruntur ad hostes.
Hastas decurtant, & certis corpora signis
145 *Scutaque discreti densos rapiuntur in hostes.*
Bellicus exoritur magno certamine clamor:
Irrumpunt telis, quæ confectissima stipant,
Agmina Saxonum deiectant vndique læto,
Corpora, maturas ceu falx succidit aristas,
150 *Ense metunt, capitum segetes (miserabile visu)*
Ense parant, medios iter est quacunque per hostes.
Non tegit indutos artus lorica fidelis,
Nec caput auratæ galeæ, moriuntur vbique,
Strata cadaueribus crudescit sanguine tellus:
155 *Ingruit armorum sonitus, clamorque cadentum:*
Ancipites gladii numerosa cæde calescunt:
Seminecesque viris permixti sanguine multo
Proноluuntur equi traiecti pectora ferro.
Horrificus belli crebrescit vbique tumultus,
160 *Sæpeque Saxones immensa cæde cadentes*
Audent obniti, ne sic moriantur inulti,
Victoresque suos vario certamine temptant,
Accipiunt redduntque ictus: Mars sæuit vtrinque.
Hic pedibus calcans sua viscera currit in hostem,
165 *Ille trahens proprio gelidum de corpore ferrum,*
Interfectorem moriens interficit hostem.
Vtraque sic odiis certabant agmina diris,
Cum fortis subito Rex irruit agmine denso
In medios hostes, proculcans obuia quæque
170 *Agmina Saxonum cunctantia sacrilegorum*
Fulminat egregiis Rex ipse coruscus in armis,
Plurima consternens perit... e millia gentis.

Pp Nec

Nec mora, ceu tenuis ventorum flamine puluis
Diffugit, a facie Regis sic agmen & omne.
175 *Scutis dorsa tegunt, volucri cursuque recedunt.*
In spe nulla salus, ruit irreuocabile vulgus,
Victores instant, fugientes atque trucidant.
Et nisi iam cœlum densatæ puluere nubes
Texissent, visusque sequentum detinuissent,
180 *Vltimus ille dies genti luxisset iniquæ.*
Sed tamen in cæcis multi cecidere tenebris,
Corpora perfossi telis, gladiisque secati.
Millia multa cadunt hostili vulnere nullo
Tacta, sed in fluido collapsi membra cruore,
185 *Cornipedum pedibus mox inculcantur equorum.*
Mortis mille modis moriuntur millia gentis,
Sic & ad Vnstardi veniunt vada fluminis atri.* (* Vnstruta)
Quid faciant? quos a tergo ferit hosticus ensis:
Altus ab aduerso Vnstardus tardabat abire.* (* Vnstruta)
190 *Decernunt dubiam magis attemptare salutem*
In fluuio, quam non dubiæ succumbere morti.
Insiluere vadis inconsulti malefidis:
Hostis eos retro ferro premit, imminet, vrget,
Inuoluuntur aquis certatim saucia fanis
195 *Corpora mixta fere, quot densa grandine guttæ.*
Millia multa nimis sic interiere sub vndis.
Cæruleum iam purpureo mutata colorem
Defluit vnda rubens, humana cadauera pontem
Nostris præbebant, transire volentibus vltra.
200 *Sic transportatus cum turmis Dux* Gotefridus
Hostes ex vndis seruatos irruit armis,
Feruidus innumeras postrauit & ipse cateruas,
Circumquaque premit fugientes, atque peremit.
Vsque furit gladius confundens stragis aceruos.
205 *Dum nox composuit pariter bellumque diemque,*
Boiemii castris Saxonum despoliatis
Vestibus occisos nudant truncantque iacentes,
Plurima diripiunt carpenta ferentia victum,
Atque suis multas castris traxere rapinas.

210 *Saxea gens nunc digna tuis cape præmia factis:*
Sic bene quæsisti, quæ patria iura petisti.
Ius certe quodcunque feres & conditionem,
Amplius ex dextræ victricis munere pendet.

Rex vespertinus victor de cæde reuersus,
215 *Imperat exquiri, quæ saucia, quæue suorum*
Corpora per campos iaceant occisa cruentos.
Saucia committi medicis, defuncta sepulchris.
Postea cum primum stellas lux alma fugarat,
Agmina militiæ iubet ad se cuncta vocare,
220 *Ipse de hinc medius consurgens talia fatur:*

Virtus vestra meum quanti perpendat honorem
Ac decus imperii, declarant bella peracta.
Mecum vos animas in aperta pericula vestras
Misistis: gentem domuistis in arma ferocem.
225 *Nec dubitata mihi fuit hæc victoria belli,*
Dum me vestra comes virtus sequeretur in arma,
Qua comitatus ego securus in omnia vado.

Maximus en vobis labor est pugnando peractus:
Nunc agitate fugæ versos, componite bellum:
230 *Illorum fines inuadite depopulantes,*
Vt commissa luant qui iura Dei violabant.
Nec fuga saluet eos, bello quos arma nequibant.
Vix ea dicta dabat, simul omnes signa leuabant,
Acriter hostiles inuadunt vndique fines:
235 *Vastatas prædis villas dant ignibus atris:*
Consumptor furit immissis Vulcanus habenis.
Sic Rex per patriam deducens agmina totam
Cuncta timore domat, vi castraque cepit & vrbes,
Ecclesias Christi tantum defendit ab igni.
240 *Boiemii variant prædas rapiuntque trahuntque:*
Hi pecus e stabulis abigunt ardentibus, illi
Multis plaustra onerant spoliis ex igne receptis.
Hi monstrant fossas loca per secreta repertas,
In lucemque trahunt argenti pondus & auri
245 *Defossi, pulchras vestes, insignia multa.*
Ast alii latebris siluestribus arte repertis,
Pluribus extractis gaudent ditescere prædis.
Vis & odora canum nonnullis commoda rerum
Monstrat, in obscuris penitus defossa cauernis.
250 *Paucis Saxonum remanet domus, aut pecus, aut res.*
Per totam patriam nullus vastantibus obstat.
Plures in siluis latitantque palustribus herbis:
Plures castra petunt Regis, seque & sua dedunt,
Quis vel nunc veniam clementia regia donat.

255 *Rex victor patria sic vndique depopulata,*
Agmina muneribus donans dimittit opimis.
Ipse renitentes, nec adhuc sua frena ferentes,
Fidentesque fugæ, non destitit exagitare,
Bello multiplici petit illos semper & acri,
260 *Nunc hac nunc illac fines inuasit eorum,*
Ipsis percuruas valles siluasque moratis
Improuisus adest, agitantibus otia tuta,
Pontifices Comitesque cepit, reliquosque fugauit,
Quæque relicta prius, flammis nunc tradidit atris.

265 *His aliisque modis Rex inuictissimus hostes*
Conterit, atque premit, nec adhuc gens victa quieuit,
Sed iuga detrectat & regia iura negabat.
Ergo superborum Rex debellator & vltor
Rursus in arma vocat lectissima quæque suorum
270 *Agmina, Lotharios cum Francis, Boiariisque,*
Inuictas acies bello, sectatur & hostes,
Certus eos toto iam iam propellere regno.

Exue duritiam cordis gens sæua. Vel ipso
Temporis articulo iam nunc delebere vel tu,
275 *Vel tua posteritas, nisi colla superba remittas.*
Victa resistis ei, cui nullus restitit vnquam?
Exhorresne pio Regi tua dedere colla:
Num pessundatus est quisquam sibi deditus vnquam?
Subdere clementi, supplex substernere miti.
280 *Ipse paternorum certissimus assecla morum*
Parcit subiectis, debellaturque superbos.
Ergo propinquantis dicto cum milite Regis

Castra petunt humiles Saxonum quisque valentes,
Iam diffidentes armisque dolisque fugæque,
285 *Armis exuti, demissi colla superba,*
Nudatique pedes, cuncti cum supplice voto
Regi se dedunt omni sine conditione.
Ecce tenes solitum, tu Rex invicte, triumphum,
Cum tua frena pati gentem effrenem docuisti:
290 *Vt virtute geris, sic & pietate parentes,*
Rex Auguste, gere, tu substratis miserere.
His satis exempli, fortissime, iam statuisti,
Si qui forte tuis obsistent amplius armis.
Nunc tibi supplicibus propone quibusque futuris,
295 *Quid de te sperneus, dum se tibi, Rex pie, dedent.*

HISORIAE

de Bello HENRICI IV Imp. contra Saxones

FINIS.

ROBER-

ROBERTI MONACHI
DE
CHRISTIANORVM PRINCIPVM
IN SYRIAM PROFECTIONE
AN. MXCVI INSTITVTA,
ET
POST DEVICTOS SARACENOS
REGNI HIEROSOLYMITANI OCCVPATIONE
LIBRI IX,
CVM CASPARIS BARTHII
ANNOTATIONIBVS
RECENS ADIECTIS.

ACCEDIT
NOVA HAC EDITIONE
BOAMVNDI
PRINCIPIS ANTIOCHIAE,
CETERORVMQVE BELLI SACRI
DVCVM,
AD
VRBANVM PAPAM II
EPISTOLA,
E TOMO I MISCELLANEORVM
STEPHANI BALVZII.

QVi hanc *de expeditione Christianorum in Palaestinam prima* narrationem scripsit, ROBERTVS *Monachus*, gente fuit Gallus, & institutum viuendi a *D. Benedicto* orbi inuectum secutus, ad Abbatis successit honores; Remis in monasterio *D. Remigii* regendo *Henrico* Archimandritae anno MXCV suffectus.

Concilio Claromonti habito cum interfuisset, singulari concitatus desiderio, loca sanctissimis Christi vestigiis & sanguine consecrata adeundi, anno sequenti MXCVI cum aliis sacrae militiae functionem professis iter sacrum ingressus est, praesensque, cum Hierosolymae anno MXCIX die XIV Iulii expugnarentur, adfuit.

Haec inter autem in Synodo Remensi, an. MXCVIII vel MXCIX a *Manasse* Archiepiscopo coacta, a monachis suis accusatus, ac si in sumtus itineris monasterii bona non pignoribus modo illigasset ac disperdidisset, verum absens etiam ad id tempus labefactaret, dignitate Abbatis deiectus est; variantibus tamen sententiis, in quem vitae statum, si quando rediret, redigendus esset. Alii namque censebant, ad Prioratum, vt vocant, *S. Oriculi* Senucensem honeste mittendum; alii, in claustrum Remense, in quo monachum olim professus esset, compingendum esse.

Quamuis autem *Vrbanus* Papa *II* ab Episcopis consultus, illorum improbarit sententiam, vt ex epistola ipsius ad *Manassen* data * cognoscere licet: tamen ab itinere reuersus, cum contra Archiepiscopi auctoritatem potentiamque non satis virium haberet ac roboris, fortunae aduersanti cessit, ac dicti Prioratus Senucensis administrationem suscepit: *Baldrico*, Burguliensis coenobii Abbate, grauem viri casum grauiter admodum dolente, atque *Odonem* Episcopum Ostiensem enixis precibus rogante, miseri caussam vt suscipiat, faciatque, vt *Robertus* pristinae restituatur dignitati †.

* Sic enim habet: *VRBANVS Episcopus Seruus seruorum Dei Venerabili Fratri* Manassae, *Remensi Archiepiscopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Abbatis* S. Remigii *caussa in praesentia nostra & Confratrum nostrorum Episcoporum & Cardinalium diligentiori discussa est inquisitione, & ad hunc tandem finem perducta.*

ducta. Iudicium Episcoporum prolatum super eum hac ratione reprobatum noueris: quia postquam filius a patre emancipatus est, sub curam & dominationem patris dispositione legum non cogitur, nisi sponte ipse rogauerit. Promotionem enim Abbatis emancipationem accipimus: ideo sub potestatem Abbatis redire non debere indicamus. Vid. *Oudinum* tomo II Commentarii de Scriptoribus & scriptis ecclesiasticis Saec. XI col. 862.

† In Carminibus Historicis, ab *Andrea Duchesnio* tomo IV Scriptorum Historiae Francicae e veteri codice mscr. in lucem prolatis, p. 267:

Vnicus est, Odo, *mihi filius, immo Coabbas,*
Pro quo deuotus adsto tuis pedibus.
Namque manum super hunc nimis aggrauat ille Remensis,
Iram qui Papae funditus emeruit,
Imposuit siquidem Regi diadema Philippo,
Nunc & in hoc Papae negligit imperium.
Propterea fundo mea viscera funditus, Odo,
Vt mihi perficias hanc tibi rem facilem.
Abbatis partem sustentes ordine recto,
Vt restauretur filius ille meus.
Quod confirmauit in eo Romana potestas,
Inconuulsum sit, permaneatque ratum.
Et potes & debes, nisi me contemseris, Odo,
Abbatem sancto reddere Remigio.

Sedenim nec hic locorum meliori, quam ante, vsus est fortuna. Quippe insperantem anno circiter MCXX vel MCXXI *Calixtus II* Pontifex Romanus ab officio hoc remouendum censuit, rescripto Laterani XVII Kalend. Iun. his verbis dato: *Mandamus, vt* Robertum *Priorem* S. Oriculi, *qui olim* S. Remigii *Abbas extitit, ab illo prorsus amoueant.* Simillimum vero est, eum ob res Prioratus non ea, qua par erat, cura diligentiaque administratas monachos rursum in se concitasse.

Scripsit autem hanc expeditionis illius sacrae historiam rogatu Abbatis cuiusdam, cui nomen *Bernhardo*, vt in veteri quodam mscr. se legisse refert *Iacobus Bongarsius* (in praefatione). Illi enim displicebat, quam alius quidam huius argumenti confecerat, narratio; partim quod ἀκέφαλος esset, partim quod stilo negligentiori esset composita. Monet id ipse in praefatione apologetica.

Interim illum ipsum, hanc ingressus prouinciam, presso fere pede secutus est; vt in annotationibus suis doctissimus *Barthius* quam saepissime cum obseruauit, tum ostendit. vid. lib. I cap. IV lit. e) lib. II cap. II lit. e) lib. VI cap. IV lit. b) cap. VIII lit. e) lib. IX cap. IX lit. c) cap. X lit. b) & c).

Initium vero ſcribendi fecit a concilio Claromontano, an. MXCV habito: finem in inſigni illa Chriſtianorum victoria, ab Admirauiſo Babyloniae an. MXCIX iuxta Aſcalonam reportata. Vt adeo rerum, quae quinque his annis in hac Chriſtianorum expeditione contigerunt, ſeriem explicarit.

Nouem quidem libris, ſi veteres membranas & editionem Bongarſianam; octo vero, ſi Henrici Petri iſtam, ac Piſtorianam recenſionem, quam *Reuberus* dedit, ſequaris. Quod autem non idem in omnibus librorum numerus ſit, inde prouenire ſcias, quod in illis liber VII in duos ſit diuiſus; in his vero VII & VIII coaluerint in vnum; vt poſt *Bongarſium Oudinus* notauit l. d.

Quod ſi Trithemium *audimus, fuerint libri X. Credo, in exemplar inciderat, vbi & alius liber in duos diſpeſceretur. Voſſius* de H. L. lib. II cap. XLVIII p. 402.

Vbi locorum tandem eam confecerit, ipſe indicat, dum in fine praefationis apologeticae ait: *Si quis affectat ſcire locum, in quo haec hiſtoria compoſita fuerit, ſciat eſſe clauſtrum cuiusdam cellae* S. Remigii, *conſtitutae in Epiſcopatu Remenſi.* Intelligit autem ſupradictum *S. Oriculi* Prioratum Senucenſem, vulgo *de Senuc*, haud procul a caſtro & oppido *Grandisprati* ad flumen Axonam.

Et haec de hiſtoria, quam ſcripſit, ipſa. Quod ad editiones, prodiit ea ſaepius. Et primum quidem ſine vlla vel loci vel typographi, vel temporis adiecta mentione; quam editionem *Bongarſius* in praefatione *optimam* vocat. Dein *Baſileae* typis *Henrici Petri* anno MDXXIII; quam deprauatiſſimam *Caue* hiſtor. litterar. Scriptorum eccleſiaſt. ſaec. XII p. m. 444, *Bongarſium* ſecutus, dicit. Tum Francofurti ad Moenum an. MDLXXXIV inter hos ſcriptores *Reuberianos* ex recenſione *Ioannis Piſtorii*, quam nihili cenſendam iudicat*, pluribusque locis caſtigat ſupra nobis laudatus *Barthius.* Tandem Hanouiae anno MDCXI inter ceteros belli ſacri ſcriptores, *Bongarſii* cura editos, loco ſecundo.

* His quidem in ſuarum annotationum prooemio verbis: *Editionem pede preſſo ſequemur Bongarſianam. Quam enim dedit* Ioannes Piſtorius, *nihili ideo cenſenda eſt, quod auctorem corrigit, vbi ex ſuo is aeuo loquutur, inducitque futiles melioris latinitatis loquelas, quas talibus intruſas merito horremus.*

Quam editionem cum *Bongarſius* ſummo adornarit ſtudio, codicibus mſcr. *Nicolai Fabri, Laurentii Bochelli,* ſuisque adiutus, eam, miſſa, quam *Reuberus* dedit, Piſtoria-

ſtoriana, hic expreſſi, *Barthii* ſecutus conſilium, dum in annotat. ad libri II cap. VIII ſcribit: *Monendi ſunt lectores, ſpreta illa editione* (Piſtoriana ſcilicet) *Bongarſianam amplectantur, ſi integrum hunc ſcriptorem legere velint.* Et paullo poſt: Ioannis Piſtorii *editio, quam* Bongarſiana * *poſteriorem* Reuberianae *collectioni Scriptorum Germanicorum Wecheliani iunxerunt, multa* hic *mutat, ſed quae palam contra genium temporum faciunt: itaque rationem eius minime habendam putamus. Quod ſi eo modo omnes inferiorum temporum ſcriptores deformarentur, vileſceret neceſſario omnis eorum cognitio* cet. Nec verſus *Roberti*, quos *Bongarſius* ex membranis margini adleuit, omiſi, memor, *Barthium* indignatum, quod *Piſtorius* eos orae adiicere neglexerit*. Immiſcui autem notis, cum marginis anguſtia haud permitteret, vt eos eidem commode adſcriberem. Signo interim ſtellulae vbique appoſito, quo pertineant, notaui.

* In not. ad lib. VII cap. I p. 99: *Peſſime editio* Ioannis Piſtorii, *quae Bongarſianis marginibus adſcripta argumenta verſibus conſcripta, adiicere ſuis neglexit.*

Diſtinxi autem libros in certa capita, *Barthii* plerumque veſtigia premens: capitibus vero tum ſummaria praefixi, tum *annotationes Barthianas*, quas Illuſtris *Ludevvigius* tomo III *Reliquiarum omnis aeui diplomatum ac monumentorum manu ſcriptorum* in lucem protulit, ſubiunxi; ratus, lectoribus id haud fore ingratum, cum & doctae ſint, ac *Robertum* tum illuſtrent, tum emendent.

De cetero, quod mihi integrum haud fuit, vt alii praeſtent, & auctorem cum manu exaratis codicibus, qui hic illic in bibliothecarum celebriorum forulis latent*, conferant atque componant, opto.

Plures certe id genus vel in Galliis reperiri teſtis eſt *Oudinus* l. d. col. 864, *MSS. etiamnum in bibliotheca* S. Remigii *Remenſis deliteſcit. Vidi illam quoque mſcr. in bibliotheca* Bonifontis *Ciſtercienſis ordinis in tractu Remenſi; nec deeſt in celebrioribus Pariſienſibus bibliothecis*, Regia, Colbertina, Victorina, *atque in aliis Galliae noſtrae multis.*

INCIPIT PRAEFATIO APOLOGETICA.

VNiuerſos, qui hanc hiſtoriam legerint, ſiue legi audierint, & auditam intellexerint, deprecor, vt cum in ea aliquid(*a*) inurbani compoſitum inuenerint, concedant veniam, quia(*b*) hanc ſcribere compulſus fui per obedientiam(*c*). Quidam enim(*d*) Abbas (nomine N.) literarum ſcientia & morum probitate prædituſ, oſtendit mihi vnam hiſtoriam ſecundum hanc materiam, ſed ei admodum diſplicebat: partim, quod initium ſuum, quod in Clari montis concilio conſtitutum fuit, non habebat: partim quod ſeries tam pulchræ materiæ inculta iacebat, & literalium(*e*) compoſitio dictionum incondite vacillabat. Præcepit ergo mihi, vt qui Clari montis interfui concilio, acephalæ materiei caput præponerem, & lecturis eam accuratiori ſtilo componerem. Ego vero, quia notarium(*f*) alium non habui niſi me, & dictaui & ſcripſi ſic, quod continuatim paruit & menti manus, & manui penna, & pennæ pagina: & fidem ſatis præſtare poteſt & leuitas carminis(*g*), & minime phalerata compoſitio dictionis. Vnde ſi cui Academicorum(*h*) ſtudiis innutrito diſplicet hæc noſtra editio, ob hoc forſitan quod pedeſtri(*i*) ſermone incedentes plus iuſto in ea ruſticauerimus(*k*) notificare ei volumus, quod apud nos probabilius eſt, abſcondita ruſticando elucidare, quam aperta philoſophando obnubilare (*l*). Sermo enim ſemper exactus, ſemper eſt ingratus, quodque difficili intellectu percipitur, ſurdiori aure hauritur. Nos vero plebeio inceſſu ſic volumus progredi ſermonem noſtrum, vt quis cum audierit, ſperet idem, & ſi fortaſſis idem tentauerit eſſe(*m*), longe ſeparetur ab idem(*n*). Si quis affectat ſcire locum, quo hæc hiſtoria compoſita fuerit, ſciat eſſe clauſtrum cuiuſdam cellæ S. Remigii conſtitutæ in Epiſcopatu Rhemenſi. Si nomen autoris exigitur, qui eam compoſuit, *Robertus* appellatur.

(*a*) *Inurbanus ſermo* eſt non ad Grammaticæ regulas compoſitus; quem alii dicunt *ruſticum*, ſane etiam melioribus ſæculis non ignotum; vt vel vnum *Itinerarium Hieroſolymitanum*, a ſummo viro *Petro Pithoeo* editum, docet. Cui libello, ſi Conſtantini M. plena fides abeſſet, adſcriberemus æuum *Roberto* noſtro non multum antiquius. Idem eſt iudicium de *Chorographo* eiusdem cenſus, quem a *Iacobo Gothofredo* nuper publicatum habemus. Huic opponitur ſermo vrbanus, qualem eruditiſſimo in omnibus diſciplinis, ſi *Guiberto* Abbati credimus, Pontifici eius nominis adſcribit idem hic *Robertus* noſter lib. 1 cap. 1; cum ea vox alioquin *dicacem acutumque* hominem deſignet. *Petronius*; *Complosit illa tenerius manus*, *& o, inquit, hominem* acutum, & vrbanitatis vernulæ fontem: Ita nunc obtinet ſcribi in *Petronio*. Fuerunt, qui maluerunt, *vernulæ frontem*, addicen-

addicentibus priscis nonnullis libris. Nec adeo inepte. Sic enim legitur *vrbana frons* apud *Horatium* lib. 1 epist. 9;

Sic ego maioris fugiens opprobria culpæ,
Frontis *ad* vrbanæ *descendi præmia*.

Cui eidem *inurbanus* hominem prorsus inficetum denotat; vt *villanus* in hodiernis idiotismis Hispanorum, Italorum, Gallorum,

Nouit inurbanum *lepido seponere dicto.*

Vrbicas facetias, lepidas, scitas, legimus apud Scholiasten priscum *Iuuenalis* Satir. 9; *Salibus* id est, facetiis vrbicis *abundas. Id est* vrbanus. *Id est, qui solebat in conuiuiis iocis omnes fatigare.* Emacula, *facetiis abundas vrbicis, ita es vrbanus.* Id est, *qui solebas* ——Apud nos manu excitatus explanator; *Salibus, facetiis, quæ sunt condimenta vrbanitatis.*

(*b*) In aliis *Roberti* libris non apparet vocula, *hanc*; quæ & melius abesse nobis videtur.

(*c*) Ex instituto monachismi sui cæcum parendi studium intelligit; quod excuset veluti fatum aliquod, etiam fatui operis. Notæ veterum in talibus bonæ mentes, quæ quorsum tandem, superstitionibus omnia occupantibus, sint adactæ, nemo non noscit, neque attinet hic disputari. Exemplum est in vita vetere *Frodoberti*, Antiquitatum Trecensium monumentis iniuncta, vbi *circinum monachus afferre iussus, dimidium molarem lapidem, collo impositum, genua ægra trahens, apportat.* Sed & hunc simplicitate superuenit, idque sanioribus etiam temporibus, *Mutius* quidam, qui ad præceptum senioris filium paruulum in præterfluentem amnem manibus suis proiicere volebat, adnotante *Ioanne Cassiano* lib. 4 Institut. cap. 27. Altutior aliquis fraudem talibus latuisse exputet. Certe vterque horum per ista ad summum loci sui regimen peruenit. Sed tempora fuerunt, æuo certe *Cassiani*, adhuc minime auari aut ambitiosi Cleri.

(*d*) Abbatis huius vocabulum, *Bernardus* nimirum, asseruit e priscis membranis *Iacobus Bongarsius*. Veteres libri duo verba, virgulis hic inclusa, non habent. Dubium tamen non est, intelligi eum auctorem, qui in Collectione Bongarsiana primus compareat, eumque nos interpolatum habere ab aliquo sapiente monacho puto, cum tam plane absurdi stili nunc non sit, quam faciunt *Robertus*, *Baldricus*, *Guibertus*, qui tres eius narrationis filum presso pede sequuntur. Est solum vnum quinquennium, quod isti explicant, reliqua ab aliis petenda sunt, præcipue *Alberto Aquense* & *Guilielmo Tyrio*. Affuerunt autem duo priores concilio Claromontensi, vt *Robertus* hac præfatione, & *Baldricus* lib. I cap. 4 testantur; qui lib. 2 idem describens, ambigue loquitur, vt affuisse tamen hominem, miri alioquin oris, non putem. *Erat*, inquit, lib. 2 cap. 2, *ibi spectare; notabatur, quanta modestia tolerabat*, & alia talia, quibus præsentiam suam venditare videbatur. Capite vero 5 nulla se opera, neque scripto, neque auditu, clamat, potuisse comparari nomen Podiensis Episcopi. Quod quo pacto ignorare potuisset, si tantæ præsumptionis homo conuentui illi interfuisset? Ignorauit vero ea caussa, quoniam Auctor ille primus facta & dicta summi Antistitis plura recensens, nomen tamen nunquam memorat, vt vel hinc colligas, quam stricte inde dependeat. Subdit deinde *Guibertus*, postea se nomen *Ademari* didicisse ex iis, qui adfuerant expeditioni lib. 2 cap. 14, quorum & narrationes miscuit.

(*e*) *Literalia* penes Monachum nostrum eloquentiam scholasticam, quam tunc vocabant, indicant. Vt in prologo *Roberti* nostri. *Hoc enim non fuit humanum, sed diuinum opus. Et ideo* literali *compaginatione commendari debet tam præsentium, quam futurorum notitiæ.* *Guibertus* lib. 2 cap. 3 de *Vrbano* Papa; *Oratorum exundare copias, ac sermonum quorumcunque facetias superequitare luculentia* literali *putabatur.*

(*f*) *Notarius* simpliciter scribam, librarium notat, vt sæpius apud *B. Hieronymum.*

(*g*) Inepta toti rei est vox *carminis*, minimeque de interspersis atque margini assutis versiculis loquitur *Robertus*; sed de tota conceptione stili & oratione operis vniuersi; cui mox dictionis se verborum considerationem addit. Nihil verius, quam scripsisse hominem, *leuitas oris ...[illegible]*. Id enim verbi in-

bi indicat leuem compoſitionem, minime rhetoricam & ſcholaſticam. Quod poſtremum honoris tum erat vocabulum, ſicuti ſummi tituli nomine *Sidonium ſcholaſticiſſimum omnium Præſulum* vocat *Guibertus* Abbas. *Orare* idem eſt, quod loqui, dicere, ſcribere. Vnde *oramen* Roberto ſicuti a *fando famen*, quod plurimi talium vſurpant. *Paulinus Benedictus* lib. 1 vitæ Martini:

> *Ergo licet fandi vires ſublimia vincant*
> *Geſta; nec orandi moduli ſe laudibus æquent,*
> *Aggrediar.*

Philoxenus Gloſſario; *Orat*, λέγε. *Cicero* orat, poſt reditum in Senatu: *Quod tam diuinum atque incredibile genus orationis, quo quiſquam poſſit veſtra in nos vniuerſos promerita non dicam complecti* orando, *ſed percenſere numerando.* *Roberto* ætate par *Guibertus*: *Pro ſtatu plane caſuum ſermo coaptari debet* orantium. Ipſam hanc vocem legere memini: ſed in tanto nugarum populo locus nunc non ſuccurrit. Præter quod penes *Aldhelmum* libro de vitiis ſub finem: *pretium libri pendant* oramine *crebro*. Multa hoc genus certatim finxerunt priſci, ſemipriſci, Grammaticis & proinde vulgo ignorabilia. *Prudentius* multus in his, apud quem *cantamen cruciamen, creamen, figmen, incitamen, irritamen, litamen, palpamen, purgamen, peciamen, ructamen, ſpeculamen, ſpurcamen, vegetamen, vlulamen*, ex ſubnotatione *Victoris Giſelini*; qui alia omiſit tamen, vt *ſputamen*, quod eſt in Apotheoſi; *humectam ſputamine terram.* *Fragmen* in hymno exequiali & alibi. *Iuuamen Fulgentio* de prædeſtinat. *Vocamen Arnobio* & *Fulberto*. *Roſamen* Marcello Empirico; aliis alia. De quibus prælibare aliquid debuit, qui Apuleianum indicem noſtris curis præripere laborauit.

(*b*) *Academicos*, intellige diſertos, *Scholaſticis* ſublimiores; qui in amplioribus palæſtris diu verſati eſſent eloquentiæ & philoſophiæ. Regnabant iam tum in Academiis, licet raris, ſophiſtæ, turgidis verbis & tricantibus ſyllogiſmis, bonis litteris premendis, dediti, quos notat & hic Monachus non malæ mentis, neque abſurdus ſtudiorum. Academiarum ſane, quas nunc vocamus, meminiſſe Robertus potuit.

(*i*) *Pedeſtris ſermo*, humilis; vt *equitare ſermonem* Vrbani Papæ, ſublimem nempe, dixit *Guibertus*, verbis modo propoſitis.

(*k*) *Ruſticari*, inconcinne atque barbare, iuxta corruptam vulgi loquelam, ſcribere eſt.

(*l*) Sententia eſt *Hieronymi*, vt pæne & ſermo. Epiſt. 2; *Multo melius eſt, e duobus imperfectis* ruſticitatem *habere ſanctam, quam peccatricem eloquentiam.* Idem ad Damaſum; *Multo melius eſt, vera* ruſtice, *quam falſa diſerte proferre.* Plura alibi. Quæ apud *Robertum* ſequuntur, ducta ſunt ex peroratione libri poſterioris, qui nunc ordo obtinet, Maccabæorum.

(*m*) Scribendum; *& ſi fortaſſis idem ſperauerit ex ſe.* Gloriatio eſt, de faſtu monachico, qualis faſtuoſi illius *Guiberti* initio libri 5; *Qui vt aliquid ſupra omnes ſuos eſſet, etiam obſcuritatem ſe affectaſſe iactat.* Admirator ingens & inconſultus *Sidonii*, qui magnitudine ingenii ſæculi ſui vitia adeo auxit, vt nullius deinceps labor indidem ſe extricare potuerit.

(*n*) *Ruſticum* bona fide. Dicendum enim erat ad grammaticum imperium, *ab eodem.* Pari barbariſmo aut ſoloeciſmo, initio lib. 2; *Interea dum hæc aguntur, de remotis occidentalium partibus excitauit Dominus Comites duos, quibus vnum nomen, vna conſanguinitas, iidem & armis & animis, etiam gloria Conſulatus compares.* Sic enim diſerte ibi veteres membranæ, nec audimus mutantes.

INCI-

INCIPIT PROLOGVS (a).

INTER omnes historiographos noui ac veteris testamenti *Moses* sanctus obtinet principatum, qui diuino spiritu prophetiæ (b), Hebraicis literis quarum ipse autor extitit (c), mundi descripsit exordium: & primæ ætatis ac secundæ facta mirabiliora, nec non & patriarcharum gesta nobis adduxit in medium. Huius exemplum secuti sunt *Iesus Naue*, *Samuel* & *Dauid*, quorum primus Iosue librum, secundus & tertius Regum historiam conscripserunt. Ex hoc ergo liquido colligi potest, quod reuera Deo sit acceptabile, vt ad notitiam fidelium suorum literis commendetur, cum in terra peragit, quod præfixis temporibus fieri disposuit, aliquod opus mirabile. Sed quid post creationem mundi mirabilius factum est, præter salutiferæ crucis mysterium, quam quod modernis temporibus actum est, in hoc itinere nostrorum Hierosolymipetarum (d)? Quod quanto studiosius quisque aduerterit, tanto vberius inter mentis suæ dilatatos recessus obstupescet. Hoc enim non fuit humanum opus, sed diuinum. Et ideo literali compaginatione (e) commendari debet notitiæ, tam præsentium, quam futurorum, vt per hoc & spes in Deum Christiana magis solidetur, & laus eius in eorum mentibus viuacior incitetur. Nam quis Regum aut Principum posset subigere tot ciuitates & castella, natura, arte seu humano ingenio (f) præmunita, nisi Francorum beata gens, cuius est Dominus Deus eius, populus quem elegit in hereditatem sibi. Inserat ergo nobis Dei sapientia, quod ad laudem sui nominis proferamus. Et sciant qui hæc legerint siue audierint, quod nihil friuoli, nihil mendacii, nugarum nil, nisi quod verum est enarrabimus.

(a) Præfationi prologum subiicit *Robertus*, ne quid scilicet pompæ scenicæ deesset.

(b) *Reuber*. antea: *diuino spiritu prophetico*. Non sollicitemus ex nobis hanc scripturam. Melior tamen, quæ in membranis Bongarsianis: *diuinus spiritu prophetia*. i. e. præteritorum futurorumque iuxta guarus. *Afflati* enim cælitus, quæque norunt ex se non habentes, *diuini* nuncupantur. *Petronius* de anu, quam scire putabat domicilium suum peregrinus; *Diuinam ego putabam*. *Iuuenalis* in fin. Satiræ 6;

Exta & candiduli diuina tomacula porci.

i. e. fatidica, vnde futura coniiciebantur. Scriptor Queroli: Ea quæ a patrono didicerat, Queroli secreta & familiaria, quasi *diuinus* loquitur. *Philargyrius*, siue latino nomine *Philargurus*, spreto illo odioso vocabulo in lib. 3 Georgic. *Mali homines aut ad medicos confugiunt*. Et sic æuo etiam sequiore *Fulbertus* in pœnitentiis laicorum; *si quis diuinos consulit, tres annos pœniteat*.

(c) *Mosen* Hebraicas litteras inuenisse, cum *Isidoro* suo credidit Orig. lib. 1 cap. 3. Sed quibus scripserunt, de quibus scripsit *Iosephus* lib. 1 cap. 3, qui scientiarum fundamenta, diu ante legislatorem, duabus columnis, altera ab igne, altera ab aqua, tutis inscripserunt? Sed hæc alterius loci, reique sunt. Vide *Bernardi Mallinkrott* nuperum tractatum *de literis* cap. 2.

(d) Noui *Romipeta*, ad quorum appellationem hanc suam vocem composuit *Robertus*. Vide ad *Guilelmi Britonis* Philippeidem argumento lib. 8. Ducunt eodem membranæ.

(e) *Compaginationem literarum* verbis modo productis *conscriptionem libri* vocat, affectatione fatua, quales eruditionem faciebant eo tempore. *Compaginari* est arctissime compingi. *Rudolfus Ardemius* serm. 55 in Evangel. *Ostendunt se ecclesiæ membris non* compaginari *vnione caritatis*. *Anastasius Bibliothecarius*, translatione *Ioannis Damasceni* de Balaam & Iosaphat: *Vetera nequitiæ opera abiicientes*, compaginemur *Deo*, Continuator *Matthæi Parisii* in Henrico III; *Doleo, nouit Dominus, quod per omnia nequit caritas nostra* compaginari. A coniunctis paginis dici patet. Suberit tamen doctior consideratio, si sciamus, *compagia* dici capita ossium inter se compacta, de quo *Isidorus* lib. II cap. 1; *Capita*, Compagia *sunt ossium, dicta eo quod sibi compacta neruis, glutino velut quodam, cohæreant*. Vnde suspicor, multis scriptorum locis, vbi nunc *compaginari* legitur, *compagiari* olim fuisse scriptum.

(f) *Reuber*. antea; *arte, & humano ingenio*. Ex membranis scribe: *arte seu humano ingenio*. Deinde; —*nugarum nil, nisi quod*— *Reuber*. antea: *nihil nugarum, nisi quod*—

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT

INCIPIT LIBER PRIMVS.

CAPVT I

Concilium Claromonti magna celebritate agitur: in quo Vrbanus II *Francos ad expeditionem aduersus Saracenos, in Palæstinam, suscipiendam exhortatur.*

ANno igitur Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimo quinto, magnum inter fines Galliæ concilium celebratum est, in Aluernia scilicet, in ciuitate, quæ *Clarus mons* appellatur. Cui Papa *Vrbanus* secundus cum Episcopis & Cardinalibus præfuit. Fuit autem illud concilium valde celeberrimum, conuentu Gallorum ac Germanorum, tam Episcoporum quam Principum. Ordinatis igitur in eo rebus ecclesiasticis, (*a*) exiuit Dominus Papa in quadam spatiosæ latitudinis platea(*b*): quia non poterat illos capere cuiuslibet ædificii clausura. Qui hac suadela rhetoricæ dulcedinis, generaliter ad omnes in hæc verba prorupit, dicens: *Gens Francorum, gens transmontana, gens, sicut in pluribus vestris elucet operibus, a Deo dilecta & electa, tam situ terrarum, quam fide catholica, quam honore sanctæ ecclesiæ ab vniuersis nationibus segregata. Ad vos sermo noster dirigitur, vobisque exhortatio nostra protenditur: scire vos volumus, quæ lugubris causa ad vestros fines nos adduxerit, quæ necessitas vestra cunctorumque fidelium attraxerit. Ab Hierosolymorum finibus & vrbe Constantinopolitana relatio grauis emersit, & sæpissime iam ad aures nostras peruenit: quod videlicet gens regni Persarum, gens maledicta, gens extranea(c), gens prorsus a Deo aliena: generatio scilicet, quæ non direxit cor suum(d), & non est creditus cum Deo spiritus eius, terras illorum Christianorum inuaserit, ferro, rapina, incendio depopulauerit, ipsosque captiuos partim in terram suam abduxerit, partimque nece miserabili prostrauerit, ecclesiasque Dei aut funditus euerterit, aut suorum ritui sacrorum mancipauerit. Altaria suis fœditatibus inquinata subuertunt, Christianos circumcidunt, cruoremque circuncisionis, aut super altaria fundunt, aut in vasis baptisterii immergunt. Et quos eis placet turpi occubitu mulctare, vmbilicum eis perforant, caput vitaliorum abstrahunt, ad stipitem ligant, & sic flagellando circunducunt, quo adusque extractis visceribus, solo prostrati corruunt. Quosdam stipiti ligatos sagittant. Quosdam extento collo & nudato gladio appetunt, & vtrum vno ictu truncare possint, pertentant. Quid dicam de nefanda mulierum constupratione? De qua loqui deterius est, quam silere. Regnum Græcorum iam ab eis emutilatum est(e), & suis vsibus emancipatum, quod transmeari non potest itinere duorum mensium. Quibus igitur ad hoc vlciscendum ad hoc eripiendum, labor incumbit, nisi vobis, quibus præ ceteris gentibus contulit Dominus insigne decus armorum, magnitudinem animorum, agilitatem corporum, virtutem humiliandi verticem capilli vobis resistentium(f)? Moueant vos & incitent animos vestros ad virilitatem gesta prædecessorum, probitas & magnitudo* Caroli Magni *Regis, &* Ludouici *filii eius, aliorumque Regum vestrorum: qui regna Turcorum destruxerunt, & in eis fines sanctæ ecclesiæ dilatauerunt. Præsertim moueat vos sanctum Domini nostri saluatoris sepulchrum, quod ab immundis gentibus possidetur, & loca sancta, quæ nunc inhoneste tractantur, & irreuerenter eorum immunditiis sordidantur. O fortissimi milites, & inuictorum propago parentum, nolite degenerare, sed virtutes maiorum vestrorum reminiscimini. Quod si vos charus liberorum & parentum & coniugum contineat affectus, en recolite, quid in euangelio dicat Dominus:* Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus. Omnis, qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.

Non

Non vos protrahat vlla possessio, vlla rei familiaris sollicitudo, quoniam terra hæc, quam inhabitatis, clausura (g) maris vndique & iugis montium circumdata, numerositate vestra coangustatur, nec copia diuitiarum exuberat: & vix sola alimenta suis cultoribus administrat. Inde est quod vos inuicem mordetis & comeditis, bella mouetis, & plerunque mutuis vulneribus occiditis. Cessent igitur inter vos odia, conticescant iurgia, bella quiescant, & totius controuersiæ dissensiones sopiantur. Viam sancti sepulchri incipite, terram illam nefariæ genti auferte, eamque vobis subiicite. Terra illa filiis Israel a Deo in potestatem data fuit, sicut Scriptura dicit, quæ lacte & melle fluit. *Hierusalem vmbilicus est terrarum (h), terra præ ceteris fructifera, quasi alter paradisus deliciarum. Hanc redemptor humani generis suo illustrauit aduentu, decorauit conuersatione, sacrauit passione, morte redemit (i), sepultura insigniuit. Hæc igitur ciuitas regalis in orbis medio posita, nunc a suis hostibus captiua tenetur, & ab ignorantibus Deum ritui gentium ancillatur (k). Quærit igitur & optat liberari, & vt ei subueniatis, non cessat imprecari. A vobis quidem præcipue exigit subsidium, quoniam a Deo vobis collatum est præ cunctis nationibus, vt iam diximus, insigne decus armorum. Arripite igitur viam hanc in remissionem peccatorum vestrorum, securi de immarcescibili gloria regni cælorum.*

(a) Scribendum ex membranis veteribus, — *extimis vos Dominus Papa* —

(b) *Platea* scriptoribus sequiorum ætatum *aream* notat. *Auctor primus* eorundem bellorum: *Exibant quidem alii de ciuitate, & descendebant in quandam portam, & sagittabant nos ita, vt sagittæ eorum caderent in Domini* Boamundi plateam, *& vna mulier occubuit ictu sagittæ*, h. e. in *aream*, in qua erant extenta *Boamundi* tentoria. Designatur eadem voce aliquando *via publica*. *Ditmarus* chron. Merseburg. lib. 1 cap. 1; *Non longe a prædicto amne, in pago* Chutizi *dicto*, Arnus, *Episcopus sanctæ VVirceburgensis ecclesiæ nonus, cum ab expeditione Boiemorum reuersus*, iuxta plateam *in parte septentrionali, fixo super vnum collem tentorio, missam caneret* cet.

(c) In membranis scriptum est versus, *gens maledicta*, manzera *gens, quæ non dilexit cor suum.* Vtrumque genuinum est. *Manzera* gens, spuria, vt in Deuteronom. cap. 23; *Non ingredietur* manser, h. e. de scorto natus, *in ecclesiam Domini, vsque in decimam generationem. Sedulius* lib. 5 de mirab. diuinis;

> — *aeternum*
> Manzeribus *populis, in deteriora volutis,*
> *Communiens linquor ille fuit.*

Papias; *Manzer*, filius scorti. *Manzerinus*, adulterinus. *Petrus Mosiensis* sermone 62; *Illi sedent in terra aliena, qui proprio commodo suo laborant, seruientes voluptati, vel vacantes valetudini. Qui agros agris, domos domibus continuant, opes opibus cumulant, non sibi, sed nepotibus, quos educauerunt, vel, quod deterius est,* manzeribus *suis, quos de concubinis susceperunt.* In membranis *Sedulii* & *Roberti* nostri, *manzeribus*, repetita littera *m.* diserte scribitur.

(d) *Cor suum diligere* dicit eos, qui recte sapientia sua vtuntur, & secundum normam diuinitus præscriptam vota sua regunt. De qua locutione pluribus libris insequentibus.

(e) Tantum his verbis ait detractum Imperio Græcanico, quantum duorum mensium spatio transiri non possit. Facilis est impediti sermonis correctio: *Regni Græcorum tantum ab iis* — Sic fuerit clara res. Attamen & ex scripto codice apparet, *Robertum* scripsisse, sicut est editum.

(f) In manuscr. libro est, *verticem* populi *vobis resistentium?* Malim aliud quid lectius legere.

(g) *Clausura* notat ambitum. Supra; *non poterat illos capere cuiuslibet ædificii* clausura. Item lib. 6; *Castrum, cui nomen erat* Archas, *quod licet habet nomen castri, tamen egregiis vrbibus poterat æquiparari & loci positione, &* clausura *murorum, & eminentia turrium.*

(h) Rem pro seria scribit *B. Hieronymus* lib. 2 in Ezechiel. *Hierusalem in medio mundi sitam, hic idem Propheta testatur*, vmbilicum terræ *eam esse demonstrans. Et Psalmista natiuitatem exprimens Domini*, veritas, *inquit*, de terra orta est. *ac deinceps passionem*, operatus, *inquit*, salutem in medio terræ. *A partibus enim orientis cingitur plaga, quæ appellatur Asia; a partibus occidentis ea, quæ appellatur Europa; a meridie & austro, Libya & Africa; a septentrione Scythis, Armenia, atque Perside, & cunctis Ponti nationibus. In medio igitur gentium posita est.*

(i) Apage, procul apage scelleratam vocis impietatem. Terramne sua morte redemit filius Dei? quid possit blaterari absurdius? Et facilis tamen sit correctio, si scribatur, *morte redimiuit*, i. e. coronauit, consecrauit, ornauit, commendauit. Infinita hoc genus encomia horsum trahi possent, si panegyricum aliquem terræ sanctæ componeremus.

(k) *An-*

(k) *Ancillari*, in seruitutem redigi. Idem *Robertus* lib. 9; *Gratias igitur Deo, saluatori & liberatori suorum, qui totius eam destrui & ancillari permisit, totiesque destructam & ancillatam mirabili potentia liberauit.* Continuator *Beda* lib. 2 cap. 13; *Vnus erat codex, totius artis conscius, quem nullo modo elicere poterat: ardebat contra* Gerbertus, *librum quoquo modo ancillari.*

CAPVT II

Cum promptos se ostenderent, Papa eos & laudat, & praeceptis instruit. Tum vero exomologesin, Gregorio *praeunte, edentes noxis absoluit, ac dimittit.*

HAec & id genus plurima vbi Papa *Vrbanus* vrbano sermone perorauit, ita omnium, qui aderant, affectus in vnum conciliauit, vt omnes acclamarent, *Deus vult, Deus vult.* Quod vt venerandus Pontifex Romanus audiuit, erectis luminibus in cælum Deo gratias egit, & manu silentium indicens, ait (a): *Fratres charissimi, hodie in vobis est ostensum, quod Dominus dicit in Euangelio:* Vbi duo vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. *Nisi enim Dominus Deus in mentibus vestris fuisset, vna omnium vestrum vox non fuisset. Licet enim vox vestra numerosa prodierit, tamen origo vocis vna fuit. Propterea dico vobis, quod Deus hanc a vobis elicuit, qui vestris eam pectoribus inseruit. Sit ergo vobis vox ista in rebus bellicis militare signum: quia verbum hoc a Deo est prolatum. Cum in hostem fiet bellicosi impetus congressio, erit vniuersis hæc ex parte Dei vna vociferatio:* Deus vult, Deus vult. *Et non præcipimus aut suademus, vt senes & imbecilles, aut vsui armorum minime idonei, hoc iter arripiant, nec mulieres sine coniugibus suis, aut fratribus, aut* (b) *legitimis testimoniis vllatenus proficiscantur. Tales enim magis sunt impedimento, quam adiumento, plus oneri, quam vtilitati. Diuites inopibus subueniant, & expeditos ad bellum de suis facultatibus secum ducant. Presbyteris siue clericis cuiuscunque ordinis absque Episcoporum suorum licentia non licet ire, quoniam inutilis eis fieret hæc via, si irent sine illorum licentia. Quia nec laicis expedit peregrinari, nisi cum sui benedictione sacerdotis. Quicunque ergo huius sanctæ peregrinationis animum habuerit, & Deo sponsionem inde fecerit, eique se litaturum hostiam viuam, sanctam, Deo placentem, deuouerit, signum dominicæ crucis in fronte sua siue in pectore præferat. Qui vero inde voti compos ingredi voluerit, inter scapulas retro ponat. Tales quippe bifaria operatione complebunt illud Domini præceptum, quod ipse iubet per Euangelium:* Qui non baiulat crucem suam & venit post me, non est me dignus. His ita completis, vnus ex Cardinalibus, nomine *Gregorius*, pro omnibus terræ prostratis dixit confessionem suam, & sic omnes pectora sua tundentes, impetrauerunt de his, quæ male commiserant, absolutionem, & facta absolutione benedictionem, & benedictione consecuta ad propria remeandi licentiam.

(a) Cum mox manu silentium indixisse ait Pontificem, locum ex Actibus Apostolorum non vnum innuit, quos copiosius alibi illustramus.

(b) Inepta res est, solis mulieribus testimonia applicari, cum vtique magis eis opus habuerint viri, de tam variis gentibus & vitæ generibus collecti. Egregie itaque sententiæ consulunt membranæ nostræ, scribendo; *aut aliqui sine legitimis testimoniis proficiscantur.*

CAPVT

CAPVT III

Fama expeditionis orbem commouet. Episcopus Podiensis dux belli constituitur.

ET vt cunctis claresceret fidelibus, quod hæc via a Deo non ab homine sit constituta (sicut a multis postea comperimus) ipso die quo hæc facta & dicta sunt, fama præconans (*a*) tantæ constitutionis totum commouit orbem; ita vt etiam in maritimis Oceani insulis diuulgatum esset, quod Hierosolymitanum iter in concilio sic stabilitum fuisset. Gloria prouenit inde Christianis & exultatio, gentilibus autem Persis, & Arabiæ cultoribus, mæror & trepidatio. His additur animi magnitudo, illis incutitur pauor & mentis hebetudo: adeo cælestis tuba (*b*) percrepuit, quod vbique gens omnis infesta Christiano nomini intremuit. Elucet igitur, quod non fuit humanæ vocis officium, sed spiritus Domini, qui replet orbem terrarum. Ad sua itaque reuersus est vnusquisque laicorum. Et *Vrbanus* Papa in crastinum residere fecit conuentum Episcoporum: quibus residentibus accepit consilium, quem præponeret tantæ multitudini peregrinari cupientium, quia nondum erat inter eos aliquis nominatorum Principum. Vniuersi vero elegerunt Podiensem Episcopum, asserentes, eum rebus humanis ac diuinis valde esse idoneum, & vtraque scientia peritissimum, suisque in actionibus multiuidum (*c*). Ille itaque licet inuitus suscepit, quasi alter *Moses*, ducatum ac regimen dominici populi, cum benedictione domini Papæ ac totius concilii. O quot diuersæ ætatis ac potentiæ seu domesticæ facultatis homines in illo concilio cruces susceperunt, & viam sancti sepulchri spoponderunt! Hinc diuulgatum est vbique terrarum illud concilium venerabile, & ad aures Regum ac Principum peruenit concilii constitutum honorabile. Placuit omnibus, & plus quam trecenta millia mente iter concipiunt, & adimplere satagunt, pro vt vnicuique posse contulit Dominus. Iamque turmatim exultare cœpit Francigenæ gentis vnanimitas, & desiderio iam cum Turcis pugnabat eorum proba ferocitas.

(*a*) In aliis libris legitur, *fama præco & nuntius tantæ constitutionis.* Id quod palam spernimus. Est enim oriundum e glossemate supra vocem, *præconans*, quam noster codex fideliter repræsentat. *Præconandi* verbo sæpius vtitur auctor primus historiæ Palæstinæ, a *Iacobo Bongarsio* editus, *Robertus* noster lib. 9 cap. 7; *Rex vt audiuit, Patriarcham conuocari præcepit, & ab eo consilium accepit, vt per totam ciuitatem præconaretur, quo in crastinum omnes summo mane ad ecclesiam conuenirent.* cap. 12; *Cum vero ante portas vrbis venirent, ab his, qui rem a ferant, cum diuinis laudibus, non tam a terrenis montibus, sed a cælestibus,* præconantur.

Scribendum vero mox ex eodem codice, *fama præconans* sanctæ *constitutionis.* Quam lectionem mox ipse auctor agnoscit, cum ait: *Hinc diuulgatum est vbique terrarum illud concilium venerabile, & ad aures Regum & Principum peruenit concilii constitutum honorabile.*

(*b*) Quilibet subitus tumultus, animos mortalium repente consternans, *tubæ clangori* comparatur. Non semel sic sacræ litteræ. *Petronius* in horroribus bellum ciuile Cæsarianum præcedentibus:

Armorum strepitus cælum ferit, & tuba Martem
Sideribus tremefacta ciet ——

Sic incendiis Vesuuii montis crescentibus *tubæ sonum* inter auditum prodit *Dio Cassius*. *Ouidius* metamorphos. 10;

Arma ferunt inter nigras crepitantia nubes
Terribilesque tubas, *auditaque cornua cælo.*

Papinius Thebaid. II. v. 261;

—— *Eque aditis simul exaudita remotis*
Nondum ausas firmare gradum tuba *terruit ingens.*

Claudianus lib. 2 in Eutropium;

—— —— *quid dudum inflare moraris*
Tartaream, Bellona, tubam? *quid stringere falcem,*
Qua populos a stirpe metis?

(*c*) Ita libri Bongarsiani, ita & scriptor noster. At *Ioannes Pistorius* edidit, *in actionibus munitissimum.* Quod vero illi alteri pessime substituerunt sciolí. *Multiuidus* prudentem, oculatum animi hominem designat. Lib. 5 cap. 4; *Tunc* Boamundus, *vt vir multiuidus, & Normannus Comes, vt miles animosus, vt viderunt, animos quorundam turbare, præcipiunt milites omnes descendere.* Nec ibi optimam pro auctore vocem intactam potuerunt relinquere, quin *multifida* eam commutarent.

CAPVT IV

Petrus *Eremita & Godefridus Dux Teutonicus, collectis copiis Constantinopolim tendunt. Ne Bosphorum Thracium transmittant, monentur. Milite licentius omnia agente, iussi exercitum transducunt. Non sine maleficio & iniuria Romaniæ terram intrant.*

ERat in illis diebus quidam, qui Eremita extiterat, nomine *Petrus*, qui apud illos, qui terrena sapiunt, magni æstimabatur, & super ipsos Præsules & Abbates apice religionis efferebatur: eo quod nec pane nec carne vescebatur, sed tamen vino aliisque cibis omnibus fouebatur, & summam abstinentiam (*a*) in deliciis quærebat. Hic ea tempestate collegit sibi non modicam equitum peditumque multitudinem, & iter suum direxit per Vngariam. Associatur autem cuidam Duci Teutonicorum, nomine *Gothefrido*, qui erat *Eustachii* Boloniensis Comitis filius, sed officio dignitatis Dux erat Teutonicus. Hic vultu elegans, statura procerus, dulcis eloquio, moribus egregius, & in tantum lenis, vt magis in se monachum (*b*), quam militem figuraret. Hic tamen cum hostem sentiebat adesse, & imminere prœlium, tunc audaci mente concipiebat animum (*c*), & quasi leo frendens ad nullius pauebat occursum. Et quæ lorica vel clypeus sustinere posset impetum mucronis illius? Hic cum fratribus suis *Eustachio* & *Balduino*, & magna manu militum, peditumque per Vngariam iter arripuit. Per viam scilicet, quam *Carolus* M. incomparabilis Rex Francorum olim suo exercitui fieri vsque ad Constantinopolim præcepit. Primus igitur *Petrus* eremita cum suis & magna gente Alemanorum Constantinopolim venit, & copiosam Longobardorum gentem, multosque alios ex diuersis locorum spatiis aggregatos inuenit. Quibus Imperator licentiam introeundi ciuitatem nunquam præbuit, quia virtutem Christianæ militiæ (*d*) & maxime Francorum suspectam semper habuit. Idem tamen mercatum eis habere concedebat, quod & in ciuitate erat (*e*). Prohibueratque illis, ne transirent illud vicini æquoris spatium, quod vocatur *sancti Georgii Brachium*, quoad vsque veniret formidabilis exercitus Francorum. Turcorum enim infinitus numerus erat, qui aduentum illorum bestiali mente sitiebant. In quorum manus si ipsi absentibus Francorum Principibus deuenissent, sicut postea rei probauit euentus, omnes æqualiter morti subiacerent. Sed omnis congregatio hominum, quæ bono duce non gubernatur, si ei languidum caput dominatur, in deterius labitur & quotidie languescit, & a salute elongatur. Propterea & hi, quia prudentem principem, qui eorum dominaretur, non habebant, reprehensibilia opera faciebant. Ecclesias enim & vrbis palatia destruebant, & quæ in eis erant auferentes, plumbum, quo tegebantur (*f*), abstrahebant, & Græcis vendebant (*g*). Vnde Imperator, *Alexius* nomine, vehementer iratus fuit, & æquoreum *sancti Georgii brachium* transmeare præcepit. Qui vltra progressi ducem sibi elegerunt, & quendam *Rainaldum* sibi præposuerunt. Qui licet principem haberent, eadem tamen rapinæ opera agere non cessabant. Nam domos, quas inueniebant, igni comburebant, & ecclesias bonis suis & facultatibus denudabant. Sic Nicomediam vsque venerunt, & inde Romaniæ terram intrauerunt.

(*a*) Non dicunt hoc vltima verba id, quod voluit *Robertus*. Est vero *Robertus* noster iniquior isti *Petro*, quem alii scriptores multis modis extollunt.

(*b*) Opponitur hic *militi monachus*, propter simplicem quandam probitatem, quæ claustralium hominum semper esse debebat, eratque olim professio. *Sulpitius Seuerus* in vita Martini; *Frugalitatem in eo laudare non erat necesse, qua ita vsus est, vt iam illo tempore non miles, sed* monachus *putaretur.* Sic *monachi* animo *regius* contra ponitur apud *Guilielmum Neubrigensem* lib. 1 c. 31 de *Ludouico* & *Alienora* Regibus Francorum; *Cum Rex ab Oriente vna cum coniuge, non sine infecti negotii dedecore, ad propria fuisset reuersus, amore pristino inter eos paullatim refrigescente, caussa quoque dissidii succrescere coeperunt, illa maxime moribus regiis offensa, & caussante, se* monacho, *non Regi nupsisse.*

(c) Victo-

(c) Victorinus;

———— *languentem pone timorem,*
sume animos ————

Claudianus in Consulatum Honorii;

———— *nouitas audere priori*
Suadebat, animumque dabant exempla sequenti.

Animus notat virtutem, audaciam.

(d) Ergo monachus iste Imperatorem Græcum pro Christiano non habebat, neque erat sub eo christiana militia? Ingens fastus apparet in hoc genere scriptorum, cum incidit mentio vel parum ab iis in rebus religionis dissentientium.

(e) Sunt pœne ipsa verba primi Auctoris, qui sic loquitur; *Petro & suis Imperator dari iusserat mercatum, sicut erat in ciuitate.* Eodem nempe pretio. Dubito, an *Robertus* satis eum intellexerit, quem καλὰ ὠνία exscribebat, vel scripsit, *quod venum ciuitati erat.*

(f) Plumbeis tegulis contegi olim solita templa nouimus ex historicis, & antiquissimorum fanorum ipso conspectu. De Græcanicis præter *Robertum* h. l. *Auctor primus*; *Christiani nequiter deducebant se, quia palatia urbis sternebant & ardebant, & auferebant plumbum, quo ecclesiæ erant cooperte, & vendebant Græcis.* *Baldericus* lib. 1 cap. 9; *Indisciplinate viuentes, in res alienas rapaciter inuolabant, & plumbum, de quo ecclesiæ cooperta fuerant, asportabant & vendebant, nec non & palatia destruebant, & in omnibus se nequiter agebant.* Ita de Orientalium fanis. Occidentalium testes sunt ipsi oculi. Daniam quondam ipsa rusticorum fana sic cooperta habuisse, scribit in regni eius descriptione *Ionas Coldingensis.*

CAPVT V

Turci, cognito Christianorum statu, eos obsident: erumpentes cadunt. Obsessi dirissima premuntur siti. Reinaldus *perfide ab obsessis digreditur; quos tandem Turci partim misere trucidant, partim in captiuitatem ducunt.*

TRibus igitur diebus ambulando consumptis, vltra Nicæam vrbem perrexerunt, & quoddam castrum, cui nomen erat *Exeregorgo*, a gente vacuum inuenerunt, in quod intrantes repererunt magnam vbertatem frumenti, carnis & vini, omniumque bonorum, quæ sunt humanæ vitæ sustentaculum. Turci vero metu Francorum perterriti longe ab illa terra secesserant, sed tamen exploratores suos dimiserant, qui illis aduentum nostrorum & quomodo se haberent, nuntiarent. Qui vt per internuntios compererunt, quod venerant rapere, non possidere, destruere non retinere, protinus contra illos accurrerunt, & castellum, in quo erant, obsidione circumdederunt. Erat quippe ingens numerus illorum & copiosa multitudo. Ante portam castelli erat puteus, & iuxta ex altera parte fons viuus, iuxta quem *Rainaldus*, princeps Christianorum, exierat, & insidiis positis eorum præstolabatur aduentum. Turci vero nil hæsitantes irruerunt in eum, & multos, qui cum eo erant, occiderunt, alii autem in castrum fugerunt. Illi autem aquam eis omnino abstulerunt, & in magno cruciatu per aquæ penuriam Christianos dimiserunt. Erat autem festiuitas sancti *Michaelis*, quam venerari debet omnis anima fidelis. Obsessi autem in tantam sitis angustiam deuenerunt, quod venis equorum incisis boumque & asinorum aliarumque pecudum sanguinem eliciebant & bibebant. Alii terram humectiorem fodiebant, & sic ori apponebant, ardoremque sitis temperabant. Quidam vrinam suam in vase, aut in manibus suis suscipiebant, & quod dictu mirabile (a) est, absorbebant. Quid plura? Nullum erat vitæ solatium, nisi sola mors pereuntibus erat subsidium. Tandem princeps illorum *Rainaldus* cum Turcis furtiuum iniit fœdus, malens temporalem vitam retinere, quam pro Christo mortem in tali martyrio subire. Dispositis itaque agminibus suis, simulauit cum aduersariis inire congressionem, sed mox vt exiit, fecit ab illis cum multis aliis digressionem. Heu heu meticulosus miles, non ab austro, sed ab aquilone progressus, quam eneruiter & effeminate pro cælesti Rege & regno dimicauit! Qui nec dum vel leui stipula (b) tactus, martyrium subire perhorruit: & fidei Christianæ professionem sanus eques & armatus abdicauit. Iure igitur apud Deum euanescentis gloriæ iacturam promeruit, & in sortem illius, qui sedem suam elegit, ad aquilonem deuenit. Qui vero remanserunt, nec Christianæ fidei titulum mutare voluerunt, mortis

mortis exterminium pertulerunt. Igitur ex tota illa multitudine occiderunt Turci quos voluerunt, & quos libuit (vti placuit) captiuauerunt. Quosdam ad signum positos sagittabant, & omni ludibrio, pro vt eis placuit, seruos Dei contumeliis afficiebant, & illi maluerunt sic occumbere gloriose, quam negantes fidem Dei, cum eis infeliciter viuere. Deus vero, vt credimus, recepit eos in septa sempiterni Paradisi sui, quoniam noluerunt a fide sua peregrinari.

(a) Scribe, *miserabile*, cum codice manuscripto. Auctor primus; *Alii mingebant in pugillo alterius, & bibebant.* Cui autem, *alterius*? Scribe *alternis*, retinentes nimirum altera manu penem, ne vel illius humoris scilicet aliquid periret. *Baldericus* lib. 1 cap. 9; *Dictum est, quod nimis turpe est, quod quidam in manibus suis micturiebant & bibebant.*

(b) Scribendum ex V. C. *vel leui scintilla saltus.* Non exspectasse, ait, vel scintillam doloris hominem, nedum vt sustinuerit flammam martyrii.

CAPVT VI

Waltherus, Petri *signifer, cum suis fortiter aduersus hostes pugnans, occumbit. Turci in castris Christianorum Presbyterum Missam celebrantem obtruncant.*

IAm quippe diabolica legio victrix exultat, & contra *Petrum* Eremitam, qui erat in quodam castello, nomine *Ciuito*, dimicat. Erat autem illud castrum supra Nicæam ciuitatem constitutum. Contra quod Turci dum cursum suum dirigerent, obuiauerunt *Waltero*, qui erat primicerius & signifer agminis Eremitæ. Sed licet miles egregius claruisset tot militiæ titulis, his tamen omnino resistere non valuit, sed tamen pretiosam mortem suam multo Turcorum sanguine commendauit. Irruit enim in illos velut vrsus esuriens in animalia, & quos in occursum inuenit, prostrauit & vita priuauit. Similiter & qui cum eo erant armati, adhuc viui iam necem, quam erant passuri, fortiter vindicabant, & quam diu eis arma valuerunt, hostes de victoria nunquam triumphauerunt. Sed ibi multitudo audaciam, non audacia multitudinem superauit: nisi quod animositas numerositatem sextuplo minuerit. Fracti tandem armis & non animis, laudabili morte, sic in bello, sicut pro Deo, vitam terminauerunt, eosque in sortem cælitum angelici spiritus transtulerunt. Tunc primum Turci reuolutis cadaueribus suorum cognouerunt, quod cum quibus pugnauerant, fuerunt Franci. His ita patratis pars Turcorum cucurrit ad castra Christianorum, & ibi vnum Presbyterum Missam celebrantem inuenerunt, quem ante altare detruncauerunt. O felix felicis Presbyteri martyrium, cui præbuit ducatum Dominici corporis viaticum! Similiter quotquot inuenerunt, aut occiderunt aut abduxerunt.

CAPVT VII

Petrus *Eremita a suis abit Constantinopolin; qui Turcis quidem adhuc aliquandiu resistunt; ad vltimum tamen opprimuntur, paucis euadentibus.*

PEtrus vero Eremita abierat, & Constantinopolim remeauerat. In castello autem, quod supra memorauimus, cui nomen *Ciuito*, remanserat Christianorum plurima multitudo: & qui de castris siue de prælio viui euaserant, retro ad illud castellum confluxerant, quos Turci insequentes, strues lignorum, vt nostros comburerent, circumposuerunt. Sed qui obsessi erant, de tuitione vitæ solliciti, ignem in strues immiserunt, & Dei nutu flante vento, plerosque de hostibus combusserunt. Turci tandem illos vi comprehenderunt, & secundum ludibrium suum variis pœnarum generibus affectos, alios occiderunt; alios in captiuitatem vendiderunt. Qui tamen aliquo casu seu ingenio euase-

euaserunt, ad ***Brachium sancti Georgii*** reuersi sunt: & iubente nequissimo Imperatore Constantinopolim regressi sunt. Imperator quidem cum suis Græcis de victoria Turcorum exultauit, & omnia arma nostrorum, vt eos inermes redderet, callide comparauit. His ita gestis, huic narrationi terminum ponamus, & stilum retro conuertentes, quomodo illuc conuenerit nostra gens Francorum, & cum quibus Principibus, disseramus.

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

CAPVT I

Principes Franciæ, copiis collectis, iter sacrum ingrediuntur. Romam veniunt.

) INterea dum hæc aguntur, a parte Aquilonis excitauit Dominus Comites duos, quibus vnum nomen, vna consanguinitas, æqua potestas, iidem & armis & animis, etiam gloria Consulatus (*a*) compares, Normannus scilicet & Flandrensis Comes, cum quibus *Hugo* Magnus, frater *Philippi* Regis Francorum, qui ipso tempore Franciam suo subiugabat imperio. Hic honestate morum, & elegantia corporis, & animi virtute, regalem, de qua ortus erat, commendabat prosapiam. Cum quo & *Stephanus* Carnotensis Comes, qui a bonis initiis prauos deinceps obtinuit exitus. Præterea alii inumeri Optimates & minoris famæ Consules cum his sunt associati, tam eiusdem Franciæ, quam maioris & minoris Britanniæ. A parte Australi mota sunt castra Podiensis Episcopi, & Comitis sancti Ægidii, nomine *Raimundi.* Vir iste cum prædiues esset, & temporalibus bonis locupletaretur, omnia sua vendidit, & viam deliberationis (*b*) sancti sepulchri arripuit. Ecce præsentialiter nunc videmus in re, quod olim Dominus promisit per os *Esaiæ* prophetæ. Ait enim: ***Noli timere, quia ego tecum sum. Ab Aquilone adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ.*** Nunc, & videmus, filii DEI & filiæ Hierosolymam tendunt ab extremis terræ, Auster & Aquilo nutritos suos (*c*) non audent prohibere. Reuera nunc Dominus ascendit super occasum, quoniam requiescit in animabus Occidentalium. Nunc Occidens illustrare parat Orientem, & nouis sideribus suis excitatis, qua premebatur, depellere cæcitatem. Et cum inter tanta agmina enitesceret terribilis fulgor armorum, huc tamen reuerberaret, si intueri posset, splendor animorum. Hi ad bellum vnanimiter incedunt, non vt fugiant, sed vt aut moriantur, aut vincant. Mori quippe nullum vitæ credunt dispendium: vincere vero diuini subsidii est (*d*) præconium. Hi ergo memorati Principes, quos supra diximus, satis congruo tempore de suis sedibus exierunt, sed natale solum transeuntes, diuerso tempore & itinere transalpinauerunt. Itaque per Italiam iter direxerunt, & diuina præeunte custodia, secundo appulsu Romam vsque peruenerunt. Et o gloriosa Christi militia, quam non potuerunt continere tam spatiosæ vrbis intra incolatus sui spatia vel domicilia: & ob hoc multi extra vrbem ex Principibus sua fixere tentoria. Ibi aliquot diebus commorantes, loca sancta peregrina consuetudine perambulauerunt, & se sanctorum Apostolorum, aliorumque meritis ac precibus commendauerunt. Ac sic Apostolica benedictione percepta ab vrbe discesserunt, & per Apuliam suas acies direxerunt.

) In inscr. margin hi versus adscripti:

Agmina conueniunt, numerosaque millia fiunt,
Quorum tu proceres si consociare videris
Agmen tam pulcrum, laudares iure sepulcrum,
Pro quo sic patriam respuerant propriam.

(*a*) Consulatus dignitatem, Principatum, Ducatum designat; *Consul* Comitem, Ducem,

cem, Principem, scriptoribus non optimorum temporum. A consilio nempe simul & auctoritate; & quia legerant in Romanis rebus, præcipuos Duces belli & reipublicæ pacificæ Præsides hoc titulo censeri. Ita *Consulem Flandriæ* Comitem *Robertum* appellat *Robertus* lib. 8 cap. 9. Ita *Consules populi* Præsidum & Rectorum omne genus. *Baldricus* Archiepiscopus lib. 3 cap. 27; *Dum vnusquisque, quod suum est, quærit, ac communis prouidentia tepescit, priuatæ Principum simultates populos possidendant, populi ad communem perniciem desolantur*, vbi Consules *seipsos non consolantur*, vbi scribendum existimo, *sibi ipsis non consiliantur*. *Consulares viri* non quidem Principes aut Comites, sed pari fere potentia & existimatione. *Idem* lib. 2 cap. 8; *Ad hoc directi sunt* Consulares Viri, *disciplina militaris non ignari*, Vicecomes *de* Castellone, Guilielmus *de* monte Pislerio — *cum militibus multis*. Idem *Consules* iungit *Palatinis & regiis Tyrannis*, lib. 1 cap. 8; *Nec tantummodo populares citramontanos homines is rumor exciuit, sed* Palatinos Consules *&* regios Tyrannos *cieuit*. Vbi vno protelo iungendi sunt *Palatini Consules*. Hoc enim ad ostentandam doctrinam pro *Comitibus Palatinis* dixit. Vox *cieuit* non est mutanda, ea enim eruditionem præ se fert, neque nostrum est, homini inuidere suam gloriam. *Consules classis* ei sunt Præfecti, Duces. *Fulcherius Carnotensis* cap. 45; *Peracta solemnitate paschali, Rex fecit conuentionem cum* Consulibus classis *gentis Ianuensis*.

(*b*) *Deliberatio*, liberatio, est restitutio in pristinam libertatem. Auctor *historiæ primæ Palæstinæ* cap. 26; *Istas & multas angustias passi sumus pro Christi nomine & deliberatione sancti sepulcri*. *Robertus* noster lib. 5 cap. 6; *Nostra omnium vna sit intentio, Sancti sepulcri* deliberatio. Cui alioquin *deliberare* valet, secundum Gallicismum hodiernum, *tradere*, lib. 5 c. 3; *Quod illo temporis internallo apud se tractarent, qua lege, qua conditione, se & ciuitatem Christianis* deliberarent. Lib. 6 cap. 5; *Si præuales Francos ab vrbe eliminare, mihique eorum ceruices cæsas* deliberare, *tibi tradam castellum*. *Gauterius* Cancellarius cap. 10. belli Antioch. *Burso diuini terroris iaculo sauciatus, seipsum, cum quibus potuit, fuga* deliberat.

(*c*) Enutricula, *nutritios suos*. *Esaias* propheta cap. 49; *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ*. Vbi tamen *nutritores* non alumnos denotant, vt aliis fere omnibus Scripturæ latinæ locis. *Nutrire* talibus auctoribus est *proferre*. *Henricus Altissiodor.* lib. 1 v. 191

Et te grandiloquos vellem nutrisse poetas,
Qui tibi multifluas possent garrire Camœnas.

Ita *nutrimenta facere* in *Capitulis Caroli* est animalium educandorum siue sufficiendi pecoris curam habere, vt recte expositum doctissimo *Sirmondo*.

(*d*) Scribe, *vincere vero diuini esse præconium subsidii*.

CAPVT II

Boamundus *Apuliæ Princeps, percepto Francorum Principum scopo, pioque studio, & ipse cum suis cruce se signat. Idem & alii Apuliæ Proceres faciunt.*

1) CVm vero sic incederent, rumor tanti exercitus ad aures cuiusdam terræ illius Principis peruenit, nomine *Boamundi*, qui tunc erat in obsidione *Malphi* super littus *Scaphardi* pelagi (*a*) constituti. Quia (*b*) hoc audiens fecit inquiri, quibus Principibus tantus exercitus regatur, quibus armis muniatur, quo ordine incedant: vtrum rapere venerant, aut sibi necessaria compararent. Cui ab inquisitoribus relatum est de Principibus, quod *Hugo* Magnus *Philippi* Regis Francorum germanus, signifer & dux sit tantæ militiæ. *Robertus* Comes Normannus, *Robertus* Comes Flandrensis, *Stephanus* Comes Carnotensis, *Raimundus* Comes sancti Ægidii, & Episcopus Podiensis, duces erant & domini. Exercitus autem sic deuote & seriatim procedebat, quia nocuerit, nullus erat. Arma equitum tam idonea erant, quia in tanto procinctu militiæ Dei conueniebant. Nam quis carneus oculus loricarum, aut galearum, aut scutorum, aut lancearum, sole radiante, ferre poterat intuitum? Pedites vero omni genere telorum sic præmuniti sunt, quia si obuiam sibi veniret, omni Orienti terrorem incuterent. Et cum sic telis & armis accingantur, ta-
2) men vt inermes peregrini necessaria sibi mercantur. Quæ cum audisset vir circumspectus & diuitiis opulentissimus, talia verba protulit coram omnibus: *Gratias agere Deo omnes debemus, qui in sua potestate habet omnium corda, & quo vult inclinat ea. Quis enim tot Principes tantumque populum in vnum collegisset, nisi eorum mentibus ipse præsideret?* Cumque requisi-

requireret, quod signum gestarent peregrinationis, didicit, quod aut in fronte aut in scapulis dextris signum ferebant sanctae crucis. Cum vero per campos discurrendo bellico vsui se exercerent, & iocando (c) inuicem alter in alterum hastas vibrarent, omnes vna voce clamabant dicentes: *Deus vult, Deus vult* (d). Et hoc signum erat bellici clamoris ipsorum. Et cum hæc iterum audiret vir prudens & mente capax, magis ac magis in Deo exultauit, 3) quia omnia hæc non tantum esse hominum intellexit. Qui statim eadem deuotione succensus, duo (e) pretiosa pallia iussit afferri, & ex eis corrigiatim incisis præcepit cruces fieri. Tunc dixit omnibus tam peditibus, quam militibus: *Si quis est Domini, iungatur mihi. O milites nunc mei estote Dei, & viam sancti sepulchri mecum incipite, & quæ mea sunt, vt vestra, assumite. Nonne & nos Francigenæ sumus? Nonne parentes nostri de Francia venerunt, & terram hanc militaribus armis sibi mancipauerunt? Proh dedecus! Ibunt consanguinei & fratres nostri sine nobis ad martyrium, imo ad Paradisum? In omnibus futuris temporibus debet ascribi tam nobis quam liberis nostris retrograda (f) animi inopia, si nobis absentibus agitur hæc diuina militia.* Et cum his & istis similibus animosus miles finem daret, omnes clamauerunt qui aderant, dicentes: *Nos tecum ibimus, & absque retractatione viam sancti sepulchri promittimus.* Tunc vir sapiens & astutus cruces iussit afferri, quas præceperat fieri. Quibus allatis dixit: *Si dictis vestris facta vnire vultis, de crucibus istis vnusquisque accipiat vnam: & acceptio crucis, sponsio viæ fiat.* Tunc tot ad accipiendum confluxerunt, vt multis accipere affectantibus cruces defuerint. 4) Audientes igitur optimates Apuliæ & Calabriæ & Siciliæ, quod *Boamundus* crucem viæ sancti sepulchri susceperat, omnes ad eum confluunt, & tam mediocres quam potentes, senes quam iuuenes, serui quam domini, viam sancti sepulchri promittunt. Dux vero Apuliæ, vt hæc vidit & audiuit, vehementer indoluit, 5) quoniam solus cum paruulis ac mulieribus in Ducatu suo remanere pertimuit. Erat autem Dux ille frater *Boamundi*, vterque filii scilicet *Roberti Wiscardi*.

1) In mscr. margini adscriptus hic versus;
Circuiens mundum rumor venit ad Boamundum.

(a) Primus auctor harum historiarum *pontem Scaphardi* vocat. *Bellipotens* Buamundus, *qui erat in obsidione* Malphi, Sciphardi pontis, *audiens aduenisse innumerabilem exercitum.* Quem ex *Roberto* nostro corrigendum arbitramur, *Scaphardi ponti.* Certe dubio procul sic in eo legit *Robertus* noster.

(b) Inconcinnior repetitio voculæ, *quia*, est ex stilo *Roberti*; nec puto bene in sua editione aliquid mutasse *Ioannem Pistorium* (pro *quia* ponendo *qui*)

2) In marg. *Militia pondus non respuit hoc* Boamundus.

(c) *Iocari* dicebantur, qui ludicra quæcunque, etiam armorum, exercerent, & iocando alter in alterum, hastas vibrarent. Inde enatum hodiernum Gallicum *jouer*. Et ioci sunt *Torneamenta*, exercitia equestria armorum. *Paulus Langobardus* lib. 5 cap. 39 histor. *Ad vrbem, vastissimam siluam, profectus est, ibique se iocis & venationibus exercere coepit*, h. e. hastiludiis. *Otho Frisingensis* lib. 1. de gestis Friderici cap. 25; *Norici, & maxime Comites & Nobiles, velut tirocinium celebraturi, in prædicti Comitis castra se recipiunt. Strenuissimus adolescens superueniens, Noricos, ante murum stantes, ipsumque armatos expectantes, non vt iocando, sed vt rem seriam agendo, viriliter aggressus.*

(d) Male *Robertus* voculam Gallicam *le* omisit; nisi si hoc putes esse librariorum insipientium facinus. Clamor enim, vnum omnium consensum in rem præsentem manifestans, fuit; *Dieu le veult.* Deus id vult. Quod princeps auctor harum historiarum semilatinius proponit: *Deus le volt.*

3) In margine *Roberti*, de more scriptoris, versus est hexameter rythmicus,
Sed tali voto clamnatur pectore toto.
vnde clarum, cum geminetur media littera, *Robertum* scripsisse, *voto damnatur*, eleganti latinoque vsu verbi, quem nemo nescit.

(e) Ex vno pallio duo concinnauit *Robertus.* Sic enim primus auctor, quem tota narratione exprimit *Robertus*, quique rei a Boemundo gestæ ipse affuit: *Mox sancto commotus spiritu, iussit pretiosissimum pallium, quod apud se habebat, incidi, totumque statim in cruces expendit.*

(f) *Retrograda animi inopia* est ignauia, terga periculis vertens. *Retrograde* est a tergo apud *Gauterium* Cancellarium cap. 26; *Rex inde mane profectus, se ipsum præcessurum, vt primum hostes inueniat, disponens curauit: Comitemque cum prouincialibus, retrograde custoditurum, subsequi imperauit*, i. e. partes postremas. Et ita *Gubertus* Abbas lib. 4 cap. 4; *Dispertiuntur itaque se per duarum acierum turmas, alteram a nostrorum frontibus præmittentes, altera retrograda omnem nostrum exercitum ambire molientes.* Eidem retrograde sunt, qui ab exercitu

descunt-

desciuerant & fugerant, lib. 7 cap. 42; *Retrogradis*, inquit, *nolite credere, qui nos inedia fatiscere celebrant, scriptis meis potius credite. Retrogradi*, rebelles, aduersarii omnes officii sui. *Radulfus Ardensis* homil. 109 in Euangel. & Epist. *Multi sunt hodie, qui ad finem vocati sunt* (leg. *ad fidem*, vt paullo ante locutus est) *nec per eam digne ambulant, dum bene operando non proficiunt, sed magis* retrogradi *sunt, & cum Deum ore confitentur, factis negant.*

4) In marg. *Hinc Calabra gentes faciantur & Apulienses.*

5) In marg. *His fieri praedux spretis tamen Apulia Dux.*

CAPVT III

Franci ad portus Apuliae perueniunt. Hugo & Wilermus *capiuntur ac deducuntur Constantinopolim. Ibi* Godefridum *reperiunt cum exercitu: ex quo vtrinque magna exoritur laetitia.*

DVm vero *Boamundus* viae necessaria parauit, Francigenae ad marinos portus peruenerunt, alii scilicet ad Brundusium, alii ad Barim, alii Otrentum mare intrauerunt. *Hugo* siquidem Magnus, & *Wilermus* Marchisii filius, in portu Barum mare intrauerunt, & Dyrrachium vsque nauigauerunt. Quos vt deprehendit adesse dux loci illius, captus iniqua cogitatione, illos continuo iussit apprehendi, & apprehensos Constantinopolim transduci. Edixerat enim subdolus Imperator, vt omnes Hierosolymitani caperentur & ad se Constantinopolim adducerentur. Volebat namque, vt omnes sibi fidelitatem facerent, vt scilicet suum esset, quicquid per arma adquirerent. Sed deprehensi cum ad vrbem venerunt, magnum sibi solatium inuenerunt, quoniam Ducem *Gothefridum* cum magno exercitu repererunt. Flere prae gaudio potuit, qui *Hugonem* Magnum & Ducem *Gothefridum* inuicem amplexari & osculari conspexit. Gaudet *Hugo* Magnus se fuisse comprehensum, quia meruit hac occasione adduci ad Ducem *Gothefridum*. Gaudet Dux, quia amplexatur praecordialem amicum & cognatum suum & totius generositatis nobilem virum. Gaudet alter in altero innouatum foedus amicitiae, & antiquae familiaritatis, & quod in vtroque inerat insigne decus probitatis. In his duobus viris primo denudatae sunt fraudes Imperatoris, sicut mox sequentia declarabunt.

CAPVT IV

Alexius *Imperator Francis dolose insidiatur, eisque suos immittit; quos &* Balduinus *superat, &* Godefridus. *Inde pacem cum eis facit.*

DVx *Gothefridus* prior(a) omnium Francorum Principum Constantinopolim venit, quia per Vngariam recto gressu profectus est. Venit itaque duobus diebus ante natale Domini, & hospitari voluit extra vrbem, sed subdolus Imperator eum inter suburbana recepit. Sperauit interim Dux ibi securum remanere se posse, donec venirent agmina gentis Francigenae. Et cum per aliquot dies mittere coepit clientes (b) suos ad comparanda necessaria, dolosus Imperator praecepit Turcopolis suis & Pincennatibus, vt in insidiis positi eos inuaderent & occiderent. Sed *Balduinus* frater Ducis, cognita eorum nequitia, occultauit se, & eorum praeuenit insidias, quia dum suos sequerentur, vt occiderent, forti animo & virili impetu illos inuasit: & sic Deo iuuante illos superauit, pluresque ex eis occidit, & captos fratri suo Duci praesentauit. Quod cum audisset Imperator, iratus est, quia cognouit denudatas esse Francis dolositates & insidias suas. Dux vt cognouit, erga se suosque Imperatorem iratum esse, de suburbanis illius exiuit, & extra vrbem sua tentoria fixit. Sole igitur occidente, cum nox superficiem terrae cooperuisset, satellites Imperatoris praesumpserunt Ducem inuadere, sed diuina adminiculante gratia, cum magno sui detrimento, vix manus illius potuerunt euadere.

Alter in alterum irruit, ſed alter altero præſtantior fuit. Dux cum ſuis, frendens vt leo, illos cito diſperiit, & ſeptem occidit, ceteros inſecutus vſque ad portam ciuitatis. Dux inde ad tentoria ſua rediit, & quietus deinceps manſit. Imperator autem pacem ab eo per internuntios quæſiuit, & tandem impetrauit, & mercatum ei & ſuæ genti, ſicut in ciuitate erat, habere permiſit.

) In margine;
Dux quoque regalem primus peruenit ad vrbem.

(a) *Prior* notat primum. *Guilielmus Tyrius* lib. 15 cap. 13; *Interea reſignato pallio aliud ei ſumtum de corpore S. Petri more ſolemni per* priorem *Diaconorum traditur.* Et abſolute *priores* ſunt capita rerum. *Albertus Aquenſis* lib. 2 cap. 39; *Boamundus ſtrage hac grauiſſima attonitus, ceterique* priores *arma reparant.* *Priores alicuius* etiam ſunt præceſſores, deceſſores, *Anaſtaſius* Bibliothecarius Pontifice 89; *Hic ordinauit Felicem Archiepiſcopum Rauennatem, qui ſecundum* priorum *ſuorum ſolitas in ſcrinio cautelas noluit facere.* *Prior* primi apud *Martianum Capellam* lib. 6; *Pandeam genuino femina tenent, cui* prior *Regina Herculis filia.*

(b) *Clientes* ſunt miniſtri ſequioris æui ſcriptoribus.

CAPVT V

Gallorum exercitus vrbi Conſtantinopoli appropinquat, Boamundus *cum ſuis per Bulgariam pergit; eis legem fert; quoddam hæreticorum caſtellum capit, & cum inhabitatoribus exurit, ab Imperatoriis inuaditur.*

INterea gens Gallicana cœpit appropinquare regiæ ciuitati, Podienſis Epiſcopus, & Comes ſancti Ægidii, Comites quoque Normannus Flandrenſis, & *Stephanus* Carnotenſis. Cum hæc itaque aguntur, vt diximus, proſpero ſucceſſu *Boamundus* Apulienſis, paratis ſuis ſtipendiis (a) tanto itineri congruentibus, mare intrauit, & in Bulgariam regionem tranſnauigauit, cum quo erant nobiliſſimi Principes, *Tancredus* videlicet nepos ſuus (b), & Marchiſi filius *Richardus* Princeps, & omnes terræ illius optimates, qui tantam in Bulgaria copiam repererunt, quod a fructu frumenti, vini, & olei omnes multiplicati ſunt. Deinde deſcendentes in vallem *Andronopolis* ibi tam diu quietauerunt (c), quouſque omnes transfretauerunt. Illic *Boamundus* vir prudens comminatus eſt ſuo exercitui, ne aliquis aliquid alicui violenter auferret, ſed vnuſquiſque quod ſibi competebat compararet. Tandem transfretatis omnibus, in quandam regionem intrauerunt, bonis omnibus vberrimam, & de villa in villam, de caſtello in caſtellum, de ciuitate in ciuitatem progredientes, *Caſtoriam* peruenerunt, & ibi ſolennitatem Dominicæ natiuitatis celebrauerunt, & per dies plurimos dietauerunt (d). Cumque forum rerum venalium ab indigenis quærerent, impetrare nequiuerunt, quoniam omnes a facie eorum confugiebant (e), æſtimantes, noſtros adueniſſe cauſa prædandi, & omnem terram depopulandi. Ideo noſtri compulſi ſunt ciborum inopia, rapere, prædari, oues, boues, arietes, hircos, porcos, & quæ vſui ciborum erant vtilia. Egreſſi de *Caſtoria* venerunt in *Palagoniam*, in qua erat quoddam caſtrum hæreticorum, quod vndique aggreſſi ſunt, & crepantibus buccinis, & telis ac ſagittis volantibus illico ceperunt, & ſpoliatum omnibus bonis cum ſuis habitatoribus igni combuſſerunt. Nec id eis iniuria contigit, quia illorum deteſtabilis ſermo, vt cancer ſerpebat: iamque circumiacentes regiones ſuo prauo dogmate fœdauerat, ſicut & ipſos a recta fide ſua fœda intentio abſtulerat.

Denique in craſtinum ad flumen *Bardarum* venientes, plures ipſo die tranſierunt, alii vero, qui ſole ſtante (f) tranſire nequiuerant, remanſerunt. In craſtinum illos, qui remanſerant, inuadit exercitus Imperatoris, ſummo diluculo, aurora iam luceſcente, & omnes occidere aut captos vinctoſque abducere, in animo habebant. **

* In margine;
Francigenæ gentes vrbi ſimul aduenientes Terrorem martis prætendunt compaſſionis.

(a) Stipen-

(*a*) *Stipendia* sunt omnia rei præsenti necessaria. *Bartolfus Peregrinus de Nangeio* cap. 33; *Eo Patriarcha formato, iumentis resarcinatis,* & stipendiis *praepportante muniтis, ambo Duces in fines Syriæ peruenerunt.* Idem cap. 47; *Deinde nauibus & iumentis* stipendio *sarcinatis, iter arripiunt.* Ita *Albertus Aquensis* lib. 8 cap. 32, lib. 9 cap. 44. *Guibertus Abbas* lib. 5 cap. 24, lib. 6 cap. 25, lib. 7 cap. 26, *Gauterius Cancellarius* cap. 30, *Fulcherius Carnotensis* cap. 9; apud quem *stipendiaria mercatio* cap. 33 & 37. Eadem voce *delicias* intelligit *Saxo Grammaticus* præf. histor. Danorum. *Itaque*, inquit, *cum genere, litteris, ingenioque nitéas, & plebem fecundissimis doctrina* stipendiis *regas, maximum tibi gregis amorem conciliasti.* Eidem *stipendium* refugium siue asylum denotat, lib. 2 cap. 19; *Vnicum salutis* stipendium *in aris abiectione repositum, nec fugæ subsidium, nisi rerum damno carpendum.*

(*b*) Errat *Robertus*, Tancredum *nepotem* Boamundi vocans, cum frater eius vterinus fuerit.

(*c*) *Quietare* est diutius quiescere, securé quietem instituere. Lib. 8 cap. 8; *Ibi inuenerunt hortos, plenos oleribus, & fabis aliisque leguminibus, iam ad præcocitatem maturantibus. Ibi* quietauerant *tribus diebus.*

(*d*) *Dietare*, diem ducere. Sic lib. 5 cap. 9; *Nostri vero, laudantes Dominum, sine obstaculo ciuitatem intrauerunt, & per dies quatuor ibi* dietauerunt. Lib. 8 cap. 6; Dietauit *in illa ciuitate exercitus Francorum per mensem vnum & dies quatuor.*

(*e*) *Confugere* est fugere, effugere. Male *Ioannes Pistorius*, qui & hoc & alia plura hoc genus non intellecta mutauit. Sic lib. 6 cap. 5; *Tali conditione recepit custodiam, vt, si Franci vincerentur, custodiret. Si vincerent, & ipse, sicut & alii, relicto castro,* confugeret.

(*f*) Alii legunt, *sole vetante.* Ioannes Pistorius. Lege *retardante. Stantem solem* opponit *occidenti aut occaso.*

** In margine;

Inuadit nostros exercitus Imperatoris.

CAPVT VI

Imperatorii reiiciuntur; Boamundi *implorant misericordiam.* Alexius, *amicitiam simulando, illum inuitat; qui cum paucis Constantinopolim pergit.*

QVibus dum nostri fortiter resisterent, rumor peruenit ad aures *Boamundi* & *Tancredi*. *Tancredus* vero non diu ferens suos ita iniuriis affici, equo volitans ad flumen rediit, & se cum equo & armis in illud iniecit, eumque duo millia equitum sunt insecuti. Qui protinus aduenientes inuenerunt Turcopolas & Pincennates cum eis dimicantes, in quos subito, vt effrenati irruentes, multos neci dederunt, & plures captos in vincula coniecerunt, & loris irretitos ad *Boamundum* adduxerunt. Quos vt vidit, Deo gratias egit, & hilari vultu subridens, eis per interpretem dixit: *Gens male sana, quare quæritis occidere gentem nostram & Dei? nos sumus Christianæ fidei consortes & domestici & peregrini milites sancti sepulchri. Nos neminem vestrum quærimus lædere, nec Imperatori vestro molimur aliquid auferre.* Ad hæc illi respondentes dixerunt; *Domine, conductitii milites sumus Imperatoris, & donatiua nostra promereri ab eo desideramus. Quo ei libet vadimus, quod præcipit, facimus, & magis illi, quam Deo obedimus. Nos tamen bene recognoscimus, quod magis oportet obedire Deo, quam hominibus. Imperator noster magis perhorrescit agmina vestra, quam cæli fulmina, quia plus intelligit, vos velle cum regno suo priuare, quam velle peregrinari: & ideo non cessat malum erga vos machinari. Sed propter Deum, cuius peregrini & milites estis, dignemini nostri misereri.* Ad hæc verba vir egregius commotus spiritu misericordiæ, condonauit eis vitam, & illæsos abire permisit. Et dum sic læto successu procederet, Francorum exercitus Constantinopolim conuenerat, & eius præstolabatur aduentum, quem audierat illic in proximo affuturum. Imperator autem cum vidisset, castra Dei vndique sic affluere, & exercitum suum, quem miserat contra *Boamundum*, sic dissipatum esse, exæstuans animo cœpit admodum anxiari, & fraudulentas cogitationes in corde eius versare. Tandem simulauit animum, & quasi de eius aduentu gratulabundus esset, misit obuiam *Boamundo*, qui eum per ciuitates & castella sua gratanter exciperent, & ad se cum honorificentia

centia conducerent. Compertum vero nostri habebant, quod non agebat hoc de aliquo famulatu (*a*) amicitiæ, sed secreta cordis simulatione. Indigenæ autem terræ illius, accepto Imperatoris imperio, cateruatim victui necessaria conferebant, & pretio satis competenti vendebant. Sicque venientes ad ciuitatem, quæ *Susa* memoratur, *Boamundus* ibi suum dimisit exercitum, & Constantinopolim cum paucis perrexit ad Imperatoris colloquium. *Tancredus* autem remansit dux & custos exercitus, & noluit ibi diutius manere, quia (*b*) extranei ibi erant cibi, quos sibi oportebat emere, & eduxit eos seorsum in vallem satis (*c*) omnibus bonis vberrimam, & corporalibus incrementis (*d*) satis opimam.

* In margine;
Vique Boamundus *nostris est associatus.*
Rex fuit insanus Constantinopolitanus.

(*a*) *Ioannes Pistorius* correxit; *ex studio amicitiæ.* Non assentimur tantæ audaciæ. Scribendum putamus; *quod non agebat hoc de aliquo* stimulatu *amicitiæ. Famulatus* alioquin obsequium notat. Sic lib. 4 cap. 12; *Laudandus & ensis, quod in sua integritate perseuerans, vibranti dextera sui* famulatus *impendit obsequium.*

(*b*) *Extranei* cibi sunt, qui aliunde inuehuntur & inutiles sunt, ceteris collatis. Ita *extraneos* dicit *allophylos*, minime numerandos cum ceteris, quorum res tractabantur lib. 1 cap. 1.

(*c*) Vocula, *satis*, abundat, vti sæpe alias.

(*d*) *Incrementa* sunt auctiones. Id dicit, corporibus nutriendis aptos cibos ibi adfuisse. Ita *excrementa* auctus vocant tales auctores. *Saxo Grammaticus* præfatione de prouinciarum Danicarum situ: *A cuius complexu fluminis Eidari interruinatione discreta, cum aliquanto longitudinis* excremento *in Noricè freti littus excurrit. Incrementum* augmen. Idem scriptor lib. 1 cap. 2, vt nos distinximus; *Quindecim annos natus, inusitato corporis* incremento *perfectissimum humani roboris speciem præferebat. Incrementum vteri* grauidatio *Apuleio* lib. 5 Metamorph.

CAPVT VII

Boamundus *Francorum Proceres sibi obuiam venientes amicissime excipit & alloquitur. Ab eis suum deducitur in hospitium.*

INterea *Boamundus* dum aduentaret ciuitati, Francorum exercitus pars maxima venit ei obuiam, & vnanimiter receperunt eum, sicut mater vnicum filium. *Boamundus* autem vt conspicatus est tot Consules, tot Duces, tot Optimates, obuiam sibi occurrere, in cælum manus erigens, obortis præ gaudio lachrymis, fleuit vberrime: & osculatis (*a*) pluribus, vix tandem repressis singultibus, vt loqui potuit, suffusis ora fletibus in hæc verba exorsus est fari; *O bellatores Dei & indeficientes peregrini sancti sepulchri, quis ad hæc* * *peregrina loca vos adduxit, nisi ille, qui filios Israel ex Ægypto per mare rubrum sicco vestigio transduxit? Quis alius inseruit vobis animum, vt relinqueretis possessiones vestras, & natale solum? Cognatos & affines, coniuges & liberos abdicastis, imo & omni corporeæ voluptati renuntiastis. Nunc iterum secundo regenerati estis, per confessionem scilicet & pœnitentiam: quam quotidie duris laboribus exhibetis. O felices, qui in* ** *tali opere deficient, qui ante visuri sunt Paradisum, quam patriam suam. O ordo militum, nunc terque quaterque beatus, qui huc vsque fuisti homicidii sanguine deturpatus, nunc sanctorum sudoribus compar martyrum cælesti es diademate laureatus. Huc vsque extitisti incitamentum iræ Dei. Nunc vero reconciliatio gratiæ ipsius, & propugnaculum fidei suæ. Quapropter, inuicti milites, quia nunc primum incepimus Deo militare, non gloriemur in viribus siue in armis nostris, sed in Deo potentissimo omnium, quoniam ipsius est bellum nostrum, & ipse dominabitur gentibus. Boamundus* cum hæc & plura id genus prætenderet, conciliauit in se animos audientium, & magnam gratiam inuenit in conspectu omnium. Tunc omnes cum eo ad ciuitatem venerunt, & ad hospitium suum, quod ei Imperator præparari iusserat extra vrbem, deduxerunt.

(*a*) *Osculatio* eo tempore inter heroas frequens celebratur. Supra cap. 4 noster *Robertus*: *Flere præ gaudio potuit, qui Hugonem Magnum & Ducem* Gothifredum *inuicem* S(;

cem complexari & osculari conspexit. Hoc loco *osculari* patiendi vi positum est, vt penes *Baldricum* lib. 3 cap. 15; *Lætabundus ad lanceam fit concursus, & tota deuotione deosculabatur.* *Osculum pedis* commemorat *Raimundus Agilæus* cap. 28; qui, summæ deuotionis loco mucronem lanceæ osculatum, quæ patefacta dicebatur diuinitus, scribit cap. 27. Apud *Albertum Aquensem osculum* cultus signum est lib. 2 cap. 4; *pacis*, lib. eodem cap. 17 & 18; *gaudii*, eod. libro cap. 9, *amicitiæ*, lib. 2 cap. 16; *honoris*, ibid. *Oscula oculorum & colli* celebrantur eodem lib. 5 cap. 44, *capitis & manuum* lib. 10 cap. 51; *mutua Ducum oscula* lib. 6 cap. 52, lib. 7 cap. 7 & 8, *Osculum pedum & pannorum* est apud *Fulcherium Carnotensem* cap. 13; *pacis* apud eundem cap. 24; *in excipiendo aliquo*, cap. 52. *Osculo* excipitur lignum crucis apud *Gauterium Cancellarium* cap. 9 & 18. Per *osculum* fiebat adoptatio, *Guibertus* Abbas lib. 3 cap. 13. *Osculum salutantis* est apud *Bartulfum* Peregrinum de Nangeio cap. 12. *Osculum terræ sanctæ* apud Lisiardum cap. 5 historiæ Palæstinæ. Quibus posterioribus duobus primi nos nomina sua ex scriptis schedis dedimus. A *Bongarsio* enim sine titulis sunt edita.

* In margine;

Verba Boemundi *non laudant prospera mundi.*

** In margine;

Militiamque parum non laudant Christicolarum.

CAPVT VIII

Alexius *Imperator metu Christiani exercitus varia, subdolaque animo consilia agitat. Tandem ad conditiones certas cum eis descendit; quas vtrinque iureiurando firmant. Caussa, qua adducti Christiani peregrini sacramento ei se deuinxere.*

SVbdolus itaque Imperator videns crescere castra Dei, & de die in diem augmentari, inops animi, expers sensus, pauper consilii, ira vehementi cœpit inflammari. Nesciebat, quid ageret, quo se verteret, quorsum, si eum vrgeret necessitas, fugeret. Timebat enim, ne tantus & tantorum exercitus in se consurgeret. Mens enim fraude plena semper anxiatur (*a*), & est sollicita, & quod machinatur alteri, pertimescit semper sibi machinari. Sed nostri hoc prorsus non quærebant, quia contra Christianos prœliari nolebant. Tandem iussit ad se vocari *Boamundum*, & cum illo & cum Græcis suis huiuscemodi habuit consilium. Requisiuit a nostris, vt sibi Principes exercitus facerent hominium, id est securitatem pacis, & ipse conduceret eos per desertas regiones, quas ingressuri erant. Forum rerum venialium omnium, & in omnibus bellicis negotiis sui præsentiam, & suæ gentis auxilium iuraret etiam generaliter omnibus, quod omnia, quibus indigebant in armis & vestimentis, ipse suppleret, nec amplius vlli peregrino sancti sepulchri noceret, aut noceri consentiret. Hoc consilium cum detectum fuisset, placuit in cordibus fere omnium: quoniam plerosque angebat necessitas rerum temporalium. Fecerunt igitur ei cum sacramento hoc hominium tali conditione, vt tam diu duraret, quam diu ipse perseuerasset in sacramento suo & promissione. Comes vero sancti Ægidii, cum requisitus (*b*) fuisset de hominio, id nullatenus facere voluit, sed si ei crederetur, tota ciuitas cum suis habitatoribus & ipso Imperatore destrueretur (*c*). Sed non erat ratio, vt tam regia ciuitas, tantæque Deo sacratæ destruerentur ecclesiæ, & tot Sanctorum corpora aut igne cremarentur, aut suis sedibus viduarentur (*d*). Tandem Comes sancti Ægidii aliorum suasionibus euictus, assensum præbuit, & in hæc verba ei fidelitatem promisit, dicens: ***Alexio Imperatori iuro, quod nunquam per me aut per meos vitam aut honorem amittet, aut quicquid hodie iuste aut iniuste possidet.*** Hanc illi fiduciam iurauit & Imperator adquieuit. Iurauit deinde idem Imperator dicens: * ***Ego** Alexius **Imperator iuro** Hugoni Magno **&** Gothefrido **Duci ceterisque, qui hic astant, Francorum Principibus, quod nunquam in vita mea iniuriabor vllum peregrinum sancti sepulchri, aut permittam iniuriari, & quod cum illis pergam in bellicis negotiis, & pro posse meo mercatum sufficientem illis conduci faciam*** (*e*). Nemo miretur, quod tot & tam nobiles Franci quasi coacti hominium fecerunt, quoniam si res ex ratione pen-

ne penseretur; quia fere coacti fuerint, inuenietur. Intraturi enim erant terram desertam & inuiam, terram ab omnibus bonis prorsus alienam, & sciebant, quia diurnum laborem ferre non sufficit, cui victus quotidianus deficit. Pro huiusmodi angaria (*f*), facta fuit huiusmodi hominii pactio. * Sed in mente Imperatoris semper mansit fraudulenta factio (*g*). Et bene competeret hominii rata conciliatio, si apud Imperatorem foret integræ fidei assertio. Sed quicquid stipulauit (*h*), totum cum verbo exinaniuit, maluitque periurii noxam incurrere, quam gentem Francorum a suis finibus non elongare (*i*).

(*a*) Elegans sententia, quam tamen superfluis verbis Monachus noster deturpauit.

(*b*) *Requisitus* compellatum denotat. Sic lib. 8 cap. 1; *Boamundus* requisitus *idem laudauit, & vterque in manibus Episcoporum promisit.*

(*c*) Masculus & eximius *Raimundi*, Comitis Tholosani, h. l. eminet animus, quem tota hac expeditione præ ceteris multis eum heroem tenuisse constat. Licet alibi auaritia fuerit transuersus raptus, modo fides constet iis, quæ tradit in rebus eius *Albertus Aquensis*, scriptorum Palæstinarum expeditionum fere optimus. Si vero vnicum hoc, quod *Robertus* subiicit, eius consilium Principes ceteri secuti fuissent, forte ad hoc vsque tempus, secundum tamen Dei voluntatem, arma Christiana in Oriente dominarentur & florerent.

(*d*) De *Raimundi* Comitis consilio, quod *Robertus* reiicit, sentio id, quod iam dixi; nec illius ratio vllius contra momenti est. Dum enim Græciæ imperio, subdolisque Imperatoris promissis decepti pepercerunt, & crediderunt Latini, vt vocabantur, Principes, suam militiam, seque ipsos maximam partem ærumnis immanibus & exitialibus inuoluerunt, tandemque perdiderunt prorsus. Nec poterant ignorare, licet bellipotentes magis, quam sapientipotentes, secundum *Ennium*, Principes hunc exitum, extantibus exemplis fraudum & manifestis & recentibus. Itaque perniciem insidiantium optima ratione peruertere, & in capita ipsorum conuertere poterant; re non adeo difficili, vt ostenderunt paullo post secuta tempora, multo minoribus copiis capta Constantinopoli, imperioque in *Balduinum* Flandrum translato.

* In margine;

Hoc quod Rex iurat, non longo tempore durat.

Iurat & abiurat, qui de se non bene curat.

Barbari sunt duo hi versus, sed omnino de illa vulpe verissimi. In qua re sane consonant omnes scriptores horum bellorum. Soli fidem in *Alexio* commendant *Anna* ipsius filia, & *Albertus Aquensis*.

(*e*) In hominio Comitis *Raimundi* verba rei competentia & tantum non necessaria perperam omisit editione sua *Ioannes Pistorius*. Vt & in Imperatoris iuramento duo *muniendi* verba pessime ibidem omittuntur.

(*f*) *Angaria* necessitatem denotat, exactam & coactam rei gerendæ necessitatem. *Baldericus* Archiepiscopus lib. 1 cap. 2; *Confluentes ad sancti sepulchri ecclesiam Christianos multimodis gentilibus* angariis *affligebant*. Idem lib. 2 c. 13; *Quem probrosis Boamundus & condignis castigauit* angariis, h. e. molestiis & rebus & verbis. Ibid. cap. 24; *Tenet ergo vnusquisque, aut pecunia, aut amicitia, aut munere, a quibuslibet ciuitatem hanc sibi vindicare praualebit* angariis. *Angariare*, torquere, molestia quem efficere. Idem lib. 4 cap. 13; *Quoties enim illi mali iudices, Herodis & Pilati complices, fratribus vestris illudunt vel* angariant, *toties Christum crucifigunt.* *Guibertus Abbas* lib. 7 cap. 35; *Vt in ipso expeditionis itinere nullus eum funestus exactor compellare auderet* angariis. *Petrus Blesensis* epist. 150, *Guilielmus Tyrius* lib. 1 cap. 5, lib. 4 cap. 18, lib. 7 cap. 22. Nota sunt hæc; sed nobis placet, hos autores ex ipsorum ætate notiores & illustriores facere.

(*g*) *Factio* dolum, insidias denotat, malorum consensum. Inter bonos *amicitiam*, inter malos *factionem* agnoscit *Nonius*. Vtimur tamen non inscite & in meliorem partem. Vt *Christiana factio* est apud *Tertullianum* in Apologetico.

(*h*) To *stipulauit* in *iurauit* pessime detorsit *Pistorius*. *Symmachus* lib. 1 ep. 5; *Sponsionem* stipulat *affectio; nec enim patiar decipi, quos opto complecti.* *Stipulari* vi patiendi ex *Liuio* & *Suetonio* notat *Priscianus* lib. 6.

(*i*) Voculas duas, *cum verbo*, pessime extriuit *Pistorius*. Sensus enim est; *memoriam omnem ipsorum etiam verborum aboleuisse Imperatorem.* Vt nimirum dicimus, *cum pulu e sculo tollere.*

CAPVT IX

Constantinopolis exstruendæ occasio. Vrbis huius situs, præstantia, dignitas.

SEd ne omnino videamur vt elingues præteriisse vrbem regiam, loquamur aliquid de ea, quoniam dissonum non videtur ab historia. Legimus in quadam historia, quod *Constantinus* Imperator Romanus, cum quadam nocte * in ciuitate, quæ *Byzantium* memoratur, obdormisset, visionem vidit (*a*), quæ

quæ in hunc modum ei apparuit. Anus quædam veste dissipata & quasi semicinctis (*b*) circumsepta veniebat ad eum, & suæ opis flagitabat subsidium. Vestem exigebat, qua indueretur, coopertura, qua tegeretur, alimoniam qua pasceretur, promisitque ei Rex, continuo se subuenturum, & indubitanter postulata collaturum. Et sic visio disparuit. Tunc vir potentissimus somno excitus, cum in corde suo quænam esset visio hæc, versaretur, diuino nutu intellexit, ciuitatem ipsam in qua erat, auxilium quærere, & se in melius restitui peroptare. Sicque *Constantinus* a fundamentis illam erexit, & de suo nomine *Constantinopolim* appellauit, quam Romæ mœnibus altis ædificiorum structura nobili coæquauit, & pari gloria & honore terreno sublimem reddidit, quæ sicut Roma est caput Occidentis, ita & illa ciuitas debet esse Orientis. Est autem sita inter Adriaticum mare, & illud, quod nunc vocatur *Brachium sancti Georgii*, supra quod mœnia ciuitatis locata sunt. Hæc præ cunctis aliis vrbibus fœcunda est pingui agro, & omni marinarum diuitiarum mercimonio. Hanc itaque diuino nutu conditam nemo dubitet, quoniam præuidit Deus, quod erat futurum, quod nos modo videmus impletum. Nisi enim talis condita fuisset ciuitas, Orientalis Christianitas vbi diffugium (*c*) habuisset? Ibi nunc receptaculum habent sanctissimæ reliquiæ sanctorum Prophetarum & Apostolorum, & innumerabilium martyrum sanctorum, quæ illuc translatæ sunt a facie paganorum. Asia & Africa olim fuerunt Christianorum, quæ nunc subiiciuntur immundis ritibus gentilium. Ideo talis effecta est vrbs regia Constantinopolis, vt sanctarum, quas supra diximus, reliquiarum foret tutissima regio. Et ideo debet bene Romæ coæquari dignitate sanctuarii, & excellentia regiæ dignitatis: nisi quod Roma est papali apice sublimata, & caput & summa totius Christianitatis. De his ergo loqui sufficiat, & hic secundus liber finem recipiat.

* In margine;

Visio perplana fuit hæc Constantiniana.

(*a*) Fabulam de *Constantini* hac visione vide apud *Sozomenum* lib. 2 H. E. cap. 2. Aliam, de aquila lapides apportante, & Euphrata eunucho vaticinante recenset *G. Cedrenus.* Magnas aues prodigium id confecisse, memorat *Constantinus Manasses*, vt augeretur res velut innominatarum ostento. Portentosius *Michael Glycas*, cum Chalcedonem *Constantinus* ampliorem reddere constituisset, aquilas rapta fabris instrumenta trans fretum vsque Byzantium deportasse scribit initio libri 4. Si exstaret vel vnus eorum auctorum, quos *Constantino* in vrbe ædificanda adfuisse, & res omnes eius accurate in litteras misisse auctor est *Georgius Codinus*, tenebrosa tunc vrbis nunc constitutio in clara luce versaretur.

(*b*) Inscitissime hic etiam *semicinctis in semicincta* corrupit modo notata *Ioan. Pistorii* editio, cum eorum mentionem tamen Scripturæ debeat *Robertus* noster, Actuum Apostolicor. cap. 19. De his notamus plura alibi, & docent dicenda viri doctissimi ad *Petronium*.

(*c*) Hoc est, *confugium*, *asylum*, *refugium*. Lib. 3 cap. 5; *Tanta quippe erat Turcorum instantia, & vnus ita impediebat alium, quod nusquam erat cuiquam pro vllo commodo* diffugium. Scitius ea vox alibi *effusam fugam* designat, vt *Alberto Aquensi* lib. 2 cap. 43; *In hoc confusionis belli, Turcorumque diffugio, nonnulli christianorum militum sagittis vulnerati perierunt. Diffugium militiæ*, desertio eius, & frustratio sacramenti militaris est apud *Guibertum Abbatem* lib. 3 cap. 11.

EXPLICIT LIBER II.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

CAPVT I

Exercitus in Asiam minorem transducitur. Viis paratis versus Nicæam tendit. Fame ingrauescente commodum cum commeatu Boamundus *aduenit.*

Confœderatis igitur cum Imperatore Gallorum Principibus, iussit Imperator naues ad portum adduci, vt omnis exercitus sine magna dilatione * posset transfretari. Primi itaque transfretauerunt Dux *Gothefridus* & *Tancredus*,

credus, & vſque *Nicomediam* perrexerunt, & per tres dies ibi feriati ſunt. Videns ergo Dux, quod nulla pateret via tranſituris, per quam tantum exercitum conducere poſſet, præmiſit quatuor millia hominum cum ſecuribus ac vomeribus (*a*), aliiſque ferramentis aptandæ (*b*) viæ conuenientibus. Erat autem terra illa inuia, per iuga montium, per concaua vallium, per defoſſa terrarum vndique præpedita. Conſtrauerunt itaque viam plurimo ſudore vſque *Nicæam* ciuitatem, peditibus, equis, omnique tranſeunti ſatis idoneam, poſueruntque ligneas cruces per reflexus viarum, in teſtimonium, vt cunctis notum fieret, quod via illa erat peregrinantium: ſicque ſuo tractu (*c*) pertranſiit omnis multitudo, excepto quod *Boamundus* remanſit cum Imperatore, diſpoſiturus cum eo de commeatus promiſſione; ſed vltra modum protelari (*d*) videbatur illa promiſſio, quia antequam perueniret, apud illos, qui pauperiores erant, verſabatur maxima famis cruciatio. Ad *Nicæam* vrbem conuenit robur exercitus, pridie nonas Maii, & antequam mercatum (*e*) adduceretur, vendebatur XX aut XXX denariis vnus panis. Poſtquam vero *Boamundus* cum commeatu venit, penuria euanuit, & libertas omnium bonorum affuit.

* In margine;

Iam mare tranſitur. Sed ad inuia iamque venitur.

(*a*) *Vomeres* dicti, vt volunt *Varro* & *Iſidorus*, quod egerant terram velut vomitu. Quod ineptum eſt, etiam repugnante ſyllaba. Inſulſiſſime in duabus veteribus *Papiæ* editionibus legitur; *Vomis vel vomer, Deus eſt arari*, cum *dens* legendum vel pueri videant. *Robertus* pro acuto firmoque ferreo inſtrumento quouis habuit; occaſione hauſta ex Scriptura ſacra lib. 1 Reg. cap. 13, vbi *vomeres* pariter iunguntur *ſecuribus*.

(*b*) Forte, *aperiendæ viæ*, ſcripſit *Robertus*. Id enim ſolum poſtulabant, vt tranſire poſſent. Auctor primus cap. 7; *Quæ via fuit aperta per anguſtam & nimis immenſam montaneam.*

(*c*) Forte legendum, *vno tractu*. Sed idem ſenſus ſit etiam in illo, *feriatim* nempe, vt loquitur *Petrus Bleſenſis* epiſt. 153. *Tractu ſuo*, vt poterant ſcilicet, tot impedimentis impediti.

(*d*) *Protelare* his ſcriptoribus eſt *producere, extrahere*. Sic lib. 5 cap. 1, lib. 7 cap. 12, *Baldricus* lib. 3 cap. 25, lib. 4 cap. 12.

** In margine;

Tu quoque, Nicæa, dabis iſtis ampla tropheа.

(*e*) *Mercatum* tertio genere, forum rerum venalium. Lib. 8 cap. 12; *Miſitque omni exercitui mercatum laudabile, quod omnino priuauit illos ab neceſſitate.*

CAPVT II

Nicæam Chriſtiani obſident ac grauiter oppugnant. Turci, vt eam liberent, cum magnis copiis aduolant.

DIe ſiquidem (*a*) aſcenſionis Domini vrbem obſidione vallauerunt, & baliſtas & arietes, & cetera id genus inſtrumenta quibus inhabitantes expugnari quirent, appoſuerunt. A parte Orientis, quia inexpugnabilior & magis munita ciuitas eſſe videbatur, applicuerunt ſui robur exercitus Principes illi, Podienſis Epiſcopus, Comes *Raimundus*, *Hugo* Magnus, Comes Normannus, Comes Flandrenſis, Comes *Stephanus* Carnotenſis. A Septentrione Dux *Gothefridus*. Ab occaſu ſolis *Boamundus*. Ab Auſtro vero pars nulla fuit, quia lacus magnus ibi præſidio fuit. In illum ciues cum nauibus ſuis introibant, & ligna & herbas aliaque neceſſaria afferebant. Quod vt Principes agnouerunt, cum legatio ad Imperatorem cucurrit, vt naues conduci faceret, vſque *Ciuitto*, vbi portus eſt, & boues cum eis, qui eas vſque ad lacum traherent. Qui illico dictis paruit, & iuxta Principum velle factum fuit. Quid plura? Diſpoſitis circa vrbem agminibus, Chriſticolæ viriliter inſiſtunt: & Turci, quia de vita eorum agitur, fortiter reſiſtunt. Turci toxicatas ſagittas (*b*) mittebant, vt quos vel leui tactu ſauciarent, graui morte perimerent. Noſtri vero pro vita (*c*) mori non formidantes, altas circa muros machinas erigunt, quibus infra ſe illos, qui in muris erant, deſpiciunt. Ligneæ turres lapideis turribus opponuntur, & iam cominus hoſtis lanceis & enſibus impugnatur.

Iamque ſudeſque faces, lapides iaculantur in vrbem,
Hoſtis terretur, quia iam de morte timetur.
Vnde fragor turbæ, clamorque ſonabat in vrbe.

Tt Paſſim

Passim fugiebant matres cum filiis & filiabus suis solutis crinibus, latebrasque quærebant, quia spem vitæ nusquam habebant. Iamque vt se victum reddere (*d*) parabat hostis, LX millia Turcorum eminus aduenire conspexit. Ipsi enim de ciuitate præmiserant ad illos, dicentes, vt per meridianam portam venirent ad ipsos, & adiuuarent eos. Nostri vero interim obsederant illam portam magno comitatu (*e*), & custodiebant eam Podiensis Episcopus & Comes sancti Ægidii. Turci vero de montanis descendentes, vt eminus nostrorum agmina conspexerunt, timore perculsi sunt: & nisi in sua multitudine confidissent, fugæ præsidium, frenis retroflexis, arripuissent: feceruntque tres turmas, vt vna supra dictam irrumperet portam, duæ & confligendo, si necesse eis, incumberet, liberius subsequeretur tertia.

* In margine;

Cum te vastabunt, & vastatam superabunt.

(*a*) *Siquidem* vocula abundat sæpius in hoc genere scriptionum. vt h. l. lib. 7 cap. 11, lib. 8 cap. 10, lib. 9 cap. 6. vid. *Baldricus* lib. 1 cap. 3 & 8, lib. 5 cap. 11, & alii.

(*b*) *Toxicatæ sagittæ* veneno mortifero imbutæ. *Toxicare*, veneno interficere. *Petrus Blesensis* epist. 20.

(*c*) Intellige, pro emolumento christianæ rei. Tam fatuæ persuasionis tunc erant etiam incliti illi heroes, vt crederent, expeditione hac, postposito sanguine filii Dei, omnique salutis ratione, se mereri citra controuersiam vitam æternam. Tamdiu etiam crassissima hæc nubes tantorum hominum oculis suffusa fuit, vt ante duo ista sæcula adhuc palam prædicaretur & crederetur, ipsum iter ad loca Hierosolymitana salutem æternam conferre posse. Quæ crassissima inscitia multis præclaris viris, satis quod agerent domi habentibus, & ad splendidam vitam parata omnia possidentibus, exitio fuit, qua de re disputatum alibi. Tam ineptis etiam fabulis ipsam hanc peregrinationem adulterarunt, vt incredibile fere sit, homines integris sensibus tantis deliriis scribendis, legendisque horas impendere potuisse. Vide vel Doctoris, Equitisque Angli, *Ioannis de Montevilla* libellos; miraberis patientiam lectorum, & audaciam scriptorum, sub vnico eo exemplo.

** In margine;

Pro turba turbæ fragor est permotus in vrbe.

(*d*) *Reddere se, rendre.* Gallicorum, est permittere se voluntati victoris. Infra cap. 11; *Quod videntes Armenii, terræ illius habitatores, gauisi sunt; quia videlicet a Christianis tam fideliter & Turci & Publicani sunt occisi, continuoque cum sua terra reddiderunt se illis.* Conf. lib. 7 cap. 11, *Baldricus* lib. 1 cap. 24, *Raimundus Agilaus* cap. 7 & 37, *Albertus Aquensis* lib. 5 cap. 56, lib. 11 cap. 5, *Fulcherius Carnotensis* cap. 98, *Bartulfus de Nangeio* cap. 12, cet.

(*e*) *Magnus comitatus* ingentem militum multitudinem notat. Sic *Albertus Aquensis* lib. 1 cap. 20; *Et vere Solymannus, cum omni comitatu suo intolerabili, eandem siluam ex fronte altera intrauerat.* Idem lib. 3 cap. 21; *Balduinus, adsumtis ducentis sociis, & omni exercitus pedestri & equestri comitatu, castrum Samusas est aggressus.*

CAPVT III

Turci magna fugantur strage. Christiani in vrbe oppugnanda pergunt, qua tandem se dedit; quam munita fuerit Nicaa, concilioque Episcoporum celebris.

SIc Turci disposuerunt, sed Dei consilio nostri eruditiores (*a*) hanc diffinitionem aliter mutauerunt. Nam Podiensis Episcopus, & Comitis *Raimundi* exercitus, vt primum illos visu attigerunt, vrbe relicta, celerrimo cursu irruunt in illos: non plus eorum formidantes multitudinem, quam canes fugientem leporem. O quot millia electorum militum illos sunt insecuti! paratiores de Turcorum corporibus extrahere animas (*b*), quam quisquam famelicus eundi ad nuptias. * Turci vero, vt viderunt tot armorum præeminium (*c*) splendorem (suggerebat enim flammantibus radiis sol fulgorem) tot veloces equorum occursus trementium, tot hastas contra se vibrantes, terga verterunt, & nimis pigri & inertes ad montana redire voluerunt; sed quicunque inde descenderant, rursus ascendere non potuerunt,

Et male mulctati nece dira sunt cruciati.
Auxiliante Deo, sic agmina nostra trophæo
Tali lætantur, & ad vrbem regrediuntur.

Qui

Qui iterum machinas ascendentes, vt maiorem metum hostibus incuterent, balistis & fundis occisorum capita Turcorum intus proiiciebant.

Nec tardante mora, sunt ipsa temporis hora
Naues allatæ Constantinopolitanæ.

Sed illa die in lacum non immiserunt, sed nocte, plenas Turcopolis, gente ** scilicet Imperatoris bene docta & assueta nauibus. In crastinum surgente aurora, vt viderunt naues hii, qui erant in ciuitate, præ nimio timore exterriti sunt, & vltra non habentes spiritum, quasi iam mortui in terram corruerunt. Vlulabant omnes filiæ cum matribus, iuuenes cum virginibus, senes cum iunioribus. Vndique luctus, vndique miseria, quia euadendi spes non erat vlla. Intus erat mœror, & mentis hebetudo (d): foris gaudium & exultatio. Tandem inuenerunt euadendi consilium, quia per Turcopolas Imperatori significarunt, ei se reddere ciuitatem, si illæsos & incolumes cum suis rebus eos permitteret abire. Quod vbi Imperatori nunciatur, admodum inde gratulatur, sed & inde mente concipit fraudem, vt deinceps parturiat iniquitatem: iubet, vt suis reddatur ciuitas, Turcis integra fiducia tribuatur, & ad se Constantinopolim conducantur. Quod ideo fecit (vt res ipsa deinceps innotuit) vt cum tempus accederet, ad detrimentum Francorum paratiores inueniret. Itaque ciuitas redditur, & Turci Constantinopolim deducuntur. Nec immemor *** tamen fuit Imperator tanti beneficii, quia pauperibus, qui erant in exercitu, largas eleemosynas præcepit erogari. Septem itaque hebdomatibus & tribus diebus Nicææ ciuitatis protensa est expugnatio: nec vlla vi humana superata fuisset, nisi Dei adiutorio. Est enim muris densissimis & altis turribus præmunita, vt caput & nulli compar in tota Romania. In hac olim tempore Constantini Imperatoris CCCXVIII Episcopi aggregati fuerunt, & de fide nostra propter hæreticorum versutiam, qui tunc temporis erant, tractauerunt, & ita omnia, sicut tenet nunc catholica ecclesia, omnes vnanimiter sanxerunt. Et ob hoc dignum erat, vt inimicis sanctæ fidei auferretur & Deo reconciliaretur, & sanctæ matri nostræ ecclesiæ, vt membrum suum, redintegraretur. Et prouisa fuit, & disposita hæc noua redintegratio quam plurimorum, qui ibi occisi sunt, consecrata est martyrio. In hunc modum, vt diximus, liberata est Nicæa ciuitas, & expulsa est ab ea omnis diabolica captiuitas.

His ita patratis, sua mox tentoria nostri
Desigunt, & abire parant, sic vrbe relicta
Missis legatis Constantinopolitanis.

(a) *Eruditiores* dicit prudentiores. Similiter *doctum caput* apud Auctorem primum. cap. 5; *Ibi doctus Boamundus optime concordatus est cum duobus Corpalatiis.* Mox; *Ibi doctus Boamundus totam gentem suam dimisit.* cap. 10; *Tandem nequiuit vir fortis diu luctari cum Balduino*, doctissimo *Comite.* conf. cap. 11 & 17. Sic *bello doctus* Alberto Aquensi lib. 2 cap. 25. *Doctus in equis* lib. 3 cap. 64. *Eruditum ingenium*, sagax, perspicax, *Saxoni Grammatico* lib. 4 cap. 7. *Doctus astutia*, apud eundem *Albertum* lib. 5 cap. 35. *Doctus prælio*, lib. 8 cap. 15.

(b) Putidum est sermone & prouerbio, quod hic dicit.

*In margine;

Iam Turci fugiunt, pauidique per omnia fiunt.

(c) *Præminius* est insigniter excellens.

**In margine;

Hostes inclusi magna formidine fusi,
Quo se conuerti valeant, non sunt bene certi.

(d) *Hebetudo* mentis summum mærorem notat, qualis mentes ipsas solet obtundere. Sic lib. 1 cap. 5; *illis incutitur pauor & mentis hebetudo.* Lib. 4 cap. 6; *Mirandum & cum admiratione dolendum, quod in talem ac tantum virum talis* hebetudo mentis *incesserit, quod tam turpiter a castris recesserit.* Ita *Albertus Aquensis* lib. 4 cap. 28, lib. 6 cap. 20. Sic *hebetatum se* diuturno carcere, h. e. acumen sibi ingenii attritum dicit *Gauterius Cancellarius* cap. 12. Neque aliter *Abbas Guibertus* lib. 3 cap. 9 & 10, lib. 5 cap. 12.

*** In margine;

Hostis captiuus condonata nece viuus
Redditur a Francis Constantinopolitanis.

CAPVT IV

Recedentes ab vrbe Christiani in duo diuiduntur agmina. Quorum alterum sub Boamundo *a magna Turcorum multitudine inuaditur, ac strenue cum ea pugnat.*

POstquam vero de ciuitate recesserunt, duobus diebus coniuncta agmina in vnum processerunt, & ad vnum pontem peruenerunt, iuxta quem duobus diebus quiescentes feriati sunt, & de virenti gramine equos & bestias suas refocillauerunt. Quia vero ingressuri erant terram desertam & inaquosam, consilium inierunt, vt diuiderentur, & in duo agmina partirentur. Non enim vna terra, vna regio sufficiebat tot hominibus, tot equis, tot animalibus. Vna igitur & maior acies *Hugoni* Magno committitur. Altera voro *Boamundo* coniungitur. In prima acie fuerunt cum *Hugone* Magno Podiensis Episcopus, Comes *Raimundus*, Dux *Gothefridus*, & Flandrensis Comes *Robertus*. In secunda autem cum *Boamundo*, *Tancredus*, *Robertus* Comes Normannus, & multi alii Principes, quorum nomina ignoramus. Itaque prospero successu per Romaniam iam quasi securi equitabant. Sed euoluto trium dierum curriculo, quarta iam die, hora tertia, hii qui erant cum *Boamundo*, viderunt CCC Turcorum millia sibi occurrere, & clamosis vocibus, nescio quid barbarum perstridere. Pro quorum immensa multitudine quidam ex nostris hæsitare cœperunt, vtrum resisterent, aut fugæ diuortia quærerent. Tunc *Boamundus*, vt vir multiuidus, & Normannus Comes, vt miles animosus, vt viderunt quorundam animos titubare, præcipiunt omnes milites decedere, & sudes tentoriorum infigere. Erat autem ibi quidam riuus currentis aquæ præterfluens, iuxta quem in longum sua tentoria ponunt. Concito prouidus *Boamundus* celerem dirigit nuntium,

Qui celeri volitaret equo, nostrosque vocaret,
Quatinus ad bellum properarent iamque paratum.

Antequam vero tentoria tensa fuissent, centum quinquaginta Turci equis velocioribus aduecti, nostros appropiauerunt, & tensis arcubus suas sagittas toxicatas in eos immiserunt. Nostri vero equis admissis illos exceperunt, & comprehensos occiderunt. Turcorum quippe consuetudo est, vt retro confugiant tractis sagittis, & dum fugiunt, aduersum vulnus se insequentibus infligant. Sed fugæ nullus locus erat, quia densitas hostium occupauerat ipsa * cacumina montium. Propterea nostri dextra læuaque eos instanter trucidabant, & arcus & sagittæ inutilem ibi locum habebant. Tandem confractis lanceis Francorum in corporibus impiorum, res agitur gladiis. O quot ibi corpora corruerunt, truncatis capitibus, aut mutilatis aliquibus membris! Illic videres, quod posterior pars hostium impellebat priorem in gladios trucidantium.

* In margine;
Ecce fit hic pugna, quæ non fuit omnibus vna.

CAPVT V

Idem ex alia parte grauiter a Turcis premitur. In maximis est angustiis. Gotfrido *vero &* Hugone *aduenientibus animum recipit; hostem fundit.*

DVm sic pugnatur, dum sic pars prima necatur,
Pars ea Turcorum, quæ riuum transiit, illa
Protinus inuasit tentoria Christianorum:

Diruunt illa, trucidant matres cum pueris, & quos imparatos bello reperiunt & sine armis. Clamor morientium *Boamundi* peruenit ad aures, & protinus quid esset intellexit. Bellum Comiti Normanno committit: & ad tentoria cum paucis celeri cursu repedauit.

Quos vt viderunt Turci, mox terga dederunt.

Boamun-

Boamundus autem conspicatus, ibi iacere multos exanimes, cœpit lamentari, & Dominum, vt viuis ac mortuis esset refugium, deprecari. Ad bellum festinus remeauit, sed tamen pro vallo & munimine in tentoriis milites dereliquit. Antequam vero ad bellum rediret, fuerant iam nostri adeo fatigati, * siti, labore & calore æstus, quia nisi mulieres potum de riuo præterfluenti attulissent, multi ipso die bello succubuissent. Iam vero nostri Turcis irruentibus semel terga dederunt, & nisi cito Comes Normannus aureum vexillum in dextra vibrans equum conuertisset, & geminatis vocibus militare signum, *Deus vult*, exclamasset:

Nostris illa dies nimis exitiabilis esset.

Sed postquam viderunt reuerti *Boamundum* & Comitem Normannum, spiritum audaciæ resumpserunt, & magis mori, quam vlterius fugere elegerunt. Tanta quippe erat Turcorum instantia, & vnus ita impellebat alium: quod nusquam erat cuiquam pro vllo commodo diffugium. Nostros ita vallauerant, quod locum vacuum nisi circa tentoria non inueniebant: multi de nostris tunc mortui sunt, qui Turcorum sagittis perierunt. Nullus nostrorum vacabat ab officio, nullus erat absque ministerio. Milites & ad bellum expediti pugnabant; sacerdotes & clerici plorabant & orabant; mulieres lamentantes mortuorum corpora in tentoria trahebant. Et dum sic nostri coartantur, dum nube volantium sagittarum obumbrantur, aduolat interea Dux *Gothefridus* & *Hugo*. ** Qui cum ad montana peruenerunt cum quadraginta millibus electorum militum, aspiciunt tentoria suorum vndique circumsepta agminibus Turcorum, sociosque suos vtcunque pugnantes, mulieres in tentoriis magno vlulatu vociferantes; ardescunt animo, & sicut aquila fertur in prædam,

Quam vox pullorum stimulat ieiuna suorum,
Sic ira accensa penetrarunt agmina densa.

O quantus ibi fragor armorum, quantus strepitus confringentium lancearum, quantus clamor morientium, & quam hilaris vox pugnantium Francorum, militare signum suum altis vocibus conclamantium! Congeminantur illæ voces, dum eas recipiunt & recipiendo emittunt concaua vallium, cacumina montium, scissuræ rupium. Miseri, quos primum inueniunt, quia nunc homines, nunc sola cadauera sunt, quos non contegit lorica vel clypeus, & quos non adiuuat sagitta vel sinuatus arcus. Vlulant, gemunt, terram morientes calcibus terunt, aut procumbentes herbam mordicus scindunt. Hos repentinos sonitus dum longe positi percipiunt, alii gratulantur; alii mæsti fiunt. Franci intelligunt militare signum suorum pugnantium. Turci vero lamentabiles gemitus suorum morientium. Torpescit stupefacta manus iniquorum, conualescit iam fatigata manus Christianorum.

* In margine;
Hinc labor, inde calor, sitis, improbus hostis, & arma
Nostros inuadunt, & ob hoc iam terga parabunt.

* In margine;
Assunt præsidio Dux Godefridus *&* Hugo.

CAPVT VI

Episcopo Podiensi & Raimundo *aduenientibus pugna renouatur, qua hostes tandem superantur.*

INterea dum Turci qui nostros impugnabant ad montana respiciunt, conspiciunt Podiensem Episcopum & Comitem *Raimundum*, cum reliquo exercitu * militum & peditum de montibus descendere, suosque inuadere. Obriguerunt timore magno præ multitudine bellatorum, putantes, quod aut de supernis sedibus bellatores pluissent, aut de ipsis montibus emersissent. Iam prœlia innouantur, recenterque plurima Turcorum millia prosternuntur.

Quid faceret Turcus, populusque per omnia spurcus?
Ni sua terga daret, quo venerat & remearet.

Sed

Sed qui cauda prius fuerat, caput incipit esse.
Sicque caput caudam sequitur, fugiens fugientes.

Nostri quoque qui iam prope in suis erant inclusi tentoriis, iterum resumpto spiritu animantur, & sua vulnera grauesque iniurias de hostibus vlciscuntur.

** *Qui prius instabant, fugiunt per deuia quaeque.*
Nec curant quorsum, vel in antea siue retrorsum:
Sed miles Christi prosternit eos nece tristi;
Sanguine terra madet, montis rubet vndique cliuus,
Completurque simul fluitanti sanguine riuus.
Corpora caesorum tot erant prostrata per agrum;
Quod nisi vix vllus currere quibat equus.

Ab hora igitur diei tertia vsque ad noctis crepusculum conflictus ille continuus fuit: & mirum esse poterat, vnde gens tanta aggregata fuerit. Sed vt asserebant, qui se melius scire arbitrantur, Persae, Publicani, Medi, Syri, Chaldaei, Saraceni, Agulani, Arabes & Turci ibi conuenerant, & superficiem terrae cooperuerant, sicut locustae & brucus, quorum non est numerus. Nox quippe litem diremit, magnoque fuit illi praesidio: quia nisi tenebrae eos occuluissent, pauci ex tanta multitudine superfuissent.

Gloria magna Deo, tali tantoque trophaeo
Qui perimit nocuos, glorificatque suos.

Nostri itaque compellentibus tenebris, ad sua tentoria reuersi sunt, sacerdotibus & clericis hymnum Deo dicentibus in hunc modum: *Gloriosus es, Domine, in sanctis tuis, mirabilis in sanctitate tua: terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia. Dextera tua, Domine percussit inimicum, & in multitudine gloriae tuae deposuisti aduersarios tuos. Dixerat inimicus;* Persequar & comprehendam illos, diuidam spolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea; *Sed tu, Domine, nobiscum fuisti, tanquam bellator fortis, & dux & protector fuisti in misericordia tua populo tuo quem redemisti. Nunc, Domine, cognoscimus, quia portas nos in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum, ad sanctum scilicet sepulchrum tuum.*

* In margine;
Militia tanta bellum nunquam fuit ante.
Hinc timor incessit, quo tran sab inde recessit.

** In margine;
Iam Saraceni fugiunt, Arabes, Agareni,
Cum Publicanis, Medis, Persis, Agulanis.

CAPVT VII

Christiani suos sepeliunt. Spolia ampla caesis hostibus detrahunt.

HIs dictis voces suppresserunt, & securi iam ab hostibus nocte illa quieuerunt. In crastinum vero, vbi sol flammanti lumine mundum venustauit, omnes ad campum belli cucurrerunt, & de suis plurimos peremptos inuenerunt: & nisi cruces fuissent, segregari ab illis vix potuissent. Illi vero, quibus erat sanior intellectus, vt Christi martyres venerabantur, & digniori * honore quo poterant tumulabant. Et sacerdotes & clerici sepulturae debitos effundebant cantus. Matres pro filiis, amici pro amicis, lugubres emittebant planctus. His ita completis, ad cadauera hostium spolianda festinauerunt. Et quis referre potest, quantam ibi abundantiam vestium, quantam auri argentique copiam repererint? O quantam multitudinem equorum, mulorum, mularum, camelorum & asinorum nostri tunc habuerunt? Qui prius erant pauperes, Deo opitulante, diuites effecti sunt. Qui prius seminudi, sericis indumentis vestiti sunt. Leguntur tela & sagittae, & vacuatae implentur pharetrae. Cura vulneratis impenditur, & curae medicorum committuntur.

Sicque die tota, non est gens nostra remota.

Huic facto egregiae laudis si quis mentis oculum velit apponere, Deum mirabilem in suis operibus poterit aduertere. Esurientes etenim suos repleuit bonis, diuites vero

vero non suos dimisit inanes, deposuit potentes, & exaltauit humiles, potentes abiectos reddens, humiles gloriosos. Hoc est quod per *Esaiam* prophetam spopondit suæ dilectæ Hierusalem: ***Ponam te in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem: & suges lac gentium, & mamilla Regum lactaberis, & scies quia ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.*** Superbia sæculorum nobilitas est virorum illustrium, mamilla Regum diuitiæ thesauros suos in terram fodientium. Quæ nobilitas mamilla Regum pascitur, cum ei mundana potestas subiicitur. Et inde habet gaudium & lætitiam non tantum in hac generatione præsenti, sed & futura generatione sæculorum.

* In margine;

Corpora nostrorum cum laude Dei tumulantur. *Corpora Turcorum per campum dispersa iacent.*

CAPVT VIII

Turcis Arabes veniunt auxilio. Solimanni sermone in metum adducti arripiunt fugam. Lætitiam & gratulationem vultu ferunt, animo anxii sunt.

ALtera autem die, quæ erat tertia mensis Iulii, tentoria summo mane defixerunt, & vestigia Turcorum fugientium sequi festinauerunt. Sed illi sicut trepidæ columbæ a facie accipitris, ita ante eorum faciem fugiebant. Igitur per quatuor dies huc illucque fugientes, contingit vt Solimannus dux illorum inueniret decem millia Arabum venientia sibi in auxilium. Erat autem Solimannus filius Solimanni veteris, qui totam Romaniam abstulit Imperatori. Hic quippe postquam de Nicæa vrbe fugerat, gentem hanc in vnum congregauerat, & quasi pro vlciscenda sua iniuria, super Christianos adduxerat. Hic cum eos vidisset & Arabes illum, præ nimio dolore equo lapsus in terram, cœpit magnis vocibus eiulare, seque miserum & infelicem proclamare. Cui Arabes, infortunii sui casum ignorantes, dicunt: *O cunctorum hominum impudentior! quid ita fugis? Multum degeneras: quia nunquam pater tuus de prælio fugit. Resume animi constantiam, & reuertere ad prælium, quoniam venimus tibi in auxilium.* Quibus ille, suspiriis vocem interrumpentibus, ait: *Magna vos vexat insania: nondum vos cognouistis virtutem Francorum, nec experti estis animos eorum. Virtus eorum non est humana, sed cælestis, aut diabolica. Nec ipsi tantum in suo confidunt auxilio, sed diuino. Nonne in tantum deiceramus eos, quod iam parabamus iliceos funes & canabinos, vt eorum collo immitteremus? Tum subito gens innumera, quæ mortem non veretur & hostem non timet, erupit de montibus, & indubitanter se infernit nostris agminibus. Quorum oculi ferre poterant eorum terribilium armorum splendorem? Lanceæ eorum micabant, vt coruscantia sidera, galeæ & loricæ, vt vernantis auroræ lumina vibrantia: fragor armorum terribilior erat sonitu tonitruorum. Cum se bello præparant, erectis in cælum lanceis, seriatim incedunt, & ac si sine voce essent, conticescunt. Cum vero suis adproximant aduersariis, tunc laxatis loris tanto impetu irruunt, ac si leones, quos stimulat ieiuna fames, & sanguinem animalium sitiunt. Tunc vociferant & strident dentibus & aera clamoribus implent, & peregrini a misericordia neminem capiunt, sed omnes necant. Et quid dicere de tam crudeli gente valeo? Nulla gens est, quæ huic valeat resistere, quæ fugiendi locum possit inuenire: quia aut diuino aut diabolico fulciuntur auxilio. Omnes aliæ gentes nostros arcus expauescunt, & tela timent: isti vero postquam loricati sunt, tantum timent sagittam, quantum & stipulam: sic formidant telum, sicut & fustem ligneum. Heu heu trecenta sexaginta millia fuimus, & omnes vel occisi sumus ab istis, vel dispersi fugimus. Nunc quartus dies est, ex quo a facie eorum fugere cœpimus, & adhuc non timore minori, quam & primo die trepidamus. Qua de re, si sano vultis*

valtis parere consilio, quam primum valetis a tota Romania abscedite, & ne illorum oculus vos videat, summa cautela prouidete. Hæc Arabes vt audierunt, cum ipso Solimanno fugam concito arripuerunt. Christiani autem ** maiori solertia sequebantur fugientium vestigia, sed illi numquam in eodem statu morabantur, & quantumuis eorum animi confusi fuerint, ad quascunque tamen Christianorum vrbes vel castella fugiendo veniebant, hilarem vultum, quasi potiti victoria, præferebant: dicentes: *Gaudentes & cum lætitia aperite nobis ianuas vestras, quoniam occidimus vobis omnes Francigenas, qui vos & terras vestras deprædari venerant: ne vnus quidem superest de illis, quin aut mortuus sit, aut teneatur in vinculis nostris. Solimannus enim dux noster alia via procedit, & captiuos secum deduxit.* Qui vero verbis eorum creduli erant, aperiebant, seductique graues pœnas luebant. Nam deprædantes eorum possessiones, domos incendebant, ipsosque aut trucidabant, aut loris astrictos secum ducebant. Nolebant quippe vt Franci, qui eos insequebantur, aliquid inuenirent, vt vel sic inopia coacti persequi desisterent. Qui in hoc prudenti vsi sunt consilio, quia illis valde profuit, no- *** cuitque omni exercitui nostro. Nostri enim inuenerunt terram illam desertam, & inaquosam omnibus bonis vacuam. Vellebant spicas segetum ad maturitatem proximantium, & inter manus confricando expilabant, talique cibo famem vtcunque mitigabant. Ibi mortua fuit maior pars equorum, & multi, qui prius equites extiterant, pedites effecti sunt. Equitabant vaccas & boues, & magnæ fortitudinis terræ illius arietes & canes.

* In margine;
Terror erat magnus, quo territus est Solimannus.

** In margine;
Fraudes fingebant Arabes, dum sic fugiebant.

*** In margine;
Inuenere famem nostri post fertilitatem.

CAPVT IX

Christiani Iconium veniunt. Heracleam intrant. Pars deinde Tarsum concedit, duas vrbes & plurima castella capit. Pars Armeniorum terram ingreditur.

TRansierunt itaque solum illud, quam cito potuerunt, & intrauerunt Lycaoniam, prouinciam omnibus bonis vberrimam, & venerunt *Iconium.* Est autem *Iconium* opulentissima ciuitas temporalibus bonis, de qua meminit * *Paulus* Apostolus in epistolis suis. Qui vero errauerunt in solitudine, in inaquoso, ciuitatem hospitio commodam inuenerunt, & Domino suggerente, bonis terrenis repleti sunt. Cumque digredi a ciuitate placuit, suadentibus incolis, aquam in vasis & vtribus secum tulerunt, quia aquam in crastinum nusquam repererunt. Die vero secunda in vesperum ad quoddam flumen peruenerunt, ibique duobus diebus hospitati sunt. Altera autem die cursores, qui præibant agmina, primo venerunt ad ciuitatem, quæ *Heraclea* memoratur, in qua Turcorum maxima multitudo aggregabatur. Qui vt a longe deprehenderunt vexilla Francorum volitantia, protinus effugerunt, vt damulus ereptus de laqueo, aut cerua sagittata. Nostri vero laudantes Dominum, sine obstaculo ciuitatem intrauerunt, & per dies quatuor ibi dietauerunt. Die vero ** quinta de ciuitate omnes exierunt. Tunc *Balduinus* Comes frater *Gothefridi* Ducis, & *Tancredus*, ab aliis se cum suis militibus diuiserunt, & ad vrbem *Tarsum* diuerterunt. Erant autem multi Turci in ea, qui contra eos exierunt ad prœlium: sed diu obstare non potuerunt. Cum enim veloces impetus nostrorum, & sinuatos incursus, & diros ictus ferre non potuerunt, pluribus suorum prostratis in munitionem vrbis se receperunt, & nostri castra sua ante vrbem locauerunt, & excubitores posuerunt. Illi vero, qui erant in ciuitate Christiani, nocte media ad castra veniunt, cum magno gaudio clamantes atque dicentes: *Surgite, inuicti milites Francorum, quoniam Turci omnes de ci-*

de ciuitate fugiant, & vlterius vobiscum decertare non præsumant. Nostri tamen eos persequi noluerunt, quia nox erat, tempus scilicet ad persequendum minime idoneum. Die vero lucescente nostri ciuitatem introierunt, & ciues eos libentissime receperunt. Facta est autem contentio inter Comitem *Balduinum* & *Tancredum*, quis eorum ciuitati dominaretur, an vtrorumque dominio subderetur. *Tancredus* renitebatur, quia pro se eam volebat habere: sed tandem cessit *Balduino*, quia maior erat illi exercitus fortitudo. Fuerunt autem eis in breui temporis interuallo traditæ duæ ciuitates: vna quæ vocatur *Athena*, alia quæ *Manustra*, & multa castella. Iam vero ibant secundis successibus, quoniam Turci iam non equitabant, sed abditi erant in munitionibus. Maior autem pars Francorum ingressa est terram Armeniorum: quia inhianter affectabant inebriare terram sanguine Turcorum. *** Terra autem omnis silebat in conspectu ipsorum, eisque Armenii obuiam veniebant, & in suas ciuitates & castella recipiebant. Ad quoddam vero castrum peruenerunt, quod ita naturali positione munitum erat, vt nulla arma prorsus, nulla machinamenta bellica metuebat. Sed tamen noluerunt ibi diu demorari, cum scilicet tota alia terra eis esset subdita, & ex affectu volebat inclinari. **** Erat autem in exercitu quidam miles fortis & strenuus & ab illa regione oriundus, qui terram illam postulauit a cunctis Principibus, vt eam in fidelitate Dei & sancti sepulchri & eorum custodiret, vt vitam & honorem suum protegeret. Cui Principes vnanimiter assensum tribuerunt, quia sciebant eum esse virum fidelem, & bellicis rebus idoneum & fortem.

* In margine;
Has vrbs suscepit nostros, penitusque recepit.

** In margine;
Hic agmen sparsum petit vrbem nomine Tarsum.

*** In margine;
Gens fera Francorum terram subit Armeniorum.

**** In margine;
Quod petit, assequitur miles, patriaque potitur.

CAPVT X

Christiani Cæsaream Cappadociæ vltronea deditione in potestatem accipiunt. Progredientes hic illic benigne excipiuntur. Suæ consulunt indigentiæ.

DEhinc prospero successu venerunt ad *Cæsaream Cappadociæ*. *Cappadocia* autem regio est in capite Syriæ sita, ad septentrionalem plagam porrecta. Cuius incolæ ciuitatis vltro se tradiderunt, eosque benigne receperunt. Egressique de Cappadocia, prospere venerunt ad quandam vrbem pulcherrimam & satis vberrimam, quam Turci non multo ante obsederant, & per tres hebdomadas impugnauerant, sed expugnare nequiuerant. Ad quam accedentes, mox cum summa lætitia ciues obuiam venerunt & beneuole susceperunt. Hanc * iterum petiit alter miles, nomine *Petrus* ab *Alpibus*, & impetrauit eam celerrime ab vniuersis Principibus. Ipsa nocte quidam delator nugarum venit ad *Boamundum*, dixitque ei, vsque ad viginti millia Turcorum in proximo adesse, qui nondum scirent Francorum exercitum illuc aduenisse. Ille credulus verbis mendacibus, elegit milites electos, quos secum duxit, & loca, in quibus latitare dicebantur, peragrauit. Sed sicut delator inanis fuit, sic & inquisitionis effectus frustratus. Dehinc consurgentes venerunt ad quandam vrbem, quæ vocatur *Cosor*, quæ plena erat omnibus bonis, quæ vtilia sunt corporibus humanis. Ad quam accedentes, ab his, qui erant in ea Christianis, officiosissime suscepti sunt. Et ibi per tres dies feriati sunt. Illic vnusquisque suæ ** consuluit indigentiæ: lassi inuenerunt requiem, esurientes refectionem, sitientes potum, nudi operimentum. Prouidit itaque eis Deus tale habitaculum, quo facilius pati valerent validum superuenturæ famis cruciatum.

* In margine;
Hæc cum Cæsaria traditur & patria.

** In margine;
Hic fame delassati successit copia læta.

CAPVT

CAPVT XI

Christiani castellum Publicanorum expugnant; Rusam obtinent; difficillimo itinere ad vrbem Marasim veniunt.

INterea nuntiatum est Comiti *Raimundo*, quod Turci metu territi, de *Antiochia* fugerant, ciuitatemque minime præmunitam reliquerant. Qui inde accepit consilium, quod illuc quingentos milites dirigeret, qui arcem ciuitatis occuparent, antequam aliis cognitum esset. Et vt venerunt in vallem *Antiochiæ* vicinam, tunc primum audierunt verum non esse, quod Turci discessissent a ciuitate, sed omni nisu quo poterant moliebantur defendere. Perrexerunt igitur vsque ad castellum Publicanorum, eoque subiugato, alio secundo itinere diuerterunt, & in vallem de Rugia peruenerunt, multosque ibi Turcos & Saracenos inuenerunt, quos in ore gladii superatos prælio occiderunt. Quod videntes Armenii, terræ illius habitatores, gauisi sunt, quia videlicet a Christianis tam viriliter & Turci & Publicani sunt occisi: continuoque cum terra sua reddiderunt se illis. Et *Rusam* ciuitatem obtinuerunt, & plurima * castella suo dominio mancipauerunt. Vniuersus vero exercitus, qui remanserat, iter arripuit, miseroque infortunii successu per quædam montana, quæ nulli erant nisi feris aut reptilibus peruia (vbi semita erat, quæ non amplius quam vnius pedis spatio dilatabatur, sed hinc & inde rupibus & densis spinarum seu vepriuin fruteris artabatur: ima vallium in abyssum videbantur immergi, cacumina montium ad sidera tolli) hac inæquali semita milites & armigeri collo suo arma dependentia gestabant: omnes æqualiter pedites, quia nulli eorum equitabant: plerique libentissime loricas, galeas, clipeosque suos vendidissent, si emptorem inuenissent: multi quidem plurima lassitudine deficientes ea proiiciebant, vt saltem sic expediti ire valerent. Iumenta cum oneribus ire nullatenus poterant, sed plerisque in locis onera iumentorum homines ferebant. Stare loco aut sedere nemo poterat, quia alter alterum impellebat. Nemo poterat iuuare suum comitem, nisi præcedentem vltimus, quoniam qui præibat, vix conuerti valebat ad subsequentem. Tandem finita tam infelici via & inuia, venerunt ad ciuitatem, quæ *Marasim* memoratur, & ab incolis illis cum honore & gaudio excipiuntur. Illic abundantiam rerum temporalium inueniunt, ibi suæ miseriæ & defectus consolationem recipiunt. Ibi prior præstolatur vltimum, sed ante pertransiit integra dies, antequam cauda capiti cohæreret.

*In margine;
Mundi fortuna mutabilis est, quasi luna.
Si bona præcedit, sequitur mala, prospera cedit.
Quod liquet in rebus multis, vt in his aciebus.

CAPVT XII

Christiani iuxta Antiochiam agmen Turcorum profligant, vrbem obsidione cingunt.

COngregati vero & die vna quiescentes, secunda die venerunt in vallem, in qua est *Antiochia* sita: regia videlicet ciuitas ab *Antiocho* Rege constituta, & ab ipso nuncupata. Hæc metropolis est & caput totius regionis Syriæ: olim insignita per beatum *Petrum* Apostolorum principem, cultu fidei catholicæ: in ea episcopalem cathedram posuit, & apostolos *Barnabam* & *Paulum* ordinauit. Nunc vero, vt Dominus ostenderet oculis mortalium, quod non est virtus nec vlla potestas nisi ab ipso, prius hanc adquirere voluit, in humilitate sermonis ore prædicantium: modo eam recuperare voluit, in sublimitate potentiæ armis debellantium. Sic nostri in virtute Dei ad ciuitatem properantes, ad pontem ferreum peruenerunt: inueneruntque ibi

sibi numerositatem Turcorum pontem transire cupientium, vt his, qui erant in vrbe præstarent auxilium. Sed non est hominum dirigere gressus suos, sed eius est, cuius vniuersa subiecta sunt imperio. Nostri protinus irruerunt vnanimiter in eos, nullique pepercerunt, sed in ore gladii magnam multitudinem ex eis peremerunt. Alii mente consternati fugerunt, & sic vitæ præsenti suæ consuluerunt. Sic potiti Christiani victoria, multa inibi repererunt spolia: iumenta, asinos, camelos oneratos vino, frumento & oleo, & rebus aliis, quæ obsessis sunt pernecessariæ. Tunc castrametati sunt super ripam fluminis, quod non longe distat a mœnibus ciuitatis. In die crastina onusti bonis omnibus ad ciuitatem ire disponunt: ad quam Deo ductore peruenientes in partibus tribus castra circumponunt. Ex vna enim parte montana prohibent accessum, & omne bellandi procul arcent ingenium. Quarta feria decimonono* Nouembris obsidio circa *Antiochiam* posita fuit, ad laudem & gloriam futuram Domini nostri Iesu Christi, qui semper est mirabilis in operibus suis.

* al. decimotertio.

EXPLICIT LIBER III.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

CAPVT I

Arte, non Marte Antiochiam oppugnare constituunt Christiani. Flumini imponunt pontem. Varii generis machinas construunt. Moenia, quamuis incassum, aggrediuntur. Castellum contra eruptiones obsessorum excitant.

QVIA vero vrbs Antiochena, non solum naturali situ, verumetiam mœnibus excelsis, turribusque in altum porrectis, densissimisque in cacuminibus murorum propugnaculis præmunita erat: consilium inierunt Principes, quod contra eam pugnarent, non virtute, sed ingenio; arte, non Marte; machinamento, non conflictu bellico. Prius igitur pontem supra flumen statuerunt, vt expeditius flumen transirent, quotiens transeundi necesse haberent. Tunc quippe in confinio vrbis magnam bonarum fructuum vbertatem inueniebant, copiosas vindemias, foueas frumento plenas & ordeo, aliisque cibariis, arboresque multi generis pomis refertas. Hoc quoque insinuabant eis Armenii, qui in ciuitate erant, quique inde consentientibus Turcis ad eos veniebant: sed eorum vxores & filii in vrbe remanebant. Et hoc totum, licet Christiani essent, callide tamen faciebant: quoniam dicta nostrorum siue facta Turcis intus renuntiabant. Construuntur a Christicolis bellica machinamenta ad oppugnandum congrua, turres ligneæ, balistæ, falces, arietes, talpæ, tela, sudes, & fundæ, & si qua alia potuerunt vlla excogitari arte. Sed quid valuerunt aduersum vrbem inexpugnabilem? præsertim cum tot in ea essent defensores, qui etiam cum nostris campestri prœlio pugnare potuissent. Postquam vero

Posphorus auroræ rutilos præcesserat ortus,
Ipsaque rorifluo cum iam candore vibraret,
Solque venustaret flammanti lumine mundum:
Exurgunt propere proceres, procerumque cateruæ,
Armaque corripiunt, & ad vrbis mœnia currunt,
Pugna quidem dextra forti fit & intus & extra:
Illi defendunt, dum nostri spicula fundunt:
Telaque cum baculis, nec non lapidesque sudesque.
Fit labor immanis, sed profectus fit inanis.
Sicque recesserunt, quia sternere non potuerunt
Turres & muros, vi nulla corruituros.

Cumque

Cumque viderent nostri, quod nil proficere possent, illam dimittunt pugnam, retinent tamen obsidionem. Turci quippe in sua confidentes inuictissima ciuitate, nocte ianuis apertis exibant, & in castra sagittas mittebant. Contigit autem, vt ita sagittando vnam mulierem ante tentoria *Boamundi* Principis occiderint, & ideo vigilantiores excubias per castra posuerunt, qui etiam portam per quam exire solebant, custodierunt. Placuit itaque principibus militiæ & optimatibus, vt castellum sibi construerent, quo securiores essent, si inimici Dei vllo modo præualerent, qui vndique sicut apes ad aluearia confluebant. Quod & factum est.

CAPVT II

Dum Christiani ad victum quærendum excurrunt, a Turcis per insidias partim capiuntur, partim trucidantur, partim fugantur. Vt suos ab incursionibus illorum tueantur, in valle quadam præsidium collocant, quod Saraceni inuadentes, magna strage repelluntur.

INterea dum rarescere cœpit quotidiani victus impensa, consilium inierunt, vt cibos quærerent, & ad quærendum, armigeros & plerosque milites ob custodiam transmitterent. Sed qui prædari voluerunt,

Partim prædati, partimque fuere necati.

Nam castellum quoddam erat in montanis non longe a ciuitate nomine *Arech*, quod erat plenum rebellantibus Turcis, qui nostris insidias prætenderunt, multos vulnerauerunt & plures occiderunt, & plerosque captos abduxerunt, ceterosque turpiter inititiatos ad castra redire compulerunt. Quod miseri casus infortunium vbi militia Dei cognouit, admodum indoluit: sed sibi deinceps salubre consilium inuenit. Mille armigeros ante præmittunt, quos *Boamundus* & Flandrensis Comes cum electis militibus subsequuntur, prænominata valle, in qua ad ipsos confugerent, si Turci eos insequerentur. Quod ita absque dilatione contigit: quoniam Turci postquam illos eminus agnouerunt, laxatis loris, & equos calcaribus vrgentes, insecuti sunt, eosque in fugam verterunt. Nostri vero ad suos, sicut ad tutissimum auxilium, confugerunt, & præsidium diuini subsidii inuenerunt. Turci vero cum nimis de proximo nostros milites paratos esse deprehenderunt, primo quidem hæsitantes loco libentissime cessissent, si cedere valuissent. Vt tamen cognouerunt, quia pauciores Christiani essent, quam ipsi, bellum inierunt, tamen cum tremore, in sua confidentes numerosa multitudine. Sed quid valet prœlium, contra quod diuinum militat auxilium? Deus enim fortis & potens est, Dominus potens in prœlio. Duo enim ex nostris ibi tantum perempti sunt. Sed de Turcis, quorum non est numerus, qui & de manu Dei repulsi sunt, absque numero occisi sunt. Multos ex eis captos ad castra conduxerunt, & coram illis, qui supra mœnia inclitæ ciuitatis erant, decollauerunt. Et vt maiorem illis dolorem incuterent & terrorem, balistis incisa capita in ciuitatem proiecerunt.

CAPVT III

Christiani in castris natalem Domini pie celebrant. Fame premuntur, algent, conflictantur tempestate. Consilio inito in terras Saracenorum excurrere statuunt.

DE hinc expeditius ire potuerunt nostri ad villas & vicos Armeniorum, victum quærentes, & ipsi Armenii & indigenæ terræ illius ad nostros mercatum afferentes. Aduenit interea sacratissima dies Dominicæ natiuitatis, quam Deus cunctis fidelibus suis celeberrimam in hoc contulit, quia qui creaturis

turis omnibus nasci tribuit, pro solis hominibus nasci dispoſuit. Festiuam igitur illam Christiani fecerunt, ſicut qui in tentoriis erant agere potuerunt. Maius quippe gaudium erat in castris, quam intra mœnia inclitæ vrbis. Inclitam dico non propter fœdam gentilitatis habitationem, ſed propter humanæ conditionis poſitionem, & præſertim beati *Petri* Apoſtolorum principis apud Deum reconciliationem. Qua celebratione peracta, conſilium acceperunt, quid agerent? quoniam in castris victus deficiebat, & glacialis hiems mercatum afferentes ad ipſos venire non ſinebat. Illi nanque, qui erant in vrbe, quanto magis ſciebant noſtros eſurire, tanto magis incipiebant in illos deſæuire. Hinc aeris inclementia, hinc miſeræ egeſtatis inopia, hinc opprimebat aduerſariorum violentia. Et ſicut ſolet contingere in multitudine congregatorum, non deficiebat vox murmurantium. Nec mirum erat, ſi humana fragilitas ſub tot tormentis preſſa deficiebat. Grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, illos violentiſſime opprimebant, quos nulla tectura cooperiebat. Quid mirum, ſi ſe male dementabant, qui extra tentoria erant, cum ipſa tentoria innatabant. Propterea, vt ſupra diximus, conſilium inierunt, quid agerent, & tale inuicem acceperunt. *Boamundus* & Comes Flandrenſis ad his ſubueniendum ſe ipſos obtulerunt, & omnibus placuit, & libentiſſime conceſſerunt.

CAPVT IV

Dum in terram Saracenorum excurrunt, magnam hoſtium offendunt multitudinem; quam ſignis collatis ad internecionem cadunt, & magna cum præda reuertuntur.

HI itaque triginta millia equitum peditumque elegerunt, & in terram Sarracenorum intrauerunt. O rerum omnium mediator Deus, quam tempeſtiue ſubuenis in periculis, & neceſſitate laborantibus, vt impleretur illud quod Salomon ſcripſit in prouerbiis; *Conſeruatur iuſto ſubſtantia peccatoris.* A Hieruſalem & Damaſco, & Aleph, ceteriſque regionibus congregati erant, Perſæ, Arabes, & Medi, gens videlicet multa nimis, quæ ad Antiochiam diſpoſuerat venire, eamque a Christianis defendere. Sed aliter in cælo fuit diſpoſitum, quæ diſpoſitio illorum ordinationem inclinauit deorſum. Cum enim audiſſent, quia pars Christianorum intrauit terram ſuam, gauſi ſunt valde, quum in vinculis iam quaſi irretitos arbitrati ſunt. Tunc diuiſerunt ſe in duas acies, vt ſic vallati ab eis noſtri, fugæ præſidium nuſquam inuenirent. Quæ diuiſio ſtulta fuit, quia ſtultitia in cordibus incredulorum ſemper requieſcit. Nam vtraque acies vt ſeſe inuicem aſpexerunt, incunctanter altera in alteram irruit; quia illa in ſua multitudine, iſta in Dei omnipotentia confidit: & ideo euentus belli diſſimilis fuit. Milites armati quotquot in occurſum ſui venerunt, vt falcator meſſem, proſtrauerunt. Sed cum in gyrum reuerti frenis voluerunt, quos iterum percuterent, niſi fugientes, non inuenerunt. Qui vero in manibus noſtrorum peditum deuenerunt, in immane præcipitium corruerunt. Sciunt enim, quibus bella nota ſunt, quia grauiori attritione pedites quam equites interficiunt. Altera vero acies, quæ ſe ab altera ſeparauerat, vt noſtros circumueniret, vt audiuit voces bellantium, ſonitumque confringentium armorum, laxatis habenis accurrebat ſuis in auxilium. Sed vt miſeros illorum caſus agnouit, fugienteſque circumſpexit, timor in illos vehementiſſimus irruit, fugiendique contulit ſocietatem. Sed quid aliud noſtri facerent, niſi vt perſequerentur? Nam, ſicut in vulgari prouerbio dicitur: *ſi eſt, qui fugiat, non deerit, qui perſequatur*; iam omnes noſtri eos perſequebantur, quoniam qui pedites venerant, aſcenſores equorum efficiebantur. Quid plura? Qui euadere potuit, lætus & hilaris fuit: qui vero interceptus, miſerrima nece occubuit. Quot aſini & cameli, quotque iumenta frumento, vino, ceteriſque cibariis onuſta, ibi capta ſunt? quæ eſurienti exercitui Dei gratia grata erant. Quantum gaudium, & tripudii exultatio fuit in illa die in caſtris,

castris, cum talia dona viderunt summi procuratoris? Mirandum & gaudendum erat, quod Dominus de mercibus inimicorum suorum, de longinquo adductis, fideles suos reficiebat. Esurientes bonis implebat, quibus aduersarios suos spoliabat. Sic quoque filiis Israel olim faciebat, cum per terram gentilium Regum transire cupiebant, & illi publicum viæ regiæ incessum eis denegabant. Omnes pari modo, qui contra illos accipiebant gladium, gladio peribant, & eorum terra & facultates dabantur eis in possessionem. Nunc vero idem Dominus eadem recompensatione aufert suorum aduersariis, vt isti credant veraciter actum fuisse, quod scriptum est de illis. Per omnia sit Deus, qui benedicendus est, benedictus; sine ipso nihil possumus.

CAPVT V

Obsessi erumpunt, plurimos ex obsessoribus trucidant. Milites damnis his & fame adducti ab vrbe recedere intendunt. Quos Boamundus *graui oratione a proposito abducit; fame interim magis magisque ingrauescente.*

INterim dum isti gloriosi Principes absuerunt, qui in ciuitate erant, repente de ea exierunt, nostrosque inter castra inuaserunt: & plurimos ex eis occiderunt. Ipso die Podiensis Episcopus perdidit dapiferum suum; qui suæ aciei deferre solebat vexillum. Et nisi flumen inter castrum & vrbem fluxisset, maioribus iniuriis & frequentioribus lacessissent. Quibus bellorum euentibus, & maxime famis inopia, plerique nostrorum afflicti, abire moliebantur: quia nimis graue erat inuitis ferre ieiunium, & ideo machinabantur ab obsidione diffugium. Quos *Boamundus* vir facundus & gratus eloquio, ita affatus est, dicens: *O viri, qui huc vsque fuistis bellatores egregii, quos Deus per multa iam bellatorum pericula victores reddidit, quosque virtus experientiæ vt illustres decorauit, vt quid contra Dominum murmuratis, quia premit vos angustia paupertatis? Cum vobis porrigit manum, tunc exultatis; cum relaxat, tunc desperatis. In hoc videmini non diligere donantem, sed dona: non largitorem, sed largientis oblationem. Cum largitur Dominus, amicus est; cum cessat, inimicus vobis videtur esse & extraneus. Cui vnquam genti præstitit Deus in tam breui tempore tot bella committere, tot acerrimos hostes superare, tot spoliis gentium ditari, tot triumphantium palmis insigniri? Ecce nunc innumerabiles hostes subegimus: ecce nunc eorum spolia ad vos attulimus. Quid est, quod sic diffidimus, cum sic quotidie vincamus? Non longe est a vobis, qui sic pugnat pro vobis: sæpe quidem fideles suos tentat, vt vtrum diligant ipsum, innotescat. Nunc tentat vos per inopiæ molestias, & per assiduas inimicantium vobis pressuras. Quod si tantas intulissent nobis iniurias, quantas & nos eis irrogauimus: si tot de nobis occidissent, quot de illis nos prostrauimus: si aliquis de nobis superesset, iure ille conqueri potuisset. Sed pro certo, qui conquereretur, nullus esset, quoniam nemo superstes remansisset. Propterea nolite diffidere, sed estote viri cordati, quoniam si in ipso viuitis, aut pro ipso moriemini, estis beati.* His & talibus dictis animos eorum eneruatos, robustos reddidit, & in effeminatas mentes virilitatem induxit. Paucis denique diebus euolutis hiems aspera inhorruit, & in castris ciborum abundantia euanuit. Illi qui vendere cibos solebant, niuibus & glacie prohibente, nullatenus venire valebant. Cursores exercitus, qui vsque ad terram Saracenorum transcurrebant, nihil prorsus inueniebant: quia omnes de toto terræ illius confinio, aut longe fugerant, aut in speluncis, aut in cauernis petrarum delituerant.

CAPVT VI

Clausis annonæ subsidiis, impenso omnia in castris venunt pretio. Petrus Eremita & Guilelmus Carpentarius *clam recedunt: cum dedecore tamen reducuntur.* Guilelmus *se non amplius ita discessurum, iurat.*

CVmque Armenii & Surani vidissent, in tanto discrimine famis nostros esse positos, per nota loca gradiebantur, sollicite inquirentes, si quid inuenirent, quod ad nostros afferre valerent. Sed apud tantos parum erat, nec tantæ multitudini suppetebat, & ideo vendebatur asinarium onus frumenti septem librarum pretio: ouum duodecim denariis; & vna nux vno. Vt quid * vniuersa percurram, cum carum nimis vendebatur quicquid vilius habebatur. Propter quod multi fame ibi perierunt, qui, vnde aliquid emerent, non habuerunt. Cœpit itaque oriri inter eos magna inconstantia animorum, mentis defectus, & totius bonæ spei diffidentia. Et quid mirum, si pauperum, si imbecillium animi nutabant, cum illi, qui videbantur quasi columnæ esse, deficiebant omnino? *Petrus* enim Eremita, & *Gwillehelmus Carpentarius* nocturno elapsu in fugam versi sunt, & a sacra fidelium Dei societate disiuncti sunt. De *Gwillehelmo* vero qui fuerit, dicamus: quoniam de *Petro* superius mentionem fecimus. *Gwillehelmus* de regali prosapia ortus fuit, & Vicecomes cuiusdam regii castelli, quod *Millidunum* dicitur, olim extitit. Qui ideo *Carpentarius* cœpit cognominari, quia in bello nullus volebat ei occursari. Nulla enim lorica erat, galea vel clypeus, qui duros lanceæ illius siue mucronis sustineret ictus. Vnde mirandum, & cum admiratione dolendum, quod in talem ac tantum virum tanta mentis hebetudo incesserit, quod tam turpiter a castris virorum illustrium recesserit. Sed hoc non metu præliorum, vt speramus, fecit, sed tantam famis iniuriam pati nunquam didicerat. Quod fugæ diffidium vt *Tancredus* miles fortis & integer animo cognouit, vehementer condolens, insecutus est illos, & comprehendit, & cum dedecore reuerti coegit, & ad domum *Boamundi* adduxit. Non dicendum est, si passus est verecundiam (*a*), qui nullo fugante inierat fugam. Dolebant plurimi, qui eum agnouerant: conuitiabantur omnes, qui, qualis extiterat, ignorabant. Tandem multis lacessitus iniuriis, pro reuerentia *Hugonis* Magni, cuius consanguineus erat, & quia iam cum ipsis in retroactis certaminibus honeste (*b*) pugnauerat, pacem obtinuit: sed nunquam se amplius ita discessurum coram omnibus iurauit. Sed tamen diu sacramentum non custodiuit: quia quantocius potuit clam discessit.

* In margine;

Nux erat in pretio, cum nummo venditur vno,
Fit nimis atque nouum, cum bis sex venditur ouum.

(*a*) *Pudor* confusionem animi sæpe notat, ob rem indigniter gestam. Sic apud *Petronium* commodius nebulo quispiam dicit; *maledic illum versibus, vt habeat* pudorem. i. e. *reminiscatur, se male fecisse. Verecundia* eundem sensum dant sequiorum temporum auctores. Ita *Baldricus* lib. 1 cap. 7; Verecundabantur, *qui remanebant, & iam coram gloriabantur, qui peregrinatum ire disponebant. Fulcherius Carnotensis* cap. 48; *Aderat ibi crux dominica, inimicis Christi contraria, contra quam pompa eorum prævalere nequit. Sed ne si præsentia eius* verecundi *effecti, non solum nos inuadere cessauerunt, sed & pauore cælitus percussi, omnes in fugam celerem suam verterunt sententiam.* Apud quem *timorem* etiam notat cap. 87; *Nostri, tanquam ad certamen bellicum* verecundari *simulantes, astute nec fugere distulerunt, nec pugnare cum eis præsumserunt.*

(*b*) Intellige, viriliter, fortiter. Ita *honesta copia* fortes sunt apud *Gulielmum Tyrium* lib. 21 cap. 3; Honestas *tam peditum quam equitum* copias *deferens, descendit in Ægyptum.* Sic *honestus miles* apud eundem hunc *Robertum* lib. 8 cap. 4. *Honestus eques* lib. 4 cap. 12. *Honesta galea* apud *Albertum Aquensem* lib. 5 cap. 11. *Honesta forma* egregiæ eidem lib. 2 cap. 39, lib. 5 cap. 5.

CAPVT VII

Ratio, cur hæc Christianis Deus immiserit. Vanum Tetigi *promissum Principibus factum.*

HAnc itaque famis asperitatem, vt suos probaret, euenire permisit Deus, & vt terror eius fieret in vniuersis nationibus. Nam & suos premebat ieiunio (*a*): & vicinas nationes eorum disterminabat (*b*) gladio. Cadebant mille a latere vnius, & decem millia a dextris alterius. Et ideo nunquam est a Domino tali desperandum, quia quæcunque agit, diligentibus se cooperantur in bonum. Ne illi insolescerent tot victoriis bellorum, opprimebat eos graui inedia ieiuniorum. In toto namque exercitu mille equi inueniri non poterant, ad pugnandum idonei: vt per hoc innotesceret, quoniam in fortitudine equi non haberent fiduciam, sed in se, per quem & quomodo volebat & quando volebat. Erat quidam miles in exercitu eodem, nomine *Tetigus*, diues apud suos, & nominatissimus, in Romaniæ partibus bene notus: palliato nugacitatis tegmine velatus. Hic venit ad Principes, & ait illis: *Vt quid hic ita torpescimus? Quare, quæ nobis sunt profutura, non quærimus? Si bonum vobis videtur, ego in regionem Romaniæ pergam, & inde in fidelitate Imperatoris copiosum mercatum adducam: naues onustas omnibus rebus, frumento, vino, oleo, hordeo, carne, farina, caseis, per mare adduci faciam, & equos, mulos, mulasque per terram.* Et ne vllam de me diffidentiam habeatis, papiliones meos & omnia bona mea derelinquam, hoc solum excepto quod mecum feram. Et si adhuc mihi decreditis (*c*), iurabo quod citius ad vos redibo. Principes mendacibus verbis illius crediderunt & sacramentum receperunt. Ipse autem nec sacramentum tenuit (*d*), nec verborum sponsionem impleuit. Hoc ideo de his duobus militibus refero, vt quisque percipiat, quanta egestas in castris fuerit, quæ etiam fugere diuites, & periurare compellebat. Cumque iam sic arctarentur, & omnis humana spes omnino deficeret, plurima pars exercitus retro eundi licentiam a Principibus petierunt; & ipsi vnanimiter flentes eis concesserunt. Vt quid enim retinerent, quos consolari non poterant?

(*a*) *Ieiunium* famem notat. *Albertus Aquensis* lib. 3 cap. 6; *Graui afflicti* ieiunio, *necessariorumque penuria, tandem in montis cacumine consliterunt.*

(*b*) *Disterminare* hic *perdere* notat. Vide notas ad *Gulielmum Britonem* lib. 7 v. 58.

(*c*) *Decredere* est diffidere. Vide notas ad eundem *Gulielmi* versum.

(*d*) *Tenere sacramentum* Germanismus est.

CAPVT VIII

Christiani, audito, hostem multis adesse agminibus, ad pugnam se parant. Turcos iusto prælio deuincunt. Multis onusti spoliis ad castra reuertuntur, non sine magna suorum lætitia.

DVm sic valide desolatio pullularet in castris, & nullus vllum haberet consilium, miseratio diuina solitum eis præstitit auxilium: Affuit nuntius, qui innumera Turcorum agminum millia prope adesse retulit, & in castro eis proximo, nomine *Arech*, quod supra memorauimus, illa nocte aggregari asseruit. Qui ideo latenter & in magno silentio veniebant, vt imparatos in castris inuenirent. Hoc dictum cunctis innotuit, & quos somno pigritiæ torpentes inuenit, excitatos reddidit. Salit & tripudiat, qui antea ambulare nequibat. Reuixit spiritus illorum, quos sopierat indigentia ciborum. Erectis in cælum manibus Deum laudant: & quasi iam vicerint, manibus applaudunt. Malebant enim honeste in bello mori, quam escarum inopia cruciari. Tunc proceres exercitus acceperunt consilium, vt pars vna omnium in castris remaneret ad custodiendum: pars altera obuiam venientibus iret ad prœlium. Qui

Qui de castris nocte egredientes, in insidiis positi sunt, prætereuntium præstolantes occursum, iacueruntque inter flumen & lacum. Summo itaque diluculo, aurora lumen terris deferente, miserunt exploratores, qui illorum agmina viderent, & esse (*a*) eorum renuntiarent. Exploratores renuntiant, tot illorum millia in simul se nunquam vidisse. Et ex parte fluminis duas acies separatas a multitudine equis velocioribus accurrere. Tunc nostri in quodam cliuo positi, crucis signo cum armis se præmuniunt, & manus in cælum protendunt, Deoque se committunt, eiusque flagitant auxilium. Mox nostri superuenientes illos excipiunt, & ictu pungentes, quotquot obuiant, solo prosternunt. Alii per campum dispersi circumuolant, imbresque venenatarum emittunt sagittarum. Strident dentibus, & more canum latrant, quia terrere sic suos aduersarios putant. Sed hæc nostri irridebant: & protecti clypeis, loricis, galeis, eorum immissuras (*b*) vilipendebant. Sed cum innumerabilis illorum multitudo appropiauit, cum tanto impetu nostros inuaserunt, quod modice in fugam versi sint. Quod vt vidit *Boamundus*, qui postremo obseruabat custodiam, cum sua acie prorupit in medium, sociosque recolligens, inimicos perduxit ad interitum. Illi namque vt viderunt nostrorum vexilla super vertices suos dependentia, nostrosque more leonum rugientium, in medios hostes circumferri, omnesque circa se laniari, pauent & conturbantur, versisque retro habenis equorum, ad pontem ferreum quam celerrime repedantur (*c*). Sed quid modo Franci facerent? Sternitur via corporibus morientium, impletur aer vocibus eiulantium. Tellus madefacta cruore morientium, perforatur pedibus conculcantium equorum. Vt venitur ad pontem, via arctatur, & non omnes pons recepit, hinc quam plures in flumen præcipitantur, & quos vnda tenebat, celeri rotatu inuolutos absorbebat. Et cur per singula morarer? Maior pars periit, quam euaserit. Plures occisi sunt, quam viui remanserint. Qui euaserunt, ad castrum suum, quod superius nominauimus, confugerunt, sed in eo non diu permanserunt. Prædatum enim vacuum dimiserunt, & fugientes abierunt. Nostri vero illud accipiunt, & custodes qui illud custodirent & pontem, posuerunt. Armenii quoque & Surani fugientes insecuti sunt, & arta loca anticipando multos occiderunt, pluresque captiuos detinuerunt. Sicque filii diaboli secundum suum meritum, de ruina in ruinam receperunt interitum. Nostri vero cum gaudio ingenti ad castra remearunt, adducentes secum equos & mulos & mulas, & spolia plurima, & multa alia, quæ indigentibus sociis valde erant necessaria. Multorum etiam capita mortuorum simul attulerunt, quæ ante portam ciuitatis posuerunt, vbi Admiraldi Babyloniæ habebant hospitium. Receperunt illos cum summa lætitia socii, qui in castris erant, quique tota die cum ciuibus, qui egressi sunt de vrbe, pugnauerant, palmamque victoriæ reportarant. Tunc geminata lætitia duplicis victoriæ festiuum tempus effecit: & eos qui egestatis mærore consumpti pæne erant, refecit. Iam vero Armenii & Surani, victum ad castra ferebant, & de felici nostrorum euentu congaudebant.

(*a*) Dictum supra, *Esse*, statum, conditionem designare. Similiter loquitur Auctor primus cap. 12, Nec absimilis locutio apud *Saxonem Grammaticum* lib. 5 cap. 31, Esse *septenis nauibus*. *Gunterius Cancellarius* cap. 14, *Missis exploratoribus, quasi volatilium venditoribus*, esse *nostrum, quocunque modo se haberet, referebant*. Idem cap. 31; *Prouide, vt ille qui sæpe hostium* esse *& bellum expertus fuerit, cum Archiepiscopo Cæsariensi disposuit*. Ita esse *hominis* apud *Bernhardum* epist. 91; *Præmisi præsentes exploratores, qui* esse *rei* (accusatiu) *indagarent sagaciter & referrent fideliter*. Male *Ioannis Pistorii* editio, inserens vocalam, *sibi*.

(*b*) *Immissura*, immissarum sagittarum ictus.

(*c*) I. e. reuertuntur. Sic optimi libri, & pessime *Pistorius*, qui suo ingenio scribere non siuit *Robertum*. Non dubito, studio sic scripsisse *Robertum*, cum alii id genus auctores, ipsi a *Iacobo Bongarsio* coniuncti, *repedandi* verbo sæpe vtantur, *Iuuencum* potissimum, Christianum poetam, secuti, in cuius pluribus locis turpiter etiam hoc verbum corruperunt, vt indicant peruetetes & optimæ membranæ, quæ penes nos sunt.

(*d*) *Festiuum tempus*, bon tempo, quod hodie Italis in ore est. Hispani dicunt, *ve gaudeamus*, vt in *Lazarillo de Tormes*.

CAPVT IX

Obsessi commeatum Christianis intercipere student. Illis coercendis, hi castellum ante portarum vnam construunt. Contra Turci Christianos, qui operarios adducebant, inuadunt, fundunt, fugant; quod tamen haud impune ferunt, obsessoribus suorum cladem vlciscentibus.

SIc illi de ciuitate egrediebantur, & inter saxa montium latitabant, insidiabanturque illis, qui victum afferebant, & quotquot comprehendere poterant, occidebant. Quod valde mæstificauit proceres: & super hoc consilium inierunt: remediumque huic calamitati repererunt. Castrum construxerunt ante portam ciuitatis, super pontem iuxta *Mahumariam*, quod illos valde perdomuit, quoniam deinceps nullus eorum exire per pontem ausus fuit. Et tunc quia castrenses ad hoc peragendum opus non sufficiebant, *Boamundus* & Comes sancti Ægidii ad portum sancti Simeonis perrexerunt, & inde operarios pretio adducere studuerunt. Quos cum adducerent, Turcos, qui nocte illa de ciuitate exierant, in insidiis positos inuenerunt, qui subitaneo incursu tam fortiter nostros inuaserunt, quoadusque illos, qui equites erant absque vlla certaminis reuerberatione (*a*) in montana fugauerunt: pedites, qui fugere non potuerunt, diram necem perpessi sunt. Sed quanto fuit acrior, tanto & gloriosior. Et qui ibi mortui sunt, fere mille fuerunt, sed occidentes diu gauisi non sunt. Relatio enim huius occisionis ad castra peruenit, tantosque Principes proceresque commouit. Qui equis prosilientes ad vlciscendam mortem suorum ordinatis agminibus peruolant, inueniuntque eos adhuc in campo, occisorum capita detruncantes. Illi vero nequaquam perterriti, in sua confidentes multitudine ad pugnam congrediuntur. Sed nostris toto corde tota virtute confidentibus (*b*), postquam pedites nostri equitibus consociati sunt, in breui superantur. Nam vt viderunt illos, quos ad montana fugere compulerant accurrere, nostrorumque agmina fortiter crescere, & crescendo fortius insistere, terga vertunt, & versus pontem fugæ viam arripiunt. Sed valde impediuit difficultas itineris angusti, quia nec fugere vsquam poterant, nec conuerti. Reuerti retro fas (*c*) non erat, quia hostis vrgebat: dextra læuaque diuerti impossibilitas angusti itineris prohibebat, præire vetabat densa multitudo fugientium. Sicque eis diuino nutu contigerat, vt nec fugere, nec pugnare licuerit. Ibi Turco nec toxicata sagitta proficiebat, nec equi velocitas subueniebat. Ibi maiorem stragem pedites egerunt, quam qui equis insidebant: quoniam seriatim, vt falcator (*d*) prata vel messem, detruncabant. Hic satiari potuissent enses & tela aliarum gentium Turcorum sanguine: sed quia Francigenarum erat, nec obtundi poterant, nec repleri cruore. Nostri tantum pugnabant, illi patiebantur: nostri percutiebant, illi moriebantur. Nec tantum infatigata manus dilaniare poterat, quantum quod dilaniaret, reperiebat. Inter viuos mortui stabant, quia suffulti densitate viuorum cadere non poterant (*e*), & calamitas tanta eos oppresserat, quod alter alterum in mortem imprimebat. Tantus illos timor inuaserat, quod subsequens præcedentem, vt fugere posset, impellebat.

(*a*) *Reuerberatio*, repulsio.
(*b*) Scripsit procul dubio Robertus, *toto corde Deo, tota virtute confidentibus.*
(*c*) *Fas non erat*, designat, *erat impossibile.* Horatius; *fit leuius patientia, quicquid corrigere est nefas.*
(*d*) *Falcator* est, qui falce desecat.
(*e*) Acutum est pro hoc scriptore.

CAPVT X

Dux Gotfridus *pugna singulari cum Admiraldorum vno congreditur, eumque obtruncat.*

DVx itaque *Gothefridus*, militiæ decus egregium, vt vidit, quod nemo illos ferire potuit, nisi post dorsum, equo celeri volitans anticipauit pontis introi-

introitum. Et quæ lingua valet explicare, quantas strages Dux solus illic dederit super corporibus gentis iniquæ? Illi fugere cœperant, armaque sua in terram proiecerant, gladium Ducis vt mortem expauescebant, & tamen vitare non poterant. Ille exertis brachiis, ense nudato, eorum ceruices amputabat, illi minime renitentes, nuda corpora inuiti offerebant. Ibi ira, locus, gladius, validaque manus pugnabat, & hoc totum in membris miserorum redundabat. Cumque vnus ex eis audacior ceteris, & mole corporis præstantior & viribus, vt alter Golias, robustior, videret Ducem sic immisericorditer in suos sæuientem, sanguineis calcaribus vrget equum aduersus illum, & mucrone in altum sublato, totum super verticem (a) Ducis transuerberat scutum: & nisi ictui vmbonem Dux expandisset, & se in alteram partem inclinasset, mortis debitum persoluisset. Sed Deus militem suum custodiuit, eumque scuto suæ defensionis muniuit. Dux ira succensus vehementi, parat rependere vicem, eiusque tali modo amputat ceruicem. Ensem* eleuat (b), eumque a sinistra parte scapularum tanta virtute intorsit, quod pectus medium disiunxit, spinam & vitalia interrupit, & sic lubricus ensis super crus dextrum integer exiuit, sicque caput integrum cum dextra parte corporis immersit gurgiti, partemque, quæ equo præsidebat, remisit ciuitati (c). Ad quod horrendum spectaculum omnes, qui in ciuitate erant, confluunt, & videntes sic admirati sunt (d), conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores vt parturientis, ibi voces eiulantium, quia ille vnus fuerat ex Admiraldis eorum. Tunc euaginauerunt gladios suos, intenderunt arcus suos, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittarent Ducem: cupientes, si eis permissum esset, tantam militiæ Christianæ extinguere lucem. Sed Deus eorum prauæ voluntati non consensit, quia Dux retrocessit. Sustinere enim telorum ac sagittarum grandinem diu non potuit.

(a) In veteri codice non *super verticem*, sed, *super lacertum*, scriptum offendimus, quam & veram lectionem arbitror. Si enim scutum supra galeatum verticem heros christianus eleuasset, vtique ceteras corporis partes nudas pagano furenti obiecisset. *Albertus Aquensis* lib. 3 cap. 65 eadem narrans, hausta ab iis, qui viderant, de ictu hoc Turcæ nihil: solum eum scribit arcu Gothofredo fuisse molestum, propterea que ab eo cæsum. Pariter *Gulielmus Tyrius* lib. 5 cap. 6 vltra nihil, quam loricatum hominem proteruius Duci instantem, medium ab eo gladio dissectum.

*In margine;
Dux ferit, ille perit, & medius crepuit.

(b) Vetus codex melius; *ensem eleuatum Dux a sinistra parte.*

(c) Sane ictus ictuum ab omni memoria maximus, modo ita res gesta sit, quam aliter tamen alii narrant. Incredibilis autem omnino res, partem hominis discissi vrbem reuectam. Aliquo modo credibilis exibit, si veteris eiusdem codicis scripturam attendemus, *partemque, quæ equo ligata sedebat.* Innuit, sic hominem fune aliquo aut catena, vel & vicino equo suo fuisse alligatum. Quale aliquid alio etiam loco lectum meminimus.

(d) Spatiolum est in membranis, vt vnam aut alteram voculam excidisse, præ se codex vetus ferre videatur. Scribas, cum volentibus nobis, *sine fine admirati sunt.*

CAPVT XII

Victoria, quam Christiani reportarunt, magnitudo. Numerus hostium, qui perierunt. Turci suos sepeliunt. Mos sepeliendi apud eos vsitatus. Christiani corpora effodiunt. Extractis capita abscindunt. Quod obsessis magno est dolori.

O Prædicabilis, o inuicta Ducis dextera, & animosi pectoris robur eximium. Laudandus & ensis, quod in sua integritate perseuerans, vibranti dexteræ sui famulatus impendit obsequium. Et cuius cor eructare, cuius lingua enarrare, cuius manus scribere, quæ pagina valet suscipere aliorum facta Principum, qui illi compares fuerunt in omnibus victoriis præliorum. Victoria Ducis præ ceteris enituit, quoniam pars dimidiati corporis, quæ remansit, testi-

testimonium laudis fuit. Fluctus vero qui occisorum corpora absorbuit, aliorum ictus mirabiles occuluit. Sed sicut ventus turbinis annosæ arboris constringit (*a*) brachia, sic incisa cadebant morientium membra. In hoc prælio persecutus est vnus mille, & duo fugauerunt decem millia. Qui in flumen rapido cursu immergebantur, emergentes pontis ligneas columnas amplexabantur: sed nostri desuper illos lanceis perforabant & perimebant. Cruor effusus sanguineum flumini dabat colorem, cunctisque cernentibus magnum incutiebat horrorem. Quippe densitas corporum fluminis impediebat cursum, & retrogrado incessu ire cogebat retrorsum. Et quid mirum? Super pontem etenim quinque millia (*b*) prostrata fuerunt, quæ omnia deorsum in aquam præcipitata sunt. Et quis numerare potuit, quot mucro deszuiens præcipiti saltu in amnem mergi compulit? In illo conflictu occisus est *Cassiani* magni Regis Antiochiæ filius, & duodecim Admiraldi Regis Babyloniæ, quos cum suis exercitibus miserat ad ferenda auxilia Regi Antiochiæ. Et quos Admiraldos vocant, Reges sunt, qui prouinciis regionum præsunt. Prouincia quidem est, quæ vnum habet Metropolitanum, duodecim Consules & vnum Regem. Ex tot itaque prouinciis conuenerunt, quot ibi Admiraldi fuerunt mortui. Et qui ibi capti sunt, pro septem millibus computati sunt. Vestium, armorum, ceterique cultus adparatum nemo retinere potuit per vllam memoriam. Sic itaque superati sunt Turci magnanimiter a Francis, siluitque deinceps garrula vox eorum, atque stridor dentium, & quotidianorum clamositas conuitiorum. Iam vero demissis vultibus ibant, & plerique omnino diffidentes, furtim de ciuitate exeuntes, fugiebant. Nox superueniens litem diremit, & nostri victores ad castra redierunt: illi vero obseratis ianuis (*c*), intra vrbem se receperunt. In crastinum vt primum lux matutina processit, Turci de ciuitate exierunt, & collegerunt corpora mortuorum, quot inuenire potuerunt, & sepulturæ tradiderunt. Quod Christiani exercitus iuuenes vt audierunt, multi in vnum conglobati ad cœmeterium cucurrerunt, & quæ illi cum magno honore sepelierant, cum magno dedecore foras proiecerunt. Subterrauerant quippe illa vltra pontem ad *Machumariam* (*d*), qui erat ante portam ciuitatis, & plurima palliis inuoluerant, & Byzantios aureos, arcus, & sagittas & alia multa cum eis reposuerant. Sic enim est eorum consuetudo sepelire: nostrorum vero est, libentissime ea tollere. Extractis itaque corporibus vniuersis, capita absciderunt, scire cupientes numerum illorum, qui ad ripam fluminis necati sunt. Truncata siquidem capita ad castra attulerunt, & cadauera feris & volucribus inhumata reliquerunt. Quod ab altis mœnibus & turribus excelsis prospicientes, vehementer indoluerunt, & genas scindentes & crines vellentes, Machumum præceptorem suum in auxilium sui cœperunt inuocare: sed Machumis (*e*) non potuit restaurare, quos Christus per suos milites voluit exterminare.

(*a*) Melior & vera lectio in mscr. *confringit.*

(*b*) Longe intendit occisorum numerum *Robertus*, quinque millia designans; cum *Albertus Aquensis* mille quingentos tantum ponat, dicto loco.

(*c*) *Ianuæ* notant Antiochiæ vrbis portas, vt sæpius huic scriptori. vti lib. 5 cap. 9, lib. 8 cap. 8, lib. 9 cap. 4, 10, & 11.

(*d*) *Machumeriam* appellat cœmeterium Mahumetanorum.

(*e*) *Machumis* Mahumetes est, quam rusticam vocem male in fine huius libri quarti *Roberto* nostro ademit *Ioan. Pistorius.* Cum nempe latine efferre id barbarum nomen sic affectet, neque solo hoc loco. Vide sis lib. 5 cap. 5, lib. 6 cap. 5, lib. 7 cap. 7.

EXPLICIT LIBER IIII.

INCI-

INCIPIT LIBER QVINTVS.

CAPVT I

Præfectus Babyloniæ legatos mittit ad Principes christiani exercitus; ante quorum aduentum omnia in castris digne ordinantur. Eorum ad Principes oratio dehortatorio-suasoria.

CVmque hæc crebro vicissitudinum actitarentur impulsu, præambulus (a) quidam aduenit, qui nuntios Principis Babyloniæ in crastinum præconabatur (b) aduenire, & a Principibus castrorum fiduciam quærit veniendi secure. Qui libenter annuunt, seque eorum susceptioni sollenniter præmuniunt. Tentoria variis ornamentorum generibus venustantur: terræ infixis sudibus scuta apponuntur, quibus in crastinum quintanæ ludus scilicet equestris exerceretur; magnifice omnia ordinantur; alii veloces cursus equorum flexis in gyrum frenis fecerunt: non defuerunt & militares impetus: hastarumque vibrationes in alterutrum ibi celebratæ sunt. In quibus actibus monstrabatur, quod nullo pauore trepidabant, qui talia operabantur. Talia quippe iuuentus excolebat: sed ætate sensuque seniores in vnum consederant, cautasque consilii & prudentiæ (c) conferebant. Interim Babylonienses nuntii cum approximarent, tantosque tanto gaudio trepidantes conspicarentur, mirati sunt: quoniam relatio vsque Babyloniam cucurrerat, quod & fame cruciabantur & pauore concutiebantur. Adducti igitur ante Principes sunt, & in hæc verba retulerunt, quæ eis commissa sunt. *Dominus noster Admirauisus Babyloniæ mandat vobis Francorum Principibus salutem & amicitiam, si eius voluntati vultis obedire. In aula Regis Persarum Dominique nostri, magnus vestri causa congregatus est conuentus, septemque diebus protelatum est consilium, quidnam eis super hoc sit agendum. Mirantur enim, vt quid sic armati quæritis Domini vestri sepulchrum, gentem eorum a finibus diu possessis exterminantes, imo, quod nefarium est peregrinis, in ore gladii trucidantes. Quod si posthac in pera & baculo vultis ire, cum honore maximo rerumque opulentia vos illuc facient pertransire: de peditibus equites facient: qui pauperes sunt, in toto itinere nec in reditu amplius esurient. Et si per mensem ad sepulchrum vobis diurnare (d) placuerit, bonorum copia vobis non deerit: facultas eundi per vniuersam Hierusalem vobis concedetur, vt quo honore placuerit, & templum & sepulchrum quilibet veneretur. Quod si hæc vobis indulta contemnitis, & in animorum vestrorum magnitudine confiditis & armis, videndum vobis est etiam atque etiam, quanto periculo vos exponatis; apud nos certe ducimus esse temerarium, quod vlla, quantumuis magna, humana potestas congrassetur contra Babylonios, Regemque Persarum. Iam vero quæ vobis applaudunt (e) super his, nobis aperite: quæ vero displicent, in communi edicite.*

(a) *Præambulus* designat *præcursorem*, vt apud *Baldricum* lib. 4 cap. 4 & 7, *Gaubertum Abbatem* lib. 5 cap. 9.

(b) *Ioannes Pistorius* passim vocem, *præconabatur*, secundum suum ingenium mutauit in *prædicabat*. Alioquin idem *Robertus* noster *præconantem famam* scripsit lib. 1 cap. 3, quod & ipsum iniuria mutatur. Et sic sæpius idem alibi, vt lib. 9 cap. 7 & 12, aliique ipsi compares scriptores. Vti auctor primus Bongarsianorum cap. 29, 30, 38, aliique.

(c) *Choses du conseil.*

(d) Quod est Gallicum *sejourner*.

(e) Male omnino mutatum est ab eodem *Pistorio* in *sententia sit*. Quasi non ad sui, sed ad Ciceroniani sæculi vsum scribere necesse habuerit bonus iste Robertus.

CAPVT II

Principum ad orationem legatorum responsio.

AD hæc communis sententia Principum respondit, dicens: *Nulli sapienti mirandum est, si ad Domini nostri sepulchrum cum armis venimus, gentemque vestram ab istis finibus eliminamus. Quoniam quicunque de nostris huc usque in baculo & pera venire soliti erant, turpi ludibrio affecti sunt, & ignominiam contumeliarum tolerantes, ad extremum perimebantur. Terra autem gentis illorum non est, licet diu possederint, quia nostrorum a priscis temporibus fuit, eisque propter malitiam iniustitiamque suam vestra gens aduersa abstulit: quæ tamen ideo vestra non debet esse, quia diu eam tenuistis. Cælesti enim censura nunc decretum est, ut misericorditer reddatur filiis, quod iniuste patribus ablatum est. Ne glorietur gens vestra, quia superauit effeminatam gentem Græcorum: quoniam diuina suffragante potentia, in ceruicibus vestris meritum recompensabitur gladio Francorum. Et notum esse poterit, his qui ignorant, quod non est hominum euertere regna, sed eius, per quem reges regnant. Ipsi dicunt se velle nobis indulgere, si in pera & baculo amodo velimus transire: in seipsam redeat eorum misericordia, quoniam, velint nolint, thesauris eorum nostra ditabitur seu vacuabitur inopia. Hierusalem cum nobis a Deo concessa sit, quis præualet auferre eam? Nulla virtus est humana, quæ nobis ullo modo terrorem incutiat; quia cum morimur nascimur, cum vitam amittimus temporalem, recuperamus sempiternam. Idcirco renuntiate his, qui miserunt vos: quod arma, quæ in patria nostra sumpsimus, etiam cum capta erit Hierusalem, non dimittemus. Confidimus enim in eo, qui docet manus nostras ad prælium, & brachia nostra ponit ut arcum æreum; quoniam & via nostris gladiis aperietur, & omnia scandala eradicabuntur, & Hierusalem capietur. Tunc nostra erit non per hominis indulgentiam, sed per cælestis censuræ æquitatem. De vultu enim Domini hoc iudicium prodiit, quia Hierusalem nostra erit.* Legati vero quid ultra prætenderent, non inuenerunt, sed audito hoc verbo scandalizati sunt, Antiochiamque nostris consentientibus introierunt.

(a) *Hostilis.* Nisi tamen & hic idiotismus quidam latet, quod sane puto. Lib. 8 c. 2; Quæ gens aduersa, *ut nostros eminus adspexit, quia ad comparationem sui pauci esse videbantur, despexit.*

(b) In margine;

Francorum verba resonant pietate superba.

CAPVT III

Christiani castellum prope cœmeterium extruunt, cui Raimundus *imponitur. Flumine transmisso ingentem prædam ibidem capiunt, Monasterium ibidem quoddam reædificant, quod* Tancredus *felici successu tuendum suscipit.*

HIs ita transactis, tertia die post peractum prœlium, castellum cœperunt ædificare: de quo superius mentionem fecimus, constructum in introitu pontis, ad *Mahumariam* scilicet, in loco cimiterii ante ianuam ciuitatis (a). Destruxerunt autem omnes tumulos lapideos mortuorum, & ex illis castrum munierunt. Quod cum peractum fuit, commendatum est *Raimundo* egregio Comiti sancti Ægidii. Hoc factum valde constrinxit eos, qui in ciuitate erant, quoniam ulterius ab illa parte non valuerunt exire. Nostri vero iam secure ibant, quocunque ire disponebant. Tunc proceres elegerunt viros optimos, equosque velociores: & non longe ab urbe transierunt fluuium, & prædam maximam inuenerunt, equos & equas, mulos & mulas, asinos & camelos, & animalium (b) quinque millia. Omnia hæc egregia cohors adduxit ad castra, & celebrata est apud Christicolas lætitia magna. Quod infortunium

tunium ciues vehementer attriuit; quoniam abundantia rerum, quæ nostros roborauit, perdita, illos debilitauit. Illic vero vbi præda capta fuit, erat antiquum castrum, sed incuria & vetustate dirutum: & adhuc vigebat ibi quoddam monasterium, quod, vt magis constringerent inimicos suos, proceribus placuit reædificare, & forti munitione circundare. Quod cum in breui peractum fuit, inquisitio facta est, quis illud custodiret: Et dum tractaretur de custodia, & plurima in ventum procederent verba, *Tancredus* illustris Princeps & egregius iuuenis, sicut erat alacer in sermonibus & factis, in medium prosiliuit, dicens: ***Ego custodiam castellum, si custodiæ meæ dignum recompensabitur meritum.*** Pretium ergo omnes in commune taxauerunt, & quadringentas argenti marcas ei contulerunt. *Tancredus* castellum intrauit, idque peditum turmis fortique milite plus quam munitionem aliam firmauit. Quod feliciter, DEO opitulante, suscepit: quoniam ipsa die magnus Armeniorum populus, & Suraniorum ad ciuitatem veniebat, & vrbanis opima victualia afferebat. Quos omnes in insidiis positus *Tancredus* apprehendit: nec tamen eos, quia Christiani erant, occidere voluit, sed cum ipsis sarcinis ad castrum suum conduxit. Quos tandem tali conditione illæsos abire permisit: quia promiserunt ei in fide Christiana, se allaturos Christianis pro competenti pretio necessaria, quoadusque caperetur Antiochia. Quod illi strenue impleuerunt, sicut & spoponderunt.

(a) *Ianua ciuitatis* portam notat, vt adnotatum est superioribus libris. Sic lib. 8 cap. 8.

(b) *Animalia* sunt pecora, armenta, boues cet. Ita *Guilelm. Tyrius* lib. 7 cap. 25, aliique infiniti. Auctor primus cap. 2, 5, & 24; *Robertus* noster lib. 8 cap. 7, 9, & 13 cet.

CAPVT IV

Obsessi inducias petunt & obtinent. Eas dein ante finem frangunt.

T*Ancredus* vero vias ac semitas obstruxerat, his qui erant in ciuitate, quod nullus audebat exire. Propterea pacis inducias quæsierunt, dicentes, quod illo temporis interuallo apud se tractarent, qua lege, qua conditione, se & ciuitatem Christianis deliberarent(a). Crediderunt Principes, & dispositis pactionibus, & tempore constituto, tenendæ pacis sacramenta dederunt & acceperunt. Portæ ciuitatis aperiuntur, & eundi inuicem alteri ad alterum facultas conceditur. Tunc libere Franci per circuitum murorum ibant, & ad propugnacula cum ipsis ciuibus stabant, & ciues cum gaudio ad castra veniebant. Processu denique temporis, cum iam suprema dies induciarum aduenisset, *Vualo* quidam miles Christianus, & in armis egregius, & inter præcipuos nominatissimus: hic perfidæ genti nimium credulus, quadam die per virgulta eorum spatiabatur, & locorum amœnitate oculos pascebat. Hunc, vt inermem virum, armati canes aggressi sunt, & membratim diuisum, miserabili cruciatu discerpserunt. Heu, heu morte *Walonis*, pax infringitur, data fidei sacramenta violantur, portæ iterum vrbis obstruuntur: & perfidi gentiles inter mœnium turriumque suarum cauernas recluduntur. Luctus in castris permaximus habetur, quoniam ab omnibus viris ac mulieribus mors *Walonis* crebris singultibus lamentatur. Coniunx vero illius vniuersos ad lacrymas concitabat, quæ se vltra morem aliarum miserabiliter laniabat: & quæ alios ad luctum commouebat, propter crebra suspiria singultusque, nec loqui nec clamare poterat. Erat autem illa alto procerum sanguine procreata, & secundum carnis huius infirmitatem, forma præ ceteris egregia. Erat autem plerunque immobilis velut columna marmorea, ita vt sæpius mortua putaretur, nisi vitalis calor palpitans in supremo pectore sentiretur. Sed & adhuc pulsitabat vena latens sub cute minime pilosa, quæ pubem ciliorum discriminabat. Cum vero respirabat, oblita feminei pudoris, se in terram volutabat, & genas vnguibus secans, aureos crines dirumpebat. Occurrunt aliæ matronæ, quæ de se(b) illi facere talia prohibent, & pia custodia obseruant. Quæ cum loqui potuit, in hæc verba prorupit dicens:

Rex

Rex in personis trinus miserere Walonis:
Et vitæ munus sibi confer, vt es Deus vnus.
Quid meruit Walo, *quod mortuus est sine bello?*
Virgine matre satus, Walonis terge *reatus*.
Quem de bellorum tot casibus eripuisti:
Et permisisti nunc tandem martyrizari.

Heu quantum videre desiderabat tuum sepulchrum, pro quo contempsit omnia sua quæ habuit, & seipsum. Quo infelici infortunio fuit elongatus suus ensis, qui sic conueniebat lateri eius. O me saltem felicem, si licuisset mihi in supremo spiritu oculos claudere, vulnera lachrymis abluere, & manibus vesteque detergere, & dulcia sepulchro membra committere. His questibus *Ewardus* frater suus interuenit, & in quantum admisit vis doloris, compescuit.

(a) *Deliurer, rendre*, Gallicum. Qualia qui omnia mutare velit, auctorem penitus euiratum faciat. Hi enim eius, pro tempore suo, nerui sunt.

* In margine;
Walo *truncatur, nece enim pax violatur.*

** In margine;
De nece Walonis *dolor ingens cœpit haberi.*

(b) *Suo exemplo.* Putandum est, has matronas, pariter viduas, virisque eadem sorte fraudatas fuisse, quæ nimium & indecorum luctum suo exemplo interdixerint bonæ isti mulieri. Lasciuius autem egregius hic monachus de speciosa hac femina loquitur, quam fere decebat, titillans animum lasciuientibus dictis, cum operis exactio illi omnibus modis esset prohibita.

CAPVT V

Admiraldi cuiusdam cum Boamundo, *de Candidatorum innumerabili exercitu, colloquium.*

Illud sane prætereundum non est, quod ante mortem viri istius contigit, dum tempus induciarum integrum & fidele mansit. Erat quidam Admiraldus de genere Turcorum in illa ciuitate regia, cum quo *Boamundus* plurima & priuata pacis tempore habuit colloquia. Hic inter cetera quodam die requisiuit ab eo, vbi nam castra posuerit ille candidatorum exercitus innumerabilis, quorum in omnibus bellis fulciebantur auxilio. Dicebat enim, quia aduentum illorum nunquam poterant sustinere; sed statim vt viderint illos, incipiebant pauere: illi ipsos vt ventus turbinis opprimerent & isti vulnerabant, illi obruebant, & isti occidebant. Cui *Boamundus* ait; *Putas ne alium exercitum esse, quam hunc, quem vides, nostrum?* Cui ille: *Per Mahometem meum præceptorem iuro, quoniam si hic adessent, tota hæc planities illos non caperet. Omnes habent equos albos, miræ celeritatis, & vestimenta, & scuta, & vexilla eiusdem coloris. Sed forsitan ideo absconduntur, ne virtus vestra nobis manifestetur. Sed per fidem, quam habes in Iesum, vbi castra eorum locata sunt?* *Boamundus* itaque spiritu Dei illustratus, illico sensit hanc, quam viderat, visionem Dei esse, nec quod quærebat ex tentatione, sed ex bona voluntate procedere: & respondens inquit: *Licet sis extraneus a lege nostra, quia video, te bona erga nos voluntate, bonoque spiritu animatum, aperiam tibi aliquod fidei nostræ sacramentum. Si tantum profundi intellectus haberes, gratias creatori omnium referre deberes, qui tibi ostendit exercitum candidatum, & scias quia in terra non conuersantur, sed in supernis mansionibus regni cælorum. Hi sunt qui pro fide Christi martyrium sustinuerunt, & in omni terra contra incredulos dimicauerunt. Horum præcipui sunt signiferi,* Georgius, Demetrius, Mauricius, *qui in hac temporali vita militaria arma gestauerunt, & pro Christiana fide capite plexi sunt. Hi quotiens nobis expedit, iubente Domino Iesu Christo, nobis suffragantur, & per hos inimici nostri præcipitantur. Et vt me verum cognoscas profiteri, inquire & hodie & cras, & in die altera an in tota regione hac eorum castra poterunt inueniri. Quod si inueniuntur, redarguti in conspectu tuo a men-*

dacio

ductio erubescemus. Et cum in tota regione nequiueris illos inuenire, si nobis necesse erit, in crastinum videbis adesse. Vnde igitur tam cito veniunt? nisi a supernis sedibus, in quibus morantur. Cui respondit *Pyrrhus* (sic enim erat nomen eius). *Et si de cælo veniunt, vbi tot albos equos, tot scuta, tot vexilla inueniuntur?* Cui *Boamundus*: *Tu magna & super sensum meum requiris. Propterea si vis, accedat Capellanus meus, qui tibi super his respondebit.* Ad hæc Capellanus. *Cum omnipotens factor angelos suos, siue iustorum spiritus, mittere disponit in terram, tunc assumunt sibi aeria corpora, vt per ea nobis innotescant, qui videri non possunt in spiritali essentia sua. Ideo armati nunc apparent, vt quod in bello laboraturis auxilio veniunt, indicent. Si enim vt peregrini, vel vt sacerdotes stolis dealbati apparerent, non bellum, sed pacem nuntiarent. Expleto siquidem negotio pro quo veniunt, ad cælestia remeant, vnde venerunt; & corpora, quæ, vt visibiles apparerent, acceperunt, in eandem reponunt materiam quam sumpserunt. Ne mireris, si omnipotens creator omnium transmutat res in se factas, in quamlibet speciem, qui vniuersa de nihilo adduxit in essentiam.* Et *Pyrrhus* ad hæc ait: *Per ipsum, quem asseris creatorem, mira dicis, & rationabilia, nobisque hactenus inaudita.* His *Boamundus* adiecit & ait: *O Pyrrhe, nonne tibi videtur magnum esse miraculum, quod per nos operatur Dominus Iesus Christus, in quem credimus? quia quanto nos pauciores sumus, tanto & fortiores: vos vero quanto numerosiores, tanto imbecilliores. Cui hanc virtutem attribuis, humanitati an diuinitati? Homo non est a seipso, sed a creatore suo: a quo habet esse, habet & posse. Ex hoc igitur conicere potes, quia licet vnus creator creauerit nos & vos creator, vberiorem tamen suæ virtutis præstat abundantiam nobis, quam vobis. Certi quippe in illius virtute sumus, quia non solum Antiochiam, verumetiam Romaniam totam, & Syriam, ipsam & Hierusalem obtinebimus, quia hoc promisit Dei filius omnipotens Iesus.*

(a) Paulo ante *Matomum* Roberti perperam in *Mahometem* mutauit *Ioannes Pistorius*. Idem nomen consceleratissimum perperam in *Bahumeti* vocabulum ter quaterque legitur commutatum penes *Raimundum Agilæum* cap. 50 & 73. *Mahomum* habes & apud *Guibertum Abbatem* lib. 1 cap. 7 & 8, lib. 5 cap. 10. *Mahumates* vitiose legitur in *Gauterio Cancellario* cap. 40, & anno alibi. Fuit autem nomen idem vulgo etiam aliis datum, vt puero cuidam apud *Albertum Aquensem* lib. 5 cap. 24 & 32.

(b) i. e. *argumentis conuicti.*

CAPVT VI

Pyrrhus *se Christianis vrbem clam traditurum*, Boamundo *spondet.* Boamundus *eam ambit. Voti damnatur, ad eam capiendam rem ordinat.*

P*Yrrhus* quidem hæc & consimilia dicta *Boamundi* prudenter intellexit, eumque vehementer *Boamundus* suo amori attraxit. Cumque contigisset, inimico humani generis suadente, quod superius dictum est de *Walone*, *Pyrrhus* cum suo *Boamundo* loqui amplius non valuit, sed tamen occulte per internuntium hæc ei significauit: *Noui te nobilem virum, atque fidelem Christianum, commendo me tuæ fidei & meam domum; quæ me hortatus es, sine facere: tres turres, quas in Antiochia custodio, tibi tradam, & vnam de portis, tibi tuæque genti Christianæ, & ne friuolum illud esse credas, & ne de mea fide diffidas, mitto filium meum tibi, quem vnice vnicum diligo, eumque sicut & me ipsum tuæ fidei committo.* Quibus visis & auditis, *Boamundus* magno succensus est gaudio; magnaque in eo apud Deum excreuit deuotio; lacrymæ ab oculis vberes erumpunt; & Deo gratias agens, manus in cælum tetendit. Nec mora, Principes in vnum conuocauit eisque talia retulit, dicens: *Egregii Principes & viri bellatores, compertum est vobis, quantum iniuriarum passi sumus in hac obsidione, quantaque patimur, & quam diu voluerit Deus patiemur. Si Deus alicui hanc ciuitatem per aliquod ingenium (a) dare vellet, dicite, an vestra autoritas ei eam concederet.* Ad hæc multi exclamauerunt in vnum dicentes:

Nos

Nos simul eam habebimus, quoniam simul angustias necessitatum tolerauimus. Tunc *Boamundus* modicum subridens, ait: *Væ ciuitati, quæ tot dominis subiecta erit. Nolite, fratres, ea dicere, sed eius imperio subiiciatur, qui eam poterit adquirere.* Qui vt vidit, quia nil proficiebat, ad castra sua rediit, & tamen nuntios *Pyrrhi*, qui ad se venerant, detinuit. Principes vero amoto *Boamundo*, consilium inierunt dicentes: *Nos bonum consilium non habemus, qui verbis* Boamundi *viri sapientissimi contraimus. Si a primo die, quo huc venimus, hoc fieri potuisset, magnum nobis commodum inde peruenisset. Nullus nostrorum propter ambitionem*(b) *vrbis Antiochiæ de terra sua exiuit: eam habeat, cui Deus dare voluerit. Nostra omnium vna sit intentio, sancti scilicet sepulchri liberatio.* Placuit omnibus. *Boamundus* vocatur, eique Antiochia, si eam adquirere potest, beniuole ab omnibus conceditur. *Boamundus* itaque haud segnis viros sibi fideles, noctis crepusculo remittit ad amicum, vt ei renuntiet & modum & terminum. *Pyrrhus* remandat, vt in crastinum commoueatur exercitus Francorum, quasi ire velit ad prædandum in terram Saracenorum. Et cum nox obscurare cœperit, reuertantur ad castra ex parte ciuitatis, *in qua ipse erectis* (inquit) *excubabo auribus in turribus meis. Prope murum parati veniant & nihil prorsus timeant.* Credidit hoc consilium *Boamundus* quibusdam suis familiaribus *Hugoni* Magno, & Duci *Gothefrido*, Podiensi Episcopo, & Comiti *Raimundo*. Dixit itaque eis: *Nocte ventura, diuina opitulante gratia, tradetur nobis Antiochia, exposuitque eis nuntium.* Qui auditis omnibus, gratulati sunt, & benedixerunt Dominum. In crastinum congregauerunt duces bellorum ingentes militum cuneos, peditumque quam plures turmas: & egressi montana transierunt, quasi in terram Saracenorum prædaturi.

(a) *Ingenium* significat *stratagema*. Ita *ingeniare vrbem* apud Auctorem primum. Sed opus non est, repeti ea, quæ vbertim dicta sunt ad *Guilelm. Britonem* lib. 7 cap. 158.

(b) *Ambitio*, desiderium. Sic *ambitiosus* rerum alterius, earum vehementer cupidus. Lib. 6 cap. 5; *Tunc Corbaham subridens* ait; *gens est præsumtuosa, & alterius iuris nimis* ambitiosa.

CAPVT VII

Boamundus *cum suis ad locum destinatum pergit, e quibus* Fulgerius Carnotensis *primus moenia adscendit.* Pyrrhus *vero* Boamundi *moram agre fert.*

NOcte adueniente cum summo silentio redierunt, seque bonæ spei præparauerunt. *Boamundus* vero ad locum sibi ab amico destinatum perrexit cum suis tantum militibus, & cum paucis longe remansit a mœnibus, ceterosque cum vna scala direxit ad ipsa mœnia, quæ erecta pertingere potuit ad propugnacula. Quæ cum erecta fuit, ex tanta multitudine nullus prior ascendere præsumpsit. Cumque omnes sic hæsitarent, tunc vnus miles, nomine *Fulgerius* Carnotensis natione, audacior ceteris ait: *Ego in nomine Iesu Christi primus ascendam, ad quodcunque me Deus vocauerit suscipiendum; siue ad martyrium, seu ad obtinendum victoriæ brauium.* Quo ascendente, ceteri subsequuntur & in breui ad ipsa murorum fastigia peruenitur. *Pyrrhus* autem stabat illic, præstolans eorum aduentum, & ægre ferens nimiam tarditatem. Qui cum *Boamundum* minime videret, inquisiuit vbi esset. Qui proxime adesse dicitur, sed *Pyrrhus* de absentia vehementer contristatus est, dicens:

Quid facit ille piger? quid tardat, quidve moratur?
Mittite, qui dicat quo citius veniat.
Mittite, qui dicat, quid lux hodierna propinquat,
Et creber cantus præsignat adesse serenum.*
Nuntius eligitur, qui nuntiet hæc Boamundo.

* *gallorum.*

Qui vt audiuit, festinus accurrit, sed cum ad scalam peruenit, fractam inuenit.

De *Fulcherio Carnotensi* milite quod memorat *Robertus*, nescio an de Capellano illo *Balduini*, cuius commentarium harum rerum etiam habemus, sit capiendum. Ipse quidem se captæ Antiochiæ affuisse, cumque primis occupatoribus, indicat cap. 9, vt liber a Iac. Bongarsio est distinctus. Sed talia ille non iactat, qualia commentatur hic *Robertus*. Quid vero de se alioquin auctor ille posteris tradat, videre potes nostræ distinctionis capitibus 5, 25, 31, 38, 39, 42, 55, 61, 91.

CAPVT VIII

Pyrrhus, *occisis licet fratribus suis, animum non mutat.* Boamundo *portas aperit. Christiani vrbem intrant.*

INterea *Fulgerius*, qui cum sexaginta iuuenibus armatis ascenderat, acceptis turribus *Pyrrhi*, tres *alias bellica virtute occupauerat, & in eis duos fratres *Pyrrhi* interemerat. Quod licet *Pyrrhus* non ignoraret, tamen a promisso fidei pacto non retardauit (*a*), sed vt audiuit, quia scala fracta esset, venienti *Boamundo* & omni Francorum multitudini portas aperuit. Et cum graues gemitus ab imo pectore traheret, longaque suspiria; nulla tamen eum a promissa fide illata reuocauit iniuria. Quem *Boamundus* in ipso portæ introitu summisso capite salutauit, eique de collato beneficio gratias egit. Sed cum causam lamentationis eius didicisset, admodum indoluit: & de militibus suis, qui eum custodirent, resque eius tuerentur, dereliquit. Nec reticendum, quoniam sub illa nocte cometa (*b*), quæ regni mutationem præsignat, inter alia cæli sidera rutilabat, & suæ lucis radios producebat, & inter septentrionem & orientem igneus rubor in cælo coruscabat. His euidentibus signis in cælo radiantibus, & aurora terris lucem referente, exercitus Dei portas Antiochiæ intrauit, in virtute illius, qui inferni portas æreas contriuit, & ferreos vectes confregit, cuius potestas permanet in sæcula sæculorum, Amen.

* *Hae in mss non erant* (Reuber.)

(*a*) *Retardare*, resilire, mutare propositum, designat.

(*b*) *Cometa*, genere feminino seu secundo, quod mutandum non est, licet exemplum nunc non suppetat.

EXPLICIT LIBER V.

INCIPIT LIBER SEXTVS.

CAPVT I

Christiani vrbe capta Turcos incolas miseris modis trucidant.

VNiversi fideles huius *Pyrrhi* fidem attendite, & attendentes, siquid ex fide per fidem (*a*) promittitis, absque vlla contradictione perficite. Nulla hunc memoria fraternæ mortis, nulla vis doloris, nulla instigatio mæroris auertere potuit a promissa fidei stabilitate, magisque valuit apud ipsum fidei pactio, quam duorum germanorum diri cruciatus interemptio. Et si illud antiquum problema *Samsonis* in medium volumus adducere, huic æquipollens possumus proponere. *Samson* ait: *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo.* Nunc vero de infideli processit fides, & de extraneo familiaris & integra dilectio. At ne fastidiosam videamur facere digressionem ad inceptam redeamus historiæ propositionem. Quarto nonas Iunii Christiani vrbem Antiochiæ introierunt, & in ore gladii de suis eam inuasoribus (*b*) vindicauerunt. *Fulgerius* & sui complices, qui cum eo muros ascenderant, turres vndique inuadebant, & incautos vigiles somnoque solutos spiculis gladiisque confodiebant, & de summo illarum fastigio ad terram proiiciebant. Qui in domibus sopiebantur (*c*), sonitu clamoris excitati,

tati, ſcire geſtientes quid hoc eſſet, cum foras exirent, non reuertebantur, quoniam gladios inueniebant paratos, quibus excipiebantur. Qui Chriſtiani erant, *Kirie eleiſon*, & alias Deo laudes perſonabant, vt per hoc ſcilicet noſtris innoteſcerent (*d*), quod non Turci, ſed Chriſtiani eſſent. Paſſim ſternuntur plateæ ciuitatis corporibus morientium, quoniam tunc nullus eorum reſiſtebat, ſed quærebant omnes latibula & fugæ præſidium. Nulli honor impenditur, pueri cum puellis, iuuenes cum ſenibus, matres quoque cum filiabus interficiuntur. Qui fugere poterant, per portas exibant, mortem tamen minime euadentes, quia in manus de caſtris venientium incidebant.

(*a*) Geminatio vocis fidei Chriſtianæ religionis conſiderationem infert.

(*b*) *Inuaſores* Antiochiæ Turcos dicit, quia paucis ante annis habitatores veteres ii eiecerant, ſeque illorum loco in poſſeſſionem immiſerant. Vide notata ad *Albertum Aquenſem*.

(*c*) i. e. *dormiebant*.

(*d*) i. e. *notum facerent*. Nec mutanda eſt lectio.

CAPVT II

Caſſianus *Antiochiæ Rex in fuga occiditur. Multi Antiochienſium in caſtellum confugiunt. Chriſtianos id oppugnantes fortiter reprimunt.*

Contigit autem, vt inter fugientes *Caſſianus* Rex & Dominus ciuitatis, vilibus pannis obſitus, euaderet, & in terram *Tancredi* fugiendo perueniret. Sed malo ſui infortunio Armenii eum cognouerunt, & ei illico ceruicem amputauerunt, & caput illius ad Principes attulerunt & baltheum, baltheique pretium LX Byſantios appretiauerunt. Pars magna fugit in caſtrum, quod ciuitati imminet: quod ita loci poſitione & natura munitum eſt, vt nullius machinæ artificium timeat. Illic enim eſt mons vrbi contiguus, cuius cacumen porrigitur ad ſidera, quo vix attingere poſſunt intuentium lumina. Et de ipſo poteſt circumſpici tota regio. In eum confugit numeroſa multitudo Turcorum, habueruntque illud ſolum receptaculum. Erat autem huic caſtro vna turris nimium vicina, quam *Boamundus* cum ſuis ſatellitibus iam obtinebat, illudque caſtrum per eam impugnare parabat. Sed illi reſumptis viribus, turri ſatis eminentiores, ſagittas & ſpicula, inſtar grandinis, deſuper immittunt, ita vt noſtris minime licuerit contra eos pugnare, ſed ſe clypeis cooperire, & armis(*a*) defendere cogebantur. Locus enim arctus angebat, & hoſtis deſuper opprimebat: quia non erat alia via decertantium, quam præſtabat latitudo murorum. Propterea contigit, quod Turcos irruentes contra turrim, vnus impellebat alium, nec retroire erat facultas, nec in læua nec in dextra vlli erat diuortium. Quotquot impetus irruentium ſuper noſtros impingebat, illi in lanceis, ſpiculis & mucronibus excipiebant & vulneratos ad terram proiiciebant, & cum eis illos, qui turrim deſubtus moliebantur effodere, proſternebant, ſicque mortuus viuo necem inferebat, & cui in anima vita deerat, in corpore mors apparebat(*c*).

(*a*) Inepta lectio. Quomodo enim ſe armis defendere dicantur, qui, repugnare non poſſe, modo ſunt perhibiti? Emacula, *ſed ſe clypeis cooperire & muris defendere cogebantur*. Veritatem emendationis docent verba ſequentia.

(*b*) *Diuortium* eſt *ſpatium diſcedendi*, quomodo loquuntur etiam alii hoc genus auctores.

(*c*) Hæc obſcura ſunt: ſenſum tamen hunc habent, cadauera cæſorum in viuos procidentia animam non paucis eorum eliſiſſe. Leges tamen melius, *in corpore mortem apparabat*. Exſtinctus nimirum mortem inferebat ſuperſtiti, cadendo in ipſum ſtantem, deſuper ex muro.

CAPVT III

Boamundus *grauiter sauciatur. Inde Christiani oppugnatione desistunt. Quidam tamen militum heroicum adhuc edit factum.*

IN quo conflictu *Boamundus* grauiter sagittatus est in femore, nec iam nisi claudicans valebat incedere. Sanguis vbertim de vulnere cœpit stillare & cor nobilissimi Principis a virtute pristina cœpit deficere. Qui nolens & inuitus, in aliam turrim retrocessit, bellumque dereliquit. In eius infirmitate aliorum virtus corruit, quoniam vnusquisque miserabilem casum sui Ducis admodum doluit. Pugnam dimittunt, Turcis turrim relinquunt. Vnus tamen in superiori turris fastigio remansit, cuius egregia funera vniuersus nostrorum exercitus vnanimiter planxit. Ille enim, vt vidit se solum esse derelictum, tamen in se animum gerens inuictum, vt vrsus inter molossos cœpit se vtrinque defendere, lapidesque & cæmentum de parietibus auellebat, & super ipsos, qui eum impugnabant, proiiciebat. Tandem mille sagittis onustus, vt vidit quod mortem non euaderet, mortem sibi accelerauit, quoniam cum clypeo & armis, vbi turbam densiorem esse conspexit, in medium prosiluit, suisque interfectoribus tormentum fuit. Non est lingua carnis, quæ satis valeat enarrare, quid Francorum manus ibi valuit pessundare: & nisi castelli municipium tam forte fuisset, ipso die venturis calamitatibus suorum magnum leuamen Dominus præstitisset. Sed voluit Deus, vt vrbs Antiochena difficulter adipisceretur, vt adepta, carior haberetur. Citius enim adquisita vilescunt, diu desiderata carius amplectimur. Nox interueniens litem diremit, & diurno labori contulit moderamen, quia pugnæ ademit necessitatem, sed fessis dormiendi non tribuit facultatem. Vbi enim intra muros hostis adest, nulla requiescendi facultas esse potest. In crastinum, id est, feria sexta alii spoliata cadauera mortuorum extra muros foris trahebant, alii de turribus cum castellanis iaculis & sagittis decertabant.

(a) *Sagittari*, sagitta feriri. Sic lib. 1 cap. 1, lib. 3 cap. 9, lib. 4 cap. 11, lib. 7 cap. 7, lib. 8 cap. 3 cet. *Baldricus Dolensis* lib. 1 cap. 10.

(b) Bona lectio. *Pistorius* edidit, *cupit se*, vtut potuit, *defendere*. Magis placet illud.

(c) *Tormentum* suis interfectoribus fuit, qui instar lapidis e tormento se in eos cum omnibus armis proiecit.

(d) *Caro* omnem hominem notat, locutione Scripturæ.

(e) Non inscita sententia. Cui similis apud *Petronium*; *Nolo, quod cupio, statim tenere: nec victoria mi placet parata.* Item *Prosperum Aquitanum* in epigrammatis: *Gratior est fructus, quem spes productior edit. Vitro obiectorum vilius est pretium.* Eadem sententia *Philodemi*, epigrammatum poetæ, in versibus nondum editis: οὐ γὰρ ἕτοιμα βούλομαι, ἀλλὰ ποθῶ πᾶν τὸ φυλασσόμενον.

(f) *Lis* bellum notat. Vid. *Guil. Britonem* lib. 8 v. 34.

CAPVT IV

Regis Persarum adueniunt copiæ, variis e gentibus collectæ; Christianos vrbe iubent excedere; variis eos modis ad bellum prouocant; quatuor ex illis per insidias circumueniunt;* Richardum *de* Barda villa *misere obtruncant.

CVmque sic res agitur, ecce illi, qui stabant in turribus & muris, eminus contemplantur immensam nubem agitati pulueris. De qua diuersa sentientes, alii dicebant; Constantinopolitanum Imperatorem esse, qui sibi in auxilium veniebat; alii, quod verum erat, agmina Persarum. Sed qui primi veniebant, vt viderunt vrbem Antiochiæ, in vnum consedere, præstolantes retro veniens robur suæ militiæ. Erat autem *Corbanas* princeps militiæ Regis Persarum, qui ex longo tempore collegerat sibi illud agmen diuersarum gentium.

gentium. Erant quippe ibi Persæ & Medi, & Arabes, & Turci, & Asamitæ, & Saraceni, Curti (*a*) & Publicani, & diuersarum nationum alii multi. De Agulanis (*b*) erant ibi tria millia, qui nullam armorum copiam nisi solos enses gestabant: qui omnes vndique ferro cooperti, nulla arma aduersantia timebant. Equi eorum vexilla & lanceas ferre aspernabantur, & in eos, qui ferebant, nimia ira succendebantur. Cumque hi omnes in vnum conuenissent, cursores suos ante vrbem direxerunt, qui nostros ad bellum prouocarent, & de ciuitate exire suaderent. Sed nostri, qui de hesterno conflictu fatigati erant, salubrius esse iudicauerunt inter mœnia remanere, quam extra bella mouere. Illi vero per campos & plana currentes, nostros ad bella ciebant, diraque eis conuicia improperabant. Lanceas & gladios in altum eiiciebant, & in manibus recipiebant ludentes & luxuriantes (*c*). Sed cum neminem de nostris potuerunt extrahere, dispofuerunt remeare ad castra. Quos cum reuerterentur, insecutus est vnus ex nostris, *Rogerus* de *Barda villa*, cum aliis tribus armatis, sperantes, quod aliquos possent elicere ab illis: sed ipsi nolebant cum paribus inire certamen, quia iam de prœliis Francorum multa audierant enarrare, posueruntque insidias post se sub rupe cauata, & quosdam ex suis dimiserunt, qui eos quasi lacesserent in pugnam. Cumque nostri transirent insidiarum locum, fures(*d*) de cauernis suis exierunt, eosque a tergo inuaserunt. Qui præibant, reuertuntur in occursum, celeremque contra eos dirigunt cursum. Qui cum se comprehensos esse cognoscerent, flexis frenis, fugæ tutelam sperauerunt consequi, sed nullatenus potuit inueniri. *Rogerus* socios præmittit ante suos vultus, & ipse parma post tergum reiecta, creberrimos illorum sustinet ictus. Iamque pæne euaserat, iamque saluti proxima loca tenebat, cum equus illius solo proruit, & cadenti inhærens ipse cecidit, qui nullo modo leuari potuit, quoniam equi mole oppressus fuit. Heu quantus dolor stridorque dentium tunc erat, super muros Antiochiæ, cum generosa Francorum pubes videret, inclitum militem suum rabidos canes tam atrociter occidere, sicque discerpere. Auertebant oculos, nec videre poterant, cum eum membratim dilaniabant. Ad extremum caput eius amputauerunt: contoque insigentes, quasi triumphi vexillum, ad castra deportauerunt. Erant autem castra illorum iuxta pontem ferreum.

(*a*) *Curtorum* gentis apud *Guibertum Abbatem* lib. 8 cap. 8 & *Baldericum* lib. 3 cap. 1 exstat mentio.

(*b*) *Agulani* sunt cataphracti. *Guibertus* Abbas lib. 8 cap. 8, retinens eadem ista *Roberti* verba. Hauserunt omnes omnia ex primo auctore Bongarsiano cap. 21; vbi nihil tale de equis *Agulanorum*, quale hic tradit *Robertus*. Itaque huius verba mendosa esse, non frustra suspicamur.

(*c*) *Luxuriari* est quocunque modo lasciuire. Sic *luxuriæ enormes* omne genus efferarum petulantiarum apud *Guibertum Abbatem* lib. 2 cap. 10.

(*d*) *Fures* sunt milites, qui in insidiis latuerant.

CAPVT V

Sensadolus *pacto cum* Corbanan *inito tradit ei castellum.* Corbanan *suorum cuidam id committit. Ense hastaque Francorum sibi allatis, Christianos despicit. Litteras de felici armorum suorum successu ad Regem Persarum, aliosque mittit.*

SEnsadolus autem, filius Regis Antiochiæ nuper defuncti, ierat ad *Corbanan*, supplexque ad pedes illius corruit, rogans, vt sui misereretur, & contra Francos adiuuaret, qui patrem eius occiderant, & de inclita vrbe exhereditauerant (*a*). Non habebat refugium, nisi in solo vrbis oppido (*b*) quoniam iam tota ciuitas Francorum subiacebat imperio. *Pater meus*, inquit, *dum adhuc viueret, legationem tibi transmisit vt ei subuenires, vt te aut magnis muneribus ditaret, aut Antiochiam & vniuersum regnum de te susciperet. Idem tibi promitto, quia si potes recuperare Antiochiam,* quod

quod a te illam suscipiam (c), *omnemque tibi fidelitatem faciam. Quod si non potes, fugiendum tibi est, & omnibus hominibus nostræ gentis. Non enim eis sufficiet Romania, siue Syria, neque Corosaim, quoniam Hierosolymam dicunt esse suam, regnumque Damasci.* Erant autem ibi Reges harum prouinciarum, qui audiebant illud verbum. His dictis *Corbanan* respondit: *Si vis, vt te omnimodis adiuuem, tuoque regno restituam, castellum quod adhuc habes, redde in manum meam, quia restituetur tibi per illud Antiochia.* Cui iterum *Sensadolus*: *Si præuales Francos eliminare ab vrbe, mihique eorum ceruices cæsas deliberare, tibi tradam castellum, & tibi inde faciam hominium.* Consensit vterque & tradidit castellum. Et *Corbanan* deliberauit cuidam fideli suo ad custodiendum. Tali autem conditione recepit in custodiam, vt si Franci vincerentur, custodiret: si vincerent, & ipse, sicut & alii, relicto castro confugeret. Cui ille: *Et si nos victi sumus, de castello quid faceremus? Dignum est, vt victores habeant castellum; quoniam victoria castello maius erit præmium.* His ita gestis, *Corbanan* super his conticuit, & ad alia instituenda tempus disposuit. Et cum sederet in solio, attulerunt ante eum Francigenum ensem valde despicabilem & obtusum, & fœda rubigine tectum. Attulerunt & lanceam, eadem deformitate consimilem, quæ etiam sua abiectione ensem faciebat præpollentem. Quæ cum *Corbanan* vidisset, ait: *Quis dicet nobis, vbi sunt arma hæc reperta? Aut qua de causa nostro conspectui sunt præsentata?* Cum illi qui attulerant dixerunt: *Gloriose princeps & decus regni Persarum, hæc arma cuidam Francigeno abstulimus, & tibi attulimus, vt videas & agnoscas, quibus armis illa pannosa gens* (d) *conetur nos & fines nostros deprædari, imo & omnem Asiam depopulari.* Tunc *Corbanan* subridens ait: *Liquet, quia satis est gens illa insensata, & ratione parum vtitur, quæ talibus armis æstimat posse subiugare sibi regnum Persarum. Gens quippe est præsumptuosa, & alterius iuris nimium ambitiosa. Gens videlicet, quæ in sua confidit animositate, sed per Mahometem male intrauit fines Syriæ, murosque regiæ ciuitatis Antiochiæ.* Hæc dixit, notariumque suum arcessiri iussit. Cui accersito, inquit: *Sume plures scedulas, & scribe religioso Papæ nostro* Caliphæ, *Regique Persarum,* Soldano *super omnes glorioso, maioribusque regni Persarum proceribus, vt longæuam obtineant vitam, pacem continuam, salutem corporum diuturnam. Fortuna felix & iocunda bene nobis prosperatur, secundisque successibus arridet, quoniam Francorum exercitum intra muros Antiochiæ inclusum teneo, & castellum quod ciuitati præeminet, iam in manu nostra habeo. Vnde certum sit vobis, quia rumores, quos de eis audieratis, non sunt illius generis, cuius audistis, quia nec lupus tantus efficitur, quantus &* (e) *clamor qui eum subsequitur. Quia vero præcepistis, vt omnino eos de terra delerem, gladioque vita priuarem, nolite aduersum me indignari, si quosdam de melioribus vinctos vobis transmitto: quoniam tunc erit in vestra deliberatione, vtrum velitis eos mori siue viuere. Nobis enim conueniens esse videtur, vt qui captiuare nos venerant, captiui fiant, & diu apud nos exerceant seruitia. Honorificum quippe erit regno Persarum, si in eo exulet frater Regis Francorum. Vos autem in pace & summa tranquillitate viuite, omnique corporeæ voluptati operam impendite, filiosque sine cessatione procreate, qui aliis, si necesse fuerit, Francis obsistant, & cum nostræ defecerint vires, tunc valeant. Faciei vestræ præsentiam non ante videbo, donec totam Syriam, & Romaniam, atque Bulgariam vestræ ditioni subiugauero.* Hæc *Corbanan* locutus in superbia & in abusione (*f*), quæ ei conuersa sunt in ignominiam & confusionem.

(*a*) Scribe, *& se inclusa vrbe exheredantant.* Ipsum nempe *Sensadolum.*

(*b*) Loquitur de castello Antiochiæ, paullo ante descripto. Et ita illi respondet *Corbahan; castellum, quod adhuc habes, redde in manum meam.* Itaque eiecto *oppido* scribendum hic, *in solo vrbis præsidio* (f. *castello*)

(*c*) *Suscipere regnum ab aliquo*, est, in feudum instar vasalli ab eo recipere, eumque eo nomine dominum agnoscere.

(*d*) *Pannosa gens* pauperem & despicabilem notat. Iuuenalis satira 10; *pannosus vacuis aedibus Vlubris.* Glossarium vetus; *pannosus, mendicus, fractus.* Philoxenus & Cyrillus

Cyrillus Glossarii [illegible] eodem sensu interpretantur. Omnia autem *Roberti* ista sunt hausta ex auctore præcedenti.

(e) Scribendum, *quantus* est *clamor*.

(f) i. e. illusione sui ipsius & Dei, nempe peccato. *Abusio* deceptionem, errorem denotat. *Guibertus Abbas* lib. 7 cap. 43 vulgaris distinctionis; *At is, digna sibi admodum affirmatione, tanta nefas* abusionis *abiiciens, penitus vel audire perhorruit.*

CAPVT VI

Mater Corbanan *filium a bello contra Christianos dehortatur: quam tamen ille non audit.*

POst hæc mater eius venit ad eum mærens & tristis, lugubremque afferens vultum. Et cum in secreto cubili ambo conuenissent, dixit mater ad filium: ***Fili, solatium meæ senectutis, & vnicum pignus totius meæ dilectionis, ad te festina venio fatigata longinquitate itineris. Ego eram in Aleph ciuitate magna, cum de te grauis sermo aures meas perculit, suoque impulsu maximum cordi meo dolorem impulit. Dictum est enim, quod tua agmina disponebas, & contra Christianos pugnare volebas. Propterea festina veni, a temetipso scire volens, vtrum se res ita habeat, an non.*** Ait ad matrem filius: ***Mater, nihil vnquam verius audisti.*** Et mater ad filium inquit: ***Quis, fili, tale consilium iniquus tibi dedit? Nondum es expertus virtutem Christianorum, & præcipue gentis Francorum. Si legisses scripta omnium prophetarum, & antiquorum sapientum, profecto non ignorares, quia ipse est omnipotens (a) & Deus deorum omnium. Si pugnabis aduersus Christianos, pugnabis contra ipsum & angelos eius. Sed dementissimum est contra ipsum omnipotentem pugnare, quoniam id ipsum est velle se destruere. De ipso quidem inuictissimo Deo dicit Propheta:*** Ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo: & non est, qui de manu mea possit eruere. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me, retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes. ***Formidolosum est, contra hunc conflictum inire, qui gladium suum nouit sic acuere, acutum inebriare, inebriato carnes macerare. Fili, Pharaonem Regem Ægypti quis submersit in mari rubro, cum omni exercitu suo? Quis eiecit Seon Regem Amorreorum, & Og Regem Basan, & omnia regna Chanaan, & dedit suis in hereditatem? Ipse idem Deus ostendit, quanto amore diligat populum suum, quantaque tutela circumuallet eum, cum dicit:*** Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat semper. Obserua & audi vocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & odientes te affligam, & præcedet te angelus meus. ***Genti nostræ iratus est Deus ille, quia nec audimus vocem eius, nec facimus voluntatem: & idcirco de remotis partibus Occidentis excitauit in nos gentem suam, deditque ei vniuersam terram hanc in possessionem. Non est, qui possit eis eam eruere; non est, qui possit eam auertere, nec est, qui eam valeat amplius exterminare (b).*** Post hæc inquit filius matri suæ: ***Credo, mater, quod aut insanis, aut furiis infernalibus exagitaris. Quis tibi dixit, quod gens ista non potest exterminari? Plures mecum sunt optimates Admiraldi, quam sint omnes Christiani in simul congregati. Dic mihi, mater;*** Hugo ***eorum vexillarius (c), & Apuliensis*** Boamundus, ***& gladiator (d)*** Gothefridus, ***sunt ipsi dii eorum? Nonne sicut & nos aluntur temporali cibo? Nonne eorum caro sicut & nostra potest incidi ferro?*** Ad hæc mater respondit: ***Non sunt dii, quos tu nominas, sed homines, & milites Dei excelsi, qui dat eis animos, exaggerat vires, redditque magnanimos: sicut ipse per Prophetam loquitur dicens:*** Persequetur vnus de vobis mille, & duo fugabunt decem millia, ***quod iam in his expertum est, qui nostros fugauerunt de tota Romania. Propterea, fili, contestor te per omnium nostrorum numinum nomina, vt te auertas a facie istorum, & non ineas contra eos bellum. Stultum est enim, vt superius***

perius dixi, contra omnipotentem sæuire, & in gentem suam debacchare. Et respondit filius matri suæ: *Charissima, noli lachrymari, noli crebris gemitibus anxiari; quoniam nulla arte, nullo ingenio reuocabis, etiam si in prælio scirem meipsum interiturum.* Tunc mater tristior effecta, iterum filio suo dixit: *Scio, quia pugnabis, & modo non morieris, sed antequam transeat annus, de hac vita discedes: Modo es in omni regione orientali fama laudabili præditus, in aula Regis Persarum nulli secundus; cum autem modo victus fueris, iuxta quæ nunc tibi est gloria, inglorious eris. Quanto enim quisque ceteros antecellit, tanto magis sordescit, si turpius ruit. Nunc vero omni flore orientalium Regum ac diuitum stipatus, tantorum innumerabilium satellitum caterua circundatus, si superatus eris, cum quo vlterius pari aut impari numero decertabis? Tu qui olim cum paucis multos solebas in fugam vertere, nunc disces etiam fugere cum ingenti copiarum vi, & paucos cum multis, vt canem lepores, præcursare.*

(a) Excidit aliquid, quod indicat, Deum Christianorum eum Deum esse, qui sit super omnes. Itaque legendum, *quia ipsorum Deus est omnipotens, & Deus deorum omnium.*

(b) *Exterminare* est extra terminos detinere, aditu prohibere in his. Raro vsu tali apud alios auctores.

(c) Gotfridum *gladiatorem* dicit, ob immanes ictus, quos gladio confecit, quorum fama longe lateque volabat. Et est conuicium, *latronem* valens. Vt apud *Baldricum Dolanum* lib. 1 cap. 14; *nequaquàm peregrinos, sed* gladiatores *& tyrannos.* Mitigat autem his verbis, *Corbahano* affictis, fabularum immanitatem *Robertus*, quæ de Principibus Francorum alioquin ferebantur. *Boamundum* nimirum ex iis & *Tancredum* Deos esse, & comedere in singula prandia duo vaccarum, & quatuor porcorum millia, sicut recenset auctor primus collectionis Bongarsianæ cap. 22, colloquio pariter matri & *Corbahano* affícto, vnde sua de more *Robertus* exscribit.

CAPVT VII

Corbanan *matri irascitur; quæ nihilominus eum dehortari pergit.*

TVnc filius iræ impatiens, verba matris diutius ferre non poterat, sed ea interrumpens ait: *Vt quid mater, concitas aerem, inanibus verbis, nosque ad fastidium pertrahis sermonibus imperitis? Nulla virtus bellorum nobis valet resistere, nec valet alter exercitus nostro præualere. Sed dic, mater mea, vnde scis, quod vinci debeamus in hac pugna, & quod mori debeo non hoc, sed antequam transeat annus, morte subitanea, & quod gens Christiana fines nostros sit possessura?* Cui mater ait: *A centum annis & infra inuenerunt patres nostri in sacris deorum responsis, & in sortibus & diuinationibus suis & animalium extis, quod Christiana gens super nos esset ventura, nosque victura. Concordant itaque super hoc aruspices, magi, arioli, & numinum nostrorum responsa, & prophetarum dicta, in quibus dicitur:* A solis ortu & occasu, ab aquilone & mari, crescent termini vestri, & nullus stabit contra vos. *Credimus, quia hoc totum venturum est, sed nescimus, si nunc vel in proximo est, sed prope quibusdam nostrorum videtur, quia hoc assiduæ rerum mundi ruinæ (a) præsignant, & astrorum intuitus prænuntiauit. De hoc siquidem prælio, quod commissurus es, dicam tibi veritatem, & de morte tua, quam inde habeo, notitiam. Ex quo milites ad patrandum bellum hoc colligere cœpisti, solicita indagatione perscrutata sum, quicunque mihi possunt ventura prædicere, & consonant, quod nullus omnino Christianos poterit superare. Cum astrologis siderum cursus, septem scilicet planetas, & duodecim signa, sapienter contemplata sum, & quicquid physicaculari (b) potest, cum aruspicibus, extis & armis (c) pecudum, cum sortilegis sortes temperaui (d): & omnia in vnum concordant, gentique Francorum victoriæ titulos prænuntiant, & necem tibi, sicut dixi superius, intentant.* Tunc ille, *Mater*, inquit, *cessa ab his de cetero, quia cum Francis pugnabo, quam primum potero.* Illa videns quod nil proficeret, non diu morata vnde venerat rediit, secumque reportauit, quicquid spoliorum adipisci potuit. *

* In

* In margine;

Verba sua matris furiis male subditus atris
Tempnit Corbanan, *mentemque gerit malesanam.*

(*a*) *Ruina mundi* sunt defectus siderum, & ostenta per spatia cæli oblata.

(*b*) Scribendum, *physiculari.* Et pessime omnino *Ioan. Pistorius*, qui omnia immutauit, legendo, *physica speculatione intelligi potest.* Vsus autem est verbo *Apuleii* & *Martiani Capellæ.* Illius hæc sunt in libro de Deo Socratis; *Eorum de numero præditi curant singula, proinde vt est eorum cuique tributa prouincia, vel somniis conformandis, vel extis* physiculandis, *vel prapetibus gubernandis, vel fulminibus iaculandis.* Apud *Capellam* legitur; *Hac aruspicio exta physiculant, quadam admonentia.* Item, *physiculatis exterum proficiis.* Ita eo loco veteres editiones & scripta exemplaria, nec necessarium videtur, mutare quippiam, vt voluit olim *Ios. Scaliger*, commentario in appendicem Maronianam, quanquam reuocauit is fere suam sententiam.

(*c*) Scribendum, *extis & a ruinis pecudum.*

(*d*) Scribendum, *sortes temtani*, vel veteri more, *temptani*, autumamus. Et eam scripturam nunc video promulgasse etiam *Pistorium.*

CAPVT VIII

Lacessiti a Turcis in vrbe Christiani, fameque grauissima afflicti ad incitas rediguntur. Vnde etiam nonnulli fuga sibi consulunt.

IAm vero de his, quæ interim in vrbe gesta sunt, aliquid referamus. Turcis libera facultas erat intrandi castellum, & exeundi: nostrosque die noctcque iaculando & sagittando ad bella ciebant, & cum certantium vires deficiebant, noui recentesque subibant. Sicque nouis iugiter superuenientibus virtus illorum crescebat: nostrorum vero quotidiana lassitudine deficiebat. Nulla enim quies erat, nec arma deponebant; sed in procinctu militiæ semper erant. Telis & sagittis plateæ ciuitatis impediebantur, & tecta domorum onerabantur. Omni die ante castellum fit noua congressio, multotiesque fiebat nostrorum & ipsorum vna commistio: de nostris tamen Deo protegente pauci moriebantur: de illis vero cateruatim perimebantur. Et dum sic tempus prolabitur, fames omni hoste crudelior (*a*) nostros inuadit, viresque eorum de die in diem attenuauit. Vultus marcescunt, brachia deficiunt, & tremula manus vix terræ vellicat herbas, & frondes arborum, & radices vaporum (*b*) siluestrium. Hæc omnia coquebantur, & comedebantur. Crus asini sexaginta solidis comparabatur, & qui emebat, dissipator substantiæ (*c*) non æstimabatur. Panis paruus appretiabatur vno Bysantio. Carnes asinorum, equorum, camelorum, boum, bubalorum consumebantur, insuper eorum coria concoquebantur. Matres filios suos fame pereuntes ad vbera suspendebant, sed pueri in maternis vberibus nihil inueniebant & præ inopia lactis clausis oculis palpitabant. Quadam die *Corbanan* incitauit nostros ad prœlium, scilicet extra vrbem, ab illa parte in qua erat castellum, sed milites & equi fame cruciati, diu non potuerunt sufferre veloces impetus eorum. Conglobati igitur in vnum, nostri ad ciuitatem regredi salubrius esse intellexerunt, sed oppressi a Turcis, portam nimis angustam repererunt, in tantum quod quidam ibi vsque ad mortem attriti sunt. Sicque fiebat pugna intus & exterius, nec dabatur vlla quies nostris fame pereuntibus. Propter hæc & his similia aliqui de nostris militibus immoderate perterriti, fuga in ipsa nocte elapsi sunt (*d*), funibus ad propugnacula ligatis, quibus manus suas omnino decoriauerunt (*e*), & sic ad mare pedibus tetenderunt. Quo peruenientes dixerunt nautis, vt fugerent, quoniam omnes Christiani aut mortui aut vincti essent. Illi autem dolentes in mare se miserunt, & Turcorum se potentatui (*f*) subtraxerunt.

(*a*) *Famem* omni hoste crudeliorem dicit. Qua de re vide notata ad lib. 1 *B. Augustini* de Ciuitate Dei, commentario 6. nostrorum Aduersariorum.

(*b*) Nihil certius, quam scribendum, *& veprium siluestrium.* *Io. Pistorius* edidit absurde *vaporum.* Dicas errorem esse typographicum, & edendum fuisse, *veprum.* Haud dubio tamen vera est nostra emendatio.

(*c*) *Dissipator substantia* est homo prodigus. *Dissipare substantiam*, suas prodigere facultates, veteris nouique Testamenti locutio est.

(*d*) Qui illi, vel eorum saltim principes fuerint,

fuerint, indicat Auctor primus Bongarsianorum.

(e) Quod manus suas decoriauisse eos dicit *Robertus*, ex eodem auctore ductum est. *Nocte*, inquit, *latenter demissi sunt per murum, fugientes pedibus contra mare, ita vt neque in manibus neque in pedibus remaneret aliquid, nisi solummodo ossa.*

(f) Potentatus, ditio, possessio, tyrannis. V. multis *Aduersariorum* lib. 7 cap. 14.

CAPVT IX

Comes Carnotensis ad Imperatorem Constantinopolitanum fugit. Rem Christianorum conclamatam esse, dicit. Quod ne Imperator credat, Wido *admodum dolens suadet.*

STephanus Carnotensis Comes, qui inter alios Principes videbatur magnus consilio, prouidus, morum honestate præclarus, antequam caperetur Antiochia, graui infirmitate detentus est: & ad quoddam castrum, quod suum erat, secessit, cui nomen *Alexandreta* fuit. Hic vt a fugientibus audiuit hanc de nostris relationem, occulte montana vrbi præeminentia ascendit, vt videret, quidnam esset, vtrumne relatio vera fieret. Sed innumerabilia Turcorum agmina a longe conspexit, nostrosque intra vrbem inclusos esse deprehendit, & perterritus timore, aufugit, & ad castrum suum remeans funditus expoliauit: & sic versus Constantinopolim equitare cœpit. Illi vero, qui in vrbe obsidebantur, summo desiderio aduentum eius præstolabantur, putantes, quod Imperatorem secum adduceret, & cum eo rebus necessariis succurreret. At ipse in diuersum tendens, vt ad Philomenam venit, Imperatorem ibi inuenit: eique secreta allocutione dixit: *Domine Imperator, nostri revera Antiochiam obtinent: sed castellum, quod ei superest, adhuc Turci possident: innumera Turcorum agmina eos de foris obsident, & qui in castello sunt intus oppugnant. Sed quid super his restat, nisi quia aut mortui iam sunt, aut in proximo omnes morientur? Tu autem, reuerende Imperator, si nostro credis consilio, vlterius non progredieris, sed ad vrbem tuam reuerteris. Nam non potest humana eis potestas vlla subuenire, sed si illuc ieris cum tuo exercitu, poteris interire.* His auditis sermonibus Imperator valde tristis efficitur, & quod ei dixerat in secreto, Principibus suis ac magistratibus propalauit in aperto. Omnes contristantur, nostrorumque funera lacrymantur. Erat ibi quidam miles, nomine *Wido*, qui per militiam celebre sibi nomen adquisierat, multumque *Boamundo* familiaris extiterat. Qui cum hoc audisset, ita indoluit, quod ac si mortuus esset in terra corruit. Et cum resumpto spiritu ab illa mentis alienatione reuerteretur, flere immoderate cœpit, genasque vnguibus sulcando, crines manibus decerpendo, omnes cogebat ad luctum, dicebatque; *O Deus omnipotens, vbi est virtus tua? Si omnipotens es, cur hæc fieri consensisti? nonne erant & milites tui & peregrini? Quis vnquam Rex, aut Imperator, aut potens dominus familiam suam ita permisit occidi, si vllo modo potuit adiuuare? Quis erit vnquam miles tuus aut peregrinus?* O Boamunde, *honor aliorum ducum, corona sapientum, gloria militum, solamen desolatorum, robur militiæ, & totius mundi decus insigne, cur tibi tale infortunium contigit, vt Turcorum ludibrio subiaceres? Heu, heu, cur mihi concessum est viuere post te? quæ mihi post hac lux grata, quæ species amœna, quæ gloria delectabilis, quæ vita iocunda te minime superstite? O Deus, si verum est, quod iste nugacissimus* (a) *& fugitiuus Comes attulit; quid amplius erit de via sepulchri tui, qua causa ita occisi sunt, quasi dominum non haberent serui tui?* O Boamunde, *vbi est illa fides tua, quam semper habuisti in saluatore tuo, Domino nostro Iesu Christo? O Imperator & egregii milites, qui mecum tanta tantorumque funera lugetis, quis perfecte credere potest, quod tanta militia sic perierit? Pro certo si in medio campo ab omni orientali populo circumsepti fuissent, non ante omnes occiderentur, quam vlciscerentur. Nunc autem & ciuitatem habebant, in qua se defendere poterant, & ita interempti sunt?*

 O Impe-

O Imperator, certissime scias, quia si Turci nostros occiderunt, pauci de ipsis remanserunt. Propterea ne paucas illuc ire, quia Antiochiam recipere poteris. Imperator consilio illius noluit assensum præbere, verbis nugacis, fugitiuique Comitis nimium credulus, sed retro destinauit abire, Bulgariæque loca præcepit deuastare, vt si Turci in partes illas peruenirent, nihil penitus iuuenirent. Cum ipso pariter & ipse *Wido*, & illi, qui cum ipso Imperatore ierant, reuersi sunt, quia vltra ire non præsumpserunt. Sic igitur nostri omni humano solatio destituti sunt, & per viginti (*b*) fere dies, cum hostibus & fame, cum gladio & penuria indesinenter decertauerunt.

* In margine;

Consul Carnotis, vrbis inclita, caraque notis,
Territus aufugit, bellum sociosque reliquit.

** In margine;

Guido *nimis plorat, Dominum cum fletibus orat.*

(*a*) *Nugax* hominem pusillanimem notat, & forti opponitur. *M. Calius* lib. 8 familiar. Ciceronis epist. 15; *Ecquando tu hominem ineptiorem, quam tuum* Cn. (Pompeium) *vidisti, qui tantas turbas, qui tam nugax esset, commouit? Ecquem autem Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis aut legisti, aut vidisti?* Quo loco vocem, *Pompeium*, virgulis merito inclusimus, vtpote duobus priscis libris absentem, & minime necessariam omnino, cum *Cnei* nomine simpliciter sæpissime *Pompeius* intelligatur.

(*b*) Non solent hi auctores rebus gestis suorum aliquid demere, sed addere potius, quæ possunt. Itaque *triginta dies* scribendum arbitror. Excessit enim hæc Christianorum intra Antiochiam afflictio numerum hic designatum. *Vigini* enim & *sex dies* præcise designat Auctor primus, qui ipsemet rei gestæ interfuit, cap. 26. Et *Baldricus* Archiepiscopus ipsos *triginta sex*, lib. 3 cap. 12. Ipse noster diem vnum adiicit, *tres septimanas* nominans lib. 8 cap. 2. Quem tamen & ipsum locum ad hanc notationem corrigendum arbitramur.

EXPLICIT LIBER VI.

INCIPIT LIBER SEPTIMVS.

CAPVT I

Sacerdoti cuidam in somno apparet Dominus, ac deprecatione matris suæ & Petri *Apostoli motus, intra quinque dies populo se auxilium missurum esse promittit. Id quod Presbyter Principibus refert.*

SVperna pietas humano destitutis auxilio nisi præuidisset, ex Francigenis, iam ciuibus Antiochenis (*a*), nullus superesset. Sed cum iam vitæ (*b*) diffiderent, omniaque mortem intentarent; placuit Deo saluatori, Regi Regum Iesu Christo, vt cuidam Sacerdoti suo appareret (*c*), dum quadam nocte in ecclesia suæ castæ genitricis (*d*) dormiret. Erant autem cum eo, ipsa mater & virgo *Maria*, & beatus *Petrus* Apostolus, cui pastoratum ouium suarum dedit ipse Dominus (*e*). Cui ait: *Agnoscis me?* Cui sacerdos: *Non. Tu quis es, Domine?* Tunc in capite saluatoris crux cœpit apparere. Cui iterum Dominus: *Iam ne agnoscis me?* Iterum sacerdos respondit: *Non aliter agnosco te, nisi quia crucem in capite tuo video, sicut in imaginibus, quæ sunt in honore Domini nostri Iesu Christi, videre soleo.* Et Dominus ad eum: *Ecce ego ipse sum.* Sacerdos vero vt audiuit, quod Dominus est, statim prosternebat se ad pedes eius, suppliciter obsecrans, vt suis Christianis subueniret, fame & hostium oppressione laborantibus. Cui ait: *Non tibi videtur, quod bene eos adiuuerim hucusque, quia illis & Nicæam tradidi ciuitatem, & omnia, quæ eis superuenere, bella vincere feci. In obsidione Antiochiæ eorum miseriæ condolui: nunc vero ad extremum ciuitatis ingressum tribui. Omnes tribulationes & impedimenta, quæ passi sunt, ideo*

ideo euenire permisi, quoniam multa nefanda fuerunt operati, cum Christianis mulieribus, & paganis, quæ valde displicent in oculis meis. Adhæc mater misericordiæ, piissima virgo & beatus Petrus ceciderunt ad pedes eius, rogantes, vt populi sui misereretur. Adiecit autem beatus Apostolus precationi suæ, & ait: *Domine gratias tibi ago, quoniam ecclesiam meam in potestate seruorum tuorum dedisti, quam propter malitiam inhabitantium in ea tot annorum curriculis paganorum fœditatibus sordidari (f) permiseris. Vnde in cælis lætantur sancti Angeli tui, & consortes mei, Apostoli.* Tunc Dominus ait sacerdoti suo: *Vade, dic populo meo, vt reuertatur ad me, & ego reuertar ad eum, & infra quinque dies mittam eis sufficiens auxilium; interim quotidie cantet hoc responsorium*: Congregati sunt inimici nostri & gloriantur in virtute sua, *totum cum versu.* Hac ita visione completa, venerabilis Presbyter somno excitatus surrexit, expansisque manibus orauit, pro vt Spiritus sanctus dabat eloqui illi. Inde eadem die hora tertia immediate ad Principes exercitus perrexit, inuenitque eos sursum ante castellum prœliantes contra inimicos, & mouentes inuicem bellum. Quibus conuocatis, læto & hilari vultu dixit: *O belligeratores Regis æterni, annuntio vobis ex parte saluatoris nostri gaudium & exultationem, suamque quam transmittit vobis, benedictionem: & si ei obedieritis, consequimini & gratiam.* Tunc omnibus attente audientibus & vndique confluentibus, omnem seriatim exposuit visionem. Qua exposita, subiecit & ait: *Si huic decreditis (g) visioni, falsamque eam suspicamini, quod libuerit experimentum, quia vera est, faciam vobis; & si mendax inueniar, omni iniuria afficite Corpus meum.* Tunc Podiensis Episcopus iussit afferri crucem, & sanctum Euangelium, vt coram cunctis iuraret (h), hoc verum esse quod ita factum est.

(a) Videas, *Robertum* ista scripsisse, rebus Antiochiæ adhuc sub Christianorum imperio florentibus.

(b) Sic scribendum. Et nota est imitatio Poetæ Æneid. 1.

* In margine;

Cui Deus apparet, quia sic sine crimine pares.

(c) Optima lectio, quam & membranæ nobis collatæ agnoscunt. Male Pistorius; *quadam Sacerdoti suo aperires.*

(d) Scribe, *caste dormires.* Male iterum *Pistorius*, vocem, *caste*, penitus omittens.

(e) Suo nimirum loco. Et sic membranæ. Male iterum *Pistorius*; *primatum ouium suarum.* Cum non *ouium*, sed *pastorum* principem *B. Petrum* loquatur *Robertus.* Et sane consonat nostra scriptura ipsis Saluatoris verbis; *pasce oues meas.*

(f) Contaminari. *Cyprianus* de vnitate ecclesiæ cap. 9.

(g) Sic supra lib. 4 cap. 7; *Si adhuc mihi decreditis, iurabo, quod citius ad vos redibo.* Contra *accredere* significat apud *Gamerium Cancellarium* cap. 54.

(h) Iuramenti supra sanctorum Euangeliorum codicem exempla plurima sunt in media antiquitate, & vbertim ea alibi adnotata sunt. Isthic saltim indicabimus, quandoque tale iuramentum præstitum, codice eo capiti applicito. *Gobelinus Persona* in Cosmodromio an. 799; *Carolus* Leonem *Papam coram omnibus secum*, euangelio capiti suo applicato, *de criminibus sibi obiectis plenissime purgantem, in sedem suam restituit.* Et iurabatur etiam super toto Bibliorum volumine, cuius medio Euangelia inseri solebant. *Menander Protector* in Excerptis legationum; quo loco & cærimoniæ describuntur; *Tum quæsiuit ex ipsis, quid esset, quod sanctum, quod religiosum ducerent, per quod iurantes, si fallerent, se Dei iram minime euitaturos crederent. Qui in Singidone vrbe summam sacrorum potestatem habebat, statim sancta Biblia, quæ in medio continebant sacrosancta Euangelia, protulit. Et ille quidem occultans ea, quæ mente voluebat, multo cum tremore & magna cum reuerentia præ se ferens ea suscipere, procedit e cathedra, tum alacri & prompto animo in genua prouolutus*, iuro, *inquit*, secundum proferentem, in verba, quæ habentur in sacris Dei cartis, me in nullo eorum, quæ probata sunt, mentiri & fallere. Vid. alia in Commentar. ad *Papinium* lib. 5 Thebaid. v. 329.

CAPVT II

Quo loci sacra lancea abscondita sit, Andreas Apostolus *peregrino cuidam in visione patefacit. Ibi cum eam quærerent Christiani, inuenerunt.*

Et vt diuina bonitas bona bonis accumularet, suosque lugubres seruos magis magisque lætificaret; affuit ibi quidam peregrinus, nomine *Petrus*, qui

qui hanc visionem retulit coram omnibus: *Audite populus Domini & serui Dei excelsi vocem meam, & sermonibus meis inclinate aurem vestram. Dum in obsidione huius ciuitatis eramus, quadam nocte astitit mihi in visione sanctus* Andreas *Apostolus, dicens*: Bone vir (*a*), audi & intellige me. *Et aio ad eum*: Tu quis es, Domine? *Et ille*: Ego sum *Andreas* Apostolus. Fili, cum vrbem hanc intraueritis, & eam in potestate habueritis, ad ecclesiam beati Petri celeriter vade, & in loco, quem monstrauero tibi, inuenies lanceam, qua perforatum est latus Saluatoris nostri. *Hoc tunc solummodo Apostolus dixit mihi. Ego vero tunc ausus non fui hoc alicui indicare, existimans, me vanam visionem vidisse. Nunc vero ista nocte iterum apparuit mihi, dicens*: Veni, & ostendam tibi locum, vbi lancea abscondita est, sicut promisi tibi. Festina igitur vt extrahas eam, quoniam portantibus eam sequetur victoria. *Et ostendit mihi sanctus Apostolus locum, quem venite & videte, & inde eam mecum extrahite.* Cumque omnes ad ecclesiam beati *Petri* currere vellent, adiecit adhuc, & ait; *mandat vobis sanctus* Andreas *Apostolus*: Ne timeatis, sed confitemini & pœnitentiam agite a malis operibus vestris, quoniam infra quinque dies super inimicos vestros iterum triumphabitis. Tunc omnes vnanimiter glorificauerunt Deum, qui dignabatur consolari dolores ipsorum. Statim vero cucurrerunt ad ecclesiam beati *Petri* cupientes locum videre, vbi debebat lancea inueniri. Foderunt autem ibi tredecim homines, a mane vsque ad vesperam, sicque eam Domino disponente repererunt, fuitque magna lætitia in omni populo, magnisque vocibus resultabant: *Te Deum laudamus. Gloria in excelsis Deo.* Tunc omnes insimul iurauerunt, vt nullus eorum propter vllam tribulationem seu mortem fugeret, nec ab incepto itinere sancti sepulchri discederet. Omnis itaque plebeia multitudo gauisa est, cum sacramentum hoc iurarent maiores: & alter alterum ad virile robur hortabatur, & de diuino adiutorio, quod fiducialiter vnusquisque præstolabatur, applaudebat.

(*a*) Titulus hominis ignoti. *Ausonius* ad lectorem;

Adscripsi, vt nosses, bone vir, quicunque fuissem.

Pluribus alibi.

De *lancea dominica* legendi & componendi sunt auctores ceteri. Res nostro animo, perpensis circumstantiis, omnino fabulosa videtur.

CAPVT III

Ignis de cælo in Turcos corruit. Quod illi mali ominis loco habent; nec tamen Christianos lacessere desinunt.

NOcte igitur insecuta ignis de cælo veniens ab Occidente apparuit, & inter Turcorum exercitum corruit: quod signum corda omnium vehementer obstupefecit, & maxime Turcorum in quorum tentoria cecidit. Inter se enim faticinari (*a*) cœperunt, quod postea contigit; quia ignis de cælo descendens ira Dei erat; quia vero ab Occidente venerat, Francorum agmina designabat, per quos iræ suæ animaduersionem exercebat. Iam vero qui seniores erant, cœperunt a ferocitate sua quantulumcunque mansuescere, & ab ea, quam prius habuerant, animositate torpescere. Sed quia stultorum infinitus erat numerus, nostrosque ad prœlium concitabant (*b*), nec die nec nocte requiescebant, placuit senioribus (*c*) murum inter se & illos construere, vt vel sic liceret ad modicum respirare. Vna die enim tam acriter in nostros corruerunt, vt tres in vna turre, quæ erat ante castellum, incluserint: ex quibus duo vulnerati de turre exire compulsi & capite plexi sunt: vnus vero vsque ad vesperam fortiter resistens permansit, duosque ex illis occidit, & sic deinceps gladio vitam finiuit. Quibus dum viuerent, cum *Boamundus* vellet succurrere, vix aliquem potuit extrahere (*d*), quia illos non tantum hostis vrgebat, quantum valida fames opprimebat. Vnde iratus ignem poni præcepit in domibus, quæ erant ab illa parte, vbi & palatium *Cassiani* erat, vt qui exire sponte nolebant,

saltem

ſaltem exire compellerentur inuiti. Tunc cum igne tanta venti tempeſtas exorta eſt, quod tantum flamma inualuit, quod vſque ad duo millia domorum & eccleſiarum combuſſerit. *Boamundus* vt vidit flammam ignis ita inſurgere, pœnitentia ductus vehementer doluit: quoniam de eccleſia beati *Petri*, ſanctæque Dei genitricis *Mariæ*, multiſque aliis pertimuit. Durauitque incendium ab hora diei tertia vſque in noctem mediam; & ſic flante vento a parte dextera, in ſe ipſam reuerſa eſt flamma.

(*a*) i.e. coniectura rem perpendere.
(*b*) Continuis ſuis incurſionibus.
(*c*) Chriſtianorum.
(*d*) Ab eodem vento exſtincta, a quo fuerat concitata. Etiam naturam ignis tangendo, admodum bene locutus eſt.

CAPVT IV

Chriſtiani Principes legatos mittunt ad Corbanan, *qui eum ad pugnam prouocent. Quod & illi oratione ſatis ſuperba faciunt.*

LAncea, vt ſupra diximus, nutu Dei inuenta, ſeniores & magiſtratus militiæ conſilium acceperunt, vt ad *Corbanan* legationem ſuam mitterent, eique mandata ſuumque conſilium per interpretem ſui ſermonis deferrent. Cumque de multis fieret inquiſitio, nec aliquis præſumeret hæc ferre mandata, tandem duo inuenti ſunt, *Heluinus* & *Petrus* Eremita. Hi cum interprete iter ſuum ad Turcorum caſtra direxerunt, dein ad *Corbanan* tentoria peruenerunt. Conuenerunt vndique Turci, audire geſtientes, quid dicerent Chriſtianorum nuntii. Erat autem *Corbanan* reſidens in ſolio, indutus cultu regio, habituque pompoſo; ante cuius faciem venientes minime ſe inclinauerunt, ſed erecta ceruice aſtiterunt. Quod cum Turcæ viderent, ægre tulerunt; & niſi nuntii eſſent, ſuperbæ continentiæ (*a*) ignominiam vindicaſſent. Tunc nuntii nil cunctantes, licet omnes ira commoti circunfremerent, ſuperbo Principi dixerunt: Corbanan, *Francorum Proceres tibi mandant; Vnde tibi contigit tam temulenta audacia* (*b*), *quod armata manu contra eos veniſti, cum tu & Rex tuus, genſque tua in eorum conſpectu culpabiles ſitis, qui terras Chriſtianorum immoderata cupiditate inuaſiſtis, eoſque omnes* (*c*) *iniuria affectos occidiſtis. Infernales dii tui te turpius non potuerunt dehoneſtare, quam quod te miſerunt contra eos pugnare. Si ratio iuris tecum eſſet, & cenſura æquitatis nobiſcum agere velles, nos tecum iuris honore ſeruato ratiocinaremur* (*d*), *& quod Chriſtianorum eſſe debet* (*e*), *incontradicibili ſermone oſtenderemus. Quod ſi apud te æqui ponderis ſunt ius & ratio, vt voluptuoſa voluntas* (*f*), *fiat inter tuos & noſtros determinata pugna* (*g*), *& victoribus abſque aliorum ſanguinis diſpendio tota hæc concedatur patria. Quod ſi nec ita, nec ſic, complacet, aut fugam protinus inite, aut colla veſtra noſtrorum enſibus præparate.* *

(*a*) Gallica locutio. *Orgueilleuſe contenance. Continentia* habitum, ſtatum, geſtum denotat.

(*b*) Temeraria, velut ebriâ, ita inconſulta. Sic *temulenta multitudo* infra lib. 8 cap. 1.

(*c*) Melius membranæ; *incolaſque omnes.*

(*d*) i.e. argumentis contenderemus, diſputaremus.

(*e*) Scribendum, *eſſe debeant.* De terris enim loquitur.

* In margine;
Francigenæ gentes, natura Marte furentes,
Hæc mandant Parthis, vt ſint ad bella parati.

(*f*) Voluntas omnia ex lubitu, citra rationem, agendi.

(*g*) Certis terminis circumſcripta, h. e. pari pugnantium numero definita. Hanc enim ſententiam eſſe, indicant alii ſcriptores. Vt *Albertus Aquenſis* lib. 4 cap. 45; qui viginti tirones nominat.

CAPVT V

Corbanan *legatis non minus superbe respondet. Quorum alter illum vicissim grauiter increpat.* Corbanan *vero Christianis dira quæque minitatur.*

HIs dictis sermonis mediator (*a*) conticuit. *Corbanan* vero ira magna inflammatus, vix loqui potuit: & tandem in hæc verba prorupit dicens. * *Vere gens Francorum gens superba, sed nostro gladio refrenabitur eorum superbia. Ideo autem requirunt denominatum prælium, vt quibus cedit victoria, cedat & imperium: quoniam sine aliorum sanguinis dispendio, aut patria volunt ditari, aut a manibus nostris liberari. Sed tunc salubre consilium non inuenerunt, cum pro effeminata gente arma sumpserunt. Tamen adhuc ite, illisque renuntiate: quoniam si volunt Deum suum abnegare, suæque Christianitati renuntiare, in gratiam omnes recipiemus, & terram hanc eis donabimus, & multo meliorem: & de omnibus equites faciemus* (*b*). *Quod si facere neglexerint, omnes* in proximo morientur, *aut vinculati in terram nostram captiuabuntur.* Post hæc *Heluinus* (*c*), ** qui illorum nouerat linguam, subiecit & ait: *O princeps nullius militiæ, sed totius malitiæ, si scires, quam dementissimum est apud Christianos dicere, nega Dominum, nunquam de tuo ore polluto egrederetur tale verbum. Scimus pro certo, ipso Deo, quem negare suades, reuelante, quia in proximo est nostra salus, & vester interitus, nostrum gaudium, & vestrum detrimentum* (*d*). *Quis vero sero vobis transmisit ignem, qui vos ita perterruit, & de loco, in quo tentoria fixeratis, ita perturbauit? Signum hoc in portentum veniet vobis, nobis in salutem; quoniam ipsius Dei nostri certam inde habemus legationem. Corbanan* diu ferre non potuit conuitia *Heluini*, & præcepit a conspectu suo illum amoueri. Dixeruntque ei, qui illic astabant, vt cito recederet, alias nunquam ei legatio proficeret, quin statim interiret. Ille cum sociis ita discessit, & ad vrbem remeauit. Nec prætereundum, quid istis recedentibus *Corbanan* suis dixerit. *Audistis nunc, quid pannosi illi, vultuque despicabiles, & nullius personæ homunculi* (*e*), *& quam constanter locuti sint: nec iram nostram & tela micantia expauerunt. Vnum de illis est, quia desperati sunt & volunt mori, & malunt mori, quam captiuari. Propterea, o fortissimi milites, cum ad prælium venerint, vndique eos circumuallate, ne alicui sit locus diuertendi, nec spatium diu viuendi: quoniam si eis aliquandiu licet viuere, antequam omnes interficiantur, magnas strages de nostris facient.* In hoc apparet quod *Corbanan* stultus erat, qui sic loquendo suorum mentibus terrorem incutiebat. Nec mirandum, si insipiens loquitur amentiam, quia spiritus sapientiæ non intrat in maleuolam animam.

(*a*) *Heluinum* dicit, per quem Turcicæ linguæ peritum, loquutum intelligas *Petrum* Eremitam. Vide Auctorem primum.

* In margine;

Corbanan *fatur, & nostris conuiciatur.*

(*b*) Omnes equestri dignitate decorabimus. Est locutio, germanissimum referens. Res est apud auctorem primum cap. 28.

(*c*) Ita vocant hunc hominem membranæ etiam, & Auctor primus cap. 28. *Herlevvinum* editio *Io. Pistorii.*

** In margine;

Seruus & iste Dei conuiciatur ei.

(*d*) Pariter loquimur in filuis, vbi Callistone defuncto se præcipitans Melibæa parentes suos extremum alloquitur;

—— Mihi adest mea proxima finis,
Proxima nostra quies, tuus est dolor. Hora petitum
Solamen nobis dabit vltima, sed tibi planctus.

(*e*) Nullius respectus, nec dignitatis. Pulcra locutio. Sic vir sapiens & *personatus* tali opponitur, cap. 14.

CAPVT

CAPVT VI

Legatis reuersis, ieiunium indicitur; quo durante Christiani per sacram exomologesin expiati corporis Dominici sacramento reficiuntur. Posthac vero Principes acies instruunt, ordine eas ex vrbe educunt.

PEtrus Eremita & Heluinus ad Principes exercitus reuersi sunt: & quæ *Corbanan* responderat, narrauerunt. Tunc Podiensis Episcopus nutu & assensu omnium triduanum omnibus indixit ieiunium. Vnusquisque puro corde confessus fuit, & qui aliquid ad edendum habuit, non habenti distribuit. Illos tres dies deduxerunt cum omni humilitate & puritate cordis, ecclesias processionando circuientes (*a*), & Domini misericordiam implorantes. Tertia die illucescente, missæ per ecclesias celebratæ sunt: omnesque sancta dominici corporis communione communicati sunt. Communi deinde consilio intra vrbem sex acies constituuntur, & quæ prius, & quæ posterius irent ordinantur. Prima acies fuit *Hugonis* Magni, & Flandrensis Comitis: secunda vero Ducis *Gothefridi*: in tertia vero fuit Comes *Robertus* de Normannia cum suis: quarta fuit Podiensis Episcopi, qui secum portauit lanceam nostri Saluatoris; & cum illo fuit magni pars exercitus Comitis sancti Ægidii, qui ad custodiam ciuitatis remansit. Quinta *Tancredi* fuit: & *Boamundi* sexta, cum quo expeditiores ad bellum pedites fuerunt, & milites, qui equos suos necessitate victi vendiderant. Episcopi, Presbyteri, Clerici, & Monachi, sacris vestibus induti, cum militibus extra portam ciuitatis exierunt, portantes in manibus suis cruces, quibus Dei populum signabant, & magnis vocibus ad cælum manibus extensis clamabant: *Saluum fac populum tuum, Domine, & benedic hereditati tuæ, & rege eos, & extolle eos nunc & in æternum. Esto eis, Domine, turris fortitudinis a facie inimicorum suorum.* Hos & alios psalmos concinebant, illos præcipue, qui tribulationi conueniebant. Similiter illi qui in turribus erant & super murum, idem faciebant, & cantabant. Egressi sunt itaque milites Christi contra satellites antichristi, per portam quæ est ante *Machumariam*.

(*a*) Id est, processiones sollemnes sacras frequentando. Auctor primus cap. 29; *Tandem triduanis expletis ieiuniis, & processionibus celebratis ab vna ecclesia in aliam, de peccatis suis confessi sunt & absoluti.* Eius ipsa pæne verba exprimunt & iste & alii sequentes auctores.

CAPVT VII

Conspectis Corbanan *Christianorum aciebus, Aquitanicum apostatam mendacii redarguit, ac obtruncari iubet; tum vero & ipse res quasdam ordinat. Podiensis contra Episcopus Christianos ad fortitudinem adhortatur.*

COrbanan vero in quodam monticulo stans, exeuntes aspiciebat, & dum exirent, dicebat: *State quieti, milites mei, & omnibus exire permittite, vt eos melius valeamus comprehendere.* Habebat autem iuxta se positum Aquitanicum (*a*) quendam, quem nos Prouincialem dicimus, qui fidei nostræ abrenuntiauerat, & edacitatis gula coactus de ciuitate exierat, & in aduersariorum se castra contulerat. Hic de nostris multa nefanda dixerat, quod fame moriebantur & omnes fugæ præsidia moliebantur, quod equos suos comederant, & victus inopia tabescebant, nihilque restare, nisi quod aut fugerent, aut ditioni *Corbanan* se subderent. Dumque diuisæ acies suis ordinibus de ciuitate exirent, *Corbanan*, cuius esset vnaquæque, requirebat, quæ Aquitanicus ei ordine referebat. Sol vero super auratas loricas & lanceas radios

radios inferens, oculos intuentium reuerberabat, & aduersariis terrorem immittebat, vt diuina Scriptura testatur; *quia terribilis est castrorum acies ordinata.* Vt autem in simul omnes conspexit, intra semetipsum infremuit, circunstantibus dicens: *Magna est gens illa, honesteque armata, non mihi videtur, quod velint fugere, sed instare; quodve velint obsequi, sed persequi.* Conuersus itaque ad apostatam suum, inquit, *furcifer omniumque scelestissime, quæ friuola dixisti nobis super hominibus istis, quod equos suos comederint, & fame cruciati fugam pararint. Per Machomum in caput tuum retorquebitur istud mendacium, capitisque lues supplicium.* Tunc accersitus gladiator tyranni paruit imperio, & euaginato gladio caput illius præcidit; dignamque suæ garrulitatis & apostasiæ mortem subiit. Tunc quippe mandauit Admiraldo suo, qui custodiebat suum thesaurum, vt si ignem accensum in capite sui exercitus videret, fugam protinus arriperet, & omnia quæ sua erant, secum portaret, aliosque fugere compelleret. Sciret enim quia Francorum gentis erat bellum (*b*): sibi vero victoria cesserat in contrarium. Nostri vero milites vt primum in quandam planitiem venerunt, Podiensi Episcopo innuente steterunt, & cum summo silentio sermonem illius audierunt. Erat autem vestitus lorica, & in dextera manu illius in altum erecta Saluatoris lancea, qui os suum in hæc verba aperiens, dixit: *Omnes, qui in Christo baptizati sumus, filii Dei & fratres inuicem sumus. Quos ergo coniunxit vna spiritalis copula, iungat & dilectio vna. Pugnemus igitur vnanimes, vt fratres, pro animabus & corporibus nostris, sicut positi in rebus extremis. Mementote, quantas tribulationes passi estis pro peccatis vestris, sicut nunc vobis innotescere dignatus est in visionibus suis Dominus Deus noster. Nunc vero purgati estis, Deoque per omnia reconciliati. Et quid timeretis? nullum vobis contingere potest omnino infortunium. Qui hic morietur, viuente felicior erit, quia pro temporali vita gaudia adipiscetur æterna. Qui vero remanserit superstes, super inimicorum suorum triumphabit victoria, diuitiisque illorum ditabitur, & nulla angustabitur inopia. Vos scitis, quid perpessi sitis, & quid in præsentiarum ante vos videatis. Orientales diuitias adduxit vobis Dominus vester in faciem vestram, imo in manibus vestris. Confortamini & estote viri cordati, quoniam iam mittet Dominus legiones Sanctorum suorum, qui vlciscentur vos de inimicis vestris. Hodie videbitis illos oculis vestris, & cum venerint, de eorum terribili fragore ne timeatis. Non enim debet insueta vobis esse visio eorum, quoniam vice altera venerunt vobis in auxilium; sed humanus affectus pauescit in aduentu supernorum ciuium. Considerate, quomodo aduersarii vestri extento collo, sicut cerui & dammulæ pauescentes, aduentum vestrum aspiciunt, paratiores ad fugam, quam ad prœlium. Et vos bene nostis eorum prœlia, quoniam tracta sagitta plus in fuga quam in pugna confidunt* (*c*). *Ite igitur contra eos in nomine Domini nostri Iesu Christi ad bellum, & Dominus Deus noster omnipotens sit vobiscum.*

(*a*) Mirum, vnde hausta sit hæc historia. Nec enim apud primum auctorem eius vestigium extat. Puto fictam in inuidiam odiumque Comitis *Raimundi*, cuius populares etiam alibi in his historiis leuitatis notantur.

(*b*) i. e. Victoria; ex locutione affectata Scripturæ. Sed commodius legas, *quia Francorum gentis erat victoria, sibi vero bellum cesserat in contrarium. Ioan. Pistorius* totum hoc alterum commation omisit. Ego *Robertum* scripsisse puto, sicut hic nos adscripsimus.

(*c*) Hoc est, sagittis emissis, nec illico fugientibus hostibus, fugiunt Turci. Elegans locutio. Pessime vero *Ioan. Pistorius*, qui edidit inscitissima mutatione: *Et vos bene nostis ipsorum prœlia, quoniam castra eorum plus in fuga, quam in pugna confidunt.* Male sit malignis his correctoribus. Non dubito, plura talia in eius editione commissa esse, quæ omnia equidem persequi non vacat. *Trahere* peculiare sagittantis verbum. Ita *tirer* hodie Gallis. Intelligit id, quod infra lib. 8 cap. 3 pronuntiat; *postquam gladiis agitur pugna, inutilis est arcus & sagitta. Tractis sagittis* fugere volunt Turci, infra lib. 8 cap. 11. *Trahere*, sagittas emittere, lib. 9 cap. 10.

CAPVT

CAPVT VIII

Descensum vtrinque in aciem, signisque collatis pugnatum.

CVmque omnes respondissent, *Amen*; extensis in longum legionibus, prior erecto vexillo (*a*) antecedit Hugo Magnus, qui iure vocatus est *Magnus*, * quoniam hoc priuilegium commendauit actu & moribus. Hunc subsecuti sunt alii, sicut superius sunt nominati, fuitque eorum prolixa extensio, a flumine vsque ad montana scilicet, cui spatio intersunt duo miliaria. Tunc vero *Corbanan* cœpit retroire & montanis appropinquare. Nostri autem paulatim illum insequebantur, quoniam moderato gressu omnes gradiebantur. Tunc Turci in duo sunt diuisi, quia pars vna a regione maris processit; pars altera maior in campo remansit. Statuerunt igitur nostros sic inter se includere, & a dorso sagittare. Sed ordinata est septima acies, quæ contra partem diuisam (*b*) confligeret: ordinata est autem ex militibus Ducis *Gothefridi* & Normanni Comitis: cui præfuit quidam Dux, nomine *Rainaldus*. Hunc contra illos miserunt, & prœliati sunt, multique hinc & inde ceciderunt, & vt aliæ sex acies ad iactum sagittæ peruenerunt, Turci vicinius ire recusantes, tensis arcubus trahunt, sed frustra; quia ventus ex obliquo flans eorum iactus redegit in vanum. Quod Turci vt viderunt, versis frenis retro fugiunt, sicque prima acies quæsiuit in bello bellum (*c*), nec inuenit: quæsiuit, quem percuteret, aut a quo percuteretur, nec reperit. Interea missus est nuntius a *Boamundo Hugoni* Magno, vt ei ferret auxilium, quia nimium vrgebatur oppressione Turcorum. Mox *Hugo* conuersus, ait suis: *O viri bellatores,* ** *nos pugna fugit, quæramus pugnam, eamusque ad* Boamundum *egregium ducem: illic est pugna quam quæritis; illic ferreus* (*d*), *instat hostis, quem desideratis.* Tunc citius dicto (*e*) volat illuc quisque satelles, iunguntur que simul egregii Comites. Quod vt vidit Dux ducum (*f*) *Gothefridus*, quod magnus amicus suus ita celeri cursu cum omnibus suis discurrebat, insecutus est eum, quoniam & ipse a bello vacabat. Illic quippe incumbebat robur militiæ Persarum, & maior fortitudo; & bene decebat, vt illic occurrerent (*g*) *Gothefridus* & *Hugo*. Erat enim vnus ab altero, quasi alter idem, vnam habentes in se amicitiam (*h*). *Hugo* Magnus cum ad pugnæ conflictum prior vertisset, intuitus est vnum de aduersariis, qui erat audacior ceteris, aliosque ad pugnam clamando hortabatur: qui spumantem equum dirigit contra eum, & lancea ei guttur perforauit, & sic os illius oppilauit. Quid miser faceret? solo statim corruit, & diis infernalibus animam commendauit (*i*). Post hæc contigit nostris grande incommodum: quia *Odo* *Belgentiacus, qui vexillum ferebat, sagitta toxicata vulneratus fuit, & dolore vulneris ingrauescente, cum vexillo terræ corruit: sed Blemensis *Guilelmus* (*k*) ense nudato viam per medios hostes aperuit, & signum tellure leuauit. Quid Dux ducum *Gothefridus*, quid *Boamundus*, quid clara iuuentus ibi egerint, nec lingua dicere, nec manus scribere, nec pagina valet capere. Nullus nostrum ibi iners fuit, nullus timidus, quia nec locum habebat; & hostis supereminens (*l*) vnum quemque vrgebat. Quanto magis enim occidebantur, tanto magis crescere videbantur. Sicut enim putredini muscæ confluere solent; sic & ipsi vndique conueniebant.

* *Bergentiacus* (Reuber.)

* In margine;
Sermo finitur. Sed & agmina constituuntur.

(*a*) Gerendi nimirum vexilli vniuersalis. Ita *vexillarius Francorum* vocatus est supra lib.6 cap. Potest & nomen *Magni* alludere.

(*b*) Hoc est, ab aliis separatam. Vt in *Virgilio*,
—toto diuisos orbe Britannos,
i.e. a continenti separatos.

(*c*) Acute. Voluit confligere cum hoste, sed illo retrocedente non potuit. Ouidius; *inque epulis epulas quæris.* Plura ad *Papinium* & alibi.

** In margine;
Currit in auxilium Boamundo *belliger* Hugo,
Quem sequitur iuuenis Godefridus, *clarus in armis.*

(*d*) *Ferreus hostis* contumax, cadere nescius. *Ferreus Hercules* apud *Lucianum* pro imaginibus: ἀλλ' [illegible] γλαῦκα;

γλώσσαν; οὐδὲ πολυδαίδαλος ζίαν φῶτας ἀναλκίδας ἂν δηΐῳ ἐνὶ ... τὰς χεῖρας, οὐδὲ ... ἀλκμαίνας τίνας. *Ferrea femina*, *ferreus exercitus*, alibi sunt notata.

(e) Ἄμα ἔπος, ἅμα ἔργον. V. Commentar. ad *Claudianum*.

(f) Vt *Rex Regum* Agamemnon. De quo alibi ad *Velleium Paterculum*. In versibus margini adscriptis inepte vocat *iuuenem*, nec puto sanam esse scripturam. Fuit enim his rebus incidentibus pæne quinquagenarius *Gothefredus*. Sic *Ducem Ducum & militem militum* vocat lib. 8 cap. 10, item lib. 9 cap. 3

(g) Hæc scriptura est membranarum. Scribendum tamen, *ut illic curarent Gothofridus & Hugo*.

(h) Contaminata & hæc verba. Scribe, *erat enim vnus ad alterum, quasi alter idem, vnam habentes in se amici animam*. Plurimi scriptores sic de vera amicitia loquuntur. Vid. Commentar. ad *Papinium* lib. 10 v. 722.

(i) i. e. *tradidit*. Vide *Albertum Aquensem*.

(k) In *Pistorii* codicibus *Guilerinus Bomiensis* nuncupatur hic Heros. Ei, nobis volentibus, hac in parte assentiuntur membranæ. *Gulielmum Blemensem*, alias *Benensem*, agnoscit in catalogo *Bongarsius*.

(l) Scribe, *superimminens*.

CAPVT IX

Sancti e cælis Christianis auxilio veniunt. Vnde hi insignem plane ab hoste victoriam reportant.

DVm sic certatur, & tam longi certaminis prolixitas poterat tædiare (a), nec numerus hostium videbatur decrescere, albatorum militum numerabilis exercitus (b) visus est de montibus descendere, quorum signiferi & duces esse dicuntur *Georgius*, *Mauricius*, *Demetrius*: quos vt primum vidit Podiensis Episcopus, exclamauit voce magna dicens: ***O milites! ecce venit auxilium, quod vobis promisit Deus.*** Et certe nostri valde expauissent, nisi fuisset spes quam in Domino habebant. Tunc tremor maximus irruit in hostes, & versis vultibus scutis terga cooperiunt, & fugam, quo vnicuique locus dabat, arripiunt. Pars illa, quæ a parte pugnabat maris, vt vidit fugam suorum, ignem sparsit super gramen campi, quod celeriter arsit, quia illud siccauerat ardor æstatis. Hæc ideo fecerunt, vt hoc signo illi, qui in tentoriis erant, statim fugerent, & secum ditiora spolia tollerent. Illi vero cognito signo, qui in montanis erant, protinus fugerunt, cum omnibus spoliis, quæ portare valuerunt. Sed quid eis profuit, cum diu eis ferre non licuerit? Armenii & Surani siquidem vbi viderunt, quia victi erant, & nostri eos insequerentur, obuiam illis veniebant & occidebant. *Hugo* vero Magnus & Dux *Gothefridus* & Flandrensis Comes, simul cum suis agminibus equitabant iuxta aquam, vbi robustior & densior eorum erat exercitus: tantoque impetu vrgere cœperunt, vt ad sua tentoria, quo tendebant, remeare non potuerint. Et vt citius persequi valerent, illorum equos, qui moriebantur, ascendebant, suosque equos, qui erant macilentiores & afflicti fame, frenis a capite detractis relinquebant in campo. O miranda virtus Dei omnipotentis, & immensa potestas: Miles tuus, longo afflictus ieiunio, persequitur tumentes adipe & pinguedine, ita vt etiam nec sua bona, quæ reliquerant, auderent respicere (c). Spiritus tuus bonus erat in mentibus eorum, qui & vires suggerebat corporum, & audaciam præstabat animorum. Non illum retardat vlla cupiditas spoliorum, nulla vllius rei auaritia, quoniam illius mentes magis titillabat victoria. Sicut in macello bestiarum corpora solitum est dilaniare: sic & nostris licitum erat Turcorum corpora laniare. Euolat sanguis de corporibus vulneratorum; euolat puluis agitatus equorum pedibus discurrentium; Æther obnubilatur, & quasi crepusculum fieret, obtenebratur. Contigit autem, quod fugientes in quendam collem deuenerunt, & ibi se contra nostros recolligere sperauerunt. Tunc *Gerhardus* senex de Meleone, qui longo tempore ægrotus iacuerat in obsidione, equo celeri transuectus, improuide incidit in illos, eorumque iaculis est confossus, & sic digna morte peremptus (d). Quod vt viderunt, qui eum vicinius insequebantur, *Ewardus* scilicet de Puteolo, *Paganus* Beluacensis, *Drogo*, & *Thomas*, & *Clarenbaldus*, ceteraque iuuentus *Hugonis* Magni, nil hæsitantes in illos irruunt, & quidem forte bellum inuenerunt; sed tamen, Deo iuuante, crescente caterua suorum, viriliter dissipauerunt.

Ibi

Ibi multum cruoris effusum est, multorum truncata capita, qui si, vt cœperant, fugissent, euadere potuissent. Persecuti sunt autem illos vsque ad pontem ferreum, & ad castellum *Tancredi*, & vltra non potuerunt persequi, quia nox obscura finem rei imposuit.

(*a*) Id est, languorem inducere. Non mutanda scriptura. Pessime edidit *Ioan. Pisterius*; *& tam longi certaminis prolixitas fatigabat nostros*. Hoc est egregie corrigendis auctoribus præesse, scilicet. *Tertullianus* aduersus Iudæos cap. 11; *Dabit tibi Deus cor tædians, & tabescentem animum, & oculos deficientes*. Locus Scripturæ est in cap. 28 Deuteronomii, *vbi* cor pauidum *habet vulgata versio*.

(*b*) Conspicuus, numerari de longo valens. Multa de vsu huius vocis non vulgari in secunda *Claudiani* recensione ad 4 Consf. Honorii. Complentur autem hic, quæ prædixit cap. 7 *Ademarus*, Episcopus Podiensis. Licet & prophetiam & eius expletionem figmentis adscribere, forte sit satius.

* In margine;

Nomina sanctorum de cælo significatorum.

(*c*) Melior ordo verborum in membrana; *Ita vt etiam ad sua bona, quæ reliquerant, nec respicere auderent*.

(*d*) Militari scilicet, vt miles, quem ægrotum super strato exspirare, indignum erat gloriosa ipsius senectute.

CAPVT X

Podiensis Episcopus victores, vt Deo agant gratias, admonet. Illi cum opimis spoliis in vrbem reuertuntur.

MOrtui sunt autem illo die centum millia equitum (*a*), sed propter fastidium nullus numeratus est de tota multitudine peditum. Miles fatigatus, quia longe ab vrbe erat, ad tentoria, quæ suorum erant inimicorum, rediit, multumque quod ad edendum sibi sufficiebat, inuenit. Ante enim quam timor Dei venisset in corda illorum, in sartaginibus & cacabis & lebetibus & in ollis parauerant carnes ad obsonium: sed miseris, quæ parauerant, non licuit coquere nec tollere. Ibi potuit videri venerandus sacerdos Podiensis Episcopus, lorica vestitus & casside, & lancea sancta in manibus, qui præ nimio gaudio rorabat vberrimis ora fletibus. Hic illos hortabatur, vt Deo gratias agerent, per quem victores extiterant, dicebatque eis: *Ex quo milites esse cœperunt, nulli vobis compares fuerunt, quia nulli* (*b*) *in tam breui tempore tot tantaque bella bellati sunt, quanta & vos peregistis, ex quo mare Constantinopolitanum transistis. Multum quippe est a fide Christiana alienus, qui videt, quæ vos hodie vidistis, & in Dei dilectione non est continuus.* Hæc & his similia venerandus Pontifex dicebat, & verbis talibus populum sibi commissum instruebat, & iocos & risus eorum temperabat. Contemplatio enim vultus illius præsentiæ ita omnes reuerberabat (*c*), quod nemo eo præsente verba vana proferre præsumebat. Peracta nocte illa, in crastinum quindecim millia camelorum sunt inuenta; *equos vero & mulos, & asinos, oues, & boues, & omnis generis pecora quis dinumeraret? Inuenta sunt vasa aurea, & argentea multa, plurima pallia, & spolia magna, magni pretii diuersæque varietatis. Cum his omnibus ad ciuitatem triumphantes venerunt: & ab his, qui remanserant, Clericis & Presbyteris & Monachis, cum solenni processione suscepti sunt.

(*a*) Manuscripta membrana; *ferme centum millia*.

(*b*) Scribendum cum eodem veteri libro; *nullibi*.

(*c*) Notandus omnino locus, & addendus reliquis summi suo sæculo Antistitis commendationibus. Similia de grauibus viris, ad populum verba facientibus, apud *Virgilium*, aliosque.

CAPVT XI

Præfectus castelli se dedit, multis Saracenorum ad Christianorum sacra transeuntibus.

ADmiraldus vero, qui in castello erat, vt vidit Principem suum & eos, qui cum illo erant, a campo fuga diuerti, viditque innumera albatorum equitum millia, cum candidis vexillis per plana discurrentia, admodum expauit, vnumque de vexillis nostris (*a*) ob tutelam dari sibi poposcit. Comes sancti Ægidii, qui illic ad custodiam ciuitatis remanserat, suum illi vexillum porrexit, & gratanter accepit, acceptumque muro castelli affixit. Sed vt cognouit a quibusdam Langobardis, qui astabant ibi, quod *Boamundi* non esset, cui tota ciuitas concessa erat, signum suum reddidit Comiti, & signum quæsiuit *Boamundi*, & *Boamundus* misit ei. Quod cum reciperet, *Boamundo* mandauit, vt ad se veniret. Ille vicino pede legationi ambulauit (*b*), & quid dicere vellet, auscultauit. Gentilis fidei pactum requirit; vt qui cum eo erant, & discedere vellent, nullius iniuriæ læsionem paterentur, & vsque in terram Saracenorum conducerentur: qui vero secum Christianus fieri vellet, faciendi licentiam haberet. *Boamundus* immenso gaudio repletus dixit: *Amice, quod exposcis libenter concedimus tibi, sed præstolare modicum, quia istud Principibus nostris renuntiabo, & celeriter reuertar ad te.* Et mox festinanter cucurrit, & aggregatis in vnum Principibus verba gentilis enarrauit. Placuit omnibus omnipotenti Deo gratias agentibus. *Boamundus* ad iam domesticum regreditur gentilem, & requisitæ ab eo conuentionis confirmat sponsionem. Ille vero reddidit se Episcopo Podiensi, & sanctæ Christianitati, cum trecentis suis militibus valde speciosis & iuuenibus, fuitque inter Christianos tunc maius gaudium de eorum Christianitate, quam de castelli traditione. *Boamundus* castellum recepit, & eos, qui Christiani fieri noluerunt, in terram Saracenorum conduxit. Triduano peracto ieiunio, baptizati sunt gentiles cum lætitia magna, & creuit ibi laus Dei & gloria Christiana. Ipsi referre postea soliti erant, quod (*c*) cum de castelli arce bellum aspicerent, innumera subito candidorum militum millia se vidisse, quorum intuitus ipsos vehementer terruit. Nec mirum fuit; quia omne castellum funditus intremuit. Cumque viderent eos agminibus Christianorum consociari, suosque in excidium fugamque verti, protinus intellexerunt cælestia numina esse, Christianorumque Deum superari non posse. Inde compuncta fuerunt corda illorum, seque Christianos fieri spoponderunt. Actum est siquidem bellum hoc quarto Kalendas Iulii, vigilia scilicet Apostolorum *Petri* & *Pauli*. Sicque diuina respiciente misericordia procella Antiochenæ tribulationis, quæ fere per decem menses intumuerat, sedata fuit, & regia ciuitas, quæ longo tractu temporum iugo diabolicæ captiuitatis subiecta fuerat, amissam pristinæ libertatis gratiam recuperauit. Hostes qui eam incaptiuauerant (*d*), fiunt & ipsi captiui, & in latebris siluarum, cauernisque petrarum, & fossis montium sunt dispersi. Armenii quoque & Surani habitatores terræ illius, per dies plurimos scrutati sunt illos, & inueniebant alios semineces, alios vulneratos, alios parte capitis carentes, alios ventri suo, ne omnino vitalia exirent, manus suas apponentes, & detractis eorum spoliis interficiebant. Itaque inimici Dei depopulati sunt, & Christiani serui Dei excelsi in gloriosa vrbe cum gaudio & lætitia aggregati sunt.

(*a*) Signum deditionis & tutelæ. Vide notata ad *Albertum Aquensem* pariter his diebus recensitum, & infra lib. 8 cap. 10.

(*b*) Affectata locutio, indicans, *Boamundum* legationem Admiraldi vestigio secutum esse. Corrupit pro lubitu *Ioan. Pistorius*, & reposuit; *ille festino pede ambulauit.* Inconsulta audacia.

(*c*) Dele vocem, *quod*.

(*d*) Ita & membranæ. Quare male iterum *Pistorius* correxit; *qui eam in captiuitate tenuerant.* Quatuordecim annos Turcos Antiochiam tenuisse, ad *Albertum Aquensem* notatum memini.

CAPVT

CAPVT XII

Christiani Imperatori Constantinopolitano Antiochiam offerunt. Hugo Magnus, *quem ad ipsum misere, moritur.* Alexius *perfidiæ sibi conscius est. Principes de itinere prosequendo deliberant; opportunius tempus exspectandum statuunt.*

CVmque quadam die conuenirent, consiliauerunt (*a*), vt ad Constantinopolitanum Imperatorem legatos mitterent, suamque ciuitatem vt recipere veniret, denuntiauerunt. Et, proh dolor; iudicauerunt omnes, vt quia Regi mittebant, regalis nuntius debebat ire: & electus est *Hugo* Magnus, vere regalis & genere & moribus. Quem nullatenus elegissent, si non reuersurum scissent. Hic cum Regi legationem suam complesset, morte interceptus occubuit, & quo regredi disposuerat, ad extremum non potuit. Constantinopolitanus autem Imperator vulpinus (*b*), pro receptu tantæ vrbis ausus non fuit venire, quoniam recognoscebat, se fidem & sacramenti iura & data pignora Francis violasse & nequaquam custodisse. Sicque omnes conuentiones deletæ fuerunt, quæ inter eos factæ sunt. Interea in vrbe residentes, tractare cœperunt de via dominici sepulchri: quid agerent, an mox inciperent, aut quando tempus terminarent (*c*). Ad hoc siquidem communis assensus adducitur, vt vsque ad Kalendas Octobris reinceptum viæ protelatur. Æstatis siquidem ardor nimis incanduerat, & terra Saracenorum, quam ingressuri erant, inaquosa & nimis erat arida. Propterea tempus expectauerunt, quod humidum sit, & quo tellus absconditos latices erumpit (*d*). Definiendum simili modo erat, quid tantus populus interim ageret: & vbi & quomodo viueret. Accepto inde consilio, præco quæritur, qui dicat, quid inde definitur. Præco quæsitus & inuentus, ascendit & præconatus est; vt qui omnino egens erat, in vrbe remaneret, cumque illis, qui ditiores erant conuentionem faceret ac seruiret. Principes autem diuisi sunt per castella sua & ciuitates.

(*a*) Pessime & hanc suam locutionem *Roberto Pistorius* abstulit, reponendo, *consilio statuerunt. Baldricus* lib. 4 cap. 10; *Consiliati sunt Principes, quomodo euntes & redeuntes tutos facerent, qui e nauibus necessaria deueherent? Eucherius* homil. S. Stephani; *Neque enim aliter Iudæi Christum Dominum occiderunt, nisi* consiliando, *accusando, damnando.* Et ante; *inter templum & altare Christi mortem inter se* consiliati sunt.

(*b*) Vid. *Aduersariorum* lib. 138 cap. 7.

(*c*) Id est, *determinarent.*

(*d*) Ita verbo hoc, aliisque paribus vtitur *Auienus* in *Periegesi.*

CAPVT XIII

Christiani in terras Saracenorum excurrunt. Episcopus Podiensis moritur, & Antiochiæ sepelitur.

ERat autem quidam miles de exercitu Comitis sancti Ægidii, nomine *Raimundus*, cognomine *Piletus*, animo virilis, & corpore spectabilis. Hic perfecto odio Turcis inimicabatur (*a*), nec diutius tolerare potuit, vt longo tempore feriarentur. Hic plurimam alligauit (*b*) sibi militum peditumque multitudinem, & in terram Saracenorum transduxit eam, transiitque duarum ciuitatum terminos: & peruenerunt ad quoddam castrum, quod *Talamania* * vocatur, cui gens Suriana principabatur. Suriani nostros receperunt, seque eorum libentissime dominio tradiderunt. Octo ibi diebus transactis, perrexerunt ad aliud castrum, in quo latitabat multitudo magna Saracenorum. Ad quod peruenientes, militari impetu inuaserunt, & in remissa manu tota die pugnantes, vesperascente die expugnauerunt. Quo ita capto omnes occiderunt, præter eos, qui Christianitatem receperunt. Hac itaque depopulatione facta, reuersi sunt ad castrum, quod *Talamania* * diximus nuncupatum. In quo duobus perendinatis (*c*) diebus, die tertia omnes exierunt, & ad vrbem, quæ

* *Talaminia.*

* *Talaminia.*

quæ *Marra* dicitur, perrexerunt. Erat autem ibi aggregata non minima multitudo Turcorum & Saracenorum, ab *Aleph*, aliisque ciuitatibus & castellis, quæ in circuitu eius sunt, illorum præstolantes occursum. Ad quam cum appropinquare cœperunt, illi barbari contra eos exierunt: sed conflictum diu cum nostris tenere noluerunt: quia (*d*) in fugam versi intra vrbem se receperunt. Nostri vero diu ibi residere non potuerunt; quia æstiuum cauma (*e*) eos vehementer vrgebat, nihilque inueniri poterat ad bibendum. Iamque diei inclinante vmbra, reuersi sunt ad castrum suum *Talamania*. Plurimi quidem Christiani, patriæ (*f*) illius incolæ, cum nostris ierant; sed cum nostris redire contempserunt; quos Turci in insidiis occultati ceperunt & occiderunt. Stultitia siquidem sua perierunt: quia si cum nostris reuerterentur, nemo tunc moreretur. Sed sicut in communi verbo dicitur: *Nihil timet gens stolida, donec eam opprimit infelix fortuna. Raimundus* vero ad illam vltra non rediit ciuitatem, quia non habebat exercitum, quo obsideret eam: sed in castro suo vsque ad præfinitum tempus Kalendarum Octobrium remansit, semperque interim terram Saracenorum captiuauit (*g*). Illi autem, qui in Antiochia remanserunt, cum magna tranquillitate & gaudio fuerunt, quousque Dominum suum Podiensem Episcopum amiserunt. Hic cum summa pax esset exercitui Dei, mense Iulio cœpit infirmari; sed non diu ægrotauit, quia Dominus non est passus illum longa ægritudine cruciari. Kalendis Augusti sancta eius anima vinculis carnis soluta, translata est in paradisum Dei, in gloriosa festiuitate scilicet sancti *Petri*, quæ dicitur *Ad vincula* (*h*). Et vt censura diuini iudicii (*i*) id actum esse claresceret, in die quo principis Apostolorum vincula a Hierosolymis Romam sunt allata, soluta est a corporeis nexibus Pontificis anima. Nec vnquam pro vlla tribulatione tantus fuit in illa Dei militia mæror, tantaque tristitia, quanta in morte illius. Hunc omnes debito iure lacrymabantur, quia consilium erat diuitum, consolator mærentium, sustentator debilium, thesaurus indigentium, reconciliator discordantium. Hic militibus dicere solitus erat: *Si vultis esse triumphatores & amici Dei, munditiam corporum custodite* (*k*), *& pauperum miseremini. Nulla enim res ita a morte vos liberabit, sicut eleemosyna; quia & melius protegit, quam parma, & acutior est in hostem, quam lancea. Qui non est idoneus pro se orare, det eleemosynam, & orabit pro se* (*l*). Pro his operibus & huiusmodi sermonibus charus erat Deo & omni populo. Si quis autem vellet omnium virtutum eius charismata enumerare, videretur iam ab historia elongare.

* *Talaminia.*

(*a*) *Infensus erat.* Vtitur hac voce & lib. 4 cap. 5. Pessime mutauit *Ioan. Pistorius*, edendo, *inimicus erat.* Vtitur & *Baldricus* lib. 1 cap. 14 § 15, lib. 2 cap. 4, 18, 24, lib. 3 cap. 22 & 27, lib. 4 cap. 16, *Albertus Aquensis* lib. 7 cap. 4, cet.

(*b*) *Deminxit.* Pessime mutat idem *Pistorius.* Sæpius sic loquitur *B. Augustinus.* Et subest gallicismus.

(*c*) *Otiose consumtis, extractis.* Sic infra lib. 8 cap. 6.

(*d*) Scribendum cum vetere libro; *quin in fugam* —

(*e*) Sic vocant feruorem magnum, ostentatione doctrinæ. *Gulielmus Tyrius* lib. 3 cap. 16, lib. 10 cap. 8, lib. 16 cap. 9, lib. 22 cap. 16. Auctor incertus expedit. Asiaticæ Friderici Barbarossæ; *Peregrini laboriose gradientes, nimio* caumate *laborabant. Isidorus* Origin. lib. 19 cap. 25; *Theristrum, pallium muliebre, dictum quod in æstu & caumate corpora mulierum protegat.*

(*f*) i. e. *regionis.*

(*g*) Spoliauit, & captiuis ductis incolis depopulatus est.

(*h*) Podiensis Episcopi de fato lege *Raimundum Agilaeum & Fulcherium Carnotensem.*

(*i*) Singulari ordinatione & constitutione diuina.

(*k*) h. e. abstinete libidinis omni genere.

(*l*) Ipsa scilicet eleemosyna.

CAPVT XIV

Comes S. Aegidii vrbem Albariam *capit; cui Episcopus imponitur.*

HOc itaque decenter in ecclesia beati *Petri* tumulato, Comes sancti Ægidii in terram Saracenorum transiit, vrbemque, quam *Albariam* vocant, adiit. Quam

Quam vndique forti milite circumcingens inuadit, diuque missilibus & sagittis cum his, qui erant in mœnibus, decertauit. Sed vt vidit ita se proficere parum, erectis ad murum scalis, loricati milites ascenderunt, & in fugam hostes ire compulerunt.

Miles vt ascendit murum, fit celsior illis,
Hostis & ille fuit viribus inferior.
Muro descendunt super abdita tecta domorum,
De domibus vero saliunt per plana viarum
Huc illucque senes fugiunt, pueri, iuuenesque.
Sed prorsus nulli profuit vlla fuga.

Præcepit enim Comes, vt omnes caperentur, & qui in Christum credere nollent, decollarentur. Illic visi sunt plurimi capite plecti (a), plurimisque pueris cum puellis subtracta est vita longi temporis. Iudicium enim Domini fuit hoc; quia Christianorum fuerat ciuitas illa, eisque simili mortis ludibrio ablata erat. Nullus ex tanta multitudine reseruatus est, nisi qui sponte Christo confidens baptizatus est. Sicque mundata est ciuitas illa, & ad cultum nostræ fidei reuocata. Tunc Comes cum suis optimatibus habuit consilium, vt in ea ordinaretur Episcopus, cuius consilio & auxilio ciuitas regeretur, & fides Iesu Christi in cordibus nouiter baptizatorum solidaretur. Electus est igitur vir sapiens & personatus (b), literarumque eruditione pollens, & vtraque scientia (c) præditus, & ad ordinandum Antiochiam est missus.

(a) Capite plexi sunt. Vid. *Isaaci Casauboni* commentaria ad Historiam Augustam.

(b) Personæ vir conspicuæ, vt supra cap. 5.

(c) Sæculari & diuina.

EXPLICIT LIBER VII.

INCIPIT LIBER OCTAVVS.

CAPVT I

Christiani ad iter versus sanctum sepulcrum se parant. Boamundus *Antiochiam, de cuius possessione disceptatio exorta erat, certa sub conditione obtinet.*

AEstiuum tempus solis ardore represso cum iam transiret, noxque diem horarum numerositate transcenderet, milites Christi, quaqua versum æstiuarunt (a), ad Antiochiam remearunt, & Kalendis Nouembris, die festo solennitatis omnium Sanctorum ibi conuenerunt. Et benedicta gloria Regis æterni, quia tunc numerosiór fuit turba redeuntium, quam fuerat, cum se ab inuicem diuiserunt. Ex cunctis enim mundi partibus secuti erant multi egregii milites & pedites priorum vestigia, quotidieque crescebat Christiana militia. Cumque in vnum ita residerent, & de via sancti sepulchri, quo dirigerent iter, disponerent, *Boamundus* pactionem vrbis requirit, quam sibi spoponderant. Comes sancti Ægidii dicebat, id non posse fieri propter sacramenta, quæ per *Boamundum* fecerant Imperatori Constantinopolitano. Inde per dies plurimos factus est in ecclesia sancti *Petri* conuentus, magnusque verborum ex vtraque parte conflictus. Cumque in communi conuentu fieri nequiret vlla diffinitio, quæ paci conueniret, Episcopi & Abbates, & consilii sanioris Duces & Comites, locum in quo est cathedra sancti *Petri* intrauerunt, & illic intra se diuiserunt (b), qualiter & *Boamundo* seruarent promissa, & Imperatori facta sacramenta. Cum vero a loco consilii exierunt, consilium tamen omnibus patefacere noluerunt. Itaque domestico affatu (c) reuelatum est consilium Comiti sancti Ægidii, & ipse laudauit dispositum: ita tamen, vt *Boamundus* pergeret cum eis iter cœptum. *Boamundus* requisitus idem laudauit, & vterque in manibus Episcoporum, fidei astipulatione, promisit, quod

quod ab ipsis via sancti sepulchri nunquam desereretur, neque propter dissidium vllum, quod inter se habuerint, conturbaretur. Tunc *Boamundus* muniuit castellum, quod supereminet ciuitati, & Comes palatium *Cassiani*, & turrim, quæ supra portam vrbis est, a parte portus *sancti Simeonis*. Quia vero nos longo narrationis tractu Antiochia detinuit, nostrosque peregrinos milites per octo menses sua obsidione fatigauit, nec vlla vi humana, vel arte, vel ingenio superari potuit, de eius situ & magnitudine aliquid dicamus, eisque qui eam nunquam viderunt, aliquid inde aperiamus.

(*a*) Male omisit hæc verba *Pistorius*.
(*b*) Claris litteris seruant hanc lectionem etiam membranæ. Pistorius; *diffinierunt*. Nos non audemus rigide consensui veteris lectionis contradicere. Agnoscimus autem verbum gallici idiotismi, *deviser*. quod est disceptare, differere, conferre cet. Sic *massacratio* legitur infra cap. 5.

(*c*) Priuato, familiari. Ita lib. 7 cap. 11; *Boamundus ad iam* domesticum *regreditur gentilem*.

CAPVT II

Antiochiæ vrbis descriptio.

VRbem hanc, vt eius historia testatur, sexaginta quinque Reges constituerunt: qui omnes eius principatui famulatum subiectionis exhibuerunt. Circundatur autem muris duobus. Prior est ex magnis lapidibus in quadrum sectis, & subtili artificio politis, & in eo ordinatæ & distinctæ sunt in suis locis quadringentæ turres & sexaginta. Hic se intuentibus venustate suæ compositionis arridet: & spatiosus est latitudine nimis ampla. Continentur intra septa murorum quatuor montes magni & in altum eminentes. In altiore eorum constructum est castellum, quod ita naturali positione munitur, quod nec bellicosum timet impetum, nec cuiuslibet machinationis ingenium. Trecentas & sexaginta ecclesias obtinet in sui confinii territorio, & Patriarcha habet centum & quinquaginta & tres Episcopos sub principatu suo. Ab Oriente quatuor magnis montibus præmunitur. Ab Occidente vero quodam flumine alluitur cuius nomen *Farfar* dicitur. Hanc *Antiochus* Rex cum suis, vt supra diximus, sexaginta quinque Regibus constituit, nomenque ei de suo nomine indidit. Hanc itaque vrbem regiam tamque famosissimam obsederunt nostri peregrini milites, per octo menses & diem vnum; & tribus hebdomadibus intus fuerunt inclusi a gente Parthorum; qua diuino superata subsidio, postea quieuerunt in ea quatuor menses & dies octo.

De *Antiochia* mixta sunt falsa veris. Qualis hodie sit, legere potes apud *Petrum Bellonium* cet.

CAPVT III

Christiani de via cum Marrensibus felici successu congressi, ipsam vrbem Marram obsident, grauiterque oppugnant.

QVibus explicitis, *Raimundus* Comes sancti Ægidii primus cum gente sua de Antiochia exiit, & ad vrbem, quæ *Rugia* dicitur peruenit. Alia die ad alteram venit ciuitatem, quam nominant *Albariam*. Has duas ciuitates compendiosa sua militia suo subiugauerat imperio, Christique mancipauerat seruitio. Quarto die exeunte Nouembre venit ad vrbem, quæ *Marra* nuncupatur; quam *Raimundus Piletus* miles eius primus inuaserat, sed recessit fortiter inde repulsus. Erat autem ciuitas illa populosa, & ab omni gente, quæ in circuitu erat, nimis constipata. Quæ gens aduersa (*a*), vt nostros eminus conspexit, quia ad comparationem sui pauci esse videbantur, despexit, eisque extra ciuitatem (sine aperto Marte) resistere conata est. Sed protinus agnouerunt, quod gens compendiosa & fortis præfertur temulentæ multitudini. Nostri enim, vt viderunt illos ad resistendum paratos, clypeis pecto-

pectoribus oppositis, lancearumque mucronibus præpositis, militari impetu in illos irrumpunt, sicque per medium subeuntes disrumpunt. Ibi confregit Dominus potentias arcuum, scutum, & gladium, & bellum: quia postquam gladiis agitur pugna, inutilis est arcus & sagitta. Qui portæ ciuitatis propinquior fuit, beatiorem se esse existimauit: qui vero longe aberat, toto affectu peroptabat, vt aut portæ vicinior fieret, aut ad se porta veniret (*b*). Tamen non omnes, qui incolumes fuerant egressi, salutari recessu sunt regressi. Illi potissimum ex his malos regressus habuerunt, quos nostri primo impetu inuenerunt. De nostris equis plurimos sagittauerunt, sed de suis sessoribus, ad terram deuolutis, multo plures reliquerunt. Ipsis itaque intra vrbem receptis, nostri ad iactum sagittæ vnius tentoria ponunt. Excubata igitur nocte tota, cum in crastinum diurnæ (*c*) luci solis se iubar immiscuit, nostri armis instructi vrbem vndique vallauerunt, acerrimoque congressu inuaserunt.

Tela, sudes, lapidesque volant, ignesque facesque,
Ex quibus arderent introrsus tecta domorum.

Sed obsistente hostium immensa multitudine, illa die nostri nihil præualuerunt, sed lassi ad tentoria remearunt. Ipsa die *Boamundus* cum gente sua multisque aliis Comitem secutus illuc peruenerunt, & castrametantes vndique vrbem vallauerunt. Quod videntes, qui introrsus erant, nimio terrore percelluntur, omnesque portæ ciuitatis obiectu lapidum ab eis obstruuntur. Acceperunt igitur Comites in inuicem consilium; quoniam ex æquo non fiebat prœlium; præcipiuntur fieri arietes (*d*), ferratæ scilicet trabes, quæ manibus militum funibus appensæ & tractæ in murum impellerentur: & sic crebris earum percussionibus muri destruerentur. Facta est & lignea turris, lapideis turribus satis altior, & machinis omnibus, quæ introrsus erant, eminentior. Habebat autem tria solaria, quæ erant bene scutis & trochleis præmunita. In duobus superioribus erant loricati cum telis & sudibus & sagittis, & lapidibus, pilis, & facibus. Subtus erant nihilominus armati, qui rotas impingebant (*e*), super quas ipsam turrim constituerant. Alii quidem factam testudinem muro applicuerunt, & fossatum, quod erat ingens, adæquarunt, vt turrim muro possent sociare, & ipsius munimine protecti, ipsum murum valerent perforare. Quod ita factum est. Sed miseri ciues contra fecerant quoddam instrumentum, quo grandes lapides aduersum turrim iaciebant, & etiam ignem Græcum, quo eam arderent (*f*), emittebant. Sed Dei gratia protegente, omnis conatus eorum, omnesque machinationes frustratæ sunt, & ad nihilum redactæ. Nam turris lignea, vbi muro proxima fuit, omnes, qui in illa parte muri erant, vt sub se despiciens prostrauit.

(*a*) Hostilis, *bellicosa*, supra lib. 5 cap. 2.

(*b*) Pessime scriptori huic hic etiam consuluit *Pistorius*, totam hanc geminatam periodum omittendo. Vt acuta & seria ea non sit, pro auctoris tamen ingenio commoda est, & hilaritatem scribentis in iocoso sermone posteris commendat. Quæ eximere boni hominis scripto, post tot sæcula, equidem inexcusabilem inscitiam puto.

(*c*) *Diurnam lucem* auroram vocat; & sic diei exortum a solis iubare separant poetæ, vt videmus in primæ diei apud eos descriptionibus. Male & contra libros iterum *Pistorius*, qui *diuina* reposuit; qui eo tamen excusari poterit, quod die dominica vrbem captam infra *Robertus* testatur. Sed ita *auroram* a *die* separat etiam infra lib. 9 cap. 12;

Vtque dies terris aurora praeueniente
Redditur, exsurgunt, & iter captum properarunt.

(*d*) Notabilis est descriptio & velut depictio arietum. Vide *Procopium* Hœschelii.

(*e*) Id est, in circuitum compellebant.

(*f*) Male hunc etiam locum corrumpit *Pistorius*; reponendo, *eam incenderent*. *Ardendi* enim verbo ea vi secundum suum ingenium vsus est *Robertus*. Sic loquitur etiam auctor primus cap. 1, 2, & 10. Pariter & *VVitichindus* Saxo.

CAPVT IV

Guillermus, Wulferius, *aliique strenue rem aduersus ciues in oppugnatione agunt.*

GVuillermus de monte Pislerio, alias Pessulano, ipse fuit cum multis aliis in superiori solario. Erat autem cum eo venator quidam, nomine *Euuardus*, qui spiritu buccinandi (*a*) erat præditus. Nam sono tumultuosæ vocis & ad-

& aduersarios exterrebat, & suos ad bella incitabat. Et dum *Guuillermus* cum suis quæ circa se sunt deuastat: nam missis molaribus saxis, ipsa domorum tecta confringebat: qui sub eo erant, murum fodiebant: & alii ad muri propugnacula scalam erigebant, quam erectam, cum nullus auderet ascendere prior, non pertulit quidam *Gulferius* de *la turre*, miles honestus, sed incunctanter ascendit murum, pluresque viri fortes secuti sunt eum. Gentiles vero, vt viderunt eos super murum ascendentes, ira vehementi commoti sunt, & vndique in illos consurgunt, tantumque eos iaculis & sagittis coartauerunt, vt quidam nostrorum, qui murum ascenderant, seipsos ad terram deiecerint, qui mortem, quam euadere putabant, collisi ad terram inuenerunt. Quod cum vidisset clara iuuentus nostrorum, *Gulferium* scilicet cum paucis pugnare super propugnacula murorum; immemores sui, sed memores sociorum, confestim ascendunt, partemque muri sua multitudine cooperiunt. Stabant autem iuxta ligneam turrim Sacerdotes & Leuitæ (*b*) ministri Domini, inuocantes propugnatorem gentis Christianæ, Iesum Christum, filium Dei, & dicebant: ***Domine miserere nostri: Esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. Effunde iram tuam in gentes, quæ te non nouerunt, & in regna, quæ nomen tuum non inuocauerunt. Disperge illos in virtute tua, & depone eos, protector noster Domine.*** Dum sic ageretur, quod alii pugnabant, alii plorabant, & psallebant, alii muros suffodiebant, *Gulferius* grauiori pugna desudabat: quia omnes aduersarii in eum & in eius consortes, & ipse cum suis contra omnes. Clypeus eius erat omnibus suis protectio fortis, his videlicet, qui erant in muro. Muri breuis & arta latitudo, socium sibi coniungi non admittebat: nec aduersarium, nisi vnum, venire permittebat. Sed de *Gulferio* nullus hostium triumphauit: cum tamen ipse de compluribus triumphauerit. Propterea nemo illi iam occursare præsumebat, quia infortunium, quod aliis ense illius contigerat, vnusquisque sibi metuebat. Tela, sagittas, sudes, lapides, illi iaciebant; tantumque clypeum eius ex his onerauerant, vt ab vno homine leuari non potuerit. Iamque fortissimus vir fatigatus erat; iamque sudores toto de corpore in terram defluebant; iamque vt ei alter succederet grandis necessitas exigebat: cum illi, qui murum suffoderant, cum magno impetu intrauerunt, detruncantes vniuersos, quos primitus inuenerunt. Qua inopinatæ rei admiratione stupefacti sunt omnes, qui erant super muros, &

Concito (*c*) *vitalis calor ossa reliquit eorum,*
Frigidus atque pauor possedit corda reorum (*d*).
Quid faceret gens data neci, sensuque aliena,

quam sui vndique hostes vrgebant & intra & in muro?

(*a*) Velut diuino quodam dono.

(*b*) Per *Leuitas* concentores intelligit. *Corippus*;
Et Leuitarum venerabilis ordo canentum.

(*c*) *Concito* notat *illico*.

(*d*) *Rei* sunt gentiles, Deo aduersarii, vt sæpius apud *Abbonem* in descriptione Lutetiæ, aliosque.

CAPVT V

Marram Christiani expugnant, ac omne crudelitatis genus in ciues ac incolas adhibent.

G*Vlferius* enim, qui paulo ante fatigatus deficiebat, nouas interim resumpserat vires: & iam non clypeo protectus aut galea, sed ensem rubeum tenens in dextera, fugientem celer insequitur hostem, pluresque mortificauit formidine, quam gladio, qui seipsos præcipitauerunt de muro. Erat autem supra portam vna turris, quæ præstantissima & fortior ceteris videbatur, in eam mandauit *Boamundus* ditioribus ciuibus per interpretem, vt fugerent: quoniam eos a morte liberaret, si se ab ipso redimerent. Quod & illi fecerunt, seque fidei illius crediderunt. Cessauit igitur tunc illa persecutio, quia vltra protendi abnuebat vesperi obtenebratio. Sabbatum vero cum esset, nec victoribus nec victis poterat esse requies. Misit Comes circa vrbem excubitores,

tores, & intus & extra, ne vllus fugeret, & spolia vrbis secum auferret. In crastinum vt dies lucescere cœpit, nostri ad arma currunt, & per vicos & plateas, tectaque domorum, ceu leæna raptis catulis, sæuiendo discurrunt,

Dilaniant, traduntque neci pueros, iuuenesque,
Quosque grauat longæua dies, curuatque senectus.

Nulli parcebant, sed plures, vt citius finirentur, laqueis suspendebant. Mira res, mirumque spectaculum, quod tantæ gentis multitudo & armata, sic impune occidebatur, quod nullus eorum reluctabatur. Quia vero nostrorum erat, quicquid quisque reperiebat, ipsa mortuorum exta euiscerabant, & Bisanceos & nummos aureos inde eruebant. O detestanda auri cupiditas. Omnes viæ vrbis riuis sanguinum inficiebantur, & cadaueribus cadentium sternebantur. Et o gens cæca, & omnino morti destinata. Nullus ex tanta multitudine fuit, qui nomen Iesu Christi voluerit confiteri. *Boamundus* denique illos, quos in turris palatio iusserat includi, ad se venire iussit, annosæque ætatis mulieres & decrepitos senes, & inualido corpore imbecilles, præcepit interfici, puberes & maiusculæ ætatis adultos, validoque corpore viros reseruari, & vt omnes venderentur, conduci Antiochiam. Facta est autem maceratio (*a*) hæc Turcorum duodecimo die Decembris, in die Dominica: nec tota tamen fieri potuit die illa. In crastinum autem quicunque in quibuscunque locis inueniebantur, eidem pœnæ capitis subiiciebantur. Nullus erat locus in vrbe tota, nullaque fouea, quæ eorum cadaueribus seu cruoribus non esset inquinata.

(*a*) Ita & lectio vetus scripta. Procul autem dubio legendum, *massacratio*; Gallico verbo, cui similibus aliis vsum *Robertum*, iam adnotatum est. *Pistorius* iterum pessime mutauit; *facta est autem hæc clades Turcarum.* Pessime omnino. Ita infra lib. 9 cap. 4.

CAPVT VI

Boamundus, *repulsam passus, Antiochiam reuertitur. Episcopus Oriensis obit. Ad exitiabilem famem exercitus perducitur. De pace inter* Boamundum *&* Raimundum *bis habetur colloquium.*

VRbe igitur sic adquisita, & a rebellibus Turcis liberata, *Boamundus* pacem Comitis requisiuit:, vt scilicet Antiochiam absolutam sibi redderet, & in pace eam sibi habere permitteret. Comes vero contradicebat, id nullatenus sine periurio posse fieri, propter sacramentum, quod ipso etiam mediante factum fuerat Imperatori *Alexio*. *Boamundus* itaque reuersus est Antiochiam, suamque ibi dimisit societatem (*a*). Dictauit (*b*) autem in illa ciuitate exercitus Francorum per mensem vnum & dies quatuor: & in hac mora temporis obiit morte pretiosa (*c*) Episcopus Oriensis. Longo quidem tempore, nimiumque prolixo hiemauerunt ibi: quia nihil, quod ederent, quod raperent (*d*), poterat inueniri. Sicque famis iniuria compellente, contigit, quod etiam dictu horribile est, quod corpora gentilium in frusta scindebant (*e*), & comedebant. Hac igitur incommoditate permotus Comes sancti Ægidii mandauit cunctis Principibus, qui erant Antiochiæ, vt ad *Rugiam* ciuitatem conuenirent, & de via sancti sepulchri ibi inter se disponerent. Illi quidem illic conuenerunt, sed de quo & pro quo venerant minime locuti sunt: sed de pace & concordia inter Comitem & *Boamundum* colloquium habuerunt. Quibus minime conciliatis, omnes Principes Antiochiam reuersi sunt, & Comitem & viam dimiserunt. Remanserunt autem cum Comite non solum sui, sed & multa iuuentus, cui inerat ardor viam perficiendi. Ipse igitur plus in Domino confidens quam in Principibus, ad *Marram*, vbi eum peregrini præstolabantur, est reuersus: fuitque dolor magnus in omni exercitu Christianorum de dissensione Principum. Omnes quidem nouerant, quod pura iustitia cum *Raimundo* erat, nec vllus amor aut ambitio eum ad indebitum (*f*) declinare poterat. Qui tamen vt vidit, quod propter eum impediretur via sancti sepulchri, admodum indoluit, & discalceatus pedibus a *Marra* vsque

 Caphardæ

Capharda peruenit. Ibi quatuor diebus perendinatis, cum Principes iterum conuenirent, & de eadem re verborum conflictus (*e*) haberetur, dixit Comes *Raimundus*: *Viri fratres & domini, qui vestris omnibus & vobismetipsis abnegastis propter amorem Dei, ostendite mihi an sine periurio, possum cum* Boamundo, *si requirit, pacificari, aut si aliter fieri non potest, an pro amore eius debeam periurare.* Cumque huius sermonis iudex nullus esse præsumeret, & omnes concordiam laudarent, & quomodo fieri deberet, non dicerent, ab inuicem discesserunt, & Antiochiam redierunt.

(*a*) Exercitum. *Albertus Aquensis* multis locis, vt & ad eum nupera recensione, ipsoque eiusdem glossario est adnotatum.

(*b*) Commoratus est. Vide supra ex lib. 152 *Aduersar*. cap. 3.

(*c*) In oculis nimirum Domini, secundum Scripturam.

(*d*) Edile siue esui aptum nihil obiiciebatur ad rapiendum.

(*e*) Peculiari capite huius sceleris exempla congessimus non pauca lib. 136 *Aduersariorum* cap. 1 ad librum 8 Thebaidos Papinianæ. Vide & *Albertum Aquensem*.

(*f*) Quod contra fas agendum erat. De *Raimundo* longe alia *Albertus Aquensis* & alii.

(*g*) Disceptatio. *Confligium*, conflictum aliquem talem, de rebus tamen inanibus, vt Sali & Aranæ, non inscite dixit *Guibertus Abbas* in sua harum rerum historia lib. 7 cap. 49.

CAPVT VII

Raimundus & *Normannus Comes iter prospero rerum successu prosequuntur.*

SEd Normannus Comes cum suis omnibus remansit cum *Raimundo*, sciens & intelligens, quia iustitia erat cum eo. Igitur hi duo Comites agmina sua disponunt, & ad Cæsaream tendunt. Rex enim Cæsareæ sæpius significauerat Comiti Marræ & Caphardæ, quod cum eo pacem vellet habere, eique de suo gratanter (*a*) seruire. Hac fiducia illuc perrexerunt, & prope ciuitatem castra posuerunt. Rex autem vt vidit agmina Francorum iuxta se posita, vehementer obstupuit, & indoluit, & ne illis vllum mercatum præsentaretur, prohibuit. In crastinum misit Comites duos de suis, qui eis vada fluminis ostenderent, & vbi prædam capere possent, conducerent. Erat autem nomen fluminis *Farfar*. Conduxeruntque illos in vallem satis idoneam (*b*), bonisque omnibus locupletem. Huic præerat quoddam munitissimum castrum, sub quo inuenerunt viginti millia animalium, in valle fertili pascentium, quæ omnia nostri rapuerunt. Et cum castellum obsidere vellent, illico castellani se reddiderunt (*c*); pactumque huiuscemodi tenendi in perpetuum fœderis cum Comitibus habuerunt; in fide sua promiserunt, & super legem suam iurauerunt, quod nunquam amplius nocerent Christianis peregrinantibus, eisque sicut & (*d*) hominibus suæ gentis præberent mercatum & hospitium. Manserunt autem ibi per dies quinque. Sexto vero die oneratis camelis & iumentis, frumento, farina, & oleo, & caseis, rebusque aliis ad edendum idoneis, gaudentes exierunt, & ad castellum quoddam Arabum peruenerunt. Dominus autem castelli sapienti vsus consilio, obuiam venit Comiti *Raimundo*, & pacificatus est cum illo. Inde venerunt ad quandam ciuitatem, in quadam valle speciosa & spatiosa constitutam, muris & turribus bene munitam, & omni genere fructuum abundantissime refertam, quam incolæ appellant *Caphaliam*. Huius vrbis habitatores audito rumore Francorum perterriti, proprias sedes deseruerant, & ad alienas confugerant. Quippe infelicitas, quæ contigerat Antiochiæ & Marræ, omnes perterruerat, & fugæ domesticos effecerat.

(*a*) Gallicismus.

(*b*) Præsenti necessitati explendæ.

(*c*) Gallicismus. *Ils se sont rendus. Ils se rendirent.*

(*d*) Voculam & membranæ non habent.

CAPVT

CAPVT VIII

Caphaliam *ab habitatoribus derelictam inueniunt, ac intrant, magno commeatus apparatu reperto. Inde procedunt vlterius.*

CVmque nostri tentoria circa eam vellent ponere, & in gyrum obsidere, mirati sunt, quod de tanta ciuitate non aliquis obuiam veniebat, nemoque nec in excelsis turribus aut mœnium propugnaculis apparebat, altumque silentium intus habebatur, nec vllius vocis sonus audiebatur. Tunc miserunt exploratores, qui rem diligenter inquirerent, & inquisitam renuntiarent. Illi autem profecti, cum portæ propius accessissent, ianuam (*a*) quidem apertam inuenerunt, sed intus neminem esse viderunt. Tunc scuta vultibus præponentes, cum aliqua adhuc cunctatione portas subeunt. Sed nec viros nec mulieres, nec aliquam bestiam intus inuenerunt. Pulchros quidem apparatus ibi inueniunt, horrea scilicet frumento plena, torcularia vino redundantia, arcas plenas nucibus, caseis, & farina. Tunc cito ad Comites redeunt, & quid inuenerunt, referunt. Non fuit ibi opus tentoria figere, quoniam Deus faciebat illos in labores illorum sine ferro vel pugna introire (*b*). Ibi actum est, quod dicitur in prouerbiis *Salomonis*: *Conseruatur iusto substantia peccatoris.* Ibi inuenerunt hortos plenos oleribus & fabis, aliisque leguminibus iam ad præcocitatem (*c*) maturantibus. Ibi quietauerunt tribus diebus; & custodibus deputatis, qui vrbem custodirent, quædam ardua montana conscenderunt, & in vallem descenderunt. Erat autem illa vallis gratuita (*d*), & omnium frugum fructuumque vbertate plenissima: manseruntque ibi per dies quindecim. Prope vallem erat castellum, Saracenorum multitudine plenum. Quod cum die quadam nostri aggrederentur, Saraceni de muro proiecerunt eis multas pecudes, plurimaque animalia, putantes, quod nostri nil aliud quærerent, nisi victum: quæ nostri gratanter receperunt, & ad tentoria conduxerunt. In die altera collegerunt papiliones & tentoria, & illuc castra direxerunt; sed cum illuc peruenerunt, ab omni gente vacuum inuenerunt. Illa enim nocte omnes fugerunt: sed magnam copiam frugum & fructuum, lactis & mellis dimiserunt. Ibi celebrauerunt nostri purificationem sanctæ Mariæ Dei genitricis, glorificantes Deum, qui tanta bona ministrabat eis.

(*a*) Portam. Supra cap. præcedenti & infra sæpius.
(*b*) Locutio sacræ Scripturæ.
(*c*) Non intelligo vocem *præcocitatis*.
(*d*) i. e. vltro offerens sua munera. *Gratiosa*, vt in Glossario.

CAPVT IX

Rex de Camela *munera mittit Christianis. Idem Rex facit Tripolitanus. Christiani castellum* Archas *obsident. Alii ex exercitu prædam ingentem faciunt; alii* Tortosam *aggrediuntur.*

REx de *Camela* ciuitate misit Comitibus nuntios suos, dum ibi erant, rogans ea, quæ pacis sunt; præmittens dona concupiscibilia, & equos, & aurum. Misit arcum aureum, vestes pretiosas, & micantia tela, quæ omnia nostri receperunt. Sed nil certi tunc illis renuntiauerunt. Rex *Tripolis* eodem terrore permotus, misit equos decem & mulas quatuor: similiter rogans ea, quæ pacis sunt. Sed dona quidem receperunt, illique, quod nunquam pacem cum illo haberent, nisi Christianus efficeretur, nuntiarunt. Comes enim sancti Ægidii multum desiderabat terram illius, quia optima erat, & regnum eius, quoniam præ ceteris erat honorabilius. Ita quatuordecim diebus explicitis exierunt de optima valle, & abierunt ad quoddam antiquissimum castrum, cui nomen erat *Archas*. Quod licet haberet nomen castri, tamen egregiis vrbibus poterat æquiparari, & loci positione, & clausura (*a*) murorum, & eminentia turrium. In hoc propter fortitudinem gens magna confluxerat: quia nec arma, nec hostem, nec aliquod ingenium metuebat. Hoc tamen nostri celeri

leri obsidione vallantes, cum festinatione aggressi sunt: sed eorum impetum castellani viriliter sustinuerunt. Sæpius illos inuaserunt (cum) omni genere telorum & tormentorum; & non præualuerunt, sed magis, quam (*b*) lucrarentur, perdiderunt. Tunc quatuordecim de nostris militibus otio vacare nescientes erga *Tripolim* perrexerunt, & sexaginta Turcos inuenerunt, qui multos captiuos, & plus quam mille & quinquaginta animalia rapuerant, & ante se ducebant. Quos vt nostri viderunt, licet perpauci essent, in cælum manus protendentes, Regemque Sabaoth inuocantes, militariter (*c*) inuaserunt, & Domino exercituum adiuuante superauerunt, & sex de illis occiderunt, & eorum equos retinuerunt, & ouantes ad castra cum immensa lætitia & præda remearunt. Ingens gaudium fuit in omni exercitu de paucorum magna victoria, & multa rapina. Cumque hæc viderent alii, exierunt plures de exercitu *Raimundi* zelo probitatis (*d*) accensi, quibus præfuerunt *Raimundus Piletus*, & *Raimundus* Vicecomes de Tentoria, & vexillis in altum protensis, equitauerunt aduersus ciuitatem quæ *Tortosa* dicitur. Ad quam peruenientes forti impetu aggrediuntur, sed illa die nihil fecerunt (*e*): noctéque superueniente in quendam angulum secesserunt: feceruntque tota nocte immensos rogos ignium (*f*), ac si totus adesset retro commanens (*g*) exercitus Christianorum. Quibus flammarum globis gens, quæ erat in ciuitate, perterrita, existimantes, quod nostri omnes adessent, omnes subito confugerunt: ciuitatemque plenam bonis opibus reliquerunt. Est autem ciuitas illa ab omni necessitate prorsus aliena (*h*), vt in optimo portu pelagi constituta.

* In margine;
Rex de Camela *mittis splendemia tela.*

(*a*) Firmitate, munitione. Sic paullo post.

(*b*) Plus, amplius.

(*c*) Ordine & animo consueto in talibus.

(*d*) Fortitudinis militaris. Vide multa ad *Guil. Britonem.*

(*e*) Nihil effecerunt. Et ita nunc etiam Gallo-Franci.

(*f*) Pyras, ingentes ignes.

(*g*) Qui procul adhuc inde aberat, & consederat.

(*h*) Aliena ab omni indigentia. Sic *necessitatis* voce vtitur etiam infra cap. 12.

CAPVT X

Christiani castellum Archas *ab incolis derelictum intrant; ab Maracleanis sponte recipiuntur.* Raimundus & *Normannus Comes ad prælium cum Turcis ineundum se parant.*

IN crastinum cum nostri ad eam expugnandam venerunt, omnino vatuam inuenerunt. Summas igitur laudes Deo referentes, intrauerunt eam, & quandiu apud *Archas* durauit obsidio, ibi remanserunt. Est autem & alia ciuitas non longe ab ea, quæ dicitur *Maraclea*: cuius Princeps pacem cum eis iniit, ipsosque & eorum vexilla (*a*) in vrbem recepit. O mira Dei virtus, mirandaque potentia. Cum procul abessent Principes, qui videbantur regere populum & sustentare, per pauciores & minores cœpit Dominus etiam ipsos Reges superare; ne dicat humana præsumptio: Nos Antiochiam aliasque vrbes subegimus: nos tot ac tanta bella deuicimus. Quia pro certo nunquam superassent, nisi cum eis fuisset ille, per quem Reges regnant. * Cum vero Dux ducum & miles militum *Gothefridus* audisset felices euentus, insignesque triumphos pugnantium, zelo victoriæ animatus tunc primum tam ipse quam Flandrensis Comes, & *Boamundus*, castra ab Antiochia mouerunt, & ad Liciam ciuitatem venerunt. Ibi quippe diuisit se *Boamundus* ab eis & ab omni exercitu Dei. Habuitque a patre suo, qui fuit Francigena, optima principia; sed a matre (*b*), quæ Apuliensis extitit, retinuit vestigia. Tunc Dux & Comes ad vrbem, quæ *Gibellum* vocatur, acies suas direxerunt, eamque obsidione cinxerunt. Illa siquidem hora venit nuntius ad Comitem sancti Ægidii; quod Turci præparauerant se ad pugnandum contra eum, essetque futurum bellum graue nimis & permaximum. Protinus Comes misit nuntium Duci & Flandrensi Comiti, vt celerrime ad illud venirent prœlium, sibique auxilium ferrent. Quod vbi Dux audiuit, Principi ciuitatis pacem, quam sæpe iam quæsierat,

fierat, mandauit. Pace igitur facta, pactæque promissionis muneribus receptis, ad speratum bellum conuolarunt, & ad obsidionem, quæ erat ad supra dictum castrum, conuenerunt, & in alteram fluminis ripam castra posuerunt.

(a) Loco tutelæ. Supra lib. 7 cap. 11. Morem omnium ostendit *Raimundus Agileus* cap. 65.

(b) *Vt hæc adiecta voce emendanda censeamus*,

* In margine;

Dux Godefridus, *ensis cuius bene fidus.*
ConsulFlandrensis, cuius non fallitur ensis.

Vide ad *Albertum Aquensem* lib. 10 cap. 44.

CAPVT XI

Pugna committitur, qua Christiani Turcos cæde magna edita profligant; ac dein magnam animalium copiam in valle quadam capiunt. Anselmus *de* Ribodi monte & Pontius *de* Baladino *moriuntur.*

SEd cum Dux videret, quod nihil proficeret, contra *Tripolim* direxit acies, cunctosque ibi paratos reperit hostes. Tensis enim arcubus hostes se nostris opposuerunt; sed nostri præiectis clypeis arcus eorum & sagittas, velut stipulas, contempserunt. Pugna itaque committitur, sed non æqua lance, quoniam tractis sagittis (a) illi, vt eorum consuetudo est, fugere voluerunt; sed nostri inter ipsos & ciuitatem obstaculum posuerunt. Et quid pluribus vtar verbis? tantum ibi humani sanguinis fusum est, quod aqua rubicunda facta est, quæ in ciuitatem fluebat, & eorum cisternas replebat. Nobiliores ipsius ciuitatis ibi occisi sunt: & qui viui remanserunt, de contaminatione cisternarum multum ingemuerunt. Qua cæde peracta, nostri minime contenti, quia nihil ibi lucrati erant, nisi tela & indumentorum spolia, in supra dictam vallem *Desen* cucurrerunt, & absque numero oues, boues, asinos, diuersique generis pecudes deprædati sunt: & tria millia camelorum simul rapuerunt. Tanta copia bestiarum vnde conuenerat, nostri vehementer mirati sunt (b), quia in eadem valle quindecim diebus hospitati fuerunt.

Illi cum tanta redeunt ad castra rapina.

Nulla vnquam inopia fuit in obsidione illa, quia naues ad quendam portum veniebant, quæ omnia necessaria afferebant. Dominicum pascha celebrauerunt ibi, quod fuit tunc quarto idus Aprilis. Durauit autem illa obsessio tribus mensibus, vna die minus. Fuit autem ibi mortuus *Anselmus* de Ribodi monte, vir per multa laudabilis, & in suo militari ordine præcipuus. Qui dum in mundo fuit, multa digna relatu peregit, quibus illud præferendum est, quod Aquiscingensis cœnobii (c) indefessus adiutor in omnibus extitit. Similiter ibi mortuus est *Pontius Balonensis* vel de *Baladino* (d): cuius tempora perforauit (e) ictus lapidis, tormento iaculati. *Willermus Picardus*, & *Guarinus* de *Petra Mora*, primus iaculo, alter obiit sagitta. His vita functis, obsidionem illam nostri dimiserunt, quia illud inexpugnabile castrum nullam timebat (f) violentiam impugnantium.

(a) Vide supra ad lib. 7.

(b) Tantum nimirum animalium superesse illi regioni, vbi tot iam dies duo exercitus fuerant hospitati.

(c) Nobile nunc quoque Belgicæ Galliæ monasterium, quod industria doctissimorum hominum *Heriberti Rosvveidi* & *Martini Antonii Delrio* ad finem superioris sæculi nobis dedit *Orientii* Commonitorium.

(d) Est is, qui cum *Raimundo Agileo* scripsit historiam huius expeditionis. Vide eum *Raimundum* cap. 48, ex nostra distinctione, de optimi militis interitu. *Tantos*, inquit, *& tales ibi milites perdidimus, quod relatu grauissimum est. Interfectus est ibi Dominus* Pontius de Baladuno, *cum lapide de petraria, cuius ego precibus ad omnes orthodoxos, & maxime ad transalpinos, & ad te, reuerende Præsul Viuariensis, nunc hoc opus scribere curaui.* Ita enim corrigimus ea verba in nostra recensione. Vide & *Guil. Tyrium* lib. 7 cap. 17, *Albertum Aquensem*, alios.

(e) i. e. confregit. Simili modo *Saxo Grammaticus terebrare claua* dixit lib. 1 cap. 5, ex nostra itidem distinctione & emaculatione.

(f) Eleganter. Et sic hactenus non semel locutus est *Robertus*.

CAPVT XII

Cum Rege Tripolitano pacem faciunt Christiani; munera ab eo accipiunt; iter suum prosequuntur.

DEtensis(*a*) igitur tentoriis, ad *Tripolim* pergunt, & pacem a Rege & ciuibus diu quæsitam stabiliunt. Datis igitur inuicem dextris, fidei illorum in tantum se proceres commendauerunt(*b*), vt vsque ad palatium Regis ciuitatem introierint. Rex autem vt fiducia pacis tenendæ ex sua parte certior crederetur, trecentos peregrinos ex nostris dissoluit a vinculis, & proceribus donauit. Dedit & quindecim millia Bysantiorum, & quindecim equos multa honestate(*c*) præditos, misitque omni exercitui mercatum laudabile(*d*), quod omnino liberauit illos ab omni necessitate(*e*). Pepigit etiam, & iurauit illis, vt si Hierusalem sibi possent adquirere, & bellum, quod eis Admiraldus Babyloniæ inferre minabatur, superare, Christianus efficeretur, & Regis Hierusalem ditioni subiiceretur. Fuerunt autem apud Tripolim per dies tres. Videntes autem proceres & viri bellatores, quod iam tempus nouarum frugum instabat, concordati sunt, quod Hierosolymitanum iter ex toto arriperent, & omissis omnibus (*f*), rectiorem viam tenerent. Erat autem dies Maii quarta, cum de Tripoli exierunt, & per quædam ardua montana ascendentes ad castrum, cui nomen *Bettelon*, peruenerunt. Altera die venerunt ad vrbem, quæ dicitur *Zabaris*, in cuius confinio nihil aquæ potuit inueniri, qua extingueretur eorum nimia sitis. Æstus quippe erat, & equi & omnis hominum multitudo sitiebat. In crastinum venerunt ad flumen, cui nomen *Braim*. Ibi igitur pernoctauerunt, & sitim suam deposuerunt. Nox subsequens fuit dominicæ ascensionis, & ipsi ascenderunt montem, in quo erat via nimis angusta, in qua putauerunt occurrentes inuenturos se hostes. Sed Deus, quoniam dux eorum fuit solus, & non erat cum eis deus alienus, fecit eos inoffensos transire. Tunc venerunt ad vrbem *Baruth* supra mare sitam: deinde ad aliam, quæ vocatur *Sagitta*. Post hæc ad aliam quæ *Sur*(*g*) dicitur. Deinde ad *Acram*; de *Acra* ad castrum, cui nomen *Carphas*, & sic ad *Cæsaream*.

(*a*) i.e. Compositis, sublatis tentoriis.
(*b*) Crediderunt. Vid. ad *Albertum Aquensem*.
(*c*) Speciositate. Notatum supra.
(*d*) Forum. Et hoc supra illustratum.
(*e*) Penuria, vide supra cap. 9.
(*f*) Scribe cum membrana vetere, *ambagibus*.
(*g*) Sidon & Tyrus. Vide *Fulcherium Carnotensem* cap. 13.

CAPVT XIII

Christiani perueniunt ad vrbem Cæsaream, *quæ describitur; dein ad* Ramolam, *cui Episcopum imponunt; & sic* Hierosolymas *versus progrediuntur.*

ESt autem *Cæsarea* insignis ciuitas Palæstinæ, in qua *Philippus* Apostolus dicitur domum habuisse, quæ vsque hodie monstratur: nec non & cubiculum filiarum eius prophetantium. Est autem in littore maris sita, olim *Pirgos*, id est *turris Stratonis*, appellata. Sed ab *Herode* Rege nobilius & pulchrius & contra vim maris vtilius extructa; in honorem Cæsaris Augusti *Cæsarea* est cognominata: cui etiam in ea templum albo marmore construxit; in quo nepos eius *Herodes* est ab angelo percussus, *Cornelius* baptizatus, & *Agabus* propheta zona *Pauli* est ligatus †. Iuxta illam nostri sua tentoria fixerunt: & sanctam Domini pentecosten celebrauerunt. Deinde venerunt ad vrbem *Ramolam*, quam Saraceni propter metum eorum dimiserant vacuam; iuxta quam erat illustris ecclesia sancti *Georgii* martyris, in qua sanctissimum eius corpus requiescit: quo in loco ipse pro Christi nomine martyrium suscepit. In ea milites Christiani pro veneratione militis Christi Episcopum elegerunt, electum constituerunt, constitutum decimis omnium diuitiarum suarum ditauerunt. Et dignum erat, vt *Georgius*, inuictus

inuictus miles, eorum militiæ signifer, istum ab eis honorem reciperet. Remansit itaque illic Episcopus cum suis, diues auro & argento, equis & animalibus. Et ad ciuitatem statim *Hierusalem* direxit iter Christianus exercitus, in virtute nominis illius, qui in ea mortuus iacuit, & die tertia resurrexit, cui est cum Patre & sancto Spiritu æqua potestas & gloria interminabilis, Amen.

† Aliam notam huius vrbis, nimirum cæsum in ea Herodem, habes apud *Fulcherium Carnotensem* cap. 23. Quæ vero hic tradit *Robertus*, non memorant *Primus Auctor*, *Baldricus*, *Guibertus*, *Gulielmus Tyrius*, *Albertus Aquensis*, *R. Agilent*, *Fulcherius*; nec quidem *Iacobus Vitriacus*, qui *Cæsaream* tamen peculiari capite celebrat lib. 1 cap. 24. Alia sunt apud *Bellonium*, *Villamontium* cet. *Philippum* Apostolum vt magici præstigiatores vltra omnes alios exsecrentur, sub exemplis notat in commentariis eius materiæ Gallicis *Lancreius*.

EXPLICIT LIBER VIII.

INCIPIT LIBER NONVS.

CAPVT I

Christiani Hierosolymas veniunt; vrbem obsidione cingunt.

O Bone Iesu, vt castra tua viderunt, huius terrenæ Hierusalem muros, quantos exitus aquarum oculi eorum deduxerunt (*a*). Et mox terræ procumbentia sonitu oris & nutu inclinati corporis sanctum sepulchrum tuum salutauerunt: & te, qui in eo iacuisti, vt sedentem in dextera Patris, vt venturum iudicem omnium, adorauerunt. Vere tunc ab omnibus cor lapideum abstulisti, & cor carneum contulisti, Spiritumque sanctum tuum in medio eorum posuisti. Itaque contra inimicos tuos qui erant in ea, iam scilicet longe positi, pugnabant, quoniam licet ad auxilium suum ita te concitabant, & melius lachrymis, quam iacula intorquendo pugnabant, quæ licet in terram defluerent, vbertim in cælum tamen ante te propugnatorem suum conscendebant. Qui ab oratione surgentes, ad regalem ciuitatem properarunt, inimicos Regis æterni intus inuenerunt, circa quos tali ordine castra (*b*) sua posuerunt. A septentrione castrametati sunt duo Comites, Normannus & Flandrensis: iuxta ecclesiam sancti *Stephani* protomartyris: vbi lapidatus est a Iudæis. Ab occidente Dux *Gothefridus* & *Tancredus*. A meridie vero Comes sancti Ægidii, scilicet in monte Sion, circa ecclesiam sanctæ *Mariæ* matris Domini, vbi Dominus cœnauit cum discipulis suis.

(*a*) Scribendum, *defluxerant*, cum membranis.

(*b*) *Castra* dicit omnem exercitum, totum populum Christianæ militiæ.

Quæ hic traduntur, leguntur fuse apud *Baldricum*, *Gulielmum Tyrium*, *Albertum Aquensem*, *Auctorem primum*, *Agileum*, *Guibertum*, *Vitriacum*, græcos, latinosque historicos, & chronologos alios.

CAPVT II

Christiani vrbem oppugnant; fame affliguntur ac siti; mittunt, qui naues commeatum aduehentes defendant, quorum quidem pars ab hostibus caditur.

TEntoriis igitur in circuitu Hierusalem ita dispositis, dum vexatione itineris fatigati, requiescerent, & machinas ad expugnandam vrbem præpararent, *Raimundus Piletus*, & *Raimundus* de *Taurina*, & alii quamplures de castris egressi sunt, vt finitimam regionem lustrarent, ne scilicet hostes improuisi super illos venirent, & inparatos inuenirent. Inuenerunt itaque trecentos Arabes, & pugnauerunt cum eis, & superauerunt eos, & plures occiderunt, & equos triginta inde habuerunt. Secunda igitur feria hebdomadæ secundæ, quarto idus Iunii, aggressi sunt Hierusalem Christiani, sed eodem

die

die non præualuerunt: nec tamen fuit labor inanis. Ita enim antemurale prostrauerunt, vt ad maiorem murum scalam vnam erexerint: & si tunc scalarum copiam habuissent, labor ille primus vltimus fuisset(*a*). Nam illi, qui per scalam ascenderunt, cum hostibus diu cominus iaculis & ensibus decertauerunt. Multi de nostris in illo conflictu mortui sunt, sed multo plures ex eis. Hora vesperi bello incompetens diremit litem, & nox superueniens vtrisque contulit quietem. Repulsa siquidem ista, grauem & nimis longum laborem intulit nostris, quia panes inuenire non poterant ad edendum per interuallum decem dierum, quousque naues eorum (*b*) onustæ ad portum *Iaphiæ* venerunt. Et nimia sitis pressura illos attriuit, quia *Syloæ*, quæ ad montis radicem *Sion* oritur, non poterat nisi vix solos homines adaquare. Equi vero & cetera animalia ad aquandum ducebantur per sex miliaria, & tunc cum magna militum custodia. Vnde & cara erat aqua inter eos, & caro vendebatur pretio. Consilio igitur inito, elegerunt milites, qui ad naues irent, easque ab extranea gente custodirent. Itaque summo diluculo diei egressi sunt centum milites, de exercitu Comitis sancti Ægidii, *Raimundus* scilicet *Piletus*, qui semper fuit omni labori militiæ domesticus(*c*), & prorsus otio peregrinus, & cum eo alter *Raimundus* de *Taurina*, & * *Archadus* de *monte Merulo*; *Villermus* etiam *Sabratensis*. Et ibant vt ad bellum parati ad portum maris. Et dum irent, triginta ex eis diuiserunt se ab aliis, vt semitas viarum discerent, & vtrum venirent hostes, explorarent. Cumque paululum itineris processissent, septingentos Turcos & Arabes eminus conspiciunt, quos, licet perpauci essent, incunctanter tamen inuadunt. Sed numerositas inimicorum tanta fuit, vt paucitas nostrorum resistere non potuerit. Nostri tamen quos in primo impetu offenderunt, neci perpetuæ (*d*) destinauerunt. Sed cum facto illo congressu regyrare(*e*) posse æstimauerunt, circumuallati multitudine, velle suum implere non potuerunt. Tunc ibi mortuus est * *Archadus* vir bellator fortis & egregius, & quidam ex peditibus.

* *Aicardus de Menmerfa; Vilhelmus de Sabran.* (Reuber.)

* *Aicardus* (Reuber.)

(*a*) Eadem scribit *Gulielmus Tyrius*, vt notatum ad *Albertum Aquensem* lib. 6 cap. 1. De antemurali prostrato eo loco *Albertus* etiam.

(*b*) In membranis est, *naues mercatorum*. Male. Adi *Guilielmum Tyrium* lib. 8 cap. 9.

(*c*) Familiaris. Vid. supra ad lib. 7 cap. 1.

(*d*) Cum anima nempe & corpore ad inferos ille dicit.

(*e*) Equis retroflexis ad suos redire.

* In margine;

Si foret hic tardus, non sic moreretur Achardus.

CAPVT III

Nuntio accepto Piletus *accurrit. Hostes fugam capessunt; quos Christiani persequuntur. Quanta hi fame laborarint, ac siti, narratur.*

ANtequam vero bellum inciperet, nuntius equo celeri ad *Piletum* cucurrerat, qui Arabes & Turcos nostros inuasisse nuntiarent. Quod vt *Piletus* audiuit, absque mora equum calcaribus vrget, sero tamen illuc peruenit. Iam enim *Aicardus* mortuus erat, qui tamen antequam decederet, vitam suam multo sanguine, & mortem morte plurimorum commutauit. Vt vero nostros illi eminus prospexerunt, vt fugere accipitrem penna trepidante columbæ assolent, sic illi fugiunt, & terga nostris dederunt. Nostri vero persecuti sunt illos, & multos occiderunt. Et vnum ex eis viuum retinuerunt(*a*), qui Turcorum dolos eis referret, & quid machinarentur mali, prænuntiaret, retinueruntque ab eis centum & tres equos, quos miserunt ed castra, & ipsi ad naues iniuncta perficiunt mandata. Famem quippe naues cibis onustæ extinxerunt, sed vehementem sitim extinguere non potuerunt. Tanta quippe sitis erat in obsidione, vt tellurem cauarent, & glebas humectiores ori apponerent, rorantiaque marmora lamberent. Coria boum & bubalorum, aliorumque animalium recentia suebant(*b*), & cum ad aquandos equos ire disponerent, vsque ad sex miliaria milites armati pergebant. Tunc ea aqua implebant, & ad castra referebant, & ex illa olida aqua bibebant: plerique prout ferre poterant ieiunabant; quia ieiunio sitim temperabant. Et quis crederet, quod fames proficeret, dolor dolorem expelleret?

(*a*) Ceperunt, captiuarunt.

(*b*) Scribendum, *sugebant*. Vide auctores ceteros.

CAPVT

CAPVT IV

Obsessores oppugnatione, bellique instrumentis vrbem premunt; mœnia scalis ascendunt; ciues proturbant; Hierosolymas capiunt.

DVm hæc paterentur, proceres a longo terræ spatio ligneas trabes adduci faciebant, quibus turres & machinæ fierent, quæ (*a*) ciuitatem expugnarent. Quibus adductis, Dux ducum (*b*) ***Gothefridus*** suam turrim construxit: & ab orientali plaga adduci præcepit. Et contra venerandus Comes sancti Ægidii consimile castrum constituit, & a meridiana plaga applicuit. Quinta siquidem (*c*) feria ieiunia nostri celebrauerunt & pauperibus eleemosynas distribuerunt. Sexta vero feria, quæ erat Iulii mensis dies duodecima, aurora sereno lumine coruscante, turres egregii bellatores ascendunt, & scalas mœnibus apponunt. Stupent & contremiscunt adulterini (*d*) ciues vrbis eximiæ, cum se vident circumuallari tanta multitudine. Quia vero supremum diem sibi imminere videbant, & mortem super capita sua dependere (*e*), acriter cœperunt resistere, & sicut iam de morte non dubii, propugnare (*f*). Illic eminebat in sua turri Dux ***Gothefridus***, non tunc miles, sed sagittarius (*g*): cuius manus ad prœlium & digitos ad bellum Dominus dirigebat, quoniam sagittis iactis, inimicorum pectora, & vtraque latera (*h*) perforabat. Iuxta quem fratres eius ***Eustachius*** & ***Balduinus*** (*i*), velut duo iuxta leonem leones, & duros ictus iaculorum & lapidum suscipiebant, & quadruplici fœnore compensabant. Et quis omnium probitates (*k*) referre valeret, cum omnium, qui nunc sunt, Philosophorum (*l*) facundia tantis minime laudibus sufficeret? Et dum sic desuper mœnia pugnabatur, processio circa ipsa mœnia agebatur & cruces ac reliquiæ & sacra altaria (*m*) deferuntur. Tota itaque die alternis ictibus decertatum est. Sed vt appropinquauit hora, qua Saluator omnium mortem subiit, miles quidam, nomine ***Letoldus*** (*n*), de castro Ducis primus insiluit, post quem ***Guicherius***, qui leonem propria virtute prostrauit, & occidit. Statim Dux milites suos sequitur, & omnes alii milites Ducem suum. Tunc vero arcus & sagittæ dimittuntur, & fulminei enses arripiuntur. Quibus visis hostes illico murum deserunt, & ad terram dilabuntur, & milites Christi celeri gressu cum magnis vocibus persequuntur. Quas voces cum audiret Comes ***Raimundus***, qui castrum suum muro propius adponere gestiebat, protinus intellexit, Francos esse in vrbe, suisque militibus ait: *Quid hic stamus & incassum laboramus? Francigenæ vrbem obtinent, magnisque vocibus & ictibus personant.* Tunc celeri gressu cum suo comitatu perrexit ad portam, quæ est secus turrim ***Dauid***, & vocauit eos, qui in arce erant, vt aperirent. Protinus Admirauisus, qui turrim (*o*) custodiebat, vt cognouit, quis esset, ianuam ei aperuit, seque suosque & sua fidei eius commendauit, vt se tueretur, ne destrueretur. Sed Comes dixit, quod id nunquam faceret, nisi sibi turrim dimitteret. Qui ei assensum gratanter tribuit: & Comes illi, vt petebat, omnem fiduciam spopondit. Dux vero ***Gothefridus***, non arcem, non aulam, non aurum, non argentum, non spolia, ambiebat: sed cum Francis suis, sanguinem seruorum suorum, qui in circuitu Hierusalem effusus fuerat, ab eis vindicare satagebat, & irrisiones & contumelias, quas peregrinis intulerant, vlcisci cupiebat. In nullo autem bello talem habuit occidendi facultatem: nec super pontem Antiochiæ, cum giganteum dimidiauit (*p*) gentilem. Nunc vero absque vlla refragatione, tam ipse quam ***Guicherius***, qui medium secuit leonem, multaque electorum militum millia, a capite vsque ad renes secabant humana corpora, & dextra læuaque per vtraque latera. Nullus ibi nostrorum iners fuit, meticulosus nullus, vbi nemo resistebat, sed pro posse vnusquisque fugiebat, sed fugere nemo poterat, quoniam multitudo a se ipsa in seipsam perplexa, sibimet impedimento erat. Qui tamen de tantæ cladis maceratione (*q*) elabi potuerunt, templum ***Salomonis*** intrauerunt, & se ibi longo diei spatio defenderunt. Sed cum iam dies inclinari videretur, nostri timentes solis occasum, animositate concepta, abdita templi irrumpunt (*r*), eosque

eosque misera morte pessundarunt. Tantum ibi humani sanguinis effusum est, vt cæsorum corpora, vnda sanguinis impellente, voluerentur per pauimentum, & brachia siue truncatæ manus (s) super cruorem fluitabant, & extraneo corpori iungebantur, ita vt nemo valeret discernere, cuius erat corporis brachium, quod truncato corpori erat adiunctum. Ipsi etiam milites, qui hoc carnificium (t) operabantur, exhalantes calidi feruoris (u) nebulas vix patiebantur. Hac itaque inenarrabili cæde peracta, aliquantulum naturæ indulserunt (x), & plures ex iuuenibus tam viros quam mulieres vitæ reseruauerunt, & suo famulatui mancipauerunt. Mox per vicos & plateas discurrentes, quicquid inuenerunt rapuerunt, & quod quisque rapuit, hoc suum fuit.

(a) Melius membranæ; *quo ciuitatem*—

(b) Vide supra lib. 7.

(c) Abundat hæc vox ex ingenio scriptorum talium. Vide exempla huc spectantia ad *Gulielmum Britonem* lib. 6 cap. 159.

(d) Scribendum cum membranis-*Manzerini*-*Manzeres* enim adulterinos notant, de qua voce & nos & viri docti multis alibi.

(e) Exemplo Damoclis cet. notissimo.

(f) Melius membranæ; *propugnare*, ante mortem nempe.

(g) Non eques, sed pedes.

(h) Medios ipsos intelligit, vt indicet robur *Godefridi*.

(i) Notissima res. Error est in chronico veteri Gallico manusc. pro scribendis ad *Gulielmum Britonem* commentariis vsi sumus, vbi distinguuntur tres hi fratres perperam. In anno 1096; *Le catalogue des Seigneurs de France, de ceulx qui ont este conducteurs & chefs quasi de toute armée.* Pierre *d'* Amiens, *Ermite.* Aoquyn *Evesque* de *Puy en Avergne.* Guillaume, *Evesque* d'*Orenge.* Henry *le* Grand, *frere du Roy*, Godefroy, *Duc* de *Lorraine.* Eustache *&* Baudouyn, *enfans* d'*Eustache*, *Comte* de *Boulogne Belgique* cet. Vide exacte de his scribentem *Gulielmum Tyrium* lib. 9 cap. 5.

(k) Virtutem & industriam bellicam. Vid. ad *Gulielmum Britonem*.

(l) Litteratos omnes sic vocat.

(m) Thuribula & mensas missales indicari docet *Scholiastes* vetus in interlinearibus mscr. exemplaris expositionibus.

(n) Qui primi sacram vrbem ceperint, discrepant auctores. De isto *Letoldo Baldricus* Archiepiscopus Dolensis lib. 4 cap. 14. De *Guicherio* mox. *Letoldum* hunc ex suis militibus i. e. *Boamundo* subditis, fuisse scribit auctor primus cap. 38.

(o) Arcem, principale propugnaculum.

(p) Medium dissecuit; de quo facinore supra.

(q) Massacratione. Vid. lib. 8.

* In margine;

Anno milleno centeno quo minus vno
Iherusalem Franci capiunt virtute potenti.

(r) Omnino melius membranæ; —*irruperunt* —

(s) Scribe cum membranis — *truncati artus* —

(t) Cædem, stragem, massacrationem, vt supra appellauit. Carnificinam dicunt alii.

(u) Exhalantium viscerum cruoris.

(x) Humanitate naturali.

CAPVT V

Victores ad sanctum sepulcrum properant; quicquid Turcorum supererat, vel enecant, vel in seruitutem redigunt; vrbem purgari curant.

ERat autem *Hierusalem* tunc referta temporalibus bonis, nec aliquo indigebat, nisi spiritalibus deliciis: tunc quippe filios suos de longe aduenientes ita ditauit, quia in ea pauper remansit. Tantis itaque ditati diuitiis, ad sanctum Domini sepulchrum læto incessu pertexerunt: & ei, qui in eo sepultus fuit, gratias referentes, capitalia (a) sua obtulerunt. Ipsa die, sicut per Prophetam fuerat prædictum, sepulchrum Domini fuit gloriosum: cum omnes non incessu pedum, sed poplitum & cubitorum proni incedebant, & pauimenta imbre lacrymarum inundabant. Hac itaque oblatione solemni deuotione completa, ad domos suas, eis a Deo destinatas, redierunt: & naturæ necessariis indulgentes, fessis corporibus cibum & somni requiem tradiderunt. In crastinum igitur, cum caput aurora terris ostenderet, ne vllus in vrbe locus insidiis remaneret, armati ad templum *Salomonis* cucurrerunt, vt scilicet illos delerent, qui supra templi fastigia ascenderant. Maxima enim illuc copia Turcorum conscenderat, quæ libentius fugisset, si sumptis alis volare potuisset. Sed quibus natura alas negauit, misera vita infelices exitus donauit (b). Vt enim nostros ex aduerso sibi occursare supra templum viderunt, obuiam nudis ensibus veniebant, malentes citissima morte occumbere, quam miseræ iugo seruitutis longissime perire. Nam

se terræ

se terræ præcipites dabant, & ad terram(*c*), quæ cunctis mortalibus vitæ præbet alimenta, mortem inueniebant. Nec tamen omnes occiderunt: sed seruituti suæ plurimos reseruauerunt. Tunc constitutum est, vt ciuitas mundaretur, & iniunctum est Saracenis viuis, vt mortuos foras extraherent, ciuitatemque ab omni spurcitia tanti morticinii(*d*) prorsus mundarent. Qui protinus iussis obtemperantes, & lugebant & extrahebant, & extra portam ingentes, veluti castellinas defensalesque domos(*e*), pyras construebant. Membra truncata in sportis colligebant, & foris deferebant, & pauimenta templorum, domorumque a sanguine aqua eluebant.

(*a*) *Pro capitibus suis velut hostias aut holocausta.* Ita expositor antiquus in membranis nostris interlinearis. Rem ipsam vide multis, nec ineloquenter narratam a *Gulielmo Tyrio* lib. 8. cap. 21.

(*b*) Scribendum, *damnauit*, vt habent membranæ veteres nostræ.

(*c*) Apud eam.

(*d*) Tot cadauerum, tantæ carnificinæ.

(*e*) In manuscripto est, *castellitias*, & ita edidit, tandem aliquando boni sibi aliquid conficiens, *Pistorius.* Instar castellorum dicit referentes strues. Tantundem est, vtram lectionem sequaris. Tales vero cadauerum, ossiumque aceruos, instar montium, quibus exurendis nullæ siluæ suffecerint, habes apud *Claudianum* in quarto Consulatu Honorii v. 468, in Bello Getico v. 513. *Castrum*, amplior & magnificentior vrbs. *Anselmus* in descriptione terræ; *A domo Pilati versus aquilonem ad medium stadium est domus Herodis, quasi castrum.* Eum scriptorem primus & solus hactenus edidit *Henr. Canisius* in VI Antiquitatum tomo. Sed est antiquior, quam ferunt numeri paginæ, 1314, qui eum anno 1507 & 1508 in Palæstina fuisse videri volunt. Qua de re alibi, suoque loco disceptabimus. De maximis his pyris etiam *Auctor primus* cap. 39.

CAPVT VI

Dux Gotfridus *eligitur Hierosolymorum Rex*; Arnulfus *constituitur Patriarcha*; Neapolis Cariæ *Regi se sponte subiicit.*

ELiminatis itaque omnibus inimicis, ab vrbe pacifici nominis(*a*), de ordinando Rege, quæstio debebat agitari, vt scilicet vnus ex ipsis omnibus eligeretur, qui tantæ vrbi tantoque populo præficeretur. Communi igitur decreto omnium, pari voto, generalique assensu Dux *Gothefridus* eligitur(*b*): octauo scilicet die, quo ciuitas expugnatur(*c*). In quo bene assensus omnium conuenire debuit, quia in illo regimine talem se exhibuit, vt ipse magis regiam dignitatem(*d*), quam regia dignitas ipsum commendarit.

Non honor illustrem faciebat eum, sed honori
Multiplicabatur gloria propter eum.

In tantum enim regiæ dignitati præfuit & profuit, vt si fieri posset, vt vniuersi Reges terræ iuxta illum adessent, censura æquitatis omnibus principari iudicaretur, & merito equestris probitatis & vultuosa(*e*) corporis elegantia & nobilium morum prærogatiua. Congruum quoque deinceps erat, vt qui sibi gubernatorem corporum decenter & decentem elegerant, rectorem animarum pari modo sibi proponerent. Elegerunt itaque quendam clericum nomine *Arnulfum*(*f*), diuina & humana lege bene eruditum. Erat autem scriba doctus in regno cælorum, id est, in sancta ecclesia, qui bene poterat de thesauro suo proferre noua & vetera. Eius siquidem electio facta fuit in festiuitate sancti *Petri* ad vincula, quæ festiuitas bene congruit vinculatæ ciuitati, quæ dæmoniacis nexibus diu fuerat illigata: quoniam ipso die, quo dignum habuit sacerdotem, libera fuit & absoluta. Gratias itaque Deo saluatori & liberatori suorum, qui totiens eam destrui & ancillari(*g*) permisit, totiensque destructam reædificavit, & ancillatam mirabili potentia liberauit. His, vt præfatum est bellorum conflictibus gens Gallicana fines Orientis penetrauit, & ab immunditiis gentilium, quibus per annos circiter quadraginta *Hierusalem* fuerat inquinata, diuina opitulante gratia, emundauit. In qua sacerdote canonice consecrato, & Rege sublimato, Francorum celebre nomen omni Orienti innotuit; & omnipotentia Iesu Christi in ea crucifixi mentibus etiam infidelium resplenduit. Quo splendore renitentis gratiæ, cum Sacerdotis ac Regis ordinatio solenni gaudio fuisset

fuisset exhibita, nuntii de *Neapolitana* vrbe ad Regem *Gothefridum* venerunt: ciuium suorum mandata ferentes, vt ad ipsos, scilicet de suis, mitteret, & ciues & ciuitatem eorum in suo regimine suaque ditione reciperet: volebant enim de seipsis suum dilatare imperium (*h*), magis affectantes suum, quam alterius principatum. Est autem ciuitas *Neapolis* Cariæ, quæ est prouincia Asiæ. Rex accepto consilio, misit ad illos *Eustachium* fratrem suum, & *Tancredum*, cum magna manu militum & peditum: quos illi cum magnæ venerationis officio susceperunt, & seipsos & ciuitatem in eius ditionem tradiderunt.

(*a*) Nomen enim *Hierusalem* pacificam visionem indicare volunt nonnulli Hebræarum vocum indagatores. Vide in fine operis.

(*b*) Prior calculus datus erat *Raimundo*, Tolosano Comiti. Vide *Albertum Aquensem* lib. 6 cap. 33. *Gulielmum Tyrium* lib. 9 cap. 2.

(*c*) *Expugnata erat.* Sic melius legunt membranæ.

(*d*) Vide commentaria recitata ad illud *Claudiani* nostri, *Ornatur fortuna viro*—Sequentia distichon elegiacum habent.

(*e*) *Vultuosus* pulcrum cum grauitate decora denotat. De ea voce peculiari capite egimus Volum. 3 *Aduersarior.*

(*f*) Non placet de hoc homine iudicium huius scriptoris. Vtique enim vera sunt, quæ contra traduntur ab *Gulielmo Tyrio*, non vno locupletis suæ historiæ loco. Laudatur tamen impense & primo Auctori cap. 39.

(*g*) Seruituti subiicit. Ita *ancillaria ecclesia* apud *Guilielmum Tyrium* lib. 8 cap. 60, & alios.

(*h*) Christianum *Gothofredi* imperium intellige.

CAPVT VII

Admirauisus Babylonia bellum aduersus Christianos parat; cui obuiam ire statuit Rex, ac Eustachium *&* Tancredum *aduocat.*

CVm hæc ita fieri inciperent, ille tortuosus (*a*) & lubricus anguis, qui fidelium semper inuidet felicitati, titulum scilicet Christiani nominis ita ampliari, & regnum renouatæ *Hierusalem* ita dilatari, admodum indoluit. Et *Clementem*, imo dementem(*b*), Admirauisum Babyloniæ, contra ipsos felle commouit, & cum ipso omnem Orientem excitauit. Sperauit etenim totius malitiæ præsumptor (*c*), omnes illos & vrbem delere, & memoriam dominici sepulchri funditus abolere. Sed sicut cogitationes hominum vanæ sunt, ita & potentiæ (*d*) euanescunt. Collegit igitur, quicquid potuit hominum, & pomposo apparatu(*e*) *Ascalonam* peruenit. Quo cum peruenisset, nuntius ad Regem festinus venit, & rem, vt erat, ei intimauit. Nec mora longa fuit, quod Rex ad illos, quos miserat, misit, vt videlicet festinarent ad bellum venire: quod præparauerat Admirauisus Babyloniæ. Ipse enim iam cum innumera gente *Ascalonæ* erat, & Hierosolymam obsidere parabat. Quod vbi *Eustachius* & *Tancredus*, ceterique viri bellatores audierunt, imminens belli negotium Neapolitanis ciuibus ostenderunt: & vale eis dicentes, cum bono gaudii & amicitiæ discesserunt. Nostri quippe Turcorum occursum desiderantes, montana conscenderunt, & tota die ac nocte insomnes & inquieti *Cæsaream* peruenerunt. In crastinum iuxta mare ambulauerunt, & ad quandam vrbem, quæ *Ramola* dicitur peruenerunt, multosque ibi Arabes, qui belli præcursores erant, inuenerunt. Quos fortiter nostri insequentes, plures ex eis apprehenderunt, qui ipsis omnem belli apparatum in veritate aperuerunt. Qua re comperta, nuntios velocibus equis insidentes, Regi citius legauerunt, vt omnes absque dilatione commoneret(*f*), & contra *Ascalonam* ad bellum procederet. Est autem *Ascalona* ciuitas insignis Palæstinæ, viginti quinque miliariis distans ab Hierosolyma: quam quondam allophyli condiderunt, & *Ascalonam* ex nomine *Celon*, qui fuit nepos *Cham* & filius *Mesraim*, vocauerunt. Fuit autem semper aduersatrix Hierusalem; & cum vicina sit, tamen nulla vnquam familiaritate coniungi voluit. In hac igitur Admirauisus Babyloniæ erat, cum nuntii ad Regem venerunt, & quæ supra diximus, retulerunt. Rex autem vt audiuit, Patriarcham conuocari præcepit, & ab eo consilium accepit, vt per totam ciuitatem præconaretur, quo in crastinum summo mane omnes ad ecclesiam conuenirent: vt post sacra missarum solennia dominici corporis eucharistiam perciperent, & ad bellum versus Ascalonam equitarent.

(*a*) Diabo-

(a) Diabolus. *Prudentius* Cathemer. 6;

O tortuose serpens,
Qui mille per meandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda.

Sic *Ecelinum*, vecordissimum tyrannum, *serpentem tortuosum* vocat *Monachus Paduanus* in eius vita lib. 2 cap. 18, quod est de nefarii hominis captiuitate. *Tortuosa* rectis, iustis, veris opposita. *Tortuosa res* apud *Agellium* lib. 13 cap. 2. *Tortitudo* serpentis; *Eucherius* homil. in Litaniis maioribus; *Petunt autem & serpentem in veneno, & tortitudine diabolum imitantur.* Σκολιὸς ὄφις. *Eusebius* histor. eccles. lib. 5 cap. 1; ἵνα διὰ πλειόνων γυμνασμάτων νικῶντα, τῷ μὲν σκολιῷ ὄφει ἀπαραίτητον ποιήσῃ τὴν καταδίκην, προτρέψηται δὲ τοὺς ἀδελφούς. *Epiphanius* in Gnosticis Hæresi 26; Καὶ καταλυθέντα τὸν ἐν ἑαυτῷ τοῦτον τὸν σκολιὸν ὄφιν καὶ βασιλέα. Ita legenda sunt ea verba.

(b) Elegans, quam vocamus, alliteratio. Eius exempla plurima dedimus lib. 150 *Aduersariorum* cap. 9; item ad lib. 2 & 6 Papinianæ Thebaidos.

(c) Fabricator & institutor. Adnotatum alibi.

(d) Et magnifico & præpotente.

(e) i. e. conatus ingentibus apparatibus subnixi.

(f) Scribe, — *commoneret*. Vti supra iam locutus est cap. 6 & alibi.

CAPVT VIII

Christiani læto animo aduersus hostem tendunt: in itinere insigni potiuntur præda: vt parati sint in crastinum, Rex iubet: ne ante victoriam prædæ inhient, prohibet Patriarcha.

RVmor iste minime perturbauit animos audientium, sed nox subsequens visa est illis tardiori successu protensior ceteris extitisse (a).

Vt primum matutina (b) caput aurora leuauit,
Ad Missam resonans cunctos campana vocauit.
Missa peroratur, populus Domino sociatur.
Quæ benedicuntur, sacra munera dum capiuntur,
Exit ab ecclesia plebs, atque cucurrit ad arma,
Et ieiuna suum contraria pergit ad hostem.
Classica sistra (c) tubæ, postquam Rex exit ab vrbe,
Insonuere simul; quorum clangoribus omnes
In gyrum montes cum vallibus echonisabant,
Terroremque suis inimicis incutiebant.

Ita procedunt ad prœlium Christianæ acies, Deum victorem belli corpore & mente gestantes: & propterea non terrentur hominum vlla multitudine, quia non confidunt in sua, sed in ipsius virtute. Patriarcha quidem dereliquit vices suas *Petro* Eremitæ, vt missas ordinaret, orationes constitueret, & processiones componeret ad sepulchrum, vt Deus homo, qui in eo iacuit, populo suo fieret in præsidium. Cumque Rex cum suo exercitu veniret ad flumen, quod est circa *Ascalonam*, inuenit ibi multa millia boum, camelorum, asinorum, mulorum, & mularum: quæ non solum erant de ciuitate, sed & cum exercitu Admirauisi venerant. Quæ omnia centum Arabes custodiebant: sed vt primum nostros viderunt, & prædam eis dereliquerunt, & fugæ subsidium sibi quæsierunt. Nostri vero persecuti sunt illos, sed apprehendere non potuerunt, nisi duos. Prædam autem vniuersam rapuerunt, & Hierusalem ex ea copiose ditauerunt. Rex quidem die iam aduesperascente vociferari præcepit per vniuersum agmen, vt omnes quiescerent, & primo diluculo consurgerent, seque bello præpararent. Patriarcha vero anathematizauit omnes, qui in illo conflictu aliquid raperent, ante consecutam victoriam. Nocte igitur transacta aurora solito clarior incanduit, & nostros a somno excitauit. Erat autem feria sexta, in qua Saluator generis humani, diabolum Regem Babyloniæ, trophæo crucis prostrauit; & nunc iterum Admirauisum suæ Babyloniæ, per satellites suos Dominus superauit.

(a) Cupienti enim nihil satis festinatur. Vide Commentaria renouatæ lectionis ad *Claudiani* epithalamia Honorii.

(b) Error in syllabis duplex.

(c) Abutitur significatu huius vocis. Muliebris enim sonus eius est. Ita infra cap. 13 *Insonuere tubis, sistris, & cornibus, atque omnis generis musicis instrumentis.* Isiacarum notum gestamen. Scholiastes Persii.

CAPVT IX

Rex acies instruit. Admirauisus conspecto Christianorum exercitu eos spernit.

REx, vt superius diximus, flumen transmeauit, sed Patriarcha cum Episcopis, aliisque religiosis viris, tam Græcis quam Latinis, citra remansit. Descendit itaque Rex in quandam vallem speciosam & spatiosam cum suis omnibus, & secus littus maris intrauit (*a*), ibique suas acies ordinauit. Ipse suam constituit primam. Comes Normannus secundam. Comes sancti Ægidii tertiam. Comes Flandrensis quartam. Comes *Eustachius* & *Tancredus* & *Guaston* de *Behert* quintam. Vniuersique pedites cum sagittis, & pilis, & telis præposuerunt se militibus: & sic ordinati obuiam ire cœperunt Babyloniensibus. In dextera parte iuxta mare, Comes sancti Ægidii fuit: in sinistra vero Rex, vbi maior hostium fortitudo incumbebat, equitauit. Inter hos (*b*) alii omnes fuerunt. Sed non est prætereundum, quid *Clemens* Admirauisus dixerit, cum ei, quod nostri contra eum equitabant ad prœlium, nuntiatum fuit. De serotina enim præda, quam nostri ceperant, nullus ei nuntiauerat: quoniam nisi læta & prospera nullus ei dicere præsumebat, quia in gaudio semper esse volebat. Quicunque enim ei aduersa nuntiabat, nullam deinceps gratiam in conspectu eius inueniebat. Nec illum tamen vlla res possessa suo distractu (*c*) turbauerat: tantæ facultatis erat, quod remanebat. Et ne friuolum esse dicat quis, quod dicturi sumus, a quodam Turco, qui hæc postea in Hierusalem retulit, habuimus: qui sponte sua factus est Christianus, & in baptismate vocatus est *Boamundus*. Summo itaque mane dictum est ei, quod reuera Franci parati erant ad prœlium, & quod iam prope essent, venientes contra ipsum. Tunc fertur demens dixisse nuntio: *Quod mihi dicis, non audeo credere, quia nec etiam intra muros Hierusalem æstimo illos inuenire.* Cui & ille: *Certissime sciat, Domine, magnitudo tua, quia parati ad prœlium veniunt, & iam prope sunt.* Tunc præcepit, vt omnes arma caperent, & ad bellum properarent. Cumque parati omnes ex aduerso starent, & ipse nostros intuitus esset, dixit: *O regnum Babyloniæ, cunctis regnis antecellens, quantum dedecus hodie pateris, in hoc quod tantilla gens contra te venire præsumit! Ego vero nunquam æstimaui illos nec intra septa etiam cuiuslibet vrbis inuenire; & ipsi contra me itinere diei vnius ausi sunt venire? Aut sensum amiserunt, aut mori sicut & viuere diligunt (d). Præcipio itaque vobis, o Babylonici bellatores, vt omnes istos de terra tollatis, nulli parcat oculus vester, nulliusque misereamini.*

(*a*) Scribe cum membranis, *iterauit* — i.e. iter fecit. Notatum alibi cum exemplis verbum.

(*b*) i.e. in medio horum agminum.

(*c*) Eius possessione scilicet excedendo. Quod de captiuo & christiano Turco adiicit *Robertus*, nescio an credendum putemus. Primum certe Bongarsianum auctorem ad ipsa vsque verba stricte sequitur noster Monachus, & sic quidem, vt cum eo libros suos incipiat, deducat, & finiat. Verum apud eum auctorem istius Turcæ nulla reperitur mentio.

(*d*) In membranis veteribus non, *diligunt*, scriptum est. Puto *Robertum* reliquisse, — *aut mori sic nec viuere eligunt.*

CAPVT X

Concurritur. Christiani & alacriter & fortiter pugnant, Turcos vincunt & fugant.

SIc ergo commissum est prœlium. Primus siquidem Comes Normanniæ, miles imperterritus, cum sua acie congressionem incepit: in illa scilicet regione, in qua vexillum Admirauisi, quod *standartum* vocant, conspexit. Qui ferro per medias acies viam interrumpens, multas strages dedit, & tandem ad illum, qui *standartum* (*a*) tenebat, perueniens, illum ante pedes Admirauisi prostrauit, & vexillum accepit. Admirauisus autem vix euasit, & *Ascalonam* fugiens, ante vrbis ianuam constitit. Et miser miserrimam suorum cladem a longe prospe-

prospexit. Non dissimili audaciaRex & reliqui Comites in oppositos irruunt, & sæuissima mulctatione dextra læuaque perimunt, quotquot sibi occurrunt. Ibi Turcensis arcus nulli eorum profuit, quia impetus nostrorum tam celer tamque densissimus fuit, quod nulli trahere licuit, sed fugere libuit. Multa quippe ibi millia mortua sunt, quæ mortua non essent, si fugere præualuissent. Sed multitudo tanta erat: quoniam qui retro erant, præmissos in mortiferos nostrorum gladios impellebant. *Tancredus* & Boloniensis Comes *Eustachius* irruerunt in eorum tentoria, & multa ibi præclara egerunt: quæ si scriberentur (*b*), digna essent memoria. Nullus nostrorum segnis, nullus pauidus repertus est, sed omnes vno spiritu animati, vnanimiter prosequebantur inimicos crucis Christi. Mirum quippe erat, quod tantorum multitudinem armatorum paucitas nostrorum non expauescebat, sed diuina suffragante gratia magis ac magis conualescebat, & eorum ceruicositatem inclinabat. Sicque die tota pugnæ conflictus initur vsque quo sol centrum poli conscendit, hora videlicet, qua Dominus noster Iesus crucem ascendit: ipsa eadem hora omne robur contrariæ gentis emarcuit, qui ita sensu mutati erant, quod nec fugere poterant (*c*), nec se defendere valebant. Arbores ascendebant, putantes, quod sic se tuerentur, ne a nostris intuerentur. Nostri vero sagittabant illos, sicut aucupes volatilia, & ad terram demersos trucidabant, vt in macello carnifices animalia. Alii autem tenentes gladios in manibus, pedibus nostrorum prouoluti, terræ se inclinabant, & erigere se contra Christianos non audebant. Iam vero prima pars Babylonici exercitus tota fugiebat, & posterior de victoria, cuius esset, adhuc dubitabat, quia nihil vnquam minus sperabat, quam suorum fugam, & victoriam Christianorum. Cum enim suos conspicabatur per plana camporum fugiendo discurrere, æstimabat illos persequi Christianos, & velle occidere. Sed postquam compererunt, quod Christianorum erat victoria, gaudium, quod habuerant, superauit mæstitia. Tunc & ipsi perterriti fugiunt, & sequacibus suis fugiendi præstant consortium. Et vt ventus aquilo dissipat nubes, & immissus turbo aggeres stipularum; sic nostri dissipabant alas & cuneos fugientium. Dum hæc ita fierent, dum sic milites Christi satellites diaboli destruerent, & Comes sancti Ægidii, qui iuxta mare pugnabat, absque numero perimeret, & multo plures in mare præcipites ire compelleret, quid *Clemens*, nunc vero demens, Admirauisus stans ante portam Ascalonæ dixerit, audiamus: sicut supra dictus proselytus Hierosolymis deinceps retulit, qui iuxta illum erat, vt assecla, & domesticus & verna illius.

(*a*) Pomum aureum argenteæ hastæ infixum pelliciebat Comitem Normannum, vt recta ad vexillum illud properaret. Potitus demum victoria, emit id iste Princeps, & dono dedit Clero Hierosolymitano, vt auctor est primus ille Bongarsianorum. De *Standarto* alibi.

(*b*) Quia raptim transit ea Auctor primus, ideo nec iste de iis scit, quæ scribenda fuerint.

(*c*) Auctor primus; *Stabant inimici Dei excæcati & stupefacti, ac videntes Christi milites, apertis oculis nihil videbant, & contra Christianos erigere se non audebant, virtute Dei tremefacti. Præ nimio timore adscendebant, in quibus se putabant abscondere. At nostri sagittando & cum lanceis ensibus occidendo, eos ad terram præcipitabant; alii autem iactabant se in terram, non audentes se erigere contra nos. Nostri igitur eos detruncabant, sicut aliquis detruncat animalia ad macellum.* Paraphrasten horum verborum agit noster auctor.

CAPVT. XI

Admirauisus suam, suorumque infelicitatem querula deplorat oratione.

CLEMENS igitur, vt demens, dicebat, dum gentem suam gens Christiana detruncabat: *O Mahomet præceptor noster & patrone, vbi est virtus tua? Vbi est cælestium virtus numinum, cum quibus ipse gloriaris? Vbi est creatoris efficax potentia, cui semper astat tua præsentia? Cur sic reliquisti gentem tuam, quam immisericorditer dissipat, destruit, & interficit gens pauperrima & pannosa, gens aliarum gentium peripsema, omniumque prorsus hominum fæx, rubigo & scoria. Gens, inquam, quæ a nostra solita erat quærere panem (a), quæ nihil prorsus habebat, nisi baculum & peram? Toties eis eleemosynam dedimus, toties eorum miserti sumus. Heu heu,*

heu, quare eis pepercimus? Cur illorum miseriæ indulsimus? Quare non omnes occidimus? Nunc scire possumus, quod huc veniebant, non vt veri adoratores, sed vt subdoli exploratores. Gloriam nostræ felicitatis viderunt, diuitias nostras concupierunt, concupiscentiam secum in terram suam detulerunt, & istis nuntiauerunt. Nunc igitur isti sitiunt aurum argentumque nostrum, & ob hoc tam crudeliter effundunt sanguinem nostrum. Ergone sunt homines isti, qui tantam habent potestatem, aut certe infernales dii? Forsitan infernus ruptus est, & populus iste eruptus est (b). Abyssus crepuit, inde gens ista efferbuit (c). Nulla enim habent viscera humanitatis (d); nulla indicia pietatis. Si homines essent, mori timerent; sed, vnde emerserunt, in infernum redire non expauescunt. O gloria regni Babyloniæ, quam turpiter hodie dehonestaris, quæ bellatores tuos olim fortes, nunc debilitatos amittis! Quæ gens vlterius poterit huic nefariæ genti resistere, cum gens tua contra eam nec ad horam poterit sustinere? Heu heu, nunc fugiunt, qui nunquam fugere didicerunt, & turpiter prosternuntur, qui alios prosternere consueuerunt. Proh dolor, omnia nobis cedunt in contrarium. Vincere solebamus, & vincimur. In lætitia cordis assidue versati, nunc mærore afficimur. Quis enim valet oculos suos a lacrymis temperare, & erumpentes ab intimo corde singultus cohibere? Diu est, quod in collectione huius exercitus curam magnæ sollicitudinis expendi, multumque tempus frustra consumpsi. Fortiores totius Orientis milites innumerabili pretio conduxi, & ad hoc bellum adduxi: & nunc ad extremum & ipsos & pretium amisi. Multo argenti dispendio paraueram ligna ad construendas turres ligneas, & omnis generis machinas in circuitu Hierusalem, vt eos obsiderem: & ipsi longe ab ea præuenerunt faciem meam. Quem honorem habebo vlterius in terra mea, cum sic me dehonestat gens aduena, populus alienus? O Mahomet, Mahomet, quis vnquam venustiori cultu te coluit, in delubris auro argentoque insignitis, pulchrisque de te imaginibus decoratis, & cerimoniis & solennitatibus omnique ritu sacrorum? Sed hoc est, quod Christiani nobis insultare solent, quia maior est virtus crucifixi, quam tua, quoniam ipse potens est in cælo & in terra. Apparet autem nunc, quoniam qui in eo confidunt vincunt: illi vero vincuntur, qui te venerantur. Sed hoc non exigit incuria nostra, quoniam auro, gemmis, cunctisque opibus pretiosis, magis insignita est sepultura tua, quam Christi. Ciuitas illa quæ tuo nobilitatur corpore, nunquam decisa est ab honore, sed omni sublimitate semper excreuit, omnique famulatu debitæ venerationis enituit. Ista vero in qua crucifixus tumulatus est, nunquam deinceps honorem habuit, sed destructa & conculcata, & ad nihilum redacta multotiens fuit. Cuius igitur culpa ita degeneres efficimur, cum omnem tibi exhibeamus honorem, & nullam nobis rependis vicem? O Hierusalem ciuitas seductrix & adultera, si vllo tempore contingeret vt in manus nostras deuenires, totam te solo coæquarem, & sepulti tui sepulchrum funditus exterminarem.

* In margine;

Hæc vt dementis sunt tristia verba Clementis.

(*a*) Allusio est peregrinorum, a Babyloniæ Principe satis humaniter Hierosolymis tractatorum, quoties, eo ibi principante, ex occidentis regionibus illuc appellerent.

(*b*) *Erupit.* Multa ita vsurpant etiam optimi auctores, quorum aliqua loca adnotata memini a doctissimo *Lipsio* commentar. ad Tacitum. Sic *decisa est* mox valet, *decidit.*

(*c*) Instar vermium aut formicarum.

(*d*) Interiorem misericordiam. Multis tomo 3 *Aduersariorum.*

CAPVT XII

Christiani reliquias ciuium & incolarum delent; spolia ampla capiunt; rusticorum necessaria hosti afferentium agmina trucidant.

CVm hæc & his æquipollentia *Clemens* Admirauisus voce querula rotaret (*a*), nostri assuetæ virtutis suæ non immemores, ante vrbis ianuam tanto impetu in Babylonios irruerunt, quod neminem eorum nisi mortuum aut plagis exhaustum

haustum(b) extra ianuam reliquerunt. Tali itaque modo diuina virtus bellum deuicit, & nostros victoria commendauit. Et quis ad plenum valet referre quot occisi sunt in angusto portæ introitu? Tunc *Clemens* iure flere potuit, cum tot ante se suorum cadauera extincta vidit. Quidam adhuc in supremo spiritu positi(c) palpitabant, & *Clementi*, qui illuc eos adduxerat, maledicebant. Fertur tunc *Clemens* eiulando fleuisse, & nostros maledixisse. Erant autem in mari, quod adiacet ciuitati, nautæ & naues circum adiacentium regionum mari, qui iussu Admirauisi attulerant totius opulentiæ supplementum ad obsidionem vrbis *Hierusalem* necessarium. Qui vt viderunt suos & Dominum suum tam turpiter confusum, timore perterriti vela suspenderunt, & in altum mare se impulerunt. Nostri vero cum manibus erectis ad cælum cordibus Deo gratias retulerunt, & ad eorum tentoria reuertentes aurum & argentum, & innumera spolia vestium, copiamque ciborum, multa genera animalium omnium, instrumenta armorum, inuenerunt. Inuenerunt etiam equos & iumenta, mulos & mulas, asellos & asinas, & dromedarium vnum. Quid de ouibus & arietibus, aliisque pecoribus referam, quæ ad esum parata erant? Lebetes & caldariæ (d), cacabi, lecti eorumque exuuiæ, cophini pleni auro argentoque, aureisque vestibus, omnisque eorum apparatus ibi inuentus est, ditissimaque præda locupletati sunt, qui tentoria Admirauisi regalibus referta diuitiis habuerunt. *Sandartum* quod in summitate argenteæ hastæ pomum habebat aureum, Comes Normanniæ obtulit sepulcro Domini, fuitque appretiatum precio viginti marcarum. Ensem vero alter emit LX Bysanceis. Dum vero nostri sic triumphaliter reuerterentur, inueniebant agmina rusticorum, vasa vinaria & aquatilia deferentium, quæ necessaria esse putabant in obsidione, suorum vsibus dominorum, qui, velut bestiæ, stupefacti nusquam diuertebant: & inclinatis verticibus enses nostrorum expectabant. Plerique in mortuorum sanguine se volutabant, & quasi mortui inter mortua corpora latitabant.

(a) Effutiret celeri & incurioso sermone.
(b) Deficientem pondere ictuum & plagarum.
(c) Animam agentes.
(d) Ollæ scilicet, aliaque instrumenta ad focum pertinentia. *Aes caldarium*, ex quo talia funduntur, apud Isidorum lib. 16 cap. 19 cet.

In margine;
Munus perpulcrum defert Comes ante sepulcrum.

CAPVT XIII

Christiani magno cum triumpho Hierosolymas reuertuntur, multisque excipiuntur laudibus.

VT autem nostri peruenerunt ad flumen, vbi Patriarcham dereliquerant, quieuerunt, vtque fatigati, somnum suum(a) dormierunt.

Vtque dies terris aurora præueniente,
Redditur, exsurgunt, & iter coeptum properarunt.

Qui vt ciuitati fere ad duo miliaria proximare cœperunt, sicut triumphatores intonuere tubis, sistris & cornibus, atque omnis generis musicis instrumentis, ita vt montes & colles harmoniæ modulatis tinnitibus responderent: & quodammodo cum eis Domino iubilarent. Tunc realiter implebatur, quod spiritualiter per *Esaiam* de ecclesia fidelium dicitur: *Montes & colles cantabunt coram vobis laudem.* Erat autem admodum grata multifidaque suauitate delectabilis harmonia, cum voci militum sonituique tubarum echonisarent(b) tinnitus montium, concaua rupium, & ima conuallium. Cum vero ante portas vrbis venirent, ab his, qui remanserant, cum diuinis laudibus, non iam a terrenis montibus, sed a cælestibus(c) præconantur. Et merito Deus super hoc laudabatur, quoniam nunc peregrini sui portis apertis recipiuntur cum laudibus, qui olim cum magna difficultate in magnis iniuriis suscipiebantur, datis etiam muneribus. De his peregrinis & portis per *Esaiam* Domino dicitur: *Et portæ tuæ eis aperientur iugiter, die ac nocte non claudentur.* Hæc prophetia nostris temporibus adimpletur, quia nunc portæ *Hierusalem* filiis peregrinorum aperiuntur, quæ eis antea die ac nocte claudebantur. Factum

 est

est autem hoc prœlium ad laudem & gloriam Domini nostri Iesu Christi; pridie idus Augusti.

(*a*) Naturalem, imperturbatum, securum. De vsu vocis, *sunt*, tali multa præstantium auctorum loca illustrauit *Guil. Canterus* in nouis lectionibus.

(*b*) Instar ecchus responderent. Supra hoc libro cap. 8;

In gyrum montes cum vallibus echonisabant.

(*c*) Sic vocat maioris auctoritatis Clericos, principes procerum ecclesiasticorum. Exempla pridem dedit doctissimus Sidonii illustrator *Ioan. Sauaronius* ad eucharisticon Fausti Reiensis v. 110.

CAPVT XIV

Vrbis Hierosolymarum *auctor & conditor, nomina*, cet.

QVia vero historicus sermo iste ab *Hierosolyma* sumpsit exordium nominis sui, & finem retinet sicut & medium, nulli inconsonum videatur, si in calce huius operis, quis eam primitus fecerit, quis ita appellauerit, inscribatur. * *Melchisedech* fertur eam post diluuium condidisse, quem Iudæi asserunt filium Noe fuisse. Hanc in Syria conditam *Salem* appellauit: & in ea deinceps permulta tempora regnauit. Quam postea *Iebusei* tenuerunt, & partem sui nominis, quæ est *Iebus*, ei addiderunt, & sic collectis in vnum nominibus *b* in *r* mutata *Ierusalem* vocauerunt. Postea vero a *Salomone* nobilius composita & templo Domini & sua domo regia, multisque aliis fabricis & hortis & piscinis *Hierosolyma* appellatur, & quasi de suo nomine *Hierosolomonia* intelligitur. Hæc a poetis *Solyma* corrupte vocatur: & a prophetis *Sion* dicitur, quod in nostra lingua *Speculatio* interpretatur: pro eo quod in monte constituta, de longe venientia contemplatur. *Hierusalem* autem in nostro sermone *Pacifica* transfertur. De antiqua huius gloriosa opulentia scriptum inuenimus in libris Regum, quia *Salomon* fecit, vt tanta abundantia argenti esset in Hierusalem, quanta & lapidum. Enim vero multo copiosius ditior enituit, cum in ea Dei filius, pro generali omnium redemptione, crucem sustinuit, cælum suis sideribus obnubilauit, & terra tremuit, petræ scissæ sunt, monumenta aperta sunt; & multa corpora Sanctorum qui dormierant surrexerunt. In qua ciuitate contigit vnquam tam mirabile mysterium, de quo emanauit salus omnium fidelium? Ex quo hoc coniicitur, quod hanc ita Dei filius sua gloriosa morte illustrauit, quia si nostris placuisset autoribus, non *Hierusalem*, sed *r* in *b* mutata *Iebussalem* debuisset vocari. Et sic in nostro idiomate *Salus pacifica* potuisset interpretari. Pro his & huiusmodi figuratiuis actionibus, forma est & mysticum sacramentum illius *Hierusalem* cælestis, de qua dicitur: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion saluator, ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas & ingredietur gens iusta, custodiens veritatem.* De huius laude cuncta referre non possumus, quæ dicta sunt a prophetis & legis doctoribus. Hæc vero terrena nostra ætate fuit a Deo derelicta, & odio habita, a malitia inhabitantium in ea. Cum autem ipsi Domino placuit, adduxit Francigenam gentem ab extremis terræ, & per eam ab immundis gentilibus liberare eam disposuit. Hoc longe per prophetam *Esaiam* prædixerat, cum ait: *Adducam filios tuos de longe, argentum eorum & aurum eorum cum eis, in nomine Domini Dei tui, & sancto Israeli, quia glorificauit te. Ædificabunt filii peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi.* Hæc & multa alia inuenimus in propheticis libris, quæ congruunt huic liberationi factæ ætatibus nostris. Per omnia & super omnia benedictus Deus, qui iusto iudicio percutit & vulnerat, & gratuita bonitate, quando vult & quomodo vult, miseretur & sanat. Amen.

* In margine;

Monstrat Iherusalem, qui primus condidit illam.

Quæ sequuntur ad finem huius operis & illustrari volunt, vt verum dicamus, pleraque omnia nullius ponderis, neque vllo oleo digna sunt; extra quidem gratiarum actionem & agnitionem Dei beneficiorum.

Epistola

Epistola

Boamundi *Principis Antiochiæ*, Raymundi *Comitis sancti Ægidii*, Godefridi *Ducis Lotharingiæ*, Roberti *Comitis Normanniæ*, Roberti *Comitis Flandrensis*, & Eustachii *Comitis Boloniæ ad* VRBANVM II *Papam*.

DOmino & venerabili Papæ VRBANO *Boamundus*, & *Raimundus* Comes sancti Ægidii, ac *Godefridus* Dux, *Robertus*que Comes Normanniæ, atque *Robertus* Comes Flandrensium, & *Comes Boloniæ, salutem & fidelia seruitia, & vt filii suo patri spirituali veram in Christo subiectionem. Anno 1098

* *f. Eustachius*

Volumus omnes & desideramus notum vobis fieri, quam magna Dei misericordia, quamque euidentissimo ipsius adminiculo a nobis capta est Antiochia, & Turci, qui multa Domino nostro Iesu Christo intulerant opprobria, capti & interfecti sunt, & nos Hierosolymitani Iesu Christi iniurias summi Dei vindicauimus, & nos, qui Turcos prius obsidendo deuiceramus, qualiter postea a Turcis de Chorasan, & Hierusalem, & Damasco, multisque aliis terris venientibus obsessi fuimus, & quomodo tandem misericordia Iesu Christi liberati sumus.

Cum igitur capta Nicæa, illam maximam multitudinem Turcorum, sicut audistis, in Kalendis Iunii nobis obuiam in valle Doretillæ deuicissemus, & illum magnum Sullimannum fugauissemus, suisque hominibus & terra ac rebus expoliassemus, adquisita & pacificata tota Romania, ad obsidendam Antiochiam venimus. Qua obsessa, multa mala perpessi sumus, tum de bellis summorum Turcorum & paganorum, nobis tam frequenter & copiose irruentium, vt verius diceremur obsessi, quam quos in Antiochena ciuitate obsederamus. Tandem omnibus bellis superatis, eorumque euentu Christiana fide exaltata, ego Boamundus conuentione facta cum quodam Turco, qui mihi ipsam tradidit ciuitatem, scalas parum ante diem cum multis Christo militantibus muro applicui, & ita ciuitatem antea Christo resistentem III Nonas Iunii accepimus, & ipsum Cassianum, ipsius ciuitatis tyrannum, cum multis suorum millibus interfecimus, eorumque vxores & filios, ac familias cum auro & argento & omnibus eorum possessionibus retinuimus. Asylum autem Antiochenum a Turcis præmunitum habere non potuimus. Sed cum in crastino ipsum asylum aggredi voluissemus, infinitam multitudinem Turcorum, quam multis diebus ad nos bellandum venturam extra ciuitatem expectaueramus, per omnes campos discurrentem vidimus. Qui tertia die nos obsederunt, & asylum prædictum plus quam centum milia eorum intrauerunt, ac per portam eiusdem asyli ad ciuitatem sub asylo constitutam, nobis illisque communem irrumpere voluerunt. Sed nos in alio monte consistentes ipsi asylo opposito, viam inter vtrumque exercitum ad ciuitatem descendentem, ne ipsi nobis multo plures irrumperent, custodientes, & intus & extra nocte & die debellantes, portas ad ciuitatem asyli intrare & ad castra remeare compulimus. Cum ergo vidissent, quod ex illa parte nocere nobis nil potuissent, ita nos ex omni parte circumierunt, vt nulli ex nostris exire, vel ad nos venire potuerint. Quare ita desolati & afflicti fuimus, quod fame & aliis multis angustiis morientes, equos & asinos nostros famelicos interficientes multi nostri comederunt. Sed interim clementissima misericordia omnipotentis Dei nobis subueniente & pro nobis vigilante, dominicam lanceam, qua latus Iesu Christi Longini manibus perforatum fuit, S. Andrea Apostolo cuidam famulo Dei ter reuelante, & ipsum locum, vbi lancea iacebat, demonstrante, in ecclesia B. Petri Apostolorum principis inuenimus. Cuius inuentione & multis aliis diuinis reuelationibus ita confortati & corroborati fuimus, vt qui antea afflicti & timidi fueramus, tunc ad bellum faciendum audacissimi promptissimique, alii alios hortabamur. Igitur tribus hebdomadibus & quatuor diebus obsessi, in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, in Deo confidentes, & de omnibus iniquitatibus nostris confessi, petentes portas ciuita-

vid. Wilhelm. Tyr. lib. 6 cap. 14

ibid. cap. 22

ciuitatis, cum omni exercitu nostro bellico, ad portas exiuimus; ac tam pauci eramus, quod nos ipsi non nos pugnare contra eos, sed fugere affirmabant. Nos autem omnibus paratis, & tam peditibus quam militibus certis ordinibus dispositis, vbi maior virtus & fortitudo eorum erat audacter requisiuimus cum dominica lancea, & a prima belli statione fugere coegimus. Ipsi autem, vt mos eorum est, se vndique dispergere cœperunt, & colles occupando & vias vbicunque poterant appetendo, nos girare voluerunt, quia sic nos omnes interficere parauerunt. Sed nobis multis bellis contra eorum calliditates & ingenia edoctis ita gratia Dei & misericordia subuenit, vt qui paucissimi ad eorum comparationem eramus, omnes illos in vnum coegimus, & coactos, dextera Dei nobiscum dimicante, fugere & castra cum omnibus, quæ in castris erant, relinquere compulimus. Quibus victis, totaque die insecutis, & multis millibus eorum interfectis, ad ciuitatem læti & hilares remeauimus. Asylum autem supra scriptum Admirabilis quidam, qui in eo erat cum mille hominibus, Boamundo reddidit. Et ita Dominus noster Iesus Christus totam ciuitatem Antiochenam Romanæ religioni & fidei mancipauit.

Id. lib. 6 c. 1 Sed quia semper solet aliquid mæstum lætis interuenire rebus, ille Podiensis Episcopus, quem tuum Vicarium nobis commiseras, bello peracto, in quo honeste fuit, & pacificata ciuitate, Kalendis Augusti mortuus est. Nunc igitur filii tui patre commisso orbati, tibi spirituali patri nostro mandamus, vt qui hanc viam incepisti, & sermonibus tuis nos omnes terras nostras & quicquid in terris erat, relinquere fecisti, & crucem baiulando Christum sequi præcepisti, & Christianum nomen exaltare commonuisti, complendo quæ hortatus es, ad nos venias, & quoscunque poteris, vt tecum veniant, summoneas. Hinc enim Christianum nomen sumpsit exordium. Postquam enim beatus Petrus in cathedra, quam cotidie cernimus, inthronizatus fuit, illi, qui prius vocabantur Galilæi, hic primum & principaliter vocati sunt Christiani. Quid igitur in orbe rectius esse videtur, quam vt tu, qui pater & caput Christianæ religionis existis, ad vrbem principalem & capitalem Christiani nominis venias, & bellum, quod tuum est proprium ex tua parte conficias. Nos enim Turcos & paganos expugnauimus. Hæreticos autem Græcos & Armenos, atque Syros, Iacobitasque expugnare nequiuimus. Mandamus igitur & remandamus tibi carissimo patri nostro, vt tu, pater, ad tuæ paternitatis locum venias; & qui sancti Petri es vicarius, in cathedra sancti Petri sedeas, & nos filios tuos in omnibus recte agendis obedientes habeas; & omnes hæreses, cuiuscunque gentis sint, tua auctoritate & nostra virtute eradices & destruas; & sic nobiscum viam Iesu Christi a nobis inceptam & a te prædicatam perficias, & etiam portas vtriusque Hierusalem nobis aperias, & sepulchrum Domini liberum, atque Christianum nomen super omne exaltatum facias. Si enim ad nos veneris, & viam per te inceptam nobiscum perfeceris, totus mundus tibi obediens erit. Quod ipse te facere faciat Deus, qui viuit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.

Mihi quidem relatum est vnum, quod valde Deo, omnibusque Christicolis contrarium est, quod signati sancta cruce a te licentiam habeant, inter Christicolas morari. Quod multum miror. Quia tu inceptor sancti itineris cum sis, differentes sanctum iter a te consilium vel aliquid boni habere non debent, nisi cœptum iter adimpleant. Et non est nobis opus, vt bonum, quod cœpisti, disturbes, sed etiam tuo aduentu & omnium bonorum virorum, quoscumque poteris adducere tecum, nos corrobores. Decet enim, vt nos Dei auxilio, tuisque sanctis precibus adquisitores totius Romaniæ, Ciliciæ, Asiæ, Syriæ te habeamus post Deum adiutorem & subuenientem. Tu vero nos filios per omnia tibi obedientes, Pater piissime, debes separare ab iniusto Imperatore, qui multa bona promisit nobis, sed minime fecit. Omnia enim mala & impedimenta, quæcunque facere potuit, nobis fecit.

VII Hæc carta fuit scripta XI die intrante Septembrio, indictione * IIII.

INCER-

INCERTI AVCTORIS NARRATIO *DE* LOTHARII ELECTIONE *IN* IMPERATOREM ROMANVM.

CVius haec de LOTHARII *Saxonis* in Regem Germanorum, Romanumque Imperatorem electione narratio sit, haud constat. Id vero patet, scriptam esse a quopiam, temporibus illis aequali*.

* *Aetati isti supparem fuisse auctorem, ex ipsis narrationis huiusce verbis demonstrauit* R. P. Pezius, *in* obseruationibus praeuiis *§ III p.* 569; *quem ideo inspicere iuuabit.*

Quod ad rem ipsam attinet, breuis quidem est; nihilo tamen minus electionis cum institutae tum peractae seriem distincte satis, planeque complectitur. Vtrum etiam sine vllo partium studio, ipse iudicabis.

E tenebris autem, in quibus aliquot seculis latuit, in lucem prodiit beneficio laudati modo R. P. *Hieronymi Pezii*, qui eam an. MDCCXVI e codice quodam membranaceo bibliothecae Gottvvicensis eruit, descripsitque.

Et quidem ex eo bis typis exscripta fuit. Primum an. MDCCXX, cura *Ioannis Georgii Eccardi*, veterum monumentorum Quaternioni n. II inserta; dein anno sequenti MDCCXXI ipsius doctissimi *Pezii*, rerum Austriacarum Scriptoribus tom. I n. XXX immixta.

Quam, cum praeclarum antiquitatis ac historiae Germanicae monumentum sit, habeatque, quae cum *Otho Frisingensis*, tum *Gotfridus Viterbiensis* praeteriere, in Scriptoribus hisce, qui Caesarum & Imperatorum Germanicorum res per aliquot saecula gestas litteris mandarunt, repetere atque exhibere, non ab re alienum putaui.

† † †

I N curia nuper *Moguntiæ* celebrata quid dignum memoria gestum fuerit, qualiter electio Regis processerit, breuiter cartæ mandauimus. Congregatis igitur hinc inde Principibus, Legatis scilicet Domini Apostolici, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Clericis, Monachis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, ceterisque Nobilibus, quot & quantas nulla tempore nostro curia ceperat, vtpote quos non Imperialis, vt ante, potestas, sed communis maximi negotii necessitas asciuerat. Prima die *Brixinensis Electus*, discussa electione sua, & confirmata ab omnibus, ab Episcopis quampluribus in Episcopatum solenniter est ordinatus. Saxonum vero Principes vltra Rhenum dispositis in ripa fluminis sine numero castris, honorifice consederunt, & supra eos Liupoldus Marchio cum Duce Bawarico, cum magno Militum collegio. Dux autem *Fridericus* adiuncto sibi Episcopo *Basilensi*, ceterisque Sueuiæ Principibus ac quibusque Nobilibus ex altera Rheni parte consederant. Et facta seorsum Principum collectione non modica, vtpote qui animum iam in regnum intenderat, & quasi spe certa præoccupauerat, fingens timorem Mogontiniensium distulit ad Principum venire colloquium: & paratus in Regem eligi, sed non in Regem eligere, prius explorare volebat, quem ex omnibus Principum assensus promouere pararet.

II Conuenientes igitur, præter ipsum & suos, omnes regni Principes gratiam sancti Spiritus hortatu Domini Cardinalis per antiphonam, *Veni sancte Spiritus*, inuocantes, primo decem ex singulis, *Bawariæ*, *Sweuiæ*, *Franconiæ*, *Saxoniæ* prouinciis Principes consilio vtiliores proposuerunt, quorum electioni ceteri omnes assensum præbere promiserunt. Hi itaque tres ex omnibus tam diuitiis, quam virtute animi præstantiores, scilicet Ducem *F(a)*. Marchionem *L(b)*. Ducem *Loth(c)*. in concione designantes, vnum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi persuaserunt.

(a) *Fridericum* (b) *Liupoldum* (c) *Lotharium*

III Absente autem Duce *F.* reliqui duo, qui aderant, oblatum sibi regii nomen imperii profusis lacrimis, genibusque terræ defixis humiliter renuebant. Hoc itaque magnum decus & memorabile, nec prius auditum, iam nostro tempore Dominus suæ concessit ecclesiæ, vt laicorum scilicet illiteratorum humilitas sanctissima ostenderit in maioribus non ambiendis, quam perniciose clericorum & litteratorum in minoribus, magis tamen spiritalibus, ambitio damnosa deliquerit. Porro Dux *F.* ambitione cæcatus, sperans sibi consequenter reseruatum, & quasi indubitanter conferendum, quod a duobus vidit humiliter refutatum; iam sine conductu vrbem, quam prius cum conductu ingredi metuebat, ingressus est, & Principum conuentui sociatus, in Regem eligi paratus astabat.

IV Surgens vero Moguntinus Archiepiscopus consulto requisiuit a tribus præfatis Principibus; vtrum sine contradictione, sine retractione & inuidia, singuli quoque tertio communiter a Principibus electo vellent obedire? Ad quæ verba Dux *Lotharius*, sicut & pridie, ne ipse vllatenus eligeretur, humiliter expetiit, & eligendo cuicunque se vt Domino & Imperatori Romano obedire promisit. Idem de se Marchio *Liupaldus* publice professus, & regni ambitionem, & futuri Regis æmulationem sacramento a se remouere volebat. Requisitus igitur Dux *F.* verum ipse quoque, sicut & ceteri, ad totius ecclesiæ, regnique honorem, & liberæ electionis commendationem perpetuam, idem, quod ceteri fecerant, facere vellet? sine consilio suorum in castris relictorum se respondere nec velle, nec posse asseruit: & quia ad se exaltandum Principum animos necquicquam vnanimes vsque quaque persensit, consilium suum & aspectum curiæ iam exinde subtraxit.

V Videntes ergo Principes tantam Ducis ambitionem, tamque violentam quasi debitæ sibi potestatis exactionem, quam ante sublimationem adeo

adeo efferri dominarique videbant, ne quando sibi præficeretur, vnanimiter refellebant. Postera vero die congregatis in id ipsum Principibus, cum abesset Dux *F.* & cum eo Dux *Bawaricus*, requisiuit Moguntinus Archiepiscopus; vtrum vterque nominatorum in electione Principum, qui aderant, refutata a se dignatione præmissa, concorditer & benigne in eligenda quacunque persona Principum voluntati vellent præbere consensum? quod humiliter & deuote simul vtrique laudabant, & quasi non amplius sollicitandi, sed de alio quopiam eligendo solliciti simul in vna sede considebant. Proinde cum dimissis iam prænominatis Principes admonerentur, vt communicato consilio diligenti ratione personam quærerent, quam secundum Deum & honorem ecclesiæ regno præficerent, subito a laicis quampluribus; *Lotharius Rex fit*; clamor exoritur. *Lotharius* rapitur, *Lotharius* humeris imponitur, & regiis laudibus renitens ac reclamans extollitur.

VI Principes vero quamplurimi, maximeque *Bawaricæ* prouinciæ Episcopi, rem tantam inconsulte & impetuose factam abhorrentes, & de sedibus suis se perturbatos debita cum indignatione conquerentes, ab aliis irati secedere, & prorsus a curia infecto negotio recedere parabant. Moguntinus vero cum aliis quibusdam Principibus ostium ne quis egrederetur vel ingrederetur, * obseruari præcepit: istis Regem suum de intus concrepando circumferentibus illis ad laudem Regis, quem ignorabant, deforis cum summo clamore currentibus. Tandem cum Principum dissensio iam eousque procederet, vt & *Lotharius* de sua comprehensione vehementer iratus vindictam peteret, & Episcopi pro sua disturbatione dolentes erumpere quærerent; Domnus *Cardinalis* ceterique * senioris consilii Principes tumultum illum vix tandem voce manuque sedantes, vniuersos ad sedes suas consiliumque redire perfecerant. Hic Domnus *Cardinalis*, gratia Domini præuentus, Episcopos seorsum conueniens discessionis culpam in ipsos grauiter intorsit: & nisi ad pacem & concordiam & ipsi redirent, & alios minus doctos sua informatione reducerent, prædam, strages, & incendia, & quæcunque mala per discessionem hanc suboritura ipsis adscripsit. Data demum opportunitate loquendi *Salzburgensis* Archiepiscopus cum Episcopo *Ratisbonensi* pro se & honore regni honestissime disserentes, ad concordiam partes transferre laborabant, & sine Duce *Bawarico*, qui aberat, nihil de Rege se diffinire dicebant. Præterea de inconsulta raptorum vehementia tam sibi, quam rapto pro maiestatis honore non indebitæ grauissima, debitam a primatibus iustitiam exigebant. Vnde factum est, vt præmissa debitæ satisfactionis humilitate redirent in gratiam, qui præcipitationis suæ culpa concitauere discordiam.

* l. obserari

* l. sanioris

VII Accito igitur Duce *Bawarico*, iam sancti Spiritus gratia ad vnum idemque studium animos omnium vnire curabat, & vnanimi consensu ac petitione Principum iam primum *Lotharius* Rex sublimatur in regnum. Concordantibus itaque in electione Regis vniuersis regni Principibus, quid iuris regiæ dignitatis Imperium, quid libertatis reginæ cælestis, id est, ecclesiæ Sacerdotium habere deberet, stabili ratione præscribitur, & cœptus vtrique honoris modus Spiritu sancto dictante præfigitur. Habeat ecclesia libertatem, quam semper optauerat: habeat & regnum iustam in omnibus potentiam, qua sibi per charitatem quæcunque sunt Cæsaris sine cæde subiiciat. Habeat ecclesia liberam in spiritalibus electionem, nec regio metu extortam, nec præsentia Principis, vt ante, coartatam, vel vlla petitione restrictam. Habeat Imperatoria dignitas electum libere, consecratum canonice, regalibus per sceptrum, sine pretio tamen, inuestire solenniter, & in fidei suæ ad iusti fauoris obsequium (saluo quidem Ordinis sui proposito) sacramentis obligari stabiliter.

VIII Denique Rex L. electus ab omnibus, expetitus ab omnibus, sequenti die in Principum concione consedit. Et primo ab Episcopis vniuersis, scilicet XXIV, qui tunc aderant, & Abbatibus quamplurimis pro Imperii reuerentia, pro confirmanda Regni & Sacerdotii vnanimi concordia & pace perpetua fidelitatem non indebitam de more suscepit; a nullo tamen spiritalium

lium *hominum vel accepit, vel coegit. Deinde confluebant hinc inde regni Principes, fidelitatem suam tam in hominio, quam sacramento Regi Domino firmauerunt, & debitum Regi honorem deferentes, quæ regni fuerunt, a Rege susceperunt.

* l. *hominium* h. e. *homagium*.

IX Videns itaque Dux F. contra Dominum non esse consilium, vel potentiam hominum, qui tot, tantorumque Principum animos contra spem omnium collegit in vnum, tertia demum die, Ratisbonensis Episcopi, ceterorumque Principum consilio, precibusque correctus, ad curiam rediit; & ducentas marcas, quibus eum Rex prius inbeneficiare promiserat, satis honeste refutans, debitam Regi iam Domino suo reuerentiam exhibuit, & cum eo sic in gratiam & amicitiam tanto stabilius, quanto liberius rediit.

X Tandem compositis omnibus, Rex prædictus sub regiæ maiestatis obtentu pacem firmam in omni regno Teutonico usque ad natiuitatem Domini, & ab inde ad annum usque quaque communiter indixit: quam si quis infregerit, iuxta cuiusque prouinciæ legem atque iustitiam seuerissime vindicta exsoluere debebit.

GVNTHERI,

POETAE CLARISSIMI,

LIGVRINVS,

SIVE

DE REBVS GESTIS

CAESARIS FRIDERICI I AVG.

LIBRI X,

CVM SCHOLIIS ET ANNOTATIONIBVS
IACOBI SPIEGELII,
CONRADI RITTERSHVSII,
ET
CASPARIS BARTHII.

✽ ✽ ✽

QVa gente oriundus fuerit Poematis elegantiſſimi, quod hic ſequitur, auctor GVNTHERVS, non vna omnium ſententia eſt. Sunt, qui Italis illum adſcribant; vti ſane, qui primum libros hoſce ediderunt, eundem non aliter quam *Ligurinum* vocant, vt infra videre licet. Sigillatim *Melanchton* lib. IV chron. diſerte, praemiſſo *Guntheri* nomine, *Ligurem Poetam* dicit; vti *Serarius* lib. I rerum Moguntiacarum cap. III § I p. 5 *Ligurinum vatem*, & cap. IV § I p. 7. *Friderici Maronem Ligurinum.* Sunt contra, qui Germanis illum adnumerent. In his doctiſſimus vir, *P. Pithoeus:* quamuis ad vltimum ſententiae non adeo certus ſit. Cum enim primum dixiſſet, non eſſe veriſimile, Ligurem de patria ea vnquam ſcripturum fuiſſe, quae Germano potius animo ſcripſiſſe videatur *Guntherus:* qua ratione, praeter argumenti ſimilitudinem, eum inter Germanos ſcriptores reponendum cenſuerit; tandem addit: *quanquam, vt verum fatear, Germanum plane fuiſſe non credam**. Minus titubanter vero *Barthius* in principio notarum, quas e tenebris prolatas Spiegelianis & Rittershuſianis inſerui, eundem *Germanum* appellat, ac in not. ad v. 390 libri VIII ex vocabulo *Camerarii*, quod *Guntherus* vſurpat, non obſcure, ſed euidenter patere ait, Germanum eſſe, *cum nulla alia natio* Camerarios *habeat, retento hoc vocabulo.* Sunt porro, qui Belgam vocent, & monachum Elnonenſem fuiſſe velint, e quorum numero *Sagittarius* cap. XXIV. Introduct. in Hiſtor. eccleſiaſt. § XXXIX p. 629. *Hechtius* Germaniae ſacrae & litteratae parte II lib. X cap. V § VI p. 387 †. Sunt tandem, qui ἐπέχουσι, quibus praeiuit *Spiegelius*, dum infra in cenſura, *hunc*, inquit, *nonnulli noſtrae Germaniae adferunt. Quisquis tamen ille fuerit, nam nihil compertum habeo, quod affirmare auſim, id certe conſtat, eum tempora* Henrici VI *attigiſſe.* In hac opinionum diſſenſione, ſi, quid mihi videatur, dicere licet, haud infitior, quammaxime veroſimile mihi fieri, cum praeter argumenti ſimilitudinem, & Germano plane ſcripſerit animo, quod *Pithoeus* iam dixit, & Germaniſmis ſiue locutionibus ſecundum Germanici ſermonis formam, praeter Latinorum conſuetudinem, compoſitis ſubinde vtatur, quod *Barthius* loco non vno obſeruauit, & gente Germanum fuiſſe, & domicilio.

* In praefatione libris his praemiſſa, vt infra cernere licet.

† *Andream Valerium Deſſelium* praetereo. Dum enim bibliothecae Belgicae p. 336. Belgam illum dicit, eundem & *Gunthe-*

Guntherum Elnonensem (quem *Sigebertus Gemblacensis* cap. CLXVI p. 113 memorat, *Trithemius* vero de Scriptoribus ecclesiasticis § CCCLIV p. m. 90 poetam litteris humanioribus nobiliter doctum & insignem fuisse dicit) vnum eundemque esse vult; cum tamen noster *Elnonensi* illo centum annis posterior sit; vt alii iam obseruarunt.

Quo tempore floruerit, ipse nobis indicat. Quippe lib. I v. 19 & seqq. sic canit:

—— —— nunc altera summo
Dona viro, scriptos propria de laude libellos
Offerimus, pariterque patrem cum prole canentes
Omnibus ista simul consorti iure dicamus.
Suscipe, cunctorum Regnator maxime Regum,
Suscipe, lux mundi cet.

& lib. IV v. 598 & seq.

Nam si continuo libeat perscribere tractu,
Quicquid in Italiam tendens; aut inde reuertens.
Aut quocunque loco positus, tam fortiter ille
Quam sapienter agit, quis iam, precor, omnia codex
Haec capiet?

vbi vid. *Rittershusius* in notis. Et lib. X v. 600 & seq.

Forsitan hunc olim, faueat modo fama, libellum
Et pater & magni proles generosa parentis
Attrectare manu, placidamque legentibus aurem
Tradere curabit, propriasque admittere laudes.

Ex quibus, aliisque, quos praetereo, locis satis, vt puto, superque patet, illum *Friderico* Aenobarbo rerum potiente, aetatem egisse; quin, eo etiamnum superstite hos de gestis eius libros tum elucubrasse, tum eidem obtulisse *.

* Dicit quidem *Oudinus* tomo II Commentar. de Scriptoribus & scriptis ecclesiasticis saec. XII col. 1652; *Errat absurde* Gerard. Ioannes Vossius *lib. II de Historicis Latinis cap. LIII p. 431 edit. vlt. dum scribit, quod* Guntherus *superstite etiamnum Aenobarbo de rebus ab eo gestis decem libros composuit. Nam in hoc Poemate meminit alterius a se scripti, quod* Solymarium *vocat* (v. lib. I v. 14, lib. X v. 648) *quod vix ante an. MCCX conscripsit. Cum ergo opus de gestis* Friderici Barbarossae *ab illo post historiam belli sacri seu captae a Latinis an. MCCIV Constantinopoleos compositum sit, necessario post mortem* Friderici *conscriptum est.* Quin tamen ipse erret, dum *Vossium* hic erroris arguit, vix dubium est. *Solymarius enim*, quem *Guntherus* composuit, ac *Conrado* Aenobarbi filio obtulit, *de sacra sede* egit. Sic enim ipse lib. I v. 85;

—————— primae cui munera Musae
Obtulimus, scriptos sacra de sede libellos.

Sacra autem *sedes* illa non Constantinopolis est, sed *Hierosolyma*, vt *Spiegelius* in h. l. bene obseruat. Descripsit igitur opere isto historiam expeditionis Principum Christianorum in

terram sanctam, vt *Rittershusius* tum ad hunc ipsum locum notat, tum in praefatione monet; *Spiegelius* vero ad v. 648 lib. X coniicit; non autem historiam captae a Latinis an. MCCIV vrbis Constantinopolitanae. Quam cum alius quidam, *Guntheri* appellatus nomine, coenobii in dioecesi Basiliensi Parisiensis monachus, ex ore *Martini* Abbatis sui in litteras miserit, *Oudinus* sibi, quamuis erronee, persuasit, illam esse *Solymarium*, quem *Guntherus* noster, *Ligurini* scriptor, composuit, eundemque non alium esse censuit, quam illum ipsum dicti modo monasterii incolam.

Vtrum vitam sectatus fuerit monasticam, non liquet; quamuis id omnes fere dicant*, Sacris tamen probe imbutum, atque adeo ecclesiastico vitae generi addictum fuisse, vix negem; cum litterarum diuiniorum sententiis vtatur saepius, idque perapposite. Ne dicam, bonarum artium studiis tum temporis solos fere deditos fuisse sacri ordinis homines. De cetero haud inscite *Pithoeus* l. d. *Hic noster, si verum amamus, nescio quid prae se fert monachismo cultius, vrbanius, & magis aulicum, quod genus etiam vitae se aliquando sectatum, sub finem poematis significat.*

Rebus, quas describit, ipse quidem haud interfuit, quanquam *Melanchton* id olim persuaserit sibi, dixeritque lib. IV chron. in obsidione Mediolanensi illum *Friderico* adfuisse, vt *Scipioni* seniori *Ennium*, iuniori ad Carthaginem *Polybium*. Audiatur modo ipse. Sic autem lib. IV v. 612 & seq.

Nos procul absentes, regalia cernere facta
Caesaris indigni, vulgata superstite fama
Paucula de multis tenui suscepimus ore.

& lib. X v. 576 & seq.

Me quoque non armis, sed carmine castra secutum,
Hactenus egregii decursa parte laboris,
Si bene promerui castrorum praemia miles,
Non illaudatum, vel munera nulla ferentem,
Spero quidem, magni dimittet gratia Regis.

conf. *Rittershusius* in notis ad dictum libri IV locum. In eisdem tamen versu consignandis vt plurimum secutus est *Othonem* Frisingensem Antistitem, & *Radeuicum*, graues omnino rerum a *Friderico* gestarum scriptores; quemadmodum *Spiegelius* & *Rittershusius* in notis passim indicarunt; vt *Cisnerum*, qui in oratione de *Othone III* p. 52 opp. & *Vossium* l. d. p. 432 id similiter monuere, silentio praeteream.

Vti vero poeta magni fuit ingenii, spiritusque minime spernendi, vt *Lipsius* loco infra excitando iam olim censuit, & nostris temporibus *Borrichius* dissertatione de Poetis

Poetis II §LXXVI fassus est; ita opus hoc intra quinque menses absoluit. Pro testimonio loquitur ipse lib. X v. 648 & seq.

Mox vbi sit noster Solymarius *ille, requires,*
Quem prius ingenuo dedimus leue munus alumno;
Qui sibi te " *quinto, post se, vix mense creatum,*
Ac veluti medio proiectum ventris aborsu
Accessisse nouo mirabitur ordine fratrem.

Magna certe ingenii, quod haud diffitendum, felicitate, facilitateque. Vnde etiam *Rittershusius* non sine caussa in notis ad h. l. censuit, haec, quae de se prodat ac praedicet, non futili cuidam iactantiae ac vanitati tribuenda esse.

Quam elegans ceteroquin ille poeta fuerit, quam elegans iuxta multisque commendandum nominibus sit, quod nobis reliquit, opus hocce, allatis plurium testimoniis equidem iam docuit saepius nobis laudatus *Rittershusius* in eruditissima praefatione sua: iuuabit tamen, istis nonnulla alia, superpondii quasi loco, hic addere. Sic autem

Gerhardus Ioannes Vossius
l. d. p. 432,

Est omnino poeta, pro saeculo illo magni ingenii & spiritus, atque etiam elegans.

Caspar Barthius
in not. ad Guntherum manuscr. infra adductis,

Omnes medii aeui poetae longissime infra hunc Germanum sunt. Laudabatur prae ceteris Galterus. *Compone vnam paginam: videbis aera in hoc, in illo lupina.* Petrus *de* Mexia, *Eques Hispanus, in fine* Friderici Barbarossae: Gunterio *insigne poeta, quem escriveo in versus Heroicos.*

Hermannus Conringius
in Coringianis epistolicis p. 303:

Guntherus *fuit poeta felicissimus saec. XII, tempore* Friderici I, *in cuius aula vixit. Eius vitam perscripsit carmine, cui titulus* Ligurini. *Potissimus enim est in describendo bello Ligurino.*

Ioan. Henricus Boeclerus
Commentar. de Scriptoribus Graecis & Latinis,
p. m. 99,

Guntherus — *prudens scriptor & facundus.*

Not. in *Aeneae Siluii* histor. de *Friderico III*
n. XIV p. 137 & seq.

Guntheri *celeberrimum opus extat* Ligurini *titulo; eo, quod res aduersus Ligures gestas potissimum complectatur. Quam appellationem de patria viri complures acceperunt: at ostendunt & arguunt hunc errorem primores pagellae editionis Rittershusianae. Sunt illi scriptores* (Otho Frisin-

 gensis

gensis, Radeuicus, & Guntherus) *omnium iudicio graues, candidi, veri apprime studiosi.*

Conradus Samuel Schurzfleischius
differtat. de *Henrico Leone*, quae XLV est opp.
§ I p. 574.

Guntherus, *cuius opus cum auctore confundit* Baronius, *cuiusque de patria multi perperam existimarunt, decepti titulo operis,* Saxonis *nomen & metri legibus & historiae conuenienter extulit, si non graeca lectione, quae tunc Germanis ignota erat,* Ptolemaei, *vbi & primo illud inuenitur, & vnde eius pronuntiandi ratio indubitata desumitur, tamen* Claudiani *constare potuit, quippe ex quo aliquid huiusmodi expressisse videri potest, & consectando scriptores pro captu optimos ornare voluisse vtcunque has litteras, nouoque exemplo apud Germanos expolire.*

Nicolaus Hieronymus Gundlingius
fascic. VI. Gundlingianor. obseruat. II. § XXVII p. 185.

Ordinem Regis eligendi antiquum Guntherus *& fuse & perspicue descripsit. Quod carmen vt omnes rerum Germanicarum studiosi repetitis perlegant vicibus, optandum.*

Quamuis autem ab elegantia commendandus sit, sollertiaque ingenii, ac scriptores expresserit optimos, Othonem & Radeuicum, videas tamen, ab assentandi studio non prorsus fuisse alienum. Cum enim integri scriptoris sit, perinde vera non praeterire, atque falsa non admittere, Caesaris ille tantum res, quae prae aliis laudem merebantur, describendas, versuque decorandas sibi sumsit, non aeque ceteras. Tetigit id ipse lib. I v. 124 & seq.

Qui scripsere prius, cupientes ordine certo
Historiae seruare fidem, non pauca videntur
Inseruisse suis (liceat modo dicere) chartis,
Quae neque Caesareos augent vehementer honores,
Nec contexta rei, sed tanquam adsuta cohaerent.
At nos, si quid erit pulchrum minus, eximiumque,
Vel quod ad egregios non multum Caesaris actus
Pertineat, veri nihil adiectura decoris,
Sponte relinquentes, tantum potiora secuti,
De multis modicam nitemur cudere summam,
Claudendumque manu forma breuiore libellum,
Ad demulcendas conflare legentibus aures,
Ac velut e pleno, decerptis floribus, horto
Principe digna suo, breuiter compingere serta.
Si quem igitur rerum prolixior ordo, fidesque
Incorrupta iuuat, doctorum scripta virorum
Consulat, atque ipso latices de fonte petitos

Hau-

Hauriat: at si quis summatim carpere tantum
Rem satis esse putat, nostris apponat ocellum.

Conf. qui id iam monuit, doctissimus *Hahnius* parte III der Reichs-historie, cap. VI § I p. 241, assentatoris *(eines Schmeichlers)* notam illi non immerito inurens.

Ceterum a quo eruti primum e tenebris fuerint hi, quos *Guntherus* hic noster confecit, libri; quo anno primum lucem adspexerint, typis expressi; quoties etiam deinde repetiti sint, cum itidem l. d. iam dixerit *Rittershusius*, non est, quod id, actum acturus, hic exponam. Id tamen non possum, quin moneam, lapsum hic esse *Casimirum Oudinum*, dum l. d. col. 1652 dicit, eos primum seorsum prodiisse "Argentorati an. MD, fol. & paucis interiectis, *Reuberum* eos euulgasse tomo III. Vt enim nemo nescit, doctissimum hunc & de rebus Germaniae quam optime meritum Ictum, vnum tantummodo tomum Scriptorum ad res Imperatorum Germanicorum facientium an. MDLXXXIV euulgasse; ita perspicuum est, quod bono illi viro pro *vno* per errorem exciderit *tertius*. Dein Augustae Vindelicorum primum libros hosce prelum subiisse, non Argentorati, & quidem anno MDVII, tam notum est, vt nesciam, quomodo hic error *Oudino* obrepere potuerit. Addo, lapsum etiam esse, *Ioan. Christianum Neu*, dum sect. X Mantissae ad *Degorei Wheari* Relectiones hiemales p. 130 scribit, eos Francofurti an. MDLXXXII apud Wechelios excusos, immo etiam anno MDLXXXIV a *Iusto Reubero* ibidem cum notis Spiegelianis editos esse. Quippe ex vna editione facit duas; quod inde venit. Cum apud *Rittershusium* in praefatione typothetae vitio pro MDLXXXIV legatur MDLXXXII, in eam, doctissimus ceteroqui vir, deuenit sententiam, ac si hoc etiam anno illi ex officina Wecheliana prodierint. Quod tamen se non ita habere, vel ex ipsa *Rittershusii* praefatione colligere licet.

Superest, vt paucis exponam, quid in noua hac editione opera mea praestitum sit. Enimuero, dum recognoscendis his *Guntheri* libris me dedi, editionem secutus sum *Rittershusianam*, quippe optimam; vt tamen, quod ad argumenta librorum, quae iunctim ille simulque initio operis imprimi curauit, *Spiegelii*, *Reuberi*que, qui singula singulis praefixere libris, presserim vestigia. Dein suasu virorum quorundam, vt litterarum, sic munerum ac meritorum gloria amplissimorum, notas *Rittershusii* Spiegelianis inserui, quod & raro admodum inueniantur, & tamen *luculentae* prorsus sint, vt merito *Vossio* audiunt l. d. & *Sagit-*

tario l. d. *doctiſſimaeque*, vt *Struuio* Bibliothecae hiſtoricae cap. VII § XIV p. 157. Inſerui autem non eas modo, quas doctiſſimus auctor olim *Gunthero* ſubiecit ac an. MDXCVII Tubingae edidit; ſed illas etiam, quas poſtea margini exemplaris ſui adleuit; Conſultiſſimus vero vir, multisque nominibus non de academia ſolum Altdorfina, in qua ius Canonicum & Publicum magna nominis ſui celebritate profitetur, ſed de vniuerſa etiam re litteraria meritus, *Eucharius Gottlieb Rinckius*, beneuole mecum communicauit; quin, praeter has *Caſparis* quoque *Barthii* manuſcr. quas Nobiliſſimus *Fellerus* olim hunc in finem contulit; paucas quidem numero, easque breues admodum; quae tamen auctorem interdum emendant, interdum luce aliqua perfundunt. Vt autem noris, quae cuiusque ſint, *Spiegelianas* lit. *Sp. Rittershuſianas* lit. *R*; *Barthianas* lit. *B* vbique appoſita notaui.

Ad

Ad

Serenissimum & Inuictissimum Principem,

CAES. FERDINANDVM,

Romanorum, Germaniarum, Hungariae, Boiemiaeque Regem, Archiducem Austriae, Ducem Burgundiae, ac plurium Europae prouinciarum Dominum & Heredem,

IACOBI SPIEGELII, Selestadiensis,

Epistola.

S*Emper ego in ea fui opinione,* Serenissime CAESAR, REXque ter maxime, *vtilissimam esse historiam, & omni hominum generi plane necessariam. Nam quid conducibilius rebus mortalium, quam ex praeteritis prudentiam comparare, & aliorum sapienter & fortiter gesta strenue aemulari, fugere dedecora? Recensetur lepidissimus versiculus inter mimos Publianos;*

Ex vitio alterius sapiens emendat suum.

Vbi vero id aptius fieri queat, quam historiis lectitandis? dum perpendimus, quid vitatum profuerit, aut nocuerit admissum. Non igitur inepte illi, qui historiam speculo similem fecere. Reddit enim speculum quicquid opposueris, sed magnitudinem tantum & colorem mentitur. At historia rem tibi totam depingit, etiam animum ipsum humanum: qui tumen nullo alioqui nisi literario penicillo certius exprimi potest. Quid autem cognitionis esset in hominibus, nisi fidelis memoriae custos historia nos doceat? Nihil differret a bestiis vita nostra tali praesidio destituta: adeo perplexa, ambigua, confusa forent omnia, & plusquam Cimmeriis tenebris inuoluta. Itaque qui historiam hominibus ademerit, solem ipsum sustulerit e mundo. Sed quum non omnes historiae conueniant omnibus, verum aliis aliae: ea cuique in manus praecipue sumenda est, quae legentis conditioni respondeat. Quae me caussa mouit, Illustrissime REX, *vt e magno Historiographorum numero,* Guntherum *istum deligerem, qui carmine non inculto res* Friderici Aug. *eius nominis primi, in Italia gestas, complexus est, Tuae Maiestati dedicandum. Videbatur autem mihi pulchre conuenire, vt bellicosissimi Imperatoris historia tibi tot iam bellis exercitatissimo Principi inscriberetur. Nihil habuit Germania* Friderico *animosius, fortius, constantius. Quoties ille in Italiam ingressus est imperatoriis iussis rebellem? ex qua, vna eademque posteriore excepta expeditione, nunquam non victor domum rediit. Quoties cum hostibus conflixit? Quoties contumaces obsidione clausit? Sensit in hoc Imperatore plane Martem quendam Italia. Nec vero ex libidine quadam pugnandi*

temere

temere mouebat bella, sed magnis tantum de causis, & non nisi insigniter laesus. Contemptum ferre non poterat. Quae res illum cum Alexandro *Pontifice Romano potissimum commisit, maximo Italiae damno. Non negabat ille Pontifici obediendum, nec honorem illi non deferebat: sed Imperatorio se iure spoliari a sacerdote, id vero visum illi intoleranda res esse. Equidem si Pontifices sua sorte nonnunquam contenti viuerent, melius aliquanto cum rebus humanis ageretur. Ceterum huius clarissimi herois claris facinoribus, duos libros dicauit* Otho *Frisingensis Antistes, filius* Leopoldi *Marchionis Orientalis, seu (vt nunc dicitur) Austriae tuae: qui ob maximam eius in pauperes pietatem liberalis, ac vt Ecclesiasticorum vtar vocabulo, magnus appellatus est eleemosynarius: praesenteque auo tuo* Maximiliano Aug. *nostra memoria in diuos relatus.* Guntherus *Poeta carmine celebrandum illum duxit: cui* Ligurino *nomen inditum: quod bella Liguriae & Insubrium (hoc est, Mediolanensium) contineat. In id opus nos breues atque intercisas annotationes, quae Graecis* Scholia *dicuntur, conscripsimus: vt lectorem adiuuaremus, qui nisi historiam intelligat, quae nonnunquam innuitur verius quam explicatur, subinde resilit. Multi profecto naeui deturpauerant autorem, quos pro virili nos abstersimus. Nec miretur quisquam, quod hoc honoris autori non quidem recenti, sed tamen mediae vetustatis habuimus. Nam neutiquam vulgare carmen est: & quae mediae sunt antiquitatis, obscuriora plerumque existunt, & ignotiora multo vetustissimis. Nihil autem aliud spectauimus nos in suscipiendo hoc labore & absoluendo, nisi vt tuae Maiestati sic gratificaremur: quam non dubitamus, libentissime cognituram laudatissimi Imperatoris vere Imperatoria gesta, eius inquam Principis, qui familiae vestrae Habispurgiae etiam sanguine coniunctus fuit, & primus Austriam tuam Ducali pileo donauit, & regiis plane praerogatiuis maxime illustrem fecit: cuius Leges extant Codici Iustinianeo adnexae: cuius in feudalibus caussis placita sequimur: qui denique cum filio* Henrico *Caesare Imperator ipse constitutionem, quae* Pacis Constantiae, *vulgo nomen recepit, edidit, atque non paucis annis regnauit, pro religione Christiana in finibus Armeniae tandem extinctus. Accipe igitur,* clementissime Romanorum Rex, *inter innumeram turbam congratulantium tibi ciuitatum & Principum, muneribusq; laetitiam animi sui testantium, quod vnanimiter proximis Epiphaniae feriis Caesar sis delectus, praesente fratre tuo, Imperatore Augusto,* Carolo V: *accipe, inquam, & hoc munusculum a cliente tuo* Spigelio: *qui vt inter eos, qui tuam Maiestatem colunt, opibus & copiis a multis superatur, ita amore & obsequio nulli mortalium est cessurus: quam seruet incolumem* Christus *Rex ille immortalis, ponatque sub scabellum pedum tuorum coniuratos nominis sui inimicos Turcas; neque in finem peccatis nostris iratus, tribuat eis secundum cor eorum, annos regni tui, commisso Teutonum sanguine, cruentos. Ex Selestadio pridie Calend. Febr.* MDXXXI.

CVNRA-

CVNRADI RITTERSHVSII

Epistola dedicatoria,

editioni noui *Guntheri* præmissa.

Illustrissimis Principibus ac Dominis,
Domino ERNESTO,
&
Domino AVGVSTO,
fratribus patruelibus,
Ducibus Brunsuicensium & Lunæburgensium &c.
Dominis suis clementissimis,

S. D.

Illustrissimi Principes, Clementissimi Domini,

M. Fuluium Nobiliorem, *eum, qui de Aetolis triumphauit, legimus ex manubiis pecuniaque Censoria aedem* HERCVLIS MVSARVM *Romæ in Circo Flaminio extruxisse ac dedicasse. Qua in re non illud tantum secutus est, quod ipse litterarum studio & summi Poetæ Ennii amicitia duceretur; sed etiam quod cum in illa omnis eruditionis parente atque altrice Græcia Imperator esset cum exercitu, audiuisset,* Herculem *dici* Musageten, *hoc est, comitem ducemque Musarum. Idem Fuluius primus nouem signa Camœnarum ex Ambratiensi oppido translata Romam sub tutela Herculis consecrauit. Intelligebat nimirum vir sapiens, id quod res est, hæc numina mutuas sibi operas tradere, mutuisque præmiis & honoribus iuuari ornarique oportere. Tam enim quies & otium Musarum, hoc est, eorum, qui eruditioni doctrinæ se dediderunt, defensione Herculis, id est, magnatum, quam virtus Herculis voce ac præconio Musarum indiget. Primum namque Musæ, quamuis Deæ a Poetis fingantur, tamen, quia virgines sunt, sibi ipsis sufficere non posse creduntur, sed in fidem & tutelam Principum sese conferunt. Deinde quamuis fortiter ac præclare gesta ab aliquo Hercule, siue diuinitus excitato & adiuto heroe, nisi litterarum lumen & scriptorum celebratio eruditorum accedat, quorum beneficio conseruentur & memoriæ commendentur posteritatis, vnius duntaxat æui negotium sunt. Fere enim idem tumulus, qui ossa & reliquias præstantium virorum contegit, etiam nomen & famam vna adobruit. Vnde præclare, vt omnia,* Pindarus: ταὶ μεγάλαι γὰρ ἀλκαὶ σκότον πολὺν ὕμνων ἔχοντι δεόμεναι. ἔργοις δὲ καλοῖς ἔσοπτρον ἴσαμεν ἑνὶ σὺν τρόπῳ, εἰ μναμοσύνας ἕκατι λιπαράμπυκος εὕρηταί τις ἄποινα μόχθων κλυταῖς ἐπέων ἀοιδαῖς.

Nemeo. nic 7.

Interprete Henrico Stephano

Hoc est: Magnæ enim strenuitates tenebras multas habent, cum hymnis carent: & præclaris operibus speculum nouimus vnico modo, si quis voluntate mnemosynes splendide vittatæ nactus sit remunerationem laborum inclitis carminum cantibus. *Quam multa putatis*, Illustrissimi Principes, *a maioribus nostris, priscis illis Germaniæ heroibus, & sapienter & fortiter patrata facinora hodie non alia de caussa ignorari & iacere in tenebris, quam quod illorum virtutes in sæcula rudia & inculta, quæ scriptorum idoneorum penuria laborabant, incidissent? Non frustra igitur* Alexander *Magnus cum in Sigæo Troadis promontorio ad Achillis tumulum constitisset, fortunatum illum adolescentem prædicasse dicitur, qui virtutis suæ Homerum præconem inuenisset. Est enim hoc vnicum laborum solatium, hoc virtutis præmium, laus & gloria: cuius cupiditate vti quisque est optimus, ita maxime ducitur. Eandem cupiditatem dissimulare non potuit summus Imperator* Fridericus I, *quem* Barbarossam & Aenobarbum *a colore barbæ cognominarunt. Exstat eius epistola, quam scripsit ad patruum suum* Othonem *Frisingensem Antistitem, historicum, vt illa ferebat ætas, bonum & diligentem, qua ab ipso petit, vt res ab sese gestas velit in commentarios referre, atque ad posteritatem transmittere. Metuebat quippe, ne idem sibi, quod aliis ante se fortissimis viris, eueniret. Non tantum autem ab* Othone *illo patruo suo id, quod voluit, & inclita viri virtus merebatur, facile impetrauit; sed alii quoque in ipsius historia illustranda studium collocarunt. Nam primo* Radeuicus, *eiusdem Ecclesiæ Frisingensis Canonicus, ab Antistite suo Othone cœptam telam detexuit, stadiumque reliquum quasi accepta ab antecessore lampade decurrit. Deinde* Guntherus *Poëta bonam partem eorum, quæ illi prosa fuerant exequuti, carmine complecti studuit: adeoque X ipsos libros compleuit, quos Imperatori* Friderico *obtulit: ne quis putet, in quo nonnullos errare animaduerti,* Guntherum Friderico *posteriorem fuisse. Etsi autem hic totam* Friderici *vitam non descripsit, neque ad expeditionem illam celeberrimam peruenit, quam aduersus Saracenos in Palæstinam suscepit, & quæ optimum ac fortissimum Principem alienissimo tempore rebus humanis exemit (non enim de hac expeditione, sed de ea, quæ hanc præcesserat,* Cunradi *Imp.* Solymarius *Guntheri scriptus fuit) tamen hæc ipsa pars, quam persecutus est, non idcirco minoris est facienda, sed potius ob causas a me alibi allatas, neque hic intempestiue repetendas, plurimi æstimanda.*

Equidem (vt de me pauca dicam, deque occasione qua ad istam editionem parandam sum delatus (cum adolescens in Scholis Iurisconsultorum elegantium (ceteris enim tantum est cum bonis auctoribus & litteris, quantum cani & balneo) aliquo-

aliquotiens in explicatione doctrinæ feudalis audiuissem laudari hunc, quem dixi, Guntherum; *produci etiam aliquot elegantes eius versus ad exornanda & illustranda quædam in illo Iure Feudorum, satis alioquin barbare & infeliciter descripto: sensi me sæpius magno accendi desiderio videndi legendique totius auctoris, qui quam esset bonus, in promtu erat ex illis, quæ proferebantur, particulis æstimare, ex vngue leonem, quod dicitur. Sed quod nunquam ille commoda forma editus esset; quæ vero editus erat, ea nusquam venalis reperiretur, exemplaria* Guntheri *a me & commilitonibus frustra tum quidem requirebantur. Tandem cum paucis ab hinc annis in eum incidissem, sic auide eum diligenterque lectitaui, vt qui diuturnam sitim explere cuperet. Multa inter legendum, quæ mihi forte in mentem veniebant, ac vel ad emendandum vel ad illustrandum hunc scriptorem videbantur pertinere, ad oram libri mei annotabam: eaque quæ annotassem ita temere, atque vt quidque sub acumen stili venerat, postea inter describendum nouis subinde accessionibus augebam. Tandem etiam, accedentibus præsertim clarissimorum virorum adhortationibus, incentiuo etiam addito per Nobiliß. & Eruditiß.* Christophorum Pflugium, *Equitem Misnicum, cœpi de noua aliqua* Guntheri *editione procuranda cogitare, & quidem eiusmodi, quæ pluribus vsui esse posset, measque illas annotatiunculas, quas magni aliquot viri non inutiles neque contemnendas iudicabant, adiunctas haberet.*

Porro cum hunc auctorem non sine patrocinio foras dandum existimarem, quod scirem, quam ille non sit expers inuidiæ & odii quorundam hominum, quorum scilicet vlcera tangit, & mordaci vero fricat, quibus proinde idoneos & iustos opponendos esse defensores animaduertebam: in varias partes animum conuertens, & quo potissimum irem deliberans, rectissime facturum cogitaui, si vos, Illustrissimi & Clementissimi Principes, *patronos ei deligerem atque adoptarem. Nam vt taceam, vos eos esse, qui de bonitate librorum optima possitis facere iudicia: vos litterarum bonarum studia, in quibus ipsimet egregie estis versati atque exercitati, etiam in aliis amare & liberaliter fouere: vos in celeberrimis Academiis Germaniæ tirocinia studiorum præclare deposuisse: vos in quibusdam Academiis etiam ad clauum aliquamdiu sedisse, commendata vobis earum Rectura. Hæc, inquam, & alia huiuscemodi vt nunc prætercam, quando ea, vt communia, etiam ab aliis, qui in vestro nomine aliquid apparere vellent, adferri possunt: habeo quasdam etiam proprias atque priuatas caussas, cur me pu-*

tarim debere vobis præ ceteris, & quidem coniunctim ambobus, hanc editionem nuncupare & consecrare.

Nemo nescit auum communem Celsit. Vest. ERNESTVM, *Ducem Brunsu. & Luneburg. laudatissimæ & beatissimæ memoriæ Principem, quanta fuerit & pietate & probitate & constantia. Quæ omnia cum alias in sua gubernatione, tum maxime in Comitiis Augustanis Anni XXX supra MD & Carolo V Imp. Rom. & toti mundo testata fecit, quando cum paucis aliis Germaniæ Principibus, religionem constanter & intrepide professus est eam, quam pro victima publici odii haberi non ignorabat. Hic Princeps, cum in consilio suo haberet complures viros bonos, eruditos, & veritatis cælestis amantes (de quibus mihi nunc nominare libet* Vrbanum Regium *Theologum*, Balthasarem Clammerum *IC. Cancellarium, qui patris mei carißimi susceptor fuit, &* Ioachimum Mollerum *Hamburg. IC. beatæ memoriæ viros) etiam aui mei* Henrici Rittershusii *Mindani, quem fidelem Lutheri & Melanchtonis* ἀκροατὴν *fuisse norat, fideli & gnaua opera in secretis aulæ suæ vsus est. Quo in officio ea industria, integritate & innocentia versatus est auus meus, vt carus & acceptus haberetur omnibus, & non solum Principis* ERNESTI, *sed & successorum eius (nam & his, quamdiu vixit, inseruiuit) facile fauorem promereri & constanter retinere potuerit. Fuit hæc prima, vt accepi, occasio, qua familia mea in clientelam Illustrißimæ Domus Ducum Brunsuuicensium & Lunæburgensium recepta est: illiusque clementißimi fauoris fructus tum in patrem meum* Balthasarem Rittershusium, *quam in me vberrime redundarunt, & hodieque redundant. Memini, cum ante complures annos, potiente rerum Illustrißimo Duce* VVilhelmo, *comes essem itineris patri meo Cellam ad aulam proficiscenti, & coram illo Principe causam agenti minorum fratrum & sororum, quos tutoris perfidia pæne suis fortunulis euerterat, singularem ipsi beneuolentiam exhibitam fuisse a Principe* VVilhelmo, *T. Celsit.* Illustrissime ERNESTE, *patre: vt qui fidelium seruitiorum ab* Henrico *auo meo sibi & antecessoribus suis præstitorum recordaretur. Mea quoque studia eiusdem laudatißimi Principis & reliquæ Illustrißimæ Domus Brunsuuicensis fauore non parum se fuisse adiuta atque adminiculata profitentur: vt si quid sum in his consecutus (quod neque multum est, neque nihil tamen: optarim autem id esse quam plurimum) eius primitiæ aliqua merito Vest. Celsit. a me debeantur.*

Te quoque, Illustrissime D. AVGVSTE, *exemplo maiorum tuorum mihi clementißime fauere, maxima cum voluptate*

luptate ex litteris eius, qui T. Celsit. studia informat ac dirigit, Theodori *a* Senden, *viri doctissimi & optimi, & ex salute, quam mihi adscribere dignatus es, submisse cognoui. Quem vt perennare velis fauorem, & me in clientibus tuis, a quibus virtus & eruditio tua excelsæ indolis Principe dignissima suspicitur & colitur, numerare pergas, maiorem in modum ea qua par est animi obseruantia Tuam Celsit. rogo.*

Ambos vero vos, Illustrissimi fratres patrueles, *ad extremum hoc oratos velim, vt &* Guntherum *hunc nostrum, & me tuendum suscipiatis, vobisque hanc compellationem Illustrissimi nominis vestri gratam accidere patiamini.*

Deus vos seruet ad communem patriæ nostræ, multorumque mortalium incolumitatem & salutem: vobisque cum ex vobismetipsis, tum per vestros Consiliarios, viros Nobilissimos, Amplissimos & Prudentissimos, D. Iohan. Hartmannum *ab* Erffa, *Aulæ Magistrum, D.* Fridericum *a* Weihe, *Cancellarium, D.* Andream *a* Damm *IC. D.* Iohannem Witten *IC. Itemque Dn.* Volradum *a* Wazdorpf, *Aulæ Magistrum, & D.* Theodorum *a* Senden, *aliosque, quos honoris caussa nomino, salutaria, felicia, & fructuosa suggerat consilia: & pia vota bonos ducat ad exitus. Valete*, Illustrissimi Principes, *Domini Clementissimi. Altorfii in Academia Norimbergensium, die XXI. Dcembr. anno* cIɔ Iɔ *XCVII.*

Cunradus Rittershusius, IC.

CVNRADI RITTERSHVSII
in GVNTHERVM *præfatio ad Lectorem.*

QVemadmodum populi Romani Imperium *L. Annæus Florus*, ſiue potius *Seneca*, non inſcite partitur ſecundum ætates hominis, vt alia ſit eius velut infantia, alia adoleſcentia, alia iuuenta, alia denique ſenectus; eamque partitionem probat optimus auctor *Lactantius Firmianus*: Ita & nos haut fortaſſe abſurde Scriptorum quoque Latinorum, maxime Poetarum & Hiſtoricorum, totidem claſſes conſtituere poſſe videmur. In prima harum collocare libet, qui primi apud Romanos vel poemata pangere, vel res geſtas qualitercunque vel ſoloci filo deſcribere ſunt aggreſſi: quorum opera ad nos nulla peruenerunt; fragmenta duntaxat aliqua ſuperſunt in Grammaticorum veterum libris laudata. In altera claſſe ſunt, qui vtrumque ſtudium paulo magis excoluerunt, & linguæ Romanæ pomœria latius protulerunt: quales ſunt, qui Ciceronis æuum aliquot annis præceſſerunt. In tertiam referimus Salluſtium, Catullum, Ciceronem, Virgilium, Horatium, Liuium, quique his coæui fuerunt, aut eos poſt paulo ſunt ſecuti: in quibus quaſi ἀκμὴν eſſe dixerimus linguæ Latinæ, recteque ſapiendi & dicendi quendam vigorem. Quarta hanc ſequitur claſſis, in qua iam flos ille & vigor ac ſuccus natiuus paulatim exaruit atque conſenuit magis magiſque, donec tandem ad barbariam & ſqualorem ac ſtribliginem orationis peruentum eſt. Ita cum re Romana etiam ſcribendi dicendique facultas inſtar hominis & nata eſt, & creuit, & conſtitit, & decreuit atque intermortua eſt: vt ſolent res ſublunares fere omnes hunc velut circulum habere, in quo verſentur & circumagantur. Etſi autem ex his, quas recenſui, Claſſibus primæ ac potiſſimæ partes iure ac merito deferuntur tertiæ, in qua ἀκμὴν dicebam contineri: non tamen omnino inſuper habendæ nobis ſunt & ceteræ. Quod ſi nihil aliud earum ſcriptores nos iuuant; at ipſa certè nobis proderit collatio, ex qua tertiæ bonitatem tanto rectius licebit æſtimare. Atque vt grata vnicuique noſtrum eſſe conſueuit primæ pueritiæ ſuæ & adoleſcentiæ recordatio: ſic non parua quoque nos voluptate perfundi ſentiemus, vbi ad primam illam velut infantiam & adoleſcentiam ſermonis Latini nonnunquam reſpexerimus. Semper enim ego ſententiam meam ab illis ſeiunxi, qui ita delicatum habent ſtomachum, vt niſi quod antiquum

quum & omnibus numeris abſolutum ſit, ipſis placeat nihil: nihil, inquam, niſi quod in tertia illa & optima, perfectiſſimaque claſſe auctorum contineatur: alia omnia, ſi qua vel præceſſerint illam, vel ſecuta ſint poſterius, faſtidiant, atque ab ſe ſpernant ſegregentque procul. Quin potius ſic mihi perſuaſum habeo, vt veteribus illis Heroibus potiores deferendæ ſunt partes, ac velut ius ſuffragiorum in hiſce Comitiis ante omnes tribuendum: ita nonnihil operæ curæque etiam ceteris vel vetuſtioribus vel poſterioribus impendendum eſſe, quicunque aliquid eiuſmodi in literas retulerunt, quod melius ſit ſcire, quam ignorare. Ac omiſſis in præſens aliis, de gente hiſtoricorum videamus: in qua non ſoli legendi Salluſtii, Liuii, Suetonii, Taciti, aliique notæ eiuſdem, qui & orationis puritate & ſententiarum grauitate ſanitateque præcipue ſunt commendabiles atque admirandi; ſed & deſcendendum aliquando ad inferiores, & ad noſtra tempora veniendum eſt propius: ac quantum omnino poteſt, continua quædam ſeries temporum & rerum præcipuarum ex quibusuis ſcriptoribus colligenda, ac veluti faſciculo comprehendenda eſt, quamuis alius alio melius & purius vel deterius & inquinatius ſcripſerit. Non tam enim hic orationis ſplendor & dignitas, quam ſpectanda eſt cognitio rerum, quæ quanto ſunt ad noſtros vſus ac mores accommodatiores, tanto minus ignorari a nobis debent. Etſi enim in omnibus quarumcunque gentium & quorumlibet populorum aut Principum hiſtoriis exempla reperias ſimilia eorum, quæ noſtris temporibus accidunt, & hic quoque valeat illud Salomonium: *Nihil nouum ſub ſole:* tamen alia magis minuſue ad noſtros mores & res noſtrates accomodata eſſe nemo non videt. Rerum porro Germanicarum ſcriptores quo pauciores habemus, qui res a maioribus noſtris fortiter & ſapienter geſtas idonee ad memoriam poſteritatis tranſmiſerunt, eo pluris certe æquum eſt fieri illos ipſos, qui ſuperſunt velut teſtes virtutis ſiue togatæ ſeu militaris noſtrorum hominum: quæ longe foret illuſtrior, niſi ſcriptores idonei ſuperioribus ſeculis defuiſſent. Nam plerique omnes fortiter ac ſtrenue res gerere, quam eleganter deſcribere certatim ſtuduerunt, manu quam lingua aut calamo promtiores*. Conſtat inter omnes, Hiſtoriam apte & pro dignitate ſcribere poſſe neminem, qui non ipſe rebus gerendis interfuerit: quod virorum eſt Politicorum. His olim ceſſantibus, ſoli fere Monachi iſtam quaſi deſertam & vacuam poſſeſſionem occuparunt, inepte ſæpe atque imperite ſcribentes, aut conſuentes potius ea, quæ vel nihil ad rem faciebant, vel parum laudis adferebant. Exteri autem plerumque, vt fit, inuidia præpediebantur, quo minus Germanis

nis suas ac promeritas laudes tribuerent. Ita factum est, vt domesticorum quidem scriptorum vel cessatione ac silentio, vel infantia impolitiaque; alienorum autem inuidentia & malignitate veræ fructu gloriæ orbarentur, qui res quamuis præclarissimas amplissimasque gessissent.

* *De quo sæpissime conqueritur* Alb. Cranzius*.

Inter paucos, qui supersunt, præcipua dignatione eminet GVNTHERVS, qui res suo æuo domi forisque fortiter & sapienter atque magnanimiter gestas a maximo & optimo potentissimoque Imperatore Germanici nominis FRIDERICO I, cui a barbæ colore *Ænobarbo* vel *Barbarossa* cognomen fuit, carmine supra quam sæculum suum ferat elegante, bonoque & erudito descripsit, secutus filum *Othonis* Antistitis Frisingensis, & continuatoris eius *Radeuici*, eiusdem Ecclesiæ Canonici: ad quos etiam velut fontes ipse alicubi operis sui non obscure lectores remittit. Quamquam autem dubitare nonnullos video de tempore, quo GVNTHERVS scripserit, nec desunt, qui nescio quoti Henrici temporibus velint eum floruisse: ipse tamen omnem hanc dubitationem sistit, dum satis significat, se Imperatore *Friderico* etiam viuo istud Poema confecisse in quinque mensibus, & Imperatori a bellorum tumultibus interquiescenti aliquando egregium hunc laborem suum obtulisse, paratum etiam ad reliquas eius res gestas, vbi ad eas rediisset, describendas: quo modo antea filio *Friderici Cunrado* quartum genito, alterum opus, *Solymarium*, quo opere bellum sacrum siue expeditionem Christianorum Regum ac Principum in terram Sanctam aduersus Saracenos auspiciis *Cunradi* Imperatoris factam exsecutus fuerat. Cum autem vel ex argumento operis eiusdem soleat dignitas ac præstantia æstimari, vel ex modo ac forma tractandi; & vero hic de rebus gestis *Friderici* Ænobarbi agatur, qui tantus & talis, qui pace belloque tam inclitus Princeps fuit, vt sub eo non iniuria aureum quasi sæculum rediisse videatur; idque nec vulgariter, sed omnibus adhibitis ornamentis ac luminibus orationis: poteſtne cuiquam esse obscurum, quanti ab omnibus noster hic Guntherus fieri mereatur? Habebunt enim hic summi Reges & Principes, quod imitentur atque exprimant: nimirum pietatem, religionem, fidem, iustitiam, fortitudinem, animique magnitudinem in vtraque fortuna,

——— *casusque sinistros*
Excipientem habitu, quo prospera, mentis eodem:
& constantiam, quæ sit
Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis,
Fortuitos omnes solita contemnere casus.

Vide-

Videbunt hic exempla moderationis & clementiæ; nec non exempla ſeueritatis: exempla temperantiæ, caſtitatis, prudentiæ, aliarumque virtutum regiarum, quæ multa maximeque inſignia in FRIDERICO noſtro deſcribuntur. Quam pulcre & diſerte hic artes imperatoriæ, quibus & parantur & conſeruantur regna, in oratione habita in conſeſſu Principum ante electionem Friderici exponuntur? quam luculenter admodum libro I *Guntherus* deſcribit. Videbunt hic Principes Principem, qui quamquam ſolutus ſit legibus, vt quicquid ei placuerit, legis habeat vigorem, tamen ſe legibus ſupponere gaudeat, nihilque ſine conſilio ſapientum, Deique timentium ſuſcipiat agendum: qui non magis inuictus bello, quam legibus ſit armatus: cuius nudo verbo plus inſit ponderis, quam cuiuis alterius hominis iuriiurando. Habebunt hic magnorum Regum ac Principum Cancellarii, Conſiliarii atque Legati, quod ad ſuos vſus ſæpe transferre poſſint, in arduis deliberationibus & grauiſſimis legationibus, quæ ſunt ipſis obeundæ. Habebunt hic νομοθέται & legum iuriſque conditores, quod ſit augendæ ipſorum ἀρχιτεκτονικῇ ſcientiæ: audient, quales eſſe Leges oporteat, quæ ſint Reipubl. ſalutares: diſcent, quo pacto iuris morumque ruina inſtauranda ſit; qua ratione legum ſenectus & iuſtitium ſæpe ſit renouandum atque abſtergendum. Habebunt hic, de quo admoneantur Magiſtratus & Iudices, cum audient, ſe Dei timentes inprimis eſſe oportere, neque ſibi impune futurum, ſi impunita relinquant aliorum facinora & delicta. Habebit Epiſcopus quod tum ſequatur, tum fugiat. Audiet quippe, quod eſſe debeat ſanctiſſimus

——— *tranquillæ pacis amator,*

Iuſtitiæ ſpeculum, placidorum ſanctio morum:

id eſt, vt *Apoſtolus* dicebat, *typus fidelium & forma gregis.* Cumque Anteceſſor Apoſtolorum præceperit: *Deum time; Regem honora:* & alter Apoſtolus gentium doctor voluerit, omnem animam poteſtatibus eſſe ſubiectam, proque his ad Deum preces fundere: quam alienum eſt a perſona Epiſcopi, rebus ſecundis Imperatoris ſui inuidere & maleuolentiæ ſtimulis agitatum ab obedientia eius ſubditos auertere ac dimouere, & ad rebellionem inſtigare? id quod *Friderico* ſcimus contigiſſe ab iis, qui volunt eſſe omnium rerum primi. Habebunt Iuriſconſulti, quod hinc hauriant, cum aliarum rerum, tum de iure inprimis Feudorum: quod *Guntherus* (ſi Cuiacio clariſſimo ICto credimus) ſæpe explicat rectius, quam tota Feudiſtarum feculenta cohors. Licebit hinc diſcere multos Germanorum antiquorum mores, qui partim obſeleuerunt, par-

tim hodieque vigent atque obseruantur. Habebunt rei militaris Præfecti ac Duces, habebunt prouinciarum Præsides, quod ipsos erudiat aut confirmet: audient, quodnam bellum sit iustum & pium: quibus legibus & conditionibus pax facienda sit: quis ordo castrorum locandorum seruari debeat: quibus vtendum strategematis: quæ leges castrenses, quæ disciplina militaris tenenda sit: quæ si hodie, quam fit, accuratius strictiusque more maiorum seruaretur, neque tot sumtus frustra sæpe atque inutiliter profunderentur cum probro pariter & damno; & paulo felicius atque fructuosius, σὺν δὲ θεῷ, in Christiani nominis aliosque Imperii & libertatis Germanicæ siue apertos hostes, seu clandestinos insidiatores pugnaretur. Sed hæc fortasse vltra crepidam nostram. Habebunt de qua vtiliter commonefiant subditi: Agnoscent æquum non esse, Regi legem ponere, sed ab eo accipere. Discent aliorum exemplis & euentis tristibus moniti, non rebellare magistratui, sed in fide manere, dictoque audientes esse. Quem enim non faciant cautum pericula, clades, exitia, vel Romanorum, vel Mediolanensium, toties rebellium, toties perfidorum, vel Spoletanorum, vel Veronensium, vel Terdonensium, vel Cremensium, vel Brixiensium, vel aliorum, quibus sua aduersus optimum Principem perfidia atque rebellio nimis magno constitit. Quare (vt verbis vtar *Guntheri*)

Ne quis fore credat inultum.
Quicquid in augustos ausus committere Reges
Vel meditatus erit.

Habebunt denique omnis generis homines, quod hinc discant, & vnde meliores fiant: Poetæ, Oratores, Historici, Geographi, Iurisconsulti, Theologi, Medici suarum hic artium ac disciplinarum semina atque opera recognoscent. Adeo vere de hoc opere pronuntiari posse videtur illud *Nazianzeni*, quod ipse de vniuersa historia protulit: Συμφορητὴ σοφίη, πολλῶν νόος.

Hic igitur tantus & tam præclarus scriptor, cum debuerit perpetuo in sinu gestari, & manibus teri, lectitarique ab omnibus, propter vberem ac multiplicem fructum, qui inde, vt dixi, ad omne hominum genus, maxime qui Imperium Romanum, siue potius Germanicum agnoscunt, redundare potest: adeo tamen male acceptus & habitus fuit, vt me ad commiserationem fortunæ suæ commouerit. Non solum enim multis sæculis ignorabilis latuit, sed etiam deinde, cum liberali manu adsereretur, & in lucem ex squalore & tenebris carceris produceretur ipsius carmen, & plurimis illud mendis turpificatum fuit, & auctor pæne de suo nomine periclitatus est. Nam cum a *Cunrado Celte* Protucio, qui primus post renatas bonas literas Germaniæ Poeta extitit, Codex manuscriptus Augustam

gustam Vindelicorum allatus esset, comitateque *Cunradi Peutingeri* IC. & aliorum quorundam nobilium & eruditorum virorum liberalitate procuratum, vt typis describeretur: tum vero LIGVRINVS, quod nomen auctor operi indiderat, ipse scriptor vocitatus est: eumque errorem complures postea etiam docti errarunt, dum *Ligurinum* pro *Gunthero* laudant: quod idem & *Anticlaudiano* accidit, Poemati variæ eruditionis, cui ab *Alano* de *Insulis* scripto στρωματέων nomen merito indideris. Nam & in eo nomen Poematis auctori ipsi tributum est, vt alias docui, quando id cum membranis manu exaratis longeque & vberioribus & melioribus conferebam.

Non tuli diutius indignam hanc *Guntheri* fortunam, & post priores illos duos *Cunrados*, quibus vitam ac lucem debet, tertius ipse superueni, vt essem ei vindex & adsertor, accedentibus præsertim aliquot magnorum virorum exhortationibus & acclamationibus, quibus me satisfacere posse optarim. Sed facta mentione Augustanæ editionis, quæ anno CIƆIƆVII per eos, quos dixi, procurata omnium post secutarum quasi matrix iure appellabitur, non possum quin hic inseram, quam illa in prima fronte præfert Inscriptionem, vna cum erudita epistola & Epigrammate. His enim & hanc nostram editionem non parum exornatum iri posse video, neque te, Lector studiose & amice, iis vlterius defraudandum existimo, vt in prioribus editionibus, quascunque præter Augustanam vidi, factum est. Ea igitur iam ordine accipe.

INSCRIPTIO EDITIONIS AVGVSTANAE.

LIGVRINI

de gestis Imp. Cæsaris FRIDERICI I *Augusti*

LIBRI X,

carmine Heroico conscripti,

nuper apud Francones in silua Hercinia & Druydarum,

Eberacensi cœnobio,

a CVNRADO CELTE *reperti,*

postliminio restituti.

Æternitati & amori patriæ ab eodem consecr.

 EPISTO-

EPISTOLA EDITIONI AVGVSTANAE PRAEMISSA.

Marquardus de *Stain*,
Ecclesiæ Bambergensis Præpositus,
Matthæus Marschalck,
Bernhardus & *Cunradus Adelman* de *Adelmansfelden*,
Canonici,
Cunradus Peutinger & *Georgius Herbart*,
Augustani,

Lectori salutem.

VEnit his Diebus Augustam Chunradus Celtis, *vir tum in bonis artibus apprime doctus, tum etiam diligens admodum veterum Scriptorum indagator: quem cum pro nostra erga eum amicitia allocuti fuissemus, rogauimus, si aliquos libros antea nobis incognitos peregrinando per Germaniam reperisset, vt eorum pro sua in omnes humanitate copiam nobis faceret. Retulit, LIGVRINVM quendam, egregium Poetam de rebus gestis per* Fridericum *Primum Cæsarem in monasterio quodam Franciæ Orientalis, quam nostrates Franconiam appellant, se inuenisse. Eundem cum legendum ac per otium conspiciendum nobis tradidisset, existimauimus profecto dignum fore, qui per ora virum volitaret. Adhortati itaque* Chunradum *fuimus, vt exprimi formis curaret, neque diutius delitescere permitteret. Cumque post aliquos tractatus sibi cum artifice parum conueniret, atque hinc abire decreuisset: verebamur, cum vnicum solum exemplar exstaret, ne aliquo iniquo sidere iacturam aut periculum aliquod pateretur. Nostra itaque opera & ære tandem effecimus, vt artifex ille onus subierit, partim ne vigiliæ & lucubrationes* Ligurini *perirent, partim etiam, ne incliti Cæsaris nostri* Friderici *Primi labores & egregia facinora obliuioni traderentur. Accessit his peculiaris amor patriæ. Cum enim origo nobis, & quidem omnibus, ex Sueuia foret, pulchrum admodum videbatur,* Fridericum*, qui & ipse ex gente Sueua originem duxit, Sueuorum potissimum auxilio ex tetro carcere, & post aliqua secula iterum in lucem prodire. Multa quidem inclito nostro* Friderico *propter innumeros labores, quos pro Rom. Imperii decore ac maiestate conseruanda pertulit, Germania nostra debet: Sed longe plura vniuersa Christiana Respublica, pro qua insignem ac sanctissimam illam expeditionem ad res Christianorum in Asia restituendas suscepit, & in qua, postquam Armenios feliciter deuicerat, vt pium & religioni Christianæ deuotum Cæsarem decebat, vitam quoque cum maxima Christiani populi iactura amisit. Solius enim*

enim Friderici *per eam tempestatem virtus & rei bellicæ peritia tuto Saladini Regis victoriæ ac felicitati opponi, & inclinatam Rempublicam Christianorum in Asia erigere potuisset. Quisquis igitur es, qui hæc legis,* Ligurinum *hunc, egregium virtutum* Friderici *Cæsaris præconem, ex Germania proficiscentem ne despicias, sed alacri animo amplectere atque reuolue. Reperies reuera pleraque, quæ te legisse non modo non pœnitebit, verum etiam plurimum iuuabit.*

Ad
LIGVRINVM
CVNRADI CELTIS
Carmen.

CEdo libens Ligurine *tuis doctißime scriptis:*
Et genua & plantas Celtis *adoro tuas.*
O felix, tantum nactus, Friderice, *Poetam,*
Qui tua grandiloquo carmine gesta tonat.
Proximus es vati, quem Mantua docta creauit:
Et qui Pompeii & Cæsaris arma canit.
Nec Stilico tantum, vel Honorius, aut Maioranus,
Nec qui Scipiadas Sporciadasque sonat:
Per freta nec tumidum qui cantat Iasona vectum
Æaciden, vel qui Thebaidenque notat:
Gesta ducis Macedum totum vulgata per orbem
Qui colit, Heroicis cedat & ille tuis.
Gaudeat hoc nostro bellax Germania vate,
Teutonicum tanto qui canit ore decus.

Eadem EDITIO AVGVSTANA
his verbis clauditur:

Felici fine completus Ligurinus, *& per vniuersam Germaniam & eius publica Gymnasia iam notus, & iuuentuti Germanicæ ad legendum & enarrandum præbitus, primo Viennæ per* Chunradum Celtem: *Friburgi per* Hieronymum Baldung: *Dubingi per* Heinricum Bebelium: *Ingolstadi per* Iacobum Philomusum: *Lipsi per* Hermannum Bostium*, *qui in prædictis Gymnasiis publico stipendio Romanas litteras feliciter profitentur.*

*I. Buschium

TENEO TE EVROPA ET TOTA GERMANIA.

In eiusdem editionis erratorum correctione editores profitentur, exemplar, quo vsi sint, vetustate, carie, & blattis ferme absumptum fuisse, indeque errata multa irrepsisse.

Porro non dissimulandum duxi, quorum beneficio & illam editionem Augustanam, & ceteras nactus sim. Quinque enim habui, quas inter se diligenter & cum cura melioris adornandæ gratia contuli.

Prima est, vt dixi, Augustana, ceterarum parens anno CIƆ IƆVII typis *M. Erhardi Veglini* impressa: cui præfixa epistola *Cunradi Peutingeri* IC. &c. lectorem docet, qua occasione primo in lucem prolatus sit *Guntherus* per *Cunradum Celtem*. Hanc mihi vtendam dedit Nob. & Reuer. Vir, *D. Iohan. Georgius* a *Werdenstein*, sumtam a CL. V. D. *Georgio Henischio*, Reip. Augustanæ Medico & Mathematico.

Altera est Argentoratensis, cum Scholiis *Iacobi Spiegelii* IC. anno CIƆIƆXXXI edita. Hanc mihi donauit collega meus coniunctissimus *Scipio Gentilis* IC.

Tertia est Basileensis *Petri Pernæ* anno CIƆIƆLXIX cum Præfatione *Philippi Melanchtonis*: quam mihi concessit V.CL. *Ioachimus Camerarius*, Reip. Noribergensis Medicus: χρηστὸς ἀνὴρ, καὶ ἀγαθὸς, πολλῶν τ' ἀντάξιος ἄλλων.

Quarta est eiusdem *Pernæ*, eodem (quod mireris) anno data, cum præfatione *Petri Pithœi* IC. ad *Iacobum Cuiacium*, & quibusdam eius, sed paucis, emendationibus: in quibus promittit quoque ampliores notas aut potius coniectanea, quibus Iuris veteris Gallici Germanicique aliqua non satis vulgo nota, potissimum vero dignitatum, officiorumque ac militiarum origines progressusque breuiter explicentur. Quod an præstiterit, nescio. Hanc Ingolstadio mihi dono misit studiosus & amicus meus *Gasp. Schoppius*, Francus.

Quinta est Francofurtensis hæredum *And. Wecheli*, an. CIƆIƆLXXXII qui omnia Argentoratensis editionis vitia retinere; quam emendationes verissimas *Pithœi*, (quas ex *Pernæ* editione sumere poterant, nisi πρὸς τὸ κέρδος festinassent) amplecti maluerunt.

Hæ autem editiones omnes hoc commune habent, quod maiore, folii scilicet, forma excusæ prodierunt; pleræque etiam cum aliis auctoribus in grande volumen coniunctæ: quæ forma quia incommodior fuit ad gestandum tractandumque, inde factum, vt pauciores quam debebant, *Guntherum* sibi compararint aut lectitarint. Accessit fortassis & illa raritatis caussa altera, quod bonus auctor suppressus fuerit ab iis, qui veritatis lumen oculis suis irradians nec minimis nec maximis in rebus vllo modo ferre possunt, quique, quantum in ipsis est, abolere student ex omni memoria hominum, quicquid forte ipsorum cupiditatibus & dominatui aduersatur. Horum vlcera cum sæpe

pro

pro re nata *Guntherus* in *Friderici* historia tangat recta manu (non enim potuit aliter, siquidem, quæ prima historiæ lex esse perhibetur, veritatem sequi voluit, vt debuit) cumque non obscure indicet, quam fuerint iniqui aduersus Imperatorem iura maiestatemque Imperii & fisci commoda sibi asserentem (vti par erat) quantoque opere eius maiestatem imminutum iuerint : non fuit scilicet auctoris tam scandalosi lectio hominibus permittenda, qui pias horum hominum fraudes propalam detegeret; sed catalogo librorum prohibitorum adscribendus fuit. Verum quicquid sit, & quæcunque caussa effecerit, quo minus esset frequens *Guntherus* noster, ego tandem, qui consilium auctoris animaduertissem, voluisse videlicet ipsum conflare

Claudendum manibus forma breuiore libellum:

hoc est, Enchiridion scribere, sequendum id mihi arbitratus, auctor fui Typographo, vt hunc auctorem minore forma tandem recuderet. Sed & propter mendas, quæ in prioribus editionibus omnibus plurimæ ad hoc temporis resederunt, omnino aliam duxi necessariam editionem, ex qua illæ, quoad eius fieri posset, eluerentur. Quamquam autem pleraque errata, quæ hinc sustuli, talia fuerunt, vt a quouis non oscitante neque indocto lectore deprehendi potuerint, neque mihi magnam inde vel ingenii vel acuminis laudem tribui postulem : tamen hunc scriptorem diutius tam deprauate circumferri, ferre aut dissimulare non potui. Ita nescio qua cupiditate accensus sum adornandæ huius nouæ editionis : cui peculiarem librum Notarum adiunxi, in quibus non modo emendationum ratio redderetur, sed etiam res nonnullæ, & formulæ atque sententiæ insigniores illustrarentur. Nequis autem forte existimet, nos operam hanc, qualis qualis ea est, lusisse, aut in auctore nullius vel parui pretii collocasse : age nunc audiamus, qualia fuerint.

TESTIMONIA ET IVDICIA
Clarissimorum Virorum
de
GVNTHERO.

Iustus Lipsius,
limatissimi vir iudicii,
Poliorcet. lib.II Dialog. IV.

Guntherus *Poeta spiritus & ingenii haud spernendus, immo, vt in illo auo mirandus.*

Petrus

Petrus Pithoeus
in præfatione ad lectorem;

Guntherus *a pluribus Ligur censetur: quos ego Poematis titulo deceptos credo: quo etiam errore* Cunradus Peutingerus *&* Adelmanus, *qui primo omnium* Guntherum *a* Cunrado Celte *acceptum (qui eum in Eboracensi Franconum cœnobio repererat) Augustæ Vindelicorum sub nomine* Ligurini *Poetæ publicarunt anno MDVII. At non est verisimile, Ligurem de patria ea vnquam scripturum fuisse, quæ iste Germano potius animo scripsisse videtur. Qua ratione præter argumenti ipsius similitudinem eum inter Germanos scriptores reponendum censui. Quamquam (vt verum fatear) Germanum plane fuisse non credam.* Guntheri *cuiusdam meminit* Trithemius, *quem ait Monachum Eluonensem ordinis Benedictini fuisse, in litteris humanioribus nobiliter doctum, & Poetam insignem, cuius etiam* de passione Cyriaci, *&* de vsitatis Christianorum actibus *poemata quædam ante annos XLIII Basileæ edita audio: ex quibus facile aliis erit iudicare, an eiusdem auctoris videantur. Mihi quidem certe eorum exemplar diu quæsitum, nancisci non est datum. Eiusdem tamen esse omnia probabile est: quamquam* Guntherum Henrici *IIII temporibus* Trithemius *vixisse ait, quæ ab hoc non longe absunt. Et vero potuit etiam Abbas in supputatione nonnihil aberrare, hic tamen noster (si verum amamus) nescio quid præ se fert Monachismo cultius, vrbanius, & magis aulicum: quod genus etiam vitæ se aliquando sectatum, sub finem poematis significat. Ceterum quod ad Argumenta librorum attinet, an* Guntheri *sint, an alterius cuiuspiam, & fortasse ipsius* Celtis, *pro certo adfirmare nolim. Prostremus tamen omnium versus coniecturam facit,* Guntheri non *esse.*

Marquardus Freherus, IC.
Consiliarius Elect. Palat. & Antecessor eruditissimus,

Institutum tuum, mi Rittershusi, *in* Gunthero *recensendo & illustrando, intellexi, & vehementer probo. Certe enim ille auctor vltra æuum illud, imo & gentem elegans, & fama hilariore, quam hactenus dignus, &c.*

Franciscus Hotomanus
in Feudis suis *Guntherum* aliquotiens *nobilissimum Poetam & eximium* vocat, eique versus in hoc genere singulares tribuit. Vid. edit. Colon. pag. 124. 413. 517. 519. 521. 530. 536. 538. 541. 542. 543. 545. 683. 732. 742.

Iaco-

Iacobus Cuiacius

in Feudis plus quam viginti locis *Guntherum* laudat; ſemel etiam in Obſeruationibus lib. XI cap. XXII. Aitque alicubi: Melius eum nonnulla Iuris Feudalis explicare, quam tota Feudiſtarum fæculenta cohors. Memorabile hoc eſt, quod duo ſummi ætatis noſtræ Iuriſconſulti, aliarum rerum ſæpiſſime inter ſe diſcordioſi, & opinionibus plurimum diſſidentes, in huius Poetæ noſtri laudibus amice conſpirent, eumque certatim vno ore deprædicent.

Nicolaus Ciſnerus

in Oratione de *Othone III* p. 18;

Dei beneficio, & virtute Caroli, non Pontificis populiue Romani conceſſu, Imperii dignitatem ad Germanos peruenisse, firmis rationibus comprobatur. Id quod ne longius abeam, ex vno LIGVRINO abunde perſpici poteſt, cuius teſtimonium eo plus ponderis habere debet, quod annis ab hinc amplius CCCLXX Poema illud ſcriptum ſit. Ac tametſi eadem illa quoque extent apud Radeuicum *coæuum* Friderici I, *& grauem inprimis rerum ab eo geſtarum ſcriptorem, quem is non modo multum ſecutus, ſed & interpretatus eſt: tamen neſcio, quo modo maxime LIGVRINO delecter, cuius verſus, vt illis temporibus, ſatis ſunt elegantes.*

Idem Ciſnerus

p. 22.

optimum Othonis Friſingenſis *interpretem* Guntherum vocat.

Philippus Melanchton

lib. IV Chron.

Celebratur (Fridericus Barbaroſſa) *verſibus a* Panthero *Ligure Poeta, qui ei in obſidione Mediolanenſi adfuit, vt Scipioni Seniori Ennius; Iuniori ad Carthaginem Polybius.*

Nota. Obſtare videtur locus *Guntheri* in fine lib. 4, vbi indicat, ſe procul a *Friderico* Imperatore afuiſſe. In fine autem lib. 10 ſcribit, ſe non armis, ſed carmine caſtra ſecutum. Ex quo non poteſt neceſſario colligi, ipſum caſtris interfuiſſe, aut in comitatu Imperatoris.

Idem Philippus Melanchton

in Declamatione de Friderico Barbaroſſa,

tomo II Declamation.

Literas Latinas ſic ſatis calluit: ac amaſſe ac prouexiſſe eum teſtantur Otho Friſingenſis, *cum quidem fuerit eius cognatus, ait, eum a ſe petiiſſe, vt hiſtoriam ſcriberet. Et LIGVRINVS Poeta ſignificat,* Fridericum *non ſolum fouiſſe literas & ingenia, ſed etiam curaſſe, vt filio probe traderentur literæ. Sic enim inquit:*

Gunther. lib. 1 v. 64. Sed vid. ibi Not.

O bene quod talem diuina potentia Regem
Instituit, qui sic studiis imbutus honestis,
Nouit ab insipido doctum secernere vulgo,
Iamque diu mutas, solitasque silere Camœnas
Excitat ad veterem digna mercede laborem.

His tantorum virorum testimoniis atque iudiciis *Gunthero* honorificentissimis accedat ELEGIA copiose, erudite & luculenter scripta ab amico nostro magno, quæ illustre vestibulum huic operi aperit.

IANI GRVTERI
pro
GVNTHERO
ELEGIA.

OMnibus ingenita est famæ dulcedo creatis:
Omnibus ad famam non tamen vna via.
Hic Mausoleum molitur ab ære sepulcrum,
Summa glaber cuius sidera pulset apex.
Ille triumphatis stipat Capitolia gazis,
Armaque de cæso figit opima duce.
Est qui Lysippum lassat cum Mentore, quamuis
Seruet vt effigies ipsius vrbe locum.
Nec desit, titulis Aras qui sacret & Arcus,
Prætexatque altas nomine Pyramidas.
Sed frustra. Namque hæc aut lentus subruit imber
Iraue Vulcani, perniciesue Iouis.
Vtque vetustati longum longumque resistant,
Attamen iis pretium subripit vsque dies.
Cumque alias breuibus claudantur finibus orbis,
Sæpius & populo stant male nota suo.
Solum semper ouat, solum est intermina Virtus,
Æuo omni maior, maior & inuidia.
Vtque sui impleuit pomœria publica terræ,
Lasciuit cæli liberiore plaga:
Tunc, tunc præcipue, cum lingua fauorque Poetæ
Aspirat: sine quo sic quoque marcet iners.
Ecquis enim Æneamque pium, Alcestemque sequestram
Absque Camœnarum separe noscat ope?
Quisue Agamemnonios ausus, vel Iasonis Argo,
Hippolytiue feros, Hypsiphylesue dolos?
Nil foret Æacidæ clypeus, nil Hectoris hasta,
Nil amor Andromaches, Penelopæque fides:
Nestoris haud superet prudens sapientia; nulli
Viuat in ore cati Polydamantis honos:

Denique

Denique cum Troia moriantur mille carinæ,
Dummodo Mæonides subtrahat vnus epos.
Scilicet ante Helenam plures viguere, rapinæ
Adflixit quarum mœnia celsa solo:
Multique Alcinoo Reges opulenta priores
Sæpius hospitibus dona tulere viris.
Nec primus Pylades cum mota mentis Oreste
Segregis exemplar vixit amicitiæ.
Nec primus Capaneus cultuque animoque modesto
Delicium meruit temporis esse sui.
Hos tamen absorpsit totos lethea vorago,
Expertes quoniam subere vatis erant:
Subere, Leucothea quo tanquam sindone, molles
Non modo Persephones perueherentur aquas,
Ocius assumtis verum subtilibus alis,
Astra sibi legerent inter honora locum.
Ite igitur, Reges, & sanguine pascite campos
Et satiate maris monstra cadaueribus,
Pluribus vt populis dictetis iura, potestas
In quos tam vitæ plena sit atque necis.
Ædificate arces cælo capita æqua ferentes,
Quas auro ac gemmis scrinia farta premant.
Mensam onerate mero nigricante, gulæque saginam
Vndique fons, aer, terra, fretumque paret.
Diffluite vnguentis alio procul orbe petitis,
Et Veneri faciat femina nulla satis.
Cantatrix aures, saltatrix lumina ducat
Turba, soporiferos mimus agatque modos,
Mane salutantum concursibus atria sudent,
Stentque Palatina cuncta referta manu:
Deque peregrino veniat legatio sole,
Fœderis vt liceat iura subire noui.
In summa, vultus nutu frenate caduco
Quicquid obit Phœbi solstitiale iubar.
Sic tamen haud dabitur serum procudere nomen,
Fastosumue istud perpetuare decus.
Sed simul ac tandem sua vitam pausa sequetur,
Et diadematum deseret aura caput:
Hinc nomen regale, hinc regifica omnia, nocte
Æterna somni condet auara soror.
Postque bis atque bis annorum lustra improba, pompæ
Vix tantæ memores vnus & alter erunt.
Nedum vestra tot vt maneant præclara per orbem
Gesta foris bello, paceque gesta domi.
Omnia mortis erunt; magnoque in nomine passim
Texet araneolæ pes leve vilis opus.

At si, danda satellitibus cum præmia vastis,
Totque forent famulo danda alimenta choro:
Imo si tot equos inter, totidemque ferarum
Ora, Erysychthonia vix saturanda dape,
Vnum etiam nutrissetis, vocale canoris
Cui sinit eloquium nectere Musa modis:
Haud vestri quicquam dens ille absumeret aui,
Iugiter at vigeant omnia flore suo.
Parua loquor: capiant magis ac magis incrementum,
Et triplicis mundi tuta per ora volent.
Nempe celebrandum quem sumit cunque Poeta
Buccina viuacis relligione toni,
Ille senectutis viduus febrientis, honoro
Nomine complebit solis vtrosque lares.
Nec laudem poterunt eius vel flamma vel vnda
Tantillum allisu collutulare suo:
Oceanus non si fundo efferuescat ab imo,
Cælorum non si machina torta ruat.
Fallor? an hoc, Gunthere *probas; cui publica quanquam*
Pota Medusæi est non nimis vnda lacus;
Sic tamen e tenebris Friderici *Cæsaris effers*
Splendida facta sago, splendida facta toga:
Vt cum de tot auis eius minimißima restet
Fama, sepulcrali tabida tota situ;
Rarus & ipsius celebri de gente nepotum
Se Libitinarum soluerit induuiis:
Hic tamen haud vllo minor vngue, immania busta
Exierit, specie sub iuuenante senex?
Aspice, quam decoret maiestas ardua frontem,
Largaque furanimus purpuret ora decor.
Aspice, quanta oculo pietas hoc emicet, illo
Iustitia; ac spirent mellea labra fauos:
O qui regales motus! o qui color! o quis
Omnibus e membris exsinuatur honos!
Sic quoque sic domina pauo stimulatus amore,
Vt cauda flabro spicula solis obit,
Centenis oculis iaculatur fulgura mille:
Fulgura, gemmarum docta referre vices.
Ha salue, Friderice: *perennis adorea salue*
Induperatorum, Teutoniæque salus.
Te vehit ecce suis argentea gloria bigis,
Quacunque oceani circinat vnda solum.
Ad latus Aonidum glomeratur dia Moneta
Mater, & augusti luminis almus honor.
Subsequitur Mauors obnoxius, auctaque magnum
Fronde olea Pallas luxuriante caput.

Iamque

Iamque rosas plenis Chariteia triga quasillis
Desuper inuergit, subsiliensque Venus:
Imbreque lasciuit florum ridente fragrantum
Cana serenata cum probitate fides.
Hinc torquem collo, grauidam flammante pyropo,
Adiicit indocilis subdola Diua loqui.
Inde caput large linit ambrosio vnguine coniunx
Herculis & senii damna maligna fugat,
Ipsa sed ex ruta maiestas aurea ramo
Innectit gracili serta capillitio.
Gratatur late Musarum terna vianti,
Versa oculos in te, versaque vulta, trias.
Artificoque lyra plectro linguaque potentis,
Dulce iacit longe Phœbus Apollo melos.
Applaudit soboles vocisque atque aeris Echo,
Gestit & integros posse referre modos:
Imo sibi lingua ter centum ferrea plectra,
Et sibi mille cupit lumina Aristorida,
Quo satis expleri quiret, Friderice, *tuendo:*
Per laudes quiret quo satis ire tuas:
Ha salue bis terque: perennis adorea salue
Induperatorum, Teutoniaque salus.
Salue, inquam; vitaque libens agnosce secunda
Iammodo nunc animo liberiore decus.
Illius haud certe debetur gloria gaza
Vlla tua, qua tunc clarius orbe nihil.
Ferre nec acceptam potis es legionibus amplis
In quarum, duce te, terra fretumque manu.
Contulit hic nihilum parasiticus ordo, cohorsue
Aulica, qua fueris cinctus vtrinque latus.
Sed tantus quantusque hodiernus haberis, idipsum
GVNTHERO *par est omne referre tuo:*
GVNTHERO, Friderice, *vni sub tegmine cippi*
Quo sine nil modo, quam puluis & vmbra fores.
Syllaba tamque alti vix nominis exeat vna,
Stannea rimosa vincula sandapila.
Vah! quantum pollet Musea fauentia, quamque
Applicitos propius pane dat esse Deos!
Ambrosiaque mera pastos & nectare, secla
Indulget veris viuere perpetui!
Quisque tamen quotus est Magnatum, cui pia vatis
Cura sit, illius vel recreetur epo?
Ipse licet redeat comitatus Apolline toto
Hinc Maro Mantous, inde Melesigenes:
Vnica de centum vix ipsis aula patebit,
Qua dignos reputet panis acente quadra.

Nedum præsumant Domini contingere dextram,
Eius & alloquio liberiore frui.
Felices nimium, nutu si come salutet,
Detque semel mensæ calce sedere suæ!
Quod si forte datur reperire e millibus vnum,
Qui vatem, vates scilicet ipsius, amet,
Digneturque domo propria, linguaque fauore
Erigat, & multa commodus auctet ope:
Munus quinetiam vxori gnatisque quotannis
Eroget, exangueis quod vetet esse fame:
Næ Ptolomæus is, ac Mæcenas alter habetur,
Præ nimiaque subit prodigitate notam.
Nimirum terris vt fasque piumque recessit,
Obtinet at primum visque dolusque gradum,
Eque Dynastarum numero ter maximus audit,
Cui sine comparibus, quod libet, omne licet:
Aret Apollinei cœtus quoque vena, palamque
Mnemosidum ter tres conticuere lyræ.
Solum mussat adhuc ieiuna caterua, pudorem
Ambiguum frontis cui caua larua tegit.
Hæc, veluti quemuis trahit occurrente colorem
Polypus a scopulo, sic neque mente sua est.
Esurie verum stimulante, melisma dapale
Inque malos pariter proiicit, inque bonos.
Cumque subinde liget linguam reuerentia veri,
Materiaque alias sit reperire nihil:
Vnum opus est, carmen bullatis tendere nugis,
Mureque pro, lucas effigiare boues.
Nuncque ab originibus ducuntur stemmata cascis,
Eruiturque putris Deucalionis aqua:
Nunc iactantur opes, phalerataque nomina honorum,
Sorsque solet quicquid dicere cæca suum.
Quod si forte decus proprium iis adfingitur, & stant
Ingenii illustres iudiciique bonis:
Et tantum reliquos vincunt candore fideque
Stellarum quantum luna globosa faces:
Nil tamen efficiunt, qui præsentis hiantes
Quo liceat risus effugere atque sales.
Ipsosmetque grauat sua laus, sua fama tyrannos:
Vsque adeo a vero dissidet illa procul.
Nomine nam quisquis virtutum extollitur, vmbra
Quarum intus minimum sentit adesse sibi:
Quid nisi rideri merito putat, ac sua vel sic
Traduci sterilis mentis operta probra?
Sicut enim lato qui panditur orbe pyropus,
Artificis longa non eget arte manus;

Sed

Sed satis ornatur, si circulus ambiat ipsum,
Circulus, ex auro qui tria grana trahat:
Sic & adoptiuos spernitque fugatque colores
Qualibet Heroum gemmea simplicitas.
Sufficit ac cithara filis mandare tenellis
Maxima gesta domi, maxima gesta foris.
Quippe Poetarum puro vox æmula fonti,
Vsque gradu vires vlteriore parat.
Primitus e scabra laticum tenuißima sudat
Vena petra, ac cæco tramite tingit agros.
Flumen at vt rapuit simul hoc, simul illud, & augmen
Nunc capit a pluuia, nunc capit a niuibus,
Exultat campo sinuosis protinus vndis
Perpes, & in pontum vi sibi pandit iter:
Haud aliter GVNTHERE, tua quoque lympha Thalia,
Temporis intumuit progrediente mora.
Quæque suum populum parce nimis ante rigabat,
Ac patriam tenui rore terebat humum,
Nunc latis trifidi communia cursibus orbis
Alluit, in pretio vallibus atque iugis.
Iamque adeo quo grata magis quoque vtilis extet
Pluribus, a limo purior atque situ:
Ecce nouas virtus tibi Rittershusia *fossas*
Percutit, atque recens dat decus aggeribus.
Sicque senescentes sarcitque tegitque ruinas,
Retat & omne, fluit quicquid in amne, malum.
Vt licet immenso decurras gurgite, teque
Qualicunque parem ferre queas pelago:
Splendidior trepides tamen argentoque vitroque
Rudera nec mixtim colluuiemue vehas:
Eque tuo volucris riuo bibat oscen, & inde
Oris aromatici tinnula libet apis:
Auferat & latices aris leuisomna sacerdos,
Auferat & latices florida virgo coma.
Macte tua sorte hac, GVNTHERE, pioque benignam
Pectore CVNRADI volue reuolue operam.
Nam licet hic vllo tecum sine fine triumphet
Parcarum potior præcipitante colo:
Sic tamen ambiguum stet tibi, plusne decoris
Addiderit, contra quam dabis ipse decus.

In Cl. Viri,
CVNRADI RITTERSHVSII,
GVNTHERVM,
MICHAEL VIRDVNGVS,
Francus, Poeta Cæsareus,
ad Musas fugientes.

ET merito. Quid enim nostro restetis in orbe,
O vos Aonio præside triga triplex?
Quæue adeo vos adtineat pellacia ridens,
Hinc vt cessetis præcipiti ire gradu?
Totque indigna pati, totque exspectare nefanda,
Cum in vos sit montes imo mali irruere.
Quin potius fugite, atque ingratas linquite terras:
Obscurasque inter Cimmerium attegias
Vos praoptate pati posthac. Enim in omnia vestram
Coniurasse liquet hic elementa necem.
Ergo perpetuis damnantur cuncta tenebris,
Musarum cande lumine facta prius!
Omnia squallenti mærent deperdita luctu:
Stat sine honore dies; nox nigra felle madet!
Et iam nulla fritinnit auis dulce, aere pendens,
Nec liquido pollens ore figurat epos.
Quæque prius blando siluas affamine mulsit,
Mellea præ cunctis Daulias obticuit!
Inque resoluuntur chaos antiquum omnia prorsus:
Omnia tristis hiems, omnia sunt tenebræ!
Sic certe. Horribili adspectu supra caput adstat
En! nupta os noctis tegmine barbaries;
Quam strix horrendum stridit circum impia, ranæ
Quin etiam rauco gutture amara crepant.
Nos quid ad hæc? Tantas subsistere quisue ruinas,
Aut potis immensis obuius ire malis?
Ah! nemo, vt paret. Nisi contabescere luctu,
Nil reliquum, aßiduoque imbre madere genas,
Et desiderio adflictum frustra exedi inani,
Flebiliterque homines atque ciere Deos.
Tu tamen, o Rittershusi, *spem haud abiicis omnem;*
Quin speras, ægrum dummodo vita animat.
Laudo: sapis. Quid enim luctu est opus aut lamentis?
Quidue quiritanti flebile voce queri?
Pane rei cum deposita medicina adhibenda est;
Et tantilla ingens est morula pretium.
Quin potius velut e tenebrarum carcere tractis,
Atque tua lotis munditer ante opera

Copia

Copia facta fuit vita lucisque tuendæ,
Expensis pretio gemmeo, inante, libris:
Sic quoque, sic aui hic cariem passusque senectam
GVNTHERVS veniat rursus in ora virum:
Proque virore noua tibi grates ille iuuenta,
Atque magis viuax arte recoctus, agat.
Cum non barbariem sit protelare propinquam; at
In tempus saltim extollere consilium est.

Plura habemus a præstantibus viris encomia siue elogia. Sed ea ad notarum librum reiiciemus.

Tempus nunc est, vt ipsum *Guntherum* Historico-Poetam in scenam atque ad pulpita producamus, & sua de optimo Imperatore optima carmina denuo post tot annorum silentia audiamus recitantem: vbi prius Lectorem admonuerimus, asteriscos seu stellas huiusmodi * versibus *Guntheri* insertas denotare ea loca, ad quæ aliquid in notis nostris adiicitur, quo facilius animaduertas, Lector bone, quando tibi ad eas recurrendum sit. Vale!

* *Cum annotationes hasce* Spiegelianis, *vt supra dictum, inseruerim, ipsisque statim subiecerim textui, id genus stellulas versibus, vt* Rittershusius *fecit, præfigere, haud necesse erat.*

* * *

CVNRADI RITTERSHVSII

Dedicatoria
ſuarum in GVNTHERVM annotationum.

Nobiliſsimo & Eruditiſsimo
DOMINO
IOANNI A BREDOVV,
in Reinſperg & Kremmen,
Equiti Marchico,
S. D.
CVNRADVS RITTERSHVSIVS.

CVm animus meus præclaræ indolis tuæ amore captus iampridem geſtiiſſet, aliquid in publicum dare, quo vel ſuam tui obſeruantiam ad alios teſtatam faceret, vel ad ſtudia tua politica & philologa, in quibus magna cum laude verſaris, ab ſe quippiam, ſi poſſet, adiumenti adferret; eo tandem ſum delatus, vt has in *Guntherum* notas, quem hoc tempore ipſo, quo tu in Gallias cogitans Norimbergæ ad nos reuiſebas, emendatiorem paullo in manus hominum emittere volebam, tuo nomini ad eos, quos dixi, vſus dedicandas exiſtimarim. Sic enim cogitabam, te, qui noſtris quondam priuatis ſermonibus in cotidiano conuictu & conſuetudine non indelectatus fuiſſes, etiam iſtud meum in te publice compellando per litteras officium non ingratum habiturum. Nam tametſi aſſidue tecum in comitatu habes clariſſimum virum, Iuriſconſultum non e vulgo, *Ignatium Hannielem*, amicum noſtrum, qui cum & in iuris ciuilis ſtudio, & in aliis viro Nobili & Politico dignis artibus gnauiter ſtrenueque te indies exerceas, vt aliunde conquiſita adſcitaue adiumenta non admodum deſideranda tibi eſſe videantur; tamen & ad hæc noſtra interdum reſpiciens, eaque recolens, aut ego vehementer fallor, aut in recte de rebus maximis ſentiendo iudicandoque poteris confirmari, & iucunda quadam varietate ſtudia tua diſtingues. Reperies hic, ſi animum aduertere volueris, principia quædam politica, eorumque exempla, ex hiſtorica penu deprompta. Reperies, quæ de iure Feudorum te plenius erudiant: quod ius ſcire exacte, vt nunc ſunt mores, nullius ordinis magis intereſt, quam veſtri, qui huiuſmodi beneficia militaria Principum conceſſu ac munere tenetis; interdum etiam aliis porro per ſubinfeudationem (quam vocant) conceditis. Reperies etiam non paucas inſignes ſententias, variis

riis de rebus, quæ in vita mortalium accidunt: quas occasione eorum, quæ a scriptore nostro tractantur, subinde aspersimus, quæque optimum in hoc itinere vitæ viaticum merito dicuntur. Reperies obseruatas & similium collatione illustratas aliquot elegantes loquendi formulas, non e triuio, quibus te delectari plurimum, & vti solere creberrime, testes mihi sunt locupletes litteræ tuæ, omni nectare imbutæ, quas ad amicos cordate sciteque scriptas non paucas vidi. Neque vero ita sæculi sui infelicitate & inficetiis inquinatus aut depressus est *Guntherus* noster, quin passim os cælo attollens, supra illud adsurgat, & plurima in eo passim appareant vestigia eruditæ antiquitatis, quæ ipse studiose institit, & nos suis quæque locis velut intento digito indicamus. Sed quanti hic auctor faciendus sit, quantæ ab eo manare vtilitates possint, alibi diximus. Nunc enim de notis nostris tantum agitur; quarum dedicationem vt tibi gratam esse patiaris, contenderem a te pluribus, si de tua erga me constante beneuolentia dubitarem, quod me facere nefas est. Ita te noui. Ita mihi vale et salue, *Bredoui* nobilissime. Altdorfii in academia Norimbergensium a. d. X Iul. an. CIↃ IↃXCVII.

In Guntherum *Poetam.*

Friderici I Imperatoris encomiasten,

a *Cunrado Rittershusio IC.* renouatum,

Carmina epidictica.

I

QVod fuit Augusto Maro, *vel quod* Homerus Achilli,
Guntherus *tuus est hoc*, Friderice, *tibi.*
Rex bonus & pariter fortis bellator vterque;
Par vtrique simul Rex Fridericus *erat.*
Felix o, vates cui magnus Homerus, Achilles,
Felix Augustus, *cui* Maro *præco fuit!*
Te quoque felicem merito, Gunthere, *fatebor*,
Tanto qui dignus Cæsare præco clues.
Germanus vates Germano Cæsare dignus:
Æterno vester tempore viuet honos.
Nunc quoque Cunrado *lucem reparante serenam*,
Cæsaris & vatis clarior exstat honos.
Alter & alterius sic auctor honore vigescit:
Aspirat genio Musa perenne decus.

NICOLAVS REVSNERVS, D.
Comes Palatinus Cæs. Consiliarius Saxonicus.

II

Ad Guntherum *rediuiuum.*

SAlue Orcine, atro qui nunc rediuiuus Auerno
Prorepis, Gunthere *ſenex, ſanctiſsime vates;*
Salue, & Germanas iterum ingredere altus in oras.
Tu, caligantem quam dudum obliuio veſtem
Scaua tibi induerat, vegeto de corpore iacta.
Cernis, quod mira tibi Rittershuſius *arte*
Texit opus, turba ſic adnitente Dearum,
Quæ tibi poſthabito celebrant nunc Francida Pindo!
Surge animis; tibi ſurgit honos. Tibi gemmea in auro
Stat toga; vt obiectos oculos radiatibus icis!
Augure me, nullus poſt illa diuite in orco
Mercurius virga tenues te coget ad vmbras.
Gaudebis noſtro ſemperque morabere cælo.

CHRISTOPHORVS COLERVS,
Francus.

CENSVRA IACOBI SPIGELII

DE AVTORE CARMINIS LIGVRINI.

TRITHEMIVS in Ecclesiasticis Scriptoribus refert, *Guntherum* quendam cœnobitam carmine, prosaque disertum, claruisse tempore *Henrici* Imp. eius nominis *IIII.* Sed quum inter eius, quæ ille recenset opera, neque *Solymarii*, neque *Ligurini* meminerit; coniicio illum a nostro autore fuisse alium. Hunc *Guntherum* nonnulli nostræ Germaniæ adserunt. Quisquis tamen ille fuerit, (nam nihil ego compertum habeo, quod affirmare ausim) id certo constat, eum tempora *Henrici VI* attigisse, qui patri Aenobarbo Aug. Imperator successit; & in sæcularibus literis & diuinis Scripturis non infeliciter versatum: quod vel hoc attestatur carmen, Romanæ plane æmulum eloquentiæ. In eo nos, supra quam credi possit, multa librariorum inscitia deprauata, parumque hactenus animaduersa, emendauimus. Vocabula nata nuper, vel ecclesiasticorum more vsurpata, obiter indicauimus. Quæ ad Iurisprudentiam, placitaque Feudalia attinent, tum pleraque alia, quæ in vulgatis Lexicis non habentur, secuti probatissimos autores, quorum nobis iusta copia adfuit, fusius aliquanto enarrauimus. In afferendis autem, quæ ad historiam faciunt, testimoniis, ne transuersa quidem linea aberrarem, nobis curæ fuit, gratia veritatis patefaciendæ. Ne multis Poetam tibi, præcipue vere Germano, commendemus, ipse in caussa est, qui de se ipso ad finem decimi libri sic cecinit,

Hoc quoque me famæ, si desint cetera, solum
Conciliare potest, quod iam per multa latentes
Sæcula, nec clausis prodire penatibus ausas
Pierides, vulgare paro, priscumque nitorem
Reddere carminibus, tardosque citare Poetas.

ARGVMENTVM LIBRI PRIMI.

Primus habet primos electi Regis honores.
Sceptra manu, primamque sacra ceruice coronam
Gestat Aquis, merita Traiectum protinus ira
Plectit, & hinc magnas inuisit Rex puer (a) vrbes,
Dat populis leges, & pristina iura reformat.
Sceptraque Danorum cognata lite dirempta
Donat habenda Petro: cupiens indicere bellum
Pannonibus, multo procerum fidoque rogatu
Vincitur: ingentis caussam fomentaque belli (b),
Exceptum (c) patruo, reddit tibi, Saxo, Ducatum.

(a) Sæpe *Guntherus pueri* appellatione denotat iuuenem; vt infra docebo notarum lib. 1 ad v. 347. (R.)

(b) Sic infra, *litis fomenta querelæ.* (R.)

(c) Forte, *ereptum*; aut certe illud ita exponendum. *Enictum* dicit infra versu vltimo huius libri. (R.)

LIBER I

ARDVA *sollicito versu (a), memorandaque sæclis*
Gesta cano (b): mundoque tuos, Friderice, *triumphos,*
Atque tibi toties conatam illudere frustra
Fortunam, vulgare paro: monstrique biformis (c)
5 *Ambiguos vultus (d), motusque volubilis orbem (e)*
Frenatum virtute tua (f), casusque sinistros
Exceptos habitu (g) quo prospera mentis eodem.
(h) Res onerosa quidem, nec præsumenda minori
Ingenio (i), magnisque etiam metuenda poetis.
10 *Sed tamen exiguas amor & deuotio vires*
Supplebit: fragilemque animi spes magna vigorem
Fulciet (k): affectusque pios (l) fortuna iuuabit,
Iamque adeo, si (m) quid studio possemus in isto
Experti, nosterque legi (n) Solymarius *audet,*
15 *Atque etiam fortasse placet: quem gratulor ante*
Regales penetrasse domos, puerique potentis
(o) Ingenuas tetigisse manus: præludia quædam (p)
Illud opus, ceu prima nouæ tentamina Musæ,
Et munus puerile fuit: nunc altera summo
20 *Dona viro, scriptos propria de laude libellos*
Offerimus: pariterque patrem cum prole canentes,
Omnibus ista simul consorti iure dicamus.

(a) Propositione, qua Poetæ procemii vice vti solent, lectorem sibi conciliat *Guntherus*, rerum magnitudinem, quas descripturus est, paucis comprehendens. *Sollicito versu.* Quo non ioci, sed Homeri exemplo, quemadmodum *Horatius* in Arte tradit, scribi debent, res gestæ, Regumque, Ducumque, & tristia bella. (Sp.)

Duobus primis epithetis commendatio operis continetur: tum a materiæ sublimitate, tum a scriptoris diligentia, quasi omnia sollicite collegerit, & in hoc poema comportarit. Quo eodem sensu sollicitum vatem se vocat *Guntherus* infra v. 46. An potius Sollicito verbum esse dicemus? vt sollicitare versu idem sit, quod tentare, vel tractare*. quod magis probandum videtur*. (R.) p. 13

(b) Videtur ante oculos habuisse versum *Ausonii* Eidyll. vlt.

Clio gesta canens transactis tempora reddit.

Inter *gesta* vero, seu res gestas & *acta* quid distet, vid. infra lib. 5 v. 189. (R.) p. 13

(c) *Fortuna*: de qua quot, & quanta a veteribus prodita sint, nemo est, qui ignorat. (Sp.)

(d) Duobus vultibus *fortuna* pingitur: priori

priori hilari, posteriori horrendo, tetroque, caluo, & capillato. Constat tamen *Fortunæ* simulacrum varie effinxisse. Apelles pictor interrogatus, quare *Fortunam* sedentem pinxisset? respondit, Quia non stat: (Sp.)

(*e*) Rotam. *Marcellinus* lib. rerum gestarum 14, *Quiuis beatus, versa rota fortunæ, ante vesperum potest esse miserrimus.* Notum est, quod *Cebes* pinxit fortunam stare super rotundo lapide, virtutem vero super quadrato. Significans, stabilia esse Imperia, quæ in virtutem incumbunt: caduca & fluxa, quæ fortuna stulta & cæca moderatrice nituntur. (Sp.)

(*f*) Vt sit vera *Iuuenalis* fortunam alloquentis sententia,

Nullum numen habes, si sit prudentia; sed nos
Te facimus, fortuna, Deam, cæloque locamus. (Sp.)

(*g*) Ex memorabili *Senecæ* sententia depromptum: *O magnos*, inquit, *viros, qui maligna fortuna succumbere nesciunt, & aduersas res sua virtutis experimenta faciunt.* (Sp.)

Sic in Socrate accepimus tantam fuisse animi constantiam, vt vultum nunquam mutasse deprehensus sit: quod *Seneca* quoque prædicat. Confer cum præsente loco v. 288. & seq. infra h. lib. & lib. 2 v. 642. (R.) p. 13

(*h*) Extenuatio Rhetorum, color notus. (Sp.)

(*i*) Allentior *Christophoro Colero* Franco, legenti, *magnis etiam.* Nihil enim, quid sibi ista copula hic velit, video. (R) p. 13

(*k*) Iuxta illud Nasonis;

Spes bona dat vires, animum quoque spes bona firmat. (Sp.)

(*l*) Interpretor cum eodem *Colero* conatus pios. *Festus* adfectare, conari aut pronum animum ad faciendum habere. (R.) p. 13

(*m*) Pro *an*: vt Græci dicunt, εἰ. Quem Græcismum non modo *Iustinianus* aliquoties vsurpauit, sed etiam optimi quique Latini auctores. Terentius;

Idque ad eum visam, si domi est.

Tibullus; *Illa mihi referat, si nostri mutua cura est.*

Horatius; *Inspice, si possum donata reponere lætus.*

Liuius; *Per cunctatus, si consilium non vile solum, sed etiam salutare admittere auribus posset.*

Propertius; *Quærebam, sicca si posset piscis arena Viuere.*

Idem lib. 2. eleg. 20.

—Volui, si sola quiesceres illa, Visere.

Et eodem lib. 2 eleg. vlt.

Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis luna laboret equis:
Nec si post stygias aliquid restauerit vndas,
Nec si consulto fulmina missa tenent.

(R.) p. 13 & 14

(*n*) Nomen operis, quod scripsit, opinor, de rebus per Christianos aduersus Saracenos & Turcas gestis in Oriente, a clarissima vrbium ipsius Orientis *Hierosolymis* inditum. (Sp.)

γλυκὺ σχῆμα, quo rei inanimatæ, libro scilicet, sensum tribuit: quod frequens est poetis. (R.) p. 14

(*o*) Hypallage. Intelligit autem *Conradum*, *Friderici* Imper. filium, cui illud opus se obtulisse innuit infra v. 86, & extremo lib. 10,

Quem prius ingenuo dedimus leue munus alumno. (R.) p. 14.

(*p*) Metaphora a gladiatoribus, qui ante pugnam hastas vibrando, rudibus dimicando, parmas aut clipeos hastasque in altum iaciendo, & cum venustate recipiendo *præludere* dicebantur. Tales ludicras pugnas *Symmachus* præter alios *Prælusiones* vocat lib. 4 epist. 8; *Etiam ludicris quæstorum prælusionibus negatum.* Ita ibi legendum docuit *Schoppius* meus in verisimilibus, cum vulgo mendose editum sit, *prælationibus.* (R.) p. 14

Suscipe cunctorum Regnator maxime Regum(q),
Suscipe lux mundi(r), cui nullum parue, priusue
25 *Spirat in orbe caput (s): te gaudet Principe mundus:*
Te populi, te regna timent: te solis ab ortu
Solis ad occasum, submisso vertice, cuncti
Suspiciunt(t): Dominumque, simul, Regemque fatentur(u).
Nec solum nostri, vir maxime, temporis omnes
30 *Prægrederis virtute viros, sed cuncta retrorsum*
(Pace loquar veterum) cedunt tibi nomina Regum(x)
Solus ab Augusto(y) consorti gaudet honore,
Et socium claris admittit Carolus (z) *actis.*
Certa quidem vatis dementia, carmen agreste
35 *De tanto cecinisse viro: sed parce furori,*
Princeps magne, pio(a): nec te præsumtio nostra
Exagitet: solis licet insanire Poetis(b).

(*q*) Vnde primi nominis inter Legum interpretes, ac etiam sacrorum Canonum professores tradunt, non iure, sed facto fieri: quod plerique Regum non agnoscunt Imperatorem. de quo septimo libro aliquanto fusius. (Sp.)

(*r*) Propter immensam eius potestatem. Dicitur enim *animata lex* in terris a Iurisperitis. *Aristoteles*, Regiam dominationem omnium excellentissimam iudicat: eamque maxime diuinam appellat, quod ea res quid-dam

dam homine maius habere videatur. Et primitus Reges non ob aliud constituti sunt, populi consensu, quam ob eximiam virtutem, quam heroicam vocant: velut diuinæ proximam, & humana maiorem. (Sp.)

(*s*) Ab hoc enim in omnes inferiores honorum & potestatum munera diffunduntur. (Sp.)

Id est, homo. Propertius;

Et sumpta & posita pace fidele caput.

Sic *capita* pro *personis* vsurpant ICti: vt cum dicunt *tributum* in capita *imperare*: *Succedere vel diuidere* in capita, id est, *pro numero personarum*. Sic Græcis φίλη κεφαλή dicitur. Ratio huius συνεκδοχῆς est, quia *caput* est pars principalis & velut arx corporis, vt ait *Ser. Sammonicus*:

Principio celsa de corporis arce loquamur.

Et *Manilius* lib. 4. Astronomic. de hominis præstantia loquens:

Stetit vnus in arcem erectus capitis.

Facit eodem l. 44 cum in diuersis. ff. de religios. & sumpt. fun. (R.) p. 14

(*t*) At quomodo possunt submisso vertice suspicere? cum hæc sint contraria. Nam qui verticem submittit, pronus humum spectat: qui suspicit, id est, in altum spectat, eum erecto vertice esse oportet. Diuinabam igitur, *suscipiunt*. Nam & infra sic loquitur v. 254.

———*Hunc dites submisso vertice Roma Suscipit.*

Sic infra lib. 2 v. 160, *Regem suscipit*. Notum est, quot locis hæc verba se inuicem extruserint, quo restituenda sunt interdicto *Vnde vi*. *Christoph. Pflugius* tamen retinere me iussit, *suspiciunt*: propter sequentia loca Lucani lib. 6 v. 476;

———*Summisso vertice montes*
Explicuere iugum, nubes suspexit *Olympus*.

Ibid. 644 v. ———*quam pallida pronis*
Vrget silua comis, & nullo vertice cælum
Suspiciens. (R.) p. 15

(*u*) *Radeuicus* autor est, quod & ex serie huius operis deducitur, omnes Christianos Reges veneratos esse Aenobarbum: qui etiam coegerit *Manuelem* Græcorum Imperatorem, vt se non *Roma*, sed *Neoroma* vocaret *Imperatorem*. Notum est, Octauium Augustum *Domini* appellationem coram vniuerso populo vultu simul & voce renuisse. Tiberium item, qui licet optimo Principi omnium mortalium tristissimus successit, eos acerbe increpuisse, qui ipsum *Dominum* dixerant. Imitanda hæc esset ethnicorum modestia Christianis, quando hæc appellatio non laicis Principibus tantum addita est, sed etiam in Antistites atque Cucullatos per fœdos adulatores transiit, atque mox etiam in priuatos. (Sp.)

(*x*) Id est, *Reges*. Sic infra, *nomina regni*. Periphrasis hebraissans, de qua erudite *Matthias Bergius*, auunculus meus, in notis ad Apocalypsin Ioannis, & in lib. de Arte Interpretandi. Imo & Latini auctores sic vsi sunt. Vt *Virgilius* Diris, *nomen agelli*, pro *agello* dixit.

Dulcia rura valete, & felix nomen agelli.

Sic *Albinouanus* ad Liuiam:

Fluminaque & montes & nomina magna locorum.

pro, *loca magna*. De quo loquendi genere videndus flos eruditorum, *Scaliger* in Catalectis. (R.) p. 15

(*y*) Id cognominis *Octauius* primus tulit ex sententia Planci, repudiata *Romuli* appellatione, vt scribunt *Velleius*, & *Tranquillus*: quo cognomento quid significetur, docent, idem *Tranquillus*, *L. Florus* in calce operis, & *Ouidius* lib. Fastorum primo. (Sp.)

(*z*) Qui ob ingentia facta, *Magnus* appellatus est, dignusque habitus, per quem iura, insigniaque Imperii post multas ætates ad Occidentem e Thracia, velut postliminio reuocarentur, octingentesimo salutis anno, quo magna rerum mutatio facta est. Creditum enim, iam inde, *Sabellico* teste, Imperii arbitrium Apostolicæ sedis esse, quum antea e cælo dari crederetur. (Sp.)

(*a*) *Pium* pro iusto & legitimo posuit. Quod enim nobis licet (velut Poetis furere) id iure quodam nostro exsequimur. Sic *Cicero* pro Sextio *dolorem pium & iustam iracundiam* coniungit: & pro Cluentio: *Iuste pieque accusare*. *Liuius* lib. 1; *Puro pioque duello quærendas censeo*. *Suetonius* Galba cap. 10; *Vt nemini dubium esset*, iustum piumque & *fauentibus Diis bellum suscipi*. *Lucretius*:

Denique tantopere inter se cum maxima mundi
Pugnent membra pio *nequaquam concita* bello.

Sic Priap. *Graui* piaque lege *noxiam luet*. Hæc obseruatio debetur ingeniosissimo, mihique coniunctissimo iuueni, *Caspari Schoppio*, Franco: cui ego aliud *Guntheri* exemplum addo ex lib. 6 v. 498;

———*Iustumque* piumque *fatentes*.
Nomine quod regni geritur sub Principe bellum. (R.) p. 15 & 16.

(*b*) Platonici tanti furorem poeticum faciunt, vt ineptissimi homines sæpe stupendum effundant poema. Sed nullum esse mortalem, qui non in aliqua re desipiat, copiose demonstrat stoicus Damasippus apud *Horatium* in Sermonibus. (Sp.)

Sic *Plinius* lib. 7 ep. 4; *Sed quid ego tam gloriose?* (*al.* furiose) *quanquam poetis furere concessum est*. Notæ sunt *Democriti* & *Platonis* de furore seu enthusiasmo Poetico sententiæ. Ad eas hic Poeta alludit eleganter quadam detorsione. (R.) p. 16

(*d*) *Cernus vt æstiui blando spiramine solis,*
Ceu pecudes, hominumque genus: sic paruula opaci
40 *Monstra soli, viridesque solent gaudere lacertæ,*
Vtque suo volucres cælum modulamine mulcent:

Sic

Sic fruticosa leues quatiunt arbusta cicadæ.
Imo etiam mos est, vt plus cantare laborent,
Qui grauius cantant: & balbi(d) plura loquuntur(e).
45 *Sic ego, quem celebres optant laudare poetæ,*
Nec digne laudare valent, temerarius, ausu
Præcipiti, tenuique paro celebrare camœna.

(c) Non inscita comparatio.(Sp.)

Restituendum omnino, *cernis*, nihil enim ad hanc siluam facit ceruus. Augustana editio, (quæ fuit omnium prima an. 1507) habet, *certus* Cui in margine adscriptum; *Cernus* alias. (R.) p. 16

(d) Linguæ vitia sunt balbuties, hæsitas, & hæsitantia. (Sp.)

(e) Sicut ii, qui quo sunt in omni sermone ineptiores & sordidiores, eo se magis tum Philosophos, tum Theologos, aliarumque magnarum artium peritos arbitrantur, & iactant. (Sp.)

Malim, *loquantur*. Præcessit enim, *laborent*. Videtur autem *Guntherus* exprimere illud vetus, λαλεῖν δυνατὸς, ἀδυνατώτατος λέγειν; quod ex *Eupolide* Comico *Gellius* refert lib. 1 c. 15. Sic *Sallustius* in fragm. Histor: *Loquax magis, quam facundus.* Allusit etiam ad *Symmachi* locum, qui est lib. 1 ep. 70. *Natura rerum est, vt qui plus balbutiunt, plus loquantur. Affectant enim copiam pudore defectus.* (R.) p. 16

Annue sollicito, Princeps mitissime, vati (f),
Officioque pium deuoto (g) impende fauorem.
50 *Vos quoque, Cæsarei Iuuenes, quos inde paterna*
Nobilitas (h) veterum traducta ab origine Regum,
Nunc(i) matris commendat honor, seriesque vetusti
Sanguinis, & claræ Reinaldus *originis auctor,*
Annuite, & nostras(k) pariter magnique parenteis,
55 *Hoc etenim commune sacrum est, admittite laudes.*

(f) Inuocatio, quam ad Cæs. August. *Fridericum*, & filios eius dirigit. (Sp.)

(g) Pro *dedito* vt & apud *Tranquillum* in bonam partem. (Sp.)

(h) Nobilitas vna *generis* est: de qua dictum est, qui genus iactat suum, aliena laudat. *Virtutis* altera; tertia ex vtraque constans. Prima apud vulgus in pretio: apud sapientes postremæ duæ. Iuxta *Aristotelem.* Opes pariunt nobilitatem, & non antiquæ solum, verum etiam vndecunque & quandocunque partæ. (Sp.)

(i) Apage τὸ *Nunc*, & repone *Hinc.* Quam emendationem mihi facile probauit ingeniosissimus & optimus iuuenis, *Melchior Kochius*, amicus meus cumprimis carus. Cuius & alias præclaras διορθώσεις infra suis locis non dissimulabo, nec ipsi intervertam. *Hinc inde*: vel, *inde hinc*, particulæ sunt ἀκόλουθοι. Vide similem locum infr. h. lib. v. 280 & seq. Iam hæc scripseram, cum mihi *Pithœi* editionem huius Poematis videre contigit, in cuius emendationibus hanc quoque reperi. (R.) p. 16

(k) Leg. *vestras.* Non enim suas laudes cecinit *Guntherus* sed Imp. *Friderici* & Imperatoriæ sobolis. Sed & hanc emendationem inter Pithœanas postea vidi. (R.) p. 16

Tu primum placatus ades, qui iure paterno(l)
Virtutum, regnique simul successor & heres,
Sceptra geris: magnisque patrem virtutibus æquas (m),
Rex puer: & iam nunc(n) Italis, Tuscisque timendus (o),
60 *Eridanum, Tyberimque premis: fortassis & ista*
Indolis acta tuæ, quæque ipse sequentibus annis
Adiicies virtute tua, modo viuere detur (p),
Et sceptris placuisse tuis Henrice *canemus.*
O bene quod talem diuina potentia Regem
65 *Instituit: qui sic studiis imbutus honestis(q),*
Nouit ab insipido (r) doctum secernere vulgo.
Iamque diu mutas, solitasque silere camœnas
Excitat ad veterem digna mercede laborem (s).

(l) Legerim lubens: *paterna*: idque iunxerim cum, *sceptra.* Vt versus sequens:

Virtutum regnique, &c.

tanquam in parenthesi positus, expositionem contineat rationis, cur iure paterna sceptra gerat filius *Henricus*: quia scilicet & virtutes paternas imitetur. Abutitur autem verbo heredis, cum proprie loquendo nulla sit viuentis hereditas: aut relatione in futurum facta sic dicit. (R.) p. 16 & 17

(m) Pro *refers.* Summa in eo ab exteris

etiam

etiam scriptoribus commendata liberalitas, & facundia. (Sp.)

(*n*) *Christoph. Colerus* malebat legere, *et iam nunc.* (R.) p. 17

(*o*) Præfuit enim Longobardiæ viuente patre, declaratus Principum consensu Germanorum Rex. Post mortem patris *Augustus* appellatus eius nominis *sextus*, secundum Italos *quintus*. Expugnauit Neapolim, omnesque rebelles penitus debellauit, thesaurosque Siculorum in Germaniam secum transtulit. (Sp.)

(*p*) Scil. mihi. Ne quis intelligat filium Imperatoris. (R.) p. 17.

(*q*) Rara laus, si verum est illud Carneadis dictum, qui negauit quicquam recte disci a Regum filiis, præter artem equitandi. (Sp.)

(*r*) Posset etiam legi, *infubido*, Gelliano verbo. Plura vulgi epitheta vid. infra v. 689. Abutitur autem his 5 versibus vir optimus *Phil. Melanchton*, dum 2 tomo Declamationum eos ita adducit, quasi de *Friderico* ipso facti essent, cum perspicuum sit, eos de *Henrico* eius filio agere. (R.) p. 17.

(*s*) *Sint Mecenates, non deerunt, Flacce, Marones.* Ad virtutes incitat præmium. (Sp.)

Tu quoque, quem patrio reuerendum nomine Rhenus (*t*)
70 *Et metuenda aliis formidat Sueuia terris,*
Dux Friderice(*u*) *Ducum*(*x*), *nostræ munuscula curæ*
Suscipe: nec parui placidus monimenta laboris,
Porrectaque manu magno sub fasce labantem,
Oppressumque metu (*siquidem potes*) *erige vatem.*

(*t*) Propter loca quædam, quæ tunc in Alsatiensibus tenebat. Imperante *Henrico III*, anno a salutifero virginis partu MXLIIII, Hildegardis in CHRISTO, vt habent Annales, paupera, & modica, cum filiis suis *Friderico*, qui primus ex *Comitibus* ab *Hohenstauffen* Sueuorum Dux appellatus est, *Othone* Argentoratensis ecclesiæ Episcopo, *Ludouico*, *Walthero*, *Chunrado*, & filia *Adelheida* condiderunt, sacram, sub Dominici sepulchri vocabulo, diuæ Fidei ædem in Selestadio patria mea, in pago Alsatiensi, & comitatu, vt tum loquebantur, hoc est, territorio Kircheimensi. Post summum in hac æde altare hi versus in fenestris leguntur:

Tempore quo rediit superatis Mediolanis
Rex nos Romanus iussit fieri Fridericus.

Huius nostri Ænobarbi pater Ducis Alsatiæ & Sueuiæ, vt proditum est Annalibus, tulit appellationem. (Sp.)

(*u*) Hic patre ab humanis exempto, ob insignem animi virtutem declaratur dux exercitus Christiani in Syria, contra Saladinum, Turcarumque Principes militantis: haud tamen multo post febre correptus, cum summa rei Christianæ iactura defungitur vita. (Sp.)

(*x*) Sunt qui originem Ducum putant, a ducibus exercitus Romani emanasse: quos a Principibus donatos esse territoriis verisimile est, vt tamen ab eis recognoscant. Vnde secundum Feudalia placita, proprie dicuntur *Capitanei regni*. Ceterum *Ducis Ducum*, hoc est, *Archiducis* appellationem primum *Bruno* frater *Othonis* Cæsaris primi, insolenter assumpsit, vt ait *Æmylius Veronensis*, Christianus Tacitus, libro Franc. histor. tertio. (Sp.)

75 *At tibi* (1) *cui Rhodanus* (2) *totus famulatur ab ortu*
Vsque suo (3), *totusque fluit, dum gurgite fesso*
Oceani tumidis (4) *tandem se misceat vndis,*
Hæc placuisse velim: dubium, puer inclite, dici
Rex ne, Comes (5) *ne velis: veterum nam regna potenter*
80 *Allobrogum* (6) *materna regis, regnique decore*
Dignus, ab excelso nomen deducis Othone (7).

(1) *Schoppius* malebat, *Ac tibi.* (R.)

(2) Eius etymum *Plinius*, & diuus *Hieronymus* a Rhodiorum Colonia, vrbe citerioris Hispaniæ venire volunt. Dicitur a nonnullis alter *Eridanus*. Nam vna commiscentur ex Alpibus fluentes, scissus alia via in Oceanum, alia in Adriaticum sinum descendit. Quod *Apollonius* in quarto Argonauticorum pulchre describit. (Sp.)

(3) Cuius pluribus meminit *Marcellinus* libro decimoquinto. Apud Salassios in agro Sedunensi, ad eas Alpes, quas *Vadiano* teste, hodie *sancti Bernardi* cognominant, caput tollit: ac primum vario decursu, nec vnum in cardinem flexus, in occasum tandem conuertitur, & Lemannum fundit. (Sp.)

(4) Rapido enim concitus cursu, Tyrrheni æquoris freta scindit, in quo non mediocre fertur nauigantium periculum, dum inter se maris fluctus, & amnis fluenta decertant. Autor *Ambrosius* lib. Hexameron secundo. De hoc amne perquam eleganter *Silius* libro tertio, *Lucanus* libro primo. (Sp.)

(5) Lege, *Dux ne.* Barth.

Comitum originem non facile inueneris, sed eam dignitatem pro moribus Germanorum fuisse vetustissimam, ex *Tacito* constat: qui scribit in libello de Germanis moribus receptum, vt cuilibet Principi, seu Duci exercitus, duodecim Comites assignarentur: ideo dictos, quod eos comitabantur, & a

& a latere Ducum non discedebant. Itaque Comitum originem Germanis moribus ortam esse, & non Italorum, dictus receptissimus autor testis est. Quapropter *Zasius*, ille magnus iuris sacerdos atque interpres, in elegantissimis suis in vsus Feudales commentariis, pronuntiat, quod in duodecimo libro Iustinianæi Codicis aliqui tituli de *Comitibus Largitionum*, & ceteris inscribuntur, vsurpationem Imperatorum fuisse ex Germanorum vsibus. Astipulatur *Iac. VVimpfelingus*, auunculus meus, in vita *Dietheri* Archiepiscopi Moguntini, eius nominis primi, volens comites dictos quoque esse *Graues*, a maturitate morum, præstantiaque virtutum. Vnde & Teutonicum deriuatum, & per quintam vocalem, non per primam liquidam vernacula scribendum esse putat. (Sp.)

(6) Id est, *Burgundionum*, vt infra latius dicam. Nam regionem, tractumque illum omnem eleganter describit in libro quinto. Allobroges ad tractum Lugdunensem olim siti *Ptolemæo*. Hodie Sabaudienses esse volunt. Alij potius Delphinatum, cui præsidet pro tempore Gallorum Regis filius natu maior. Caput gentis Vienna *Pomponio Melæ*. (Sp.)

(7) Noti sunt tres *Othones* Augusti, auus, pater, & nepos, quos nobis Saxonia dedit, Principes clarissimos. Primi meminit Poeta libro septimo & octauo. Secundus cognominatus est a nostris scriptoribus *Pallida mors Saracenorum*: quod eius opera Calabria, vna cum Græcis expulsi sint. Posterior ab eisdem *Mirabilia Mundi* appellatur, ob gloriam rerum a se gestarum. Si *Georgius Merula*, non inelegans rerum Mediolanensium scriptor, *Guntherum* nostrum, non contemnendum autorem vidisset, minime negasset, Aenobarbo nostro filium fuisse nomine *Othonem*, quem ceteri scriptores, & exteri & nostri, victum nauali prœlio a Venetis, aiunt in caussa fuisse, quod pater ex diutina discordia in *Alexandri* Papæ gratiam redierit. Quod tamen idem *Merula*, ceu mendacium, etiamsi eius assertores viri illustres habeantur, constantissime redarguit, libro tertio. (Sp.)

Nec tu, regifico(1) Chunradi(2) *nomine clarus,*
Ac verus virtute nepos(3), *cui fœdere certo*
Nominis & iuris, succedens Francona(4)*rura,*
85 *Herbipolimque*(5) *regis, primæ cui munera musæ*
Obtulimus, scriptos sacra de sede(7) *libellos*(6)
Prætereundus eris, sed & hic quoque nomen habere
Te volumus, partemque noui sacramus(8) *honoris*(9).

(1) Id est, *regio* nomine. Sic *iustificus* pro *iusto*. Catullus:

Iustificam *nobis mentem auertere Deorum*.

Ita *magnificus* pro *magno* passim vsurpatur. Quomodo Guntherus cum alias sæpissime, tum infra v. 89. *magnificum Principem* vocat *Fridericum*. (R.) p. 17.

(2) In primo eius nominis Rege, & non in Cæsare *Ludouico*, *Arnulphi* Imp. filio defecit genus diui *Caroli* Magni. Alter Francorum Germanorum Dux: qui deterritus oraculo Mediolani obsidionem soluit, Tertius *Henrici* Quarti filius, quem pater Italiæ, postquam Principum Germaniæ consensu Regem declarasset, præfecit. Quartus, patruus *Friderici* nostri Aenobarbi. Ex cuius familia Germania nostra Quintum vidit Regem & Augustum. Filius ille erat *Friderici* Secundi Augusti, ex *Iole*, filia *Ioannis* Regis Hierosolymitani, vel vt nonnulli tradunt, ex *Constantia* Regis Castulonensium filia: qui altero post eius aduentum in Italiam anno, naturæ concessit, potionatus fraude *Manfredi* occupatoris Siciliæ, relicto impubere filio *Chunradino*: qui iuuenis cum *Friderico* Austriæ Duce itidem iuuene magni animi, gloriæque & nominis cupido, securi percussus est, vetustissima Sueuorum Ducum familia in *Chunradino* extincta. Lege septimum librum *Pauli Æmylii* Veronensis de rebus gestis Francorum. (Sp.)

(3) Id est, fratris *Friderici* nepos. Nam *Cunradus* Rex, qui nostri Ænobarbi patruus fuit, & in imperio antecessor, *Cunrado* isti patruus magnus fuit. (R.) p. 17.

(4) Franconiæ primum, deinde Sueuiæ quoque, fratre in Syria, vt diximus, vita defuncto, præfuisse, autore fratre *Henrico* Augusto, a nostris in Annales relatum est. Durlaci ob admissum stuprum, interemptus esse traditur. Refert *Sebast. Munsterus*, quod quum Thuringi a Sueuis non parum molestarentur, pacificeque in confiniis viuere nequirent, inuitati Franci ab ostiis Rheni, venerunt cum Duce Genebaldo: qui Regis Francorum, nempe Clodomiri, frater fuit: & Mogani pagum, vbi iam est Herbipolis, possidendum & colendum acceperunt. Scribit autem *Hunibaldus*, Francorum historicus, venisse cum Duce Genebaldo triginta milia agricultorum, & duo milia DCLXXX artificum, vna cum vxoribus, familia & iumentis: qui omnes veluti murus fuerunt inter Thuringos & Sueuos. Contigit autem hæc profectio anno Christi CCCXXVI. Habuit proinde hæc Francia Orientalis successiue XXI Duces, & vltimus Hetanus nomine, quum migrasset sine herede, Pipinus Franciæ, seu Galliæ Rex, donavit Ducatum Burchardo Episcopo, & omnibus suis successoribus, anno scilicet Christi DCCLII. Legimus tamen post illud tempus, & alios Duces fuisse in Franconia, inter quos *Chunradus* quidam appellatus est, qui in Romanorum Regem electus fuit, vt & a nobis paulo superius

superius relatum est. Non igitur tota prouincia Franconiæ primum Episcopo data fuit, sed temporis successu ambitiosi Episcopi ditionem suam mirum in modum ampliauerunt, & præsertim quum vltimus Dux Voitlandiæ sine virili deceret prole. (Sp.)

(5) *VVirtzburgum*, metropolis est Franconiæ, Mogano fluuio, quo alluitur, & arce iuxta munitissima celebris. Etymum vocabuli ponit lib. quinto: *Urbemque petunt, cui nomen ab herbis esse putant.* Ei dominatur hodie Præsul, idem & Dux Franconiæ. (Sp.)

(6) *Solymarium* scilicet. (Sp.)

Solymarium: cuius Poematis & supra meminit v. 14 & inf. 727, & lib. 10 v. 653. Eo opere, quod (*heu*) periit, descripserat auctor expeditionem, quam Christiani Reges ac Principes in terram sanctam susceperunt auspiciis *Cunradi* Imp. patrui & antecessoris *Friderici* Ænobarbi. Dedicauit autem id *Cunrado Friderici* filio. (R.) p. 17.

(7) *Hierosolyma*: quam ideo *sacram* appellat, vel quod in ea erat templum Domini: vel quod hic initium nostræ salutis cœpit. Olim dicta est *Salem*, vt putat *Iosephus*, vnde *Melchisedec* dictus est Rex *Salem*. Deinde *Solyma*. Demum a Solomone *Hierusalem* cognominata, vt tradit *Eusebius* cap. vltimo noni de præparat. Euangel. libri. (Sp.)

(8) Dicamus. (Sp.)

(9) Fœtus, mei scilicet ingenii, quemadmodum Horatius, *ruris honores* vocat, quicquid frugum terra producit. (Sp.)

Vltima magnifici, sed non minus inclita proles
90 *Principis, oblatum puerili suscipe dextra*
Munus, & his gaudens allude Philippe(1) *libellis,*
Quod tibi venturi promittere nomen honoris
Rite queam: Comitem ne vocem, Regem ne, Ducem ne,
Pontificem ne magis: sic quippe est fama, verendum
95 *Disposuisse patrem: cuius præsagia(2) nunquam*
Fallere fata solent, rerumue incognitus ordo.
Quicquid eris, nobis iam magnus es atque verendus,
Iam te non puerum, sed sacra tempora mitra
Velatum celsa residentem fingo cathedra.

(1) Dux a patre Etruriæ, post a fratre Henrico Aug. qui opera eius (fuit enim animo ad quasuis gerendas res ingenti) vsus est in Sicilia & Syria, a quo etiam occiso, vt dictum est, fratre *Chunrado*, Sueuiæ Ducatum obtinuit: Cui & Imperio, fugato tandem aduersario *Othone* Saxoniæ Duce, & re per Imperii proceres composita, successit. Postquam annum nonum imperasset, occisus est a *Comite Palatino* de *VVitelsbach*, cuius meminit *Otho* Antistes cap. 20 libri sexti. Commendatæ in hoc Principe lenitas, & clementia, beneficentia atque affabilitas. Vide Annales *Vrspergens.* & *Cranzium*. (Sp.)

De hoc Sueuiæ Duce, quem maior Electorum pars Imperatorem elegerat inuito Papa, multa mala scribit *Innocentius III*, in c. *venerabilem*. 34 ex. *De electione & electi potestate.* (R.) p. 17.

(2) Parentum præsagia de liberorum indole & fortuna non esse *ἀσήμαντα*, neque inania, testis est experientia. Nec eorum vel benedictiones & læta omnia, vel diræ atque execrationes liberis parui faciendæ sunt: quod & *Plato* monuit II lib. De legibus. Locus est prolixior, quem his verbis concludit: *πᾶς δὴ νῦν ἔχων φοβεῖται καὶ τιμᾷ γονέων εὐχάς, εἰδὼς πολλοῖς καὶ πολλάκις ἐπιτελεῖς γενομένας.* *In eam sententiam & Symmachus* ista scripsit lib. 5. ep. 31; *Diuina miseratio pias aures applicat votis parentum.* (R.) p. 17.

100 *O vere magni proles generosa parentis,*
O vere felix dulci de stipite fructus,
O vere famosa(1) domus, cui totus ab ortu
Solis ad occiduas mundus substernitur vndas,
Quam qui nouit amat, qui non nouere, verentur.
105 *Cuius in auditu(2), confusis mentibus hostes*
Tabescunt, contraque nihil se posse fatentur.
Nam pater inualido(3) robustus & integer æuo
Extimulat, teneram ducitque per ardua prolem.
Illa velut patriæ sectatrix, æmula laudis,
110 *Accelerat tardumque(4) putat, damnoque futurum*
Expectare dies, meritisque superuenit annos(5),
Quis nam igitur talem, tali cum prole parentem,
Laude satis digna poterit celebrare poeta?
Et tamen aggrediar: liceat modo fortia gesta
115 *Eximii memorare viri: non omnia, sed quæ*

Pulchra

Pulchra magis: quis enim (si prosequar omnia) codex
Hæc capiet? seu quis poterit percurrere lector?

(1) In bonam partem. Vt apud Suetonium *famosi equites* pro notis & celebribus. Et *famosa castitas*, pro famigerata, celebrataque apud *L. Apuleium* lib. Asini aurei nono. Sed apud alios autores frequentius in malam partem. (Sp.)

Id est, *clara & celebris*. Sic sæpissime Guntherus *famosum* ἐπὶ τὸ βέλτιον ponit, exemplo *Taciti*, qui Hierosolymam *famosam urbem* vocat: & *Apuleii*, qui vix aliter vsurpat. Vt: *Hac ipsa potissimum* famosa *castitate, & insignis tutela nimietate instructus*, &c. Apud alios fere ἐπὶ τὸ χεῖρον vsurpatur. Vide Tractatum *de fama publica* Cl. V. *Marquardi Freheri*, amici mei. (R.) p. 18.

(2) Forte legendum ὑφὲν, *inauditu*. Et certe Augustæ ita impressum est. (R.) p. 18.

(3) Augustana editio *inualido*. (R.)

(4) Augustana editio *tardamque*. Quam lectionem non improbo. *Tardamque putat*, scil. se. Obseruetur elegantissima antithesis, in verbis: *Accelerat*, & *tardam* se tamen putat. Quasi dicat: Etiam in maxima acceleratione, tamen non potest sibi satisfacere, quin seipsam tarditatis damnet. (R.) p. 18.

(5) Æmulatus hunc locum videtur *Georg. Buchananus*, cum ad *Mariam* Scotiæ Reginam hæc scripsit:

Quæ sortem antevenis meritis, virtutibus annos.

Sic *Guntherus* infra 286 *mente senex, ætate puer*. Vbi vid. quæ annotabo. (R.) p. 18.

Illa quidem officio magnorum clara virorum
Sunt satis: & metus est, ne dum prodesse laboro,
120 *Inueniar nocuisse magis, rebusque serenis*
Arguar insanus tenebras obducere (1) *vates.*
Est tamen & ratio, quæ forsitan ausa (2) *tueri*
Nostra queat, veniamque dare, & detergere culpam (3)
Qui scripsere prius (4), *cupientes ordine certo*
125 *Historiæ seruare fidem, non pauca videntur*
Inseruisse suis, liceat modo dicere, chartis,
Quæ neque Cæsareos augent vehementer honores,
Nec contexta rei, sed tanquam adsuta cohærent.

(1) Sententia prouerbialis, quæ refertur & a *Plutarcho* in commentario de dignoscendo adulatore ab amico. (Sp.)

Sic infra lib. 4. v. 39.

Arguar eximiis inducens nubila rebus. (R.) p. 18.

(2) Pro audacia nostra. *M. Tullius* autor est in Rhetoricis, vnicuique virtuti finitimum vitium reperiri: sic audaciam fidentiæ finitimam esse. (Sp.)

(3) Sic infra lib. 7 v. 380.

Atque illud nostro detergite dedecus æuo.

Detergere pro *depellere* dixit. Porro *detergere, feruere, fulgere*, & multa talia veteres vtraque conjugatione, tam tertia, quam secunda, vtebantur. Sic *dicere, fidere* in secunda. Vide *Nonium*. Sic *Monere* in tertia coniugatione iidem vsurpasse videntur, pro *Monere*, cum sit apud *Nonium, Moneris*, pro Monueris. Vulgo ibi legitur, *Moneris*. Sed *Schoppius* rescribendum docuit, *Moneris*. *Lucretius* in 4 sic vtitur *abstergendi* verbo, pro abigere, depellere, abiicere.

Sed fugitare decet simulacra, & pabula amoris
Abstergere sibi, atque alio conuertere mentem.

Fugitare est hic omni diligentia ac studio fugare, non fugere. Idem eod. lib.

Nec diuina satum genitalem numina cuiquam
Abstergent.

Vult dicere, Dii non faciunt, quo minus quis gignat liberos, non depellunt a quoquam semen. Sic apud *Gellium* lib. 17 c. 16 legendum putat idem *Schoppius*: *Anates Ponticas vim habere venenis detergendis potentem*. Vbi vulgo, *detegendis*: nisi quis malit, *digerendis*: cum sequatur: *Solitumque earum sanguinem misceri medicamentis, quæ digerendis venenis valent*. (R.) p. 18, 19.

(4) Ostendit, quo consilio & ipse ad res ab Aenobarbo Aug. gestas scribendum accesserit, tametsi a plerisque iam scriptoribus essent tractatæ. (Sp.)

Confer prooemium historiæ Thucydideæ. Perstringit autem *Guntherus* ineptos sui æui historicos, rerum Germanicarum scriptores. Deploranda est profecto hæc infelicitas nostræ nationis, quod cum optimos Principes genuerit, *Othones, Cunrados, Fridericos, Lotharios, Henricos*, cumque res pulcerrimas & vniuerso nomini Christiano vtilissimas fortiter & præclare gesserit, litterarum lumine res nostrorum hominum careant. Quanquam enim ingenia nostris scriptoribus non plane defuerunt, tamen scientia Reipub. defuit, & dicendi ratio. Scribebant enim historias Monachi, plerumque imperiti rerum ciuilium, qui veteres historicos ne per somnum quidem viderant, sine exemplo, sine arte infantes. Quam in sententiam & *Phil. Melanchton* scribit in præfat. ad Abbatem Vrspergensem. Ex hoc genere historicus ille fuit, qui de *Henrico* Imperat.

Imper. nescio quoto, scripsit, tantæ fuisse humilitatis & modestiæ Principem, ipse vt caligas suas reficere solitus sit. De qua ἀναιδείας historica insignem *Ammiani Marcellini* locum adscribam inf. lib. 8 v. 439. (R.) p. 19.

At nos, si quid erit pulchrum minus, eximiumque,
130 *Vel quod ad egregios non multum Cæsaris actus*
Pertineat, veri nihil adiectura decoris,
Sponte relinquentes, tantum potiora secuti
De multis modicam nitemur cudere summam,
Claudendumque manu forma breuiore libellum(1),
135 *Ad demulcendas conflare legentibus aures,*
Ac velut e pleno decerptis floribus horto,
Principe digna suo, breuiter compingere serta.
Si quem igitur rerum prolixior ordo, fidesque
Incorrupta iuuat, doctorum scripta virorum
140 *Consulat*(2): *atque ipso latices de fonte petitos*
Hauriat(3): *at si quis summatim carpere tantum*(4)
Rem satis esse putat, nostris apponat ocellum,
Et medio(5) *tenuem de gurgite sorbeat vndam.*
Præterea(6) *rerum freti splendore, simulque*
145 *Artifici sermone suo, sensuque profundo,*
Materiæ insigni metricas adsciscere leges
Spreuerunt: puduitque reor, puerilibus illos
Lasciuire iocis, & inanes texere nugas.
Nos autem sermone rudes, animoque pusilli,
150 *Singula sub numerum certa ratione vocantes*
Verba, superposito velabimus inlita fuco.
Vt quem forte parum male cultus sermo mouebit,
Hunc saltem structura pedum, versusque canori
Detineant(7), *sitque hic aliquid laudabile nostrum.*

(1) Enchiridion se scribere velle significat. Hoc igitur consilium auctoris, non animaduersum ab iis, qui eum antea maiore semper forma edendum curarunt, sequi optimum factu ratus, minore tandem forma edere volui. *Breuiorem formam* eleganter dixit pro *minore*: vt infra v. 555. *breuius diadema*, id est, *minus*. Et infr. lib. 9 v. 399. *sumptu breuiore*. Quomodo *breuis sumptus* apud Symmachum, *breuis censu* apud Horatium est *exiguus, paruus, modicus*. Sic Attici dicunt βραχεῖαν οὐσίαν, βραχὺ τίμημα: cui contraria est μακρὰ οὐσία, μακρὸν τίμημα: Quibus crebro vtitur *Aristoteles* in Politic. Sic *breuitatem commeantium* dixit *Apuleius* 1 Metamorph. pro *paucitate viatorum*. (R.) p. 19. 20.

(2) Non obscure *Guntherus* remittit nos ad *Othonem* Pontificem Frisingensem, qui *Friderici* Imp. patruus fuit, & ad continuatorem eius *Radeuicum*, Canonicum Frisingensem. Quorum vterque de Ænobarbicis rebus gestis fideliter copioseque scripsit. Horum filum secutus *Guntherus* voluit

Materiæ insigni metricas adsciscere leges,

vt ipse ait v. 144. Quod & *Iacob Spiegelius* extremo lib. 4. obseruauit: & monuit *Nicol. Cisnerus* in Orat. De Othone III. (R.) p. 20.

(3) Alludit ad *Ouidianum* illud:

Dulcius ex ipso fonte bibuntur aqua.

Et similiter *Martialis*, lib. 9;

Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur
Qui fluit, an pigro quæ stupet vnda lacu.

Vbi malim: *Quæ fluit*. Hinc *B. Hieronymus*. Comment. in 8 cap. Malachiæ: *Multo purior manat fontis vnda, quam fluit riuuli aqua.* (R.) p. 20.

(4) Malim, *tantam*. (R.)

(5) L. *modico*. (B.)

(6) L. *Prateriti*. Id est, qui prius me scripserunt. (B.)

(7) Vt Ouidius;

Detinuit nostras numerosus Horatius aures.

Alludit ad locum de vi Musices & Carminum: de qua nota sunt, quæ scribit idem *Ouidius*. Nec dubitat *Alexander* lib. 2. Problem. 121 pronuntiare, Musicam naturæ & animæ hominis ita agnatam esse, vt calor igni per naturam inest. Cum igitur historia, teste *Plinio* iuniore, etiam inepte scripta tamen nos delectet: quantam inesse dulcedinem putabimus in hoc opere, quod & versibus [vt ipse *Guntherus* recte vocat] canoris scriptum est, & omnibus ornamentis floridæ orationis illustratum. Abessent tantum paucæ quædam sordes & fæces verborum, quæ ei seculi potius illius, quam Auctoris vitio adhæserunt. (R.) p. 20. 21.

Nunc

155 *Nunc age*(1), *præmiſſis quæ vel res ipſa monebat,*
Vel vatis ſtudioſus amor, ſolamine tuti
Principis(2) *ac Iuuenum, de re quod reſtat agamus.*
Atque adeo præſens ex illo tempore textus (3)
Incipiat, quo prima ſacra, Friderice, *tuliſti*
160 *Sceptra manu: licet ante quidem non pauca relatu*
Digna, vel a tenero geſſiſti fortiter æuo.
Nam neque prima tuæ nobis monimenta iuuentæ (4)
Percenſere vacat: nec quæ creſcentibus annis
Sub patre(5), *vel patruo*(6) *cunctis memoranda*(7) *tuliſti.*
165 *Illa ſuis ſpecioſa locis* (8), *nos regia tantum*
Geſta leui calamo, quadam breuitate ſequemur.

(1) Hactenus procemium fuit. Sequitur propoſitio operis, qua remouet a ſua tractatione illa, quæ imperium *Friderici* anteceſſerunt. (R.) p. 21.

(2) *Princeps* (quod ſemel moneo) ſummus Imperator a *Gunthero* appellatur, exemplo veterum IC. Eundem & *Rectorem*, & *Regnatorem*, & *Ducem* ſæpiſſime vocat. (R.) p. 21.

(3) Opus, poema, ſiue compoſitio. Per tranſlationem enim *texere* hiſtoriam, pro *ſcribere* vſurpamus. (Sp.)

(4) Libens emendarim cum Chriſt. Colero, *momenta iuuenta*: id eſt, varietates, primæ iam ætatis varios caſus: quæ coniectura ſtabiliri poteſt ex v. 186 lib. 2; multoque magis ex lib. 9 v. 415. vbi etiam Auguſtana editio mutarat *momenta* in *monimenta*. *Momenta iuuenta* etiam interpretari poſſumus inclinationem & flexum adoleſcentiæ. (R.) p. 21.

(5) Qui in Germania aduerſus Imp. *Lotharium* Saxoniæ Ducem egregias res geſſerat, erat enim ei Cæſar inimicus, quod ex genere *Henrici* Aug. *Quinti*, ſupererat, quod extinctum volebat. (Sp.)

(6) *Chunrado* Auguſto in Syria. Sp.

(7) *Otho* Antiſtes, cum quædam per eum geſta retuliſſet, *Hac & alia*, inquit, *tam ardua in ipſa puerili ætate geſſit negotia, vt non immerito cum multorum ſtupore de ipſo dici poſſet illud Euangelii*: Quis putas puer iſte erit? (Sp.)

(8) Vt apud eundem *Othonem* Antiſtitem Friſingenſem grauem autorem, ætateque ea clariſſimum virum, tum ob eruditionem, tum vitæ ſanctimoniam: qui natus ex nobiliſſima illa Francorum Orientalium Leopoldina familia, quæ Marchiæ Orientali (quæ & Auſtria) dominabatur, neceſſarius fuit Ænobarbi. Præterea, quæ geſta ſunt per eum antequam Aquiſgrani regium conſcenderet ſolium, non præteriit ſilentio autor ille, quiſquis fuit, qui exorſus a fine *Vrſpergenſis*, Annales eoſdem continuauit vſque ad tempora *Henrici* Auguſti VI. (Sp.)

(1) *Annus ab Vrbe noua*(2) *milleſimus, vtque notetur*
Res, qua voce poteſt(3), *octingenteſimus ibat:*
Vel magis, vt Chriſti, qui tempora condidit(4) *ortu*(5)
170 *Tempora diſtinguas, millenis, adiice centum,*
Mox quinquagenis, ſubnectens quatuor annis(6),
Temporis hæc ſeries effluxerat, orbaque regni
Teutonici (7) *ſedes* Chunradi *morte*(8) *vacabat.*
Acturi ſacræ de ſucceſſore coronæ
175 *Conueniunt Proceres*(9), *totius viſcera regni,*
Sede ſatis nota, rapido quæ proxima Mogo
Clara ſitu, populoque frequens, muriſque decora eſt,
Sed rude nomen habet: nam Teutonus incola dixit
Franconefurt(10): *nobis liceat ſermone latino*
180 Francorum *dixiſſe* vadum (11), *quia* Carolus *illic*
Saxonas, indomita nimium feritate rebelles (13),
Oppugnans, rapidi latiſſima flumina Mogi (12)
Ignoto fregiſſe vado, mediumque per amnem
Tranſmiſiſſe ſuas neglecto ponte cohortes
185 *Creditur, inde locis manſurum nomen inhæſit.*
Huc ſacri, celebreſque viri, quos laude ſerena
Infula, vel gladius mundo facit eſſe verendos,
Ex omni regione fluunt (14), *ad publica regni*
Commoda, de ſummis agere, ac diſponere rebus
190 *Exacta ratione parant, æque*(15) *omnibus vnum,*

Qui

Qui modo sit tanto succedere dignus honori,
Præfecisse sibi celeri pietate laborant.

(1) Sumpsit principium narrationis, quæ hic incipit, ex arte, hoc est, non a remoto, sed legitimo loco. (Sp.)

(2) Hoc est, condita. De prima vrbis Romæ conditione non vna est autorum sententia. Qui hæc fuse volet cognoscere, petat a *Dionysio, Solino, Plutarcho*, & aliis permultis. (Sp.)

(3) Vnde danda Poetæ venia, quam sibi libro secundo *Manilius* deprecatur, ita canens:

Ornari res ipsa negat, contenta doceri:
Et si qua externa referuntur nomina lingua,
Hoc operis, non vatis erit, non omnia flecti
Possunt, & propria melius sub voce notantur. (Sp.)

(4) Hoc est, vniuersam huius mundi durationem: quam Theologi octo punctis, seu euentibus metiuntur: nempe Creatione, Diluuio, Vocatione, Legislatione, Regno, Regeneratione, Conciliatione, Consummatione. (Sp.)

(5) A quo sextum mundi, seu temporum interuallum felix suscepit initium. Nam octo puncta, siue euentus iam dicti, in septem interualla, seu spacia sunt diuisi. Vulgus *ætates mundi* appellat. *Tempora*) Annos. (Sp.)

(6) *Otho* Episcopus Frising. & Abbas *Vrspergensis* decessum *Chunradi* Augusti & mox secutam *Friderici* electionem incidisse in annum post M, LII, autores sunt. Externi Chronographi referunt in LIII, quos *Naucierus* sequitur: *tamen addunt*, inquiens, *vnum nonnulli, quos* Guntherus *autores habuit.* (Sp.)

(7) Quæ regna, quæ prouinciæ, qui populi sint Germanici iuris, tradit *Ioan. Trithemius* in ea epistola, quam præmisit libro a se *de Origine Regum & gentis Francorum* inscripto. (Sp.)

(8) Huius Principis res, quas tum animi, tum bellica virtute, & in Germaniis & Galliis gessit, foris iniquior fortuna obscurauit. Arma etenim cum Gallorum Rege infelicibus auspiciis contra Saracenos accepit, decimo vix milite ex tanta nuper multitudine superstite in Germaniam reuerso. Sed per summum scelus Græci Imperatoris *Manuelis*, quo nullus infestior in Christianos fuit, nulli inuisiores successus nostrorum fuere. Memorabilem hanc expeditionem explicat copiosius lib. rerum Francicarum quinto *Paulus Æmylius* Veronensis, quo non alter elegantior ætate nostra res maiorum in literas retulit; ex nostris *Otho* Antistes, qui huic expeditioni cum Ænobarbo patruo, tum adolescente mira indole, interfuit, lib. Ænobarbicarum rerum primo, & *Vrspergensis*. Non autem adeo inglorius Imperator *Chunradus* decessit, quam a quodam, qui securus est externum scriptorem, dicitur: qui tamen in referendis Principibus nostris non vnum, aut alterum tantum errorem admisit. (Sp.)

(9) An penes VII Electores tantum ius tunc erat Imperatorem eligendi, vt hodie? Quod vulgo putatur institutum esse Othonis III. Id negat *Nic. Cisnerus* in Orat. quam de illo Imperatore habuit, docetque, vniuersum robur Principum Germanicorum huic electioni interfuisse. Quamuis autem Itali quoque adfuerint: tamen eos spectandi tantum causa venisse, non autem quod ius suffragii in Comitiis creando Imperatori haberent, euincit ex seqq. v. 211. Idemque existimat, posterius demum propter omnium rerum in Germania perturbationem & Ordinum confusionem atque dissensionem ius illud ad pauciores fuisse restrictum, qui scilicet vel dignitate, vel autoritate, vel potentia, vel ingenii dotibus animique virtute excellebant. (R.) p. 21.

Vides neque hic obseruatam sanctionis Gregorianæ formulam de eligendo Imperatore latam, a paucis Principibus: cuius Itali, & plerique alii externi scriptores meminere, mire interim nostrorum annalibus silentibus. Proinde vel commentum fuit Italorum, vt pleraque alia. *Ioannes Stabius* animaduertit, *Nuenarius Comes* recipit, vel, vt ego puto, non probata tunc a ceteris Principibus Germaniæ, aut saltem non perpetua. Sed & *Sabellicus*, prudens & diligens scriptor, fatetur, se parum compertum habere, fuerint ne tum primum creati, qui Imperatorem legerent: an postea res inducta sit. Dissentit a nobis *Munsterus*. Verum eorum, qui hodie Electorum nomine censentur, dignitas atque potestas facta est augustior per *Carolum* Imperatorem eius nominis *Quartum*: qui multa improbando exemplo admisit, maiestate Imperii neglecta: vt qui Boiemiæ suæ, quam Germanis consultum mallet. Haud raro Diuus Cæs. *Maximilianus* solebat diplomata eius, & priuilegia, quæ pater Augustus non prius rata habuisset, damnare silentio. (Sp.)

(10) Nobilissimum iam olim in Germaniis emporium. (Sp.)

(11) Sumptum ex Antistitis Frisingensis historia. (Sp.)

(12) *Mela* & *Tacitus Moenum* nominant: nonnulli *Moganum*. Oritur in orientali Francia ex pinifero monte. Iuxta Moguntiam Rheno miscetur. Lege *Chunradum Celtem* in descriptione vrbis Norimbergæ, & in secundo Amorum lib. (Sp.)

(13) Hos enim sæpius rebellantes, tricennali tandem bello vicit, & vera pietate imbuit. Lege post *Eginhartum*, & Annales nostrorum *Æmylium Veronensem*. Gentis originem tradunt *Vrspergensis* & Cranzius. [Sp.]

(14) Pro, *confluunt*. Simplex vice compositi. Verbum non inelegans ad significandam

eandem multitudinem: quo & infra vtitur Lib. 8 v. 405;

Tantaque Roncalias magnorum turba virorum
Flaxerat.

Sic & *Virgilius* ead. metaphora dixit *undam*, pro multitudine hominum.

Mane salutantum totis vomit aedibus vndam.

Vid. *Giphanii* Indicem Lucretianum in *vnda aeria*. Sic *Claudianus* in Probum, Probinum & Olibrium.

Cernere semper erat populis vndare penates.

Facit huc, quod scribit *Symmachus* 4 ep. 28; *In commune imperii caput vndique gentium conuenitur.* (R.) p. 21. 22.

(15) Leg. *eque.* Quod tam est manifestum, vt mirer, prius illud tam diu in omnibus, quas vidi, editionibus inhaerere potuisse. (R.) p. 22.

(1) Sic vbi nocliuago stellarum lumine puppis
Decurrit pelago, si forte nocentibus illam,
195 *Qua regitur cursus(2) tenebris premit inuida nubes,*
Abrumpitque vias, alio sibi sidere nauta
Quaerit iter, clauique modum, velique tenorem
Innouat, & radiis accommodat arte carinam.

(1) Comparatio mire congrua. (Sp.)

(2) Nobilissimus & eruditissimus *Christophorus Pfingius*, qui suas in *Guntherum* coniecturas liberaliter mecum communicauit, hic ita legendum & distinguendum censet;

Si forte nocentibus, illa
Qua regitur cursus,

cui libens meritoque assentior. (R.) p. 22.

Sic(1) postquam sedere Duces, dubioque volutans
200 *Pectore, cui tanti regni tribuantur honores*
Saxones, & quorum Ripuaria(2) nomine tellus,
Vuestfaliaeque vrbes(3), & Norica rura(4) regentes,
Allobrogumque Duces(5) coeunt, Cimbrique feroces(6),
205 *Quos perfusa suo pugnax Germania(7) Rheno(8)*
Misit, & a magno tellus signata Luthero(9),
Vindelici, Raethique ruunt(10), quos Sueuia nutrit,
Quosque Carentinis collimitat Austria campis
Quas Lycus(11) & tumidis Ister(12) praelabitur(13) vndis(14)
210 *Quique(15) suos(16) vrbes huc direxere potentes(17),*
Claraque Teutonici coierunt nomina regni.
Nec minus ex Italis multos, & gente Latina
Traxerat huc rerum miratrix fama nouarum,
Concilium, Regemque nouum, faciesque verendas
Aspexisse Ducum(18), famosaque nomina nosse
215 *Optabant, populisque suis exacta referre.*

(1) L. Hic (B.)

(2) Clauditur trium fluminum ripis, a quibus nomen sortitur, *Rheni* scilicet, *Mosella*, & *Mosa*, triangulari quasi forma. Caput ad *Confluentes* est, acies apud *Dile*, oppidum post *Nouiomagum*, vbi *Mosa* in *VVahalim* influit. (Sp.)

Spiegelius ita dici putat eam regionem, quae trium ripis fluminum clauditur, Rheni. Mosellae & Mosae. At *Cisnerus* in orat. de Othone III, *Ripuarios* nominari vult eos, qui ripas Rheni & Moeni accolunt, quas olim Franci tenuerunt. Ab his *lex Ripuana* scripta est: vt *Lex Salica* a *Francis Saliis*. Sic *Ripuaria arua* infra 6, 461. (R.) p. 22.

(3) Saxones, qui habitabant trans Visurgim amnem, qui vulgo *VVesera*, *Ostfali*, hoc est, *Orientales* appellati sunt: qui hodie generali gentis nomine censentur. Obsoleta prorsus *Ostfalorum* appellatione, citra Visurgim, habitant *Westfali*, id est, qui occidui nuncupati sunt, quorum & nomen mansit, & regio hodie quam late patet. Saxonicum tamen nomen ceu conuicii & probri notam respuunt. Sunt qui apud Plinium *Istaeuones* interpretantur eosdem, qui *VVestfali*. Horum pertinax rebellio diuum *Carolum* Aug. mirum in modum exercuit: vnde iudices olim in eos, quod subinde ad paganismum relaberentur, constituti sunt, *die VVissner*, quos patrum nostrorum memoria *Fridericus* Tertius sustulit. (Sp.)

(4) Bauarica. Noricorum enim regionem nostra aetas Bauariam vocat. Mediae vetustatis scriptores Boioariam dixere. Norici tamen appellatio longius, quam post Boioaria, vel Bauaria protendebatur a iugis Tridentinis vsque ad montem Cecium, *Kalenberg*, qui imminet vrbi Viennae, metropoli Austriae inferioris. (Sp.)

(5) Hoc est, Proceres Galliae Lugdunensis, & regni seu prouinciae Arelatensis. (Sp.)

Intelligit non eos modo, qui Sabaudiam tenebant, sed & quibus subiecta erat

Burgundia

Burgundia. Sic *Renaldum* Burgundum, cuius filiam *Beatricem Fridericus* noster duxit, Comitem Allobrogum vocat infra lib. 5 v. 256 & 288. Sic *Bertholdum* Zeringensem ex familia Ducum Burgundiæ oriundum, vocat *Ducem Allobrogum* lib. 2 v. 414. (R.) p. 22.

(6) Signat extremos Germaniæ populos in littore Oceani, qui Cimbrorum loca tenent: quos *feroces* appellat, respiciens ad vetustissimos illos, quorum *Homerum* meminisse volunt *Cimmeriorum* nomine. Virtus eorum prodita est a luculentissimis scriptoribus, *Velleio* in primis, & *Tacito*. Gentis originem excutit *Cranzius* lib. Saxoniæ suæ secundo. (Sp.)

(7) Quam prompto fuerit olim ad arma, cruoremque animo, satis vel nostra demonstrant tempora: quæ licet externo admisso luxu, moribusque mutatis, mollior facta sit, tamen pristinam fortitudinem retinet. (Sp.)

(8) A fontibus enim ad ostia vsque a Germanis Rhenus habitatur, Danubio in Pannonas & Dacos exeunte: qui vi, cursusque longitudine, multo Rhenum superat. At ille, quia maximis oppidis frequens est, & fortissimarum gentium terminus censetur, claritatis quadam prærogatiua pollet. De eo peruetustum Germanicum rhythmum inseruit *Vadianus* noster Commentariis suis in *Melam*. (Sp.)

(9) *Lotharingiam* signat, etiamnum Imperii prouinciam, quæ *Austrasia* fuerat antea, tunc ab *Lothario* nepote *Ludouici* Pii August. Rege suo, pro *Lothariana*, *Lotharingia* dici cœpit: cui paulo longior vita dedecus attulit, duobus Episcopis regni sui autoribus, Agrippinensium, & Treuirorum: quam rem fuse narrat *Vrspergensis*. (Sp.)

(10) Quia alia, quam hodie, tenuerunt loca, ideo dicit, *quos Sueuia nutrit*, scilicet Vindelicos. Non illa Albiana, priscorum Sueuorum sedes, sed quæ nobis hodie *Sueuia* est, & quos Austria collimitat, scilicet *Rhætos*: quorum vocabulo *Austrios* comprehendi, tradunt autores idonei. Quam late patuerit, arguit varie ipsa *Rhætia* nominata, *Superior*, *Inferior*, *Plana*, *Alpestris*, & *Cisalpina*. Videbis autem & nationum sedes, & regnorum populorumque nomina subinde mutata, siue veteres, siue recentiores rerum temporumque scriptores euoluas. Sic *Alsatia* nostra dicitur, quæ olim *Alemannia*. Sic *Austria* nunc appellatur, quæ olim *Pannonia* pars erat, quam *Teutrichus*, *Alfridusque*, a *Carolo* Francorum Rege, eo, qui mox insignia Imperii a Græcis in Germanos intulit, copiarum ductores missi, aliquot secundis prœliis factis, munitionibusque opportunis locis, & præcipue ad coitiones fluviorum obiectis, expugnarunt, hostemque longis, latisque finibus vtentem, submouere ex ea, quæ nunc *Austria* est, nomine indito ab *Austrasia*. *Carentini* antiqui nominis vestigium, cuius *Ptolemæus* meminit, retinuerunt. Quanquam *Carinthiam* malunt quidam eum tractum, quem hodie *Carinthiani*, die *Kerner*, habitant, a *Carnis*, von den *Karstern*, quorum nomen adhuc durat, appellatum. *Carniolam*que hanc nobilissimam regionem cum *Stiria*, æque clara prouincia, *Ludouicus* Augustus, cognomento *Pius*, qui diuo *Carolo* patri successit in Imperio, Germanis reddidit, abrogato in Stiriam, Carinthiamque iure Ducatui Foroiuliensi: quod *Baldricus* Foroiuliensium Dux, Pannonici limitis custos, Bulgaros recentis fœderis immemores, vim facientes, non arcuisset finium ingressu. (Sp.)

(11) Quo fluuio Sueui a Bauaris nostra ætate seiunguntur. (Sp.)

(12) Supra cataractas *Danubius*, infra vero *Ister* dicitur. (Sp.)

(13) Præterlabitur. Apocope. (Sp.)

(14) A quarum strepitu & sono putant quidam accepisse nomen vernaculum *Donavv*. Præterea scribit *Althamerus*, tanto impetu ferri in Pontum, quod vltra quadraginta milia passuum infra amaras vndas, dulcem quærentibus exhibeat haustum. Vrbes autem quas & *Lycus*, & *Danubius* alluunt, pete infra ex quarto *Austriados*, libro *Bartolini*, & octauo libro Germaniæ Exegeseos *Irenici*. (Sp.)

(15) Malim, *Quaque*. (R.)

(16) Francofurt. editio Wechelianorum habet, *suas*: quomodo & *N. Cisnerus* legit. Cuius sensus lectionis perabsurdus est. Qui enim potuere potentes suas vrbes ad comitia mittere? (hoc enim est *dirigere*, more *Symmachi*, *Ausonii*, &c.) Quin potius contra factum, vt vnaquæque vrbs suos potentes seu optimates mitteret, vt assolet. Sic infra lib. 8 v. 577. *missisque potentibus vrbes*. (R.) p. 22.

(17) Optimates, primores. (Sp.)

(18) Quemadmodum *Plinius* in epistolis *famosam caussam* dixit, claram, & illustrem intelligi volens. (Sp.)

Ergo vbi tanta patres audire(1) negotia, dignum
Insedere locum, diuerso magna fauore
Pondera librantes, nunc hos, nunc protinus illos
Inspiciunt: versantque diu moresque, genusque,
220 *Ingenium, famam, fortunæ simplicis vsum,*
Euentum, finemque simul, quæ commoda regni
Inde fluant, quæ damna sui: iudex ne seuerus,
An facilis, pius, an ne ferox, largitor honestus,
An ne rapax, pacem portendat, an arma minetur,
225 *Omnia sollicito curarum examine pensant.*

Potest

(1) Potest hoc verbum referri vel ad *dignum locum*, vel ad *insidere*. Sic, *insidere audire*, esset hellenismus, ἐκάθηντο ἀκοῦσαι, id est, *ad audiendum*. Prior tamen sensus magis arridet. Notentur hic capita deliberationis in eligendo novo Imperatore ponderanda. (R.) p. 22.

(2) Fortuna diuersis apud Gentiles nominibus appellata est. *Mala* fortuna & *detestata*, fortuna *fortis*, *equestris*, *parua*, *virgo*, *primigenia*, *obsequens*, *priuata*, *viscata*, *publica*, *virilis*, *conuertens*, *benesperans*, *auertens*, *blanda* & *dubia*, *mammosa*, *barbata*, & *muliebris*: quibus omnibus principium dedit *Seruius Tullius*: quod a fortuna ex seruo in regnum esset euectus. (Sp.)

Tandem quid peteret regni fortuna, per vnum
Dignata est aperire virum, qui nomine clarus,
Dux, Comes, an Præsul, dubium(1), *formaque verendus,*
Consilioque potens, & persuadere peritus,
230 *Surgit*(2): *& vt magnis vocem cum corpore rebus*
Composuit(3), *facunda pater sic ora resoluens,*
Omnia suasibili(4) *permulsit pectora voce:*
Francorum Proceres(5), *quos inclita robora regni*(6),
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas(7),
235 *Scitis vt e medio, dolet heu, sublatus acerbo*(8)
Funere Chunradus *vitam, regnumque reliquit:*
Nunc igitur (veluti cum luditur alea)(9) *prudens*
Si qua male acciderint, ea lusor corrigit arte.
Sic nos humanæ lusit quos alea sortis,
240 *Consilio fati casum properemus iniqui*
Corrigere, & tanto solatia ferre dolori.

(1) Miror dubitari hac de re posse, cum infra lib. 6 v. 6 fateatur, Moguntinum Præsulem in electione Imperatoris more antiquo præcipuum habere suffragium. Tribuemus ergo hanc egregiam orationem illi, qui tum fuit Archiepiscopo Moguntino. Conferantur similes Orationes suasoriæ descriptæ ab *Herodoto*, & *Io. Sleidano*, lib. 1. (R.) p. 22.

(2) Oratoris enim est stare: Iudicis & auditorum sedere. Vnde Demosthenes auditores alloquens dicere solet: ὑμεῖς οἱ καθήμενοι. (R.) p. 23.

(3) Aptauit. (R.)

(4) *Suasibilis* vox hic est, non quæ suaderi potest, sed πειστικώς, persuadere efficax. *Delenifica & suada facundia* vocatur a *Symmacho* lib. 3 epist. 6. Et ad hunc ipsum scribens *Ausonius* ep. 17. *Modo* (inquit) *intelligo, quam mellea res sit oratio, quam delenifica & quam suada facundia.* Sic apud Plautum Orator *impetrabilis* est, qui facile, quod vult, impetrat & obtinet. (R.) p. 23.

(5) Qui Francis nostris Asiaticam originem tribuerunt, vt fere omnes rerum mediæ antiquitatis scriptores, & chronographi, in primis Gallici, qui ciuitatem illam magnam *Sicambriam* appellatam, meris construxerunt mendaciis, tota (vt aiunt) aberrarunt via: quum eos grauissimi autores *Tacitus*, & *Plinius* indigenas fuisse pronuntient. Has nugas fabulosas, satis confutarunt ex recentioribus Comes *Nuenarius*, *Pirckheimerus*, & *Cranzius*, qui eam, quæ prima Francis nomen dedit, Franciam Germaniæ, scribit, per iniuriam appellatam Franconiam, ablato illi vero a Gallis nomine. Seruant tamen nonnulli scriptores illi prouinciæ suum nomen & honorem, vt *Franciam* vocent *Orientalem*. *Sed hoc*, inquit, *vix patiuntur Galli, pro solita gentis elatione, indignati, si diis placet, quod Germanos patres, & regni sui fundatores iubeantur agnoscere.* Miror itaque nonnullos, & in eis perquam excellenti eruditione præstantes, fuisse, qui ex quadam *Ciceronis* ad Atticum epistola, Franconici nominis antiquitatem, ceu grauissimo testimonio approbarent: cum tamen locus ille, si excutiatur diligentius, seipsum prodat deprauatum. (Sp.)

(6) Teutonici. Nomen enim Franciæ Orientalis in Teutonici regni appellationem iampridem abierat. Continebatur autem eiusce Franciæ nomine Baioaria, Sueuia, Saxonia, Thuringia, Frisia, Lotharingia: vt *Frisingensis* Præsul refert cap. 11 lib. sexti. (Sp.)

(7) Ex hac enim gente, vt eleganter ait Comes *Nuenarius*, tanquam ex equo Troiano, totius Germaniæ nobilitas prosiliit. Nec nos mouere debet quorundam stultitia, suam originem ad Romanos referentium; qui si scirent, nullam in Italia nobilitatem esse, quam non Germani eo aduexerint, non haurirent aquam e riuulis, ipso fonte contempto. Ridiculum sane, quod *Volaterranus* diui *Maximiliani* Aug. progenitores ait fuisse quosdam, nescio, *Perleones* Romanos, cum pura puta sit e Francorum sanguine Principibus Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ, Hollandiæque origo. (Sp.)

Sic Papa Episcopis ἐπιστέλλων eos vocat *Ecclesiæ columnas*. lib. 6 v. 551, & *Paulo* Ecclesia est στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας. 1 Timoth. 3 v. 15. *Euripidi* autem domus columnæ liberi sunt masculi. στῦλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρσενες.

Alia

Alia metaphora *Guntherus* ſupra Principes dixit *totius viſcera regni.* (R.) p. 23.

(8) *Virgilianum* hoc eſt. Quamuis paulo aliter apud Principem illum Poetam poſitum ſit. (R.) p. 23.

(9) Ex *Terentio* ſumpta comparatio, cuius iſta ſententia Adelphis, Sc. *Ibo*:

> *Ita vita eſt hominum, quaſi cum ludas teſſeris.*
> *Si illud quod eſt maxime opus iactu, non cadit,*
> *Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.*

Sed reperiamus eam altius quoque a capite, e chartis inquam Socraticis. Sic enim *Plato* πολιτειῶν ι. καὶ ὥσπερ ἐν πτώσει κύβων πρὸς τὰ πεσόντα τίθεσθαι τὰ αὑτοῦ πράγματα. Quem locum *Plutarchus* innuit, cum περὶ εὐθυμίας ita ſcribit: κυβείᾳ γὰρ ὁ Πλάτων τὸν βίον ἀπείκασεν, ἐν ᾧ καὶ βάλλειν δεῖ τὰ πρόσφορα, καὶ βαλόντα χρῆσθαι καλῶς τοῖς πεσοῦσι. Vbi tentarim, pro ἐν ᾧ, reponere ἐν ᾗ, ſcilicet κυβείᾳ. Vid. eund. *Plutarchum* Conſolatione ad Apollonium. Idem *Plutarchus* hac de re etiam peculiarem ſcripſerat Commentarium, quod oſtendit πίναξ Lampriæ, Plutarchi filii, quem *D. Hœſchelius* noſter Auguſtæ nuper edidit. Ex eo indice librorum grauiſſimi ſcriptoris cognoui ſubducto librorum editorum & nec editorum numero, plures interiiſſe, vel alicubi latere, quam ſint hactenus editi. (R.) p. 23.

In manibus veſtris regnum eſt: ea quippe poteſtas
Ad vos more ſuo ſemper viduata recurrit(1),
Regibus eſt aliis potiundi iure paterno
245 *Certa fides*(2), *ſceptrumque patris nouus*(3) *accipit heres*(4).
Nos quibus eſt melior libertas, iure vetuſto,
Orba ſuo quoties vacat inclita Principe ſedes,
Quodlibet arbitrium ſtatuendi Regis habemus.
Ex quo Romanum noſtra virtute redemptum,
250 *Hoſtibus expulſis*(5), *ad nos iuſtiſſimus ordo*
Tranſtulit Imperium Romani gloria regni.
Nos penes eſt, quemcunque ſibi Germania Regem
Præficit, hunc diues ſubmiſſo vertice Roma (6)
Suſcipit(7), *& verſo Tyberim regit ordine Rhenus.*
255 *Conſulite in medium, tantaque e plebe potentum*(8),
Vnum, quem tanto deceat ſuccedere Regi,
Eligite, Auſoniam dignum geſtare coronam.
Aſt ego, ſi veſtra quæ ſit ſententia mentis(9),
Pace monere licet, quo noſtri pondera vergant
260 *Conſilii*(10), (*vos rem propius perpendite*(11)) *promam.*

(1) Nondum enim tunc nata erat noua illa ſapientia eorum, qui dicere auſi ſunt, cum Imperator Rom. in rebus humanis eſſe deſiit, Imperium Rom. vacans ad Pontificem Romanum deuolui, eique tanquam feudum domino aperiri. Sed hæc ſententia iam pridem exploſa eſt apud eos, quibus ſanum eſt ſinciput. Locus hic certe oſtendit, tempore *Friderici* vacans Imperium tempore interregni fuiſſe penes Electores, & Principes Germanicos. (R.) p. 24.

(2) Regni ſucceſſio apud alios ab hereditate, apud alios a libera electione pendet ac defertur. Vtra autem ſucceſſio penſior, magiſque ex vſu Reip. ſit, Politici diſputant. Viſe *Iohan. Bodinum* lib. 6 de Repub. c. 5. *Iuſt. Lipſium* lib. 2 Politic. c. 4; *Ioannem Caſum* in Sphæra ciuitatis. *Guntherus* quidem hic electionem liberam præferre videtur. Poteſt tamen & mixta quædam ratio dari. (R.) p. 24.

(3) L. *Suus.* (B.)

(4) Nob. D. *Pflugius* diuinabat: *heres.* (R.)

(5) Hoc eſt, vt vulgo dicunt, iure belli quæſitum. Quod ſi, teſte Comite *Nuenario*, verum dicere vellent, qui finxere, ad Germanos veniſſe Imperium, *Stephani* Papæ donatione, faterentur vtrique, *Carolum* Magnum Italiæ, a qua per Longobardos eiectus erat, reſtituiſſe *Stephanum* Papam, eius nominis tertium: nec agnoſcere donum, quo carebat is, quem fingunt donatorem: faterentur per hunc in Italia regnare Pontificem Romanum, non *Conſtantinum*: cuius ſucceſſores vſque ad *Teutrichi* Regis Gothorum tempora, & ipſam Romam, & Italiam totam tenuerunt: faterentur Exarchatum Rauennæ cum Piceno non fuiſſe vnquam ſub poteſtate Romanæ Eccleſiæ, niſi poſtquam *Stephano* Papæ fuit per *Pipinum* collatus, fruſtra tunc reclamante Græci Imperatoris Protoſpatario. Sed præſtat externum, Italique hominis teſtimonium afferre *Georgii Merulæ*, qui in fine primi libri hiſt. Vicecomitum, de victoria diui *Caroli* in Deſiderium loquens, *Ex eo*, inquit, *Pontifex multarum vrbium dominus, & qui antea religionis maieſtate res terebat, mox imperio & potentia metuendus fuit: & ſi quidam hiſtoriarum ignari, & temporum neſcii, ignorato rerum geſtarum ordine*, a Conſtantino Syluestro *Pontifici datum referant*: Audiamus & alterum teſtem itidem Itali generis hominem, *Æmylium Veronenſem*, qui libro

libro Francicarum rerum tertio scribit, Pontificiam dignitatem, euersa tum Italia per Gothos, Vandalosque, ac alias gentes, adeo vexatam, vt non ante *Carolum* Martellum, diui *Caroli* auum, tollere oculos ausa fuerit: illum Pontificis precibus motum, ecclesiæ patrocinium suscepisse, gessisseque: *Pipinum* eiusdem *Caroli* patrem, Exarchatum, Rauennatium vrbi Romæ redonasse, liberalitate, pietateque *Carolum* Augustum neque auo, neque patri cessisse. Satis *Æmylio* cum *Nuenario* & *Merula* conuenit, præterquam quod *redonatum* dicit Exarchatum. Sed meminisse debes, Veronensem sacerdotio insignem, se noluisse grauare odio. (Sp.)

(6) Comperio triplicem Romam fuisse. Vnam non multum post captam Troiam: alteram quindecim ætatibus fere post primam extructam: tertiam autem multo his duabus vetustiorem. (Sp.)

(7) *Christophorus Colerus* malebat: *Suspicis*. (R.)

Qui plus æquo Pontificum potestati tribuunt, designato Cæsari adimunt rerum administrationem, quamdiu Papæ desit adsensus. Sed quibus Imperii autoritas, velut a Deo tradita, propugnatur, mox ab electione omnis potestas adest. (Sp.)

(8) Deerat hîc τὸ *e*, quod restitui. Ceterum κατάχρησις quædam sordidiuscula hæc esse videtur, qua tamen & infra vtitur lib. 4 v. 373, & lib. 6 v. 236 & 323. Alibi *turbam potentum* dixit ad eandem faciem. Vt infra h. lib. 442 & 745. Horum collatio locorum ostendit, nihil hic in lectione vsitata mutandum, nec audiendum coniecturam *Schoppii* mei, qui sic volebat: *tantaque plebe potentem vnum*. Id est (inquit) eligite vnum, qui tanto populo potens sit. (R.) p. 24.

(9) Scilicet, *mea*. (R.)

(10) Migratio venusta a momento libræ, quæ est Græcis ῥοπή. (R.) p. 25.

(11) *Schoppius* noster diuinabat, *probius*. Ita si non scripsit, scribere tamen debuisse *Guntherum*. (R.) p. 25.

(1) *Est hic eximiæ iuuenis probitatis, & alto*
Nomine maiorum clarus, sed clarior actis
Ipse suis(2), *patrii* Fridericus *nominis heres,*
Sueuus, & a veterum non longe sanguine Regum(3),
265 *Quem sibi, dum supera frueretur luce superstes,*
Rex patruus(4), *dignum gaudebat habere nepotem,*
Multaque cognati mandare negotia regni
Sueuerat, & socium summis adsciscere rebus.
Quid iuuenis de laude loquar? quid fortia primæ
270 *Acta iuuentutis? quid, quod peregrina secutus*
Castra Dei(5), *primus*(6) *tiro famosus in armis*
Gessit? & inuicta quantos virtute labores
Pertulit, expediam? timeo, ne multa loquendo
Iuueniar dixisse minus(7). *notissima res est,*
275 *Quam qui forte negat, nunquam vidisse diurnos*
Se Phœbi radios, nec verno tempore flores,
Æstibus(8) *aut mediis audisse tonitrua dicat.*

(1) Oratio non expers artificii, mixto tamen genere. (Sp.)

(2) Alludit ad sententiam *Ouidianorum* versuum:

Nam genus, & proauos, & quod non fecimus ipsi.
Vix ea nostra puto.

Vide & Marium præclare apud *Sallustium* in Iugurth. pro nouis hominibus contra falso & tantum nomine nobiles differentem. (R.) p. 25.

(3) *Fridericus* auus Ænobarbi, gener *Henrici* Quinti Aug. genus suum ad veteres Francorum Reges gentis vocabulo *Luitvvicham*, gallico *Clodoveum*, & diuum *Carolum* Magnum referebat. (Sp.)

(4) Cæsar *Chunradus* Aug. frater patris Ænobarbi, cui & *Friderico* nomen erat. (Sp.)

(5) Propter militem cruce signatum in expeditionem Syriacam, in quam cum multis aliis Germanorum Principibus pia induit arma *Chunradus*, monitore diuo *Bernardo* Clareuallensi, quæ tamen infelicem, vt diximus, scelere impii Græcorum Imperatoris, exitum sortita est. (Sp.)

(6) Suspicabar, *primis*, quod postea vidi Pernam quoque seu Pithœum in Basileensi editione reposuisse. At Augustana editione *primus*. (R.) p. 25.

(7) Petron. *minus erit*. Conf. *Guntherum* l. 3 v. 37. (B.)

(8) Videtur pro *æstatibus* positum. *Lucretius* tamen in 6 vult, autumno & vere plura, quam alias tonitrua fieri & fulmina cadere: cuius rei causam inuestigat. De quo & *Senecam* vide Natural. quæstion. (R.) p. 25.

Hunc ego Rectorem fausto clamore cieri(1),
Incingique sacro nitidos diademate crines,
280 *Et moneo, & nunquam, fateor, monuisse pudebit.*

Si satis hunc noui, nec me præsagia fallunt,
Nobilitate viget, claroque hinc sanguine Reges,
Inde Duces contingit auos(2): *facundia dulcis*(3),
Forma nitens(4), *animusque sagax, manus impigra, sollers*
285 *Consiliis, belloque ferox, & pace modestus,*
Mente senex, ætate puer(5), *prudentia rerum*
Certus amor, robusta fides, constantia mentis
Nec frangenda malis, nec sustollenda secundis(6),
Laudis amans, largitor opum, crudelibus atrox,
290 *Tranquillus placidis, ferus indomitusque superbis*(7),
Supplicibus facilis, iustis pius), *asper iniquis,*
Fortis ad instantes(8) *casus, prudensque futuri* (9)
Præteritique memor, sociis bonus, impius hosti.

(1) Id est, *dici, proclamari*: idem alibi dicitur, *citari*. Sic *Corn. Nepos* (ad Tit. Pomp. Atticum) *Magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympiæ* citari. *Ciere* quoque apud *Virgilium* vsurpatur, pro vocare seu appellare.

—— *Ære ciere viros.* *Et,*
—— *Magna supremum voce ciemus.*

Ouidius; *Clamat, & alternis nomen vtrumque ciet.* Sic noster infra v. 344 cietur *Dux puer in Regem*, id est, proclamatur Imperator, quod tamen non sat Latinum videtur. (R.) p. 25.

(2) *Guibelingianos, & Guelficos, qui,* vt inquit Antistes *Frisingensis, vt inter viros magnos, gloriæque auidos assolet fieri, frequenter sese inuicem æmulantes, reipublicæ quietem multotiens perturbarant.* Quod non ignorauit *Iacob. Barcellus*, qui tacite *Guelforum & Guibelingorum* Principum recitans factionem, satis confutat quorundam de eiusmodi nominibus opinionem, licet & antea ab aliis exibilata existat. Emendanda est eo loci in *Barcello* dictio, *Helenefon*, quam miror nostros non animaduertisse deprauatam. *Helepronnam* enim suspicor scripsisse autorem: vt Italis & Gallis familiare est inflectere externa. Signat autem indubie oppidum imperii etiam celebre *Heilbrunn*, quod *salutis fontem* interpretari possis. (Sp.)

(3) Ἡδυέπειαν. Hinc *mellifluum os* tribuit *Friderico* lib. 9 v. 196. Obserua hic catalogum virtutum Imperatoriarum, siue earum artium, quibus regna muniuntur, & crescunt infima, & maxima seruantur, vt ipse *Guntherus* mox ἐπιφωνεῖ. (R.) p. 25.

(4) Hoc est, quod *Euripides* quoque commendat, εἶδος ἄξιον τυραννίδος. Sic formæ dignitas etiam alibi in magnatibus commendatur, vt supra v. 228; vt lib. 6 v. 474; vt lib. 7 v. 562. (R.) p. 25.

(5) Sic supra; *meritisque superuenit annos.* γέροντα τὸν νοῦν, σάρκα δ' ἡβῶσαν φέρει, inquit *Æschylus*. Et *Pindarus* Pythionic. 5; κρέσσονα μὲν ἁλικίας νόον φέρβεται, γλῶσσάν τε. *Idem* Olymp. 4; φύονται δὲ καὶ νέοις ἐν ἀνδράσι πολιαὶ θαμὰ καὶ παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον. Sic de Iuliano scribit *Ammianus Marcellinus* lib. 25; *virtute senior, quam ætate.* Sic de Pisone *Silius Italicus* lib. 8 v. 386; *Ore puer, puerique habitu* (vel, vt *Fr. Modius* legit,

Pulcerque habitum) *sed corde sagaci*
Æquabat senium, atque astu superauerat annos.

Sic inscriptio vet. Epitaphii apud *Brissonium* lib. 7. De formul. *I. Proculo L. F. XVI. annos nato, qui nihil cum adolescente commune habens, senes sapientia anteiuit,* &c. In hac sententia delicias facit ille quisquis est, qui de bello Troiano scripsit poema, sub nomine *Cornelii Nepotis* falso se venditans, cum sit longe posterior.

Canescant alii mento, nos mente: capillo;
Nos animo: facie; nos pectore: tempora quippe
Virtutem non prima negant, non vltima donant.

Non enim *ætate, verum ingenio adipiscitur sapientia*, vt ait *Plautus* Trinummo, Sc. *Quo illic homo.* Et *Varro* Aboriginib. περὶ ἀνθρώπου φύσεως: *Sed neque vetulus canterius, quam nouellus melior, neque canitudini comes virtus.* Pulcre etiam *Ambrosius* in Epist. contra Symmachum: *Non annorum canities est laudanda, sed morum.* Quam ad rem elegans est Epigramma *Philonis* Antholog. 1. tit. 16.

αἱ πολιαὶ σὺν νῷ γεραρώτεραι· αἱ γὰρ ἄτερ νοῦ
μᾶλλον τῶν πολλῶν εἰσὶν ὄνειδος ἐτῶν.

Hoc est:

Canities veneranda, cui mens prouida iuncta est.
Hæc sine longi æui est opprobrium illa magis.

Et alterum ibidem:

αἱ τρίχες, ἢν σιγᾷς, γεραρώτεραι· ἢν δὲ λαλήσῃς,
οὐχ αἱ τῆς ἥβης, αἱ φρένες, ἀλλὰ τρίχες.

Id est:

Quando taces, cani mens sunt: si vero loquare,
Pro iuuenum incipiunt nil magis esse pilis. (R.) p. 26.

(6) Rara est hæc mentis constantia, quam *Friderico* Imperatori futuro Senator Imperii tribuit. Plerique enim mortales, cum res aduersas fortiter ferre, & fortunæ quasi insultare potuerint, secundas (quæ, vt ait *Sallustius*, etiam sapientium animos fatigant) æquo animo ferre non valuerunt. Vsque adeo difficilius est, secundam, quam aduersam

sam fortunam moderate ferre: quod multorum grauissimorum scriptorum testimoniis confirmat *Muretus* lib. 5 var. lect. c. 15. Quibus & alia addi possunt plurima, & vero hoc *Taciti* lib. 1 Histor. *Secundæ res acrioribus stimulis animum explorant: quia miseria toleramur; felicitate corrumpimur.* Item istud *L. Annæi Flori* lib. 4, vbi de bello inter Cæsarem & Pompeium; *Causa tantæ calamitatis eadem, quæ omnium, Nimia felicitas.* (R.) p. 26.

(7) Videtur æmulari hunc *Virgilii* versum:

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Quid? quod Deum ipsum quisque suis sibi conformat moribus? vt canit *Psal.* 18. (R.) p. 27.

(8) Præsentes. (Sp.)

(9) Singularis prudentia, constat præsentium scientia, memoria præteritorum, & futurorum prospicientia. (Sp.)

Hæc sunt, o Proceres, hæc sunt, quæ regna tueri,
295 *Ac munire solent: his artibus infima crescunt,*
Maxima seruantur: ni fallimur, artibus istis,
Seque, suosque reget: neque enim quis(1) *hactenus vltro*
Et gratis coluit(2), *sumpta mercede relinquet*(3).
Nam quod summa probos mutare potentia mores
300 *Dicitur, ex alia sumptum magis æstimo caussa:*
Si (4) *quis forte sibi peruersæ conscius artis,*
Ingeniique mali, tacitus captator honoris(5)
Tempore dissimulat: cum(6) *quod cupiebat adeptus*(7),
In vitium, moresque redit, mutasse videntur,
305 *Immeritique hominem violasse putantur honores,*
Quos magis ille malo corrumpit, & inquinat vsu(8).
At cuicumque bonum, & nullo violabile casu
Ingenium natura dedit, si lætus honorem
Forte tulit(9), *quo dignus erat, tunc tempore rapto*(10),
310 *Illa latens probitas læto pubescere fructu*
Incipit, & sese virtutum germina produnt.
Sic puer a tenero castis qui moribus æuo
Floret, & hunc habitum natura(11) *vertit in vsum,*
Qualis erit? quantusue putas? quæ gloria regni?
315 *Quis decor Imperii, tanto sub Principe surget?*
Hunc ipsum voluisse suis succedere regnis
Et patruum, res ipsa probat, cui sanguine iuncto,
Ac velut heredi moriens insignia nuper
Regia, nil parua sperans de prole(12), *reliquit.*
320 *Quippe Deus, si regna diu voluisset in illa*
Stare domo, prolem potuit seruasse priorem(13),
Quæ iam suscepto consorti fœdere regno,
Flebilis indigna præcessit morte parentem(14).
Nunc quoniam fatis e fratribus alter iniquis
325 *Occidit, & casu regnum fraudauit*(15) *acerbo,*
Alter adhuc teneris puer est male firmus in annis,
Quis melius patruo (faueat modo vestra voluntas)
Succedat, quam quem studiis & carne propinquum
Ipse sibi heredem, quasi designasse videtur?
330 *Nouerat ille quidem generosæ robora mentis,*
Nouerat, atque ideo regnum, quantum esset in ipso,
Tradidit, & nato voluit præferre nepotem(16).
Nec alienus(17) *erit: nulla hic translatio regni,*
Nulla sub ignoti redigemur iura tyranni.

(1) *Perna* editio Basileensis habet, *quos*. Sed verum est, *quas*, scilicet *artes*. (R.) p. 27.

(2) Q. d. orator: Cum alias vulgo fere quemque pœniteat gratis esse probum. (R.) p. 27.

(3) Scilicet honore, præmio virtutis, secundum *Aristotelem*. Notum illud ad quod allusisse videtur: *Honos alit artes.* Nam quod summa probos mutare potentia mores dicitur. Explicat quomodo intelligendum, quod prouerbio dicitur: *Honores mutant mores.* Profecto in vita priuata vix satis perspici possunt mores & ingenium hominis. Verum si committas imperium, vt quod

quod libeat idem liceat, tum demum apparet, quo sit animo: vt eleganter dixit *Roterodamus* in enarrando Adagio, *Magistratus virum indicat*. (Sp.)

(4) Leg. *Dum*. (B.)

(5) Occupatio obiectionis. Dicat aliquis: Honores mutare solent mores: & ἀρχὰ τὸν ἄνδρα δείξει: *Magistratus ostendit virum*. Quam sententiam egregie *Sophocles* illustrat. Metuendum est igitur, ne & *Fridericus*, quem tantopere commendas, ad *Imperium* euectus, ab ea, quam nunc præ se fert, probitate desciscat. Respondet Orator: Imo non tam honores mutant mores in deterius, quam detegunt eam, quæ prius dissimulationis inuolucris tegebatur & latebat, improbitatem: atque ita falso imputatur honoribus & potentiæ, quod malitiæ adscribendum erat hominis potentia armati, cum bona rectaque ingenia tunc demum nacta occasionem suas virtutes exerendi, & aperto sibi, in quo excurrant campo, subinde in melius proficiant. *Illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem sese probos simulauere. At ei, qui omnem ætatem in optimis artibus egit, bene facere iam ex consuetudine in naturam vertit*: vt præclare & huic loco conuenienter Marius Sallustianus. Congruit cum his iudicium *Symmachi* lib. 8 ep. 1; *Cordati viri animus* (inquit) *non solet quolibet honorum culmine mutari*. Et epist. 30; *Nec facile mutari potest probitas, & bonæ artes stimulo præmiorum felicius incitantur*. Et epist. 86 eod. lib. 8; *Ille vere incrementis suis maior est, quem sublimitas parti honoris inclinat*. Sane in vulgaribus ingeniis ita fit, vt est in Epigrammate *Agathiæ* lib. 1 Antholog. tit. εἰς τύχην.

εὖτέ τις ἐκ πενίης πλούτου τύχοι, ἠδὲ καὶ ἀρχῆς,
οὐκέτι γιγνώσκει, τίς πέλετο πρότερον.

Et quæ ibidem sequuntur plura. Hoc est ex interpretatione nostra:

Imperium si quis sit adeptus pauper, opesque,
Qua fuit, haud meminit conditione prius. (R.) p. 27.

(6) Petere honorem, nunquam lege Romanorum prohibitum fuit, sed contra leges de ambitu petere, id demum erat vetitum. (Sp.)

(7) Donec claues repererit, quod dici solet, tunc iam ceruices erigit. *Nam fere maxuma pars hunc morem homines habent: quod sibi volunt, dum id impetrant, boni sunt. Sed id vbi idem penes sese habent, ex bonis pessumi & fraudulentissumi sunt*. Quem *Plauti* locum ex Captiuis, sc. *Dii immortales*, *Guntherus* hic in conspectu habuisse videtur: vel etiam hunc *Catulli*:

Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare; nihil promittere parcunt.
Sed simulac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere; nihil periuria curant.

Sic antiquus Poeta, *Callimachus*, vt puto, fecit:

πρίν τι λαβεῖν φιλέουσι, ἀτὰρ φεύγουσι λαβόντες. (R.) p. 28.

(8) Diuinabam, *ausu*. Sed forte nihil mutandum. (R.) p. 29.

(9) Nullum imperio gerendo censet idoneum *Plato*, nisi qui coactus & inuitus suscipit imperium. (Sp.)

(10) Id est, occasionem adepta, qua cupidissime vtitur. Sic & infra loquitur lib. 9 v. 490. Ita *Symmachus* lib. 1. Epist. Bono animo. *Occasionem rapere, prudentis est*. Vulgo ibi legitur, *accipere*: ex quo olim diuinabam *arripere*. Sed restituendum, *rapere*: vt in Msc. cod. reperit *Schoppius*, quem vide lib. 1. verisim. c. 9. Sic & *Paulus* elegantissimus IC. vsus est in reg. Iuris: *Rapienda occasio est, quæ præbeat benignius responsum*. l. 167 ff. de diu. reg. iur. ant. Sic enim ibi legendum ex P. Fl. non vt vulgo, *capienda*. Exprimitur autem his formulis illud καιρὸν ἁρπάζειν, & significat, celeres ac præcipites esse rerum gerendarum occasiones, quæ semel amissæ non facile recuperentur: adeoque secundum *Phædrum* lib. 5. Fab. *Tempus elapsum semel non ipse possit Iupiter reprehendere. Neque enim occasiones nos præstolantur, sed nos illas obseruare debemus*. Est καιρὸς is, quem temporis articulum vocant. *Iul. Cæs. Scaliger* Hypercritico, corrigens hunc *Ausonii* versum. *Et esse καιρὸν, tempestiuum quod vocant*. Illud pæne præterieram, *Lucanum* quoque sic loqui lib. 10;

——— *Cæsar semper feliciter vsus*
Præcipiti cursu bellorum, & tempore rapto.

Sic etiam *Silium Italicum* loqui, non semel: vt lib. 1;

——— *Tempore Martis*
Vtendum est rapto, & grassandum ad clara periclis.

vt lib. 7;

——— *Rape miles tempora pugna.*

Id est, *occupa tempus*. vt lib. 9. *dux sibi quisque viam rapito*.

(11) Forte, *natura*. Et ita *Pernæ* editio. (R.) p. 29.

(12) Impubere filio, Friderico nomine, cui tamen maturo ætate Sueuiæ Ducatus obueniret, teste *Vrspergensi*. (Sp.)

(13) *Henricum*, quem ipse adhuc puerum consensu Principum Regem declarauit, & Aquisgrani inunctum, atque diademate cinctum vidit. Autor *Frisingensis* Præsul capite XXXXIII lib. histor. Ænobarbicæ primi. Vita priusquam pater defunctus est: quod apertissime *Guntherus* noster hoc loco prodidit. Vnde mirari nequeo, *Cranzium* scripsisse, eum patri fuisse superstitem: quod quidem leue esset, metu vero Imperialium insignium, quæ pater apud eum seruanda reliquerat, euecto ad culmen Imperii *Friderico* Ænobar-

Ænobarbo, paulo post e medio sublatum veneno. Cum tamen ab hoc scelere, quamuis plerisque aliis nimium familiari, Germani semper alieni fuerint. *Otho* autem Antistes, *Chunrado* Augusto & affinitate & familiaritate summa coniunctus, scribat, vt eius vtar verbo, *Regalia*, cum vnico suo *Friderico*, Ducis *Friderici* fidei ab eodem commissa. (Sp.)

(14) Turbato nimirum ordine mortalitatis (vt ait *Papinianus* in l. 15, nam etsi. ff. de inoff. testam.) qui est, vt liberi parentum oculos claudant & ossa legant. Sic Querolus: *Nonne hoc iustum fuit, bustum vt efferret filius.* Vid. *Iani Gruteri*, amici nostri suspicion. lib. 4. c. 1. vbi plura ad hanc rem congessit. (R.) p. 29.

(15) *Orbauit, viduauit*: vt supra loquebatur. (R.)

(16) Scilicet ex fratre. Sic enim & hic, & infra v. 515, & lib. 5 v. 13, & lib. 9 v. 92. cum vulgo appellat *fratris filium*. Sic sororis filius *auunculi nepos* dicitur lib. 9 v. 78. Imo & filius filiæ sororis *auunculo magno* dicitur *nepos*, vt Augustus Iulio Cæsari inf. h. lib. v. 519. (R.) p. 29.

(17) Perna, *Non.* Si retinere libeat, *Nec*, quod & Augustana editio habet, erit versus ἀκέφαλος. (R.) p. 30.

335 *Adde quod antiqua Regum nutritus in aula,*
Regia prudenter tractare negotia nouit(1).
Adde quod & geminas poterit Regumque Ducumque(2)
Hanc patris, hanc claro contingens sanguine matris,
Conciliare domos, quas seditione frequenti
340 *Excitat impatiens sociæ discordia laudis.*
Si quis ob inuidiam studiique latentis amorem(3)
Tot bona secreto dissuasor inutilis astu
Impedit, imprudens aut perfidus esse probatur.

(1) Nemo enim ad rem gerendam idoneus esse potest, nisi qui sit vsu exercitatus. Cuius filias esse Sapientiam, & Experientiam *Afranium* poetam prudenter & lepide scripsisse refert *Gellius*. (Sp.)

(2) *Guibellingiorum* & *Guelphorum*. (R.)
Quoniam sub Cæs. *Henrico* Quinto, Dux *Fridericus*, pater Ænobarbi, genus paternum in veteres Francorum Reges & Imperatores referens, *Henrici*, Noricorum Ducis, filiam vxorem duxit, ex qua *Fridericum I.* Imperatorem suscepit. Itaque & Guieblingianam Imperatoriam, & Guelficam Ducalem familiam contingebat. Hæc vna caussa *Fridericum* patruo suffecit, vt tandem duæ in proceribus Germanorum potentissimæ familiæ, ex diutina æmulatione, qua respublica affligebatur, in gratiam redirent. (Sp.)

(3) Sic infra lib. 9 v. 9 *studiis hostilibus*, & lib. 10 v. 483 *studiis harens & fixa nefandis Vrbs Ligurum.* Sic alias quoque studium pro factionibus & affectibus vsurpatur. *Sallustius* 3 Histor. *Ad hoc bellum maiore studio, quam consilio profectum.* Et *Cicero* pro Plancio & alibi *studium* & *iudicium* opponit. *Symmachus* eleganter lib. 6 epist. 27; *Dimissis in studia partibus impediri aut certe differri solet rerum vtilitas.* Sic *Optatus* Mileuitanus: *Studiis* (inquit) *impeditur veritas.* Et plenius *Arnobius* lib. 1 aduersus Gentes: *Contentionum studiis obscurari & contegi contemplatio rerum solet.* (R.) p. 30.

Sic vbi melliflua, quisquis fuit ille disertus,
345 *Voce perorauit, concordi protinus omnes*
Assensere sono: læto clamore cietur
Dux puer(1) *in Regem*: Friderici *curia nomen*
Tota canit: moresque probos, & fortia facta
Extollunt, dignum sceptris, vltroque petendum,
350 *Cogendumque*(2) *ferunt: alii famosa priorum*
Nomina, permixtumque genus, Regumque, Ducumque
Commemorant: alii studium, magnique vigorem
Pectoris, & placidos, sed non sine pondere mores:
Pars operum titulos iactant, æuique minoris
355 *Vix æquanda viris, annisque valentibus acta.*
Hanc ego rem penitus, quam dicere pauca, silere
Tutius esse puto(3): *non est mihi carminis inde*(4)
Tanta fides, pleno scribens vt cuncta relatu
Exæquare velim, magnum res ista poetam
360 *Exigit, in minimis nobis audacia rebus*(5).

(1) *Fridericus* iuuenis, sed qui iam & domi & foris editis claris facinoribus, quæ studiosius *Otho* persecutus est, effloruerat. *Aristoteles* iuueni non concedit gubernationem: quod rudis sit earum rerum quæ in vita versantur. *Tenero*, inquit *Claudianus*, *tractari*

tractari pectore nescit Publica maiestas. Cæsar *Carolus* quartus, legitimam in Romanum Principem eligendi ætatem, octo & decem annos pronuntiauit. (Sp.)

Atqui *va terra, cuius Princeps puer est*, inquiunt oracula diuina. Sed obseruare licet, sæpe apud *Guntherum* etiam adultos & iuuenes vocari *pueros*. Sic infra v. 479; & sup. in argumento huius lib. v. 4 & alibi. (R.) p. 30.

(2) Videtur ad *Platonicum* illud dogma respexisse: Fugientibus potius & reluctantibus, quam appetentibus & ambientibus mandandos esse Magistratus. Tunc demum florentem ac beatam fore Rempublicam. Sic *Symmachus* lib. 1 epist. 30 *Melius Reip. consuli*, ait, *si magistratus eligantur inuiti.* (R.) p. 30.

(3) Notum est illud *Salustianum* Bello Iugurthino, de Carthagine, de ea silere melius sese putare, quam parum dicere. Hoc Poeta exprimere voluit: vt alibi quoque sæpissime Romanum illum Thucydidem imitatur. (R.) p. 30.

(4) τὸ *Inde* idem est quod *Deinde*. Hoc enim dicit: Primum puto melius esse silere, quam pauca dicere. Deinde non tanta facultas carminis mihi suppetit, vt apte illa possim exponere, & pro dignitate tractare. (R.) p. 30.

(5) Iuxta præceptum Horatianum:

Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. (Sp.)

Mox vbi rite suam proceres iuramine sacro
Astrinxere fidem(1), *cunctis, quæ postulat ordo*
Expletis, paucisque nouo cum Rege relictis,
Discedunt, lætique suas referuntur ad vrbes.
365 (2)*Sic vbi mundanis dominantia sidera*(3) *rebus*
(Si modo vera canunt(4), *qui talia tradere gaudent*
Dogmata(5)) *propitio* post secula plurima signo*(6)
Conueniunt(7), *aliquemque boni maioris in orbe*
Prouentum, pacem terris, hominumue salutem,
370 *Temperiemue poli, fidosue. colentibus agros,*
Aut simile his aliquid concordi fœdere iurant,
Inde suis iterum vicibus, versoque relapsu
Discedunt, soluuntque chorum, repetuntque penates,
Non nisi post longos iterum coitura labores(8).

(1) Id est, postquam homagium præstiterunt, & fidelitatem Imperatori solenniter iurarunt. (R.) p. 31.

(2) Simile perquam apte adductum. (Sp.)

(3) Signat Planetas, qui a veteribus velut quidam mundi principes intellecti sunt. Horum alii diurni, alii nocturni sunt. (Sp.)

(4) Quasi dicat; de quo multi dubitant, interque se certant: quæ adhuc sub iudice lis est, An res mundanæ, maximeque hominum mores, studia, voluntates & euentus * ex astris pendeant, & an sit Astrologia iudiciaria & diuinatrix. Qua de re vide præclare disserentem *Franciscum Vallesium* de sacra Philosophia c. 31; vt *Ioan. Picum* Mirandolanum taceam, qui contra Astrologos aliquot libris pugnauit. (R.) p. 31.

(5) Disciplinam cælestium rerum, quam Græci *Astrologiam*, *Sideralem* e Latinis quidam vocauere, primitus inuenisse, filios Sethi: qui fuit primi parentis nostri Adæ, *Iosephus* scribit capite 4 primi Antiquitatum. (Sp.)

(6) Habent enim & suas qualitates signa: de quibus *Pontanus* copiosius ceu ex professo tractat, in libris de rebus cælestibus, dignis lectu, vel ob Romani sermonis puritatem. Vrania, ceteraque eius poemata, recepta iam sunt calculo omnium eruditorum, maxime in Italia, vt accipio, quæ cum antiquitate certare possint. (Sp.)

(7) Periti astrorum eiusmodi conuentum vulgo vocant, *magnam coniunctionem*. *Ioannes Picus* ille magnus, cuius conclusiones a magnis olim Theologis apud Italos damnatæ fuerunt, vt impiæ & hæreticæ, nunc vt christianæ, piæque leguntur omnibus, non sine applausu Theologorum, ostendit euidenter cap. 5 lib. aduersus Astrologos quinti, Planetas magnis coniunctionibus iunctos, non plus posse, quam diuisos, magnasque istas coniunctiones nouum esse inuentum, de malo Ptolemæi intellectu natum. (Sp.)

(8) Vt Virgilius *solis lunæque labores* dixit. (R.)

375 *At Rex prima mouens, ibi re feliciter acta,*
Castra per emensas memorati fluminis(1) *vndas,*
Classe petit celebrem famosi nominis vrbem,
Qua Mogus tumido miscet sua flumina Rheno:
Qui licet ipse suum perdat cum gurgite nomen,
380 *Dat tamen egregiæ primordia nominis vrbi,*

Illaque

Illaque maiori cum sit popularior amni(2),
Negligit, & fluuio dignatur ab hospite dici(3).
Namque premens Rhenum (*si credimus omnia famæ*)
Nomen ab infuso recipit Moguntia Mogo.
385 *Hæc vrbs Francorum*(4) *mediis in finibus, agris,*
Vitibus, arbustis, populo generosa(5) *frequenti,*
Hinc statione sua Rhenum contingit, at inde
Extendit rapidam fines procul vsque*(6) *Mosellam*(7),
Quæ non pæne minor(8) *placidos dum permeat agros,*
390 *Frugibus & pomis, & dulci fertilis vua*(9),
Nomen, aquasque suas, proprio sub iure retentans,
Fluminis ex gemini confluxu nomen habentem,
Seruat ad vsque locum(10): *victor mox Rhenus, vtrumque*
Eripit, & mixtis dominatur fortior vndis.
395 *Turribus hæc eadem*(11) *quondam, murisque superba,*
Pæne fuit toto sedes notissima regno(12),
Donec ob infandum, detestandumque furorem
Strata, luit meritas occiso Præsule(13) *pœnas,*
Inde ruinosis deformis, & horrida muris,
400 *Testatur iustas offensi Principis iras.*

(1) *Mœnis*, seu, ut nunc, *Mogoni.* (Sp.)

(2) Rheno. (Sp.)

(3) Aliter apud *Virgilium* Ætna dicuntur *hospites fluuii*, nempe qui subito existunt. Vid. *Ios. Scaligeri* Catalecta. (R.) p. 31.

(4) Germanicæ Franciæ nomen longe lateque patuit olim, cuius metropolis, eademque vrbs regia *Moguntia* ab Chronographis nostris appellata est. Eius situm satis eleganter describit & extollit *Otho* Præsul lib. Ænobarbicæ histor. primo. (Sp.)

(5) Mallem, *numerosa*, aiebat *D. Pflugius.* (R.)

* Ne quis hanc lectionem temere mutet, admonendum, etiam apud *Ausonium* esse *diam Mosellam* in genere femin. Idyll. 10. quo pulcerrime eum fluuium describit, vt non frustra id poema tantopere prædicet *Scaliger* Hypercrit. Ibidem est prope finem:

Domina tamen ante Mosella
Numine adorato. (R.) p. 31.

(6) *Vsque* pro *vsque ad*, eleganter, more Ciceronis, Terentii, Plauti. *Nec vero* (inquit *Cicero*] *sapienti vsque* plaudite *viuendum.* Idem Verrin. *Erant accepta pecunia a C. Verrutio, sic tamen, vt vsque alterum V litera constarent integræ.* Terentius; *Tum patris pudor, qui me tam leni passus est animo vsque huc.* Sic ibi optimi libri. Et ita alibi quoque *Terentius* & *Plautus.* Prudentius; *Vestis & vsque pedes descendens.* Sic noster infra lib. 2 v. 114:

——— *Siculum protenditur vsque profundum.* (R.) p. 31.

(7) *Obrinca* olim, nobilis Belgicæ, Rheno vicinæ, quæ a *Ptolemæo* in Germanias diuiditur, *inferiorem* & *superiorem*, fluuius. Ab eo inferior Germania initium habet, *Ausonii* poetæ clarissimi carmine illustratus. A *Mosa* & *Sella* fluuiis, ex Vogeso monte nascentibus, *Philesius* dictum cecinit:

Et Mosella, vnum gemino de nomine nomen,
Ingreditur Rhenum, pluribus auctus aquis. (Sp.)

(8) Scilicet *Mosella*, hoc est, tractus Mosellanus & amœnitate & fertilitate vetusta celebris. (Sp.)

(9) Vt & *Ausonius* in eius præconio mox a principio cecinit:

Salue amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata Imperio debent cui mœnia Belgæ;
Amnis odorifero iuga vitea consite Baccho,
Consite gramineas amnis viridissime ripas.

Et paulo ante finem;

Salue magne parens frugumque virumque Mosella.

& quæ sequuntur. *Cornel. Tacitus* ad finem 13 August. histor. libri scribit, *Luc. Veterem* Romani ea tempestate exercitus præfectum, Mosellam, atque Ararim, facta inter vtrumque fossa connectere parasse. (Sp.)

(10) Meminit huius loci *Antoninus* Imperator in Itinerario, *Ammianus* lib. rerum gestarum 16 his verbis: *Nisi quod apud Confluentes, locum ita nominatum, vbi amnis Mosella Rheno confunditur*; *Regino* lib. Chronic. 2. Hic, vt *Otho* refert, *Chunradus* Aug. *Henrico* quinto suffectus est. Paret hodie Archiepiscopo Treuerensi. Est & alter Confluens *Mosæ* & *Rheni.* (Sp.)

(11) Moguntia. (Sp.)

(12) *Pflugius* coniiciebat, *tutissima.* *Tutum* enim pro *munito* haud raro apud *Guntherum* positum inuenias. (R.) p. 31.

(13) *Arnoldo.* (R.)

Otho Pontifex, & *Radeuicus*, memorabilem huius historiæ partem silentio præterierunt, *Vrspergensis* item, & *Nauclerus.* *Crantzius* paucis verbis attigit in fine capit. 18 Saxonic. rerum lib. sexto. Legimus apud *Othonem* Pontificem Moguntiam, sub

co *Henrico* Augusto, cui *Lotharius* Saxo successit, & tum præerat *Adalbertus* primus, omnium illius temporis, vt idem ait, regni Principum versutissimus & locupletissimus, obsessam a *Friderico*, Sueuorum Duce bellicosissimo, patre Ænobarbi, de illoque Archiepiscopo & populo Moguntino retulisse triumphum. Communicauit autem mihi *Rhenanus* noster veterem libellum, quo quidam *Chunradus* ea tempestate, vel paulo post, vt apparet, Episcopus, simplici dictione, plane fidem rebus adserente, quas ille ad posteritatis notitiam transmittere studuit, complexus est quædam, quæ sunt gesta sub Ænobarbo nostro, *Henrico VI*, eius filio, *Philippo* Rege, & *Friderico* secundo. Nec reperiuntur in vulgatis Chronicis. Vnde haud grauabor, quamuis prolixa Episcopi illius verba adscribere, quibus candide prosequitur cædem *Arnoldi* Pontificis, &, quæ illam secuta est, vrbis Moguntinæ calamitatem, tum alia haud quaquam scitu indigna. Igitur de *Henrico* Archiepiscopo Moguntino, cui *Arnoldus* successit, autor ille loquens: *Nam quia*, inquit, *semper ei erat cordi, vt clerus honore debito gauderet, populus iustitia regeretur, terra pace publica exultaret, ecce accusatur apud Papam, quod somnolentus & inutilis haberetur. Quod vir venerabilis vt cognouit, solennes nuntios pro sua excusatione ad summum Pontificem decreuit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognitorem quendam* Arnoldum *clericum, quem ipse Archiepiscopus ad Præposituram maiorem promouerat iam recenter, tanquam eum qui non posset esse immemor beneficii tam nouiter consecuti. Præterea eidem Præposituram* sancti Petri *etiam contulerat: Insuper &* Camerarium *constituit ciuitatis Moguntinæ. Erat autem idem* Arnoldus *miri ingenii & facundiæ, atque congestor pecuniæ infinitæ. Is itaque veniens ad Curiam Romanam, pontificatumque ambiens Moguntinum, primum sibi Cardinales pecunia fauorabiles acquisiuit. Deinde duos specialiter certificans, qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodum consummaret, cum illis familiarius pertractabat. Tandem ab illis instructus, & de se certificatus, cœpit in suum Dominum accusationis iacula dirigere, quem venerat excusare. Breuiter, tantum in sua processit audacia, & effecit, vt duos Legatos destinari peteret huius rei cognitores & iudices, obtinuitque eosdem duos quos certificauerat. Tandem tractu temporis multa interuenerunt facta, quæ sicut scribentibus esset onerosum referre, ita legentibus tædiosum. Veniunt ergo Legati VVormatiam:* Henricus *Episcopus citatus comparet: nihil prætendere poterat pro se, quod admittere vellent iudices, sine Legati supradicti. Præsidentes autem iudicio, in loco qui* Neuhusen *vocatur,* Henricum *laudabilem virum, ab Episcopatu amouent Moguntino:* Arnoldum *substituunt. Dicebatur autem, quod* Fridericus *Imperator huic negotio assensum præbuerit, sed occultum. Venerabilis vir* Henricus *tam manifesta peruersitate turbatus, ipsos peruersos alloquitur in hunc modum.*

Si ad Sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil amplius attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio spiritus, & euisceratio mentis, & euacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum Iesum Christum, tanquam iudicem iustissimum, vos cito ad eius tribunal: ibi etiam coram summo iudice me responsurum exhibeo. Non enim iuste, nec secundum DEVM, sed mercede corrupti, sicut placuit, iudicastis. *At illi:* Cum præcesseris tu, sequemur nos. *Hæc autem ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno gratiæ M C LVI. Dominus* Henricus *abiit ad quoddam claustrum Cisterciensis Ordinis, non quidem monachus effectus, sed in consueto habitu vitam ducens.* Arnoldus *vero nullam moram faciens, cum fuisset, vt moris est, ab Imperatore Regalibus inuestitus, Moguntiam venit, ibique solenniter est susceptus. Post annum fere & dimidium venerabilis* Henricus *Præsul defunctus, DEO ad quem appellauerat, totum processum lachrymabiliter assignauit.* Arnoldus *autem primordia sui consecrans præsulatus, purpuram optimam de altaria tollens, sibi fecit vestes, tunicam, sorcotium, & mantellum: vt in Imperatoris curia gloriosior appareret. Sed omnipotens DEVS non diu sustinuit istud nefas. Orta est enim dissensio valde grauis inter ipsos ciues Moguntinenses. Nam vna pars dolebat vehementer, venerabilem virum Dominum* Henricum *ab Episcopatu amotum: alia gloriabatur, & superbiebat* Arnoldum *substitutum. Erat enim oriundus de ipsa parte ciuitatis, quæ* Selehofen *nominatur. Tam grauis autem crescebat de die in diem inuidia inter ciues, vt tribus diebus in septimana congrederentur, & per plateas cum gladiis & fustibus, ac contis, cuspidibus & lanceis inuicem, se mactarent, caderentque hinc & hinc tanquam oues occisionis. Nec* Arnoldus *se interponere curauit, pro pace & concordia reformanda, sed suos fautores potius contra partem aduersam animauit. Propter quod accidit, vt pars illa de* Selehofen, *quam fouebat & animauit* Arnoldus, *maius monasterium occuparet, illo pro castro vterentur contra aduersarios. Durabat hæc dissensio dies multos, & clerus grauiter oppressus contemptui habebatur: quia iam copia maioris ecclesiæ non concedebatur ad diuinum officium exequendum, nisi pro illorum libitu laicorum, qui illud temere occupauerant. Et iam quidem multi venerabilem* Henricum *conquerantur morti debitum exsoluisse. Rem refero fratres, omnibus illius sæculi notissimam. Mors venerabilis* Henrici *multis innotuit. Peruenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab Episcopatu eum amouentes, se promiserunt sequuturos, & ludentes ad alterutrum dixerant:* Ecce præcessit, suo tempore nos sequemur. *Et ecce transiit tempus breue, & ambo vno die moriuntur. Nam vnus sedens in sede natura,*

vt

vt purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam reiecit, & animam miserabiliter exhalauit. Alius manuum suarum digitos articulatim abmordens, & de ore expuens, deformatis manibus quasi se ipsum deuorans expirauit.

DEus vltionum Dominus, DEVS vltionum libere egit, iustum exercens iudicium: & in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Audita sunt hæc in terra nostra, & fama celebri diuulgata, nec a quoquam aliud dicebatur, quam, Benedictus Dominus, qui venerabilis Henrici iuste iniuriam vindicauit. Sic isti dies suos clauserunt. Crescebat autem in malum vehementius odium & pugna ciuium prædictorum. Iamque conducuntur deforis auxiliatores milites ab vtraque parte. Peruenitur iam ad maiores. Nam quidam Comites promissionibus attracti, huic prælio se immiscuerunt. Tractatur ab vtraque parte de sumptibus acquirendis. Pars, quam fouebat Arnoldus, festinatum consilium inuenerant, & vt mutuo acciperent de ecclesiæ ornatu habuere tractatum. Iam integritas ipsius ornatus in parte est non modica vulnerata. Et paulo inferius. O Cardinales, Cardinales, pacem de terra accepistis, & vt homines se interficerent, vos fecistis. Quicquid mali prouenit, quæcunque fuerint homicidia perpetrata, vestra est in causa peruersitas, vestra est iniquitas operata. Vt veniat super vos omnis sanguis qui effusus est, & deinceps effundetur.

Ecce in omni terra non est, qui huic malo velit occurrere ad sedandum, sed crescit & intumescit mare istud plenum frementium bestiarum, ventis afflantibus, vtique ex inferno. Iam se immiscet Arnoldus, qui cum esset Archiepiscopus, loci fautores plurimos acquisiuit, in propria ciuitatis interitum & iacturam, nolens parcere (vt quidam ei imponebant) nec sexui, nec ætati. Propter quod consulunt pars aduersa, vt in mortem Domini sui armarentur. Longo ergo & secretissimo habito tractatu in proposito scelere se inuicem adhortantes, se roborant & coniurant, tacent & abscondunt quidquid pro sua malitia sit perpetrandum. Sed nihil opertum quod non reueletur: per plures enim Arnoldus est præmonitus, vt se cautius obseruaret. Qui fertur suis monitoribus respondisse: Canes Moguntini mordere non norunt, nec aliquid valent, quam latratibus deterrere. A corde carentibus timeantur. Erat quidam Abbas in claustro Erbach Ordinis Cisterciensis, qui ipsum Arnoldum pro suis excessibus sæpe literis arguit, & imminentia pericula intimauit. Erat item quædam sancta virgo nomine Hildegardis, quæ per spiritum vidit ipsum Arnoldum citius moriturum, scripsisseque dicitur ei in hæc verba: Pater, prospice tibi. Sunt enim funes abstracti canibus, qui insequuntur te. Non autem acquieuit monitis aliquorum. Accidit, vt in vigilia Ioan. Baptistæ post prandium de quodam oppido Bingen ciuitati Moguntinensi appropinquaret, ac se in claustro monachorum iuxta muros ciuitatis ad sanctum Iacobum in monte specioso (sic enim dicitur) locaret. At ecce Moguntinenses vsque in crastinum sese armant, & conueniunt, vt cum in ipso die Iohannis audita fuerit campana, quilibet sit paratus. Et factum est ita. Venit dies, & maturius solito prandent omnes. Pulsatur campana, & a maximo vsque ad minimum vniuersa ciuitas congregatur. Præsul archiepiscopus se iam dederat quieti, & audito campanæ sonitu, vltra quam credi possit, vehementer expauit, & timor irruit super eum, inopsque rationis in tanto periculo quid posset facere, ignorabat. Obstruxit autem repagulum, & lapidibus & lignis, quibus poterat, ianuas omnes memorati monasterii. Turba autem turbata ex aduerso omnes portas & fenestras, ac quoscunque alios exitus obseruabat, ne euaderet, quem quærebant. Iam ignem ad officinas admouebant: vix & cum magna difficultate monachi recessum obtinuerunt. Dum monasterium fumo plenum, flammisque per circuitum premeretur, ipse Præsul turrim monasterii ascendens, misericordiam deprecatur, & si quem offendisset verbo vel facto, satisfacturum se suppliciter pollicetur. Sed turba viso Pontifice, conclamare cœpit furiose, nec poterant supplicantis verba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi vel audiri, sed admoto igne ad turrim, in qua stabat, ipsum de ea descendere compellebant. Flamma iam monasterio dominabatur. Videns ergo monachos obtenta securitate abscedere, tentat, si forte & ipse cum eis & inter eos possit euadere. Assumpto itaque habitu monastico, occultare se tentat, vt & ignem, qui inualuerat, & gladium euaderet, quem timebat. Apertis ecclesiæ valuis cum monachis fere abscesserat, sed a quodam est cognitus, & detentus. Infelix quidam gladium vibrans, collo Episcopi immersit. Alter in fronte eius percutiens, mucrone ab aure vsque ad aurem, superiorem partem capitis ad inferiorem diuisit. Sicque factum est, vt alii contis, alii fustibus, alii gladiis, alii lapidibus mactantes solotenus præcipitarent. Iacentem sic, & vulneribus & sanguine deformatum, vulgus nequam & peruersum, vestibus spoliarunt. Quidam annulos de digitis abstulerunt. Reliquiæ quædam, quas collo pendentes solitus erat ferre, ab aliis ablatæ sunt. Hæc autem circa horam nonam parum ante vesperas sunt peracta. Nec poterant clerici ab ipsis malefactoribus aliquatenus obtinere, vt saltem occisus in loco traderetur debito sepulturæ. Sic ergo iacebat in campo super fossam ciuitatis, vbi canum & luporum transitus habebatur, desiderantes eum ab huiusmodi bestiis deuorari. Tribus diebus sic nudus toto corpore manens, veniunt aliquæ maledictæ feminæ, caseorum & ouorum atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, saxis dentes Pontificis contundentes. Aliæ vero stipites ardentes, & titiones fumantes eius gutturi infixerunt, adiicientes linguis ac labiis maledicta. Post diem tertium, Canonici sanctæ Mariæ ad Gradus, iam ignoscibilem & fœtentem furtim sublatum, deferunt in ipsam ecclesiam, lachrymosis suspiriis sepeliendo. Acta sunt hæc anno MCLX. O Cardinales, huius rei vos estis ini-

initium. *Venite ergo, venite, haurite nunc, & ferte architriclino vestro Diabolo, eique offerte, cum ea, quam deglutistis pecunia, etiam vosmetipsos. Perpetrato hoc scelere, aliud sibi curare satagunt. Nullam Clericis (quorum intererat) eligendi potestatem concedentes, assumpto quodam* Rudolfo *cognomine* Clobelouch, *fratre* Friderici *Ducis Zeringie, in sedem collocant eum, adhuc occisi Præsulis fumigantem. Hoc autem factum est, vt possent vltionem Imperatoriam euitare. Erat enim idem* Rudolphus *potens, amicus ipsius Imperatoris & consanguineus propinquus.* Et infra. *Quæ autem vindicta secuta sit mortem* Arnoldi, *hic credimus non tacendum. Ab Imperatore proscripti perpetuo exilio sunt & damnati, qui manu nefanda ipsum facinus perpetrarunt. Ipsa ciuitas omnibus iuribus & libertatibus ac priuilegiis perpetuo est priuata. Murus, & fossatum, & alia turrium munitiones sententialiter condemnatæ, & destructa funditus, & euersa, ita vt ciuitas ipsa deinceps lupis, & canibus, furibus, & latronibus pateret peruia, nec vnquam reædificandi haberet facultatem. Insuper plebs ipsa perpetua infamia subiaceret, totius deinceps exsors gratiæ, & honoris.* Hactenus *Chunradus* Episcopus, qui de incomparabili illo, ac supra quam credi potest templi Moguntini thesauro, cuius statim ab initio per nomina diffuse meminit idem *Chunradus*, vt vera sit vulgatissima illa sententia, *Labitur exiguo, quod partum est tempore longo*, sic scribit: *De thesauro hoc sciatur: quod qui olim affluit, nunc velocius auolauit. Non omittendum puto, quod, quæ in thesauro illo erat, Crux aurea,* Benna *vocata, vt testabatur illi inscriptus versiculus,* Auri puri puti sexcentas continebat libras. *Libra autem marcas duas. Vnde si marca auri valeat LXX florenos Rhenenses, vt olim, valuit crux* Benna *LXXXIIII milia florenorum. Si valeat LXXV, vt nunc, erit summa valoris CM & XVII milia.* (Sp.)

Huic, ne præcipuam celebret Germania sedem,
Inuidet atque locum tenet Agrippina(1) *priorem.*
Ambæ metropoles: hæc(2) *quas præterfluit amnis*(3)
Altior ad fontem(4): *modo te* Basilea *remota*(5),
405 *Aut hinc inde sitas lateraliter aspicit vrbes:*
Altera(6) *quas eadem Rheni procul, aut prope ripæ*
Possidet: æquoreis donec se misceat vndis,
Prisco iure(7) *regunt: sic Rhenus partibus æquis*
Scinditur, & dominæ solus famulatur vtrique.
410 *Mox quantum libuit*(8), *per eundem defluus amnem*
Remige carpit iter: multi, magnique potentes
Occurrunt, Regemque nouum, dominumque salutant.
Vtque satis visum est(9), *Rheno, ratibusque relictis,*
Flumineos cursus euectu mutat equorum.*

* *Lecorum* R.

(1) *Colonia* hodie, nomen accepit ab *Agrippina* Augusta, quod illuc veteranos deduci iusserit, vbi & genita fuit. Autor *Cornel. Tacitus* lib. Aug. hist. 12. Coloniam autem ab *Childerico* Francorum Rege, patre *Clodouei*, qui primus Francorum Regum Christiana recepit sacra, eiecto ex Agrippina Romanorum præsidio, positoque suo. Ab Francorum incolatu *Coloniam* appellatam, *Otho* Præsul scribit lib. prioris hist. quarto: eamque in septimo eiusdem hist. lib. refert omnibus tum Galliæ, tum Germaniæ vrbibus, ex quo Treueris labi cœpit, tam diuitiis, quam ædificiis, magnitudine ac decore sui anteponendam. (Sp.)

(2) Scilicet, *Moguntia.* (Sp.)

(3) Rhenus. (Sp.)

(4) Ab iisdem prope Alpibus, Curiensibus scilicet, decidit, e quarum iugis non adeo magnis interuallis, in meridiem fluens Abdua, Athesis in ortum, in occasum Rhodanus, ipse vero maximus Rhenus in septentrionem elabuntur. (Sp.)

(5) Quod illa inter eas numeratur, quæ sunt a suffragiis metropolitanæ vrbis Vesontionum, quæ nunc vocabulo parum deflexo *Bisantium* appellatur, parum supra Basileam *Augusta Rauracorum* fuit. Extat hodie amplissimi olim loci vestigium pagus, dictione aliquantisper deluxata, sermone patrio *Auxta* vocatus. De ratione nominis pluribus diximus in commentariis, quos in Staurostichon *Pici* olim scripsimus. (Sp.)

(6) Scilicet, *Colonia.* (Sp.)

(7) Metropolitico, hoc est, primario. Metropolis enim dicitur præcipua ciuitas regionis, veluti mater omnium: non a mensura, vt verbis *Isidori* dixit *Gratianus* distinct. 21. Alioqui primam breuem natura haberet, cum habeat longam. Melius igitur illud dictum est, *Budeo* teste, distinct. 63, ad Episcopi electionem sufficere *ecclesiæ matricis* arbitrium. *Matrices* enim *vrbes*, latine dicuntur, quas Græci *metropoles* appellant. (Sp.)

(8) Legendum forte, *licuit.* Idem *Pithœus.* (R.)

(9) Probabilis est nobilissimi *Pflugii* lectio & distinctio:

Vtque

Vtque satis vsum est Rheni ratibusque, relictos
Flumineos cursus, &c.

Eidem in mentem venit, pro *cursus* legi posse *currus*: quod tamen metuit, ne nimis sit calidum. *Currus* pro *naui* quin a Poetis vsurpetur, iam nemo paulo humanior dubitat. (R.) p. 31.

415 *Inde per Ardennæ saltus*(1) *peruenit ad illum*
Vsque locum, cui nomen Aquis(2) *posuere priores.*
Quæ ratio facti, vel quæ sit nominis huius
Caussa, requirenti solum hoc opponere possum.
Sunt ibi secreti terræ, cæcique meatus(3),
420 *Dissimilique modo, tacita tellure latentes*
Eiaculantur aquas (4). *Alias nam sulfure viuo*
Feruentes vndante ferunt erumpere fumo.
Ast alii gelido veluti de fonte liquores
Emanant, tunc ducta cauis cannalibus vnda,
425 *Confluit in quandam mira ratione lacunam.*
Regia(5) *sic calidis miscentur balnea thermis,*
Marmoreosque gradus, veterum sollertia circum
Artificum posuit, per quos descendat in vndam
Quantum quisque volet, gelidas hinc inde calentes
430 *Inuenit, arbitrioque suo sibi temperat vndas.*
Hos illis secreta locis natura vapores
Addiderit, manuumue labor, quæratur ab illis
Qui loca nota colunt, caussas, secretaque rerum(6)
Maiores suo possunt audisse relatu.

(1) *Marlianus* nobilis huius, atque ingentis totius Belgicæ, hoc est, superioris & inferioris Germaniæ siluæ, tractum describit. Cetera vide apud *Irenicum*, qui hunc locum citat cap. 18 lib. septimi. (Sp.)

(2) *Aquisgranum Ptolemæo*, vt volunt nonnulli, *Vigerra*. Nugæ sunt, eam a *Grano* Neronis fratre, calidarum illic aquarum inuentore, dictam. Habet ad læuam Iuliacensem, in qua & fere est Aquisgranum, *Munstero* teste, vbi olim fuit Ardenna: ad dextram vero Montensem regionem. (Sp.)

(3) Cum hac thermarum Aquensium descriptione plane congruunt thermæ Carolinæ, quæ sunt in finibus Bohemicis, non procul à vallibus Ioachimicis, vbi similiter diuersæ ebulliunt aquæ, calidissimæ & frigidissimæ. Eas thermas amicus noster *Fr. Modius* nimis quam erudito & venusto carmine Lucretiano descripsit, versibus quadringentis & quod excurrit. (R.) p. 32.

(4) *Plinius* autor est, tales esse aquas, qualis terra est per quam fluunt. *Vitruuio* nulla aqua est natura calida. Qua vero ratione aquarum natura dignosci queat, tradit *Corn. Celsus*. (Sp.)

(5) Malim, *Frigida sic calidis*. (R.)

(6) De hac formula dicam infra v. 752. (R.)

435 *Hoc vbi*(1) *prima loco veluti cunabula regni*
Carolus esse volens, magno cum Francia Regi
Vtraque(2) *seruiret, primam gestare coronam*(3)
Iussit, & in sacra Reges ibi sede locari.
At simul(4) *a nostro secessit Gallia regno* (5),
440 *Nos priscum regni morem seruamus; at illa*
Iure suo gaudet, nostræ iam nescia legis(6).
Ergo vbi multorum turba præsente potentum,
Non modo Germanis(7), *sed & his, quos Flandria*(8), *quosque*
Miserat auditæ miratrix Gallia famæ,
445 *Imposuit capiti*(9) *gestamina regia sacro*
Arnoldus, *quo tunc pastore Colonia diues*
Gaudebat, quippe hunc veteris sibi iuris honorem
Vendicat ille locus. Tunc sacra sede locatus,
Conscendit solium veterum Fridericus *auorum.*

(1) Perna, *sibi*. Nota, a *Carolo* Magno institutum fuisse, vt prima Rom. Imperatoris coronatio Aquisgrani fieret. (R.) p. 32.

(2) *Germanica*, & *Gallica*. Vniuersam enim Galliam in *Francia* nomen abiisse, non tantum Chronographi tradunt, sed & ipsum tempus nostrum, quo *Franciam* appellari videmus, manifestat: euidenti argumento, *Francos* Germanos non tam victores Gallorum, quam extinctores fuisse. Quod nemo mirabi-

mirabitur: quando fortissima hæc gens, primum sub *Clodoueo* Rege, Romanis eiectis, Galliam occupauit. Deinde sub diuo *Carolo* Saxones bellicosissimos, & Romanis viribus insuperabiles, diuturno bello domuit. Item Hispaniam prius occupatam Saracenis, Pannonias Hunis, Sarmatiam Sclauis, totum Balearicum mare vexatum Mauris subegit. (Sp.)

(3) Ter Cæsarem redimiri diademate tradunt enarratores Pontificii iuris. Primum Aquisgrani ferreo, quo Francorum, hodie Germanorum Rex designatur. Deinde Medocii oppido Longobardiæ, seu vt nunc dicunt Lumbardiæ, quæ olim Gallia Cisalpina, in æde diui Ioan. Baptistæ, magno excitata opere, thesauroque immodico locupletata Longobardorum Regum munificentia, itidem ferreo diademate, vt *Merula* & *Volaterranus*, vel ex palea contexto, vt *Sabellicus*: quo Longobardorum Rex declaratur. Sed hunc honorem, reclamantibus etiam Medocianis, interpellatum esse ab *Henrico* septimo, qui Mediolani Longobardorum Rex appellatus sit, in diui *Ambrosii* templo, redempto post ab eo iure rursus coronandi Regis quinque millibus aureorum, vt latius narrat idem *Merula* lib. hist. Vicecomitianæ septimo. Postremo Romæ a Pontifice maximo corona aurea cingi, qua tum demum omnium Christianorum Imperator, & Romanorum Princeps pronuntiatur. Quod nec diuus *Carolus* tertio illo titulo prius ornatus fuerit, quam regnum Longobardorum adeptus esset. Sunt tamen qui putant *Carolum* ipsum appellatum dumtaxat a Pontifice populoque Romano *Augustum*, vsu coronandi postea inducto. Quod non dissimulat Episcoporum doctissimus nostræ ætatis, *Hieronymus Balbus*, Gurcensis Antistes, in eo quem recens scripsit *de Coronatione* libello. (Sp.)

(4) Augustana editio. *Et*. *Simul* pro *simul* ac ab optimis auctoribus vsurpari notissimum est. (R.) p. 32.

(5) Defuncto *Carolo* Imperatore eius nominis tertio, quem *Otho* Præsul Frisingensis Christianissimum appellat, memorabileque repræsentat exemplum vicissitudinis rerum: quod ille post *Carolum* Magnum ceteris Francorum Regibus potentia præstans, ante supremum diem ab *Arnulfo*, qui eo viuente, hactenusque nullo exemplo surrogatus erat, panis egens, stipem petierit: a quo etiam paucos, vt ipse ait, fiscos in Alemannia gratanter susceperit, Imperium multis modis, eodem autore, scinditur, singulis prouinciis singulos Reges creare adnitentibus. (Sp.)

(6) Adeo quidem, vt *Ioan. Bodinus* Regem Galliarum Imperatori Rom. etiam præferre non dubitarit in iis, quæ ad iura maiestatis pertinent. (R.) p. 32.

(7) Idem modo dictus *Otho* scribit cap. 5. secundi de Gestis Ænobarbicis libri. Etymum vocabuli Germanorum expendunt diligenter *Vadianus*, & autor Commentarii in libellum *Taciti* de moribus Germanorum, *Irenicus*, & nuper *Althamerus*. Ego a patrio vocabulo, *Garman*, nuncupatos puto. (Sp.)

(8) *Volaterranus* putat, nunc Flandrios, *Bellocassiorum* quæ olim fuerit, regionem tenere. Hæc priscis Germanis Francis Regibus parebat, cuius præses *Arduenna Saltuarius* dicebatur: quoad *Balduinus* quidam *Caroli* Calui Aug. filiam *Iuditham*, mortuo marito *Adulfo* Anglorum Rege, ad patrem transmittentem intercepit, excellentisque ac nobilissimæ formæ amore captus, & ipse pulcherrimus, non consulto patre, thoro sibi iunxit: cuius precibus post longam discordiam tandem paternus animus motus, prædonem sanguinis sui generum salutauit, Flandriaque eum donauit, eandemque Comitatum instituit, & ex *Saltuario*, nec tamen ignobili, Comitem fecit. Ex cuius posteris Gallorum Regibus, alii exitio, alii formidolosi fuere. (Sp.)

(9) Coronatur *Fridericus* Imperator ab *Arnoldo* Episcopo Coloniensi. Ei enim antiquitus prima noui Regis Rom. coronatio & inauguratio competit, vt *Guntherus* ipse testatur infra lib. 6 v. 612. & seq. Alteram coronam suscepit Romæ a Pontifice Adriano, quarto Imperii anno: de qua coronatione vid. infra lib. 4. (R.) p. 32.

450 **Nec reticere libet, quædam manifesta seueræ*
Pignora iustitiæ, strictique exempla rigoris(1).
Quippe ministrorum quidam de plebe suorum(2),
Dum priuatus adhuc ageret, male sanus atroci
Eximium clarumque Ducem percellere culpa
455 *Ausus erat, iustamque viri, quam mouerat iram*
Territus ipse sui fugiebat imagine facti(3):
Hic quoque gaudenti veniæ spe lusus inani,
Intererat populo, vultuque ignotus aperto(4),
Ac se dissimulans humili sub veste latebat.

* Primum exemplum iustitiæ & seueritatis flecti nesciæ, a nouo Imperatore editum. Aliud sequetur infra in Terdonenses, &c. (R.) p. 32.

(1) Qui est pertinax studium in irrogandis reorum pœnis. (Sp.)

(2) Abutitur reciproco. (R.)

Vide *Othonem*, cap. prædicto. Apparet autem eum neque ignobili loco natum, neque leuia quædam in *Fridericum* velut patronum admisisse. Nam ea tempestate Principum beneficiarios vocabant *ministeriales*. (Sp.)

(3) Con-

(3) Conscientia sceleris, quæ verberat animum. (Sp.)

(4) L. Operto. (B.)

Si aperto fuit vultu, qui latere potuit ignotus? Legendum, *Operto*. Alias quoque hæc inter se permutata sunt perperam. Mitto alia auctorum loca. Vnum proferam e *Lactantio* lib. 6 c. 7, qui hoc vitio laborat. *Deus enim vt immortale illud arcanum eius in aperto esset, &c.* Legend. *in operto*. Firmat emendationem nostram locus clarissimus apud eundem lib. 7 cap. 26. *arcanum eius in abdito teneamus.* Et alius lib. 5 cap. 19 *mysterium veritatis ac religionis suæ esset arcanum*, &c. (R.) p. 32.

460 *Ergo vbi Pontifices*(1) *sacram de more coronam*
Imposuere viro, prostratus corpore toto,
Regiaque amplectens vestigia, voce gementi
Et lachrymis veniam miserandus poscere cœpit.
Moti omnes, precibusque piis instantius orant,
465 *Parcat, & afflicto velit indulgere clienti*(2).
Ille suum cupiens cunctis sancire timorem,
Et terrere malos, multumque diuque rogantes
Exaudire viros, firmata mente(3) *negauit.*
Neue graui proceres quaterentur sorte repulsa,
470 *Non odio miseri, sed stricti iuris amore*(4),
Exemplique loco, sese hoc fecisse patenter
Asseruit, factique sui vir prouidus omnem
Sustulit inuidiam(5), *documentaque fortia sanxit*(6).
Forsitan hæc alii culpent, ego nobile factum
475 *Laudo viri, dignumque voco gestare potenti*
Sceptra manu: qui sic animum pietate repressa(7)
Continuit, cunctisque sui documenta vigoris(8)
Certa dedit. Plus sæpe nocet patientia Regis(9),
Quam rigor: ille nocet paucis: hæc incitat omnes(10),
480 *Dum se ferre suos sperant impune reatus*(11)*.

(1) Atqui vnicum *Arnoldum* supra nominasti, *Gunthere*. An ergo Diaconi eius & Symmystæ hic accipiendi? Sed migratio illa de numero in numerum non est noua auctoribus bonis in vtraque lingua, de quo alibi. (R.) p. 33.

(2) Pro eo homine debet accipi hoc vocabulum, qui Principi, vel Domino beneficii siue feudi debet: qui vulgo *Vasallus* dicitur. Qui sunt a literis boni alieni pro *seruitore* accipiunt. (Sp.)

(3) Id est, obfirmata, obdurata. *Phædrus* in fabulis: *corde durato feram.* (R.) p. 33.

(4) Quod, vt inquit nobilis ille grammaticus *Donatus*, omnia recta & inflexibilia exigit, & non nisi necessitate seruandum ostendit, autoritate *Terentii*. Verumtamen ex imagine iustitiæ, quam *Gellius* refert ex Chrysippi Stoici libro, intelligitur, Regem, Principem, Magistratum, Iudicem ceu Iustitiæ antistitem, oportere esse grauem, sanctum, seuerum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocentesque immisericordem, atque inexorabilem, erectumque, & arduum, & potentem, vi & maiestate æquitatis veritatisque terrificum. (Sp.)

(5) Odium, quod conflatur sæuitia, violentia, contumeliis, difficultate, morositate. Odium alterum eorum est, quæ subuertunt Imperia, vt in Politicis tradit *Aristoteles*. (Sp.)

(6) Sic & infra loquitur lib. 3 v. 126 *documentaque magna, suique exemplum sancire volens.* Vbi præsenti simile exemplum seueritatis commemoratur (R.) p. 33.

(7) Misericordia, & clementia. Vtræque enim versantur circa lenitatem in constituendis pœnis. *Seneca* docet, nullum clementiam ex omnibus magis, quam Regem ac Principem decere. Ad eam in primis Theodosius Aug. apud *Claudianum* Honorium, filium, inter plurima præcepta salutaria adhortatus est. Ab hac clementia & lenitate *Ludouicus* diui *Caroli* filius, omnium mortalium mitissimus, cognomentum *Pii* tulit. Iam sibi redditus, omnino pristinæ mansuetudinis nihil remisit in treis filios, qui impie coniurati, in eum arma mouerant senem, captumque cum minimo natu filio, quem vnice diligebat, custodiæ tradiderant, interim vxore, nouerca eorum, probri falso accersita, in cœnobium relegata. Sed tanti sceleris mox patre vita defuncto pœnas luerunt: quippe qui ardentibus animis inter se, dum paterni Imperii diuisionem æquo animo non ferunt, infestis signis concurrerunt. Lege *Æmylium Veronensem*. (Sp.)

(8) Malim, *rigoris*: vt supra v. 451 *exempla rigoris* dixit: & mox hic *rigorem* opponit *patientiæ*. Alibi, sed alio sensu, *vigoris* quoque verbum vsurpat: vt cum *regali plena vigore* verba tribuit *Friderico* lib. 10 v. 559. Sicut autem hic pro *vigoris* substituendum puto *rigoris*, ita e contrario apud *Ammianum Marcellinum* lib. 16 pro *rigorem* videtur legi rectius *vigorem*. *Ænea* (inquit de Alexandro M.) *concha supposita, brachio*

chio extra cubile protento pilam tenebat argenteam, vt cum neruorum vigorem (vulg. *rigorem*) *sopor laxasset infusus, gestaminis lapsi tinnitus abrumperet somnum.* (R.) p. 33.

Existimat *M. Cicero* nihil esse, quod tam deceat hominem, quam in omni re gerenda, consilioque capiendo, seruare constantiam. (Sp.)

(9) Lenitas, indulgentia, venia, remissa, qua in significatione apud *Capitolinum* acceptum inuenies, in M. Antonino Aug. cognomento Philosopho, quem hoc nomine male audisse refert. (Sp.)

(10) Prænomina, *Ille* & *Hic*, regulariter quidem ita ponuntur, vt *ille* ad longinquius verbum præcedens, *Hic* ad proximius referatur. Sed hoc non esse perpetuum obseruauit iam olim *Budæus*. Exemplo est & hic locus, & alius infra lib. 9 v. 7. & seq. Sed age, illustremus & sententiam huius loci, quæ est egregia & apud plures auctores decantatissima. C. Memmius apud *Sallustium* Bello Iugurthino: *Ne*, inquit, *ignoscendo malis bonos perditum eatis.* Sic apud eundem in Coniurat: Catilin. Cato: *Ne dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnes perditum eant.* *Seneca* ex Mimis P. Syri:

> —— *Bonis nocet, quisquis pepercerit malis.*

Secundum quæ iam olim ita censui restituendum *Ausonii* versum in Sententiis VII Sapientum: *Parcit quisque malis, perdere vult bonos.* Nam vulgo peruerse legitur. *Quisque* pro *Quisquis* positum est, vel pro *Quicunque.* Sic *Lactantius Firmianus* de Ira DEI cap. 17. *Bonorum salutem custodit, qui malos punit. Ipse autem est nocens, qui nocenti parcit, vt pluribus noceat.* Ad eundem locum respicit *Guntherus* infra lib. vlt. v. 456. * *Cicero* ad *Brutum* ep. 2; *Salutaris est in istos*, scilicet bellorum ciuilium auctores, *acerba seueritas, vincitque ea inanem speciem clementiæ.** (R.) p. 33.

(11) Iuxta illud Terentii, *Omnes deteriores sumus licentia.* (Sp.)

* Pro *criminibus*, vulgata opinione, sed teste *Budæo*, errore miro: cum clara sit huius vocabuli significatio, pro *statu & conditione reorum.* Vide eum in posterioribus in Pandectas annotationibus. (Sp.)

Ferre, pro, *laturos esse*: præsens pro futuro. Spes enim, vt & promissio, futurorum est. Sic alibi sæpe optimorum exemplo auctorum loquitur: vt, *Iurassent ferre*, & *suspendere*, pro laturos & suspensuros se. lib. 6 v. 153, & lib. 7 v. 28 *tota virtute reniti Sacramenta dabant*: pro, renisuros iurabant. Sic *Plautus* Curcul. Sc. Phœdrome: *Repromisisti mihi sine controuersia omne argentum reddere*: id est, se redditurum. Vbi male vulgo, *redderet.* Sic idem Aulularia, *diuidere* dixit, id est, diuisurum se promisit. Et alibi: *Dic dare*, id est, te daturum, &c. Hoc primum. Deinde *Reatus* verbo hic, vt & infra sæpius vtitur pro culpa vel crimine, seu delicto, aliter, quam veteres Latini: de quorum vsu vide *Budæum.* Adscribo huc locum *Symmachi*, lib. 10 ep. 44; *Moribus scæuis familiare atque cognatum est, armare spiritus* (malim impunitatis) *immunitatis exemplo. Cur enim secundum desperet effugium, qui laqueos criminis prioris euasit*; Idem epist. 39 lib. 5; *Inconsultos facit alios impunitas magna peccantium.* *Ciceronis* similes sententias de impunitate hic omitto. *Chrysostomus* in 1 ad Timoth. homil. 15; ὥσπερ ἀτιμωρήτων μενόντων τῶν ἁμαρτανόντων, πολλοὶ οἱ πλημμελοῦντες, οὕτω κολαζομένων πολλοὶ οἱ κατορθοῦντες εἰσι. (R.) p. 34.

> *Audierat fortasse puer generosus, vt olim*
> *Ille suæ primus regnator*(1) *Romulus vrbis,*
> *Conditor Imperii*(2), *teneras infringere leges,*
> *Atque humiles ausum saltu transmittere fossas*(3),
> 485 *Iusserat vltrici fratrem*(4) *succumbere morti,*
> *Dum cupit æterni fundamina*(5) *ponere regni*(6).

(1) Id est, Rex Romulus, sub quo & ceteris Regibus fuit prima Populi Romani ætas, vt *Florus* ait. (Sp.)

(2) An Roma primo, a Romulo condita sit, fides autorum variat. Quod tamen affirmat *Varro* autor diligentissimus, vt ait *Solinus.* (Sp.)

(3) *Ad tutelam* enim *noua vrbis*, vt idem *Florus* scribit, *sufficere vallum videbatur. Cuius dum irridet angustias* Remus, *idque increpat saltu, occisus est*, a Fabio Tribuno Celerum Romuli. Et, vt plures quidem volunt, Romulo imperante. Quod factum *Tullius* impium & inhumanum fuisse indicat tertio Officior. (Sp.)

Sic *Pomponius* in l. vlt. ff. de diuis. rer. Nam & Romuli frater Remus occisus traditur ob id, quod murum transcendere voluerit. Sic *Propertius* lib. 3;

> *Caso mœnia firma Remo.*

Et *Lucanus*:

> *Fraterno primi maduerunt sanguine muri.*

(R.) p. 34.

(4) *Remum*: de cuius morte variant item scriptores. (Sp.)

(5) Quæ vt ab exordio omnium fere minima fuere, ita incrementis toto orbe non aliud par, vt *Eutropius* dixit, humana potest memoria recordari. (Sp.)

(6) Sed vt constat veterem Romam, quæ eo auspicio condita credebatur, vt caput orbis semper esset, deletam esse: ita nonnulli tradunt, Imperium nomenque Romanum ante magnum DOMINI diem interiturum. (Sp.)

Solius Christi regno hoc epitheton vere

vere conuenit: vt illud describitur Psal. 72, & passim apud sacros vates. Romani tamen etiam suum imperium suamque vrbem æterna fore somniabant. Vnde sæpe apud *Symmachum* in Epist. & in Constitutionibus Principum in Codice, & apud *Ammianum Marcellinum* lib. 14, & 15. *Vrbs æterna* dicitur Roma: non sine blasphemia, cum sit temporalis: teste *Prospero Aquitanico* in Dimidio Temporis, cap. 7. Sic *Tibullus* lib. 2 eleg. 5:

Romulus æternæ nondum formauerat vrbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo.

Et *Ausonius* noster:

Ignota æternæ ne sint tibi tempora Romæ.

Ad hanc igitur loquendi consuetudinem *Guntherus* quoque hic respexit, *æterni regni* mentione. Eodem & *Iustinianus* allusit initio tit. de Iustiniano Cod. confirm. (R.) p. 34.

Iamque sui plenum sortitus culmen honoris
Rex puer ex animo, puerilia quæque virili
Propulsare manu, magnisque intendere rebus
490 *Ingenium puerile parat: non inscius olim*
Ipse sui, quantumque oneris comitetur honorem,
Cœperat ex obitu clari sentire parentis(1).
Sed nunc se solito grauiori pondere sentit
Vrgeri, multumque sibi creuisse laboris(2).
495 *Vt cum post multos, indefessosque labores(3)
Alcides(4) *fesso succedere iussus Atlanti*(5),
Cum tot sideribus magnum miratus olympum
Ferret, & insolito sudaret pondere pressus.
Ergo viros (6), *famosa quibus prudentia nomen,*
500 *Longaque multarum dedit experientia rerum,*
Sæpius arcanis solitos interfore(7) *rebus*
Asciscens, magno secreta negotia regni
Pertractans studio, de cunctis rebus agendis
Consulit: & pulchrum, iustumne(8), *vel vtile quid sit,*
505 *Quid deceat, quid non, studiosa mente requirit.*

(1) F. *chari parentis.* (R.)

Atque adeo quidem propter res egregie fortiterque ab eo gestas: quarum meminit Antistes *Frisingensis* lib. posterioris histor. primo: vt multi regni Proceres eum *Henrico* Quinto sufficiendum censerent. (Sp.)

(2) Augustana editio, *labores.* (R.)

* Notum est, a Poetis, viros præstrenuos, ac laborum tolerantissimos, Hercules appellari, vel ei comparari. (Sp.)

(3) Hos iussu Eurysthæi toleratos, *Maro*, vel vt quidam putant, *Ausonius*, breui Epigrammate complectitur. Prosa vero oratione copiosius *Diodorus* libro quinto. (Sp.)

(4) *Hercules*, ab auo paterno *Alceo*, Andromades & Persei filio: eadem ratione, qua dicitur *Amphitryoniades*, quum Iouis fuerit. (Sp.)

(5) Quia primus inter homines de ratione Sphæræ disseruit: ideo locum fabulæ præbuit, se orbem suis humeris sustinere. (Sp.)

(6) Boni est Principis, prudentium virorum consuetudine vti, eorumque quoties de rebus arduis agendum est, consilium expetere. Sapientes aiunt, tolerabiliorem esse Principem malum, quam malos Principis consiliarios. (Sp.)

Sic boni Principes iam olim nihil sine Consiliariis & quidem Iurisperitis decernebant. Vide *Lampridium.* (R.) p. 35.

(7) Mira coniunctio præteriti cum futuro. Sed *interfore* pro *interesse* ponitur. (R.) p. 35.

(8) Rectius Basileensis editio Pernæ, *Iustumue.* Sic Alexander Seuerus semper in consilio habebat viginti & aliquot ICtos, quorum de sententia consilii omnia agebat, teste *Lampridio.* (R.) p. 35.

Nec mora, legatos(1) *summo mandata ferentes*
Pontifici(2), *properare iubet, cunctasque per vrbes*
Ausoniæ vulgare suos indicit honores.
Primitias operum Princeps has esse suorum
510 *Maluit: vt regni manifestos protinus hostes*
Frangeret: & iusto purgaret scandala ferro.

(1) *Hilinum* designatum Episcopum Treuerensem, & *Eberhardum* Babenbergensem. Legati dicuntur omnis generis. Oratores vero qui deprecabundi veniunt, vt apud *Maronem.* (Sp.)

(2) *Eugenio III.*

Haud mora, Traiectum(1), *patruo regnante superba*
Abiecisse iugum ceruice, piumque recenter
Offendisse virum, factis crudelibus ausum,
515 *Hostili feruore petit: murosque parabat*
Inclinare solo, captasque euertere turres,
Suppliciumque reis, pietas o magna nepotis,
Iudiciumque viri, patrueles fortiter iras
Vltrici satiare manu, regnique dolorem(2).
520 *Sic Augustorum primus*(3) *summusque monarches*(4),
(5)*Eximiusque nepos, crudelia Cæsaris*(6) *olim*
Hostibus extinctis(7), *pius ac fortissimus vltor,*
Protinus accepto diademate(8) *fata*(9) *piauit.*
Tandem multorum vix eluctante rogatu
525 *Magnorumque Ducum, multo prius ære redemptis*
Parcitur, & iusti fera Principis ira resedit.
Nec melius stultæ furor atque superbia plebis
Puniri poterat(10), *quam tanti vt caussa tumoris*
Eriperentur opes: vt(11) *quos opulentia rerum*
530 *Fecerat elatos*(12), *in se reuocaret egestas.*

(1) Paucis ante diebus, quam naturæ concederet Imperator *Chunradus*, negotium Traiectensium Batauorum (sunt enim & in Leodiensibus, qui superiores vulgo vocantur) vt reorum Maiestatis composuerat: vnde apparet, eos mox, vt fieri solet, ab obitu eius, violatis pacis fœderibus, rebus studuisse nouis. *Traiectum* Batauorum, vel vt alii Frisiorum, vrbem nobilem, *Vtrich* patria lingua. Superius, ob interfluo amne Mosa, *Mastrich* appellatur. (Sp.)

(2) I. e. *contemptum*. (Sp.)

(3) *Octauius* ex Accia Iulii Cæsaris Dictatoris nepte: cui successit felicissimus omnium, vt inquit *Egnatius*, ad hanc diem. Tamen *Plinius* autor est, tanta, & tot in vita eius inueniri aduersa, vt non sit facile discernere, calamitosior, an beatior fuerit. Per quatuor autem & quadraginta annos Imperium rexit, vrbemque Romam optimis institutis ac legibus magnificentissimisque opibus sic excoluit, vt merito parens patriæ primus, atque Augustus diceretur. Noti sunt versus, quos in eius laudem cecinit *Maro* 6 Æneid. (Sp.)

(4) Quod satis indicant *L. Flori* verba cap. 3 lib. 4. Nec aliena ab his sunt, quæ lib. 1 scribit *Tacitus*, Lepidi, inquiens, *atque* Antonii *arma in* Augustum *cessere, qui cuncta discordiis ciuilibus fessa, nomine Principis sub imperium accepit.* (Sp.)

(5) In hoc & seq. v. quædam a librariis transposita videntur ἐνάλλαξ: quæ sic restituenda puto:

> *Eximiusque nepos, pius ac fortissimus vltor*
> *Hostibus extinctis crudelia Cæsaris olim*
> *p. a. d. fata piauit.* (R.) p. 35.

(6) *C. Iulii* Dictatoris, viri pacis bellique artibus, & in primis clementia longe clarissimi, si libertatis assertor quam inuasor esse maluisset. Ab eo familia, & appellatio *Cæsarum* deinceps propagata est. Ostendit tamen *Alciatus* in Annotat. in Corn. Tacitum, inter *Cæsares*, & *Imperatores*, & *Augustos* multum interfuisse. (Sp.)

(7) Percussoribus *Iul. Cæsaris*, quorum fere neque triennio quisquam amplius superuixit, neque sua morte defunctus est, autor *Suetonius*. Horum nomina lege apud *Appianum* secundo bellorum ciuilium: quo loco totam cædis seriem copiose explicat. (Sp.)

(8) Tribus enim ac viginti vulneribus, interfectus periit. Sic ille, qui terrarum orbem ciuili sanguine impleuerat, tandem ipse suo sanguine curiam impleuit. (Sp.)

(9) Omnium bellorum initium, & caussam hinc sumpsit: nihil conuenientius ducens, quam necem auunculi vindicare, tuerique acta. *Suetonius* autor. (Sp.)

Diademate, id est, principatu, imperio, monarchia. Ne de corona intelligas. Nullus enim fuit tum coronæ regiæ vsus. Insignia Regum erant sceptrum, in quo iurisiurandi religio inerat: & sella, cui alteri quam Regi insidere, capitale fuit: & trabea vestis auro purpuraque intertexta. Quæ duo summæ vetustatis obseruator vno versu amplexus est *Maro*:

> *Et sellam regni, trabeamque insignia nostri.*

Est autem diadema, id est, fascia linea, & candida, quæ Regum capita cingebat: inuentum, vt putant nonnulli, quod Ægypti & Iudææ Reges inungi soliti, tempora oleo delibuta, linteolo velarent. (Sp.)

(10) Obserua politicum σκέμμα ἢ σόφισμα, plebi ex opulentia insolenti præcidendas esse alas, & eripienda a Magistratu illa malorum irritamenta & luxuriæ instrumenta. Contraria enim contrariis curantur, vt similia similibus nutriuntur & augentur. (R.) p. 35.

(11) Augustana editio; *Et quos.* (R.)

(12) Videmus & hodie diuitias iis fere esse exitio, qui rerum successu insolentiores facti, pristinæ conditionis non meminerunt. (Sp.)

Inde

Inde gradu verso, gaudentibus obuia Rheni
Signa ferens vndis, te pulchra Colonia *lætam*
Lætior ingrediens: ibi digno vir pius illum
Egit honore diem, quo Christus carne resumpta(1),
535 *Victor ab infernis rediens nitidissimus vmbris,*
Rettulit eximios superata morte triumphos.
Postea Saxoniæ fines ingressus, ad illam
Quam Martinopolim(2) *vocat incola Teutonus vrbem,*
Concilium procerum toto de corpore regni
540 *Conuocat: vt digno celebretur curia cœtu,*
Tempore solenni(3), *quo spiritus almus ab alto*
Cum sonitu veniens(4) *in pectora sancta piorum,*
Ignea distinctis effudit lumina linguis(5).

(1) Vnde etiam teste *Bapt. Mantuano* libr. Fastorum primo, cognomen a Domino habet, & eo maxime nomine ab Imperatore *Constantino* Magno in sacros dies relatus est. Quanquam ex *Tertulliano* constat, & nascenti ecclesiæ Dominicum diem fuisse sanctum. Ceterum ex diuo Paulo constat, Christum primum omnium ac solum fuisse, qui se ipsum suscitarit: atque hoc potissimum argumento liquere, quod fuerit filius Dei: in Christoque cœptam resurrectionem, spem præbere membris, quod vt capitis, ita & membrorum sit resurrectio. Hoc est vnum ex dogmate pietatis, istud credendum, istud tuendum est. Rationem, qua id futurum sit, Deo relinquamus, & subiiciamus ceruices nostras in iugo suauissimi Christi, in obsequium Dei. Satis est Christiano credere, hoc, aut illud esse, fore, aut fuisse: caussas & rationes omnium illi noscendas dimittat, qui ne in apertissimis quidem, & manifestissimis naturæ rebus voluit nobis claras & apertas esse. (Sp.)

(2) *Mersburgum*, a Marte. Locum nobilem fecit calicis fabula, quem ferunt a diuo *Laurentio* iniectum libræ, dum penderentur facinora *Henrici* Aug. eius, qui cum coniuge, qua cum cælibem perpetuo duxerat vitam, diuorum numero adscriptus est. (Sp.)

(3) Signat festum *Pentecostes*: quod vt & *Pasche* temporibus Apostolorum ignotum fuit: cum quod diuus Paulus tollat omne discrimen dierum: tum quod non temere inuenias quempiam veterum interpretum, qui faciat vllam Festorum mentionem. Iudæis alius dies profanus erat, alius sanctus. At Christianis quilibet dies æque sanctus est: non quod obseruandi non sint festi dies, quos deinde sancti Patres instituerunt, quo commodius plebs Christiana conueniret ad concionem ecclesiasticam, & cultum diuinum: sed eos per paucos, nempe diem *Dominicum*, *Pascha*, *Pentecosten*, & aliquot huiuscemodi, quos refert sacer *Hieronymus*. Nunc Festorum dierum neque finis, neque modus: quæ cum primitus ad pietatis vacationem pauca sunt instituta, nunc sano quidem pientissimi *Eras. Roterodami* consilio, ad scelerum exclusionem tolli debebant, nisi sacerdotum auaritia suis rebus consuleret potius, quam veræ religioni. (Sp.)

(4) Quod est proprium venti, impetu citato euntis. Lege 2 cap. Actorum Apostol. (Sp.)

(5) Indicante spiritu, Euangelium non doctrinam, aut literam nudam futurum, sed potentiam Dei, ministerium spiritus, & præconium amplitudinis gratiæ Dei, omnium gentium linguis prædicandæ. Quidam putant, quod Apostoli sua lingua locuti fuerint, & miraculo factum esse, vt nemo non intelligeret, perinde ac si suam quisque linguam audisset. Quidam vero sic eis linguarum donum obtigisse volunt, vt vbi inuenerunt congregationem Iudæorum, ibi locuti sint Hebraice, aut Syriace: vbi congregationem Cretensium, aut Asianorum, ibi Græce; vbi congregationem Romanorum, ibi Latine. (Sp.)

Huc etiam geminos, Petrum *simul, atque* Guidonem(1),
545 *Danorum proceres*(2), *quos inter sanguine iunctos*
Mouerat eiusdem regni dissensio litem,
Euocat: ac tali caussam ratione direptam,
Terminat: vt quædam prouincia tota Guidoni
Cederet: at regnum cum nomine Petrus *haberet.*
550 *Ergo vbi vexillo*(3) *partem, quam diximus ille*(4),
Hic(5) *autem gladio regnum suscepit ab ipso.*
(Hunc etenim longo seruatum tempore morem(6)
Curia nostra tenet) posito diademate Petrus
Regali dextra tulit alti Principis ensem,
555 *Præcessitque sacram breuius diadema*(7) *coronam.*

(1) Dissensio inter *Suenonem* & *Canutum* (sic enim hi Danorum reguli, seu Proceres ab aliis indigetantur, quorum, hunc *Otho Frisingensis Gnirtenem* vocat lib. 2 c. 5.) a *Friderico*

derico Imp. Martinopoli composita. Alludit hic *Guntherus* ad sententiam a multis celebratam: Omne regnum consortis impatiens esse. (R.) p. 35.

(2) *Saxo Grammaticus* autor haud quaquam, *Vadiani* nostri iudicio, temnendus, præfando operi, quod Danicis rebus sacrauit, luculenter describit situm Daniæ, quam nos *Denmarck* appellamus, veteres Cimbricam Chersonesum, & Cymmericos, altera illa Scythica, quæ non recte Dacia dicitur, sed quam hodie putant tenere Transsyluanos & Walachos. Autor prædictus lib. Danicarum rerum 14 tradit, *Kanutum*, quem poeta, *Frisingensem* Pontificem secutus, *Guidonem*, *Petrum* vero *Suenonem* appellauit, eumque adolescentem militaris rei perdiscendæ gratia *Chunradi* Cæsaris clientelam ingressum, cum *Friderico* adhuc priuatæ fortunæ, quem & ætate & ingenio æquabat, diu sodalitatis officia gessisse. (Sp.)

(3) *Vexillum* Ducatus signum, *gladius* Regni. Per ensem designatur ius Mindensis dominii. *Chron. Mindense* p. 98 edit. Meibom. (B.)

In actibus legitimis ferme omnibus Romani notas quasdam, solennesque ritus & symbola atque insignia adhibebant, dicis caussa: vt * in *Partitionibus Feudalibus* docui, & * *Clemens Alexandrinus* quoque testatur. Hunc ergo morem feudistæ quoque in vasallorum creatione, quam *Inuestituram* vocarunt, imitari voluerunt: vt gladio, vexillo, corona, sceptro, baculo, seu fuste, &c. vt eleganter probat *Hotomanus* in Disputat. de Feudis cap. 22 & seq. vbi inter cetera hunc etiam *Guntheri* locum laudat. Sic Archiepiscopi Magdeburgensis inuestitura infra v. 571 fit sceptro eburno interueniente. * Sic *Albert. Cranzius.* * (R.) p. 36.

(4) Scilicet *Guido*, qui & *Kanutus*. (Sp.)

(5) Scilicet *Petrus*, qui & *Sueno*. Ritum ille Germanicum, spreto Danico, æmulatus est. (Sp.)

(6) Nempe vt regna per gladium, prouinciæ per vexillum a Principe tradantur. (Sp.)

(7) Id est, regnum beneficiarium: licet idem *Saxo* subindicet, neminem Regum Daniæ Cæsari homagium præstitisse: vt quisque maxime suæ gentis libertatem adserere solet. (Sp.)

Huc quoque Virginea(1), *modo dicere fas sit, ab vrbe*
(Nam neque barbaricum recipit mea pagina nomen,
Nec melius dici sine nomine(2) *posse videtur)*
Electo partes gemino de Præsule * *litem*
560 *Pertulerant: quas dum placide componere rector*
Et reuocare diu frustra studuisset in vnum(3),
Tandem ex sufflato(4), *qui poscebatur, vtroque*
Tertius(5), *inuitis datus est a Principe pastor.*
Hoc etenim sibi ius collatum a Præsule summo
565 *Rege sub* Henrico(6) *testatur curia quinto:*
Vt si forte nouo certat de Præsule sedes,
Nec valet imposito sopiri sine querela,
Debeat ipse suas mox interponere partes,
Arbitrioque suo pastorem ponere(7) *sedi.*
570 *Nec prius electum quenquam de iure sacrandum,*
Quam sceptro Princeps regalia(8) *præstet*(9) *eburno*(10).

(1) *Magdeburgum* signat, matricem Saxonum vrbem, iam olim & opibus & autoritate insignem: cum, quod ex instituto diui *Caroli*, ius ciuile Romanorum, lingua patria compendio reductum habeat, quo ceteris eius regionis populis ius dicitur: tum, quod Pontifex loci non modo numero Archiepiscoporum adscriptus, sed totius etiam Germaniæ Primas appellatus est: cuius tamen iam dudum obsoluit potestas, vt cum iactura Germaniæ, ita sane non absque impendio Romanæ Curiæ. Primitus, teste *Cranzio*, loco nomen *Megedeburg* inditum, ab idolo Veneris cuius simulacrum ipse cap. 12 secundi rerum Saxonic. pulchre depingit, explicatque. Euersumque ait, per diuum *Carolum*, qui & alterum idolum Saturni, quod *Hartesburgi* Saxones colebant, apud eundem legitur subuertisse. (Sp.)

(2) Hoc est, κατὰ περίφρασιν. Quamquam & circumlocutio & demonstratio quæuis secundum Iurisconsultos vice nominis proprii fungatur. l. 6 ff. si cert. pet. de reb. cred. l. 34. nominatim. ff. de cond. & demonst. l. 24. nominatim. ff. de man. testam. (R.) p. 36.

* Nam alii Præpositum, alii Decanum elegerant. Verum Decanus cum partium suarum studiosis a Principe persuasus, vt *Otho* refert, *Guicmannum* Cicensem Episcopum, qui hodie Neoburgensis appellatur, elegerunt. (Sp.)

(3) Pro, *reducere in gratiam*. (Sp.)

(4) Id est, *remoto*. Verbum mirificum, quod de fæce seculi sui (vt alia huiusmodi) *Guntherus* hausit. Vtitur eo aliquoties vetus Interpres Bibliorum, a quo & alia noster est mutuatus, vt in catalogo *Sordidorum verborum* doceo. (R.) p. 36.

(5) Idem consilium aliquando legimus vsurpatum in sedando plurium Paparum seu Antipaparum schismate, itemque in dissidiis Regum

Regum: vt scilicet ex controuertentibus & contendentibus nullus, sed extraneus aliquis fuerit electus. (R.) p. 56.

(6) Is ille est, qui ex professo a patre defecit specie religionis: quod ab impietatis ignominia vindicare nomen Augustum, ac illud cum sacro sancta potestate, summoque Pontificatu in gratiam reuocare velle se diceret. Erat enim pater eius nominis Augustorum *Quartus*, a Pontifice Maximo communione fidelium submotus, quo tamen nemo bellatior vnquam fuit, nec alius quisquam ardentior, cum ad Imperii autoritatem tuendam, quæ variis modis per Romanos Pontifices impetebatur, tum ad Germanicam libertatem adserendam. (Sp.)

(7) Lege, Antistitem *Frisingensem*, qui iisdem fere verbis refert, hanc olim fuisse Cæsaris in Germania potestatem, qua etiam, retro Principes vsos esse, Annales nostrorum attestantur. Nec id mirum cuiquam videri debet: quum & eis fuerit ius olim eligendorum Rom. Pontificum, ab *Adriano* diuo *Carolo* concessum: quod licet quidam mox a *Ludouico* Pio remissum esse tradant, reclamantibus non tantum Germanorum Annalibus, sed etiam quibusdam externarum rerum scriptoribus: qui tradunt *Ludouicum* Augustum monuisse clerum & populum Romanum, qui contra superiorum annorum exempla, non consulto Imperatore, *Paschalem* Pontificem elegerant, conducere Romanorum rebus, vt pristino instituto staretur: darentque publice operam, ne amplius simili exemplo Imperatoria læderetur maiestas. (Sp.)

(8) Significat, quam *Regaliam* numero singulari nunc appellamus, verbo ab errore vsurpato. *Regalia* enim neutro genere, vt dicatur, latinitas exposcit, Græcorum more, qui Euangelia neutro genere, & pluraliter dicunt. Quæ veniant *Regaliorum* nomine, petenda sunt ex constitutione Ænobarbi nostri, quæ relata est in titulos libri Feudorum secundi. (Sp.)

(9) Id est, inuestit, inuestituram concedat. Hæc enim verba sunt Feudistarum propria. Plenius *regalia iura* dicuntur lib. 2 v. 52. Quæ autem sint *Regalia*, explicatur infra lib. 8. Quod est in v. præced. *de iure*, ad eandem faciem dictum est, qua vulgo aiunt, *de facto*, quod priori opponitur. Veteres dicunt, *iure* vel *non iure* aliquid factum, omissa præposit. *de*, quam μιξοβάρβαροι addiderunt. (R.) p. 56.

(10) Contra Indorum Reges vtebantur nigro ex Ebeno, vt refert diuus *Hieronymus* in comment. in Ezechielem. Apollini apud *Homerum* aureum sceptrum est: quod aurum soli, sicut lunæ argentum sacrum creditur. Sceptrum proprium Iouis est, & Regum, qui Iouis personam vicemque sustinent, vt canit in Hymnis *Callimachus*. Quanquam apud *Homerum* sceptrum pro vili baculo capi annotatum est. (Sp.)

Inde Ratisponæ(1), *vetus ex hoc nomen habenti,*
Quod bona sit ratibus: vel quod consueuit in illa
Ponere nauta rates: hac Noricus vrbe Ducatus(2)
575 *Præcipua gaudet: solennis curia*(3) *certo*
Tempore mandatur, modico post ista sequentis
Temporis elapsu, totus quo tempore mundus
Gaudet Apostolici gemino splendore triumphi(4).
Iamque viri reduces, Princeps quos miserat olim(5)
580 *Vrbibus ex Italis, nec non a Præsule summo*
Sedis Apostolicæ, felicia quæque reportant.
Mox vbi propositas quo debuit ordine(6) *caussas*
Egit, & in placida Rex omnia pace locauit,
Magna sibi cupiens quærendæ semina laudis,
585 *Et propagandi momenta potentia regni,*
Protinus Hungaricos(7) *armato milite fines,*
Si placuisset idem sociis(8), *intrare parabat.*
Et facturus erat: nec inutile Principis esset
Propositum(9): *poteratque suo rem claudere voto.*
590 *Sed quidam, seu mente bona, monituque fideli,*
Siue dolo, tacitoque magis (quod credimus) astu
Dissuasere Duces(10): *ac ne contrarius illis*
Ire videretur: nec in hac re commoda regni,
Sed priuata sequi, quamuis inuitus ab alto
595 *Cessit proposito, sic dissuadentibus illis,*
Non sublata quidem, sed adhuc dilata voluntas,
Vel magni virtute patris complenda, vel alti
Sanguinis auspiciis, nactis sua tempora rebus
Speratur: neque enim frustra voluisse, nec vnquam
600 *Concepisse sacro præsagia vana futuri*
Pectore, vel quicquam temere sperasse putabo.

(1) Inter

(1) Inter Danubianas vrbes, quondam opibus atque potentia celebris: vt quæ Imperatorum vires non formidarit. At hodie non alio magis nomine clara, quam vetustate, pristinæque felicitatis memoria. *Franciscus Irenicus* primitus *Hiaspalim* appellatam scribit: ob tam agrestem populi ruditatem. *Auentinus* hic *Augustam Tiberii* fuisse indicat, & *Petrus Appianus Reginoburgium*. Ego a fluuio *Rhego*, quem illic Danubius excipit, nomen accepisse puto. (Sp.)

(2) Bauariæ enim metropolis *Othoni* Frisingensi, sed nunc Imperatori paret. (Sp.)

(3) Quod ad eam vniuersi Proceres, Ordinesque regni, quos nunc vulgo *Status* vocant, venire soleant. A *solo* autem, vt dicit *Sex. Pompeius, solenne* venit, vel a *solito*: vnde quæ certa sunt obseruatione constituta, *solennia* nominamus. (Sp.)

(4) Signat diem sacrum memoriæ Principum Apostolorum *Petri & Pauli*. (Sp.)

Notat festum diem *Petri & Pauli*, vt & lib. 4 v. 158; qui duo Apostolorum Principes vno eodemque die eiusdem tyranni Neronis iussu, in eadem vrbe Roma martyrio affecti esse a quibusdam perhibentur. Vid. c. 3. quamuis. Dist. 21, & c. 2 sacrosancta. Dist. 22, & c. 37 Beati. 2 q. 7. De Petro tamen a quibusdam dubitari video, Romæne is, an apud Hierosolymam potius cruci affixus sit. Rationes dubitandi vide sis apud *Michaelem Beutherum* IC. in Animaduers. seu Disceptat. historicis. Eleganter autem & hic & lib. 4 *Triumphum* vocat * passionem *, martyrium seu supplicium Sanctorum, quia hi patiendo moriendoque vincunt, & Satanam, mundum, carnem triumphant: e militante, inquam, in illam triumphantem & gloriosam Dei ecclesiam adscribuntur & transferuntur, capiti suo Christo conformes facti. Sic *triumphum* vsurpat etiam *Leo Magnus* sermone primo in Natiuitate Apostolorum Petri & Pauli (*Natiuitatem* quoque vocabant seu diem natalem, eum diem, quo supplicio affecti fuissent Sancti) cuius locum illustrem hic adscribam. *Non minuitur* (inquit *Leo*) *persecutionibus ecclesia, sed augetur: & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Vnde duo ista præclara diuini germina seminis in quantam sobolem germinarint, beatorum millia martyrum protestantur, qui Apostolicorum æmuli Triumphorum, vrbem nostram purpuratis & longe lateque rutilantibus populis ambierunt, & quasi ex multarum honore gemmarum conserto vno diademate coronarunt.* Idem *Leo* Serm. 2; *Hodierna sollennitas recurrente* Triumpho *Martyrii, &c.* Eadem ratione *Tertullianus* Apologet. c. 1 pœnam Christianorum vocat *victoriam*. (R.) p. 37.

(5) Id est. *Nuper*. (Sp.)

(6) Inuenio morem illi fuisse obseruatum, ut in cognoscendis caussis, ab egenis & pauperibus auspicaretur. Est autem ordo, discretio status, hominum conditioni accommodatus. Gnatho apud *Terentium*, quendam *sui ordinis hominem*, id est, conditione pauperem, se conuenisse dicit. *Cicero* in prima Verrina contra Cæcilium Vestri, inquit, *ordinis reos*, fures putans, & seruos nequam, vt *Asconius* exponit. (Sp.)

(7) Expeditio Hungarica a *Friderico* Imp. tentata; a Principibus Imperii dissuasa. Mox v. 589 hæc omnia (*magis quod credimus*) parenthesi claude: a qua vulgo non recte excluditur *τὸ magis*. (R.) p. 37.

(7) Hungariæ situm, gentisque mores scribit *Otho* Præsul lib. Ænobarbic. rerum secundo. Fuit regio ista ab antiquis temporibus fortissimarum gentium domicilium, puta, Gothorum, Longobardorum, Hunorum, quorum omnium origo Germanica. Hungari, qui deletis a *Carolo* Magno Hunis successere, Scythici sunt. Aiunt quidam adhuc extare in Scythia Hungariam, vnde nostri illi prodierint Hungari, quos canem aliquando regem habuisse proditum est. (Sp.)

(8) Pro, *Principibus regni*. (Sp.)

(9) Placet ingeniosa non minus, quam vera *Nob. Pflugii* coniectura, legentis, *isset*, pro *esset*. Fundus huic emendationi est locus alter lib. 10 v. 648. (R.) p. 37.

Sicut enim, vt *Tacitus* dicit, sua retinere ad priuatos pertinet, ita de alienis certare, regia laus dicitur. Sed illud fortassis Ethnico licet. Munus autem Christiani Principis est, quam minime vexare finitimos, sed quidquid ditionis habet, citra alienum detrimentum exornare, quod vix vnquam feliciter cesserit, peregrinæ affectatio. (Sp.)

(10) Quibus ejus potentia suspecta erat, vt ait *Otho*. (Sp.)

Non tamen in tanto rerum splendore locatus
(Vsque adeo nulla est hominis sincera voluptas(1))
Gaudia plena capit tranquillo pectore rector.
605 *Quem bene compositis diuino munere rebus,*
Anxia cognatæ torquet discordia rixæ (2).
Nam duo magnifici proceres, Henricus *vterque*(3)
Nomen, & ambo pares factis insignibus, ambo
Maiorum titulis(4), *bellum graue prorsus, & anceps,*
610 *Et multa regni metuendum clade gerebant:*
E quibus hunc ipsum patruum generauerat ille,
Austricus ex auia(5) Leopoldus(6) *Marchio Regis,*
Hunc Noricus(7) *ductor, & Regis auunculus idem*
Nobilis Henricus *generosa stirpe creauit* (8).

Hi

615 *Illi triſtes belli cauſſas, & prima furoris*
Ex his nimirum traxerunt ſemina cauſſis.
Nam pater alterius Noricorum ductor, atrocem
Pulſus ob inuidiam 9) dudum, moreſque ſuperbos
Saxoniæ tantum, nudo ſibi iure relicto,
620 *Senſerat vltrices* Chunradi *Principis iras*(10).
Ereptumque ſibi regno tribuente Ducatum
Ante Leopoldus(11)*, nunc eius frater, & idem*
Rectoris patruus, pugnax Henricus(12) *habebat,*
Vtque hæc vna lues ſano de corpore tandem
625 *Ac velut e medio nubes odioſa ſereno*
Cederet, e cunctis claro ſub Principe regni
Partibus, Herbipoli iuſſi coiere(13) *potentes.*
Affuit hic Saxon, non affuit Auſtricus, vt qui
Iudicium fugeret(14)*: dudum poſſeſſa Ducatus*(15)
630 *Perdere iura timens: nam cauſſa ſemper in omni*
Iudicium ſpoliatus amat(16)*: qui poſſidet, odit*(17).
Quem tribus abſentem totius Curia regni(18)
Cenſuit edictis in ius debere citari(19).

(1) Ad vitandum ſibilum malim, *homini.* Et ſane ſequentis dictionis princeps litera, atque adeo etiam ſyllaba ad finem præcedentis perperam adſuta ſæpe reperitur: id quod hic quoque factum crediderim. Vt autem hic, pro *hominis*, dico legendum videri, *homini*: ſic pro *laudi* non recte legitur *laudis* apud *Lactantium* lib. 6 c. 12. *Iis enim maxima laudis eſt benefacere, quos nemo ſperauit eſſe facturos.* Lego, inquam, *laudi eſt.* Porro ſententiam hanc ex *Plauti* Amphit. *Guntherus* hauſit. Sic enim ille Sc. *Satin, parua*:

Ita quoique comparatum eſt in ætate hominum
Ita DIs placitum, voluptati vt mæror comes conſequatur. Vbi (vt hoc præteriens admoneam) vidi MSC. Camer. Cod. in quo legeretur, *eſt placitum*: & Eyſtadinum, in quo, *placitum eſt*: In vtroque vero, *voluptatem*, non, *voluptati.* Quamquam hoc, quod editum eſt, mihi rectius, & a *Plauto* ſcriptum videtur, qui hic quoque, vt ſolet, græciſſare voluit, ἕπεσθαι τῇ ἡδονῇ: vt alias, *Decere alicui*, πρέπειν τινί Certe & *Cicero* ſimili Græciſmo dixit, *comitari huic vitæ.* Sed reuertamur pauliſper ad γνώμην Plautinam: quam ille de Menandro translatam alias quoque ſæpius inculcat: vt Curcul. A. 1 Sc. 3; *Nulli eſt homini perpetuum bonum. Iam huic voluptati hoc adiunctum eſt odium.* Sic Mercat. A. 1 Sc. 2; *Dic mihi, an boni quid vſquam eſt, quo quiſquam vti poſſiet ſine malo omni, aut ne laborem capias, cum illo vti voles?* Reſpondet alter: *Ego bonum, malum quo accedit, mihi dari haud deſidero.* Vbi MSC. Cam. vnus legit *quo accidit*: alter, *quod accedit.* Diuinabam ego: *quoi accedit.* Sed de Menandro quod dicebam, eius hi ſunt verſus:

εὕροις δ' ἂν οὐδὲν τῶν ἁπάντων, Σιμύλε,
ἀγαθὸν, ὅπου τιμὴ πρόσεστι καὶ κακὸν,

hoc eſt, ex noſtra interpretatione:

Nullam omnium rerum vſque adeo inuenias bonam,
Cui non mali quoque quippiam ſit additum.

Nec diſſimiliter *Euripides* apud Plutarchum; περὶ εὐθυμίας:

οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἐσθλὰ καὶ κακά,
ἀλλ' ἐστί τις σύγκρασις, ὥστ' ἔχειν καλῶς.

Quæ ſic conuertimus:

Bonum a malo eſſe ſeparatum non poteſt.
Mixtura quadam ſi vtriuſque ſit, bene eſt.

Congruit quod vulg. verſiculo dicitur:

Omnis commoditas ſua fert incommoda ſecum.

Similia hiſce etiam apud *Herodotum* reperiuntur. Quid? quod ſapientiſſimus *Pindarus* ait: *Duo mala vni bono a Diis immortalibus eſſe ſociata, interque homines diſtribui ſolere. Apuleius.* 4 Florid. *Verum verbum eſt profecto, quod aiunt*: Nihil quicquam (fort. *quoicquam*) homini tam proſperum diuinitus datum, quin ei tamen admixtum ſit aliquid difficultatis; vt etiam in ampliſſima quaque lætitia ſubſit quæpiam vel parua querimonia, coniugatione quadam mellis & fellis. Vbi vber, ibi tuber. *Lucretius*: *Medio de fonte leporum ſurgit amari aliquid*, &c. *Phadrus* quoque noſter in Fabulis dicit: Gaudium & dolorem miſcere totam hominum vitam: Ideoque & dolendum parce, & gaudendum ſenſim præcipit:

Gaudere parce oportet, & ſenſim queri.
Totam quia vita miſcet dolor & gaudium.

Eandem hanc ſententiam aliquando his Alcaicis verſibus complectebar:

Non eſt voluptas vlla homini integra,
Quin dulce amaro numina temperent:
Mortalium & res circumacta
Inſtabili variant tenore.

Symmachus quoque plus vice ſimplici hanc ſententiam epiſtolis ſuis intexuit. Vt lib. 1 ep. 42; *Sic nati ſumus, vt ſæpius aduerſa ſungamur. Fugiunt voluptates, & bona cuiuſque rei tam breuis vſus, quam lenis ſenſus eſt.* Sic lib. 4 epiſt. 34; *Hanc omnibus hu-*
manis

manis gaudiis legem natura dixit, vt cura voluptatem sequantur. Nata soboles primo parentes die exhilarant: mox pii metus breuem gratiam fugant. Honor in exordiis latus est; De hinc animos laborum æstus ingreditur. Et rursum lib. 6 epist. 68; *Verum est, nequire hominem cuncta pariter voto amica sortiri.* Item lib. 2 ep. 57; *fors versat humana, nec semper ex voto destinata succedunt.* Sed iam satis hic immoratum. (R.) p. 37 seq.

Catholica sententia, ex *Ouidii* Metamorph. deprompta. *Lucius* quoque *Apuleius* lib. Floridorum quarto, *Nihil quidquam*, inquit, *homini tam prosperum diuinitus datum, quin & tamen admixtum sit aliquid difficultatis.* & quæ in eam sententiam dicta sequuntur. (Sp.)

(2) Sic *rixam fraternam* dicit inf. lib. 6 v. 457. Solent autem fratrum & cognatorum iræ & odia esse acerbissima & grauissima: de quo vide *Euripidis* Phœnis. & alibi. (R.) p. 39

(3) Non dubito, quin scripserit *Guntherus*, *vtrique*: error autem ex notis & compendio scripturæ a librariis commissus sit. Sic infra extremo lib. 2 erratum erat: vbi *vterque*, pro *vtroque* legebatur. Et lib. 3 v. 340, *Vterque* pro *vtraque*. (R.) p. 40

(4) Pro, *imaginibus*. (Sp.)

(5) *Agnete*, filia prædicti *Henrici* Aug. quæ mortuo priore marito, Ænobarbi nostri auo, cum diuo *Leopoldo* Austrio secundas celebrauit nuptias. (Sp.)

(6) Huius familiæ inclitæ, quæ *Leopoldina* appellata est, originem fuisse Sueuam, tradunt quidam: quum tamen ex *Othone* Frisingensi Antistite, cui pater fuit *Leopoldus*, de quo fit nunc mentio, manifeste constet, Comitem *Albertum* originem traxisse ex sanguine nobilissimi Francorum Comitis *Alberti*, qui iussu *Ludouici* Aug. *Arnulfi* Imper. filii, proditione & scelere *Hattonis* Archiepiscopi Moguntini, decollatus est, Marchiamque, vt ipse vocat, orientalem, id est, Pannoniam Superiorem, nunc Austriam inferiorem, cum Ænana regio Bauarici Ducatus portio fuerit, Hungaris rursus eripuisse, Romanoque Imperio adiecisse. Auus *Leopoldi* huius nostri *Ernestus*, a magnitudine animi, & rerum pro regno gestarum tulit nomen *Primoris in Imperio* ab *Henrico* Aug. eius nominis Quarto. Nepos autem *Leopoldus*, diui *Leopoldi* filius, Marchionum postremus, *Pii*, dum viueret, nomen sortitus est, relatus nostra memoria in numerum Diuorum, procurante rem *Maximiliano* Augusto. (Sp.)

(7) Primam in *Noricus* nunc corripit, vt hic, & mox v. 617; nunc producit, vt supra 574. Ex quo loco notandum, Noricum Ducatum late olim patuisse, cum eius metropolis esset Ratispona, quæ hodie Bauariæ annumeratur. Sic infra lib. 2 v. 6 *Norica rura* Licus lambit. (R.) p. 40.

(8) Scilicet ex filia *Lotharii* Aug. Quarti, quam defuncto *Henrico* Bauarorum Duce, qui ab insolentia morum *superbus* cognominatus est, duxit vxorem *Henricus* Austrius diui *Leopoldi* filius, frater germanus, siue, vt vulgo dicunt, vterinus *Chunradi* Imperatoris. (Sp.)

(9) Vt hæc plerumque opulentiæ, potentiæque comes esse solet. Lege *Othonem* in septimo prioris hist. libro, & in hoc principe memorabile inuenies exemplum, quam inconstans atque perfida sit fortuna. (Sp.)

(10) Vide cap. 22 eiusdem autoris itidem lib. prioris hist. septimi: tum cognosces & ex illo, atque aliis eiusdem scriptoris locis, non fuisse seruatam formulam eligendi Romanorum Principis, a *Gregorio* Papa, in gratiam, vt multi prodiderunt, *Othonis* Imperatoris Tertii sancitam. (Sp.)

(11) Ille, quem diximus filium diui *Leopoldi*. Vir strenuus, & tam felici rerum successu fuit, vt breui tempore Ducatum Noricum suo Imperio subdiderit, capta Ratispona matrice vrbe, & eius sede. Autor *Otho* Præsul Frisingensis, frater huius *Leopoldi*. Diuus enim pater ex *Agnete* Augusta, octo mares, & decem filias susceperat. (Sp.)

(12) Multa & ille fortiter strenueque gessit, cum pro constituendo Bauarico Ducatu in tranquillitatem, tum in Hungaros, quos mire vexauit. Huic *Otho* Frisingensis Pontifex iniquior fuit: quod, vt ipse ait, ciuitatis suæ munitiones diripuisset: propter quosdam ex ipsa, qui aduersarum partium erant studiosi. Sed eos Ænobarbus, vt infra patebit, in gratiam reduxit. (Sp.)

(13) Pro, *conuenere*. Inde *conuentus*, vt apud *Plinium* legimus, pro iis diebus, quos dies, siue magnos dies vulgo vocant. *Coire* enim, apud priscos criminosum erat. Frequentia comitiorum Germanicorum iam abiit apud Italos in prouerbium: *Semper conueniunt Germani, & nunquam conueniunt.* Quo significant falsè, eos non tantum rebus, vt plerumque fit, infectis, sed aliquando longe deterrimis factis redire domum. (Sp.)

(14) Quod in eo totam litem, aut obtinemus, aut amittimus. Contra in arbitrio neque nihil, neque tantum quantum postulauimus, consequimur. (Sp.)

(15) Principatus scilicet Bauarici. Hoc vocabulo vsi sunt *Suetonius*, *Capitolinus*, & *Vopiscus*. (Sp.)

(16) Quia scit se inprimis restituendum. (Sp.)

(17) Reorum enim est fugere, (vt vulgo aiunt) non tantum in hoc momenti iudicio, cum de restitutione spoliati agitur, quæ relictis rebus facienda est, sed etiam in alio quouis. Vnde Græci Oratores τὸν φεύγοντα & τὸν διώκοντα opponunt, & priore verbo *Reum* designant, seu eum, quo cum agitur. Atque ita Imp. *Hadrianus* loquitur in l. 48 pars. ff. de iudic. Quem Græcismum *Iustinianus* quoque passim retinuit: vt in l. 13 properandum. C. de iudic. l. 2 C. de iureiurand. propt. calum. dand. Et *Guntherus* infra h. lib. versu penult. *Patruo causam fugiente.* (R.) p. 40.

(18) Hic vides aliud esse *Aulam*, aliud *Curiam*: cuius origo est ex conuentibus iuridicis. (Sp.)

(19) Omnium

(19) Omnium enim actionum instituendarum principium ab ea parte edicti proficiscitur, qua prætor edicit, de in ius vocando. Autor Imperator *Iustinianus*. (Sp.)

De tribus edictis multa mentio apud *Guntherum* vt hic & lib. 2 v. 363; lib. 5 v. 291 & lib. 7 v. 369, vbi *legalia edicta* vocantur; & lib. 9 v. 189 & v. 271, vbi *legitima edicta*. Idq; ex Iure ciuili Romano sumptum est: quo vel tribus distinctis edictis per interualla non minus 10 dierum reus euocatur: vel statim vno pro omnibus, quod *peremptorium edictum* appellatur. Vid. l. 68 ad peremptorium, cum 5 seqq. ll. ff. de iudiciis. Toties euocatus si quis præsentiam sui facere contemnat, contumax est: & contumacia eius litis damno coercetur: vt est in l. 53 contumacia. ff. de re iudic. & apud *Paulum* lib. 5 sentent. tit. 5 §. trinis litteris. l. 8 consentaneum. & l. seq. C. Quomodo & quando iudex. Amicus meus *G. Schoppius* putabat, *Guntherum* sine dubio scripsisse, *vocari*: alterum vero illud, *citari*, esse a manu glossatoris alicuius. Cui vix est, vt assentiar. Nam *Guntheri* sæculo *citare* vtebantur perpetuo pro *in ius vocare*: imo & diu ante: cum quidem apud Latine loquentes longa sit inter hæc duo differentia, quam explicat *Duarenus* lib. 1 Disput. c. 7. & probat *Hub. Giphanius* in Tractatu suo *de Iudiciis*, siue *Processu iudiciario*. (R.) p. 40.

Nec minus Apuliæ(1) *Calabris, qui ex finibus alti*
635 *Sanguinis hic aderant proceres: quos ille locorum*
Inuasor(2) *patriis migrare* Rogerius(3) *oris*
Iusserat, & tota profugos regione fugarat:
Multaque flebiliter crudelia facta tyranni
Dequesti(4), *patria sese tellure fugatos,*
640 *Proscriptosque bonis, indignaque plurima passos*
Morte, vel exilio, vel longo carceris vsu
Damnatos, miseras gemitu rumpente querelas,
Addiderant, rebusque suis a Principe nostro
Auxilium, & regni vindictam iure petebant.
645 *Mota manus Procerum, Regemque fideliter omnes*
Tam manifesta rogant totius scandala regni
Vindicet, & tantam iuris, morumque ruinam(5).
Accipit hæc lætus Princeps, gaudetque rogari,
Materiamque nouæ(6) *sectandæ laudis habere,*
650 *Signaque trans alpes post prima biennia ferre*
Regia, communi Procerum iuramine sancit:
Vt simul Imperii sacra de sede coronam
Sumat, & iniusti fera corrigat acta Rogeri

(1) Apulia, Calabriaque Græcorum Imperatoribus aliquando paruerunt: & Gothi fractis Romani Imperii viribus, illi Italiæ parti, cui Sicilia attributa erat, imperarunt. Quæ expulsis Saracenis, suos postea, genere tamen Nortmannos, sortitæ sunt Principes, Romanæque ecclesiæ factæ tributariæ. Quorum seriem texuit *Ritius* lib. de Regibus Siciliæ primo. (Sp.)

(2) Proprie immobilium est: vt *raptor* mobilium. (R.) p. 41.

(3) Scilicet *Secundus* eius nominis, qui regium nomen primus vsurpauit. Nepos *Roberti Guiscardi*, ex fratre *Rogerio*, quem Siciliæ præfecerat, secundum *Othonem* Frisingensem. (Sp.)

(4) Sæpe ἐγγυητικῶς vtitur *Guntherus* & *dequerendi* & *desfendi* verbo: quod semel notasse satis sit. Multa autem ad hanc faciem iungebant. Sic apud Pseudo-*Cornelium Nep.* illum, qui Dareta Phrygium carmine expressit, legitur *deposse* pro *posse*: vt *de*, veterum more augeat: sicut in verbo *deponendi* admonuit IC. & in verbo *demi*, apud Corn. Nepotem *Schoppius* lib. 4 verisimil. c. vlt. (R.) p. 41.

(5) Elegantissime & hic & lib. 3 v. 414 *morum ruinam* dicit, tanquam cuiusdam ædificii. Vide *Liuium* in Proœmio: & Trinummum *Plautinam* Sc. *Stasime*, & *Nathanis Chytræi*, amici nostri, Prognosticon. (R.) p. 41.

Ruina morum apud *Petronium*. (B.)

(6) L. *nouam*. (B.)

Hunc, vt fama, virum(1), *pariter cum fratre* Roberto,
655 *Cui propter sensus agiles, animique vigorem*
Cognomen Guiscardus(2) *erat, Normannia*(3) *quondam*
Ediderat: media rerum, seu stirpis agentes
Fortuna(4), *sed mente suis & pectore longe*
Præstantes, validosque manu, formaque venustos,
660 *Laudis amatores, magnarum semina rerum*
Quærentes, cupidosque suis notescere factis,

Quique

Quique magis sese claro de sanguine Regum,
Quam de priuata Gallorum gente docerent.
Hi dum sub teneris, & adhuc crescentibus annis,
665 *Nescio quid valido*(5) *tractarent pectore pulchrum,*
Ipsa nimirum fortuna, voce latenti,
Exhortante viros, & blanda maxima quæque(6)
Promittente manu, iam spe ventura trahentes
Omne solum forti patriam(8) *cuique*(9) *esse putarant,*
670 *Ausi sunt tota, spretis natalibus agris,*
Demigrare domo, nomen, gentemque, domumque
Optantes peperisse sibi: nec Gallica tantum
Rura, sed abruptas excelsis rupibus alpes
Festino transire gradu: tandemque per vrbes
675 *Italiæ, Latiasque domos, quasi debita rura*
Apuliam, Calabrosque viri petiere penates.

(1) Lege cap. 3 secundi de rebus ab Ænobarbo gestis, modo dicti *Othonis.* (Sp.)

(2) Quasi dicas, *VVischart*, qui ingenio est mobili & versatili: *der immerzu herumb vvischet: stare loco nesciens*, vt de Cæsare fecit *Lucanus* lib. 1 imitatione equi Virgiliani. Sic infra lib. 4 Comiti cuidam Tuscano *Guerra* cognomen fuisse ait, quod item Germanicæ est originis. (R.) p. 41.

Eodem autore id obtinuit nominis, ab oberrandi circumitu: quod patria lingua *Guisthard* peruagator, vagabundus appellatur. Huius viri ad nouam experiendam fortunam maximo comitatu e Gallia emigratio sub *Henrico* Aug. eius nominis *tertio* facta est. Meminit huius *Guiscardi Pontanus* libr. 1 de Bello Neapolitano. (Sp.)

(3) Suum vni nationi nomen est, quæ Oceanum accolit. Danis, Cymbricæque Chersoneso finitima. Septentrionalem tamen cardinem spectantes gentes, in vniuersum *Normanni* ea tempestate vocitati videntur, a quamplurimis *Scythæ* nuncupati. Et *Luitprandus Ticinensis* Græcarum rerum non ignarus, illorumque fere temporum æqualis, tradit, Normannos Constantinopolim vsque excurrisse, ac vt alii sint, quam qui Galliam vexarunt, *Russos*, eosdem nomine extitisse. Nec vero simile sit, vnam tantum nationem angustis finibus vtentem, totam prope Europam, terra marique, vno eodemque tempore armis peruagatam. Quicunque ex illius vasti oceani ora, insulisque septentrionis, ac peninsulis incompertæ magnitudinis arma ferebant, *Normanni* a Gallis nuncupabantur. Ceterum satis constat, qui postremi Neustriam tenuerunt, ex multis vnam nationem fuisse Danis sociam, finitimamque, autor *Æmylius Veronensis* libr. rerum Franc. tertio. Genti Teutonam fuisse originem, ipsum nomen prodit, quod nostra lingua *Nort*, septentrio; *Man*, vir est. (Sp.)

(4) Quod & nominis & fortunæ mediocris fuerit, indicat *Frisingensis*: qui ait, eum in Gallia militem egisse eius ordinis, qui dicebantur *Valuasores*, de quibus nonnulla lib. secundo, loco illic admonente, ex placitis Feudorum haud scitu indigna afferemus, ipsa rerum vtilitate, sermonis elegantiam vincente. Quanquam multæ res sunt, quæ vix dicendo ornari possint, contentæ doceri, vt dixit *Manlius*. (Sp)

(5) Malim *calido*: vt & infra lib. 5 v. 182 pro *validos tumultus* l. *calidos tumultus*. Sic *calidum* infra v. 659 *consilium* dixere pro audaci & præcipiti, Plautus. Cicero. Liuius. *Plautus* Epidico Sc. St. tacete: *Reperiamus aliquid calidi conducibilis* consilii. Et Milite, Sc. Nisi hercle: *Reperi, comminiscere, cedo* calidum consilium *cito.* Sic apud eundem sunt *calida mina*, & *calidum mendacium.* Sic *calide agere* dixit idem Epidico: vt recte ibi Mic. Camerar. Vulgo male, *callide. Calide agere* est προπετῶς πράττειν Sic *Cicero* 15 ad Attic. ep. 6 rescripsit Hirtio: *Nil illos* (Brutum & Cassium) calidius *cogitare*: cum optasset Hirtius, ne quod *calidius* ineant *consilium.* Sic idem 1 de offic. Vide & *Nonium.* Sic recte emendat apud *Silium* Modius:

> *Moles illa viri, calidoque habitata Gradiuo*
> *Pectora:*

vbi vulgo, *validoque.* Sic libens correxerim etiam 16 *Apuleium* 1 Metam. non procul a fine: *Condiscipuli calido consilio & nummis simul priuatus & cœna.* (R.) p. 41.

(6) Opinio vulgi est, cui fortuna secunda est, huic quidquid tentauerit feliciter cedere. (Sp.)

(7) Iuxta illud Nasonis:

> *Spes bona dat vires, animum quoque spes bona firmat.* (Sp.)

(8) Augustana editio *quique* quod rectius puto. (R.) p. 42.

(9) Vt idem cecinit *Ouidius*, ad *Socratis* illud forte alludens:

> *Mundanus sum.* (Sp.)

Regia sic volucris, primas vt crescere plumas*
Artubus, & teneros durescere senserit vngues,
Naturæ sectatur iter: iamiamque parentum

680 *Officio*

680 *Officio contemnit ali, nidoque relicto*
Egreditur, paruoque pudet latuisse cubili:
Mox confisa sibi securo tuta volatu,
Aut leporem venatur agris, aut æthere cygnum
Corripit, & proprios in acuta rupe penates
685 *Ædificat, similesque sibi parat edere fœtus.*

* Perquam apta comparatio, vt fere vbique. Intelligit autem aquilam, reginam volucrum dictam, cum ab eius generositate, tum animi magnitudine: quod magnis congrediatur animalibus, etiam ceruo, vt scribit *Plinius.* (Sp.)

Hanc comparationem cum aquilæ pullo (quam *Guntherus* expressit de *Horatio* lib. 4 od. 4.) æmulatus est elegantissimus *I. Lipsius* Cent. 1 ep. 69 in carmine Epidictico ad N. V. *Andr. Dammium*, IC. ciuem meum clariss. Quod indicium primus mihi fecit Cl. V. *Scipio Gentilis*, collega coniunctissimus & compater amicissimus cuius commendatione primitus hunc auctorem amare & æstimare cœpi, cuius dono eundem primo habere licuit. μεγάλη χάρις αὐτῷ. Nam tametsi mihi iam antea innotuerat ex citationibus summorum virorum, *Cuiacii* & *Hotomani*, meique Doct. *Ioan. Borcholti* p. m. in comm. Feudisticis, de quibus, tanquam ex vngue leonem, æstimare poteram: nunquam tamen integrum nancisci potui ante eum diem, quo ipsum *D. Gentilis* beneficio singulari meum esse voluit. (R.) p. 42.

Illa quidem tellus(1) *nullius muneris expers,*
Fœtibus arboreis vberrima, vitibus, agris,
Vrbibus, & castris, omnique decore nitebat:
Sed vulgus stolidum, prauum, rude, futile, vanum(2),
690 *Moribus incultum, fragili male corpore firmum,*
Otia longa sequi solitum, fugiensque laboris,
Mente manuque pigrum, nec pace, nec vtile bello.
Ergo viri mores hominum, cultusque locorum,
Ingeniumque suum, sollerti pectoris astu
695 *Tractantes, semperque viros ingentia fortes*(3)
Ausa decere rati, potiundi finibus illis
Spem rapiunt animo: missisque fidelibus, omnes
Francigenas, quos aut humilis fortuna parentum,
Aut nouitatis amor, seu magna audacia mentis
700 *Finibus e patriis ad præmia magna vocauit*(4),
Adsciscunt, totamque breui sub tempore terram
Viribus, arte, dolis, multoque labore subactam,
Ciuibus expulsis, iniusto iure tenebant(5).
Teque sibi, patriæ laudis Robertus(6), *& alti*
705 *Nominis heredem dignum*, Boamunde(7), *reliquit.*
Qui mox auspiciis tibi designata paternis,
Antiochena(8) *manu cœpisti mœnia victor*
Fatalis, generique tuo seruanda dedisti.
Alter(9) *at æquiuocum*(10) *sibi, consimilemque* Rogerum
710 *Progenuit: patris*(11), *qui nunquam degener actis,*
Marte suo Siculis adiecit plurima regnis,
Quin & belligeris Byzantion vsque carinis (12),
Vectus inauratas(13) *in regia tecta sagittas*
Ipse manu propria iuuenili fortiter arcu
715 *Misit, & æternæ laudis monimenta reliquit*(14).

(1) Laus Apuliæ, quæ est campestris & calida tota, & ob id alendo pecori hibernis mensibus maxime vtilis. Feracissima ad hæc hordei, tritici, vini, & olei, quatenus colitur. (Sp.)

(2) Egregia vero epitheta. Adde *Insipidum*, quod vulgo tribuebat supra. Et merito. οὐ γὰρ πλῆθος ἔχει συνετὴν κρίσιν, οὔτε δικαίαν, οὔτε καλήν: vt canit *Cleanthes*, qui τοῖς πολλοῖς ἄκριτον καὶ ἀναίδεια δόξαν ibidem tribuit. Et alius quidam apud *Athenæum* eleganter: ὁ δῆμος οὐδὲν οὔτ' ἀκούει οὔθ' ὁρᾷ. Μὴ δ' ἂν γὰρ οἱ πολλοὶ μετὰ τὰ τῶν ὁ μέμψις, vt ait Rethor ψόγῳ θέων in Progymmnasmatis editis ab *H. Stephano* anno 1576. Similes sunt sententiæ apud *Senecam*, & *Ioan Ludouic. Viuem.* (R.) p. 42

(3) His plerumque res prospere cedunt, propterea, quod id genus hominibus fortuna fauet: vt est in veteri prouerbio. *Fortes*

Fortes fortuna adiuuat, infensa iis, qui nihil audent experiri. (Sp.)

(4) *Præmia* dixit pro *diuitiis*, more *Lucretii*. Vise Indicem *Giphanii* Doctoris & amici mei. Oportet autem summa & incredibili diligentia fuisse *Guntherum*, qui inculto illo sæculo, nullo præeunte, elegantissima sæpe dicendi genera tam auide consectetur, tam opportune adhibeat. (R.) p. 42.

(5) Ὀξύμωρον hoc ab *Ouidio* mutuatus est, apud quem *iniustum rigido ius* dicitur *ense*. Est autem *Ius iniustum*, Ius belli, quod etiam *iniquum* dicitur. Sic *patriæ iniquum tempus* apud *Lucretium* est tempus belli. (R.) p. 42.

(6) Summa gloria mortuus, opibus gentis mire auctis: quod duos Cæsares, *Henricum* Germanum Augustum terrestri prœlio, *Alexin* Græcum maritimo deuicit. Nec Apulia contentus, Siciliæ quasdam vrbes ditionis suæ primum fecit: deinde insulæ Comitem *Rogerium* fratrem instituit. (Sp.)

(7) Quem ex vxore *Abderada* suscepit, qua amissa, *Robertus* alteram superduxit, nomine *Giliardam*, neptem ex fratre *Gisolphi* Principis Salernitani. (Sp.)

(8) Anno salutis Christianæ millesimo, nonagesimo quarto, plerisque Christianis Principibus iter per Apuliam facientibus, pro recipiendis Hierosolymis, *Boamundus* in ea militia cum duodecim millibus armatorum nomen dedit. In ea autem expeditione, quam copiosius scribit *Veronensis* libro quarto, *Boamundi* virtus adeo enituit, vt, Antiochia capta, communi nostrorum consensu Princeps in ea constitutus, *Constantiam*, *Philippi* Regis Gallorum filiam, vxorem duxerit. (Sp.)

(9) Scilicet *Rogerius* a fratre *Roberto* Comes Siciliæ, vt diximus, institutus. (Sp.)

(10) *Cognominem*. (Sp.)

Græci ὁμώνυμον ἢ φερώνυμον hunc vocant Latini *cognominem*. Vide *Nonium* pag. 42 Parif. ed. Sic & infra. (R.) p. 43.

(11) Suspicor, scripsisse Guntherum, *patriis*. (R.)

Patrem filius non æquauit solum, sed superauit etiam, appellationem Regis Italiæ non veritus vsurpare: quo titulo tamen abstinuit, contentus in posterum Rex Siciliæ appellari, posteaquam vita functo *Innocentio* Secundo recepisset omnia pridem amissa, regno Neapolis exactus a *Lothario* Saxone Aug. Lege *Michaelem Ritium*, lib. de Regibus Siciliæ primo.

(12) Situm eius vnico tantum disticho *Ouidius* explicat primo Tristium. A Constantino Magno, qui eam primus Romanorum principum incoluit, *Constantinopolis* vocata est. Lege *Baptistam Egnatium* in fine secundi libri Rom. Principum, & cognosces eius vrbis a prima origine vsque ad nostram ætatem incrementa, & quam varia res eius fortuna fuerint. (Sp.)

(13) Veronensis *Æmilius*, hoc perquam egregium facinus non *Rogerio*, sed ejus classis præfecto *Georgio* tribuit: qui maiori numero nauium superueniens, in prætoriam Constantinopolitani nauem, sagittas aureis spiculis præfixas coniecit, atque se & ad bellum & ad pacem paratum ostendit. Huius virtute ac fide liberatus est *Ludouicus*, Gallorum Rex, qui simili fraude, qua *Chunradus* Aug. a Græco Imperatore circumuentus erat. Succensa tum Constantinopolis suburbia, ipso vidente scelestissimo Imperatore *Manuele*, pomaque ex hortis eius lecta, *Platina* autor est. (Sp.)

(14) Hic quoque manifesta imitatio est *Lucretii*: cuius vt & *Virgilii* & *Lucani* lectionem Poetæ nostro familiarem fuisse, multa in hoc opere argumento sunt. Sic ille æterna famæ monumenta dixit, hoc pulcerrimo versu:

> *Æternis famæ monumentis insita florent.*

Cùm quo comparare soleo hunc *Guntheri* versum:

> *Præclarumque sibi cupientes didere nomen.*

Nam hic etiam verbum Lucretianum emicat, vt & in isto lib. 8 v. 107.

> *Certaque fortunæ clarent exempla sinistræ.*

Sic & Plautum, & Terentium, & Sallustium, & Virgilium, & Plinium, & Senecam, & Symmachum, & Ausonium, aliosque id genus heroes studiose eum legisse & imitari voluisse passim apparet. Quod idcirco semel hoc loco dico, vt tanto pluris hunc scriptorem faciamus, qui adeo supra sæculum suum se extulerit, atque ex illa barbarie pulcrum os cælo erigere ausus fuerit. (R.) p. 43.

Hanc tamen historiæ seriem plerique relatu
Confundunt, variantque, suo, solique decorem
Roberto *magni gaudent adscribere facti*,
Cumque Boamundo *fortem genuisse* Rogerum
720 *Hunc perhibent*(1), *natosque suis virtutibus ambos*
Informasse patrem: nec solum rebus in illis
Quas iam sors dederat, sed quas præsaga futuri
Spondebat mens alta viro, magnique paratus
Heredes in spem magnam succedere iussos
725 *Instituisse sibi, mandataque fortia pulchræ*
Indolis, extremo pueris in fine dedisse(2),
Et larga tribuisse manu, quæcunque vel hostis,
Vel timidus, dignusque minus(3) *possessor haberet.*

Vnde

Vnde Boamundo *noster* Solymarius *illam*
730 *Externi iuris*(4) *Libyam, Siculosque penates,*
Et claram Antiochi(5), *quam nondum viderat, vrbem*
Assignasse refert, famæ vulgata secutus(6).
Rumor, an historicus sit certior ordo, requirat
Lector, & ambiguo scribenti grandia versu
735 *Ignoscat vati: nondum satis illa propago,*
Et Siculæ series nobis innotuit aulæ(7),
Ex qua præclaro(8) *generosam sanguine nuptam*
Augustos tetigisse sinus, castumque potentis
Regis iniisse thorum(9) *lætatur maximus orbis.*

(1) Quibus *Æmylius* subscribens, ait, *Roberto* duos fuisse filios, e diuersis tamen matribus. Eosque ob paternas opes, quarum non contemnenda pars dote posterioris vxoris ad patrem peruenerat, in mutua arma exarsisse. Lege *Ritium*, qui attigit seriem fraterni huius belli, libro supra citato. (Sp.)

(2) De morientium vltimis elogiis siue mandatis & dispositionibus videndus eruditissimus *Brissonius* lib. 7 De formulis. Illud autem mirum ac pæne ridiculum videri queat, quod res alienas tam larga manu distribuit iste filiis suis. Sed fortuna res & bona socordium & ignauorum adiudicat vigilantibus strenuis atque industriis. Eo alludit. (R.) p. 43.

(3) Iuxta *Pindarum*, dicentem: Iustum id esse natura, potentiorem per vim auferre ea, quæ imbecilliorum sunt, dominari meliorem deteriori, plusque habere eum, qui præstantior sit, quam qui abiectior. (Sp.)

(4) Partim Græcorum erat, partim Sarracenorum, Libyam, Africam. (Sp.)

(5) Ea vrbs Syriæ caput est, maxima orientalium vrbium. Situm eius pluribus refert *Veronensis* libro quarto. Sancta nomini Christiano, quod *Petrus* Apostolorum princeps in ea sederit. Initio qui Christum agnouerant *Nazareni* dicebantur, in hac primum *Christiani* vocitari cœpti. Viginti prouincias illa sedes sacra iurisdictione regebat: ex his quatuordecim suos Pontifices Metropolitanos habebant, cum suis quemque suffragantibus, quos *Catholicos* nuncupabant, ipso nomine magnitudinem vniuersam ostendentes. Qua autem ratione tandem vrbs ipsa sit a Christianis capta, octauo amplius mense obsidionis, explicat multis idem *Veronensis*. (Sp.)

(6) Id est, famam vulgarem. Ad eum modum hoc dixit, quo supra 433 *secreta rerum*, id est, res secretas. Sic *prospera rerum*, lib. 9 v. 84. Sic *angusta locorum* lib. 2 v. 10, & *arcta locorum*, lib. 4 v. 361, & *iniqua viarum* lib. 6 v. 86. Est autem elegans Græcismus, quo & *Lucretius* & *Sallustius*, & *Symmachus*, aliique vti amant. Vt ecce *Symmachus* lib. 3 epist. 74. *multa in te virtutum natura congessit: quæ si quis trutinet pensiore indicio, nesciat, vtrum in te bona fortitudinis magis ac mentis excellant.* Sic totum illum locum restituit *G. Schoppius* Francus, lib. 3 verisimil. c. 1. Plura exempla vid. in *Conlectaneis Lucretianis*, quæ nolo compilare. Vel hinc palam fit, quantus eruditæ antiquitatis amator fuerit *Guntherus*. (R.) p. 43.

Ciceroni fama vulgi, est quoddam multitudinis testimonium. Nota est *Hesiodi* sententia. *Non vsquequaque irritum esse solere, quicquid rumore populi iactatum fuerit.* Famæ domum elegantissime descripsit *Ouidius* libr. Transmut. duodecimo: Deam *Maro* in quarto Æneid. appellat, Hesiodum, Homerumque secutus. (Sp.)

(7) Regum, seu Principum Siciliæ: quos & *Neapolis* appellant, ab eorum regia, totiusque regni principe ciuitate *Neapoli*, de qua pluribus *Pontanus* libro vltimo de bello Neapolitano. (Sp.)

(8) *Constantia, Rogerii* secundi filia, soror *Guilielmi*, itidem secundi Siciliæ Regis, virgo annum iam agens tricesimum, nupsit *Henrico* tum Germanorum Regi, vt scribunt *Viterbiensis*, *Vrspergensis*, & *Otho de sancto Blasio*: quibus accedit *Æmylius Veronensis*: qui de hac ipsa *Constantia* loquens, *Eam scio*, inquit, *a plerisque tradi, ac vulgo credi in sacro parthenone educatam votiua virginitate: quod* Ioachinus *fatidicus vir cecinisset, ex ea si nupsisset, funestam Italiæ facem exorituram: eandem plus quinquaginta annos natam, auspice Pontifice Maximo, ne regnum Siciliæ ad nothum recideret*, Henrico *Cæsari nupsisse. Exin cum pregnans esset, suspicioque exoriretur, eam vterum mentitam partum sibi suppositurum, medio in Messanæ foro, tabernaculum illi virum iussisse statui, vbi ventre custodito, nulla matronarum exclusa pareret: Ita editum* Fridericum *secundum, Cæsarem futurum. Hanc omnem fabulam vanitatis arguunt Germani, Ænobarbo Cæsare viuo, filium* Henricum, Constantiam *ætate florentem, collocante* Guilielmo *duxisse, constanti ore affirmant: atque ita res in suos quamque annos digerunt, vt pudeat pigeatque tanta asseuerationi, diligentiaque fidem abrogare.* Hactenus *Veronensis*. (Sp.)

(9) Causam subinnuit libro 5. (Sp.)

740 *Primum*(1), *post istam vidit Vormatia*(2) *sedem*(3),
Concilium Procerum, iussu concurrere Regis.
Huc ambo venere Duces(4): *Sed curia nec tunc*

Eualuit

Eualuit veterem Procerum sopire querelam*(5).
Tempore mox alio rursum reuocata(6) *potentum*
745 *Turba Ratisponam, studio tentauit inani,*
Pace reformata, longam compescere litem.
Proximus inde fuit Procerum concursus in vrbe
Spirensi(7), *geminosque Duces, multumque diuque*
In placidos mores, solidamque reducere pacem
750 *Conati, longum frustra insumpsere laborem*(8).

(1) Idest, *proximum.* (Sp.)

(2) Ad Rheni ripam vrbs: quam vt in quinto describit eleganter, vt nunc veneranda vetustate, ita olim diuitiis etiam clara. Non est altera inter amplissimas Germanorum ciuitates, quæ æque ac illa exercitata est, subinde vices eius variante fortuna, diutinis Sacerdotum suorum litibus, & multis belli incommodis, totam ætatem nostram misere diuexatam vidimus. Sita est in agro Cereris & Bacchi perquam feraci, cuius & poeta in quinto meminit. *Vangiones* olim dictos putant a germanico vocabulo *Fangen*, quod est regionis finitimæ. (Sp.)

(3) I. e. *post curiam Herbipolensem.* (Sp.)

(4) *Henrici* duo, Bauaricus, & Austrius. (Sp.)

* *E* præpositio auget vim verbi, vt in *Euincere, Edurus*, &c. vt alias etiam *de*, teste *Paulo* in L. 1 ff. depositi & *Giphanio* Indice Lucretiano. (R.) p. 44.

(5) Caussabatur enim Austrius, se non legitime in ius vocatum. Comperio autem in illo conuentu ab Ænobarbo Archiepiscopum Moguntinum nomine *Henricum* loco submotum, ceu prodigum, & infrugi hominem, suffecto Cancellario suo *Arnoldo*, de quibus longam illam paulo superius historiam narrauimus. (Sp.)

(6) De hac palilogia quam sit bonis auctoribus frequens, vid. *Barn. Brissonium* lib. παρέργων, & Animaduers. *Is. Casauboni*, amici nostri eruditissimi in Sueton. initio lib. 1, vbi similiter plane loquitur: *Intra paucos rursus dies repetita Bithynia.* Sic *Ammianus Marcellinus* lib. 25, *Iustitia redisse rursus ad terras.* (R.) p. 44.

(7) Inter præcipuas Germaniæ haudquaquam postremi nominis vrbes, neque solum Episcopali sede insignis, verumetiam templo admirandæ structuræ, & Regum Germaniæ sepultura nobilitata. *Nemetas* olim, qui nunc Spirenses, nominatos, doctorum consensum esse, *Erasmus Roterodamus* in Scholiis in diuum *Hieronymum* retulit. (Sp.)

(8) Quod iterum Austrius repetebat, se vocatum minus legitime. (Sp.)

Hinc etiam Rector(1) Manueli *Principe quo tunc*
Porphyrio genito(2), *gaudebat regia sedes*(3),
Legatos(4) *properare iubens, de fœdere pacis*(5),
Communique bono, regnique vtriusque(6) *salute*
755 *Verba ferenda dedit: suadens ob facta* Rogeri
Guilhelmo, *qui iam defuncti sceptra parentis,*
Et raptas seruabat opes, indicere bellum:
Et quia nuper eum deprenso fœdere iuncti
Sanguinis, a prima secedere coniuge Papa (8)
760 *Iusserat*(7), *& thalami viduatus sorte carebat,*
Consortem dignam pariter regnique thorique
Eiusdem de stirpe petens, quo firmius illum
Constringat validis in pacis fœdera nodis(9).
Tandem instante pio vehementer Saxone Regi,
765 *Ac repetente suum penitus sine fine Ducatum,*
Quem castris adcire suis (10) *Rex ipse parabat,*
Goslariam(11) *Proceres, & partem litis vtramque*(12)
Euocat, hic patruo caussam fugiente(13), *nepoti*
Reddidit euictum seruato iure Ducatum.

(1) Quem nonnulli ignobilem, ac ab vxore Alexii nuper Imperatoris contra voluntatem Senatus, in coniugem simul & imperium susceptum fuisse dicunt: *Volaterranus* Scilace autore *Alexii* filium: *Egnatius* vero scribit, patri *Ioanni*, quem alii *Caloianem* appellant, successisse: quod *Isacium* maiorem natu, vt minus ad imperandum idoneum, reiecisset. Hic *Ioannes* subinde ad *Chunradum* Augustum scribens, pro Græcorum arrogantia seipsum vocat, *Christo Deo fidelem Regem, Porphyrogenitum, sublimem, fortem, Augustum, & Imperatorem Romanorum.* Quisquis autem ille *Manuel*, vir certe facinorosus fuit, qui *Chunradum* Imperatorem nostrum, Regem alioqui inuictum, vt *Sabellicus* fatetur, non inglorium, quod excidit *Egnatio Baptista*, illac ad expeditionem Hieroso-

Hierosolymitanam proficiscentem, commeatu se iuuare simulans, gypsum farinæ admiscebat : tamen profuit omnino aliquid Christianæ rei expeditio illa, & si parum felix, hostibus tanti belli expectatione perculsis. (Sp.)

(2) Leg. *Porphyrogenito*, aliter dicas, hallucinatum *Guntherum*. (B.)

Vel quia in purpura, hoc est, e Principe rerum potiente natus est : vel expressit nomen familiæ *Porphyrogenica*. Quanquam mihi hic, vt ingenue fateor, non satisfacio. Destituerunt enim nos, quotquot consuluimus græcorum lexica. (Sp.)

(3) I. e. *Constantinopolis*, (Sp.)

(4) *Anselmum* Hamelburgensem, & *Alexandrum* Apuliæ Comitem exulem, & ob suspicionem affectati regni a *Rogerio* proscriptum. (Sp.)

(5) Quod ante *Chunradus* patruus cum *Ioanne* Græcorum Imperatore exorsus erat : vt ostendunt epistolæ Principum ea de re scriptæ, quæ extant apud *Othonem* Pontificem. (Sp.)

(6) Orientalis scilicet, seu Constantinopolitani, & Occidentalis, quod iam olim ad nationem Germanicam translatum erat. (R.) p. 44.

(7) Chronographus *Vrspergensis* hoc diuortium apud Constantiam Germaniæ in Synodo latum esse scribit. Fuit autem coniunx prior *Diepoldi* Marchionis Vochburgensis filia, quæ postea *Dietboni* Domino Rauenspurgii nupsit. (Sp.)

(8) Episcopus Romanus : qui hodie tantum hoc nomine significatur, quum olim omnes Episcopi *Papa* vocarentur, hoc est, *patres*. *Pappum* enim veteres *patrem* vocabant. (Sp.)

(9) Sed rem minus successisse, satis post indicabant Italica auxilia missa ab *Manuele* aduersus Ænobarbum : quodque Romano Pontifici *Alexandro* Tertio nihil non auxilii pollicitus est per Legatos, modo Imperium Romanum diuisum in vnum corpus redigeret : quibus tamen, vt *Platina* refert, ab *Alexandro* responsum est, se nolle id in vnum colligere, quod olim maiores sui de industria disiunxissent. Fuit Princeps arrogans plus æquo, ecclesiasticorum dogmatum contemptor, Astrologiæ peritissimus : qui cum spopondisset sibi multos adhuc vitæ & Imperii annos, totiusque Orientis Imperium agitasset animo, monasticam vitam secutus, morbo periit. (Sp.)

(10) Expeditioni Italicæ, quæ iam instabat. (Sp.)

(11) *Cranzius* autor est, huius non vltimi inter Saxonicas vrbes nominis, fundamenta iecisse *Henricum* Saxoniæ Ducem, *Aucupem* cognomento, qui primus Romanos fasces in familiam suam intulit, eoque nomine apud Germanos rerum potitus est. Sed hic Imperatoris nomine ab Italicis scriptoribus priuatur, non absque stomacho *Cranzii*. Nam *dicant igitur*, inquit, *si ideo Imperator non est, quia a Papa consecratus non est, quis consecrauit* Augustum, *& omnes ab eo Augustos*, vsque ad *D. Carolum*? nisi ille per quem Reges regnant, & potentes iusta decernunt. Si non est Romanorum Rex, aut Imperator, quia Italiam non tenet : cedant hoc nomine Constantinopolitani, ex quibus pauci Italiam habuerunt. Cedant & nostri temporis Imperatores. Proinde non fraudemus optimos Principes honore suo. Scimus, quo ordine Pontifices ad eam se consecrationem ingerebant. *Henricum* autem tertium Goslariam mire exornasse, palatio in ea plane regio extructo, idem autor est. Famam opulentissimæ ciuitatis facile adseruisset, si per vicinos licuisset, æmulos fortunæ, aurique & argenti fodinarum, quarum cultura sæpius interpellabatur. (Sp.)

(12) Recte. Oportet enim *ὁμοίως ἀμφοῖν ἀκροᾶσθαι. Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.* Et vt *Seneca* inquit :

> *Qui statuit aliquid, parte inaudita altera :*
>
> *Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.* (R.) p. 44.

(13) Erat enim reus : ideo (vt fit) lucem caussæque cognitionem subterfugiebat : secundum supra dicta ad v. 630. Quod sequitur v. vlt. *seruato iure*, id alias plenius dici solet, *seruato iuris ordine*. Cui contrarium est, *neglecto iuris ordine* aliquid præsumere : quomodo *Guntherus* infra loquitur lib. 7 v. 395. (R.) p. 44.

ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI SECVNDI.

Regia trans alpes producit ſigna Secundus.
Cæſare Runcaliis (a) poſito, ceu ſideris ortu
Illuſtrata noui plebs Itala gaudet, & omnes
Suppreſſas dudum properant efferre querelas.
Laudaque præcipue, Cuma cum ſupplice, noxas
Incuſat Ligurum: quorum Rex fraude reperta,
Nobile præſidium capit, euertitque Roſatum,
Vaſtat cæde reos, turres cum pontibus vrit,
Caſtra rapit (b) Ligurum: Cairam ſubuertit, & Aſtum,
Obſidione graui Terdonæ mœnia cingit.

(a) Vſitatius hic campus vocatur *Roncalia*, vel *Roncaliæ*. Eius deſcriptionem vide infra v. 35 & ſeq. huius libri. * Ibidem & nobiliſſima illa conſtitutio complectens priuilegia Studioſorum promulgata eſt. Vid. ſubſcriptionem Auth. habita C. *ne filius pro patre.* * (R.)

(b) Id eſt, *diripit*; ſimplex pro compoſito. An, *capit*, legendum? vide infra lib. 3 v. 636. (R.)

LIBER II

TErtius eximio regni felicis ab ortu
Annus erat, Friderice, *tui, caſtriſque mouendis*
Inſtabat præfixa dies: tunc rura relinquens
Saxoniæ, ſuperaſque petens cum milite multo
5 *Ipſe ſui partes regni, qua Norica lambit*
Rura Lycus, placidis factus iam mollior vndis,
Non procul Auguſta (1) *conſedit Rector ab vrbe,*
Proxima Brixnoram (2) *famoſi nominis vrbem,*
Altera ſaxoſum tetigerunt caſtra Tridentum (3):
10 *Inde per anfractus rigidos, anguſta locorum*
Saxoſis horrenda iugis, fauceſque malignas (4)
Carpit iter: tandem longo, magnoque labore
Alpibus euictis, campos & plana iacentis
Aſpicit Auſoniæ, ſtagnoque (5) *propinqua iacenti*
15 *In campis, Verona* (6), *tuis tentoria ponit.*
Sed quia defectu miles cogente ciborum,
Dum rigidam duro tranſiret limite vallem,
Et loca nec Cereri fœcunda, nec hoſpita Baccho;
Illicito raptu ſacras ſpoliauerat ædes,
20 *Ante profecturis quam Rex procedere caſtris*
Vellet, & humani tractare negotia regni,
Inſtituit placare Deum, Regique ſuperno
Seque ſuoſque piis humiles ſupponere votis.

(1) Olim inferioris Rhætiæ ciuitas, habitantibus tum ad Albim fluuium Sueuis priſcis, quorum regionem hodie Saxoniam appellamus. Hi deinde Rhætiam modo dictam inuaſere, quam adhuc tenent hodie, *Sueuiam* a ſe nominatam: cuius eſt caput *Auguſta*. (Sp.)

(2) Hodie *Brixina*: quam tunc *Brixiam Noricam* vocabant: propter alteram eodem nomine in Gallia Ciſalpina, de qua ſequenti libro. *Brixia Norica* meminit *Vrſpergenſis* in Annot. *Henrici* Quarti. (Sp.)

(3) Ad flumen Atheſim verſus eius ortum, a Rhætis ædificatum *Plinio*. (Sp.)

(4) Epitheton hoc eo ſenſu cape, quo *Virgilius* Æn. 11 dixit:

—— tenuis quo ſemita ducit,
Anguſtaque ferunt fauces, aditusque maligni.

Quem locum ob oculos hic fuiſſe *Gunthero*, quouis ſacramento contendam. Sic *lucem malignam* pro parca atque exili idem *Virgilius* Æneid. 6. vſurpauit. Sic *Lucanus* lib. 5 v. 651. loquitur. Sic *Quintilianus* lib. 2 c. 4 inter ſe opponit, *malignum* & *effuſum*. In *laudandis*, inquit, *diſcipulorum dictionibus nec malignus, nec effuſus.* (R.) p. 45.

(5) Vulgo nunc lacus Gardæ, *der Garſee*, a caſtello

a castello eius nominis, *Benacus* veteribus dictus: longus stadiis D, latus XXX. Variis ornatus castellis, præcipue *Sirmio*, *Catulli* patria. Amnis eum *Mincius* ex Alpibus oriens efficit: inter quem & *Ollium* flumen situm est.

Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu

Euecta Andino, & Smyrnæis æmula plectris. (Sp.)

(6) Vrbs maxima ad radices montium, vltra quos habitant Germani: quam Athesis fluuius ingreditur, magnamque ipsius partem ambit. Vnde *Syluius*, cuius sunt etiam prædicti versus, dixit:

Tum Verona Athesi circumflua. (Sp.)

Protinus ex omni collectos agmine nummos
25 *Corrogat, atque viris commissa fidelibus æra*
E quibus hic Præsul, Comes ille(1), *probatus vterque,*
Distribui iusta spoliatos sorte per omnes
Imperat, & licitæ compensat damna rapinæ.*
Nobile Regis opus: quamuis penuria factum,
30 *Vt quondam sancti Dauid*(2), *excusare valeret,*
Non tamen hac in re caussas attendere, sed rem:
Nec quid sit licitum perpendere, sed quid honestum(3).
Mentis quippe bonæ proprium(4), *agnoscere culpam,*
Culpa vbi nulla subest(5). *Tunc demum signa reuellens,*
35 *Runcaliam properat rapidis attingere castris.*

(1) Scribit *Otho*, id negotii duobus Episcopis impositum, Tridentino, & Brixinorensi. (Sp.)

* L. *illicitæ* (B.)

(2) Qui, quum fugiens Saulem venisset in vrbem Nobe, comedit panes sacros, quos propositionis vocant: nec ipse tantum, sed & comites ipsius, ac famuli. Nefas erat ex his panibus cuiquam vesci, præterquam Sacerdotibus ac Leuitis: sed quum fame periclitaretur, nec Sacerdos veritus, hos illi prodere, nec Dauid veritus, veluti profanos attingere, vescique. Hoc exemplo Seruator noster Christus, patrocinatus est discipulis suis, quos calumniabantur Pharisæi violasse Sabbatum, quod stimulante fame, præcedentes Dominum vellerent spicas, ac manibus confricantes, ederent grana. (Sp.)

(3) Hoc ex *Claudiano* mutuatus est, cuius sunt ista:

Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit
Succurrat, mentemque domet respectus honesti.

Sunt & apud *Ciceronem* similes sententiæ. *Paulus* quoque Apostolus inquit: πάντα μοὶ ἔξεστιν, ἀλλ' οὐ πάντα συμφέρει. Sic *Symmachus* lib. 2 ep. 23; *Quid deceat magis quam quid libeat* (malim, *liceat*) *expendendum.* Valeat igitur tyrannica illa ac nefaria vox eius, quæ priuigno suo Imperatori dicebat: *Si libet, licet.* (R.) p. 45.

(4) Interponendum videtur, *est*, cum *Petro Perna.* Quo verbo Augustana editio tamen etiam caret. (R.) p. 45.

(5) Mentis bonæ propriam ait esse hanc εὐλάβειαν & cautionem, omnia etiam tuta timentis. Eandem sententiam ferme totidem verbis *Innocentius III* post *Guntherum* vsurpauit in c. 2 ext. de obseruat. ieiuni: Sic enim ait: *Bonarum mentium est, ibi timere culpam, vbi culpa minime reperitur.* * Quod ipsum dixerat *Gregorius M.* & *Beda.* Vid. can. vlt. dist. 5, & Clem. *Exiui de V. S.* * Quanquam & de impiis dicat Psalmus: *Illic eos trepidare timore, vbi nullus est timor.* Porro pietatis & religionis *Friderici* argumenta plura infra indicabuntur. (R.) p. 45.

(1)*Est locus Italiæ, modicum seiunctus ab vrbe,*
Cui, quia pulchra situ placet, inde Placentia(2) *nomen,*
Planus, & Eridani(3) *placido iunctissimus amni,*
Effundit latos spatioso limite campos.
40 *Hic quoties claram Regnator tendit ad vrbem* (4)
Teutonus, Ausoniam sumpturus rite coronam,
Ponere castra solet: ligno suspenditur alte
Erecto clypeus: tunc præco regius omnes
Conuocat a Dominis feudalia iura tenentes(5),
45 *Excubias Regi prima celebrare fideles*(6)
Nocte, vetustorum debent ex more parentum.
At quicumque(7) *domi, Domino nolente, relictus*
Defuerit, feudo priuari Curia(8) *censet.*
Tunc quoque nonnulli censura vindice regni
50 *Amisere diu tali possessa reatu.*
Quin & Pontifices, Halberstadensis(9), *& ille*

Sub quo Brema(10) *fuit, tali regalia iura*(11)
Amisere nota(12): *personæ scilicet ipsæ,*
Non tamen ecclesiæ, neque enim quod pastor iniquæ
55 *Gesserit, ecclesiæ fas est in damna refundi*(13).

(1) Descriptio Runcaliæ. (Sp.)

(2) Retinet adhuc nomen antiquum, colonia deducta a quatuor viris: variis agitata casibus, & ab Ænobarbo ob rebellionem diruti muri eius, & deiectæ sunt turres: vt in principio noni lib. poeta, & latius scribunt *Volaterranus* ad finem lib. Geograph. quarti. (Sp.)

(3) Eundem esse *Padum* & *Eridanum*, ex *Plinio* constat. (Sp.)

(4) Id est. *Romam.* (Sp.)

(5) *Zasius* in commentariis in secundam legem de Origine iuris, ostendit originem Feudorum a vetustis Romanorum moribus processisse. Licet *Alvarotus*, & communiter Doctores historiarum ignari, male, & erranter contrarium senserint. *Budeus* quoque multis verbis in prioribus in Pandectas annotationibus docet, veterum monimentis, accurate perpensis, neminem esse, qui non hanc nostram Feudorum consuetudinem ab illa clientium obseruantia in patronos, & fide patronorum in clientes, oriundam esse, iudicet. Idem, quos *vasallos* vocant, *clientes* appellat, & *clientelam* obseruantiam ipsam & obsequium, quod *homagium* dicunt, clientaris officii sponsionem, agnitionemque. *Merula* feudorum iura tradit habuisse autores Angleriæ Comites, & a Curia Mediolanensi deducta, vt lib. octauo latius explicabo. (Sp.)

(6) Id est, *Vasalli*: vt sæpe in libris Feudorum. Sic inf. h. lib. v. 191. (R.) p. 46.

Vasallos, & *Ligios homines* iurisperitorum vulgus vocat, peregrinis prorsus vocabulis. Latine, *Beneficiarii* nominari possunt: qua voce *Æmylius Veronensis* identidem vtitur. Quos tamen probe etiam *Fideles* dici posse existimo: quemadmodum *Paganis*, recepto vsu, opponimus *Fideles*. Maxime autem, quia fides, vel fidelitas substantialia sunt in Feudo, sine qua Feudum non consistit: Est autem *Feudum* concessio rei pro homagio facta: Qua voce itidem noua, significatur obligatio per sacramentum fidelitatis facta, propter Feudum. Qui iurat Domino, neminem excipiens, dicitur *homo Ligius*: qui vero aliquos excipit, is homo *non Ligius* dicitur. Vnde *Feuda Ligia*, vbi absolute fidelitas contra omnem hominem iuratur: quæ regulariter non dantur, nisi a summis Principibus, & si qui sint alii, qui non recognoscunt superiores. Alia sunt *non Ligia*, vbi iuratur cum exceptione. Excipitur enim semper Imperator, qui & ipso facto exceptus intelligitur, in omni iuramento, etiam si non nominetur. Quamuis ex Constitutione Ænobarbi, vt libro octauo patebit, nominatim Imperator excipi debeat. Atque ab hac fide, siue fidelitate, vt modo dictum est, *Feudum* esse dictum volunt. Sed & a fœdere dici posse, quoniam ex solis fœderibus forma fidelitatis vltro & citro constet, vel hic poetæ locus demonstrat: qui temporibus eorum vicinus fuit, qui ex vsu Mediolanensi, & aliis nonnullis consuetudinibus, Feudalia scita, satis quidem notabiliter, sine tamen ordine, & nulla rei latinæ puritate tradiderunt. (Sp.)

(7) Caussa vna amissionis feudi hic exprimitur: nempe si vasallus domino seu seniori suo seruitium honestum deneget: *munera militiæ renuat si fœdera iusta*: vt ait lib. 8. v. 608. Quo loco & aliæ caussæ priuationis feudi afferuntur: vt, si successor feudi intra annum & diem

Spreuerit a Domino feudalia poscere iura:

hoc est, si inuestituram non petierit. Sed de his aliisque caussis prolixius tractauimus in Prouisionibus nostris Feudalibus. (R.) p. 46

(8) Hoc loco per Curiam Pares Curiæ intellige, qui caussarum Feudalium iudices a Cæsare constituti, sine prouocatione cognoscebant. (Sp.)

Curiam dixit pro *paribus curiæ*. Nam si lis sit de feudo inter dominum & vasallum, eius litis iudices sunt pares curiæ, id est, eiusdem Senioris alii vasalli. Dominus enim in propria caussa iudex esse non potest. Vid. infra lib. 8 v. 633. Confertur autem in hos iurisdictio per electionem factam alternis, a Domino & vasallo: aut a Domino etiam solo, si vasallus eligere nolit. Qua de re prolixe explicat, ciuis meus *Ludolphus Schraderus* tract. feud. part. 10 sect. 8, 9, 10, 11, & 12. (R.) p. 46

(9) *Vlrico* nomen erat, vt *Otho* refert, quem ex *Cranzii* historia constat fuisse virum, otii & quietis impatientem. Vrbs sub eo capta est, & basilica conflagrauit, vna cum sacro templi thesauro & ornatu. Idem scribit *Cranzius*, *Carolum* Magnum in Orientali Saxonia constituisse genti Episcopum vltra Visurgim apud *Salingstede*, cui loco hodie nomen est *Osterwick*, qui longo post tempore in Halberstadium sit traductus. (Sp.)

(10) *Hartwicus* erat ille, vt *Otho* quoque testatur. Cui familiare est, vt & ceteris, qui ea scripserunt ætate res, apud Germanos præcipue gestas, silentio gentilitia nomina præterire. Quod tum Antistites pomposos titulos ignorabant. Obseruatum est ab auunculo meo, Argentoratensis ecclesiæ Episcopos, ab exordio vsque ad Ænobarbica tempora, alium sibi titulum non desumpsisse, nisi sub hac humili forma. *Ego. N. diuina fauente clementia Argentoratensis ecclesiæ Pastor indignus.* Sed & diuum Imperatorem *Carolum* Bremensem Episcopatum, velut Coloniensi a suffragiis excitasse, tradit *Cranzius*. (Sp.)

(11) Habent Feuda suas differentias & qualitates. Quia sunt Feuda regalia, scilicet

eet dignitatum, quæ absolutam & prærogatam nobilitatem habent: quorum participes sunt tantummodo Capitanei regni, id est, Duces, Marchiones, Comites. Alia vero sunt Feuda non regalia, siue illa a Principibus Romanis, siue a Capitaneis regni concedantur: quæ non quidem prærogatam, vt illi, sed conspicuam quandam nobilitatem exhibent: veluti Baronum, & aliorum qui sunt melioris nobilitatis: quos *Valuasores maiores* nominaueris. Quibus proxime accedunt hi, qui sunt melioris notæ inter Nobiles, qui & ipsi sub se habent Vasallos nobiles. Porro qui a *Valuasoribus maioribus*, puta Baronibus, & conspicuis Nobilibus Feuda accipiunt, sunt quidem & ipsi nobiles, sed mediocris nominis: quos nominant *Valuasores minores*. Ceterum quæ Feuda ab huiusmodi minoribus conceduntur, *Vasalli Valuasini*, seu *minimi Valuasores* nominantur: vt sunt, priuatæ personæ, pagani, & ciues, si qui in plebe sunt paulo nominatiores. (Sp.)

(12) Censura, & iudicio Parium Curiæ. Vel nota, hoc est, culpa absentiæ. Cautum namque est, eos in omnibus casibus, in quibus Clerici, vel Ecclesia possunt habere Feudum a Laicis, cogi quoque posse, vt propter huiusmodi Feuda stent iuri coram Domino laico, quia ea res personas eorum nec tangit, nec lædit, sed respicit Feudum. Sunt autem & aliæ caussæ amittendorum beneficiorum, siue feudorum, quæ tractantur diffuse a Doctoribus, & habentur in secundo libro Feudorum. (Sp.)

(13) Retulit pulchre vulgatam illam regulam iuris, *Delictum personæ non debet in damnum Ecclesiæ redundare.* In certo tamen casu ex constitutione diui Cæsaris *Chunradi*, ipsæ quoque Ecclesiæ ad tempus Feudo & honore priuari possunt. (Sp.)

* Videtur ante oculos Poeta noster habuisse illud *Gregorii M.* lib. 2 ep. 50; *Quia delictum personæ in damnum ecclesiæ non est conuertendum.* Refertur in Can. 3 *Si Episcopum* 16 q. 6.* (R.) p. 46

Nunc age, de terra(1) memoratu plurima sacro*
Digna relaturi, positum(2), sedemque locorum,
Nominibusque datis, populos, ritusque vetustos
(Sicut ab antiquo vulgauit fama) canemus.
60 *Hæc Appennini(3) rigidis hinc rupibus, inde*
Alpibus aeriis(4) pressa, atque coercita tellus
Longa, sed angustam zonæ sortita figuram(5).
Hinc sale Tyrrheno(6), Venetis hinc clauditur vndis(7),*
Quippe noti rapidos æstus(8), austrique vapores,
65 *Apennine, tui sibi temperat obice (9) montis,*
At rigidum (10) Boream, gelidamque timentibus Arcton (11)
Præsidio veniunt obiectis rupibus alpes,
Tyrrhenum zephyro (12) vagus Adria (13) tunditur euro.
Forsitan hos aliquis, velut vno corpore montes
70 *Iungit, & vt capiti duo brachia subiicit vni.*
Vt Pyrenæum (14) vero sit nomine totum,
Totius partes sint Appenninus, & Alpes (15).
Hæc tamen hinc aliquas inuasit opinio mentes:
Nam qua belligeris totiens experta (16) carinis
75 *Ianua (17) Tyrrheni pulsatur gurgitis æstu,*
Cernuntur gemini sese contingere montes,
Ac velut expansis hinc inde fideliter vlnis
Amplecti gremio populos ac mœnia lato.
Magnus(18), & hesperio non ignoratus in orbe(19),
80 *Et multum debens antiquis vatibus vnda(20),*
Hanc medio secat amne Padus (21), zonasque minores
Ex vna facit esse duas, populosque bipertit,
Quem geminis hinc inde fluens e partibus vnda
Ditat(22), & Adriacas opulentior influit vndas(23).

* Terræ Italiæ descriptio elegans: cuius explicatio a Geographis petenda. (R.) p. 46

(1) Scilicet Italia: quæ, vt *Solinus* ait, tanta cura ab omnibus dicta est, vt iam inueniri non sit, quod non veterum autorum præsumpserit diligentia. (Sp.)

(2) Italiæ situs medius inter meridiem, & septentrionem, mirum in modum & fertilis & plurimum accolis salubris esse, ex ratione Sphæræ deprehensus est. (Sp.)

(3) In huius transitu ob nimium frigus alterum oculum amisit *Hannibal* Pœnus: a quo & nomen montem ipsum accepisse quidam tradunt. Eleganter ille describitur a *Lucano* & *Silio*. (Sp.)

(4) Capiunt initium Alpes a Salassis, qui locus nunc Saluciarum & Montisferrati est, Rhegium vsque, per Capuam. (Sp.)

(5) *Tota*, *Mela* inquit, *angusta*, *& alicubi*

cubi multo, quam vnde capit, angustior. Zonæ igitur similem dicit, quod longior multo, quam latior est. (Sp.)

(6) Id est *mari.* (Sp.)

Hoc est, mari Supero & Infero. Sic enim appellantur. Vndas *Venetas* dicit pro mari Adriatico. (R.) p. 46

Quod a situ *Inferum*, a littoribus *Siculum*, *Ligusticum* & *Tuscum* vocatur. (Sp.)

(7) Id est *mari Adriatico.* (Sp.)

(8) Ex meridionali enim perflat parte. Latine *Auster*, ab hauriendis aquis. Vide *Gellium.* (Sp.)

(9) Perna, *obiice.* Vide *Gellium* lib. 4 cap. 17. (R.) p. 46

(10) Augustana editio *rapidum* Boream. (R.) p. 46

Qui ab æstiua & solstitiali Orientis meta venit. Latine *Aquilo* dicitur. (Sp.)

(11) Septentrionalium indicat ventum, qui multo asperior obiectus, directusque in austrum spirat. Significat ergo munitam esse Italiam contra duo extrema, hoc est, nimium solis ardorem, & immodicam frigoris asperitatem. (Sp.)

(12) Latine *Fauonius*, ventus est occiduus, aduersus eurum flans, qui est medius inter ventos orientales. Idem græce *Apeliotes* dictus. A Romanis nauticis *subsolanus* cognominatus. (Sp.)

(13) Adriaticum, quod ab vrbe & flumine cognomine appellatum est. Plurimi idem esse voluerunt *Ionium*, quod tamen partem Adriatici maris accuratiores faciunt. (Sp.)

(14) Nomen accepit a fulminum ictu, quamuis a *Pyrene* nympha comminiscatur *Silius* libro tertio. Qua parte Hispanias spectant Pyrenæi, habent varias arbores: qua vero Gallias, nudi sunt, *Strabone* autore. (Sp.)

(15) *Pomponio Mela*, non in Istriam solum, sed Byzantium vsque ad Euxini littora expansa montana Alpium nomine continentur. Vocabula habent varia, quæ referuntur a *Volaterrano*, *Alciato*, *Vadiano*, & autore commentarioli in *Tacitum* de populis Germaniæ. Harum vero descriptionem habes apud *Silium* libro iam citato. (Sp.)

(16) Id est, tentata. πειρασθεῖσα: id est, spectata. Lucanus:

> *Haud magis expertus discrimine Cæsar in vllo est,*

vt lib. 5 v. 249. Vide & *Otho* Frisingensis, *exercita* enim ex ipsius mente positum est. (R.) p. 46

(17) Eadem & *Genua*, metropolis Liguriæ, nobili portu illustris. Hæc inter principes Italici nominis vrbes *Superba* cognomentum tulit. Quæ vnde originem habuerit, incertum. Fuit sub Imperio Romanorum: quoad eam Rotaris Rex Longobardorum per vim accepit, ac diripuit: Imperio deinde restituta, vna cum cætera Italia a *Carolo* Magno. (Sp.)

(18) Nam, vt *Lucanus* ait in secundo: *Non minor his Nilo, item nec minor est Istro.* (Sp.)

(19) Hoc est, Italia, quam vt idem cecinit, exhaurit aquis. *Solinus, Pado*, inquit, *Italia clara est, quem mons Vesulus superantissimus inter iuga Alpium, gremio suo fundit.* Vesulum hodie vulgus accolarum *Montanys* vocat. (Sp.)

(20) Quorum princeps apud Latinos, nimirum ad eius respiciens magnitudinem, eum fluuiorum regem appellat. (Sp.)

Vnda, amnis, Appositio est. (Sp.)

(21) *Strabo* in principio quinti libri de subiecta loquens Alpibus regione: *Est*, inquit, *felix admodum campus, & fructuosis collibus varius, hunc medium fere* Padus *diuidit*: eaque regio hinc *Cispadana*, hinc *Transpadana* dicitur. *Cispadana* quidem montibus adiacet, atque Liguriæ: reliqua vero *Transpadana* est. (Sp.)

(22) Eorum scilicet amnium, quorum præcipui ex Appennino, ceteri ex Alpibus nascuntur. (Sp.)

(23) Non est amnis alius, qui breuiore cursu maiorem vndarum vim corriuet. Triginta secum in Adriaticum mare flumina defert. (Sp.)

85 *Hac vna tellure, triplex prouincia*(1), *ternos*
Scinditur in populos, Venetus(2), *Ligus, Æmyliusque*
Incolit, a populo recipit prouincia nomen
Quælibet, & multas in se complectitur vrbes.
Hæc igitur dulci gaudens vligine tellus(3),
90 *Tam Cereris, Bacchique ferax, & mitis oliuæ*
Arboris(4), *& pecorum, nullius frugis honorem*
Ignorat, nulloque dolet se munere tardam(5).
Æmyliæ primam fama cognouimus vrbem,
Quæ velut ex aquila, cunctarum rege volucrum,
95 *Nomina clara trahens, Aquileia*(6) *rite vocatur.*
Metropolim Ligurum dicunt, sedemque supremam,
Quam Mediolanum Ligus incola nominat vrbem:
Siue quod in media quadam tellure, medulla
Omnibus ingenuis(7) *acerrima rebus abundat:*
100 *Seu quod ab inuento trahit ista vocabula porco*(8),
Lanea qui medio portabat vellera tergo.

Strabo

(1) *Strabo* Italiam in octo partes diuisit; *Antoninus* in Itinerario in decem & sex prouincias. Poeta *Othonem* Antistitem secutus, *Vlteriorem* Italiam partitur in *Æmyliam, Liguriam,* & *Venetiam.* (Sp.)

(2) Wecheliani cum alias Spiegelianæ editionis vitia ad vnum omnia ita religiose retinuerint, quasi ab iis nefas esset recedere, hic sine caussa lectionem mutarunt in, *Venetas*: Sicut lib. 4 v. 439 pro *Athesam* reposuerunt *Athesim*, contra morem *Guntheri*. (R.) p. 46

(3) Præstantiam Italiæ supra omnes alias terras adseruerunt scriptores, & Græci & Latini: nec est quicquam quod intactum reliquerint. Tu quæ ad hunc locum attinent petes a *Marone* secundo Georgicorum. (Sp.)

(4) Sic editiones vulgares. At ego pro *Et*, libenter legerim *quam*: vt sit, *quod* τῷ *Tam* respondeat. *Schoppius* tamen meus *Ac* reponit, exemplo *Plauti*, qui iungit, *Tam, atque.* Vt Amph. Sc. 1. *Tam consimilis est atque ego.* Hoc primum. Deinde pro *olina* responsuerim, *olini*: post quod verbum apponenda distinctio est: ne quis erret, iungendo, *olina arboris.* Non enim *olina* dicitur arbor, sed *olea*: cuius fructus seu bacca, *olina*: vnde expressus succus seu liquor, *oleum, olinum*, & *olinitas.* Venit hic mihi in mentem *Plinii* * lib. 3 *H. N.* cap. 5, * qui in parte Italiæ quadam (puto Campania) scribit quasi certamen esse Liberi Patris cum Cerere. (R.) p. 47

* Vid *Bertherium* Pith. lib. 1 cap. 4 p. 182 (B.)

(5) Noue dictum, pro *carentem, priuatam, destitutam.* Notandum hic γλυκὺ σχῆμα, quo rei inanimatæ notitia & sensus tribuitur. (R.) p. 47

(6) Sunt tamen, qui eam a legendis aquis appellatam existimant. Tam vetustam & nobilem vrbem Attila diruit, neque vnquam ei postea resipiscere fuit. Non alio hodie magis, quam titulo Patriarchatus insignis. (Sp.)

(7) Mendosa vox. forte, *uberrima.* (B.)

Huc accedunt, quæ de Mediolano scripsit in catalogo vrbium nobilium *Ausonius.* Mediolanensis felicitas quingentos & amplius annos durauit, usque ad diui *Ambrosii* tempora. (Sp.)

(8) Apud idoneos autores de nomine vrbis, nihil certi habetur: nisi quod *Claudianus* famam secutus, a sue quoquo lanata nomen vrbi inditum innuit, dum canit: Venerem ad nuptias Honorii & Mariæ descendere per Appenninum, *ad condita Gallis mœnia, lanigeræ suis ostentantia pellem.* Et hinc *Sidonius* libro sexto:

Et quæ lanigera de sue nomen habet.

Non probat *Sabellicus*, quod a quibusdam traditum est, cum antea diceretur *Liciniphorum*, ab Insubrium Duce *Medo*, appellatum esse *Mediolanum*, existimans: &, vt ego puto, recte quædam a scriptoribus in referenda Italicarum vrbium origine multo honestius potuisse præteriri, quam ad ludibrium scribi ex ignobilium scriptorum sententia. (Sp.)

Etymon *Mediolani* duplex affertur. Posterius approbauit *Alciatus* IC. Mediolanensis patricius, Emblem. 2. Vbi vide *Claudii Minois* Comment. (R.) p. 47

At quam præcipuo Venetus colit ordine sedem,
Nomine non alio quam tellus ipsa vocatur(1):
Vrbs opulenta nimis(2), *quamuis circumsonet illam*
105 *Pontus, & Adriacis ingestus fluctibus agger*
Eliso modicam concesserit æquore sedem(3).
Hanc vetus(4) *Italiam sermo vocat vlteriorem*
Quod media Tusci(5) *seclusa crepidine montis,*
Longius a pulchra Romana colonia(6) *Roma*
110 *Distet, & Ausonii*(7) *quidam sit terminus orbis.*
Hæc autem magno quæ clauditur Appennino(8),
Etruscasque domos(9), *& claram continet vrbem*(10),
Interior veteri consueuit more vocari.

(1) *Venetia*, quo nomine quicquid ab Istria secundum maritima, vsque Rauennam iacet, comprehenditur. *M. Cato* & *Plinius* autores. (Sp.)

(2) Sic infra 350 *populosa nimis.* Hæc quoque particula *Nimis*, biblicum quid sapit. Ea enim pro *valde*, vel *admodum*, vel *vehementer* vtitur vetus Interpres locis pæne infinitis. Quamuis & *Plautus* nonnunquam sic loquatur: vt Amph. Sc. 1. *Nimis pulcris armis praditas*, &c. Sic Sempronius Asellio apud *Gellium* lib. 13 c. 3, L. Æmilium Paulum, *nimis bonum* Imperatorem signis collatis decertare, &c. (R.) p. 47

Supra quam credi possit imperio atque opibus aucta. (Sp.)

(3) Vnde eorum hodie non adeo vetusta, atque in littore fuit, in ipso mari sedes est. *Modicam* autem dicit, quod post Longobardorum in Italiam accessum, Veneti ad mare compulsi, multo angustiores, quam antea fines tenuerunt. (Sp.)

(4) Italia in *vlteriorem* & *interiorem* olim distinguebatur. (R.) p. 47

(5) I. e. *Apennini.* (Sp.)

(6) Quia Togatam colunt Galliam. *Linius* quoque autor est, Aquileiam Latinam coloniam, in agro Gallorum deductam esse. Transpadanam enim Galliæ nomine comprehendi, grauissimum *Ciceronis* probat testimonium Philippica 12. *Colonia* autem dicitur oppidum vel bello victum, vel aliis casibus

bus exhaustum, in quod vel milites, vel ciues alterius oppidi ad colendum & habitandum mittuntur. (Sp.)

(7) Italiæ, quemadmodum *Lucanus orbem Hiberum* dixit, pro *Hispania*: & *orbem Arctoum*, pro *Gallia* & *Germania*. (Sp.)

(8) Qui totam terram velut in duas diuidit plagas. Hanc ad occasum & meridiem, illam ad septentrionem & ortum obuersam. Ab Alpibus primo in Liguriam excurrens, mox inde cisalpinam Galliam, & Picenum, ab Etruria & Sabinia dirimit, Anconamque progreditur: vnde aduersus in Apuliam & Garganum montem extenditur, Marrucinorum, Pelignorum, & Frentanorum terram, a Latio & Campania separatus. Vltimus ejus conatus ex Gargano est ad Leucopetram: hinc Apuliam habens, Calabriam, & magnæ Græciæ oram. (Sp.)

(9) Vrbes Etruriæ, cuius fines ad Tybridis ripam extenduntur *Straboni*. Primum vero oppidum ab Ligusticis finibus, *Luna* est, portu nobile, vt scribit *Plinius*. (Sp.)

(10) *Romam*: quæ cur *caput orbis* fuerit nuncupata, docet *Liuius* primo ab vrb. cond. lib. Hæc, vt canit *Maro*,

Tantum alias inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Horatius quarto Carminum, *principem vrbium* eam nominat. *Solinus* ait, quod nihil super ea doctissimi autores reliquerint, quod in nouum præconium possit suscitari. (Sp.)

Mox ea quæ Siculum protenditur vsque profundum(1)
115 *Appuliam, Calabrosque sinus, Campanaque rura*(2)
Amplectens, seu citerior, seu Græcia maior*(3)
Ante vocata fuit, mediam(4) *tamen huic quoque multi*
Connumerant, vnoque duas sub nomine ponunt.
Hanc olim bello, quem Scandia(5) *miserat, hostis*
120 *Barbarus*(6) *inuasit: maribus qui marte peremptis*
Crinibus ad mentum torua sub casside pressis,
Ceruleaque coma barbam simulante virilem,
Femineos armasse greges, cladenique virorum
Infirma supplesse manu, sic denique victor
125 *Hæc loca femineo fertur tenuisse triumpho*(7).
Hac quoque de caussa signato nomine tellus
Dicitur a longis ea Longobardia barbis(8),
Protinus indigenis paulatim sanguine mixto,
Barbara plebs, præter consuetum gentibus vsum
130 *Transit in sociam suscepto nomine gentem*(9).

(1) Mare, quia porro a fundo. (Sp.)

(2) De quibus latius lib. nono. (Sp.)

* Nescio qua auctoritate vel ratione primam producat. (R.) p. 47

(3) Quoniam incolæ eius maiori ex parte Græci fuerunt. (Sp.)

Ouidius 4 Fast.

Itala nam tellus Græcia Maior erat.

Hæc vsitatius *Magna Græcia* dicebatur: vt est apud *Ciceronem* Tuscul. Quæst. Vnde autem *Græcia Maior* dicta sit, docet *Festus*, quem vide. (R.) p. 47

(4) Id est, Interiorem.

(5) Augustana editio, *Scanzia*. (R.)

(6) Insula est *Codani* sinus, qui est Germanici maris. Ex hac profectos Longobardos, qui eorum historiam scripsere, sunt autores *Isidorus*, *Secundus*, *Tridentinus*, & *Paulus* Foroiuliensis: qui genus ab eis duxit. Hunc *Paulum Desiderius*, Longobardorum Rex, cum regnaret, summe dilexerat, ingenio eius, eruditioneque delectatus: & *Carolus* noster, ob easdem animi dotes, in intimam familiaritatem admiserat. Ceterum cum deprehendisset, eum agitare consilia Desiderii educendi e finibus exilii, cuius florentis fortunæ particeps extitisset, procul ab illo in Diomedis insulas eum ablegauit. Vnde ad Aragisum refugit. Nec tunc docto viro, in tali caussa, apud mitissimum regem *Carolum* fraudi fuit, exilii terminis decessisse: cum proceres suaderent, ne impunita audacia, contumaciaque abiret: & Pipinus iudicium patris secutus, eius rei veniam Duci dedit. *Paulus* Aragisii Adelbergæque Ducum rogatu, ad conscribendas historias rediit: a fine Eutropii exorsus, res Romanas, separatim Longobardicas complexus, simul alia edidit. Hymnum in diuum *Ioannem* composuit, quem inter sacra orbis terrarum canit. Vetustissimis exemplaribus, sanctisque autoribus imperio, opeque *Caroli* vndique conquisitis, martyrum vitas, mortemque ceterorum diuorum summa breuitate perstrinxit: in templis legendas: quas facile crediderim, longa die ita immutatas, vt a conditore suo (si existat) non cognoscantur. Hæc candide lector ex *Æmylio Veronensi* viro impense erudito, retulimus, tametsi ad hunc locum nihil faciunt. Qui de Longobardis loquens, *e Scandania*, inquit, *septentrionalis Oceani insula oriundos se contendunt.* Nostri, qui annales scripserunt, alii *Scandananiam*, alii *Scanziam* nominant. *Cornelius Tacitus*, Longobardos Sueuis attribuit. *Ptolemæus* eos non procul a Rheno ponit. Vnde Misnensium hodie regionem, Longobardorum regionem olim fuisse quidam volunt, Westfalorum

falorum alii. Porro Alboinus eorum Rex prædictus, capto Foroiulio, Venetiam omnem breui subegit. Papiam post triennalem obsidionem recepit, Etruriæque infesta arma intulit. (Sp.)

(5) Peregrinus, externus. Veteres enim *barbarum* vocabant, quicquid erat peregrinum. Deinde vox deflexa est ad vocis & sermonis absurditatem. Vnde *Ouidius* apud Getas agens: *Barbarus*, inquit, *hic ego sum: quia non intelligor vlli.* Postremo cœpit accommodari & ad mores feros & asperos. Olim Græci ceteros appellabant barbaros: deinde culti litteris Itali, ceteros omnes, præter Græcos, barbaros appellare cœperunt. Et nunc rebus omnibus commutatis, adhuc mirum est, vt ait *Listrius*, quam inani sibi nomine placeant, & quantopere barbaros execrentur. Vel *Barbarus hostis.* Id est, ferox. Nam ex *Velleio* constat, eos fuisse ferocissimos. *Fracti*, inquit, *Longobardi, gens etiam Germana feritate ferocior.* Sed & *Æmylius* libr. Francicarum rerum primo, vocat Alboinum *omnium mortalium ferocissimum.* (Sp.)

(6) Antistes *Frisingensis* idem scribit, ne putes hic Poetam, quod est illis familiare, quippiam affinxisse. (Sp.)

(7) Id est, recens cuso: κεχαραγμένα. Venusta translatio a re monetaria: qua & *Horatius* vsus est in Arte:

Signatum præsente nota procudere nomen.

Sic enim potius ibi legendum videtur, quam *producere.* (R.) p. 47

(8) Idem etymon *Isidorus* lib. 9 tit. *De gentium vocabulis*, amplexus est: *Longobardi* a *longis barbis* nomen habuerunt, aliter tamen aliis originari placuit. Vide *Reinerum Reineccium* in Panegyrico, quem Illustrissimo Principi meo *D. Henrico Iulio* scripsit. Sed male sentiunt, qui a *Bardis*, Saxoniæ populis, ac non potius a *bartis*, id est, *barbis* dictos esse *Longobardos* volunt. Est enim vox Latino-Germanica, id est, *Longobardica. Guntheri* autem & *Isidori* etymo subscribit etiam *Paulus Diaconus* lib. 1 c. 9. *Certum tamen est*, Longobardos *ab intacta ferro barba longitudine, cum primitus* Winili *dicti fuerint, ita postmodum appellatos. Nam iuxta illorum linguam* lang, longam: Bart barbam *significat.* Hæc ibi *Diaconus.* (R.) p. 48

Id nominis datum est regioni, amisso regno. Nam vt *Veronensis* scribit, & ex *Merula* quoque deprehendi facile potest, regnantibus Longobardis, nulla fuit eis sua peculiarisque Longobardia. Placuit autem diuo *Carolo* Imp. & *Leoni* Pontifici eius nominis Tertio, id nomine Longobardiæ censeri, quicquid inter Appenninum & Alpes a cetera Italia, lacu Benaco, Mincio, vt vero Longobardorum scriptores tradunt, Atesi, Pado, Rheno Bononiensi distinguitur. (Sp.)

(9) Audi *Veronensem Æmylium*: *Plus ducentis triginta annis Longobardi maxima Italia parte potiti, iam nihil externi moris, religionisve, aut animorum retinebant. Deposita, exolescenteve illa, cum qua Alboino Rege venerant, feritate, in Italici cœli, solique ingenium, moresque transierant, veteribus Italis affinitate, atque inde cognatione adeo iuncti, vt in Etruria, in Spoletino, Beneventano, Eporediensi, Foroiuliensi Ducatibus non esset facile dignoscere.* (Sp.)

Gens astuta, sagax, prudens, industria, sollers,*
Prouida consilio, legum iurisque perita(1):
Corpore, mente valens, animo vigil, ore venusta,
Membrorum leuitate vigens, patiensque laboris,
135 *Prompta manu, sermone fluens, auidissima laudis,*
Artibus, atque operum studiis exculta nouorum,
Sobria, venturi metuens, sumptuque modesta,
Inuigilans opibus, studiose parta reseruans,
Exiguo contenta cibo, fulgentibus armis,
140 *Et nitido corpus componere gaudet amictu,*
Libertatis amans, pro qua nec tristia rerum
Damna, nec extremam solet exhorrescere mortem,
Nec Regis, Dominiue iugo ceruice volenti
Subdita: Consulibus rerum committere summam
145 *Gaudet, & hos triplici sumptos ex ordine (fastum*
Ne pariat diuturnus honor(2)) mutare quotannis,
Viuere quemque suæ subiectum legibus vrbis
Cogit, & externos sub eodem iure potentes
Alligat: vt terra vix inueniatur in illa(3),
150 *Aut Comes, aut alius ciuili iure solutus(4).*
Vtque suis omnem depellere finibus hostem
Possit, & armorum patriam virtute tueri(5),
Quoslibet ex humili vulgo, quod Gallia fœdum
Iudicat, accingi gladio concedit equestri.

* Ostendit mores, instituta, & magistratus Longobardorum. (Sp.)

(1) Disciplinas omnes tractasse Longobardos, documento sunt, *Merula* teste, codices

ces

ces permulti illorum manibus conscripti, qui adhuc extant. Hoc nec Gothi fecerunt, nec qui post Longobardos Italiam magis diripuere, quam habuerunt. Religionem nostram magnifico & pio cultu prosecuti, Romanos Pontifices & si aliquotiens bello lacessiuerint, primi tamen omnium vrbes illi & populos, quibus imperarant, concessere. Scribit *Veronensis*; *Quadam monumenta extant* Desiderium Fluentinos *dispalatos, in vna mœnia contraxisse*, Petram sanctam, Sergianam, Orbitum *condidisse, ac pleraque alia oppida partim instituisse, partim restituisse: nec euersorem, vt ab* Hadriano *insimulabatur, sed parentem, restitutoremque Italiæ extitisse. Merula* regnum eorum minime crudele fuisse ait, & legem Longobardam celebrari, cuius præcipue autor Rotaris, & ceteri Reges perhibentur. Nec non esse quasdam Italiæ ciuitates, quæ in hanc vsque diem iudicia sua ex edictis Longobardorum magis quam ex decretis Imperatoriis exercent. Præterea Longobardorum Reges eos fuisse, fremant licet ceteræ gentes, qui legibus & armis vniuersam pæne Italiam iam a maiorum virtute degeneratam subleuauerint, erexerint, & exornauerint. (Sp.)

(2) Σέφισμα πολιτικὸν hic obseruandum, de Magistratibus non facile perpetuandis, ad vitandam scilicet insolentiam. Quæ caussa etiam Romanos mouit, vt exactis Regibus, plerosque Magistratus annuos esse voluerint. Plura ad hoc institutum annotata vide apud *Is. Casaubonum* Animaduers. ad Sueton. p.25. (R.) p.48

(3) Idem de hodiernis Heluetiis confœderatis vsurpare licet. (R.) p.48

(4) Id est, vt vulgo dicitur, ab oneribus ciuilibus liber & immunis. (Sp.)

(5) *Virtute armorum* ita dixit, vt *Plautus*, virtute belli: quem imitata doctissima femina *Sulpicia* sic cecinit in Satira sua:

> *Duo sunt, quibus extulit ingens*
> *Roma caput, virtus belli, & sapientia pacis.*

Sic & alias sæpe Guntherus *virtutem* pro fortitudine militari vsurpare gaudet, exemplo Sallustii, Ciceronis, aliorum. Sic supra lib. 1 v. 249

> *Romanum nostra virtute redemptum*
> *Imperium.*

Sic infra lib. 3 v. 544

> *magna miseram virtute redemit.*

(R.) p.48

> 155 *Illa tamen legum prudens, & iuris amori*
> *Dedita gens*(1), *facto leges ac iure*(2) *nefando*
> *Infringit, maculatque graui se sponte reatu,*
> *Dum quem præcipuo venerari debet amore,*
> *Atque timere simul, nunquam nisi territa Regem*
> 160 *Suscipit, & facili susceptum fraude relinquit.*
> *Hoc magis imposito renuens se subdere Regi,*
> *Quod reuocare suos victrix Alemannia Reges*
> *Sæpe solet: quippe hæc tanto præsentia regna*
> *Diligit affectu, quanto tremit illa pauore.*
> 165 *Inde fit, vt gemino noceat gens improba damno,*
> *Dum premit indigno Regem malefida labore,*
> *Et patitur meritas a iusto Principe pœnas.*
> *Sic ea quem mitem contemnit, sentit acerbum*(3):
> *Ille ream punit, quam mallet habere fidelem.*

(1) Nam, vt *Merula* scribit, Longobardi, posteaquam regnum occuparunt, in publicam vtilitatem leges condiderunt breues, adeo apertas & absolutas, vt parum interpretis indigeant, & omnia ita complectantur, vt nihil fere relinquant in cognoscentis ingenio atque solertia. (Sp.)

(2) L. *Iura.* (R.)

Idem *Otho* Antistes dixit; *cum legibus*, inquit, *se viuere glorientur, legibus non obsequuntur.* Scite *Sidonius* in Panegyrico Maiorano dicto, plebis obedientiam ex fide doctoris asserit his verbis:

> *Tum cetera parti*
> *Turba libens, seruit propriis quia legibus amor.* (Sp.)

(3) Sic *Benedictus Arias Montanus* in salutis humanæ monumentis, Argum. tab. 51. de duplici adventu Christi fecit;

> *Christum sponte tibi venientem suscipe mitem.*
> *Si non susciples, experiere grauem.*

(R.) p.48

> 170 *Omnibus Italiæ*(1) *processerat altius vna*
> *Vrbs Ligurum*(2), *titulisque potens, & nomine claro*
> *Ardua, sidereum pulsabat vertice cælum*(3).
> *Illa fere paribus spatiis Alpemque* (4) *Padumque*
> *Separat: hinc Adua*(5), *Ticino*(6) *clauditur inde,*
> 175 *Qui de vicinis Orientis*(7) *Alpibus ambo,*
> *Et famosa Padi maioris stagna petentes,*

Hanc,

Hanc, aliasque duas, Cumam, Laudamque(8) *capaci*
Inclusere sinu(9): *sed fortior illa duabus*(10)
Præualuit, victasque graui ditione premebat.
180 (11) *Vsque adeo nocuit vicinos vrbibus esse*
Maiorum(12): *siquidem multos vicinia læsit*(13).
Nec tantum populos, aliasque potentior vrbes
Presserat, immo etiam rebus sublata secundis(14),
Ausa fuit validas incessere Principis iras,
185 *Et quasi prima suæ ducens momenta* 15) *ruinæ,*
Ergo vt tantorum notescat caussa malorum,
Pauca super veteri regnorum iure reuoluam(16)

(1) Scilicet, *urbibus*. (R.)

(2) Mediolanum. (Sp.)

(3) Consimili hyperbole dixit Horatius: *Quod si me Lyricis vatibus inseris, sublimi feriam sidera vertice.* (Sp.)

Sic Babylon a Propheta dicitur vsque ad cælos exaltata. Ad Horatianam imitationem, *Sublimi feriam sidera vertice* (quam recte hic etiam *Spiegelius* obseruauit) addo *Ausonii* Idyll. 8; *Illum ego si cernam, tunc tangam vertice cælum.* Et Symmachi lib. 1 epist. 46, *digito supera conuexa, quod aiunt, tangere.* Græci quoque vsi sunt hoc prouerbio. Sic enim *Aristænetus* lib. 1 epist. 11; καὶ τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο, ἐδόκει τῇ κεφαλῇ ψαύειν τοῦ οὐρανοῦ. *Propertius* quoque lib. 1 eleg. 8 dixit ad eandem faciem, *contingere sidera plantis*: vbi tamen doctissimi viri, *palmis* substituunt; quos refutat *Schoppius* meus lib. 1 Verisimil. cap. 6. (R.) p. 49.

(4) Pyrenæum. (Sp.)

Sæpissime *Guntherus* eos montes, qui Italiam cingunt, & a Germania Galliaque separant, ac vsitate *Alpes* vocantur, *Alpem* nominat, exemplo *Lucani* & *Claudiani*. Huius sunt ista Paneg. 7;

extemplo frondosa fertur ab Alpe.

Illius hæc lib. 3;

Agmine nubiferam capto superenolat Alpem.

Quomodo noster lib. 7 v. 222

Nubifera rupes Alpis transcendere.

Glossarium tamen vetus negat *Alpes* habere numerum singularem. (R.) p. 49

(5) Qui larium lacum procreat, longum stadiis CCC, latum XXX. (Sp.)

(6) Ex hoc fluuio nascitur Virbanus lacus, longus stadiis CCCC, latus minus, quam Benacus. (Sp.)

(7) Leg. *orientes*. Quam correctionem etiam inter Pithœanas postea reperi. (R.) p. 49

(8) Vetustas *Comum*, & *Laudem Pompeiam* vocabat. Receptis igitur vocabulis vtitur: quod magni nominis auctores, præcipue in appellatiuis, non improbandum existimant. *Strabo* scribit, Comum deuastatum a Rhætis: Pompeium Strabonem Magni patrem restituisse, colonis eo deductis. Deinde Scipionem tribus hominum milibus, postremo Cæsarem quingentis militibus auxisse: quos ciuitate donatos *Nouocomenses* appellauit, & oppidum *Nouum Comum*. *Laus* vero *Pompeia* vetus oppidum, teste *Plinio*, a Bois ædificatum est, quo demum extincto, alteram ad tertium lapidem Imper. *Fridericus* Ænobarbus noster, vt Mediolano damna inferret, extruxit: vt libro octauo Poeta cecinit. In qua quidem ædificanda, ingentes sumptus impendit. *Radeuicus* non inscite id opus appellat singulare argumentum liberalitatis Ænobarbicæ. (Sp.)

(9) Lario. (Sp.)

(10) Como & Laude Pompeia, *illa*, sc. Mediolanum. (Sp.)

(11) Epiphonema habens sententiam, vt puto, ex *Marone* translatam. Notus enim est versus summi vatis:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Similis est locus apud *Cornel. Nepotem*: & *Lucanum* lib. 1 v. 248. (R.) p. 49

(12) Hoc est, potentium, qui plurimum possunt vel nocere, vel prodesse. Vnde potentia dicta est idonearum rerum facultas ad sua conseruanda, & alterius obtinenda. (Sp.)

(13) Ad illud Virgilianum videtur allusisse:

Mantua væ miseræ nimium vicina Cremonæ.

Ceterum experimentis obseruatum est, populos a vicinis subuersos. (Sp.)

(14) Hoc quoque hemistichion *Virgilianum* est ex 10 Æneid. (R.) p. 49

(15) Primordia. (Sp.)

(16) Digressio de iure Imperatoris in Italia, tempore *Friderici* Ænobarbi & retro Principum Germanicorum. (R.) p. 49

Ductus ab antiquo priscorum tempore Regum
Mos habet(1), *vt quoties regnator Teutonus Alpem*
190 *Transit, & Italicas inuisere destinat*(2) *oras,*
Qui repetant fisco(3) *fiscalia iura fideles*
Per quascumque suos præmittere debeat vrbes:
At quæcumque ream se perfida fecerit ausis
Sacrilego, Regique suo sua iura negarit,

 Strata

195 *Strata luat meritas fraudato Principe pœnas*(4).
Inde fit, vt fractis deformiter(5) *horrida muris,*
Nunc quoque per totam videas loca plurima terram.
Hoc quoque per cunctas regnator Teutonus vrbes
Non modo Teutonicas(6), *sed & hic & vbique iacentes*
200 *Ius habet: vt præsens, quasi maximus omnia iudex,*
Claudere iure manu(7), *cunctasque recidere lites*
Debeat, atque omnis iudex, omnisque potestas(8),
Atque magistratus ipso præsente quiescant(9).

(1) Nam, vt *Otho* scribit, ab eo die quo imperium rerumque arbitrium in Germanos per diuum *Carolum* Magnum translatum est, vsque ad sua tempora huiusmodi (vt eius vtar verbo) *regni institia sunt obseruata.* (Sp.)

(2) Proponit. *Suetonius* in *Cesare* dictatore. Nam *de ornanda, instruendaque vrbe, item de tuendo, ampliandoque Imperio plura, ac maiora in dies destinabat.* (Sp.)

(3) Hos Iurisconsulti vocant *exactores*: apud quos sæpe legimus de *Fiscalibus debitoribus* & *exactoribus.* Notus item titulus *de iure Fisci*: quod verbum, teste *Ascanio*, a *fiscis* dictum est, id est, sportulis, his verbis: *Sporta, sportula, sportella munerum sunt receptacula. Sacci, sacculi, saccelli crumena ex vellere: & scortea mantica & marsupia. Fisci, fiscina, fiscella spartea sunt vtensilia, ad maioris summa pecunias capiendas.* Vnde, quia maior summa est pecuniæ publicæ quam priuatæ, factum est, vt Fiscus, pro pecunia publica, & inde confiscare dicatur. Differt autem fiscus ab ærario. Ærarium dixerunt pecuniam publicam & Imperii: fiscum vero pecuniam Imperatoris. *Præfectos* autem *ærarii* hodie, vt arbitratur *Budæus*, vocare possumus, quos *Generales Finantiarum* dicunt, qui etiam *Quæstores* vocitari possunt. *Tribunos* vero *ærarios*, quos *Receptores generales* appellant. *Coactores* dicebantur, qui nunc *receptores particulares*, vt apud *Tranquillum* in Vespasiano, & *Ciceronem* pro Cluent. & *coactio argentaria*, pro ipso munere cogendi pecunias. *Eorum* autem *obseruatores*, quos nunc *Contrarotulatores* dicunt, *Antigraphei* dicebantur a Græcis, actaque eorum *Antigrapha*, quasi contra scripta. Nos *Antigrapharios* appellare possumus, & Custodes. (Sp.)

(4) *Plato* omnino miserum ante alios appellat iniuriantem, miseriorem autem si iniuriarum pœnas nunquam luat, minus miserum si luat. (Sp.)

(5) Fœde; vt apud *Suetonium* in C. Caligula cap. 27 *deformatos*, pro *fœdatos*: cum alias sit formare, deformare. Ex annotat. Roterodami in eundem autorem. (Sp.)

(6) Vnde Decuriones, magistratusque rerumpubl. Germaniæ nostræ Regibus & Augustis, vrbes, municipiaque Imperialis iuris ingredientibus, pro portis claues resignant. (Sp.)

(7) Alludit, ni fallor, ad manum regiam, de qua meminit *Pomponius* in lib. 2 de orig. Iur. & ad id, quod Imperator omnia iura in scriniis suis recondita habere dicitur, ex l. 19 C. de test. Quod ad Pontificem Romanum, egregie scilicet, accommodauit *Bonifacius VIII.* Ab *Othone Frisingensi* tamen multum hæc Imperatoris potestas limitatur. Ab hac vocula *manus* hi sunt loquendi modi; *esse in manu alicuius*, i. e. potentia, arbitrio; *manumittere*, pro, e potestate sua &c. *ex manibus dimittere, ex manibus eripere* Plauti, Terentii &c. (R.) p. 49

(8) Iurisconsultis dicuntur *potestates*, magistratus, qui gladii, & necis habent potestatem: quod verbum etiam sub Romanis Cæsaribus, vsurpatum legimus. Refertur etiam ad nostras vires, vt cum dicimus: *fac mihi potestatem dicendi*; & filios dicimus *in patria potestate* esse. Potentia vero ad facultatem magnarum rerum pertinet: vt est Regnum, Principatus, Ducatus. Interpretes autem iuris magistratuum, potestatum, siue dignitatum quatuor faciunt ordines. Vt sint primi *Superillustres*: quæ dictio tamen non sit satis latina, vt *Patricii*, & *Senatores.* Secundi, *Illustres*, vt *Consules*, *Præfectus prætorio.* Tertii, *Spectabiles*, quales Præfectus vrbis, Prætor, Proconsul. Postremi sint *Clarissimi*, sicut Præsides prouinciarum. Sed illos deceptos esse ostendit *Alciatus* capite quarto lib. Dispunctionum tertii. (Sp.)

(9) Velut minus lumen superuentu maioris obscuratur & euanescit. (R.) p. 50

Hunc etiam Regi, priscarum sanctio legum,
205 *Longæuique vigor moris, profitetur honorem,*
Vt cunctos fœtus, quos educat(1) *Itala tellus,*
His modo(2), *quæ poscit terræ cultura, retentis,*
Principis ad nutum fisco præstare colonus
Debeat, in regni sumptus & militis vsum.
210 *Ergo vbi Runcaliæ paucis residente diebus*(3)
Cæsare, fama loquax post tristia nubila clarum
Sidus(4), *& vltorem violati iuris adesse*
Viribus(5) *& populis circumtulit, vndique multi*

Conue-

Conueniunt, properantque suas exponere caussas,
215 *Factaque multorum mæstis efferre querelis*
Impunita diu: quos longo tempore tutos
Fecerat, & scelerum cupidos absentia Regis.
Sic cum post tenebras (6), hibernaque frigora noctis
Igneus Æthiopum montes (7) transcendere Phœbus
220 *Incipit, & nitidos terris ostendere vultus,*
Gaudet & optati gratanter luminis ortum
Suscipit, æquoreis afflicta carina procellis:
Quam neque luna prius, nec cetera sidera fessam
Inter nocturnas poterant seruare tenebras.
225 *Spes nitido cum sole redit, iam temperat arte*
Nauta (8) ratem, clauumque regit, iam tota resedit
Seditio, pelagique fragor cum nocte quieuit.

(1) Nutrit. Tibullus;
Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus. (Sp.)

(2) Ita legendum & distinguendum sine dubio. Vulgo *terra cultura recentis.* Hæc quoque emendatio mihi a *Melchiore Kochio* meo primum indicata, & postea in *Pithoei* quoque editione deprehensa est. (R.) p. 50
Subintelligendum, exceptis, vt ex verbis *Othonis* apparet. (Sp.)

(3) Quinque. (Sp.)

(4) *iunio* elegantissima, quæ supra quoque fuit in argumento huius libri:
Ceu sideris ortu
Illustrata noui plebs Itala gaudet. (R.) p. 50

(5) Perna siue Pithoeus *vrbibus.* Quæ lectio procul dubio verior. Et stabiliri potest meo animo ex v. 182 supra hoc l. Eleganter, *fama loquax circumtulit:* quod alias *distulit*, id est, disseminauit, sparsit, vulgauit. (R.) p. 50

(6) Elegans comparatio. (Sp.)

(7) *Plinius* ad calcem capitis trigesimi secund. libri sexti: *Sita est*, inquit, *Æthiopia, ab Oriente hiberno, ad Occidentem hibernum.* Meridiano cardine siluæ Hebeno maxime virent. Meridiana parte imminens mari mons excelsus, æternis ardet ignibus, *Æonocauma* dictus Græcis. *Solinus* autor est, inter huius montis incendia iugis æstus, Draconum magnam copiam esse. (Sp.)

(8) Nautam καταχρηστικῶς dixit pro *gubernatore* seu *nauclero.* Non enim cuiusuis est nautæ arte ratem temperare, clauumque regere. Notanda est hæc insignis comparatio, & ex antithesi conferenda cum descriptione tempestatis & naufragii, quæ est infra lib. 10 v. 374 & seqq. Vel ex similitudinibus istis, quas vno loco colligam in Indice, & ex orationibus, quas passim huic historiæ inseruit luculentas, elucet summum *Guntheri* ingenium, si alia eius documenta deessent. (R.) p. 50

Commemorare piget, magnisque adscribere rebus
Oppida, seu celsis castella minantia pinnis,
230 *Ob scelerum noxas, regnique vltricis honorem,*
Paucorum adsultu, facilique euersa triumpho.
Inter propositas, multasque, grauesque querelas
Regia Lauda sui, Cuma cum supplice, Regis
Implorabat opem, missisque fidelibus ambæ
235 *Consulibus, patribusque suis, crudelia facta (1)*
Deflebant querulis Ligurinæ vocibus vrbis,
Ærumnasque suas, longæque tyrannidis vsum (2)
Facundo, mæstoque tamen sermone gemebant,
Consulibus Ligurum (3) præsentibus, atque paratis
240 *Excusare suam phaleratis (4) vocibus vrbem.*
Sed quia per fines Ligurum loca summa petenti
Italiæ, restabat iter, differre querelam
Maluit inter eos modicum post tempus agendam,
Finibus in propriis: veluti grauioris vtrimque
245 *Consilii, spatiique simul maioris egentem.*
Vtque viæ gnaros, monstratoresque locorum
Detinuit Ligures: iamiamque redire parantes,
Præuia ferre suis iussit vestigia castris.

(1) De Laudensibus a Mediolanensibus sub *Henrico* Aug. eius nominis, secundum nostros Annales, quinto, victis, & vrbe ipsa capta, *Merula* scribit, quæ sequuntur: *Grauiter in victos sæuitum: muri deiecti: abductus populus, vicatim habitare iubetur: ne*

 scilicet

scilicet congregati, mala seruitutis & iniurias conferendo, aut de recuperanda patria, aut de rebus nouis consilia agitarent. Prohibiti insuper, ne conciliabula, aut mercatus haberent. Sublata inter eos commercia, adempta connubia, nulla concessa concilia: misera profecto seruitus & calamitosa conditio. Inter contrahentes id demum ratum erat, quod is annuisset, qui loco praeerat: quod si quispiam rem suam, preside non auctore, abalienasset, is patrimonio mulctatus, in exilium agebatur. Eadem quoque pœna is affectus erat, qui noctu, aut clam prescriptos fines excessisset, aut quicquam suarum rerum extulisset. (Sp.)

(2) Laudenses sedibus propriis pulsi, huiusmodi seruitutem nouem & quadraginta annos seruiuere. (Sp.)

(3) *Oberto de Otho, & Gerardo Nigro*, quorum prior inter autores Feudorum refertur. (Sp.)

(4) Vt lib. 3 v. 363 *phaleratamandata* &c. (R.)

Verba *phalerata* dicuntur honesta & ornata, vt exponit *Donatus* apud Terentium. (Sp.)

Iamque aderant iuuenes Regi peregrina ferentes
250 *Munera læta nouo, quæ miserat alta triumpho*
Ianua: nuper enim contritis hostibus vrbes
Barbaricas populata suis euerterat armis* (1),
Quæsieratque sibi nomen memorabile facti (2),
Eximia magnam referens cum laude rapinam.
255 *Miserat ergo suæ Regi noua munera prædæ*
Barbaricas vestes (3), *struthiones* (4), *atque leones*,
Psitacon humanis æquantem murmura verbis (5).

* Quod Christi pietatem non colerent. (Sp.)

(1) Nam Genuenses ad expeditionem Hierosolymitanam cum ingenti classe profecti, Tripolim, ac Cæsaream deperditas, ac hostibus ademptas Balduino Regi tradiderunt, ex qua præda catinum pretiosum smaragdinum, ac cineres Ioannis Baptistæ retulerunt. Rursusque hortante *Eugenio III*, cum maxima classe, Armeniam contra Saracenos, qui Christianos infestabant, profecti, ad extremum X milibus hostium captis, aut interfectis, domum redierunt, Vlyxponensi præda onusti. Sed & aliæ diuersis temporibus res ab eis maximæ, terra, marique gestæ commemorantur, quas literis mandauit *Iacobus de Voragine* eorum Præsul, & nuper *Iacobus Bracellus* itidem Genuensis. (Sp.)

(2) Malim, *factis*. (R.)

(3) Quas *Maro* expressit illo versu:

Pictas acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Inde *Barbaricarii*, qui barbaricas vestes intexunt: aliter dicti *Phrygiones*. Horum artis est, ex auro & coloratis filis in vestibus hominum, animaliumque effigies exprimere. (Sp.)

(4) Qui Africis, vel Æthiopicis magnitudine præstant. Æliano *magni*, Plinio *Struthiones cameli* appellantur. Struthio paruus gregalis est, & in proceris arboribus nidificat. Struthio Africus partim quadrupes, non sublime volat, auctor *Aristoteles*: qui leonum duo facit genera, alterum ignauius, alterum generosius. Placabilitas & mansuetudo huius feræ commendata est ab autoribus & variis quidem exemplis. (Sp.)

(5) Statius;

Humana sollers imitator Psitace lingua.

Quod autem humana proferant verba aues, testatur *Philostratus* in prima de Apollonii vita, loquens de auibus his verbis: *Illa enim*, salue, *&* felix sis, *&* Iupiter propitius, *& huiusmodi quadam verba nonnunquam proferunt. Aristoteles* hanc auem feminino genere pronuntiat. Quidam *Plinii* codices habent *Sitacen*. Cui lectioni suffragatur historia Indica, quæ *Arriano* tribuitur, teste *Plantio*. (Sp.)

Tandem castra mouens, Ligurum Fridericus *in oras*
Tendit, & in mediis ponit tentoria campis.
260 *Ast vbi signa viros* (1) *præcedere regia iussos,*
Ductoresque viæ per dura, per arida sese
Ducere, perque locos steriles, & frugis egenos
Comperit, agnouitque dolum, tunc feruidus ira
Exarsit, iussitque suis excedere castris
265 *Damnatos, vrbique suæ sine laude remisit.*
Addidit huic alios iusto fortuna dolori
Irarum stimulos: namque aspera frigora passus
Miles, & hiberni contusus turbine cæli,
Esurie (2) *nimboque simul vexatus egebat.*
270 *Inde furor, feritasque viris* (3), *iramque furenti*

Adiici-

Adiiciunt, stimulosque graues: accessit eodem
Quod quascunque prius bello subuerterat vrbes,
Vrbs eadem Ligurum(4), *ne forte resurgere vellent*
Vrgebat, victasque graui terrore premebat,
275 *Inque sui sceleris consensum flectere mentem*
Principis inuicti (quid enim non impetrat auri
Gratia? (5)) *si posset multa mercede parabat.*

(1) *Obertum & Gerardum.* (Sp.)
(2) Wechelianorum editio male, *esuriit.* (R.)
(3) Iuxta vetus adagium:
Fames, & mora bilem in nasum conciunt. (Sp.)
(4) Paulo prius ostendimus, quo consilio Mediolanenses prohibuerint, ne a se deletæ, aut deuastatæ vrbes reædificarentur. (Sp.)
(5) Quod eo loquente, nihil pollet quæuis oratio, iuxta prouerbium. Vnde ingens Ænobarbi laus cuius animum, cui omnia obediunt, aurum non potuit corrumpere. (Sp.)

Inde locos steriles, ieiunaque rura relinquens,
Haud procul a celsa Rex inuictissimus vrbe
280 *Regia fœcundis posuit tentoria campis,*
Attritasque fame, duroque labore cohortes,
Vberiore cibo, placidaque quiete refouit.
Turribus, & valido longe spectabile muro,
Infida modicum distabat ab vrbe Rosatum (1),
285 *Municipum secura domus, tutique receptus,*
Si quid ab incursu tutum satis esse valeret
Teutonico, regnique minas contemnere posset.
Hoc tunc quingentis in eadem sede relictis,
Hisque bene instructis, victuque, & fortibus armis
290 *Munierant Ligures (sed quæ munimina regni*
Auspiciis obstare queunt?) depulsus ab arce
Cogitur infidam sine sanguine miles in vrbem.
Nec mora direptis quæcumque parauerat hostis
Ipse sibi, flamma munimina tota cremari
295 *Rex iubet, & fractis euerti mœnibus arcem.*
Nec minus e castris audax effusa iuuentus,
Ocius ad muros, & portas vrbis adusque
Irruit: occurrunt hostes, validoque tumultu
Prœlia prima mouent, multos arsura(2) *per annos,*
300 *Nec nisi post longos, indefessosque labores,*
Extremamque loci tandem cessura ruinam.
Hic præter captos, quos nec numerare valemus,
Nec libet, innumeri proprio rediere cruenti,
Sanguine semineces: multi iacuere perempti.
305 *Hoc stupefacta malo plebes*(3), *cladisque futuræ*
Territa primitiis, iam nunc præsentia damnans,
Et ventura timens, Girardi *Consulis ædes*(4),
(Quippe hic præcipuus famosi criminis auctor
Et suasor fuerat(5)) *rapido fremebunda tumultu*
310 *Diruit: hoc iustam violati Principis iram*
Sperabat placare modo: sed inania Princeps,
Et quasi vana ratus, stultæ ostentamina(6) *plebis*
Spreuit, & his alias properans adiungere clades.

(1) Oppidum tunc frequentia populi nobilitatum. (Sp.)
(2) Augustana editio, *ausura.* Quid si, *mansura.* (R.)
(3) Antiquum & *Ennianum* verbum: quo & *Sallustius*, & *Ausonius*, & *Liuius* sæpissime vti gaudent. *Ennii* hi sunt versus memoria digni, quos & *B. Hieronymus* in Epistolis suis laudat:
Plebes in hoc Regi antistat loco: licet
Lacrimare plebi; Regi honeste non licet.
Sic *Ausonius* Idyll. 1. *Noxia quem scelerum plebes tremit.* Idem Mosella: *Lata operum plebes.* Sic *trabes* pro *trabs* est apud *Lucanum* lib. 10, *Crassumque trabes absconderat aurum.* (R.) p. 51
(4) Augustana editio, *edem.* De ædibus pœnæ causa diruendis dicam infra extremo lib. 8, vbi docebo, videri hunc morem apud Medio-

Mediolanenses durasse inde vsque a Romanæ Reip. temporibus. (R.) p. 51

(5) Solet enim plerumque in caput recidere consultoris, quod aliis perperam consuluit, iuxta Senarium prouerbialem: *Malum consilium, consultori pessimum.* Totidem fere verbis inuenitur hæc sententia apud Ecclesiasticum Hebræum autorem, capite vigesimo-septimo: *Facienti nequissimum consilium, super ipsum deuoluetur.* Adi Chiliad. *Erasmi.* (Sp.)

(6) Fictæ significationem voluntatis in Principem, iam rerum successu felicem. (Sp.)

Extemplo rapidas Ticini tendit ad vndas.
315 *Hic fluuius*(1) *gelida venam sortitus ab Alpe,*
Haud procul a pulchra cursu breuiore Papia
Influit Eridanum: quam nomine gurgitis vrbem
Nonnulli vacitare solent, mediusque locorum
Terminus, a Ligurum te parua Nouaria(2) *campis*
320 *Semouet: hic geminos pontes, & pontibus ipsis*
Addiderant Ligures valido munimine turres:
Vt quoties fines vastare Nouaria vellent,
Siue Papia tuos, tuto transcurrere possent
Ac remeare gradu: pontes Rex occupat ambos,
325 *Traductisque suis; munimina lignea, turres*
Concremat, & ruptis distinguit pontibus amnem.
Protinus immani fastu, tria Rector ab illis
Hostili fundata solo castella potenter
Diruit, & miseros longa formidine ciues
330 *Soluit, & ereptos victoribus eripit agros*(3).
Hanc etiam dudum gentili fraude(4) *rebellem*
Princeps Henricus(5) *penitus subuerterat vrbem,*
Tempore mox alio(6), *satiata vindicis ira,*
Iam dominis seruire suis edocta, vetustas(7)
335 *Erexit fatis melioribus vsa ruinas:*
Parua quidem, sed tuta nouo, speciosaque muro,
Et circumducti lato satis aggere valli.
Huius ab antiquo Comitatum(8) *in finibus vrbis*
Solus ab angariis(9) *Italorum pæne solutus,*
340 *Præsidio Ligurum*(10) Guido *Blandratensis*(11) *habebat:*
Qui veluti multas, sic hanc quoque, viribus vsi,
Absorbere suis sperabant faucibus vrbem.

(1) Scilicet *Ticinus*, qui ex Alpibus nascens iuxta oppidum sui nominis, nunc *Papiam* in Padum fluit: quod *Plinius* ait conditum a Leuiis & Maricis, Gallica gente. Arcem in eo excitauit *Ioann. Galeacius* Dux primus, cui forte Ticinum obuenit. Lege *Volaterranum* in descriptione regionis Transpadanæ. (Sp.)

(2) Patria infamis Gazarorum sectæ auctorum, qui inter se more pecudum, vt de Anabaptistis hodie fama est, promiscue coibant, aliaque nefanda perpetrabant. Cumque diu latuissent inter prærupta montium, tandem deprehensi, meritas supplicio dederunt pœnas. *Nouaria* ex Vertacomoris Vocontiorum originem habet *Plinio.* (Sp.)

(3) Nam vt prouerbium habet, *Fortis in fortiorem incidit.* Et sacræ litteræ inquiunt: *Væ qui spolias, quia spoliaberis.* (R.) p. 51

(4) Pro, *genuina perfidia.* (Sp.)

(5) Filius Cæs. *Henrici* Quarti, cuius fecimus superius mentionem. Is a patre in Italiam missus aduersus principem feminam *Mathildim*, cuius Poeta meminit lib. 9, quæ pontificias partes tuebatur, cuius etiam copias haud procul Ferraria deuicit, afflictis post vrbibus, & euersis aliquot oppidis, quæ *Gregorio* Pontifici fauissent. (Sp.)

(6) *Mox*, pro *postea* accipe, vt apud idoneos autores sumitur. Nam secundum cuiusque rei naturam, vel plus, vel minus temporis recipit. (Sp.)

(7) Peccabat hic vulgata librariorum distinctio. Sed iunge, *ruinas vetustas*: non autem, *vetustas erexit*: ne inquam putes vetustatem erexisse, sed vrbs illa erexit seu instaurauit vetustas ruinas. (R.) p. 51

(8) *Ditionem.* (Sp.)

(9) Translatum vocabulum hodie ad quæuis publica & necessaria a popularibus præstanda munera, seu onera ferenda: cum apud veteres vox illa prorsus peregrina, modo regios nuntios, modo militum munera significaret, de quibus *Vegetius* libro secundo. (Sp.)

(10) Potentia & autoritate Mediolanensium. (Sp.)

(11) Plinio *Blanderata* oppidum Subalpinum, quod nunc nomen retinet, *Volaterrano* teste. Vnde fortasse *Blanderatensi* nobili in Italia familiæ genus atque origo est. (Sp.)

Postea

Postea Vercellum(1), *Taurinaque mœnia*(2) *Princeps*
Præterit : vsque Padi qua plus accedit ad ortum,
345 *Contigit oppositam traducto milite ripam.*
Protinus ad pulchræ fines & rura Papiæ
Vertit iter, fidam gaudens inuisere terram.
Vrbs erat(3) *antiquo, quam, nomine, dixerat, Astum,*
Visu habens propriis in finibus oppida lata,
350 *Ac populosa nimis*, Cairam(4) *gens illa vocabat.*
Hæc loca(5) *ferrati* Guilhelmus *Marchio*(5) *montis,*
Debita iura sibi, dignumque negare timorem
Publica Runcaliæ tractante negotia Rege,
Suppliciter conquestus erat, fastumque superbæ
355 *Gentis, & acta gemens : immobilis improba vulgi*(6),
Contemptusque suos : edictaque regia sæpe
Paruipensa ferens, multumque, diuque loquendo
Mouerat ingenuas inuicti Principis iras.
Accedebat ad hoc, sociatum sanguine mixto
360 *Inter vtrumque genus : nam quæ sortita maritum*
Hunc erat, hæc Regem gaudebat habere(7) *nepotem*(8).
Hos igitur populos, longo iam tempore læsa
Maiestate reos, toties, frustraque citatos
Legibus(9, *inuicta iam tandem plectere pœna*
365 *Constituit, rapidoque gradu petit oppida Princeps.*
Territus hoste nouo, sed non correctus, in altos
Exierat populus trepida formidine colles :
Irruit, & gaudens exercitus inuenit omnis(10)
Oppida plena bono, spumantes nectare cellas(11)
370 *Horrea frumentis, oleo spirante*(12) *lagenas.*
Hic paucos egere dies, dum plurima saccis
Infundit frumenta suis, vtresque, cadosque,
Ventrosasque replent oleo, bacchoque lagenas.
Nec mora, direptis potioribus, oppida flammis
375 *Tradunt, & validas euertunt funditus arces*(13).
Inde recedentes, non tantum criminis huius
Terreno sub Rege ream, sed iure superno
Damnatam proprii contemptu Præsulis(14) *Astum,*
Hostili terrore petunt : quæ ciue fugato,
380 *Omni plena bono, victores vbere læto*
Excepit, multisque viris alimenta diebus
Vberiora dedit : tandem spoliata, rogisque
Tradita, peruersi sceleris, geminique reatus
Pertulit immeritam sedes innoxia(15) *pœnam.*

(1) Olim aurifodinis clarum, hodie sede Sabaudiensium Ducum insigne, & Episcopali cathedra. (Sp.)

(2) *Augustam Taurinorum*, nunc *Taurinum*, quod *Plinius* ex antiqua Ligurum stirpe ducit. *Stephanus* Grammaticus, Massiliensium coloniam ait esse, a Tauro appellatam, quo signo adnauigantes eo Massilienses in naui vtebantur. (Sp.)

(3) Scilicet *Asta*, colonia Romanorum, vt *Volaterranus* ait, quæ mutato tantum genere, vocabuli nomen retinet. (Sp.)

(4) Forte est illa, quæ in Subalpinis, ad ripam fere exorientis Padi, *Iria* Ptolemæo dicta est. (Sp.)

(5) Senex ab ætate, quam longam vixit, dictus. Habuit in matrimonio *Iuditham*, filiam diui *Leopoldi* Austrii supradicti, quæ fuit soror patrui Ænobarbi Cæs. Imperat. Aug. *Chunradi*, cum quo *Guilhelmus*, militia clarus, ad Hierosolymitanam expeditionem profectus est. Huius clarissimæ prosapiæ, quæ origine Saxonica erat, finem attulit Marchio *Ioannes*, qui decessit sine liberis M CCC V. Qui successerunt ei, rerumque nunc potiuntur, ex nobilissima apud Græcos gente *Palæologa* genus duxerunt, aucti titulo Vicariatus totius Italiæ, a *Sigismundo* Imperatore. (Sp.)

Æmylius Veronensis mallet dici vulgo, *Feracis* : quando mira est, inquit, eius regionis vbertas. (Sp.)

(6) Cur ita? Annon secundum *Phocylidem*, πολύτροπος ἐστιν ὅμιλος; & vt ait *Sallustius* Iugurth. *vulgus pleruimque solet esse ingenio mobili, seditiosum, atque discordiosum, cupidum nouarum rerum, quieti & otio aduersum*? Est ita. Sed vt Fortuna, *Ouidio* teste:

tantum constans in lenitate sua est,

sic *Guntherus* dicere vult, istud vulgus tantum in sua improbitate esse immobile, cum ceteroqui maxime sit mobile: (R.) p. 51

(7) ἤνχετο ἔχειν. Græcismus, quo & infra vtitur aliquoties. (R.) p. 51

(8) Quia filius Ducis *Friderici*, qui fuit vterinus *Iuditha* modo dictæ. (Sp.)

(9) Id est, *contumaces*. De citatione tribus edictis facta dixi supra ad lib. 1 v 632. (R.) p. 51

(10) Perna siue Pithœus *omni*. Vt mox infra 380, *Omni plena bono*. (R.) p. 51

(11) Ita legendum & distinguendum videtur. (R.)

(12) L. oleo *spirare* lagenas. (B.)

(13) Præcipue quæ imminebant Astensibus: in editissimo sita scopulo, ad quam nisi per angustissimum locum iter patebat, & ob hoc inexpugnabilis esse credita, vt scribit autor appendicis *Annalium Vrspergensium*. (Sp.)

(14) Quia partibus, ni fallor, Ænobarbicis fauebat. (Sp.)

(15) Sic Iuuenalis:

cum quo
Clauditur aduersis innoxia simia fatis.

Res enim vel anima carentes, vel animantes mutæ iniuriam facere, & noxiam contrahere non possunt: vt est in tit: Si quadrup. pauper. fecisse dic. (R.) p. 52

Nec enim locus, sed incolæ deliquerant. Quanquam legimus ipsas quoque vrbes, maxime reorum maiestatis, penitus excisas, nonnunquam ad aratrum damnatas: quod nuper contigit nonnullis oppidis, rusticorum seditioni coniuratis. (Sp.)

385 *Sed quia castrensis crebris assueta rapinis,*
Rixari, ferroque etiam pugnare iuuentus,
Duxerat in morem, prauæque libidinis vsum,
Prouidus hunc tali mitescere lege furorem
Rex iubet(1): vt si quis castrorum ex agmine quenquam
390 *Pulset, & iniustis socium ferus adpetat armis,*
Aut caput, aut dextram tali pro crimine lictor
Amputet, & facinus feriat capitale securis.
Haud mora, Terdonam (Ligurum quæ fœdere prauo,
Consiliis adhibebat opem, scelerique nefando,
395 *Quam Regi vesana suo præstare fauorem*
Maluerat, nec adhuc toties reuocata redibat)
Constituunt raptis petere atque euertere signis.
Hæc etenim fidam regnis inimica Papiam,
Plus quoque quam Ligures, crebro grassata premebat.
400 *Nam licet vrbs Ligurum spatio breuiore locorum*
Diffideat, medius(2) Ticini gurges vtramque
Separat, & geminos intersecat vnda tumultus.
At qua turrigeram spectat Terdona Papiam,
Omnia plana iacent, non hic mons, silua, vel amnis
405 *Qui queat alternos medius cohibere furores.*

(1) Similia interdicta prouocationum & duellorum vide lib. 7 v. 248. intes leges militares *Friderici*. (R.) p. 52

(2) Supple, *tamen*. Præcessit enim, *licet*. (R.)

Proxima magnifici vidit tentoria Regis
Marchia(1), vulgari quæ nomine Busca *vocatur;*
Inde Palatini gaudentem iuris honore(2),
Vnanimumque sibi Chunradum *nomine(3) fratrem,*
410 *Signiferumque suum*, quem Norica misit* Othonem(4)
Terra, virum magnis spectatum sæpe periclis,
Allobrogumque(5) Ducem, cuius sub iure fatigat
Lenis Arar(6), placidas Rhodano(7) quas commodat vndas,
Huic (8) nomen Bertholdus(9) *erat, cum milite multo*
415 *Præcursare iubet, dictæque sagaciter vrbis*
Explorare situm, quid agat, quid cogitet hostis,
Seque secuturum castrorum robore toto,
Subsidioque viris venturum spondet: at illi
Præcelerant, vrbemque petunt: (10) Taneramque rapacem
420 *Transgressi, muros, & portas vrbis adusque*
Discurrunt, oculisque notant, & mente sagaci

Natu-

Naturam, sedemque loci, pensantque laborem,
Signaque dispositis expectant regia castris.

(1) Ditio, cui præest Marchio. *Vadianus* Marchionum, siue, vt germanice dicimus, *Margrafiorum* originem referendam putat in limitum Duces, quos Romani pro tuendis limitibus constituere solebant cum legionum excubiis, aduersum liberas gentes & iugi nescias. Sed fortassis illi a nostris Margrafiis, quemadmodum supra de Comitibus meminimus, sunt appellati. Nec dubium est, quin prius Margrafii fuerint, quam Germania a Romanis cognosceretur, officii consuetudine a ceteris *Grafiis*, id est, *Comitibus* differentes. Hodie non mediocris dignitatis nomen est. Nempe a Rege tertium obtinens locum. (Sp.)

(2) Scilicet *Rheni*, multos enim fuisse Palatinos, abunde Chronographi nostri testantur. A *palatio* dicti, quod ei præfuerint, proximo a Principe tum loco, tum honore. (Sp.)

(3) Quorum gratia, vt ille cecinit, rara est. (Sp.)

Hunc Ænobarbi pater ex posteriore coniuge suscepit, *Agnete*, filia Comitis Zuueinbrugensis, & Saræburgensis: Ipsi vero *Friderico* Aug. mater fuit *Iuditha*, filia *Henrici* Bauariæ, & Saxoniæ Ducis, cognomento *Nigri*. (Sp.)

* Citat. *Auentinus*. (B.)

(4) Hunc quoque *Palatinum* fuisse poeta in Tertio indicat, sed ex Bauaria, de *Vuittelspach* autor est *Otho* Præsul. Credo eum fuisse patrem eius *Othonis*, qui Regem *Philippum*, Principem mansuetissimum, Ænobarbi filium natu minimum, per summum scelus, vt supra dictum est, interfecit. Tota hæc familia ob tyrannidem, vt quæ ab illaudata *Schirensium* Comitum familia descenderit, Scriptoribus temporum execratur, præcipue ab ipso *Othone* Pontifice. (Sp.)

(5) *Burgundionum*, quod Allobrogum loca occupauerint. Non accedo iis, qui nunc eos, vt in primo memini, *Sabaudienses* esse volunt, quos *Taurinos* rectius existimo vocari posse. (Sp.)

(6) Augustana editio, quas *Rheno*. Non recte. (R.)

(7) Quod Rhodano commisceatur incredibili lenitate, *ita vt oculis, in vtram partem fluat, iudicari non possit*, vt scribit *Cæsar*. Clarus ponte ipsius Cæsaris, vno die militum opera fabricato: præterea carmine *Maronis*, *Lucani*, *Tibulli*, & aliorum. (Sp.)

(8) Scilicet Duci Burgundionum, quibus olim Rex imperitabat. (Sp.)

(9) Eiusdem & infra fit mentio lib. 5 v. 308, vbi eius cum *Reinaldo* transactio auctore *Friderico* facta refertur. Fuit autem Dux Zaringiæ siue Zeringensis appellatus: Et ad eum scripsit Papa *Innocentius III* celebrem illam epistolam contra *Philippum*, Sueuiæ Ducem, *Friderici* nostri filium: quæ extat in c. *venerabilem*. 34 extr. de electione & elect. potest. Vbi multa ille de suo iure in electione & examine Imperatoris falso iactat. (R.) p. 52

(10) Plinio *Tanarus* & inter celeberrimos, qui ex Appennino nascuntur, fluuios numeratur, in Padum influens. In hoc auri ramenta esse lecta sua memoria refert *Volateranus*. (Sp.)

Augustana editio, *Tancramque*. (R.)

Ignorauit *Rittershusius*. Vid. *Leandr. Alb.* & *Plin*. (B.)

Tertia lux aderat, totis cum viribus ecce
425 *Bellator* Fridericus(1) *adest, tentoria ripa*
Vlteriore locat: ne protinus agmina iungi
Possent, auctus aquis pluuialibus obstitit amnis.
Ast vbi detumuit fluuius, positoque furore
Cœpit habere vadum, nec dum residentibus vndis,
430 *Protinus euectu validorum*(2) *miles equorum,*
Non tam flumineas transit, quam transnatat vndas,
Cunctaque considunt sociatis agmina castris.
Pontis in abrupti scopuloso vertice sedes
Arcis erat, teretique tumens excreuerat vmbo
435 *Saxeus ille iugo, monti vicinus vtrique,*
Qua sibi confines sunt Appenninus, & Alpes,
Nec solum Terdona(3) *tuos locus ille penates;*
Sed velut e specula Ligures, & plana Papiæ,
Atque alias Italis positas in finibus vrbes,
440 *Ceu capiti subiecta suo, prospectat ab alto*
Membra, nec obsistunt vllæ spectantibus(4) *vmbræ.*

(1) Cæsar ipse Ænobarbus. (Sp.)

(2) Sic recta *Perna*. Alii nullo sensu aut metro, *validiore*. Augustana editio, *validore*, & in correct. *validiore*. Error natus ex notis. (R.) p. 52

(3) Retinet priscum nomen, *Plinio* colonia, referturque inter nobilia oppida Cispadana

dana

dana. Lege *Othonem* Pontificem, qui & situm huius vrbis, quam Appendix *Annalium Vrspergens.* magnam Liguriæ ciuitatem vocat, & simul eius expugnationem scribit luculenter lib. post. hist. secundo. (Sp.)

(4) Forte, *spectantibus*. (R.)

Hic præter validas turres, quibus vndique sedes
Tuta videbatur, rubeo nitidissima muro,
Pro saxo laterem celeberrima turris habebat.
445 *Hanc ibi Tarquinum*(1) *quondam fundasse superbum*
Rumor erat: nomenque loco retinente, superba
Illa vocabatur longo iam tempore turris.
Huic subiecta iugo, valido firmissima muro,
Turribus, & celsis consurgunt mœnia pinnis,
450 *Exornantque suam tectis sublimibus vrbem.*
Hanc secat exiguus saliens e monte propinquo,
Sed faciles iras(2) *modico sumpturus ab imbre,*
Gurges, & in geminas seiungit mœnia partes.

(1) Leg. *Tarquinium. Virgilius* Æneid. 8. *Nec non Tarquinium eiectum, &c.* (R.) p. 52

Septimus hic Romanorum Rex, & vltimus fuit, expulsus a Bruto & aliis: quum ob multas acceptas antea iniurias, tum ob recens Sexti eius filii facinus in Lucretiam. Lege *Seruium* sexto Æneid. super illud, *Vltoris Bruti*, quo loco docet, vnde *superbus* dictus est. De eo quoque plura *Ouidius* secundo Fastorum. (Sp.)

(2) Id est, *Facilem inundationem*; per Translationem. (Sp.)

Prima dies magnis momenta potentia cœptis
455 *Addidit*(1), *& dubiis depressit pondera fati.*
Ipsa namque die primo expugnata labore,
Hostibus afflictis, cessere suburbia nostris,
Et sese tutam populus reuocauit in arcem
Densior, augustam(2) *muniret vt vndique sedem.*
460 *Hic præter ciues & signa domestica, multi*
Intererant Ligures, paucis quos ante diebus
Vrbs Ligurum tantæ communis caussa ruinæ,
Vana laboranti solatia(3) *miserat vrbi*
Præterea multis stipatus Apicius(4) *armis,*
465 *Addiderat socium rebus se sponte supremis*
Marchio: quem propter mores, ni fallor, acerbos,
Spinam fama malam vero satis ore vocabat,
Quod contra mores & legum scita rebellis.
Nam quid in humanis reperitur acerbius actis,
470 *Sæuitia stimulare*(5) *pium, & compugnere*(5) *Regem?*
Viribus his, validoque loci munimine freti
Infausti ciues, nec mœnia dedere, nec se
Post mala tanta suo dignantur subdere Regi:
Perstat in incepto stolidus furor(6), *inque ruinam*
475 *Tendit, & ad certam properat gens perdita*(7) *cladem.*

(1) Initia in bellis magnum momentum faciunt in vtramque partem, pro vt sese dederint. Bella enim stant fama, vt ait *Q. Curtius.* (R.) p. 52

(2) Pithœus, *angustam.* (R.)

(3) Præsidia. (Sp.)

(4) Apage hinc *Apicium*, qui a gula nominis celebritatem adeptus est. Placet enim valde emendatio *Iac. Cuiacii*, qui *Guntherum* iuxta cum *Hotomano*, cuius tamen aliarum rerum ferme omnium æmulus atque aduersarius erat, fecit plurimi. Is ergo *Cuiacius* libr. 5. Feud. in commentar. ad constitutionem *Friderici* de pace Constantiæ, legendum hic docet *Opitius*: cum & Otho Frisingensis lib. 2 histor. Ænobarbicæ c. 16 sic scribat: *Marchio* Opitius, *cognomento* Malaspina. Imperator tamen *Opizonem* vocat in d. constit. de pace Constant. vbi gratiam ei facit istius rebellionis, de qua hic fit mentio. Et ita recte *Pithœus* apud Pernam edidit. (R.) p. 52

(5) His verbis ad nomen *Spina* alludit. (R.)

(6) Sæpe numero homines fatali errore vel potius furore in propriam ruunt perniciem, & volentes pereunt. Quam in sententiam extant versus elegantes & graues apud Lycurgum Orat. contra Leocraten, Latine redditi a *Phil. Melanchthone*, quos cum omnibus

omnibus noti sunt, hic parco adscribere: vt & *Lucani* versus. Sic *Velleius Paterculus* lib. 2; *Quippe ita se res habet, vt plerumque cui fortunam mutaturus est Deus, consilia corrumpat, efficiatque (quod miserrimum est) vt quod accidit, etiam merito accidisse videatur, & casus in culpam transeat.* Sic & *Ammianus Marcellinus* lib. 14; *Solent manum iniectantibus fatis hebetari sensus hominum & obtundi.* Idem libr. 17; *In* Tagetis Tusci *libris legitur, Veionis fulmine mox tangendos adeo hebetari, vt nec tonitrum, nec maiores aliquos possint audire fragores.* Eodem saepe allusit *Q. Smyrnaeus*: vt lib. 1; λυγραὶ δέ μιν ὠτρύνεσκον κῆρες, &c. Et postea eod. lib. ἢ σεῦ πευθομένης μάκαρες. Φρένας ἐξείλοντο καὶ νόον, ὄφρα σε κῆρες ἀμείλιχοι ἀμφιχέωνται. Et lib. vlt. παρήπαφε γὰρ νόον ἀνδρῶν αἶσα κακή. Et lib. 12; κῆρες γὰρ πάντων νόον ἔκβαλον. (R.) p. 53

(7) Id est, *damnata*. Sic vice versa *damnatus* pro *perdito* inf. v. 488. Quid quod *Plautus* quoque his verbis promiscue vtitur? vt cum ait, *capitis aliquem perdere*, pro *damnare*. (R.) p. 53

Tunc vero vt iustam(1) *sese collegit in iram*
Regia nobilitas, & tandem saeua coactus
Venit in arma furor, non iam seruare laborat
Ingratos, veniamue vltra spernentibus offert:
480 *Iam toties reuocasse pudet, monituque salubri*
Inuitasse reos ad dulcia foedera ciues.
Vt leo(2), *qui dudum placido mansueuerat vsu,*
Exueratque(3) *feros longo iam tempore mores,*
(4)*Si quis eum iaculis, vel nudo cominus ense*
485 *Praeditus*(5) *irritet, generosi pectoris iram*
Dissimulat, reprimitque diu, spernitque minori
Tingere caede genas, & vili sanguine pasci:
At si perstiterit damnatus, & improbus hostis,
Addideritque minas, tunc se stimulante flagello(6)
490 *Incitat, ac miserum violento pectoris ictu*
Inuolat, & laceros frangit crudeliter artus:
Sic suppressa diu generosi Principis ira
Exarsit, rapuitque nouum mens alta furorem:
Vtque satis certo plebs nouerit improba signo,
495 *Quam sperare suis mercedem debeat ausis,*
Protinus ante fores miserorum certa reorum
Attolli tormenta, cruces, cernentibus ipsis
Imperat: ac nec quis sese subducere cladi
Cautus, & elapsu trepido discedere possit,
500 *Vndique conclusos Princeps hoc ordine cingit.*
Qua zephyrus clausam geminis prohibentibus arcem
Montibus, a tergo lasso spiramine tangit,
Regia signa nitent, & clausis hostibus omnes
Aggressus(7) *aditusque negant: qua pinniger austros*
505 *Excipit, atque notis obsibilat Appenninus,*
Saxonas indomitos, & Norica castra superbus
Asperat Henricus(8), *perituraque moenia terret,*
At qua plana iacent, & liber transitus euro
Accessusque patet, popularia signa, suasque
510 *Pulchra Papia locat numeroso milite vires.*
Protinus ingenti muralia pondere Princeps
Attolli tormenta iubet, quae grandia saxa
Incutiant validis agitato verbere muris.
Quippe superueniens hostiles machina turres
515 *Despiciat, missis & desuper implicet*(9) *hastis,*
Quae leuibus subiecta rotis, aut fraude latenti
Suffodiat validos, aut pulset turbine muros.
Tunc iaculis strident aurae, leuibusque sagittis
Sibilat excussum balistae turbine telum,
520 *Fundaque fatifero tenerum secat aera plumbo*(10):
Nec minus infausti summis e turribus hostes

Grandia saxa rotant, ferrum iaculantur, & ignes,
Adiiciuntque animos, seque exhortantur in arma(11).
Vrget quippe metus(12), *faciuntque pericula fortes*(13).
525 *Sæpe etiam propriis confisi viribus, vltro*
Prosiliunt, turbantque viros, celerique relapsu
Euadunt, iterumque suam referuntur in arcem.
Non impune quidem: nam præter multa suorum
Funera, quæ mæsta clam seruabantur in arce
530 *Multi dum refugo repetunt pede mœnia, capti,*
Appensique cruci(14), *miseranda sorte peribant.*

(1) Iniuria enim læsus erat: quod solet generare libidinem puniendi. (Sp.)

(2) Similitudo. (Sp.)

Comparationem hanc illustrem expressisse videtur ex illo Salomonis: *Ira regis, ira leonis.* (R.) p. 53

(3) Ita restitui, cum antea in O. l. legeretur, *exueritque.* Præcessit autem, *mansueuerat*, cui hoc verbum in modo respondere certe oportet. Contrario modo erratum erat infra lib. 3 v. 70, vbi legebatur, *verterat*, cum sit verum, *verterit.* (R.) p. 53

(4) In hoc & sequente versu tam lectio, quam distinctio peccabat, sensumque vitiabat. Pro, *enim*, legebatur, *cum.* Deinde perperam iungebantur hæc: *irritet generosi pectoris iram*: cum sint iungenda: *Iram dissimulat reprimitque.* Sed κακοςιγμὰς infinitas ex hoc opere sustuli, quas non semper necesse est indicari, cum a quouis attento lectore facile deprehendantur. Augustana editio quam postea vidi, quo ad distinctionem post, *irritet*: mecum facit. (R.) p. 53 seq.

(5) Probo coniecturam *Pithœi*, legentis, *Perditus.* (R.)

(6) De hoc iram colligentis leonis more videndus & *Plinius* lib. 8 c. 16, & *Lucanus* lib. 1;

Mox vbi se sæua stimulauit verbere caudæ, &c.

Plinii hac de re verba sunt ista: *Leonum animi index cauda.* Et mox: *In principio terra verberatur: incremento terga ceu quodam incitamento flagellantur.* Adde & *Catullum* Galliambo: *Age, cæde terga cauda; tua verbera patere.* Sic ibi Cybele leonem exhortatur. (R.) p. 54

(7) ἐκ παραλλήλου hæc duo nomina iunguntur, ne quis τὸ *aggressus* pro participio habeat. (R.) p. 54

L. *regressus.* B.

(8 Idem, qui & *Leo* ab aliis cognominatus: qui si tam paterna sorte, qua maiorem inter Duces, vt *Irenicus* ait, sol in Germania, nunquam produxit, nec vidit, contentus vixisset, quam vsque appetens alieni fuit, vt *Cranzius* tradidit, minime Italico corruptus auro defecisset ab Ænobarbo. Quæ res tandem ei summum attulit exitium. Memorabili enim mox ille exemplo, binis in vno mense Princeps potentissimus exutus est Ducatibus. Chronographi nostri insignem, & mirum quendam huius *Henrici* contemptum in Ænobarbum memorant: quem tamen *Cranzius* intra modestiæ fines conclusit. (Sp.)

(9) Malim, *impleat*, ut infra. (R.)

(10) De vehementia & impetu fundæ eiaculantis glandes plumbeas vsque ad liquefactionem, vide quæ notabo infra, lib. 10 v. 354 (R.) p. 54

(11) Significat militaria celeusmata, quæ vocantur, vt infra. (R.) p. 54

(12) Scilicet conscientiæ. Sicut enim, teste Pontifice *Frisingensi*, magna est miseris tyrannicæ obuiantibus immanitati consolatio, conscientiæ spes: sic e conuerso tali Principi, qui non solum legitimus iudex, sed & primus præsul dici potest, reluctari conantibus, miseriæ miseriam cumulat, contra conscientiam debitæ sententiæ metus. (Sp.)

(13) Nulla enim, vt nobilis historiographus ait, promptiorem bello militem reddit, quam necessitas prœliandi ex prærupto periculorum. (Sp.)

(14) I. e. *patibulo.* (Sp.)

I. e. *furca.* Sic lib. 9 v. 559 *appensum ligno*, dicit. Augustana editio, *aspensique* (R.) p. 54

Nec reticere libet triste, ac memorabile quiddam
Ignotumque prius: rapido nam turbine saxum
Inflictum muris, violento frangitur ictu,
535 *Tresque sui partes faciens, tria corpora sæuo*
Dat iuuenum letho, dum starent agmine denso
Et media summis agerent de rebus in arce.
At Rex eximius, tandem pietate remota,
Adiectisque minis, socios hortatur, & addit
540 *Ipse suis animos: oppugnat, & adsilit hostes*(1).
Sæpe leui iaculo validam celerique sagitta
Excitat ipse manum, tormentaque bellica præsens(2)
Instruit, & certos in mœnia dirigit ictus,

Et

Et nihil infectum fieri quod postulat vsus,
545 *Neglectumve sinit: multumque & vbique iubendo,*
Pugnandoque manu, perfecti militis vsum,
Officiumque simul discreti Principis implet(3).

(1) Oppugnare quidem eminus potuit. At (inquit *Schoppius*) quomodo hostes adsilire potuit, qui vrbe clausi? Fort. legendum, *adlicit*, id est, ad pugnandum irritat & prouocat. Sed nec hoc ipsi satisfacit. (R.) p. 54

(2) Eidem *Schoppio* melius videtur *prases*. (R.) p. 54

(3) Similem locum vide lib. 4 v. 288 & seqq. Sic de *Catilina* Sallustius; *Multum ipse pugnare: sæpe hostem ferire: strenui militis & boni Imperatoris officia simul exequebatur.* Sic de *Alexandro Magno* Q. Curtius: de aliis alii scribunt. Sed tamen corporis munus a milite; ab Imperatore vero animi poscitur: vt ex Xenophontis sententia scribit *Ammianus Marcellinus* lib. 25. Nec temere prœlio interesse Imperator debet. (R.) p. 54 seq.

Fons erat ex illa qua mœnia parte Papiam
Respiciunt, vnus turbæ castrensis in vsum
550 *Sufficiens, dum liber erat, nunc æmulus hostis*
Adseruat laticis, inimicaque signa Papiæ
Infaustos propriis arcent a fontibus hostes.
Vnde fit, vt duros pugnandi ferre labores
Iugiter, & rigidis versari semper in armis
555 *Cogat eos sitiens, & ob hoc animosa iuuentus,*
Fundere dum proprium vetito pro fonte cruorem(1),
Sanguinis & fluuio permixtas sumere lymphas
Non timet, atque animos eadem, quæ corpora frangit,
Auget acerba sitis: nulla est audacia maior(2),
560 *Quam cui materiem naturæ præbet egestas,*
Vt sitis atque fames; sitiens mala nulla timere,
Esuriensue potest; miseræ violentia pestis(3)
Cogit abesse metum: dum plus præsentia torquent,
Quam ventura mouent; vidit discrimina summa
565 *Et totum Princeps hac vergere parte laborem.*
Præsidioque viris Ferrati Marchio montis
Additur: vt socios iuncto discrimine casus
Excipiat, seruetque lacus, & terreat hostes.
Præterea sordes, & quæque nocentia fonti
570 *Iniiciunt, purasque ipsis cernentibus vndas*
Morticinis(4), *turpique audent corrumpere tabo:*
Et delibutas immergunt sulfure tædas:
Vt sapor ingenuus gustu violetur amaro,
Nec minus has cupide sitiens, & egena liquoris
575 *Appetit, & certa pugnat pro morte iuuentus*(5),
Permutans olidas effuso sanguine lymphas.
Nam qui per mediam manabat riuulus vrbem,
Mole ruinarum saxis, & puluere multo
Hostibus exiguas vltro(6) *turbantibus vndas,*
580 *Gurgite limoso sordens ac putridus ibat.*

(1) Distinguebatur hic male, sic, quasi iungenda forent, *cruorem sanguinis*. Vt taceam, quod ita nemo sanus loquitur, quorsum pertinuisset τὸ *fluuio*? At *sanguinis fluuius* elegante hyperbole dicitur. (R.) p. 55

(2) Locus communis de fame imperiosa & indomita: ad quem vide, quæ notaui in Comment. *Oppiani*. (R.) p. 55

(3) Scilicet egestatis: quæ testimonio Homerici Vlyssis, non sinit vnquam quempiam obliuisci sui, mortalesque ad omnia, tum facienda, tum ferenda solet compellere. (Sp.)

(4) Quod vitam amittit absque effusione sanguinis, *Morticinum* est diuo *Hieronymo*, quo vesci Christianis fas non est. Id ab Apostolis, eodem autore, *suffocatum* dicitur. (Sp.)

(5) I. e. pro aqua letifera, certo mortem allatura, ob infectionem seu venenationem. (R.) p. 55

(6) F. *vltra*, i. e. *insuper*. (R.)

Nec mihi cuiusdam virtus reticenda videtur,
Seu magis incautæ præceps vesania mentis.

Strator(1)*erat de plebe quidam, neque nomine multum*
Vulgato, modica in castris mercede merebat:
585 *Hic velut iratus bello, longasque perosus,*
Indignansque moras, & ob hoc crudelior hosti,
Dum grauis adsultus, solitoque ferocior arcem
Vrget, & hinc illinc hibernæ grandinis instar
Saxa, faces, & tela volant, neque casside clausus
590 *Tempora, nec chalybum munitus pectora textu,*
Vix gladio, clypeoque leui protectus, in altum
Nititur adcensu collem, quo regia turris
Tarquini fundata nitet, paruaque securi,
Quam genus hoc hominum seruiles gestat in vsus,
595 *Subnexam sellæ, vestigia cedit in alta*
Rupe sibi, sociis reuocantibus, hostibus autem
Attonitis, & stulta viri mirantibus ausa.
Non illum lapides, non illum ferreus imber(2)
Telorum, non quæ violento turbine turrim
600 *Saxa petunt, reuocare valent: interque suorum*
Clamorem, hostilesque minas, euadit ad arcem,
Protinus armato cuidam congressus inermis,
Fortior ad terram scopulo deturbat ab alto
Præcipite, versoque gradu, vestigia victor
605 *Fortuna comitante refert, & corpore toto*
Integer(3), *ad socios & regia signa reuersus,*
Se pariter castris & tuta(4)*mente recepit*(5)
Mirans ipse suum reuocato pectore factum.
Cui Rex ob facinus præclarum, præmia laudis.
610 *Digna referre volens, titulos, & nomen equestre*(6),
Armaque, cornipedesque feros(7), *cultusque nitentes*
Largiturus erat: puduit consurgere tantum(8)
Plebeium, generisque sui transcendere fines,
Et sub fortuna potius remanere priori
615 *Credidit, acceptis largis a Principe donis.*

(1) Vid. *Iuretus* ad Symmach. *Spiegel* ex *Vegetio.* (B.)

Hoc verbo vsus est & *Otho* Pontifex. *Stratores* autem dicebantur milites, qui castra præibant, vt loca accommodatiora ad traducendum exercitum facerent, de quibus *Vegetius* libro secundo. (Sp.)

(2) Sic lib. 9 v. 353 *Vndique tela pluunt.* Sic *ferreus imber* elegantissime dictus est ab *Ennio*, hoc versu:

Hastati spargunt hastas: fit ferreus imber.

Quem imitatus *Virgilius* 12. Æn. hæc fecit:

It toto turbida cælo
Tempestas telorum, & ferreus ingruit imber.

Idem *Virgilius* alibi *telorum copiam* cum *nimbus* comparat, Æneid. 11.

Fundunt simul vndique tela
Crebra nimis ritu.

Sic *Latinus Pacatus Drepanius* Panegyr. *Effusis hinc inde sagittarum nimbis.* Aureos autem imbres *Corippus* Poeta inprimis elegans vocat *missilia aurea.* (R.) p. 55

(3) Pro, *illæsus.*

(4) L. *tota.* Ouidius; *& nondum me tota mente recepi.* (B.)

(5) Quasi dicat; cum prius laborasset vesania & alienatione mentis, iam ad se rediit: iam pectus reuocauit, vt *Guntherus* loquitur, eo respiciens, quod heroici motus atque impetus hominem, quem arripuerunt, quasi extra sese in ecstasin quandam rapiunt. *Pflugius* tamen legendum censebat: *tota mente*, id est, integra: vt *Liuius* initio procemii sui *totam mentem* vocat eam, quæ a perturbationibus & sollicitudinibus libera est. Quomodo & alii vtuntur. (R.) p. 55

(6) Militarem ordinem. (Sp.)

(7) Olim erant militaria dona, torques, armillæ, hastæ puræ, phaleræ, & coronæ: qualibus Sicinium Dentatum ob fortitudinem fuisse donatum, *Plinius* cap. 5 lib. 22, & cap. 11 secundi *Gellius* tradiderunt. (Sp.)

(8) Videtur tam verbo, *consurgere*, iungi posse, quam cum seq. *plebeium*. *Pflugius* malebat, *in altum* pro *tantum.* (R.) p. 56

At Rex ignauo cœptum procedere tractu,
Ægra mente ferens, properabat quippe coronam(1)
Atque monarchiam totius sumere mundi(2),

Omnia quæ lentum valeant impellere bellum,
620 *Et tardas celerare moras, sub corde sagaci*
Ventilat: ingenuo videt vndique mœnia firma
Robore, natiuoque loci munimine tuta.
Vna parte tamen, stabat qua regia turris,
Quod natura minus dederat supplesse labore,
625 *Artificumque*(3) *manu: tandem memorabile quiddam,*
Egregium dictu, sed non satis vtile, menti
Incidit, vt solidæ fodiendo viscera terræ(4),
Ima cauans, ductis ad fundamenta cauernis,
Ipsam inclinato turrim subuertere muro
630 *Apparet, & subito referet sibi mœnia lapsu.*
Hanc Regis curam versutus præuenit hostis,
Atque artem(5) *sollers opponere cogitat arti*(6).

(1) Qua non autoritas, vt tradunt, qui Romano Pontifici fœde adulantur, sed collata iam per electionem significatur. Alioqui, vt vere piorum quidam scripsit, tantam septem tonsores, aut lippi possent Romanorum Regi autoritatem tribuere. Mire abusi sunt Romani Episcopi quorundam retro Principum in se reuerentia. Quam rem latissime prosequitur *Defensor pacis* cap. 25 secundæ dictionis. (Sp.)

(2) Sic loquebantur Germani de suo Rege. Vid. lib. 6, 224. (B.)

Bartolus interpretans l. *Hostes* ff. *de capt. & postlim. reuer.* & *Baldus* enarrans § *Sed si ab hostibus* Instit. *Quibus modis ius patr. pot. solu.* docent, si quis negaret Imperatorem vniuersalem Dominum & Monarcham, hæreticum esse. Verum *Ludouicus Viues*, Hispanorum ille eruditissimus, asserit, stultum esse, quod Imperator Romanus dicatur habere ius in totum terrarum orbem, cuius nunquam fuerit dominus: nec in ea quidem ius habere, quorum aliquando fuerit dominus, & iam amiserit: quoniam quo iure quæsierat, eodem perdidit, strage scilicet hominum, & bellicis furiis: in culpaque esse ait, impiam & indoctam Iurisconsultorum argutationem, accendique Principes istis fictitiis titulis, qui aliud nihil sunt, quam faces orbis terrarum, pestisque totius generis humani. (Sp.)

An Romanum Imperium sit quarta & vltima mundi monarchia, grauis est controuersia, mota a *Iohanne Bodino* Gallo contra communem ac receptam ex litteris sacris opinionem: quam contra ipsum defendendam suscepit *Matthæus Dresserus*, a *Bodino* per contemptum *homo de schola* appellatus. (R.) p. 56

(3) L. *Artificumque*. (B.)

(4) Describit cuniculos. Et *viscera terræ* vsurpat, exemplo Ouidii, interiores eius partes, quæ sunt Græcis ἔντερα: sicut in animali eæ partes sunt abditæ & profundæ. (R.) p. 56

(5) Id est, *dolum*. (Sp.)

(6) Iuxta prouerbium, quod *Terentius* in Andria vsurpauit: *Fallacia alia aliam trudit*. (Sp.)

Ergo vbi visceribus sese telluris opacæ
Regius immersit secreto limite fossor,
635 *Protinus occurrens*(1) *patulæ scrobis hostis hiatu*
Deprensos tellure viros, redituque negato
Attonitos, medio suffocat in aggere fossæ.
Sic miseros proprium sibimet fodisse sepulchrum
Pœnituit, clausosque cauo telluris hiatu
640 *Vlterior*(2) *cælo non reddidit atra vorago.*
Nec minus iratos alio quoque crimine vultus,
Fortuitos omnes solito contemnere casus,
Ausa fuit fortuna procax ostendere Regi.

(1) Simile quiddam in obsidio Viennæ Austriæ a Christianis aduersus Turcas cuniculos agentes factum memoratur. (R.) p. 56

(2) *Schoppio* placebat rescribi, *vlterius*. (R.)

Haud procul eiusdem distans a finibus vrbis
645 *Fulgebat Ligurum longe spectabile castrum*(1),
Hoc expugnandi dudum Fridericus *amorem*
Pectore conceptum perducere tentat in actum.
Protinus in castris scalas, & cetera, per quæ
Hostibus ignaris conscendi mœnia possunt,

650 *Extruit: hæc in se fabricata putantibus illis,*
Oppida qui seruant, atque admirantibus vsum,
Haud mora, delectos ex ordine Rector equestri
Ductori Allobrogum, præstanti corpore fortes,
Atque Palatino iuuenes committit Othoni.
655 *Atque illuc iubet ire viros, quo tempore, luci*
Extremæ gelidas miscet nox prima tenebras (2).
Paret, & ad tutam miles duce fretus vtroque(3)
Tendit iter sedem, cunctisque sopore solutis,
Ablatis furtim scalis(4), *fastigia muri*
660 *Summa petunt: ac ni temere clamore coorto,*
Indicium facti iuuenes properantius æquo
Fecissent, erepta breui castrensibus hora,
Et pulchro sublata dolo(5) *castella fuissent.*
Armorum strepitu, & subito clamore citatum
665 *Prosilit e stratis vulgus castrense, fugamque*
Arripit: at postquam trepidis audacia maior
Affuit, & sumptis virtus incanduit armis,
Bella mouet, hostemque suis iam pæne potitum
Mœnibus excutiunt, capto(6) *muroque repellunt.*

(1) *Castrum* numero singulari, locus est muris munitus: dictum a *casa*, quod sit coniunctio quædam casarum. Hinc *Castellum* per diminutionem, viculus muris circumdatus. (Sp.)

(2) Signat vel id tempus, quod dicimus luminibus accensis: antiqui *prima face* dicebant, teste *Censorino*: vel *primam vigiliam*, quoniam nox ex instituto militari in quatuor vigilias diuidebatur. (Sp.)

(3) Sic restitui, cum legeretur, *vterque*. Nam quis est miles *vterque*? At *vtroque*, id est, & *Othone* Com. Pal. & *Duce Allobrogum*. (R.) p. 56

(4) Ego vero, vt muri fastigia conscendi possint, *adlatis*, non *ablatis* scalis opus esse iudico. Ita ergo restituendum. Voluit exprimere Germanicum illud: *Die Leiter anlehnen*. (R.) p. 56

(5) Alludit ad dolum bonum, qui a Iurisconsultis vocatur, estque positus in solertia strategematum. Sic apud *Quintum Smyrnæum* 12. Paralipomen. Vlixes ὑπεθήκατ' ἀχαιοῖς μῆτιν καὶ δόλον ἐσθλόν. Sic ἀπάτην δικαίαν dixit *Æschylus*. (R.) p. 56

(6) F. *castro* muroque repellunt. *Schoppius*. (R.) p. 56

Schoppius apud Rittershusium, *castro* leg. *capto*. (B.)

ARGVMENTVM LIBRI TERTII.

Tertius obsessam tradit victoribus vrbem(a),
Ciuibus expulsis vastantur mœnia flammis.
Victori meritos deuota Papia triumphos
Exhibet, hinc Tuscas tendit Fridericus *in oras*
Munera portantes Pisanos laudat, eisque
Imperat in Siculum validas armare carinas.
Occurrit Præsul Romanus, & impia plebis
Acta sua queritur, periitque procax Arenoldus.
Vrbem(b) *ingressuro patriæ mandata diserti*
Inuidiosa ferunt, responsaque dura reportant.

(a) *Tendonam* scilicet. At mox v. 9

(b) *Vrbis* appellatione intelligenda est *Roma*, quæ per eminentiam sic dici solet. (R.)

LIBER

LIBER III

(1) *IAmque dies aderat, qua Christus mystica cœnæ*
Discipulis statuens conuiuia, corporis esu
Ipse sui, potuque sacri satiare cruoris,
Post agni carnes, priscæ libamina legis,
5 *Nos voluit, veram panis, laticisque(2) figuram*
Prætendens oculis, sed certe(3) pabula vitæ
Sensibus(4) infundens, cum iam cessante vetusti
More sacri(5), noua iura nouus(6) statuisse secerdos
Creditur altaris(7), quæ tradita primitus vno,
10 *Ac suscepta modo, tenet ecclesiasticus ordo.*

(1) Elegans descriptio diei, quæ *magna quinta Feria* ab Ecclesiasticis scriptoribus vocatur. (Sp.)

(2) I. e. *Vini*, quod omnis humor dicitur latex. (Sp.)

(3) Malim, *certa*. (R.)

(4) Scilicet interioribus. Nam & sensum rectissime dici de iis, quæ animo ac mente sentiuntur, autor est diuus *Augustinus* lib. 11 de Ciuit. Dei. (Sp.)

(5) Id est, *sacrificii visibilis*, nempe trucidati pecoris: quod inuisibilis sacrificii sacramentum, id est, sacrum signum esse interpretatur idem *Augustinus* cap. 5 libri decimi operis modo citati. (Sp.)

(6) Quia non ex ordine Aaron, sed Melchisedech: qui semel tantum ingressus in sancta, pacem Dei vnica hostia corpore suo immolato inuenit. (Sp.)

(7) Quod unum est in ecclesia, sicut vna fides, & vnus Christus: qui creditur his verbis: *Hoc est corpus meum*, consecrasse panem, hoc est, instituisse sacramentum synaxeos. (Sp.)

Sic & sancti Patres tam Græci, quam latini de Eucharistia loquentes passim dixerunt *Aram*, *Altare*, *Θυσιαστήριον*: ipsamque Eucharistiam nunc *oblationem*, nunc *sacrificium*, nunc *hostiam*: quæ appellatio adhuc hodie hæret in pane consecrato, etiam inter idiotas. Sed ad differentiam sacrificiorum & victimarum seu hostiarum veteris fœderis hoc appellarunt *Incruentum sacrificium*: Græci *ἀναίμακτον θυσίαν*: non quo voluerint Laicos vsu calicis prohibere, & communicatione sanguinis Dominici arcere: [hoc enim grande sacrilegium vocat ipse Papa *Gelasius* in c. 12 comperimus, de consecrat. dist. 2. vbi vult, aut integra quemque Sacramenta percipere, aut ab integris arceri debere: qui textus cum sit generalis, nequaquam (si verum amamus) ad solos Sacerdotes eum restringere poterimus, quod facit auctor rubricæ seu summæ. Neque enim nigrum per rubrum restringi, sed hoc secundum illud intelligi debet, vt cum vulgo Topicorum legalium loquar.] Sed ideo, vt dicebam, ne quis putet, hic sanguinem effundi, vt in priscarum victimarum mactatione: vel etiam opposuerunt hanc appellationem criminationibus & calumniis Paganorum, de quibus ex *Tertulliano*, aliisque constat, quod Christianos infandæ cuiusdam *αἱματοποσίας* insimularint. Vt autem hic & de tempore Cœnæ Dominicæ sumendæ, aliisque circa eandem priscis ritibus ac sollennibus aliquid *ὡς ἐν παρόδῳ* adspergamus, primitiuæ Ecclesiæ homines cotidie ea vtebantur. * Testis est Cyprianus in Exposit. Orationis dominicæ*. Vnde *θυσία καθημερινὴ*, id est, *cotidiana hostia* apud *Chrysostomum* dicitur homilia 3 ad Ephes. *Quotidie iteratur hæc oblatio, & quotidie Christus pro nobis mystice immolatur*: inquit *Paschasius*, & *B. Augustinus* in c. 71 & seq. de consecr. dist. 2. Et in Sententiis *Prosperi*: *Christus semel immolatus in semetipso, quotidie immolatur in Sacramento*. cap. 52 semel ead. dist. De consecrat. B. *Ambrosius* in c. 10 ad Hebr. *Nonne* (inquit) *per singulos dies offerimus?* c. 53. ead. dist. 2. Eodem libens retulerim *Plinii* de Christianis testimonium lib. 10 Epistolarum ad Traianum Imperatorem, vbi scribit, solitos esse stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum inuicem, seque Sacramento obstringere, &c. Quamquam ibi Sacramenti verbum & de iureiurando simpliciter accipi possit: & status ille dies fortasse sit *ἡ Κυριακὴ ἡμέρα*, id est, Dies Dominica: de qua placet adscribere locum ex Epist. 3 *B. Ignatii*, viri Apostolico spiritu pleni. *Καὶ μετὰ τὸ σαββατίσαι ἑορταζέτω πᾶς φιλόχριστος τὴν Κυριακὴν, τὴν ἀναστάσιμον, τὴν βασιλίδα, τὴν ὕπατον πασῶν τῶν ἡμερῶν. ἐν ᾗ καὶ ἡ ζωὴ ἡμῶν ἀνέτειλε, καὶ τοῦ θανάτου γέγονε νίκη ἐν Χριστῷ, ἣν τὰ τέκνα τῆς ἀπωλείας ἀρνοῦνται*, &c. Id est: *Post Sabbathi cultum quisquis amat Christum, celebret diem Dominicam, resurrectione videlicet Domini insignitam, illam reginam ac principem omnium dierum: in qua & vita nostra exorta est, & mors per Christum deuicta: quam filii perditionis abnegant.* Ergo, vt dicebam, vel quotidie, vel certe quot diebus dominicis Cœnam hanc sacram celebrabant veteres Christiani. Plus dico, etiam domi quisque suæ Eucharistiam seu Communionem sacram cuiuis cibo præmittebant: vt ex Tertulliano & Hieronymo obseruauit *Beatus Rhenanus* Annotat. ad librum de Corona militis. Sed vt paulatim ardor Christianismi refrixit, & sinceritas eius contaminata est, & adulterata religionis simplicitas: ita & cœnæ sacræ rarior esse vsus cœpit, quasi

assuetudine crebritateque illa metuendum esset, ne vilesceret. Restrinxerunt igitur eam ad certa quædam tempora, quæ aliis temporibus sanctiora habebantur. Et *Chrysostomus* quidem d. homilia 3 significat, suo æuo in ecclesia Græca *συνήθειαν καὶ νόμον* fuisse, vt tempore Quadragesimæ & die Epiphaniorum participarent mysteria. Sed ipse grauiter illum morem, eamque legem reprehendit atque oppugnat, conquerens, quod Sacerdotes extra illa tempora quotidie frustra adsistent ad altare; nemine Laicorum participante, quodque frustra & dicis caussa vocetur *καθημερινὴ θυσία*. Vrget itaque, sæpius participandum esse. Idemque facit homilia quinta in ep. 1. ad Timotheum, & homil. 6 vocat *λατρείαν καθημερινήν*. In concilio autem Agathensi decretum legimus, vt minimum ter in anno vnusquisque Laicus communicet: in natali Domini, Pascha, & Pentecoste. Qui ne his quidem temporibus communicaret mysteriis, inter Catholicos non haberetur. Relatum est in c. 19 de consecrat. dist. 2. Eademque tempora & *Fabianus* Papa præscribit in c. 16 ead. dist. non vt ne frequentius, sed ne rarius quisquam communicaret. De quotidiana vero communicatione B. *Augustinus* lib. de Ecclesiast. Dogmatibus, cap. 53 sic sentit, vt institutum illorum, qui Eucharistiæ communionem quotidie percipiunt, nec laudet, nec vituperet: hortetur tantum & suadeat, omnibus diebus Dominicis communicandum. In epist. vero 118 c. 3 iubet, vnumquemque facere, quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum: h. e. vniuscuiusque conscientiæ & pio arbitrio hoc relinquit. c. 13. de consecrat. dist. 2. *Sic & *Chrysostomus* homil. 17 ad Ebr. *Multi*, inquit, *huius sacrificii semel toto anno sunt participes: alii autem bis: alii vero sæpe. Quinam vero nobis magis accepti? Resp. qui sunt cum conscientia munda, qui mundo corde, qui vita nulli reprehensioni obnoxia. Hi semper accedant*.* At *Nilus* Episcopus & martyr in Capitulis seu Parænesibus suis etiam quotidianam suadet communionem. Sic enim ait: *πάσης ἀπέχου φθορᾶς, καὶ τῷ μυστικῷ δείπνῳ πᾶσαν ἡμέραν μέτεχε. οὕτω γὰρ Χριστῷ τὸ σῶμα τὸ ἡμέτερον γίνεται.* Sed & hoc in dubium a nonnullis reuocatum reperi, an illo ipso die, quo Cœna sacra primum instituta est a Saluatore nostro, recte eadem sumatur. Et sumendam esse ab omnibus fidelibus, præcipit *Soter* Papa, idque (vt ipse ait) ex vsu Ecclesiastico: quo etiam pœnitentes post satisfactionem Canonicam ad communionem recipiuntur. Sed & Baptismum, primum Noui fœderis mysterium, in quo ianua salutis aperitur, vt inquit *Leo* Papa epist. 55, ad certa aliquando tempora restrinxerunt (excepto tamen casu necessitatis) vt ad Pascha & ad Pentecosten. c. 22. celebritatem. de consecrat. dist. 3. c. 11 non ratione. & c. 12. duo tempora & 6. seqq. de consecrat. dist. 4. Cuius instituti rationem inuestigat *Leo* Papa, ep. 4. Verum ad Eucharistiam paulisper redeamus: ad cuius prisca sollennia hoc quoque pertinet, quod non nisi a ieiunis hominibus sumenda sit c. 49. Sacramenta altaris, de consecrat. dist. 1. c. liquido. 54. de consecrat. dist. 2. Et hoc quoque, quod Sancti Patres primum suaserunt, vt coniuges aliquamdiu ante vsum sacræ Cœnæ a complexu maritali abstinerent atque secubarent: vt *Hieronymus*, *Augustinus*, *Ambrosius*, *Gregorius Magnus*: quorum sententiæ a Gratiano referuntur, caus. 33 quæst. 4 Tandem Eliberitano Concilio constitutum hoc & ad necessitatis legem productum est, vt coniuges tribus vel quatuor, vel etiam octo diebus ante secubent, seseque a concubitu contineant. c. 21 omnis homo. ead. dist. 2. Quomodo & inter paganos vsitabatur, vt pridie saltem a Venere purum sese præstaret, qui sacris operari aut interesse vellet: quod ex Tibullo, aliisque Poetis didicimus. Audiuerant nimirum aliquid etiam Ethnici de illis Dei edictis, quibus per Moysen populo postridie in conspectum Dei venturo munditiam sanctimoniamque præcepit. Priusquam vero sacra communio administraretur, proclamabat Præco, vt quidam, quos tantis mysteriis (quæ sæpissime *φρικτὰ*, q. d. *horrenda* seu *veneranda*, Græci Patres, vt *Chrysostomus*, *Nazianzenus*, *Damascenus*, alii vocant) interesse nefas ducebant, exirent. Ac de Catechumenis quidem nota res est, eos ab hac *λειτουργίᾳ* seu actione sacra submoueri consueuisse, vt qui mysteriis nondum satis initiati essent. **Catechumeni exeant*, inquiebat præco: sicut in ecclesia Græca hoc fiebat præconium: *Τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις.* vt videre est apud *Chrysostomum* homil. 17 ad Hebr.* Atque hæc erat, quæ dicebatur *Missa catechumenorum*, id est, *missio* vel *dimissio*. c. 67. Episcopus de consecrat. distinct. 2. Nam & *B. Cyprianus* sæpe *missam* vel *remissam* pro *remissione* vel *missione* vsurpat, magistri sui exemplo *Tertulliani*, ad quem vide Annotat. eruditissimi *Beati Rhenani in* lib. 4 aduers. Marcionem. Iubebantur autem & Pœnitentes exire (id est, qui ob maius aliquod delictum seu peccatum mortale sacris interdicti publicam agebant pœnitentiam, & Ecclesiæ, cuius disciplinam læserant, hoc modo satisfaciebant ex arbitrio Episcopi) & qui orare nescirent. Putaui, Sacerdotem ipsum clara voce solitum iubere id hominum genus abire. Sed aliter me docuit *Chrysostomus*, qui d. homil. 3 ad Eph. certi præconis meminit. Sic enim ait: *ἀκούεις ἑστῶτος τοῦ κήρυκος, καὶ λέγοντος. ὅσοι ἐν μετανοίᾳ, ἀπέλθετε, ἀπέλθετε οἱ μὴ δυνάμενοι δεηθῆναι.* Nimirum cum Pagani a suis falsis sacris procul esse profanos iusserint (quod multis & Græcorum & Latinorum auctorum testimoniis probat Amplissi. *Brissonius* lib. 1 de Formulis) multo hoc iustius a Christianis factitatum est, & adhuc fieret, si ii essemus, qui esse debemus, hoc est, si disciplina vigeret Ecclesiastica, quæ non minus, quam vel militaris vel ciuilis *ἔρρει καὶ οἴχεται*. Illis abire iussis, ad eos, qui remansissent communicaturi, Sacerdos præfationes quasdam certas ac solennes ad præcipua Christianorum festa accommodatas ipsi communioni præmittebat: quæ adhuc passim locorum laudabiliter retinentur.

Egregium

Egregium enim pietatis incentiuum in se continent. Harum nouem canonizantur approbanturque in c. 70 & c. seq. de consec. dist. 2. Post hæc panis ille mysticus frangebatur, & quidem per ipsum Sacerdotem, ab eoque inter communicantes (quibus eum non in os inserebat, vt hodie fit, sed in manum porrigebat) distribuebatur. Fractio panis ex Diuo *Paulo* 1 ad Corinth. sumta; etiam a *B. Ignatio* inculcatur, epist. 11; ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ ἀποθανεῖν, ἀλλὰ ζῆν ἐν Θεῷ, διὰ Χριστοῦ Ἰησοῦ. καθαρτήριον ἀλεξίκακον, id est: *Frangentes panem vnum, quod est pharmacum immortalitatis, antidotum mortis, vitamque conciliens in Deo per Iesum Christum, medicamentum vitiorum & malorum omnium expulsiuum & purgatorium.* *Fractionis etiam meminit & *Cyprianus* in fine serm. *de Cœna Domini**. Eadem porro fractio diu in vsu Ecclesiæ mansit, vt apparet ex *B. Augustini* sententia relata in c. 37 cum frangitur hostia, & ex confessione seu palinodia Berengarii in c. 42. *Ego Beringarius* de consec. dist. 2. De Sacerdote quod dixi, eum fuisse solitum frangere panem Eucharisticum, probatur per rescriptum *Honorii III*, in c. 7. Thomas extr. De corpore vitiatis ordinand. vel non. Vbi vult Papa, non ideo minus ordinandum esse Sacerdotem, quod vngula pollicis (*vnguem* dicere voluit. Nam vngula quadrupedum propria est) ei ablata sit dummodo satis adhuc pollens potensque sit pollex (alludit ad etymon pollicis) ad frangendum Eucharistiam. Sed Rotomagensis tandem Synodus vetuit, Laicorum manibus sacrum illum panem contingi, eumque per manum Sacerdotis cuique in os inseri voluit. Hoc amplius etiam aquam admiscebant vino Calicis Dominici: quam quidem mixturam adeo necessariam aliqui existimarunt, vt sine ea hoc mysterium non recte celebrari putarint. c. 1, 2, 3, 4, 5, & 7 de consecrat. dist. 2. Maximeque in hac sententia fuit *Cyprianus*, ex cuius Epistolis, maxime lib. 2. ep. 3 dd. cc. 2 & 3 sunt desumpta. *Iustinus Martyr* quoque Apologia 2 (quam Imperatori Antonino Pio pro Christianis obtulit) aquæ huius iuxta cum pane & vino meminit: aliosque simul circa Eucharistiam tunc temporis vsitatos in Ecclesia ritus refert. Vtebantur & cannis seu fistulis, quibus sanguinem Dominicum ex calice exorberent, maxime Laici: quod idem probat testimoniis *Beatus Rhenanus* d. loco. Sed & quoties Cœnam celebrabant, singuli Deo aliquid offerebant; quem sanctorum Patrum vsum confirmat & Pontifex in c. 69 omnis Christianus, de consecrat. dist. 2. Hinc ipsum panem sacrum, vel potius complures buccellas, *oblatas* dixere: quod verbum etiam in vsu vulgi nostri sine vllo fere intellectu subiectaue notione remanet. Quia vero hoc etiam bono pioque fortasse studio constitutum est, vt in Missarum sollennibus preces ad Deum pro animabus defunctorum funderentur: c. 72 visum est. & c. seq. de consecrat. dist. 2; hinc illa tandem inualuit opinio, non pro viuis modo valere atque efficax, sed etiam pro defunctis offerendum esse Deo istud sacrificium. Ac missæ pro defunctis mentio fit in c. 24, non mediocriter errant, de consecr. dist. 5. Vbi quasi *Hieronymi* verba referuntur. Sed nimis, meo quidem animo, manifeste παρεμβεβλημένα sunt ista: *Dum igitur pro cunctis animabus*: vsque ad, *Audiant itaque*. Cum enim non cohæreant neque antecedentibus, neque cum consequentibus, quouis sacramento contendam, *Hieronymi* non esse. Sunt autem Oblationes pro defunctis etiam apud *Tertullianum*, antiquissimum apud Latinos scriptorem ecclesiasticum, in libro de Corona militis, & De Monogamia. Quid? quod *Ioan. Damascenus* περὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων, &c. (nisi scriptum νόθευμα) ad ipsos Apostolos auctores Oblationem seu Missam pro defunctis refert. Sic enim ait: οἱ δέ γε μύσται καὶ αὐτόπται τοῦ λόγου, οἱ τὸν τοῦ κόσμου γύρον ζωγρήσαντες μαθηταὶ τοῦ σωτῆρος καὶ θεῖοι ἀπόστολοι, ἐπὶ τῶν φρικτῶν καὶ ἀχράντων καὶ ζωοποιῶν μυστηρίων μνήμην ποιεῖσθαι τῶν πιστῶς κοιμηθέντων ἐθέσπισαν, Idque ait βεβαίως καὶ λίαν ἀναντιρρήτως, id est, *firmiter sineque omni contradictione, ab Apostolica & Catholica Ecclesia tum ab initio sic seruatum esse, tum porro ad finem vsque mundi seruatum iri.* Quod sumpsisse videtur *Damascenus* ex *Ioanne Chrysostomo* homilia 3 ad Philippenses. Imo & prior Chrysostomo *Arnobius* extremo lib. 4 testatur, Christianos in conuenticulis suis solitos pacem cunctis & veniam a summo Deo postulare, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione. Plura ad notitiam antiquitatis Ecclesiasticæ circa horum mysteriorum vsum pertinentia non vulgaria reperies apud *Beatum Rhenanum*, quem non compilabo: ac potius, quoniam satis exorbitaui, tandem ab hoc, quasi diuerticulo, non iniucundo, vt spero, illuc vnde digressus sum, redibo in viam. (R.) p. 57 seqq.

Hunc, & tres alios (1) *spatio propiore sequentes,*
Temporis ob sacri Princeps generosus honorem,
Constituit celebrare, manu deuotus inermi.
Hac quoque præterita, iamque orta luce sequenti,
15 *Qua Deus in ligno vera sub carne pependit* (2),
Ecce profugata (3), *miserabile vulgus, ab arce,*
Clerus, & informis monachorum turba, solutis
Mœnibus, ad placidi properant tentoria Regis,

 Exhau-

Exhausti macie, ieiunia longa ferendo,
20 *Esuriem faciente siti, squallentia sacris*
Vestibus ora tegunt, nudo vestigia gressu
Figentes(4), *tum*(5) *signa crucis, capsasque piorum*
Custodes cinerum, prælato thure vaporant.
Quos vbi pacifice venientes agmine denso
25 *Vidit in occursum Princeps reuerendus eorum*
Prudentes iubet ire viros, & quærere caussas
Quid veniant? quidue illa velit nouitatis imago?

(1) Scilicet Dominicæ passionis, quietis, & resurrectionis. *Constantinus* Imperator cognomento *Magnus*, priorem, quia Dominus in eo crucifixus est: posteriorem, quia in eo resurrexisset, a iudiciis, aliisque caussis, sanciuit habere vacationem; autor est *Sozomenus*. (Sp.)

(2) *Cerdon* enim, qui duos Deos finxerat, alterum bonum, alterum sæuum, docebat, Christum boni Dei filium, in phantasmate tantum venisse: nec vere passum, nec vere natum: resurrectionem animæ probans, carnis negans. (Sp.)

(3) Forte legendum *proculcata*. An *flagellata*? vt infra v. 53 *templa flagellantur*. Sic *flagella tormentorum* dixit lib. 7 v. 533. Et *flagellatam tormento molem* lib. 8 v. 51. Et, *tecta flagellant*, lib. 10 v. 353. *Schoppius* tamen reponebat: *En profugus alta*, vel, *celsa*, miss. Sed præfero his coniecturis omnibus lectionem Nobilissimi *Christoph. Pflugii* hanc: *Ecce profligata*. (R.) p. 63

(4) Tales infra Mediolanenses *Friderico* occurrunt. (R.) p. 63

(5) Sic legendum puto, vbi vulgo, *tunc*. Per *pios cineres* intelligit hic eas, quas vocant Sanctorum reliquias. Per has cum constet, olim miracula edidisse DEum ad conuertendos infidelium animos, postea hominum superstitio idola ex iis fabricauit: sæpe etiam nescio quæ ossa pro iisdem venerata est, ab impostoribus & nundinatoribus venditata. (R.) p. 63

Protinus ex illis pallenti squallidus ore
Voce satis mæsta, fortunæ verba coaptans,
30 *Facundo sermone tamen, sic incipit vnus:*
Mens erat(1), *inuicti pedibus procumbere Regis,*
Et quos immeriti patimur deflere labores:
Quem quia nunc misera prohibemur adire repulsa,
Vos saltem nostras illi deferte querelas.
35 *Quid luimus miseri? quid dignum fecimus ira,*
Rex inuicte, tua? quæ tantum caussa furorem
Mouit, vt imbellem, solitumque fideliter hymnos
Pro populo Christi, pro te quoque sæpius ipso,
Si credis, resonare Deo? cum plebe nocenti
40 *Perdere coneris tanto molimine clerum.*
Quod scelus hic nostrum? nisi si scelus esse putetur,
In medio populi sedem posuisse nocentis.
Nos neque consiliis immania cœpta, nec acta (2)
Iuuimus, inuitis fiunt hæc omnia nobis.
45 *Illi ciuiles caussas, & pondera rerum*
Inter se tractare solent; nos vulgus inerme,
Nos abiecta manus, nullis adhibemur eorum
Consiliis: tantum studiis nocturna diurnis
Iungimus, assiduos soliti depromere psalmos,
50 *Et precibus pulsare Deum; sed bella nec illos*(3)
Exercere sinunt in tantis cladibus vsus.
Vndique concutimur bello, lapidumque rotatu
Templa flagellantur, sacris altaribus astans
Confixus telis expirat morte sacerdos,
55 (4) *Ergo pius pariter pereunte peribit iniquo,*
Nec vixisse pie sub iudice proderit æquo?
Si(5) *scelerum vindex, consolatorque piorum*
Venisti, si iura tuis, legesque reformas
Gentibus, inque suum satagis reuocare vigorem:
60 *Parce bonis, & perde malos*(6), *propone quibusque*
Iustitiam meritis, compensans præmia caussis.

Oratio

(1) Oratio Terdonensium, plena affectibus, & non ineptis interrogationibus ad commouendam miserationem intercita. Lege Pontificem *Othonem*. (Sp.)

(2) L. *astu*. (B.)

(3) Quos vsus bella non sinunt exercere? Nimirum studiorum, psalmorum & precum, ad quas faciendas conuenire non licet per tumultum bellicum. Non solum igitur leges inter arma silent, sed & preces. Vt autem hic *precibus pulsare* Deum dixit, ita *Iustinianus* sæpe solet dicere, *pulsare aliquem actione* vel *lite*, pro iudicio conuenire. Hinc recte in vet. Glossario: *Pulsat*, αιτιᾶται. *Pulsati*, κατηιτιώμενοι. Vbi non recte scribi censeo, κατηιτιαμένοι. *Arnobius* lib. 4; *Ne vestras aures conuicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis iniuriis*. (R.) p. 63

(4) Confer locum huic geminum, qui est lib. 5 vers. 134. & *Senecam*, apud quem Nutrix ad Hyppolitum, qui omne muliebre sexus propter vnam Phædram oderat: *Cur* (inquit) *omnium fit culpa paucarum scelus*? Sumpsisse autem ista *Guntherus* videtur ex colloquio Abrahami cum Deo, quod Genes. 18. describitur: *Numquid perdes iustum cum impio? Absit a te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cum impio, fiatque iustus sicut impius. Non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram. Nequaquam facies iudicium hoc.* Quid? quod Ethnici quoque aiunt, prope abesse ab interitu eam Rempublicam, in qua

ἐν ἰῇ τιμῇ ἠ μὲν κακὸς ἠδὲ καὶ ἐσθλός.
* *Doctus & indoctus pretio censentur eodem.* *

Interdum tamen fit, vt secundum *Horatium* Diespiter neglectus incesto addat integrum: & vt tota ciuitas aut regio vnius ob noxam & furias plectatur: vnde in versu *Hesiodi* dicitur:

πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ. (R.) p. 64

(5) Legebatur antea perperam, *Sic scelerum* v. & mox post, *venisti*, signum interrogationis erat appositum. Quæ ita, vt edidimus, restituenda sunt. (R.) p. 64

(6) Nam qui malis parcit, bonos it perditum, vt supra lib. 1 v. 479 ex *Sallustio*, *Seneca* & *Ausonio* docui. (R.) p. 64

Quanquam (si veris liceat modo vocibus vti,
Pace tua Princeps) pensato pondere rerum
Non tam formosæ (1) rea sit Terdona Papiæ,
65 *Quam rea Terdonæ formosa Papia tibique.*
Nam præter reliquas, quas aut seruire coactas
Subdidit, aut captas euertit funditus vrbes,
Adspice, quam turpi Lunelli nobile castrum (2),
Atque Palatini sedem fidosque penates
70 *Verterit (3) illa dolo; Comitem ciuesque vocabat*
Perfida, colloquio pacis de rebus habendo,
Incautosque viros, & nil hostile timentes,
Fraude mala captos, in vincula dura coegit.
Ipsaque non armis, nec belli iure, sed astu,
75 *Vel potius subuersa dolo, castella reliquit.*
Et nunc ille Comes concors, & regius aulæ
Ille potens Princeps, sub quo Romana securis
Italiæ punire reos de more vetusto (4)
Debuit, iniustæ (5) victrici cogitur vrbi
80 *Vt modicus seruire cliens, nulloque relicto*
Iure sibi, dominæ metuit mandata superbæ.
Hæc feritas vrbi Ligurum, quæ sola Papiam
Non timet, infausto Princeps nos fœdere iunxit:
Non odio regni, non seditione rebelli,
85 *Immo (vt vera loquar) non ipsius vrbis amore*
Hanc sequimur, sed ne nos ore Papia voraci
Absorbere queat, quæ cunctas deuorat vrbes:
Et tamen in tantis scelerum prouentibus (6), illa
Gaudet, & ecce tui felix habet omen amoris.

(1) Quoniam Longobardorum Reges, quorum sedes erat, diuersis eam ædificiis & muneribus exornauerunt. (Sp.)

(2) Hoc est, oppidum, vt ait Præsul *Frisingensis*, imperiale. (Sp.)

(3) Legebatur, *verterat*. Non recte. (R.)

(4) Cicero, *more maiorum*. (R.)

(5) Lego, *iniustæ*. (R.)

(6) Sic *Lucanus* lib. 2; *Tanto* [illegible] *prouentu scelerum*. Exprimit verbum Græcum φορά. Recte *Nonius* hoc annotauit: *Prouentum etiam malarum rerum dici veteres voluerunt*. Et idem pag. 221. ed. Paris. *Thesaurus* (inquit) *etiam pessimæ rei copia dici potest*. Sic *Euripides* Ione θήσαυρον κακῶν ἀνοίγνυσθαι dixit. *Propertius* lib. 2 etiam *examen stuprorum*. (R.) p. 64

Sed

90 Sed nihil hæc ad nos, ad te, iustissime Princeps,
Attinet, Italicos iamdudum inquirere mores,
Vlcisci scelerum noxas(1), punire nocentes,
Oppressos releuare manu, frænare superbos.
Nos proprios tantum contenti flere labores,
95 Oramus, iam parce pius, hominesque memento
Fœdere naturæ(2), fideique charactere(3) iunctos.
Aspice tabifico languentia corpora morbo,
Aspice deformes vultus, atque arida longa
Ora siti, vix hæc fauces in verba solutæ
100 Vocis iter præstare valent, quos(4) tempore longo
Sulfureus torret potius, quam temperat humor,
Corruptos sanie latices, infectaque tabo
Pocula, vix mediis ex hostibus ense recepta
Sumimus: obducto durescunt viscera cœno,
105 Arctantur(5) fauces, insano feruidus æstu
Pectoris alternos angustat pulmo meatus,
Nec pestem releuare cibo, vel languida victu
Membra fouere libet: misero solatia morbo
Iussimus esse famem: sic pestem peste leuamus(6).
110 Heu miseram, atque omni grauiorem funere vitam
Viuere, nec gratas viuendi noscere caussas(7)!

(1) Solebat dicere *Solon*, duobus respublicas contineri, præmio videlicet, & pœna. (Sp.)

Hoc & seq. versu continetur officium boni Principis & Magistratus: qui etiam *Paulo* teste Roman. 13. *Dei minister est, ad bonum quidem bene facienti: ad terrorem vero male agenti: neque frustra gladium gerit, sed ad vindictam & exerendam iram aduersus delinquentes.* (R.) p. 64

(2) Signat illam cognationem, quam inter homines natura constituit: propter quam eleganter colligit Iurisconsultus: *Hominem homini insidiari nefas esse.* (Sp.)

Sic *Seneca* 2 controuers. 7. Humanum genus *cognatum natura* dixit. Et IC. Florentinus in l. 3 ff. de iust. & iur. *Natura*, inquit, *inter nos cognationem quandam constituit.* Estque in primis memorabile, quod in hanc sententiam *Philo* scripsit lib. 1 De vita Mosis: ὁ κτείνων ἄνθρωπον, εἰ καὶ δικαίως καὶ ἀμυνόμενος καὶ βιασθεὶς, ὑπαίτιος εἶναι δοκεῖ, διὰ τὴν ἀνωτάτω καὶ κοινὴν συγγένειαν: *Fœdus naturæ* etiam *Ouidius* dixit 10 Metamorphos. (R.) p. 65

(3) Sic *Guil. Brito* l. 8 v. 344. (B.)

Id est, baptismo: quo primum crucis character imprimitur fronti, vt memineris, quoad viuis, te sub Christi signo militare, cui iam tum cum viuifici lauacri mysteriis initiabaris, nomen dedisti. Deinde sacro perungitur ceromate frons: quo te æternum cum vitiis luctamen ingressum esse profitearis. Fidei autem verbum hic, & infra, *At tu per fidei communia sacra*, vsurpauit more ecclesiasticorum. (Sp.)

(4) L. *quas.* (B.)

(5) Augustana editio, *artantur.* Recte. (R.)

(6) Iuxta prouerbium:

Malum malo medicari. (Sp.)

Κακὸν κακῷ ἰώμεθα: quod tamen fieri vetat *Sophocles.* Sed ἔλᾳ φαῦλον ἔλαν. (R.) p. 65

(7) Videtur *Guntherus* respexisse ad hunc *Manilii* versum, eumque παρῳδῆσαι.

Et propter vitam viuendi perdere caussam. (R.) p. 65

**At tu per fidei communia sacra, per illum*
Quem crucis in ligno potatum felle, piasque
Expandisse manus, & sacri fluminis imbre
115 Conscissum rorasse latus(1), mortemque subisse
Lux hodierna monet, Vir maxime, parce, nec vltra
Innocuos affige pius: sine, morte relicta,
Mortis enim species, alias quocunque(2) iubebis,
Omnibus ereptis, inopem traducere vitam,
120 Neue velis, iterum miseris nos reddere claustris,
Olim grata domus, nunc carcere tristior omni
Ille locus, stygioque magis metuendus auerno.
Dixit, & erectis omneis ad sidera palmis
Principis absentes feriunt vlulatibus aures,

Qui

125 *Qui tamen occulta*(3) *tractus pietate, laborem*
*Dissimulans**, *animi documentaque magna, suique*
Exemplum sancire volens(4), *ad tuta** *redire*
Imperat, & clausam miseros compellit in arcem.
Non secus(5) *irati sententia fine supremo*
130 *Iudicis*(6), *æternum maledictos*(7) *tradet in ignem*(8),
Suppliciisque datos exerta puniet ira,
Qui totiens moniti, totiens spreuere monentem.
Sic miseri ciues ad mœnia clausa gementes,
Ac velut in certam queruli redier(9) *gehennam.*

* Obsecratio vehemens, vt est tota oratio plena παθῶν. (R.) p. 65

(1) Nam astans inter milites quidam, qui quo certior esset mors Domini IESV, lancea perfodit latus eius: ac protinus ex vulnere profluxit sanguis & aqua, magno mysterio declarantes, quod eius mors nos ablueret a peccatis, & quod eadem vitam nobis largiretur æternam. Nam baptismus aqua constat, in sanguine vita est hominis. (Sp.)

(2) Malim, *aliis quacunque*, aliis, scil. bonis aut rebus. An, omnibus, scil. nobis, ereptis seu abreptis extra Terdonam, quocunque terrarum aut gentium victori libuerit. (R.) p. 65

(3) Animum quidem intus (vt *Othonis* Frisingensis vtar verbis) ad misericordiam flexum præsensit, sed dissolutionis suspicionem vitans, extra eum in prioris seueritatis constantia seruauit. (Sp.)

* Vt ille apud Principem Poetarum, qui

Spem vultu simulans premit altum corde dolorem.

Iungenda autem videntur ista: *Laborem animi*: non, vt vulgo distinguitur, *animi documenta*. (R.) p. 65

Seueri exemplo. (B.)

(4) Sic lib. 6 vers. 566 *cunctis exempla relinquat*, more *Terentii*, apud quem est: *Exempla fient*. Sic & Græcorum elegans est verbum de pœnis, παραδειγματίζειν. Sic alibi *Guntherus* timorem sancire non semel dixit. (R.) p. 65

* L. *tecta*. (B.)

(5) Comparatio. (Sp.)

(6) Christi. Sentit *Augustinus* cap. vlt. vicesimi Ciuitatis Dei, iudicium Dei ex literis vtriusque instrumenti facile colligi, sed ex veteribus iudicium tantum Dei expresse: at iudicium Christi filii ex veteribus quoque: ceterum apertius ex nouo Testamento. (Sp.)

(7) More ecclesiasticorum pro execratis & deuotis vsurpauit. (Sp.)

(8) De quo *Esaia* vlt. cap. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Diuus *Hieronymus* hoc loco: *Vermis autem, qui non morietur, & ignis, qui non extinguetur, a plerisque conscientia accipitur peccatorum, quæ torqueat in supplicio constitutos.* Inter impias eorum relata est sententia, qui dixerunt nullorum hominum pœnas in æternum esse mansuras. Qua in re diuus *Augustinus* misericordiorem fuisse scribit Origenem: qui & ipsum diabolum atque angelos eius, post grauiora pro meritis & diuturniora supplicia ex illis cruciatibus eruendos, atque sociandos sanctis angelis credidit. (Sp.)

(9) Hoc vocabulum negat beatus *Hieronymus* in antiquis inueniri libris, sed primum a Christo proditum: sumitur apud Euangelistas pro loco, in quo cruciantur impii. (Sp.)

135 (1) *Tandem spe posita, iam desperare coactus,*
Ac velut incertæ conclusus carcere mortis,
Ingentes animos ex ipsis cladibus hostis
Colligit: ac medio concessæ tempore pacis(2),
Extruitur miræ Balearica machina(3) *molis,*
140 *Quæ valido longum transuerberet aera iactu.*
Ergo vbi diuino concessum tempus honori
Præteriit, rursum iaculis, lapidumque rotatu,
Et teli quocumque modo tentantur: & inde
Illa grauis moles ingenti pondere fulta
145 *Erigitur, celsasque superuenit altior arces,*
Saxaque magna rotans, nostros absistere longe
Cogit, & ipsius tormenti robora frangit,
Quod magis obsessos affligere sueuerat hostes,
Addidit hoc animos hosti, quantumque doloris
150 *Accessit nostris, tantum ferus ille superbit.*
Respirant vtrinque minæ, paulumque remissa
Pugnandi serie, renouato robore rursum
Fit fragor: & valido quassantur mœnia bello.
Nec minus obsessi, quantum timor, iraque præceps

155 *Suggerit, accelerant, ferrum iaculantur, & ignem,*
Saxaque terrifico vibrant excussa flagello.
Nec dubitant ipsos in prœlia frangere muros.
Seque ipsos hosti, si desint tela, minantur.

(1) Desperatio & necessitas fortes efficit. Nihil enim amplius metuunt desperabundi. Sæpe ad hunc locum communem alludit opt. Poeta *Q. Smyrnaus*: vt lib. 2 Paralipom.

—— ἐπεὶ μέγα κάρτος ἀνάγκη
πολλάκις μαρναμένοισι καὶ οὐτιδανοῖσιν ὀπάζει.

Vt lib. 12;

τρωσὶν γὰρ ἐνέπνευσεν μέγ' ἀνάγκη
θάρσος, ὅπερ πρὸς ἄρηα καὶ οὐτιδανόν περ ἐγείρει,
κάρτιστοι δὲ τότ' ἄνδρες ἐπὶ μόθον, ὁππότε θυμὸν
ταρβήμενοι στονόεντος ἀφειδήσουσιν ὀλέθρου.

Vt lib. vlt.

—— περὶ γὰρ κακὰ μυρία κῆρες
ἀνδρὶ περιστήσαντο μένος δ' ἐνέπνευσεν ἀνάγκη.

Vide & *Gumberum* nostrum infra lib. 10 v. 162, vbi plura huc facientia annotabo. (R.) p. 65 seq.

(2) Id est, *Induciarum*. (Sp.)

(3) Id est, *funda*: quæ primum inuenta est apud *Baleares insulas*, quæ hodie *Maiorica*, & *Minorica* nominantur, a dispari quantitate. (Sp.)

Tandem post multos bellorum hinc inde labores,
160 *Et miseræ cladem numerosaque funera plebis,*
Expugnata magis, quam reddita(1) *mœnia nostris*
Cesserunt, tantumque reis pro munere summo,
Id quoque vix procerum precibus multoque rogatu,
Est concessa salus, in sortem cetera prædæ
165 *Omnibus*(2), *& longi pretium venere laboris,*
Ipsaque disiectis hostiliter vndique muris
Mœnia, puluerea pessum sedere ruina.
Quis referat miseræ squalorem plebis, & ægro
Tabida membra situ, detestandumque colorem?
170 *Cum velut e tumulo permissu Regis ab arce,*
Non homo, sed pallens hominis prodiret imago.
Tunc licuit miseris, quam sit miserabile longa
Obsidione premi, proprio perpendere casu.

(1) Malim, *dedita*. (R.)
(2) Vide, quæ dicam ad v. 468 lib. 10. (R.)

Inde profecturum Ticini læta iuuentus
175 *Ad sua victorem diuertere mœnia Regem*
Flagitat, insignes antiquo more triumphos
Exhibitura Duci: Non est in finibus, inquit,
Italiæ tanto locus aptior vllus honori,
Quemue tuo cupias magis illustrare triumpho,
180 *Quam quæ fida tibi per læta, per aspera quæque*
Extitit, & nullo defecit tempore sedes.
Adde, quod iste tuus nostros procedit in vsus
Sudor, & ista tuæ gessisti bella Papiæ.
Hostilem(1), *nostrisque malis inhiare paratam,*
185 *Hostibus & sæuis*(2) *adstricto fœdere iunctam,*
Quid referemus ad hæc? vertisti funditus vrbem.
Non sumus ingrati: liceat modo soluere grates,
Ingressuque sui Regis gaudere Papiam.
Paret: & exhibitum non aspernatus honorem(3),
190 *Mœnia victor adit: non est tractabile sensu,*
Eloquione meo, quæ gaudia, quantus ab vrbe
Occursus populi, quo scilicet ordine castus
Antistes, lætusque suo cum Præsule clerus
Vestibus ornati nitidis, pretiosa ferentes
195 *Signa crucis, textusque sacros, thurisue vaporem*

Prodie-

Prodierint, vt purpureo velamine passim
Belligeros instratus equos fulgentia late
Signa ferens, phaleratus eques fremebunda lupatis
Ora terat, cogatque leues subsistere cursus:
[200] *Vtue nurus, matresque simul, mitesque puellæ,*
Candida Sidonio velatæ corpora textu,
Gestantes nitido baccata monilia collo,
Fuluaque gemmatis incinctæ tempora cyclis,
Vrbis vtrumque latus densa statione tenentes,
[205] *Vocibus acclament faustis, dominumque salutent:*
Vt domus aulæis late pendentibus omnis,
Et picturatis constrata platea tapetis,
Rebus odoriferis, & pingui ture vaporet:
Vt tuba(4) *terribili spiramine, tibia leni,*
[210] *Cornua ventoso strepitu, caua tympana rauco,*
Seu lyra percussis dulci modulamine neruis
Murmure mirantes placido demulceat aures:
Vt pueri, populusque minor, venientibus vltro
Exuuias substernat equis, Pæanaque lætum(5);
[215] *Ioque triumphe canat: hæc omnia, pluraque nobis,*
Si modo suppeterent vires, memoranda fuerunt,
Deficit ingenium: non hæc fiducia menti(6),
Vt penitus meminisse velim, rerumque nitorem
Voce sequi: vix hæc stimulatus Apolline toto(7),
[220] *Vel Maro*(8), *vel magnus verbis æquaret Homerus*(9).
Quid volui demens(10), *tantarum pondera rerum,*
Agresti tentare(11)*sono, tenuique camœna?*
Materiæ succumbit opus, mihi paupere vena
Verba fluunt: magnum res exigit ista poetam.

(1) Terdonam. (Sp.)

(2) Mediolanensibus. (Sp.)

(3) Qui maximum est inter externa bona, vt ait Philosophus quarto Ethicorum. (Sp.)

(4) Varia instrumenta Musica hic notare licet, partim *ἐμπνευστὰ*, partim *ἐγχορδὰ*. (R.) p. 66

(5) *Παιήονα κυγαλτην* vocat *Oppianus*: ad quem, si bene recordor, annotaui, duplicem Græcos Pæana habuisse: quorum vno Martem ante pugnam inuocabant; altero Apollinem celebrabant, parta iam victoria. Priore modo vsurpet *Euripides* Phœnissis, cuius ibi Scholiasten vide: & adde Scholiasten *Thucydidis*. (R.) p. 66

(6) Quæ scilicet certa spe freta nesciat confidere. (Sp.)

(7) Ἐνθουσιασθείς. (R.)

De quo Naso:

Est Deus in nobis, sunt & commercia cæli,
Sedibus æthereis, spiritus ille venit.

Origenes primo contra Celsum libro, & de principiis tertio, docet esse spiritales quasdam *energias*, id est, virtutes latentes, quas Dæmones, vel Deos secundos nuncupent Academici: qui sint velut magistri. Siquidem id agere, quod pro arbitrii sui potestate sibi delegerint. Vnde profluat inter homines sapientiæ diuersitas. Quippe esse energiam, quæ poeticam inspiret, itemque geometriam, ac deinceps disciplinas alias. Proinde vulgatum inter Græcos, poesin citra insaniam non contingere, ac afflatum quendam. (Sp.)

(8) Tantum debet latina res Mantuano cælo, sub quo latinæ eloquentiæ specimen longe clarissimum & natum & educatum est: Et quo vno post illa M. Tullii fulmina, longe lateque coruscantia, aduersus Græcæ gentis fremitum nimio plus sæpe insonantem coorimur, obsistimus, vt dixit *Cælius Rhodiginus*, vir doctus ac pius. (Sp.)

(9) De Homeri temporibus, & de patria, & parentibus, maxima contentio ex Græcis autoribus. In libris vero Chronicis *Eusebii*, Cæsariensis Pontificis, sic scribitur in Latina historia; Agrippa apud Latinos regnante, *Homerus* in Græcia floruit, vt testatur *Apollodorus* Grammaticus, & *Euphorbius* Historicus, ante vrbem conditam annis centum viginti quatuor: & vt ait *Cornelius Nepos*, ante Olympiadem primam annis centum. Itaque *Homerus* erit vrbe Roma antiquior; quod & *Cicero* testatur in Tusculanis quæstionibus. Hic, quemadmodum ex Oceano fluminum vis fontiumque cursus capit, sic *omnibus eloquentiæ partibus ortum & exordium dedit: quem nemo in magnis sublimitate, nemo in paruis proprietate superauit. Idem lenis & pressus, iucundus & grauis, cum copia, tum tenuitate mirabilis, nec in poetica solum, sed oratoria facultate eminentissimus.* Autor *Quintilianus* capite primo, libri decimi. (Sp.)

(10) Virgilianum hemistichion. (R.)

(11) Augustana editio, *temptata*. Quæ lectio non contemnenda videtur. (R.)

225 *Comiter exceptum sancti Michaelis ad ædem,*
Qua veterum fulgent antiqua palatia(1) *Regum**,
Producunt, nitidumque caput gemmante corona
Cingitur, & sceptro decoratur dextera sacro.
Hunc triduo Regi populus deuotus honorem
230 *Exhibuit, largo cumulans noua gaudia sumptu.*
Inde Placentinos fines(2), *& rura Cremonæ*(3),
Et Mutinæ transcurrit agros(4), *atque vrbe potitus,*
Quæ quasi plena bonis, est dicta Bononia(5), *sacri*
Flaminis aduentum digno celebrauit honore.

(1) Bene *antiqua* dixit: quando & Gothi, quibus iam pulsis Italia, Longobardi successerunt, Papiæ, velut in munitissima regni parte thesauros habuere, vbi & Reges suos aliquando crearunt. Mediolanum enim a recenti strage & ruina deformatum, non visum est Maiestati regiæ conuenire. (Sp.)

* Longobardorum scilicet, quorum regnum minime crudele, aut intolerandum fuisse scribit *Merula*, & ab his Regibus prognatos *Angleria Comites*, qui *Vicecomites* postea appellati fuerint: Ænobarbumque Cæs. *Fridericum*, vbi Mediolanum euertit, Angleriæ Comites, vt funditus tollerentur, in primis laborasse: ne ex stirpe regia nasceretur aliquis, qui ad auctores generis respiciens, regnum auorum aliquando assereret. (Sp.)

(2) Insignes ad Trebiam fluuium clade Romanorum, quorum colonia fuit, deductis eo sex millibus colonorum, vt opponerentur Gallis, qui eam partem tenebant, vt autor *Pedianus*. Hæc a Palauicinis primum tyrannis, post Longobardis, cum antea libera fuisset, occupata fuit, variis deinde agitata casibus, & patrum nostrorum memoria sæpe direpta est. (Sp.)

(3) Et hæc deducta est colonia agro Gallorum capto, vt scribit *Liuius* frequentibusque afflicta ruinis: vim quoque pertulit *Friderici* nostri vsque mœnibus deiectis, vt lib. nono poeta noster cecinit mox a principio. (Sp.)

(4) Non de vetere loquitur, quæ teste *Liuio* colonia quoque Romanorum deducta est, vna cum Pisauro, & Parma: in quam nihil reperitur sæuitum a Gothis, aut Longobardis, vt refert *Volaterranus*, nec eius etiam mentio omnino, sed de ea, quæ hodie cernitur, & ædificata fertur circiter annum a nato Christo 1100. (Sp.)

(5) Bononia *Felsina* dicebatur, cum princeps esset Etruriæ, vt ait Plinius. A *Bono* Tuscaniensi Duce *Sempronius* dictam autumat. Poeta noster a *bonitate*: Cui adstipulatur *Iulius Cæsar Pius*, qui etymum nominis recensens, *dictam puto ego*, inquit, *a bonitate soli felicissimi, cæli serenissimi, præstantia animorum, vini, frugum, & bonitate prope peculiari rerum omnium, vbi Liberi, Cererisque certamen est.* (Sp.)

235 *Mox Appenninum scopuloso limite transit,*
Ingrediturque tuos bellatrix Tuscia(1) *fines.*
Occurrere Duci proceres, quos bellica Pisa(2)
Miserat, æquoreis celeberrima Pisa triumphis,
Pisa peregrinis statio bene nota(3) *carinis.*
240 *Hos iubet in Siculum condicto tempore*(4) *Regem*(5)
Cogere belligeros, atque emunire carinas.

(1) Eadem & Etruria, Græcis *Tyrrhenia* dicta, nunc *Tuscania*, prouincia olim Italiæ opulentissima, fortiumque virorum alumna: vnde *bellatricem* vocat. Ipsius termini, Macra, Tyberis, & Appenninus. Eius ciuitates *Ludouicus* Pius Imperator cum Paschali pontifice diuisit. (Sp.)

(2) Pisanorum terra marique res diu floruere: de quibus vide *Volaterranum*, qui scribit, *Othonem* primum Pisis septem Germanorum familias reliquisse, in eo loco habitare volentium, quas & facultatibus & honoribus ornauerit. (Sp.)

(3) Nam Pisa, siue Pisæ (vtroque enim numero dicitur) sitæ sunt in littore inter Auserem & Arnum amnes. *Plinio* orta a Pelope Pisisque Peloponesi. (Sp.)

Hic quoque Virgilianam agnoscas imitationem. Quod autem nonnulli tales versus, qualis hic est, explodere solent, ceu monachales, iniuriam facere videntur etiam optimis Poetis, apud quos tam sunt crebri, vt pæne elegantiam quandam hic affectarint: quod recte monet *I. Donza* in notis ad Tibullum. (R.) p. *66*.

(4) Id est, statuto, conuento. Sic infra *condictam vrbem*, lib. 6 v. 398. (R.) p. *66*

Constituto & vt vulgo dicunt, *præfixo*. (Sp.)

(5) *Guilhelmum* primum filium eius *Rogerii*, qui a Cæs. Imperat. *Lothario* Saxone regno Neapolis exactus, postquam recepisset omnia, tantum titulo Regis Italiæ abstinuit, contentus in posterum Siciliæ Rex appellari. Res eius scribunt inter præcipuos *Platina*, *Sabellicus*, *Ritius*, & *Volaterranus*. Ex nostris *Otho*, *Vrspergensis*, Auunculus meus, *Nauclerus*, & *Cranzius*. (Sp.)

Inde

Inde caput mundi Romam(1) *petit, atque Viterbum*
Contigit, excelsa non longius vrbe remotum,
Quam quantum biduo tardus valet ire viator.
245 *Sedis Apostolicæ Præsul, summusque sacerdos*
Tunc Adrianus 2) *erat: qui fama letus eadem*(3),
Protinus eximia cleri stipante corona
Occurrit, magnasque viro, tristesque querelas,
Multaque facta suæ crudelia pertulit vrbis:
250 *Contemni sese referens, populique furentis*
Iurgia, probra, minas, risus, conuicia, rixas
Sæpe pati: clerumque suum, ceu vindice nullo
Expositum probris, crebras perferre rapinas,
Pulsari grassante manu, ferroue lacessi.
255 (4)*Sic pater inualidus, nato post longa reuerso*
Tempora, seu castris, seu de regione remota,
Quem penes & rerum ius est, & tota regendæ
Cura domus, noxas, & facta proterua suorum,
Contemptusque suos, & quos absente(5) *labores*
260 *Pertulit, euersamque domum, numerosaque damna*
Commemorat, multumque minas vltoris acerbat.

(1) Sic *Ausonius* Mosella, *caput rerum Romam, populumque patresque*, &c. (R.) p. 66

Cur Roma *caput orbis* fuerit nuncupata, prodiderunt *Liuius* primo ab Vrb. cond. lib. & *Dionysius Halicarnasseus.* Antiquitatum Rom. lib. quarto. Tradunt poetæ, diu quæsitum, qua tandem poneret arce terrarum fortuna caput? Visumque tandem Superis, nihil posse huic rei Roma aptius reperiri. (Sp.)

(2) Eius nominis *quartus*, natione Anglicus: de quo lib. mox sequenti aliquanto fusius. (Sp.)

(3) Dissimulant alii caussam Pontificii occursus, quam *Cranzius* cap. 16 lib. Sax. rerum 6, & simul quæ tum & Papa & Cæsar collocuti sunt refert: quæ *Otho* Frisingensis silentio præteriit. Lege, & cognosces factum Episcopi Romani. (Sp.)

(4) Pulcra comparatio. (Sp.)

(5) Scilicet, *nato*. (R.)

* *Cuius origo mali, tantæque voraginis autor*
Extitit Arnoldus, *quem Brixia*(1) *protulit ortu*
Pestifero, tenui nutriuit Gallia sumptu,
265 *Edocuitque diu*(2): *tandem natalibus oris*
**Redditus, assumpta sapientis fronte*(3), *diserto*
Fallebat sermone rudes, clerumque procaci
Insectans odio, monachorum acerrimus hostis(4),
Plebis adulator(5), *gaudens popularibus auris,*
270 *Pontifices*(6), *ipsumque graui corrodere lingua*
Audebat Papam, sceleratàque dogmata vulgo
Diffundens, vanis(7) *implebat vocibus aures.*
Nil proprium cleri(8), *fundos, & prædia nullo*
Iure sequi monachos, nulli fiscalia iura(9)
275 *Pontificum, nulli curæ*(10) *popularis honorem*
Abbatum, sacras referens concedere leges(11).
(12)*Omnia Principibus terrenis subdita, tantum*
Committenda viris popularibus, atque regenda:
Illis primitias, & quæ deuotio plebis
280 *Offerat, & decimas castos in corporis vsus,*
Non ad luxuriam, siue oblectamina carnis
Concedens, mollesque cibos, cultusque nitorem,
Illicitosque iocos, lasciuaque gaudia cleri,
Pontificum fastus, Abbatum denique laxos
285 *Damnabat penitus mores, monachosque superbos;*
Veraque multa quidem(13), *nisi tempora nostra fideles*
Respuerent monitus, falsis admixta(14) *monebat.*
Et fateor, pulchram fallendi nouerat artem,

 Veris

Veris falsa probans (15) : *quia tantum falsa loquendo*
290 *Fallere nemo potest : veri sub imagine falsum*
Influit, & furtim deceptas occupat aures.
Articulos etiam fidei, certumque tenorem,
Non satis exacta stolidus pietate fouebat,
Impia mellifluis admiscens toxica verbis (16).

* Digressio in commemorationem caussæ illius contemptus Clericorum apud populum Romanum. Caussa fuit seditiosum & populare dogma *Arnoldi Brixiensis*, qui Clerum, Monachos, Episcopos, ipsumque adeo Papam Rom. traduxerat in concionibus ad vulgum, cui hæc cantilena valde grata accidit, quamuis ipse sæpe non sit melior illis, quibus obtrectat, ὄψον δὲ λόγοι φθονεροῖσιν, inquit *Pindarus*. (R.) p. 67.

(1) Hanc vrbem Cenomanni ædificarunt, qui post Insubres in Italiam venerunt. Auctores *Liuius*, & *Polybius*. A Germanis transeuntibus in Italiam conditam esse, *Tortellius* scribit. Nos vidimus, quantam cladem in paucis annis accepit. Hic fides nostrorum peditum desiderata est. Panegyricus Christiani *Mantuani* in Brixiam dictus, extat. (Sp.)

(2) Sub Magistro *Petro Abelardo* Britannico : de cuius ingenio & dogmatibus vide *Othonem Frisingensem*. (R.) p. 67

Audiuit *Petrum Abelardum* Britannum, vt testatur *Otho* Pontifex, ad quem tunc temporis vndique concursus fiebat. De Deo religioneque christiana differens, a ceteris scholis & sensibus desciscebat. Coactus est libros suos coram igni dare: nec idcirco auditores ab eo defecerunt, teste *Æmylio Veronensi*. (Sp.)

(3) Τοῦ λόγου σχῆμα σοφῷ ἀνδρί. (R.)

Hoc est, concionandi & docendi munere : quod nisi vita, doctrinaque probato committi non debet. Sed & prudentia concionatori est necessaria. Nam in primis opus est circumspectione. Siquidem refert, quid apud quos dicatur. Id quod verissimum esse tandem discemus, sed tum quum serum erit, vt vere admonet *Rhenanus* noster *Beatus*. (Sp.)

(4) Non mendicantium : quod tum id hominum genus nondum natum erat. Vnde de ceteris religiosorum ordinibus accipiendum est : quorum omnium originem *Volaterranus* attigit. Priscorum monachorum, qui non ferentes gentilium in Christum blasphemias, in solitudines profugerant: alii, *Cœnobitæ*, quod gregatim viuerent, appellati sunt: alii, quod semotim, *Anachoritæ* vocati sunt. Illis non erat monasterium certum, nulla figura, aut color, aut materia vestis, quæ post sunt instituta. (Sp.)

(5) Δημοχιλαξ. *Poplicola*. (R.)

(6) Hic intelligendos esse Episcopos inferiores docet mox sequens antithesis: ipsumque Papam. (R.) p. 67

(7) Ita reposui, pro *variis*. Sic & apud *Silium* lib. 10. *Modius* noster pro *vario*, restituit *vano*. *Sed vano quid enim te demoror ager, Lentule, conquestu?* (R.) p. 67

(8) Cum his *Arnoldi* dogmatis conferri possunt articuli Valdensium relata ab *Ænea Sylvio* Histor. Bohem. (R.) p. 67.

(9) Sunt & hodie, qui vt non suadent, ut cuiquam per vim ac tumultum, quod possidet, adimatur: ita putant, si Dominus hanc mentem impertiret ecclesiæ ministris, vt sponte ditionem mundanam abiicerent, nihilo peius habituram religionem Christianam, & ipsis non paulo plus accessurum, tum quietis, tum dignitatis. (Sp.)

(10) Id est, rerum sæcularium seu mundanarum. Vt mox v. 278. *Viros populares* vocat, qui vulgo Laici & sæculares dicuntur. Sic *Clericus & popularis* opponuntur infra v. 329 & apud *Ioan. Chrysostomum*. De qua distinctione sic scribit *Iacob. Cuiacius* lib. 1 Feud. tit. 1 §. si vero Archiepiscopus. Vetus est distinctio Christianorum, qua Laici a Clericis separantur: licet si generaliter rem tractes, omnes Christiani sint Clerici, omnes Sacerdotes. Alias Latine *popularis* est, qui ad populum gratiosus esse studet. An legendum hic *curia*, id est, *aula*? (R.) p. 67

Vid. *Rittershusius*, qui pessime coniicit, *curia*. B.

(11) Sentit diuinæ Scripturæ autoritatem, quam Patres germanæ pietatis obseruantiores secuti statuerunt, ne sacerdotes profanis negotiis implicentur : quod Deo militent. Quanquam & Principum Romanorum constitutiones id subinde innuant. (Sp.)

(12) Eo igitur nostra infelicior ætas est, quod Anabaptistarum dogma, adimit omne gladii ius profanis Principibus ac magistratibus: quod nihil aliud est, vt eleganter colligit *Roterodamus* quam vniversum reipub. statum subuertere, ciuiumque fortunas, ac vitam facinorosorum audaciæ prodere. (Sp.)

(13) Et dissidio nostræ ætatis, vt dissimulari non potest, ex parte non minima ansam præbuerunt, corrupti mores eorum, quorum sale condiri debuerat populi stultitia. Misceamus maria cælo, ante non sanctis viuetur moribus, non pie formabitur ceterorum pectus, nisi sanctitate imbutis magistris morum, iisque qui vitæ mortalium præsunt. Non parebunt ex animo alii legibus, lege soluentibus alios iis, qui leges moderantur, seque legum immunes volunt. In animis tenuiorum regendis exemplo maiorum, antistitumque potius, quam imperio est opus. Vnde non aliis, vt vere dixit *Æmylius Veronensis*, quam quibus nata est Christiana pietas, moribus recoli potest. *Platina*, receptus autor, optabat, vt suis temporibus viueret Imp. *Ludouicus* Pius, indigente ecclesia suis sanctissimis institutis & censura. Nam ille anno a natali Christi octin-

octingentesimo ac decimo nono, apud Aquisgranum synodum multorum Episcoporum habuit in qua constitutum est: ne Episcopi & clerici cuiusuis gradus pretiosas, & exquisitas vestes, neue in digitis gemmas ferrent: & alia quædam sancita ad gloriam Dei, & vtilitatem ecclesiasticæ dignitatis, quæ omnia idem *Platina* prosequitur in *Gregorio* quarto: quæ si legeris, videbis optimum virum præuidisse præsentem ecclesiæ statum. (Sp.)

(14) Forte, *At mista*: vt sit, quod respondeat τῷ *quidem*, quod præcessit. (R.) p. 68

(15) Pulcerrimus est hic locus ex Philosophia depromptus. Animus humanus ita est a natura factus ad verum & ad bonum, & ita ad hæc fertur, vt neque falsum, nisi sub specie veri, neque malum, nisi sub imagine boni, vnquam amplectatur. A falso qua falsum, a malo qua malum, per naturam abhorret. Deinde noteтur hic Sophistarum ingenium & mos in circumueniendis hominibus, siue quam pulcra fallendi arte vtantur. Imitari videtur Guntherus *Silium Italicum* lib. 11 vbi est: *Veris falsa per artem Virrius admiscens.* (R.)p. 68

(16) Sic lib. 6 v. 328. *Dulcia miscuerant secreto mella veneno,* Legati Pontificii. (R.) p. 68

295 *Ille suam(1) vecors, in clerum, Pontificemque,*
Atque alias plures adeo commouerat vrbes,
Vt iam ludibrio sacer, extremoque pudori
Clerus haberetur: quod adhuc (ni fallor) in illa
Gente nocet, multumque sacro detruncat honori.
300 *Mox in concilio Romæ damnatus, ab illo*
Præsule, qui numeros vetitum contingere nostros,
Nomen ab innocua(2) ducit laudabile vita.
Territus, & miseræ confusus imagine culpæ,
Fugit ab vrbe sua, Transalpinisque receptus,
305 *Qua sibi vicinas Alemannia(3) suspicit Alpes,*
Nomen ab Alpino ducens, vt fama, Lemanno(4),
Nobile Turregum(5), doctoris nomine falso,
Insedit, totamque breui sub tempore terram
Perfidus, impuri(6) fœdauit dogmatis aura:
310 *Vnde venenato dudum corrupta sapore,*
Et nimium falsi doctrina(7) vatis inhærens,
Seruat adhuc vuæ gustum(8) gens illa paternæ.

(1) Scilicet, Brixianam. (Sp.)

(2) Signat *Innocentium* Pontificem eo nomine *secundum*: qui, vt refert *Volaterranus*, celebrato apud Lateranum concilio, multa pro sacerdotibus vtilia statuit. (Sp.)

(3) *VValafridus*, teste *Vadiano*, mediæ ætatis non temnendus autor, in vita diui Galli, Rhætis proximos, & supra Aëronium, Rhenumque, tum & in occasum ad Tigurinum lacum, & Limagum habitantes, vbi hodie longe lateque Heluetii habent, Alemannorum nomine censet. Hoc autem vocabulum recentius esse, *Flauius Vopiscus* his verbis in vita Proculi testatur; *Alemannos*, inquit, *qui tunc adhuc Germani dicebantur, non sine gloria splendore contriuit.* Fuerunt autem *Alemanni* dicti, non a *Lemanno* lacu, sed quod esset collectitia diuersorum hominum multitudo, *allerley mann, aus allen landen mann.* Id quod *Agathius* ex Asinii Quadrati autoritate docet: cuius verba recitat autor commentarioli in Tacitum de Germanis. (Sp.)

(4) Idem *Otho* Præsul & plures alii, sed falso, opinati sunt: pro quibus tamen Poeta fidem suam non obstringit, dicit enim, *vt fama.* Porro *Lemanni*, qui nunc est lacus *Gebennensis*, meminit *Lucanus* in primo: *cauum* appellans, a capacitate multarum aquarum: per quem Rhodanus Ararim deferens rapitur. (Sp.)

(5) Qui putant olim dictum esse *Tigurum*, falluntur, siquidem pagi Tigurini, cuius est mentio apud *Cæsarem*, sunt Vranienses. Est autem *Turregum* nouum oppidum, cui fluuius *Turga*, vt ipsi regioni *Turgania* nomen indidit, cum situ, tum potentia insigne, primi hodie inter vrbes Heluetiorum fœderatorum nominis, in finibus Rhætiæ primæ Romanæ prouinciæ: quam Alemanni, quorum primas in eis tenebant Sueui, Germanorum nobilissimi, quorum nomen obscurauit memorabilis illa Francorum Germanorum victoria in Tungris, duce Luitvvicho, qui sub *Clodouei* vocabulo primus Francorum Regum Christi nomen professus est. Porro *Turregum* noster Ænobarbus expugnauit in eo bello, quod adolescens pro patre *Friderichο* monoculo, Sueuorum, & Alsatiæ Duce, imperante *Chunrado* patruo, fortiter gessit aduersus eo tempore opulentissimum fortissimumque Ducem Zeringensem *Chunradum*, quem patrem, patruumque supplicem venire, imperataque facere coegit. (Sp.)

(6) Legebatur antea, *impure.* Sic paulo post vers. 319 *impuri verbi.* (R.)p. 68

(7) Malim, *doctrina vatis inhærens.* (R.) Vide-

(8) Videtur alludere ad illud inter Iudæos olim prouerbii vice iactatum : *Patres comederunt vuas, & filiis obstupuerunt dentes*; Quod Propheta grauiter reprehendit. (R.) 68

Ast vbi de medio sublato Præsule summo,
Eugenius(1) *sacræ suscepit iura cathedræ,*
315 *Ille*(2) *Petri solidam cupiens conuellere petram,*
Vt caput infirmum(3) *per cetera membra dolorem*
Diffundit, Romana petit temerarius ausu
Mœnia sacrilego, totamque nefarius vrbem
Inficit, impuri corruptam semine verbi:
320 **Et populi tantas in clerum concitat iras,*
Vt penitus nullum summo deferret honorem
Pontifici, clerumque odio vexaret iniquo.
Et si quis, cui mens æqui & reuerentior esset,
Et meliora pio flagrarent viscera voto,
325 *Forte refragari, seu dissuadere furorem*
Ausus erat, sesque nouis opponere monstris,
Omnibus ereptis, subuersa funditus æde,
Corporis afflictu, seu tandem sanguine fuso,
Clericus, aut etiam popularis, facta luebat.
330 *Quin etiam titulos Vrbis renouare vetustos,*
Patricios recreare viros(4), *priscosque Quirites*(5)
Nomine plebeio, secernere nomen equestre(6),
Iura tribunorum(7), *sanctum reparare Senatum*(8),
Et senio fessas(9), *mutasque reponere leges,*
335 *Lapsa ruinosis, & adhuc pendentia muris*
Reddere primæuo Capitolia(10) *prisca nitori,*
Consiliis, armisque suæ moderamina summæ
Arbitrio tractare suo, nil iuris in hac re
Pontifici summo, modicum concedere Regi
340 *Suadebat populo*(11): *sic læsa stultus vtraque*(12)
Maiestate, reum geminæ se fecerat aulæ.
Vnde etiam tandem (neque enim reor esse silendum,
Nec de funesto repetatur(13) *postea sermo.)*
Iudicio cleri (14), *nostro sub Principe*(15) *victus,*
345 *Adpensusque cruci, flammaque cremante solutus,*
In cineres, Tyberine(16), *tuas est sparsus in vndas.*
Ne stolidæ plebis, quem fecerat improbus, error(17)
Martyris ossa nouo, cineresue foueret honore.

(1) Secundus, patria Pisanus. Huius autoritate *Gilberti* Pictonum Episcopi, cognomento *Poretani*, damnata sunt de sancta Triade placita: ipse omni crimine leuatus, nec vlla ignominia notatus, quod & dum dies ei diceretur, sensus suos iudicio, arbitrioque concilii Pontificisque moderaturum se testatus fuerat. De hoc *Gilberto* Præsul *Frisingensis* plura lib. posterioris hist. 1. (Sp.)

(2) Scilicet *Arnoldus*: de quo idem *Frisingensis* cap. 27 lib. modo citati, & aliquanto pluribus cap. 20 secundi eiusdem hist. libri. (Sp.)

(3) Confer locum similem lib. 6 vers. 574. Videtur autem *Guntherus* hanc γνώμην a *Seneca* mutuatus, vt alia quoque, de quibus suo loco. Sic enim ille lib. 2 de Clementia, cap. 2; *A capite bona valetudo. Inde omnia vegeta aut erecta, aut languore demissa, prout animus hominum viget aut marcescit.* (Vbi legendum puto: *vegeta & erecta*) *Seuerus tamen fontem morborum stomachum facit.* Grauissime D. *Iohan. Chrysostomus* homil. 6 ad Epes. πάντα οἴχεται καὶ ἀπόλωλε. τὸ δὲ αἴτιον, τὸ τὰς ἀρχοντας νοσεῖν. τῆς γὰρ κεφαλῆς οὐχ ὑγιαινούσης, πῶς ἂν τὸ λοιπὸν σῶμα ἔῤῥωμενον μένοι. (R.) p. 68

(4) Romulus cum nouam suam ciuitatem viribus & robore iuuenum munitam cerneret, vt eam & consilii ope fulciret, centum numero elegit, quos ob honorem *Patres*, ob ætatem *Senatores* appellauit, quorum posteritas per genituram propagata, *Patricii* appellati. (Sp.)

(5) Hoc est, *Romanos*, qui nullius imperio subiecti erant. (Sp.)

(6) Solebant primores equestris ordinis Senatoribus adscribi : qui ob id *conscripti patres* appellati sunt. Huius ordinis insigne erat annulus, quo a plebe distinguebatur. Vtebantur tamen eo Senatus & nobilitas. Tamen promiscuum eius vsum fuisse bello secundo Punico scribit *Plinius*. Nam *alioqui*, inquit,

inquit, *non potuissent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Annibale mitti.* (Sp.)

(7) Horum quinque erant genera. Tribuni seu Præfecti Celerum, Tribuni plebis, Tribuni militum, consulari potestate; Tribuni militares, & Tribuni ærarii. (Sp.)

(8) Quem ideo *sanctum* dicit, quod necesse erat, prius sacra Diis fieri: & nec vllo alio loco, nisi augurato, vt legimus apud *Fenestellam*. (Sp.)

(9) Sic *senium passas leges renouare* dixit lib. 8 v. 486. Elegantissime. Nam vt omnium rerum humanarum est quædam *παρακμή* & senectus, omniaque orta occidunt, vt ait *Sallustius*: Ita ne leges quidem sacratissimæ ab hac communi sorte immunes aut exemptæ sunt. Qua de re videantur, quæ sæpe disserit Imp. *Iustinianus* in l. 2. C. de vetere iure enucleando, & in Nouellis suis. Eodem modo & *Gellius* loquitur lib. 2 c. 24; *Legibus* (inquit) *istis situ atque senio obliteratis.* Pulcre quoque *Liuius* lib. 34 *mortalitatem* tribuit legibus; *Quas tempora aliqua desiderarunt leges, mortales & temporibus ipsis mutabiles esse video*, &c. Sic *Ammianus Marcellinus* lib. 16 scribit: Sullam Dictatorem Leges sumptuarias ex rhetris Lycurgi, id est, axonibus Romam translatas, diuque obseruatas & senescentes paulatim reparasse. Sic alibi *Guntherus* dixit: Leges nonnunquam *iustitio suppressas silere*: vt h. lib. v. 402, & lib. 8 v. 482, Et *ruinam morum ac iuris.* Sicut ergo IC. *Papirius Fronto* Peculium simile esse aiebat hominis, quod scil. nascatur, crescat, decrescat, moriatur, teste Martiano in l. 40 ff de peculio: Ita quid vetat, quin idem & de Legibus dicamus. Parum est igitur, Ius ac Leges in ciuitate esse, nisi & *νομοφύλακες* constituantur, qui iura regere, & temporibus Reip. accomodare leges, & senescentibus vigorem reddere possint. (R.) p. 68

(10) Plurale, pro singulari. recepta figura loquendi. *Fabius* negat libertatem numeri sub grammaticis constringi præceptis. Constat autem apud nobiles autores, sæpe Romanum Capitolium conflagrasse. Lege *Lactantium* cap. 17 tertii. (Sp.)

(11) Quantum eius valuerit oratio, non tantum apud mutabile vulgus, sed ipsum etiam Senatum, abunde declarat exemplum literarum, S. P. Q. R. ad Cæs. *Chunradum* Tertium scriptum: quod *Otho* Pontifex fideliter retulit in primum rerum Ænobarbicarum librum. (Sp.)

(12) Legebatur vterque. Qua retenta lectione hic sensus esset: vterque, scil. & populus, & eius planus *Arnoldus*. Sed melius videtur esse id, quod reposui. Vtraque maiestate, intellige diuina & humana. (R.) p. 69

(13) Augustana editio, *repetetur*. (R.)

(14) Sententia Episcoporum. (Sp.)

(15) Hoc est, potiente rerum summa *Friderico*. (Sp.)

(16) Idem, qui *Tybris*, *Florus* in primo de Anco Martio, *Hic igitur*, inquit, *& mœnia muro complexus est, & interfluentem vrbi Tyberinum, ponte commisit.* Nomen dedit fluuio, cum prius *Albula* diceretur, *Tyberinus* Albanorum Rex, latro insignis, in traiectu fluuii submersus: quod Poeta quoque sequenti mox libro testatur, secutus Maronem. (Sp.)

(17) Ita omnino distinguendum. Vulgo perperam ponitur distinctio post, *fecerat*: quasi coniungenda essent, *improbus error*. Imo *improbus* a *Gunthero* dicitur ipse plebis seductor *Arnoldus*, quem paulo ante *stultum* appellauit v. 340, & *funestum*. v. 343. Significat ergo hominem fuisse *μωρόκακον*, seu stolide improbum, vt eleganter *Buchananus* reddidit Psalm. 14. (R.) p. 69

Iamque Rauennatis (1) *defuncto Præsule sedis,*
350 *Hanc Rex* Anshelmo (2), *Græca de gente reuerso,*
Contulit, emeriti ceu præmia grata laboris,
Curia sæpe suos cathedræ transmittit alumnos.
Sic gemini proceres, veluti duo maxima mundi
Lumina (3), *coniunctis aliquanto tempore castris,*
355 *Hinc pater, inde patris deuotus filius almi,*
Ille sacerdotum celeberrimus, ille (4) *regentum,*
Hic regni gladio metuendus, at ille superno,
Dulcia colloquii tandem consortia nacti
Insatiata pio carpebant gaudia voto,

(1) Hæc est caput *Romandiolæ*, quæ *Flaminia* prius dicebatur: in qua & tunc erat sedes Exarchatus, cuius ditionis fuere Rauenna, Cesena, Ceruia, Forum Liuii, Forum Ruentinorum, Forum Cornelii, Bononia, Mutina: quæ omnia Pipinus Romano Pontifici tribuit: quod & diuus Carolus, & eius postea filius Ludouicus Pius comprobauere, voluereque hanc partem *Romandiolam* dici, velut illustriore nomine: vt oblita Græci nominis *Exarchatus*, reuerentior vrbis Romæ foret. Notum est, olim Præsules Rauennates, quum iura eius ecclesiæ tam late paterent, & refugisse sæpe Romano Pontifici subesse, & in Apostolicam sedem cornua extulisse. (Sp.)

(2) Hamelburgensi. (Sp.)

(3) Interpretes pontificii iuris plenis fatentur buccis, duo luminaria totum mundum illuminare: Solem scilicet, per quem Papa designatur: & Lunam, per quam Imperator. (Sp.)

(4) l. *iste.* (B)

Legendum puto, *Iste* Sic enim vtuntur Latini, vt *Ille* ad remotius membrum quod præcessit, *Iste* ad proximius referatur: vt alias *Hic* & *Ille* referuntur. Exemplum est mox in v. seq. Sic inf. v. 505,

Quo plus ille dato, quam gaudeat iste recepto,.

Sic *Ille* & *iste* sibi mutuo respondent l. 5 v. 158 (R.) p. 69

360 *Cumque petens Romam Sutrii*(1) *iam mœnia rector*
Parua reliquisset, magnæque accederet vrbi,
Occurrere viri patriæ mandata ferentes
Conspicuo sermone quidem phalerata, sed astu,
Et tacitis perplexa dolis: nec protinus ausi,
365 *Ni prius indulto regalis fœdere pacis*(2),
Vt liceat quæcumque ferant, impune profari.
Tunc ita compositis ficto moderamine verbis,
Præmeditata diu molimina protulit vnus.

(1) Peruetustum Etruriæ oppidum, notum defectione a Romanis, & prouerbio, quod ab ea natum. *Plautus* in Cassina vsurpauit, & *Erasmus*, *Valaterranusque* enarrant. *Quasi Sutrium eant.* (Sp.)

(2) Intelligit fidem publicam, vulgus barbare *securitatem*, & *saluum conductum*, & diplomatum formularii magis barbare *passum* appellant. (Sp.)

Ducit in aduentu(1) *felicia gaudia, Princeps,*
370 *Roma potens inuicte tuo, deuotaque pandit*
Mœnia, maternosque sinus aperire potenti(2),
Quem sibi rectorem delegit, gaudet amico,
Imperiumque tibi, atque Augusti nominis vltro,
Quo nihil in terris maius, promittit honorem:
375 *Si modo pace*(3) *venis: si pristina iura fideli*
Ac bene promeritæ conseruas integra matri.

(1) Habes hanc legatorum, S. P. Q. R. orationem, cum Principis responsione apud *Othonem.* Dignæ, vt legantur a quouis rerum anteactarum studioso: qui cognoscet, tum quoque Imperii pontificii iugum Romanis graue fuisse, quod postea ignauia Principum longe maiora cœpit incrementa. (Sp.)

(2) l. *petenti.* (B)

(3) Nomen pro aduerbio positum, *pacifice.* (R.) p. 69

Aspice, quæ fuerit priscis sub Regibus(1) *vrbis*
Gloria, quæ populi libertas(2), *quanta senatus*
Maiestas, Prætoris honos(3), *& Consul vterque*
380 *Annuus*(4), *& gemini plebis tutela*(5) *Tribuni,*
Gratia quæ morum(6), *castarum sanctio legum,*
Pace tenor iuris, iustis audacia bellis,
Quantus amor laudis, patientia quanta laboris:
Hæc sunt, quæ nostram longis prouentibus(7) *vrbem,*
385 *Ex illa tenui nascentis origine fati,*
Ex laribus paruis(8), *& primi Regis asylo*(9),
Stramineisque casis(10), *& sparso sanguine sulco*(11),
Ad celebres titulos, & tanti culmen honoris
Extulerant, vbi(12) *nil, nisi sidera sola, super se*
390 *Cerneret: his gaudens, populos, Regesque per orbem*
Consiliis, validisque sibi subiecerat armis(13).

(1) *Otho* id non Regibus tribuit, sed senatorum sapientiæ, & equestris ordinis virtuti. *Prima* enim *ætas*, hoc est, populi Romani *infantia*, vt ait Florus, *sub Regibus fuit.* Sed constat Romulum instituisse Senatores, qui erant ex tribubus: quas primum ex tota sua multitudine Romulus tres fecit: procedente deinde tempore auctæ, ad triginta & quinque peruenerunt. Senatores, equites, & plebei in has erant diuisi: neque erat quisquam ciuis Romanus, qui non esset alicuius tribus. Lege sextam Antonianam *Ciceronis* ad Pop. Rom. (Sp.)

(2) Idem *Cicero* loco iam indicato vult, in populo & Senatum intelligi, & plebem. (Sp.)

(3) Vt ex *Liuio* constat, cum plebi ad consulatum esset factus aditus, vicissim patribus concessum

concessum est, vt Prætorem crearent: cuius tanta fuit potestas, vt iura condere, abrogare instituta solus posset. Vnde *Iustinianus* Imp. *Prætorum*, inquit, *edicta non modicam obtinent iuris autoritatem.* Hoc etiam *ius honorarium* solemus appellare: quod qui honores gerunt, hoc est, magistratus, autoritatem huic iuri dederunt. De Prætoribus multa *Pomponius* Iuriscosultus, tit. *de origine iuris*: & *Fenestella*. (Sp.)

(4) Mutatam, ait *Florus*, Regiam dominationem in Consularem potestatem, eamque pro perpetua annuam, pro singulari duplicem constitui placuisse: ne potestas solitudine, vel mora corrumperetur. Consulesque pro Regibus appellatos, vt consulere se ciuibus meminisse deberent. (Sp.)

(5) Sic *Regum tutela* Deus dicitur elegantissima a *Scip. Gentili* collega meo coniunctissimo in Paraphrasi Psalm. 145. Notum est, *tutelam* significare non modo eam vim ac potestatem, quæ est tutori in pupillum, sed quamlibet etiam defensionem, conseruationem, ac munitionem. Sic *tutela corporis sui*, *tutela ædificiorum*, *tutela viæ*, *tutela dotis*, *tutela minorum* a Prætore suscepta, &c. passim in iure ciuili occurrit. *Lucanus* l. 4 v. 6.

tutelaque valli
Peruigil alterno paret custodia signo.

Hoc amplius non dissimulabo, *tutelam* a Poetis modo pro *tutore & patrono* seu defensore, modo pro *ipso cliente* vsurpari. Huius exemplum mihi subiecit ex Priapeiis carm. 76;

Est tutela Rhodos beata Solis.

Sic *Horatius* carm. sæculari lib. 4. Od. 6 Romanam iuuentutem Dianæ tutelam vocat:

Virginum primæ, puerique claris Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ.

Illius autem notionis, quando pro *tutore* ponitur, apud eundem *Horatium* exemplum est lib. 4. Od. 14 ad Augustum;

te profugus Scythes
Miratur, o tutela præsens
Italiæ, dominæque Romæ.

Et lib. 1 ep. 1 *rerum tutela mearum cum sis.* Et in Priapeiis carm. 36 Vulcanus *Lemni tutela* dicitur. Et carm. 73 *pomarii tutela diligens* dicitur Priapus. Eadem notione & *Guntherus*, hic vtitur, Tribunos *tutelam plebis* indigitans. Quo pertinent hæc *Sallustiana*, in fragm. Hist. lib. 1. *Concordia gratia plebi tribunitiam potestatem restitui, ex qua omnes discordia accensa.* Et lib. 3; *Erepta in posterum vis tribunitia, telum a maioribus libertati paratum.* Nota res ex *Liuio*, qua occasione & fine instituti Tribuni plebis. (R.) p. 70

(6) Censorem intelligit, qui magistratus & vltimus est, & perfectus, teste *Plutarcho* in Tito Flaminio. Sub eius potestate, morum & disciplinæ censura, decoris & dedecoris discrimen positum est: vt a Senatu mouere indignos, equites ignominia notare, de qua re plura recepti autores. *Cicero* in Oratione pro Cluentio, Censores dicit esse præfectos moribus magistros veteris disciplinæ & seueritatis. *Asconius magistratum pudoris* Censuram nominat. (Sp.)

(7) Tardis processibus, & incrementis. Vt nihil fit repente magnum. Nam *si quis*, vt *Florus* inquit, *Populum Romanum quasi hominem consideret, totamque eius ætatem percenseat, vt cœperit, vtque adoleuerit, vt quasi ad quendam iuuentæ florem peruenerit, vt postea velut consenuerit, quatuor gradus, processusque eius inueniet.* (Sp.)

Forte *Guntherus* scripserat, *prouectibus*, quod magis quadrare videtur. (R.) p. 70

Male *Rittershusius* coniicit, *prouectibus*. Sic alibi, *in tantis scelerum prouentibus.* (B.)

(8) Nam ibi Romulus habitauit, vbi fuit tugurium Faustuli. Scribit *Dionysius Halicarnassensis* libro primo, suo tempore extasse Romuli casam. Fuit autem hæc, vt testatur *P. Victor*, in decima vrbis regione. (Sp.)

(9) Quod Romulus & Remus struxerunt inter arcem & Capitolium, loco *Intermontio* nominato: vt multitudo facinorosorum spe impunitatis eo confluerent ad nouam vrbem incolendam. Cui diuo, diuæue templum sit pro asylo erectum, non constat, & *Dionysius* ignorare se dicit. In Græcia & Asia multa fuerunt asyla. Tiberius Cæsar pertæsus nimiam illorum licentiam, iura omnibus fere illis ademit, vt *Suetonius* & *Tacitus* perhibent. (Sp.)

De Romuli asylo nota res ex *Liuio*, *Dionysio* & aliis. *Florus* seu *Annæus* lib. 1; *Erat in proximo lucus, hunc asylum facit.* *Iuuenalis* in falsos nobiles:

Et tamen vt longe repetas, longeque reuoluas.
Nomen, ab infami gentem deducis asylo.

De abusu autem asylorum per vrbes Græcas sub Tiberio vide *Tacitum* 3. Annal. quæ etiam ad nostros mores accommodari possunt, quando passim similis abusus inualuit. In sacris litteris vrbes perfugii dicuntur asyla, quæ Deus ipse constituit certis quibusdam casibus. (R.) p. 70

(10) Ad has casas & hanc egestatem reuertendum esse Romanis, & in necessitate ac miseriis iacendum, si iustitiam sequi & suum cuique restituere velint, dicebat in sua contra iustitiam & ius naturale disputatione Carneades, teste *Lactantio* lib. 5 c. 17, & epit. c. 1. (R.) p. 71

(11) Propter Remum in pugna occisum, dum vtraque pars de regno contendens, suum ducem Regem consalutasset. Superius indicaui, autores de *Remi* morte non conuenire. (Sp.)

(12) Puto scripsisse Guntherum, *extulerunt vti.* Primum enim hæc systole vsitatissima est optimis auctoribus, sed quæ sæpe deprauata sit: vt docet *Giphanius* Coniectan. Lucret. Deinde *vti* sæpe apud *Guntherum* in *vbi* mutatum fuisse, alibi demonstraui. (R.) p. 71

(13) Quoniam nihil non partum viribus Romani possederunt. (Sp.)

Tunc populus Regi(1) *belli mandata, domique,*
Non populo Rex illa dabat, passuraque nullum
Vrbs erat hæc Regem(2), *nisi quem regnare iuberet,*
395 *Vt patriæ mitis*(3), *non ægre visa ferendo*
Iussa daret(4)*populis*(5), *& magnæ*(6)*Regibus*(7)*vrbis.*
Tunc huius populi mandata, minasque timebat
Ortus, & occiduo(8) *tellus subcincta profundo,*
Et notus, & gelidi boreas sub cardine mundi.
400 *Ast vbi fortunæ vitio, populique pauentis*
Desidia, prisci perierunt signa decoris(9),
Iustitioque(10) *silent longo iam tempore leges*
Suppressæ, tanto retrocessit Roma relapsu,
Vt vix ad decimum lapidem, finesque propinquos
405 *Audeat ipsa*(11) *sui protendere nominis vmbram.*

(1) Similis mos Spartæ viguit, vt Reges ad bella profecturi mandata certa a populo acciperent. Illud autem, *belli domique* Sallustiano, imo & Plautino & Ciceroniano more dictum est, pro eo quod vsitatius est, *domi militiaque.* Hoc ideo quoque moneo, ne quis forte imperite iungat, *mandata belli* & patrio casu accipiat, τὸ *belli. Plautus* bis (quod sciam) hac formula vtitur. Vt Prologo Captiuorum: *Domi bellique duellatores optimi.* Vbi Lambinus *Duellique* legit: cum & in Asinar. ita scriptum sit, Sc. Perfidiæ. *Quæ domi duellique male fecisti. Ennius* 16 Annal. *Hos pestis necuit; pars occidit illa duelli. Cicero* 4 de Republ. Periclem, cum iam ciuitati maxima auctoritate plurimos annos *domi & belli* præfuisset, &c. *Sallustius* bello Iugurth. *Paucorum arbitrio belli domique agitabatur.* Et rursum: *Animus belli ingens, domi modicus.* Sic *Symmachus* lib. 1 ep. 37 *Nemo enim belli notus, aut domi clarus exsortem præmii sensit industriam.* Sic enim ibi legendum pro eo, quod vulgo *bellis*, olim docui in Prodromo meo, quem nouæ scriptoris illius editioni a me aliquando adornandæ præmittere decreueram, vt loca, lautia huic consulari viro, & præsidi vrbi pararet. Nunc me *Schoppius* meus quiescere fecit; cui vt homini amicissimo & trium MSS. librorum auxiliaribus copiis ad eam editionem procurandam instructiori tantam ex *Symmacho* laudem non inuideo. Addo *Sex. Aurel. Victorem*, Domitiano: *Iste primo clementiam simulans, neque adeo iners, domi belloque tolerantior videbatur.* (R.) p. 71

(2) Regis & Domini vox semper in Vrbe infensissima, Principis vero placida, iucunda. Primum notius est quam vt multis probari debeat: posterius satis innuit *Plinius* iunior in Panegyrico ad Traianum: *Sedemque Principis obtinet, ne sit domino locus.* Et de diuo Nerua: *Non enim seruulis suis dominum, sed Principem ciuibus daturus.* Sed & ipsamet vox Principis, indicat inter pares esse principatus: vti princeps Apostolorum, princeps Senatus, inter Senatores primus, qui autoritate, vel ætate præstet: & sic de aliis. Expulsis itaque Regibus, consules creati L. Iunius Brutus, & L. Tarquinius Collatinus, Lucretiæ maritus. Brutus quum non modo Regem, sed ne regium quidem nomen vellet in vrbe superesse, Magistratum collegæ abrogauit: quod Tarquinius vocaretur: isque bonis suis sumptis, vltro Collatiam habitatum migrauit. Hoc factum *Cicero* tertio Officiorum refert non admodum fuisse coniunctum cum honestate: sed quia vtilissimum fuit patriæ, idcirco honestum etiam videri. (Sp.)

(3) Corrupte. l. *miti.* Visa *miti* patriæ Senatus consulta ferenda. (B.)

(4) Hoc est, inconsultis patribus nihil decerneret, ageretve. (Sp.)

(5) Prouinciis: quarum omnium primam Siciliam fuisse, *Tullius* autor est. Quo autem ordine ceteras prouincias Romana respublica assecuta sit, ostendit *Sext. Rufus.* (Sp.)

(6) L. *magni orbis.* (B.)

(7) Occupauerant enim Romani maiorem Africæ & Asiæ partem, tum ceterarum gentium, quæ suis parebant Regibus: de quibus *Florus, Iustinus, Rufus, Orosius* & Chronicorum scriptores, & nuper omnium diligentissime *Budæus* libr. de Asse 4. (Sp.)

(8) Toti vult mundo Romanam potentiam formidatam, cuius limites, siue cardines quatuor duobus versiculis complexus est: vt *Lucanus* tribus in primo, & *Calphurnius* totidem in Delo. Meridies, & Septentrio sunt immobiles. Ortus & Occasus nunquam eodem modo se habent: qui licet eadem in parte, id est, in spatio, quod inter Tropicos est, semper sint, tamen quia nunquam contingit solem illinc oriri hodie, vnde heri oriebatur, nec e regione pari modo occidere, nunquam vnus idemque ortus, & occasus est. Insigni Auli Gellii errore, quem doctissimus Heluetiorum *Vadianus* annotauit, interim Gellianæ diligentiæ patrocinans. (Sp.)

(9) Diuus *Augustinus* Salustii autoritate cap. 18 secundi de ciuitate Dei, ostendit, paruo interuallo post exactos Reges, ex pulcherrima atque optima republica pessimam ac flagitiosissimam factam esse. (Sp.)

(10) *Iustitium*, iuris statio est, quasi inhibitio. Quod verbum olim licet, vt dicit *Budæus*, publicam iuris significaret cessationem, potest tamen & priuati iuris cessationem moribus nostris significare. Indicebatur autem iustitium, vt ex *Liuio* patet, in rebus

bus dubiis & periculosis. Vnde *Fulgentio*, iustitium *publicus luctus* dicitur. (Sp.)

(11) Adeo iuxta homines, & quæ hominum sunt, fatali necessitati debentur. Licet id quum ex multis existimare, tum ex his, quæ Romano acciderunt Imperio. Id quia externis non potuit, suis labefactari cœpit iuribus: vt rem ipsam singulari opere *Blondus* prosecutus est, & nonnihil ego mox in summam contrahens. (Sp.)

Vilis apud gentes(1), *in se mala firma, nec vllo*
Robore fulta sui: quam seditione frequenti,
Atque intestinis lacerat discordia bellis.
Nullus amor iuris, nulla est reuerentia morum,
410 *Nec iam libertas, nec libertatis imago.*
Nusquam Patricii, nusquam sacer ordo senatus,
Nusquam cum gemino Consul, Prætorue Tribuno:
Cumque ruinosis procumbunt(2) *mœnia muris,*
Maiorem morum patimur, querimurque ruinam(3).
415 *Hoc ideo nobis vsu venit optime Princeps,*
Hic disponendi populus(4) *moderamina regni,*
Et totum priscis(5) *frenandi legibus orbem*
Non habet arbitrium: maiestas regia dudum
Abstulit(6), *& priscum populi mutilauit honorem,*
420 *Ex quo Teutonicos admisit Roma tyrannos*(7).
Tu procul a nobis absens, & in orbe remoto,
Rarus in Italia, sed in hac rarissimus vrbe
Esse soles, & (8) *Rege meo mihi notior hospes.*
Sic neque nos nobis(9), *nec tu satis, inclite Rector*
425 *Consulis, & cura miseri fraudamur vtraque,*
Expositi cunctis nullo sub vindice fatis.

(1) Sic Romani vocabant nationes & populos suo imperio neque subditos, neque amicos, neque socios. (R.) p. 72

(2) Augustana editio, *procumbant*, optime. (R.)

(3) Elegantissime dictum exemplo *Petronii Arbitri*: *Namque hoc dedecus est populi, morumque ruina.* Similiter & *Saluianus* lib. 6 de Gubernatione Dei; *Nonne eadem & rerum ruina & morum?* (R.)

(4) Scilicet Romanus: quo nomine & Senatus comprehenditur, vt iam autoritate Ciceronis ostendimus. (Sp.)

(5) *Appianus* in præfatione historiæ, terminos Romani Imperii sub Adriano Principe, quo tempore ipse historiam scripsit, late describit. Meminit item *Pomponius Lætus*. (Sp.)

(6) Romani Regibus exactis, vsque ad septingentesimum annum sub statu populari & ciuili, qui *Politia* græce dicitur, imperium suum propagarunt: quoad Caius Cæsar, qui Dictaturam perpetuam suscepit, republica oppressa, & in potestatem suam redacta, re vera Principem egit, licet nomen reipublicæ antiquari noluerit: a quo tempore longa annorum serie, vnius semper arbitrio rectum est, perinde atque in regno fieri solitum est. Hoc tantum interest, quod regio nomine Principes abstinuerunt, Imperatores se dici contenti: quo nomine prisci duces, Romani populi censebantur, sed annua potestate creati. Tum variis casibus res Romana sub Cæsaribus agitata, sensim in peius delapsa est, ac quantum nonnunquam vnius, alteriusve Principis virtute, vt senile aliquod corpus, morbo & ægritudine, visa est leuari: tantum sequentium stultitia est grauiter afflicta, donec vrgente siue fato, siue humanitatis alea, demum a Gothis deuicta, direpta, atque incensa, desiit gentium, vt antea, esse caput. (Sp.)

(7) Cum Germania omnis *Caroli* Magni tempore Franciæ Orientalis nomen acceperit, vt ostendunt recepti autores, Antistes *Frisingensis*, & *Lupoldus* Babenbergensis, Annales item nostri, Moguntiam Franciæ metropolim fuisse testentur, mirum est, cur tam impudenter quidam negent, Imperium in Germanos a *Carolo* transmissum. Quamuis ille potius suis auspiciis occidentale instaurauit, quod Gothi, Hunni, Vandali, Longobardi, omnes ex Germania euerterant, vt Orientale Turcæ, qui ex Perside prouenerant. Quæ res non latuit fortissimum *Fridericum* nostrum: vt ex eius, quæ mox sequitur, ad Legatorum Romanorum orationem, responsione patet. (Sp.)

Reges. Veteres enim Reges omnes, Principesque etiam iustissimos *tyrannos* appellabant, vt apud *Virgilium*, & *Horatium*. Nam & ipsum nomen, quod græcum est, principatum tamen modo significat. Hodie autem malum Principem proprie significat; tantum consuetudo potest, & obtinuit. Docet *Baldus*, tyranno neque fidem, neque iusiurandum præstitum seruari oportere, neque legitimo etiam Principi, quod plus est in eo, quod tyrannum agit. Hanc *Baldi* doctrinam commendant *Iason*, & *Cotta*, vt refert *Salomonius*. (Sp.)

(8) L. *es* vel *est*. (B.)

(9) Videntur certe Romani hic aliquid dicere. Res enim ipsa docuit, ideo tam variis casibus & infortuniis diuexatam esse Romam,

mam, quod inde procul abessent Impp. Quippe non solum heri vestigia agrum pinguefaciunt, sed etiam præsentia Regis maxime salutaris est regno; absentia perniciosa: vt ipse testatur *Guntherus* infra lib. 5 v. 577. (R.) p. 72

Respice nos animo tandem, vultuque benigno,
Atque ipsam deflere puta tibi talia Romam.
Si te cura mei tangit(1), *si gratia matris*
430 *Vlla mouet, si Teutonica de gente vocatum*
Imperii summa gaudens in sede locaui,
Redde vicem meritis (2), *& dignos gratus honores.*
Longos pelle situs, antiqua refloreat ætas,
Prisca vetustorum redeant insignia morum.
435 *Patricios* (3), *ciues, priscos arcesse Quirites,*
Nomine plebeio secedat nobilis ordo.
Da libertatem, sanctumque repone senatum (4):
Iam redeat senior(5), *redeat cum Consule Prætor,*
Et redeant gemini cum dictatore (6) *Tribuni.*
440 *Curia respiret*(7), *Capitolia lapsa resurgant,*
Pulchra vetustorum redeant insignia morum(8).
Gaude, quod tanti dudum sit gloria facti
Temporibus seruata tuis: felicior illo
Aduenias, cuius pariter nomenque locumque
445 *Suscipis Augusto, Traiano mitior adsis*(9),
Quæque alii Reges iurando fœdera mecum
Tempus adusque tuum pepegerunt, tu quoque iura:
Ne concessa mihi(10), *priscorum munere Regum,*
Vel resecare velis, vel tollere: neue salutis
450 *Pro me, proque mea fugias discrimina*(11) *plebe,*
Largaque Romanæ persoluas munera plebi,
Vt tibi festiuum celebret deuota(12) *triumphum.*

(1) Ita reposui pro, *tangat*. Sequitur enim, *mouet*: & locaui. (R.) p. 72

(2) Τὸν ἐνεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχόμενος τίειν, vt *Pindarus* ait. (R.) p. 72

(3) Hæc hauserunt Romani ex dogmate *Arnoldi Brixiensis*, de quo supra v. 331. (R.) p. 72

(4) Quanta illius autoritas fuerit, licet ex *Liuio* intelligere libro primo ab vrbe cond. (Sp.)

(5) Signat, ni fallor, principem senatus, de quo *Plutarchus* in Africano: *Sequentes*, inquit, *censores alii, atque alii principem senatus* Africanum *legerunt*. Quod genus honoris iis tantum deferri consueuit, qui autoritatem & gloriam maximis in rempublicam meritis præstantissimisque rebus gestis essent consecuti. (Sp.)

Forte legendum, *censor*. An exemplum apud *Liuium* est lib. 1 Dec. 1, *Senior* pro *Senatore*? Atqui iam præcessit Senatus. (R.) p. 72

Optime Ritterhusius, *censor*. (B.)

(6) Proximus regiæ dominationi is magistratus fuit: qui tamen non aliter creari consueuit, quam cum vis aliqua maior de improuiso oboriretur. (Sp.)

(7) Teste *Pomponio* Iureconsulto, aucta ad aliquem modum ciuitate, ipse Romulus traditur, populum in triginta partes diuisisse, quas partes curias appellarit: propterea, quod tunc reipublicæ curam per sententias earum partium expediebat. (Sp.)

(8) *Censuram* intelligit: qui magistratus quinto quoque anno creari solebat: de quorum potestate variat *Cicero* in Orationibus modo eleuans, modo extollens eam, prout seruiebat caussæ. Sentit clarissimus vir *Andreas Alciatus*, perquam necessarium recte institutis vrbibus esse censorium magistratum: quem tamen queritur hodie nusquam esse: *cum ea*, inquiens, *quæ ad auaritiam pecuniarumque corrasionem pertinent officia, mirum in modum coaluerint, vbique laqueos tendentibus satrapis, hallucinantibus theologis, adulantibus iurisconsultis, persuadentibusque, omnia Principibus licere, summamque eorum & liberam esse potestatem. Quod certe in Italia verum non est. Romani enim ceteris Italis in societatem attractis, in Augustum lege regia non nisi ius transferre potuerunt, quod ipsi ex fœdere habebant: vt ridiculum sit affirmare, Pontificibus, Ducibus, & quos germanica voce* Marchiones *vocant, absolutam in subditos potestatem competere, qua nec ipsi Imperatori in Italos competit, vnde illi caussam habent. Atque hinc est, quod in tractatu de* censibus, *ius Italicum, a prouincialium iure distinguitur. Illi in censum vniuersas facultates deferre tenebantur, & tributum soluebant. Itali liberi erant, æquoque cum Romanis iure agebant. Sola antiquam indolem retinuerunt in Germania ciuitates, quas illi* Francas, *vocant. Vt enim Imperatoris fastigium libenter agnoscunt, ita tributis se atteri, violentia vrgeri, tyrannide opprimi non patiuntur. Vnde Gal-*

de Gallis trans Alpes quam citra nihil seruilius: nisi quod aliquanto minus Itali degenerant: qui nisi mutuis odiis attererentur, iugum excuterent. (Sp.)

(9) Notum est, Augusti felicitatem, quæ tamen calamitatibus mixta fuit, vt in 1 lib. ex autoritate *Plinii* ostendimas, ceteris optatam Principibus. Tanta quoque Traiani fuit bonitas, vt illa in acclamationibus, Principibus exhiberi solitis, cum Augusti felicitate adprecaretur. (Sp.)

Prouerbiale quiddam hæc sapiunt: *Augusto felicior, Traiano mitior vel melior.* Eumque morem sic acclamandi Principibus in Senatu ad suam vsque ætatem durasse scribit * *Eutropius*, qui Valentiniano æuo vixit; immo & qui illo longe posterior fuit *, *Ioan. Sarisberiensis* lib. 5 c. 8. Policratici: FELICIOR AVGVSTO, MELIOR SIS TRAIANO. Quia sicut *Augustus* felicissimus, ita & *Traianus* Imp. optimus diu habitus est: vt idem ait lib. 8 c. 19. * *Eutropii* verba hæc sunt lib. 8; *Huius* Traiani *tantum memoria datum, vt vsque ad nostram ætatem non aliter Principibus in senatu acclametur, nisi, FELICIOR AVGVSTO, MELIOR TRAIANO* *. Constat autem tum ex *Plinii* Panegyrico, tum ex historicis, *Traianum* optimum Principem Senatus decreto appellatum esse. Quod cognomen etiam *Iustinianus* ei tribuit in § quod quidem ius. Inst. Quibus non est permiss. fac. testam. Vnde libenter correxerim *Symmachum* lib. 1 ep. 7, sic legendo: *Bonus Nerua, Traianus optimus, Antoninus Pius innocens, Marcus plenus officii, temporibus adiuti sunt.* Vulgo ibi legitur: *Bonus Nerua Traianus, Antoninus Pius,* &c. Omisso verbo, *Optimus*: quod omnino videtur interponendum, separandusque Nerua a Traiano, tanquam pater a filio adoptiuo, antecessor a successore. Quamuis ex *Schoppii* litteris didicerim in vetustiss. C. Mic. non, *optimus*, sed *strenuus* ibi interponi. Felices appellari solere Imperatores, notius est, quam vt hic dici debeat. (R.) p. 72 seq.

(10) Scil. priuilegia immunitatesque. An legendum *concessa munera*? Puto autem scripsisse Guntherum: *Nec concessa,* &c. (R.) p. 73

(11) Noue dictum. (R.)

(12) Sic infra 7 v. 125. *tibi deuota pignora mentis.* Alludit autem ad antiquam formulam, qua ad Principem vtebantur: *Deuotus numini maiestatique eius.* (R.) p. 73

Dixit: at ille dolos, infectaque verba veneno
Comperit, & contra regali concitus ira,
455 *Dissimulare grauem contemnens voce dolorem.*
Quantum Roma meo(1), *non Roma, sed incola Romæ*
Gaudeat aduentu, secretæ consona menti
Verba satis fecere(2) *palam: commercia certe*
Non satis æqua mihi faciunt, dum vendere nobis
460 *Nostra volunt*(3), *veluti plenis cum follibus*(4) *emptum*
Adueniam, pretioque nouos sumpturus honores(5),
Quos sibi iam proprios effecit Francona virtus(6).
Non emimus fasces, non si credamus emendos,
Præter virtutem pretium, quod detur habemus.
465 *Hoc mihi vel nullo venient commercia pacto*(7).
Non turget loculis inserta pecunia nostris:
Nec multis opibus, sed laude venimus onusti(8).
Non est Teutonico cumulata pecunia cordi(9),
Nec sibi quærit opes, sed pulchræ laudis honores(10).
470 *Non habet ille suum, sed habentibus imperat aurum*(11)
Quanto Romanus studio cupidissimus æra
Congerit, & magno vigilans incumbit aceruo:
Tanto Teutonicus vel adhuc maiore, paratas
Fundit opes, nitidasque manus erugine turpi
475 *Fœdari scelus esse putat, dignumque pudore.*
Inuigilent opibus cupidi, mihi sola potestas
Sufficit, & cunctis dare iura potentia terris.
Quo mihi diuitias? cui seruit gloria mundi,
Quem possessor opum cum paupere diues adorat.
480 *Quicquid habet locuples, quicquid custodit auarus,*
Quicquid in occultis abscondit terra cauernis,
Iure quidem nostrum(12), *populo concedimus vsum.*
Rege figuratam, Regis patet esse monetam
Cæsaris, & domino sub Cæsare fulget imago.
485 *Quo mihi diuitias? cui quæque potissima Reges*
Ac populi crebris non cessant mittere donis.

Semper

Semper habet veteres, semper videt aula recentes
Vndique legatos, & ab omni Principe missos,
Semper ab ignotis veniunt noua munera terris.

(1) Lege *Othonem* Pontificem, & cognosces quam vere Germanicus Princeps vanam Italorum contuderit arrogantiam. (Sp.)

(2) Augustana editio, *sedere.* (R.)

(3) Quasi dicat Imperator, cum rei suæ emptio non valeat. l. 16 suæ rei. ff. de contrah. empt. l. 4 C. eod. l. 45. neque pignus. ff. de reg. iur. cum id, quod cuiusque proprium est, non possit amplius ipsius fieri. §. sed si rem. Inst. de legat. §. sic itaque de action. l. 159. non vt ex pluribus. ff. de reg. iur. (R.) p. 73

(4) Inter pecuniæ receptacula numerantur ab *Asconio Pediano* folles, & bulgæ. Vtitur in ea significatione *Iuuenalis*, & *Vegetius*, qui singulis cohortibus denos folles assignati dicit, quibus seruabatur æs militare. *Plautus* in Epidico facete *follitum* pro opulento dixit. *Guntherus* hoc loco *follium* nomen, ad id quod continet, numos videlicet transtulit. (Sp.)

(5) Honores non debent venales fieri, neque pecunia comparari, sed virtute. *Sallustius* 1 ad Cæs. de Rep. ord. Grauissime *Ioan. Chrysostomus* homil. 6 ad Ephes. ὠνηταὶ γεγόνασιν αἱ ἀρχαί. μυρία ἐντεῦθεν τίκτεται κακά. Id est, *Venales facti sunt magistratus. Inde innumerabilia gignuntur mala.* Vide Animaduers. *Is. Casauboni* in Suetonium, * & *Regnerum Sixtinum* in tract. *de Regalibus* lib. 2 cap. 16 n. 26 & seq. vsque ad finem *. Verissime *Iustinianus* Nouella 8 nundinationem magistratuum ait esse *omnis improbitatis principium & finem.* Et *Alexander Seuerus* dicebat: *Necesse esse, vt qui magistratum emerit, eundem rursus vendat: nec sine rubore puniri posse eum, qui quod emit, vendit.* Nam vt *Seneca* inquit: *Quod emeris vendere, gentium ius est. Vnde non mirum, spoliari prouincias, & nummarium tribunal audita vtrinque licitatione alteri addici*, lib. 1 de benef. c. 9. Vid. & l. vlt. C. ad l. Iul. repet. Quod si inferiorum magistratuum tales fieri nundinationes turpe est, quanto idem flagitiosius erit in supremo dignitatis fastigio? vt aliquando Imperium Romanum quasi sub hasta venditum legimus, & a militibus ei addictum, qui plus obtulisset. Sic detestanda est nundinatio Imperii Germanici a Carolo IV, quem Bohemi patrem patriæ appellant. Is enim filio suo Wencellao hominum ignauissimo tam peruerse studuit, vt ei nondum etiam bimulo Imperium redemerit ab Electoribus, quorum singulis centena millia aureorum promiserat, id est, Tonnam auri. Quam pecuniam cum repræsentare non posset, publica eis Imperii Romani vectigalia obligauit, atque ita vires Imperii & neruos non mediocriter incidit ac imminuit. Vide *Æneam Siluium* histor. Bohem. c. 34. Quid autem de Sacerdotiis venalibus dicendum? (quam *Simoniam* vocant) Quicquamne hac re foedius cogitari potest? Et tamen fuit tempus, cum & hæc passim essent venalia, omniaque pecuniæ obedirent. Vide *Ioan. Tilium* Chron. Gall. (R.) p. 73 seq.

(6) Augustana editio, *Gallica.* Sed melius videtur *Francona.* Est autem periphrasis elegans, pro *Franci* seu (vt vulgo) *Francones.* Sic *virtus Catonis* apud *Horatium*: τηλεμάχου ἲς, & sexcenta talia apud *Homerum* & *Q. Smyrnaeum.* Notetur hic elegantissima γνώμη: *Virtus est pretium, quo fasces & honores emuntur.* Sed Sententias, quibus abundat *Guntherus*, colligemus in Indice vno loco. (R.) p. 74

Hoc est, quod *Otho* dicit: *Superuenis Francus* (intellige Germanicus, qui & Orientalis) *vere nomine & re nobilis, eamque, quæ adhuc in te residua fuit, ingenuitatem, fortiter eripuit.* Dixit autem, *Francona virtus*, vt supra, *Francona iura.* (Sp.)

(7) Forma orationis venusta, qua significamus summam vehementiam & fiduciam, quam in re aliqua collocamus. Sic infra lib. 4. v. 531.

Aut hic aut nusquam gelidam transibimus Alpem.

Sic *Ouidius*:

Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
Solus Achilleo tollere more potest.

(R.) p. 74

(8) Sic lib. 5 vers. 3 *summa cognomine laudis onustum* dixit. Alibi, *legatos donis & muneribus onustos.* Quomodo *Horatius* lib. 1 epist. 7

Tam teneor dono, quam si dimittar onustus. (R.) p. 74

(9) Ex *Tacito* constat, maiores nostros auri & argenti fuisse spretores, nec alia in re magis, quam pecuaria suas statuisse opes. Posteri externorum donatione moti, & muneribus corrupti, degenerare cœperunt, vt scribit *Otho* libr. secundo Chronicorum. (Sp.)

(10) Placet impense quod apud *Sallustium* Bello Iugurth. ait Marius, se ex parente suo & ex aliis sanctis viris ita accepisse, *Omnibus bonis oportere plus gloriæ, quam diuitiarum esse.* Quam in sententiam pulcerrime *Quintus Smyrnaeus* lib. 14;

ἄνδρι γὰρ πινυτῷ καὶ ἐχέφρονι πολλὸν ἄμεινον
κῦδος καὶ χρυσοῖο καὶ εἴδεος, ἠδὲ καὶ ἄλλων
ἐσθλῶν ὁππόσα ἐστὶ καὶ ἔσσεται ἀνθρώποισιν.

Quos versus ita fecimus Latinos:

Gloria quippe viro prudenti plurimum & auro
Et domui, & cunctis, quæ homini contingere possunt,
Antistare bonis, ac potior vna putanda est.

Quibus

Quibus affinia sunt ista *Theocritica* in Idyllio, cui tit. χάριτες.

> αὐτὰρ ἐγὼ τιμάν τε καὶ ἀνθρώπων φιλότητα
> πολλῶν ἡμιόνων τε καὶ ἵππων πρόσθεν ἑλοίμαν.

Quæ ita fere sonant Latine:

> *Est mihi gloria pluris amicitiaque bonorum,*
> *Plurima quam mulorum & equorum armenta tenere.*

Seneca quoque de contemptu diuitiarum lib. 22 epist. 12; *Maius est* (inquit) *regno regias opes posse contemnere.* Sed ipse tamen (vt hoc transiens addam) eas non contemsit. Constat enim, ditissimum fuisse: adeoque studiosum parandæ rei, vt ter millies sestertium quadriennio cumularit, *Tacito* teste: quæ summa valet centies quinquagies centena millia Caroleorum: seu vt vulgo computamus ἐν πλάτει, Tonnas auri centum quinquaginta. Facile igitur ei fuit de paupertate ad legem naturæ composita philosophari, quemadmodum

> *Qui satur est, pleno laudat ieiunia ventre,*
> *Et quem nulla premit sitis, est sitientibus asper.* (R.) p. 75

(11) Expressit ex apophthegmate C. Fabricii: cui ad focum sedenti cum Samnites magnam auri vim attulissent, quo eum corrumperent, respuit, dicens: Malle se habentibus aurum imperare, quam aurum habere. (R.) p. 76

(12) Quatenus omnia sint Imperatoris, vid. ICtorum disputationes ad l. ἀξίωσις. ff. de leg. Rhod. de iactu. *Seneca* 7 de benef. c. 4; *Iure ciuili* (inquit) *omnia Regis sunt.* Et c. 5; *Sub optimo Rege, omnia Rex imperio possidet; singuli dominio.* Vetus & nobilis hac de re controuersia fuit inter Martinum & Bulgarum, antiquos Iuris ciuilis Glossatores, qui *Friderico* nostro σύγχρονοι fuere. (R.) p. 76

490 *Ergo pudet, populo quasi debita cogar auaro*
Soluere, cui magni soluunt indebita Reges.
Miror ab antiquo famosam moribus vrbem
Tam fœdum sperasse(1) *nefas, vt Rege coacto*
Erueret pretium, veluti iam carcere vasto
495 *Inclusum duris astrinxerit illa catenis.*
Ergone Roma tuo legem vis ponere Regi?
Cum potius Regem deceat te subdere legi.
Millia quinque(2) *tibi librarum debita poscis:*
Poscenti debere nego: largitio Reges
500 *Non extorta*(3) *decet: captiuos ista reosque*
Sors premit, extortis rediment sua tempora(4) *nummis.*
Munera magnorum læta atque vltronea Regum
Esse volunt: vt dans plus gaudeat accipiente(5).
Hoc est gratuitum, quod possum(6) *dicere solum,*
505 *Quo plus ille dato, quam gaudeat iste recepto.*
Hunc mihi munifici morem liquere parentes,
Hunc retinere libet: nec plebem munere largo
Lætificare tuam renuo, sed pacta recuso.
Nil nisi gratuito manus hæc dare nouit, & vltro.
510 *Iuramenta petis? Regem iurare minori*
Turpe reor(7), *nudo* ius*(8) *& reuerentia verbo* * f. vis (R.)
Regis inesse solet, quouis iuramine maior.
Non decet in labiis versari lubrica Regis,
Non decet ore sacro mendacia cudere Regem:
515 *Sancta & plena suo sunt regia pondere verba,*
Dicta semel nullum patiuntur iure recursum(9).
Ergo quod instigas iurando, iure pacisci,
Pone metum curæ(10), *vel non iuratus habebo.*

(1) Malim, *spirasse.* (R.)

(2) Miror hanc quantitatem supra in postulatis Romanorum non fuisse positam, quæ tamen hic in responsione Imperatoris exprimatur. At tacite petiuerunt Romani, opinor, quod largitio Regum vsitata erat tantæ summæ: apud *Othonem* certe *Frisingensem* exprimitur. Si libras auri hic intelligas, erunt septingenta millia aureorum Rhenensium, hoc est: quasi septem Tonnæ auri. Nam libra duas continet marcas: marca vero vna olim septuaginta florenos Rhenenses; hodie 75. Ex hac summa æstimare licet, quanta in Romanis fuerit sitis auri, qui tantum ab Imperatore postulare ausi sint. Eandem in ipsis alias quoque *Guntherus* notat, & auri insatiabiles esse scribit, adeoque inflammatos census ingentis amore. Vt lib. 6 v. 263, vt v. 655. Nec mysterio carere videtur cabalistica quorundam

rundam obseruatio, quod initiales literæ huius Paulinæ Sententiæ: *Radix Omnium Malorum Auaritia*, constituant vocem ROMA: cui tamen quisque quantum volet per me licet tribuat. (R.) p. 76

Romanis duplex libra fuit. *Antiqua*, quæ exacta subinde nominatur, 12 vnciis perfecta, quæ proprie Romanorum fuit. *Centenaria*: inde nomen sortita, quod centum haberet drachmas, nihil differens a Mina græca, sola semiuncia exactam illam Romanam superans: a *Budeo argentaria* vocata. Hanc opinantur necessario vsui fuisse, propter tantam, non modo mercimoniorum, sed rerum omnium vltro citroque cum eis communionem. (Sp.)

(3) Nam in necessitatibus nemo liberalis existit, vt ait *Modestinus* l. 18 rem legatam. ff. de adim. legat. Et vt *Papinianus*: Donari videtur, quod nullo iure cogente conceditur. l. 82 ff. de reg. iur. l. 29. ff. de donat. Quid quod Deus ipse hilarem datorem amat, vt est in sacris literis? Sicut etiam vice versa inuito beneficium non datur l. 69 ff. de reg. iuris. (R.) p. 76

(4) Id est, se, vel suas miserias: vt Cicero, *hoc meo tempore*: id est, rebus meis aduersis. (R.) p. 77

(5) Respexisse videtur ad definitionem beneficii traditam a *Seneca*, & laudatam in vsibus Feudorum lib. 2 tit. 23. In quibus causis feud. amitt. *Beneficium nihil aliud est, quam beneuola actio, tribuens gaudium capientibus, capiensque tribuendo, in id, quod facit prona, & sponte sua parata.* (R.) p. 77

(6) Aug. editio, *possim*. (R.)

(7) * Vid. omnino ad hanc sententiam *Friderici I* historiam, quam refert *Hotomannus* ex *Adizone* illustr. quæst. 35. Infra tamen *Fridericus* noster *per regia nomina* iurat, 5, 510. Apud *Cassiodorum* in *Var.* videre est, vt non solum Regi iuretur a subditis, verum & Rex iuret subditis per suos legatos. Ibi ep. 4 miratu digna sunt verba *Athalarici* Regis ad populum: *Ecce Traiani vestri clarum seculis reparaturus exemplum, iurat vobis, per quem iuratis, nec potest ab illo quisquam falli, quo inuocato non licet impune mentiri.* Cum ait, *per quem iuratis*, respicit ad ius iurandum, quod fieri solebat *per genium Principis*, vt l. 13 si duo patroni § vlt. D. de iure iur. siue *per Principis venerationem*, vt ait *Alexander* Imp. in l. 2 C. de reb. cred. Ad hanc tamen recusationem iuris iurandi a *Friderico I* factam non immerito quis subsistat, qui quidem meminerit, nullam vnquam ita bardam ac stupidam gentem fuisse, quæ non Regem suum ad fidem & tutelam regni iurandam inter inaugurandum adegerit; vt scribit *Hotomannus* disp. feudal. c. 32, allegato ad eam rem iuris Saxonici exemplo l. b. 3 artic. 54. * (R.) p. 77

(8) Id est, *vigor*: & *nudo*, hoc est, *simplici verbo*: quod vulgus causidicorum vocat, absque pacto, iureque iurando vallatum. (Sp.)

Non est ab hoc loco alienum, quod vulgo receptum est, promissionem a Principe factam sub fide & dignitate principali (*Bey Fürstlichen Ehren und VVürden*) æquipollere iuramento. Quod probat *Ioach. Mynsingerus* Cent. 1 obseru. 17. Sic vim iurisiurandi habet inter Hispanos, vt audiui, si Nobilis vel Princeps per honorem equestrem aliquid promittat: qua formula etiam Rex ipse vtitur & obligatur. (R.) p. 77

(9) Talis sit Princeps, qualis Iupiter Homericus: cuius sunt ista Iliad. 1 v. 529

> ὐ γὰρ ἐμὸν παλινάγρετον, ὐδ᾽ ἀπατηλὸν,
> ὐδ᾽ ἀτελεύτητόν γ᾽, ὅτι κεν κεφαλῇ κατανεύσω. h. e.
>
> *Nil fallax nostro aut reuocabile prodit ab ore:*
> *Nec linquo infectum, quicquid caput annuet istud.*

Nec ineleganter huc accommodauit *Baldus* illud Psalmi: *Semel locutus est Deus.* Notanda hæc sunt aduersus principium Machiauellicum, quod homo impius suo Principi inculcat, Principem quiduis & simulare & dissimulare, adeoque etiam iuratam fidem fallere debere, quoties ipsi vtile est. Vid. *Machiauelli* Principem. Exempla vero suppeditat Historia Gallica, & Scotica. Nam apud *Georg. Buchananum* lib. 16 Rer. Scoticar. quidam in hoc ludo edocti, non dubitant palam quoque hoc profiteri: Fidem promissorum non adeo anxie a Principibus exigendam, sed quatenus eam præstare commodum eis videretur. Sed ad hanc rem plura in Commentario nostro, *De fide ciuis homini ex iure gentium seruanda.* (R.) p. 77

(10) Scilicet iusiurandum, alioqui non video, quo hoc verbum referatur. (R.) p. 77

Scilicet *curam tui*, quod non capit *Rittershusius*. (B.)

Adde, quod hoc ipsum nostris est vtile rebus,
520 *Quod petis, & nobis nullo suadente gerendum:*
Iura vetusta feram, potius supplere paratus,
Quam minuisse bonis aliquid de moribus vrbis.
Te mihi vel summo non conseruabo periclo:
Dum mea non esses(1), *summo discrimine iussi*
525 *Esse meam: nunc cum mea sis, iam facta relinquam?*
Namque quod imperium(2), *te Roma vocante, receptum*
Adseris, & meriti peragis præconia tanti,
Non magni reputare libet: venisse vocatum

Confiteor

Confiteor, sed quæ fuerit tibi caussa vocandi,
530 *Ne multum te forte putes meruisse, videndum est.*
Hostibus infestis, & belli pressa tumultu
Vndique, nec propriis vltra tutanda, nec illis(3),
Quas tibi tentaras precibus consciscere vires,
Desperata diu, cunctisque relicta iacebas.
535 *Nunc vbi Roma tuæ vires? vbi perfidus ille*
Græculus(4)? *& Siculæ vindex tuus arbiter aulæ,*
Quem tibi tutorem, timeas licet ore fateri(5),
Mente tamen tractas, fortassis sentiet ille,
Roma, tuus vindex, veniant modo congrua rerum
540 *Tempora, Teutonici vires & pondera regni.*

(1) Eodem fere modo *Paulus* de Deo colligit in epist. ad Roman. *Cum Dei inimici essemus, filium suum nobis dedit, per quem sibi nos reconciliaret: quid ni ergo iam multo magis omnia nobis daret cum ipso?* (R.) p. 78

(2) Malim, *imperio*, vel, *nam quod in imperium*. (R.)

(3) *Viribus* scilibet. (R.)

(4) *Manuelem* intelligit Imp. Novæ Romæ seu Constantinopolis: de quo supra lib. I *Græculus* contemptim & κατ' ἐξοχὴν dicitur, vt apud *Iuuenalem*:

Græculus esuriens ad calum iusseris ibit.

Nationis huius leuitatem *Cicero* quoque pro Flacco notauit. (R.) p. 78

(5) Ita correxi distinctionem, quæ hic fœde peccabat, alieno loco posita interrogationis nota. Peccabat etiam in sequentibus. (R.) p. 78

Tandem consilio, sicut patet, vsa salubri,
Francorum vires, inuictaque signa rogasti,
Affluit immensi domitor fortissimus orbis
Carolus(1), *& magna miseram virtute*(2) *redemit.*
545 *Ereptumque manu mediis ex hostibus in se*
Transtulit imperium, belliquc tenore recepta
Hæc tua Francorum sociauit mœnia regno.
Nunc age collatos nobis, tua munera, fasces,
Et quasi gratuita primum bonitate vocatos
550 *Magnifico sermone refer: sed verius illud*
Implorare fuit: sic pauper(3) *ad ostia clausa*
Sepius implorans, querulo vocat ore potentem.

(1) Carolus scilicet Magnus. (Sp.)

(2) *Belli*, vt *Plautus* loqui amat. Cum igitur *Carolus* manu militari in se transtulerit Imperium, quomodo gloriatur P.pa *Innocentius III*, Sedem Apostolicam Romanum Imperium a Græcis transtulisse in Germanos in persona *Magnifici Caroli*? c. venerabilem. extr. de elect. (R.) p. 78

(3) Id est, mendicus. Vt apud Græcos non quiuis πένης est πτωχὸς, ita nec omnis pauper est mendicus. *Ille*, quamuis ægre, tamen suo victu se sustentat ac tolerat; *Hic*, ab alieno totus pendet. (R.) p. 78

Namque Beringerum Desideriumque *tyrannos*(1)
Roma tuos, quibus attonitum ceruice subacta
555 *Subdideras miserande caput, quis nesciat armis*
Francorum victos, captosque, æternaque passos
Exilia(2), *in nostro per tempora plurima regno*
Victori seruisse suo, tardaque senecta
Tandem seruili pressisse cadauere terram?
560 *Illa dies vno tua pristina iura triumpho,*
Si qua tibi Graiæ fortuna reliquerat vrbis(3),
Transtulit in Francos, non sunt extincta, sed extant,
Imperium comitata suum(4), *quod debita secum*
Ornamenta trahens nudum vacuumque decoris
565 *Non poterat transire sui: mea respice castra*
Omnia, quæ dudum quereris sublata, videbis
Nomine mutato sub eadem viuere forma(5).
Hic Eques, hic Prætor, hic Consulis, atque Tribuni

Imperiosus honos, & publica cura senatus(6).
570 *Aspice Teutonicos proceres, equitumque catervas.*
Hos tu Patricios, hos tu cognosce Quirites,
Hunc tibi perpetuo dominantem iure senatum:
Hii te Roma suis (nolis licet) ipsa gubernant
Legibus, hii pacis bellique negotia tractant.
575 *Sed libertatis titulos antiquaque legum*
Tempora commemoras: quas leges, improba, præter
Teutonicas, aut quæ præter mea iura requiris?
Quæ tibi libertas poterit contingere maior,
Quam Regi seruire tuo? Sic fatur, & acres
580 *Ingenuo vultu regaliter excitat iras.*
Audierant, stupidoque metu præcordia pressi
Obticuere viri, multisque rogantibus, an ne
Plura loqui vellent? nihil vltra vocibus ausos
Addere præmissis, tantum dixisse pigebat.
585 *Tantus eis tristes irato Principe vultus*
Cernere terror erat: mallent siluisse, nec vnquam
Suscepisse suæ peragenda negotia Romæ,
Securosque petunt in mœnia tuta regressus,
Orsa relaturi metuendi Principis vrbi.

(1) Defuncto Arnulfo Imp. Carolingo, Romani alterum in Italia Regem *Berengarium* primum, quem & Imperatorem appellabant. Alterum Germani *Ludouicum* Arnulfi filium successorem crearunt. Eaque discordia fere 60 annis durauit, vsque ad *Othonem* primum: qui *Berengarium* tertium, cuius hic fit mentio, primi ex filia nepotem, cum *Adalberto* filio apud forum Iulii prœlio superatum, regno Italiæ deiecit: ei tamen ex liberalitate, Gallia Cisalpina trans Padum, præter pauca oppida, regenda commissa. Quem rursus minime quiescentem, cum abiisset in Germaniam, iterum contra eum reuersus, prœlio vtrimque fusum, ac in potestatem receptum, alterum Constantinopolim misit, in Austriam alterum exilio secum duxit. Supra vero memini *Desiderii* Longobardorum Regis, contra quem *Carolus* noster ab *Adriano* Pontifice, eius nominis primo, in Italiam accersitus, eum per obsidionem Papiæ in potestatem recepit: quam prosequitur *Æmilius Veronensis* lib. rerumFranc. secundo. (Sp.)

(2) Fuit enim *Desiderius* Longobardorum Rex cum vxore & liberis Lugdunum a *Carolo M.* Victore in exilium abductus. Vide *Platinam* fol. 120. (R.) p. 78

(3) *Constantinus*, filius Constantii & Helenæ, in Britannia natus, iam bellis omnibus defunctus, solutusque grauioribus curis, animum ad nouam vrbem condendam, & de suo vocandam nomine adiecit. Primum in Sardico agro Asiæ destinarat: post ad Sigæum Troadis fundamenta sunt iacta: tertio translatæ operæ Chalcedonem, erectique ibi muri, quumque fabriles funiculos aues corripuissent, transtulissentque Byzantium, quæ est vrbs Thraciæ: ibi velut ita iubente Deo, condita est vrbs, quæ dicta *Constantinopolis*, quod nomen adhuc retinet. *Byzantium* vero etiam dicitur, quod ibi fuerit id oppidum a Pausania Spartanorum Rege conditum: quod Seuerus Imperator propemodum euertit. Milites autem Galieni Principis funditus deleuere. Constantinopolim autem magnam, & Senatus, & totius nobilitatis partem Roma *Constantinus* transtulit: Principesque fere omnes Constantinopoli magis quam Romæ habitarunt: ita opibus & claritate ciuium certauit cum vrbe Roma. (Sp.)

(4) * Alludit ad illud vetus, *Romam ibi esse, vbi sit Imperator*; quod est in oratione *Pompeiani* apud *Herodian.* lib. 1.* (R.)

(5) *Nihil sub sole nouum* est, vt ait Sapiens Hebræus. Semper eadem fabula in huius mundi theatro agitur: Tantum personæ & histriones commutantur, & subinde noui in scenam prodeunt. (R.) p. 78

(6) Appositiue hæc accipio: ne quis τὸ *Senatus* gignendi casu positum esse putet: contra passiue vsurpatum inuenias apud *Horatium* Od. 8 lib. 2. A *cura* autem publica nomen habet *curia*, teste *Ouidio*. (R.) p. 78

590 *At Rex colloquium solo cum Præsule miscens,*
Principibusque viris, quod nunc sibi restet agendum,
Quamue dolo plebis versutæ prouidus artem
Apposuisse(1) *queat, sollerti consulit astu:*
Et simul interna feruens exæstuat ira(2).
595 *Cui pater eximius*(3) *læso*(4) *solatia menti*
Addere blanda volens: Non est ait, optime fili,
Hac in gente nouum, nec res miranda videtur

Fraudibus

Fraudibus occultis blande palpare potentes,
Principibusque suis argutam ostendere vulpem(5):
600 *Hoc vitium gentile tenet: sic viuitur istic,*
Iam partim sensisse doles, sed verius illud
Amodo(6) *concipies, & adhuc maiora videbis.*
Me quoque non longo(7) *residentem tempore multis*
Est aggressa dolis, indignaque multa relatu
605 *Tam mihi, quam sacro plebs intulit improba clero.*
Verum contemptus minor est iniuria nostri,
Quos manus imbellis(8), *nulloque armata potestas*
Sanguine, sed tantum diuino fulta timore
Spernendos, impune viris exponit iniquis.
610 *Te, quem terreni metuenda potentia regni,*
Quem scelerum vindex gladius(9) *facit esse verendum,*
Romanus qua fronte dolis ambire laboret(10),
Mirandum satis est: sed iusto parce dolori,
Et nobis (autore Deo) gens improba iustas
615 *Et tibi maturo persoluet tempore pœnas.*
Tu modo belligero delectos agmine fortes,
Instructos telis, instructos omnibus armis
Occulto præmitte gradu: qui sacra beati
Corripiant posita formidine limina Petri,
620 *Atque Leoninæ*(11) *munimina fortiter vrbis.*
Sunt ibi præsidii caussa sub nomine nostro
Præstantes animi iuuenes, qui mœnia tradent
Admittentque tuos, aderit qui mœnia tradi
Imperet, egregius Romanæ stirpis alumnus,
625 *Sedis Apostolicæ Comes, eximiusque Sacerdos*(12),
Et tibi præ cunctis Octauius *iste fideles.*

(1) Legendum, *opposuisse*. Recte autem dolo artem opposuisse dicit: quia cum Crete cretissandum: καὶ ἥλῳ τὸν ἧλον. Clauus clauo trudendus est. (R) p. 79

(2) Docet *Aristoteles* iram necessariam esse, nec quicquam sine illa expugnari posse, nisi illa impleat animum, & spiritum accendat. (Sp.)

(3) *Adrianus* quartus Anglicus, mundialis pompæ, quam christianæ pietatis studiosior. Pertæsus is tandem status Romanorum ei aduersantium, ob immodicum protendæ mundanæ ditionis, pecuniæque congerendæ studium, secessit Anagniam: vbi non multo post, quam *Fridericum* nostrum Principem innocentissimum, quemque prius apud Lateranum diademate redimiuerat, ingenti a coniuratis pecunia corruptus, vt lib. decimo latius aliquanto explicabimus, diris deuouisset, moritur insigni memorabilique vitæ exitu, hausta scilicet, per potum musca, quæ nulla medicorum ope collo potuerit auelli, donec animam exhalaret, relicta magno in pretio ecclesiæ Romanæ ditione. (Sp.)

(4) Augustanus Codex *Hesischii* manu annotatum habebat, *læsa*. Quam correctionem probo. (R.) p. 79

(5) Hoc est, astutia, & non sincere agere. Vnde *Horatius* admonet: *Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes.* Quod huic animanti natura insita sit astutia, quemadmodum leoni audacia. (Sp.)

Videtur respexisse ad illud *Persii* Satir. 5;

Astutam vapido seruas sub pectore vulpem. (R.) p. 79

(6) Id est, *posthac*. Græcismus, ἀπὸ τοῦ νῦν. Sic *Apuleius* loquitur: *Nemo me* a modo *tam mane egredientem solum videbit.* Sic Feudal. iuris compilatores in Forma iurisiurandi fidelitatis, lib. 2 tit. 5; A modo *inantea ero fidelis huic*, &c. Sic sæpe vetus Interpres Bibliorum. Quis nostrum non vtrumque iuxta barbarum iudicasset? At *Propertius* quoque (lib. 2 eleg. 3) nitidissimus elegiæ scriptor, τῷ *inante* vtitur, pro, *ante*. De quo loco vid. *Giphanii* Conlectan. Lucret. & *Ian. Guilielmi* lib. 2 verisim. cap. 4; vbi *Apule o* 1 Metam. etiam (*exante*) restituit, eodem significatu. Tale fere apud eundem *Apuleium* est, *Incoram*. In omnibus his abundat *in* præpositio. Libens ego & apud *Liuium* lib. 2 dec. 3 legerim, *Inante*. Ibi: *Demissi sunt in locum saxo conseptum, inante hostiis humanis, minime Romano sacro, imbutum.* (R.) p. 79

(7) Quæ quæso te tum agebant furiæ, vt Vicarius Christi mansuetissimi, qui regnum mundi non agnouit, nullum non lapidem moueris prius, quam Consules Romanos magistratu abdicare se cogeres, tibique imperium administrandæ vrbis vendicares! (Sp.)

(8) Vtinam posterorum quidam tam sancte id seruassent, quam vere tu hoc dicis.

 Bellica

Bellica negotia quomodo gerent Sacerdotes? cum quæuis alia sit interdicta eis popularis tractatio, non sacris tantum literis, sed suis etiam sanctionibus. Diuus *Ambrosius* libro de Viduis, quod ad hunc locum facit, palam declarat, quibus armis velit esse instructos sacerdotes. (Sp.)

(9) Hunc agnoscit christiana religio, probatque in Cæsare, eiusque præfectis illius vsum. Vnde qui, vt Anabaptistæ, gladii ius adimunt christianis magistratibus, DEI voluntati resistunt, quæ ecclesiæ hac in parte prodita est per principes apostolorum Petrum & Paulum. (Sp.)

(10) Sic restitui lectionem & distinctionem. Antea erat, *Romanis.* Posset etiam legi, *Romani*, q. f. d. a. *laborent.* Sed prior, vt leuior & elegantior mutatio, magis placet. *Romanus* enim collectiue dicitur, pro, *Romani.* De gladio scelerum vindice infra dicam ad lib. 6 v. 502. (R.) p. 79

(11) *Ludouico* Pio imperante, Sarraceni in Vaticanum vsque venere, incensisque diui *Petri* basilicæ foribus, a populo Romano repressi sunt. Quod ne deinceps tam leui fieret incursione, Leo Pontifex eius nominis quartus, Vaticanum mœnibus cinxit, ciuitatemque *Leoninam* de suo nomine appellauit. Eius rei meminit quoque *Bapt. Mantuanus* lib. Fastorum quarto: *Traxit noua mœnia ab arce Pomis, ad aduersi delubra ingentia Petri.* (Sp.)

(12) Id est, *Cardinalis.* Hoc nomen ab initio epitheti honoratioris appellatio fuit. Nam *Clericus Cardinalis*, & *Canonicus Cardinalis*, pro præcipuo, aut principali vsurpabatur: quo honore vrbani dignabantur. Sicut enim vrbis Romæ Episcopus ceteris præstabat: sic etiam clerus Romanus pompa splendoreque comitum & ornatuum ceteris, quos *Innocentius* quartus, vt creaturæ suæ Cardinales essent, augustiores purpuratioresque reddidit. Huius *Innocentii* ambitio nocuit pietati christianæ, vt & posterorum Pontificum, qui exemplum eius improbandum secuti sunt. In libro Officiorum Theodosii *Præfecti Cardinales* appellantur *Præfecti prætorio Asiana diœcesos*, & *Præfectus Africa*: quod maiores ceteris essent. (Sp.)

Desierat Præsul placuit laudabile cunctis
Consilium, sincera fides, & plana voluntas.
Mittuntur(1)*propere quasi*(2)*millia quinque virorum*
630 *Nocte fere media, quo tempore lumina Titan*
Opposito præbens(3), *si fas est credere, mundo*
Ex æquo medium noctis discriminat arcum.
Haud mora, festinant iussi, portasque patentes
Ingressi tacite, sancti munimina Petri,
635 *His prius eductis qui limina prima tenebant,*
Atque Leoninam rapiunt(4) *hostiliter vrbem.*
Nuntius ad proceres rediens, compendia facti
Edocet, & totis hilarescunt agmina castris.

(1) Augustana editio, *Nituntur*, non recte. Sicut mox pro, *eductis*, *edoctis.* (R.)

(2) Græcis dicerent, ὡς vel ὡσεὶ πεντακισχίλιοι ἄνδρες. Interdum etiam addunt, τὸν ἀριθμόν. Sic *Marcus* Euangel. c. 8 v. 9, *Ioannes* c. 6. vbi tamen particulam eam video non recte omissam in vtraque tam noua, quam veteri interpretatione Latina. Sic *Lucas* c. 3; ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα: quod recte sic expressit *Sedulius* lib. 2; *Sex quasi lustra gerens.* Non habuit ergo caussam neque *Erasmus*, neque *Castalio*, cur in interpretatione N. Testamenti tam studiose particula. *Quasi* abstinerent ceu parum Latina. Alter enim vbique pro ea vsurpat, *ferme*; alter vero, *circiter.* Atqui & *Terentius* & *Cicero* sic vtuntur partic. *Quasi.* Vt Heautont. Sc. 1. *Quasi talenta ad XV coegi.* Vt in Oratore: *Quasi in extrema pagina Phædri.* Vt Acad. Q. 4. *Sol quasi pedalis videtur.* Idem *Cicero* 7 Attic. ep. 8. *cum sciemus, quantum quasi sit in trientis triente*, Idem & particula *Instar* sic vtitur: vt 16 ep. 5. *Habet Tiro instar LXX. epistolas meas.* Vulgo pro his vsurpamus *circiter*, *ferme*, *fere*, *pæne*: cum vel numerum, vel locum, vel tempus, vel magnitudinem rei non exacte, neque præcise nouimus. Vnum etiam hic monere non erit abs re, *Quasi* interdum positum videri loco non suo, vbi *Qua* legendum erat. Exemplum obseruabam aliquando apud *Ælium Spartianum* in vita Antonii Getæ: vbi vulgo sic habent edit. *Qui cum contenderet, & diceret quasi ioco, quasi serio, omnes cum liberis occidendos*, &c. Restituenda interdicto particula, *Qua*: hoc modo: *Et diceret*, qua *ioco*, qua *serio.* Pæne perierat huic historico vel βιογράφῳ elegantissimum dicendi genus, quo & *Plautus*, & *Cicero*, & *Plinius*, & *Pacat. Drepanius*, & *Mamertinus* Panegyr. vtuntur. *Plautus* Milite, Sc. Quid mihi nunc. *Qui consectare qua mares, qua feminas.* Sic enim verissime eum locum restituit *Lipsius*, & ego in 2 codd. Msc. Camerarianis reperi. Idem *Plautus* ead. fab. Sc. Ne me moneatis: *Eum oderunt qua viri, qua mulieres.* Sic enim est in iisdem Msc. Quamquam maior Codex habet, *Quasi viri*: perinde vt apud *Spartianum* contendo peccatum fuisse. Quod autem vulgo ibidem legitur: *odere tam viri, quam mulieres*, id a mala manu glossatoris obreptitium est. *Idem* Trinummo: Sc. Stasime. *Mores autem rapere properant qua sacrum*

ctuum qua publicum. Qui locus apud *Plautum* solus mansit incontaminatus. Sic *Cicero* Attic. 15 ep. 18; *Quoniam intelligo te distentissimum esse, qua de Buthrotiis, qua de Bruto.* *Plinius* Panegyr. *Satisfactum qua ciuium, qua sociorum vtilitatibus.* *Pacatus* Panegyr. *Iam te ipsum qua publice, qua priuatim* &c. *Mamertinus* Panegyr. *Hi cum in prouincias missi erant, qua sacra qua profana rapiebant.* Sed iam satis exemplorum. Audire licet *Modium* Nouantiq. lect. ep. 92. (R.) p. 79 seq.

(3) Quem scilicet *Antipodes* habitare dicuntur: qui, quod sint, & quomodo sint, exacte disserens, tradit acutissimus ingenio vir *Vadianus* noster, in ea epistola, quæ extat ad *Rudolfum Agricolam* Rhætum: inibique docet, quæ caussa diuum *Augustinum* ad negandum Antipodas esse impulerit: tum quæ *Lactantio* in eorundem refutatione adhibenda sit fides: quodque *Macrobius*, & prisci fere in Antipodum situ lapsi fuerint. (Sp.)

Ideo hæsitanter dicit, *si fas est credere*: quod nonnulli de Antipodibus, an vlli vspiam sint, dubitarunt, inter quos & *Lactantius Firmianus* libr. 3 c. 24. & *B. Augustinus*, aliique sancti Patres fuerunt. Imo eos esse quidam pernegarunt, contra rationes Sphæricas & Geometricas, contraque experientiam nauigantium. Vocantur autem ἀντίχθονες *Aduersipedes* in vet. Glossar. * Vid. *Becman.* in orat. sæculari f. 13. De *Virgilio* Episcopo Iuuauiensi, cui cum *Bonifacio* Archiepisc. Moguntino de Antipodibus controuersia fuit, vid. *Auentinus* lib. 3. (cap. 9.) * (R.) p. 80 seq.

(4) Id est, potiuntur vrbe, eiecto scilicet Romanorum præsidio, ductu & auspiciis *Octauiani* Cardinalis, vt legimus apud *Frisingensem*. (Sp.)

Rapere vrbem dixit v. 619 pro *diripere*, simplex pro composito. Sic lib. 10 v. 39 *rapiendis congrua muris*, pro *diripiendis*. Et supr. in argum. lib. 2 *Castra rapit*, pro *diripit*. (R.) p. 81

ARGVMENTVM LIBRI QVARTI.

Quartus in Imperium, supremaque nomina Regem
Promouet: Ausoniam sacrata in sede coronam
Induit: hinc æstum, violentique ætheris iram
Morbida castra ferunt, & dira peste laborant.
Mox ausum falsa fidum fraudare moneta
Spoletum vindex ferro populatur, & igni.
Appuliam Calabrosque parat inuadere fines:*
Dissuasu procerum concepta negotia mutat
Milite dimisso: natalia rura reuisens,
Condigna sæuos extinguit morte latrones.

* Forte, *parans.* (R.)

LIBER IV

Iamque soporiferæ decurso limite noctis,
Aureus occulto sublatam lampada cælo
Cœperat in nostrum traducere Phœbus olympum (1):
Tempore non alio nitidos magis extulit ortus,
5 *Purgauitque polos, & nubila tota remouit:*
Exoritur felix, & cunctis pæne diebus
Candidior, primos tibi collaturus honores
Imperii, Friderice, *dies, radiisque serenis*
Publica per totum diffundens gaudia mundum,
10 *Iamque per oppositi Princeps decliuia montis*
Adueniens, claram, quam nondum viderat, vrbem
Adspicit: huic populi festiuum gaudia nomen
Imposuere loco: siquidem qui mœnia clara
Illa parte petunt, ex illo vertice primum
15 *Vrbem conspiciunt, & te sacra Roma salutant.*
Prima Leoninam gaudens admisit in vrbem
Aurea porta Ducem: mox limina sacra petentem
Sedis Apostolicæ diuinis rite peractis

Obsequi-

Obsequiis, sacra redimitus veste Sacerdos
20 *Summus, ad alta sacri ducens altaria Petri*
Innexum digitis, mundi totius honorem
Imposuit, pressitque sacro diademate crines.
Sacraque missarum(2) *peragens solennia rite,*
Nobile cælesti muniuit fœdere factum.
25 *Omnibus egregie lætis, totaque caterua*
Acclamante(3) *viro, faustum feliciter omen,*
Hic fauor armatus, turbæque hic plausus equestris
Dulcius Augusti mulcebat Principis aures,
Quam venalis honor(4), *conductaque gaudia vulgi.*
30 *Hic siquidem sincerus amor, gaudensque fideli*
Obsequio, deuota fides, ibi gloria tantum,
Mendaci fucata dolo, pretiosaque pompa.

(1) Id est, In nostrum hæmisphærium, vt vocant Sphærici. Atque hoc est, quod eleganter ait inf. lib. 5 v. vlt.

Alterno partitur lumine cælum.(R.)p.81.

(2) Annotauit apud *Tertullianum Rhenanus* noster, quid de *missa* compertum habeant, qui vetustos sacrarum literarum interpretes cum iudicio diligenter excusserunt: quibus addere libuit, quæ de nominis ratione tradit *Isidorus*, non spernendus omnino autor (vt plerisque visum est) ex quo *Hermolaus, Celius, Beroaldus*, aliique quamplures docti viri desumpserunt ad verbum plusculа. Ille sexto Etymolog. libro cap. de officiis: *Missa*, inquit, *tempus sacrificii est, quando catechumeni foras mittuntur, clamante Leuita*: Si quis catechumenus remansit exeat foras, *& inde missa*, quia sacramentis altaris interesse non possunt, quia nondum regenerati noscuntur. (Sp.)

(3) Quid illa caterua acclamabat? nimirum illud solenne, *Feliciter*: quod etiam plenius nonnunquam efferebant: *Feliciter quod agis.* Vide *Senecam* & *Barnab. Brissonium* libr. 8 de Formulis. Illud ergo *Feliciter Guntherus* ἐξηγητικῶς seu appositiue appellat, faustum omen. Cohæret enim cum seqq. Sic *Phædrus* Augusti libertus nuper a Pithœo editus, lib. 5; *vt mos est vulgi, passim & certatim ruunt*: Feliciter *subclamant.* Loquitur de Attica plebe Demetrium Phalereum excipiente, postea quam tyrannidem inuasisset. *Sic *Corippus* lib. 2; *Summoque coronam imponens capiti* Feliciter accipe *dixit, vel acclamauit.* Hiatu enim laborat locus.* (R.) p. 81

(4) Hoc ideo dicit, quod legati Romanorum impudenter exegerant a *Friderico* pecuniam. (Sp.)

Qui *Friderico* proponebatur a legatis Romanis lib. 3 v. 451, vt scilicet appareret, illo quoque sæculo verum esse, quod iam olim *Sallustius* scripserat: *Romæ omnia venalia esse*, seu venum ire. Quam sententiam ter repetit Bello Iugurthino. Porro *conducta gaudia* eleganter vocat, quæ largitionibus fuissent prouocata, & quasi mercenaria. Plebs autem absumptis muneribus gaudere desinit, vt præfica ad alienum mortuum deflendum conducta, flere cessat accepta mercede: & amici vtilitatum, iis cessantibus amici esse desinunt. (R.) p. 82

Nos quoque carminibus, ni mens angusta negaret,
Acclamare tuo, fortissime Cæsar, honori,
35 *Et fasces celebrare tuos, rerumque nitorem*
Eloquio, numerisque suis implere decebat:
Sed vereor, ne plura loquens, multumque laborans,
Inueniar dixisse minus, magnique reatus
Arguar, eximiis inducens nubila rebus.
40 *Atque ideo carptim, non singula quæque, sed ipsam*
Gestarum propero rerum percurrere summam:
Immo etiam facti compendia vera secutus,
Hoc ipsum satis esse reor: namque illa serenæ
Tempora lætitiæ, tantique insignia plausus
45 *Non longas habuere moras*(1), *populique furentis*
Insidias, strepitumque timens, armatus vbique
Adstat eques, templique fores, & limina seruat,
Crescentisque domum(2), *pontisque angusta propinqui*
Obsidet, & totas densa statione plateas.

(1) Dictum γνωματικῶς. Respicit enim ad sententiam eam, quam & supra attigit lib. 1 v. 603. (R.) p. 82

(2) Eiusdem & infra meminit v. 107. Videtur autem hæc fuisse domus illius *Crescentii*, qui *Othone III* imperante tyrannidem Romæ affecta-

mæ affectauit, ac res nouas molitus est: quem cum Imperator primo in gratiam accepisset, postea relapsum horrendo mactauit supplicio. Naso enim & auribus, omnibusque membris mutilatum vili iumento auersa ad caudam facie imposuit, perque totam vrbem circumnectum tandem ad portam suspendit. (R.) p. 82

Castrum nominat *Otho* Præsul. (Sp.)

50 *Hos Regi titulos, hoc clari nomen honoris,*
Quartus ab ingressu regnorum contulit annus,
Plusque fere medio iuuenum(1) *se mensis agebat,*
Vt quartodecimo(2) *prodiret Iulius ortu,*
Postea gemmiferam læta ceruice coronam
55 *Ipse ferens, insedit equo, quem purpura totum*
Ambit, & intextis velamina picta figuris,
Aurea mirifico radiantibus ordine gemmis
Sella(3) *nitens, picto Regem complectitur arcu.*
Aurea nexilibus fastidit(4) *fræna catenis,*
60 *Gemmatosque lupos, & fuluum masticat aurum,*
Lucidus e media dependet fronte pyropus(5),
Lucida multisonis phalerantur pectora bullis.
Ipse(6) *ferox, incerta vago vestigia gressu*
Multiplicat, tenuesque interdum calcibus auras
65 *Verberat, & tanto sonipes vectore superbit.*
Hoc inuectus equo, turba comitante pedestri,
Gaudet habere viros vtrinque ad fræna potentes,
Sanguine conspicuos, & mundi iura regentes.
Tunc ita productus, plausu resonante suorum,
70 *Proxima turrigeris repetit tentoria muris*
Ipse(7): *sed eximius dimisso Principe præsul*
Vrbe Leonina, propriaque in sede remansit.

(1) Nam, vt cecinit *Ouidius*:
Iunius est iuuenum, qui fuit ante, senum est. (Sp.)

(2) Signat diem 14 Kalend. Iuliarum. (Sp.)

(3) Intelligo ephippium. Nam quo minus accipi possit de sella aliqua curuli, facit, quod paulo ante dixit, equo insedisse Imperatorem. Sic & infra lib. 5 v. 201 sellam, quæ pœnæ causa portatur, pro ephippio accipiendam puto. *Pflugius* hic legi volebat, *Stella*: vt intelligeremus vmbraculum siue cælum, quod vocant. (R.) p. 82.

(4) Equus, mox, *lupos* pro *lupatis*, vsurpat, exemplo *Ouidii* 4 Trist. eleg. 5;
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore lupos.
Idem *Ouidius* etiam altero verbo vtitur 1 Amor. 2;
Asper equus duris contunditur ora lupatis.
Est autem æque vsitatum vtrumque genus huius nominis, *lupatus* & *lupatum*. (R.) p. 82

(5) *Plinius* Romana dictione *carbunculum* vocat: cui ab ignium similitudine nuncupato, principatum dedit: cum ipse non sentiat ignes, ob id a quibusdam *Apyrusta* vocatus. (Sp.)

(6) Equus. Nota ὑποτύπωσιν equi generosi, cui & superbiam tribuit, & quasi intelligentiam sui vectoris. Sic Bucephalum Alexandri M. neminem præter herum suum recepisse sessorem perhibent. Ex omnibus autem animantibus maxime φιλότιμον est equus, & laudis ac honoris sensum habet acertimum. Vide, qui de re equestri scripserunt, inprimis *Ioach. Camerarium*. (R.) p. 82 seq.

(7) Sic distinguendum cum editione Augustana. Vulgo, *Ipse, sed exim.* Intelligendum autem, *Ipse*, scil. *Fridericus* Imperator. (R.) p. 83

Cumque siti feruens, & multo temporis æstu
Languidus, optata castrorum fusus in vmbra
75 *Corpora fessa cibo miles recreare*(1) *pararet,*
Ecce repentinus vicina clamor ab vrbe
Insonat, & subiti feralia(2) *signa tumultus.*
Iamque furens populus(3), *prisco sibi iure negato,*
Iniussuque suo(4) *sumptos a Principe fasces*
80 *Indignans, rapido transmisso ponte tumultu*
Irruerat, paucosque viros ex agmine nostro
Securos nimium, nulloque pauore relictos,

Fuderat

Fuderat(5): *ast alii celeres, vrgente periclo,*
Castra petunt, socios, atque ipsum nomine Regem,
85 *Cuius erat cunctis virtus bene nota, vocantes.*
Horruit irarum stimulis, iustoque furore
Cæsar, & ingratum socios iterare laborem
Compellit, totis educens agmina castris.
Hoc magis accelerans, quod eum metus acer agebat,
90 *Ne quid in eximium crudeliter impia Patrem*
Auderet, solito plebes grassata furore:
Distulit ira cibos, hostili sanguine malunt
Dilatam satiare famem, fremituque leonum
Terribiles vrbem repetunt, & in arma feruntur.
95 *Nec cedunt hostes, sed pectore prœlia firmo*
Excipiunt(6): *missis bellum committitur*(7) *hastis,*
Et leuibus iaculis, & quas pluit aura sagittis.
At simul incaluit stimulis grauioribus ira,
Conseruere manus, admotaque cominus arma.
100 *Non iam missilibus telis, ferroque volanti,*
Sed gladiis pugnare libet: tinnire sonoros
Ictus audires galeas(8), *incussaque telis*
Arma, graui clypeosque leues(9) *mugire fragore,*
Cernere palantes passim, rursumque resumptis
105 *Viribus instantes, alterna sorte licebat.*

(1) Restaurare, refocillare: vt apud *Plautum* in prima scena Menechmorum, & *Lucretium* in principio sexti. (Sp.)

Sic infra lib. 6 v. 49 *elixa recreatur secta mero.* *Recreandi* verbo more *Lucretii* vtitur, cum de cibis sermo est. Nam vt idem ait *Lucretius*; *Propterea capitur cibus, vt suffulciat artus.* Et *Cicero* 1 de offic. *Cibo & potione reficiendas, non opprimendas esse vires monet.* Notandum etiam obiter aliud verbum Lucretianum, *Reconflare*: vt cum ait, somno *reconflari sensus per membra repente*, id est, *recolligi.* (R.) p. 83

(2) Non recte Perna, *feracia.* (R.)

(3) Imo & Senatores: qui tamen & illi populi continentur appellatione, vt diximus. (Sp.)

(4) Nota causam seditionis Romanorum. Est autem elegans hæc locutio, qua de Terentio, Cicerone, Varrone, Sallustio & Liuio sumpta alibi quoque *Guntherus* vtitur: vt infra lib. 7 v. 73, *iniussu Romani Principis.* Et lib. 9 v. 314, *Ipsius iniussu.* *Sallustius* Iugurth. *Senatus ita vti par fuerat, decernit, Suo atque populi iniussu nullum potuisse fœdus fieri.* *Terentius* Phormion.

Itane tandem vxorem duxit Antipho iniussu meo?

Cicero Cat. Mai. *iniussu Imperatoris*, id est, *Dei*, de præsidio & statione vitæ decedere. *Varro* 1. de re rust. c. 16; *Ne quis iniussu villici exeat, neque villicus iniussu domini longius, quam vt eodem die redeat.* *Liuius*, l. 1; *Seruius*, &c. *primus iniussu populi voluntate patrum regnauit.* Ibid. *Seruius, quamquam vsu iam haud dubie regnum possederat, tamen quia interdum iactari voces a iuuene Tarquinio audiebat se iniussu populi regnare, conciliata prius voluntate plebis*, &c. *ausus est ferre ad populum, vellent iuberent ne, se regnare*, &c. Idem *Liuius* in descriptione formulæ sacramenti militaris lib. 3; *conuenturos se iussu Consulum; neque iniussu abituros.* Eademque verba repetit lib. 22. Ad eandem faciem dixit *Plautus* Trinum. Sc. 1. *Inconsultu meo ædes venales hasce inscribis litteris.* (R.) p. 83

(5) Etiam in sacra æde, vt scribit *Otho*, minime loci religione territus. (Sp.)

(6) Secundum illud *Catulli*

Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus. (R.) p. 83 seq.

(7) Vsitatius est, prœlium committere. Inter bellum & prœlium tantum interest, quantum inter genus & speciem, siue inter totum & partem. Sed tamen *Sallustius* quoque *bello* vtitur pro *prœlio*. Nota hic descriptionem velitationis, id est, leuioris pugnæ; deinde seriæ. *Prœlia prima* vocat inf. v. 254. (R.) p. 84

(8) *Melchior Kochius* meus diuinabat, melius hic legi posse, *sonoris ictibus.* Quam lectionem constabilitum ibat ex loco simili lib. 7 v. 647; cui libenter assentior. Nam vt *tinnire* ἐνεργητικῶς accipiamus, retenta vulgari lectione, durius videtur. Iam hæc scripseram, cum hanc emendationem inter Pithœanas quoque reperi. In August. vero editione *sonoris ictus.* (R.) p. 84

(9) Ἀντίθεσις elegans. (R.)

Maxima conflictus moles in limine pontis
Ante domum Crescentis erat: facilique rotatu
Obruta saxorum, seu missis desuper hastis
Regia pars certæ poterat succumbere cladi,

Ni,

110 *Ni, quæ spectandi caussa, pinnacula turris*
Seruabant, matres validæ, pulchræque coborti
Parcere, non stolidæ plebi sociare furorem,
Orarent iuuenes iam mittere tela parantes.
Sic parti nostræ castarum gratia matrum
115 *Profuit, innocuas prohibens a sanguine dextras,*
Hic furor a decima spatiosus & integer hora
Perstitit ad primas merso iam sole tenebras.
Nec quisquam, quamuis ieiunia longa tulissent,
Totam quippe diem miles ieiunus agebat,
120 *Iam poterat sentire famem, pondusve laboris,*
Immemor ipse sui: tantoque nocentior hosti
Tantus in vltores fundendi sanguinis ardor
Incidit, & iustum satiandi cæde furorem.

Atque aliquis gaudens(1) *in tanta strage reorum*
125 *Insultare malis: hæc sint tibi*(2) *Roma vetusti*
Præmia iuris, ait, merces a Principe iusto
Redditur ista tibi: sic nobis regna parantur,
Sic emimus fasces, sic acclamare triumphis
Te iubet ille suis: hæc tecum fœdera Cæsar
130 *Percutit, atque tuo iuramina sanguine firmat.*

(1) Sic idem Otho; *Accipe nunc Roma pro auro Arabico Teutonicum ferrum. Hæc est pecunia, quam tibi Princeps tuus pro tua offert corona. Sic emitur a Francis Imperium. Talia tibi a Principe tuo redduntur commercia, talia præstantur iuramenta.* (Sp.)

(2) Ἐπικερτόμησις seu insultatio victorum in victos. (R.) p. 84

Vix tandem miseros sero iam vespere ciues,
Afflictosque diu bello, fuga, noxque remouit,
Claraque iustitiæ patuerunt signa supernæ,
Ex rerum merito varios prodentia casus,
135 *Namque vno tantum nostra de parte perempto,*
Mille vel immersos Tyberi perisse vel armis
Hostili de plebe quidem: captiua ducentos
Supposuisse ferunt iniectis colla catenis (1).
Mox cum laude Dei repetunt tentoria læti
140 *Victores, gratoque cibo, dulcique sopore*(2)
Membra fouent, tutis carpentes otia castris.

(1) Quos deinde Imp. Ænobarbus restituit, motus precibus *Adriani* Pontificis, vt sequitur. (Sp.)

(2) Sic reposui, pro *sapore*. Sed & *Perne* recte sic edidit. (R.) p. 84

Vix erat orta dies, suspecta Cæsar ab vrbe
Regia signa mouet (neque enim commercia rerum(1)
Indigus afflicto sperabat miles ab hoste)
145 *Pulchraque fœcundis fixit tentoria campis.*
Inde secus montem, quo quondam sæua tyranni(2)
Iussa timens, nondum te Constantine *renato*(3),
Syluester *latuit*(4), *Soracten*(5) *nomine dicunt.*
Te placido transmisse vado vetus Albula transit,
150 *Albula, cuius aquis Tyberinus nomina fecit.*
Primaque castra locat vicina ad mœnia Romæ,
Inter & Argoas famosi Tyburis(6) *arces.*
Hos, vt fama, lares Graia de gente profecti
Tres posuere viri, Coras(7), *cum fratre Catillo,*
155 *Argolicæ stirpis iuuenes, & maior vtroque*
Tyburtus: cuius sumptum de nomine nomen
Nobile Tybur habet: perhibent si vera poetæ.

 Commea-

(1) Commeatum intelligit. (Sp.)

(2) Tarquinii præfecti vrbis, idololatræ. (Sp.)

(3) In extremo vitæ baptisma suscepit ab Eusebio Præsule Nicomediæ: qui sectæ Arrianæ postea se addixit, autor diuus *Hieronymus* in Chronicis. *Ambrosius* quoque de morte Theodosii idem sentire videtur: *Constantinus*, inquit, *quanquam in extremo vita acceperit, magnopere laudandus est, quod fidem successoribus hereditariam reliquerit.* Vnde libellus apocryphus de elephantia, deque sanguine puerorum & Syluestri baptismate. Ad quod *Guntherus* noster respexisse videtur, errore communi: cum manifeste a tantorum virorum autoritate dissentiat, omnino reiiciendus est. *Nostra etenim nugas, deliramentaque damnat Religio, nec dat linguis mendacibus aures.* (Sp.)

(4) Id, quod nequaquam probauit *Tertullianus*: qui asserit in persecutionibus non fugiendum esse, sed fortiter pro Christo moriendum: putans, imo tradens præceptum illud Christi, *cum autem persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam*, omnino temporale fuisse. Sed meminerimus diuum *Hieronymum* in catalogo scriptorum ecclesiasticorum, *Tertulliani* volumina censentem, librum *de fuga* in persecutione aduersus ecclesiam scriptum testari. (Sp.)

(5) Mons ille vicinus vrbi, clarus sacrificio annuo, quod fiebat Apollini, vt *Plinius*, Feroniæ, vt *Strabo*, a certis familiis agri Faliscorum? quæ ob id perpetuo Senatus consulto militiæ, omniumque aliorum munerum vacationem habebant. Rem hanc cecinerunt *Virgilius* in 11, & *Silius* 5. (Sp.)

Soracte Mons Apuliæ in Phaliscis, in quo spelunca cooperta latebram sibi elegit Siluester Papa. Vide *Platinam*. Meminit eius & Horatius;

Vides vt alta stet niue candidum Soracte. (R.) p. 84

(6) De hoc oppido 16 ab Vrbe mil. distante, multoque vetustatis munimento insigni, lege cap. 8 *Solini*, *Seruium* item 7 Æneid. vnde sumptus est hic locus, super illud Maronis: *Tum gemini fratres Tyburtia mœnia linquunt, Fratris Tyburti dictam cognomine gentem, Catillusque, acerque Coras, Argea iuuentus.* Alterius autor oppidi *Coras* fuit, distantiis 20 pas. mil. *Tybur* autem a *Friderico* nostro diruptum post aliquot annos restitutum est. Tangit item horum fratrum historiam *Silius* in quarto. (Sp.)

(7) Augustana editio, *Corax*. (R.)

Iamque aderat veneranda dies, quæ clara triumpho
Fulget Apostolico, totum festiua per orbem
160 *Illa quidem, sed Romuleæ specialiter vrbi,*
Cuius sacra suo lustrarunt mœnia Patres(1)
Martyrio, sæui dum spernunt sceptra Neronis(2).
Illam quo poterat(3) *populus castrensis honore*
Suscepere diem, deuotas Præsule summo
165 *Missarum celebrante preces*(4), *& Cæsare sanctam*
Imperii ceruice pia gestante coronam.
Illa quippe die sacris altaribus adstans,
Omnem qui iusto sub Principe bella gerendo(5)
Cinxerat vltorem Romanis cædibus ensem(6),
170 *Clauibus æthereis, & Petri fretus honore*(7),
Soluit, & indultum purgauit Papa reatum(8).
Et ratione quidem: nam quisquis iura tuetur
Ecclesiæ, regniue decus, si forte cruorem
Fuderit humanum, non est homicida, sed vltor.
175 *Hoc siquidem bellum quod iuris amore coacto*(9)
Milite suscipitur, meritum, non culpa vocatur(10).

(1) *Petrus* scilicet & *Paulus*. (Sp.)

(2) *Tertullianus* eleganter Neronem, *primum dedicatorem persecutionis Christiani nominis* vocat, de qua *Eusebius* lib. Ecclesiasticæ hist. secundo. Meminerunt item huius sub Nerone *Suetonius*, & *Tacitus*. Ille sic inquit in Nerone: *Afflicti suppliciis christiani, genus hominum superstitionis nouæ, ac malefica.* *Tacitus* sic lib. 15: *Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos, vulgus Christianos appellabat. Autor nominis eius Christus, qui Tiberio imperitante, per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat, repressaque in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudæam, originem eius mali, sed per vrbem etiam, quo cuncta vndique atrocia, aut pudenda confluunt, celebranturque. Igitur primo correpti, qui fatebantur: deinde indicio eorum multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis conuicti sunt, & pereuntibus addita ludibria, vt ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi: aut vbi defecisset dies, in vsum nocturni luminis vrerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat. Et Circense ludicrum edebat, habitu auriga permistus plebi, vel circulo insidens. Vnde (quanquam aduersus sontes, & nouissima exempla meritos) miseratio oriebatur, tanquam non vtilitate publica, sed in sæ-*

nitiam

nitiam vitiis absumerentur. Bene igitur dixit Poeta; *Sani.* *O vesanos*, Tacite & Tranquille! *An vero vobis parricida Iupiter, & flagitiis omnibus imparatus DEVS videtur? non videtur sanctissimus Christus? & ad innocentiam conspirare maleficium vocatis, dignosque odio ducitis, qui in leges iurarunt, quorum caput est, nemini nocere, bene velle vniuersis. Si nostras leges non legistis, cur damnatis inauditos? Sin legistis, cur improbatis eas virtutes, quas vos scriptis vestris in caelum admirabundi vehitis?* vt pio zelo exclamauit *Viues.* Romæ vero passos esse & Petrum & Paulum tam aperte scribit idem *Tertullianus* libro de præscript. hæreticorum, vt nefas sit contra sentire: qui licet inibi satis honorifico laudis elogio Romanam exornet ecclesiam, non tamen tantam illam facit, quantam hodie fieri videmus. Nam Apostolicis ecclesiis illam annumerat, non solam facit Apostolicam, hoc est, summatim facit, non summam. Sed & *Volaterrano* notatum est, Pontificem Romanum solitum se subscribere *Episcopum Romanæ ecclesiæ*, multo rectius, quam hodie *Episcopum Catholicæ ecclesiæ*. Nam *si Romana*, inquit, *Catholica est, honorem igitur hunc almæ vrbi eripere videtur.* Ex citato tamen modo *Tertulliani* libro, facile liquebit lectori, qui non sit omnino stupidus, quo pacto Romanus Pontifex ad istam autoritatem peruenerit, quam hodie habet: licet *Pontanus* dicat, nequaquam esse explicatu facile, quibus artibus Pontifices Maximi tantum sibi imperium comparauerunt. Namque, vt initio armis illud sibi vendicauerint, longe aliud arbitrari par est. Genus enim ipsum hominum olim quietum, ac religioni tantum deditum. (Sp.)

(3) F. *poterant.* Sequitur enim: *Suscepere.* An, *quo poterat*, scilicet *fieri*? (R.) p. 84

(4) Sic supra v. 23 *sacra missarum solennia* vsurpauit. (R.) p. 84

(5) Is demum habetur, qui plene fisus pietati, iusta de causa, nisi contra sacrilegos, & dæmonum cultores, & pro publica tranquillitate belligeratur, & non per ambitionem, iram, auaritiam, aut alium priuatum affectum miscet orbem bellorum tumultibus. (Sp.)

(6) Sic *vltor gladius*, quo iura armari iubentur, in l. 31 cum vir. C. ad L. Iul. de adulter. pro *Cinxerat* fortean legendum, *Strinxerat.* (R.) p. 83

(7) Quod illi Christus dixerat: *Et dabo tibi claues regni calorum.* Quem tamen locum, teste diuo *Hieronymo*, Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio. Claues autem, scientiam, & potestatem interpretantur. (Sp.)

(8) Indulgentias Papales, quæ vocantur, denotat, quas & bullas ominoso verbo appellant. (R.) p. 84

(9) Collecto: vt Senatum vel pecus dicimur cogere, &c. (R) p. 84

(10) Scholam hoc sapit. Vix id apud *Augustinum* obtineas: licet ille bellum alicubi, leuiter tamen, probet, aperte autem in Ciuitate Dei etiam iustum bellum, miseria plenum esse dicat: *Ambrosius* vero neget, esse Christianæ puritatis: vnde igitur meritum? Belli autem rationem, quatenus liceat Christianis, nemo orthodoxorum hactenus diligentius explicauit, quam magnus ille *Roterodamus.* (Sp.)

Inde petens celsam, quæ Tuscula(1) dicitur, vrbem,
Mœnibus excelsis, tutaque in sede resedit.
Iamque vaporifera(2) succendens lampade mundum
180 *Cœperat ex alto(3) metuendo feruidus ortu*
Erigones radiare Canis(4): quem tristis Orion(5)
Adlatrare sibi, & rabido vestigia morsu
Adtentare videns, æterna exæstuat ira.
Vtraque flamma 6) nocens, sed longe tristior illa,
185 *Cuius in exortu vitiatus nubibus æther*
Æstuat, & tristes ardescunt ignibus auræ.
Squalida torpet humus, corruptis stagna, lacusque
Inficiuntur aquis, pigrisque paludibus atræ
Exhalant nebulæ(7): calidi spiramine cæli
190 *Languida pestifero tabescunt corpora morbo.*
Inde fit, vt proprios plebes Romana quotannis
Cogatur transferre lares, montesque relicta,
Dum furit ille Canis, vicinos incolat vrbe.

(1) Vrbs clara, villa Ciceroniana, & Catonum genere, ædificium Telegoni Vlyssis & Circes filii. Extant hodie tantum eius vestigia, fonsque ex ea vsque Romam manans. Romani enim, quos Tusculani, coniuncti copiis Ænobarbi nostri, insigni clade adfecerant, memores iniuriæ post aliquot annos, tanta in eos ira perciti sunt, vt vix vrbis fundamenta relinquerent, autor est *Volaterranus.* (Sp.)

(2) Chronographia, qua subinde Poetæ vti solent. Quod tamen *Horatius* in arte poetica taxauit. Describit autem *Caniculares dies.* (Sp.)

Transtulit

Tranſtulit iſta ex *Othone Friſingenſi* lib. 2 c. 23, vt multa alibi alia. (R.) p. 84

(3) Id eſt, cælo. Virgilius: *Maia genitum demittit ab alto.* (Sp.)

(4) *Icarus* inuentor vini fuit in Attica regione: a colonis deinde ebriis iugulatus eſt, vt ait Propertius: *Icare Cecropiis merito iugulate colonis.* Cuius canis *Erigonem* filiam geſtu ad locum cædis duxit: quæ conſpecto patre, præ dolore laqueo vitam finiuit, relataque in cælum cum cane inter aſtra, Virginis nomine micat. Oritur autem Canis, ſiue Canicula circa 8 Kalend. Iul. vt exiſtimat *Seruius.* Idibus autem Iulii, *Ptolemæo.* (Sp.)

(5) Orionis fabulam varie narrat *Hyginus* lib. 2. Nota ſunt quæ *Seruius* ſcribit lib. primo Æneidos. Ex Deorum vrina natus eſt *Orion*, vt ait *Nigidius*: & in Faſtis canit *Ouidius*: & apud Græcos *Pindarus* & *Aristonicus.* Oritur, autore *Columella* 16 Kalend. Iulias, Ptolemæo vero poſtridie ortus Caniculæ. (Sp.)

(6) Vtrumque ſidus, Canis ſcilicet & Orion. Vnde de Orione *Seneca* in Hercule furente. *Fera coma hinc exterret Orion deos*, & *Papinius*: *Quantus mucrone minatur Noctibus hibernis & ſidera terret Orion.* *Plinius* item Orionis ſidus inter horrida numerat. *Sed longe triſtior illa.* Canicula ſcilicet: de cuius effectu extat cap. 40. ſecundo Natural. hiſt. apud *Plinium.* (Sp.)

(7) Ita hæc, quæ vulgo male, interpunximus. (R.)

Adde, quod antiquis horrens inculta ruinis,
195 *Parte ſui maiore vacat, generiſque nocentis*
Plurima monſtriferis animantia(1) *Roma cauernis*
Occulit: hic virides colubri, nigrique bufones,
Hic ſua pennati(2) *poſuerunt luſtra dracones,*
Quorum morticinis(3) *contabeſcentibus, aer*
200 *Læditur, atque æſtu reſoluta cadauera putent.*
Ergo metu belli vetitum mutare penates
Vulgus, in vrbe ſua ſubito tabeſcere morbo
Incipit, & valida correptum peſte laborat.
Nec minus in caſtris Francorum(4) *læta*(5) *iuuentus*
205 *Aeris impatiens, & tanto victa calore*
Languet, & inſolito tabeſcit ſqualida morbo.
Occupat ora ſitus, deformis inficit artus
Squalor, & icterico(6) *tabeſcunt membra colore.*
Protinus accenſis miſeri vitalibus ardent,
210 *Aera peſtiferum velut e fornace trahentes.*
Quod ſi ferre grauem potuiſſent aera noſtri,
Atque immota breui ſeruaſſent tempore caſtra,
Haud dubium, quin ſe plebes Romana, ſuamque
Pontifici, Regique ſuo ſupponeret vrbem:
215 *Sed iam*(7) *fœda lues, tanto regalia caſtra*
Atque inſueta mali confecerat agmina morbo,
Vt paſſim fragiles, longiſque laboribus ægras
Efflarent animas, aliique ſuperſtite fato
Inualidi, miſeram dilato funere vitam,
220 *Sæpius optata fraudati morte trahebant.*

(1) Norunt, qui dicerent, animantes, non etiam animantia recte vſurpari. Contra eos hic locus notandus eſt. (R.) p. 85

(2) *Criſtati*, quales ſunt in eo genere mares. (Sp.)

(3) *Morticina* ſubſtantiue vſurpat cadauera draconum, bufonum, colubrorum. Sic ſæpe interpres Biblicus. At *Varro* & *Plinius* adiectiue tantum: vt *morticina caro, morticina ouis*, &c. (R.) p. 85

(4) Hoc eſt, Teutonicorum, Germanorum. Nam Francicum nomen apud maiores complectebatur Teutoniam omnem, vt libro primo ex *Othone* retulimus, & *Vrſpergenſis* tradit. (Sp.)

(5) Forte, *lecta.* Nam qui *læta* eſſe poſſit, tot malis afflicta? *Pflugius* malebat, *læſa.* (R.) p. 85

(6) Id eſt, *pallido.* *Plinius* morbum dicit *ictericum* eundem eſſe cum *arquato*, ſeu regio morbo: ab *ictero* aue. Appellatur autem *regius*, quod, vt ait *Celſus*, apparatu regio, & lautitie, & ludis exhilarandus hic morbus eſt. *Arquatus* vero, vt *Feſtus*, ab *arcus* cæleſtis colorum varietate, quos facies adfectorum reddit. Aiunt autem illum tam ex ſplene adfecto, quam hepate procedere poſſe. (Sp.)

(7) Malim, *tam.* Videtur hic ante oculos habuiſſe Atticæ peſtis deſcriptionem, quæ eſt extremo lib. 6 *Lucretii.* (R.) p. 85

Ergo

Ergo suis rector castris, socioque labori
Compatiens(1), *multis etiam suadentibus, illo*
Demigrare loco, nolens, ac pœne coactus,
Corpora Pontifici sacro captiua relinquens,
225 *Tristia signa mouens, Tuscique*(2) *crepundia*(3) *montis*
Ascensu superans, meliori subdita cælo
Castra locat, gelidas vicini Naris(4) *ad vndas.*
Hic omni cura, medicæque piissimus artis
Subsidio sacrum satagebat pellere morbum(5),
230 *Et purgare mali contagia noxia cæli*(6).

(1) Συναλγῶν, ἢ συμπάσχων. Eodem verbo & lib. 6 vtitur v. 586. Et alias, *condoleo* & *congaudeo*. Quæ omnia in indice inter sordida & mixobarbara retuli, quia veterum & probatorum exemplo auctorum carent. *Cicero* quidem Græco verbo vti maluit, vt cum inquit ad Attic. *Valetudini tuæ συμπάσχω*. *Condoleo* autem Latinis nihil aliud est, quam *doleo*: vt apud Comicum: *Caput ex vento condoluit.* Lucretius συμπάσχειν eleganter expressit per *concruciari* & *consentire*. 77, 29, & 98, 11. (R.) p. 85

(2) Initia. (Sp.)

Noue ac mire dictum. *Spiegelius* exponit, initia, vt quemadmodum crepundia sunt infantiæ oblectamenta, sic & montis quasi quandam pueritiam intelligamus. Haud scio tamen, an non etiam aliud quid hic lateat. Initia & crepundia a bonis auctoribus pro eodem vsurpari obseruat *Ios. Scaliger* ad illud Catulli, *Tua mater initia.* Cybeles, Magnæ Deum matris, initia, id est, *crepundia* vocat tympana, tubam, &c. quæ *Apuleius* Apolog. *sacrorum crepundia.* (R.) p. 85. seq.

(3) Apennini. (Sp.)

(4) Fluuii Sabinorum, e Fiscello monte defluentis, aquis sulfureis miscetur. Narniam oppidum, *Nequinum* antea dictum, ob loci iniquitatem, interluit, & in Tyberim influit. *Lucanus* in primo: *Et qua Nar Tyberino illabitur amni.* (Sp.)

(5) Pestilentiam, execratam propter contagionem, ad quam euitandam valere plurimum, aiunt, odoramenta. Contra pestilentiam remedium excellens *Rufus* tradit, quod frustra nunquam exhibitum testatur. Aloes partes duas: ammoniaci, thymiamatis totidem; myrrhæ partem vnam; contusas ex vino colluito: deinde, dimidium quotidie cyathum sumito. Est & *sacer morbus*, qui inter mala vlcera numeratus, *ignis* vulgo *sacer* dicitur, nihil habens commune cum aliis morbis. (Sp.)

(6) Infecti & corrupti aeris. (Sp.)

Cumque per Etruscas turbæ castrensis in vsum
Cœpissent vrbes fiscalia iura requiri,
Octingenta quidem Spoletum(1) *nomine fisci*
Principis edicto iussum præstare talenta(2),
235 *Non timuit falso fraudare numismate Regem.*
Præterea Comitem Tusca de gente Guidonem,
Quo prior Etruscis habitabat nullus in oris:
Guerra *viro cognomen erat: mandataque Regis*
Vrbibus Apuliæ portauerat: inde reuersum,
240 *Hospitiique loco malefida sede fruentem*
Ceperat, & duro seruabat carcere clausum.
Cumque relaxari Princeps soluique iuberet,
Emittique virum: contempto Rege, superbus
Instabat sceleri(3) *populus, regalia ridens*
245 *Iussa: sed ipse suas modico post tempore clades*
Fleturus, scelerisque piacula iusta daturus.
Namque vbi tot factis crudelibus atque superbis,
Et meruit iustas, & mouit Principis iras.

(1) Colonia Romanorum *Plinio.* Hic Theodoricus Gothorum Rex nobile prætorium extruxit, cuius successores oppidum id euerterunt: restitutum deinde a Narsete. Hic etiam Ducem Longobardi constituere: vnde regioni toti apud posteros nomen permansit. (Sp.)

(2) Miror omnes editiones tam constantes esse in hac lectione, cum procul dubio verum sit, *talenta octingenta.* (R.) p. 86

Pro *libra* posuit, quæ continet centum drachmas argenti, de quo proprie vsurpatur. (Sp.)

(3) Sic & infra loquitur. Vulgo hic male legebatur, *celeri.* (R.) p. 86

Incor-

Incorrecta parans vlcisci crimina Cæsar,
250 *Quæ directa*(1) *reis ignoscere mallet, ad vrbem*
Tendit iter: cui sacrilego temerarius ausu
Ante fores ipsas clausa vix tutus in vrbe
Occurrens(2) *populus, funda leuibusve sagittis*
Prælia prima mouens(3), *& missis eminus hastis.*
255 *Risit ad hæc, &, sic pueros*(4), *Dux inclitus*(5) *inquit,*
Non fortes certare decet: sic ludere natos
Ignaui docuere patres: incurrite totis
Viribus, o socii, conuersum ad mœnia ciuem
Præueniat, patulasque fores prior occupet hostis.
260 *Dixit, & accepto gaudens a Principe signo*
Teutonus, hostilem cum ciuibus irruit vrbem.

(1) Malim, *correcta*. Vel præced. versu quoque *indirecta* legendum cum *Pflugio*, qui fraudulenta exponit. (R.) p. 86
(2) L. *occurrit*. (R.)
(3) L. *mouent*. (B.)
(4) Vulgo in omnibus editionibus luxatus & male distinctus erat hic versus: *Risit, & hic pueros*, &c. cuius præclara & verissima restitutio hæc est, quæ meo *Melchiori Kochio* debetur. *Pflugius* tamen putabat ita sanari versum posse, si τὸ *pueros* bis legamus cum indignatione. (R.) p. 86
(5) Ipse scilicet teste *Othone* Pontifice Frisingensi Cæs. Imp. *Fridericus*. (Sp.)

Protinus admotis incensa suburbia tædis,
In cineres collapsa fluunt(1), *animosque furentes*
Nec prædæ locupletis amor, nec(2) *regia nondum*
265 *Exaudita viris poterant edicta morari.*
Inspoliata quidem, multisque nitentia gazis
Non expectato flammis sunt tradita signo.
Attoniti tanto miserarum turbine rerum
Infausti ciues, non iam miserabile vulgus,
270 *Sed magis inuidia dignum, compendia montis*
Ardua corripiunt trepidi, pro fraude superba
Digna reportantes: vbi(3) *qui fiscalia Regi*
Iura suo tumida mendaces fraude negarant
Omnibus amissis inopes miserique dolerent.

(1) Cogitabam pro *fluunt* substituere tanquam ἐμφατικώτερον, *ruunt*. Sed cum videam alibi quoque sic loqui *Guntherum*, vt lib. 10 v. 475 *oppida flammis in cineres collapsa fluunt*: nunc nihil muto. (R.) p. 86
(2) Sic recte *Perna*. Augustana & aliæ vulgatæ editiones *Non*. Similiter fuit aberratum infra v. 313, *non exiguos*. (R.) p. 86
(3) Sic restitui, pro *vbi*. Quomodo & infra sæpius erratum est, vt lib. 5 v. 194, & 419 (R.) p. 86

275 *Stabat in excelsa sedes munitior arce,*
Optima pars vrbis, tuto satis edita colle,
Hic excelsa viri primates tecta locarant,
Securosque lares, hic sedes pontificalis,
Altaque conspicui surgebat fabrica templi:
280 *Sic*(1) *bona pars populi sedis munimine freta,*
Rebus in extremis tutari seque, locumque
Certabat(2), *ferrumque manu, lapidesque rotando,*
Vel retinere locum, vel fata subire parabat(3).

(1) Probo Nobil. & eruditissimi *Pflugii* coniecturam, legentis: *Hic*, pro *Sic*. Nam & præcessit: *Hic excelsa, &c.* (R.) p. 86
(2) Id est, certatim tutabantur. Sic lib. 9 v. 174, *certabant poscere*, pro certatim poscebant. Et hoc ipso lib. 4 v. 490, *certabant se commendare*: id est, certatim se commendabant. Imitatione *Virgilii* sic loquitur, cuius hoc est Æn. 2, *certant illudere capto*. (R.) p. 86
(3) Huiusmodi fortitudinem vel potius audaciam ac pertinaciam describit lib. 9 v. 359, vbi vise, quæ annoto ex Plauto, Sallustio & Floro. (R.) p. 86

At Rex inuictus, nil se memorabile credens
285 *Dum superest aliquid*(1), *nil se fecisse decorum,*

Voce,

Voce, manuque suos ardens hortatur, & addit
Sæpe minas, reficitque animos, & suggerit iras.
Ipse manu propria, sociis prohibentibus, omneis
Explorat casus, & quæque pericula primus
290 *Excipit, oblitus pariter regnique, suique,*
Cœptaque vel summo cupiens implere periclo.
Principis exemplo miles virtute coacta (2)
Audet, & audaci pudor est sub Rege timere (3).
Nec modus, aut requies, donec clamore supremo
295 *Effractæ patuere suis victoribus arces.*
Sed quia præcluso fugiendi tempore, vulgi
Magna repentino pars conflagrauerat igne,
Aere corrupto, fœdumque trahentibus auris
Nidorem, sæuamque loco spirante Mephitim (4),
300 *Quamquam multa viris minime temnenda supellex*
Posset ab igne rapi, nostrosque vrgeret egestas
Aeris impatiens, cessit, prædaque relicta.

(1) Imitatur *Lucanum*: cuius sunt ista, lib. 2, v. 657
Nil actum credens cum quid superesset agendum.
Sic *Guntherus* lib. 6 v. 92 ait, *Fridericum Ænobarbum* nihil infectum pati, quod suscepisset agendum. Sic *Iustinianus* in l. pen. C. de his, quibus vt indign. *Nil actum esse credimus, dum quid agendum superest.* Et Achilles Homericus Iliad. τ. inquit:
αἶψα μάλ'. ὁ γὰρ χρὴ κλοτοπεύειν ἐνθάδ' ἐόντας.
οὐδὲ διατρίβειν. ἔτι γὰρ μέγα ἔργον ἄρεκτον.
Notum est etiam illud Alexandri M. μηδὲν ἀναβαλλόμενος, de quo vide *Alciati* Embl. 3, & Carmina in Veredum Posthianum inter adoptiua magni illius amici nostri carmina. (R.) p. 87

(2) At hæc non est virtus: quæ a libero debet proficisci arbitrio. Nota autem, virtutem hic pro fortitudine militari poni. Exempla vide plura mihi apud Phædrum obseruata. (R.) p. 87

(3) Adeo *militibus exæquatus cum Imperatore labos volentibus est*, vt ait *Sallustius* Iugurth. Et *Claudiani* similis est locus:
Vtque Ducum lituos, sic mores castra sequuntur, &c. (R.) p. 87

(4) Sic *Maro* libro septimo: *Sæuamque exhalat opaca Mephitim.* (Sp.)

Haud procul euersa victor consedit ab vrbe
Sub meliore polo, & leuius spirantibus auris.
305 *Mox vbi sæuus odor flamma cessante resedit,*
Et vacuum cessit tenuatus in aera putor,
Protinus ad prædam vulgus castrense recurrens,
Si quid adhuc flammis illæsum forte manebat,
Diripit, & calidam pedibus calcare fauillam
310 *Non timet, & prunis ardentibus vrere plantas,*
Semustam properans flammis subducere prædam.
Inueniunt plenis studiose condita cellis
Vina, nec exiguos seruatæ frugis aceruos:
Inueniunt plenas pretiosis vestibus arcas,
315 *Quasque sibi populus parco conflauerat vsu,*
Et cupide seruabat opes, rapit omnia victor,
Plenaque semicremis ditescunt castra tropæis.*

* Exemplo *Ouidii*, qui 2 Metam. *semicremum stipitem* dixit, hoc est, media sui parte vstulatum. Et idem in Diris, *membra semicremata.* *Martialis* lib. 11, *thura semicremata.* *Guntherus* hic paulo ante *Semustam prædam* dixit. (R.) p. 87

Nec mora, Dalmatici qua fluctibus æquoris Ancon (1)
Tunditur, & magno finem facit Appennino,
320 *Signa rapit Princeps, pulchræque a mœnibus vrbis,*
Haud procul in medio ponit tentoria campo.
Hic duo magnates, Graia de gente profecti,
Occurrere viro (2), Regis mandata ferentes,
Donaque magna sui: quorum hic Maradochus, *at ille*

 Palolo-

325 Palologus(3) *vocitatus erat, quos ille venuste*
Excipiens vultu, digno cumulauit honore.
Auditaque viæ caussa, responsa daturum,
Insignem meritis, & clara stirpe creatum,
Hic Abbas Stapulensis(4) *erat, iubet ire* Wibaldum.

(1) Lucanus: *Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon*, Id est, Adriatici. Idem, quod & Illyricum dicitur. Dalmatia enim pars est Illyrici, quæ ad mare Adriaticum spectat. Qui *Delmaticis* legunt apud *Lucanum*, sequi videntur *Stephanum* de Vrbibus, & *Appianum*, qui a *Delminio* Dalmatiam nominatam existimat. *Ancona* autem Piceni vrbs, *Plinio* & *Mela* autoribus sortita est nomen a forma & situ. *Ancon* enim græce, tum cubitus, tum eminens locus, tum flexus dicitur. Ædificata est a Siracusanis, qui Græci Dorici erant, Dionysii tyrannidem fugientibus, autor *Strabo*. Vnde Satyra quarta *Iuuenalis*: *Quam Dorica sustinet Ancon.* Portu insignis vrbs, quem exeitauit Traianus Princeps. A Saracenis Imp. *Lotharii* Carolingi temporibus capta, atque incensa est. (Sp.)

(2) Legebatur, *viri*: quasi iungendi essent magnates viri. Fateor apud *Plautum* Sticho, Sc. Libros inspexi, esse, *summates viros*, & contra, *infimates*: atque ita etiam magnates viros dici posse. At hic legendum contendo, *viro*: intelligendumque Imper. *Friderico*. Nam ita alias etiam loqui gaudet *Guntherus* vt sup. v. 26 *totaque caterua Acclamante viro.* Et infra v. 343, *tenuere virum.* Sic lib. 7 v. 637, *Impulit ira virum.* (R.) p. 87

(3) Sic metri caussa edidit *Perna*, & hic & lib. 5 v. 400. At *Spiegelius* vbique *Palaologus.* (R.) p. 87

Qui teste *Othone* nostro, nobilissimus procerum Græcorum ea fuit tempestate, Imperatorique eorum sanguine iunctus. Ex hac familia, quæ ex vrbe Viterbio quibusdam Genuensis dicitur ab initio genus duxisse *Michael Palaologus*, vir in armis strenuus, sibi Constantinopolitanum Imperium per nefas vindicauit, imperante Cæs. *Rudolfo* Habspurgio: quod posteris vsque ad *Constantinum* vltimum, & octauum, ex ea domo per manus tradidit, qui annos fere ducentos regnarunt. Inde Turcis cessit anno salutis MCCCCLIII. Qua in re subeat ea reputatio, a *Constantino* Magno Helenæ filio constructam vrbem esse, Romæ semper æmulam, sub *Constantino*, qui eiusdem nominis matrem haberet, captam, Turcarumque iugo ad hanc diem subditam, tam alte dormitante Principum christianitatis sollicitudine. (Sp.)

(4) Augustana editio & Pernæ, *Stabulensis*: vt & lib. 5 v. 361, & lib. 9 v. 163; vbi *Guibaldus*, qui hic est *VVibaldus*. (R.) p. 87

Item & *Corbiensis*. Teste *Frisingensi*. Corbeiam, nobile cœnobium, quod in Saxonibus est, dicitur excitasse primus Bremensium Pontifex diuus *Ansgarius*, iussu *Lotharii* Imp. Carolingi, vt *Irenicus* refert. *Cranzius* tamen scribit lib. rerum Saxonicarum secundo, *Ludouicum* Pium, vt eius vtar verbis, extruxisse regalem Abbatiam in littore Visurgi, translatis patribus cum nomine de Corbeia Galliarum, quæ in ripa Summæ fluminis hodie manet: de qua, opinor facere mentionem *Othonem* Pontificem, cum *Stapula* quoque extet in Picardis non ignobilis ad mare locus, vel alumno *Iacobo Fabro*, erudito & iuxta pio viro. (Sp.)

330 *Interea patriis* Andreas(1) *finibus exul,*
Atque alii proceres, Siculus quos ille tyrannus
Appuliæ totis dudum proscripserat oris,
Ceu postliminio(2) *Romani iure reuersi*
Principis, iniecta fines, ereptaque dudum
335 *Iura, manu, firmasque vrbes, & castra tenebant.*
Omnibus attonitis, Regemque putantibus ipsum
Pone sequi, iam iamque suos inuadere fines.
Et certe facturus erat, cupidusque parabat
Vltrices illuc Cæsar transferre cohortes,
340 *Sed vapor æthereus, rapidique molestia cæli,*
Et Comitum languor, longoque labore solutum
Vulgus, & innumero fulgentia(3)*funere castra,*
Ne faceret, tenuere virum, monituque fideli(4)
Teutonici proceres renuentem, & magna parantem
345 *Cœpta, coegerunt ad Transalpina reuerti.*

(1) Capuæ Comitem vocat infra lib. 5 v. 384 (R.) p. 87

(2) *Postliminii* duo sunt capita, ficticium scilicet, & alterum suspensiuum. Qua illa ratione fuerint inducta, & quæ operentur, docent iurisperiti. Etymum nominis *Boetius*, & *Seruius* declarant, *Paulus* autem iureconsultus in tractatu *de Captiuis*, & *de Postliminio*, & *de redemptis ab hostibus*, definit, Postliminium esse ius amissæ rei recipiendæ ab extraneo, & in statum pristinum restituendæ, inter nos ac liberos populos, Regesque, moribus,

moribus, legibus constitutum. Nam quod bello amisimus, aut etiam citra bellum, hoc si rursus recipiamus, dicimur postliminio recipere. Idque naturali æquitate introductum est: vt qui per iniuriam ab extraneis detinebatur, is vbi in fines suos rediisset, pristinum ius suum reciperet. Notandum est autem, inter christianos, cum illi ex lege Christi omnes sint fratres, ius postliminii non esse. Hincque videmus antiquissima consuetudine introductum, vt capti libertatem non amittant, sed præstita victori pecunia, veniam recedendi impetrent. Qua ratione etiam arbitratur nobilissimus Iureconsultorum *Andreas Alciatus*, capta in bello Christianorum plusquam ciuili, capientium non fieri: & id præsertim in eo, quod forum conscientiæ vocamus: licet theologi, vel mataeologi potius quidam aliter senserint. Nisi ab his capta sint, qui libertatem suam tuentur, & iniuste ab aliquo tyranno vexantur. Vnicuique enim iure naturali permittitur defensio: quam nec Christiana lex nobis abstulit. Alioquin si duo Principes de imperio belligerent, ridiculum est credere, permissum esse militibus, alterutrius subditos spoliare: cum eorum nihil intersit, vter regnet, paratique sint illi victoris imperio obsequi: & quod diuus *Petrus* in priore epistola præcipit: *Subditi estote cuiuis humanæ creaturæ propter dominum, siue regi, siue præsidibus*. (Sp.)

(3) Ego simpliciter dictum existimo, nec fulgentia ad funera, sed ad signa referendum esse. Ita *Christ. Pflugius*. At ego mallim, *Lugentia*. Nam cur *fulgentia*? an respicit ad antiquum Romanorum morem, concremandi cadauera, vt inde scilicet castra igne collucerent? Atqui mos iste ea tempestate desierat: imo iam Macrobii seculo, vt ipse testatur 7 Saturnal. cap. 7. An quia lucernas apponebant funeribus? Quod hodieque in quibusdam Saxoniæ vrbibus, aliisque Germaniæ partibus fit. An *fulgentia*, propter faces & funalia in exequiis præferri consueta? An denique (quod mihi *Schoppius* subiecit) sicut *accendere* pro *implere* veteres interdum vsurparunt, teste *Giphanio* Indice Lucretii: ita *fulgentia* dicta sunt *plena*? (R.) p. 87 seq.

(4) Sic supra *Friderico* dissuadebant Consiliarii expeditionem Hungaricam, lib. 1. (R.) p. 88

Ergo vbi deposito tandem mansuescere ferro,
Et reditu optato patrios inuisere fines,
Regia belligeris indulsit gratia turmis:
Protinus abscessu tristes, gemituque profundo
350 *Pectora pulsantes, & largis ora rigatos*(1)
Fletibus aspiceres: adeo sub Principe miti
Dulce viris fuerat quosuis tolerare labores.
Ipse quoque emeritos(2) *grato solenniter*(3) *ore*
Extulit, & digno laudauit honore cohortes,
355 *Dimisitque viros: quorum pars gurgite vasto*
Et Veneto deuecta mari(4), *natalia rura*
Contigit, & patrios aspexit læta penates.
Ast alii fines, extremaque claustra iacentis
Italiæ, duris horrendas rupibus alpes
360 *Agmine non vno repetunt, non prorsus eodem*
Limite, sed variis anfractibus arcta locorum,
Difficilesque vias, & tristia claustra sequentes,
Vix tandem patriis longus labor intulit aruis.
At qui de Tuscis aderant, Italisue frequentes
365 *Vrbibus, hi facili cura, spatioque minori,*
Ad sua diffuso redierunt mœnia cœtu.
Sic vbi(5) *multifidos vno de fonte meatus*
Vnda secans, varios seiunctis cursibus amnes
Efficit, hos leni per plana iacentia lapsu
370 *Serpentes, alios inter caua saxa sonantes,*
Luctatosque diu(6), *diuersa sede receptat,*
Serius, aut citius, protractu gurgitis æquor.

(1) Malim, *rigantes*. Quamquam & *rigatos* tolerari possit, quod *Guntherus* fortasse posuit vitandi ὁμοιοτελεύτου caussa. (R.) p. 88

(2) Suspicor legendum, *emeritas*: vt iungatur cum *cohortes*, quod sequitur v. prox. (R.) p. 88

(3) Ad talem quendam modum, qualis infra describitur lib. 10 vers. 509. Formam eam gratiarum actionis *Guntherus* semel posuisse satis habuit, ne bis agatur idem, vt alibi in simili negotio καὶ αὐτολεξεὶ ait. (R.) p. 88

(4) Inter quos primates fuere *Peregrinus* Aquileiensis Patriarcha, *Eberhardus* Babenbergensis Episcopus, *Bertolfus* Comes, *Henricus*

ricus Carentanorum Dux, *Odoacer* Stirensis Marchio. (Sp.)

(5) Et hæc comparatio satis arguit *Guntheri* nostri ingenium: eiusmodi vel hoc sæculo non omnino spernendum esset. (Sp.)

(6) Sic eleganter & Panegyrista locutus est. (R.) p. 88

Non tamen emissa tantorum(1) *plebe virorum*
Vel Princeps vacuus, vel curia sola remansit.
375 *Non est magnorum cum paucis viuere Regum.*
Quotlibet emittat, plures tamen aula reseruat.
Nec Princeps latebras(2), *nec sol desiderat vmbras:*
Abscondat solem, qui vult abscondere Regem.
Siue noui veniant, seu qui venere recedant,
380 *Semper inexhausta celebratur curia turba:*
(3)*Vt mare cum largas mundo disseminet vndas,*
Semper inexhaustis fœcundum pullulat vndis.

(1) *Tanti*, pro *tot*. Quantitas continua, pro discreta, seu magnitudinis verbum, pro multitudine seu numero. Sic lib. 8 v. 460. Sic *Lat. Pacat. Drepanius* Panegyrico ad Theodosium A. *Vnde, cum tantis promissa persoluas, quid cui promiseris, scias.* Sic Terentius, *Sexcenta tanta.* Sic *Quanta*, pro *Quot* probatissimi auctores dixerunt. Propertius: *Curarum peperit millia quanta tibi?* pro *Quot millia.* *Ambrosius* in Tobiam c. 7; *O quantos miseros aliena fecerunt bona!* pro *Quot miseros.* Vegetius: *Vt integris suis quantos possint hostes interimant.* Imo nec *Guntherus* vti abstinuit: vt lib. 5 v. 328;

Quanti Pontifices, quanti coiere potentes.

Illustre exemplum vtriusque vid. apud *Vlpianum* in l. si ita legatum. ff. de leg. 1. *in tantos, quanti inueniantur* (id est, in tot seruos, quot inueniuntur) *legatum valebit.* Vbi simul nota, *ampliores* vsurpari pro *plures*. Similia exempla plurima obseruaui in lectione eruditissimi scriptoris *B. Hieronymi*. (R.) p. 88

(2) Principes viros latere non posse, quicquid agant, Pindarica est sententia Pyth. 1, ab aliis quoque vsurpata. Grauissime C. Cæsar apud *Sallustium* in Catilin. (Scribam locum, vt in meis membranis legitur.) *Alia* (inquit) *aliis licentia est.* *Qui demissi vitam in obscuro loco agunt, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt: fama atque fortuna eorum pares sunt. Qui magno imperio præditi in excelso ætatem ducunt, eorum facta cuncti mortales nouerunt. Ita in maxima fortuna minima quidem licentia est: neque studere, neque odisse, sed minime irasci decet. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio superbia atque crudelitas appellatur.* Breuius *Symmachus* lib. 1 p. 96; *Fama nihil ignorari de conspicuis viris patitur* Claudianus:

nec posse dari regalibus vnquam
Secretum vitiis. Nam lux altissima fati
Occultum nil esse sinit: latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos explorat fama recessus.

* *Plinius* in Panegyrico cap. 55; *Præterea vt quisque factus est Princeps* —— *mentis prorogatur.* A cap. 83; *Habet hoc primum magna fortuna* (vbi coniiciebam pro, *primum*, legendum, *priuum*, an *proprium*) —— *proponit atque explicat.* Et antiquior *Plinio* scripsit*. *Seneca* lib. 1 de clement. cap. 8, Principum *facta dictaque rumor excipit*: nec eis magis, quam Soli latere contingit. Quem locum hic ob oculos habuit *Guntherus*. Addit ibidem *Seneca*: *Ideo nullis magis cauendum esse, qualem famam habeant, quam Principibus, qui qualemcunque meruerint, magnam habituri sunt.* Vbi (quod præteriens moneo) libens legerim, *curandum*, pro *cauendum*. Cogitet igitur assidue Rex vel Princeps, se in orbis theatro positum, omnibusque ad spectaculum propositum: nullum dictum aut factum suum latere posse. Magnaque Principibus in vtramque partem adhibenda est cautio: cum neque vitia neque virtutes eorum latere queant: vt recte monet *Georg. Buchananus* in Dialogo, *de Iure regni apud Scotos*. (R.) p. 89

(3) Simile & hoc apposite attulit, quo prius vsus est *auctor panegyrici* Maximiano & Constantino Augg. dicti. (Sp.)

Imitationem Panegyristæ hoc loco recte obseruauit *Spiegel*. Mare non decrescit, quantumuis multas in orbem terrarum diffundat aquas. Nam fluminum fontes ex mari per cauernas & occultos terræ meatus veluti percolati scaturiunt. Sed neque maius fit vel exundat tot fluuiorum in mare se exonerantium affluxu. Qua de re vid. *Lucretium* lib. 6, & *Lucanum* lib. 5 vers. 355, & *Fr. Vallesium* de sacra Philosophia c. 63, & Interpretes *Aristotelis* ad 2 Meteor. cap. 2. Hinc & *Plautus* Curcul. Sc. 1. dixit: *Quis nam istic fluuius est, quem non recipiat mare?* (R.) p. 89

Ergo bona quamuis dimissa parte suorum,
Magna tamen Princeps, & solo Cæsare digna
385 *Castra mouens, per eam quæ nunc Senogallia fertur,*

Quod Senones (1) illam Galli tenuisse putantur,
Cum premerent trepidam peregrino milite Romam (2),
Appennine tuos properat contingere colles.
His quoque transcensis, planis in finibus illum
390 *Excipit exiguo perfusa Bononia Rheno (3),*
Quæ quasi plena bonis (4) læto trahit omine nomen.
Hinc (5) quoque discedens, Italarum rector aquarum,
Te Pade transgressus, Veronæ plana (6) potentis
Contigit, & notis (7) posuit tentoria campis,
395 *Qua rapidas Athesæ torrens (8) agit impetus (9) vndas.*

(1) Dicuntur & *Semnones*, qui post Albim veteris ortum ad Sueuum fluuium habitabant: hi e Germania in Galliam venientes, Senam vrbem condiderunt. *Silius*: *Et Senonum de nomine Sena.* Item *Gotfridus Viterbiensis*, vt citatur ab Althamero: *Condit apud Gallos Senensem Brennus & vrbem.* Gentis Senonum naturam describit *Florus* cap. 13 primi. (Sp.)

(2) Historiam exactissime recenset *Plutarchus* in eo libro, quem *de Rom. Fortuna* inscripsit, & nuper *Budaeus*, Gallorum doctissimus, latine vertit. Meminerunt item historici fere omnes huius belli, qui Romanam historiam conscripserunt: quod & apud Poetas vulgatissimum. Omnes autem reliquias Senonum in Etruria ad lacum Vadimonis Dolobellam deleuisse, ne quis extaret in ea gente, qui incensam a se Romanam vrbem gloriaretur, autor est *Florus* in fine cap. iam citati. (Sp.)

(3) Amne paruo, ad nostri Rheni differentiam, omnium Germaniæ fluuiorum celeberrimi. Rhenus Bononiensis oritur in Appennino, producitque iuxta Bononiam calamum, quo nullus sagittis aptior, vt scribit *Plinius*. (Sp.)

(4) Legebatur, *bono*. Sed rescribendum esse, *bonis*, manifestum est ex v. 233 lib. 3, vbi idem Bononiæ etymon adfertur. (R.) p. 90

(5) Ita reposui, cum legeretur, *Hic*. Padum eleganter vocat *Italarum aquarum rectorem*, id est, Regem: plane Virgiliana imitatione. Notus est enim ex summo vate *fluuiorum rex Eridanus*. Georgic. 1, & Æn. 8;

> *Corniger Hesperidum fluuius regnator aquarum.*

Sic *Guntherus* infra lib. 5 v. 282;

> *Maximus Allobrogum Rhodanus dominator aquarum.*

Sic *Martialis* lib. 12 Epigr. vlt. *Rector aquarum Albula.* Sic denique *Ausonius* Epigram. 3; *Illyricis regnator aquis Danubius.* (R) p. 90

(6) Planitiem. (Sp.)

(7) *Pflugius*, malebat, *totis*. (R.)

(8) Huius ortus Germaniæ adscribitur. *Licet ruat in Venetos deserto Teutone campos*, vt cecinit *Guntherus*, & ante eum *Celtes*, viri Germani vere Franci. Regioni nomen dedit, quam nos *Etschlandiam* vocamus. Nobilem olim Norici regni, deinde Tridentini Ducatus fuisse portionem constat. At hodie regio omnis Austriacis Principibus titulo Tyrolensis Comitatus paret. *Torrentem* autem vocat, quod ex montium iugis originem trahens, in valles descendit. (Sp.)

(9) Aduerbium est. Astipulatur *autor panegyrici* Constantino Aug. Constantii filio dicti: *O miserabilem, inquiens, Veronensium calamitatem, quos non tam tua, quam intestina satellitum pressit obsidio, quippe Athesis ille saxis asper, & gurgitibus verticosus, & impetu ferox, oppugnationem prohibebat, omnemque retro regionem euehendis copiis tutam, defensamque præstabat.* (Sp.)

Mos erat a veterum traductus tempore Regum,
Et stabili multos (1) seruatus iure per annos,
Siue petat Latiam regnator Teutonus vrbem,
Siue sacer (2) rediens, sua signa reportet ab vrbe,
400 *Vt latum iunctis pontem Verona carinis*
Per medias Athesæ porrectum construat vndas:
Quo validus Princeps intactis mœnibus vrbis
Transeat, atque (3) suas transmittat rite cateruas.
Tunc quoque connexis fragili compage carinis,
405 *Desuper iniectis leuiter gens perfida lignis,*
Extruxit facili cessurum pondere pontem (4).
Vt cum noster eques tabulata sonantia tutus,
Atque vacillantes incerto pondere naues
Iam premeret, nexu series infida soluto
410 *Cederet, & rapidas ferretur miles in vndas.*
Præterea cæsis riparum in fronte salictis,
Struxerat (5) in multos fruticum ramalia fasces,

Quos quasi fortuitu(6) *venienti gurgite raptas*
Prona catenatis infligens vnda carinis,
415 *Solueret, infidum decepto milite pontem:*
Vt iam Teutonicæ transmissa parte cohortis,
Gurgite præcluso, reliquos inuaderet hostis
Impius, & dirum satiaret sanguine ferrum.

(1) Periphrasis vetustissimæ, & post hominum memoriam consuetudinis: quæ priuilegii ius habet, & qualis nunc est, præsumitur semper retro fuisse: estque illa firmissima præsumptio, quam vulgo iuris, & de iure vocant. (Sp.)

(2) Hoc est, vnctus a Romano Pontifice. Aiunt patres instituisse, vt quemadmodum Hebræis vnctio sacri vnguenti nomen ac potestatem regiam conferebat, ita Reges christiani populi, sacro perungerentur chrismate, certis adhibitis cærimoniis, de quibus latius libr. septimo & octauo tractabimus. Olim Romanis Imperatoribus indumentum purpuræ insigne fuit regiæ dignitatis assumptæ. Autor *Lactantius.* (Sp.)

Malim, *sacra*: vt *sacram vrbem* vocet Romam. (R.)

(3) Vulgo, *adque.* (R.)

(4) Memorabile hoc Italicæ fraudis atque perfidiæ exemplum, *Otho* quoque Pontifex diligenter retulit in cap. 25 secundi rerum Ænobarbicarum. (Sp.)

Veronensium ista perfidia in *Fridericum*, conferri potest cum illa Spoletanorum, de qua sup. v. 235. (R.) p. 90

(5) Probo, quod *Pflugius* diuinabat, *strinxerat.* (R.)

(6) Malim, *fortuito.* (R.)

Cassa fuit miseris infandæ machina fraudis,
420 *Et magno ventura malo, nutuque superno*
Incidit in foueam(1), *quam foderat improbus hostis.*
Nam simul(2) *innocuo per certa pericula gressu*
Immemores fraudis se traiecere cateruæ:
Cumque hos a tergo quidam de plebe feroci(3)
425 *Attentare dolis, subitoque lacessere bello*
Cæpissent, refugoque gradu transire pararent,
Inueniunt rupta pontem compage solutum,
Seque interceptos, subitaque voragine clausos,
Et tabulata nouo mirantur hiantia lapsu.
430 *Quos ibi comprensos, & nil rationis habentes,*
Attonitosque malo, iugulat mox Teutonus vltor.

(1) Nec mirum, si Poeta christianus, & monachus, vsurpet e carmine Hebræi vatis prouerbialem sententiam, canentis psalmo septimo: *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quam fecit.* Similis est illa ethnici poetæ: *Lex non est æquior vlla, Quam necis artifices, arte perire sua.* Imo iuxta Mimum prouerbialem incertum cuius: *Bis interimitur, qui suis armis perit.* (Sp.)

(2) Pro *simul ac*: exemplo *Ciceronis, Virgilii, Liuii, Tibulli,* &c. pro *certa* Pflugius diuinabat, *caca.* Sed tamen infra quoque *certum periculum* dicet v. 479. (R.) p. 90

(3) Veronensium scilicet. (Sp.)

Ventum erat ad fauces(1), *angustaque claustra viarum,*
Qua se nubiferis horrendæ rupibus alpes
Exiguo tantum penetrandas limite præbent,
435 *Vniusque capax scopuloso semita calle*
Arcta laboranti pandit vestigia turbæ.
Hinc(2) *fractis prærupta iugis, tenebrosa vorago*
Pandit inane chaos(3), *barathrique simillimus horror*
Exanimes fecisse potest, Athesamque(4) *fragosis*
440 *Sub pedibus rauco certantem murmure saxis*(5),
Accipit attonita, quam non videt, aure viator.
Hinc se nubifero super æthera vertice rupes
Tollit, & ingenti late loca protegit vmbra.
Atque super cilio scopulosi verticis(6) *vnus*
445 *Conatu facili, lapsuraque saxa mouendo*
Mille potest arcere viros, aditusque viarum
Claudere, vel missis ibi cautos(7) *perdere saxis.*
Huc se contulerat ferus, infandusque satelles

Albri-

Albricus, cupidus scelerum, cupidusque rapinæ,
450 *Horridus, acer, atrox, ex ordine natus equestri:*
Ciuis erat, Verona, tuus: iurataque turpi
Obsequio, monstrisque nouis adscita iuuentus
Cum domino peritura suo, miserasque parentum
Orbatura domos, longoque labore petitam
455 *Rupis inaccessæ sedem statione latenti*
Seruabant, dirumque 8) nefas ac turpe parabant.
His erat in voto pretiis spoliare coactis
Agmina, vel missis aditum præcludere saxis.
Complacuit(9) tentare dolos, facinusque fateri,
460 *Donec in angustas fauces, insidaque totæ,*
Ignaræ fraudis, cecidissent claustra cohortes,
Atque ideo paucos tuto præcedere passi
Continuere manus, ad grandia monstra paratas.

(1) Locum vulgus appellat *Clausuram*, seu *Clusam Veronensem*: Germani, *Berner Cluse*. (Sp.)
(2) Restitui, *Hic*. (R.)
(3) χάος ab Hebraeo כאה i. e. *caligauit*. (R.)
(4) Wecheliani sine caussa hoc mutarunt in *Athesimque*. Quamquam enim ab aliis scriptoribus *Athesis* hic fluuius vocetur: *Guntherus* tamen constanter vtitur *Athesa*, *Athesa*, metaplasmo quodam: vt paulo ante v. 395 & 401. (R.) p. 90
(5) Eleganter dicit flumen pugnare cum saxis, per quæ fluit. (R.) p. 90
(6) Imitatione Virgilii, qui *supercilium cliuosi tramitis* dixit Georg. 1. Sic *supercilium montis, amnis, ripæ*, &c. alii dixere, honesta metaphora, vt Græci ὀφρύν. Quod pluribus auctorum locis iam olim comprobaui ad *Oppianum*. (R.) p. 90
(7) In Augustana editione quidam correxerat, *clausos*. Ego pro, *ibi cautos*, diuinabam legendum *incautos*, quod in contextum quoque recipere non dubitarim. Mouebat me, quod etiam infra v. 468, *ibi* pro *in* perperam a librariis positum est, dum scilicet *inhibet*, deprauarunt in, *ibi habet*. Error ex notis est. Nam i non solum pro *In* scribebant, sed etiam pro *ibi*, vt ti pro tibi. Quod notissimum iis, qui in Msc. Cod. versati sunt. (R.) p. 91.
(8) Sic reposui & hic & lib. 6 v. 435. vbi vulgo, *durum nefas*, & *durum scelus*. Sed longe ἐμφατικώτερον est, *dirum*. (R.) p. 91
(9) Rescribe, *Non placuit*: quod & Augustanæ editionis auctoritas & sensus postulat. Sic in vita Atticia *Corn. Nepote* descriptæ *non iniectus* deprauatum legebatur in *coniunctum*: cum verum sit: *Ipsum Pompeium non iniectus non offendit*. Vt *Schoppius* noster in verisimilibus probat, & ante ipsum *Sim. Bosius* ediderat. (R.) p. 91.

(1) *Sic venator apros, fuluosque agitare leones*
465 *Instituens, timidos lepores, damasque fugaces*
Dissimulat: prædamque pudet captare minorem,
Ipse sub ingenti latet altæ(2) fornice rupis,
Clamososque canes inhibet(3), cupidosque molossos
Comprimit, vt nullis quatiant latratibus ora 4),
470 *Donec cornigeri veniant in retia cerui,*
Trux leo, sæuus aper, maculoso vellere pulcher
Pardus, & hirsuti rapidis cum tigribus vrsi.

(1) Comparatio mire elegans, vt fere omnes sunt in toto opere. (Sp.)
(2) Perna, *alte*, sine diphthongo. Sed melius videtur, *alta rupis*. (R.) p. 91
(3) Vulgo, *Ibi habet*. Sed verissima est hæc emendatio, quæ *P. Pithæo* debetur. (R.) p. 91
(4) L. *auras*. (B.)

Non tamen occulti potuerunt fallere Regem
Instrumenta doli: cælestia pectora sane
475 *Nil transire potest: Sapiens(1), quod prædicat, hoc est:*
Principibus, fili(2), tacitus maledicere noli.
Portat auis cæli maledicta(3) latentia Regi.
Comperit ergo dolum Cæsar, sensitque furorem,
Nec placuit certo sua tradere castra periclo,
480 *Fataque(4) sacrilegis(5) Romani subdere Regis:*
Protinus e nostro præmissis agmine paucis,
Imperat infando tutos desistere cœpto.

Possessam sedem, tumidamque relinquere mentem(6).
Infremuit vesana manus, lapidumque rotatu
485 *Imperiosa viros abigit mandata ferentes.*

(1) *Salomon*, per Antonomasiam, quem diuus *Hieronymus* autoritate Scripturæ tradit, tribus nominibus vocatum fuisse: *Salomonem*, id est, pacificum: *Idida*, hoc est, dilectum domini: & *Ecclesiasten*, quem nos nuncupare possumus concionatorem: eo quod loquatur ad populum, & Sermo eius non specialiter ad vnum, sed ad vniuersos generaliter dirigatur. Eumque dicit iuxta numerum vocabulorum tria volumina edidisse, *Prouerbia, Ecclesiasten, & Cantica Canticorum*. In *Prouerbiis* paruulum docet: in *Ecclesiaste* maturæ virum ætatis instituit: in *Cantico Canticorum* iam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum, Sponsi iungit amplexibus. Haud procul ab hoc ordine, teste eodem, doctrinarum, & Philosophi sectatores suos erudiunt: vt primum Ethicam doceant: deinde Physicam interpretentur: & quem in his profecisse perspexerint, ad Theologiam vsque perducant. Hunc tamen ordinem loquacissimi Theologistæ Parisienses, & Academiæ illos secutæ, subuerterunt. (Sp.)

(2) Hæc sumpta est sententia ex Ecclesiaste, in fine enim cap. 10 *Salomon* ait: *In mente tua Regi ne maledixeris, & in secreto cubilis tui ne maledixeris diuiti: quia volucres cœli auferent vocem tuam, & habens pennas, annuntiabit verbum.* Hunc locum enarrans ipse sacer *Hieronymus* dicit: *Simplex præceptum ædificat audientes: ne ira & furore superati, in maledictum & detractionem Regum & Principum prorumpamus.* Quia contra spem interdum euenit, vt iis, quibus maledeximus, nuntietur: & incurramus periculum immoderatione linguæ. Sed & ethnici sua sententia eius periculi admonuerunt suos: quam refert *Aristoteles* in tertio Politicorum, & *Erasmus* explicat in principio centuriæ secundæ Chiliadis primæ. (Sp.)

(3) Conuicia, a quibus tantum *Solomon* coercet periculo ostenso. Cuius tamen sententiam Matæologi detorserunt ad stabiliendam malorum Principum autoritatem: quos tam vere corripere licet, quam non expedit eis detrahere. Quod factitatum scimus a priscis vere, tum Episcopis, tum Abbatibus, Christi gloriæ cultoribus. (Sp.)

(4) Id est, fortunam Imperialem in discrimen adducere. Vulgo male, *factaque*. (R.) p. 91

(5) Pro, Maiestatis læsæ reis: quod, vt *Vlpianus* ait, proximum sacrilegio crimen est, quod maiestatis dicitur. Maiestatis autem crimen est illud, quod aduersus populum Romanum, vel aduersus eius securitatem committitur. Quod tamen ius in se, suosque domesticos a consiliis transtulere Principes. (Sp.)

(6) *Pflugius* coniiciebat, *tumidamque relinquere mentem*. (R.) p. 91

Interérant nostris sub eodem tempore castris
Ex Veronensi iuuenes duo(1) *plebe creati*,
Hunc Isaac, *hunc* Carzabanum *Verona vocabat*,
Tempore qui longo regalia signa secuti,
490 *Obsequio Regi se commendare fideli*
Certabant, studioque pii placuisse fauoris:
Hos quasi conciues(2), *& ob hoc securius illis*
Iure sodalitii(3) *pro Cæsare verba daturos*,
Ire iubent proceres, mentisque(4) *ferocia corda*,
495 *Consilioque feras sæuorum frangere mentes.*
Quos velut ignotos nihilominus impia turba(5)
Exaudire negans, vt certos repulit hostes,
Ac nisi se certo redimat plebs nostra(6) *tributo*,
Lorica, vel equo, pro quolibet ante relicto,
500 *Et caput ipse suum multo Rex liberet ære*(7),
Nunquam se tutos aditus(8) *concedere, nunquam*
Transmittenda locis vrgentibus agmina iurant.

(1) Illustres viros, equestrisque ordinis fuisse, Veronæque natos, *Otho*, noster autor est. (Sp.)

(2) Latinam vocem non esse, plerique arbitrantur. (Sp.)

(3) Pro *municipii* dixit. Inde *municipes*, qui in eodem municipio nati sunt. Fiunt autem municipes non tantum natiuitate, siue origine, sed etiam manumissione: item adoptione; & demum allectione, cum respublica aliquem eligit, & in ciuem assumit. (Sp.)

(4) Leg. *meritisque*: vt respiciat illud sequens, *Consilioque*. (R.) p. 91

Leg. *monitisque*. Nemo vidit. Nec aliter edidit Spiegelius. Rittershusius, *meritisque*. (B.)

(5) Scelerata coniuratio. (Sp.)

(6) Militem quemque Cæs. nostri Imp. *Friderici* intelligit. (Sp.)

Id est,

(7) Id est, pecunia. Cuius appellatio omnem pecuniam complectitur, quod vetustissimorum Romanorum pecunia in ære consistebat: quoniam propter eorum paupertatem, rarus illis argenti, rarior auri vsus fuit: indeque æris appellatio pro pecunia accipi consueuit: & quamuis domitis nationibus in maximas diuitias excreuissent, seruauerunt tamen antiquum nomen, & siue pecunia aurea, siue argentea esset, æs appellabatur. (Sp.)

(8) F. *abitus.* (R.)

Visa fuit Regi miserabilis, atque pudenda
Conditio, tactusque graui sic incipit ira:
505 *O socii*(1), *proceresque mei, solatia casus,*
Quos mundi dominos, & certo iure potentes
Imperiosa facit Romani gloria regni:
Cernitis in quantum maiestas regia tandem
Venerit opprobrium, post tanta negotia regni,
510 *Post expugnatas armis victricibus vrbes,*
Imperiique sacro susceptam more coronam,
Post multas scelerum pœnas, cladesque nocentum:
Cum iam vestibulum patriæ, primosque penates
Optatasque domos reduces intrare paramus(2),
515 *Proh pudor, a paucis prohibemur inertibus, vltra*
Regali transire via (3), *nec vertere cursum*
Fama, pudorque sinit: nec longius ire nocentum
Sæuitia prohibente licet: paucique latrones,
Improba Romano poscunt a Rege tributa,
520 *Cuius ad arbitrium disponitur omne tributum,*
Et capitolitiam(4) *cogunt appendere summam*(5),
Quo caput in toto non est mage nobile mundo.
Non decet a timido redimi latrone metallo(6),
A quo sæpe rei, nullo licet ære redempti,
525 *Accipiunt propriam donato crimine vitam*(7).
Nec me damna mouent, sed tristia fœdera terrent,
Fœdaque mansuræ fugio commercia(8) *famæ.*
Sed dabimus iustum, dabimus quandoque tributum,
Quale decet Regem persoluere, ferre latronem.
530 *State viri fortes, libet expugnare nocentes,*
Aut hic, aut nusquam(9) *gelidam transibimus alpem.*

(1) Concio Ænobarbi Imperatoris, qua inuitat militum virtutem ad extremum laborem fortiter ferendum: haud multum ab illo Virgiliano abludentis: *O socii, neque enim ignari sumus ante malorum, O passi grauiora, dabit DEVS his quoque finem.* (Sp.)

(2) Augustana editio, *paremus.* (R.)

(3) Hoc est, *publica*: quæ cum populo debetur, quanto magis Romano Principi: ad quem etiam maxime illius securitas pertinet: inter cuius regalia quoque refertur cap. 1, quæ sint regalia. (Sp.)

* *Via regia* siue *regalis* est via publica, vt Græci βασιλικὴν ὁδὸν dixere, teste *Vlpiano* l. 1. D. ne quid in loco publico.* (R.)

(4) Hoc est, pecuniam, ni fallor, in singulum caput indictam. Tributum autem pro pecunia, siue quouis alio munere, videtur accipere: qua voce olim merces, siue stipendium militum, teste *Pomponio* iureconsulto, significabatur. Sed *Tacitus* tributum accipit, quod prouinciales ipsi præstant: stipendium, cum militibus datur. (Sp.)

(5) Eum scilicet vt mox: *non decet redimi*, eum supple. *Pflugius* tamen legendum tentabat; *Et caput illicitam cogunt appendere summam*, quod non probo. Nam *capitolitiam summam* vocat *capitationem*: quam alibi *capitolitium censum.* (R.) p. 91

(6) Auro. *Metalleia* dicitur a Græcis inuestigatio metallorum, aurique potissimum, vt scribens in 9 Asini Apuleiani librum *Beroaldus* testatur. Nomine autem metallorum, omnia quæ fodiuntur ex venis terræ significantur. Sic *metalla auri, argenti, æris, plumbi* dicta *Plinio*, & cæteris pure latineque scribentibus. (Sp.)

(7) Tam immensa Rom. Principis potestas est, vt nocentes conuictos, iamque per sententiam latam vltimo adficiendos, vita donare possit. Id, quod nonnulli existimant haudquaquam fas esse, prouinciarum præsidibus, nedum minoribus potestatibus. Quamuis apud nos interdum tum a Principibus, tum a Comitibus, iis denique, qui in Baronum centuria habentur, videmus e manibus eripi ducentis iamiam damnatos ad sententiam patiendum. (Sp.)

Vnum hoc est inter iura maiestatis, posse damnatos capitali sententiæ eximere, & in integrum restituere: vt *Ioh. Bodinus* docet lib. 1 de Repub. c. vlt. vbi 7 fere ma-

iestatis

iestatis capita ponit. *Donato crimine* est *condonato*, vel gratia criminis facta. (R.) p. 91

(8) Elegantissime dixit, *commercia famæ*: vt Lucretius, *linguæ commercia*; & Tacitus Annal. 6, *sortis humanæ commercium*. Silius Italicus lib. 2. *commercia culpæ*. Sic *Ausonius* Eidyl. 9, *commercia linguæ* iungere. Et *B. Ambrosius* contra Symm. *Commercia sepulturæ nullis vnquam negata defunctis*. Participio *mansura* alludit *Guntherus* ad sententiam Plautinam, Persa Sc. *Quæ res bene vertat*. (Sic enim ibi 2. Msc. Cod. Camerarii, non vt vulgo *vertant*)

Pater, hominum immortalis est infamia:
Etiam tum viuit, cum esse credas mortuam.

Eadem Sc. porro versu ab hinc sexto, eorundem Msc. ope consilio ἰδῶ παρέργως restituo *Plauto* elegantem articulum, *Tamenetsi*. Vulgo ibi legas: *Tametsi id futurum non est, &c.* Ac quoniam hoc scribendi genus solutum ac liberum est, bonisque auctoribus quauis occasione persanandis illustrandisque datur, paulo hic etiam latius euagemur ad alia *Plauti* loca restituenda, vbi eadem particula suo loco extrusa erat, eoque hanc interdicto Vnde vi restituamus. Rudente, Sc. Quis me est mortalium.

Tamenetsi non hoc, aliud fabulemur.

Vbi vulgo, *Tamen si*. Sed hunc quidem locum ex coniectura; Illum autem iussu eorundem Msc. restituimus, Trinummo, Sc. Sta illico: *Facile est inuentu: datur ignis, tamenetsi ab inimicis petas.* Eadem partic. Vulgo interposita distinctione male dirimitur Milite, Sc. Quod volui. *Tamenetsi istuc mihi acerbum est, quia hero te carendum est optimo, &c.* Hæc igitur exempla addi possunt illis, quæ de hac particula doctissimi viri annotarunt: *Cuiacius* 1 obs. 14, & *Muretus* 1 Var. lect. 17. * Vid. & *Taubmannus* in comment. Plaut. ad *Milit. gloriosum* Act. V*. (R.) p. 92

(9) Scilicet transeundum nobis, aut immoriendum. Vox forti animo viri digna, in vltimum adducti discrimen, anteponentisque ingloriæ vitæ mortem. Nec multum distat a celebrato illo Lacænæ cuiusdam apophtegmate: quæ filio tradens clypeum dixerit: *Aut hunc, aut super hunc*. Laconice significans, aut referendum clypeum, aut in eo moriendum. Scribunt Lacedæmonios hoc animo solitos inire prœlium, vt aut victores redirent domum, aut victi occumberent. (Sp.)

Sic ait, & positis agmen consistere castris
Imperat, ignauos cupidus punire latrones.
Omnia versanti, quiddam rationis apertæ(1)
535 *Incidit in mentem, veluti conscenderat ante*
Turba nocens, ita posse suos super ardua rupis
Ferre gradum quocumque modo: iuuenesque ducentos
Pectora signifero fortissima (2) *tradit* Othoni (3):
Hos iubet ex omni secretas parte petito
540 *Ascensu tentare vias. Paretur, & armis*
Instructi leuibus, sed firmo pectore tuti
Magnanimi iuuenes, siluas & confraga rupis
Vndique multiuago scrutantes limite lustrant.
Vix inter scopulos, & acutas denique cautes
545 *Conspexere locum, quo se promittere tandem*
Magna videbatur peragendi cœpta facultas.

(1) F. *operta*: cum mox dicat, *secretas tentare vias*. Quomodo & supra *aperto vultu* corrigebam, *operto*. (R.) p. 92

(2) Nata bello, appositiue. (Sp.)

(3) Palatino Comiti. (Sp.)

Protinus angusto(1) *nituntur ad ardua calle,*
Cautibus infringunt vngues, & si qua vetusto
Prominet e scopulo putri iam stipite radix,
550 *Hanc nitente manu prendunt, humeroque priorem*
Subuehit, attollitque sequens, primusque sequentes
Attrahit, & studiis alterna iuuamina præstant.
At si forte viris præcisa semita rupe
Nulla patet, solitis ingentes(2) *nexibus hastas*
555 *Scalarum simulare gradus, suspensaque longe*
Non dubitant nisu vistigia ferre sub auras.
Sic vbi cum summo(3) *vix eluctata labore*
Constitit in summa bellatrix rupe iuuentus
Regia, quæ tacitus secum sub veste gerebat

Signa

560 *Signa potens erexit* Otho, *strepituque feroci*
Terribiles sonuere tubæ: clamore virorum
Hactenus ignoto mirantia saxa resultant,
Saxa feris tantum, fessisque volantibus ante
Cognita, ventosis vix vnquam tacta procellis.
565 *Obstupuit peritura cohors, vbi regia signa*
Vidit, & adstantes summis in rupibus hostes.
Quid faciant miseri: præruptis ardua pinnis
Saxa fugam prohibent, pugnam mala caussa, metusque
Impedit (4), *& trepidæ tenuis fiducia dextræ.*
570 *Attonitos, penitusque animi* (5) *ratione carentes*
Regius aggreditur miles, reliquisque peremptis
Cum duce capta suo, turpi 6) *bissena reseruans*
Corpora supplicio (7), *grato pro munere Regi*
Exhibet hos omnes: excepto scilicet vno,
575 *Qui socios propria iussus suspendere dextra* (7),
Obtinuit miseram regali munere vitam.
Gallus erat (8), *nuperque dolis adscitus iniquis*
Inscius, huic parcens, aliorum guttura duro
Elidi laqueo iustissimus imperat vltor.
580 *Sic cruce, vel gladio quingentos vltima mortis*
Fata subisse ferunt: omnes ex ordine equestri
Ingenuos iuuenes, quos regia vulnera passos,
Supplicioque suo cunctis exempla daturos,
Teutonus in magnos miles congessit aceruos,
585 *Corporibusque suis extincti, & strage cruenta*
Obstruxere viam, quam viui fraude superba
Tentauere pio frustra præcludere Regi.

(1) Facinus huic plane geminum *Salustius* describit Bello Iugurthino, patratum a Ligure quodam, gregario milite in exercitu C. Marii in Numidia. Vtrumque locum recte atque vtiliter inter se conferes. Ceterum pro *infringunt* ego diuinabam, *infigunt*: Pflugius, *instringunt*. (R.) p. 92

(2) L. *solidis iungentes*. (B.)

(3) Ita sanaui locum, qui antea nullo sensu habebat, *consumpto*. (R.) p. 92

(4) Alludit ad sententiam *Ouidii*:

Frangit & attollit vires in milite caussa:
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor. (R.) p. 39

(5) L. *omni* ratione carentes. (B.)

(6) Suspendium etiam apud *Homerum* Odyss. antepen. vocatur ὁ καθαρὸς θάνατος. *Crucem* paulo post pro *patibulo* dixit. (R.) p. 93

(7) Facit huc, quod *Gothofredus* ad l. 31. ad bestias. ff. de pœnis, annotat ex *Io. Papo-nio*, hoc in Italia, Germania & Gallia vsu receptum esse, vt capitis reus vita nonnunquam donetur, si carnificis officio in alios fungatur. Non temere tamen id concedendum esse, ne alioqui plures forte existant carnifices, quam rei. Exemplum eius moris sane antiqui hic locus suppeditat. (R.) p. 93

(8) Huius ad *Fridericum* Imp. verba, referente Pontifice *Frisingensi* talia sunt: *Audi Imperator nobilissime, miserrimi hominis sortem. Gallus ego natione sum, non Lombardus, ordine quamuis pauper eques, conditione liber, casu, non industria his latronibus adiunctus, pro resarcienda familiaris rei pecunia. Promiserunt se ducturos me ad loca talia, vbi mea possit releuari inopia. Credidi miser, consensi credulus: ductus sum ab iniquis, & seductus ad hæc infortunia. Quis enim in quolibet mortalium tam præcipitata mentis speraret insaniam? tam furentis animi expectaret audaciam? Quis a proprio cliente has suo Principi, vrbis & orbis dominatori, necti crederet insidias? Parce Princeps, parce misero, parce miserabiliter seducto.* Hunc itaque solum, vt ipse *Otho* Pontifex, & noster eum secutus *Guntherus* refert, Imperator, de ceteris sententia mortis eripiendum decreuit. Hoc ei tantum pro pœna imposito, vt funibus ceruicibus singulorum appositis, ligni supplicio commilitones plecteret. (Sp.)

At rex Italiæ fauces, angustaque claustra
Præteriens, placitum prima statione Tridentum
590 *Contigit: hic* multos natalia rura petentes*
Dimittens, vicina petit placidissimus hospes
Mœnia Brixnoræ: mox illum Norica læto
Terra sinu verso reducem iam suscipit anno.

**Bauzani*

* *Banzani* id factum scribit *Frisingensis*, quod oppidum secundum eum in termino Italiæ Baioariæque situm, commendat a vino dulci, quod in exteras nationes mittatur. Tenet hodie primas, quod in agro Traminiano nascitur: secundas Eppianum, quod sit totius nobile emporium regionis. Deinde quod Bolzanici est agri. Itali enim nunc *Bolzanum* appellant, nos nostra *Botzen*, vicinis nationibus locus notissimus. Hic autem limitem suum Germania modo non agnoscit, sed ad pagum *Neuissum*, qui distat a Bolzano, nostratibus miliaribus quinque, Tridentum versus. (Sp.)

Hæc(1) *de tam multis generosi principis actis*
595 *Credidimus nobis tenui tentanda camœna:*
Ac veluti plena raros ex arbore flores
Carpimus, & paucas numeramus in æthere flammas.
Nam si continuo libeat perscribere tractu,
Quidquid in Italiam tendens, aut inde reuertens,
600 *Aut quocunque loco positus, tam fortiter ille*
Quam sapienter agit(2), *quis iam, precor, omnia codex*
Hæc capiet(3)? *scriptorve manu properante notabit?*
Non est exigui de tanto Principe vatis
Scribere: magnificum desiderat ille poetam,
605 *Nos animo tenues, & nullo robore fulti,*
Sudamus facilem magno sub fasce laborem(4).
Adde, quod absenti de multis pauca referre,
Remque verecundo leuiter perstringere tactu
Sufficit: hi solide possunt describere gesta,
610 *Quos oculata fides*(5) *simul & præsentia facti*
Instruit, & notus falli non sustinet ordo.
Nos procul absentes(6), *regalia cernere facta*
Cæsaris indigni, vulgata superstite fama(7),
Paucula de multis tenui suscepimus aure.

(1) Male antea hic legebatur, *Nec*. (R.)
Hanc ipsam apud *Othonem Frisingensem* legimus excusationem. Vnde apparet, *Guntherum* dedita opera, historiam omnem, vt primum ab *Othone* Pontifice cœpta, tum quatenus deinde a *Radeuico* deducta est, carmine reddidisse, nihil eorum, quorum illi meminissent, intactum relinquendo. (Sp.)

(2) Ex hoc quoque loco licet intelligere, viuente etiam tunc *Friderico*, hoc poema scriptum esse. (R.) p. 93

(3) Similiter loquebatur lib. 1 v. 114. Porro seqq. verbis ταχυγράφον, seu Notarium designat: de quo notus est *Martialis* versic.

Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Vide *Ausonii* Epigramma vltimum. (R.) p. 93

(4) Πόνον πονῶμεν. Exempla huius Atticismi Græcis iuxta & Latinis scriptoribus vsitatissimi plura annotaui in Commentariis ad *Oppianum*. Vise & *Budæi* Comment. Gr. Ling. Sic arcui triumphali Romæ inscriptum esse aiunt:

Dum tibi, Roma, decus, æternaque sudo trophæa,
Ister pacatis lenior ibat aquis. (R.) p. 93

(5) Vnde, si quis rem narrat parum verisimilem, rogare consueuimus, num ea conspexerit? Quod si negat, verum audisse modo videtur. (Sp.)

Quia secundum *Plautum* Trucul. Sc. Ne exspectetis: *Pluris est oculatus testis vnus, quam auriti decem. Qui audiunt, audita dicunt: qui vident, plane sciunt.* Et *Quintiliano* teste: *acrior est oculorum, quam aurium sensus.* Et *Herodotus* ait: *Aures minus esse fidas hominibus, quam oculi sint.* Ex quo *Seneca* ep. 6 *Plus*, inquit, *homines oculis, quam auribus credunt.* Rationem eius rei reddit *Aristoteles* lib. περὶ αἰσθήσεως καὶ αἰσθητῶν. ὅτι ἡ ὄψις καθ' αὑτήν, ἀκοὴ δὲ κατὰ συμβεβηκός. Eod. alludit *Guntherus* lib. 10 v. 542 & seq. Placet in hanc sententiam adscribere verba *Iohan. Chrysostomi* ex homilia 14 epist. ad Hebræos: ἡ ἀκοὴ ἡμῶν ἀμαθεστέρα τῆς ὄψεώς ἐστιν. οὐ γὰρ οὕτως, ἅπερ ἀκούομεν, τῇ ψυχῇ καταστιθέμεθα, ὡς ἅπερ ἂν ἴδωμεν αὐταῖς ὄψεσιν. Hinc est, quod *Horatius* in Arte, *Oculos fideles* vocat: cum per aures demissa segnius irritent animos. Hinc & *testis* pro *spectatore* fere vsurpatur. Nam & iure ciuili non creditur testi se audisse dicenti, sed se vidisse. *Plautus* Pœnulo: Sc. Iam istuc. *Testem esse*, pro *inspectare* dixit. *Evocemus huc Agorastoclem, vt ipse testis sit sibi certissimus.* Hoc ipsemet interpretans ait: *Vt tute inspectes aurum lenoni dari.*

(Sic in Priapeiis:

Ludens hæc ego teste te, Priape,
Scripsi non nimium laboriose.

Et alibi:

Magnis testibus ista res agetur.)

Et *Seneca* Thebaid. vbi Iocasta bellum inter filios compositura sic loquitur:

—— feruidos iuuenes anus
Tenebo, nullum teste me fiet nefas:

Aut

Aut si quod & me teste committi potest.
Non fiet vnum.
Plura dixi ad tit. Instit. *de gradibus cognatorum.* (R.) p. 94
Verba vncinis inclusa auctor postea in suo exemplari induxit.

(6) Notandum ex hoc loco, Ipsum auctorem rebus gestis *Friderici* Imperat. non interfuisse; sed audita, & quidem de multis pauca tantum, referre. Sic & infra lib. 10 v. 581 non se armis, sed carmine castra secutum ait. Non est igitur fides adhibenda iis, qui *Guntherum Friderico* in obsidione Mediolanensi adfuisse volunt, vt Ennius in bello Punico Scipioni Africano: in quibus & *Philippum Melanchthonem* esse video lib. 4 Chronic. (R.) p. 94

(7) Sic lib. 8 v. 26. (R.)

ARGVMENTVM LIBRI QVINTI.

Quintus in occursum redeuntis concitat vrbes
Principis, expansis hilarescunt oppida valuis.
Bellorum strepitus, incendia, damna, rapinas
Vindicat, & merita consumit clade nocentes.
Cumque Palatino, Comites bis quinque potentes,
Ferre canes scapulis fœdissima pondera cogit.
Omnibus in formam solida iam pace reductis,
Casta Beatrici partitur fœdera lecti,
Nominis antiqui patruo vir mitis honorem*
Seruat, & esse nouum iubet Austria rura Ducatum.

* Allusio esse videtur ad nomen *Friderici*; vt & *mitissimum* vocat infra h. l. v. 13, *pacificum* v. 576 h. l. & lib. 8 v. 511.

LIBER V

ERgo sui reditu gaudens Alemannia Regis
Maioremque videns(1), *quam miserat ipsa, redisse,*
Fascibus, & summæ cognomine laudis onustum,
Eius in occursum proceres, populosque fideles
5 *Excitat, & totas deuotis mœnibus vrbes,*
Læta patere(2) *iubet, gratumque impendit honorem.*
(3)*Sic quondam duri post multa pericula belli*(4),
Thermodoontiaco(5) *referentem signa triumpho,*
Adiecisse suis gaudentem plurima regnis,
10 *Thesea*(6) *Cecropiæ*(7) *reducem vidistis Athenæ.*

(1) Appellatum scilicet Christiani populi Imperatorem: quo titulo gaudebat Imperat. Cæsar *Maximilianus.* (Sp.)

(2) Sic recte *Pithœus.* Vulgo, *parere.* Sic infra 6, 385, *Excipiunt illum valuis reseremer apertis.* Vide & v. 2 in argumento huius libri. (R.) p. 95

(3) Comparatio pulchra. (Sp.)

(4) Scilicet Amazonici, & quidem vulgatissimi, cum poetarum, tum historicorum celebratione. (Sp.)

(5) Quod ad *Thermodontis* ripas Amazones consederint, vt aiunt, in campo, qui Diantis appellabatur. Hic fluuius *Araxes* antea dictus, & Plutarchi tempore *Hemon* appellatus ipso teste, in Antitauro oriri, Cappadociam perfundere, ostiisque nonaginta sex in mare se condere traditur. Obseruauit Grammaticorum nostræ ætatis princeps *Ianus Parrhasius* in *Thermodonte*, nostros, hoc est, Latinos, semper fere soluere, vltimum quod est apud Græcos, ω, & *Thermodoon* dicere. Quod aliter in carmen heroicum non veniret: cum mediam contrahat. *Ouidius* & *Silius* tamen more Græcorum protraxerunt. (Sp.)

(6) Huius secundum Herculem labores memorantur: cum quo primum Amazonas superauit, rapta Hippolyte Regina. (Sp.)

(7) Quia primus Athenarum Rex fuit *Cecrops*, qui *diphyes*, id est, geminæ naturæ fuisse dicitur. Nota sunt, quæ *Cicero* dixit in laudem Athenarum, in oratione pro Flacco. *Plinius* de Athenis loquens, paucisque eius gloriam complexus: *Libera hæc*, inquit, *ciuitas, nec indiga vllius praeconii amplius: tanta claritas superfluit.* Hodie, ob rerum mutationem, obscurus vicus ostenditur, sic tamen vt de nomine prorsus ambigatur. (Sp.)

Principis in patruo rapto conflata Ducatu
Baugariæ(1), *ſpirabat adhuc vetus illa ſimultas*(2).
Hanc ſedare nepos(3) *cupiens mitiſſimus iram*,
Vrbe Ratiſpona(4) *flagrantem*(5), *dulcibus illum*
15 *Conuenit alloquiis, multumque diuque laborans*,
Non tamen eualuit veterem ſopire querelam
Inter vtrumque virum, ſolidamque reducere pacem.
Ergo viris aliud ſuper iiſdem rebus agendum
Colloquium ſtatuit, qua rura Boemica(6) *primos*
20 *Baugariæ*(7) *fines communi limite tangunt.*

(1) Vt vox hæc locum haberet in heroico verſu, literam *g* adiecit. (Sp.)

(2) De qua & ſupra. Hanc mox v. prox. *iram* vocat. *Ouidius* tamen inter hæc duo aliquid intereſſe ſignificat hoc verſu:

Sæpe ſimultates ira morata facit. (R.) p. 95

(3) Ipſe ſcilicet *Pridericus* Imper. vt primo libro ſatis indicatum eſt. (Sp.)

(4) Pontifex *Otho* cap. 28 ſecundi, vnde partim ſumpta ſunt, quæ hic narrantur, partim ex præcedenti cap. eam afferens nominis rationem, quam *Guntherus* noſter in primo libro reddidit, hanc vrbem indicat olim fuiſſe Regum Baioariorum ſedem, vt & ſua ætate Ducum. Vnde apparet, eam non ſemper fuiſſe in numero ciuitatum liberarum, hoc eſt, earum, quæ Imperatorem tantum agnoſcunt. Opinor autem commentum eſſe, quod Ratiſpona olim *Noricum* appellata ſit, a quodam *Norico* Herculis filio. Satis tamen liquet, quod *Friſingenſis* Pontifex *Noricum* pro *Norimberga* non ſemel vſurpat. Quod *Stabio* noſtro videbatur defendi poſſe. (Sp.)

(5) Et ad iram, & ad illum, referri poſſe videtur. Sed poſterius tamen fortaſſe melius eſt. *Pflugius* legit, *ira*. (R.) p. 95

(6) Boemiam, quæ ſilua Hercinia vndique cingitur, Albi fluuio media irrigatur, ab oriente Morauiam, a ſeptentrione Saxoniam, ab occidente Noricos, a meridie Auſtriam habet, Germanici Imperii fuiſſe regnum, nemo negare poteſt. Origo gentis vulgata, quam mirum eſt *Siluium* ſecutum eſſe, plusquam anilis eſt fabula: cum Vandalicam aſſerat *Cranzius*: & ex *Tacito* conſtet, a Bois illis priſcis (quos tamen ego puto non minus Germanos fuiſſe, quam Gallos Semnones) quos Marcomanni eiecerunt, regioni nomen eſſe inditum. Principem vero gentis iam olim Electorum numero adſcriptum, vetuſtiores Germanorum annales non memorant. Vnde minime vanam exiſtimant eorum opinionem, qui volunt illum nuper aſcitum a *Carolo* quarto, quo peſtilentior peſtis nunquam alias contigit Germaniæ, vt ſæpius dicere ſolebat Heros ille maximus, multisque incomparabilis nominibus Cæſ. *Maximilianus*: quo cum Germanici Imperii corona tranquillitasque concidiſſe hactenus viſa eſt. (Sp.)

(7) Mirum, quantopere in huius regionis appellatione variatum ſit apud ſcriptores. Quam varietatem omnem diligentiſſime collegit Ampliſſ. Coſ. Auguſtanus *Marcus Velſerus*: quam συλλογὴν vir in ſummo dignitatis gradu ſumme doctus & humanus ad me miſit, & ego hic ipſo, vti ſpero non nolente, inſeram.

Boiorum Iornandes *ſemel tantum meminit, hactenus, vt prope Sueuos in Germania magna ad orientem ſolem coluiſſe ſignificet, adeo ſciuit vtroſque diſtinguere, corrupto autem fœde iam tunc vocabulo*, Baiobaros *aut* Boiobaros *appellauit, quod apud Germanos prima & quarta, vaſta ambæ vocales, ſæpe inter ſe migrent. Duarum vltimarum ſyllabarum productionem ſcriptores mire variarunt*, Paulus Diaconus *promiſcue* Baioariam *&* Boioariam *vſurpat, extrita B. littera, vti gentis leges quoque veteres, & pleraque vetuſta diplomata*, Metellus *Poeta, inter Boios credo antiquiſſimus*, Baiaricam *patriam &* Baiaricum *ſolum*, *Venantius Fortunatus* Baioariam, Baiouariam, Baiuariam, *nec enim manuſcripti codices ſatis ſibi conſtant, & apparet B aut V interiectas a craſſiori pronunciata, quo modo eſt videre in Romanis lapidibus.* POSTERISQVE EVORVM, *aut etiam* ÆVORVM *pro* EORVM. *Guntherus* Baugariam. *Auctor vitæ S. Vdalrici &* Baiarios *&* Bauuarios *&* Bauuuarios *triplici v habet; vnde porro* Bauaria *paullatim nata, ceterum multo maximus eſt numerus* Baioariam *ſcribentium. Multiplicis autem ſcriptionis originem ex* Boiaris *aut* Boieris *duci, quam vernaculam* Boiorum *appellationem eſſe, ſemel iterumque monuimus, omnes vident, auctoribus nimirum iis, quorum aures & lingua ipſa barbara*, Iornandem Paulumque *dico, & qui eius præterea generis, nam aliam etymi rationem comminiſci fruſtra eſt; neque inde obſcurum, quibus gradibus a* Boiaris *ad* Baiaros *&* Baioaros *ſiue* Baioarios, *ab his ad* Baiouarios *atque* Bauaros *tandem itum, quod nomen poſterioribus ſcriptoribus totum debemus, quamquam audaci nimis deflexu a vulgari pronunciatione, in qua* Boiorum *veſtigia, viui lancinata, comparebant, atque adeo comparent. Vixit ante annos ab hinc amplius ſeptingentos, poſt* Iornandem *trecentos circiter*, Otfridus *monachus, vernaculum Germaniæ ſermonem omnium primus litteris tractare aggreſſus, is linguam appellat ſcriptu perdifficilem, propter litterarum plerumque congeriem, ſonumque incommodum, & in eam rem multa argumenta colligit; nam de vocalibus, Germanos illis creberrime præ eo, quod nunc fit, vſos eſſe, tota equidem* Otfridi *ſcriptio teſtimonium dicit: quæ meo ſenſu cauſſa longe certiſſima, mutatæ pro ſcribentium libidine & vero etiam inſcitia orthographiæ. Qui* Bauaros *ex* Boiis *&* Auaribus, Auares *autem Hunni, compoſitos exiſtimant, ne illi palam nugantur: Scythica hæc, illa Celtica gens, & raro duo aliqui populi æque pertinacibus odiis ſeſe exercuere. Sed vt eo iterum reuertamur, incidit* Iornandis *de* Boiis *mentio in annum poſt Christum natum plus minus quadringenteſimum ſeptuageſimum ſecundum, vt ego quidem rationem ineo. Theodericum quippe Italiæ Regem anno a Chriſto nato quingenteſimo vigeſimo ſexto mortem obiiſſe comperio, quem ſi ætatis ſeptuageſimo ſecundo obiit, quadringenteſimo quinquageſimo quarto natum eſſe conſequitur, atque decimum octauum ætatis a* Iornande

Iornande eo loco memoratus, numerum a nobis indicatum attingat, oportet. Nam hæc intente & diligenter visum expendere, quod post prisca Romanorum Imperatorum tempora, vetustiorem istis vsque adhuc nullum auctorem repererim, qui Boici *nominis liquido & diserte meminerit. Marcomanicum contra posthac extinctum funditus periit, neque renatum vnquam est, quo probabilior & confirmatior superior coniectura nostra, iam vix coniectura* Boios *sub* Marcomanorum *aliquamdiu & imperio & nomine delituisse, his afflictis iterum emersisse.* (R.) p. 95, 96, 97.

Dumque locum Princeps, fieret mora ne qua per ipsum,
Colloquii peteret, finesque accederet illos,
Ecce Labeslaus(1), *ductore Boemia sub quo*(2)
Tunc erat, Hermannusque *sacræ Comes inclitus aulæ*(3),
25 *Cuius erat tumido tellus circumflua Rheno,*
Saxonicæque potens Albertus *Marchio terræ*(4),
Occurrunt, reducemque (metu vel amore) salutant(5).
Tantus quippe metus proceres inuaserat omnes,
Qui sua signa sequi, patriosque relinquere fines
30 *Abnuerant, tantus trepidantes terror habebat,*
Vt sibi quisque nocens(6), *& se quoque Cæsaris ira*
Iudice iam dignus læsum contenderet, omni
Obsequio placare Ducem, quem laude venustum,
Insignem meritis, omni virtute decorum,
35 *Terribilemque reis, præcurrens fama canebat.*
Nam quanto terrore sui post terga timentem(7)
Liquerat(8) *Ausoniam rector, quantumque recedens*
Vrbibus Italicis incusserit ille timorem,
Legati fecere palam, quos conscia culpæ,
40 *Ac metuens Verona suæ, post pauca securos*
Tempora, Teutonicam supplex direxit ad vrbem:
Quorum blanditias humiles, lachrimosaque cautus
Tempore verba suo posthac memoranda relinquo.
Scilicet hanc in se maiestas regia iusti
45 *Vim terroris habet: procul, an prope, præsto, vel absens,*
Semper terribilis(9), *semper metuenda, suoque*
Plena vigore manet, nullique impune premenda(10)
Creditur, & semper cunctis, & vbique timetur.

(1) Augustana editio *Iabeslaus*, nisi I pro L positum sit. Perna, *Ladeslaus*. (R.) p. 97

Idem, qui ab Ænea *Vladislaus* appellatur, quem tamen *Volaterranus*, sed perperam, *Vratislaum* vocat. (Sp.)

(2) Nam, post *Vratislaum* primum Regem, pluribus annis interregnum fuit: quod frater eius *Chunradus*, ac deinde *Vratislai* filii, non Regis nomine, sed Ducis tantum vsi sint, tanquam regni decus homini, non prouinciæ datum fuisset. Verum hic *Labeslaus*, vt scribit in sequenti lib. *Guntherus*, ab Aenobarbo nostro rursus obtinuit sceptrum: quod operam ei magnopere in expugnatione Mediolani nauauerat. Huius *Labeslai* opus esse ferunt, nobilem illum pontem supra Multauiam extructum XXIV munitum arcubus, qui magnam Pragam, paruæ coniungit, Rausponensi prælatum, nedum æmulum. (Sp.)

(3) Hoc est, *palatii*. A quo sunt dicti *Comites Palatini*, tam *Rheni*, quam ceteri, qui adsciti in aulam Principis, Comitibus aliis eminentiores habiti sunt, in primo scilicet post Principem, honore. Non ignoro tamen, *Irenicum* tradere, Palatinis nomen inditum esse a *Palatio*, loco Rheno circumdato, quem nos *Pfalz* appellamus, eiusque proximo versu poetam meminisse. Ego autem *Cubam* oppidum intelligo: quod ea tempestate sedes Comitis Palatini Rheni fuerit. Nam quorum hodie regia Heidelbergum est, nulla eis prorsus parebat ditio earum regionum, quas nunc possident. Nam post Rhenum tum ærario Cæs. vectigalem, municipiaque Imperii, locaque Cœnobiarcharum, & Antistitum, in illis partim dominabantur Sueuiæ Principes, vt & in Francia nostra, & Comitatu Alsatiensi, partim Comites Linienses, Ebersteinianique, tum alii quidam Reguli sua tenebant loca, velut Imperatoris beneficiarii: donec post *Friderici* secundi excessum laboratum est primum ab Electoribus ciuili discordia, excipiente eam interregno multis annis, quo Principum tandem res coaluere, beneficiis qualibuscunque in genus concessis. Sub *Carolo* quarto Cæsaris fiscus proditus est, improbato etiam externis exemplo. Vnde factum est, vt posteri non nisi inanem magni nominis vmbram repræsentent. Cetera *Cranzius* noster nulla circumitione vsus indicat. (Sp.)

(4) Intellige, *Brandenburgensis*, quem nuper ei Imp. *Chunradus*, cum iam absque liberis excessisset *Henricus*, contulerat. Vnde diuturna illa inter *Henricum* Ducem Bauariæ

Bauariæ, quem *Lotharius* Imperator simul, quia gener erat, Ducem Saxoniæ appellauerat: & hunc *Albertum* ex matre ipsi *Henrico* Duci fratrem, discordia sublata est. Quorum belli meminit *Cranzius* in Saxoniæ suæ sexto. (Sp.)

Veteres *Terra Saxonia* dixissent: Vt *terram Italiam*, *terram Siciliam*, *terram Africam*, *terram Græciam*, *terram Galliam*, &c. dixere. *Potens terra* Horatiano more dicitur: vt *potens Cypri*. Fuit autem hic *Albertus* cognomento *Vrsus* ex antiquissima gente Anhaldiana & Ascaniensi, Marchio Brandeburgicus. (R.) p. 97

(5) Quasi dicat, incertum est, qua de causa fecerint. (R.)

(6) Respexit procul dubio ad *Iuuenalis* sententiam initio Satir. 13. (R.) p. 97

(7) *Sui timentum*. Ita iungo. Nisi malis, terrore sui. (R.)

(8) Augustana editio, *liqueris* recte. Sequitur enim, *Incusserit*. (R.) p. 98

(9) Formidabilis, irrogatione pœnæ. (Sp.)

(10) Itaque sapiens nunquam potentium iras prouocabit, immo declinabit: non aliter quam in nauigando procellam, vt eleganter dixit *Seneca*. (Sp.)

Hoc quoque colloquio(1), *proceres hinc inde sagaci*(2)
50 *Cæsaris imperio rimantes pectore caussam,*
Conatique diu tantos sedare tumultus,
Suscepto frustra tandem cessere labori.
Nam quamcunque viri(3) *tentarunt cudere formam*
Pacis, vt huic(4) *finem faceret transactio*(5) *liti,*
55 *Spreuit, & in solita permansit Noricus ira,*
Inque salutato fremebundus Rege (6) *recessit.*

(1) Pontifex *Frisingensis* indicat, se in horum procerum numero fuisse his verbis: *At cum multis modis ad transigendum nos, qui mediatorum ibi vice fungebamur, operam daremus, infecto adhuc negotio, insalutati ab inuicem separati sunt.* (Sp.)

(2) Iunge, *pectore*, non *imperio*. (R.)

(3) Scilicet boni, quos *arbitratores* vulgo appellant: qui tanquam boni viri arbitrari & constituere aliquid debent, iuris dispositioni minime obnoxii, nec comminatione pœnæ formidabiles: quorum sententia magis transactioni, quam iudicio conformis est. (Sp.)

(4) Ita rescripsi, quod vulgo legebatur *hinc*. Iungendum enim, *huic liti*. (R.) p. 98

(5) Id est, concordia. Transigit enim, qui actionem sibi competentem, siue instituta, siue instituenda sit, aliquo accepto, caussa concordiæ committit. Hæcque transactionis vera & stricta est significatio. Generaliter tamen accipitur pro quocunque actu, quo concordia inducatur, vel ab obligatione recedatur, vel ad finem aliquid ducatur. Vnde *transigere æstatem Plinius* dixit. Sic & *transigere diem* dicimus. (Sp.)

(6) Sane id indignantis est, & contemnentis. (Sp.)

Inde Ratisponæ rursum reuocata potentum
Principis(1) *accitu conuenit turba virorum.*
Hic vbi iudicio procerum, iurisque tenore
60 *Saxona maiorum*(2) *Princeps in sede locauit,*
Omnes(3) *Baugariæ studio iurata fideli*
Cum Duce prima nouo sanxerunt fœdera patres (4).
At populus claræ possessor, & incola sedis,
Non tantum iurare Duci, sed & obside multo
65 *Securam præstare fidem, compulsus ab illo*
Paruit: hic siquidem maiori fœdera cura
Sunt exacta Duci, quod plebs ea fida priori(5),
Atque nouo poterat domino suspecta videri.

(1) Scilicet Imperatoris: quoniam hoc vocabulum absolute monarcham significat, abusiue in ceteris vsurpatum. (Sp.)

(2) Horum appellatione etiam pater, & auus intelliguntur, sicut species in genere inest. Refert tamen *Pomponius*, a veteribus superiores, maiores dici existimatos. Nam cum vltra tritauum parentes non dicerentur, necessario, qui supra erant, maiores appellabantur. Quamuis hæc dictio simpliciter quandoque comprehendit eos, qui natu maiores sunt, vt cum *M. Portius Cato*, Tusculo ortus, primus sui nominis in Senatum allectus, vetustissimos Senatores, qui reipublicæ fundamenta iecerant, *maiores suos* apud *Salustium* appellat. (Sp.)

(3) Sic lego cum *Pithæo* vulgo, *Omnis*. Iunge, *Omnes partes Baugariæ*, id est, Proceres. (R.) p. 98

(4) Signat prouinciales, proceres, & comites, qui tantum, vt *Otho* ait, hominii voce recepta tunc, siue, vt hodie homagii, æque peregrina vsurpata dictione, sacramento obligabantur:

ligabantur: populus vero ad iusiurandum, vadimonium, hoc est, obsides præstare cogebatur: vt & Poeta indicat, per studium fidele, nexum siue obligationem intelligens, vt liceat ita dicere, homagialem. (Sp.)

(5) Nota principium politicum. (R.)

Hic quoque multimodas(1), dubia sub lite querelas
70 *Emersisse ferunt, quas inter maxima pæne*
Hæc erat, Arnoldus *tuus**, *& Moguntia Præsul,*
Hermannusque Comes, magnæ sub Principe summo
Acriter inter se(2) conflictum litis agebant.
Nam dum Teutonicis rector submotus ab oris
75 *Ausonias premeret bello seu legibus vrbes,*
Tantus in arctoo belli furor arserat orbe,
Vt penitus concussa suas Alemannia clades
Fleret, & absentem reuocaret sedula Regem.
Hæc quoque cum multis, sed fortior omnibus vna
80 *Finibus ex Italis* Fridericum *caussa reduxit.*
Sed tamen in tanto totius turbine regni,
Tanto maiori pugnax Germania clade,
Senserat istorum vires iramque virorum,
Quanto maior eis erat, editiorque potestas.
85 *Hos igitur procerum strepitus, clamosaque regni*
Pectore sedato dirimente negotia Rege,
Ecce tui ciues, Isaac *bene notus in aula,*
Carzabanusque *simul, quorum (ni fallimur) ante(3)*
Mentio præcessit, timido cum Præsule sedis,
90 *Tentamenta precum placidas ad Cæsaris aures*
Et populi mandata tui, Verona, ferebant.
Vtque viris aditus datus est, coramque loquendi
Copia(4), facundo Præsul sic incipit ore:

(1) Sic infra 10, 575 *multimodas figuras* dixit: & *multimodum ducem*, 9, 58. vbi plura vide. Apud *Lucretium* & alios *multimodis* & *omnimodis* velut aduerbialiter sumitur. (R.) p. 98

(2) Vulgo, *se inter.* contra metron. (R.)

(3) Nimirum 4, 488. (R.)

(4) Id est, postquam facta audientia: vt non solum vulgus, sed & *Plautus* & *Cicero* loquitur. (R.) p. 98

Veronæ mandata tuæ(1), populique fidelis
95 *Verba precesque tibi, Romani maxime rector*
Nominis, eiusdem vix dignus Episcopus vrbis(2)
Perfero: nec dubium mihi persuadere laborem
Eualuere prius, quam totus mente sub vna
Ecclesiæ populus maioris in æde(3) receptus,
100 *Omnia quæ nobis ad te referenda dedissent,*
Teste Deo, Sanctisque suis(4), promisit, & actu(5),
Et plena seruare fide(6). Quis crederet vllum
Fraudibus esse locum? poterant si fallere vellent,
Alterius famam certo obiectare pudori,
105 *Atque alii mandare dolos, & parcere patri:*
Sed quia pura fides, nullo fucata colore(7),
Mandatis inerat, placuit committere nobis:
Atque ideo Comites morum grauitate probatos
Adiecere viros(8), longo quos ipse fideles
110 *Agnouisse potes castrorum & temporis vsu.*
Audiit, & doluit tumida feritate latrones,
Non ciues, Verona, suos transire paranti
Insidias posuisse tibi; quis dicere ciues
Audeat, in proprium molitos impia Regem?
115 *Qui violat ciuem, conciuis desinit esse,*
Qui violat Regem, quis posset dicere ciuem?
Sed bene quod meritam subiit manus impia pœnam,

Et proiecta feras (9) volucresque cadauera pascunt,
Ossa peremptorum tumulis Verona negatis (10),
120 *Atque feros manes, & nomina saeua (11) nocentum*
Damnat, & irati natos odere parentes.

(1) Territi Veronenses scelere suorum, qui impedire transitum Cæsaris moliebantur, missis protinus legatis, se excusant. Quibus auditis, certo fœdere interposito, in gratiam redeunt. Erat enim tunc iuris imperialis, vt Padua, & pleraque alia loca. (Sp.)

(2) Veronensis scilicet. (Sp.)

Sic antiquitus, cum adhuc ab ambitione, fastu, pompaque sæculari longius remoti essent Episcopi, modeste simpliciterque sese appellabant. Ac profertur a *Spiegelio* formula subscriptionis, qua Episcopus Argentinensis quondam fuerit vsus: *Ego N. diuina fauente clementia Argentoratensis ecclesiæ pastor indignus.* O sancta Deoque amabilis humilitas & prisca simplicitas ubi es? (R.) p. 98

(3) Mire dictum: cum ædes sit ecclesia, & ecclesia sit ædes. Sed infra quoque ita dicit *pacem quietis.* (R.) p. 98

(4) Abutitur reciproco, *suis*: vt & infra semel atque iterum. Nota hic iusiurandum etiam per sanctos Dei homines factum. (R.) p. 98

(5) H. e. opere, siue re ipsa vel facto. (Sp.)

(6) Semidoctum vulgus *tenere promissum* dicit, seu *non deesse promisso*: quod probis est autoribus, *suam fidem liberare*, & Iurisconsultis, *bona fide præstare.* (Sp.)

(7) Hæc apud *Paulum* Apostolum est *πίςις ἀνυπόκριτ@*. (R.) p. 98

(8) Collegas. (Sp.)

(9) *Ælianus* de varia histor. scribit, primum fuisse Herculem, qui funerare in bello corpora *monstrauerit*, quum antea, teste *Homero*, proiicerentur, auibus prædam tributura, canibusque cruentis. (Sp.)

(10) Sepulturæ magnam curam apud Romanos fuisse, indicant multa de religione sepulchrorum, & pœnæ legibus additæ: qui hoc, vel illud commiserit, insepultus abiiciatur: Sicut illis apud declamatores, qui parentes in calamitatibus deserueric, insepultus abiiciatur. Qui caussas mortis in senatu non reddiderit, insepultus abiiciatur: homicida insepultus abiiciatur. Tamen pæne fuit commune omnibus cynicis, vt se canibus, auibusque exponi mortuos iuberent. Hinc *Diogenes*, cum amici de laniatione cadaueris admonerent. *Apponite*, inquit, *mihi baculum, quo aues & canes abigam. Atqui nihil senties*, inquiunt illi? *Si nihil sentiam*, respondit *Diogenes*, *quid mihi oberit laniatio?* Varietatem sepulturæ *Silius* omnium elegantissime lib. 13 scribit. (Sp.)

(11) Malim, *sceua.* Significat autem, eorum memoriam post mortem fuisse damnatam. Id quod iure ciuili in quibusdam atrocioribus criminibus fieri solet. Vid. l. 20 ex iudiciorum ff. de accus. l. vlt. ff. ad l. Iul. maiest. l. pen. C. eod. l. 6. §. sed ne eorum quidem. ff. de iniust. rupt. §. per contrarium. Inst. de hered. quæ ab intest. def. l. 15. in SC. §. si propter. ff. ad SC. Turpil. l. 4. §. in mortem. C. de hæretic. Cum alias regulariter crimina morte reorum extinguantur, & accusatio perimatur. l. 3. & l. 6. ff. de publ. iudic. toto tit. Cod. si reus vel accus. mort. fuer. *Symmachus* lib. 10 ep. 47. (R.) p. 98 seq.

Et id quidem summo iure. Quandoquidem constitutiones Imperatorum præcipiunt, memoriam eorum damnandam, qui rei maiestatis conuincuntur: vt pontificum decreta, quorum pertinacia, ob non abiuratam hæresin execrata est, innominabiles esse iubent. (Sp.)

Ac ne forte tibi nostra videatur ab vrbe
Consilium prodisse doli (1), quocumque iubebit
Regia nobilitas, sese promittit & offert
125 *Purgandam Verona modo, fideique probandæ*
Spondet, & innocuæ certissima pignora mentis.
Nonne (2) adstricta tibi sacro Verona tenetur
Fœdere, nonne tuas excepit prima cohortes,
Cum peteres magnam felici (3) milite Romam?
130 *Nonne tuos iterum reditus, conuersaque læti*
Vidimus, & patriis dimisimus agmina terris?
Quæ totiens gauisa tuis occurrere castris
Cernitur: infidam frustrane dixeris vrbem.
Desine paucorum contagia morbida quæso
135 *In totum transferre gregem (4), culpaque carentes*
Exæquare reis: insontes culpa nocentum
Non trahat, ex propriis iusto sub iudice factis
Præmia, seu pœnas meritorum quisque reportet.
Nos sumus innocui, iustam quam debuit iram

Excepit

140 *Excepit sceleretа manus: iam parce fideli,*
Deuotoque(5) *tibi populo, potiusque rebellem*
Infidamque suis(6) *longo iam tempore Romam,*
Aut tumidam Ligurum totis pete viribus vrbem.
Nec dubita iustis Veronam adsciscere bellis,
145 *Et facias adhibere manus, quæcumque furorem*
Cæsaris(7) *vrbs meruit, nostram quoque sentiet iram.*
Dixerat, & comites plenis assensibus ambo
Adiecere suas placando Cæsare(8) *partes.*
At Rex consilio procerum, sub nomine certo
150 *Exigit, vt fisco iurent appendere summam,*
Et totis contra Ligurinam viribus vrbem
Regia castra sequi: sic demum pace reperta,
Ad patrios fines vestigia læta retorquent.

(1) Cum in plerisque aliis criminibus, tum præcipue in maiestatis, criminose consulta, vt malefacta ipsa puniuntur. (Sp.)

(2) Ita restitui, cum vulgo perperam legatur, *nec ne*. vt & inf. v. 130. *Nec*, *&*, *non*, & *nunc*, sæpe in hoc opere librarii inter se commutarant. (R.) p. 99

(3) Incolumi. (Sp.)

(4) *Noli paucorum crimen diffundere in omnes*: vt ait *Ouidius* 3 de Arte amandi. Sic *Tacitus* 13 Annal. *Paucorum culpam ipsis exitiosam esse debere: nihil vniuersorum iuri derogandum.* Idem volunt illæ Iuris ciuilis regulæ: *Non debent pœnam luere, quos nulla contingit culpa. Nemo alieni criminis successor constituitur. Peccata suos auctores tenere debent. Ne vlterius progrediatur metus, quam reperiatur delictum.* l. 7. ff. de bon. damn. l. 26. ff. de pœnis. l. 22. C. eod. l. 2. §. pen. ff. de decurion. arg. tit. C. Ne filius pro patre. Imo *satius est, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnare*: vt optimus Princeps *D. Traianus* rescripsit, teste *Vlpiano* l. 5. ff. de pœn. Ex Antiphone Oratore: εἰ δέοι τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ὁσιώτερον ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἁμάρτημα ἐςι. τὸ δὲ ἀδίκως ἀποκτεῖναι, ἀσέβημα. (R.) p. 99

(5) Pro *dedito*, vt supra, in bonam partem. Quam poteus autem sit communis loquendi vsus, multæ dictiones indicant: inter quas sunt *religiosus*, & *deuotus*: quæ voces olim in malam partem accipiebantur, ac hodie solum in bonam, teste *Alciato*. *Suetonius* indifferenter vsus est vocabulo *deuotus*: quod ab *Erasmo* annotatum est prius. (Sp.)

Sic sup. lib. 3 vers. 452. Rom. Imperatori *deuota futura* dicebatur. Sic lib. 7 v. 123; *Indubitata tibi deuota pignora mentis.* Quomodo in vetere formula est: *Deuotus numini maiestatique eius*: de qua vide *Brissonium* in eruditiss. opere. De formulis. *Seneca*: *Nemo non se deditum & deuotum professus est, & si quod aliud humilius verbum, quo se oppigneraret, inuenit.* Sæpe tamen & aliter verbo *Deuoti*, & *Deuotionis* vtitur *Guntherus*. Vide Indicem. (R.) p. 99

(6) Intellige & Cæsari, & Papæ: illi, quod temere petita, negarat præstanda: huic, cum quod inuitis ipsis *Fridericum* diademate cinxerat, tum ob pleraque alia, quæ nouauerat, aduersabantur. Quamquam Iurisperiti negant, Imperatorem Romæ existentem, posse condere legem specialem, hoc est, ad ipsam vrbem tantum spectantem: quoniam hæc Papæ sit, citato glossemate, siue scholio in l. primam *de Offic. præf. Vrb.* Aiunt tamen, generalem legem ibidem dicere orbi & vrbi, concessum esse Imperatori. (Sp.)

Malim, *tuis*: quod iungatur cum *viribus totis*. v. seq. An. *suis*, scilicet Regibus vel Magistratibus? quæ sane duriuscula ellipsis mihi fore videtur. (R.) p. 99

(7) Indignationem, quæ præcedit pœnæ irrogationem, aut coercitionem. (Sp.)

(8) Pro, *ad complacandum Cæsarem*. Certum est ita debere legi, & non placido, vt versus integer, metrique ratio constet. (Sp.)

Forte interponendum. *In*. An potius ita dictum, vt Plaut. in Aul. Sc. 3. act. 1. E V, *quod tibi sempiternum salutare sit quærendis liberis.* Quo dicendi modo, sane pulcherrimo, sæpius *Plautus* vtitur. Mox iunge, *summam sub nomine certo*, id est, certi nominis. (R.) p. 99 seq.

Instabat veneranda dies(1), *qua Christus in vna*
155 *Æqualis deitate Patri*(2), *sine temporis ortu,*
Natus ab æterno, sub tempore, temporis auctor(3)
Cælitus infusa voluit de virgine nasci,
Illic matre carens, istic nihil ex patre sumens(4):
Sic puer in cunis, Deus vt regnaret in astris.
160 *Hunc celebrare diem digno meditatus honore*
Cæsar, vbi(5) *illustrem legeret sibi curia sedem,*
Quæ posset pleno tot milia pascere cornu(6),
VVormatiam petiit(7), *medio quæ gurgite Rheni*

Gallica(8) *Germanis opponit rura colonis,*
165 *Vtraque frugiferis tellus vberrima campis,*
Vtraque vinetis exuberat, vtraque pomis,
Piscibus, atque feris, & cunctis rebus edendis.

(1) Vides & hic quam propitia Minerua describat Natalem Domini, sicut & ceteros dies, quos Ecclesiastici *summorum Festorum* nomine dignati sunt. Meminit autem duplicis natiuitatis Christi: æternæ scilicet, de qua præcipue *Esaias* ita loquitur: *Generationem eius quis enarrabit?* quod scilicet nec cogitare possit homo, quomodo sine initio, sine fine, semper a Patre nascitur, semper natus fuit, Deus ex Deo, omnipotens ex omnipotente: Temporalis item, siue humanæ, qua eum virgo peperit, & Deum peperit. (Sp.)

(2) Hoc est, natura diuina. Christi namque hypostasis tribus constat naturis, diuina, anima humana, & corpore mortali. Inter hoc, & diuinam naturam, quasi glutinum fuit anima Christi. Non grauabor adscribere, quod apud *Ludouicum Viuem* in principio 7 libri de Ciuitate Dei *S. Augustini* legi; nempe quod Græci olim a θεὸς, hoc est, *diuinus*, substantiuum deriuabant θειότης, *diuinitas*, quæ vox christianis hominibus, tam late patere visa est, quam nomen ipsum diuinus: idcirco quum propriam illam Dei naturam appositiore vocabulo significare vellent, θεότητα nominarunt *Athanasius*, vterque *Gregorius*, & alii Græci: quod ipsis magis permittebatur, vt *Quintilianus* inquit, quam Latinis. Sed nec Latini deterriti sunt arctis linguæ rigidisque præceptis, quo minus & ipsi deitatem dicerent, naturam illam Dei significantes, quæ Deo est propria, nec ad alia egreditur, ad quæ *diuinus* & *diuinitas*. Nam *diuinitas* dicitur *orationis, libri, rei gestæ, hominis*, & aliarum rerum: *Deitas* non dicitur: sicut nec illa sunt dii, licet esse diuina possint. Quocirca, Latinos christianæ pietatis scriptores, immerito, inquit, mihi *Laurentius Valla* in Dialectica sua videtur arguere, quod *deitate* vtantur nouo quidem vocabulo, sed in re prius non vsu trita. Nam Græcos reprehendere, quod verba suo sibi fingant arbitratu, hoc est, antiquam Græciæ libertatem opprimere. (Sp.)

(3) Qui tempora condidit, vt lib. 1 v. 167. (R.)

(4) Ἀμήλως καὶ ἀπάτως. (R.)

(5) F. *sui*. (R.)

(6) Copioso penu. Allusit ad cornu, quod Græci *ceras Amaltheas* vocant, hoc est, *copiæ*: ex quo dicebant, quasi e penu copiosissima omnia bona proferri. Dicitur hoc Hercules, cum Acheloo in speciem tauri mutato congressus, ei detraxisse, Naiadesque acceptum omnium fructuum primitiis refertum Copiæ consecrasse. Fabula extat apud *Ouidium* post initia noni Metamorphos. (Sp.)

(7) Describit vrbem Wormatiensem, eiusque agrum commendat, quo etiam nunc in Rhenensi tractu par non est. Transrhenanus quo Rheno propior est, fertilior esse quoque solet, bonitate tamen minor. (Sp.)

(8) Belgicam signat Galliam, in qua sunt prouinciæ, vt hodie vocantur, Picardia, Flandria, Brabantia, Lotharingia, Normandia, Alsatia, ripaque nostra Rheni: quæ olim Austrasiæ, quæ duplex erat, superior & inferior, nomine continebantur: nunc autem magna ex parte Germanorum moribus, & catalecto vtuntur, a quibus vsurpatæ sunt. Vnde nihil vetat vere Germanos in Gallia habitare: quod euidenter ostendunt autores omni maiores, vt vtar verbo Iurisperitis familiari, exceptione, *Agathias* & *Procopius*, qui ambo Iustiniani Imperatoris temporibus scripserunt, & extant. (Sp.)

Hic vbi deuoto solennia pectore Princeps
Tempora transegit, tandem sub iudice summo
170 *Ardua tractari cœpere negotia regni.*
Fundere multiplices ex omni parte querelas (1)
Aspiceres, dubiasque viros collidere caussas.
Quidquid ab alterutris absentis tempore Regis
Pertulerant, queruli mixto clamore queruntur.
175 (2) *Sic domino peregre post tempora longa reuerso,*
Commemorare solent lachrymosa negotia serui,
Pressurasque suas, & iniquæ verbera rixæ,
Alternosque dolos, occultaque crimina furti,
Et scelerum noxas, & quidquid nequiter actum
180 *Enarrare valent, odio flagrante loquuntur.*
Omnibus his placidas constantia Principis aures
Commodat, & validos(3) *tranquilla mente tumultus*(3)
Temperat, indignans aliqua ratione moueri,
Oppressos releuat, pœna grauiore superbos
185 *Percutit, afflictis bonus, ac metuendus iniquis.*
Tunc duo præfati proceres, Arnoldus(4), *& alter*

Aulicus

Aulicus ille Comes, multis vehementer in illos
Accensis, Regemque graui stimulantibus ira,
Ob sua multiplici(5) crudeliter acta(6) reatu,
190 *Iudicio victi, capitalis vulnera noxæ*
Excipiunt: ac ni grauis ætas, & sacer ordo
Pontificem tutata forent, aut sanguine pœnas
Solueret(7), aut summi pateretur probra pudoris.

(1) Hæc sunt *Grauamina*, quæ vocantur, *Ordinum Imperii* in Comitiis hodieque proponi solita. (R.) p. 100

(2) Simile. (Sp.)

Comparationem hanc sumptam puto ex parabola Euangelica. (R.) p. 100

(3) Sic *rapidos tumultus* non semel dicit *Guntherus*. Diuinabam, *calidos*: vt sup. lib. 1. v. 665 pro *valido pectore* malebam reponere, *calido*: vbi rationes nostras vide sodes. vers. seq. *indignans*, interpretor, *indignum censens*. (R.) p. 100

(4) Pontifex Moguntinus, a populo postea trucidatus, vt lib. primo dictum est abunde. (Sp.)

(5) Nam duo hi Principes, vt *Otho* inquit, tanto ad nocendum efficaciores, quanto fortiores, totam pæne Rheni prouinciam, & præcipue Moguntinæ ciuitatis nobile territorium, præda, cæde, & incendiis commacularunt. (Sp.)

(6) *Cicero*, aliique veteres *Acta* vocant ea, quæ in Repub. in pace quis egerit: Quæ vero in bellis, proprie *Res gestas*. *Cicero* etiam *actas res* dixit Philip. 10. *Sallustius* tamen *acta* etiam in bello vsurpat: vt hodie multi pro rebus gestis vtuntur. Iugurth. *Milites alii alium læti appellant, acta edocent atque predicant: sua quisque fortia facta ad cœlum fert.* Et: *Lacrimans obtestatur per amicitiam perque sua antea fideliter acta, ne super tali scelere suspectum se haberet.* Ouidius Sallustium imitatur: *Exitus acta probat.* (R.) p. 100

(7) Hic locus euidenter demonstrat, *Friderici* temporibus Episcopos & Clericos etiam fuisse subiectos sæculari iurisdictioni, cui se & suos postea subtraxerunt Pontifices. Hic enim, cum ius vitæ ac necis Imperator in *Arnoldum* Archiepiscopum Moguntinum haberet, gratiam ei criminis & pœnæ fecit. (R.) p. 100

Quippe vetus mos est(1), vti(2), si quis, Rege remoto,
195 *Sanguine, vel flamma, vel seditionis apertæ*
Turbine, seu crebris regnum vexare rapinis
Audeat: ante grauem quam fuso sanguine pœnam
Excipiat(3), si liber erit, de more vetusto
Impositum scapulis ad contigui Comitatus (4)
200 *Cogatur per rura canem confinia ferre,*
Sin alius, sellam. Cuius dispendia pœnæ
Ille Palatinæ custos celeberrimus aulæ
Non potuit vitare Comes, cunctisque videndus
Portauit scapulis passus plus mille(6) latrantem.
205 *Hanc quoque tunc alii simili pro crimine pœnam*
Sustinuere decem(7) Comites, totidemque coacti
Fœda tulere canes generoso pondera collo (8)
Cuius inauditæ(9) pœnæ timor altus in omnes
Irruit: vt nullus procerum præsumeret vltra
210 *Armata certare manu, sed pace sequestra(10)*
Iudicis arbitrio sua quisque reposceret æqui.

(1) Qui tunc, eodem teste *Othone*, apud Francos & Sueuos pro lege inoleuerat. Vnde colligitur, quam graue, quamque capitale fuerit apud maiores nostros, rempublicam turbasse, Principe absente. Vidimus & nos exactum nuper florentissimo Principatu nobilem Ducem, cui inter capita, quorum reus arguebatur, nihil æque nocuit, quam quod interregni tempore vrbem Imperatorii iuris hostiliter occupasse caussabatur. (Sp.)

(2) Ita lego & distinguo. Vulgo, *vbi si quis*. *Cuiacius* laudans hunc locum 11 obseru. c. 22 legit, *Ibi*. Non recte. Iungenda enim: *vti cogatur*. Notanda hic est vsitata veteribus Germanis pœna, qua rei capitalis damnati priusquam capite plecterentur, canem vel sellam scapulis ignominiæ caussa per passus aliquam multos portabant. Quod etiam ab aliis rerum nostratium scriptoribus memoriæ proditum reperio. Sed quid cani, inquies, cum sella? An sella pro ephippio accipienda? vt lib. 4 v. 58, & vt sedilibus pro ephippiis vtitur *Nazarius* Panegyrico ad Constantinum. An vero potius assentiendum coniecturæ *Christophori Coleri*, legentis, *fellem*, pro *sellam*? Ita hoc diceret *Guntherus*: Liber canem; alius (seruus scilicet, seu armiger, vt alias loquitur) fellem seu catum portare cogitur (*Liber* hic pro *Nobili* positus videtur, vt alias *Ingenuus*.) Sed

 quo

quo minus ad hanc coniecturam meum adiiciam calculum, illud me impedit, quod etiam *Otho Frisingensis* (quem sibi *Guntherus* sequendum proposuit) lib. 2 de reb. gestis Friderici c. 28 sellam habet, non sellem: nisi quis apud illum quoque corruptam esse lectionem putet: quod vero simile non videtur. Istius autem *κυνοφορίας* (vel vt *Martinus Crusius* vocat *κυνοβασταξίας*) præter *Frisingensem* etiam *Dodechinus* meminit Appendice ad Chronicon *Mariani Scoti* anno 1155. vbi & nomina quorundam Comitum exprimit, qui canes portarint. *Meminit & *VVidekindus Saxo* lib. 2, & *Arnoldus Lubecensis*, continuator *Helmoldi*, lib. 7 cap. 2, & *Cranzius* Saxon. 5, 15. Ex quibus *Arnoldus* vocat hanc pœnam militarem apud Saxones vsitatam*. Ad sellam vt redeamus, notum est, *Sellularios* & *Sedentarios* notari solere tanquam ignauos & viles homines. Sic *ἐπιδιφρίους* & *χαμαιπετεῖς* coniungit *Iustinianus* Nou. 90. de test. Ea fortassis ratione & hic sella ignauiæ symbolum est: vt canis contumaciæ & impudentiæ. Quamquam Nobilissimus *Christoph. Pflugius* volebat, canem a Nobili portatum fuisse, ideo, vt eum officii sui neglecti admoneret, quod erat, excubare in aula, & Regem custodire ac defendere: quod mihi valde fit probabile, cum recogito, etiam *Chrysostomum* aulicos vocare *canes*, non contumeliæ, sed honoris & officii causa, homilia 10 in 1 ad Thessalonic. Non est huic Germanico mori absimile, quod apud Romanos prius quam cruci affigerentur rei, patibulum vel furcam per vrbem ferebant. De quo vide *Lipsii* Comment. de Cruce. *Plautus* Carbonaria apud Nonium: *Patibulum feram per vrbem; deinde affigar cruci.* (R.) p. 101

(3) Vt supra lib. 4 v. 96 *prælia pectore firmo excipiunt.* Sic dictum eleganter, vt apud *Ciceronem*. 2. Tusc. *Excipere plagas*: & pro Sest. *vulnera*, quomodo & *Gunther.* hic v. 190. apud *Ouidium* 2. Fast. *verbera*: Et *tela*, apud *Ciceronem* de prouinciis consular. & 4 Verrin. & *Silium* Ital. libr. 10. Sic *ferrum excipere* dixit Querolus noster pag. 14. vbi inter *excipere* & *recipere ferrum* distinguit eruditiss. amicus meus *Ian. Gruterus.* Sic *Guntherus* paulo ante: *Iram excepit scelerata manus.* Et alibi: *Brixia excepit feros motus belli.* Sic *excipere sententiam iudicis* dixit *Symmachus* lib. 10 ep. 47; *Quis vnquam sententiam Iudicis inauditus excepit?* Et, *excipere actionem* Iustinianus in tit. de his per quos agere possumus, &c. (R.) p. 101 seq.

(4) Id est, territorii, districtus, diœcesis. Hæc enim quatuor nomina eiusdem sunt intellectus, vt ait *Alciatus*. Comitatus autem proprie de Imperatoria aula dicitur. Sed quia tempore *Caroli* Magni, regnantibusque *Berengariis*, & *Othonibus*, ad singulas ciuitates regendas aliquis Comes mittebatur, cœpit territorium, quoniam illi Comes præerat, Comitatus dici. *Otho* tamen noster *Frisingensis* a comminando Comitatum dici existimat, eadem ratione, qua & a terrendo territorium. (Sp.)

(5) Memorabile iustitiæ ac seueritatis exemplum. (Sp.)

(6) Per Teutonicum miliare, inquit *Otho Frisingensis.* (R.)

(7) An, totidem canes: vt intelligamus, singulos canes a singulis Comitibus fuisse portatos? an *Decem totidemque*, id est, viginti Comites accipiemus? (R.) p. 102

(8) Elegans antitheton. Sic sup. in argumento huius lib. v. 6, *Ferre canes scapulis, fœdissima pondera cogit.* (R.) p. 102

(9) Caue accipias *inaudita* pro *noua*, *insueta*, vel nunquam fando cognitæ: sicut Cicero *inauditam crudelitatem* dixit: Item, *in omni memoria inauditum*, &c. Non ita hic, inquam: Quia, vt paulo ante *Guntherus* aiebat, *veteri more hac pœna recepta erat*: Et, *vetus consuetudo pro lege inoleuerat apud Francos & Sueuos*, vt loquitur *Frisingensis.* Non igitur inauditæ eo, quo dixi, significatu. Sed, pro diuulgatæ, disseminatæ, nuntiatæ hominum sermonibus & fama, seu famigeratæ & cognitæ: ab *Inaudio*, quod est *cognosco*, apud *Ciceronem* & alios. *Plautus* Aulular. *Credo ego, illum iam inaudisse, mihi thesaurum esse domi*, &c. Vide *Nonium* pag. 61. Quid autem, si hic legamus, *inauditu*, id est, auditione: vt lib. 1 v. 103, *cuius inauditu?* (R.) p. 102

(10) Hic pro pace absolute, non pro induciis accipiendum est, vt apud *Maronem*. (Sp.)

Adde quod inuictus(1) *discurrens vndique Cæsar,*
Prædonum castella, iugis horrentia(2) *summis,*
Et vix spectandas celsis in rupibus arces,
215 *Expugnare manu, sparsisque euertere muris,*
Vrere vel flammis auide properabat, & ipsos
Artifices scelerum(3), *regni turbare quietem,*
Et miseros crebris solitos spoliare rapinis,
Vel cruce(4), *vel gladio, vel longo carceris vsu*
220 *Perdere gaudebat, non exorabilis vltor.*

(1) Præcipuum est illud officiorum, quæ & ad Cæsarem, & quosque optimos, iustissimosque præsides prouinciarum pertinent. Commendatus est ab eo quoque Imp. *Rudolfus* Habspurgius. Audi *Vlpianum*: *Congruit*, inquit ille, *bono & graui præsidi curare, vt pacata atque quieta prouincia sit, quam regit: quod non difficile obtinebit, si sollicite agat, vt malis hominibus prouincia careat, eosque conquirat.* Nam & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet, & prout quisque deliquerit in eum animaduertere, receptores-

ptoresque eorum coercere, fine quibus latro diutius latere non poteſt. (Sp.)

(2) Quid ſi, *hærentia*, legamus? i. e. *pendentia*: vt lib. 8 v. 413, *difficili loca pendula cliuo*, non tamen nego, etiam vulgatam lectionem defendi poſſe, eo ſenſu, quo ſup. initio lib. 2 dixit, *anguſta locorum ſaxoſis horrenda iugis*. Et lib. 4 v. 359; *duris horrendas rupibus Alpes*: & v. 433, *nubiferis horrenda rupibus Alpes*. (R.) p. 102

(3) Id eſt, Auctores. Vt *Seneca* Agamemnone: *Sceleris infandi artifex*. Vt Ars eſt τῶν μέσων, teſte *Seruio* in 1. Æn. ita & Artifex. μηχανοῤῥάφος κακῶν vocat *Euripides*. (R.) p. 102

(4) *Crucem* pro *furca* dixit. Nam Crucis ſupplicium diu ante a Conſtantino Magno in honorem crucis Chriſti, qua redempti ſumus, ſublatum & in furcam commutatum eſſe conſtat. (R.) p. 102 ſeq.

> (1) *Sic iam poſt tenebras, & ſæui triſtia belli*
> *Nubila, Teutonici ſedato turbine regni,*
> *Principis aduentus veluti noua ſolis imago*
> *Cœperat optatæ radios effundere* (2) *pacis.*
> 225 *Sola Ducum ſtudiis*(3) *exercita*(4) *Norica tellus*
> *Huius adhuc expers erat, impatienſque ſalutis*

(1) Comparatio. (Sp.)

(2) Malim, *diffundere*: vt apud *Lucretium* lib. 3. *large diffuſo lumine ridet æther*. Et *Valer. Flaccus* 3. Argonaut. dixit, *iubar diffundere*. (R.) p. 103

(3) Id eſt, factionibus, more Salluſtiano. Vid. ſup. lib. 1, pro *exercita*, Auguſtana editio legit, *exterrita*. (R.) p. 103

Quibus populus in mutuam cædem armabatur. (Sp.)

(4) Vexata. (Sp.)

> (1) *Iamque dies aderat celeri reuoluta relapſu,*
> *Quam*(2) *ſacer ipſe ſuo venerandam Spiritus orbi*
> *Præſtitit aduentu, cum myſtica munera ſignans*
> 230 *Deſuper effuſo linguas diſtinxit in igne:*
> *Inque Palatini caſtro priuatus Othonis*
> *Otia ſepoſitis curis* Fridericus *agebat.*
> *Hac triduo*(3) *tantum ſecreta in ſede peracto,*
> *Ad ſolitas iterum curas, & publica regni*
> 235 *Retulit*(4), *excluſo torpore negotia mentem.*
> *Ergo Ratiſponæ patruum*(5) *de fœdere pacis*
> *Alloquitur flectique virum, fortaſſis ab illis,*
> *Quos propter rixas, iniuſtaque prœlia, Regis*
> *Audierat ſenſiſſe minas, exempla trahentem*(6).

(1) Deſcribit & hic non minus eleganter, quam ſupra diem Pentecoſtes, de quo & nos nonnihil diximus ibidem. (Sp.)

(2) Vulgo, vt & in Auguſtana editione. *Quem*. Male. Præceſſit enim, *reuoluta*. (R.) p. 103

(3) Nota hinc, feſtum Pentecoſtes, vt & alia maiora, per triduum celebrari ſolitum ab illius quoque æui eccleſia. (R.) p. 103

(4) Vulgo. *Retulit*: quaſi abſque geminatione litteræ non poſſet τὸ *re* produci. Contrarium te docebunt Conlectanea *Giphanii* in Lucretium, & *Scaliger* ad Propertium: hunc, inquam, articulum veteribus nunc longum nunc breuem fuiſſe. (R.) p. 103

(5) *Henricum* Marchionem, Auſtriæ primum Ducem futurum, ex formula compoſitæ pacis, quæ in fine huius libri refertur, & ab *Othone* Præſule narratur cap. vltimo ſecundi Ænobarb. hiſt. qui & extremus illi labor fuit. Nam qui ſequuntur duo de rebus item Ænobarbicis libri, ſunt *Radeuici* alumni nuper *Othonis* ipſius, atque Friſingenſis canonici: quos nobis debes lector candide, qui in eos caſu apud ædem Scotorum Viennæ Auſtriæ incidentes, primum *Cuſpiniano* & *Chelidonio* prodidimus. (Sp.)

(6) Nam vt grauiter ac vere de vſu & fine pœnarum *B. Cyprianus* ait Serm. de Lapſis: *Plectuntur quidam, quo ceteri corrigantur. Exempla ſunt omnium tormenta paucorum.* Similia habet *Seneca* de Ira ex Platone. Et Plato Iudaicus, *Philo* inquam lib. περὶ ἀρετῶν, αἱ ἑτέρων τιμωρίαι, inquit, βελτιοῦσι τοὺς πολλοὺς φόβῳ τοῦ μὴ παραπλήσια παθεῖν. Hinc & παραδείγματα Græcis dicuntur *pœnæ grauiores*. ICti quoque ſæpe monent, pœnas propter exemplum & in emendationem hominum conſtitui atque infligi, vt ceteri a maleficiis deterreantur. l. 6. §. 1. l. 16. §. vlt. l. 20. l. 28. §. famoſos. ff. de pœn. l. 14. C. eod. l. 7. C. de plagiar. l. 31. ff. depoſiti. l. 6. ff. de cuſtod. reorum. l. 1. C. repetund. l. 9. C. de reb. eorum, qui ſub tut. Contra vero impunitas magna eſt peccandi illecebra. Sunt & alii fines & vtilitates pœnarum, de quibus alias. (R.) p. 103 ſeq.

Cumque

240 *Cumque, reformata tantorum pace virorum,*
Publica per totum florerent gaudia regnum,
Vt bene compositis rebus, perfecta decoris(1)
Gloria nullius defectu partis adesset,
Restabat viduum generosæ prolis amore(2)
245 *Casta* Beatrici *sociare cubilia Regem:*
Quæ sibi per quasdam(3) *nuper traducta fideles,*
Teutonicas vrbes & coniugis arma futuri
Principis a coitu iam spem Regina tenebat.
Nam quæ prima(4) *viro, nec permansura potenti*
250 *Nupserat, illicito cognata recedere lecto*
Iussa locum thalamis dederat, caussamque secundis.
Hoc quoque discidium(5) *secreto cuncta regentis*(6)
Consilio prodisse potest, vt(7) *forte beata*(8)
Principis in thalamos succederet illa Beatrix,
255 *Principe digna viro, prolem paritura beatam:*
QuamComes Allobrogum(9)*Regum de gente vetusta*(10)
Ortus, & ipse suis Reinaldus (11) *clarior actis*
Progenuit, moriensque tuos, Burgundia, fines(12)
Orbatæ in teneris, & pupillaribus annis,
260 *Et validas vrbes, munitaque castra reliquit.*

(1) L. perfecta *decori.* (B.)

(2) Hoc enim animo, hoc voto pii parentes matrimonia contrahunt (quemadmodum eleganter inquit *Callistratus*, l. 220 liberorum ff. de verb. sign.) vt ex prole diuturnitatis sibi memoriam in æuum relinquant. *καὶ τοῦτο γὰρ μόνον ἡ τῶν ἀνθρώπων κατάστασις, ὅσα θνητὰ, ἐκ τῆς διαδοχῆς τοῦ ἀεὶ εἶναι τυγχάνει, καὶ αἱ τῶν γονέων εὐχαὶ εἰς τοῦτο πᾶσαι συντείνουσι*, vt est apud Aristotelem 1 Oec. c. 8. (R.) p. 104

(3) Probo optimi *Pflugii* restitutionem huius loci.

Quæ sibi per quosdam nuper traducta fideles,
Teutonicas vrbes & coniugis arma futuri
Principis accitu (vulgo *a coitu*) *iam spe regina tenebat.*

(vulg. *spem*) per quosdam fideles, i. e. vasallos: nisi quasdam fideles intelligere malis feminas, quibus a Principe id negotii datum fuerit. *Principis accitu*, id est, vocatione, accersitione: vt & inf. loquitur lib. 10 v. 2. (R.) p. 104

Connubio. (Sp.)

(4) Hæc *Adila* erat, filia *Diepoldi* Comitis Vochburgensis. (Sp.)

(5) Perna *dissidium.* Quidam inter hæc duo ita distinguunt, vt *dissidium* esse velint animorum distractionem, *Discidium* vero corporum. *Theod. Pulmannus* quoque aliquoties apud *Terentium* vbi vulgo legitur *dissidium*, ex Msc. libb. reposuit, *discidium.* Vt And. Sc. Iam vbi. *Valeant, qui inter nos discidium volunt.* Sic Hecyr. Sc. Dixtine: *Neque culpa hoc euenisse discidium mea, id testor Deos.* Et ead. fab. Sc. Nihil apud: *Profecto in hac re nihil mali est, quod sit discidio dignum.* Sic olim in Perioch. 4 Il. apud Ausonium restituebam, *Discidium fœderis comminiscitur.* Vbi etiam vulgo, *Dissidium.* Sed differentia illa vera non videtur *Schoppio* nostro in Verisim. lib. 2 c. 8. (R.) p. 104

I. e. *Diuortium*: quod verum fuit, soluto, scilicet, coniugii vinculo. Nam *Adila Dietboni* Domino Rauenspurgi nupsit postea, vt in fine primi indicauimus. Quod enim hodie diuortium appellatur, plane improprie, ignotum veteribus fuit, tum theologis, tum iure consultis. (Sp.)

(6) Scilicet, Dei. Vnde suspicor fuisse matrimonium consummatum, & ob sterilitatem a *Friderico* repudiatam prætextu affinitatis: cuius veniam facile impetrasset, cum iam tum nihil non pontificiæ autoritati attribueretur. (Sp.)

(7) Sic recte editio *Pernæ* & nos antea de coniectura correxeramus, quod hic vulgo erat, *vi.* Sic alibi contrarium peccatum peccarunt librarii, posito *vt* pro *vi.* Exemplum obseruauit *Schoppius* apud *Nonium* in *Lactare*: Accius Alcmæone: *Tanta vi frustrando lactans vanans protrahis.* Vbi editiones vulgo, *Tanta vt* Vid. eius Comment. *de Arte Critica.* (R.) p. 104

(8) Ludit in nomine *Beatricis*, vt alibi in ipsius *Friderici.* Ceterum hic pulcerrimus versus ita est similis cuidam *Oppiani*, vt vix ouum ouo similius esse possit aut lac lacti. Sic enim Cilix noster Cyneg. 1.

Νύμφη ἀριστοτόκεια, λεχὼ δέ τε καλλιτόκεια. (R.) p. 104 seq.

Id factum esse, ipse poeta in principio operis, vbi inuocat, & mox infra ostendit. Quod *Merula* ignorauit, calumnians *Sabellicum*, quod scripserit *Friderico* fuisse filium *Othonem.* (Sp.)

(9) Burgundionum, qui & Vesontionum nuncupatus legitur, scilicet, a metropoli, quæ hodie *Bisontium* vocatur, insignis veterum ædificiorum vestigiis vrbs. Burgundiones quod origine Germani, specialiter Vandali vocati sint, nemo negare potest. Hi

sub idem

sub idem fere tempus, quo Franci Germani, traiecto Rheno, nomen suum victores Galliis intulere, relictis Burgis suis ad Rhenum, vbi consederant, loca, quæ hic a *Gunthero* memorantur, & *Othone Frisingensi* cap. 29 secundi, Gallis eiectis occuparunt, nobilissimi Burgundiæ regni conditores. Quod non latuit *Orosium*, luculentum & grauem rerum scriptorem. (Sp.)

(10) Nam post aliquot sæcula (vt nihil non mutat tempus) Burgundionum regnum, quod infra quoque *Guntherus* innuit, partim in Ducalem titulum, & partim Comitatus nomen abiuit: qui & *Imperialis Burgundia* dicitur. Nec ideo, quod Ducalis Burgundia non fuerit etiam Imperio Germanico tradita, sed quod post illa fuerit a Gallis occupata. (Sp.)

(11) Gener *Simonis* Lotharingorum Ducis, ex cuius filia vnicam hanc filiam, tantarumque & ditionum & opum heredem susceperat. (Sp.)

(12) Quemadmodum quidquid Galliæ *Meroueus* Rex Francorum Germanorum cum suis tenuit, Francia dici cœpit: ita Burgundiæ nomen in Gallia celebre factum est a Burgundionibus, qui in Heduorum, Matisconensium, Lingonum, Cauillonensium, Vesontionumque finibus remansere. (Sp.)

(1) Hæc adeo tellus a sedibus incipit illis,
Qua Basilea(2) suos vicino flumine muros
Alluit(3), & Rhenum venientem læta salutat,
Innumerosque tenens populos, hinc Gallica rura
265 *Mordet: at hinc rigidis scopulosæ rupibus alpis*
Arctatur, tractuque pari protenditur, vsque
Qua rapidus primas Rhodanus(4) maris influit vndas,
Quaque caput regni, sedesque fuisse vetusti
Fertur Arelatum(5), priscorum curia Regum.
270 *Teque sibi iungens æquo Prouincia(6) iure,*
Nomen apud veteres regni titulumque gerebat,
Cuius Arelatum sedes(7), & finis ab illa
Parte ferebatur, donec suprema voluntas(8)
Regis Rudolfi *regnis accedere nostris(9)*
275 *Iussit, & antiqui detraxit nomen honoris(10);*
Vt iam non regnum, sed sit bona portio regni.
Has ibi metropoles, & primi(11) nominis vrbes,
Chrysopolim(12) placidam, Lugdunum(13), siue Viennam(14)
Quæque tuos spumante mari prouincia fines
280 *Claudit Arelatum, validis obnoxia ventis(15).*
Chrysopolim Dubius(16) reliquas prælabitur(17) amnis
Maximus(18) Allobrogum Rhodanus, dominator aquarum.

(1) Burgundiam *Guntherus* noster describit, secutus *Othonem* cap. modo citato. Vnde qui volet, illic quæ faciunt cum ad huius loci, tum sequentis narrationis intellectum, requirat: cuius verba citassem sæpiuscule in medium, nisi codex excusus esset. (Sp.)

(2) Vrbs amœnissima, quæ ex *Raurica Augusta*, quam *Coloniam* dixit *L. Munatius Plancus*, deriuata est. (Sp.)

(3) F. *abluit.* nam flumen ipsum dicitur *alluere mœnia* vel *muros*, at vrbs rectius diceretur *abluere muros flumine.* (R.) p. 105

(4) Notissimus fluuius, cuius *Strabo* meminit & *Cæsar*, oritur ex Alpibus non longe a Rheni, Danubiique fontibus, latus Lugdunum Ararim ibi suscipiens, mox Isaram, Druentiamque tribus ostiis in mare Tyrrhenum influit. A nonnullis alter *Eridanus* dictus, vt primo lib. mox post initia annotauimus super illo versu: *At tibi cui Rhodanus.* (Sp.)

(5) *Otho* eius nominis imperator IIII, se *Arelatensem. Regem* appellauit, & possedit. Numeratur *Arelate* inter *Salyes*, quorum metropolis *Massilia*, Plinio *Colonia Sextanorum* dicta: quod e sexta legione milites coloni eo deducti sunt, autore *Cæsare*. *Strabo* amplissimo emporio insignem esse scribit. Ab ea regnum Arelatense nominatum: quod Treuirorum finibus includit Pontifex *Pius*. Notum est, quod eius regni, vt & vniuersæ Galliæ Archicancellarium se hodie nuncupat Treuerensis Antistes. Nobilitauit Arelatensem vrbem *Phauorinus* philosophus, cui illa patria fuit, insignis ille eunuchus. (Sp.)

(6) Specialiter hæc portio Galliæ partim Lugdunensis, partim Narbonensis, quod Romanorum erat, dicta est Prouincia. Postea Delphinatus quoque dici cœpit: ex eo quod filii Regum Gallorum Delphini vocati, in proximamque spem regni suscepti his in locis iura redderent. (Sp.)

(7) Idem testatur *Gaguinus* in Rege *Carolo* quinto, cuius verba non grauabor adscribere: *Traditum*, inquit, *a Gallis scriptoribus comperio, Imperatorem quibusdam castellis terræ Delphinatus donasse Delphinum, eumque in Arelatensi regno Imperii vicarium instituisse. Arelate enim regni Burgundorum*

 prima-

primariam ciuitatem & caput fuisse, Imperioque paruisse certum est. Quam, vt *Geruasius* scribit, *Aram latam* prisci appellabant. Nam in eo loco prope ciuitatem, quæ *Rocheta* dicebatur, duæ columnæ extructæ erant, & super eas ara imposita. Vbi quotannis ad Kalend. Maias frequens vndique populus humanas hostias pro sua sospitate mactare consueuerat. Itaque tres iuuenes, publica pecunia emptos, anno toto saginabant, quos constituto die ad ipsam aram immolabant, victimarum sanguine circumstantem populum aspergentes. Quem ritum diuus *Trophimus* ex LXXII Christi discipulis, illo ex Iudæa missus, sustulit. Loquitur autem *Gaguinus* de *Carolo* quarto Imperatore, qui cum filio *VVenceslao* iam Romanorum Rege declarato a Septemuiris, in Galliam, ad prædictum Regem cognominem profectus est. (Sp.)

(8) *Testamentum*, quod sæpe in iure ita dicitur, nonnunquam etiam *suprema iudicia*: vel *suprema hominis*, vt apud *Papinianum*. At Symmacho *suprema* pro *morte* vsurpantur. (R.) p. 105

Qua ille indignitate motus, diadema, ceteraque regni insignia ad *Chunradum* Imper. miserit, simul moriens *Henricum* eius filium heredem instituerit, scribit *Æmylius Veronens.* lib. 3. *Otho* noster libr. Chronic. sexto meminit testamenti, & expeditionis in Galliam illius ergo susceptæ ab Imperatore. *Hermannus* Comes Veringensis, *Cranzius* in secundo Vandaliæ, qui summam Burgundorum Regum in christianam religionem, monimentis a se conditis attestans pietatem: *sed & Rodulfus, ait, Rex cathedralem ecclesiam apud Coloniam supra Rhenum fundauit: deinde apud* Moguntiam, Strazeburgum (*nunc vocant* Argentinam) *deditque maiorem partem ditionis suæ sacro Romano Imperio, cum iam* Chunradus II *illi praeesset, paulum supra millesimum a Christo annum.* Quo vero hæc ille autore dixerit, parum compertum habeo. Mallem ego ab eo locupletatas, quam excitatas credere. Pauca de primis Germaniæ Episcopis, ecclesiarumque conditoribus extant monumenta, iustæ saltem fidei: vel quod fideliter annotata non sunt, vel quod posteritatis incuria perierunt. Ex Metropoli *Cranzii*, si excusum opus esset, nobis forte neutiquam contemnenda depromere licuisset. (Sp.)

(9) Germanico Imperio. (Sp.)

(10) Sicut hodie est præcipuus inter maximos proceres Imperii Principatus, Imperatori beneficiarius, hoc est, vt vulgo dicunt, in feudum ab Imperio dependens. (Sp.)

(11) Sic rescribendum censui, vbi vulgo, *primas*. (R.)

(12) *Bisuntinam* signat vrbem. Eius nominis feruntur, altera in Bithynia Calcedonensium vicus, altera in Cilicia, cuius incolæ, *Volaterrano* teste, *Chrysopolita* vocantur. (Sp.)

(13) Colonia hæc est a *Planco* quoque deducta, ad Cemeni radices, vbi Arar Rhodano congreditur. Templum habebat Augusto dicatum, aramque venerabilem, cuius meminit *Iuuenalis* in prima Satira. Hanc vrbem Imperatores Romani nobile emporium statuerunt, vbi etiam monetam cudebant. Nunc vulgo *Lyon* appellant, nec minus celebre emporium: quo ex Italia, Heluetia, Lotharingia, Alsatiensibus, ceterisque Germaniæ locis sæpius mercatores singulis annis conueniunt, mutua tractantes mercimonia. Lugdunensis Gallia nomen ab ea etiamnum retinet: cuius limites, prouincias, Principatus, Comitatus, vrbes & fluuios *Gaguinus* in primo, & *Volaterranus* lib. Geograph. tertio diligenter ostendunt. (Sp.)

(14) Hodie caput Delphinatium, æque illustre, atque Allobrogum erat. Est & Austriæ *Vienna* clarissima, sed quam *Reuchlinus* noster *Vianam* nominabat. Alii *Flexum* olim, ex *Ptolemæi* collocatione. Neutrum *Stabius* probabat: cui *Vadianus* accessit in luculentissimis in *Melam* comment. (Sp.)

(15) *Mela* & *Strabo* idem dicunt. *Melæ* verba sunt: *Omnis plaga Austro atque Africo exposita est.* Strabo: *Vniuersa circumiacens ora*, inquit, *ventis exposita est.* (Sp.)

(16) Idem qui *Duris*, ex eodem quo Rhodanus monte exit, atque vna corriuans, in Rhodanum iuxta Lugdunum commiscetur. (Sp.)

(17) *Prælabitur* pro *præterlabitur* dixit, imitatus, credo, vt sæpe, *Symmachus* lib. 1 ep. 8; *volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum, sed tantum nostra ora prælabitur.* Sic enim ibi ex vetusto codice legendum docuit *Scheppius* verisimil. vbi vulgo, *præterlabitur.* Sic *Petronius* (p. 59) *in hac præclara sententia incultis asperisque regionibus diutius nives hærent: ast vbi ea aratro domefacta tellus nitet, dum loqueris leuis pruina delabitur. Similiter in pectoribus ira considit: feras quidem mentes obsidet: eruditas prælabitur.* Sic eleganter *Columella* (lib. 11 cap. 8.) *prælabentis temporis fugam irreparabilem* dixit, i. e. præterlabentis. Eodem modo *Horatius* 4 Od. 3; *Sed quæ Tibur aqua fertile præfluunt*, vt ibi *Cruquius* & *Giphanius* ex MSc. suis legunt. Vise hunc Indice Lucretiano, verbo *Præstringere*. (R.) p. 105

(18) *Varro* cum de parte orbis, quæ *Europa* dicitur, dissereret, in tribus eius terræ fluminibus Rhodanum esse ponit: per quod videtur eum facere Istro æmulum. Istrus enim in Europa quoque fluit. Autor *Gellius*. (Sp.)

Hanc Comes antiqua veniens ab origine Regum
Guihelmus *quidam, puerum*(1) *quem fama vocabat*,
285 *Possedit, quem conspicuo produxerat ortu*
Chunradi *germana*(2) *Ducis*(3), *quo*(4) *fraude suorum*

(Vt perhibent veteres) humanis rebus adempto,
Proximus agnatus Comitis(6) Reinaldus, *& heres*
Legitimus, tantæ nactus moderamina summæ,
290 *Iure suo nimirum*(7), *& claro sanguine fretus,*
Teutonicos Reges, edictaque sæpe vocatus,
Spreuit, & Allobroges aliis sub Regibus esse
Indignum reputans, nimium memor ille vetustæ
Libertatis erat, Regemque superbus agebat.
295 *Donec ob innumeros fastus, sententia tandem*
Vltrices in eum deprompsit regia vires,
Ereptamque viro, regni, sub iudice, terram,
Nomine Chunrado *fisci*(8) *concessit habendam.*
Vt quasi(9) *proscripto regni spretore rebelli,*
300 *Proximus extincto succederet ille nepoti.*
Qui mox concessos armato milite fines,
Irrumpens, regale sibi defendere donum (10),
Et valida sancire manu tentabat: at ille(11)
A patribus suscepta suis retinere laborans,
305 *Plurima conseruit diuerso prœlia casu.*

(1) Cognomento: forte a simplicitate, accipitur enim puer aliquando aliter ex subiecta materia, quam pro impubere, quem proprie significat. Notum est quo sensu illud apud *Esaiam* accipi debet: *Maledictus puer centum annorum.* (Sp.)

(2) Soror. (Sp.)

(3) Scilicet Burgundiæ. (Sp.)

(4) Scilicet *Chunrado.* (Sp.)

(5) Rebus humanis eximi, pro mori. Vide Lexic. Iuris, εὐφημία veteribus maxime vsitata cum de magnatibus sermo est. (R.) p. 105

(6) *Guilhelmi* pueri. (Sp.)

(7) Vulgo, *nimium.* Sed illud omnino postulat & metri & sententiæ ratio. Erroris fontem hunc fuisse puto, quia paulo post v. 293 sequitur: *nimium memor.* Putabat ergo librarius etiam hic, *nimium fretus*, legi debere. *Pflugius* tamen retinet, *nimium*; deinde pro *&* legit, *sed*, quod exponit, *sed etiam.* (R.) p. 105

(8) Scilicet, Romani Principis, ad quem ob contumaciam reuertebatur. (Sp.)

(9) Ita recte *Perna*, vulgo, *Et quasi.* Sic *vtque* pro *atque* restitui infra vers. 572. (R.) p: 105

(10) Beneficium, feudum. (Sp.)

(11) *Reinaldus.* (Sp.)

Has inimicitias, tandem sub tempore nostro
Regia sopiuit tali sollertia(1) *pacto:*
Scilicet, vt geminas illis in finibus vrbes,
Lausannam(2), *gelidaque sitas in rupe Gebennas,*
310 Bertoldus *regeret, reliquas* Reinaldus *haberet.*
Hanc reor ob caussam, regni pro parte vetusti,
Maluit Allobrogum Bertoldus(3) *rector haberi,*
Quam Comes insolito Reinaldus nomine mansit.
Hoc quoque defuncto, tanti patris vnica proles,
315 *Iure sibi patriæ delatum sortis honorem*(4),
Magnaque sub teneris moderamina sumpserat annis,
Eximio nuptura viro, generosa Beatrix.

(1) Vt ex *Othone Frisingensi* colligimus, hæc transactio facta est autore Ænobarbo nostro recens Imp. appellato. (Sp.)

(2) Vrbs ad Lemannum lacum, vt & *Gebenna*: a quibus hodie & *Losanensis*, & *Gebennicus* vocatur. Vtraque Sabaudiensium Duci, velut Imperatoris vicario credita est: olim Præsulibus suis parebant, tum inter Imperii proceres receptis. Cæsari *Genua*, siue *Genena* appellata, quæ nunc *Gebenna*. *Lucano Gebenna* in primo, quem imitatus est Poeta: *Qua montibus ardua summis Gens habitat, cana pendentes rupe Gebennas.* (Sp.)

(3) Prædicti *Chunradi* filius. (Sp.)

(4) Quod tunc consuetudo erat, quæ etiamnum, nec apud Gallos solum, verumetiam in proceribus Hispaniarum, atque alibi gentium recepta, durat: quod semper seniori fratri, eiusque liberis, seu maribus, seu feminis, paternæ hæreditatis cedat autoritas, ceteris ad illum tanquam ad dominum respicientibus. Itaque defuncto *Reinaldo*, filia illi superstes, exclusis agnatis masculis, secundum hunc morem, contra feudales leges, heres vniuersæ ditionis successit: quam vna cum Delphinatium prouincia, siue regno Arelatensi, iam diu Imperio, vt *Otho* dicit, alienatam,

natam, Ænobarbus noster, maritus *Beatricis*, reduxit, & postea filio *Othoni* possidendam reliquit. Id, quod vel noster *Guntherus* inuocationis seriem texens, attestatur. (Sp.)

Ergo dato passim varias rumore per vrbes
Aduenisse diem, quo festa lampade(1) *Princeps*
320 *Dignetur sacri sociam sibi iungere lecti,*
Et meliora(2) *nouis sponsalia ducere fatis.*
Vndique magnifici proceres, ad magna vocati
Conueniunt, vrbemque petunt, cui nomen ab herbis(3)
Esse putant, linguæ vulgaris origine tractum(4).
325 *Vt tanquam medii circa præcordia regni*(5)
Eximium celebretur opus, famosaque sedes
Illa locum tanto dignum concedat honori.
Quanti(6) *Pontifices, quanti coiere potentes,*
Quæ facies procerum, quis honor, quæ gloria rerum
330 *Quisve fauor populi, seu quæ douotio cleri?*
Qui velit expressis metiri singula verbis,
Hunc ego littoreas numerare fatebor arenas(7)
Posse, vel in magno radiantia sidera cælo.
Hoc rerum splendore sacros Regina mariti
335 *Venit in amplexus, Comites, Regesque, Ducesque*
Felici paritura thoro, te maxime(8), *qui nunc*
Fortiter Ausonias vrbes, Henrice(9), *regendo*
Grande tibi nomen primo nanscisceris æuo:
Et te Sueuorum ductor, Friderice, *paterni,*
340 *Quod tua facta probant, dignissime nominis heres:*
Te quoque, cum magno præclaræ laudis Othone,
Insignis Chunrade *puer: cunctisque minorem,*
Sed non dissimilem morum probitate Philippum.
Hos equidem partu felici femina Princeps(10)
345 *Edidit, & plures generosa forsitan aluo*
Terrarum dominos longe lateque potentes
Progenitura fuit, si non florente iuuenta
Inuida fallaces rupissent stamina Parcæ(11).
Heu mihi, quam celeri dominatrix inclita fato
350 *Occubuit, viduumque virum, prolemque reliquit.*
Iam tamen Augusto dominantes cum patre natos
Viderat, impressamque tuis, Henrice, *coronam*
Temporibus: cum de toto semel orbe vocatos(12),
Quanta nec ante fuit, nec creditur esse futura,
355 *Moguntina suos aspexit curia patres.*

(1) Id est, nuptiali face, quæ accendi solet ad apparentem Hesperum, qui poetis est quasi confirmator & dux nuptiarum. Hanc paranymphus præferebat, ceteras alii, nam vt infra adnotabimus, plures accendebantur. (Sp.)

(2) Scilicet priore matrimonio, quod dirimendum fuit vt supra dictum. Quod ideo moneo, ne quis imperite iungat, *meliora nouis fatis*. (R.) p. 105

(3) Signat *VVirtzburgum*, matricem Francorum Germanorum vrbem præclaram. (Sp.)

(4) Satis dure, vt mihi videtur. Quis vnquam herbam pro radice vsurpauit? Sunt tamen qui primum eam *VVirtzelburgum* putant esse dictam. *Chunradus Celtes* ille, eruditorum sua ætate princeps, *Herebipolim*, vnde ei origo, maluit appellare, vetustatem ei vbique adserens. *Syluius*, & post eum *Volaterranus*, ceu rem memoria dignam annotarunt: Præsulem eius, quoniam idem, & Dux Franconiæ appellatur, sacrificare ideo ad strictum ensem in ara collocatum, per summum, quod negari non potest, ludibrium sanctissimi illius symboli, quod pacificus ille & rex & sacerdos operatus est. (Sp.)

(5) Hac elegante metaphora denotat vrbem in meditullio Imperii sitam, & velut vmbilicum regni: Vt ὀμφαλὸν γαίης *Delphos* veteres dixere. (R.) p. 106

(6) *Quanti* pro *Quot*. Vid. supra lib. 4 v. 373. (R.) p. 106

(7) Excessus, familiaris poetis. (Sp.)
Ἄμμον μετρεῖν. ἀδύνατον: Qualia apud poetas multa. (R.)

(8) Nomenclatura filiorum Imperatoris *Friderici*, de quibus obiter, quæ videbantur adferenda, diximus in principio libri primi. Meminit item eorum autor, qui adiecit tempora sua *annalibus Vrspergianis*. (Sp.)

Hos

(9) Hos quinque filios *Friderici* etiam supra commemorauit lib. 1 v. 54 & seqq. (R.) p. 106

(10) Augusta, de qua *Vlpianus*: *Princeps legibus solutus est : Augusta autem licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi priuilegia tribuit, quæ ipse habet.* (Sp.)

(11) Similia sunt in Epigrammate statuæ Oppiani adscripto :

> εἰ δὲ πολὺν με χρόνον ζωὸν μίμνειν φθόνος αὐτὸς
> εἴασεν, &c.

Et *Asclepiades* lib. 3. Antol. Erinnam Poetriam, quæ adolescentula extincta est, hoc modo facit loquentem :

> εἰ δ' ἀΐδας μοι μὴ ταχὺς ἦλθε, τίς ἂν
> ταλίκον ἔσχ' ὄνομα. (R.) p. 106

(12) Legebatur antea, *vocauit*. (R.)

Nondum collectos ad gaudia tanta potentes
Ad proprias sedes, nataliaque arua reuerti
Passus erat Princeps : sed adhuc Hymenæa(1), *sacroque*
Carmina digna thoro(2), *solenni curia plausu*,
360 *Et felix omen, votiuaque festa canebat,*
Cum rediit Graia(3) *Stapulensis ab vrbe* Guibaldus
Legatique simul, Regis(4) *mandata ferentes.*

(1) Metaplasmus esse videtur, quales alibi plures annotaui. An potius *hymenæa carmina* iungendum? (R.) p. 106

Quod negligenter a *Catulli* interpretibus *Rhodiginus* prætermissum ait. Adnotauit idem in Menandriis, item in auibus Aristophanis, cani in nuptiis solitum ad eum prope modum : ὑμὴν ὦ ὑμέναι ὦ ὑμήν. Indeque illud esse, *O hymen hymenæe, o hymen, o hymenæe.* Præterea male ab eisdem *Martiani Capellæ* autoritate dictum : Hymenæum fuisse Veneris filium. Hunc *Seruius* primo Æneidos scribit virum fuisse Atheniensem, qui inter bella sæuissima virgines liberauit : propterea nomen eius in nuptiis inuocatur, quasi liberatoris virginitatis. *Plutarchus* in problematis, quinque Deos precari illos, qui matrimonio coniunguntur, scribit, Iouem adultum, Iunonem adultam, Venerem, Leporem, & in primis Dianam : ideo quinque cereos accendi morem esse, nec pauciores, nec plures. Quam autem piam nobis doctrinam suis illis Ethnici coniugiorum præsidibus diis commendarint, ostendit *Roterodamus* in Institut. christ. matrimonii. Nec ignorandum, *hymen*, non esse pelliculam, qua in vtero infans circumuoluitur, vt plures grammatici, hoc est, poetarum interpretes tradunt: sed esse virginalem quandam pellem, quæ in primo coitu virginis abrumpitur, vt græci asseuerant libri, teste *Daniele Cremonensi*. (Sp.)

(2) *Fescennina* illa vocabantur ab oppido Campaniæ *Fescennio*, quod illic nuptialia inuenta sint. Quæ, quia solebant esse petulantiora, vnde apud Catullum *Fescennina licentia*. Dicit autem, *digna sacro thoro*, hoc est, cubili immaculato, in quo certe nihil petulans, nihil ineptum esse debet : quod illud diuus *Hieronymus* interpretatur esse, quoties vir & vxor studio castitatis, in matrimonio virginitatem imitantur. Quamuis non ignoro, & lectulum ipsum connubialem Genio cuiquam sacrum habitum apud ignaros veræ religionis. Vnde illud *Iuuenalis*, sic inuehentis in adulteros : *Antiquum & vetus est, alienum, Posthume, lectum Concutere, & sacri Genium contemnere fulcri.* Sed quam fœdis ritibus atque præludiis suas christiani auspicentur modo nuptias, *Roterodamus* deplorat magis quam indicat in opere iam citato, quo meo quidem iudicio, sanctius non aliud, magisque necessarium scripsit. Paraphrases enim, nolint velint Theologastri, Euangelistarum sunt, & Apostolorum, qui sapientiam Deique sermonem in literas miserunt : profecto, si quis alius, liber dignus, vt in omnem, quæ sub cælo est linguam, conuertatur. (Sp.)

(3) Constantinopoli, sede Græci Imperatoris. (Sp.)

(4) Græcorum intellige Imperatoris. (Sp.)

Qui tamen ob fraudes aliorum(1), *quos prius*(2) *idem*(3)
Egregio(4) *Manueli orator*(5) *miserat vrbis*(6)*,
365 *Auribus & facie tam læto tempore*(7) *tanti*
Principis indigni, longe consistere iussi(8),
Expauere graues offensi Cæsaris iras.
Nam qui prædicti mandata priora tyranni(9)
Ausonias vrbes, Etruscaque rura tenenti
370 *Attulerant*, Friderice, *tibi, gentilibus vsi*
Fraudibus(10), *impressas falso*(11) *sub nomine Regis*
Mendaces(12) *chartas*(13) *sibi confecere sigillo*(14)

(1) Scilicet, *Maradochi*, & *Palæologi*, quorum lib. quarto meminit. (Sp.)

(2) Hoc est, præcedere iusserat, vel potius, quod illi sponte & ex composito *Guibaldum* Ancone, vt ex *Othone* accipere licet, reliquerint. (Sp.)

 Abba-

(3) Abbas Stapulensis. (Sp.)

(4) Ironia est. Nam *perfidum* antea vocauit. (R.)

(5) Legendum puto:

Egregio Manuel Monocrator, *miserat* orbis.

I. e. *Fridericus* Monocrator, Imperator. Sic *Pantocrator* in latino textu *P. Chrysologi* p. 245 (B.)

(6) Scilicet, Romæ, hoc est, Ænobarbi Romanorum Principis, & christiani populi recens appellati Imperatoris. Vrbs licet non proprie de Roma dicitur, tamen per subauditionem, vel potius *κατ' ἐξοχήν*. sicuti cum *Poetam* dicimus, nec addimus nomen, subauditur apud græcos, vt ait *Iustinianus* Aug. egregius *Homerus*, & apud nos *Virgilius*. Sane cum *vrbem sacram* appellamus, sunt qui *Hierosolymam* accipiant, vt *Baldus*: *Alciatus Romam* potius intelligit, sicut & cum *æternam* dicimus. Ausonius; *Vrbis ab æterna deductam rege Quirino*. Vt mirum sit secundum ipsum, quod literatiores quidam ibi legunt, *Hectorea*. (Sp.)

(7) Nuptiali. (Sp.)

(8) *Iuuauia* scilicet, vt *Otho* Præsul ait. Hodie *Salisburgum*, a *Salza* fluuio, qui interluit illam. (Sp.)

(9) *Manuelis* scilicet, Græcorum Imperatoris. Nescio an in bonam acceperit partem: maxime quod cum Imperator noster Ænobarbus, non ignarus, immo periculum pridem fecerit, ingenii hominis tum perfidi, tum impii: tamen cum ipso fœdera inire dignabatur. Vere etenim *Manuel* ille tyrannum egit, dum contra ius gentium Venetorum legatum violat, pacisque simulator maximus, tum perturbator dogmatum christianæ fidei studiosus. Nullus infestior in nos fuit, nulli inuisiores successus nostrorum fuere, quod vel ipse *Fridericus* noster satis sua innuit oratione, quam ad proceres Gallorum habuit, apud *Æmylium Veronensem* in descriptione sacri belli secundi: in quo *Chunradum* Aug. & *Ludouicum* Gallorum Regem summos christiani exercitus ductores, variis a *Manuele* fatigatos fuisse insidiis, magno consensu rerum scriptores prodidere. (Sp.)

(10) Græciæ peculiariter attributa esse constat mendacium & fallaciam. Signate igitur dixit, *gentiles fraudes*, vt *Prudentius* noster *gentilia vitia*, quæ ceu affinitate quadam idololatriæ coniuncta recenset Apostolus in 1 cap. ad Rom. Fraudis species esse videntur, fallacia, calliditas, machinatio, impostura. Fallaciam loquendo, calliditatem tacendo committi *Accursius* existimauit. *Alciatus* rectius, fallaciam simulationi annectit, calliditatem ad ingenium refert. Machinationem, ait, ex præcogitata aliqua inuentione, manuque & arte confici: imposturamque ab impostoribus, id est, deceptoribus, quos etiam planos vocant, nomen sumpsisse: ductamque videri metaphoram ab his, qui operimentum rei imponant, vt vitium tegant. (Sp.)

Crimen falsi a Græcis legatis commissum notetur. (R.)

(11) *Paulus* titulo ad legem Corneliam *de Falsis*, id falsum esse videtur, ait, si quis chirographum alienum imitetur, aut libellum, vel rationes intercidat, vel describat. (Sp.)

(12) Adulterinas. (Sp.)

L. *mendaci* chartas. (B.)

(13) Literas, pro membranis, quibus vtuntur in talibus negotiis, vsurpat. Membranæ conficiuntur e pellibus, chartæ e linteis. (Sp.)

(14) Cuius impressio autoritatem scripturæ confirmat. Vnde iurisperitorum assertio est, plenam fidem adhiberi literis iudicis, solito eius sigillo munitis, si de his attestatur, quæ ad eius officium pertinent, & ab arbitrio suo pendent: Quod si etiam testium subscriptio accesserit, tunc generaliter iustam probationem facere. (Sp.)

Quos bene Rex habitos(1), *postquam cumulauit honore,*
Muneribusque datis, referendaque fausta tyranno(2)
375 *Verba suo, placidæque dedit consortia pacis*(3),
Dimisitque viros: cum regia signa remensis
Alpibus audirent ad Transalpina redisse,
Protinus Appuliæ populos(4), *& mœnia*(5) *falsis*
Subreptisque(6) *dolo Campana relatibus implent,*
380 *Littoreas vrbes*(7), *sese, vicinaque Ponto*
Oppida, munifico falsis a Principe signis(8),
Accepisse probant, ignauaque(9) *pectora vulgi*
Fraudibus(10), *& Graio corrumpunt nequiter auro.*

(1) Hospitaliter exceptos, liberaliter tractatos. (Sp.)

(2) Iterum pro *Domino*, siue *Principe* vsurpat, sicut apud veteres. Nam olim sui natura qualemcumque Principem significabat. Hodie malum tantum notat. (Sp.)

(3) Capita fœderis pangendi. (Sp.)

(4) Vltra Appenninum illi habitant, nostroque tempore vno Apuliæ nomine censentur, Iapyges, Dauni, Messapii, Peucetii, Salentini: qui eum cum Apulis tenent modo tractum, qui a Tarento vsque ad Hydruntem, & ab eo per littus vsque ad montem Garganum protenditur. (Sp.)

(5) Hoc est, vrbes Campaniæ, nota figura, poetisque perfamiliari. Omnium autem, teste *Floro*, non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campaniæ plaga: cuius

cuius tractus tribus constat finibus, ad Sinuessam, ad Messenum, ad Neapolim, quem *Cratera* ex forma dicunt. Termini eius vsque ad Saruum fluuium: antiquitus vero vsque ad Silarum protrahebatur. *Straboni* ex occidente Lirim, e septentrione Samnites habet. Campaniæ laudes scribunt inter præcipuos *Cicero, Plinius, Solinus, Strabo, Florus, Eutropius, Silius.* (Sp.)

(6) Pro, *commentitiis*, hoc est, ad falsam rei narrationem iussionibus & mandatis a Principe impetratis: iuxta vulgatum Iurisperitorum morem, accipere videtur. Cum tamen illi, nec huius verbi tam elegantis, nec verbi *obrepto* frequentis magis apud Iurisconsultos, vim significationemque perceperint, vt *Budæus* in posterioribus annotationibus demonstrat, autorum grauissimorum citatis exemplis, *Ciceronis*, & *Quintiliani.* (Sp.)

Vulgo *subreptitii* vel *obreptitii relatus* appellantur. Vid. l. 2. C. De legibus, &c. Sic *obreptiuum oraculum* dicitur in l. 8. C. Theod. de Paganis, &c. Sic *obreptiuam supplicationem* vocat *Symmachus* 5 ep. 64. & *obreptiuas publicationes* lib. 10 ep. 58. *Subreptos relatus* dixit pro iis, qui *subrepserunt*: vt *successa* pro iis, quæ *successerunt*, *antecessus* pro eo, qui *antecessit*. Sic *conspiratis factionum partibus* dixit *Phædrus* fab. 2, pro cum partes conspirassent. De quo erudite *Schoppius* noster in verisimilibus. *Surrependi* verbum moneo obiter restituendum videri *Ruffino* in Expositione Symboli Apostolici. Nam vbi vulgo legitur: *Hi qui prima fidei elementa suscipiunt, testimonia hæc habeant in corde scripta, vt nulla eis vnquam de his, quæ credunt, ambiguitas inimica surripiat*: legendum videtur: *surrepat*. (R.) p. 106

(7) Ad mare sitas, vt sunt Formiæ, Cumæ, Puteoli, Neapolis, Herculanæum Pompei, & ipsa caput vrbium Capua, quondam inter tres maximas Romam, Carthaginemque numerata. *Florus.* (Sp.)

(8) Pro sigillis. Nam subsignare est, vt *Alciatus* refert, signum suum, quod & *sigillum* dicitur, subiicere. Quamuis etiam est simpliciter subscribere. Nam & scriptura signum est, vnde scribentis persona indicatur. Principes Germanorum, fide sigillorum contenti, non temere vtuntur subsignatura, præcipue in suæ ditionis subditos. Quod & ab Augustis nostris obseruatum esse constat, vsque ad *Maximiliani* Imp. tempora, qui morem subsignationis, quem nepotes eius imitantur, inuexit. (Sp.)

(9) Malim, *ignara*. Quamuis & infra sæpius *ignauum vulgus* appelletur. (R.) p. 107

(10) Fallacibus, blanditiis, tum inanibus promissis, quibus varium & mutabile vulgus capi solet. (Sp.)

His Comes Andreas *Capuæ*(1), *proscriptaque turba*(2),
385 *Nuper ab exilio nostro sub Rege reuersa*,
Atque Cauillensis(3) Robertus *nomine quidam*
Eximia virtute Comes: *seu gratia nostri*
Principis, *aut odium Siculi*(4), *seu maxima merces*
Impulerat, *cœptis tota virtute fauebant.*
390 *Præterea dominis infidum ac mobile vulgus*(5).
Pondera seruitii, *Siculæque tyrannidis optans*
Abiecisse iugum, *sceleri præstare fauorem*
Gaudebat, *rerumque sequi momenta nouarum.*
His opibus freti Barum(6) *petiere, locumque*
395 *Præsidii, validam quam** *præmuniuerat arcem*
Milite non pauco Siculus, *certantibus armis*
Oppugnant, *capiuntque manu*, *possessaque bello*
In sua iura nouis traducunt mœnia fatis.
Non sine clade tamen, nam maximus vnus in illis
400 *Gaudia* Palæologus *letho turbauit acerbo*,
Cuius aromatico conditum corpus odore(7)
Turba comes patrio transmittit mæsta sepulchro.

(1) *Liuius* a campestri agro Capuam nominatam, propius vero esse existimat. Eam *Cicero* luxus infamia notans, superborum quondam domum fuisse ait: vt mirum non sit, potentia eam simul & gloria priuatam, nihil fere hodie, præter vmbram nominis retinere. Hæc postremo instaurata, incertum a quibus & quomodo, a veteri procul duobus milibus passuum distat, ter antea deleta, a Consule Romano primum, tum a Genserico Vandalo, & nuper a Longobardis. (Sp.)

(2) *Bannum* a recentioribus dicitur illa species exilii, quæ ab antiquis dicebatur *proscriptio*. Vnde *Banniti* ii sunt, de quibus in iure ciuili & apud autores latinos dicitur, quod carent iure togæ, quibus aqua & igni interdictum est. C. *de Epis. & cler.* in noua constitutione, quæ est *Friderici* nostri Aug. *Banno*, inquit, *imperiali subiaceant.* (Sp.)

(3) Syncopa. *Cauilonensis* enim, vt *Æmylio Veronensi* vel, vt hodie, *Cabilonensis* dicitur. (Sp.)

(4) *Guilhelmi*, Siciliæ Regis. (Sp.)

(5) Sic Sallustius; *Vulgus, vti plerumque solet, ingenio mobili, seditiosum atque discordiosum erat, cupidum nouarum rerum, quieti & otio*

& otio aduerſum. Quem locum puto hoc & ſeqq. verſib. faciundis *Gumbero* in conſpectu fuiſſe. (R.) p. 107

(6) Oppidum *Iapyx* ante vocatum a Dedali filio *Iapyge*, autore *Plinio* cap. 11 tertii. Ex *Bari* nunc nomine tota pars ea terraque cognominatur. (Sp.)

* L. *validam* qua *præmuniuerat arcem.* (B.)

(7) *Odor* pro *aromate*, imitatione veterum: vt Ciceronis, Virgilii, Horatii, Columellæ, Auſonii, &c. Eſt tamen in hac ſignificatione vſitatior numerus pluratiuus. *Cicero* 3. Tuſc. *Incendes odores.* *Virgilius* 4 Georg. *ſuadebo incendere odores.* *Horatius* (2 ep. 1) *in vicum vendentem thus & odores. Et piper, &c.* *Auſonius* Epigr. *Eune quid adfectas vendentem Phyllida odores?* *Vlpianus* l. 7. ff. de in rem verſ. *Si odores & vnguenta ſeruus emerit, & ad funus erogauerit.* *Pomponius* l. 27. ff. de acquir. rer. domin. *coctis odoribus vnguenta facimus*, &c. *Vet. Gloſſar.* Latino-græcum *odores* exponit ἀρώματα. Et alterum *Græcolat.* ἄρωμα, *odoramentum.* (R.) p. 107

Iamque per Auſonias vrbes vulgatus aduſque
Principis ingenuas rumor peruenerat aures,
405 *Vel ſummum clauſiſſe diem, vel pondere morbi*
Guilhelmum *proprii priuatum munere ſenſus*
Nec ratione frui, cunctaſque in finibus illis
Fœdere Graiorum deceptas fraudibus vrbes.
Quod ſatis indignum Cæſar penituſque pudendum
410 *Duxit: & ingenti turbatus inhorruit ira.*
Nam licet a Siculo Romani nominis vrbes
Hactenus inuaſas, mutilataque regna doleret:
Turpe tamen magis hoc, & fœdius eſſe putabat,
Mœnia capta dolo, seductaque turpiter aſtu,
415 *Seque ſui falſa deluſum nominis vmbra.*
Nam quod tam longa Siculum gaudere rapina(1)
Tam patiens tulerat, iuſtamque repreſſerat iram
Hactenus occultis, penituſque latentibus actum
Quis dubitet cauſſis? vti(2) *tandem tempore noſtro*
420 *Æternum veteri finem poſitura querelæ*(3),
Nobilis e Sicula(4) *tibi, Rex* Henrice, *veniret*
Nupta domo, gemini pax & concordia regni.
Fortiſan hic(5) *facinus, commentaque fraudis iniqua,*
Graiugenumque dolos, Graiorum morte piaſſet:
425 *Aut inhonoratos & probra grauiſſima paſſos*
Turpiter Argolicam repedare dediſſet ad vrbem.
Ni bona pars procerum legatis parcere Regem
Cenſeret(6), *famamque bonam præferre dolori*(7).
Sic demum Graiis adeundi copia Regis,
430 *Temporis atque loci præſcribitur ordine certo.*
Non tamen inuicti fera Principis ira reſedit,
Donec in Apuliam proceres, vltricia regni
Iurauere ſequi, condicto tempore ſigna.

(1) Occupatione, iniuſtaue poſſeſſione, quæ contingit, ſiue quia res prohibita eſt poſſideri, vt liber homo, ſiue quia perſona incapax, vt ſeruus, ſiue cauſa iniuſta, vt raptor, ſiue iure ciuili inualida, vt cum pater filio, maritus vxori donat. (Sp.)

(2) Vulgo male, *ubi.* (R.)

(3) Nota, ſimultates & inimicitias inter Principes ſæpe componi coniugiis, & affinitatibus. Exempla apud Hiſtoricos vbique obuia. Vide & infra h. lib. v. 538. (R.) p. 107

(4) Satis de hoc connubio diximus ad finem primi, ſuper illo verſu: *Ex qua præclaro.* (Sp.)

(5) Scilicet Imperator *Fridericus.* (Sp.)

(6) Et quidem recte. Nam *Pomponio* autore, ſi quis legatum hoſtium pulſaſſet, contra ius gentium id commiſſum eſſe exiſtimatur, quia ſancti habentur legati. Et ideo ſi legati apud nos eſſent gentis alicuius, cum bellum eis indictum ſit, reſponſum eſt, liberos eos manere, id enim iuri gentium conueniens eſſe. Itaque eum qui legatum pulſaſſet, Q. Mutius dedi hoſtibus, quorum erant legati, vtilius eſſe ſolitus eſt reſpondere. Vnde apparet, quam ægre Cæſar Ænobarbus, ceu ſeuerus iuſtitiæ patronus, tulerit priorum legatorum per ſummum ſcelus admiſſum falſi, vt negari non poteſt, crimen, quum illius ergo in nouos legatos culpaque carentes animaduertere conſtituiſſet animo tam pertinaci. (Sp.)

(7) Quantæ curæ Principi fama eſſe debeat, vid. infra l. 6 v. 305. (R.) p. 107

Iamque graues vltrix Alemannia mouerat iras,
435 *Magnaque terrifico properabat cœpta*(1) *tumultu,*
Cum nouus ex Latio rumor, meliorque priori,
Hostibus extinctis, Siculo victore receptas,
Quas sibi subdiderant fallaciter, attulit vrbes.
Ergo alio Princeps tantarum pondera rerum
440 *Flectit: & in Ligures properat conuertere bellum,*
Innumerasque suo signatas nomine chartas
Destinat(2) *ad proceres, ita regia iussa ferentes:*

(1) *Properare aliquid* ἐνεργητικῶς more veterum vsurpat: vt Attius apud *Nonium*:
Melius pigrasse, quam properasse est nefas.
Tacitus Annal. 3. *quod multos etiam bonos pessumdedit, qui spretis quæ tarda cum securitate, prematura vel cum exitio properant.* Sic *properare mortem, fulmina, arma*, dixit *Virgilius*. Sic Propertius *properare laborem*, lib. 3. eleg. 10. *Magnum iter.* Vide plura in Prodromo nostro ad Symmachum. Sic apud *Iustinianum* in tit. de publ. iudic. *Si quis parentis fata properauerit*, legendum, vbi vulgo *praeparauerit*. Vid. *Cuiacii* notas ad eum locum. (R.) p. 107

(2) *Mittit*, vt apud *Suetonium* in Galba; *Statimque legationem ad prætorianos cum mandatis destinauerunt.* (Sp.)

Si non perspicuis(1) *patuisset cognita signis*
Vestra fides, multoque prius sudore labores
445 *Pignora sinceræ mentis manifesta dedissent,*
Non ita secure vestrum peteremus ad omnes
Auxilium, diuersa ferunt quos tempora, casus:
Sed quia deuotos veluti officiosa supremo
Membra decet capiti, nobis cognouimus esse,
450 *Nunc hoc, nunc aliud mutato tempore vestris*
Mandamus studiis, sic rerum postulat ordo:
Sic variat fortuna vices, nullosque timemus
Ob decus Imperii vobis sociare labores.
Appuliæ bellum, quod paucis ante diebus
455 *Sanximus Herbipoli, vobis impune remitto.*
Præuenit siquidem nostros fortuna labores,
Magnaque sublatis periere negotia caussis.
Altera iam nostros expectant bella lacertos,
Egregium virtutis opus, pulchrique laboris
460 *Imperii satiare minas, cunctisque per orbem*
Gentibus, & populis Ligurina funditus vrbe,
Vt decet, euersa, nostrum sancire timorem.
Quæ semper Latiis fallax, infida, rebellis
Regibus, & nulli docilis seruire potenti,
465 *Præcipue nostris tumefacta repugnat habenis,*
Et quasi degenerem, timidumque(2) *& mente carentem*
Contemnit, nec posse putat punire nocentes.
Quem nimis expositum veniæ(3), *segnemque malorum*
Aspicit in pœnas, patientia nostra(4) *timori*
470 *Illa teste datur*(5): *Nescis ha perdita, nescis,*
Quem stimules peritura virum: sentire decebat
Te quoque, quod sensit consors & conscia culpæ
Infelix Terdona tuæ, ceu corruit illa,
Tu quoque victa cades, tanto grauiore ruina(6),
475 *Quanto nunc*(7) *aliis tibi firmior ipsa videris.*
Parua cadunt leuius, non multa mole premuntur:
Magna sub ingenti franguntur pondera lapsu.
Nunc age(8), *magnifici proceres, ingentibus actis*
Intrepidas adhibete manus: & iusta ferentes
480 *Arma, laboranti mecum succurrite regno.*
Tutius est ferro iam putrida membra recidi(9),
Quam partis vitio totum tabescere corpus.

Hæc est illa nocens, quæ cunctas fortior vrbes,
Persequitur, nostramque premit sine fine Papiam,
485 *Quæ Cumas, Laudamque nimis vicina perenni*
Insectans odio, crudelibus vrget vtramque,
Terrificatque minis, aliasque ferociter armis
Euertit: pressasque tenens in puluere victum
Non patitur releuare caput: regnique superba
490 *Contemnit, ridetque minas: quas odimus vrbes*
Diligit, & contra quas nos dileximus, odit.
Terdonæ veteres nobis prohibentibus arces
Erigit, & vetitas audet sarcire ruinas.
Nec timet iratum, quem scit procul absore Regem,
495 *Nec putat vlterius nostros sentire recursus.*
Fallitur, & vano ducit solatia voto.
Sperato citius castris Ligurina prememus
Mœnia, completo bellum condiximus anno.
Tunc nobis meritas cogetur pendere pœnas.
500 *Et quæ nunc alias tutatur, & erigit vrbes,*
Non nisi post longum tempus renouanda iacebit.

(1) Argumentum epistolæ Ænobarbicæ, cuius exemplum *Otho* Pontifex suæ inseruit narrationi. Poeta aliquanto fusius narrat, exornans cum sententiis, & acclamatione festiua, tum locis aliquot Rhetorum. Primum itaque captat beneuolentiam: dum commemorat se iampridem perspectam, cognitamque habere fidem, virtutemque suorum. (Sp.)

Videtur expressum ex epistola Catilinæ ad Q. Catulum apud *Sallustium*; egregia tua fides, re cognita, grata mihi, magnis in meis periculis fiduciam commendationi tribuit, &c. (R.) p. 107 seq.

(2) Vulgo, *tumidumque*. (R.)

(3) Exorabilem, lenem, indulgentem. (Sp.)

(4) Vltionis dilatio. (Sp.)

(5) Quia tarditatem pœnæ grauitate compensat, vt de diuina ira dixit *Valerius*. (Sp.)

Quia (inquit *Spiegelius*) tarditatem pœnæ grauitate compensat? vt de diuina ira dixit *Valerius*. Quod verum quidem est; sed hæc expositio non attingit mentem Poetæ. Is hoc tantum dicit: Mediolanenses leuitatem patientiamque nostram male interpretantur, vel sequius accipiunt. Male ipsos docet mea facilitas. Nam proficisci eam putant a timiditate: in quo ipsos vehementer falli, docebit eorum exitus vel potius exitium. Ex hoc loco disce, qui fiat quod secundum *Ausonium*, *Parcit quisque malis perdere vult bonos: & Bonis nocet, quisquis pepercerit malis*, vt habet Mimus *Publii*. Qua de re supra lib. 1 v. 479. (R.) p. 108

(6) Quia vt *Claudianus* ait: *Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant.* Et *Aristoteles* in 2 Rhetoric. nescio cuius auctoris versus laudat, qui sunt huius sententiæ, *Mureto* interprete:

Fortuna in altum sæpe multos prouehit,
Non quod bene illis esse consultum velit;
Sed vt inde casu insigniore corruant.

Vel vt *Maioragius* reddidit:

Felicitates atque opes dat maximas
Fortuna multis, non quod illos diligat,
Sed de gradu præstantiore vt decidant.

Vide etiam *Lucanum* lib. 1 vers. 70. (R.) p. 108

(7) Ita recte *Pernæ* editio. Legebatur antea *nec*, nullo neque metro neque sensu. Error ex notis, ñc, natus. Sic apud *Ciceronem* ad Att. lib. 15 ep. 5; *non curem*, legebatur perperam, pro, *nunc curem*, quod recte *Sim. Bosius* animaduertit. (R.) p. 108

(8) Pro, *agite* vt infra lib. 6 vers. 378. Propertius; *nunc agedum domina mentem conuertite nostra.* Sic & apud Græcos ἄγε in exhortatione ad plures vsurpatur. Pro *actis*, malebam, *ausis*. Sed *acta* pro *factis* etiam alias vsurpat *Guntherus*. (R.) p. 109

(9) Ex *Ouidio* 1. Metamorph.

——— *Namque immedicabile vulnus*
Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

Sic *Lucanus* lib. 1. vers. 140; *Dumque nimis iam putrida membra recidis, Excessit medicina modum.* Quem locum *Guntherus* hic ante oculos habuit. (R.) p. 109

Ergo viri fortes vobis adsciscite, quantas
Quisque potestis opes(1), vbi cum se torserit annus,
Totus apud nostram(2) coiens exercitus Vlmam,
505 *Me duce, per rigidam securus & integer alpem*
Transeat, & fortem(3) satis impiger occupet vrbem.
Neue sub hac specie vos ad maiora vocari,
Aut Appenninum traduci forte putetis,

Sit

Sit procul iste metus, Ligurum non longius vrbe
510 *Cogendum quemquam, per regia nomina iuro*(4).

(1) Sic lib. 6 verſ. 192. *opes regni* dixit; id eſt, vires & potentiam, more Lucretii, Ciceronis & Salluſtii, ac Liuii, qui ſæpe *opes* non ad ſignificandas diuitias, ſed ad vires & potentiam vſurpant. *Lucretii* quidem eſt illud lib. 5; *Ad ſummas emergere opes rerumque potiri.* Salluſtius Catilina: Profectò virtus *atque ſapientia maior in illis* (Mſc. noſter, quem dono dedit *Schoppius*, omiſſo, *in*, illis) *fuit, qui ex paruis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene* (vel vt idem Mſc. noſter, *bona*) *parta vix retinemus.* *Cicero* pro Muræna: *Veſtram, iudices, poteſtatem ac veſtras opes intuetur.* Adeoque vix vnquam aliter eo vtitur. Alii tamen *opes* pro diuitiis dixere: vt Horatius *magnas inter opes inops.* Et idem *Salluſtius* alibi: *Nam ſemper in vrbe, quibus opes nulla ſunt, bonis inuident, malos extollunt.* Quamuis & hic *opes* pro potentia accipi poſſint. Legebatur hic *vbi* pro *vti*. (R.) p. 109

(2) Quod tunc illa ſub eius, vt Sueuiæ Principis, ni fallor, erat ditione. Nam conſtat oppidum ipſum ſub aliorum quoque dominio extitiſſe, ſeroque liberis ciuitatibus adnumeratum: quod tamen modo inter præcipuas eius ordinis prænobile habetur. Vide *Naucleruм.* Danubius hic amnibus Hilaro, & Blauio receptis, nauigabilis efficitur. (Sp.)

(3) Pflugius, *fontem.* R. *Fortior* tamen vocatur v. 483. B.

(4)* *Bey Königlichen oder Kaiſerlichen Wirden*, vt alias, *Bey Fürſtlichen Ehren*, quod æquipollere in iuramento, *per Deum*, docet *Mynſinger* centur. obſeruat. Alibi tamen *Fridericus* noſter Regem iurare minori turpe putat; vt lib. 3 v. 510 & ſeq. vbi eius rei ratio*. (R.)

(1) *Interea ſolito belli fremebunda tumultu*
Vrbs Ligurum, poſtquam natalia rura tenere
Comperit, euicta regales alpe cateruas
Ticinum geminis incingere pontibus amnem,
515 *Adgreditur pauidam ſolita feritate Papiam,*
Ac circumpoſitos flammis ſimulatque rapina
Depopulatur agros: mortalia(2) *corpora ferro*
Confodit: aut duris adſtringit capta catenis.
Lunellum(3) *renouat: Terdonæ mœnia raptim*
520 *Erigit: atque nouas properat ſarcire ruinas.*
Haud procul a tutis Ticini mœnibus alto
Fulgebant caſtella loco, de nomine certum
Vingeuum(4) *ſcriptura vocat, nil tradidit vſus.*
Hæc tunc Guilhelmus *Ferrati Marchio montis*
525 *Mœnia ſeruabat, ſimul & Ticina*(5) *iuuentus.*
Præſidio ſubmiſſa loci: ſed fortior hoſtis(6)
Expugnata diu tandem munimina victor
Occupat, & captis multo vix obſide vitam
Indulgens, proprio componit fœdera nutu.
530 *Quæ tamen*(7) *ob leges, & formam pacis iniquam,*
Spreuit, & abiecto Ticinum pondere rupit.

(1) Innuit alteram Mediolanenſium rebellionem, quam pariter altera in eos expeditio Ænobarbica ſecuta eſt. Hanc quoque autor appendicis *annalium Vrſpergianorum* diligenter ſcripſit. (Sp.)

(2) Pflugius, *mortali*, i. e. lethali & mortifero ferro. (R.)

(3) Oppidum, quod familiæ, quæ inter Italicos Comites cenſetur, dedit nomen, ſunt beneficiarii Imperatoris. (Sp.)

(4) Auguſtana editio, *Vigeuum.* (R.) Hodie forte *Vigeuenum*, nouum & amœnum oppidum, ſeceſſus Ducum Mediolanenſium, ab eis & ædificiis & aquis introductis nobilitatus. Nec minus, vt *Volaterranus* refert, *Petro Candido*, *Nicolai* quinti Pontificis ab epiſtolis miniſtro, qui *Appianum* conuertit. (Sp.)

(5) Papienſis. (Sp.)

(6) Scilicet, Mediolanenſis. (Sp.)

(7) Ita *Pithœus* correxit. Legebatur, *tum.* Ex quo ego, *tunc*, faciebam. (R.) p. 109

Ergo vbi feſta ſuum cœperunt gaudia(1) *finem,*
Protinus Herbipoli procerum cum parte relicta
Norica caſtra(2) *petens, ibi Rex ad tempus agebat.*
535 *Hic, vt erant iuſſi legati Regis Achiuum*(3)
Notificant(4), *quorum ſeries, ni fallimur, hæc eſt.*
Occurrere viro, mandataque regia, Regi

Vxorem clara Regum de gente suorum
Spondebant, thalamosque nouos & fœdera pacis
540 *Perpetuæ, nexu solido firmare parabant.*
Huic quoque prædictæ restabat & altera caussæ.
Nam duce Boricio(5) *tumidorum rector Achiuum*(6),
Nuper ad Hungariam magnum direxerat agmen.
Cuius vt interiit bello pars magna cruento,
545 *Cum duce fusa suo, Scythica pereunte*(7) *sagitta,*
Viribus ipse suis vindictam sumere cladis
Inualidus, nostrum, quem nouerat omnia posse,
Orabat Regem, sæuis indicere bellum
Gentibus, vltoremque suis adsciscere factis
550 *Tentabat: sed cassa virum spes vtraque lusit.*
Nam meliora sibi thalami iam fœdera rector
Iunxerat; at(8) *bellum breue tempus, & altera belli*(9)
Fortius incumbens priuati(10) *cura vetabat.*

(1) Feriæ nuptiales, siue dies geniales. (Sp.)

Nuptiarum cum Beatrice. (R.)

(2) Norimbergam clarissimam etiamnum ciuitatum Germaniæ, a *Celte* nostro illustratam intellige. Nam hoc etiam nomine in priori quoque historia Pontifex *Frisingensis* signat, quod existimauit eam a Noricis populis nomen accepisse, quum limites illi suos eatenus, hoc est, vltra Danubium protulissent, remanente hodie nominis vestigio, quod Germanice *Nordgeu* dicitur. Quanquam sint, *Althamero* teste, qui a Nariscis nominatam velint. (Sp.)

(3) Græcorum. *Homerus* Græcos omnes *Achiuos* vocat, sicut & Danaos & Archiuos. (Sp.)

(4) Verbo hoc vsus & *Ouidius*. *Tranquillus* item *notum fecit*, pro significauit, in Augusto ponit. (Sp.)

Ea. R.

Versus suspectus. B.

(5) Gesta huius *Boricii*, qui se regiam apud Hungaros sobolem dicebat, scribit Hungarorum Historicus in *Bela* secundo, & *Geisa* item secundo. Meminit *Otho* Pontifex cap. penult. secundi libr. Ænobarb. hist. *Æmylius Veronens.* lib. de Gestis Francorum quinto, *Volaterranus* in Pannonia, & *Mich. Ritius* lib. de Reg. Hungar. 2. (Sp.)

(6) Notum vel ex *Cicerone*, quibus vitiis Græca natio, dum maxime floreret, obnoxia erat. (Sp.)

(7) L. Scythica *perimente* sagitta. B.

(8) Ita reposui, pro *Ad*. Sic supra vitiose legeb. *adque* pro, *atque*. (R.) p. 109

(9) Scilicet Polonici, de quo mox in sequent. 6 lib. principio. (Sp.)

(10) Id est, proprii, vt lib. 6 vers. 443. *Paulus* Festi decurtator: *priuata dicuntur, quæ vniuscuiusque sint.* *Cicero* quoque 3. de Finib. coniungit *priuata* ac *sua*: *verbis tamen* (inquit) *in dicendo quasi* priuatis *vtuntur ac* suis. Sic *Tertullianus*. Allusum autem h c puto ad sententiam Pindaricam: τὸ οἰκεῖον πιέζει. ἀπήμονα δ' ἀλλότριον μέλει. (R.) p. 109 seq.

Inde Radisbonam princeps & publica regni
555 *Cura vocat proceres, & rerum fama novarum.*
Hic inter Regis patruum, Regisque nepotem,
Hactenus occultam de pacis fœdere formam,
Nunc tandem vulgare parant, & ferre sub auras:
Quæ qualis fuerit rerum satis ordo docebit.
560 *Nam patruus Regis*(1), *per septem signa*(2) *Ducatum*(3)
Rite(4) *resignauit: quæ tradidit ille nepoti*(5).
E quibus ille duo patruo tradenda resignans,
Austrica iura viro pariter cessura reliquit.
Marchia tunc tellus erat hæc(6), *nunc vero Ducatus*(7).
565 *Namque volens prisci defendere nomen honoris*(8)
Rex patruo, cum tres Comitatus ille teneret,
His quasi compactis, & in vno corpore iunctis,
Consilio procerum(9), *celebrem dedit esse Ducatum*(10).
Neue secuturi factum subuertere Reges
570 *Aut reuocare queant*(11); *regali tuta sigillo*
Argumenta Duci, monimentaque certa reliquit(12).
Vtque(13) *bono pacis cunctas florente per vrbes*

Hæc

Hæc quoque regali frueretur munere tellus,
Vltima iuratam suscepit Norica pacem.

(1) *Henricus* senior Austriacus. (Sp.)
(2) Hoc est, *vexilla.* (Sp.)
* Vid. *Otho Frisingensis* lib. 2 cap. vlt.* Quemadmodum inuestitura seu traditio possessionis in feudis per symbola quædam fieri solet, vt supra dixi *lib. 1 v. 550*. *per vexillum, baculum, sceptrum, gladium* &c. Ita & resignatio seu deuestitura, quam *exfestucationem* vocant scriptores *Gunthero* σύγχρονοι. Sic *Otho* Fris. lib. 1 c. 8 de Gestis Friderici; *Conditio pacis fuit, vt Bertolfus Ducatum exfestucaret.* Idem Chron. c. 34; *Eugenius Papa cum Romanis hoc tempore pacem fecit, vt patriciatus dignitatem exfestucarent.* Plura vide apud *Hotomanum* de verbis Feud. *Resignare* autem (quod mireris) etiam *Horatius* sic vsurpat, pro *reddere*, vel a se dimittere, lib. 3. od. 29; *Si celeres quatit* (Fortuna) *pennas, resigno, quæ dedit.* Et 1 Ep. 7. *Hoc ego si compellar imagine, cuncta resigno.* Eodem significatu Feudistæ vtuntur verbo *refutare*: vt *refutare feudum*, pro reddere. Imo & *Sallustius* ita locutus traditur in fragm. Hist. a *Seruio* in 4. Georg. *Se Regibus deuouent, & post eos vitam refutant*, nisi forte verius sit, eum scripsisse, *reputant.* (R.) p. 110
(3) Scilicet, Baioariæ. (Sp.)
(4) Seruata regni cærimonia. (Sp.)
(5) *Henrico* iuniori. (Sp.)
(6) Austriam intellige. (Sp.)
(7) Austria primum Marchia seu Marchionatus fuit: post per Conradum Imp. primo, & mox per eius successorem Fridericum Ænobarb. in Ducatum commutata, tribus Comitatibus in vnum coniunctis. Hodie ad Archiducatum ascendit, & in paucis seculis Imperatorum Enneadem nobis protulit. Ex quibus ille, qui nunc rerum potitur,

Viuat io, vincatque pius, regnetque Rudolfus. (R.) p. 110

De origine, nominibus qualitateque harum dignitatum, diffusius tractant Iureconsulti, qui commentarios scripserunt in feudales libros. Vnde iis contenti, quæ in librum secundum retulimus, quia scholia scribimus, nihil addere voluimus. (Sp.)
(8) Quia frater eius *Leopoldus* primus tulerat nomen Ducis a *Chunrado* Cæs. August. vt lib. 1 indicauimus. Quod *Cranzius* non animaduertit. (Sp.)
(9) Nam quod plurium consilio & autoritate fit, maiori nititur roboris firmitate. (Sp.)
(10) Pro *constituit*, siue decreto concessit. Constat enim ex repetita constitutione diui Ænobarbi nostri, feuda dignitatum, & Principatuum regalium diuidi non posse, nisi ex speciali Principis priuilegio, vt lib. 8 latius explicabimus. Diuus autem Imperator Cæsar *Fridericus* secundus, nepos Ænobarbi, Ducatum Austriacum, tanti erat tunc splendoris, in regnum subuexit: quo tamen titulo posteritas abstinuit, præeminentiis, prærogatiuisque regalibus contenta. (Sp.)
(11) Grauis est quæstio in Polit. An Rex aut Imperator antecessoris sui acta rescindere aut retractare possit, an illis stare cogatur? Ad eam hic respicit. (R.) p. 110
(12) Conuertit illa nuper in nostram linguam *Auentinus*, adiecitque *Elencho rerum Baioaricarum*, quem edidit. (Sp.)
(13) Legebatur, *atque* etiam in Augustana editione. Sic supra, *Et* pro *Vt*. Pithœus retinet τὸ, *Atque*, & in vers. seq. inserit, *vt*: *regali vt frueretur munere.* Cui non adsentior. (R.) p. 110

575 (1) *Sic velut antiqui reuocato tempore secli,*
Aurea pacifico sub Rege (2) *reuixerat* (3) *ætas.*
Sed quantum placidæ firmata pace quietis (4)
Præstiterat nostro Regis præsentia regno,
Italicis tantum populis iniecerat absens
580 *Cladis: & astrictos laxauerat ante furores* (5).
(6) *Sic dum dimidium tenebris absentia solis*
Infuscat mundum, reliquo præsentia lucem
Fundit, & alterno partitur lumine cælum.

(1) Simile. (Sp.)
(2) Saturno. Notæ sunt quatuor illæ ætates, quas a metallis *Hesiodus* appellauit. *Aurea ætas* sub *Saturno* fuisse dicitur: *Quæ vindice nullo, sponte sua sine lege fidem rectumque colebat*, vt est apud *Ouidium*. *Prudentius* in Symmachum: *Hæc caussa est & origo mali, quod secla vetusto Hospite regnanti crudus stupor aurea finxit.* (Sp.)

Saturno, inquit *Spiegelius*. Credo quia aureæ ætatis hic fit mentio, quam Saturno Rege fuisse fabulantur Poetæ. Sed non est opus tam alte ascendere. Imo *pacificum Regem* dicit *Guntherus* Fridericum ipsum; ad cuius nomen alludit: quod in lingua vernacula notum est, tantundem valere, quantum apud Hebræos Salomonis. (R.) p. 110 seq.
(3) Pro, *reuixerat*, malim hic *reluxerat*. Sic *Ammianus Marcellinus* lib. 25 de temporibus Iuliani Imperatoris: *Æstimari poterat vetus illa iustitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit in cælum, eo imperante redisse rursus ad terras.* (R.) p. 111
(4) *Martialis* eleganter lib. 9 Epigr. *pacis amica quies.* (R.) p. 111
(5) Sic ordina. *Laxauerat furores ante adstrictos.* (R.) p. 111
(6) Aliud simile. (Sp.)

 ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI SEXTI.

Sextus in indomitos regalia signa Polonos
Excitat, Herbipolim repetit post prælia victor.
Plena dolis Graios spreuit(a) mandata ferentes.
Anglicus eximium mittit tentoria munus.
Chrysopoli positum(b) papalis epistola verbis,
Ambiguis suspecta mouet; mox Norica Princeps
Rura petit, patruosque suos in fœdera cogit
Prisca; Labeslaum Regem creat ex Duce primum.
Pace domi facta, Ligures inuadere bello
Approperat, reuocatque suas in castra cohortes.

(a) Malim, *spernit*: vt cum reliquis verbis in tempore conueniat. Omnia enim sunt præsentia. (R.)

(b) Scilicet, *Fridericum*. Nam quod vulgo hic legitur, *positis*, id vero tolerari non potest. Quo enim referetur verbum, *mouet*? Sic supra loquitur argum. lib. 2; *Cæsare Roncaliis posito*. Vult dicere; cum Imperator ibi loci ageret vel degeret. Latini vix ita loquuntur, ac potius res inanimes *poni* dicunt, quam homines, aut animalia cetera, quæ sese mouent. (R.)

LIBER VI

ERgo reformatæ post tempora plurima paci
Nobilis arridens læto Germania vultu,
Dulcia sepositis tractabat gaudia curis.
Mutatos sese, mutataque secula læti
5 *Credebant homines: cæli quoque blandior aura*
Spirabat, meliorque dabat sua munera tellus.
Non tamen in tanta Princeps ignaua quiete
Otia carpebat, credens hoc perdere(1) tempus,
Quo nihil adiectum(2) regni prouentibus esset:
10 *Quamque aliis dederat pacem sibi sponte negabat(3).*
Ergo nouam nactus tentandi fortia caussam,
Constituit seuis indicere bella Polonis.

(1) Sc. Ellipsi hac elegante sæpius *Guntherus* vtitur. (R.) p. 111

(2) Semper igitur illud *plus vltra*, quod Max. Imper. *Carolo V.* pro symbolo fuit, etiam *Fridericus* noster in animo habuit, quod est generosi spiritus indicium. Sic Titus illum se diem perdidisse putabat, quo neminem beneficio affecerat. (R.) p. 111

(3) Exemplo Catonis, quem aliis facilius, quam sibi ignouisse scribunt. *Plutarchus* in vita eius: συγγνώμην ἔφη διδόναι πᾶσι τοῖς ἁμαρτάνουσι πλὴν αὑτῷ. Ipse de sese apud *Sallustium* in coniurat. Catilin. Eleganter ad hanc rem *Symmachus* lib. 10 ep. 22; *Hoc est specimen animi continentis, sibi negare, quod aliis deferatur.* Idem eod. lib. ep. 25; *Magistratus bonus in alios sit temperatus; in se seuerus, sine contemptu facilis, sine terrore reuerendus.* (R.) p. 111 seq.

Hos, vt fama tenet(1), populos a cardine primo
Solis, & æstiuo Phœbeæ lampadis ortu,
15 *Vistula(2) præcingens torrentibus alligat vndis:*
At quæ fumantem mergi videt æquore Phœbum,
Hanc rapido cursu prælabitur Odera(3) partem:
Quod latus imbriferos telluris respicit Austros,
Rura Boemorum, siluis horrenda vetustis,
20 *Tangit, ab arctoa scythici maris(4) æstuat ora*
Fluctus, & indomiti sedem posuere Ruteni(5).
Hæc regio Sclauos complectitur(6), atque Polonos,
Et gentes alias(7), quarum nec barbara nobis
Nomina, nec rigidi(9) possunt notescere mores.

Nota

(1) Nota hanc χωρογραφίαν terræ Poloniæ, & morum eius gentis descriptionem. (R.) p. 112

Sequitur in describendo Poloniæ situ *Radeuicum*, qui Othonianæ historiæ de rebus Ænobarbicis hactenus deductæ, duos adiecit libros, ex quibus *Guntherus* suos reliquos quinque contexuit. (Sp.)

(2) Hoc flumen varie nominant autores: *Visulam, Instulam, Instillam, Istulam*. Historicus Polonorum tradit a veteribus nuncupatum *Vandalum*: ab eoque Polonos olim *Vandalos* esse dictos: oririque in montibus Sarmaticis, in ducatu Teschnensi: quod & *Iornandes* prodidit. *Celtes* noster ab Hercynio originem illi esse vult. Decurrit per medium Poloniæ, in Codanumque tribus ostiis egreditur: Polonice *Visla* vocatur, nostra lingua, *die VVisel*. (Sp.)

(3) Eundem qui *Suevus*, & *Gutallus* ab antiquis dictus est, quidam esse putant. Ptolemæo *Viadus*. Si Polonorum historiographo credimus: qui eum dicit oriri prope oppidum *Odri*, egredique quatuor ostiis in quendam lacum, vnde euolutus in Balthicum mare exeat. *Cranzius* Celti nostro subscribit. (Sp.)

(4) Septentrionalis: quod secundum diuersas nationes, quas attingit, varia asciscit sibi nomina. Nempe Germanicum, Sueuicum, Britannicum, Scythicum, Barbarum, Pomeranicum, Balthæum, Arctoum, Boreale, & Septentrionale, Glaciale, & Codonæum: vt in *Taciti* German. diligentissime annotauit *Althamerus*. Non probo lectionem *Irenici*, qui non semel citans hunc locum legit, *Suitici*. (Sp.)

(5) Olim *Roxolani*, & *Roxani*: quorum quidam *Albi* dicuntur, vicini Lituanis. *Moscomita* item appellati, ex nomine fluuii *Mosca*. Quidam *Rubri* nominantur. Orientaliores, ac Borysthenì propiores sunt. (Sp.)

(6) Ad originem, licet fabulosam, respicit, quam habuerunt, vt communis opinio est, a Dalmatis, qui in sequentibus temporibus Sclaui sunt nuncupati: quibus nunc dominantur partim Reges Hungariæ, partim Veneti. Sclauonicus tamen est sermo Polonis, *VVindisch sprach*, qui latissime patet. Nam vtuntur eo Bulgari, Ruteni magna gens, ex magna parte Lituani, Boemi, Morauì, Bossinenses, Poloni, Dalmatæ, Croatii, & Carni. Lege *Cranzii* proœmium in Vandalianam suam. Sclauorum originem *Procopius* prosequitur: qui scribit Iustinianum Imperatorem contra eos misisse exercitum Germanorum, qui multos ex eis interfecerint. (Sp.)

(7) Lituanos, Masauios, Podolianos. Constat enim Poloniam esse amplissimam, eamque in minorem & maiorem diuisam. (Sp.)

(8) Pro crudis & ferinis. Sed cum sint hodie Poloni cum vitæ sinceritate, tum morum candore mansuetiores, ipsos recte existimat *Vadianus* colonos e Germania profectos. (Sp.)

25 *Terra suo munita situ, vix hostibus vllis*
Armata tentanda manu: gens aspera cultu,
Terribilis facie, morum feritate timenda,
Horrendo violenta sono, truculenta, minaxque,
Prompta manu, rationis inops, adsueta rapinæ,
30 *Vix hominum se more gerens, horrore ferino*
Sæuior, impatiens legum, cupidissima cædis,
Mobilis, inconstans, acerrima, lubrica, fallax,
Nec dominis seruare fidem, nec amare propinquos
Sueta nec affectu pietatis docta moueri.
35 *Hæc partim natura dedit: partimque nocentes*(1)
Tabida pestiferæ faciunt contagia plebis.
Nam quæcumque iacet Scythico breuis insula Ponto,
Qui tenet hanc populus, nec terram vomere sulcat
Frigore perpetuo sterilem, nec squallida duro
40 *Rura ligone mouet, nec vitem copulat vlmo*(2),
Nec legit arboreos autumni munera fœtus:
Venatu tantum, crebrisque alimenta rapinis
Quærit & assiduis(3) *pirata senescit in vndis.*
(4) *At si quando famem penuria longa ciborum*
45 *Asperat, horrendum dictu, vix credere possum*
Ipse quidem, sed rumor habet, sua membra vicissim
Pestifero miseri morsu lacerare feruntur:
Nec genitor nato, nec fratri parcere frater
Nouit, & elixa recreatur(5) *filia matre.*

(1) Quia prope claudum habitantes claudicare discunt, vt est in vetere verbo. (R.) p. 112

(2) *Horatius* in Epod. elegantissime hoc dicit, *maritare*. (R.) p. 112

(3) Pro, *assiduo*, hypallage, quali & alias vtitur

vtitur, vt infra v. 75. Pirata, expono, tamquam pirata: vt apud *Horatium* Epod. *Nec excitatur classico miles truci.* (R.) p. 112

(4) Apud Tartaros extant hodie reliquiæ eiuscemodi cruditatis & feritatis. (Sp.)

(5) Id est, pascitur, alitur, cibatur. De hoc Lucretiano verbo dixi lib. 4 v. 75. Eodem & *Plautus* vtitur Menæch. Sc. 1. sed ita, vt significet, plus etiam esse *recreare* quam *alere.* Sic enim ait:

Nam illic homo homines non alit,
Verum educat recreatque.

Describit hoc loco *Guntherus* ἀνθρωποφαγίαν Scythicam seu Tartaricam, quæ ne a charissimis quidem abstinuit, vt a maternis carnibus. Credo, quod honestum duxerit, suis in proprio ventre conditorium struere. (R.) p. 112

50 *Non tamen inuictam terræ, populique ferocis*
Asperitas potuit Regis compescere mentem,
Quo minus ad certos secura mente labores
Tenderet, & iustam vindicta pasceret iram.
(1) *Hæc siquidem tellus, communi iure tenenda,*
55 *Funiculi sub sorte tribus*(2) *deuenerat*(3) *olim*
Fratribus, egregii generis: sed nomina nostris
Barbara(4) *legitime nequeunt accedere libris.*
Horum, qui reliquos ortu præcesserat, vnus
Dux erat, & nuptam(5) *cognatam Regis*(6) *habebat,*
60 *Nomine* Gertrudem(7), Leopoldo(8) *patre creatam.*
Cuius, ob inuidiam, fratres(9) *ceruice rebelli*
Abiecere iugum, pulsumque e sede paterna
Compulerunt(10) *tota profugum discedere terra.*
Ille sua pariter fugiens cum coniuge, Regem
65 Chunradum *petiit: scelerataque facta suorum*
Ærumnasque suas, ereptaque iura Ducatus
Affini, Regique suo deflebat(11): *at ille*
Imperiosa satis regni mandata, minasque
Misit, & ereptos reddi præcepit honores.
70 *Intumuere truces, nec regia iussa, nec acres*
Exaudire minas, nec iam parere iubenti
Curabant: missisque aliis, iterumque remissis
Spernebant tumidi, fraternaque iura(12) *tenebant.*
Sic Dux prædicto longum sub Principe frustra
75 *Fleuit, & assidua mansit vetus exul in aula.*(13)

(1) Refert causam belli Polonici. (Sp.)

(2) Scriptor Chronicorum Polonicorum cap. 16 lib. 3, quatuor fratres nominat. *Vladislaum* a patre monarcham testamento institutum: quod natu maior esset. *Boleslaum, Henricum, & Miecz laum.* *Radeuicus*, quem per omnia sequitur *Guntherus*, vt superius *Othonem* Pontificem, trium tantum meminit, *Vladislai* exacti, *Boleslai* item, & *Casimiri.* Quod & testatur *Otho* ipse in cap. vltimo septimi maioris historiæ. (Sp.)

(3) Si carminis lex passa fuisset, posuisset opinor, *obuenerat.* Hoc enim verbum ICtis in hac notione vsitatius est. Nec Iurisconsf. tantum, vt l. 130. lege obuenire. ff. de verb. signif. &c. sed & *Varroni* & *Ciceroni* & *Cornificio* aliisque, vt: *Si istiusmodi mihi fundus hereditate obuenerit.* *Varro* 1 de re rust. c. 12. vt, *hereditas ei obuenit.* Cornific. 4 ad Heren. vt, *obuenit hereditas: Philosophia homini non obuenit.* Cicero. Idem 4. Verrin. *Sorte prouincia Sicilia Verri obuenit.* Sic *Iudices alicui obuenire* dicuntur apud eundem pro Cluentio. Nam vt de prouinciis sortiebantur, ita & Iudices sortito eligebantur. Omnino igitur fortunæ quædam significatio in hoc *Obueniendi* verbo continetur. *Plautus* etiam simplici vsus est, Curculione, Scen. Flos veteris vini; *Mihi haud sæpe veniunt tales hereditates.* Ita enim ibi lego cum *Iano Gulielmio* & ex auctoritate Msc. Camerar. vbi *Lambinus* & vulgatæ editiones *Eueniunt.* Quod ait *Guntherus* funiculi sub sorte, ex sacris litteris sumpsit: in quibus dimensio agrorum & diuisio funiculis fit. vid. Deuteron. c. 32, & Psalm. 16, 77, & 104. (R.) p. 112 seq.

(4) Polonorum horrida, &, vt *Plautus* vocat, *latrantia nomina* non ingrediuntur metrum Latinum. Sic supra *de Franconefurt & Magdeburg*, Germanicarum ciuitatum nominibus similiter dicebat. Facit huc elegans locus in Panegyrico *Nazarii*: *Quid memorem Bructeros, quid Chamanos, quid Cheruscos* (vulgo non recte *Clamosos, Eruscos*: Vnde B. *Rhenanus Etruscos* facere voluit) *Vangionas, Alamanos, Tubantes? Bellicum strepunt nomina, & immanitas barbariæ in ipsis vocabulis adhibet horrorem.* Sed & in *Nazarii* illo, & aliorum Panegyricis iam olim plura emendauimus in Exercitationib. ad *Ausonium.* (R.) p. 113

(5) L. *nuptum* habebat. (B.)

(6) Neptem *Chunradi* Aug. ex fratre yterino,

rino, cui ducatum Bauariæ, vt in primo libro diximus, tradiderat. (Sp.)

(7) Idem ſcriptor *Chriſtinam* Imp. *Henrici* eius nominis quarti filiam, huius *Vladislai* fuiſſe coniugem tradit. In quo inſigniter lapſus eſſe videtur, quod *Henrico* illi, qui apud nos quinto loco habetur, nulla, inquam, ſoboles fuerit. Nec ratio temporum patitur, vt id *Henrico* tertio, qui quartus nobis eſt, demus. (Sp.)

(8) Auſtriæ Marcgrauio. (Sp.)

(9) Sic recte editio *Pernæ* cum vulgo legatur, *inſidiam*: quod nuſquam lectum eſt pro *perfidia*, niſi in veteri Gloſſario. (R.) p. 113

(10) Sic reſtitue, pro *compulerant*. Præceſſit enim abiecere: cui certe reſpondere debet, *compulerunt*, non *compulerant*. Eſt autem vſitatiſſima hæc ſyſtole *Lucretio*, *Virgilio*, aliiſque optimæ notæ Poëtis: vt *dididerunt*: *ſteterunt* &c. Sic *Varro* περὶ μέθης apud *Nonium*: *Hoc ægritudinem ad medendum inuenerunt.* Loquitur de vino. Præceſſit enim hic verſus: *Vino nihil iucundius quicquam cluit.* Vbi ſine cauſſa mihi quidem videtur *Giphanius* noſter mutare *Vino* in *Oino*. Nam ſi ita ſcripſiſſet *Varro*, certe debebat poſtea ſubinferre *Hunc*, non *Hoc*. Sic *Tibullus* lib. 2 Eleg. 3; *nec cithara, intonſæ profuerunt coma.* (R.) p. 113

(11) Id eſt, flens commemorabat: vel exponebat. Sic & alibi Guntherus *deflendi* & *dequerendi* verba vſurpat. (R.) p. 113

(12) Malim, *rura*. Cum enim iura ſint res incorporales apud ICtos, teneri aut tangi non poſſunt. (R.) p. 113

(13) Ita per hypallagen dictum, vt paulo ante v. 43, *aſſiduis in vndis*, pro *aſſiduo manſit*, niſi fortaſſe ita hic etiam legendum quis putet, vel niſi forte pro *diuiti* poſitum eſt, vt in 12 tabulis *aſſiduus ciuis*. (R.) p. 113

Aſt vbi felici Fridericus *regia geſſit*
Sceptra manu, patruique(1) *loco ſuſcepit agendum,*
Quidquid inexpletum, dubiumve reliquerat ille,
Sæpius admoniti, nec tunc quoque rapta iubentem
80 *Reddere germano, timuerunt ſpernere Regem,*
Nec iurare fidem, nec priſco more tributa
Annua(2), *quingentas curabant pendere marcas,*
Omine non fauſto: nam poſtquam ſæpe repulſa
Infremuit iuſta patientia nobilis ira(3),
85 *Agmina confeſtim rapiens per iniqua viarum,*
Difficileſque locos, & quos præſtruxerat hoſtis
Obicibus(4) *vaſtis aditus peruenit aduſque,*
Odera Germanos qua ſeparat, atque Polonos(5).
Hanc neque Chunradus, *neque Regum tempore priſco*
90 *Diſtantem ripis, tumidamque rapacibus vndis*
Armata tranſire manu tentauerat vllus.
At Rex inuictum(6) (*quod ſuſcepiſſet agendum*)
Nil patiens: ipſam, quæ cunctis imperat (*acri*
Ingenio feruens) *naturam vincere tentat*(7).
95 *Protinus innumeras ſociis contexere puppes*
Imperat: vt rapidum toto ſimul agmine flumen
Exuperet, pariterque viros tranſmittat, equoſque.

(1) *Conradi* Imperatoris de quo ſupra lib. 1. (R.)

(2) Nota ex hoc loco, Polonorum Regem antiquitus Imperatori Rom. fuiſſe obnoxium, adeoque & fidelitatem ei iurare vaſalli in morem, & annuum tributum quingentarum marcarum pendere ſolitum. (R.) p. 113

Polonos olim fuiſſe tributarios Rom. principi, qui idem Germanorum rex, conſtanter referunt annales noſtri, & latius proſequitur *Munſterus*. (Sp.)

(3) Alludit ad ſententiam P. Mimi. *Furor fit læſa ſæpius patientia.* Ἔνεστι γὰρ καὶ μυίᾳ σπλήν. (R.) p. 114

(4) Vulgo, *obiicibus*. Porro ita diſting. ſequentia, *aditus peruenit ad vſque, Odera Germanos qua ſeparat atque Polonos*, vulgo, *quæ ſeparat*, male. Sed Auguſtana editio quoque recte legit, *qua*. Nota hic, *Guntherum* Poloniæ & Germaniæ limitem conſtituere Oderam, ſeu Viadrum. Sic eleganter *Phil. Melanchthon* Germaniæ terminos ponit hoc epigrammate:

> *Rhenus ab occaſu, Viadri ſed flumen ab ortu,*
> *Clauſerunt fines, Teutona terra, tuos.*
> *Aeriaque Alpes immotum limes ad auſtrum.*
> *Balthicus ad Boream terminat Oceanus.* (R.) p. 114

(5) Ob hoc carmen male audit poeta ab *Irenico*: quod ſuos Germaniæ limites præſcindere videatur. (Sp.)

(6) Aliquando hic reſcripſi, *infectum*, pro eo, quod vulgo erat, *inuictam*: & in editione Pernæ *inuictum*: Nihilque verius putabam, quam *infectum*. Sed nunc tali mutatione nihil opus eſſe video. Ait enim, *Fridericum* nihil reliquiſſe invictum, adeo quidem, vt naturam ipſam vincere tentaret.

Confer huc, quæ supra annotaui ad lib. 4. v. 284. (R.) p. 114

(7) Ἡ φύσις πανδαμάτωρ καὶ παμβασίλεια. Alludit ad sententiam *Eueni*, vt puto.

Ἐκ μελέτης πλεῖον ἢ κ' φύσεως ἀγαθοί.

Et alterius: μελέτη πάντα δύναται. Peccabat hic distinctio, quam correximus. (R.) p. 114

Obstupuere rei, postquam sua rura tenere,
Et ripam cunctis intactam Regibus ante
100 *Conspexere virum, vexillaque regia campis*
Irradiare suis: pauidique fugacia turpi
Terga dedere fugæ: quamuis ea castra Polonos,
Pomerios(1), Bruscos(2), Parthos(3), simul atque Rutenos(4),
Atque truces populos Scythiæ totius(5) haberent,
105 *Neue secuturis optata cibaria tellus,*
Præsidiumve ferat, villas, atque oppida tuta,
Castraque per longos vix expugnanda labores
Exurunt(6) flammis, spoliataque rura relinquunt.
Nec minus a tergo quæcumque illæsa manebant,
110 *Vastabat Princeps(7): his qui sibi mente feroci*
Parcere noluerant, indignum parcere ducens(8).

(1) Vbi Polonia finem facit, peruenitur ad amplissimam Sclauorum prouinciam, eorum qui antiquitus *Vandali*, nunc autem *VVini*, seu *VVinuli* appellantur: horum primi sunt *Pomerani*: quorum sedes protenditur vsque ad Oderam, ditissimum amnem Sclauicæ regionis: qui oritur in profundissimo saltu Morauorum, qui sunt ab oriente Boemiæ: vbi & Albis sortitur principium: nec longis inuicem distant spatiis, sed diuerso currunt meatu. Albis enim in occasum ruens, primo impetu Boemos alluit cum Sorabis, medio cursu Sclauos dirimit a Saxonibus: nouissime Hamburgensem prouinciam diuidens a Bremensi, victor Oceanum ingreditur Britannicum. Odera autem vergens in Boream, transit per medios Winulorum populos, diuidens Pomeranos a Wilsis. Hæc *Cranzius* cap. 19 secundi rerum Vandalicarum. (Sp.)

(2) L. *Prussos.* (B.)

Nunc Prussos, Pruthenos, & Borussos appellant: quorum prouinciam milites Teutonici sanctæ Mariæ occupauerunt, pulsis infidelibus. Describitur a *Cranzio* eleganter cap. 7 lib. 6 Vandaliæ. Hanc hodie tenet *Albertus* Marchio Brandenburgens. Borussiæ antiquitates *Eras. Stella* scripsit, rerum meminerunt *Syluius*, *Volaterranus*, & noster *Cranzius.* (Sp.)

(3) Parthi Scythico sermone exules dicuntur, autore *Iustino*: qui scribit ab exulibus Scytharum Parthorum imperium deductum. Tartaros autem signat. (Sp.)

(4) Qui & Russiani & Russi, *die Reussen.* Situm, mores item gentis, eorundemque stemma Principum, refert *Sabellicus.* Origo gentis est Vandalica, vt adserit *Cranzius.* Varias hominum sectas regio tenet. Nam sunt ibi Christiani, Armeni, Iudæi & Græci. (Sp.)

(5) Scythia duplex est, & Scythæ bipertiti: alteri Europæi, de quibus hic mentio fit: alteri Asiatici. (Sp.)

(6) Poloni. (Sp.)

(7) Cæsar *Fridericus.* (Sp.)

(8) Qui sibi ipsi non pepercit, ei parcendum non est: Is indignus est, cui parcatur. Similis est sententia ICti *Marciani* in l. vlt. §. sic autem. ff. de bon. eorum qui ante sentent. & *Vlpiani* in l. 23. cum autem §. excipitur. ff. de ædil. ed. *Qui sibi non pepercit, multo minus alii parcet.* Ex quo hos aliquando versiculos fecimus.

Cui nam hominum parcat, sibi qui non ipse pepercit?
Qui malus est in se, cui queat esse bonus? (R.) p. 114

Tum demum tumidis e fratribus alter, iniqua
Qui profugi fratris(1) sedem ditione tenebat,
Vt videt interitum tandem certumque, grauemque
115 *Aduenisse suis irato Principe rebus,*
Clamque palamque suos mittens, iterumque remittens,
Sæpius accitos affatu supplice cœpit
Compellare patres, & deditionis apertæ
Principis arbitrio legem, veniamque pacisci.
120 *Quam miser hoc pacto(2) tandem tulit, vt duo Regi*
Millia marcarum, bis centum vero ministris
Penderet argenti, marcas bis mille probati,
Mille alias proceres studiorum præmia ferrent,

Bis

Bis centum sacræ daret officialibus aulæ:
125 *At tibi, quæ(3) rutilo fulgebas digna metallo(4),*
Corporis ad cultum, generosi germinis aurum,
Viginti magnas daret, vxor regia, marcas,
Iuraretque fidem Regi dignumque fauorem,
Nec se de solio fratrem pepulisse paterno
130 *Dedecus ob regni(5) iurando iure probaret(6):*
Denique virgineam se præsentaret in vrbem(7),
Staturus fratri summo sub iudice regni,
Signaque trans alpes deuotus regia miles
Præuaricatricem Ligurum sequeretur ad vrbem.
135 *Hæc vbi iurando firmauit, & obside multo,*
Rursus ad obscœnos mores, vitiumque(8) recurrens(9).
Rupit, & Æoliis dedit irrita ferre procellis(10).
Nam neque castra sequi voluit, neque venit ad illam
Quam Rex fraternæ liti condixerat vrbem(11).

(1) Exulis *Vladislai*. (Sp.)

(2) Easdem refert pacis conditiones *Radeuicus* cap. 5 tertii rerum Ænobarbicarum. (Sp.)

Obseruandæ conditiones, quibus venia a *Friderico* data Polono, & is in deditionem acceptus. (R.) p. 115

(3) Vulgo & in Augustana editione quoque legebatur, *qui*. Sed *Perna* recte, *quæ*: quomodo & ego antea restitueram. Quæ, scil. vxor regia, quod sequitur infra v. 127. significatur Augusta *Beatrix*. (R.) p. 115

(4) Auro. (Sp.)

(5) Imperii Romani. (Sp.)

(6) De iniuria iureiurando se purgandi mos vetustissimus est, cuius etiam apud *Plautum* & *Terentium* fit mentio. Ad eum morem *Guntherus* hic respicit. Notum est illud in Amphitr. *Exiurasti, te mihi dixisse per iocum.* Item illud ex Adelphis, Sc. obsecro populares: *Tu quod te posterius purges, hanc iniuriam mihi nolle factam esse, &c.* Mox, *Nollem factum: Iusiurandum dabitur, te esse indignum iniuria hac.* (R.) p. 115

(7) Magdeburgum. (Sp.)

Sisteret se iuri Magdeburgi in vrbe Saxoniæ celeberrima. Contrario verbo *absentare* vtitur *Claudianus* de raptu Proserpinæ. (R.) p. 115

(8) Perfidiam. (Sp.)

(9) Vt canis ad vomitum, vt sus lota ad volutabrum cœni reuertitur: quemadmodum parœmiæ etiam sacris scriptoribus frequentatæ habent. De pleonasmo bonis auctoribus vsitato, *rursus recurrens*, alias dixi. (R.) p. 115

(10) *Dare ventis, loqui in ventos*, vel *a procellis discerpi ac diripi*, formulæ sunt loquendi, quibus plurimi auctores de vanis & inanibus promissis, votis, verbis, admonitionibus, minis ac præceptis vsi sunt, & miris quidem modis variantes. Succurrunt nunc isti: *Callimachus, Lucretius, Catullus, Tibullus & Propertius.*

Irrita ventosæ linquens promissa procellæ.

Et: *Quæ cuncta aerii discerpunt irrita venti.* *Catullus* Argonaut. *Tibullus* 1. eleg. 4. *Veneris periuria venti Irrita per terras & freta summa ferunt.* Et eleg. seq. *Quæ nunc Caurusque Notusque Iactat odoratos vota per Armenios.* Idem lib. 3 eleg. 6; *Venti temeraria vota, Aeria & nubes diripienda ferant.* Et mox seq. eleg.

Nulla fides inerit: periuria ridet amantum
Iuppiter, & ventos irrita ferre iubet,

Propertius Eleg. 7 lib. 4;

Fœderis heu taciti cuius fallacia verba
Non audituri diripuere noti.

Idem lib. 2:

Hæc videam rapidas in vanum ferre procellas,

Et eodem libro;

Quicquid iurarunt, ventus & vnda rapit.

Et lib. 1,

At mea nocturno verba cadunt Zephyro.

Lucretius lib. 4;

Tu fac, ne ventis verba profundam.

Ouidius 5 Fastor.

Abstulerint celeres improba verba noti.

Callimachus Epigr. 10; ὅτι κωφαῖς ἄλγεα μαὶψ ἀνέμοις ἔσχατον ἐξερύη. Huc pertinet prouerbium: εἰς ἀέρα λαλεῖν, Et illud Catullianum: *Mulier cupido quod dicit amanti, In vento & rapida scribere oportet aqua.* Vbi tamen vir doctus tentat legendum, *in vino*, nimis acerbe ob id reprehensus a *Iano Dousa* filio ad eum Catulli versum. (R.) p. 115 seq.

(11) I. e. nominarat, denuntiarat. Nihil enim aliud est condictio, quam eius rei, quæ agitur, denunciatio, vt ait *Festus*, & explicatur a ICtis ad §. appellamus. Inst. de action. Vetus Glossarium; παραγγελία. *Denuntiatio, Condictio, Interdictum. Condicere* est *Denunciare*, prisce. Nunc vero *Condictionem* omnem in personam actionem dicimus. Sic & infra loquitur v. 398. Ceterum, fraternas lites omnium grauissimas esse, notum vel de sententia Euripidis, & de prouerbio, quod inde natum. (R.) p. 116

140 *Victor ad Herbipolis famosæ mœnia Princeps*
Signa refert: ibi tunc alios rectoris Achiui
Legatos Graiæ portantes munera pompæ,
Verbaque mandatis satis ampullosa(1) *superbis*
Occurrisse ferunt: quos, vt ventosa loquentes,
145 *Iactantesque sui nimium magnalia*(2) *Regis:*
Vrbano sermone diu gestire, benignus
Rector inoffensa patienter pertulit aure,
Spreuit, & irrisos probris(3) *fortasse lacessi*
Dissimulans fineret, ni se peccasse fatentes
150 *Elati stultique viri*(4), *generosa potentis*
Fletibus & gemitu mouissent pectora Regis,
Iurassentque simul, nunquam se talia regnis
Ferre suis, Graiasque domi suspendere nugas,
Verbaque cum patriis phalerata relinquere tectis,
155 *Si quando nostram casus reuocasset ad vrbem*(5).

(1) Notus est *Horatii* versus in Arte:
Proiicit ampullas & sesquipedalia verba.
Quæ *Aristophani* sunt μυϱιαμφοϱα. *Seneca* vocat *magnifica verba*: qualia qui profert, a Græcis κομποσφακελοϱϱήμων dicitur, κομπεῖν δ᾽ ἐς ἀτελῆ σὺν ψεύδεσιν αἰσχρὸν ὄνειδος, secundum *Sophoclis* sapientissimum versum: cuius hic est sensus: *Irrita probrum est turpe nimis iactantia mendax.* Videtur autem terminatio ista verbi a *Gunthero* primum nouata esse. Nam apud alios tantum *ampullaceus* & *ampullarius* reperi. *Horatius* etiam verbo *ampullari* vtitur. De particulæ (*satis*) varia significatione vid.inf.lib.9 v.309. (R.) p. 116

(2) Ecclesiastici scriptores hoc vocabulo nondum latina ciuitate donato, signant ingentia facta, & admiratione digna. *Erasmus* vertit apud Lucam cap. 2 Actorum, pro magnalia, *magnifica*. (Sp.)

(3) Lege cap. 6 lib. iam citati, quo locum hunc planius intelligas. (Sp.)

(4) Plerumque cum superbia coniuncta esse solet stultitia. Quam in sententiam præclare alicubi in Commentar. Epist. Pauli disserit *Chrysostomus*. Ex quo scite Germani nostri eo verbo ad denotandam superbiam vtuntur, quo Latini ad stoliditatem: *Stolt*. (R.) p. 117

(5) L. ad *nostram vrbem*. (B.)

Sic tandem tuti, vix tota mente recepta,
A summo petiere viro: nec tarda voluntas
Affuit, vt Princeps puerum præsentibus illis
Accingi gladio(1) Fridericum(2) *rite*(3) *iuberet.*
160 *Hæc amitam pueri, consortem Regis* Irenen(4)
Argolici, mandasse, ac sæpe rogasse ferebant,
Astipulante viro, propter consortia magni,
Quo pueri patrem fuerat complexus, amoris:
Donaque larga quidem tam nunc, quam sæpius ante
165 *Miserat, egregii puero Regina decoris,*
Mandatumque viris dederat: non ante reuerti,
Qum Dominæ possent ea gaudia visa referre.

(1) Solennitas ista in Equestri ordine hodieque seruatur, ex antiquissimo Germanorum instituto: de quo sic scribit *Tacitus*: *Sed arma sumere non ante cuiquam moris, quam ciuitas suffecturum probauerit. Tum in ipso concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, scuto frameaque iuuenem ornant: hæc apud illos toga, hic primus iuuentæ honos: ante hoc domus pars videntur; mox Reipublicæ.* Vocamus hunc ritum: *Einen vvehrhafft machen*; cui alapa quoque accedit. * Siue colaphus, vt in priuilegiis, quæ *Henricus II.* siue *Sanctus* dedit amplissima Zvviccauiensibus. Concedit enim eius ciuitatis Consulibus, vt cum cuipiam huiusmodi militiæ insignia & ornamenta tradere velint, tradant per cingulum, ensem, & clypeum, colapho cum ense dato, vt solitum est. Qui taliter insignitus ab vno Proconf. vel ambobus, his ornamentis per totum Imperium libere vtatur. Sic habent eius priuilegii verba*. Non abludunt hinc veterum Romanorum *rhapismata* quæ in manumissionibus & emancipationibus visitata erant: Quorum non modo *Iustinianus* meminit l. vlt. C. de emancip.lib. & Nouel. 81. sed & * *Basilius M.* ἅγιον βάπτισμα ῥάπισμα vocat τὴν τελευταίαν τῶν δούλων πληγὴν, quam eos accipere ait ὑπὲρ τῆς μετὰ ταῦτα τῶν δεσμῶν ἀπαλλαγῆς. Et * *Macarius* homil. 44, ῥαπίσας ὡς δοῦλον ἠλευθέρωσεν. * Hinc & *Phædrus* in fabulis; *Multo maioris alapæ mecum veneunt.* I. e. non tam facile manumitto seruos, pluribus officiis & maioribus oportet illos libertatem quasi

redimere

redimere a me, ac promereri. Sic & pueros Christianorum antiquitus confirmare solent Suffraganei Ep. datis alapis. Vid. *Ioan. Steph. Durandus* lib. 1 *de ritibus ecclesiæ Catholicæ* cap. 20 n. 19*. Quem locum adde his ad ea, quæ *Gothofredus* annotauit ad d. Nou. 81. Nam vt dixi, alapa etiam hodie in illo quasi manumissionis seu emancipationis equestris ritu interuenit. (R.) p. 117

Nam id summo honoris loco apud veteres habebatur. (Sp.)

(2) Sueuiæ Ducem adolescentem, filium *Chunradi* Aug. (Sp.)

(3) Cærimonia solenni. (Sp.)

(4) Augustana editio, *Herenam*. Fuit autem inter Græcas feminas vsitatissimum *Irenes* nomen: de quo extat frigidus & ineptus, ne dicam impius iocus in Sacerdotem, cui hoc nomine vxor cum esset, tamen in Ecclesiæ λειτουργίᾳ proclamabat: Εἰρήνη πᾶσιν. Quasi qui omnibus vulgo prostituere vxorem vellet. (R.) p. 117

Eodem nomine fuit mater *Constantini*, quæ rerum Byzantii potiens, excæcato filio, publicum bonum priuatæ charitati prætulit. (Sp.)

Nec minus Henrici(1), *sub quo tunc diues agebat*
Anglia(2), *contigerat legatos Regis adesse.*
170 *Hi quoque compositis*(3) *mandata loquacia verbis,*
Et pretiosa suæ portabant munera terræ.
Quorum præcipuum miro spectanda decore
Scena(4) *fuit, cui nec similem videre priores,*
Nec reor vlterius series ventura videbit.
175 *Materiam quæris? peregrino stamine texta*
Creditur: artis opus? miras habuisse figuras:
Pondus(5)? *humo tolli manibus, nisuue nequibat,*
Arte leuabatur, spatiosaque iugera campi,
Multorumque capax hominum, plus quinque tenebat.
180 *Hæc igitur tanto radiantia dona decore*
Regia mellifluis(6) *ornauit epistola verbis:*

(1) Eius nominis secundi. Vir maximus fuit, vt qui Scotiam, Iberniam, Insulas Orcadas, Normandiam, Aquitaniam, Cenomanos, Pictauos, Vasconiamque suo adiecerit imperio: quam gloriam scelerata deinde cæde diui *Thomæ* Præsulis Cantuariensis obscurauit. Lege *Volaterranum* & *Æmilium Veronensem*. (Sp.)

(2) Quibus ea rebus abundet, Beda inde oriundus docet cap. primo lib. primi eius operis, quod historia gentis Anglorum inscriptum est. Angli veterum Sueuorum gens, quorum loca hodie tenent Saxones Britanniæ, quæ & Albion dicebatur, expulsis a se incolis, Angliæ nomen indidere. (Sp.)

(3) Caue hic accipias pro fallacibus & fictis: vt alias apud veterem Poetam: *Composita dicta pectore euoluunt suo*: Sed pro ornatis & ex arte dicendi collocatis. Sic *lexeis lepide compostæ* apud *Lucilium*. (R.) p. 117

(4) Græci *scenam* tabernaculum & tentorium nuncupant: pro quo hic accipiendum est, vt ex *Rudeuico* patet. Vnde *Scenopegia* Græcis vox composita, dicta est a figendis tabernaculis: quorum mentio est in sacris Hebræorum monimentis. Nostri perperam scribunt *Scenophegia*, quod apud Græcos respuat dictio aspirationem, teste *Erasmo* nostro. (Sp.)

(5) Sic locum hunc distinguendum aio: vt sit triplex interrogatio, & ad singulas accommodatæ sua subiectio: De materia, de arte seu manupretio, & de pondere seu mole ac magnitudine. Sensus est: *Artis opus?* scilicet, quæris? Et, *Pondus?* scilicet: Quæris? ἀπὸ κοινοῦ. Præcessit enim: *Materiam quæris?* Nequibat tolli, scilicet ea scena. (R.) p. 117

(6) Ex *Terentio* sumptum, qui sic Eunucho Sc. Fac ita: *Munus nostrum ornato verbis, quod poteris.* *Cicero* 2. de offic. dicit, *verbis suum munus augere*. Vt autem hic *verba mellisflua*, sic lib. 10. *Os mellifluum* dixit, & lib. 2 v. 342. *vocem mellifluam*. (R.) p. 118

(1)*Anglicus Augusto Rex gaudia*(2) *vera Monarchæ*
Optat, & æternæ felicia gaudia vitæ.
Sit tibi vera salus, Rex optime, semper ab illo,
185 *Qui bonitate sua dat Regibus esse salutem*(3),
Inspiretque tua bona cælitus omnia cordi,
Cuius clausa manu(4) *Regum pia corda feruntur*(5).
Gratulor, & nostris merito congaudeo(6) *regnis,*
Cum tu cunctorum, quos cernunt sidera Regum
190 *Maximus, & toto nulli cessurus in orbe,*
Fœdera nostra tamen, regnique minoris amico
Affectu, non spernis opes: missisque frequenter

Muneribus, sceptrisque potens nos rector honoras.
Munera grata quidem, sed longe gratior illa,
195 *Quæ facit, vt nobis sint munera grata, voluntas*(7),
Quæ sese nobis de tanto culmine rerum
Inclinat, nostræque petit consortia pacis.
Atque ideo quidquid nostris promittere regnis,
Aut fecisse licet, deuota mente volentes
200 *Spondemus, cupideque tuo sacramus honori.*
Sit precor in populis pax, & concordia nostris,
Vnus amor, sincera fides, commercia tuta:
Obsequiis nostris, studiisque fidelibus opto
Vti sæpe iuuet, raro contingat egere
205 *Auxilii*(8), *quoties aut res, aut tempus egebit,*
Viribus alternis suffragia grata feramus.
Sic tamen: hic vt tu, qui me cunctosque per orbem
Præcellis Reges, ius arbitriumque iubendi,
Vt decet, obtineas, mihi sit parere necesse(9).
210 *Tamque tibi placeat nobis facienda iubere,*
Quam nobis fecisse placet: nec fœnora blandi
Quærimus obsequii, nec paruis magna latenter
Præmia captamus(10), *summo sit gratia Regi*(11).
Incolumes seruamus opes, nullius egemus:
215 *Regna vigent, fortuna fauet, multisque timemur*
Gentibus & populis, Aquitanica me Duce tellus(12)
Vtitur, Andegauis(13) *Comitem vocat, Anglia Regem.*
Non contra Reges alios inopinaque bella
Imploramus opem, tranquilla pace fruentes:
220 *Pace tamen media fidos optamus amicos*(14),
De quibus vt nobis liceat sperare: quis autem
Vtilior, maiorve mihi contingat amicus,
Quam tu, quem toti Romana potentia mundo
Imposuit dominum, quem totus suspicit orbis?
225 *Munera parua tibi, sed quæ placitura putaui,*
Mittere cura fuit: tu suscipe mente benigna
Quæ ferimus, missamque tuis hanc vsibus, opto,
Semper habe scenam, quæ te, Dux maxime, velis
Protegat expansis, qui totum protegis orbem.

(1) Exemplar huius epistolæ extat apud eundem *Radenicum*. (Sp.)

(2) Non debeo dissimulare, quod Augustæ impressum reperi, *grandia*: quamquam id postea ab editore *C. Pentingero* mutatum. Imo ego *grandia* verissimum puto. Optat enim Rex Anglorum *Friderico* gaudia tribus insignita conditionibus, quæ scil. sint, *grandia*, sint *vera*, sint *felicia*, &c. At vulg. lectio inepta est, dum gaudia bis repetit. Exprimit autem solemne principium epistolicum χαίρειν: quod ait: *Horatius*: *Celso gaudere & bene rem gerere.* (R.) p. 118

(3) Sumptum ex carmine regii prophetæ, quo prædicat Deum, quod se omnibus periculis & infestatione hostili liberatum in Regem exaltasset, ac regnum suum omnimoda felicitate florere. (Sp.)

Recte hoc animaduertit *Spiegelius* sumptum esse ex Psalmo 144. Quem locum sic feliciter expressit CL. V. & Poeta ac IC. præstans *Scip. Gentilis* in sua paraphrasi:

Te, regum tutela, canam, magnisque venire
Regibus auxilio solitum, &c. (R.) p. 118

(4) Iuxta illud Solomonis: *Cor Regis in manu Dei est, sicut flumina aquarum: quorsum volet, inclinabit.* Quod piorum quidam sic existimat simplicissime accipi posse, quod Deus gubernat Regum mentes, & cum fauet, dat felicia consilia, & custodit regna; cum succenset, sinit errare ac labi, vt incidant in magnas calamitates. *Erasmus* in Conuiuio religioso tractat, & excutit hunc Scripturæ locum exactius. (Sp.)

(5) Possumus accipere vel pro, *dicuntur* seu *perhibentur*: vel pro, *aguntur*, seu *ducuntur*. (R.) p. 118

(6) συγχαίρω: cui contrarium verbum *condoleo* alibi vsurpat *Guntherus*. (R.) p. 118

(7) Exprimit vetus illud: ξενίων, vel χαρίτων δὲ γε θυμὸς ἄριστος. *Symmachus* lib. 6 ep. 80; *Non potest exigua videri oblatio, si magis animi dantis amici, quam sui pretii æstimatione pendatur.* Vide similia apud *Senecam* in lib. de Beneficiis. (R.) p. 118

(8) Huiusmodi votum fere etiam apud *Q. Serenum Sammonicum* in carmine de re medica olim legere memini. (R.) p. 118

Imitatio

(9) Imitatio Virgiliana ex 1 Æneid. *mihi iussa capessere fas est, &c.* (R.) p. 118

(10) Id est: dona mea non sunt hamata, neque captatoria: sicut vulgo dicitur, quod munera hamos imitentur. Talia *Martialis* eleganter & salse perstringit.

Munera magna quidem misit: sed misit in hamo.
Et piscatorem piscis amare potest?

Huc adde, quæ *de captatoria institutione* ICti disputant. (R.) p. 119

(11) Deûm *virtute*, vt *Plautus* loqui solet, & eius imitator Symmachus *Deûm beneficio.* (R.) p. 119

(12) *Guennam* hanc Galli hodie nuncupant: ad quos etiam tandem rediit, post varias contentiones *Caroli* VII auspiciis. (Sp.)

(13) Et ob hanc quoque vrbem, quam ab Anglo penitus excisam *Philippus* Rex, cognomento *Augustus*, restituit, ingentem olim inter Gallos & Anglos contentionem intercessisse ex *Gaguino* & *Æmilio Veronensi* cognosces. Causam eius attingit poeta lib. 9. (Sp.)

(14) Tanquam scilicet firmissima regni prælidia & opes, vt Alexander Magnus dicebat, teste *Ammiano Marcellino.* Nam *non exercitus* neque *thesauri præsidia regni sunt, verum amici*, vt Micipsa Rex ad Iugurth. *Sallust.* Similem vide Sententiam *Marci* Imp. apud *Herodianum.* (R.) p. 119

230 *Nondum festinus mandata recentia lector*
Prompserat, atque(1) *alii regalia tecta subibant,*
Quos Rex Hispanus(2), *quos Gallia miserat*(3), *aut quos*
Dacus(4), *& Hungaricis*(5) *Pannon*(6) *qui præsidet aruis,*
Quos alii proceres, magnum qui sparsa per orbem
235 *Regna tenent, aliisque procul dominantur in oris.*
Istam quippe domum, nunquam sine plebe frequenti
Omnibus e terris, & ab omni gente profecta
Inuenies: vt(7) *cum linguas, moresque locorum,*
Et quidquid toto rarum(8) *contingit in orbe*
240 *Agnouisse velit, nusquam perfectius*(9) *illa*
Edidicisse queat: sic plurima tunc quoque turba
Hic aderat, diuersa sonis(10), *& moribus impar,*
Munera certatim, mandataque læta ferebant,
Et sua regna pio gaudebant subdere Regi.
245 *Quos placidus Princeps blandis affatibus implens*
Responsis lætos donis dimisit onustos.

(1) Videtur τὸ *atque* positum pro *statim, illico, e vestigio*, more Ennii, Virgilii, ipsarumque adeo XII tabul. (R.) p. 110

(2) *Alphonsius IX, Ferdinandi* Regis Legionis filius. (Sp.)

(3) Rex *Ludouicus* VII, qui & *Iunior* a scriptoribus appellatur. (Sp.)

(4) Danorum Rex, nimirum *Sueno*: qui & *Petrus*, vt primo libro indicauimus. (Sp.)

(5) Sic recte *Perna* editio vulgo *Hungaricus*. Ceterum pro *aruis* Augustana editio legit, *armis*. (R.) p. 119

(6) Hungariæ Rex. Nam qui hac tempestate Pannoniam inferiorem, quæ ad Daciam & Dalmatiam vergit, incolunt, a Scythis se traxisse originem prædicant, & Hungaros ab Hungarorum Rege nomen habere. Errant qui Hunos, quibus origo Germanica fuit, & Hungaros vnam tradunt esse gentem. (Sp.)

(7) Deerat in vulg. libb. τὸ *Vt*: quod reposui cum *Perna.* Wecheliani male suppleuerant, *qui cum linguas.* (R.) p. 119

(8) Fort. *rerum*, vt *Pflugius* diuinabat. (R.)

(9) Idem de Venetiarum vrbe dici potest: vbi vt *Erasmus Roterodamus* scripsit, *nemo quicquam miratur.* (R.) p. 119

(10) Lingua, vel sermone. (Sp.)

Inde viro(1) *placuit dotalia coniugis arua*
Allobrogumque domos motis inuisere castris.
Cuius vt aduentum præcurrens fama(2) *per vrbes*
250 *Distulit, & rerum præconia magna peregit,*
Protinus Allobrogum proceres, multique potentes
Italici, Veneti, Tusci, simul atque Latini,
Wascones(3), *Hispani, seu quos prouincia diues*
Misit, & Allobrogum contingens Gallia fines,
255 *Chrysopolim*(4) *celeres*(5) *adeunt: ibi regia castra*
Teutonicasque Ducum placet expectare cateruas.

Frideric.

(1) *Friderico* Imperatori: quem sæpe *Virum* absolute & quasi κατ' ἐξοχὴν vocat: vt lib. 7 v. 637, *impulit ira virum.* (R.) p. 119

(2) Elegantissime dictum, *fama præcurrens distulit* (id est, diuulgauit, sparsit, dididit, disseminauit hinc inde) aduentum Principis. Sic & *Plautus* & *Terentius*, aliique *differendi* verbo vtuntur. Vt Prologo Heautontim. *Nam quod rumores distulerunt maleuoli.* *Plautus* Aulular. *Nisi reddi mihi vasa iubes, pipulo te differam ante ædes.* Sic *Tacitus* lib. 1; Pars *multo maxima imminentes dominos variis rumoribus differebant.* *Propertius* quoque pro *diffamare* seu *conuiciari* vtitur;

Et te circum alias omnes irata puellas
Differet: heu nullo limine carus eris.

Lucillius lib. 30;

Gaudes cum de me ista feris sermonibus differs.

Et rursum eod. libro;

Et maledicendo multis sermonibus differs.

Et apud *Lucretium* aliquoties est *differre* pro *discerpere, dissipare.* (R.) p. 119 seq.

(3) Ita & vulg. editiones & *Perna* quoque. At *Spiegelius* in Scholiis *Vascones* Augustana editio, *Guascones.* (R.) p. 120

Horum est *Pompelon*, quasi *Pompei ciuitas*, nunc *Pampilona* regni Nauarræ caput. (Sp.)

(4) Vesuntionum, vt supra signat, vrbem, quæ *Bisuntium* nunc appellatur in comitatu Burgundiæ, ciuitas est Imperialis ac metropolitica. (Sp.)

(5) F. *celebres*, i. e. *frequentes*: quæ est coniectura *Pflugii.* (R.) p. 120

Huc quoque Romano celebres a Præsule(1) *missi*
Legati venere duo, Bernardus(2), *& ille,*
Qui post in cathedra Rolandus(3) *nomine verso*(4)
260 *Dictus* Alexander(5) *multos magnosque tumultus*
Pertulit ecclesiæ(6), *cuius sub tempore longum*
Schisma quater senos exarsit pæne per annos(7).
His præter solitum census ingentis amorem(8),
Quo Romana suos inflammat curia ciues,
265 *Hæc quoque caussa viæ fuerat: quia nuper ab illa*
Sede gradum referens, famoso nomine quidam
Anglus(9), *Apostolica multum dilectus in aula*
Præsul, Teutonicis fœde tractatus in oris,
Et spoliatus erat, nec adhuc crudele recensque
270 *Flagitium digna Princeps mulctauerat ira.*
Reddita magnifico super hac re pagina(10) *Regi,*
Plurima vana quidem, sed & hoc(11) *monuisse putatur,*
Vt memor impensi tanti sibi Cæsar honoris
Esset, & acceptæ Papa donante coronæ:
275 *Nunquam Pontificem collati muneris*(12) *alto*
Pænituisse viro, nec, si maiora dedisset
Præmia, tristitiæ(13) *posthac onerive futurum.*
Hæc ideo Princeps(14), *non contemnenda, nec absque*
Pondere, suspectis credebat tradita chartis.

(1) *Adriano* quarto, cuius meminimus supra. (Sp.)

(2) Tit. *S. Clementis* Presbyter Cardinalis. (Sp.)

(3) Tit. *S. Marci* Presbyter Cardinalis, & Cancellarius Romanæ ecclesiæ. (Sp.)

(4) *Sergius* secundus, *Os porci* prius appellatus, nomine ob turpitudinem mutato, initium dedit mutandorum nominum successoribus, licet ab omnibus non sit obseruatum. (Sp.)

(5) Eius nominis *tertius*, patria Senensis, qui habitu coci ignotus aliquandiu apud Venetos latuisse dicitur. (Sp.)

Hunc antea Cancellarium S. R. E. fuisse ait *Guntherus* lib. 10 v. 119. De hac porro nominis mutatione, ab iis qui ad Pontificatum Rom. euehuntur, fieri solita, res iam nota est, initium eius moris profectum ab eo, qui *Os-porci* vocabatur. Eius exemplum antecessoris ceteri vsque in hodiernum diem ferme omnes non sine mysterio singulari secuti sunt. (R.) p. 120

(6) Ita distinguendum. Vulgo aliter. (R.)

(7) Ad constabiliendam scilicet continuam in sede Romana inde vsque a Petro Apostolo successionis seriem, nota hic schisma pæne viginti quatuor annorum: cuius & infra meminit lib. 10 v. 115 & seqq. (R.) p. 120

Cum Pontificium gessisset XXI annis, & iam quieturus a perturbationibus videretur, moritur. Vidit tamen prius e medio sublatos, quos contra eum Ænobarbus noster creauit, quatuor Pontifices: *Victorem, Paschalem, Callistum* & *Innocentium.* (Sp.)

(8) Tantum iam olim Pontifices degenerarunt a maioribus suis, qui patrimonii Petri exortes oratione & doctrina christiana promouebant euangelium, quod non dissimulat *Platina.* Census proprie dicitur exactio illa, quæ de facultatibus æstimatis indicitur. (Sp.)

Erat

(9) Erat ille tum Archiepiscopus Londonensis, qui tamen hodie Cantuariensi subest. Nam, vt *Volaterranus* refert, in toto regno duæ sunt descriptæ in codice fisci metropoles, Cantuariensis, scilicet, & Eboracensis. (Sp.)

* Suspicor fuisse *Ioannem Saresberiensem*, Episcopum Carnotensem*. (R.)

(10) Epistola, cuius exemplar nunc extat apud *Radeuicum* cap. 9 tertii rerum Ænobarb. *Adrianus* in literis suis gloriosissimum filium & christianissimum Principem appellat *Fridericum*: sed, eodem *Radeuico* teste, licet caussa legatorum Pontificiorum speciem sinceritatis videbatur habere: tamen fermentum & occasionem malorum latuisse postea compertum est. (Sp.)

(11) Sic restituo cum *Perna*. Vulgo, vt etiam Augustana editio, non recte, *hic*. Similiter erratum erat lib. 10 v. 56. (R.) p. 120

(12) Papa beneficium suum esse iactat Imperium Rom. Quod cum ita accepisset Imperator, quasi Papa feudum suum haberi voluisset Imperium, grauissime hanc indignitatem tulit, cum præsertim etiam pictura quædam contumeliosa accederet, de qua remouenda admonitus Papa, nondum aboleuerat: deque hoc Papæ fastu (sic enim ipse appellat) non modo ad Ordines Imperii Germanici, a quibus electus fuerat, & quibus solis secundum Deum acceptum ferebat Imperium, conquestus est, verum etiam cum Papa per litteras expostulauit, aperte professus, nullum se caput superius Imperature agnoscere præter solum Deum. Papa animaduertens, quid egisset, & cum quo viro sibi negotium esset, de consilio Episcoporum, placandi Imperatoris ergo, mitius ad eum scribit, excusans epistolam priorem, vt minus accurate pensiculateque scriptam. Ita *Fridericus* satisfactione admissa iniuriam hanc Papæ condonauit, suamque indignationem remisit, cum præsertim etiam *Otho Frisingensis*, patruus Imperatoris & Papæ legatus, suas partes auctoritatemque in placando Imperatore interposuisset. Hæc fere summa est reliquæ partis in hoc 6 libro, & partis primoris septimi. Vide & *Fr. Hotomani* Disputat. Feudal. c. 1. & Commentar. de verbis Feudalib. lit. B. Itemque *Cuiacium*, in Commentar. Feud. (R.) p. 120

(13) Veteres hoc eleganter dicunt, *fenio & dimidio alicui esse*. Exempla sunt apud *Plautum*, & *Nonium Marcellum*. (R.) p. 121

(14) Quod, iuxta Comici dictum, isthæc commemoratio quasi exprobratio esset immemoris beneficii. (Sp.)

280 *Quod prius Ausoniis dum versaretur in oris,*
Audierat Latiæ diffusum plebis in ora,
Et vulgo dici solitum(1): *contingere nulli*
Regna Latina viro, nisi cui Romanus amica
Traderet illa manu Petri sub nomine Præsul.
285 *Hoc quoque Romanæ prostans*(2) *in sedibus aulæ*
Vana loquebatur, qua voce licebat, imago(3).
Hic a Romano mendax Antistite(4) *pictor*
Fecerat Imperii suscipientem iura Lotharium(5),
Stare genu flexo(6), *nec non epigrammata vanus*
290 *Desuper addiderat*(7), *simulatis consona rebus.*
Hanc Adrianus *ei, ne vera semina cladis*
Res simulata daret, penitus delere figuram
Pactus erat: sed adhuc minimi promissa laboris
Distulerat, fomesque mali viuebat imago.

(1) * Imp. Rom. ex nutu Papæ pendere, olim iactatum vulgo in Italia. Ea controuersia omnium grauissima renouata est temporibus *Ferdinandi* I Imp. cuius consiliarii, in primis *Seldius*, præclaris consiliis tutati sunt iura Imperii contra Pontificem*. (R.)

(2) Ita reponendum censui, vbi vulgo erat, *præstans*. Prostare dicimus ea, quæ sunt manifesta, & omnibus propalam patent. (R.) p. 121

(3) I. e. pictura. (Sp.)
Pictura enim est Poesis muta: vt Poesis contra pictura loquens & viua. (R.) p. 121

(4) *Innocentio* II. (Sp.)

(5) Hic fuit Saxoniæ Dux, *Lotharius* a Gallicis & Italicis scriptoribus appellatus: quod hoc illis, vt *Cranzius* ait, Imperatorium nomen videretur. Quo ille ordine ad Imperii fasces promotus sit, scribit idem in principio sexti libri Saxoniæ suæ. Hunc cum Principes Imperatorem dicerent, diu reluctatum esse *Baptista Egnatius* tradit: contra nihil reluctatum esse *Cranzius* adserit, vnanimique Principum consensu Regem declaratum. *Nauclerus* idem quod *Egnatius* prodit, addens, quod *Henrico* quinto defuncto, Principes regni, ne de Septemuiris tantum intelligas, apud Moguntiam quatuor regni optimates designarint: hunc *Lotharium*, *Fridericum*, vel *Chunradum* Ducem Sueuiæ, *Leopoldum* Marchionem Orientalem, id est, Austrium, & *Carolum* Comitem Flandriæ. (Sp.)

(6) Supplicem fieri. Mox, vbi vulgo *manus*, nullo neque sensu neque metro idoneo legitur, repono, *vanus*. Nam & paulo ante mendacem pictorem dixerat. Sed hæc emendatio etiam inter Pithœanas reperitur, & in Augustana editione. Porro Epigrammaistiua

ma istius picturæ versibus constans monachalibus celeberrimum est: quod hic quoque adscribo ex *Radenico*:

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores.
Post homo fit Papa, sumit quo dante coronam.

Auctor huius picturæ dicitur fuisse *Innocentius II* Papa Rom. qui tanta fuit confidentia, *vel potius impudentia*, vt Imperatorem, i. e. summum caput Christiani orbis, pro *homine* suo, hoc est, pro Vasallo, ausus sit habere. (R.) p. 121

(7) Tales scilicet versus, vt recitat *Radenicus*:

Rex venit ante fores, iurans prius vrbis honores.
Post homo fit Papa, sumit quo dante coronam. (Sp.)

295 *Ergo, vbi magnificis accessit epistola verbis,*
Admonuitque virum: satis indignatus, ab illo
Imperium Princeps se suscepisse negauit.
Cumque refragari legati, & dicere contra
Tentarent, & falsa sua pro parte mouerent(1):
300 *Infremuere Duces, quos omnes aulicus ira*
Ille Comes præcessit Otho(2), *gladioque cruentas*
Acriter educto properabat sumere pœnas.
Sed Rex in media (famæ non immemor)(3) *ira*
Corripuit, tenuitque viros, iramque repressit.
305 *Et satis inplacide*(4) *dimissos, iussit eadem*
Qua venere via vestigia tuta referre.
Ne tamen ad dextram sit copia, siue sinistram
Detorquere gradum, nec nocte diutius vna
Vno stare loco, donec referantur in vrbem.
310 *Vtque hæc caussa suæ cunctis notesceret iræ,*
Protinus innumeris absentibus(5) *acta*(6) *libellis*(7)
Innuit, & tales properat dictare querelas.

(1) Augustana editio, *monerent*. (R.)

(2) De *VVitelspach*, pater *Ludouici*, vt reor, Bauariæ Ducis, auusque *Othonis* eius, qui *Philippum* Augustum vt dictum est, occidit. (Sp.)

Huius viri animosum ac feruidum spiritum alias quoque cognoscere licet. Vt quam felix est audacia eius lib. 8 v. 341? quam est ira feruidus contra legatos Græcos lib. 7 v. 62? (R.) p. 122

(3) Quippe iam didicerat famam bonam præferre dolori, vt lib. 5 vers. 428 *Guntherus* loquebatur. Et certe cum optimo cuique pretiosa sit fama, teste *Symmacho*, lib. 3 epist. 69; tum vero maxime Principibus vnum insatiabiliter parandum, prosperam sui memoriam, cum cetera statim ipsis assint: vt quandocunque concesserint, cum laude & bonis recordationibus homines facta atque famam nominis ipsorum prosequantur. Nam *contemptu famæ contemnuntur virtutes*: vt præclare ait Tiberius Cæsar apud *Tacitum*, Annal. 4. *Etenim fama nihil ignorari de conspicuis viris patitur*: vt idem *Symmachus* scribit lib. 1 epist. 96. *Maiorum*, quippe *gloria posteris quasi lumen est, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur*: vt apud *Sallustium* Iugurth. inquit Marius. *Senecæ* & *Claudiani* loca ad hanc rem adduxi supra. Videndus in hanc eandem sententiam & *Pindarus* Pythion. 1. Ab hoc enim sua ceteri mutuati sunt. Illustrat ibi Poeta sapientissimus hanc thesin exemplis duobus contrariis, Crœsi benefici & liberalis, ac Phalaradis, qui ob crudelitatem infamis est ad omnes hominum ætates. (R.) p. 122

(4) Petna, *Implacide*. Porro eadem redire via, qua veneris, item nec ad dextram, nec ad sinistram deflectere, quasi prouerbiale est etiam in sacris litteris, quas libenter Poeta noster duces sequitur. (R.) p. 122

(5) Scilicet, Optimatibus regni. (Sp.)

(6) Gesta. (Sp.)

(7) Epistolis. (Sp.)

(1)*Cum mihi consensu diuina potentia vestro*
Imperium frænare manu, cunctisque per orbem
315 *Gentibus Ausonium dederit sancire timorem,*
Si quid opinato grauius, dignumue querela
Inciderit, vestras iustis conquestibus aures
Pellere(2) *non timeo: quorum me munere regna*
Et primo cœpisse, & nunc accepta tenere
320 *Glorior*(3), *& nunquam memorem gratumue pigebit.*
Inde fit vt summi (modo dicere fas sit) iniquos
Pontificis vobis cogar depromere fastus.

Nam

Nam cum Chryſopoli(4) *magna cum plebe potentum*
Conſilium nuper ſummis de rebus haberem(5),
325 *Aduenere duo falſi de ſede*(6) *prophetæ*(7)
Romana, qui ſe mandata ſalubria nobis,
Ferre paciſcentes(8), *& toti commoda regno,*
Dulcia miſcuerant(9) *ſecreto mella veneno.*
Nam cum cœpta legi nobis a Præſule miſſa
330 *Prima parte ſui ſapuiſſet epiſtola pacem:*
Protinus expreſſis auſa eſt ſubiungere verbis,
Illius nobis collatum munere regnum,
Imperii faſces, & ſceptri iura dediſſe,
Et gaudere datis(10), *& , ſi maiora dediſſet,*
335 *Nunquam Pontificem facti, doniue pigere.*

(1) Habes & huius epiſtolæ exemplum apud *Radeuicum* lib. ſupra citato. (Sp.)

(2) *Pellere*, pro, *pulſare*. Verbum primitiuum pro frequentatiuo. Sic *lite* vel *actione aliquem pulſare* paſſim in legibus Codicis dicitur. Sic *Guntherus* alibi: *Et precibus pulſare Deum*. Vide ſupra lib. 3 v. 50. (R.) p. 122

(3) Exprimit Homericum verbum, ἰυχόμαι. Vt infra. (R.)

(4) Biſuntii. (Sp.)

(5) Ex *Virgilio* translatus verſus. Sic enim ille Æn. 8;

Conſilium ſummis regni de rebus habebant. (R.)

(6) * An, de ſede Romana falſi prophetæ? an duo falſi prophetæ? hoc verius puto *. (R.)

(7) Cardinales ſignat prædictos, *Bernardum, & Rolandum*. Prophetæ autem omnes, qui ſacra ſcripſere, dicuntur: ne in ſolos duodecim hoc cognominis competere putes. Super hac voce multis diſſeruimus olim in commentariis in Progymnaſ. Reuchlini. Videtur autem Imperator non ſine mordacitate alluſiſſe ad illud Chriſti: *Attendite a falſis prophetis*. (Sp.)

(8) Promittentes, præ ſe ferentes. *Ferre*, pro, *laturos eſſe*. Vt & alibi notaui ſimiles locutiones. (R.) p. 123

(9) Malim, *miſcuerunt*. (R.)

(10) *Data* videtur Guntherus pro muneribus poſuiſſe, tanquam ſcilicet nomen ſubſtantiuum, non vt participium: exemplo *Plauti & Auſonii*. Plautina quidem iſta iam ſuccurrunt. Pſeudulo Act. 1 Scen. 3; *Non eſt iuſtus amator quiſquam, niſi qui perpetuat data*. Et Aſinar. Act. 1 Scen. 3; *Semper tibi promiſſam habeto, hac lege, dum ſuperes datis*. *Auſonius* Epigram. 90; *Vince datis ambas. Cupio; verum arcta domi res*. Idem, an *Paulinus*? Oratione ad Deum, quæ eſt in Ephemeride: *Nil ex inuidia retinens, plenusque datorum*. Sic vetus interpres cum alibi, tum Lucæ 11 v. 13, & Iacobi epiſt. c. 1 v. 17. (R.) p. 123

Quem cum legati viua quoque voce furorem
Adſtruerent, tantis exarſit curia flammis,
Vt niſi ſedato tumidis præſentia motu
Noſtra tuliſſet opem, miſeranda clade periſſent.
340 *Ecce paterna fides, & magni Præſulis alma*
Integritas, humiliſque Petri veſtigia ſectans.
Iam non ferre crucem Dominum: ſed tradere regna
Gaudet, & Auguſtus mauult, quam Præſul haberi:
Eccleſiæ pacem, gladiis quæ rite duobus(1)
345 *Vtitur*(2), *alterutro nunquam bene firma remoto*
Scindit, & in ſeſe geminos exaſperat enſes.
Dumque ſacerdoti conatur iungere regem(3),
Non vno tantum contentus, lædit vtrumque.
Quid voluere duo gladii, quos Petrus in illo
350 *Indicat eſſe globo*(4)? *totidem niſi nomina ſummi*
Iuris(5) *in eccleſia: quæ cum ſibi mutua quondam*
Fœderis alterni nexu ſuffragia præſtent,
Sunt diuiſa(6) *tamen: nec in vnum poſſe videntur*
Iuncta coire caput: nec eodem ſæpe recurrunt
355 *Inſtituenda modo, licet vnus vtrique ſit auctor,*
A quo nomen habet ſub cælo quæque poteſtas(7),
Alter honos(8) *cleri conſenſum poſtulat: alter*
Arbitrio procerum, regnique fauore paratur.

(1) Sequitur commenticiam ſcholaſticorum Theologorum ſententiam, qui Chriſti verba de duobus gladiis, vt pleraque alia, quæ propius ad philoſophiam cæleſtem pertinebant, ſubuerterunt, reclamantibus omnibus Chriſti præceptis, reclamante tota ipſius vita, reclamante doctrina Apoſtolica, refragantibus tot martyrum millibus, repugnantibus vetuſtis interpretibus. Paucis illis verbis: *Ecce duo gladii hic*, mundi gladium Imperatori, & eccleſiæ, ſi Chriſto placet, aſſeruerunt: quamuis ipſe affirmet, *regnum ſuum non eſſe de hoc mundo*, & Apoſtolus: *Arma noſtra non ſunt carnalia, ſed potentia Deo.* Sed quid attinebat hinc trahere publicam magiſtratuum functionem, quam neque Chriſtus, neque Apoſtoli ademerant, quin eis, etiam idololatris, incolumem eſſe voluerunt, quod iuſtitiæ diuinæ ſeruiret. (Sp.)

(2) Malim, *nititur*, nam ſequitur, *bene firma.* (R.)

(3) Hoc eſt, dum ſuperioritatem, vt vocant, dominandi ſacerdotibus plane interdictam a Chriſto, vſurpat. (Sp.)

Celebre illud *Syneſii* dictum huc facit: *τὴν ἱερωσύνην καὶ τὴν ἀρχὴν ἀσύγχλωστα εἶναι.* (R.) p. 123

(4) I. e. in cœtu Apoſtolico. (Sp.)

I. e. orbe terrarum. (R.)

(5) Poteſtatis. Quo vocabulo etiam homo poteſtate præditus dicitur. (Sp.)

(6) Et quidem ipſo Chriſto diſcernente, ſi *Nicolaum* Papam audimus in cap. 6 cum ad verum. Diſtinct. 96; *Cum ad verum* (inquit) *ventum eſt, vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit; nec Pontifex nomen Imperatorium vſurpauit: quoniam idem mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus ſic actibus propriis & dignitatibus diſtinctis officia poteſtatis vtriuſque diſcreuit*, &c. Quæ quomodo cum aliis illius Iuris locis & cum facinore *Bonifacii VIII* etiam in habitu Imperiali ſeſe populo oſtentantis congruant, æruſcatores noſtri viderint. Veriſimile eſt autem, *Nicolaum*, hic reſpexiſſe ad illud Saluatoris: *Reges gentium dominantur illis, & qui eas in poteſtate ſua habent, benefici vocantur: vos autem non ſic.* Matth. 20, 25. Marci 10, 42. Luc. 22, 25. Claudant hanc notam verba *Iuſtini* Imperat. in l. 23. conſulta C. de teſtament. *Abſurdum eſt, ſi promiſcuis actionibus rerum turbentur officia, & alii creditum alius ſubtrahat: & præcipue Clericis, quibus opprobrium eſt, ſi peritos ſe velint diſceptationum eſſe forenſium.* (R.) p. 123

(7) *Non enim eſt poteſtas niſi a Deo*, vt ſignate Apoſtolus dixit ad Rom. cap. 13. (Sp.)

Videtur illud D. Pauli exprimere. *Non eſt poteſtas niſi a Deo.* Rom. 13, 1. (R.) p. 124

(8) Scilicet, Pontificalis. *Alter*, ſcilicet Regalis. (Sp.)

Ergo quid ad ſummum de regni iure, quid oro
360 *Pontificem ſpectat*(1)? *nullum caput iſta ſuper ſe*(2)
Aſpicit, excepto cælorum Rege, poteſtas.
Eccleſiam regat ille ſuam(3), *diuinaque iura*
Temperet, Imperium nobis faſceſque relinquat.
(4)*Adde, quod infandum tractantes pectore votum*
365 *Latores apicum*(5), *mandatorumque ſequeſtri*(6),
Diuinas ſpoliare domos(7), *ſacra tollere vaſa,*
Excoriare cruces, abrumpere textibus aurum:
Omnia quæ poſſent auide corradere ſæuis
Vnguibus, & ſecum collecta referre parabant.
370 *Vtque minus cautos*(8) *mendacibus angere poſſent*
Ac terrere notis, impreſſo plurima ſigno(9)
Deprenſa eſt vacuis apud illos pagina chartis(10),
Suſceptura nouas quas (vellent) cumque figuras.
At nos Teutonico cupientes parcere regno,
375 *Et ſimul iniuſtas cleri prohibere rapinas,*
Vertere peſtiferos a primo limine greſſus
Iuſſimus, & vacua luſos repedare(11) *crumena.*
Vos (age nunc) proceres, quibus hanc autoribus aulam,
Imperiumque rego, præſens iniuria, quæſo,
380 *Aſperet, & iuſtos mecum ſtimulate dolores.*

(1) An neſcis, *Friderice* Princeps chriſtianiſſime, *Inter vos non dominabimini, ſicut ſubditis dominantur Reges gentium*, hoc valere ſcilicet, *Tu Petre cum tuis ſucceſſoribus Romani Imperii hæres eſto perpetuus?* Item: *Ego veni miniſtrare, & non miniſtrari*, eſſe, *Imperatores & Reges terrarum, tua, ac ſucceſſorum tuorum, in ſolio pluſquam regio præſidentium, venerabundi gemmata oſculentur veſtigia?* Tum illud? *Qui primus voluerit eſſe inter vos, erit veſter ſeruus. Et qui voluerit inter vos fieri maior, ſit veſter miniſter*, aliud ſignificare nihil, *quam apud nos eſt præcipiendi poteſtas, reliquam eccleſiam manet parendi neceſſitas?* Conſtat enim dicere ſolitum *Benedictum* XII: Omnem imperii poteſtatem ſuam eſſe: eo quod Chriſti Ieſu ſuperni regis eſſet vnicus in terris vicarius, ſucceſſor Petri. (Sp.)

Reſpon-

Respondet (de se si cuiquam creditur ipsi) *Innocentius III* in c. Venerabilem, extra de elect. Electionem quidem Imperatoris ad se immediate non pertinere: (quanquam hoc ipso, quod sui maiores imperium a Græcis ad Romanos transtulerunt, etiam eligendi potestatem Principib. Germaniæ fecerint,) sed examinationem Electi Imp. antequam ei manus & corona imponatur, suam esse &c. (R.) p. 124

(2) * Similiter *Tertullianus* in Apologetico, & *Io. Chrysostomus* *. (R.)

Hoc si quis hodie constanter asseueraret, hæretici nomen apud pontificios adulatores non effugeret. Contrariam tamen partem, vt veritati affinem, magni nominis viri tutati sunt: licet hactenus eorum vicerit doctrina, qui vniuersam prope Scripturam diuinam adulterinis interpretationibus subuerterunt. Apud quos nata sunt illa, olim ignota penitus sanctis, vocabula: *Caput vniuersalis ecclesiæ, Generalis vicarius, Deus terrenus, Pontifex maximus, Suprema potestas, Legitima potestas, Habitus gladii, Vsus gladii*, & alia multa huiusmodi. Quid pluribus? *Hodie habet Imperator*, vt eorum vtar verbis, *recognoscere Papam in superiorem, & expectare personæ suæ approbationem*. (Sp.)

(3) Iuxta præceptum Pauli: *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Sed hic in promptu adest duplex nobis solutio. Vna, Romanum Pontificem non alligari verbis Apostoli: quoniam inferior non habeat imperium in superiorem. Altera, quod ipsius vterque sit gladius solius. Item, omnia esse eiusdem propter illum Christi sermonem: *Data est mihi potestas omnis in cælo & in terra*. (Sp.)

(4) Querelæ Imperatoris de auaritia, rapinis & sacrilego ausu legatorum Pontificiorum hic notentur. (R.) p. 124

(5) I. e. litterarum Apostolicarum. (Sp.)

Similis vox recurrit lib. 7 num. 164. vbi tamen Augustana editio, *apicis*. Significat autem eos, quos *Suetonius* absolute *latores* vocat; *Symmachus* vero *baiulos litterarum*, & *vectores*, & *peruectores*, & *portitores*: alii *gerulos*: Latinis sunt *Tabellarii*, Græcis γραμματοφόροι. (R.) p. 124

(6) Signat legatos, siue gestores negotiorum Papæ. *Laminius* in libro, quem scripsit de verbis sordidis, *Sequestrum* dici vult, quod eius vtraque pars fidem sequatur. Idque etiam *Aul. Gellius* probat: & *Alciato* non displicet: quod etymologia vocis huius a *Modestino* tradita subdura videatur. (Sp.)

(7) Templa. Taxat Cæsar auaritiam & sacrilegia sacerdotum Cardinalium, imprudentibus rerum pietatis prætextu imponentium. (Sp.)

(8) Simplices. (Sp.)

(9) Sigillo. (Sp.)

(10) Puris, quas nunc principales scribæ *alba* vocant. Charta est pagina scriptioni apta, ex quacunque materia illa sit, siue ex plumbo, siue ex cortice, siue ex linteis, siue ex papyro, siue ex corio, quæ dicitur membrana. De chartarum generibus *Plinius* multa cap. 12 libro decimo tertio. (Sp.)

Charta blanca vulgo vocatur, cuius & infra v. 657 fit mentio. (R.) p. 124

(11) *Pflugius* diuinabat, *trepidare*, id est, fugere cum terrore & metu. (R.) p. 124

Interea magnos proceres Burgundia (1) *diues,*
Pontificesque suis excitos sedibus vltro
Regis in occursum commouerat: omnia late
Oppida (2), *seu validis munitæ turribus vrbes* (3).
385 *Excipiunt illum valuis reuerenter apertis,*
Quæque relicta sibi iam libertate vetusta
Gaudebat tellus, venientem milite pauco
Agnoscit Dominum supplex, Regemque fatetur.
Ipseque Parisiæ (4) *moderator & arbiter aulæ*
390 *Milite cum multo, dubium, pacatus, an hostis,*
Colloquii caussa Regem Luduicus (5) *adibat.*
Ast vbi dispositis illum dotalibus aruis
Teutonicas reuocasse gradum cognouit in vrbes,
Regia magnifico (6) *pacis sub imagine fastu*
395 *Misit, & æqua suis ab eo mandata recepit* (7).

(1) Cum ex hoc loco, tum ex cap. 11 tertii hist. Ænobarbicæ libri patet, vtramque Burgundiam iterum Imperio cessisse, omnimoda, vt ait *Radeuicus*, subiectione, & debita fidelitate compromissa. Nam Pontifices, non tantum qui aderant, vt *Stephanus* Viennensis Archiepiscopus & Archicancellarius Burgundiæ, *Eraclius* Archiepiscopus & Primas Lugdunensis, *Otho* Valentinus Episcopus & *Ganfredus* Auinionensis, *Syluius* item Princeps Glariensis, sed & absentes alii omnes tum Antistites, tum Optimates, vt eiusdem *Radeuici* verbis loquar, & per nuntios & per litteras *Friderico* fidelitatem fecerunt, atque hominium, & beneficia sua de manu illius reuerenter susceperunt. (Sp.)

(2) Oppidum videtur *Alciato* id esse, quod tanquam propugnaculum aduersus hostes constructum est, & mœnibus vallatum. Id enim etymologia arguit: cum dicatur ab *ope*, id est, auxilio: quod eius caussa factum sit: vnde vt plurimum condebantur oppida, vt etiam

etiam natura loci tuta essent. *Virgilius* secundo Georg. *Adde tot egregias vrbes, operumque laborem, Tot congesta manu praeruptis oppida saxis.* Propter quod etiam putat idem cum ceteris interpretibus iurium, proprie dici oppida, siue vrbs sit, siue castrum, emporium, conciliabulum, pagus, vicus, præfectura, burgus, metrocomia: dum mœnibus cingantur, & ab incursu hostium tuta sint. *Laurentius* autem *Valla*, quique eum secuti sunt Grammatici, oppidum omnem vrbem dici existimauerunt, præter Romam: quæ peculiari nomine vrbs vocari cœpta, fecit vt ceteræ vrbes oppida vocarentur. (Sp.)

(3) Annotauit & idem *Alciatus*, quod in pontificiis recentioribusque canonibus, non videntur vrbes appellari, nisi quibus Episcopus datus est. In antiquis enim decretis, maioribus tantummodo vrbibus Episcopi constituti fuere. Sed tamen hodie quam plurimæ in Germanis, Sarmatisque vrbes sunt, quibus specialiter nullus sacrificulus Antistes præest: quod hæ nationes non pauca ex iure gentium adhuc retineant. (Sp.)

(4) Gallici regni, pars pro toto, familiari poetis figura. Quidam Parisium conditam volunt a Iulio Cæsare, Parisiumque singulariter & feminine nuncupatum. Quibus vt non accedamus, ipse *Cæsar* in primis facit, qui, *Ritio* teste, laudum suarum alioqui non obtrectator, eius, vt istis placet, operis Parisii nunquam meminit; vt aliquoties *Parisiorum* gentis, in qua *Lutetiam Strabo, Mela, Pliniusque* & *Ptolemaeus* statuunt, in eo propemodum tractu, quo nunc est. Inuenias qui *Parisius* indeclinabili forma per omnes casus affirmet: & ita multorum seruat vsus. Vrbs ad Sequanam posita, vbi nunc regia Gallorum, consilium, quod Parlamentum appellant, & studium litterarum, *Caroli* Magni opus: e quo vt viri aliquot prodiere tum religione, tum multifaria doctrina insignes, ita negari non potest, hic alios nonnullos, quorum prodigiosa barbaries propemodum bonis litteris, & simul pietati christianæ exitium attulisset, nisi propitius Deus in tam altis ignorantiæ tenebris, excitasset clarissima illa duo Galliarum lumina, *Guilielmum Budaeum*, & *Iacobum Stapulensem*: quorum monimenta non tantum perhibent testimonium doctrinæ suæ, sed plane indicant etiam, quam sint integri vitæ scelerisque puri, amantesque æqui & honesti: quæ, dum doctrinæ accedunt paulo ampliori, magno in loco statuenda mihi cum *Vadiano* nostro videntur. (Sp.)

(5) Ita & Augustana editio. At Pernæ, *Ludouicus*. (R.)

Cognomento *Iunior*, de quo latius aliquanto lib. 9. Sed quam Germanorum gloriæ atque virtuti inuideant Gallicarum rerum scriptores, indicat hic locus, & mox præcedens, prætereunt enim silentio, quæ tanta fide, citatoque testimonio Trecensis Episcopi *Radeuicus* noster retulit. Sed præstat eius recitare verba. Nam, *sicut egomet*, inquit, *referente venerabili viro* Henrico *Trecensi Episcopo cognoui*, Ludouicus *audito, quam strenue partibus illis* Fridericus *præualuisset, pertimuit: nec iam ad colloquium, quod suspectum habebat, sed ad bellum se ratus proficisci, clanculo non paruas copias collegerat: adeo, quod nouem Episcopos cum sua militia vna nocte in Trecensi ciuitate tunc hospitasse memoratus Præsul memoraret: cumque tota terra illa non minimo metu nutaret, ipsa trepidatio nobis pro victoria putabatur.* Meminit *Nauclerus* conuentus, qui aqud Diuionem super tollendo schismate indictus est, inter *Fridericum*, & *Philippum*, qui patri *Ludouico* iam vita functo successerat. *Æmylius* ex *Gaguino* retulit in lib. sexto operis sui, iam dictum *Philippum* cum Ænobarbi nepote ex filio *Friderico* Aug. per filium suum *Ludouicum* in Mediomatricibus renouasse fœdus, quod inter Principes Romanorum, Regesque Galliarum antiquitus obseruabatur. (Sp.)

(6) Quoniam isthæc Regum tractatio per nuntios, quorum nomina *Radeuicus* ponit, magis ad ostentationem fastus, quam ad reipub. vtilitatem facta est, eodem autore *Radeuico*. (Sp.)

(7) Videtur per translationem *mandata* accipere pro actis ipsis, pro quibus illa dari solent. Vt scilicet, iis modis Ænobarbici legati cum regiis nuntiis egerint, quibus illi erga eos vtebantur. Iuxta illud vulgatissimum versiculi:

Tu quoque fac simile: (Sp.)

Iamque tuos Cæsar peragrans Germania campos,
Saxoniæ fines, claramque intrauerat vrbem(1),
Quam prius infidis condixerat ille Polonis.
Quos vbi velle dolum, iurataque(2) *pendere parui,*
400 *Indefensa*(3) *fidem cunctis absentia fecit;*
Signa Ratisbonam sua fert, vbi magna coibat
Concelebranda patrum solenni(4) *curia cœtu.*
Huc quoque Pannoniis(5) *legatio venit ab oris,*
Verba, precesque ferens Geisæ(6) *sub nomine Regis.*
405 *Huic satis in teneris adolescens strenuus annis*
Frater erat Stephanus, *quem Rex ad culmina regni*
Aspirare dolo, Bela *suasore*(7), *ferebat.*
Hic placido cultu puerum nutriuerat, vt qui
Vir bonus & prudens(8), *& auunculus esset vtrique:*

Hunc

410 *Hunc(9) quasi suspectum(10) regnis, & facta parantem*
Impia, Rex odiis vexabat frater iniquis;
Impositoque sibi (11) funestæ crimine fraudis(12),
Testibus, & falsis iuuenem damnare parabat
Iudiciis(13), odiumque furens ferale coquebat.

(1) Magdeburgum. (Sp.)

(2) Pacta scilicet, & promissa, iureiurando adfirmata. (Sp.)

(3) I. e. contumacia: in quam incidunt, qui in iudiciis citati, non adiunt, aut mox legitimam absentiæ caussam non edunt. Quanto igitur magis, qui diem sibi pacto constitutum iam negligunt. Sed notum apud maiores, Polonorum perfidiam in vulgi verbum abiisse. (Sp.)

(4) Congregationem hodie vocant, quam Canonistæ vel ex duobus constare dixerunt. Cœtus vero decem homines requirit. (Sp.)

(5) Hungaricis: quoniam Hungari, vt dictum est, tenent nunc inferiorem Pannoniam, cuius limites multo breuiores, quam Imperium. (Sp.)

(6) Augustana editio, *Garza*. (R.)

Rex *Bela*, secundus eo nomine, qui cum patre *Almo* exoculatus est a patruo Rege *Colomanno*, successit *Stephano* eius nominis secundo, filio *Colomanni*, sine liberis defuncto, ex *Helena* Seruiæ Regis filia *Geisam*, *Ladislaum*, *Stephanum*, & *Almum* suscepit. *Geisa* natu maior, post mortem patris imperio paterno potitus est: vsurpante pariter regnum *Stephano* fratre, vt *Radeuicus* scribit, *Bela* auunculi suasu. Quod & Poeta, secutus Radeuicum, indicat: cum tamen alii id minime vel vno verbo innuant, sed constanter referant, *Stephanum* tertium huius *Geisa* filium patruos habuisse initio ex successione regnum vsurpantes, *Ladislaum*, deinde *Stephanum*, *Bela* secundi filios: qui, vt patet ex Historico Hungarorum, breui tempore interiere. Hic *Stephanus* regnauit ann. XI, moritur MCLXXIII. Quamuis principatus Ænobarbi incidit in posteriores annos, quibus rerum dictus *Geisa* apud Hungaros potiebatur, quibus ille 20 annis præfuit. (Sp.)

(7) Nulla fit huius *Bela* mentio apud alios, quos ego quidem legerim. (Sp.)

(8) Sic sæpe apud Horatium, *Vir bonus & sapiens*. Et apud Ausonium Idyl. 16. Significatur his duobus epithetis vtraque virtus, & morum, & rationis seu mentis. Ethica inquam & Dianoetica. (R.) p. 124

(9) Scilicet *Stephanum*. (Sp.)

(10) Æmulum. (Sp.)

(11) Intelligi vult, nisi fallor, Stephano impositum crimen, abutitur ergo reciproco, *Sibi*: vt alias quoque. (R.) p. 124

(12) Parricidii: quod non in patrem solum, sed etiam in ceteros coniunctos committitur, quorum lex Pompeia meminit. (Sp.)

(13) F. *indiciis*, vt *Pflugius*. (R.)

415 *At puer in magno spem tantum Cæsare ponens,*
Rebus opemque suis, solum ratus esse sub astris
Qui velit, aut possit tumidos arcere tyrannos,
Hunc adiit, tumidique graues quas senserat iras
Fratris, & indigno fœdatam crimine famam,
420 *Exiliumque suum deflens: insignia magni*
Corda viri crebris tandem permota querelis
Impulit, vt sæuo fratri mandata, minasque
Scriberet, & iuuenem famæ, domuique paternæ*
Restitui, falso læsum rumore iuberet.

* Missos etiam a *Friderico* legatos, pro restituendo *Stephano*, *Radeuicus* tradit. (Sp.)

425 *Ille furens odiis, & gaudens fratre remoto,*
Cuius erat probitas animi suspecta nocenti,
Excusare suam fraterno crimine culpam(1),
Inuidiamque sui cupiens lenire furoris,
Hæc Regi mandata viros(2) perferre fideles
430 *Iussit, & augustas his fallere vocibus aures.*
Germanum, quoadusque nihil crudeliter egit,
Vel latuere doli, consorti fœdere iuris(3)
Participem, nulloque modo, nisi nomine tantum,
Partiri quod nemo potest(4), habuisse(5) minorem:
435 *At postquam durum(6) patuit scelus, illud amice*
Non potuisse pati(7), nec tunc quoque sæuius actum,
Aut grauius quicquam, quam quod iam fraude reperta,
Cautus ab infido se subtraxisset amico.
Illum (cum posset tutus mansisse) coactam

Sponte

440 *Sponte sua simulasse fugam, caussamque doloris*
Esse, quod inceptos nequeat patrare furores.
At Rex huic finem nequiens imponere liti,
Cum maiora premant priuatæ pondera curæ,
Distulit, & iuuenem Veneti per stagna profundi
445 *Prouidus Argolicam*(8) *seruandum misit ad vrbem.*

(1) Ita legendum diuinabam, & postea in Pernæ editione reperi. Augustana editio & vulg. *fraterna*: quod haud scio, an etiam defendi possit, si subaudias, culpæ. Ita crimen culpæ dictum foret, quomodo alias *adem ecclesiæ*, & *pacem quietis*, & *legem pactorum*, & *negotia rerum* Guntherus vsurpat. (R.) p. 125

(2) *Gernasium* Episcopum de Castro ferreo, & Comitem *Heidenricum*. (Sp.)

(3) Dominationis. (Sp.)

(4) Politici Regem sic accipiunt, quasi suprema quædam & absoluta potestas sit, supra quem in suo regno nemo sit, sed ipse præsit omnibus: ex quo fit, vt Rex nisi vnus dumtaxat esse non possit. Plures enim Reges simul vni regno præsidentes, sese mutuo impedirent, naturamque perimerent Regis, quæ non omnibus præesset, sed haberet paritatem. (Sp.)

(5) *Se*, nimirum. Ellipsis honesta & vsitata: qua & supra vsus est, & mox iterum v. 436. (R.) p. 125

(6) Malim hic quoque, *dirum*, vt lib. 4 vers. 456. (R.) p. 125

(7) Pro, æquo animo ferre. (Sp.)

(8) Constantinopolim. (Sp.)

Hoc quoque conuentu(1) *procerum Dux ille Boemus*
Fama Labeslaum *quem nominat, ob sua gesta*
Fortiter, & bello nuper spectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit(2), *gessitque potenti*
450 *Sceptra manu, cinxitque nouo diademate crines.*
Protinus ad patrias vestigia Rex nouus vrbes
Retulit Italico pactus sua robora bello.

(1) Quæ ad hunc locum faciunt, nos aliquanto latius in principio quinti ex *Syluio* retulimus. Lego apud Canonistas, quod mirum eis videbatur, cum primo Rex fieret Dux Boemiæ, quod non haberet, nisi vnum Episcopum Pragensem: dictumque propterea, eum proprie tunc non habuisse regnum. Extat in pontificiis decretis Canon, quo describitur, quæ prouincia sit regio digna nomine: cui caput est: *Scitote* 6 q. 3. (Sp.)

(2) *Labeslaus*, id est, (qui & *Vladislaus*, & in Augustana editione *Labeslaus* hic nominatur) ex Duce Bohemiæ Rex creatur Magdeburgi a *Friderico* Imp. ob nauatam ipsi in bello Polonico fidelem operam. Falli ergo videtur *Æneas Syluius* Historiæ Bohem. c. 24, dum scribit, idcirco ipsum regiam accepisse dignitatem, quod in expugnatione Mediolanensi egregiam operam Imperatori nauasset. Imo bellum illud Italicum posterius fuisse, significat hic *Guntherus*, cum ait, hunc nouum Regem ad patrias vrbes vestigia retulisse, Italico pactum sua robora bello. Illud autem recte annotauit idem *Syluius*, Vratislaum quidem iam ante ab *Henrico IIII* Imperatore Regem creatum fuisse Moguntiæ: ceterum eius successores vsque ad hunc *Ladislaum*, in quem denuo illa dignitas collata est, regio nomine abstinuisse, Ducali contentos, tanquam regni decus non prouinciæ, sed homini datum fuisset, proindeque cum persona extinctum. Idemque & *Nic. Cisnerus* probat in Orat. de Othone III. Imp. indeque liquere ait, illa tempestate Regem Bohemiæ inter Electores Imperii Romani esse non potuisse, &c. (R.) p. 125.

Nec minus egregium dictu, pulchrumque putamus
Quod patrui Regis(1) *Dux Austricus, atque Frisingæ*(2)
455 *Præsul sedis Otho, studio curaque nepotis*
In pacem rediere bonam, quos ante feroces
Irarum stimuli, fraternaque rixa cruentis(3)
Vexabat(4) *odiis, cum Dux abrumpere quædam*
Fratris ab ecclesia per vim tentabat: at ille
460 *Prisca suæ sedis certabat iura tueri.*

(1) Coniunctio sanguinis abunde lib. primo explicata est. (Sp.)

(2) Hanc in monte, *Frisingen* vocato, excitauit primus eius antistes diuus *Corbinianus*, regnante iam apud Gallos Pipinio Franco Germanico. Situm loci scribit eleganter *Otho* ille noster cap. 24 lib. 5 historiæ suæ prioris. (Sp.)

(3) Iuxta prouerbium quod ab *Aristotele* refertur lib. Politicorum septimo, scilicet: *Acerba esse bella fratrum*. Suppetunt abunde multa ex historicis exempla, quæ arguunt, si quando

quando simultas inciderit inter fratres, eam esse atrociorem, quam vulgarium inimicorum. (Sp.)

(4) Quamuis & Augustana editio sic legat, malim tamen, *vexabant*. (R.) p. 125

His bene compositis Ripuaria(1) *Cæsar in arua*
Tendit, & extremos Rheni percurrere fines
Accelerat, pacemque locis, & iura reformat
Gentibus, hanc cunctis gaudens præponere curis.
465 *Ne qua parte sui nutantia regna relinquat*(2)
Rector, ad Italicos moturus signa labores.
Rursus Vangionum campos, Luthramque(3) *reuisit,*
Regalesque sibi quos struxerat ipse penates
Incoluit, paucis sedata mente diebus.
470 *Dum sibi consilio sanctorum cuncta virorum*(4)
Rite gerenda putans, vicinis munera larga(5)
Erogat ecclesiis, turbæque benignus egenti
Dilargitur opes, autorem nactus in hac re
Hermannum, *meritisque grauem, formaque venustum,*
475 *Sanguine conspicuum: qui tempore Præsul eodem*
Brixinensis erat, cunctis, quos Teutona tellus
Tunc habuit, claræ prælatus nomine famæ:
Vnde viri monitis ad magna negotia tendens
Diuinam studiis Princeps a seque, suisque
480 *Tentabat castris auertere mitibus iram.*

(1) Qui populi *Ripuariorum* nomine continebantur, lib. primo indicauimus. (Sp.)

Ripuariorum leges hodieque extant. (R.)

(2) Hoc autem adeo feliciter præstitit per omnem Germaniam, vt, quemadmodum *Radeuicus* ait, quod dictu mirum est, iam non regni rector, sed vnius domus, vnius reipub. paterfamilias haberetur. Nimirum ratus cum Tito Cæs. diem eum se perdidisse, in quo non aliquid in rem imperii, de iure item & iustitia inter omnes gentes conseruanda disposuisset. (Sp.)

(3) *Cæsarea* cognominatur nostrate lingua. Clarum fecit oppidum fictitius lectus *Friderici* Aug. secundi, quem illic quotidie sterni fabulantur, quod singulo mane inuolutus reperiatur. (Sp.)

Cognomento *Cæsaream*. In hoc oppido hodieque sacellum visitur, in quo orare solitus est *Fridericus* Barbarossa. Est & altera *Lutra*, quæ *Regia* appellatur, cœnobio Monachorum & sepulchro Imperiali insignis: tribus lapidibus distans Brunsvvico, patria mea. Harum priorem vernacula lingua *Keisers Lautern*, hanc *Königs Luther* vocamus, differentiæ caussa. (R.) p. 125

(4) Scilicet, Episcoporum: qui & *sanctissimi* interdum appellabantur. (Sp.)

(5) Nota pietatem Imperatoris non superstitiosi, sed vere religiosi, & commiserationem erga pauperes. (R.) p. 126

(1)*Iamque procellosis aquilonibus aera molles*
Abstulerant zephyri, senii(2) *cum frigore pulso*
Grata repubescit iocundi temporis ætas,
Dum viret omnis ager, tellusque decore resumpto
485 *Floribus, & viridi iuuenescere gramine gaudet,*
Cum iam desuetos(3) *post otia longa iuuencos*
Cura laboriferi cogit iuga ferre coloni:
Quæque diu tutæ(4) *tenuit naualia sedis,*
Nauta ratem dubias pelagi deducit in vndas,
490 *Magnaque pro regno gesturi prælia Reges,*
Fortia belligeras reuocant in castra cateruas.
Cæsar ad Italicum iam se procingere bellum
Apparat, & validas castris accire cohortes.
Ne qua tamen puram(5) *culpæ contagio caussam*
495 *Infuscare queat, sanctos adsciscere patres,*
Et iustæ caussas exponere maluit iræ.
Qui postquam stimulos iamdudum bella volenti
Adiecere nouos, iustumque, piumque fatentes(6),
Nomine quod regni geritur sub Principe bellum(7),
500 *Protinus accensa stimulis grauioribus ira*

Feruet, & vltorem(8) veniæ spe tutus adepta
In Ligurum pœnas Princeps accingitur ensem.

(1) Pulcra periphrasi signat apparuisse ver. (Sp.)
(2) Pro *hiemis* posuit. (Sp.)
(3) Ita rescripsi, vbi vulgo erat, *defunctus post otia longa iuuencus.* Os & us sæpe librarii permutarant. (R.) p. 126
(4) Hoc est, portus, siue stationis nauium. (Sp.)
(5) Quia quod iustum est, iuste quoque ac legitime exequendum est. Potest enim etiam bona caussa male agendo fieri mala. (R.) p. 126
(6) I. e. *profitentes*, vel *affirmantes.* Vt alibi quoque *fatendi* verbo vtitur. Eodem plane modo loquitur *Varro* apud *Nonium*, pag. 256, Bellum nullum nisi pium geri oportere. Quodnam autem sit pium seu iustum bellum, grauissima est disputatio, quam attingit etiam *Guntherus* lib. 4 v. 172, & lib. 7 v. 385, & explicarat *Cicero* lib. 3 de Repub. Ex quo hæc verba referuntur ab *Augustino* de Ciuit. Dei, & ab *Isidoro*: *Nullum bellum iustum haberi videtur, nisi denuntiatum, nisi indictum, nisi de repetitis rebus. Illa iniusta bella sunt, quæ sunt sine caussa suscepta. Nam vltra vlciscendi aut propulsandorum hostium caussam, bellum iustum geri nullum potest.* Vide & *Gratianum* in Decreto. Quo alludit *Virgilius* in Ceiri: v. 335.

Tunc potius tamen ipsa, pio cum iure licebit,
Cum facti caussam tempusque doloris habebis.
Tunc potius conata tua, atque incepta referto.

Quid autem *ius pium*, & *bellum pium*, ex lib. 1 *Liuii* Dec. 1 doceri potest. (R.) p. 126
(7) Qui belli ius ex euangelio trahunt, plane Christi, & Apostolorum doctrinam corrumpunt. Multo igitur rectius sentiunt, qui bellum quamuis legitimum, inter necessaria mala ponunt. Diuus *Augustinus*, qui bello patrocinari alicubi videtur contra orthodoxos veteres, quorum nullus non illud damnauit, fatetur ingenue, se non posse, etiam si velit, eloqui, quantum malorum, durarum dirarumque necessitatum insit bellis, etiam quæ iusta dicuntur, capite septimo lib. ciuit. Dei 19; quod & obiter a nobis superius tactum est. (Sp.)
(8) Vulgo perperam, *ense.* Eleganter autem *ensem vltorem* dicit & hic & lib. 4 v. 169. & *scelerum vindicem gladium* lib. 3 v. 611. Sic Imper. *Constantinus* iubet insurgere leges, armari iura *gladio vltore*, in l. 31 cum vir. C. ad l. Iul. de adult. Sic eius filius *Constantius* paganos sacrificantes *gladio vltore* sterni iubet. l. 1. C. de Pagan. Sic *Iustinianus* homicidas *vltore ferro* persequitur. §. Item lex Cornelia de sicariis. Instit. de pub. iudic. Quod autem ait, *venia spe tutus adepta*, erat cum mutarem in *adempta*, scilicet: Liguribus seu Mediolanensibus. Nunc vero re melius perpensa nihil muto. Hoc enim dicit: Imperator cum ab Episcopis, quos in consilium adhibuerat, intellexisset, iustam esse belli caussam, nihilque in eo se peccaturum, aut Dei in se aut suos iram concitaturum, id aggressus est. (R.) p. 126 seq.

Iamque gradu refugo Romam sine laude reuersi,
Terribiles nostri legati(1) *Principis iras,*
505 *Quæque suæ trepidi tulerint discrimina vitæ,*
Quantaque probrorum conuitia cuncta gementes
Addiderant(2), Adriane, *tibi, mæstoque relatu*
In Regem nimias acuebant Præsulis iras.
Iam tunc Romani partes dissensio cleri
510 *Fecit, & in geminum secessit schisma fauorem:*
Hi Legatorum partem, Papamque sequuntur:
Ast alii Regis pulchrum, & laudabile factum
Excusant, fortemque vocant, dignumque corona:
Ac velut elatos culpant, nimiumque tumentes
515 *Dissidii caussam, fomentaque prima dedisse.*
Illa dies caussam, momentaque prima malorum
Præstitit, & longo(3) *victuræ tempore pestis.*
Principis, an Papæ fuerit pars iustior(4), *alter*
Qui melius potuit cognoscere iudicet: at nos
520 *Ignari rerum, partem veneremur vtramque.*

(1) Pontificii, superius nominati. (Sp.)
(2) Legendum puto, *ediderant*: id est, exposuerant, commemorarant. Error inde, ni fallor, natus, quod quidam scribunt, *addiderant.* Peccabat etiam hic distinctio. (R.) p. 127
(3) Vulgo, *longæ.* (R.)
(4) Nota insignem εὐλάβειαν, & cautionem *Gantheri* in proferenda sua ἐπικρίσει huius caussæ & controuersiæ inter Imperatorem & Pontificem Maximum, ne videlicet scribat, dicatue per iugulum reditura. (R.) p. 127

At

At Præsul subita(1)*, nimium quoque feruidus ira,*
Præsulibus nostri tam sæua piacula regni,
Contemptusque suos mæstis deflere querelis
Accelerans, tales ferri iubet vndique chartas:
525 (2) *Si satis vnanimes in Christi nomine fratres*
Estis, & eiusdem proles certissima matris,
Contemptus nostros, & sacræ scandala vobis
Credimus ecclesiæ magno ventura dolori.
Quam male legatos maiestas regia nostros
530 *Audierit, quantaque furens exarserit ira,*
Vnius(3) *falso decepta interprete verbi,*
Vel qui præsentes aderant videre: vel absens
Si quis erat, potuit certis audire relatis.
At nos, teste Deo, quod sceptrum iuraque regni
535 *Diximus a nobis illi collata fuisse,*
Non donata quidem, potius sed tradita nostro
Illa ministerio, vel ei commissa, per illud
Credidimus verbum sat recte posse notari.
Numquid ob ambigui suspecta vocabula dicti
540 *Debuit in tantam succendi filius iram,*
Verbaque mandatis opponere dura paternis(4)?
Adde, quod eximio famosos nomine nostri
Custodes lateris(5)*, tanta feritate lacessi*
Pertulit, vt gladios, & sæua pericula mortis
545 *Vix fugerent: vetitosque vltra procedere, tristes*
Turpiter, ac trepidos ad limina sacra remisit.
Neue quis ad nostram(6) *toto de corpore regni*
Audeat vlla sui deferre negotia sedem,
Obseruare aditus, angustaque claustra viarum
550 *Dicitur, & mediam positis custodibus alpem.*

(1) Pflugius *subito*, quæ mutatio non videtur necessaria. *(R.)*

(2) Huius epistolæ habes apud *Radenicum* exemplar: quem latuisse miror alteram eiusdem *Adriani* ad *Fridericum* scriptam epistolam haud dissimili argumento: quam vna cum Ænobarbi responsiua haud grauabor adscribere, quod & ad hunc locum opportune accedat, & simul ostendat, quam degenerarint Romani Episcopi ab humilitate, lenitateque Apostolici spiritus. Adrianus *Episcopus seruus seruorum Dei*, Friderico *Rom. Imperatori salutem, & Apostolicam benedictionem. Lex diuina, sicut parentes honorantibus longæuitatem promittit, ita maledicentibus patri & matri sententiam mortis intendit. Veritatis autem voce docemur*: quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur. *Quapropter, dilecte in Domino fili, super prudentia tua non mediocriter admiramur, quod B. Petro, & S. Rom. ecclesia non quantam deberes reuerentiam exhibere videris. In literis enim ad nos missis, nomen tuum nostro præponis: in quo insolentiæ, ne dicam, arrogantiæ notam incurris. Quid dicam de fidelitate B. Petro & nobis a te promissa & iurata: quomodo eam obseruas, cum his, qui DEI sunt & filii excelsi omnes, Episcopis videlicet? homagium requiris, fidelitatem exigis, & manus eorum sacratas manibus tuis innectis, & manifeste nobis factus contrarius, Cardinalibus a latere nostro directis, non solum ecclesias, sed & ciuitates regni tui claudis. Resipisce ergo, resipisce, tibi consulimus: quia dum a nobis consecrationem & coronam merueris, dum inconcessa captas, ne concessa perdas nobilitati tuæ timemus.* Ad quam Imperator ita respondisse fertur: FRIDERICVS *DEI gratia Rom. Imp. semper Aug.* ADRIANO *ecclesiæ Cathol. Pontifici, Omnibus illis adhærere, quæ cœpit IESVS facere & docere. Lex iustitiæ vnicuique, quod suum est, restituit. Non enim parentibus nostris derogamus, quibus in hoc regno nostro debitum exhibemus honorem, a quibus videlicet progenitoribus nostris, & regni dignitatem suscepimus, & coronam. Numquid tempore Constantini Syluester regalis aliquid habuisse dignoscitur? sed eius pietatis concessione libertas concessa est ecclesiæ, pax restituta, & quicquid regalis papatus vester habere dignoscitur, largitione Principum obtinet. Vnde cum Romano Pontifici scribimus, iure & ex antiquo nomen præponimus, & ad iustitiæ normam eidem nobis scribendi concedimus. Reuoluite annales, & si lectum neglexistis, quod asserimus illic inuenitur. Ab his autem, qui DEI sunt per adoptionem, & regalia nostra tenent, cur homagium & regalia sacramenta non exigamus? cum ille noster & vester institutor ab homine Rege nihil accipiens, sed omnia bona omnibus conferens, qui pro se & Petro censum Cæsari persoluit, & exemplum vobis dedit, vt ita faciatis, docet vos, dicens:* Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. *Aut igitur regalia*

galia nobis dimittant: aut si hæc vtilia iudicauerint, quæ DEI DEO, quæ Cæsaris Cæsari persoluant. Cardinalibus vtique vestris clausæ sunt ecclesiæ, & non patent ciuitates: quia non videmus eos prædicatores, sed prædatores: non pacis corroboratores, non orbis reparatores, sed auri insatiabiles corrosores. Cum autem viderimus eos, quales requirit ecclesia, portantes pacem, illuminantes patriam, assistentes caussæ humilium in æquitate, necessariis eos stipendiis & commeatu sustentare non differemus. Humilitatis autem, quæ est custos virtutum, & mansuetudinis vestræ non minimam notam incurritis, cum huiusmodi quæstiones religioni non multum conferentes, sæcularibus personis proponitis. Prouideat itaque Paternitas vestra, ne dum talia monet, quæ indigna ducimus, offendiculum ponat illis, qui velut ad imbrem serotinum ori vestro aures suas arrigere festinant. Non enim non possumus respondere auditis, cum superbia detestabilem bestiam vsque ad sedem Petri reptasse videmus, paci ecclesiæ bene semper prouidentes. Bene semper valete. (Sp.)

(3) Quando scilicet scripseram, me beneficium contulisse in Imp. Fridericum, corona Imperiali ei imposita: nec me eius beneficii pœnitere. Huius falsum interpretem fuisse videri vult Papa eum, qui id pro Feudo acceperat. Sed quid aliud importat, esse hominem Papæ (vt Epigramma supra relatum habet) quam ab eo feudum recognoscere? quam eius esse vasallum? Quid, quod *Cuiacius* quoque ad lib. 1 feud. tit. 1 fatetur, subdolam fuisse hanc *Adriani* excusationem, cum antea reuera sic sensisset, vt Imperator accepit; postea vero eum pœnituisset, gliscentemque perniciem a se depellere cuperet. (R.) p. 127

(4) Sic *Ausonius* ep. 19; *Si erro, pater sum: fer me: & noli exigere iudicium obstante pietate.* Nota hic, Papam gerere se pro patre Imperatoris: vt & lib. 7 v. 120, & 138 & 165. Quomodo & hodie in Epistolis mutuis hæc necessitudinum vocabula vsurpant Cæsar & Papa. Socrates quidem dicebat, etiam ἀγνώμονι patri morem a liberis gerendum esse. Ad id ergo præceptum forte an hic alluditur. (R.) p. 127

(5) Intelligit *Cardinales* supradictos. Canonistas ideo de latere *Cardinales legatos* dici, quod adsistant Papæ, qui de eorum collegio vt Imperator de senatorum numero, existat. Tum multa de illorum potestate, qualitate, prærogatiua, tradunt *Hostiensis*, & sectatores eius adimunt Papæ ius deponendi Cardinalem sine concilio generali. *Ioann. Monachus* ait, cœtum Cardinalium esse in quasi possessione, ne quid ardui Pontifex inconsulto eorundem collegio statuat: sed memineris vtrumque Cardinalem. (Sp.)

(6) Caussam *Nauclerus* ostendit, quæ Cæsarem eo adegit, vt posthac neque legatum pontificium in Germanicum regnum, nisi a se vocatum, admitteret: neque quempiam, qui iam ad Rom. tribunal prouocarat, Romam proficisci pateretur. Vnde fortasse Lundensis ille Episcopus, vt edicti Imperialis contemptor, interceptus est, per Germaniam iter ad vrbem arripiens prosequendi caussam, appellationis prætextu. (Sp.)

At vos ecclesiæ fortes, validæque columnæ
Pontifices (neque enim vestris hoc credere fas est
Actum consiliis) vos hæc iniuria tangat,
Proque Dei(1) *fortem stabiles opponere murum*
555 *Ne trepidate domo solida, quæ præside Christo*
Ædificata petra(2), *quamuis concussa procellas*
Sentiat, euerti tamen, & succumbere nescit.
Ac primo iuuenem(3) *monitis inflectere Regem*
Cura sit, vt tantum properet purgare reatum,
560 *Autoresque mali rabidæ feritatis* Othonem,
Reinaldum*que simul: quorum Comes aulicus alter,*
Alter in ecclesia falso iam nomine culmen
Pontificale(4) *tenet, famosi criminis vltor*
Corrigat, & digna manifeste puniat ira.
565 *Obsequiumque Deo, nobis impendat honorem,*
Illis(5) *spem veniæ, cunctis exempla relinquat*(6).

(1) Quin potius pro ambitione, fastu, & auaritia tua magis proferendæ ditioni, quam gloriæ Christi studueris: quam retro vere Episcopi humilitate, mansuetudine & paupertate adseruerunt: cum tu neque præpositum nomen in familiari epistola vere Romani Imperatoris, neque verbum quidem in te dictum pro nomine Christi pati sustinueris. (Sp.)

Dei domum vocat ecclesiam, more Pauli Apostoli. *In magna autem Dei domo non tantum sunt vasa honoris, sed etiam ignominiæ*, inquit ille. Venire hic alicui in mentem potest sententia versiculi.

Religio velum est, quod scelus omne tegit. (R.) p. 127

(2) Alludit ad promissionem Saluatoris, de immota firmitate, stabilitate ac perpetuitate ecclesiæ factam confessoribus Christi, filii Dei viui: Matth. 16; quorum ibi personam Petrus sustinebat. Sed de eius loci vero sensu, & abusu, copiose disseruit auuncu-

lus

lus meus, *Matthias Bergius*, in suo de Ecclesia Tractatu. Recte quoque hic monet *Spiegelius* non ad vnum Petrum duntaxat, sed ad omnes Christianos, id quod ibi dicitur, pertinere. Vide etiam *Hotomannum* in Bruto fulmine pag. 53. (R.) p. 127 seq.

(3) Pfiugius *tumidum*. Nisi *iuuenem* pro temerario, calido & iracundo accipias. Facile enim iuuenes & sumunt iras & ponunt: teste *Aristotele* lib. 2 Rhetor. (R.) p. 128

(4) Vulgo prætensum Episcopum vocant: *Einen vermeinten Bischoff.* (R.) p. 128

Quod Imperatore, vt reor, auspice ad Coloniensem ecclesiam *Reinaldus*, Imperialis aulæ Cancellarius, inuito *Adriano* euectus erat. Vnde dicit, *falso nomine*. (Sp.)

(5) Legendum puto, *Nulli*, nam si illos punire debet Imperator, vt Papa postulat, quæ spes veniæ ipsis relinquetur? Venia enim tollit atque abolet pœnam, eiusque gratiam facit. *Pfiugius* tamen retinebat, *Illis*, & exponebat, Legatis. (R.) p. 128

(6) L. *recidat*. (B.)

Talibus acceptis a summo Præsule chartis,
Pontifices vno sic rescripsere tenore:
(1) *Scimus, & a Domino stabili promissa tenemus*
570 *Indubitata fide, nunquam de sede mouendam,*
Quam Petrus in solida(2) *fidei consistere iussam*
Protegit ecclesiam Christo sub præside petra.
Cum tamen insolitis sedes Romana procellis
Concutitur, capiti totius corporis angor
575 *Condolet*(3), *vniusque dolor transfertur ad omnes.*
Hinc fuit, alme pater, cum regia pectora nuper
Illa recens dubiis mouisset epistola verbis,
Cum fremerent regni proceres, strepituque feroci
Obstruerent stupidas insuetis vocibus aures,
580 *Vt neque fulmineam te contra Principis iram,*
Et sæuas stimulare minas, nec rursus in illum
Munimenta tuæ parti præstare liceret.

(1) Extat & huius epistolæ exemplum apud *Radeuicum*, quæ satis indicat tunc temporis Episcopos nostros haud tam addictos fuisse Romanæ sedi, atque nunc sunt. (Sp.)

(2) Abutitur notissimo Scripturæ apud *Matthæum* loco, ad adserendum Romanæ ecclesiæ primatum: quum Christus iis verbis significauerit, se super istam petram, hoc est, solidam istam fidei professionem extructurum ecclesiam suam: in quo fundamento si constiterit, nec inferi quidquam aduersus illam poterunt, nedum homines. Proinde hæc verba: *At ego vicissim tibi dico, quod tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo meam ecclesiam, & portæ inferorum non valebunt aduersus illam*, non tantum ad Pontificem vnum, sed ad omnes christianos pertinent. (Sp.)

(3) Vide notata ad lib. 3 v. 316; iisque hæc nunc adde *S. Bernardus; *Membra caput sequuntur, quo laborante, omnes corporis partes laborare necesse est.* *Saluianus* lib. 7 de Gubernatione Dei; *Morbido capite nil sanum est, neque vllum omnino membrum officio suo fungitur**. *Plinius* Epist. 87; *Vt in corporibus, sic in imperio grauissimus est morbus, qui a capite diffunditur.* *Nazarius* Panegyrico: *In corpore cum aliqua pars ægra est, valetudo omnis contaminari solet.* *Ausonius* Epist. 24 ad Paulin.

» *Sic pars ægra hominis trahit ad contagia sanum*
» *Corpus, & exigui quamuis discrimine membri,*
» *Tota per innumeros artus compago vacillat.*

Similis fere apud *Demosthenem* comparatio. (R.) p. 128

(1) *Vt si forte nouo*(2) *lunam concurrere*(3) *soli*
Ætheris impulsu mirantia sidera cernant,
585 *In neutram belli secedere territa partem*
Forsitan audebunt, & compatientur vtrique.
Hunc velut innato, proprioque calore timendum
Horrebunt, isti placidæ magis, atque labore
Assuetæ socio, densas purgare tenebras
590 *Præstabunt tacitum, nil amplius ausa, fauorem.*
Sic nos Cæsareas(4) *& formidauimus iras,*
Et tibi, qua licuit, fauit secreta voluntas.
Illa tamen dubii sensus defendere verba(5),
In tanto procerum fremitu, medioque furore
595 *Omnibus infestis, nullo præsumpsimus ausu.*

Quæ super hæc nobis mandata legenda dedisti,
Legimus, & monitis cupidi parere paternis,
Protinus ammonitu(6) *regalia pectora blando,*
Iamque soporatas precibus demulsimus iras:
600 *Cuius, vt expressas possis agnoscere voces,*
Dulcibus alloquiis(7) *ita respondisse putato:*

(1) Comparationem & hanc neque ineptam dixeris. (Sp.)

(2) Quod talis appareat post defectum: qui, vt deprehendi possit, docet *Seneca* capite duodecimo primi Natur. quæstion. (Sp.)

(3) Opponere se. (Sp.)

(4) Comparatio hæc claudicat secundum Ius Canonicum, in quo Papa *soli*, Imperator *lunæ* confertur. c. 6, solicitæ, extra De maiorit. & obedientia. At hic totum est contrarium. Isti enim Episcopi Imperatorem *soli*, Papam vero *lunæ* similem faciunt. Forsitan igitur iam tum hæretica prauitate infecti fuerunt. Accedit hoc quoque, quod non statim assentiuntur in omnibus Pontifici Romano tanquam ἀνυπευθύνῳ καὶ ἀνεκλογίστῳ: Quod debuerant certe, ex eiusdem Iuris Pontificii sanctione, qua Pontifex non magis quam Deus a quoquam hominum iudicari potest. c. 7 satis euidenter. Distinct. 96, aliisque plurimis locis. Quin etiam Paulinum illud ad se traxit: *Spiritualis homo iudicat omnia; Ipse iudicatur a nemine.* Hinc illa Pontificiorum Legatorum responsio ad *Fridericum* lib. 9 v. 321;

Qui se iudicio Papam, qui iudice nullo
Fungitur in terris, supponere posse negabant.

non satis præstare, sed tantum satis accipere paratos. Honesta oratio: Quippi ni? cum, Festo teste, Pontifex Maximus dictus sit, quod iudex atque arbiter habeatur rerum diuinarum humanarumque: Item, Quod maximus rerum quæ ad sacra & religiones pertinent, iudex sit, vindexque contumaciæ priuatorum magistratuumque. Cum igitur hanc potestatem habuerit Pontifex Maximus in paganismo (ex quo & nomen ipsum Papa Rom. mutuatus est) an non multo magis eandem etiam in Christianismo obtineat? Et id quidem demonstrarunt scilicet totis libris editis *Franc. Turrianus, Augustinus Triumphus, Robertus Bellarminus, Gulielmus Rossæus,* vt alios id genus fideles προμάχους Apostolicæ sedis taceam. (R.) p. 128 seq.

(5) Quæ literarum Papæ series continebat. *Insigne,* videlicet, *corona beneficium tibi contulimus.* (Sp.)

(6) Sic & Augustana editio pro *admonitu,* antique. Alluditur autem ad sententiam Salomonis: *Sermo mollis mitigat iram, quam præfractus exasperat.* Eleganter *autem iras soporatas* dicit, quas alii *consopitas.* (R.) p. 129

(7) Alloquium & allocutio alias consolationem significat: vt *Muretus, Lipsius* & alii obseruarunt. At hic quæuis verba. (R.) p. 129

Imperium geminis disponitur, inquit, habenis,
Legibus, & veterum seruato tramite morum(1):
His ego contentus, fines transire paternos(2)
605 *Nec volo, nec possum: neque enim prudentior illis*
Laude superuacua cupio, vel maior haberi.
Debita Pontifici faueat reuerentia: regnum
Legibus antiquis, & prisco more regatur(3):
Cuius ab æterno tantum collatio Rege(4)
610 *Prouenit: ad proceres electio pertinet*, in qua*
Præcipuam vocem(5) *Præsul de iure vetusto*
Moguntinus habet: pastori prima recentis(6)
Agrippina tuo conceditur(7) *vnctio Regis:*
Imperii nitidam(8) *summo sacrare coronam,*
615 *Pontifici ius est: vt vero nomine possit*
Non dator Imperii, sed confirmator haberi(9).
Hæc ego magnorum suscepi iura parentum,
Hæc retinere libet: si quid superaddere quisquam
Nititur(10), *inualidum prorsus vacuumque relego.*

(1) Sic *legitimos tramites* vocat *Iustinianus* in Procemio Instit. Et Ausonius elegantissime *veterum morum regulam* Epigram. 8, & ep. 16. Item *libram morum.* (R.) p. 129

(2) Alludit ad illud sacrarum litterarum: *Ne transferas terminos, quos posuerunt maiores tui.* Deut. 19. (R.) p. 130

(3) Sic *Ennius*:

Moribus antiquis stat res Romana, virisque.

ex quo *Iustus Lipsius* suum illud symbolum fecit: MORIBVS ANTIQVIS. Quod autem Leges & morem seu mores coniungit, tam hic, quam supra lib. 3 v. 381, non temere neque

re neque sine exemplo eruditæ antiquitatis *Guntherus* facit. Nam sic *Horatius*, epist. 1 lib. 2, *cum*, inquit ad Augustum, *res Italas moribus ornes, legibus emendes.* Sic *Caius* in l. 9. ff. de iust. & iur. *Omnes populi, qui legibus & moribus reguntur.* Omitto *Ciceronem*, qui sæpe hæc iungit ἐκ παραλλήλου. Et recte: Nam vt idem *Horatius* 3 Carm. 24; *Quid leges sine moribus vana proficiunt?* Quod sapientissimus Poeta ex principe Philosophorum sumpsisse videtur, qui ita scribit 2 Politic. ὁ νόμος ἰσχὺν οὐδεμίαν ἔχει πρὸς τὸ πείθεσθαι πλὴν παρὰ τὸ ἔθος. Sæpe tamen leges a moribus, vel hi ab illis potius, longe diuortunt: fitque id, quod *Plautus* conqueritur in Trinummo Sc. Stasime. *Mores leges perduxerunt iam in potestatem suam: Magis queis sunt obnoxiosi, quam parentes liberis. Ea misera etiam ad parietem sunt fixa clauis ferreis, vbi malos mores affigi nimio fuerat æquius.* (R.) p. 130

* Iuxta eorundem traditionem Pontificis beneficio, quod ille transferat imperium de gente in gentem. Verum superius indicauimus, formulam illam de electione vulgatam, non fuisse perpetuam, sed magis commentitiam videri. (Sp.)

(4) Idem *Iustinianus* Aug. prodidit in principio codicis sui, multisque rationibus legum interpretes nituntur ostendere, a solo Deo ius & potestatem imperii deriuari. Sed Canonistæ, qui potissimum papalem dominationem exstruxerunt, locis aliquot euangelicæ doctrinæ insigniter detorsis, respondent egregio scilicet, commento: Si imperium est, inquiunt, a Deo, hoc non est immediate, sed per debitam & subalternatiuam emanationem a Vicario Christi, apud quem sunt iura cælestis & terreni imperii, ad probandum hoc, suas, quas statuerunt doctrinas, citant. (Sp.)

(5) Hoc est, *primam*, vt *Radeuicus* indicat. Hodie postremam habet. Lege caput constitutionis Carolinæ, quam *auream bullam* vocant, de Principibus Electoribus in communi. (Sp.)

Nota, Moguntinum Episcopum in electione Imperatoris præcipuum habere suffragium; Coloniensem primam vnctionem. Vide supra lib. 1 v. 231 & 443. Olim etiam vnctio seu consecratio Regis Rom. a Moguntino fiebat: vt docet *Nic. Cisnerus*, in oratione de Othone III. Obseruandus etiam hic Germanismus, *Die erste oder furnembste Stimme haben.* (R.) p. 130

(6) Electi. (Sp.)

(7) Id genus cærimoniarum alicubi ridere videtur *Leonardus Aretinus.* Certe Christus & Rex, & Sacerdos, nulla externa vnctione, sed paterna voce tantum: *Ipsum audite*, vniuerso orbi Imperator, & Rex, & Dominus dominantium constitutus est. Vnde autem fluxerit mos vngendi Sacerdotes & Reges, ostendit *Polydorus.* (Sp.)

(8) In primo lib. de tribus coronis, quibus Imperator coronatur, nonnulla ex rerum scriptoribus retuli. Canonici iuris interpretes ideo ferreo primum, deinde argenteo, postremo autem aureo diademate caput Imperatoris cingi inter alia tradunt, quod iis metallis Romani singulis quindecim annis recipiebant tributum de toto mundo, cum tamen illum nunquam occupauerint. Vnde & hoc commentum & sane perridiculum, a grauibus autoribus est explosum: sicut & allegoriæ ad hoc triplex insularum genus relatæ. Notum est illud non illepidum glossæ commentum in Rub. C. *de indict.* libro 10. Imperatorem scilicet, triplici corona insigniri: quod sit totius mundi Dominus, qui tres in partes diuiditur. Quod enim toti Asiæ dominetur, promulgatum est *l. fi.* C. *de temp. appell.* Quod Africæ, *l.* 1. ff. *de offic. præf. prætor. Afr.* Quod Europæ, *l.* 2 C. *de appell.* Quod autem ex coronatione nihil noui iuris Cæsaribus accedat, libro proximo ostendemus. (Sp.)

(9) Sed & dator iuxta decreta Pontificum, & Canonistarum traditiones, quibus egregie Papæ vtriusque gladii potestatem vendicant, contra genuinum Christi verborum sensum: quasi ille frigidam illam suam distinctiunculam de habitu & exercitio inuenerit. *Balbus* Pontifex cap. 22, libro *de Coronatione* tradit, vnde euenerit, vt mutato vetere instituto, Imperator confirmetur a Pontifice. (Sp.)

(10) Ita lego cum *Perna.* At Wecheliani: *Si quis superaddere quicquam.* Quæ lectio etiam defendi potest. (R.) p. 130

620 *Sunt(1) sua iura patri, diuinis legibus orbem*
Temperet: ecclesias, quo debet iure, gubernet:
Cogitet antiquos primæui temporis annos,
Præteritosque dies, & secula prisca reuoluat,
Num Petrus? aut Clemens(2)? num cetera turba priorum(3)
625 *Sceptra latina dabat? Romanus(4) tempore prisco*
Pauper(5) erat Præsul, regali munere creuit(6):
Nec tamen vt fasces, & regni iura Latini,
Vel dare præsumat, vel cuiquam tollere possit,
Excessere modum magnorum munera Regum(7),
630 *Si tantum cuiquam ius in sua regna dederunt.*
Sed neque tanta fuit largitio(8), nec dare quisquam
Quo caret ipse potest: huius collatio regni
Autorem sortita Deum, contingere nulli

Iure

Iure potest hominum: collator muneris huius
635 *Est Deus: hoc summis regnum confertur ab astris.*
Hoc tamen arbitrium Romanus tempore nostro
Vendicat Antistes, documentaque vana figuris(9)
Exprimit, & chartis dat grandia verba superbis.
Iamiam picturæ(10), *moneo, tollantur inanes:*
640 *Cauta verecundis mitescat epistola verbis.*
**Iam veris tractare libet, iam muta loquaxve*
Cedat, & e medio mendax tollatur imago.
Quid sua verba ferant(11), *studeat pensare prius, quam*
Regales incauta manus reprobandaue tangant.
645 *Si cupit ecclesiæ*(12) *pacem cum Regibus*(13), *esse.*

(1) Forte legendum *sint*; Sequitur enim *temperet, gubernet, cogitet.* (R.) p. 130

(2) Libet hic exclamare illud *Propertii*:
Is mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aqua fluxere per orbem.

Libet etiam illud *Maronis* vsurpare:
Sic omnia fatis
In peius ruere, & retro sublapsa referri!

Et *Spartianus* in Septimio Seuero: *Ita omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est.* Denique *Horatianum* hoc: *Ætas parentum peior auis tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitiosiorem.* (R.) p. 131 seq.

Profecto dolendum est opus Lini, qui mox Petro successit, intercidisse, quo complexus est res gestas Petri. Quæ enim circumfertur a Clemente conscripta Petri cum Simone mago concertatio, prorsus aliena est a pectore Apostolico. Receptum est, Petrum ecclesiæ Christi præfuisse an. 25 Antiocheæ: 7 reliquos Romæ. Præterea obseruatum, id quod rei experimentum, veritasque hactenus edocuit, vniuersorum scilicet, diui Petri successorum, cuiuscumque illi sortis sumantur, neminem tot diebus in eius sede, aut consedisse, aut consessurum esse, quotquot diebus diuus Petrus primus a Christo ecclesiæ Pontifex institutus in ea consedit. Et rursum non tantum diui Petri dies nullus Romanorum Pontificum suo in pontificatu permensus attigit, sed & ipsum quoque Petri nomen, quod ad christianæ ecclesiæ solidissimam petram non immerito alludit, Romanorum Pontificum obtinuisse, hactenus nemo visus est, quod hoc disticho *Bonillus* cecinit:

Petri successor, consedit nemo diebus
Tantis, & nomen nemo secundus habet.

Clementis autem pietas, eruditio, atque modestia summa commendata est a scriptoribus temporum, rerumque Romanorum Pontificum. Huius meminisse volunt diuum *Paulum* capite vltimo ad Philippenses, eiusque esse eam, quæ ad Hebræos nunc vulgo inscripta est epistola. (Sp.)

(3) Pro, *priorum*, Pflugius diuinabat, *piorum*. * Ego *priores* intelligo maiores, antecessores*. (R.)

Scilicet, Romanorum Pontificum, quos idem *Bonillus* non inscite in triplicem ætatem dispartitus est. Vt scilicet prima eorum sit, qui in initio nascentis ecclesiæ sub cruentis Imperatoribus viuentes mortalem corporis amictum, in proprii sanguinis effusione, ad Christi imitationem exuerunt. De his indubie sentit *Fridericus*. Secunda eorum est ætas, qui quanquam pro Christo sanguinem non fuderint, nec palmam martyrii adepti sint: secundo tamen loco per beatorum martyrum vestigia incedentes, doctrinis, orationibus, ieiuniis, lachrymis, eleemosynis, & aliis huiusmodi pietatis operibus eximiam animi munditiem, & puritatem consecuti, templum Dei & coheredes Christi effecti, in Sanctorum contubernia transierunt. Tertia summorum Pontificum distinctio eorum est, quorum quamplurimi vel a prioris vitæ sanctimonia paulatim degeneres, animum genialibus deliciis inflexerunt, aut magis dominandi libidine, quam pietatis studio, summi pontificatus dignitatem contentiosis ambitionibus inierunt: qui neque, vt primi illi viciniores Petro, martyrii palmam adepti sunt: neque vt mediorum, sincera cohors vsquequaque vitæ sanctimoniam coluerunt, vt piorum confessorum catalogo publice promererentur inscribi. (Sp.)

(4) Id est, Episcopus. Nam ab initio neque Papæ, neque Pontifices, sed Romani Episcopi vocabantur. Nomen a vetustis temporibus deductum. Nam Athenienses, quos speculatum mittebant, quid in vnaquaque subditarum ciuitatum boni, maliue, æqui, aut iniqui ageretur, hos *episcopos*, id est, *speculatores* vocabant, vt cap. *qui Episcopatum* 8 quæst. 1. Vnde vero, & quare Romanorum Episcopo nomen hoc *Papa* fuerit inditum, tradit *Ioan. Andreas* in præfat. Clement. (Sp.)

(5) Tandem (vt *Bernhardus* argute queritur) cum religio diuitias peperisset, filia matrem deuorauit. (R.) p. 131

(6) Scilicet, tempore *Constantini* M. & *Syluestri* Papæ. (Sp.)

(7) Alludit ad illam toties & tantopere iactatam ac decantatam donationem Constantini Magni & Ludouici Pii. Vide cap. 13 & cap. 14 Constantinus. Distinct. 96, & cap. 30, Ego Ludouicus Distinct. 63 cap. 17 fundamenta. De elect. & electi potest. in 6. Pro illa prolixe, vt in mala caussa, disputat *Franciscus Bursatus* Iurisconf. Consil. 124, & *Angelus Roccha* in Commentario Bibliothecæ Vaticanæ, pag. 181 vsque ad 193. Contra

eam

eam cum alii, tum accuratissime, solidissime & neruosissime *Franciscus Hotomanus* Disputat. Feudal. cap. 8 prope fin. & in Bruto fulmine sub tit. de crimine falsi. Vide & *Iohann. Michaelem Bentherum* in Additionibus seu Explicat. ad cap. 13. Animaduers. patris sui. (R.) p. 131

(8) Designat vulgatam illam Constantini iam dicti donationem, de qua apud nullos extat autores, præterquam in libro Decretorum: Idque in antiquis voluminibus minime contineri, autor est *Antoninus* in Chronicis. Quanquam *Isidorus* in historia sua scribit, eum vrbe Roma Pontifici cessisse, ornamentisque omnibus imperialibus, diademate videlicet, habituque & albo equo, quo vectabatur. Basilicas item dicitur nonnullas in vrbe condidisse. Sed quid hæc ad tam immensum Petri, vt aiunt, patrimonium, elephantia Constantini, sanguine puerorum, & Syluestri baptismate partum? O beatas nugas, quæ tantum constituere imperium. In *Laurentium Vallam*, virum propter veritatem odio habitum & persecutum, quod probare conatus est, eo libello, qui iam vulgo notissimus est, nullum ius, siue munus imperii Pontifici concessum, huiuscemodi distichum iactatum legimus: *Ohe, vt Valla silet, solitus qui parcere nulli est, Si quæris quid agat, nunc quoque mordet humum.* (Sp.)

(9) Alludit ad imaginem illam sua picturam Lutheri a Papa coronati: de qua supra v. 387. (R.) p. 131

(10) Quæ *Lotharium* Imp. adorantem Pontificem, vt dictum est, exprimebant. (Sp.)

* Suspectus locus. (B.)

(11) Importent: quid sibi velint. Ceterum hic & in seqq. versib. peccabat distinctio, quæ sic omnino restituenda est, vt imprimi curauimus. (R.) p. 131

(12) Sacerdotio. (Sp.)

(13) Imperio. (Sp.)

Nec sumus ignari, patri quid filius, aut quem
Debeat ille mihi versa vice iuris honorem.
Legatos siquidem minime procedere passi,
Non(1) in contemptum diuini patris(2) ad vrbem
650 *Iussimus, aut odio vestigia versa referre:*
Sed quia multa nouæ secum molimina fraudis,
Vel iam scripta notis(3), vel adhuc scribenda ferentes,
Optabant miserum premere & exsugere(4) clerum,
Diuinas spoliare domos, secumque referre,
655 *Quo nunquam Romana sitis satiabitur(5), aurum.*
Anpulchrum satis est, & summo præsule dignum
Impressas signo vacuas emittere chartas(6),
Quas possit lator variis inscribere nugis(7)
Cum volet, & miseris falsas affigere(8) culpas,
660 *Laturus veram ficto pro crimine prædam?*

(1) Vulgo, *nec*, vt & *Pithœus* edidit. Quo retento versus esset ἀκέφαλος. (R.) p. 131

(2) Ita recte *Perna*, vulgo *patria*. (R.)

(3) Notas caue hic accipias more Iurisconsultorum pro litteris singularibus, quæ σίγλα appellabant: quibus *Iustinianus* libros suos describi vetuit; sed simpliciter intellige pro litteris, vt apud *Ouidium* quoque *Cicero* 13 Attic. ep. 32 *per notas scribere* vocat διὰ σημείων, & Glossarium vetus, *Nota*, σημεῖον. *Notare*, σημειῶσαι. *Notarius*, σημειογράφος. (R.) p. 131 seq.

(4) Augustana editio, aliæque, *& exugere*. (R.)

(5) Taxat auaritiam Romanæ curiæ, & aperit imposturam ad corradendum argentum a clero Germanico. (Sp.)

(6) * Significat illud genus litterarum, quod *chartas blancas* siue *bianchas* vocant Itali. Nota hic, quando cum periculo earum datio coniuncta sit, nisi fidelissimis dantur hominibus. Nam si quis falsarius esse velit, potest chartis puris a mandante acceptis quicquid voluerit inscribere. Itaque qui tales chartas suo sigillo & chirographo munitas dat, videat, cui fidat*. (R.)

(7) Diuinabam aliquando, *vanis*: quando & alibi sic aberratum esset. Sed video retineri posse *variis*: quod etiam Augustana editio habet. (R.) p. 132

(8) Malim, *affingere*. Est enim in versu seq. *ficto crimine*. (R.)

Nam quod me queritur, positis custodibus, omnes
Præclusisse vias: nec me fecisse negabo,
Nec nisi propensa factum ratione fatebor.* *f. perpensa. (R.)
Si quis habens caussam, sacra limina iure probatam
665 *Vel peregrinus adit, via libera rite patebit:*
At si quis nugas pacis turbator inanes
Illuc ferre cupit, nusquam transire licebit.

Hæc de responsis diui(1), Pater optime, Regis,
Salua pace tua, tibi rescribenda putamus.
670 *Nam quæ præter ea superaddidit, vtpote quasdam*
Pactorum tacitas(2) ignaro Principe leges,
Contractusque nouos, & conspirata latenter
Fœdera cum Siculis(3), melius reticenda videntur.
Ille Palatinus iam tunc a Principe nostro
675 *Regius Italicas veluti præcursor ad vrbes,*
Non aderat præmissus Otho: Reinaldus *eodem*
Accelerare parans multis præsentibus ante
Immunem culpæ, populique furentis ab ira
Protexisse viros(4), multo se teste probauit.

(1) Sunt viri docti, qui putent, Imperatorem viuum non recte, imo non sine crimine Maiestatis *Diuum* appellari posse: Tunc demum hunc titulum ei competere, cum iam rebus humanis exemptus est. Contra eos hic locus obseruandus est, vbi etiam viuus Rex tamen *Diuus* appellatur. Opponimus iisdem locum *Horatii*: *Præsens* diuus *habebitur Augustus.* Et *Symmachum* 3 ep. 81; *solenne est* Diuo *nostro* Theodosio *in suos exercere censuram.* (R.) p. 132

(2) Significat clandestina & occulta fœdera cum hostibus Imperii. Vt autem hic *leges pactorum* dicit *Guntherus*: Ita interpretes Iuris *pactum legis commissoria* vsurparunt: Quam locutionem pro inepta reprehendebat Doctor meus Clarissimus *Hub. Giphanius.* Deinde nunquam veteres ICtos ita locutos fuisse, sed simpliciter *legem commissoriam*, vel *pactum commissorium* dixisse. *Cuiacius* tamen eam loquendi formulam defendit. *Nam* (inquit) *vt* pignoris hypothecam, & legem pacti, & pactum pacis, & actionem conditionis *recte dicimus: cur non* & pactum legis? Sic fere *Guntherus* lib. 7 v. 338 *negotia rerum* dixit. (R.) p. 132

(3) *Guilielmus* Siciliæ Comes, qui patri *Rogerio*, quem *Lotharius* Cæsar regno Neapolis exegerat, successit, statim inito principatu ecclesiæ rem contrectare cœpit. Vnde *Adrianus* in eum, a se diris primum execrationibus deuotum, copias duxit, tamen parum feliciter. Nam apud Brundusium conserta manu, Græcos & Apulos, qui pro Pontifice stabant, ingenti prælio fudit: captoque mox in *Adrianum* agmine, compulit ipsum ad vltro offerendum eas pacis conditiones, quas antea respuerat: inter quas erat & illa, vt scilicet, se Regem vtriusque Siciliæ declararet. Quod a Pontifice factum Ænobarbus ægerrime tulit, primaque fax odii in Pontificem credita est. (Sp.)

(4) Legatos Papæ. (Sp.)

680 *Nunc age, tranquillæ sanctissime pacis amator,*
Iustitiæ speculum, placidorum sanctio morum,*
Nunc age deposita, si quam dolor intulit, ira,
In melius mentem reuoca, nobisque, tibique
Consule: neu placidam mundi turbare quietem
685 *Ecclesiæ, regnique grauis dissensio possit.*
Mitior augustas mittenda videtur ad aures,
Quæ tantos animi compescat epistola motus.

* Elegante versu exprimit officium & virtutes boni Episcopi. Et tales certe erant prisci illi Patres, qui se præstabant typum fidelium, & qui auditoribus suis vere dicere poterant cum Apostolo; *Imitatores mei estote, sicut ego sum Christi.* At nostra tempestate reperti sunt, qui dicerent; non ad opera, sed ad doctrinam suam auditores attendere, & vitam conformare debere. Quam degenerationem serio deplorat auunculus noster optimus & doctissimus *M. Bergius* in præclaro suo opere *de Arte interpretandi scripturas*: quod de ipsius voluntate vltima aliquando cum Deo edemus. (R.) p. 132

ARGV-

ARGVMENTVM LIBRI SEPTIMI.

Septimus Augustæ conuentum indicit, & inde
Intrat ad Italiam(a), summos sumpturus honores.
Hinc Graium fraudes memorat, legataque Papæ(b),
Atque interceptos Comites rescriptaque(c) narrat
Dacorum Regi donantur sceptra, & ab Arcto
Conueniunt gentes, Ligurum & contendit ad vrbem;
Scribuntur leges: proceres hortatur, & ira
In Ligures totus candet fortissimus heros.
Acriter ad Trecium(d) pugnatur, & obsidione
Mœnia cuncta(e) quatit, portas turresque refringit.

(a) Mallem, inquit Nobilissimus *Pflugius*, *Italiam summos intrat sumturus honores.* (R.)

(b) Iunge, *memorat* vel *narrat* Papæ *fraudes & legata Graiorum*, id est, fraudulentas legationes. Ita enim hic noue vsurpat *legata* pro legatione, vel mandatis. (R.)

(c) Augustana editio, & aliæ omnes, præter Pithœanam, habent, *narratque rescripta.* (R.)

(d) Augustana editio *Ticinum* habet. Male. (R.)

(e) Forte, *cincta.* Vt iungantur, *obsidione cincta*: non, *obsidione quatit*, quod vulgaris lectio postulat, sensus autem respuit. (R.)

LIBER VII

IAmque profecturis ad magna negotia signis
Rhætica rura(1) tenens multo cum milite Princeps,
Qua celer Augustam placido Licus irrigat amne,
Proxima(2) Vindelicæ tentoria fixerat vrbi.
5 *Hic ex diuersis venientia partibus orbis*
Agmina septenis placet expectare diebus.
Cuius, vt aduentum tanta Romanus in ira
Comperit Antistes, vera tunc denique fama
Territus, Henricum(3) *præmittens, atque* Hiacynthum
10 *Ire iubet, placidisque virum mulcere loquelis,*
Scriptaque pacificis minus aspera reddere(4) *chartis.*
(5) *Nam iam cum valido*(6) *prudens* Reinaldus Othone(7)
Italiam, finesque tuos Verona tenebant.
His sine marte viris ingressu Riuola(8) *primo*
15 *Inuictum, nullaque manu superabile castrum,*
Traditur; aeriæ primis in faucibus alpis
Extructum ditione sua Verona tenebat.
Contulit his multum, gratosque sequentibus vsus*
Præstitit, vt tuto transirent agmina gressu.
20 *Tum quascunque viros vrbes, aut magna subire*
Oppida contigerat, populis gaudentibus vltro
Exceptos læti decorabat cultus honoris.
Tunc proceres, clarique viri, turbæque minoris
Ambitiosa manus, studio deuota fideli,
25 *Sacramenta dabant*(9), *cunctas seruanda per vrbes.*
Principis Ausonii ius, famam, corpus, honorem,
Nec(10) *se læsuros, & si quis lædere tentet,*
Vsque vel ad mortem tota virtute(11) *reniti.*

(1) Rhætiæ nomen latissimum olim patuit, vt ostendimus supra: sed & Ænobarbi nostri ætate, quod *Radeuicus* aperte indicat. *Augusta*, hodie Sueuiæ caput, Rhætiæ ciuitas habita est, in qua & sita est, vt testatur *Petrus Appianus*, nobilis mathematicus. (Sp.)

(2) Ipsam iam dictam *Augustam* intelligit. Alteram tamen Baioariæ suæ *Auentinus* optimo iure vendicat, quoniam Geographi tam Græci, quam Latini *Vindeliciam* appellant, quicquid hodie nomine superioris & inferioris Bauariæ continetur, a qua nobilem illam

illam Sueuorum *Augustam* Licus dirimit: atque ideo in Rhætis magis, quam Vindelicis sita esse censenda est. Nam *Vindam* eundem esse fluuium, qui patrio sermone, *VVertaha* vocatur, magno receptum est errore: quem & nos, non tamen absque clari nominis assertoribus, secuti sumus alicubi. (Sp.)

(3) Cardinalem Presbyterum tit. *SS. Nerei & Achillei*: & *Hiacynthum* Cardinalem Diaconum *S. Mariæ* in schola græca: viros prudentes, &, vt ait *Radeuicus*, in sæcularibus & ad curialia negotia pertractanda prioribus missis multo aptiores. (Sp.)

(4) Hoc est, emollire animum *Friderici* Aug. epistola blandiore argumento scripta. (Sp.)

(5) *Radeuicus* singulari cap. libri tertii legatorum Cæsaris laudem persequitur: indicans, nullum eximiæ virtutis facinus in ea expeditione gestum esse, in quo illi primas non obtinuerint partes. (Sp.)

(6) Magnanimo. (Sp.)

(7) Comite Palatino, cuius supra meminimus, vt & *Reinaldi* Cancellarii aulæ Augustæ. (Sp.)

(8) Nostrate lingua, *der Kovel an Berner klause*. Idem ille locus in quo positæ sunt insidiæ, vt eleganter cecinit Poeta in quarto, repetenti iam Augusto *Friderico* Germaniam: & inclitum fortitudinis animi specimen edidit *Otho* Comes, cuius hic fit mentio. (Sp.)

* L. *contulit* hoc *multum*. (B.)

(9) Sic lib. 8 v. 148 *Iuramenta dabunt*, id est, iurabunt. Ita dictum, vt est apud Plautum & Terentium *dare iusiurandum*. Notari hic possunt capita Iuramenti fidelitatis: de quibus plura vide in libris Feudorum. De varia *Sacramenti* significatione erudite explicat Bergius meus in Tractatu suo *de Eucharistia* (R.) p. 133

Etiam religionis Antistites, vt satis innuit formula iuramenti, quæ extat apud *Radeuicum*: & lecta mox ostendit, quam inuicto animo *Fridericus*, Princeps minime superstitiosus, Imperii iura per Italiam asseruerit. (Sp.)

(10) Eleganter iungit particulas, *Nec*. Et more *Plauti* & *Ciceronis*. Exempla apud illos obuia passim. (R.) p. 133

(11) *Omni ope* dicere solet Sallustius, Plautus *summis opibus*, vel etiam, *ex summis opibus*. (R.) p. 133

Inde tuos raptim transcurrunt Mantua fines,
30 *Mantua*(1) *famosi*(2) *musa*(3) *vulgata*(4) *poetæ,*
Vicinamque petunt, acturi magna, Cremonam,
Quam Padus effusis delambit molliter vndis.
Huc ex Italicis confluxerat vrbibus ingens
Pontificum(5), *procerumque manus: reuerenter ab illis*
35 *Susceptura sui mandata recentia Regis.*
Quæ postquam quanto decuit splendore diserti
Exposuere viri, placidaque hæc(6) *aure verendi*
Suscepere patres, magno complenda fauore.
Inde per Æmyliam(7) *vestigia versa ferentes,*
40 *Te Rauenna*(8) *petunt, legatos Regis Achiuum,*
Quos apud Anconam positos, hostilia quædam
Moliri audierant(9), *horum Palæologus ille,*
Hic Logotheta(10) *fuit, cœptis arcere parantes:*
Hi contra Siculum(11) *specietenus arma mouentes,*
45 *Prætextu belli furialia vota tegebant:*
Nam quæ littoreis stabant in finibus vrbes,
Conciliare suo, nostroque abrumpere regno,
Arte, dolo, bellive metu, pretiove parabant,
Venalesque manus(12), *& municipalia castra*
50 *Conflabant multo, quod Græcia miserat, auro.*
His bellatricem iuuenum Rauenna cohortem
Improba conductis merituram miserat armis.
Vt plebs illa nihil(13) *cum spe mercedis iniquum*
Iudicat: oblato nihil est quod abhorreat auro(14).

(1) Vnde *Silius* cecinit, ipsam esse domum musarum, atque ad sidera cantu euectam Andino. Sed clarior hic locus ante omnia sanguinis prodigio, qui ex corpore dominico fluxit, & a *Longino* martyre ex humo collectus, ac in sacellum *Andreæ* Apostoli conditus dicitur, vt scribit *Volaterranus*, & cecinit *Baptista Mantuanus* libr. de sacris diebus tertio. (Sp.)

(2) *Virgilii*: quem sicut & plerosque calamitas & exilium clarum fecit, amissis enim possessionibus Mantuæ, ob vicinitatem Cremonæ Antonianæ, ad Augusti opes Romam se contulit, adiutus Mæcenatis amicitia. Illud inter cetera mirum recenset *Volaterranus*, quod *Tacitus* de eius laudibus commemorat. Dum eius quædam carmina recitarentur in

theatro,

theatro, ei omnes adsurrexere veluti Augusto. Apud posteros vero tanta eius præiudicata potuit opinio, vt teste *Macrobio*, quamuis eius carmina multis in locis damnentur, laudem tamen amittere non possit. Nostri autem sic eum taxant, vt *Hesiodo* superior, *Theocrito* æqualis, *Homero* inferior existat: quos sibi autores ad imitandum adsumpsit. *Volaterrano* tamen videtur, quæ ab Homero accepit, multo fecisse meliora. Nec recte scribi dicit *Vergilius*: citato grææ inscriptionis testimonio. (Sp.)

(3) Versu, carmine. (Sp.)

(4) Nota. (Sp.)

(5) Nomina habes apud *Radeuicum*, qui inquit: *Veraciter adserere potero, multis antehac Regibus denegatam eam, quam tunc probitate sua enicerunt isti legati Principis magnificentiam & gloriam.* (Sp.)

(6) Vulgo male, *huc*. An, *hinc*? i. e. ex altera parte. (R.)

L. *placida* quique *aure*. (B.)

(7) Eadem *Flaminia*, quæ & nunc *Romandiola*, vt libro tertio indicatum est. (Sp.)

(8) *Silius* libro octauo primam corripuit;

Lenta paludosa proscindunt stagna Rauenna.

Vetus vrbs, hodie nomen cum veteri & opum & ædificiorum fama retinet. Olim Ostrogothorum Germanorum inclita sedes: cuius Antistiti æmulo Romanæ sedis, duodecim ciuitatum Episcopi subiacebant: quæ deinde sub exarchatus Græci nominis dominatione fuere, cuius caput ipsa Rauenna, donec liberalitate Principum Francorum Germanorum, qui iam pridem Galliam occupauerant, Romanæ ecclesiæ donatus est: quod Ænobarbum nostrum non latuit, vt libro tertio latius explicauimus. (Sp.)

(9) Miserat per id tempus, vt *Sabellicus* clare indicat, & superius a nobis obiter tactum est, *Manuel* Græcus Imperator Romam, qui suo nomine arma, ad *Fridericum* Italia depellendum, pollicerentur, & Orientalis ecclesiæ obsequium, vt in cunctis Romano pareret Pontifici, modo Pontifex & Romani ita euenire vellent, vt Occiduum Imperium iterum Orientali iungeretur, vetusque monarchiæ forma, qualis ab initio fuerat, in integrum restitueretur. At videtur *Sabellico* Græcus, non tam spe impetrandæ rei hæc mouisse, quam quod Anconitanos, quos in fidem receperat, a *Friderico* oppugnari grauiter ferebat: ac simul quærere, qua vi, quave arte hostem infestissimum ex illorum ceruicibus depelleret. (Sp.)

(10) *Volaterranus* in commemoratione magistratuum Græcorum honorum nomina recenset, quæ antiquitus certa obibant munera: postea tantum titulotenus habita. Interpretatur autem *Logothetes*, qui idem fere, quod *scriba*. (Sp.)

Videtur nomen familiæ cuiusdam principis fuisse, vt & *Palaeologus*. *Spiegelius* tamen pro officii nomine accipit, & scribam significare vult. Sed non est credibile, Imperatorem Constantinopolitanum ad *Fridericum* Imp. misisse legatum Scribam. Quanquam non ignoro, quid de Scribarum apud Græcos dignitate scribat *Cornel. Nepos* in vita Eumenis: *Scribam esse* (inquit) *multo apud Graios honorificentius est, quam apud Romanos. Nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii Scribæ existimantur. At apud illos contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide & industria cognita: quod necesse est omnium consiliorum eum esse participem.* Sic Simon quidam Græcus, *Logotheta* dictus fuit, qui ex scriptis Basilii Magni homilias Ethicas concinnauit, pulcerrimo & eruditissimo libello. Ex *Palaeologa* autem familiæ regiæ reliquiis duos Germania vidit nostra memoria: quorum alter Pragæ obiit, decoratus epitaphio marmoreo, aureis literis inscripto, in Collegio Carolino: cum altero *Thoma Palaeologo*, ipse ante 6 annos familiariter vixi, multosque sermones græce habui multas literas commutaui. (R.) p. 133 seq.

(11) *Guilielmum* secundum, qui cognomini patri recens ab *Adriano* Regi creato successit, cuius soror *Constantia* nupsit postea *Henrico* Ænobarbi filio, iustæ ætatis virgo, & minime quinquagenaria muliere maior: quod plerique falso creditum est, vt lib. primo diximus. (Sp.)

(12) Recte hoc *Spiegelius* ex *Lucano* sumptum notat. Sic *dextram venalem* in prœlia adferre dixit *Silius* lib. 5, & *animas venales*, lib. 15. Sic *dote venales maritos* elegantissime dixit *Tertullianus* lib. de Patientia. Sic *Cicero* Verrin. 5 *fidem* habere *venalem*. *Propertius* 3 eleg. 13 *auro venalia iura*. Et noster Guntherus *venalia castra* lib. 10 v. 545. Græcis hæc sunt μισθαρνητικά. (R.) p. 134

(13) Alludit ad illud vulgatum:

Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur
Venalesque manus: ibi fas, vbi maxima merces. (Sp.)

(14) Iuxta notissimam Poetæ sententiam:

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Et illud *Lucani*:

Vsque adeo solus ferrum, mortemque timere
Auri nescit amor. (Sp.)

55 *Inde reuertentes*(1), *cum iam sua mœnia tuti,*
Vicinasque vrbis(2) *portas intrare pararent,*
Occurrere viri(3), *dignaque ferociter ira*
Correptos, sæuo circumstrepuere tumultu.
Ductor(4) *erat iuuenis* Guilhelmus *nomine quidam,*
60 *Transuersorque malus*(5) *vero cognomine*(6) *forsan,*
Quod quasi fraude mala transuerteret omnia, dictus.

Hunc,

Hunc, licet ante fores vrbis medioque suorum
Agmine, regalis noxæ(7) non impiger vltor,
Nec numero comitum, sed regni feruidus ira
65 *Irruit(8), & medium forsan mucrone cruento*
Confodisset Otho: *nisi multo denique fletu*
Ignauæ plebis(9) pariter, precibusque suorum
Euictus trepido, ac sese peccasse, fatenti,
Donasset miseram(10) magno pro munere vitam.
70 *His quoque dimissis, Anconæ proxima fortes*
Castra viri ponunt, Græcosque potenter ab vrbe
Accitos(11), regnique minas & iurgia passos
Tanta, quod iniussu Romani Principis ausi
Ambiguis suspecta dolis incepta mouerent,
75 *Argolicæ secum fraudis commenta referre*
Ocius, & toto iussere recedere regno.
Qui, post quam Graiæ pepulerunt scandala(12) pestis,
Conuerso repetunt Mutinensia mœnia(13) cursu.

(1) Sic etiam Perna. Wecheliani, *reuertente*, pro quo Rittershusius reposuit *reuertenti.*

Scilicet, nuntii, seu, vt nunc vulgo nominantur, Oratores, & barbare Ambasiatores. Rauennatium, quos Anconam ad Græci Imperatoris legatos miserant, viros & nominis, & loci primi, vt indicat *Radenicus.* (Sp.)

Nihil mutandum. Nam Græcos a militibus *Friderici* male acceptos, sententia est. (B.)

(2) Ravennæ, quam iam egressi erant legati Latini Augusti. (Sp.)

(3) Subaudiendum reuertentibus Rauennatium oratoribus, quos increparunt Ænobarbici, quod se contemptis Græcos legatos apud Anconam conuenissent. (Sp.)

(4) Quod is principem tenebat apud suos Rauennates locum. (Sp.)

(5) Vtcunque cognomentum, eiusque rationem adfingens in carmen retulit. A *Radenico Maltrauersar* appellatur. (Sp.)

(6) *Pflugius* distinguit post *cognomine.* (R.)

(7) Criminis maiestatis, de quo iurisconsulti titul. 4 lib. Pandect. 48. (Sp.)

(8) Rursum insigne fortitudinis animi specimen edidit *Otho* Princeps: quum eum nec copiosus, vt ait *Radenicus*, Maltrauersaris nobilissimi Rauennatium comitatus, nec vicinæ ciuitatis metus terruerit, quin vt legatus Imperii vindicaret Cæsaris maiestatem, quam ipse iam referebat. (Sp.)

(9) Sic infra v. 355 & supra. (R.)

(10) Vulgo, *miseram.* (R.)

(11) Hic quoque apparet, quam obnixe, vel per suos *Fridericus* Imperii dignitatem intactam retinere studuerit, cuius iam vix vmbram vides. (Sp.)

(12) Obstacula, impedimenta, quæ largitione Græci legati intentabant. (Sp.)

(13) Nouam *Mutinam* intellige, *Modenam* vulgus appellat: ædificata est annum circiter M. C. Principem loci sua ætate *Fridericus* Tertius Ducem appellauit. Nulla æque a veteribus vetere *Mutina* memoratur ciuitas, notissima Bruti & Cæsaris ciuili bello. (Sp.)

Huc, Adriane, *tuos regalia castra petentes*
80 *Legatos, perfusa(1) Pado Ferraria(2) misit:*
Quos vbi tranquillos, mandataque pacis habentes,
Atque reformandæ paci venisse sequestros(3)
Agnouere Duces(4), ad cœpta negotia tutos
Dimittunt, placidumque sinunt explere laborem.
85 *Ergo Tridentinæ tuti cum Præsule(5) sedis*
Prætereunt rigidas angustis faucibus alpes:
Qui tamen illæsas ad regia Cæsaris vsque
Castra viris præstare vias, tutasque nequiuit.
Nam duo belligeri Comites(6), crebrisque rapinis
90 *Adsueti(7), quorum hic pugnax* Henricus, *at illum*
Nomine vulgato Fridericum *fama vocabat.*
Nudatos spoliis, captosque in dura feroces
Vincula coniiciunt, tam qui ducebat euntes,
Quam, qui se tutos illo ductore putabant:
95 *Nec prius emissi, proprio quam fratre* Hiacynthus
Obside deposito, sese sociumque laboris(8),
Præsule(9) detento, miseranda sorte redemit.

Mox

Mox tamen & nutu diuino Præsul & obses,
Saxonis auxilio, Romanæ ob sedis honorem
100 *Saxonis* Henrici(10), *sub quo duce Norica tellus*
Tunc erat, horrisonis subduxit colla catenis,
Afflictis grauiter raptoribus(11), *atque coactis,*
Reddere quæ tulerant, & iustas pendere pœnas.

(1) L. *Præfusa.* (B.)
(2) A *ferro* nomen accepit, sicuti *Argenta*, & *Aureolum* vicina oppida ab eius generis metallis appellata sunt. (Sp.)
(3) Mediatores nunc vulgus vocat. (Sp.)
(4) Legati Cæsaris. (Sp.)
(5) *Alberto.* (Sp.)
(6) Arbitror fuisse e familia Welfonum. Abstinuit enim a gentilitiis nominibus *Radonicus*, scriptorum more tum recepto: in quo videntur imitati esse notarios aulæ veterum Germaniæ Principum Augustorum. (Sp.)
(7) Iam olim latrocinia, hoc est, furta publica violentaque, *Zu gutem teutschen, Straffrauberey*, Germanis fuisse familiaria *Cæsar, Mela* & *Tacitus* ostendunt. (Sp.)
(8) Collegam Cardinalem. (Sp.)
(9) Tridentino. (Sp.)
(10) Eius, qui ab infantia *Leonis* cognomen accepit, sicut pater eius *Catulli*, & *Albertus* Marchio *Vrsi*, teste *Crantzio*, fabulam de leone peregre aduecto per eum refellente. Idem *Henricus superbus* quoque a moribus appellatus est, vt in secundo libro a poeta. (Sp.)
(11) Prædatoribus, qui & latrones dicti sunt, vt vulgo notum est. (Sp.)

Ergo vbi Vindelicæ non longe a mœnibus vrbis
150 *Augusto faciente moras, regalia castra*
Ausonii subiere viri(1), *præmittere viuo*(2)
Pauca sono cautela fuit, quibus ira verendi,
Si qua superstes erat, posset mitescere Regis.
Hæc tibi, cunctorum Rex augustissime Regum(3),
110 *Summus in ecclesia Petri successor*(4), *& idem*
Deuotus tibi mente pater, cultorque fidelis
Mittit Apostolica præmissa verba salute:
Totaque Romani nunc maxima curia cleri,
Te velut eximium Regem, Dominumque salutant.
115 *Cetera quæ ferimus, nudis*(5), *quam tradimus, ecce,*
Tradiderantque(6) *simul, narrabit pagina verbis.*

(1) Legati Pontificii. (Sp.)
(2) Viua voce, quæ vt *Cicero* dixit, plenius alit, &, vt *Plinius* Iunior, afficit: ac, iuxta dictum diui *Hieronymi*, habet quid latentis energiæ. Porro scriptura vox quæpiam est, sed quasi factitia, veræque vocis vtcunque imitatrix. Deest actus motusque, hoc est, vita. Siquidem actio, vt autor *Fabius*, orationis quasi vita est. Rerum inuentio, ossium instar est. Ordo neruos imitatur. Elocutio carnem, cutem coloremque. Memoria spiritus vice fungitur. Quibus omnibus accedit pronuntiatio, velut motus quidam vitalis. Nullum enim certius argumentum vitæ, quam motus. Vnde & flumina *viua* dicuntur, & argentum *viuum*. Contra *mortua*, quæ torpent languentque. (Sp.)
(3) Quod, iuxta mentem glossæ in cap. *in Synodo* 63 dist. debeant Reges ceteri, quo in sui quisque regni solio stabiliatur, ab ipso Imperatore corona donari, & eum de iure agnoscere, vt testantur glossæ in cap. *volumus* 11, q. 1 & cap. *omnes* 28 q. 1. Item glossæ cap. *super specula, de priuileg.* & cap. *per venerabilem, de elect.* vbi valde caute & pensiculate scribitur, Regem Franciæ de facto non agnoscere superiorem: perinde acsi dicat, de iure tamen agnoscere debet: cum de iure, vt eadem affirmat, Romano Imperio subsit. Sed & *Hostiensis*, cum omnes fere sacrorum canonum professores tradunt, Gallos & alios transalpinos legibus Imperii teneri. (Sp.)
(4) Vt heredis appellatio non solum ad proximum heredem, sed ad vlteriores refertur: ita & Pontifex Romanus Petri successor dicitur, quamuis maximo numero alii medii intercesserint, cap. 1 de *homicid.* in sexto. (Sp.)
(5) Simplicibus, minime fictis, aut fucatis. (Sp.)
(6) F. *tradiderantque.* (R.)

Protinus explicita papalis epistola(1) *fronte,*
Talia continuo subnectit verba relatu:
Quantus in officio studiosi cultus amoris,
120 *Quanta paterna fides in te, mitissime fili,*
Extitit, vt primum diuino munere sedem,
Et pastoralis suscepi munia curæ.

Indubitata

Indubitata tibi deuotæ pignora mentis(2)
Esse reor: quod prima tui gratanter honoris
125 *Accepi mandata libens, quodque omnia lætis*
Sæpe ministeriis a te dictata peregi:
Quod tibi collatos diuino munere fasces
Imperii, sacramque manu gaudente coronam
Imposui(3), *vidique tuos gauisus honores:*
130 *Quodque tui caussa*(4) *Romanæ iurgia plebis*
Sustinui, multosque tuli, scis ipse, labores.
Inter tot veri certissima signa fauoris,
Si quid forte tuas, ita re cogente, sub aures
Vel minus exactum, vel acerbum pagina nostra
135 *Detulit, in subitam stimulari protinus iram*
Non decet: in cunctis caussas(5), *& tempora rebus*
Aspiciat, qui vera cupit decernere iudex.
Filius ille quidem sapiens(6), *& gloria patris*
Creditur, eiusdem qui blandimenta, minasque(7)
140 *Æqua mente libens*, & amica suscipit aure:*
Immo, tua quod pace loquor, qui parcere virgæ
Sustinet(8), *huic odio perhibetur filius esse.*

(1) Eius exemplum est apud *Radenicum.* (Sp.)

(2) Vid. lib. 3 v. 452. quibus adde hæc *Sallustiana* frag. Histor. *Se regibus deuouent, & post eos vitam refutant. Adeo illis ingenita est sanctitas regii nominis.* (R.) p. 134

(3) Vno simul ore, parique consensu omnes legum interpretes statuunt, hæc, quæ ad coronationem attinent, fieri magis honoris & officii caussa, quam vel necessario, vel vt ex hac actione quicquam Cæsaribus accedat. Siquidem electio solum ad Imperatoris substantiam pertinet, ad solennitatem reliqua, vt confirmatio, inunctio, consecratio, coronatio. Nec illud officit, quod ante coronationem appelletur *Rex Romanorum*, & perinde nequeat vsurpare Imperii nomen, gubernaculave: quandoquidem hæ duæ voculæ, Rex *Romanorum & Imperator* idem omnino valent, & synonymæ sunt, vt liquido constat ex verbis vulgatissimæ l. *Bene a Zenone*: & C. *vt nemo priuatus* l. 1. in vtraque scribitur promiscue, & *imperialis maiestas*, & *regale culmen.* Vnde verum est, quod *Balbus* antistes ille noster Gurcensis, Episcoporum eruditissimus, ante eum grauissimi quoque autores ingenue falsi sunt, scribit in libr. de coronatione: quod simul atque Germanorum suffragiis Cæsar est designatus, efficitur verus, & legitimus Imperator, & inde incipiunt Imperii anni fluere, atque eodem temporis vestigio potest quæcunque sunt potestatis imperialis implere, vt in authen. vt præpo. no. Imp. §. 1 Col. 1 & ibi Bald. in 1 constit. Sed quamuis ex vnctione, consecratione, coronatione nihil cæsareis rebus accedat, non hæc tamen, aut vt leuia paruipendi, aut vt superflua reiici debent: cum eam vim habeant, vt sancti spiritus munera conferant, augeaturque interius quod exterius vnctio præsignat, vt tradit *Hostiensis*, de sacra vnctione cap. 1. At *Innocentius* affirmat hoc solenne infularum imprimis duo præstare. Vnum, vt ex Rege Imperator efficiatur. Alterum, vt diuini spiritus illapsu, sanctior atque augustior euadat. His speciosis commentis debemus, quod negari non potest, pontificiam dominationem, iuramentaque Cæsarum posteriorum, ignota veteribus Imperatoribus, qui imprudentes serpentem, vt dicitur, in sinu aluerunt. (Sp.)

(4) Veteribus vsitatius est, *mea caussa, tua caussa, sua caussa*, quam *mei, tui, sui caussa*, vt *Cicero* ad Appium epist. 7 lib. 3; *Si autem natura es φιλαίτιος, illud non perficies, quo minus* tua caussa *velim.* Idem ad Cassium 15. epist. 18, *abesse te*, mea caussa *moleste fero*, tua *gaudeo.* Idem Attic. 8. *Si me velles* sua *aut Reipub.* caussa *Luceriam venire*, &c. *Terentius* Prolog. Hecyr. Mea caussa *æquo animo attendite.* Ita & *Plautus* & alii. At posteriores vsurpare cœperunt, *Mei, tui, sui caussa.* Sic *Vlpianus* in l. eum, qui §. sed etsi. ff. Commod. *si vero ipse, cui voluit, commisit, æque mihi culpam præstabit, si sui* caussa *accepit.* Idem in l. si gratuitam §. Papinianus. ff. de præsc. verb. *Si vero* mei *duntaxat* caussa *datum est, dolum solum*, &c. Habet igitur etiam hic *Guntherus* exemplum bonorum, quo ei sic loqui licuit. (R.) p. 134 seq.

(5) Hanc vulgatam Iurisconsultorum, & sequentes e Prouerbiis Solomonis sententias depromptas Poeta de suo minime inscite adiunxit. (Sp.)

Sententias loquitur, vt ait *Terentius.* Sed τὸ γνωμοτυπεῖν φορτικὸν, secundum *Aristotelem* in Rhetoricis. (R.) p. 135

(6) Lege cap. 10 & 13 Prouerb. Solomonis, qui sapientem filium simpliciter vocat, qui parentibus obtemperat, & sese gubernari iuxta Dei mandatum patitur. (Sp.)

(7) Increpationem. Sane singularis, impiæ & profanæ mentis nota est, contemnere parentum obiurgationem. (Sp.)

* *L. librans.* (B.)

(8) Est

(8) Est & hæc Solomonis in fine cap. 13 iam citati, qua parentibus præcipit, vt sæpe alias, vt doceant, regant, & coerceant pueritiam. *Virga* autem hic significat non tantum plagas, sed totam pædagogiam, quæ complectitur doctrinam, honesta exercitia, & certa studia, ac certas operas, præmia recte factorum, & pœnas delictorum. (Sp.)

Non decuit Regem, nec tanto Principe dignum
Vrbanumque(1) fuit, mea dum tibi pagina nuper
145 *Adderet vltrices violati Præsulis(2) iras,*
Obsequiique mei non exprobrare profecto,
Sed monuisse volens(3), quædam tibi signa referret,
In tantum paucis accendi vocibus iram(4),
Quas minus exacta scriptor(5) ratione notarat,
150 *Vt nostri socios lateris(6), semperque fideles,*
Te quoque teste, tibi, tanta feritate lacessi,
Tanta pati sineres irati fulmina regni,
Explendique viros cœpti præclusa facultas
Cogeret irrisos ad limina sacra reuerti.
155 *Si quid in illorum factis enorme notasses,*
Indignumque tuis, aut intolerabile regnis,
Significare tribus(7), potuit tua pagina verbis,
Atque emendandum nobis seruare reatum.
Nunc semel admonitus placide, ne tale quid vltra
160 *Attentare velis; transacta sequentibus oro*
Corrige, Romanæ seruato sedis honore.
Nos quoque, si qua fuit turbato in corde querela
Ponimus, & dulcem tecum partimur amorem(8).
Latores apicum(9), mandatorumque ministros,
165 *Quæ legis, eximio, fili, pietatis honore*
Suscipe: quodque tuas per eos dictamus ad aures,
Illud ab interno Sinceri crede profectum
Pectoris affectu: tutosque habitosque benigne,
Hos saltem lætos ad limina sacra remitte.

(1) Malim, *vrbanumue.* (R.)

(2) Episcopi Angli, vt eum supra vocauit lib. 6 v. 267. (R.)

(3) Atqui hoc ipsum fuit contra præceptum, quo beneficiorum meminisse iubetur is, qui accepit, obliuisci qui dedit. Et vt ait *Terentius* Andr. Scen. 1; *Isthæc commemoratio, quasi exprobratio est immemoris beneficii*: Ex *Demosthene* περὶ στεφάνου: τὸ δὲ τὰς ἰδίας εὐεργεσίας ἀναμιμνήσκειν, μικροῦ δεῖ ὅμοιόν ἐστι τῷ ὀνειδίζειν. (R.) p. 135

(4) Vt hunc locum plenius intelligas adscribam verba ex epistola *Adriani* Papæ, vt a *Radeuico* referuntur. *Occasione*, inquit, *cuiusdam verbi*, quod est beneficium, *tuus animus, sicut dicitur, est commotus: quod vtique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum merito commouisset. Licet enim hoc nomen*, quod est beneficium, *apud quosdam in alia significatione, quam ex impositione habeat, assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex* bono & *facto est editum: & dicitur* beneficium *apud nos* non feudum, *sed* bonum factum. *In qua significatione in vniuerso scripturæ corpore inuenitur, vbi ex* beneficio *Dei, non tanquam* ex feudo, *sed velut ex* benedictione & bono facto *ipsius gubernari dicimur & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquido recognoscit, quod nos ita bene & honorifice Imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, vt* bonum factum *valeat ab omnibus iudicari. Vnde quod quidam verbum hoc, & illud scilicet:* Contulimus tibi insigne Imperialis coronæ, *a sensu suo nisi sunt ad alium retorquere: non ex merito caussæ, sed de voluntate propria, & illorum suggestione, qui pacem regni & ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum,* contulimus, *nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est,* imposuimus. (Sp.)

(5) Hodie parum vetusto nomine *Cancellarius*, seu *Secretarius* dicitur. Scribit *Æmylius Probus*, apud Græcos honorificentius esse scribarum officium, quam apud Romanos. Hi enim mercenarios existimant, at Græci ad id munus neminem admittunt, nisi honestis natalibus, fideque & industria cognitum: quod necesse sit eos omnium consiliorum esse participes. Extat *Sabellici* dialogus de officio scribæ. (Sp.)

(6) *Legati a latere* vulgo etiam dicuntur, qui sunt Papæ intimi. Eosdem & *custodes lateris* vocat lib. 6 v. 543. (R.) p. 135

(7) Pro paucissimis dixit, prouerbiali sermone. Diuus *Hieronymus* in dialogo Luciferiani & Orthodoxi. *Tribus, vt aiunt, verbis, rem istam grandem dissoluisti.* (Sp.)

(8) Pulcerrime, exemplo *Statii*, qui *amorem alternum partiri* dixit, 2 Siluarum. Sic

Kkkk Phædrus:

Phædrus: *Dulcemque in ambos caritatem partiens.* Sic *curas cum aliquo partiri Virgilius* Æneid. 11. *Cæsar* 3 Bel. Ciuil. *honorem partiri cum aliquo.* *Ouidius*; *partita fœdera lecti*, 3 de Arte. *Tacitus* 2 Histor. *Discrimen ac periculum ex æquo partiemur*, &c. Sic & infra ait *Guntherus* lib. 8 v. 101, *vobiscum tristes partiri gaudeo casus.* Et hoc ipso libro, v.106, *Francia cum Germanis Rhenum partita colonis.* (R.) p.135

(9) Baiulos litterarum. (Sp.)

170 *Hæc tunc exposuit mandata recentia, pastor*
Ille Frisingus Otho, *quem tanto maior habebat*
Hac de lite dolor, quanto propioribus illum
(Regis erat patruus) tangebat curia vinclis.
Vtque pie scriptis a summo Præsule verbis
175 *Addidit ipse suas in pacis fœdera partes,*
Protinus ingenui consedit pectoris horror(1),
Et nitidus rediit sedato Principe vultus.
(2)*Vt si forte rosas, & candida lilia nimbus*
Contudit, & nitidum virgis decussit honorem:
180 *Horrent informes spinæ*(3), *frustraque petiti*
Quærentem fallunt nudato stipite flores.
Mox vbi tranquilli clementior aura Fauoni (4)
Cœperit, excluso spirare benignius Austro(5),
Protinus ad placidos flatus sua germina rami
185 *Producunt, solitoque nitent virgulta decore.*

(1) Exemplum hic obseruare licet sententiæ *Salomonis* Prouerb. 15 vers. 1; *Responsio mollis frangit iram; sermo durus suscitat furorem.* Et Prou. 25 vers. 15. *Patientia lenietur Princeps: & lingua mollis confringet duritiam.* *Ingenuum pectus* vocat apertum, nullis simulationum inuolucris tectum: eius scilicet hominis, qui amicitias & iras suas in fronte scriptas gerit, vt ait *Ennius*. (R.) p. 135 seq.

(2) Comparatio. (Sp.)

(3) Secundum versum *Ouidii*, vt puto:
» *Contemnunt spinas, cum cecidere rosæ.*
(R.) p. 136

(4) Ita scribendum: vel *Fauonii*; non, vt vulgo, *Fauoni*. (R.)

(5) Qui floribus inimicus esse consueuit. (R.)

Præter prædictam turbati Principis iram,
Restabant aliæ litis fomenta querelæ(1):
Quas vbi legatis distinctas ordine Cæsar
Exposuit: contraque suo pro Præsule missi,
190 *Optima sollicite cauti responsa dedere:*
Protinus optatæ præsentibus oscula pacis
Dulciter impendens, Papæ cleroque salutem
Innuit, & lætos a se dimittit in vrbem.
Iamque precatores aderant a Rege Dacorum(2)
195 *Electo nuper, populique fauore creato,*
Principis(3) *arbitrio sceptrorum iura*(4) *petentes.*
Annuit hoc pacto Rex, vt post bella(5) *reuersum*
Ante quaterdenos properaret(6) *Regulus illum*
Cautus adire dies, regnum sumpturus ab ipso,
200 *Obsequiique fidem iurando iure daturus.*

(1) Appositissima ἐξήγησις. Quemadmodum ignis pabulum est lignum: ita litium querelæ; quibus etiam *Aristoteles* in Ethicis scribit dirimi amicitias. Sic *Lactantius* lib. 6. c. 19. de Peripateticis: *Iram fomitem dicunt esse virtutis.* Sic *Macrobius* ex sententia Platonis, *vinum* censet esse *fomitem quendam & incitabulum ingenii virtutisque.* Sic res secundæ *pabula flammæ inuidiæ* esse dicuntur ab ipso *Gunthero* alibi. Sic *Lucretius* lib. 4 eleganter *pabula amoris* dixit. (R.) p. 136

(2) Danorum. Conualuit enim vsus, vt pro *Dania*, licet minus recte *Dacia* accipiatur. De *Dacia*, lege *Eutropium* in Aureliano. Vt scribit *Munsterus*, modo *Dacia* est *VValachia*, *Bulgaria* atque *Ruscia*: sicut & *Mœsia inferior*, in qua Danubius labitur in mare. Verum *Stephano Taurino* est *Transyluania.* Hæc Hungariæ Regi, teste eodem, quotannis pecuniosum vectigal pendit, nihil non habens minus quam politiam, & aeris temperiem. Olim *Cimbrica Cherronesus*, hodie *Dania* appellatur, *Dennemarck*, cui

præest

præest Rex, qui Sueciam & Noruegiam, peninsulas, in eodem mari obtinet. Quas *Plinius* refert immensas insulas, non pridem a Germania compertas. *Pirckeimerus* has putat esse Sueciam, Daniam, & Noruegiam. (Sp.)

(3) Ænobarbi. (Sp.)

(4) *Inuestitura* nunc vulgo dicitur. Vnde apparet Daniam olim fuisse beneficiariam Imperii, seu regni Teutonici prouinciam. (Sp.)

(5) Post expeditionem Italicam. (Sp.)

(6) Sic & *Perna*, recte. Vulgo, *properabat*. (R.)

Iamque suas valido vires Alemannia motu
Excierat, populique truces feruente tumultu
Partibus e cunctis ad regia castra fluebant,
Saxones, & rigidi qui Norica rura(1) coloni,
205 *Westfaliamque tenent, quos aut ripuaria tellus,*
Aut cum Germanis Rhenum partita colonis
Francia(2), seu magno nomen sortita Lothero
Terra tenet, tunc Allobroges dotalia Leti
Arma mouent, Celtæque leues(3), Cimbrique feroces(4),
210 *Vindelici, Sueui, Sclaui, simul atque Boemi,*
Pannones, & lætis(5) quos educat Austria campis,
Quique Carinthinis populus versatur in oris.
Non ego vel populos, vel nomina clara potentum(6)
Enumerare queam: quoscumque a cardine mundi
215 *Horridus, & gelida Boreas emissus ab Arcto*
Verberat, aerias donec veniatur ad alpes,
Arma ferunt populi, non(7) sunt qui mœnia seruent(8),
Non(9) qui rura colant: præmissis vndique feruent
Castra viris, magno scrutatum a Principe, per quas
220 *Hos iubeat transire vias; nam tantus in armis*
Plebis erat numerus, ne iunctis agmina castris
Nubiferæ rupes alpis transcendere possent.

(1) Diximus in primo, *Norici* appellationem longius olim protendi. Hodie inhabitant occasum versus Bauari. Ad ortum autem sunt Anasini & Austriæ pars. Ad meridiem autem Styria; in alpibus vero habitant Carnici, partimque Croati, gens Slauonica: comprehenditurque Norici nomine comitatus Goriciensis, & Ziliensis, regionesque adiacentes. (Sp.)

(2) Franci, gens Teutonica, ex paludibus maris Septentrionalis in loca, quæ Sicambri iuxta Rhenum tenuerunt, progressi, eam postea occupauerunt terram, quæ hodie appellatur *Franconia*. Deinde Rheno superato, Belgisque in potestatem redactis, omnes fere Gallicas vires attriuere, vt iam non Gallia tantum, sed & prima, seu superior Germania, quæ *Alemannia* tunc peculiariter dicebatur, ab ipsis Francis *Francia* fuerit appellata, & in ea Moguntia metropolis Francorum. Quod non ignorauit *Guntherus* noster, *Otho* Pontifex, tum alii mediæ antiquitatis autores, vt libro primo latius indicauimus. (Sp.)

Intelligit Galliam, cum eam opponat Germanis. Vulgo illa in Germania dicitur Francia Orientalis, itemque Franconia, ad differentiam alterius. Terram porro a magno nomen sortitam Lothero vocat Lotharingiam. (R.) p. 136

(3) Habent enim nationes sua vitia. Vnde & Latini *superciliosi & elati* dicuntur, *vani* Ligures, *leues* Galli, *inflabundi* Hispani, *mendaces* Græci, Pœni *fœdifragi*. Celtæ autem hic signant Gallos. Gallia enim a Sequana vsque ad Garumnam fluuium *Celtica* dicitur: a qua *Celtæ* populi, & qui finitimi his Hispani sunt *Celtiberi*. Annotatum est ab aliis *Celtarum* vocabulum Græcis & *Germanorum* & *Gallorum* significare: item veteres Romanos *Gallorum* vocabulo, *Gallos* omnes & *Germanos* nuncupasse. Hæc res non animaduersa, multis errandi caussa fuit. (Sp.)

(4) Horum sedes nunc Saxonum vltimi, & alii quidam ad mare populi habitant. *Feroces* autem appellat, respiciens ad veterum Cimbrorum sæuitiam & furorem, quem Romani non sine grandi iactura aliquando senserunt. (Sp.)

(5) I. e. pinguibus, feracibus optimorum exemplo auctorum: vt *Lucretii, Virgilii, Horatii, Senecæ, Columellæ*; qui passim hoc epitheton attribuunt agris, arboribus, segetibus, satis, aruis, arbustis, frugibus, pascuis, herbis, pratis, solo, leguminibus, vinetis, &c. Hinc & *lætare agrum* est pinguem reddere stercorando, & *lætamen*, stercoratio, fimus. *Pflugius* tamen malebat, *latis*: vt referatur ad multitudinem militum. (R.) p. 136

L. *latis* cum *Pflugio*. (B.)

(6) Scilicet Ducum, Marchionum, & Comitum, quæ antiqua Germania, in multas duntaxat familias & populos diuisa, ignorauit. Huius faciem descripsit *Tacitus*. (Sp.)

(7) Melius, *vix*, sunt. (B.)

(8) Vulgo, *seruant*. Male, quia sequitur, *colant*. (R.)

(9) Melius, *vix*, qui. (B.)

Vtque dedit Ducibus cunctis loca congrua rector,
Distribuitque vias, scisso mox agmine, quidam
225 *Cannales*(1), *Iuliique*(2) *forum*(3), *multique Clauennam,*
Cumanumque lacum(4), *multi petiere Tridentum.*
Ipse Boemorum Regem, multosque potentes
Allobrogum, Sueuumque Ducem, fidumque nepotem(5)
Te, Friderice, *suum*, Chunrado *Rege creatum*,
230 *Secum rector habens, illas transcendere rupes,*
Nomine quas veteri montem louis incola dixit(6),
Adproperat, iamiamque domos, & rura iacentis
Italiæ cernens, fidas quas nouerat vrbes
Ticinum, Laudamque suam, Cumamque salutat
235 *Lætus, & in Ligures violentam concipit iram.*

(1) Qua ex Norico in Marchiam, ni fallor, Taurisanam itur. (Sp.)

(2) L. *Iuliique.* (B.)

(3) Vt *Henricus* Dux Austriæ, item *Henricus* Dux Carinthiæ, adiunctis subsidiariis copiis Hungarorum. Forum Iulii, vulgo *Friaul* vocatur, *Plinio* antiqua ciuitas, cuius incolas *Foroiulienses* appellat. Hodie *Sabellico Ciudatum.* In hac regione est *Vtinum* oppidum, insigne, vt vidimus, nuncupatum, teutonice *zu der VViden*, a Principibus Austriæ, vt ferunt, circiter annum 1200 ædificatum. Sabellicus *Hunnium* vocat. (Sp.)

(4) Scilicet Franci, Ripuarii, Sueui. Superius memini *Comi*, etiamnum celebris nominis oppidi, prope lacum Larium, qui *Comensis*, *der Comer See* vocatur. *Clauenna*, item oppidum est. Paruit nuper Comitibus eius nominis, quos post exactos vidimus. (Sp.)

(5) Si *Conradus* Imp. *Friderici* Ænob. patruus fuit, & *Friderici* istius Iunioris pater (vt fuit) quomodo hunc nepotem vocat *Friderici* Ænobarbi; cum eius potius patruelis sit: non autem fratris aut sororis filius. Vide & supra lib. 1 v. 327. Sed *nepotis* verbo latius quoque *Guntherum* vti, indicio est infra vers. 352. (R.) p. 136

(6) Hunc scilicet *Bernardi*, non quidem illius Abbatis celebrati, sed cuiusdam Augustensis Archidiaconi, qui in eo monte nemora per sancta degisse dicitur. (Sp.)

Prima feros belli motus, regnique furores
Tuta loco, fidensque nimis, Ligurumque suisque
Viribus, aduersis excepit Brixia(1) *fatis:*
Quæ postquam Regi tentatis restitit armis,
240 *Plus quoque quam potuit, tandem contrita*(2), *solutis*
Mœnibus, accepit Dominum, quem fecerat hostem,
Vixque redempta, suos multo luit ære tumores.
Vtque Ducis totæ subierunt castra cohortes,
Ne quid inhumanum, linguis ac moribus illa
245 *Dissona barbaries castris impune moueret,*
Consensu procerum tales a Cæsare leges
Compositæ, stabili & castrorum iure feruntur:
Ne quis rixari ferro, pugnamque mouere(3)
Audeat in castris: neu mota lite vocatus
250 *Cum telo*(4) *veniat, lorica tutus, habensque*
Quo tantum rixæ dirimat certamina fustem.
Neu signum, nisi forte domestica quærens
Agmina, vociferet(5): *miles si fecerit ista,*
Eiecto castris, & turpia plurima passo,
255 *Eripietur ei castrorum tota suppellex*(6).
Armiger(7) *exusta candenti fronte metallo,*
Detonsaque coma(8), *post verbera pulsus abibit,*
Vel domini spoliis redimetur, & omnibus armis.

(1) Nota, Brixiam solo æquatam fuisse ob rebellionem aduersus Imperatorem. (R.) p. 137

(2) A Rege Boemiorum, qui, vt dictum est, Ænobarbo, ex fœdere, quem iam præcesserat, militabat. (Sp.)

(3) Allentior Nob. *Pflugio* distinguenti: *Ne quis rixari, ferro pugnamque mouere*: Sic supra lib. 2 v. 385, *Rixari, ferroque etiam pugnare.* Accedit, quod verbis rixamur, non ferro. An legendum. *Ne quis rixari verbo?* cui lectioni *Radenicus* fauere videtur. (R.) p. 137

Vt militares has leges facilius intel-

ligas

ligas, legendus est *Radeuicus*, qui illas eo verborum tenore conscripsit, quo proditæ sunt a Principe nunquam satis laudato. (Sp.)

(4) Nam hæc vox ea solum significat, quæ alterius lædendi caussa habentur, vt dixit *Bartolus*. (Sp.)

(5) Vsitatius est *vociferari*. At *vociferare* vix memini legere. (R.) p. 137

(6) Signat id, quod *Radeuicus* patrio vocabulo sic exprimit: *Auferetur ei omne suum Harnachsa*. (Sp.)

Id est, vno verbo, *exauctorabitur*. (R.)

(7) Hic pro eo, vt ex *Radeuico* constat, accipiendus, qui sub milite est, *ein reisiger Knecht*. (Sp.)

Id est seruus. Mox significat stigmata fronti inusta, vt & infra 273, *maxilla adusta*, & v. 287, *signatus frontem*, & 300, *signabitur ora*. *Constantinus* tamen stigmata faciei inuri pœnæ caussa vetuerat in l. 17, si quis in metallum. C. de pœnis. Ideo nimirum, quia facies ad cælestis pulchritudinis exemplum condita sit. Olim etiam non pœnæ, sed agnitionis seu notæ gratia tirones in dilectu ad militiam stigmatis compungi solebant: vt docet *I. Lipsius* lib. 1 de militia Rom. prope finem. *Plautus* per iocum vocat *στιγματίαν seruum litteratum*. (R.) p. 137

(8) Nota erat hæc ignominiæ. (Sp.)

Radi seu tonderi apud veteres ignominiosum erat: quod aperte & aliquot versibus hic locus probat. Vid. v. 274, 287, & 300. Vide etiam ad hanc rem annotata per *Cuiacium* lib. 5 Feud. pag. 304. ed. Colon. ex Nou. Leon. 60, 63, 92. *Quibus adde ex lib. *Nicol. Damasceni* de moribus gentium apud *Stobæum* tit. 42 de legib. & consuetud. *Apud Indos*, inquit, *qui maximum aliquod crimen perpetrauit, eum Rex tonderi iubet, tanquam extrema sit talis ignominia*. Conf. 2 *Reg*. 10. Admodum vsitata hæc pœna fuit temporibus Impp. posteriorum; vnde sæpissime illa legum, decaluari, verberarique*. (R.) p. 137

Vulneris, aut cædis conuictus, voce duorum
260 *Qui modo non fuerint violato sanguine iuncti,*
Hic caput, ille manum perdet: si teste carebit
Altera pars, facinusque volet formidine pœnæ
Abiurare(1) *reus, poterit iurare: volentem*
Quilibet oblato licite reprobare(2) *duello*(3),
265 *Passurus similem non victo*(4) *crimine pœnam,*

(1) Nota iusiurandum purgatorium: cui simile supra obseruabam. Sic & iure ciuili Rom. potest quis iureiurando sibi delato iurare, non deliquisse, & innocentiam suam approbare. l. 6. furti. §. sed etsi ff. de his qui not. infam. l. 13. §. 2. l. 28. §. 5. ff. de iureiur. Melius autem hic videtur ita cum *Pithœo* distingui; *poterit iurare volentem* &c. At *Pflugius* ita distinguit: *Poterit iurare volentem*, &c. (R.) p. 137

(2) Scilicet *poterit*. Duellum autem siue monomachia huiusmodi prohibetur in iure Canonico. (R.) p. 137

(3) Singulari certamine, quod hodie sublatum est. (Sp.)

(4) I. e. non euicto, non probato. Sic in iure ciuili accusator in crimen se subscribens, nisi eius veritatem probet, ad similitudinem pœnæ obstringitur. l. 7 si cui crimen. ff. de accus. l. pen. C. eod. *Symmachus* lib. 10 epist. 36. (R.) p. 137

Miles equo cursore(1) *carens, clypeoque, vel hasta,*
Sit licet oppositæ partis, regalia castra
Tutus adire potest: si quis violauerit illum,
Sicut & in socio pacem violasse feretur.
270 *Si fuerit bellator eques*(2), *clypeusque, vel hasta,*
Non erit ille nocens(3): *pœnamve merebitur vllam.*

(1) Sic infra v. 689. Augustana editio, *censore*, non recte. (R.)

(2) L. *equus*. (R.)

(3) Subaudi, qui eum læserit. (Sp.)

Qui eum violauerit. (R.)

Institor a nostro spoliatus milite, cuncta*
Conduplicata feret: maxilla seruus adusta,
Vertice detonso, supponet terga flagellis:
275 *Aut erit a domino prædicto more luendus.*

* Id est, mercator hoc loco. Significat enim & alia. Interdum est qui sub alio negotiatur: vnde *institoria actio* nata apud Iureconsultos. (Sp.)

Qui spoliare sacras aliquem conspexerit ædes,
Si prohibere potest facinus, prohibere laboret(1);

Si prohibere nequit, maneat securus: at ille
Iudicis arbitrio pœnam pro crimine pendet.
280 *Vrbem, vel castrum, nostro sub nomine tutum,*
Impugnans, poterit(2) pacis violator haberi.

(1) Quæstio hic tangitur grauissima Iuris ciuilis, an qui scelus aliquod prohibere potest, nec prohibet tamen, ad pœnam teneatur? De qua vide Interpretes ad l. culpa caret. ff. de Reg. iur. & ad l. scientiam. ff. ad L. Aquil. Alludit ad eam *Seneca*, in versu isto:

Peccare qui non prohibet, cum possit, iubet.

Hinc apud Athenienses, qui cædem hominis prohibere poterat, nec tamen prohibuerat, æque cum auctore cædis reus erat. Vnde *Lactantius* lib. 6 cap. 11; *Qui* (inquit) *succurrere perituro potest, cum non succurrit, occidit. Ambrosius* lib. 1 de offic. c. 37; *Qui non repellit a socio iniuriam, si potest, tam est in vitio, quam ille qui facit. Augustini* quoque & *Cassiodori* eadem est sententia: *Cum possis obuiare peruersis, si desinas aduersari, consensus erroris est.* (R.) p. 138

(2) I. e. *habebitur.* Virgilius; *Quo tantos potui perferre dolores.* Idem: *nil linquere inausum. Qua potui infelix*, id est, *quæ nil inausum liqui.* Vid. *Gulielm. Canterum* lib. 2 Nou. lect. cap. 2. Sic *Afranius* apud *Nonium* in Senium:

Si possent homines delinimentis capi,
Omnes haberent nunc amatores anus.
Ætas, & corpus tenerum, & morigeratio,
Hæc sunt venena formosarum mulierum.
Mala ætas nulla delinimenta inuenit.

Quorum versuum in primo adsentior *Schoppio* meo, legendum in Verisimil. contendenti, *Ni possent*, vel, *Nisi*, vt hoc dicat Poeta: Nisi homines delinimentis (vt sunt adolescentia, corpus tenerum, morigerimodi) caperentur & delectarentur, etiam aniculæ amatores reperirent, quod nunc abest, quando nulla eiusmodi delinimenta & venena eis assunt. (R.) p. 138

Non erit in nostris nobiscum femina castris.*
Qui reus extiterit, spoliis nudatus abibit
Turpiter, & naso mutilabitur illa reciso.

* Pars vna disciplinæ militaris est, remouere ex castris feminas. Sic & infra lib. 8 v. 362 optimus Imperator

Illecebrosa suis purgauit scandala castris,
Eque suo cœtu lixas & scorta, nociuum
Ac petulans vulgus, satis indignanter abegit.

Ratio huius vtilissimæ & pernecessariæ prohibitionis est, quia multa insunt mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad similitudinem barbari incessus conuertant. Itaque Seuerus Cæcina grauiter censuit apud *Tacitum* Annal. 3; *Ne quem magistratum, cui prouincia obuenisset, vxor comitaretur*: cum etiam olim placitum sit, *ne feminæ in socios aut gentes externas traherentur.* Vide totum *Taciti* locum. Est enim egregius ad hanc rem. * Adde ex sermonibus *B. Martini* ista: *Mulier*, inquit, *virorum castra non adeat, acies militum separata consistat procul, femina in suo degens tabernaculo sit remota. Contemptibilem enim reddit exercitum, si virorum cohortibus* (Parisiens. edit. vetus, *coitibus*) *turba feminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in campo; mulier se intra murorum munimenta contineat. Habet & illa gloriam suam, si pudicitiam viro absente seruauerit, cuius hæc prima virtus & consummata victoria est, non videri*.* Vide & *I. Lipsium* lib. 5 De militia Roman. vbi hunc *Guntheri* locum laudat pag. 219. Sic & Proconsulem ait *Vlpianus* melius esse, proficisci sine vxore in prouinciam. Sed & cum vxore posse: dummodo sciat, Senatum censuisse futurum, vt si quid vxores eorum, qui ad officia proficiscuntur, deliquerint, ab ipsis ratio & vindicta exigatur. l. 4. §. proficisci. ff. de offic. proconf. & leg. Ridicule autem, qui *castra* dicta esse volunt, quod in iis libido castretur. (R.) p. 139

285 *Seruus* deprensi conuictus crimine furti,*
Si fur ante fuit, probrosa morte peribit.
Sin minus, abraso signatus vertice frontem
Verbera dura feret, castrisque fugatus abibit,
Ni fuerit domini spoliis armisque redemptus.

* Quem superius *armigerum* vocauit, nunc *seruum* vocat: vt qui ea ætate *Edelknecht* dicebatur, alius esse intelligatur a milite, (Sp.)

290 *Si continget equum cuiquam reperire vacantem,*
Nec dominum norit, non detondebit, vt illum
Ignotum faciat(1), nec clausum fraude tenebit,
Sed stabulatori(2) nostro denuntiet, ac sic

Iumento,

Inuento, vt proprio, nullo prohibente, fruatur.
295 *Quem si fasce nouo dominus deprendet onustum,*
Non erit hoc licitum deiecto pondere raptum
Tollere: portantem patiens in castra sequatur,
Iamque ministerio liceat reuocare peracto.

(1) Huc pertinet quod scribit *Cicero*; de finib. solere fures earum rerum, quas clepserunt, signa commutare, ne a prioribus dominis agnoscantur. Horum similes ibi ait esse Stoicos, qui ab aliis Philosophis dogmata quædam mutuati, vocabula tantum, ceu rerum notas & signa, mutarint. (R.) p. 139

(2) Equorum, seu stabuli magistro, qui *Marscalcus* a *Radeuico*, vt & hodie teutonice appellatur, a *marca* Germanorum vocabulo, quod equum significat, *Pausania* teste, quem citat *Rhenanus* noster in commentariolo in Tacitum. (Sp.)

Si quis pacificæ plebis villasve, domosve
300 *Vsserit: abrasis signabitur ora capillis,*
Et pulsus castris post verbera multa recedet.
Lex eadem pœna præscripta, minoris ementi
Teutonico, castris vt pluris vendere possit.
Hoc tamen adiecto, quicquid venale ferebat
305 *Eripiet cameræ* turpi pro fœnore custos*.*

* Nota, ad custodem Cameræ Imperialis pertinuisse curam fori rerum venalium. (Sp.)

Miles Teutonicus socium de gente Latina
Non habeat, nisi notitiam sermonis habentem
Teutonici: quod si præsumpserit, omnia perdat.
Inuentor foueæ, nullo prohibente repertis*
310 *Gaudeat: at si quis vim fecerit improbus illi,*
Id noster digna stabulator corrigat ira.

* *Foueam* amicus quidam meus pro *fodinis metallicis* accipiebat. Puto ego, *foueas* luporum aliarumue ferarum etiam hic intelligi posse, an thesaurum defossum accipiemus? (R.) p. 140

Nemo parum caute, nimiumve potenter agendo,
Conterat educto vinaria vasa liquore,
Quæ præstare suum possunt castrensibus vsum.
315 *Has, aliasque sacro dictatas Principis ore,*
Consensere patres seruare per omnia, leges.

At Rex belligeras cupiens armare cohortes* *Lanimare(R.)
Vltricesque viris incudere fortibus iras,
Editiore loco, blando spectabilis ore,
320 *Et tamen ingenuæ reuerendus pondere vocis*
Constitit, attentas implens his vocibus aures:

(1)Maxima sidereo laudum præconia Regi,
Rex ego terrenus, modo si foret illa(2) facultas
Vocis & officii(3), merito persoluere possum,
325 *Cum mihi deuoto tantos(4) assistere cœtu*
Aspicio proceres, quorum me munere regna
Accepisse iuuat, studiis retinere laboro.
Nam neque me tanti mea gloria muneris vnquam
Immemorem faciet, vestrique(5) fauoris egentem
330 *Viuere dum potero, bello, seu pace, fatebor.*
Sunt impressa meis suffragia vestra medullis(6),
Quoque magis recolo, magis hæc recolenda videntur,
Immemor officii(7) non sat memor extitit ante,
Nec bene gratus erat, qui gratus desiit esse.
335 *Spem mihi de reliquo, quæ præcessere, dederunt.*
Gratia præteritis, spes est adhibenda futuris.

(1) Hanc

(1) Hanc a *Friderico* patria lingua dictam esse orationem, ex *Radeuico* colligimus. Neque enim constat illum exacte peritum fuisse latini sermonis. Quanquam neque gratia, neque artificium vllum in ea desiderari posse videatur. (Sp.)

(2) L. *alta*. (B.)

(3) Ita restitui distinctionem, quæ hic peccabat. (R.) p. 140

(4) Videtur vtroque modo accipi posse, & de amplitudine ac potentia eorum, & de numero seu multitudine. Vt supra. (R.) p. 140

Nomina eorum pete ex cap. 25 lib. tertii hist. Ænob. (Sp.)

(5) Legebatur perperam, *nostrique*. *Egentem*, supple, *me*. (R.)

(6) De re, quæ penitus & firmissime nobis inhæret, ita loqui solemus. Sic infra lib. 10 v. 536, *memori scriptos in corde tenemus*. Sic apud *Terentium* Andria inquit Pamphilus: *Etiam nunc mihi scripta illa dicta sunt in animo Chrysidis de Glycerio*. *Terentius* autem a Græcis mutuatus est hanc formulam summæ accuratissimæque memoriæ significatricem. Sic enim *Pindarus* Olymp. 10. πολλ φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται, *Æschylus* Prometheo:

> σοὶ πρῶτον ἴω πολύδονον πλάνην φράσω,
> ἣν ἐγγράφου σὺ μνήμοσιν δέλτοις φρενός.

Vbi sic eius *Scholiastes*: τὴν ἀκριβῆ κατάληψιν αἰνίττεται. Sic & *Sophocles* Philocteta: καὶ γράφου φρενῶν ἔσω. Hoc elegantissime accommodauit *Gregor. Nazianzenus* in Decalogum:

> τοὺς ἐν νόμους ἐχάραξε Θεὸς δέκα ἐν πετραπλάξι
> λαΐνεαις. σὺ δὲ μοι ἔγγραφε σῇ κραδίῃ.

Et *Ruffinus* in Exposit. Symb. Apost. *Qui prima fidei elementa suscipiunt, testimonia hæc habeant in corde scripta*. Similia sunt his illa: *herent infixi in pectore vultus*. Item, *in medullis herere*, &c. (R.) p. 140

(7) Sic, οὐκ ἔστ' ἐραστὴς, ὅστις οὐκ ἀεὶ ἐρᾷ. Id est: *Non est amator, quisque non æternum amat*, vt habet vetus versiculus. Et vt ait *Symmachus* 4 epist. 5. *Inconstans putandus est amor, qui incrementa non accipit*. Alludit autem ad principium morale: *Habitum difficulter aboleri*. τὴν ἕξιν δυσμετακίνητον εἶναι. (R.) p. 140

Sed iam tempus adest, quo certo pignore possit
Vestra nitere fides: ad magna negotia rerum
Venimus, ingentes belli concepimus iras.
340 *Nec mihi res agitur, nec certos sponte labores*
Aggredior: belli caussas, iramque coactus
Accipio, iustosque mouet vindicta dolores.
Cernitis, in quantos sese efferat improba fastus
Vrbs Ligurum. Regnique minas, mandataque nostra
345 *Ridet, & antiquis a Regibus edita iura,*
Quæ cum legifero(1) *statuit reuerendus* Othone
Carolus; *ah pudeat, nunc demum tempore nostro*
Respuit, abiecitque ferox ceruice superba
Imperiale iugum, manifestaque bella fatetur(2).
350 *Hoc ego si patiar, sine caussa censear ensem*
Inualida portare manu(3), *Regumque priorum*
Degenerem, dignumque minus perhibere nepotem(4).

(1) Primo eius nominis Augusto: vnde *legiferum* appellat, vel quod Romanorum Principis est condere leges, vel quod vetusta Saxonum iura emendauerit. Ferunt item annales, eum æquitatis iurisque amantissimum peritos viros iuri dicendo semper præfecisse. Nam genere fuit Saxo, a rebusque præclare gestis *Magni* cognomentum tulit, præcipue domito *Boheslao* Boemiæ Rege, superatisque tribus grauissimis prœliis Hungaris, Germaniam vastantibus: ac captis tribus eorum regulis, quos victores Germani, *Othone* tamen renitente, sed frustra, vitam laqueo finire coegerunt. Ex Imperatoribus primus traditur a *Ioanne XII* corona donatus, accepto Germaniæ Pannoniæque titulo, ignota Cæsarum prioribus sæculis coronatione, si *Balbo* credimus. Sed nec coronandi Pontificis consuetudo admodum est vetusta. Olim a clero populoque Romano Pontifices electi, vbi intercesserat Imperatoris autoritas, cathedræ diui Petri insidebant, nullis aliis cærimoniis adhibitis. Gesta huius *Othonis* scripsere plures, sed *Cranzius* aliquanto fusius. (Sp.)

(2) Id est, præ se fert, minatur. Ita fere dictum, vt in iure *confessoria actio*: quam intelligi volunt ICti, non qua duntaxat nobis aliquod ius competere fatemur, sed id etiam vehementer contendimus atque asseueramus. Minus igitur in scriptura est; plus in sensu. vid. supra lib. 6 v. 498. (R.) p. 140 seq.

(3) Alludit ad illud *Pauli* Rom. 13; *Magistratus non frustra gestat gladium. DEI enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit. Degenerem regum priorum*, dixit, vt *Silius Italicus* lib. 10 *degenerem alta virtutis patrum*. Et *Ouidius* 3 Pont. 5; *Patrii non degener oris*. (R.) p. 141

(4) Pro, *præstare successorem*, dixit. (Sp.)
Forte,

Forte, *praberis*, vel *prahibere*, nam *perbibere* quidem hic quadrare non poteſt, cum ſit dicere. Sæpe autem *pra* & *per* inter ſe perperam commutata ſunt a librariis.

Nepotem dixit pro quouis ſucceſſore. (R.) p. 141

Me ſcilicet. Male mutat Rittershuſius *prahibere*. *Ich vväre nicht vverth, daſs ich mich ihren Nachkommen nennete.* (B.)

Ergo ne ſæuitiæ mea ſunt electa nefandæ
Tempora, quæ tantos nequeant punire furores?
355 *Fallitur ignauæ (niſi fallor) opinio plebis.*
Quicquid in Imperium noſtro committitur æuo
Inuenit vltorem: dabit ah, dabit impia pœnas,
Interituque graui commiſſa nefanda piabit(1).
Si bene vos novi(2), *ſi non mea pectora fallit*
360 *Spectatæ toties veſtræ virtutis imago.*
Nam neque vos noſtri ſocios non eſſe doloris
Communis iactura ſinit; quæ ſponte dediſtis
Eripit inuito (niſi vos ſuccurritis) hoſtis,
Munera veſtra mihi parat extorquere, ſimulque
365 *Vos & me*(3), *ſocii, facto contemnit in vno.*
Dumque putat bello nec noſtra requirere poſſe,
Arbitrium vobis, fructum mihi muneris aufert.
Nunc age(4) *Teutonici fortiſſima robora regni*
Imperii vires, totius gloria mundi,
370 *Magnifici proceres, magnis intendite cœptis*
Pectora, ſitque palam, nullam ſub limite magni
Eſſe poli, noſtris quæ tuto viribus obſtet,
Legibus aut Latiis impune recalcitret, vrbem.
Si vos a patriis laribus, thalamiſque pudicis
375 *Noſter amor, regnique labor, iuſtique doloris*
Adduxit(5) *ratio, ſi dulcia pignora, natos*
Ploranteſque domi liquiſtis ſponte puellas(6),
Nunc iiſdem cauſſis vltrices acriter iras
In tumidos Latii depromite nominis hoſtes,
380 *Atque illud noſtro detergite dedecus æuo.*
Ne noſtras impune minas ſpreuiſſe feratur
Vrbs Ligurum: quas Roma timet, nec iura, nec vllæ
Hoc prohibent leges, quotiens iniuria regnum(7)
Vexat, & Imperii ſubito pax hoſte laborat.
385 *Principis edicto iuſtiſſima bella gerantur.*
Ille nocens populus; nos regni(8) *iura tuentes,*
Vltrices aquilas(9), *qui publica ſigna ſecuti*
Eximios certe(10) *referemus laude triumphos.*

(1) Signat perduellionis crimen, quod committitur, cum quid hoſtili animo patratur aduerſus rempublicam, vel principem. Hinc perduelliones, qua dictione hi ſolum indicantur, aduerſus quos ius belli eſt. (Sp.)

(2) Ex *Horatio* translatum. Sic lib. 10 v. 559 *ſi bene nota fides.* Illud quoque: *Si non mea pectora fallit imago*, ex *Virgilio* ſumptum videtur: *Si nunquam fallit imago.* Sæpe autem fit; quod eſt in verſu *Theognidis*: πολλάκις τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι. Etſi enim animi ianua dicitur frons & vultus, & natura ſpeciem oris ita formauit, vt in ea penitus reconditos mores effingeret: vt *Cicero* ait: ſæpe tamen animus cuiusque multis ſimulationum inuolucris obtegitur, & frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur: vt alibi idem ait. (R.) p. 141

(3) Vulgo, *mei.* Forte ſcripſerat Guntherus, *me, o ſocii*: vnde illud, *mei ſocii*, factum ſit. (R.) p. 141

(4) Pro, *agite*, ut ſupra lib. 5 v. 478. (R.)

(5) Malim, *abduxit.* An, *adduxit*, ſcilicet huc? (R.)

(6) Intelligendas hic puto vxores potius quam filiolas, nam has videtur ſatis comprehendiſſe ſuperioribus verbis: *dulcia pignora, natos.* Maſculinum enim, ſecundum ICtos, comprehendit in ſe & femininum. Puellas autem appellari etiam eas, quæ iam matrimonio iunctæ vel vterum ferunt, vel etiam pepererunt, conſtat ex his locis. *Horatius* 3 carm. 22; *laborantes vtero puellæ.* Penelope ad Vlyſſem ſcribens apud *Ouidium* ſeſe *puellam* vocat; cum eſſet eius vxor, & Telemachum ei iam olim peperiſſet. Idem *Ouidius* 2 Faſtorum iubet, *viduas ceſſare puellas*, id eſt, a maritorum complexibus abſtinere; dum ſiunt

unt feralia. Sic *Scaevola* in l. vxorem 5. testamento. ff. de leg. 3 *marito* (inquit) *defuncto, puella dote recepta nupsit alii.* Ecce *puellam* vocat, quæ erat vidua, & post alteri nupta. Sic *Gellius* describens pulcerrimam illam dissertationem Phauorini sui de officio materno in lactandis liberis, *puellam* bis vocat puerperam. lib. 12 c. 1. Valde autem opportune atque ex arte facit *Guntherus*, quod carissimos affectus suos militibus suggerit ad incentiuum virtutis eorum. Quem enim liberorum & vxoris suæ respectus, cura & defensio non moueat, non in pugnam animosum & alacrem immittat?

μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή.
hoc est:
Nati viro atque vxor tyrannis maxima est.

Similia sunt etiam apud *Homerum* in exhortationibus & alloquiis militaribus. Sed non est nobis nunc propositum monstrare artificium oratorium, quod in hac & similibus orationibus pluribus adhibuit *Guntherus*. (R.) p. 141 seq.

Amasius dicit. Vix enim Heros aliquis sine tali erat. Vnde tot historiolæ, tot cantica. Non vidit *Rittershusius*. (B.)

(7) *Pithoei* editio, *regum*, habet, errato opinor typographico. (R.)

(8) Imperii. Sic sæpissime & ipse *Fridericus*, tom. 5 *Canis.* part. 2 p. 61. (B.)

(9) Appositiue hæc dicuntur. (R.)

(10) Malim, *certa referemus laude.* (R.)

Vocibus Augusti virtus accensa suorum
390 *Incaluit*(1): *fremuere minæ, capuloque reductas*(2)
Admouit grauis ira manus: vox omnibus vna,
Dicta probant, laudantque virum, stimulisque morantem
Impellunt, fidasque vouent in prælia dextras.
Sed ne præcipiti quicquam prudentia motu
395 *Regia neglecto præsumeret ordine iuris,*
Primum propositis legalibus esse citandos
Hostes edictis, iuris suasere periti.

(1) Hic fructus debet esse allocutionis Imperatoriæ: de qua vide erudite disserentem *I. Lipsium* de re milit. Rom. lib. 4 Dialog. 9, post *Vegetium* lib. 3 c. 12. Est tamen cum & illud vere vsurpari possit, quod est apud *Sallustium*, in Catilin. *verba virtutem non addere, neque ex ignauo strenuum, neque fortem ex timido exercitum oratione Imperatoris fieri.* Eandem quoque sententiam in Iugurth. repetit. Cyrus apud *Xenophontem* lib. 3 Pæd. *Nulla* (inquit) *cohortatio ita fortis est, quæ ignauos vno diei momento fortes reddat. Nimirum aliquid intus esse oportet, quod oratione eliciatur. Nam neque vestes, quamuis confertissima atque densissima, corpus calefaciunt, nisi aliquid intus sit natiui caloris.* (R.) p. 142

(2) Exprimit alacritatis signum. (Sp.)

Vtque sibi certam Ligures incumbere cladem,
Dilatamque(1) *vident offensi Cæsaris iram*
400 *Iam spe*(2) *maiores scelerum deposcere pœnas,*
Electos de gente sua, legumque peritos
Miserunt in castra viros, blandisque potentes
Persuadere modis, quorum sermone diserto
Posse putabatur mitescere Principis ira.
405 *Qui cum se caussis*(3) *grauiter pœnalibus angi,*
Legibus Italicis, & stricto iure viderent,
Inque coloratis suffragia nulla loquelis
Esse, vel in multa(4) *quam promisere, moneta,*
Rebus inexpletis(5) *multum frustraque rogatis*
410 *Principibus, mæsto repetentes mœnia vultu,*
Impleuere suam magnis terroribus vrbem.

(1) Quod enim *Valerius Maximus* de ira diuina pronuntiat, ab illa tarditatem supplicii compensari grauitate, idem etiam, de Regis, Dei vicarii, ira recte vsurpatur. (R.) p. 142

(2) Distinctio hic peccabat in omnibus editionibus. Porro *spem* per καταχρησιν ponit pro, *metum*, vt infra lib. 8 vers. 239, *spe leniora pacta.* Sic apud *Statium* Thebaid. *hunc retro conuersum & tela petentem, dum spes nulla necis, crinito a vertice figit.* *Virgilius* quoque *sperare* dixit pro *timere* Æneid.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem.

Et, *At sperate Deos memores fandi atque nefandi.* Vtrobique hoc etiam *Seruius* adnotauit. Sic Græci quoque: vt *Q. Smyrnaeus* lib. 1 Paralipom. οὐ γάρ τις διζυρῆς κακότητος ἄμμορος. ἐλπωρὴ δὲ πέλει καὶ δύλιον ἦμαρ εἰσιδέειν. Idem lib. 10 ἐλπομένη καὶ ἔτ' ἄλλο

λα κακώτερα δηϊώσασθαι. Et lib. 12 ἀμφὶ δὲ μήτηρ πολλὰ κινυρομένη κατὰ ἐναντίον ἥμενος ἐλπομένη τι καὶ ἄλλο κακώτερον, &c. Cum ſpes proprie ſumpta ſit futuri alicuius boni; pœna vero malum: nemo certe pœnam ſperabit, ſed pertimeſcet potius atque refugiet. Metus enim eſt futuri mali. (R.) p. 142 ſeq.

(3) Actionibus ſeu iudiciis capitalibus. Sunt autem illa, vt inquit *Iuſtinianus*, quæ vltimo ſupplicio afficiunt, vel aquæ vel ignis interdictione, vel deportatione, vel metallo. Hæc verba in vulgatis codicibus, vt pleraque alia aliquanto deprauatius leguntur in libris Inſtitutionum Iuſtinian. Id teſtatur codex, qui mihi eſt in membranis abſque vllis ſcholiis ſatis diligenter ſcriptus, annis abhinc plus minus 200. (Sp.)

(4) Multa pecunia. (Sp.)

(5) Infectis rebus diſceſſerunt. (R.)

At Rex inſtructis properans ad mœnia caſtris
Iam loca contigerat, qua certior Addua limes
Finibus ab Ligurum magnæ ſecat arua Cremonæ.
415 *Qui quamuis medias populis iniecerit*(1) *vndas,*
Non tamen hoſtiles poterat(2) *cohibere furores,*
Quo minus alterno ſpumaret ſæpe cruore.
Gurgite tunc pleno ſolito torrentior ibat,
Auxerat & tumidas reſolutis alpibus(3) *vndas,*
420 *Nec ſe belligeris tranſmitti poſſe cateruis*
Ponte, vado, remoque carens ſperare ſinebat,
Nec minus oppoſito Ligurinus(4) *in aggere miles,*
Magnanimi iuuenes(5), *vel ſi vada tuta paterent,*
Excipere hos armis, ac propulſare parati
425 *Conſtiterant, denſaque vadum ſtatione tenebant.*
Sic duplici cauſſa fluuio, belloque repulſus
Iratus mediis exercitus(6) *hæſerat vndis,*
Cornipedeſque viroſque ſimul grauis horror habebat.
Tantum diſtantes alterno margine ripæ
430 *Certatim validis torquebant tela lacertis.*
Donec ab extrema riparum fronte, Boemus(7)
Cum Duce Dalmatico(8) *ſeſe rapientibus vltro*
Iniecere vadis: hos agmina tota ſequuntur(9).
Vrget eques peditem, multis violentior amnis
435 *Lubrica fallaci veſtigia ſubruit*(10) *vnda.*
Vorticibuſque cauis inuoluens arma, viroſque,
Et rapidæ feritatis equos, correpta deorſum
Cuncta trahit: ſic pæne viri periere ducenti.
Aſt alii non tam vectu, quam remige(11) *freti*
440 *Cornipedum ſolida tandem veſtigia ripa*
Fixerunt: turpique fuga perterritus hoſtis,
Mœnia nota petens, infauſtum ciuibus omen
Rettulit, & cladis prænuntia ſigna futuræ.

(1) Pro, *interiecerit*. (R.)

(2) Ita leg. cum *Pithœo*, vbi Auguſtana editio & vulg. *poterant*. (R.) p. 143

(3) Alpium niuibus colliquatis & diffugientibus. (R.)

(4) Mediolanenſis. (Sp.)

(5) Appoſitiue. Fuiſſe circiter mille ſcribit *Radeuicus*. (Sp.)

(6) Cæſareanus. (Sp.)

(7) *Ladislaus* Rex, de quo ſupra. (Sp.)

(8) *Chunrado* genere Boioario, ex Familia Comitum Dachaionorum, quæ in *Arnulfo* mox defecit. Princeps *Chunradus* ille fuit, vt infra dicam, commendatus a virtutibus non vulgaribus. (Sp.)

(9) Ex Poeta veteri neſcio quo,
Ductores primi, quos agmina tota ſequuntur. (R.) p. 143

(10) Pflugius, *ſurpuit*. (R.)

(11) I.e. *remigio*. (R.)

Stabat in eiuſdem deuexo margine ripæ
445 *Turribus, & valido caſtrum ſpectabile muro.*
Nomen erat Trecium, Ligurum ſub nomine tutum
Hactenus, & nullo tactum per ſecula bello:
Hoc latus excelſæ circumſtant vndique turres,
Illud fluminea tutum defenditur vnda,

450 *Ingentique rapax incingitur Addua ponte,*
Quem seruat positis custodibus ardua turris.
Visa fuit Regi nostris accommoda castris
Illa satis sedes, propter compendia pontis
Et magno ventura bono: iussitque cohortes
455 *Expugnare locum: paret festina iuuentus,*
Tutaque belligero cingit castella tumultu.
At qui præsidium seruabat & oppida miles
Frustra tentato conatus mœnia bello
Defensare manu, postquam cognouit ab vrbe
460 *Nil opis esse sibi, miseræ modo munera vitæ*
*Depactus** *totis patefecit mœnia portis.*
Armaque victori castellaque plena relinquens,
Nudus ad hostilem misere compellitur vrbem.

* Sic supra 69, *donasset miseram magno pro munere vitam.* Sic infra lib. 8 vers. 54 *vitam depacti.* *Depactus* cum alias vitiosum & improbum significet pactum, vt apud *Vlpianum* in l. & generaliter. §. 1. ff. de calumniat. &c. hic pro simplici & quouis pacto vsurpatur: vt sæpe apud *Ciceronem.* (R.) p. 143

Hos tamen euentus lætos & gaudia rerum
465 *Inuida turbauit casu fortuna sinistro.*
Namque nouæ quidam quærentes semina laudis,
Præclarumque sibi cupientes didere(1) *nomen,*
Mœnia terrifico strepitu Ligurina petentes,
Exciuere suis tutis(2) *de sedibus hostes,*
470 *Sæuaque conflictu mouerunt prœlia duro.*
Primus in his Ekebertus(3) *erat, Comes ipse, sed alto*
Sanguine, regifico minime cessurus honori,
Et magnos reges animi virtutibus æquans(4):
Hic dum prolapsum quendam, rapidoque volutum
475 *Turbine cornipedis, cuperet releuare suorum,*
Hasta Ligus(5) *iuuenis vibrata per ilia magni*
Transiit, & latebris animam deprendit in altis.
Sunt tamen, incolumi iuuenem qui corpore captum,
Hostilemque manu tractum fateantur in vrbem,
480 *Sæuaque discerptis perpessum funera membris.*
Hunc & Teutonici proceres, Italique potentes,
Et Ligurum bona pars ægre(6) *gemuisse feruntur:*
Cuius & interitum lachrymoso tristia nectens
Carmine Teutonicas defleuit fama per vrbes(7).

(1) Pro, *parere.* (Sp.)

Pulcerrimus versus cum esset vno verbo corruptus, ita a me restitutus est. Legebatur antea, *dedere*: quod & *Spiegelius* non recte retinens exposuit, *parere*: quod potius esset *edere.* *Pflugius* tamen diuinabat, *cedere*, vel *cudere*, vel *condere.* Sed nemo, opinor, dubitabit, quin verum sit, *didere.* Docui alias, *Guntherum* verbis *Lucretianis* & *Virgilianis* libenter vti. Tale etiam est illud, quo *Lucretius* quidem sæpissime vtitur, notione distribuendi vel diuidendi (Exempla in Conlectan. vide) *Virgilius* autem bis, quod sciam: vt lib. 7;

Diditur hic subito Troiana per oppida rumor.

& lib. 8; *tua terris didita fama.* *Horatius* quoque semel 2 Serm. 2;

Albuti senis exemplo dum munia didit.

Et *Silius Italicus* lib. 1.

Hinc fama in populos irrati didita belli.

vbi etiam vulgo non recte, *dedita.* Glossarium vetus; *Dide*, διάδος μέρισον. Et, *Didita*, διαδοθέντα. (R.) p. 143 seq.

(2) Malim, *tutos.* (R.)

(3) Eius nominis tertius, in quo nobilis, florentissimaque *Pittenorum* tunc in Baioariis Comitum gens extincta est, teste *Auentino* in Elencho rerum Baioaricarum: quod & mox Poeta indicare videtur: *Cuius & interitum.* (Sp.)

(4) Imitatur manifesto illud: *Regum æquabat opes animis.* (R.) p. 144.

(5) I. e. a Ligure iacta vel emissa. (R.)

Mediolanensis. Gentile enim hic est nomen. *Probus* declinat, *hic & hæc* Ligur. *Hic* & *hæc*, & *hoc* Ligus, pro incola Liguriæ. (Sp.)

L. *æque.*

(6) L. *eque*. (B.)

(7) Hic antiquus Germanorum mos, celebrandi illustrium virorum, qui bello perierunt, funus & memoriam, hodieque durat, interque nostros homines frequentatur. Meminit eius & *Tacitus*. Ita qui pro Rep. ceciderunt, in perpetuum per gloriam viuunt, vt ait *Iustinianus*. Græci λόγοις ἐπιταφίοις eos decorabant: quem morem & Romani postea imitati sunt. (R.) p. 144

485 *Hic quoque Cæsareæ multi periere cohortis:*
Quemque domi(1) *famosa Ducem Rauenna potentem*
Miserat, occubuit, miseranda clade Iohannes(2).
Nonnulli rigidas collo subiere catenas.
Ast alii frænis redeunt ad castra retortis.
490 *Quos grauiter Princeps verbis inuectus acerbis*(3)
Corripuit, pœnasque rei fortasse luissent(4),
Ni precibus blandis proceres, multoque rogatu
Fortunæque vices, incertaque fata(5) *loquendo,*
Vix tandem iustam sedassent Principis iram.
495 *Qui mox permixta tantis cum luctibus ira,*
Vlcisci socios(6) *auide festinat, & arcta*
Obsidione ream iam claudere cogitat vrbem.

(1) *Domi potentem* Guntherus sic videtur dixisse, vt *Sallustius* Catilin. & alii *Domi nobilem*. Et idem *Sallustius* Bello Iugurth. *Ea tempestate in exercitu nostro fuere complures noui atque nobiles, quibus diuitiæ bono honestoque potiores erant, factiosi, domi potentes*, &c. An potius, *domo miserat*. (R.) p. 144

(2) Si hebræam originem sequimur, aspiratione addita, & vno ex duabus literis, *n*, dempto, *Iohanes* proferendum est, Græcis est quadrisyllabum, & prima *i* correpta, producta secunda *ω*. Plura super hoc nomine in comment. nostris in *Reuchlini* Progymnasmata scenica diximus. Notauit *Picus* iunior nonnullos, quales habet & hodie quamplurimos Italia, qui paganismi obseruantiores, hoc nomen, tum pleraque alia, quæ nec dissimulat *Erasmus* noster, & ceu sua iam Christi agnoscit ecclesia, fugiunt, & reiiciunt. Sed velint nolint, celebrata sunt, celebrabuntur: nec Imperatores illi, qui & multa eloquentia & maiori potentia freti fuere, aut res, aut nomina religionis extinguere potuerunt. (Sp.)

(3) Huiusmodi, scilicet, vt apud *Radeuicum* legimus: *Mediolanenses omnia cum deliberatione faciunt atque prudentia, fraudes & insidias componendo: eorumque dolos fortuna persequitur. Nostri vero, quibus ob disciplinam & consuetudinem obediendi rectoribus fortuna famulatur, nunc contrario peccant. Non immerito ita vincuntur, depelluntur: quia omnium pessimum est præsente Imperatore, sine rectore dimicare, cum etiam vincere sine præcepto ducis, infamia sit.* (Sp.)

(4) Vt qui iniussu Imperatoris pugnassent: quod ex disciplina militari capital fuit semper.

Prænetitum namque & capital committere Martem.
Sponte viris.

vt ait *Silius* ex emendatione *Fr. Modii* nostri. Exemplum in filio Manlii apud *Liuium*. (R.) p. 144

(5) Nihil æque animum hominis refrenat, inque gyrum moderationis flectit, ac si cogitet, κοινὴν εἶναι τὴν τύχην, καὶ τὸ μέλλον ἀόρατον, vt ait *Isocrates*. Præclare *Menander*;

ἄνθρωπος ὤν, μέμνησο τῆς κοινῆς τύχης.
* οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ἀνδρὶ τοῦτ᾽ οὐ πείσομαι*.

Id est, vt nos inde fecimus;

Cum sis homo, esto sortis humanæ memor,
* *Hoc non perpetiar, dicere, nemini datur.**

Cuique euenire, quod cuiquam euenit, potest, vt ait Mimus, *Publianus*. Et *aut sumus, aut fuimus, aut possumus esse, quod hic est*; vt B. *Augustinus* fecit. At multi sese nimis alte efferunt, ignari rerum humanarum, quæ fluxæ & mobiles sæpius in aduersa mutantur: vt est apud *Sallustium* Iugurth. Plura de vi & potentia Fortunæ infra 8, 108. (R.) p. 144 seq.

(6) Prœlio amissos. (R.)

(1)*Totaque septenis distinguens agmina turmis,*
Ductorem cuneo præfecit prouidus vni
500 *Cuique suum: nunc cornicines sonitusque tubarum*
Prælia terrifico committere prima tumultu,
Signiferosque loco, vel læta, vel aspera primo(2)
Laturos, acies æque dispergit(3) *in omnes.*
At qua Cæsareæ, signum Latiale, cohortis,
505 *Regia fulget auis*(4), *magnorum densa virorum*
Agmina, ceu magni glomerauit viscera regni.
Hinc famulum succincta manus, vulgusque pedestre

Pondera iumentis ingentia portat onustis;
Quæque expugnandis creduntur idonea muris.
510 *Vltima ceu modico subitura negotia voto*
Ære dato conducta cohors(5), & bellica miles
Dona sequens, pretioque suum mutare fauorem
Suetus, & accepto pariter cum munere bello,
Hunc habuisse, dator pretii, quem iusserit, hostem.

(1) Prosequitur quo instruxerit ordine vrbis Mediolani obsidionem. (Sp.)

(2) Hoc est, in prima acie, quæ & *principia* verbo militari dicitur, teste *Vegetio*: qui libro de re militari secundo sic ait: *Antiqua ordinatione legionis exposita, principalium militum, &, vt proprio verbo vtar,* principiorum *nomina ac dignitates secundum præsentes matriculas indicabo.* (Sp.)

(3) Assentior *Colero*, qui mauult, *dispertit*, nam *dispergendi* quidem verbum nescio quid temerarium ac tumultuarium significat: *dispertiendi* vero, aliquid ordinatum ac bene dispositum. Sic Plautus, *dispertitos viros, dispertitos ordines* dixit. Verba sunt militaria & τακτικὰ, de instruenda acie vsurpari consueta. (R.) p. 145

Recte Colerus, *dispertit.* (B.)

(4) Aquila. (Sp.)

Aquila οἰωνῶν βασιλεὺς, vt pluribus docui ad *Oppianum* 2 Halieut. v. 539. supra v. 387 *victrices aquilas* dixit. (R.) p. 145

(5) Mercenaria militia. (Sp.)

Elegans descriptio militis mercenarii. vid. & supra vers. 49 cum seqq. & infra 10, 545; *Ibi fas, vbi proxima merces*: *Ære merent paruo*, vt de talibus canit *Lucanus.* Scripsi *proxima*, pro eo quod hactenus ab omnibus vulgatum est, *maxima*: quæ restitutio optima & haud dubie verissima debetur *Davidi Hœschelio* nostro, qui ex MSC. Aug. erutam nobiscum communicauit. (R.) p. 145

515 *Sic pulchro felix acies instructa tenore,*
Carmine belligero(1), longeque sonantibus hymnis,
Diuinam sibi poscit opem, Ligurinaque sensim
Mœnia securo petit imperterrita gressu.
At qui sollicita ciuis spectator ab vrbe
520 *Prodierat, primasque fores vallumque tenebat,*
Nullo lasciuus strepitu, seu Regis honori
Hoc dabat, ingentis seu iam præsagia cladis,
Pectore(2) certa(3) trahens, nullo clamore superbus
Stabat: & insignem spectabat sedulus hostem.
525 *At Rex dispositis pulchro satis ordine castris,*
Obsidet ingentem plus centum milibus vrbem.
Hanc per circuitum spatio spectanda capaci
Planities, centum stadiis diffusior, ambit,
Extructus quadris(4) vallabat mœnia saxis
530 *Murus: at hunc(5) vasto præcinxerat agger(6) hiatu,*
Ad subitos belli strepitus, captosque(7) furores,
Grandibus impensis anno properatus eodem,
Turribus, & pinnis, tormentorumque flagellis.
Hoc minus insiterant, quod nulla posse putabant
535 *Obsidione premi plenam tot ciuibus vrbem.*
Vnde nec Imperio sese præstare fideles
Curabant, ac sæpe iugum ceruice rebelli
Respuerant, regnique(8) diu plebs illa superbis
Luxurians animis, tuto contempserat iras.

(1) Iuxta veterum Germanorum morem, qui cantu & numine Deorum pugnam incoabant, autor *Tacitus.* (Sp.)

(2) Ita cum *Pithœo* legendum. Vulgo male, *pectora.* (R.)

(3) Pro, *certa*, Pflugius malebat, *cæca.* Me non probante. (R.)

(4) Quadratis. (R.)

(5) Ita restitui, pro eo quod nullo sensu legebatur, *ad hunc.* At hunc, scilicet murum, præcinxerat agger vasto hiatu. (R.) p. 145

L. & hunc. (B.)

(6) Pro, *propere factus*, quem Consul Mediolanensis metu futuri belli, multis tamen reluctantibus, fieri curauit priori anno, fossa, aquis plena, vice amnis circumfluente. (Sp.)

(7) Quid est, *captosque furores*? an legendum, *caprosque*? an *creperosque*? (R.)

(8) Wecheli-

(8) Wecheliana editio, *regiuque*. Sed melius est *regnique*, quod & *Perna* retinet. Eodem plane modo supra quoque dixit Poeta vers. 344, *regnique minas, mandataque nostra ridet.* Regni autem appellatione imperium intelligit Romanum. (R.) p. 145

540 *Ergo vbi diuisis ingentia mœnia portis*
Teutonici tota proceres indagine belli (1)
Vndique cinxerunt, & regia signa superbi,
Ausoniasque suis volucres colludere (2) *campis*
Viderunt Ligures, & opertos milite fines.
545 *Prima viris alta tentoria cingere fossa*
Cura fuit, densare (3) *sudes, & ducere vallum,*
Castrorum munire sinus: ne clausa latenti
Turba dolo, vel Marte palam (4) *fremebunda diurno*
Erumpat, subitoque viros, & castra furore
550 *Turbet, & incautos inopina clade lacessat.*
Nam neque tormentis, neque rapto mœnia bello
Posse capi populosa putant, meliusque videtur
Expectare famem; vi namque hæc cuncta potenti
Expugnare solet, vel, si confisus ad arma
555 *Prosiliens, pugnam ferus vltro conserat hostis,*
Fortunam tentare manu, facilesque triumphos.

(1) Ita vocat obsidionem seu obsidium, mataphora ducta a venatione, quippe quæ sit εἴδωλον πολέμου, vt plurium auctorum testimoniis comprobaui apud *Oppianum* in Cyneget. (R.) p. 146

(2) Aquilas elegantissime ait colludere, quando signa aperta in campis volitant, ad pugnam parata. Verbum hoc eodem modo vsurpat *Virgilius* Georg. 1.

Sæpe leuem paleam, & frondes volitare caducas,
Aut summa nantes in aqua colludere plumas.

Sic optimus Virgilii imitator *Scipio Gentilis*, collega meus coniunctissimus & carissimus in primi Psalmi Paraphrasi fecit:

Namque velut paleasque leues, ramentaque terra
Sparsa ferens, volucri ventus colludit habena:
Ludibrium morti sic turba illa impia debet.

Illud obiter moneo, cum huius verbi vetus scriptura sit *conludere*, sæpe a librariis id deprauatum fuisse in, *conclud.re*, c perperam interposita: vt probaui ad *Alani* Anticlaudianum. (R.) p. 146

(3) Veteres etiam *densere* dicebant in secunda coniugatione: vt *Muretus* in Var. lect. docet. (R.) p. 146

(4) Ex *Homero*:
Ἠ δόλῳ ἠὲ βίῃ, ἢ ἀμφαδὸν ἠὲ κρυφηδόν.
(R.) p. 146

Vnam portarum socia virtute premebant
Cognati iuuenes, quorum Comes aulicus alter,
Nomine Chunradus, *Regis quoque frater* (1): *at illum*
560 *Ductorem Sueuis* Chunrado (2) *patre relictum,*
Æquiuocum, iunctumque sibi Fridericus *amabat:*
Promptus vterque manu (3) *formaque verendus vterque,*
Nobilitate pares, & eisdem in finibus æui.
Hos, vel quod teneris (4) *vigiles minus esse sub annis*
565 *Credebant Ligures, vel quod vicinius vrbem*
Terrentes, sociis procul absedisse videbant,
Hos primum tentare parant: tacitasque cohortes
Nocte pruinosas mundo referente tenebras,
Mœnibus educunt, quo tempore membra diurnis
570 *Extenuata malis, primo sopor irrigat imbre,*
Tunc etiam primo somni torpore grauatos
Inuadunt, turbantque viros, & castra lacessunt.
Prosiliunt stratis stupidi, vix sumere tela
Noxve timorve sinit: ferit horridus aera clamor,
575 *Multiplicatque metus, veris grauiora timentur.*
Non tamen in tanto discrimine, mente carentes,
Immemoresve sui, validis hortatibus iram

Exci-

Extimulant iuuenes; sumptisque viriliter armis
Quæ tempus casusque dabant, certamina dura
580 *Instituunt, ferroque simul, lapidumque rotatu,*
Et quocumque licet telo depellere castris
Nituntur tumidis sublatos(5) viribus hostes.

(1) Nam pater Ænobarbi mortua *Iuditha* matre sua, duxit aliam vxorem de genere comitum illorum, qui dicebantur *de Zvvainbrug*, & *de Sarburg*, ex qua suscepit hunc *Chunradum*, quem *Fridericus* Cæsar Palatinum Rheni effecit, mortuo iam *Hermanno* Palatino Comite Rheni, sine legitimo, vt ait *Nauclerus*, hærede. Huic *Chunrado* fuit Heidelbergum perpetua sedes, vbi, teste eodem *Nauclero*, Præposituram cœnobii in *Neuenburg* prope Heidelbergam in Parthenonem mutari curauit. (Sp.)

(2) Libens interposuerim *a*. Quamuis & alibi sciam amatas *Gunthero* præpositionum ellipses. (R.) p. 146

Augusto eius nominis tertio, cuius a principio mentionem fecimus. (Sp.)

(3) Sic Sallustius: *Manu, quam lingua promptior*. (R.)

(4) Pro iuuenilibus, qui a trigesimo producuntur ad annos quinque & quadraginta. (Sp.)

(5) Elatos. (R.)

Iamque Boemorum tentoria proxima clamor,
Armorumque sonus per opaca silentia noctis(1)
585 *Impulerat: qui mox tremulo clangore tubarum,*
Raucaque terribili quatientes tympana pulsu,
Vicinam testantur opem: iam castra tenebant,
Iam sua Teutonicis sociarant arma cateruis.
Attoniti subita miseri formidine ciues
590 *Degenerem petiere fugam(2), turpique relapsi*
Mœnia nota petunt: sed nox, & porta, timorque
Impediunt aditus, compressaque turba laborat.
Sic bona pars ferro cecidit prostrata cruento,
Aut iniecta tulit captiuo vincula(3) collo:
595 *Semineces alii, numerosaque vincula passi;*
Illæso penitus redierunt corpore pauci,
Exemplumque suis, documentaque certa dederunt,
Ne spem nocturnis auderent ponere furtis.
Sed quia festino bellum procedere motu,
600 *Obsessi fortuna loci prohibebat, &(4) ingens*
Tempora multa labor, momentaque tarda petebat,
Multorum virtus, torpescere nescia, tardas
Non poterat tolerare mores(5), longamque quietem
Oderat, & steriles ignaui temporis horas.

(1) Qui solet quam maxime procul diffundi. (R.) p.146

(2) Eleganter *fuga degener*: vt apud *Lucanum* libr. 3 *metus degener*: Quia scilicet vt *Virgilius* ait, degeneres animos arguit. (R.) p. 146

(3) Pflugius, *vulnera*. (R.)

(4) Alludit ad sententiam hanc,

Omne quod excellens opus & sublime futurum est,
Difficiles ortus habet, incrementaque tarda, &c. (R.) p.147

(5) Virtus excellens atque excitata moræ impatiens hic eleganter depingitur. Talis ab Homero describitur in Achille, Patrocli amici cædem vindicare cupiente: Talis item in Pyrrho, Neoptolemo eius filio apud Q. Smyrnæum. (R.) p. 147

605 *Ergo Palatinus geminis cum fratribus(1) ille*
Eximiæ virtutis Otho(2), *firmissima nostræ*
Robora militiæ, flagrantes laudis amore,
Grande aliquid patrare manu, dignumque referri
Inter magnorum celeberrima facta virorum:
610 *Vespere iam pæne(3) referente crepuscula noctis,*
Eduxere suas castris ad mœnia vires,
Atque crematuras portam cum ponte latenter
Admouere faces: rapido tabulata vapori

Materiam

Materiam(4), fomenta dabat violentior aura.
615 *Protinus e tota raptim concurritur vrbe,*
Omnibus hostiles amor est restinguere flammas.
Nam præter pontis discrimina, tota patebat
Vrbs Ligurum flammis, si non consideret ignis.
Nec mora, conflictu magno certatur vtrinque.
620 *Hi prohibere parant incendia pontis: at illi*
Oppositi(5) prohibere volunt prohibere volentes.
Tela volant, strident lapides, densusque sagittis
Aer nocturnas & vincit, & adiuuat vmbras.
Tandem restincta multo discrimine flamma,
625 *Pæne pari casu sera vix nocte dirempti,*
Alternas cædes, & mutua vulnera passi,
Hi muros subeunt, illi sua castra reuisunt.
Nec Ligures nostris tardi magis, aut minus esse
Audaces, tumidique volunt, factoque recenti
630 *Sponte referre vicem, pulchrum & laudabile credunt.*
Sæpius obsessis gaudent excurrere muris:
Et iaculo, fundaque leui, celeriue(6) sagitta
Incautos turbare viros, crebrisque lacessunt
Castra latrociniis: portaque frequentius illa,
635 *Quam ductor validis obsederat Austricus armis(7),*
Erumpunt, tandem stimulis grauioribus ardens
Impulit ira virum totis educere castris
Agmina: collato muros accedere bello.
At Ligures non iam muros defendere, verum
640 *Obuia ferre viris vltro venientibus arma*
Accelerant, miscentque grauis certamina pugnæ.

(1) *Friderico & Othone* Iuniore. (Sp.)

(2) *Comes Palatinus de VVittelsbach*, Baioariæ, tum Landgrauius, deinde ab Ænobarbo nostro ob merita eius Dux appellatus. Propagata est ab eo inclyta illa soboles, quæ hodie præest Batauis, duo fratres *VVilhelmus*, & *Ludouicus*. Seriem generis texuit *Auentinus*. (Sp.)

(3) L. *plena*. (B.)

(4) Sic distinguendum inter *materiam*, & *fomenta*: quod vulgo negligitur. (R.) p. 147

(5) Ita legendum; non, vt vulgo, *oppositis*. (R.)

(6) Malim, *celerique*. (R.)

(7) Lege cap. 36 tertii libri histor. Ænobarbicæ. (Sp.)

Prima volatilibus mandantur bella sagittis(1):
Protinus excussis auide concurritur hastis.
At simul ad gladios, & strictas(2) cominus iras
645 *Incaluit virtus: tunc vero horrendus vbique*
Clamor, & ingenti penitus collisa fragore
Arma sonant: tinnire cauas mucronis ab ictu
Audires galeas, incussa(3) trementibus hastis
Scuta graui mugire sono, gemituque cadentes
650 *Oppetere, & rigido terram prosternere(4) trunco.*
Instant castrenses, aduersaque pectora sæuis
Vulneribus lacerant, indignanturque resisti.
Nec cedunt Ligures, nec de statione mouentur
Obnixi, pariterque necant, pariterque necantur(5).
655 *Donec vix tandem magna virtute repulsi,*
Et nostris multa respersos cæde triumphos(6)
Linquentes, refugo tenuerunt mœnia cursu.

(1) Velitatio, vt supra. (R.)

(2) Hic vocat eadem forte ratione, qua ius strictum & rigorem iuris dicimus. At *Pfingius* ita

At simul ad gladios exstrictos cominus ira
Incaluit virtus. (R.) p. 147

(3) Percussa. (R.)

(4) Noue dictum, pro, *insternere*, quo verbo *Virgilius* vtitur Æn. 2 *insternor pelle leonis*. (R.) p. 147

(5) Ἀλλήλους ἐνάριζον ἀμοιβαδὶς φθονέοντες,

σιν, vt ait *Oppianus* meus de ἀλληλοφαγίᾳ piſcium in Halieut. vbi olim ſimiles annotaui. formulas, quibus mutua cædes exprimitur (R.) p. 147

(6) Cruentam victoriam. (R.)

Hic inter multos, ſtolidiſſimus occidit ille
Statius(1), *infauſti ſibi quem præponere Regem*
660 *Optabant Ligures, & ſceptra dicare parabant.*
Cuius, & a noſtris multo ſimul ære redemptum,
Et captiuorum numeroſa plebe cadauer
Mutatum(2), *ſolito Regum ſepeliuit honore.*
Stulta ſuperſtitio, quodque huic ſors iuſta negarat(3)
665 *Viuenti, ſtolidus morienti contulit error.*

(1) Nobiliſſimum inter optimates Mediolanenſium vocat *Radenicus*. Fuit e familia (ni fallor) *Statielenſium* prædiuite gente, quorum tum erant oppida octo, teſte *Merula*: quem miror huius *Statii* non meminiſſe. Ceterum *Statii* nomen inter ea, quæ ſeruilia habentur, vt *Geta, Dauus*, & iamdudum *Sclauus*, annumeratum eſt. (Sp.)

(2) Id eſt, *redemptum*. Sic ſupra lib. 2 v. 576. *permutans olidas effuſo ſanguine lymphas*, id eſt, emens vel comparans. Veteres *mutare* vſurpabant pro *emere* vel *vendere*. Sic *Horatius* 1 Satyr. 4. *Hic mutat merces ſurgente a ſole ad eum quo Veſpertina tepet regio.* *Virgilius* Pollione: *nec nautica pinus Mutabit merces.* Nam vt ait *Paulus*, origo emendi vendendique a permutationibus cœpit. l. 1. ff. de contr. emp. (R.) p. 147

(3) Sic repoſui. al. *negaret*. (R.)

Non mihi cuiuſdam Liguris reticenda videtur
*Improbitas**, *ſtultæque ferox veſania mentis,*
Qui rapido fremebundus equo, fulgentibus armis
Conſpicuus longe, noſtris illudere caſtris,
670 *Militiæque rudes, equitandi lege carentes*
Dicere Teutonicos, probroſaque multa pudendis
Gaudebat iactare ſonis, vanamque ſuperbus
Oſtentans artem: rapido modo turbine vectus
Quadrupedantis equi, nunc certa lege reductis
675 *In gyrum frænis, ſinuoſa volumina torquens,*
Vnum de multis, potiuſve ex omnibus vnum
Electum, dignumque ſibi concurrere, crebro
Poſcebat, captoſque metu ridebat inani.

* *Audacia*, quæ eſt temeri; vt *audentia* fortis viri. (Sp.)

Vt quondam pueri(1) *periturus laude*(2) *ſuperbus*(3)
680 *Ille Philiſtæus*(4) *trepidanti probra minaſque*
Iactabat populo, donec paſtoris Hebræi
Procubuit tumidam ſignatus vulnere frontem(5).

(1) Quam peritus ſacrorum Bibliorum poeta fuerit, vel hæc elegantiſſima ſimilitudo probat. Vnde coniicimus etiam cœnobitam fuiſſe, quoniam adhuc ætate illa, quicquid literarum ſupererat, e monaſteriis, ceu ſcholis, quales veterum conſtat fuiſſe monachorum cœtus, petebantur. Non igitur miraberis *Fridericorum AA.* tempora minime infelicia (quamuis a Romanis ſubinde Pontificibus dominationem iam olim a prædeceſſoribus ſuis meditatam conſtituere ſatagentibus, innocentiſſimi Principes impetebantur) multo plures habuiſſe, in ſola etiam Germania Epiſcopos, quorum & vitæ innocentiam, & doctrinæ præſtantiam commendant annales, quam hodie vix tota Latinorum Europa dare poſſit. (Sp.)

(2) L. *glande*. (B.)

(3) Cum *Golias*, vt habet ſacra hiſtoria primo Regum libro, totum populum Iudæorum corporis mole deſpiciens, ſingulari certamine prouocaret: timentibus ceteris Dauidi iunior fratribus, tum patris oues paſcens, popoſcit a Rege, vt congrediendi ſibi permitteret facultatem. Necdum quidem tanto certamini habilis æſtimatus eſt, Rege dicente: *Non potes ire ad allophylum, & pugnare cum eo: quoniam tu puer es, & ille vir bellator eſt a iuuentute ſua.* Nec eſſet admiſſus, niſi feciſſet fidem, quod in ſua adoleſcentia leonem ſuis manibus ſtrangulatum, extractis raptæ ouis cruribus, peremiſſet. Ipſe etiam deſpectus ab allophylo, quod aduerſus armatum prœliatorem cum virga & lapidibus proceſſiſſet, retulit non viribus ſe fretum eſſe, non armis, ſed in nomine Domini confidentem ad

tem ad prœlium esse progressum, vt lacessitæ plebis auferret opprobrium. Porro hic memineris, quos *alienigenas* Latini appellant, Hebræis esse *allophylos*. (Sp.)

(4) Diuus *Hieronymus* in Hebraicis quæstionibus *Philisthaos* putat esse, quos nos corrupto vocabulo *Palæstinos* vocamus, qui iidem cum iis sunt, quos sacra historia *Philistiim* & *Philistinos* nominat, de quibus in primo Regum scribitur, in cuius cap. 17, vnde hic locus sumptus est, legimus: *Et egressus est vir spurius de castris Philistinorum nomine* Goliath *de* Geth, *altitudinis sex cubitorum & palmi*, &c. (Sp.)

(5) Sic eadem narrat historia ad finem cap. eiusdem. *Et infixus est lapis in fronte eius & cecidit in faciem suam super terram. Prævaluitque David aduersus Philistæum in funda & lapide, percussumque Philistæum interfecit.* (Sp.)

Sic supra locutus est v. 287. (R.)

Non tulit elatæ Comes ostentamina mentis,
Albertus *Tyrolensis*(1) *erat, vanamque superbi*
685 *Stultitiam Liguris digna compescere pœna,*
Teutonicæque parat gentis remouere pudorem(2).
Non tamen aut galea muniri tempora curat,
Aut gladio lumbos, aut ferro pectora texit(3),
Aut cursoris equi, quo prœlia semper agebat
690 *Officio fungi*(4), *clypeo contentus & hasta*
Terga minora premens, vibrata cuspide segnem
Impulit, armatumque solo deiecit inermis.
Sed neque degeneri dignatus(5) *tingere ferrum*
Sanguine, non spoliis, nullo discrimine partis
695 *Victrices ornare*(6) *manus, tellure iacentem*
Liquit: & hoc(7) *aliis magni reputantibus, ipse*
Negligit(8) *& modico factum metitur honore.*(9)

(1) Scilicet, Comes. Regioni in Noricis, seu mauis Rhætis Alpinis, etiamnum prædiuiti, quæ Archiduci Austriæ nunc paret, nomen inditum ab arce *Tyrolo*, quæ exstat hodie aut longe a ripa Atesis iuxta oppidum Ameranum. Quo iure ad Austriacos Principes Comitatus ille peruenerit, in scholiis nostris in primum Austriados lib. obiter indicauimus. Plura de eo bona fide refert *Nauclerus*, & ego in commentariis Staurosthici *Ioann. Pici* Comitis Mirandulæ. (Sp.)

Quod hic *Guntherus* commemorat de *Alberto* Comite Tyrolensi, ab eo singulari certamine superatum, cæsumque esse iactabundum atque insolentem equitem Mediolanensem: id *Cromerus* lib. 6 hist. Polonic. tribuit, *Boleslao VVladislai* Poloniæ Regis filio: Obseruauit hoc clariss. *Gentilis*, qui mihi huius muneris, vt & aliorum beneficiorum auctor extitit. Sit igitur hoc quoque exemplum dicti: τῷ ἀμυνομένῳ ἄμεινον. (R.) p. 147 seq.

(2) Dedecus. (Sp.)

(3) Forte legendum; *texi*, an aliud quid monstri hic locus alit? neque enim bene cohærent, *curat*, &c, *texit*. (R.) p. 148

(4) Pro *vti*, mire dictum. Sic *fungi iudice* dixit infra 9, 322. At lib. 8 v. 337. *ratis officio vsus*. (R.) p. 148

(5) Contentus laude, quod visus est potuisse. (Sp.)

(6) L. *onerare*. (B.)

(7) Sic recte *Perna*. Vulgo male, *hic*. (R.)

(8) Obseruare hic licet exemplum sententiæ Plautinæ:

Qui ipsus se contemnit, in hoc est indoles industria:

Locus est aureus in Trinummo, Sc. Quo illic homo, quem quia integro, eoque nondum, quod sciam, vulgato versu primus auxi beneficio MS. Cod. Camerariani, hic adscribam.

Is probus est, quem non pœnitet, quam probus sit, & frugi bona?

Seq. vers. in MS. reperi:

Qui ipsus sibi satis placet, nec probus est, nec frugi bona:

Benefacta a benefactis aliis pertegito ne perpluant.

Qui ipsus se contemnit, &c.

Occasionem omittendi pulcerrimi versus librario præbuit, quod duo versus eodem prorsus fine clauduntur; duo simili principio inchoantur. Ita factum, vt oculi eius (quod fieri amat) aberrarint. Postea vnius ἀπόγραφον ceteri in hoc errore secuti sunt, tanquam oues arietem, vno hoc Camerariano codice excepto. Insigne exemplum similis mutilationis deprehendit *Modius* noster in 12 Silii.

Non vllum dixere parem, nec notior alter
Gradiuo iuuenis, nec Phœbo notior alter.

Secundus versus vulgo a librariis omissus erat, quod similiter cum præcedente exiret. Proferam & ego ex eadem Plauti fabula aliud eiusdem errati ex eodem fonte promanantis exemplum. Sc. Huic ego, vulgo ita legitur:

C. Qua facie est homo? S. Sesquipede quidem (duo MSC. Camer. *quiddam*) *est quam tu longior.*

 C. Nouisti

C. Nouisti n' hominem? &c. Inter hos duos versus aio omissum esse vnum, quem ope MSC. sic restituo.

CH. Heres haec res, si quidem ego absens sum quam praesens longior. In MSC. non recte est: *absens sum quia P.* Tacite vero secum vel ad spectatores eum versum Charmides mussitat. Addam & alium vers. ex Captiuis Sc. Ioui ead. de caussa omissum vulgo, quem in MSC. Eystadiensi repeti conseruatum.

Atque vbi ego fui in lapicidinis bonus vir, neque bona frugi.

Sequitur in editis:

Neque ero vnquam, &c. Erant autem in eo MSC. octo Comoediae, ordine primae, quas olim *Franciscus Modius* & ego legendo conferebamus. Restituam eadem opera versum integrum etiam Aululariae, Sc. Foras lumbrice:

Ev. *Pone.* St. *Dii quidem Pol te datare credo consuetum, senex.*

Sequitur in impressis:

Ev. *Pone hoc, sis aufer cauillam,* &c. Cauillatio, quam auferri iubet Euclio, haec erat, quod ludebat Strophilus verbis ponendi & dandi seu datandi, quae sunt interdum amatoria & Venerea, vt & inclinandi. Restitutio huius cavilli debetur MSS. Camer. & Eystad. Sed age, quando nos bona quaedam scaeua ad *Plautum* deduxit, priusquam inde abeamus, & VII hunc librum claudamus, etiam Menaechmis integrum versum redonemus, Sc. Aedepol.

Quid illuc est, quod me hic homines insanire praedicant?

(Sequitur in MSC.)

Nam equidem postquam gnatus sum, nunquam aegrotaui vnum diem.

Seq. versus ibid. ita legitur.

Neque ego insanio, neque pugnas, neque ego lites coepio.

Sed harum emendationum & suppletionum hic desino. Nam quas indidem ante complures annos depromseram alias, meo permissu in suspectis Lectionibus suis vulgabit *Gasp. Schoppius* Francus. Easdem ibidem procul dubio etiam deprehendit vir accuratissimus & doctissimus *Ianus Gruterus*, & ad publicam (quod spero optoque) vtilitatem proferet. Beneficio enim clariss. fratrum *Camerariorum*, qui Norimbergae (quos ego honoris caussa nomino) eos codd. post me vtendos accepit. Ego interim ista tibi, studiose Lector, quasi in antecessum dare volui. (R.) p. 148 seq.

(9) Erat enim vir minimae, vt ait *Radenicus*, iactantiae, & qui semper manu quam lingua promptior inueniri volebat. Habes hic igitur in homine Germanico, eodemque potestate praedito, non contemnendum animi moderationis exemplum. Sane hac heroica virtute nihil est nunc rarius. (Sp.)

ARGVMENTVM LIBRI OCTAVI.

Octauo Ligurum speculatur prouidus vrbem
Caesar, & antiqui theatri(a) procul aspicit arcem(b).
Mutua bella gerunt Ticinus Cremonaque fortis.
Inde fames, pestisque ferox Ligurum vrbe fremebat.
Guido *Bladerensis(c) caussam, sed pacis, agebat.*
Et Caesar pacis dederit(d) mox conditionem
Ciuibus, & pulchrum duxit de more triumphum.
Dimittit proceres, Tisuidum & castra reformat.
Curia Roncaliis mandatur, castra metatur(e),
Concilium(f) celebrat(g), feudalia iuraque dantur.

(a) Corripit mediam in *theatri*, haud scio, an sine exemplo. R. Saepe sic *Metellus* in Quirinalibus, tom. I *Canisii* editus. (B.)

(b) Pro, *arcem*, cum *Pflugio* lego libenter, *arcum*. (R.)

(c) Hic alias *Blandramensis* vocatur, vt infra v. 90. (R.)

(d) Augustana & Argentoratensis edit. *Et Caesar pacis dederat.* (R.)

(e) Hoc quoque sine exemplo, quod primam syllabam verbi huius corripit. (R.)

(f) Malim, *concilium.* (R.)

(g) Augustana editio, *celebrant.* (R.)

LIBER VIII

Has inter laudes, & fortia facta virorum,
Illam praecipue curam(1) Fridericus *agebat,*
Vt sine iactura grandi, sine clade suorum
Conficeret coeptos optato fine labores.
5 *Et modo cum paucis*(2), *denso modo milite cinctus,*

Ardua

Ardua sollicito lustrabat mœnia gressu:
Spectabat muros, spectabat robora valli,
Quæque locum vasto cingebant aggere, fossas,
Quaque viam cœptis facilem fortuna parare
10 *Tuta videbatur, cura studioque sagaci*
Acriter intendens, oculis & mente notabat.
Hæc ita concussit trepidos vigilantia ciues,
Vt quotiens illum muros ambire videbant,
Non secus, ac si iam validas effringere portas,
15 *Turribus aut celsis infligere saxa pararet*(3),
Mœnia tota graui tremerent confusa tumultu.
Tunc varius totam clamor, strepitusque per vrbem,
Signaque diuinas trepide pulsata per ædes,
Feminei planctus, lamentaque mæsta sonabant.
20 *At tuba pinnigeri iuuenes ad culmina muri*
Terribili clangore vocat, densaque corona
Vndique consistunt & propugnacula seruant.

(1) Perna, *puram.* male. (R.)

(2) Innuit Cæs. *Fridericum* optimi ducis officio fungi, de quo vide *Iacobum* Com. Purliliarum: quo certe non est alter, qui de re militari, præsertim ad temporum nostrorum rationem diligentius scripserit. Hunc autorem superioribus annis necdum alibi excusum, in publicum vsum emisimus. (Sp.)

(3) E funda balearica. Nam bombarda longo post tempore inuenta est, quæ omnium prima exigui pulueris commixtione id cladis vrbibus ac populis commenta est, vt arietem, balistam, ceteraque veteris militiæ tormenta, iam inter initiorum artium inuenta numeremus. Bombardam alii Ægypti inuentum, alii Germanorum esse volunt. Auunculus meus in Epitome rerum Germanicarum repertam scribit apud nos anno 1380. Nobilitarunt eam *Pandulphus* prosa, *Catanæus* versu. *Iac. Stapulensis* pietati natus, congruum fuisse ait, autorem tantæ machinæ opus imbuisse. (Sp.)

Stabat ab obsessa non multo longius vrbe
Quam semel exiliens arcu iaciente sagitta
25 *Ire potest, quadris moles incognita saxis,*
Romano constructa modo: quam fama superstes
Dicere Romanum vulgo consueuerat arcum.
Quatuor hæc(1) *validis surgebat fulta columnis,*
Tam sibi conueniens, vt visu nemo sagaci
30 *Posset ab alterutris vnum secernere saxis.*
Formam turris habens, cameras(2), *tabulataque multa*
Internis(3) *fortita locis, altasque fenestras:*
E quibus & totos(4) *ibat prospectus in agros,*
Et facili poterant conamine tela rotari.
35 *Hanc*(5) *Romanorum quendam*(6) *pro fornice Regum*
Erexisse sui certissima signa triumphi(7),
Vel magis iratos alio quoque tempore Reges
Mœnia victa per hanc sibi subiecisse ferebant.
Præsidium plebs illa loco, sumptusque ciborum
40 *Ad spatium belli, longosque locauerat vsus.*
Id caute fecisse putant, nam quicquid ab hoste
Exterius fieret, spectantibus inde videri(7)
Et facili sociis poterat notescere signo.

(1) Scilicet *moles.* Ita reposui, pro, *Hic,* (R.)

(2) Alii scripserunt *Camara.* Vnde in veteri Glossario vitiose, *Amara,* ὑπόρροφος. (R.) p. 150.

(3) Vulgo male, *interius.* Sic alibi, *alternis,* pro *alterius.* (R.) p. 150

(4) Sic legendum cum *Pithœo.* Vulgo *totus.* (R.)

(5) Scilicet turrim. (Sp.)

(6) Ita recte *Pithœus* vulgo, *quendam.* Iunge, quendam Regum Rom. (R.) p. 150

(7) Hoc est, loco, vel vice arcus triumphalis. De extructis fornicibus, sunt enim & naturales, exempla affatim suppetunt. *Cicero* lib. 2 de oratore *fornicem Fabium* memorat, qui fuit arcus iuxta regiam in sacra via a *Fabio Censore* constructus. *Fornices* autem

arcus erant in memoriam rerum a triumphalibus viris gestarum, extructa quasi monumenta victoriarum. Iurisconsultis fornicarii sunt opifices, & propolæ, & institores, qui tabernas a fisco conducunt sub fornicibus, vt ibi merces suas venales habeant, *Budæo* teste. *Fornix, arcus, testudo* cognata sunt vocabula, sed tamen non nihil inter se differentia, si quis scrupulosius inquirat. (Sp.)

Hic(1) *transferre suis* Fridericus *commoda castris*
45 *Cogitat, & iuuenes iaculo celeriue sagitta*
Corpora, vel longe distantia figere doctos,
Stare iubet contra, certosque intendere iactus.
Vt si quis patulis, aut mittere tela fenestris,
Aut spectaturos etiam producere vultus
50 *Audeat, aduersis configant ora sagittis.*
Ipse flagellatam tormento rumpere molem
Apparat, & duro penitus confringere ferro.
Attoniti stupuere viri, dextrasque(2) *petentes*
Vitam de pacti tradunt munimina Regi.
55 *Qui postquam sociam tutos dimisit in vrbem,*
Collocat ipse suos in tuta sede fideles.

(1) Malim, *Huc*, an *Hac*? (R.)

(2) Tanquam fidei symbolum, vel optatæ pignora pacis, vt infra v. 270. Vnde ille apud *Virgilium*;

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

Adscribo de dextrarum coniunctione insignia duo loca, primo *Iosephi* lib. 18 ἀρχαιολογ. ὁ δὲ Ἀρτάβανος τὴν δεξιὰν ἐδίδου, ὅπερ μέγιστον παρὰ πᾶσι τοῖς ἐκείνῃ βαρβάροις παράδειγμα τοῦ θαρσεῖν γίνεται τοῖς ὁμιλοῦσιν. οὐ γὰρ ἂν ψεύσαιτό τις δεξιῶν ὑπ' αὐτοῦ δόσεως γενομένης, οὐδὲ πιστεύειν ἐνδοιάσειεν, εἰ τοιᾶσδε ἀσφαλείας δόσις γένοιτο παρὰ τῶν ἐν ὑποψίᾳ ἀδικήσειν καθεστηκότων. Deinde *Alexandri* lib. 2 Problem. 47; καὶ οἱ τότε δὲ δικαιότατοι ἄνδρες τὰς δεξιὰς ἑαυτοῖς παρεῖχον ὑπὲρ ἀσφαλείας πράγματος τὸν δέκα ἀριθμὸν προβαλλόμενοι. Ait Philosophus, idcirco priscos viros iustitiæ amantes pactorum firmandorum causa dextras iungere instituisse, quod hac coniunctione numerus efficiatur denarius, quo nihil sit perfectius in ratione numerorum. Quæ ratio non omnino satisfaciebat auunculo meo doctissimo, *Matthiæ Bergio*, cum ei hunc locum aliquando in familiari sermone commonstrassem. Itaque ad oram libri mei adscribebat ἀναπτυξιν, quam totidem verbis subiiciam. *Si numerum* (inquit) *spectabant, qui minus sinistra ad sinistram adiunctiorem perficit? Mihi quidem aliud videntur spectasse illi* δικαιότατοι ἄνδρες: *illud nimirum, quod vt manus est omnium organorum organon præstantissimum ita rei omnium, quæ sunt in humanis præstantissima* (Fidei videlicet) *symbolum eam esse voluerunt: Indeque dextra dextra iungebatur, cum fidelissima fides sanciebatur, quod dextra in corpore pars potior sinistra habeatur communi omnium hominum consensu.* (R.) p. 150 seq.

Hoc tamen in bello veteris non immemor iræ(1)
Acrius in Ligures Ticini sæua iuuentus,
Atque Cremonenses, odio grassante fremebant.
60 *Nam si quis Ligurum, fatis agitatus iniquis,*
Illorum quandoque manus, infestaque tela
Inciderat: tunc dira sui monimenta furoris
Aspicienda dabant, iuguloque videntibus illis
Condebant gladios: aut duro stipite vinctum,
65 *Certatim missis figebant vndique telis.*
Nec minus ex illis, si quisquam forte maligna(2)
Venerat ad Ligures, discerpti corporis artus,
Truncaque de summo spargebant funera muro.
Tantus ab antiquis furor & discordia caussis(3),
70 *Inter vicinas semper spirauerat vrbes.*

(1) Nota capitale atque inueteratum odium inter Mediolanenses ab vna, & Ticinenses atque Cremonenses ab altera partibus. (R.) p. 151

(2) Id est, aduersa forte. (R.)

Antiqui iunctim dicebant *fors, fortuna*, & *forte fortuna*, pro casu & subita fortuna. Grammatici ita distinguunt: vt *fors* sit casus temporalis, vt hic a poeta accipitur: *fortuna* vero ipsa dea. *Fortis fortunæ diem festum colebant, qui arte aliqua victitabant*, inquit, *Donatus* in Phormionem Terentii, qui id quoque

que autumat, quod *fors fortuna* in bono ponitur. (Sp.)

(3) Nam vulgo mortales iniuriæ tenacissime meminisse solent, benefactorum quam facillime obliuisci. Quod admonet prouerbium: *Ira postremum senescit.* Et huic diuersum innuit illud *Aristotelis* apophtegma, qui, autore *Laertio*, rogatus, quæ res quam ocissime consenesceret, respondit: *Beneficium. M. Tullius* vtrumque complexus: *Cui placet*, inquit, *obliuiscitur: cui dolet, meminit.* (Sp.)

Iamque fames Ligurum, nostris optata(1), *superbas*
Cœperat insolito mentes contundere morbo,
Ac reor a summi proficiscens iudicis ira,
Squallida tabificum corruperat aera pestis.
75 *Castra tamen procerum vindex secreuit ab vrbe,*
Persequiturque reos, parcens insontibus, aer(2):
Castra vigent, non peste famis, cælive laborant.
Vrbs eget, & dubio tabescit languida cælo.
Iamque fugam propria multi meditantur ab vrbe,
80 *Exagitatque*(3) *suos sedes natalis alumnos.*
Sunt, quibus extrema pro libertate tuenda,
Dulce sit intrepido mortem promittere voto,
Esuriem, cælumque pati, bellique labores,
Dummodo pro patriæ(4) *sint*(5) *hæc toleranda salute;*
85 *At quibus in miseris turbato pectore rebus*
Plus aliquid rationis adest, mentisque profundæ,
Fœdera proiecto pacis deposcere ferro,
Quasque velit Princeps suadent admittere leges.
Maximus inter eos suadendi fœderis autor
90 *Vtile consilium* Guido Blandratensis *agebat.*
Hic Comes eximius Ligurum conciuis(6), *& idem*
Charus erat Regi, nec ob hoc suspectus in vrbe.
Talis(7) *fama viri vulgauerat inclita mores.*

(1) Eo namque consilio *Fridericus* Mediolanum obsederat, vt expugnaretur non tam machinis bellicis, quam fame. C. Caligula Cæsar, Germanici optimi patris filius pessimus, pestisque humani generis, optabat exercituum suorum cædes, famem, pestilentiam, vt legimus apud *Suetonium.* (Sp.)

(2) Sic in Ægypti quoque plagis factum nouimus ex sacris litteris. Παραδοξάζοντος ἔστω τοῦ Θεοῦ, vt ibi loquuntur LXX. Interpretes. Nota, quod ipsa elementa famulantur seseque accommodant *Friderico*: vt infra 154 *aduersus pro Cæsare dimicat aer*: & v. 350 cum 2. seqq. Ita *Claudianus* suum Principem fortunatum Deoque dilectum prædicat:

cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.

(R.) p. 151

(3) Caue accipias, pro *vexat.* Ea potius significatione positum videtur hoc frequentatiuum, qua simplex exigere apud *Liuium* & *Pomponium*, cum aiunt, *Reges exactos*, id est, *expulsos.* Sic *Terentius* in quibusdam fabulis se a spectatoribus *exactum* conqueritur. (R.) p. 151

(4) Iuxta illud vulgatissimum verbum: *Pugna pro patria.* Sane patriæ lata significatio est, nec solis mœnibus terminatur: quin & quandoque patriam de prouincia dicimus. (Sp.)

(5) Vulgo, *sunt.* Sed illud putaui melius. (R.)

L. *sint.* (B.)

(6) Plerique arbitrantur hanc vocem non esse latinam. (Sp.)

(7) Forte legendum, *Tales.* Ne quis iungat, *Talis fama*, sed potius *Tales mores.* (R.) p. 151

L. *tales.* (B.)

Hunc igitur medio trepidantis in agmine vulgi
95 *Cum iam de summis ageretur quæstio rebus,*
Inter Cæsareum pariter, patriæque fauorem,
Talia prudenti cognouimus ore locutum:
(1) *Si mea pro vestris nunquam sollertia rebus*
Pigra fuit, si vestra libens mandata peregi
100 *Semper, & hoc ipso vobiscum tempore dura*
Malo pati, & tristes partiri gaudeo casus:
Non modo quid moneam, sed quo pietatis amore,
Quaue fide, ciues animo tractate(2) *sagaci;*
Quæ facies rerum, quæ temporis huius imago,

Qui

105 *Qui status, aut quæ sit nostrorum forma malorum*
Plus quoque quam satis est ipsi cognoscitis ipsi,
Certaque fortunæ(3) *clarent*(4) *exempla sinistræ.*
(5)*Sensimus, vt multi, mortalia quæque regentem*
Nos quoque fortunam: non(6) *culpa forte caremus*(7).
110 *Nouimus hunc olim populum, Regesque creasse,*
Et virtute sua quosdam pepulisse creatos.
Nouimus Italicas leges, & iura per vrbes
Ex isto fluxisse loco: sed durior æquo
(Pace bona dixisse velim) dominatio nostra
115 *Extitit: immodicis vicinas legibus vrbes*
Terruimus(8): *scit Cuma quid est*(9), *scit regia Lauda,*
Quasque(10) *per Italicos vrbes aut oppida fines*
Strauimus, aut validis seruire coegimus armis.
Mutauit fortuna fidem, dextramque retraxit,
120 *Atque noua*(11) *longum compensat clade fauorem.*

(1) Verba Blanderatensis Comitis ad Mediolanenses, quibus exhortatur eos, iam in rerum desperatione positos, ad petendam a Cæsare pacem. Extat oratio ipsa apud *Radenicum*, quæ indicat, eum pro illa ætate bonis literis satis feliciter imbutum. In prioribus libris sparsim quædam adnotauimus de Longobardicis, tum Regibus, tum institutis, quæ ad hunc quoque locum faciunt. (Sp.)

(2) Vulgo, *tractare*. Sed *tractate* est versate, expendite cum animis vestris. Distinctio quoque hic peccabat. (R.) p. 151

(3) Aduersæ. Nam iuxta vulgarem sententiam, cui fortuna refragatur, huic quicquid tentauerit, infeliciter cedet. (Sp.)

(4) Verbum *Lucretianum* e lib. 6; *Commemorare, quod in primo quoque carmine claret. Clarere* est, manifestum atque perspicuum esse, apparere, patere: pro quo veteres, maximeque Iurisconsulti in formulis, etiam *parere* dicebant. Vt, *si paret. Petronius, Arbiter* Satyrico:

> *Iurisconsultus*, paret, *non* paret, *habetur*:
> *Atque esto, quicquid Seruius & Labeo.*

Vet. Glossar. *Paret*, φαίνεται. (R.) p. 151 seq.

(5) Ita hic locus interpungendus est, & legendus. (R.)

(6) *Cebes Thebanus* fortunæ imperium ostensurus: *Obambulat*, inquit, *quocumque gentium, & aliis quidem facultates eripit, aliis tradit*, &c. Vnde stulta gentilitas simulachrum eius cum copia & gubernaculo pinxit: tanquam hæc opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni & *Maro* assensit: qui octauo Æneid. *fortunam omnipotentem* vocat. Verius *Seneca* Epist. 99: *Errant*, inquit, *qui aut boni aliquid nobis, aut mali iudicant tribuere fortunam.* (Sp.)

(7) Malim quoque, *nec culpa*. Sæpe enim apud *Guntherum* sic peccarunt librarii, vt (*non*, *nec*, *nunc*) particulas inter se permutarint. *Perna*, aliique non recte, *fortuna, non culpa*, cum sit verum, *fortunam*: quod etiam Augustana editio agnoscit. Fortuna (vult, dicere sapientissimus orator *Guido*) est rerum humanarum domina atque arbitra: ea, secundum *Plautum*, humana omnia fingit, artatque, vt lubet: ea humanarum rerum pleraque regit, vt ait *Sallustius* Iugurth. Et plerasque res ex lubidine sua agitat, vt idem in fragm. Ea denique, secundum *Plinium*, vtramque paginam facit. *Vitam regit fortuna, non sapientia*, vt est in veteri versu apud *Ciceronem*: τύχη τὰ θνητῶν πράγματ', οὐκ εὐβουλία. Huius ergo vim, quod nos quoque experti sumus, id est nobis commune cum multis. Imo etiam hoc addo; Si vera fatendum est, ipsi nobis nostræ huius fortunæ fabri fuisse videmur, vt solent sui cuique mores fortunam fingere: & fortuna simul cum moribus immutatur, vt ait *Sallustius* apud *Nonium* pag. 155. Qua ratione Heraclitus dicebat, ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων. Et Attius apud *Nonium* ait, multos iniquo animo sibi mala auxisse in malis: queis natura praua magis, quam fors aut fortuna obfuerit. Sed & Iupiter Homericus Odyss. α. ait, sæpenumero inique homines de Diis & fato conqueri, vt a quibus præter meritum affligantur, cum tamen verum sit, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ σφῇσιν ἀτασθαλίῃσιν ὑπὲρ μόρον ἄλγε' ἔχουσιν. Fuit autem certe (quod negari non potest, inquit *Guido*) crudelis & insolens dominatio nostra. Et vt sacræ literæ perhibent, propter iniustitiam & tyrannidem transfertur regnum de gente in gentem. (R.) p. 152

(8) Nam eodem *Seneca* teste, *valentior omni fortuna animus est, in vtramque partem ipse res suas ducit, beataque ac misera vita sibi caussa est.* Vt solet insolentes reddere fortuna. Contra admonet *Ausonius* hoc eleganti disticho:

> *Fortunam reuerenter habe, quicumque repente*
> *Diues ab exili progrediere loco.* (Sp.)

(9) Forte legendum, *quidem*, nam vulgaria lectio nihili est, nec mihi sapit. Sic sæpe pro *idem*, *id est*, vel contra librarii substituerunt. An, *scit quid est?* scilicet, id, quod dico: vel, quid horum sit verum. (R.) p. 152

(10) Vrbes. Vulgo male, *Quosque*. (R.)

(11) L. atque *mala* longum. (B.)

Non

Non vltra stabilire suos, aut pellere Reges,
Sed Latio seruire Duci Ligurina necesse
Vrbs habet: & recto, liceat modo vera fateri,
Ordine res agitur(1): *Reges Alemannia nobis*
125 *Vrbibus Italicis leges, & iura daturos*
Mittere rite solet(2): *postquam de partibus illis*
Carolus, *& Magni regnum surrexit* Othonis*,
Ausoniaque frui Reges cœpere corona
Teutonici: quorum tuto contempsimus ante,
130 *Respuimusque iugum, nunc iustis vltor in armis*
Bellator Fridericus *adest*(3): *quem nescia vinci*
Mensque manusque suis facit hostibus esse timendum.
Exemplo testata suas Terdona ruinas
Esse potest, quam ne vetito de puluere(4) *frustra*
135 *Iusserit, erectis vrbs nostra resurgere muris,*
Haud modicus timor est: exemplo debuit esse
Spoletum(5), *iusta deletum vindicis ira.*
Quæque per Italiam conata resistere frustra
Oppida(6), *Teutonicis victor pessundedit armis.*

(1) Exprimit elegantem veterum formulam, *Recte atque ordine aliquid fieri*. l. 4. §. recte. ff. de off. proconf. l. 1. §. 1. ff. ad SC. Vellei. l. 27. §. 1. ff. de liber. cauf. &c. Cæsar apud *Sallustium* de Catilinariis: *Sed ea malo dicere, quæ maiores nostri contra libidinem animi sui recte atque ordine fecere.* (R.) p. 153

(2) Quod *Munsterus* quoque indicauit, pertinax exorta est inter Gallos & Germanos contentio, dum illi *Carolum* suum esse volunt, Imperiumque in suam translatum nationem: hi vero contra *Carolum* ex sua ortum velint natione, & sese Imperii putent donatos dignitate. Huic autem contentioni seu potius errori ansam præstitit historiarum inscitia: quas si glossematum scriptores, aliique Canonum interpretes accuratius legissent, nullus errori locus foret relictus. Nec enim negandum, quosdam ex Gallorum Regibus olim imperasse, sed Imperium a Græcis in Gallos aliquando esse translatum: id vero pernegandum. Sed quoniam hic *Carolus* originem a Sicambris, seu Francis illis Rhenensibus, de quibus supra mentio facta est, duxit: & illi sese partim Galliæ, partim Germaniæ insinuauerant, & ob virtutes eximias, quibus conspicui erant, ad principatus gerendos rapiebantur: hinc est, quod tam Galli, quam Germani hunc virum suum esse volunt, qui vtrorumque Principem egit. Sed & inter nostrates scriptores de incunabulis eius non conuenit. Alii hæc, vt *Ioann. Auentinus*, & *Petrus Appianus*, Bauariæ vendicant. Alii Eburonibus tradunt: quorum nunc terram Leodienses tenent, quod Carolus Martellus auus eius ex iam dictis Francis, quos hodie Orientales vocamus, oriundus, Tongros, Eburonesque, & alios his finitimos populos hereditario iure possederit, præfecturamque totius Galliæ Belgicæ virtute promeruerit. Alii Brabantis vendicant, vt *Heda* & *Emendus Diternas*. Alii autem volunt, quibus & ego accedo, natum in *Ingelheym*, vbi & in hunc vsque diem conspiciuntur mira quædam vetustatis monimenta: licet antiqua illa ædificia plerumque iam sint collapsa: & recentiora, quæ *Carolus* quartus in memoriam *Caroli* Magni instaurauit, adhuc supersint: præsertim monasterium quod ex *Caroli* palatio fecit. Abduxit nuper, teste *Munstero*, Com. Pal. Rheni fusiles quasdam lapideas columnas, quas *Carolus* Magnus aliquando e Roma adduxit, vna cum multis aliis columnis, quibus Aquisgrani ornauit templum. (Sp.)

* Hoc loco *Nic. Cisnerus* vtitur ad refellendum *Ant. Sabellici* errorem, qui Ennead. 2 tradidit, Imperium per Othonem I demum a Gallis ad Germanos fuisse traductum, quasi non & Franci, ex quibus Carolus M. oriundus, sint Germani, & Henricus Auceps, pater Othonis, Imperii dignitatem in Saxonicam gentem intulerit. *Regnum surgere alicunde*, Phrasis biblica. (R.) p. 155

Quod idem *Munsterus* diligenter retulit huc pertinet: nempe, quod deficiente Carolino semine, noua contentio de Imperii vsurpatione nascitur, dum Itali id ad se trahere moliuntur, & item Galli sibi id deberi putant, Germani vero, in quos iamdudum translatum fuit, id nequaquam alteri nationi permittendum arbitrantur: quin & Imperator Constantinopolitanus nouas excitat in Italia tragœdias, vt Imperium illud occidentale postliminio ad se reducat, immissis etiam Saracenis, qui terram perderent. Et Itali quidem *Berengarios* Reges in Italia creant: Germani vero *Henricum*, Aucupem dictum, Saxoniæ Ducem eligunt in Romanorum Regem. Porro Galli Germanis Principibus obedire recusantes, proprium instituunt Regem, nempe, *Hugonem Capetum*, anno videlicet Christi 988. Succedens vero *Henrico* Romanorum Regi filius suus *Otho* primus, cognomento *Magnus*, omnibus aliis præualuit, & Imperium quod exteræ nationes ad se trahere conabantur, potenti manu apud Germanos retinuit. Profectus præterea in

Italiam, *Berengarium* tertium, qui se pro Romanorum rege gessit, cœpit, secumque Bambergam duxit, vbi & mortuus est. Italiam vero ipsam, Longobardiam, Siciliam, Calabriam, & Apuliam, quæ *Berengarius* paruerant, iterum Romano subiecit Imperio. Deinde cum Gallis pugnans, qui omnes transrhenanas prouincias Imperio abstulerant, recuperauit iterum Lutharingiam, Brabantiam, & Burgundiam, perpetuoque Romano subiecit Imperio: cuius iuris hactenus permanserunt, vsque ad *Carolum* quartum, sub quo aliquid nouatum extitit, de quo, nescio, inquit *Nauclerus*, si iure subsistat. (Sp.)

(3) Egregia profecto & vera laus *Friderici.* (R.)

(4) Qualiter Cæs. *Fridericus* in prima sua expeditione statim transcensis alpibus Astam per vim cœperit, inde Terdonam rogatu Papiensium, quam Mediolanenses ipso in Germaniam reuerso, refecerant, funditus subuerterit, cecinit poeta lib. tertio. (Sp.)

(5) Quidam *Spoletium*, vt *Aretium*, putant scribendum esse. *Pontanus* Spoletum, vt apud *Plinium*, vbique pronunciat. (Sp.)

(6) Vt supra *Brixiam* & *Trecium*. (R.)

140 *Nec timeo socii fateor, ne Regis amore*
Falsa monere(1) *puter: dudum bene cognita vobis*
Nostra fides certis potuit notescere signis.
Nam quod nil propriæ prætextu suadeo caussæ,
(2)*Nec fauor, aut odium, quæ publica commoda sæpe*
145 *Impediunt, sed certa fides, & pura voluntas,*
Hæc suadere iubent(3), *scrutator pectoris alti*(4)
Scit Deus, & proprii mihi mens bene conscia voti,
Omnia discutiens animo, nihil esse salutis
Censeo, placata nisi primum Cæsaris ira.

(1) Ita restitui cum *Pithœo*, vulgo & Augustana editio, *mouere.* (R.) p. 153

(2) In hanc sententiam vide præclare *προοιμιάζοντα* C. Cæsarem apud *Sallustium* in Catilina. (R.) p. 153

Sumptum ex oratione C. Cæsaris Prætoris apud *Salustium* in Coniuratione: *Omnes homines,* inquit, *P. C. qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet. Haud facile animus verum prouidet, vbi illa officiunt.* (Sp.)

(3) Καρδιογνώστης. Alludit ad sacrarum literarum loca, quæ sunt hac de re plurima. (R.) p. 153

Allusit ad illud regii Prophetæ. *Scrutans corda, & renes Deus.* (Sp.)

(4) Hoc est, summi intimorum secretorum, seu reconditiorum affectuum, & cogitationum: quas sacræ literæ per renes subinde significant. Quoniam, vt gignendi affectus, qui in renibus sedem habet, sit omnium potentissimus, ita, tanquam omnium affectuum sedes & origo, pro ipsis affectibus, per metonymiam vsurpentur. (Sp.)

150 *Arma mouere libet, nudamque*(1) *lacessere pugnam?*
Sed vix obstructis prohibemus mœnibus hostem.
Tuta loco clausis seruabimus otia muris?
Sed prohibet violenta fames, miserosque fatigat
Pestis, & aduersus pro Cæsare dimicat aer(2).

(1) Pflugius, *timidamque.* (R.)
L. *crudamque.* (B.)

(2) Sic *Claudianus* in Panegyrico de tertio Honorii consulatu, in Honorii potius, quam Theodosii laudem, per assentationem plus, quam, teste *Lud. Viue*, scurrilem, cecinit:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat Æther,
Et coniurati veniunt ad classica venti.
(Sp.)

155 *Omnia securi pro libertate feremus:*
Sed libertatem contempta nemo salute
Sanus amat: neque enim certæ susceptio cladis,
Quam vitare queas, nisi cum ratione salutis
Libertatis amor, sed gloria vana(1) *putatur.*
160 *Numquid & in brutis, immansuetisque videmus*
(2)*Hoc ius esse feris? vbi vasta minoribus vltro*
Imperitare velint(2), *maioribus infima cedant*(3).
His ego de caussis, adsit modo vestra voluntas,
Cæsareos ambire pedes, & fœdera pacis

Poscere,

165 *Poscere, præcipuam fateor, certamque salutem.*
Nec placido Regi victos parere pigebit.
Nullus honor siquidem populi, vel gloria maior,
Quam Domino seruire pio. Postrema loquentis
Verba viri, mixto suscepit turba tumultu.
170 *Consilium plerique probant, pacisque petendæ*
Fœdera: nec desunt alii, qui dicere contra
Conuentus(4), *fœdumque putent, dignumque pudore:*
Cum patria(5) *potius pro libertate cadendum*(6).

(1) Κενοδοξία. Notandum hic eruditum & elegans *σκέμμα πολιτικόν*, quatenus pro libertate pugnandum. Sæpe autem, secundum *Lucanum*, Libertatis amor stultum decipit orbem. (R.) p. 153

(2) Τὸ κρεῖττον ἀεὶ τοῦ ἥττονος ἄρχεσθαι βούλεται in quouis animantium genere. Quæ sententia a plurimis celebratur auctoribus. Thucyd. lib. 1; ἀεὶ καθεστῶτος, τὸν ἥσσω ὑπὸ τοῦ δυνατωτέρου κατείργεσθαι. Vide & *Platonem* Gorgia. Alia loca ad *Oppianum* olim adnotaui. Sed tamen non quia sic fit in brutorum genere, idem etiam valere debet in humano, quod non vi, verum ratione gubernari oportet. Legebatur hic perperam (vt sæpe) *vbi*, pro, *vti*. (R.) p. 153

(3) Iuxta *Pindari* sententiam libro primo recitatam. (Sp.)

(4) Conuentiones, hoc est, leges fœderis, seu vt vulgo nunc aiunt, capitula pacis. (Sp.)

Noue dictum, pro conuentiones seu pacta conuenta. Ita vocat leges seu conditiones & fœdera pacis. Alias hoc verbo significantur *σύνοδοι*. *Pflugius* tamen diuinabat, *contendant*, vel, *contendunt*. (R.) p. 154

(5) *Vt nihil est patria, propriisve parentibus vlli dulcius*, quemadmodum cecinit in Odyssea *Homerus*. Sed & Catonianum illud, quo nihil magis tritum: *Pugna pro patria*, admonet, non pro quauis re, sed pro defensione patriæ pugnandum esse. *Nam Carum more*, Scholiastes inquit, *mercede pugnare turpissimum est, & plus quam gladiatorium.* (Sp.)

(6) Nam Philosopho autore, propositum reipublicæ popularis est libertas, quæ res est, vt Iureconsulti aiunt, inæstimabilis. Vnde scite dictum a Plautino Lorario in Captiuis: *Omnes profecto liberi lubentius sumus, quam seruimus.* Olim Romani concessere libertatem Cappadocibus ob amicitiam: quam illi recusauerunt, dicentes, se eam ferre non posse, oraruntque, vt sibi Rex daretur. Tunc Romani admirati, quod inuenirentur, qui libertatem recusarent, permisere, vt quem vellent, Regem eligerent. Illi Artobarzanem elegerunt. Contra maiores nostri libertatem armis vendicarunt, haud vnquam exteris stipendiarii atque vectigales. (Sp.)

Tandem compresso fremebundæ murmure plebis,
175 *Præualuit ratio, missisque potentibus vrbis*(1),
Austricus ille potens ductor, cum Rege Boemo
Accitur, per eos Ligures mandata, precesque
Insinuanda viro(2) *cupiunt offerre potenti.*
Qui neque difficilem sese, durumque rogatus
180 *Exhibuit, gaudensque*(3) *ream cum ciuibus vrbem*
Pœnituisse sui, leges & fœdera pacis
Prouidus in scriptum tali ratione redegit:

(1) Optimates intelligit, qui *Nobiles* nunc ab Italis vocantur, & *Patricii*. Sed re vera quicunque dignitate & opibus plurimum in repub. possunt, ii sunt optimates. (Sp.)

(2) Imperatori *Friderico*. (Sp.)

(3) Nam, *Seneca* autore, nullum clementiam ex omnibus magis, quam Regem ac Principem decet. Est autem clementia, temperantia animi in potestate vlciscendi, vel lenitas superioris aduersus inferiorem in constituendis pœnis. Vel est inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Vnde aurea illa Theodosii Aug. filium apud *Claudianum* de quarto Honorii consulatu monentis sententia, Regibus, Principibusque reliquis assidue cogitanda est: *Sis pius in primis: nam cum vincamur in omni munere, sola Deos æquat clementia nobis.* (Sp.)

(1)*Prima quidem Ligures fidei, pacisque tenendæ*
Iuramenta dabunt: omnes quoscumque nec ætas
185 *Pupillaris*(2) *habet, non septuagesimus annus*(3)
Contigit, in medio iurabit quilibet æuo(4):
Appendentque nouem(5), *pœnæ sub nomine, fisco*
Milia marcarum puro conflata metallo.

Præterea veterum neglecta palatia Regum(6),
190 *Lapsaque correctis releuabunt tecta ruinis.*
Vt quotiens magnam, vel Rex, vel regius vrbem(7)
Forte procurator, caussa ducente(8), *subibit,*
Digno magna loco tractare negotia possit.
Oppressaque diu Cumam, Laudamque solutis
195 *Legibus, & longa penitus ditione remota*
Respirare sinent, non prisca tributa requirent:
Præterquam veterem diuini iuris honorem(9),
Quo super has vrbes, Ligurum viget inclita sedes(10).
Sincera quæ cuncta fide complenda trecentis
200 *Firmabunt vadibus, de quolibet ordine sumptis*(11),
Hosque per Italicas seruandos cautius vrbes,
Principis arbitrio, custodia mitis habebit.
Et quibus illa locis fuerit commissa iuuentus,
Protinus expleto seruatos reddere pacto,
205 *Chara suis patribus iurabunt pignora natos.*
Consulibus positis, & facta pace repertis
Stare licet, plenus dum se conuerterit annus.
Postea nullus erit, nisi quem Rex ipse probarit
Electum populo, quibus hæc ad iura vocatis
210 *Si tunc Italicis Princeps habitabit in oris*
Hunc electorum bona pars reuerenter adibunt.
At duo sufficient, si transalpina tenebit:
Iurabuntque fidem Regi, dignumque fauorem,
Tam sibi, quam sociis ea regni dona petentes(12),
215 *Nec minus absentes accepto munere Regis*
Coram plebe sua, coram primatibus vrbis
Præstabunt eadem iurandi fœdera iuris.
Si tamen Italicis fuerit legatus in oris
Regius, hoc ipsum Regis vice iuris habebit,
220 *Et de Consulibus*(13) *disponere cuncta valebit.*

(1) Refert tenorem capitum pacis, seu conuentionis, vt ait *Radeuicus*: & sumpta sunt ex cap. 41 tertii lib. de Gestis Ænobarb. Notandum autem, sicut fœdera, quæ super induciis, quas barbari *treugas* nominant, & pace, duces belli inter sese ex vtraque parte paciscuntur, seruanda sunt: ita fidem seruari non oportere, quam tempore belli hostis hosti, priuatus priuato, iniussu ducum super priuatis compendiis paciscatur, iurisconsulti tradidere. (Sp.)

Nota, conditiones pacis Mediolanensibus a *Friderico* Ænob. concessæ: quas tamen ipsi non seruarunt. (R.) p. 154

(2) Pueritia. Hanc a natali die *Varro* vsque ad annum quintumdecimum producit. Pupillum iurisconsulti aliter frequentius accipiunt, eum scilicet impuberem, qui in patris potestate esse desiit, aut morte, aut emancipatione. (Sp.)

Nota quoque hic immunitatem ætatis pupillaris, & eius, quæ septuagenaria maior est. Similis locus est infra 660. Variatum est autem in annis. Fuit enim tempus, cum sexagesimus annus immunitatem vacationemque tribueret, vt *Varro* docet apud *Nonium* pag. 253. edit. Paris. Postea septuaginta anni immunitatem dare cœperunt. Vid. *Cuiacium* ad postremos. 3. libb. Cod. * Etiam illud obserua, *pupillarem ætatem* hic a *Gunthero* vocari 18 *annorum*, vt & infra v. 660; quæ est Ictis plena pubertas*. (R.) p. 154

(3) In quo qui sunt, senes appellantur: quia ætate ea corpus senio laboret; quando scilicet decrepiti nuncupamur, atque a generatione desistimus: quæ ætas quoque frigida est. (Sp.)

(4) Græci portiones vitæ humanæ septem tradidere: Infantiam, Pueritiam, Adolescentiam, Ætatem virilem, Senectutem, Senium. *Varro* autem in quinque gradus partitur: Pueritiam, Adolescentiam, Iuuenes, Seniores, & Senes. *Horatius* ex his partes solum quatuor præcipuas recenset, ipsarumque quum rationem, tum mores graphice depingit in arte. Ceterum damnata est eorum sententia, qui ex verbis Seruatoris nostri apud *Matthæum* collegerunt, Christianis omnino non esse iurandum: quem locum excussit præter veterum expositionem *Erasmus*. (Sp.)

(5) Aurine ne an argenti marcas intelligendum? Argenti verius esse, apparet ex v. 232. (R.) p. 154

Hodie non est marcæ, quæ olim fuit, æstimatio. Nam valuit 70 floren. Rhenens. Nunc autem plus quinque scilicet additis, vt lib. primo in *Benna* crucis mentione obiter indicaui. (Sp.)

(6) *Merula* scribit, Traianum Aug. nobilissimum palatium ædificasse in ea vrbis parte, quæ adhuc nomen *Palatii* seruat. (Sp.)

(7) Mediolanum. (Sp.)

(8) Id est, *pro re nata*, quod dici solet: seu *pro incidente vsu*. (R.) p. 154

(9) Decimas ni fallor, intelligit, quas Iuris diuini esse Canonistæ tradiderunt. De harum iure funesta olim bella in Germania bellata sunt. (R.) p. 154

(10) Metropolitica scilicet, cuius Præsulis potestas & iurisdictio olim late patebat. Quando, & quam ob rem accisæ fuerint, refert *Merula* lib. hist. Mediolanens. tertio. Nobilitauit hanc sedem diuus *Ambrosius*: qui nullo exemplo ante præfectus gregi dominico, quam in gregem dominicum cooptatus, pulcherrimum exemplum omnibus Monarchis edidit, quanta sit Episcoporum dignitas: si modo vere sint, quod audiunt. Nulla ex victoria armis parta plus laudis tulit Theodosius, quam quod ab Ambrosio se vinci passus est. Vtinam ille de quopiam nostri sæculi Episcopo dicere possit, si redire daretur illi, quod de suo Ambrosio eum dixisse legimus, nempe, se neminem nosse, qui vere Episcopum sciret gerere, præter vnum Ambrosium. Sed nemo potest Ambrosium agere, nisi qui pro pietate mori paratus est. Imo difficillimum est, cuiquam vere sacerdotem agere, qui libenter aliud est, quam sacerdos. Onera sunt verius, quam ornamenta, quæ libertatem adimunt cum dignitate: fitque nonnunquam, vt dum vtrumque volunt esse, nec Principes sint, nec Sacerdotes: vt vere dixit *Erasmus* noster, adactus miseranda horum temporum calamitate. (Sp.)

(11) Scilicet Capitaneorum, Patriciorum, & Popularium. (Sp.)

(12) L. *putantes*. Putabant, donari sibi hæc a Cæsare. (B.)

(13) Omni magistratu. Sic *Ph. Berterius* Pithonon lib. 1 cap. 10, p. 12. (B.)

Ante tamen clausa, quam victor ab vrbe recedat,
Captiuos omnes, veteresque nouosque, Boemo
Committent Ligures: quos protinus ille paternis
Restituet laribus, si iussu Principis illas
225 *Cum populo Ligurum concordia iunxerit vrbes,*
Accipientque suos Ligures versa vice captos,
Quæque iuuant illos sociis conatibus vrbes.
Sin minus, in solito retinebunt carcere vinctos.
Nec tamen hinc aliquam patientur Cæsaris iram,
230 *Obsidibus positis, captiuis rite solutis.*
Proxima lux Regis discedere castra videbit:
Argenti summam (1) *Ligures pro pace ferendam*
A sibi subiectis poterunt (2) *conflare colonis.*
Dum tamen immunes Laudam, Cumamque relinquant.
235 (3) *Nauigium, portus, vectigal, siue monetam,*
Vel quæcumque sibi defendit commoda (4) *fiscus,*
Nec rapient Ligures: nec si quis forte nefando
Inuasu rapuisse volet, patientur inultum.

(1) Videlicet nouem marcarum, vti supra v. 188. (R.)

(2) Ita *Perna*, cum vulgo sit, *poterint*. Idem vero *Perna* male: *At sibi*: cum legendum sit, *A sibi subiectis*. (R.) p. 154

(3) Regalia quædam seu commoda fiscalia hic enumerantur: de quibus plenius infra v. 571. (R.) p. 154

(4) Ea scilicet, quæ *Regaliorum* nomine continentur, de quibus fusius aliquanto lib. secundo. (Sp.)

Has postquam leges, & spe leuiora rebellis
240 *Iam dudum populus gratanter pacta recepit,*
Continuo totis effusi mœnibus omnes
Procedunt: primusque suo cum Præsule clerus
Veste sacra nitidus, nudo pede, supplice vultu,
Vertice demisso, nostræ monimenta salutis
245 *Signa crucis* (1) *præfert: post hinc inuellere pullo*
Infausti ciues, vestigia nuda prementes,
Iudiciumque (2) *sui, pariter pœnamque reatus*
Admotos nudis portantes faucibus (3) *enses,*
Tacta pudore graui perfundunt fletibus ora.
250 *Protinus e totis fluit ad spectacula castris*
Miles, & adstantes densas hinc inde cateruas

Augustus dirimit medio discrimine limes:
Quo vix turba gemens ad regia Cæsaris ora
Peruenisse queat, placida qui fronte serenus
255 *Pectore contritos, & se peccasse fatentes*
Suscipit, & tali summo pro munere Regi
Grates lætus agit, sæua qui mente rebelles
Contudit, & tumidos(4) tandem resipiscere iussit.

(1) Quæ Terdonenses quoque, sed sine fructu, præferebant lib. 3, 22. De Crucis signo multa *Prudentius* in Cathemerinis, & *Lactantius* lib. 4 c. 27. (R.) p. 154

(2) Malim, *Indiciumque*: quæ duo & alias perperam inter se commutasse locum scimus. An *indicium sui* dicit condemnationem sui ipsius? vt significet, *αὐτοκατάκριτος εἶναι*. Mirum autem alicui videatur, ea hic a Mediolanensibus præstari: quæ in conditionibus supra commemoratis non comprehendebantur, cum quidem sint grauissima, vt incedere pullatos, nudis pedibus stricto gladio ad fauces admoto, supplices toto corpore prosterni. Notanda est in seqq. tum clementia *Friderici* in condonandis iniuriis, recipiendisque reis; tum pietas atque religio in eo, quod Deo acceptam refert victoriam, vt alias quoque ipsi solemne est. (R.) p. 155

(3) *Pflugius* ex *Radenico* legendum putabat: *portant ceruicibus*, & mox v. seq. *secta* pro *tacta*. (R.) p. 155

(4) Ita ex coniectura rescripsi, pro *timidos*. (R.)

At Ligurum primi(1) prostrati corpore toto
260 *Cæsaris ante pedes, trepidis confusa querelis*
Pauca gemunt, veniamque suis excessibus orant,
Hoc tantum, veniamque sonant, veniamque loquuntur:
Non odio regni bellum mouisse, sed illas,
Quas sibi vicinæ fecissent sæpius vrbes,
265 *Non potuisse pati tranquillo pectore noxas(2).*
Nunc veniam nactos operam, curamque daturos,
Vt redimant antiqua nouis, præmissa futuris(3).

(1) Consules & optimates: vt ex *Radenico* liquet. (Sp.)

(2) Hoc est, *nocumenta*. Nam teste *Alciato*, apud veteres *noxa* a *nocendo* dicta inuenitur. Quapropter culpa, pœna, detrimentum noxa est. *Noxia* solummodo de maleficio ipso dicitur, nec tam generali significatione accipitur, sicut *noxa*. *Cicero* libr. 3 de Legib. *Noxia pœna par esto, vt in suo vitio quisque plectatur, vis capite, auaritia multa, honoris cupiditas ignominia.* Nec adiectiue tantum dicitur *noxia*, sicut opinantur *Valla* & *Beroaldus*. Noxæ *appellatione*, inquit Iurisconsultus, *omne delictum continetur*. (Sp.)

(3) Sic *Perna* recte distinguit, quæ vulg. confusa erant. Bis autem dicit idem. *Præmissa*, id est, antegressa, præterita. In summa, pollicentur, se *ἀντίῤῥοπον ἀμοιβὴν* facturos. (R.) p. 155

Mox vbi præscripti recitata est pagina pacti,
Atque probata viris, optatæ pignora pacis
270 *Accipiunt, iunctas(1) consorti fœdere dextras.*
Nec minus emissi Ligurum de carcere longo,
Duraque temporibus multis ergastula(2) passi
Captiui, dudum variis ex vrbibus, hostis(3),
Ordine diffuso, circa vestigia(4) magni
275 *Consedere Ducis(5) squallentia tegmine fœdo*
Corpora velati(6), miserandos possidet artus
Fœda situ macies, deformia turpis, & æger
Inficit ora color, pressis cutis arida membris
Insidet(7), humanæ tantum vestigia formæ
280 *Seruat, & antiquam retinet natura figuram:*
Et si vera velis imponere nomina rebus,
Non homo, sed viuens(8) hominis videatur imago.
Et tamen exultant(9) longos fugisse labores
Carceris, & duras semel abiecisse catenas:
285 *Ignotumque diu post tristia nubila læti*
Aspiciunt solem, Regemque libentius ipsum,
Cuius ab exilio sese virtute reductos,

Ac velut e ftygiis tractos meminere tenebris.
Quis referat fletus, lachrymofaque gaudia(10) *tanta*
290 *Plebis, & interna tactos* 11) *pietate dolores?*
Cum captiua diu poft durum corpora tetri
Carceris exilium, lætis fic reddita tandem
Ciuibus, & natos vix agnouere parentes
Iam niueos canis(12), *primo quos flore nitentes*
295 *Vltima non fauftis ad bellum miferat hora*
Aufpiciis, longas damnatos ferre catenas,
Nec folum miferos fpatiofi temporis ætas
Fecerat ignotos, fed fquallor, & hifpida veftis,
Et fitus, & macies, & nullo pectine tacta
300 *Vtraque cæfaries*(13), *agnofci pæne vetabant.*

(1) Symbolum enim amoris, amicitiæ, concordiæ & pacis, iungere dextram eft. Quæ tamen haud temere cuiuis, vt admonet prouerbium, iniicienda eft. (Sp.)

(2) Gloffarium Latinogræcum exponit τόπος ἐν οἷς πεδῆται ἐργάζονται δεσμωτήριον. (R.) p. 155

(3) Sic repofui, vbi vulgo, *hoftes.* (R.)

(4) Pedes. (Sp.)

(5) Imperatoris *Friderici.* (Sp.)

(6) Προσωπογραφία elegans. (R)

(7) Offa atque pellis funt miferi a macritudine, vt ait *Plautus.* Περὶ δ' ὀστέα μοῦνον ῥινὸς ἔην, vt *Q. Smyrnaeus.* (R.)

(8) Sufpecta vox. L. *liuens* hominis videatur imago. (B.)

(9) Exprimit φιλοψυχίαν καὶ φιλοζωΐαν hominibus a natura infitam: de qua *Ciceronis* locum vide in 5 De finibus: & verfus C. Cilnii Mecenatis parum viriles referuntur a *Seneca* in Epiftolis:

Debilem facito manu, debilem pede, coxa:
Tuber adftrue gibberum: lubricos quate dentes:
Vita dum fupereft, bene eft, hanc mihi vel acutam.
Si fedeas crucem, fuftineo. (R.) p. 155

(10) *Apuleius* lib. 1 Metamorph. *Lacrymæ fæpicule de gaudio prodeunt.* Et vt *Xenophon* ait ἑλλην. ζ. κοινόν τι ἅμα χαρᾷ καὶ λύπῃ τὰ δάκρυα. Idem & κλαυσίγελων eleganter compofito verbo vocat. Sic in ἀναγνωρίσει cariffimorum, vel in læto de iifdem nuntio lacrymæ hominibus oboriri confueuerunt. Hinc illa apud *Pindarum* Pythio. 4: τὸν μὲν ἐσελθόντ' ἔγνον ὀφθαλμοὶ πατρός. ἐκ δ' ἄρ' αὐτοῦ πομφόλυξαν δάκρυα γηραλέων βλεφάρων. ἂν περὶ ψυχὰν ἐπεὶ γάθησεν, ἐξαίρετον γόνον ἰδὼν κάλλιστον ἀνδρῶν. Loquitur de Iafone a patre fuo Æfone agnito. De cauffis talium in gaudio lacrymarum vide *Ioach. Camerarii* Problema 3 Decad. 8, & rurfum in Append. Problemat. (R.) p. 155 feq.

(11) Diuinabam, *tractos.* (R.)

(12) Exemplo *Horatii*, qui *canos* vocat *niues capitis* lib. 3 Carmin. 13. Porro de canitie præmatura vid Aduerfaria *M. Ant. Delrio* ad Senec. Tragœd. initio: vbi patri fuo hoc contigiffe fcribit, vt etiam adolefcens vnius noctis lucubratione incanefceret. Simile exemplum cuiufdam, qui in carcere, vbi ad fupplicium fequentis diei adferuabatur, vna nocte totus canus factus fit, commemorat *Sleidanus.* Venit hic mihi in mentem Leontius, quem fcribit *Sozomenus* lib. 3 hift. Ecclef. c. 20, in quadam controuerfia ecclefiæ Antiochenæ contacto capite fuo, canitie iam dealbato, dixiffe: *Nive hac foluta multum erit luti*: ad fignificandas feditiones populares, quæ mortem fuam effent fecuturæ. (R.) p. 156

(13) *Capilli*, & *barba*, feu barbatii. Cæfaries autem fpeciofa & crinita cum primis decet feminam: quæ, vt ait *Ambrofius* cap. 9 fexti Hexaemeron, eft reuerenda in fenibus, veneranda in facerdotibus, terribilis in bellatoribus, decora in adolefcentibus, compta in mulieribus, dulcis in pueris. Tolle arbori comam, tota arbor ingrata eft. *Ouidius* item fententialiter fcribens ait: *Turpe pecus mutilum, turpis fine gramine campus, Et fine fronde frutex, & fine crine caput.* De capillorum ratione abunde difputat *Pontanus* in opere de rebus cæleftibus. (Sp.)

Tunc demum victa Fridericus *ab vrbe receffit,*
Modionumque(1) *petens, prifco dignatus honore*
Illuftrare locum, facro diademate(2) *crines*
Induit, & dextra geftauit fceptra(3) *potenti.*
305 *Hanc fortuna diu, Ligurumque potentia diues*
Eximiam regni proauorum(4) *tempore fedem*
Prefferat, & longa victam ditione tenebat.
Sed placidus Princeps primæuo cuncta decori
Reftituenda putans, iniuftis legibus illam
310 *Exemit, prifcumque loco reparauit honorem:*

Sumptibus

Sumptibus & propriis veteres sarcire ruinas
Iussit, & annosi senium deponere fati.

(1) *Modoeciam* vocat *Volaterranus* hoc oppidum, de quo nonnulla lib. primo dixi. *Albericus* in suo indice verbo *corona*, inter cetera notauit, Imperatorem secundam, hoc est, ferream coronam in Modoecia Comitatus Mediolani recipere. Quamuis olim Imperator primo coronabatur ferrea, deinde argentea, postremo aurea corona. Postea ordine immutato, argenteæ primus locus erat, & modo hæc, modo illa, vt casus tulerat, promiscue & sine delectu exhibebatur. Scribit *Glossator* in Clem. 1 *de iureiur.* Quamuis ex veteri instituto secunda corona sit exhibenda in oppido Modoeciensi: tamen sæpe tradita est Mediolani in æde diui *Ambrosii*, nec eam ob caussam coronatio fuit irrita. Sed *Balbus* Antistes lib. supra citato refert, quod tam gloss. quam interpretes hac in parte hallucinantur: cum per tot annorum curricula Mediolanensis illa ex vsu fuerit sublata, licet vt aliquid antiquitatis vestigium extaret, eam Pontifices Romæ aliquando exhibuerint. Quod item in Germania perinde, vt Romæ corona aurea Imperator insignitur, illa scilicet eadem, qua *Carolus* Magnus primo vsus est. (Sp.)

(2) *Diadema* græcum est, significatque amiculum, quo caput Regis obligatur: a διαδέω, quod est *obuincio*. Vsurpatur pro corona nunc. Priscis fuit fascia linea & candida, quæ Regum capita cingebat. De qua Alexander ille Macedo, diadema manibus pertractans exclamasse fertur: *O nobilem potius, quam felicem pannum, sub quo quantum ærumnarum lateat si quis sciverit, ne humi quidem iacentem tollet.* (Sp.)

(4) Longobardici scilicet, regni. Ne autem de corona, quam ei pridem *Adrianus* Pontifex imposuerat, accipias, indicat *Radeuicus*, inquiens: *Princeps Romanus a Mediolano castra mouens, apud Modoicum sedem regni Italici coronatur.* Vnde hic locus satis abunde testatur verum esse, quod *Balbus* Pontifex refert, coronandi institutionem, tam quoad ordinem coronarum, quam quoad locum plerumque aliter atque aliter immutatam fuisse. (Sp.)

(4) Hoc est, veterum, tum Longobardorum, tum Romanorum Regum. Quorum vtrorumque titulum sibi vsurpauit *Ludouicus* Pius, vt testantur priuilegia ab eo Nouientensi cœnobio, haud procul a patria mea sito, concessa, quæ ipse ego vidi. (Sp.)

Tunc bene re gesta, cunctisque in pace locatis,
Cæsaris a facie cum tellus tota sileret(1),
315 *Militiæ partem placuit dimittere castris.*
Austricus, Allobrogum Dux(2), *cum Duce, Rexque Boemus,*
Pannoniæque simul sub eodem Rege(3) *cohortes,*
Et Moguntino(4) *proceres*(5) *cum Præsule multi*
Rege salutato, meritis & laude venusti
320 *Discedunt castris, conuersaque signa ferentes,*
Teutonicas repetunt transcensis alpibus vrbes.
Ipse satis multos secum, ceu nullus abisset,
In castris retinens, ad certa negotia regni
Ducitur, & pulchros inuicta mente labores.

(1) Nimis Biblica phrasis hæc est, cuiusmodi & alias in Indicem nostrum retuli. (R.) p. 156

(2) Signat *Bertholdum* Zeringensem eius nominis quartum, filium *Chunradi* Ducis, quem *Fridericus* adolescens compulit apud Turegum, vt supra libro tertio dictum est, imperata facere. Annales hunc *Bertholdum* Burgundiæ Ducem appellant: quod maiores eius illam vna cum regno Arelatensi ab Imperio, licet absque fructu tenuerint, &, vt ait *Nauclerus*, recognouerint: traduntque quoque eum in odium *Ertolfi* Burgundionum Ducis, cuius paulo ante terras igni & ferro depopulatus fuerat, condidisse nobilem illam arcem Brisacensem, a diuo *Maximiliano* restitutam nuper. Testatur id turri distichon inscriptum, quod a *Nauclero* citatur, sed deprauate. Id, iubente *Maximiliano*, comitatui aulæ suæ recitauimus, vt scriptum erat, sic videlicet: *Hanc Dux* Bertholdus *portam struxisse notatur, A quo pro fraude Burgundia depopulatur.* Minori autem Burgundiæ, quæ *Tchtlandia* vulgo dicitur, potenter præfuit. Dicitur in ea Friburgum oppidum excitasse, vel, vt alii, mœnibus cinxisse. (Sp.)

(3) An sub Boemo Rege? an sub Pannoniæ Rege? (R.)

(4) *Arnoldus* ille erat, tum Ænobarbicæ aulæ Cancellarius, qui tumultu postea plebeio apud Moguntiam occisus est, vt libro primo multis verbis indicatum est. (Sp.)

(5) Marchiones, Comites, Nobiles, vt ait *Radeuicus.* (Sp.)

325 *Non tamen in tanto clari victoris honore,*
Italiæque metu stolidæ vesania gentis,

Exemplo

Exemplo Ligurum, penitus compressa quievit.
Namque satellitio quidam stipatus iniquo
Ciuis erat Verona tuus, Tusuidus, *vt aiunt*,
330 *Nomen*(1), *ab infida caussas tacitosque furoris*
Vrbe trahens stimulos, castrum regale(2), *quod illi*
Appellare solent vulgato(3) *nomine Gardam*(4),
Inuasit, cœpitque dolo iussusque(5) *relicto*
Sæpius insanis illo(6) *desistere cœptis*,
335 *Spernebat Regem demens audire iubentem:*
Infremuit tandem Princeps, Atesimque rapacem,
Nec ratis officio, solitis nec pontibus vsus,
Feruida quippe vadum fluuio iam fecerat æstas,
Contemptis transiuit aquis, vrbisque superbæ(7)
340 *Depopulatus agros, quædam castella nocentum*
Diruit, & spretas impune transiit(8) *vndas.*

(1) Pflugius, *nomine*, vt supra lib. 1. (R.)

(2) Iuris seu ditionis Imperialis. (Sp.)

(3) Pflugius, *vulgari*, id est, lingua sua ac vernacula. Putat enim inter *vulgatum* & *vulgare* multum interesse. (R.) p. 156

(4) Ab eo lacui illi inclito *Benaco* nomen vulgus indidit, *der Gardsee.* Porro supra ostendi, castrum etiam appellari posse oppidum. (Sp.)

(5) Vulgo, *rursusque*. Sed *iussus* postulat sensus: & sequitur mox, *iubentem*. (R.) p. 156

(6) Scilicet, castro. (R.)

(7) Veronam intelligit. (Sp.)

(8) Ita omnes editiones, etiam Augustana. *Perna* autem, *retransiit.* (R.) p. 156

Nec minus egregium quiddam Comes aulicus ille
Tunc quoque gessit(1) Otho: *qui te, Ferraria, iussu*
Regis adire parans, intactas omnibus ante
345 *Eridani fregisse vado nil territus vndas*
Dicitur, & tumidum primus transisse per amnem.
Hæc quoque res multum curæ iustique timoris(2)
Vrbibus Italicis, & magnæ nomina famæ
Adiecit nostris, claro sub Principe, castris,
350 *Quem nihil aggressum frustra natura vereri*
Ipsa putabatur: cui sic famulantibus vltro
Subdita more nouo studiis elementa fauebant.

(1) Quasi dicat vt alias sæpe fecerat. Fuit enim hic *Otho* Comes Palatinus de Wittelspach, vir magn nimus, feruidique spiritus, ac plane μεγαλόθυμος. Cuius rei aliquot documenta protuli supra libro 4 v. 284. (R.) p. 156

(2) Pflugius *mæstique timoris*, nisi *iustum timorem* pro *magno* accipias: vt *bellum* & *prœlium iustum* nonnunquam accipitur. (R.) p. 157

Inepte mutat *Pflugius*. (B.)

Ergo Palatinus stupidæ formidine magna
Plebis, & ingenti pariter susceptus honore
355 *Regia sollerti studio mandata peregit.*
Vtque quaterdenos(1) *fidei pacisque tenendæ*
Accepit monimenta vades, ad regia castra
Vertit iter, cunctis digna cum laude peractis.
Hoc quoque conueniens, & tanto Principe dignum,
360 *Atque inter castos memorabile Cæsaris actus*(2)
Scribendumque puto, quod tempore rector eodem
Illecebrosa suis purgauit scandala castris,
Eque suo cœtu lixas & scorta(3), *nociuum*
Ac petulans vulgus, satis indignanter abegit:
365 *Nec docilis tolerare moras*(4) *pigrosque quieti*
Indulgere dies, exclusis pectore sacro
Bellorum curis, pacis bene ponere tempus
Cogitat, & mundo prodesse laborat inermis:

Neue retractato Ligurum inconstantia pacto
370 *Absiliat, solitaque fremens Laudensibus ira*
Immineat, totos vrbis transferre penates(5),
Et veterem mutare situm festinat & vrget,
Describitque locum, quem torrens Addua(6) *totum*
Gurgitibus flexis aditu breuiore relicto
375 *Circuit, vt modico munimina tuta labore,*
Artificis præstare queat sollertia curæ.
Huc transferre lares(7) *antiquaque mœnia*(8) *rector*
Imperat, atque nouam regni sub nomine(9) *Laudam*
Grandibus impensis sese patre(10) *auspice fundat.*

(1) Ita elegantissime vocat *obsides*: quos quatuor & decem ait, accepisse *Othonem*, a Ferrariensibus, vt Mediolanenses *Friderico* trecentos dederunt supra vers. 200. (R.) p. 157

(2) Vt apud Lucanum: *Licet ingentes abruperis actus.* (Sp.)

(3) Eleganter & ex veteri disciplina militari *Silius Italicus* lib. 5, *Inutile Marti Lixarum vulgus*, Vide annotata ad lib. 7 v. 282. *Lixa* autem (teste *Nonio* in Elixum) *dicti sunt, qui militibus aquam ad castra vel ad tentoria solent ferre. Nam* lixam *aquam veteres esse dixerunt.* Et rursum alibi idem Grammaticus: *Lixarum proprietas hæc est, quod officium sustineant militibus aqua vehenda.* Lixam *namque aquam veteres vocauerunt.* Vnde *Elixum* dicimus aqua coctum, vel quicquid ex aqua mollitur. *Calones* vero sunt, qui ligna militibus subministrant. *κᾶλα* enim Græci ligna dicunt. (R.) p. 157

(4) Μηδὲν ἀναβαλλόμενος, vt supra lib. 7 v. 603 (R.)

(5) Ad tertium scilicet lapidem a veteri *Laude Pompeia* funditus extincta. *Penates* autem expone, *sedes*, quarum tutelares Dii penates existimabantur regnante superstitione: de quibus longa est & intricata disputatio apud autores. Tribuit & cælo penates suos, vt *Martianus Capella* in nuptiis ludit. In terra item, & sui cuique ciuitati, sui cuique domui penates. Nam vnaquæque domus parua quædam est ciuitas, seu potius vnaquæque ciuitas magna quædam domus. Et vt singulæ ciuitates domusque penates habent suos, ita & focum quoque. Quin & curiæ singulæ singulas habent Vestas a Romulo constitutas, vt scribit *Dionysius Halicarnassæus.* Porro penates æternum ignem *Virgilius* non semel appellauit, qui & *dii patrii* ab eodem dicti sunt: *Dii patrii seruate domum, seruate nepotem.* (Sp.)

(6) Perna, *Abdua.* non recte. (R.)

(7) Domos. Nam & vetustas Deos vrbium præsides, ædiumque priuatarum custodes lares existimauit & coluit, quos indutos canum pellibus effingebant, adhibito ad pedes eiusdem generis animali. Argumento, quod ii pro domibus excubarent, non secus ac canes, autor *Plutarchus, Tibullus*; *Vos patrii seruate lares.* Porro lares, quemadmodum est apud *Ouidium*, gemini fuerunt, filii Mercurii & Laræ siue Larundæ nymphæ. Ideo veterum plerique, inter quos *Euclides*, geminos singulis hominum admiserunt Lares, alterum bonum, alterum malum: qualis ille fuit, quem *Plutarchus, Florus, & Appianus* scribunt oblatum M. Bruto media nocte ad tenuem lucernam de bello cogitanti. (Sp.)

(8) Condita olim a Bois, si *Plinio* credimus, dicta *Laus Pompeia* a *Strabone Pompeio*, Magni patre: quod illo colonos duxerit. (Sp.)

(9) Vnde superius *regiam* vocauit. (Sp.)

(10) Malim, *pater*: vt apud Virgilium; *Pater Æneas.* Et ita diserte Augustæ editum postea vidi. (R.) p. 157

380 *Inde per Italicas famosa*(1) *potentibus vrbes*
Curia Roncaliis certo mandatur habenda
Tempore, quo pacis leges, & publica iura(2),
Aut ea, quæ fisci rationibus(3) *applicat vsus,*
Omnibus in medium stricte seruanda ferantur:
385 *Commemorare iuuat populo, quod forte sequenti*
Proderit exemplo(4): *ne quis fore credat inultum,*
Quicquid in augustos ausus committere Reges,
Vel meditatus erit(5), *nam tempore seruus eodem*
Argolici Regis(6), *græci cognominis vsu,*
390 *Hic* Camiclinus(7) *erat, nobis Camerarius*(8) *idem*
Esse potest, Domino secreta fraude parabat
Sanguinis insidias, & tres sibi criminis huius
Addiderat socios, quos ad mala gaudia(9) *promptos*
Perdita sacrilegis audacia fecerat armis.
395 *His male præmonitis peragendæ fraudis iniquæ*

Infandum

Infandum mandarat opus, mox cæde peracta
Vsurpare sibi manibus diadema cruentis,
Et desolatum cupiens inuadere regnum:
Nescius ipse sui, tractabat inania(10), *fati.*
400 *Nam re comperta, prius*(11) *illi lumina lictor*
Fodit, & exerta terebrato gutture lingua,
Cum(12) *sociis longa cruciatum perdidit ira*(13).

(1) Celebris conuentus. (Sp.)

(2) Quæ multo iam tempore in desuetudinem abierant: vt in libertate fieri solet. Cuius potissimum amore Mediolanenses inhibere Germanorum in Italiam accessus, Ænobarbique nostri imperium detrectare, eumque venientem suis mœnibus excludere conati sunt. (Sp.)

(3) De iure rebusque fiscalibus lege priores titulos lib. decimi Codicis Iustiniani. (Sp.)

(4) Sic omnino est, vt ais *Gunthere*. Vltum it is, qui edixit: *Nolite tangere Christos meos*. Et quales exitus fecerint ab omni memoria isti

Orbis latrones, parricida Principum,
Calique virus,

docent nos historiæ, docet cotidianæ vitæ experientia. Ex priscis quidem vel Iulii Cæsaris percussores mihi vide. Nonne horum quidam suo sibi pugione vitam eripuerunt, quo Cæsarem iugularant? nonne autem ad vnum omnes miserabiliter perierunt? Nostrum æuum vides? Nonne qui vel Regibus Christianissimis, vel Principi Auraico, vel Reginæ Britannicæ machinati sunt cædem, ipsi iustissimis statim suppliciis mactati sunt. Perplacent mihi Epigrammata Græca *Isaaci Casauboni*, amici nostri, in discipulum illum Sectæ Iesuiticæ, Christianissimæ Maiestatis Regiæ percussorem, qui post illatum ei vulnus supplicio affectus est extremo mense Decembri Anni 1594. Ea cum ipse libro I eruditissimarum Animaduersion. suarum in Suetonium pro coronide adiecerit, spero me & a Lectore gratiam initurum, & bona pace optimi & humanissimi viri id facturum, si eorum versionem Latinam, animi caussa a me confectam, hic quoque subiiciam loco & tempore ita ferente.

I.

Pro facinus! pro impietas male sana! furor pro
Immanis! mente hac concipiat ne puer?
O puer, o inuise Deo & mortalibus! vnum
Per ingulam Francis, Francus & ipse, paras
Omnibus exitium? vere tibi mater hyæna est:
Teque lupo genitum pauit acerba tigris.
Non tu Francus eras genuinus; at agmine Franco
Confusus vixti, forma homo, mente fera.
Iamque armata adeo dira tua dextera sica
Perfectum facinus grande datura fuit,
Ni Regem pia dextra Dei eripuisset auaris
Dentibus ex leti, sanguineaque manu.
Nunc gregis & Regis DEVS est tutela salusque:
Plaudite cælicolæ, plaudite terrigenæ.
At tua te Nemesis condigna, scelesie, prehendit,
Mactauitque modis, ex merito, miseris.
Improba sic nil facta iuuant: DEVS aspicit vltor:
Nec penitus fugitiua exulat orbe Themis.

II.

Gente quidem Gallus? sed mente infidus Iberus,
Ausus erat Regis (triste) patrare necem:
Regis, qui pugnas velut Hector & alter Achilles:
Nec minus est Themidis curaque amorque sacra.
Ausus erat: Sed tot populos miserata, augustum
Seruauit caput hoc a nece cura Dei.
Non tibi successit cædes, scelerate, nefanda:
Ipse, nece haud vna digne perire, peris.
Exitus hem dignus factis. DEVS ecce nocentem
Reperit. Hoc specimen cerne, male, & metue. (R.) p. 157 seq.

(5) Conatu scilicet aliquo interueniente, per quem voluntas sceleris pateat, quæ sine effectu in quibusdam atrocissimis delictis punitur. De conatu puniendo *Felinus* pontificii iuris interpres, libellum edidit non contemnendum. Generaliter enim, vbi ipso iure pœna irrogatur, perfectum oportet fuisse crimen. Conatus a crimine differt: quod hic in itinere, illud in meta existat. Porro videtur poeta allusisse ad verba constitutionis Arcadii & Honorii Augg. quæ continentur in 9. lib. C. Iustiniani sub. tit. 8. (Sp.)

Ita Augustana & Pernæ editio; vulgo, *erat*. Ad rem quod attinet, eo his verbis alluditur, quod in læsæ maiestatis crimine iura eadem seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri voluerunt. l. 5. C. Ad l. Iul. maiest. In aliis vero delictis quatenus puniri soleat conatus delinquendi, attingit hic *Spiegelius* ex Felino, Vid. * & *Sacra Lectiones* nostræ, & * *Hotomannus* Commentar. in lib. 2. Feud. tit. 51. §. si voluerit, & *Iac. Menochius* de arbitrar. iudic. quæst. (R.) p. 158 seq.

(6) *Manuelis* Constantinopolitani, qui tum, vt ex *Radeuico* colligere licet, Ciliciam cum exercitu ingressus, eam sibi armis subigere prouinciam tentabat. Fuit insigni perfidia, vt supra ostensum est, homo, qua & sibi humili loco nato, viam ad imperium astruxit. Lege *Sabellicum* lib. 5 Ennead. nonæ. (Sp.)

(7) Perna, *Caniclinus*. Sic *Radeuicus* in Appendice. Magnæ certe oportet auctoritatis fuerit vir, qui regnum adfectarit. (R.) p. 159

L. *Calinicus.* (B.)

(8) Non obscure inde patet, *Guntherum* Germanum esse: nulla enim alia natio *Camerarios* habet, retento vocabulo. (B.)

(9) Malim, *grandia*: quod alibi quoque animaduerti deprauatum in, *gaudia*, vid. lib. 6 v. 182. (R.) p. 159

(10) Τὸ *Inania* cum sequentibus cohæret, in quibus explicat, quo pacto aut cur tractarit inania. Porro *nescium sui fati* vocat superbum, qui humili se loco natum non meminerit. Sic *Virgilius*;

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ, &c.

Contra *Guntherus* supra lib. 1 v. 489 *non inscius olim Ipse sui.* Sic & *ignoratio sui* dicitur, cum quis se effert & superbe gerit, homo tamen humilis & infimi loci. *Cicero* pro Cluent. de superbo quodam Trib. pl. Quinctio: *Quod erat odium, Dii immortales? quæ superbia, quanta ignoratio, quam grauis atque intolerabilis arrogantia?* Germani quoque superbiam alicuius & fastum insolentem notantes dicunt, *Non nouit ipse suos pedes.* (R.) p. 159

(11) Nota pœnam excæcationis & excisionis linguæ. Pro *exerta* autem malim legere *execta*; *c* in *r* facile commutatur. Hæc autem exectæ linguæ pœna frequens olim fuit apud Vandalos, qui sic in Christianos orthodoxos sæuiebant. Vid. *Cuiacius* 19 obs. 6. Sicut illa excæcationis pœna crudelissima inter Græcos Impp. vsitatiss. fuit. Exempla passim obuia in ipsorum historia. (R.) p. 159

(12) Pflugius, *Quam.* Vt referatur ad præcedens, *prius*, quod equidem non capio, quem sensum pariat. (R.) p. 159

(13) L. *longa cruciatum pertulit ira.* (B.)

Iam loca iussa petens ex omnibus vndique terris
Principis edicto clarus conuenerat ordo.
405 *Tantaque Roncalias magnorum turba virorum*(1)
Fluxerat, vt nec se similem vidisse priores
Crediderint, nec iam visuros esse sequentes
De reliquo(2) *sperare queant: tentoria ponunt*
Vndanti vicina Pado, quæ more latino(3)
410 *Ductus, ab antiquo, talis determinat ordo.*
Semper in æquali(4) *Romanus tendere miles,*
Si patitur natura loci, planoque laborat.
At si difficili fuerint loca pendula cliuo,
Asperiusve solum, primo correcta labore
415 *Complanare solet: iacto mox aggere fossam*
Ducit & ingenti cingit munimina vallo,
Protinus in quadram(5) *vergentia, siue rotundam*(6)
Pro ratione loci ponit tentoria formam.
(7) *Principis in medio digno spectanda decore*
420 *Castra nitent, celsi speciem referentia templi.*
Quem circa proceres, condigno iuris honore
Cuilibet exhibito, propius, seu longius absunt.
Inque modum magnæ spatiosis frontibus(8) *vrbis*
Dirigit immensas ad portam porta plateas.*
425 *Ante fores ipsas regalia castra secuti*
Artifices operum, seu qui venalia portant
Castra minora locant, faciuntque(9) *suburbia quædam.*
Sic tanquam subitis properata colonia(10) *tectis,*
Atque repentinæ noua cernitur vrbis imago.

(1) Hoc est, potestate præditorum: Principum scilicet, Marchionum & Comitum, Pontificum item, Procerum & Consulum, Optimatumque rerum publicarum Italici regni. (Sp.)

(2) De hac & similibus formulis vide Indicem. (R.)

(3) Describit formam castrorum in Roncaliis campis fixorum. (Sp.)

(4) Obserua hic formam & ordinem castrorum in campis Roncaliis locatorum. De vniuersa vero re castrensi vid. *I. Lipsium* de militia Roman. lib. 5 per aliquot Dialogismos primores. *In æquali & plano tendere*, formula loquendi militaris, qua historici sic absolute vsurpant, *tendere.* (R.) p. 159 seq.

(5) Quadrangularem. (Sp.)

(6) Orbicularem. (Sp.)

(7) *Principis castra* vocat, quod Latinis vna voce est *Prætorium.* Id templi formam referre ait, vt *Iosephus* quoque lib. 3 excidii Iudaici templo simile facit. Τὸ στρατήγιον, inquit, ναῷ παραπλήσιον. Cuius rei triplicem caussam adfert *Lipsius* lib. 5 Dialog. 2 de milit. Rom. 1, vel figuram rotundam vtrorumque: 2, vel quod in mediis castris emineret, vt templa fere in medio vrbium:

3, vel

3, vel quia ibi religio & pars ſacrorum : & quia Augurale ibi fuerit, vbi Imperator ſacrificare & auſpicari ſolet. Prima harum rationum magis vero ſimilis : cum & *Varro* 3 de ling. lat. teſtudini ædium compareт prætorium in caſtris. (R.) p. 160

(8) Ita malo cum *Perna*, quam cum vulgo, *fontibus*. Quid enim hic faciant fontes? *Pfingius* diuinabat tamen, *pontibus*, quia recte portis pontes coniungantur. (R.) p. 160

* Mendoſa verba. (B.)

(9) Pro, *referunt, repræſentant*. (Sp.)

(10) Hoc vocabulum in tit. *de Cenſibus*, & alibi in libris iuris legitur, ſed nuſquam, vt opinatur *Budeus*, ab *Accurſio* intellectum. Colonia autem interdum ab incolentibus terram, inhabitantibuſque dicitur : interdum a cultoribus terræ : id quod oſtendit diuus *Auguſtinus* cap. primo lib. 10 de ciuitate Dei, his verbis: *Nam ex hoc verbo*, colo, *agricolæ & coloni vocantur : & ipſos deos non ob aliud appellant cælicolas, niſi quod cælum colant, non vtique venerando, ſed inhabitando, tanquam cæli quoſdam colonos: non ſicut appellantur coloni, qui conditionem debent genitali ſolo propter agriculturam ſub dominio poſſeſſorum, ſed, vt ait quidam latini eloquii magnus auctor* : Vrbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni. *Ab* incolendo *enim* colonos *vocauit, non ab agricultura. Hinc & ciuitates a maioribus ciuitatibus, velut populorum examinibus condita, coloniæ nuncupantur.* His verbis *Auguſtini* vtraque ſignificatio enarratur. Sed & *coloniam* agrum colono locatum quandoque appellat Iuriſconſultus. Hic pro oppido, iure Coloniæ deducto, accipitur. Solebant autem deduci veterani, & pro diutinorum laborum mercede, vnde ſenectutem tolerarent, iugera bina accipiebant. Cauſa deductionis erat, vel infrequentia vrbium : vel pœna, qua veteres coloni male de republica meriti mulctabantur. Sed non tantum Romani colonias, quamquam ceteris multo plures, ſed etiam Aliani Græcique mittere ſolebant : quo modo Athenis Ionicæ ciuitates deductæ erant & propagatæ. Lege librum ſeptimum *Herodoti*. (Sp.)

430 *Tunc quoque præſcripti ſeruato fœdere moris*
Regia diſpoſitis ſederunt agmina caſtris.
Nec minus oppoſitæ Ligures in margine ripæ(1),
Atque alii ciues tentoria iuncta tenebant.
Brixia quos genuit, quos miſit Pergamus(2), *& quos*
435 *Italiæ plures in iiſdem partibus vrbes,*
Hæc quoque caſtra ſuis porrecto ponte per amnem
Continuare parat Princeps, biduoque labori
Impenſo, medias cinxit pons peruius vndas.
Nomina magnorum(3), *quos præſens curia vidit*
440 *Commemorare patrum, numerum, gentemque referre*
Non(4) *ſatis eſt promptum*(5), *non multum pertinet ad rem.*
Id potius certa nobis ratione videndum,
Quid bene diſpoſitum, quid ab his feliciter actum,
Quæ noua prodierint tanto ſub Principe iura,
445 *Quaſve recenſuerit celeberrima curia leges.*

(1) Padanæ ſcilicet. (Sp.)

(2) *Bergomum* intelligit, quod ſupra Laudam inter duos paruos amnes ſitum eſt. Orobiorum & ipſum ædificium, ſicuti Comum, vt ex autoritate *Plinii* ſupra dictum eſt. *Pergamus* autem illa vrbs Troadis in mediterranea nobilis eſt a chartis hædinis, quæ prius ibi ſcribi cœptæ, *pergamena* poſtea ſunt appellata. *Pergama* vero vocantur omnia alta ædificia. Vnde *Calepinus* Bergomas : *Non immerito*, inquit, *vrbs Ciſalpina Galliæ, ex qua ego ortum duxi*, Pergamum *dici poſſet : quod in edito ſita ſit. Sed* Plinii *autoritas non parnipendenda fuit, qui* Bergomum *per* B *&* O *ſcribit, & eius incolas* Bergomates *appellat.* Callimachus *tamen in Attila* Pergamum *ſcripſit.* (Sp.)

(3) Nota ἀποδίωξιν prudentiæ plenam, quali & alias *Guntherus* vtitur. Meminerat quippe, non debere hiſtoricum minutias conſectari, quæ parum ad rem aut ad dignitatem faciant. Vid. *Ammiani Marcellini* præclarum hac de re locum initio lib. 26, vbi ait: *Hiſtoriam adſuetam diſcurrere per negotiorum celſitudines, non humilium minutias indagare cauſſarum, quas ſi ſcitari* (lego *citari*, vel *ſciſcitari*) *voluerit quiſpiam, indiuidua illa corpuſcula volitantia per inane, atomos vt nos appellamus, numerari poſſe ſperabit.* Ibidemque hanc ait eſſe *inſcitiam vulgarem*, id eſt, vt Græci vocant ἀπαιδευσίαν. Verbi cauſſa, ſi quis ſcribere aut a ſcriptore requirere velit, quæ Imperator in cœna locutus eſt : quam ob cauſſam gregarii milites coerciti ſint apud ſigna : in deſcriptione multiplici regionum exigua quæque exprimi caſtella : cunctorum item nomina, qui ad vrbani Prætoris officium conuenere : & ſimilia plurima præceptis hiſtoriæ diſſonantia &c. Vide & *Ioan. Ant. Viperanum* de ſcribenda hiſtoria. Quo etiam reſpexit prudentiſſ. hiſtoriæ ſcriptor *Tacitus* Annal. 13; *Cum ex dignitate* (inquit) *populi Rom. repertum ſit, res illuſtres annalibus mandare*, &c. Et *Guntherus* ſupra lib. 1 verſ. 124. *Oppianus* quoque a Cyneget. tali ἀποδιώξει vtitur:

 μῦνα

μῦσα φίλη, ϐαιὸν δ' ἐμοὶ θέμις ἀμφὶς ἀείδειν.
ὀτιδανοὺς λίπε θῆρας, ὅσοις μὴ κάρτος ὀπηδεῖ. (R.) p. 160 seq.

(4) Malim, *nec*, pro, *non*. (R.)

(5) Excludente scilicet ea lege metri. Sed illa referuntur a *Radeuico*, si forte requiris. (Sp.)

Ergo sacros tantum patres(1), *iurisque peritos*(2),
Et de Principibus paucos, quibus ipse timorem
Norat inesse Dei(3), *tacitis* Fridericus *adaptans*
Colloquiis, triduo(4)*secreta negotia toto*
450 *Rimatur*(5), *iurisque vices, legumque tenorem*
Consulit: hanc illis gaudens iniungere curam,
*Vt super ecclesiæ**, *seu regni iure, salubri*
Consilio, monituque virum(6)*formare*(7) *laborent,*
Tandem prolato post longa silentia vultu,
455 *In medio procerum spectabilis undique cœtu,*
Talibus ora modis Princeps facunda resoluit(8).

(1) Episcopos, qui patres esse deberent, non domini. Patres omnia sua transfundunt in filios: domini ad suum commodum seruis vtuntur & abutuntur. (Sp.)

(2) Qui scilicet rerum humanarum diuinarumque arbitrium disceptationemque habeant: quique viros principes, & supra humanum fastigium euectos soluere & illigare legibus, interpretationibusque suis possint. Iuris namque prudentia, vt ait *Iustinianus*, est diuinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque iniusti scientia. Hæc ergo ex multarum rerum inuestigatione producitur. Siquidem Iurisperitus non solum vniuersum ius ciuile (hoc enim necesse in primis est) verum etiam philosophiam, præsertim moralem, atque dialecticas artes, oratoriam, & vel maxime latinæ linguæ proprietatem, perspecta habere debet & cognita. (Sp.)

(3) Sciebat enim optimus Princeps, quod qui se contempto Deo existimabant posse gubernare negotia, seipsos decipiebant. (Sp.)

Tales & infra lib. 9 v. 325 arbitros eligendos esse monet religiosissimus & prudentissimus Imper. *Fridericus*. Sciebat enim, cum ipse esset Dei timens, timorem Domini omnis esse officii custodem, & summam atque caput sapientiæ: vt passim inculcant sacræ litteræ apud *Siracidem*, *Salomonem* & *Dauidem*, aliosque Prophetas. Maxime vero omnium in Iudicibus timor Domini requiritur. Vnde sapienter consulit Moysi socer suus *Iethro*, Exod. 18, v. 21. Vt ex omni populo sibi eligat viros sapientes, Deique timentes, qui sint veritatis studiosi, & ab auaritia & sordibus alieni. Sic pius Rex *Iosaphatus* 2. Paralip. 19 v. 7 Iudicibus ab se constitutis per Iudææ ciuitates præcipit: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite*, &c. (R.) p. 161

(4) *Triduo* Martialis rectius producit. (B.)

(5) Respicit eo, quod iudicantem oportet cuncta rimari, & ordinem rerum plena inquisitione discutere, quousque ad rei veritatem perueniatur: vt ait *Eleutherius* Papa in c. 11. iudicantem. 30. q. 5. vel potius, vt ait Imper. *Constantinus* (nam eius legem Papa compilauit, ut & alias alii) in l. 1. c. Th. De iudiciis, ex qua *Tribonianus* sumsit l. 9. C. de iudic. Recte, *rimari* oportet, quia vt aiebat *Democritus*, & est verissimum, ἐν βυθῷ ἀλήθεια. (R.) p. 161

* Sic semper. (B.)

(6) Scilicet *Fridericum*. (Sp.)

(7) Malim, *virum informare*: vel simplex pro composito ponitur. (R.) p. 161

Pro, *informare*, hoc est, instruere, more scriptorum ecclesiasticorum vsurpat, vt pleraque alia. Latinis autem informare, est alicuius rei formam effingere. (Sp.)

(8) Per interpretem dictam esse sequentem orationem refert *Radeuicus*. (Sp.)

Si modo non frustra(1), *quotiens in nomine Christi*
Tresve, duosve pari consensus iuris amore
Congregat, in medio perhibet se Christus adesse:
460 *Quis dubitet tantis ad commoda tanta vocatis*
More suo medium primatibus assore Christum?
Absit, vt hos vnquam Christi præsentia patres
Destituisse velit: quibus ecclesiasticus ordo,
Imperii leges, & publica iura reguntur.
465 *Nunc igitur proceres, communi fœdere iuris*
Quicquid ad ecclesiæ, vel regni commoda rite
Pertinet, in medium Christo præsente feramus.
(2) *Ipse quidem quamuis diuino munere Princeps*
Summus in orbe ferar, legumque immunis & expers(3),
470 *Non seruire quidem cogar, sed condere iura*

Fas

Fas habeam(4), vestris cupio disponere cuncta
Consiliis(5): nostro non ægre spondeo iussu,
Vel sancire nouas(6), vel priscis legibus vti 7).
Nam nihil, vt verum fatear, magis esse decorum,
470 *Aut regale puto, quam legis iure solutum,*
Sponte tamen legi sese supponere Regem.
Gratia sit magno, qui temperat omnia Regi,
Vndique bellorum tumidos suppressimus æstus,
Bellatrix positis Alemannia 8) conticet armis,
480 *Et vetus Italici deferbuit ira furoris.*
Sed veterum leges, edictaque regia longo
Iustitio 9) suppressa silent, quæ Carolus(10) *olim,*
Quæ noster vulgauit Otho *vestigia iuris*
Pauca sui Italicis agnoscit fiscus in oris.
485 *Consulite in medium, quas me vel ferre recentes,*
Vel senium passas leges renouare(11) velitis.

(1) Locus sumptus ex capite vigesimo octauo *Matthæi.* (Sp.)

(2) Obserua in *Friderico* ἦθος boni Principis, qui licet legibus solutam potestatem habere videatur, tamen legibus se supponit & alligatum profitetur. Agnoscit enim, leges honoribus (i. magistratibus) esse potiores, vt ait *Symmachus* lib. 5 ep. 64. Tale erat ingenium Theodosii & Valentiniani in l. 4 digna vox C. de legibus, quorum verba *Georg. Buchananus* in Dialogo de iure regni apud Scotos ait dignissima esse omnium sæculorum memoria. Tale erat ἦθος Alexandri in l. 3 ex imperfecto. C. de test. *Licet* (inquit) *lex imperii solennibus iuris Imperatorem soluerit: nihil tamen tam proprium imperii est quam legibus viuere.* Tale Impp. Seueri & Antonini, quos testatur *Iustinianus* sæpissime rescripsisse in hæc verba: *Licet legibus soluti simus, attamen legibus viuimus.* Quanquam postea Antoninus degenerauit, cum iam solus imperaret. Talis ante hos omnes fuit Traianus Imp. quem scribit *Plinius* in Panegyrico, Legibus (quas nemo Principi scripsit) in rostris se subiecisse simili religione cum subditis, nec sibi quicquam amplius quam illis licere voluisse. Non enim esse Principem supra leges sed leges supra Principem. Is Præfecto Vrbis ensem de more tradens dixisse fertur: *Pro me, vel in me hoc, prout merebor, vtitor*: vt ex Dione refert *G. Buchananus* histor. Scotic. lib. vlt. Et Paulus IC. scripsit in l. 23 ex imperfecto. ff. de leg. 3, *Decet tantæ maiestati eas seruare leges, quibus ipse solutus esse videtur.* Idem lib. 4 Sent. tit. 5; *Eum qui leges facit, pari maiestate legibus obtemperare conuenit.* Sic inquam boni Principes. At Tyranni (qui semper longe plures quam illi) quid agunt? Iura negant sibi nata; vt est apud *Horatium.* Et illud in animo atque in ore habent, quod apud *Senecam* dicitur:

Sanctitas, pietas, fides,
Priuata bona sunt: Qua iuuat, Reges eant.

Denique illud vulgatum: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas.* Statuat iam quisque secum, vtram in classem referri velit: Illud autem cogitet, quod est apud eundem *Senecam*:

Omne sub regno grauiore regnum est.

Et quod apud *Horatium*:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis. (R.) p. 162

(3) Iuxta illud Vlpiani: *Princeps legibus solutus est.* Quæ, quid velint, verba diligenter excutit *Salomonius.* Cuius sententia est, Principem omnibus illis solutum non esse legibus, quibus a se non seruatis respublica læditur aut honestas. Et si verum amamus, inquit, pluribus & arctioribus tenetur Princeps legibus, quam priuatus aliquis. Opinionem quippe sequitur eorum, qui negant, lege regia populum Romanum omne ius suum in Principem transtulisse. Et propterea, inquit enim, latere non debet, quod non vna pro omnibus futuris Principibus, lex regia ab initio lata fuit, vt rerum imperiti arbitrantur, sed sua cuique Principi certis conditionibus: adeo, quod quibusdam maior potestas, quibusdam minor tributa fuit. Nam ante Vespasianum, qui fuit decimus a dictatore Cæsare, nonus ab Augusto primo acclamato Principe, nullus vnquam omnibus legibus solutus fuit, quin imo multa, lege regia, eos facere oportebat, vt proditum est historiis. Alexander Mammeæ tam iustus & temperatus fuit, quod meruit legibus solui, quoniam sibi ipsi lex erat. Quomodo ergo Princeps supra leges est? sine dubio est, vbicunque iusta caussa, aut æquitas exigit de legis rigore remitti, aut de lenitate digredi. (Sp.)

(4) Ipse enim Princeps, sicut est legibus solutus, ita solus legem condere potest, recepto iurisperitorum dogmate, quod improbat idem *Salomonius.* Quoniam populi Romani erat legem ferre, quod sibi reseruauit, licet eandem vim habere Principis placitum voluerit, quam lex populi habebat. Non tamen quod lex esset, dictaque constitutio, ad legis differentiam. Et quoniam plus est legem esse, quam pro lege seruari, vti plus est ciuem esse, quam pro ciue haberi: sic potior erat lex populi, quam Principis constitutio. Ex quibus concludi posse videtur: si vnum constituis-

constituisset Princeps, & diuersum populus statuisset, præualuisset lex populi, neque mirum, quia populi minister est Princeps, minimeque nouum, plus valere quod ab vniuerso populo fit, quam quod a parte: pars populi quidem est Princeps. Ceterum ante Octauium antiquorum nemini, vt legibus solutus esset, concessum fuit. Significat autem hoc (inquit *Dion*) ab omni legum necessitate liberum, nullique iuri scripto obnoxium: vt qui absque vlla disquisitione omnem Regum potestatem haberet, quamuis nomine abstinens. (Sp.)

(5) Hoc quoque boni Principis est, salutaria consilia admittere & auscultare, nihilque penitus non antegressa seria deliberatione suscipere. Talem fuisse Alexandrum Seuerum accepimus, qui semper in consilio habebat 20 Iurisconsultos, sine quibus nunquam quicquam decernere voluit, teste *Lampridio*. (R.) p.163

Nam consiliariorum cœtus ius faciendi potestatem non habet, sed consultandi tantum, nisi lege nominatim talis potestas tributa fuerit. Quæ Princeps inconsultis sapientibus constituit, facilius eneruantur. (Sp.)

(6) Exigente scilicet euidenti vtilitate. Quoniam, vt *Vipianus* dixit, in rebus nouis constituendis, euidens vtilitas esse debet, recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum fuit. Et *Iustinianus* in senatu sic concionatus est: Imperialem fortunam rebus humanis Deus præposuit, vt possit omnia, quæ nouiter contingunt & emendare, & componere, & modis & regulis competentibus tradere. Notanda profecto sunt verba hæc, & euidens vtilitas, & modis & regulis competentibus. Quoniam Princeps non nisi iustas leges potest condere. Iustitia pendet a publica vtilitate, cuius gratia Princeps est: & idcirco si tenetur iustas ferre, vt paulo inferius noster quoque Princeps Ænobarbus ingenue fatetur, vt & apud *Radeuicum*, consequens sit, iuste positas, sine iustiori caussa tollere ne possit. (Sp.)

(7) Maxime iustis: pro quibus abrogandis non præsumitur pro Principe, vt quicquid agit iuste agat. Quamuis id alias vulgariter receptum sit. Quando igitur factum Principis est contra publicam vtilitatem, aut æquitatem, cessat pro eo vulgaris præsumptio. Nam nihil (vt verum fatear) magis esse decorum, aut regale puto. Sic diuus *Alexander* modo dictus; *Nihil tam proprium imperiii est, quam legibus viuere.* Sic *Theodosius* & *Valentinianus* Aug. *Digna vox*, inquiunt, *maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri*, & cetera. *Budæus* tamen colligit, multis demonstrari posse, Augustum & Principem non modo legibus esse solutum, sed etiam legibus non teneri, vt *Dion* dixit. (Sp.)

(8) Epitheton populo conueniens, vt latius in scholiis nostris in primum *Austriados* librum indicaui. (Sp.)

(9) Iustitium iuris statio est, quasi inhibitio, quod verbum olim licet publicam iuris cessationem significaret, quo tempore legé agi non poterat, nec tria verba Prætori dicere licebat, *do, dico, addico*: potest tamen, vt libro tertio quoque relatum est, & priuatam iuris cessationem moribus nostris significare. Antiqui *indicere iustitium* dicebant, cum dictionem iuris inhibebant: & *remittere iustitium*, cum pristinam facultatem tractandarum litium publice restituebant. (Sp.)

(10) Hos duos velut Germanicorum Imperatorum coryphæos (quorum vterque etiam *Magni* cognomentum meruit) sæpe coniungit *Guntherus* vt supra lib. 7 v. 346. & h. lib. v. 127. His iungas licet Magnum *Lotherium*, quem nominat inf. v. 601. (R.) p. 163

(11*) Elegantissime dictum, & expressum, ni fallor, ex *Iustiniano* l. 2 C. de vet. iur. enucl. *etiam leges antiquas iam senio pergrauatas in nouam pulchritudinem peruenire**. (R.)

Ac primum moneo(1), *quicquid statuisse libebit,*
(2)*Vtile sit, iustum, naturæ, moribus aptum,*
Temporis atque loci patiens, & prorsus honestum.
490 (3)*Ast ego quicquid erit, tota virtute tueri,*
Et sancire paro: nec me regnante licebit,
Has cuiquam nostras impune lacessere leges.
Ac si quis tumidus præsumpserit obuius ire,
Supplicium præsens(4), *manifestaque pœna docebit,*
495 *Non magis inuictum bello, quam legibus esse*(5).

(1) Verba sapiente bonoque Principe digna, cuius est curare in primis, vt quam paucissima mutentur, quia omnis nouatio periculosa est. Deinde, si quid erit statuendum, vt ad eam, quam Ænobarbus noster regulam proponit, exigatur: quam oportet vbique in condendis legibus adhibere in consilium. Alioqui ne lex quidem erit, fatentibus & ethnicis, ni iusta sit, ni æqua, ni publicis commodis consulens. Lex enim ad archetypum æqui & honesti respondet, nec alio spectat, quam ad rem communem in melius prouehendam. Laudatus est in hoc M. Antoninus Pius, quod nihil vnquam egerit, quod omnibus per literas etiam non conatus sit approbare, redditis caussis, cur id iudicarit expedire reipublicæ. (Sp.)

(2) Nota hic, quales esse leges oporteat. Videtur

Videtur autem ante oculos habuisse *Isiodori* verba lib. 5 Etymol. c. 20, relata etiam a Gratiano in c. 3. Distinct. 4; *Erit autem* (inquit) *lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patria consuetudinem, loco temporique conueniens, necessaria, vtilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi ciuium vtilitate conscripta.* (R.) p. 163

(3) Frustra enim, vt prudenter & grauiter dixit *Aristoteles*, conduntur bonæ leges, nisi sint quorum opera bene conditæ seruentur. Quamuis Augustus lege ciuili solutus sit, lege autem honestatis, quæ validior est, nunquam soluitur sine iustiori caussa, custos tamen, non violator legum esse debet: qui diuersum loquuntur, aut Principibus adulantur, aut credunt propter Principes a Deo homines factos. At vero verius est, vt ait *Salomonius*, adinuentos atque institutos Principes fuisse, vt commodis prospiciant populorum. Quod cum non lateret diuinum *Gregorium*, se christianis præpositum, vt prodesset, scriptis suis haud semel testatus est, seque seruum seruorum Dei nuncupauit, scripsitque primus: quem ceteri post eum Pontifices, vti in hoc instituto, reliquis vtinam sic actionibus æmulati essent. (Sp.)

(4) Ad quod non temere veniendum esse *Plato* censuit: item, ne acerbius sit, quam pro re commissa. Sicut nec ad pœnam exempli & quam raro veniendum putauit: quod nihil sit tam horrendum, quod non contemnatur assuetudine. (Sp.)

(5) Scilicet *est*, ellipsi superius quoque notata. Exprimitur hoc versu eleganter & rotunde, quod pluribus dicit *Iustinianus* in prooemio Institutionum suarum, de duplici Imperatoris officio, quod in armorum pariter ac legum scientia positum est. Horum enim alterum alterius auxilio semper eguit, & tam militaris res legibus in tuto collocata est, quam ipsæ leges armorum præsidio seruatæ sunt: atque ab harum duarum rerum stirpe summa reipublicæ tuitio venit: vt idem ait *Iustinianus* initio tit. de Iustiniano Codice confirmando, & in Nou. 24. Sic *Sext. Aur. Victor* in Traiano: Duo esse, ait, quæ ab egregiis Principibus expectentur: *Sanctitatem domi*; *in armis fortitudinem*; *Vtrobique prudentiam*. *Parum est* enim, *arma esse foris, nisi consilium sit domi*, vt ait *Cicero*. Requiritur ergo vtrumque coniunctim, *Virtus belli*, & *Sapientia pacis*. Hæc duo sunt, quibus extulit ingens Roma caput, vt canit doctissima Poetria, & velut Sappho Romana, *Sulpicia* in Satir. de Tempor. Domitiani. Duplex hoc officium boni Principis *Homerus* quoque expressit hoc versu, quem Alexander M. magni fecisse dicitur:

ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.

Id est, *Bellatorque bonus simul & bonus Imperator.* (R.) p. 163 seq.

Siquidem, vt Imperator *Iustinianus* dixit, Imperatoriam maiestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus oportet esse armatam: vt vtrumque tempus & bellorum & pacis recte possit gubernari, & Princeps Romanus non solum in hostilibus prœliis victor existat, sed etiam per legitimos tramites calumniantium iniquitates expellat, & fiat tam iuris religiosissimus, quam victis hostibus triumphator magnificus. Porro inter Augusti titulos, vt *inuicti* vocabulum præcipuum habetur: ita par est, Principem id re ipsa præstare, quod non raro dicitur: cogitareque, vt sancte admonet *Erasmus*, quam sit absurdum inuictum dici, quem vincit iracundia, qui quotidie seruit libidini, quem captiuum quo lubet ducit agitque ambitio. Eum demum vere inuictum esse, qui nulli cedit affectui, nec vlla rerum specie ab honesto potest deflecti. (Sp.)

Talia facundo regaliter ore sonantem,
Spectabat studio miratrix curia vultu(1).
Quod neque doctrinæ studiis imbutus(2), *& æuo*
Pæne puer(3), *canos* 4 *scripturarumque peritos*,
500 *Sensibus*(5) *& blanda*(6) *præcederet arte loquendi.*

(1) In hac vulgari lectione aliquid mendi subesse puto. An legendum, *vultum*, iungendumque cum *sonantem*? Sed hoc duriusculum, dicere *vultum sonantem*. An ergo retinendum, *vultu*? & *studio*, pro *studiose* atque *attente* positum a *Gunthero*? Sic vt infra *nomine*, pro, *nominatim*. Ne hoc quidem satis placet. An denique pro *studio* legendum *stupido*? Quod verius puto, & *Pflugio* quoque meo facile probaui. Qui his lectis seqq. adnotauit sua manu. Verissime sic enim *Radeuicus*: *His dictis magnus fauor omnium prosequitur* admirantium & stupentium. *Studio* autem opinor, vt glossa, adiectum fuit, ex *Terentii* Prol. in Hec. fortasse desumptum; Et, *Ita populus studio stupidus in funambulo animum occuparat.* Hæc ille. *Stupidum vultum* dicit hiantem præ stupore. Hoc vult: ὅτι ἐξεθάμβησαν vel ἐξεπλήσσοντο τοῖς λόγοις αὐτοῦ, vt sacræ litteræ de Saluatoris nostri auditoribus loqui solent. In stuporem rapti sunt. *Adolfus Boethius* Cimber, optimus & studiosissimus Iuuenis, conuictor meus, volebat hic legi, *studio miratrix curia multo*, siue magno fauore, vt *Radeuicus* ait: & hoc certe in ea oratione, quam Gunth. exprimere voluit, præcipuum: quod non probo. (R.) p. 164

(2) Et ætatis illius, & gentis vitio, Cæsar *Sigismundus* erubuit aliquando propter ignorantiam Principum Electorum, qui latinas literas neque legere, neque intelligere possent.

ſent. Habuit enim in pretio literas, & literatos, quos ſupra illos, qui genere tantum ſunt nobiles, in ſua curia honorabat & locabat. Interrogatus, cur id faceret, nobilitatemque & illuſtri natos genere contemptui haberet? Reſpondiſſe fertur: Iure ego illos colo, & ceteris mortalibus præfero, quos natura parens & Deus ſingulari donauit ingenio. Subiiciens, illos ſolos a natura & Deo poſſe creari: in ſua autem poteſtate ſitum, vt nobiles titulo & prædiis faceret, quocunque placeret momento. Scribit cauſſam auunculus meus cap. 48 epitom. rerum Germanicarum, quare Principes erubeſcunt diſcere literas, & loqui latine, etiam ſi ſciant. Quanquam *Fridericus* prorſus non fuit ignarus literarum, ſeu vt dicitur, idiota. Nam vt *Radeuicus* in fine operis ſui teſtatur, latinam linguam melius intelligere quam pronuntiare potuit, in patria admodum facundus. (Sp.)

Tanto igitur maiore admiratione dignum eſt (cum fere fiat quod dicit Poeta: *Ignoti nulla cupido*: & quod vulgo fertur: *Ars non habet oſorem niſi ignorantem*) quod tamen Princeps illiteratus & ipſe tam diſertus fuerit, & tam prolixo amore bonarum litterarum ſtudioſos complexus ſit, vt tantis priuilegiis eos donatos voluerit, quanta continentur in Authent. Habita. C. Ne filius pro patre. Quæ vel ſola conſtitutio, ſi cetera præclare geſta abeſſent, immortalem facere Fridericum noſtrum poterat. Eſt enim longe celeberrima, & certatim in illam Commentaria ſcripſerunt Iuris Interpretes: vt valde mirer, eius mentionem omnem a *Gunthero* omiſſam eſſe, cum & ipſa Roncaliis promulgata ſit, vt eius habet ſubſcriptio. Tanti eſt, bonis & doctis vti conſiliariis, qui ſæpe etiam indocto Principi ſalutaria ſuggerunt. Quamuis autem *Fridericus* ipſe doctrinæ ſtudiis imbutus non fuerit, tamen filios ſuos recte in illis inſtitui atque erudiri curauit: vt ſupra lib. 1 v. 65 indicat *Guntherus*, vbi de *Henrico*, eius primogenito, ait:

> *qui ſic ſtudiis imbutus honeſtis,*
> *Nouit ab inſipido doctum ſecernere vulgo.* &c.

quæ non recte quidam de ipſo *Friderico* acceperunt. (R.) p. 164 ſeq.

(3) Adoleſcens, ſeu iuuenis: quorum adminiſtratio plerumque lubrica eſt, periculiſque expoſita, & propter rerum inſcientiam, & quod præſentes ſolum res ſibi ante oculos ponant, plerumque vana ſequantur, & incerta conſilia, illis maxime conſultoribus credentes, qui blandiri nouere magis, quam vera dicere. (Sp.)

(4) Id eſt, Senes, prudentes. (Sp.)

(5) Quicquid in homine, aut in alio animali eſt, quo aliquid percipitur ſententiturque, eſt ſenſus. Hinc ſenſus illi exteriores quinque, & interiores mens animuſque, vnde eſt ſenſus doloris, ſenſus rei viſæ vel auditæ: tum lætitiæ, laudis, gloriæ, virtutis, vitii, metus, ſenſus de interioribus, & quid de hoc vino ſentis? quid de cantu? quid de ornatu? ſplendoreque cultus? adde etiam quid de prudentia, de iudicio illius, quid de philoſophia, quid de theologia, quid de reip. adminiſtratione? Quæ paulo pluribus dixit verbis *Ludouicus Viues* in cap. 3 lib. de ciuitat. Dei 11: quoniam philoſophi noſtrates mentem dici ſenſum non patiuntur, cum *Auguſtinus* diſerte ſenſum eſſe dicat. Tametſi quid philoſopho noſtri temporis cum notitia ſermonis, hoc eſt, vt ipſi interpretantur, cum grammatica? (Sp.)

(6) Feſtiuam facundiam intelligit, qua in ſua lingua excelluiſſe Cæſ. Ænobarb. modo diximus, teſte *Radeuico*. (Sp.)

Protinus ingenuo quidam ſermone diſerti
Ora fatigantes pro conſuetudine gentis,
Siue ſuum Regi ſtudium(1) *iactare volentes,*
Siue(2) *facultatem potius monſtrare loquendi,*
505 *Officio linguæ, ſtudiiſque loquacibus illum*
Inſumpſere diem: quos inter clarior vnus,
Præſul erat Ligurum(3), *vix exæquanda relatu*
Omnibus, a primo quos, inquit, vidimus, æuo
Gaudia cunctorum, facundo protulit ore.

(1) Id eſt, eruditionem ſuam, & eloquentiæ facultatem. (R.)

(2) Innuit illas, quas Græci Rhetores ἐπιδεικτικοὺς vocant: *Quintilianus* oſtentatorias declamationes lib. 4 c. 3. Hæ ſunt, quæ *Panegyricæ orationes* appellantur, vel ſimpliciter *Panegyrici*, ſcil. λόγοι. Hoc genus a Græcis ortum eſſe, tradit *Lactantius* lib. 1 c. 15. Sed ſæpe ait etiam apud malos Reges Panegyricis mendacibus quoſdam adulatos eſſe: quorum leuitas inſtructa dicendi facultate & copia incredibile eſt, quantas mendaciorum nebulas excitauerit. (R.) p. 165

(3) Archiepiſcopus Mediolanenſis. (Sp.)

510 (1)*Lætior iſte dies, & clarior eſſe meretur:*
Cum te pacificum populi, mitiſſime Princeps,
In medio reſidere ſui, legeſque citantem
Hactenus extinctas, gaudens videt Itala tellus.
Hæc eſt illa ſalus, quam tot iactata procellis

Expectare

515 *Expectare solet miseræ sors naufraga terræ.*
Scimus ab antiquo, quantos, qualesve tyrannos(2)
Senserit Italicæ fortuna miserrima plebis:
Cum totiens proscripta bonis, addictaque ferro,
Aut spoliis nudas(3), *aut sanguine pasceret iras:*
520 *Nec legem ratio, sed Regum sola libido*
Poneret, & ferro gaudens, non iure potestas.
Nec minus infestis gens hæc malefida tyrannis,
Atque his sæpe suo conata resistere damno,
Pressa metu(4) *potius, quam læta fauebat amore*(5),
525 *Hinc odium populis, & seditiosa simultas,*
Et furor Italiæ multos grassatus in annos
Prodiit, & geminas fecit dissensio partes.
Et partim patriæ, partim regnantibus vrbes
Adsistunt: sæuoque diu collisa fragore
530 *Bellorum, alternam senserunt mœnia cladem.*
Quis Ligurum cædem, quis vulnera sæua Papiæ,
Quis referat Cremæ, quis tristia damna Cremonæ?
Hæc inter varias oppressis legibus vrbes
Exarsit rabies, & longa licentia ferri.

(1) Apud *Radeuicum* sumptum orationis est initium a 23 vers. Psalmi 117 scilicet: *Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.* (Sp.)

(2) Reges. Tyrannus enim a Rege distat factis, non nomine, vt dixit *Seneca* cap. 12 primi libri de Clementia. Eos *Iuuenalis* Satira 10 coniunxit: *Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci Descendunt reges, & sicca morte tyranni.* (Sp.)

(3) Forte legendum, *tumidas.* An potius retinendum, *nudas*, & has intelligendum, omni caussa & ratione destitutas. Quod confirmat *Radeuicus.* Meminimus sine extanti crimine factas proscriptiones locupletum. Sane & supra v. 150 *nudam lacessere pugnam* dixit. Et *Scip. Gentilis* mihi confirmauit, se apud veterum quendam legisse *nudis odiis pugnare.* (R.) p. 165

(4) *Qui*, vt vere dixit *M. Tullius*, *malus est custos diuturnitatis.* Siquidem vt præclare dixit *Ennius*: *Quem metuunt oderunt, quem quisque odit periisse expetit.* (Sp.)

(5) Idem *Cicero* autor est, ad opes tuendas, ac tenendam potentiam, nihil æque aptum esse atque dilectionem & charitatem subditorum. Vehementer autem amor multitudinis commouetur, ipsa fama & opinione liberalitatis, beneficentiæ, iustitiæ, fidei, omniumque earum virturum, quæ pertinent ad mansuetudinem morum, ac facilitatem. (Sp.)

535 *Tu velut eximium post tristia nubila tandem*
Sidus ades, tu bella fugas, pacemque reducis:
Tu leges & iura nouas: te præside rerum
Grata redit facies, certusque renascitur ordo.
Nunc age, diuinæ quicquid(1) *sententia mentis*(2)
540 *Dictabit ius esse, iube: pro lege voluntas*(3)
Principis esse solet: quicquid decreuerit ille
Esse ratum, mos est(4), *& iuris habere vigorem*(5).
Vtere iure tuo(6), *quicquid rectumve piumve*
Esse putas, seruare iube. Nos vero(7) *volentes*
545 *Omnia suscipimus: libertas maxima nobis*
Tam placido parere viro. Sic ore diserto
Præsul in assensum Regis propensius omnes
Impulit, & magno percussit corda fauore.
Tunc quoque compositis quidam resonantia verbis,
550 *Regia*(8) *Cæsareæ cecinerunt carmina laudis.*

(1) Ita diuinabam, & ita *Perna* edit. Exprimit hic illud *Vlpiani*: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* l. 1. ff. de constit. princ. §. sed & quod Principi. Inst. de iur. nat. gent. & ciu. In illis autem, *Ius esse iube*, respexit ad etymon Iuris. Est enim *Ius* quasi *Iussus*, a iubendo, etiam *Festo* teste. Vide *Iacob. Curtium* lib. 1 εἰκαστῶν, cap. 1. (R.) p. 165

(2) Cum contingit sapientem virum principatum gerere, tum optime cum mortalibus agi existimatur, si leges & omnia in manu eius reposita sint. Hinc ex Platonis sententia *Prudentius* in lib. aduersus Symmachum

chum primo cecinit, nimirum pulchre quidem doctissimus: *Esset publica res*, inquit, *tunc fortunata satis, si vel Reges saperent, vel regnarent sapientes.* Non autem perperam dixit, *diuinæ mentis*, quoniam omnis lex est inuentio & donum Dei, vt dixit *Martianus* ex oratione Demosthenis in Aristogitonem. (Sp.)

(3) Scilicet rationabilis: non autem libido, vt supra v. 520, quod est tyrannorum. (R.) p. 165

(4) *Pomponius* de origine iuris: *Constituto* (inquit) *Principe, datum est ei ius, vt quod constituisset, ratum esset.* Quæ verba intelligit *Salomonius* de Principe olim Romano, non autem hodierno: quoniam mutata est forma ab illa veteri, de quo tamen articulo inter doctores etiam antiquos variatum constat. (Sp.)

(5) Iuxta *Vlpiani* sententiam inquientis: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* Sed ex verbis, quæ sequuntur, scilicet *vtpote lege regia, quæ de eius imperio lata est*, colligit idem *Salomonius*, per solam electionem nullum imperium electo quæri: & per hoc neque ius constituendi, nisi a populo per legem nominatim decernatur. Hinc illa orta est dubitatio multum diuque inter recentiores, variantibus etiam sententiis, disputata, ex sola ne electione imperii ius potestasque deferatur? Demum omni ambiguitate per sacrarum literarum Antistites mature, solerterque discussa, Imp. Cæs. *Ludouicus* quartus, Bauarus, legem sanciuit, promulgauitque, quam *Balbus* Episcopus de Germania optime meritus, in suo *de Coronatione* libello ad verbum refert: ne quis in eo amplius aberret, in quo omnis imperii dignitas, maiestasque continetur. (Sp.)

(6) Ita leg. cum *Perna*. Vulgo, *vera*. Ex quo *Pflugius* tentabat, *iura*. Mox alludit ad sententiam: *Idcirco legum serui sumus, vt vere liberi esse possimus.* (R.) p. 165

(7) Necesse est enim, vt Princeps placitis boni viri vtatur: quoniam Pop. Rom. in eum omne imperium suum, & potestatem concessit, vt in bonum virum. Quamuis virum bonum inuenire licet, qui bonum Principem non possit agere. At bonus Princeps esse non potest, qui non idem sit vir bonus. Huic tuto permitti possunt omnia, mediocri non omnia, malo nihil. Quanquam nunc eo redierunt quorundam Principum mores, vt hæc duo multum inter se pugnare videantur, vir bonus, & princeps. Planeque stultum & ridiculum habeatur in Principe, boni viri facere mentionem, vt nimis vere dixit *Erasmus*. *Rectum* pro iure accepit: quod ius omnia recta & inflexibilia exigat, vt nobilis ille Grammaticus *Donatus* ait. *Pium* autem pro æquitate vsurpauit, quæ ex iure multum remittit. (Sp.)

(8) Signat Panegyricos, quos cum audit Princeps, ne protinus credat, aut faueat suis laudibus, sed, vt sapienter *Roterodamus* admonet, si talis nondum est, qualis prædicatur, admoneri se cogitet, detque operam, vt iis laudibus aliquando respondeat: Si talis iam est, adniti debet, vt se ipso melior euadat. (Sp.)

Postera lux aderat, solio reuerendus in alto
Consedit Iudex: ex omnibus vndique multi
Vrbibus ac vicis aderant, queruloque ferebant
Innumeras clamore cruces: hoc quippe querelas(1)
555 *More solent aperire suas. Rex omnibus aures*
Commodat, & querulis iudex clamoribus idem
Æquus adest, certo dirimens examine lites.
Sed quia tam multis finem dare curia præsens
Non poterat caussis, placuit satis vtile quiddam
560 *Ingenuo pulchrumque Duci, cunctasque per vrbes*
Edoctos in iure viros(2), *verique sequaces*
Imposuit, medio(3) *qui cuncta negotia iuris*
Limite discuterent, nec eos ex vrbibus iisdem(4),
Ne fauor, aut odium sensus corrumpat eorum(5),
565 *Sed magis ex aliis, ad munera pulchra*(6) *vocatos*
Elegit, sacra vel delegauit ab aula.

(1) Idem scribit *Radeuicus*, subiiciens, *Fridericum*, vt vidisset multitudinem eorum qui cruces baiularent, dixisse: mirari se prudentiam Latinorum, qui cum maxime de scientia legum glorientur, maxime legum inueniirentur transgressores. (Sp.)

(2) Ciuili scilicet. Pontificium enim ante *Innocentii* quarti tempora non admodum fuit in precio. Refert *Radeuicus*, *Bulgarium*, *Martinum*, *Iacobum*, & *Hugonem*, qui ea tempestate Bononiæ profitebantur leges celebri nominis fama, ab Ænobarbo constitutos iudices, tum alios multos fuisse accitos iurisperitos. (Sp.)

Recte hic obseruat Spiegelius, temporibus *Friderici* Ænob. solum Ius ciuile in vsu & pretio fuisse: cuius tunc Antecessores Bononiæ celeberrimi fuerint habiti, *Bulgarus*, *Martinus*, *Iacobus*, & *Hugolinus*, quos in consilio Imperatorem maximum habuisse etiam *Cuiacius* annotat ad lib. 1 Feud. tit. 12. Ius autem Pontificium tandem Papæ Rom. eue-

xerunt

ferunt, quasi altare contra altare extruentes: ne quid scilicet concederent Imperatoribus, quorum iura & maiestatem iam diu imminutum iuerant, vt ipsis rerum argumentis *Hotomanus* in Bruto fulm. probat. * Porro de illa quæstione, *an iudex possit esse iuris & legum imperitus?* videndi sunt iuris interpretes*. (R.) p. 166

(3) Eleganter, nam inter vtramque personam sit iudex medius, vt ait *Constantinus* l. 22 vbi. C. Ad l. Corn. de fals. Et *Anianus* in Interpretation. sentent. Pauli lib. 1 tit. 18; *Ex communi consensu* (inquit) *postea qui sit diuisionis medius eligatur.* Sic *Aristoteles* Iudicem vocat μεσίδιον, & δικαστὴν quasi διχαστὴν dici vult. (R.) p. 166

(4) Nota, Præsidem prouinciæ aut Præfectum ciuitatis neminem in sua Patria a *Friderico* constitutum fuisse: cuius rei ratio hic additur: Quia tales fere aut fauore aut odio suorum popularium a vero & iusto transuersi abripiuntur. Huc pertinet, quod in Iure quoque ciuili multa sunt, quæ Præsidi aut Officiali eius in sua prouincia non permittuntur, potentatus ratione. Vt matrimonium contrahere non potest cum femina prouinciali: neque filio suo aliquam ducenti consentire: non potest rem ex officio suo emere, neque per se neque per suppositam personam: non potest fœnus in prouincia exercere, &c. vt probatur seqq. locis. l. 38 si quis officium. l. 57 qui in prouincia. in pr. l. 63 præfectus. ff. de ritu nuptiarum. tit. C. Si quacunque præditus potestate &c. l. 46 non licet. l. 62 qui officii. ff. de contrah. empt. l. 1 C. De contract. iudic. l. 46. aufertur. §. quod a Præside. ff. de iur. fisc. l. 8 ff. Ad l. Iul. repetund. l. 33 principalib. ff. si cert. pet. l. 3 C. eod. Vid. & *Ciceronem* Verrin. * Non absimili prorsus de causa militibus quoque iure ciuili multa sunt interdicta, de quibus vide orationem nostram *de Milite Christiano.* Potest enim hæc quæstio in vtramque partem disputari, *an expediat magis reipublicæ, magistratus ciuibus & indigenis mandare, an vero exteris?** (R.) p. 166 seq.

(5) Sentit, ne sententiam & iudicium ferant iniquum. (Sp.)

(6) Quod Dei vice iudex iustus defungatur. (Sp.)

Postea sollicite regni de iure(1) *vetusto*
Quæstio mota fuit: quod desuetudine longa
Priscus inumbrabat neglecti temporis error.
570 *Ac primum Ligures*(2) *super hoc a Rege rogati,*
Vectigal(3), *portus*(4), *cudendæ iura monetæ*(5),
Cumque molendinis(6), *telonia*(7), *flumina*(8), *pontes*(9)
Id quoque, quod fodrum(10), *vulgari nomine, dicunt,*
Et capitolitium(11) *certo sub tempore censum,*
575 *Hæc Ligures*(12) *sacro tribuerunt omnia fisco*(13).

(1) Nempe de *regaliis, fiscalibus rebus, feudalibusque consuetudinibus*: quæ recte *iure regni* complexus est. Feudalia enim placita, inter quæ regalia, vt superius ostensum est, suum quoque locum sortita sunt, autoritatem legalem habent, & ita allegari possunt, vt præceptor meus *Zasius* docuit. Nec enim frustra in corpus iuris ciuilis insertæ sunt. *Hostiensis* tamen, & *Ægidius Bellamera*, negant feudalia placita autoritatem legis habere, quoniam huiusmodi consuetudines a priuatis viris *Oberto* de *Horto*, & *Girardo Capagisto*, quibus non fuerit condendæ legis autoritas, sint collectæ: sentientes ob id, quod nihil secius operentur, quam consuetudines. Sed pro *Zasio* nostro est communis opinio, ex cuius luculentis in feudales vsus commentariis, nonnulla citauimus lib. 2. (Sp.)

De Regalibus, seu sacri fisci commodis. Talia hic nouem duntaxat enumerantur, non quod plura non sint (recensentur enim quasi ad quatuor & viginti in cap. vnic. Quæ sint regalia tit. 56 libr. 2 feud. & esse plura hisce nouem ipse *Guntherus* satis indicat. vers. 576 *si qua pari fuerant obnoxia iuri*) sed quia non omnia vel potuerit vel etiam voluerit versibus comprehendere. (R.) p. 167

(2) Mediolanenses, vt poetæ perpetuo: *Insubres* & verius aliis. *Merula* lib. 3 rerum Mediolanen. de feudorum origine loquens: *Ceterum*, inquit, *qui nouissima feudorum iura Cæsares descripsere, ante omnes curiam Mediolanensem celebrant*: vt plane significare videantur, hoc siue tributi, siue magis perpetuæ seruitutis genus Mediolani primum cepisse. Nam quoties de obæratis in dominos, & rursus de iure dominorum in obæratos certabatur, cognoscendæ caussæ & diiudicandæ litis arbitrium consulibus & paribus curiæ Mediolanensis Cæsares delegasse legimus. Vt non solum sine prouocatione eorum iudicium foret, sed quod ii statuissent, id a ceteris receptum, vim legis quodammodo haberet. (Sp.)

(3) Id est, quod pro rebus ciuitati inuectis, vel euectis publico soluitur: ea est octaua pars. Vnde *octonarii* quandoque dicti *exactores.* (Sp.)

(4) Portorium signat. Est autem portorium vectigal, quod de rebus mercibusve in portum importatis soluitur. Vnde & *portus* nomen sumpsit. Cuius exactor & manceps *portitor* appellatur. *Cicero* in Officiis libro primo: *Improbantur hi quæstus, qui in odia hominum incurrunt, vt portitorum, vt fœneratorum.* Et *Virgilius* Charontem *portitorem* dixit, tanquam exactorem illarum pecuniarum, quas ex superstitione Ægyptiaca vita functi ore ferunt. Argyrippus apud *Plautum*,

tum, quia Lena dixerat: *Quam magis te in altum capessis, tam astus te in portum referet*, in iucunda perstans metaphora respondet: *Ego pol istum portitorem priuabo portorio.* (Sp.)

(5) Hoc est, aurum, argentumve conscindendi in titulos, faciesque minutas, vt scita periphrasi dixit *Iuuenalis* Satir. 14. Apud Iurisconsultos *Triumuiros monetales* legimus, qui praeessent monetae probe cudendae. Quos diu nostra desiderat Germania. Quod pauci sint, qui priuatorum obliti, publica curent. In cudenda autem moneta bonus Princeps praestabit eam (monitore *Roterodamo*) fidem, quam & Deo debet & populo: qui hac in re quatuor ferme modis, vt idem ait, expilari solet. Primum, vbi nomismatis materia mixtura quapiam vitiatur. Deinde cum ponderi detrahitur. Praeterea, cum circumcisione minuitur. Postremo, cum aestimatio nunc intenditur, nunc remittitur, vtcunque visum est Principis fisco conducere. Moneta vero quae tam aurea, quam aerea, vel argentea sit, sic nominata videtur, quod & precii & autoris nos signi impressione admoneat. (Sp.)

(6) *Baldus* a *molis* dictum putat *molendinum*: cum sit triuiale vocabulum, vt plerisque visum est Grammaticis, quod antiqui id moletrinam & pistrinum vocauerint. (Sp.)

(7) *Telonium* graeca vox est, quae significat mensam, aut locum publicanorum, vbi colligunt vectigal, quod graece τέλος dicitur. Hic autem, vt vulgo solet, vel pro ipso vectigali, vel iure vectigali, quod id sine Principis concessione imponi non possit, accepisse videtur. (Sp.)

(8) Hoc est, vt ait *Radeuicus*, vtilitatem omnem ex decursu ipsorum fluminum prouenientem. (Sp.)

(9) Nam & illi vectigales sunt. Vulgari vocabulo *Pontinebium* appellant: quod soluitur tam ab hominibus, quam de mercibus, quae per pontes transeunt. *Bruckenzoll*: vt non minus barbara voce *Pedagium*, seu *Pedaticum*, *VVeggelt* vocant. (Sp.)

(10) Itali, intellige. (Sp.)

(11) Quia id tributi non de facultatibus, sed de suis capitibus soluebatur. (Sp.)

(12) Nota epanalepsin. *Hae*, inquam, Ligures &c. (R.)

(13) Id est, Camerae Imperiali, vt appellant enarratores Feudalium placitorum, ac scholium in Rubrica. C. *de iure Fisci*, libro decimo. Dicitur autem *Camera Imperialis*, quicquid ad commodum pecuniarum Imperii pertinet. (Sp.)

Haec, & si qua pari fuerant obnoxia iuri(1)
Praelati(2), proceres(3), missisque potentibus(4) vrbes(5),
Libera Romano liquerunt(6) omnia regno.*
Tanta tamen clari fuit indulgentia(7) Regis,
580 *Vt quicumque bona(8) priscorum munere(9) Regum*
Hactenus ista fide possederat(10), idque probare
Legitimis poterat, vel demonstrare tabellis(11),
Principis assensu, titulo(12) gauisus eodem,
Nunc quoque possideat: reliquis in iura relatis
585 *Regia, librarum triginta millia(13) puri*
Annuus argenti fisco solet addere census.
Tunc proceres stabilem iurando(14) nectere pacem
Rector, & adiecta certo sub nomine poena,
Italicas late iussit vulgare per vrbes.

(1) Scilicet, regaliorum, de quibus nonnulla meminit Baldus in rubrica *de priuil. fisci*. Tu vide titulum, & quae feudistae in eum retulerunt, Quae sint regalia in vsibus feudorum. (Sp.)

(2) Interpretes canonici iuris tradunt, quod Praelati appellatione non solum Episcopi, sed & Abbates, ac ceteri, vt aiunt, inferiores, modo iurisdictionem habeant, veniant intelligendi. (Sp.)

(3) Duces, Marchiones, Comites: de quibus lib. 2 dixi. (Sp.)

(4) Hoc est, per missos optimates suos. (Sp.)

(5) Respublicae Ciuitatum. (Sp.)

(6) Pro *cesserunt*, quod, vt omnia barbare, maxime enarratores pontificii iuris *resignare* dicunt. (Sp.)

* Id est, Principis dispositioni, in signum, vt dicitur, praeeminentiae status Imperialis. (Sp.)

(7) Laudantur in Imperatoribus indulgentiae, id est, facilitas, clementia, comitas. Vnde & indulgentissimi dicti in panegyricis. Antiqui *indulgitatem* vocauerunt, quae a nobis dicitur *indulgentia*. (Sp.)

(8) Quae maxime debet in feudis, a Principe Romano concessis, exuberare, quia *feudum* a *fide* dicitur, & omnes contractus cum Principe initi sint bonae fidei, vt eleganter dixit *Baldus* in tit. *de pace Constant*. (Sp.)

(9) Beneficio, quod *feudum* interpretantur. (Sp.)

Augustana editio, *munera*, quod probo, alioquin enim quo referemus τὸ *ista*, quod sequitur? nisi iungamus, *munera ista*: id est, *feuda*, quae & beneficia dicuntur. Sic & infra *munus* pro *feudo* vsurpat v. 616. (R.) p. 167

(10) Ita restitui cum *Perna*, vulg. *possideat*. In probare vel demonstrare est tautologia.

gia. Idem enim vtrumque valet. (R.) p. 167

(11) Instrumentis, scilicet inuestituræ, vel breui testato. Est autem *inuestitura* confirmatio collationis rei feudalis per Dominum factæ. Et est duplex. *Propria* & *Abusiua*. *Propria*, quando Domino tradente vasallus in possessionem realem inducitur per Dominum, vel eius nuncium. *Abusiua*, vel *verbalis*, quæ verbis fit, cum actu corporeo: vt quum Dominus dicit: *inuestio te cum isto annulo, vel ense, vel hasta*, vel alia re porrecta pro loci consuetudine. Et debet hæc inuestitura fieri ad minus coram duobus curialibus, quos *Pares curiæ* nominamus, teutonice, *Lehenleut*. Alias non valebit, nisi coram aliis testibus fiat per *breue testatum*, iuxta cap. 1, *quid sit inuestitura*. Est autem *Testatum*, instrumentum publicum: & dicitur *Breue*, quia breuibus verbis fit, autor *Baldus* in cap. 1 de *Controuers. inuest.* Dicitur autem *Testatum*, quia testes aliquando inscribunt se instrumento, rem actam testando. arg. eorum, quæ dicuntur in authen. *de instrum. fid. & caus.* § *sin vero moriantur*. coll. 6. Sunt tamen & alii modi, per quos possesio bonorum feudalium doceri potest, de quibus videndi sunt, qui in vsus feudales scripserunt. (Sp.)

(12) Scilicet, Imperialis beneficii, seu nomine regni, & hoc intelligendum per nouam inuestituram. Nam iussus Domini, nedum assensus, vt teneas rem feudi, nisi inuestitura præcesserit, vel fiat coram Paribus curiæ, aut in eorum defectu, coram aliis honestis, non facit legitimam possessionem, feudi præsertim recti. Hæc enim proprie comes est iuramenti: quum perpetuum habeatur in abusiua inuestitura, quod ipsa debeat præcedere, antequam vasallus præstet iuramentum fidelitatis. (Sp.)

(13) Nota, Censum annuum fisci Imperatorii fuisse *Friderici I.* tempore triginta millia librarum argenti. (R.) p. 167

(14) Sic & Plautus *iurandum* pro *iusiurandum* vtitur. Cistellar. *Ani, quære tibi tuo iurando satis sit subsidii.* Et Terentius: *Quia si forte opus sit ad herum iurandum mihi.* Sic enim ibi *Donatus* legit & probat *I. Riuius*, vulgo, *iusiurandum*, quod est ex glossa. (R.) p. 167

590 *Mox de communi feudorum iure*(1), *quod illa*
Perspicuis nondum scriptis expresserat ætas,
Has dedit, & scripto iussit notescere leges(2).
Si quis habens feudum, pretio seu vendere totum,
Seu pro parte velit, dominique licentia desit,*
595 *Seu dare*(3), *seu vadio supponere*(4) *cogitet*(5), *illud*
Qui dedit amittet, non, qui suscepit, habebit:
Nullaque vel longi præscripto temporis(6) *obstet,*
Quo minus ad Dominum redeant translata priorem.
Emptorique(7) *bonæ fidei*(8) *præstetur in illum*
600 *Actio*(9), *quæ*(10) *pretium cogat redhibere solutum*(11).
Hæc magnus fieri vetuit Lutherius(12): *at nos*
Facta retractari volumus(13), *facienda caueri.*

(1) Nota, Ius feudisticum ante *Fridericum* non fuisse perspicuis scriptis expressum. Etsi enim quædam in litteras relatæ consuetudines circumferebantur sub nomine *Gerardi* & *Oberti* Coss. Mediolanensium: eæ tamen cum essent confusæ, vagæ, atque incertæ, pro non scriptis haberi poterant. * *Hotomannus* præf. Commentar. in libros Feud. laudat *Ioan. Cusp.* qui scribat de nouo quodam libro Feudor. quem Imperator *Fridericus III.* confici curauerit, per *Ant. de Veteri prato* IC. Bononiensem, approbante *Bessarione* Card. & *Aug. Reatino*. Sed hunc nondum cognouimus editum. Meminit eiusdem & *Iason* in prælud. feudorum in pr.* Disputant autem illius Iuris interpretes; An, ex quo illæ consuetudines descriptæ sunt, in Ius scriptum transierint? Qua de re post alios vide ciuem meum *Ludolfum Schraderum* Tract. Feudal. 2 part. 9 partis princip. sect. 3 num. 110, *& *Partitiones* nostras *Iuris Feudalis**. (R.) p. 167 seq.

(2) Easdem refert *Radeuicus* cap. 7 quarti gestorum Ænobarb. iis verbis, quibus proditæ sunt, & hodie, vt aiunt, Mediolani extant in codice, qui vulgo *liber Lombardus* vocatur. Promulgauit & alias leges, quæ sunt receptæ, leguntur que in feudalibus vsibus. (Sp.)

* In bonam partem accipit, pro consensu, seu indulto, & potestate facta: vt vulgo nunc loquuntur, & solent dicere iurisconsulti: *data est mihi licentia eundi, redeundique.* Qualiter etiam plerique ecclesiasticorum scriptorum locuti sunt, & *Iul. Capitolinus* in Maximinis. Quamuis *Laurent. Valla* mauult dicere, *facio tibi potestatem eundi & redeundi*, quam, *do tibi licentiam.* (Sp.)

(3) Generaliter pro *alienare* posuit: quo verbo *Fridericus* vsus est: *Nulli*, inquiens, *liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quomodo libet alienare*, & cetera. Verbum autem *dare*, proprie de eo intelligitur, qui per traditionem dominium transfert. (Sp.)

(4) Pro, *pignori dare*, seu *pignorare* vsurpauit. Proprie tamen *vadimonium*, vel, quod idem *vadimonium*, est sponsio sub certa pœna se

na se iudicio staturum. Id etiam *vadari* dicitur, quod videlicet, ea de caussa, qui multæ fidei possessor non erat, *vadem*, id est, fideiussorem dare tenebatur. (Sp.)

(5) Ita restitui, cum legeretur vulgo nullo sensu. *cogitur*. *Vadio* autem *supponere* est *pignori* vel *hypotheca dare*. Sic Concilium Rhemense *vadii* verbum pro *pignore* vsurpauit in c. 1 extra de pignoribus. *In vadium dare rem ecclesiasticam*. *Hotomanus* extremo commentar. de Verbis feudalibus hunc locum laudans legit *vvadio*, vt etiam in capitul. Caroli artic. 20. Et in Lombarda aliquoties, *Guadia*. Sic *Cuiacius* in paratitl. Cod. ad tit. de pign. & hypoth. de Gallis suis testatur, lingua materna pignus vocari *VVadium*, a *Vade* procul dubio; nam fidei optimus vas est res pignori nexa*. Hinc *inuadiare* pro *oppignerare*. Eleganter autem distinguit *Guntherus* inter hæc duo: *dare vadio*, &, *supponere vadio*. Priore formula significat pignus proprie dictum, quod traditur creditori: posteriore innuit hypothecam, quando rei possessio penes debitorem manet, ac nuda conuentione creditori tenetur. Sic ICti *pignus datum* seu *depositum*, & *pignus suppositum* distinguunt. Verbum quoque *Supponere* absolute vsurpant, cum de hypotheca sermo est. Vt & Persius: *Me tibi supposui*. Vbi recte *Cornutus* ait, *tanquam aliquod pignus*. Sic in tit. ff. de reb. eorum qui sub tutel. vel cura sunt, sine decret. non alienand. vel supponend. *Spiegelius* tamen hic *dare* non iungit ἀπὸ κοινοῦ cum *vadio*, sed accipit pro alienare: cui vix est vt assentiar. (R.) p. 168

(6) De hac non parum multis agit Imperator *Iustinianus* lib. 7. Est autem *præscriptio* exceptio, quæ ex temporis lapsu substantiam capit, & actioni obiicitur. Longi autem temporis est inter præsentes decem, inter absentes viginti annorum. Longissimi vero temporis 30, 40, vel 100 annorum continuata possessio. (Sp.)

* Quæstio est, quæ magna contentione inter Feudistas agitatur, *an Domino feudum, si non suo consensu ac permissu alienatum, reuocanti ac vindicanti, possit obiici præscriptio 30 annorum, siue longissimi temporis?* Affirmant alii, alii negant. Qui affirmant, vt *Cuiacius* & *Borcholdus* &c. huius versus autoritate nituntur, q. 2 sq. *Guntherus* tantum longi temporis præscriptionem excludat. Differunt autem longi & longissimi temporis præscriptio. Mihi verior videtur negantium opinio, quam defendo in *partitionibus feudalibus*. Vide consilium *Io. Angeli* de *Bisirio*, quod extat inter consilia *Zasii* 2, 15.* (R.)

(7) Ius dicenti, qui ex sua iurisdictione habet comparatas actiones, de quibus *Iustinianus* lib. Institut. quarto tit. sexto. Olim autem *Prætor* dicebatur, quicumque militum imperator, & *prætorium* domus imperatoria. (Sp.)

Sic recte edidit *Perna* vel *Pithœus* potius, & correxerat ante *Cuiacius* Comment. feud. lib. 5 ad Constitut. *Friderici* de Feudis non alienandis. Sic *Radeuicus* quoque hic. vulgo male, *Prætorique*. (R.) p. 168

(8) Quod sint & stricti iuris actiones. Bonæ fidei numerantur a Iustiniano loco iam citato §. *Actionum autem quædam*, & §. seq. Est autem duplex *bona fides*. *Altera*, quæ fraudi doloque opponitur, & communis est actionibus stricti iuris: in quibus quoque abesse debeant fraus dolusque. *Altera*, quæ per Autonomasiam dicta est, & præcipua in bonæ fidei contractibus, vnde & eis nomen impositum est, versatur. (Sp.)

(9) Iure gentium olim actiones nullæ erant, sed manu regia controuersiæ dirimebantur. Deinde in 12 tabulis actiones repertæ sunt, & certis verborum formulis conclusæ, quas a pontificibus litigaturi accipiebant. Qui formulam male concepisset, a caussa cadebat. Porro actionis verbum generale est & speciale. Nam omnis actio dicitur, siue in personam, siue in rem sit petitio. (Sp.)

(10) Posset etiam legi, *qua cogat*: scil. Emptor bonæ fidei. Sed temere nihil muto. (R.) p. 168

(11) Vnde & *redhibitoria* dicta est. Hanc Ædiles instituerunt. Sed hic generaliter *redhibere*, pro *restituere* accepit. Cum in certis casibus redhibitioni tantum sit locus, vt docet *Vlpianus* in tractatu *de ædilit. edicto*. (Sp.)

(12) Imp. Cæsar *Lotharius*. *Crantzius Ludderum* patrio hoc est, Saxonico vocabulo scribit vocatum. Meminit eius Poeta supra lib. sexto, & nos ibidem. Nota sunt, quæ ille tulit super rebus feudalibus, cuius placitum de non alienando absque domini consensu feudo, Cæsar Ænobarbus extendit ad præteritos casus, quod ab eo proditum erat ad futuros, quos præcipue lex respicere solet. (Sp.)

(13) Intellige, ante promulgatam illam a *Lothario* legem. *Nos enim*, inquit *Fridericus*, *ad pleniorem regni vtilitatem prouidentes, non solum in posterum, sed etiam huiusmodi prius illicitas alienationes perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus*, &c. (Sp.)

Cum alias certum sit, leges & constitutiones formam dare & regulas imponere futuris negotiis, non ad facta præterita reuocari. Si hoc velit Legislator, oportet vt nominatim & de præterito tempore & negotiis adhuc pendentibus caueat l. 7 C. de legib. l. pen. in fi. C. de Decurion. lib. 10. vbi vid. *Gothofredus*. Eius rei exemplum hic est illustre. (R.) p. 168

Successor feudi, totum si forte per annum
Atque diem, tacto primæ iam tempore pubis(1),
605 *Siue dolo*(2), *seu desidia*(3), *seu mente superba*(4),

Perdat,

Perdat, & hæc dominus proprios assumat in vsus,
Spreuerit a domino feudalia poscere iura.

(1) Id tribuunt masculis in 14. feminis in 12 anno. (Sp.)

(2) Vero scilicet, & præsumpto. (Sp.)

(3) Negligentia, quæ si magna est, culpa interpretatur. Vnde sibi imputet, si quis in suis rebus diligentior non sit. (Sp.)

(4) Hæc addidit de suo verba, quia nulla fit in sanctione de eisdem mentio. Quamuis placitis feudalibus conueniat reuerentiam a beneficiario exhiberi: cui superbia contemptus parens opponitur. (Sp.)

(1)Publica militiæ vasallus(2)munera iustæ
Non renuat, dominique libens in castra vocatus
610 *Aut eat, aut alium pro se submittat iturum*
Arbitrio domini, vel quam(3) laudauerit(4) ille
Compenset(5), redimatque suum mercede laborem.

(1) Hoc capitulo Germanos quoque sub Alemanniæ nomine conclusit. (Sp.)

(2) Ni fallor superius dixi, hanc vocem latinam non esse, vt omnia ferme barbare ab Italis, & in ipsa Italia sunt tradita, quæ ad feudalium rerum pertinent notitiam. Quos in feudali re dominos, & vasallos vocamus, patronorum & clientum instar obtinent. (Sp.)

(3) Forte legendum, *qua*. Vt iungantur, *qua mercede*. Potest tamen etiam, *quam* retineri. Pflugius *quo*, vel *qua*, *fraudauerit*. Sed *fraudandi* verbo hic locum esse non existimo. *Mercedis* verbo intelligere videtur *hostenditias*, quæ vocantur. Eas ex isto loco nobis licet definire mercedem, quam vasallus, qui ipse in militiam cum domino feudi ire non potest, neque alium pro se submittere, dat domino ad compensandum redimendumque laborem suum in obeunda militia, * siue adiutorium (siue subsidium) quod faciunt Dominis Romam cum Rege in hostem pergentibus vasalli, qui cum eis non vadunt, vt definit Feudista 2 F. 40 § *similiter.** (R.) p. 168 seq.

(4) More interpretum iuris, quos ab hoc verbo *laudum*, plane barbarum vocabulum traxisse putant, pro definitione arbitrorum, quoniam sententia proprie dici nequeat, quod ab arbitro pronuntiatum est. Quod tamen *Alciato* non fit verisimile, cum id quod vnusquisque etiam priuatus sentit, latine & eleganter sententia dicatur, nec aliter soleant iurisconsulti arbitrorum definitiones, quam sententias appellare. (Sp.)

(5) Monet me hic locus, in verbo *compenset*, vt cogitem, possitne *hostenditiarum* appellatio videri deducta a vetere verbo *hostire*, quod est æquare: Vnde *hostimentum* apud *Plautum* Asin. *Par pari datum hostimentum est, opera pro pecunia*. Et *Festus hostimentum* exponit beneficii pensationem. Sed hæc fortassis argutiora sunt, quam veriora. Vulgo quidem ab *hoste hostenditias* fictas putant, quod etymon *Hotomanus* quoque sequitur. * Et pro eo facere videtur d. § *similiter*, cum ait, *in hostem pergentibus*. At *Marq. Freherus*, in comment. ad constitut. de Feudis *Caroli III*, deriuat a Germanico *Ostendienst*, vt dicimus *Frohndienst*, *Herrndienst*, *Reuterdienst**. *Laudare* hic quoque idem valet, quod *arbitrari*. (R.) p. 169

Si patris dominum vasalli filius acri
Læserit offensa, festinet prouidus illum
615 *Conciliare pater: quod si contemnet(1) agendum,*
Munere(2) priuetur: si vero audire monentem
Filius indomita neglexerit aure parentem,
Non erit(3) in feudo successor idoneus illo(4),
Ni prius accensam domini placauerit iram.

(1) Maxime a domino. (Sp.)

(2) Beneficio, feudo. (Sp.)

(3) Subaudi filius. (Sp.)

(4) L. *Ille*. (B.)

620 **Si tuus ex feudo cuiquam vasallus id ipsum,*
Contulit, atque tuo vasallum munere fecit
Ipse sibi, si forte tuam, iam tertius ille
Successor meruit factis atrocibus iram,
Nec tibi pro culpa domino mediante secundo
625 *Fecerit ipse satis: reprobato protinus illo*
Ad dominum redeant feudalia iura secundum.
Si tuus ille suum tibi conciliare fidelem
Spernit: & aut torpens, aut perfidus esse probatur,
Ambobus spretis ad te tua iura recurrent.

* Adſcribam verba Imper. *Friderici*, quo facilius hunc locum intelligas, ſi forte *Radeuicus* tibi ad manum non eſt. *Illud quoque præcipimus*, inquit, *vt ſi vaſallus de feudo alium vaſallum habuerit, & vaſallus vaſalli, dominum domini ſui offenderit (niſi pro ſeruitio alterius domini ſui hoc fecerit, quem ſine fraude antea habuit) feudo priuetur, & ad dominum ſuum, a quo ipſe tenebat, reuertatur. Niſi requiſitus ab eo, paratus fuerit ſatisfacere maiori domino, quem offendit. Et niſi vaſallus, idemque dominus, a domino ſuo requiſitus, eum, qui maiorem dominum offendit, requiſierit, vt ſatisfaciat, feudum amittat.* (Sp.)

360 Inter vaſallos vnius forte patroni
Quæſtio(1) de feudo quoties agitatur eodem,
Quo feudi domino(2) gaudent, hoc iudice certent.
Si tibi pro feudo, quod te tribuente fatetur(3)
Acceptum, tu vero negas, vaſallus agendam
635 Forte mouet litem, non tu, ſed Curia(4) iudex
Audiat, & certo determinet ordine cauſſam.

(1) Lis, controuerſia. Quamuis *Bartolus* cum quæſtionis verbum in lege reperitur, poſt litem conteſtatam ſolummodo accipi ſenſerit: quod improbatum eſt. Nam quod in lite eſt, id etiam de quæſtionis verbo dicendum eſt. Proprie autem etiam ante iudicium acceptum litem eſſe *Paulus* Iuriſconſultus oſtendit: qui litem, actionem, ſiue in rem, ſiue in perſonam ſit, ſignificari ait. Nam & cum litem conteſtatam eſſe dicimus, verba indicant, quando adhuc conteſtata non erat, nihilominus litem fuiſſe. (Sp.)

(2) Patrono, Teutonice *Lehenherr*. (Sp.)

(3*) *Fatetur*, i. e. *ait, affirmat*, mox enim ſequitur; *tu vero negas*. Eadem ratione *confeſſoria* & *negatoria* actio inter ſe opponuntur*. (R.)

(4) Hoc eſt, vt feudiſtæ aiunt, *Pares Curiæ, Leben-Mann*. (Sp.)

Marchia, ſeu Comitis poſſeſſio, ſiue Ducatus
Integra permaneant: feudalia cetera multis*
Participanda patent, domino dum quiſque fidele
640 Spondeat obſequium, iurandaque fœdera præſtet.
Sic tamen, vt dominos eiuſdem nomine plures
Vaſallus feudi non compellatur habere.

* Id eſt, non concedantur diuiſim. Quia ſunt feuda regalia & dignitatum, vt libro ſecundo diximus, primi gradus, qui intra certam conſiſtit nobilitatem: vſque adeo, vt ſi priuato concederetur Ducatus, is iam Nobilis & Dux eſſet, ſicut *Æneas Syluius* ſcribit de primo Principe Boemiæ, qui fuit arator. Poteſt autem quilibet Rex, vel Monarcha in ſuo regno Duces creare, Marchiones, & comites, eiſque tales dignitates infeudare, vt tradit *Aluarotus* in cap. 1. *Quis ſit dux*, tum aliis locis. *Baldus* in cap. 1 *de feud. Marchiæ*, dicit, quod Papa vſurpat conceſſionem talium dignitatum in quantum poſſit, quod ſequuntur præcipui feudalium iurium enarratores. Contrarium docentes, Papæ blandiuntur dixit *Zaſius*. Sed Imperator Germanorumque proceres tales minime agnoſcunt. *Fridericus* tertius, vt ab auunculo noſtro accepimus, Rom. Pontifici, qui ſe inconſulto Marchionem Eſtenſem Ferrariæ Ducem appellauerat, reſpondit: *Iam tam ſibi licere Epiſcopos ſacrare, quam ſedi Apoſtolicæ Duces creare*. (Sp.)

Præterea quotiens feudali iure recepto(1),
Vaſallus domino fidei iuramina(2) præſtat(3),
645 Excipiendus erit Romanus nomine(4), Princeps.
Omnibus his leges voluit ſubnectere pacis.

(1) Ambiguus eſt horum ſenſus. Nam vel hoc dicit Guntherus, communi & vſitato iure feudali: vel, inueſtitura accepta. Quod verius puto. (R.) p. 169

(2) Iuramentum fidelitatis ita vocat. (R.)

(3) Sacramenti præſtandi forma traditur diffuſe in cap. primo *de no. for. fid.* quod ſacramentum in ſumma hæc continet: Nempe vaſallus iurabit, quod nec conſilio, auxiliove adeſſe ſciens velit tractatui, quo domino vel vitæ, vel membri damnum afferatur, in vllamque læſionem, vel iniuriam incidat, aut honorem, quem habet, vel habiturus ſit, perdat. Quinimo ſi ſcierit, audierit, cognorit vllos talia moliri, impediet ſi poſſit: aut dominum commonebit, renuntians ei. Præterea domino, iuſtis ex cauſis offendere volenti, ſuppetias feret, auxilio aderit & conſilio. Item res domini amiſſas pro viribus recuperare perget. Secreta non pandet, & nihil eorum vel faciet, vel procurabit, quæ ad dominum, aut ad ſuorum iniuriam reſpiciant aut contumeliam. Poteſt & vaſallus generale præſtare iuramentum. Videlicet, quod domino in omni fidelis erit, ſicut debet vaſallus

ſallus domino: nec commiſſa reuelabit, vt habetur in cap. 1 *qual. iur. vaſ. deb.* Et hoc iuramentum ſufficeret. Sed propter ſimplices, qui non niſi per indiuidua ducuntur, prædictæ formulæ prolixiores inuentæ ſunt, vt dicit text. in cap. primo ſupra citato *de no. for. fidel.* Ex huiuſmodi autem iuramenti capitulis & nexibus, non eſt alienum ſentire, quod indicant quandam velut vmbram ſeruitutis. Vnde cum Papa a Comitibus, vel Imperator ab eccleſiis feuda accipiunt, ſunt nreſpectu feudorum inferiores dominis, a quibus inueſtiuntur: licet abſolute ſint ſupremi, & quaſi, vt aiunt, dii temporales. Præſtabunt autem iuramenta homagii, & ſeruient per ſubſtitutam perſonam. Hodie vaſallus in Germania noſtra iurat domini vtilitatem proferre, & propellere incommoda, parereque cum paribus in iure dicundo. (Sp.)

(4) Id eſt, nominatim, διαῤῥήδην, ὀνομαστί. (R.)

Id eſt, nominatim. Quamuis ipſo facto, vt ſupra relatum eſt, exceptus intelligatur in omni iuramento, etiamſi non nominetur. Sed & ſi quem antiquiorem dominum haberet, excipiet. Generaliter autem contra omnes iurabit, etiam contra patrem, filium, & fratrem, vt cautum eſt placitis feudalibus. (Sp.)

(1)*Cæſar, vt extremo poſitis in fine loquendi*
Vocibus, admonitas penetrarent altius aures,
Omnibus in noſtro, quod toti præminet orbi
650 *Gentibus & populis edicta potentia*(2) *regno*
Tradimus: vt cuncti bellorum clade remota,
Tempore iam noſtro pacis ſeruare quietem
Incipiant homines: pœnaſque nocentibus vltro
Addimus, & iuſtam legum proponimus iram.
655 *Hanc proceres cuncti, Comes, an*(3)*Dux, Marchio, Conſul,*
Et cum Iudicibus, capitanea turba(4), *verendis,*
Miles, paganus(5), *ciuis, ſimul atque colonus,*
Et cum plebeio pariter grege, nobilis ordo,
Omnes hanc, inquam, penitus, quoſcumque nec(6) *ætas*
660 *Pupillaris habet, nec ſeptuageſimus annus*
Contigit, in medium concordi fœdere iurent.

(1) Quæ de pace obſeruanda ſequuntur, *Fridericus* ſingulari ſanctione prodidit, ſicut & feudales leges conſtitutione ſingulari concluſit. Habes & huius de pace exemplum apud *Radeuicum* cap. proxime citato. (Sp.)

Conſtitutio *Friderici*, id eſt, de pace tenenda a ſubditis, hic elegantiſſimis verſibus deſcribitur: quibus & *Hotomanus* optimus talium rerum æſtimator, hoc elogium tribuit, vt vocet verſus in hoc genere ſingulares, in Comment. Feud. pag. 517. (R.) p. 169

(2) Hoc eſt, vt ipſe Imperator dixit, *edictalem legem* perpetuo valituram. (Sp.)

L. *patentia.* (B.)

(3) Pflugius, *ac* Dux R. (B.)

(4) Feudiſtæ colligunt *Capitaneos* nominari tripliciter. *Primo* pro Capitaneis regni. *Secundo* pro Valuaſoribus maioribus. *Tertio* pro Valuaſoribus minoribus: de quibus libro ſecundo ſatis dictum eſt. (Sp.)

(5) Pro eo, qui non militat, accipiendum eſt, more Iuriſconſultorum. Eccleſiaſticis autem ſunt, qui Chriſti pietatem non colunt. (Sp.)

(6) Ita reſtitui, vbi vulgo legebatur vtrobique, *non.* Quod miror etiam CL. *Hotomanum* retinuiſſe dicto loco, vbi hunc locum deſcripſit. (R.) p. 169

Ac ne forte ſacræ veniant obliuia pacis,
Singula iuratam renouent quinquennia formam.
(1)*Iudicis officio ſua cuncti iura ſequantur,*
665 *Contineantque manum, vaginæ redditus enſis*
Torpeat, & ſcabie rubeat(2), *non ſanguine ferrum.*
(3)*At ſi quid temere contemptis legibus actum,*
Et violata ſacræ fuerit reuerentia pacis,
Vrbs centum libris puri mulctabitur auri:
670 *Oppida vicenis: at Marchio, ſeu Comes, aut Dux*
Quinquagena dabit læſa pro pace talenta
Magnates bis dena viri, bis ſena minores(4).
Vulnera, vis, cædes, liuor, mutilatio membri,
Inſidiæ; fraudes, iniuria, furta, rapinæ,
675 *Damnaque legitimis mulctentur ſubdita pœnis.*
Maior(5), *qui pacis noxas punire recuſat,*

Conuictus iudex(6), fului bis quinque metalli
Appendet libras, damnumque resarciet omne
Legis ad arbitrium: minor atque pedaneus(7) in tres
680 *Condemnandus erit: cuius fortuna laborans(8)*
Non potis est auro pœnales soluere noxas,
Arctatum vinclis, grauioraque verbera passum,
Sedibus a patriis(9) hunc(10) quinquagesimus, annos
Amoueat per quinque, lapis, tandemque reuerti
685 *Fas sit, & optatos patriæ contingere fines.*

(1) Pro, *persequantur*. Est enim *persequi*, iudicis officium implorare, & officii iudicis imploratio verbo Iurisconsultorum dicitur. Hæc tamen persequutio sola æquitate suggerente conceditur: & ideo extraordinarium est iudicium. Hic autem generaliter accipiendum est. (Sp.)

(2) Elegantissime dictum: *Scabies* ferri est eius *rubigo* seu ferrugo. Sic *Silius Italicus* lib. 7.

multoque cruore
Exsatiate viri plenos rubiginis enses. (R.) p. 169

(3) Sanctio hæc est, ea nimirum legis pars, qua pœna transgressoribus irrogatur. (R.) p. 169

(4) Verissima est emendatio Clariss. *Hotomani* in Commentar. Feud. pag. 521, qua hic legit, *bis terna*. Nam *Radeuicus* diserte *sex* ponit. Augustana tamen editio etiam habet *bis sena*. (R.) p. 169 seq.

(5) Iudici *maiori* opponit eleganter *minorem* seu *pedaneum*, qui & *Iudex datus* dicitur, & vulgo *delegatus*: cui *ordinarium* opponunt. (R.) p. 170

(6) Subaudi, de non administrata iustitia, ac pace violata, non vindicata. Hic autem iudicis maioris appellatione complectitur omnem magistratum ab Imperatore, vel ab eo, qui eius defungitur potestate, constitutum: quales sunt magistratus rerumpublic. decuriones ciuitatum, locorum defensores. (Sp.)

(7) Scilicet, iudex, *minor*, quod negotia minora discernat. *Pedaneus* idem dictus, quod non vehatur curru, sed pedibus proficiscatur in forum. Vnde extat in tertio lib. Codicis Iustinianæi tit. *itidem tertio*, sanctio illa *Iuliani* Imperatoris: *Quædam sunt*, inquit, *negotia, in quibus superfluum est moderatorem expectare prouinciæ*: *ideoque* Pedaneos iudices, *qui negotia humiliora disceptent, constituendi damus præsidibus potestatem D. V kalend. Aug. Antiochiæ.* Mamertino & Neuita *Coss.* (Sp.)

(8) Est hoc in iure ciuili tralatitium, vt qui non habet in ære, luat in corpore, * pœnaque pecuniaria in coercitionem corporis conuertatur iis, qui egestate laborant. l. 1 § vlt. D. de pœn. l. 9 qui ædes D. de incend. ruin. naufrag. l. vlt. D. de in ius voc. l. 4 C. de seruis fugit*. Videlicet, ne delicta maneant impunita, & ne meliore sit conditione inops, quam diues. * Veruntamen vbi nullum versatur crimen, sed solum pecuniarium debitum, solet, qui soluendo non est, corpore luere, sed bonis cedere potest, quæ memorabilis obseruatio Fr. Balduini ad XII tabb. cap. 11*. Non dissimulo, quod in Augustana editione reperi, *laborat*. Quam lectionem si recipiamus, vt non contemnenda est, ὑποστιγμὴ ei verbo apponenda erit, & in sequenti versu pro, *non*, legendum, *nec*. (R.) p. 170

(9) Ne iterum locus hic, quem restituimus deprauetur, adscribam & ordinem verborum, & ipsius Imperatoris verba. Ordo est. Quinquagesimus lapis amoueat nunc per quinque annos a sedibus patriis. Imperator autem; *qui vero*, inquit, *ad prædictam pœnam persoluendam inopia dinoscitur laborare, corporis sui coercitionem cum verberibus patiatur, & procul ab eo loco, quem inhabitat, quinquaginta miliaria per quinquennium vitam agat.* (Sp.)

(10) Id est, milliarium. Nemo enim ignorat veteres lapidibus milliaria signasse, & ob id lapidem interdum pro milliario accipi. (Sp.)

Ne conuenticulum(1), vel conspiratio(2) fiat,
Siue sodalitii(3), seu iuncti sanguinis(4) astu(5)
Vrbibus in nostris, tali sub lege vetamus.
Qui conuictus erit, libra mulctabitur auri.
690 *Pontifices, sanctique patres anathemate(6) sacro*
Spretores pacis, damnataque legibus ausos
Intrepide feriant, humanaque iura supernis
Legibus(7), & iustum studeant sancire timorem(8).

(1) In Iustinian. Codice sub tit. *de Episc. & clericis*, Conuenticula genere neutro appellantur, & in cap. *cum ex iniuncto*, sub tit. *de hæreticis*, in lib. Decretal. Nec genere feminino enuntiandum est, vt plerumque fit, & *Perottus*, putauit. Accipitur autem fere hæc vox in malam partem. Vnde & huiuscemodi coitiones coniurationum metu a Principibus

cipibus Romanis vetitæ sunt, quas & apud *Isocratem* Nicocles vetuit. (Sp.)

(2) Coniuratio. Nam & conspirati, & coniurati, idem & vnum. (Sp.)

(3) Id est, collegii. Sodales enim sunt, qui eiusdem collegii sunt. Græci eiusmodi sodalitates ἑταιρείας vocant, quarum meminit *Plinius* Iunior in epistola quadam ad Traianum. (Sp.)

(4) Hoc est, parentelæ, quo verbo vtitur Ænobarbi sanctio, & *Capitolinus* in Gordiano. Sane parentes, vnde est dictio parentela, hodie vulgo intelliguntur eiusdem gentis, & inuicem quoquo modo coniuncti: quod & diuum *Hieronymum* non latuit, lib. aduersus Ruffinum secundo. (Sp.)

(5) Prætextu. (Sp.)

(6) Censura ecclesiastica. Proprie tamen anathemata dicuntur ea dona, quæ dicata diis suspenduntur in parietibus & columnis templi. Cuiusmodi nunc visuntur potissimum iuxta monumenta diuorum statuæ argenteæ, equi aurei, pocula gemmata. Vid. *Roterodamus* in Annotationib. in Nou. Test. (Sp.)

(7) Canonicas seu pontificias leges sentit. Ne de diuino iure intelligas. (Sp.)

(8) Iuxta vulgatum illud:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ. (Sp.)

Hactenus Italicas fieri consueta per vrbes,
695 *Angariisque*(1) *sacras etiam vexare frequenter*
Ausa domos plerumque suis exactio cesset:
Aut exacta duplo redhiberi plura iubemus(2).
Qui pacis iurare modum, formamque tenere
Improbus abnuerit, quæ possidet omnia vulgo
700 *Diripienda patent, euertendique penates*(3).
Qui violatorem pacis fouet, atque receptat(4),
Consensu culpæ, meruit consortia pœnæ(5).
Iuramenta metu(6), *mortisve* dolore coacta,*
Præcipue ne quis multis nocitura loquendo
705 *Publicet, aut in se crudeliter acta queratur,*
Nullius meriti, vel ponderis esse iubemus(7).

(1) In vulgari significatu, pro iis scilicet oneribus, ad quæ quis extra ordinem vel ferenda, vel præstanda adigitur. Dicuntur & *parangaria*. *Vegetius* libr. secundo *angarias* appellat omnia munera, quæ a militibus fiunt, etiam non vilia. Vt annotatum est ab *Erasmo* in Matthæum. *Suidas* indicat vocem esse Persicam. Idem *Budæus* obseruauit in posterioribus in Pandectas annotationibus. (Sp.)

(2) Hoc conuenienter Iuri ciuili sanxit *Fridericus*. vide l. 1 ff. de publican. & vectig. (R.) p. 170

(3) Domus euersio ac demolitio olim quoque apud Romanos aliquando vsurpata fuit coercendi caussa Senatoris, qui in Senatum venire recusasset. Id quod Ciceroni factum ab Antonio. Philippis. 2. Item eius, qui in militia ad edictum non respondisset, villa motu Iudicis diruebatur: vt apparet ex l. 20 si is, cum quo. ff. Commun. diuid. vide *Fr. Duarenum* 1 Disputat. cap. 4, a quo in lectione d. l. 20 dissentit doctissimus *Giphanius* in Tractatu suo de Iudiciis. Nam cum *Duarenus dilectum* pro *edictum* ibi legi velit, *Giphanius* vulgatam scripturam tuetur. * De eadem pœna euersionis domus vid. etiam apud de *Vineis* lib. 5 ep. 8 rescriptum *Friderici II**. Hinc mos etiam hodie in Italica receptus manasse videtur, vt Bannitorum seu proscriptorum ædes solo æquentur, & ad pias caussas conuertantur. (R.) p. 170

(4*) Qui communicat ex communicato & proscripto, is pœna receptatorum tenetur, vt docet *Gailius* lib. 2 *de Pace publica* cap. 15. Rationem reddit eleganter *Paulus* lib. 5 sent. tit. 4. Sublatis enim susceptoribus, grassantium cupido conquiescit. Multa de receptatoribus, eorumque pœnis vide ap. *Menochium* de arbitrar. iudic. quæstionibus*. (R.)

(5*) Exprimit eleganter illud vulgatum; *Faciens & consentiens eadem pœna digni sunt.* Quo & *Paulus* allusit in ep. ad Roman. c. 2*. (R.)

(6) Vide Authent. Sacramenta puberum. Cod. si aduers. cuius pars secunda his versibus exprimitur. (R.) p. 170

(7) Iuxta generalem doctrinam: *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum.* Item, *quæ contra ius fiunt, debent vtique pro infectis haberi.* (Sp.)

* Ita tamen, vt a iureiurando tali peti debeat absolutio. vide notas D. *Gothofredi* ad d. authentic*. (R.)

ARGVMENTVM LIBRI NONI.

Ære Placentinus(a) Cremonenſes damnat: & inde
Caſar Sardiniæ fines, Ianuamque tenebat.
Ille Friſingus Otho *moritur, mox Papa ſuperbit.*
Deficiunt Ligures, veniunt legata, Ligurque(b)
Victus erat, Papa ſua priſtina iura reponens.
Pugnaque conſeritur, cum magna clade ſuorum
Depopulatur agros, & cingitur obſidione
Ligur, & ingentem capiunt ſua mœnia(c) cladem:
Cumque fame iam peſtis adeſt, & crimine magno
Inſidiæ Regi, Ligurum de more(d) ſtruuntur.

(a) Ita reſtituendum puto, cum vulgo perperam legatur. *Placentinus Cremonenſes.* Hiſtoriam ipſam vide, & facile mihi aſſentieris. Notandum hic, quod ſecundam ſyllabam in *Cremonenſis* corripit, quæ alias longa eſt apud ipſum quoque *Guntherum.* (R.)

(b) Verſus acephalos. Nam *Ligur* & *Ligurinus* primam breuem habet. (R.)

(c) In, *ſua mœnia*, animaduertendus eſt vſus reciproci, qualis etiam alibi a me in *Gunthero* notabitur. (R.)

(d) Sæpius ſcilicet periurorum. vt ait infra v. 210. (R.)

LIBER IX

INter cauſſantis(1) creberrima iurgia turbæ,
Et querelas variis ex vrbibus vndique lites,
Magna Placentinos, & pulchræ rixa Cremonæ
Vexabat ciues, & adhuc vetus illa ſimultas
5 *Spirabat(2), ſtimuliſque viros agitabat acerbis.*
Nam licet has iunctis connexas finibus vrbes
Gurgite vix medio dirimat Padus, illa(3) Papiæ,
Hæc vrbi Ligurum, concordi fœdere iuncta,
Hactenus alternas ſtudiis hoſtilibus iras,
10 *Atque graues odii ſtimulos agitare ſolebant.*
Sed tunc antiquis acceſſerat hæc quoque cauſſis.
Nam dum Roncalias peteret Fridericus, *eumque*
Signa Cremonenſis ſequerentur bellica turmæ,
Emiſit tumidos inimica licentia(4) ciues(5),
15 *Irritanſque viros, quaſi per colludia quædam(6),*
Inſtituit verum collato milite bellum.
Nec ſine cæde quidem, nec prorſus ſanguinis expers
Pugna fuit, ſed vtraque viris ex parte peremptis
Præbuit alterno caſus ſolatia damno(7).
20 *Ergo Cremonenſes cauſſa meliore(8), ſimulque*
Ingenuis freti facundi laudibus oris,
Arcibus inuidiam ſtimulis & principis iram,
Quippe nec illicitos ſatis excuſantibus auſus
Hoſtibus, accumulant: donec vix denique multo
25 *Ære dato, talique reis(9) eſt reddita pacto*
Gratia, deiectis vt tota turribus vrbe,
Mæſta ruinoſis lacerarent mœnia muris.
Quaſque metu Regis cœpiſſent ducere, rurſus
Ingeſto patulas implerent aggere foſſas(10).

(1) Apte verbo forenſi vtitur. *Cauſſari* enim eſt cauſam rei geſtæ afferre, ſiue excuſationem. (Sp.)

(2) Sic ſupra lib. 8 verſ. 70 furor & diſcordia *Inter vicinas ſemper ſpirauerat vrbes.* (R.) p. 171.

(3) Primum obſerua ellipſin τῦ *tamen,* quod reſpondeat τῷ *licet.* Deinde cum alias regulare

regulare sit, vt *ille, illa, illud* referatur ad præcedens verbum remotius; *hic, hæc, hoc* ad proximius: ea regula hic insuper habetur a *Gunthero*, vt alias quoque. Sic *Sallustius* in Fragm. Histor. *Igitur quoniam tibi victori de bello atque pace agitandum est*, hoc *vti ciuiliter deponas*, illa *vt quam iustissima & diuturna* sit, &c. Similia exempla obseruauit *Budæus*. De Placentinorum iniuriis vide & inf. v. 250. (R.) p. 171

Illa, scilicet, Cremona. (Sp.)

Hac, scilicet, Placentia. (Sp.)

(4) Intellige, Placentinorum. (Sp.)

(5) Placentinos scilicet. (R.)

(6) Hoc est, per speciem singularis, siue leuis certaminis, seu pugnæ, vt vulgo aiunt, torneamentalis. Idem indicat *Radeuicus*. (Sp.)

Opponit vero bello seu prœlio. Intelligit itaque ludicra certamina seu pugnæ simulacra: qualis est ludus hastilium, seu Troianus. At Impp. *colludium* vocant, quam Iurisconsulti vsitatius *collusionem*: vt in tit. De collus. detegenda. *Solinus* cap. 12, vbi de delphino & puero amasiis, *assueta colludia* dixit consuetudinem simul ludendi. Sunt igitur tres distinctæ huius verbi significationes. (R.) p. 171

(7) Sententiose dictum. Alludit enim ad humani ingenii ἦθος, quo putantur damna & calamitates cuiusque fieri participatione & societate aliorum leuiores. Vnde & illud: *Non tu solus*, in consolationibus adhiberi solitum. Quamquam reuera misera sit consolatio, quæ a societate mali petitur. Quid enim iuuat furem, si & alius iuxta cum ipso in patibulum agatur? Alludit eodem & *Symmachus* lib. 8 ep. 27, cum ait. *Et illa quidem aduersa, quæ cum pluribus pertulisti, more humani ingenii habent aliquod de societate solatium.* Et *Chrysostomus* inquit in 1 ad Timoth. homil. 10; παραμυθίαν φέρει τὸ κοινωνὸς εἶναι τῶν συμφορῶν. Quod tamen & illic & alibi docet, non per omnia nec in omnibus casibus verum esse. (R.) p. 171 seq.

(8) Nam *caussa iubet superos melior sperare secundos*. (R.) p. 172

(9) Placentinis. (Sp.)

(10) Signate dicit. Nam *fossa* proprie est receptaculum aquæ manufactum. (Sp.)

30 *Hactenus Italicis pulchro satis ordine rebus*
Dispositis, ad quæque volens extendere Cæsar
Vlteriora(1) *manum, Tyrrheno gurgite*(2) *clausos*
Sardiniæ fines(3), *& Corsica rura*(4) *potenter*(5)
Conciliare suis parat, atque adsciscere regnis.
35 *Atque ideo geminos proceres præmittere, quorum*
Hic Comes(6), *hic Præsul*(7): *suspectaque pectora gentis*
Pacem, an bella velint, cogendi, an sponte sequantur,
Attentare libet, securos Ianua(8) *missis*
Altaque Pisa viris aditus præstare iubentur.
40 *Vtraque Tyrrhenas longe metuenda per vndas,*
Vtraque famosis late vulgata triumphis.
Quid tamen inciderit, cur hæc legatio finem
Non fuerit sortita suum, perpendere nobis
Inde licet: quod ab his regionibus vtraque sedes(9)
45 *Plurima ferre solet dominatu commoda longo*(10).
Vnde satis liquide mandata negotia regni
Præpediisse queunt occulta fraude(11) *videri.*
Sed neque tuta dolo versutæ Ianua plebis,
Nec sale Tyrrheno, nec quos natura locorum
50 *Vix aditu stricto, multoque labore petendos*
Opposuit montes, irati Principis acres
Eualuit vitare minas, veniaque petita,
Vix pretio fraudem marcarum mille(12) *redemit.*
Hoc tamen adiecto, ne claudere pergeret vrbem(13),
55 *Iussus ab incepto populus desistere muro*(14).

(1) Augustana editio, *Anteriora*. Quæ lectio non est repudianda. Hoc autem est, quod ait *Paulus*: τοῖς ἔμπροσθεν ἐπεκτεινόμενος: Et quod diui *Caroli V.* symbolo innuitur: *Plus vltra*. (R.) p. 172

Nihil mutandum. (B.)

(2) Nota sunt, quæ scribit *Seruius* super hoc Poetæ in 1 Æneid.

Tyrrhenum nauigat æquor. (Sp.)

(3) Hos *Ptolemæus* lib. tertio describit. *Diodorus* parem facit Siciliæ magnitudine. Eadem *Sandalietes*, & *Ichnusa* est nuncupata. Lege *Solinum*, & vide *Martianum Capellam* lib. sexto, & *Silium* libro 12. Insula tota cæli grauitate infamatur. *Pausanias* dicit, teste *Volaterrano*, eam serpentes herbasque habere innocuas: præter herbam quandam similem Lappæ, quam edentes ridendo pereunt. Ex quo prouerbium in sanitate desperata: *Sardonius risus*, quod latissime explicat *Roterodamus*. (Sp.)

Et

(4) Et Tyrrheni maris insula est *Corsica*, durante etiamnum nomine, notissima vino præstante, quod Romam exportatur. *Cyrnos* græce nuncupabatur olim, vt ait *Dionysius*: quod montibus tanquam capitum verticibus abundet. Græci enim κάρας, vt tradit *Pollux*, tempora, id est, partem capitis nominant. *Corsica, Strabone* autore, maligne colitur, asperaque & inaccessibilis est, adeo, vt qui eius montes habitant, ex latrociniis vitam degant, immanitateque belluas ipsas superent. (Sp.)

(5) Virtute bellica. (Sp.)

(6) *Emicho*, ni fallor, de *Linigen*. Hunc reperio adcitum testem subscripsisse instrumento literarum, quo Ænobarbus, recens Cæsar appellatus, ratum habuit, ædem in Selestadio a maioribus suis, adinstar, vt annalium verbis vtar, Dominici sepulchri factam, dicatamque diuæ Fidei, in Concha Ruthenen. diœc. in Archiepiscopatu Bituricensi in Ducatu Aquitaniæ, MCLII, Indict. prima 6 kalend. Febr. in Hohenburg. (Sp.)

(7) *Chunradus* Eistetensis. (Sp.)

Fortassis iidem, qui supra mittebantur, *Otho* Com. Pal. & *Reinaldus*. (R.) p. 172

(8) *Genua*, vt supra. (Sp.)

(9) Et *Genua* scilicet, & *Pisa*. Pro vrbe enim hic vsurpauit sedem: vt *Virgilius* pro habitatione perpetua: *Nec vero hæ sine sorte datæ, sine iudice sedes*. Et Iurisconsultus; Eam domum vnicuique debere existimari, vbi quisque sedes & tabulas haberet, suarumque rerum constitutionem fecisset. Vnde *possessio* non a *pedibus*, vt vulgo legitur in l. 1. *de acquirend. possess.* sed a dictione *pos*, vnde fit impos & compos, & potis, itemque a *sedibus* dicta est. Hinc *capere sedes*, *mutare sedes*, *occupare sedes*, & similia apud veteres exempla. Ille ergo possidet, qui *sedere*, id est, sedem ponere potis est, a sessitando. Galli etiamnum vulgo continuare possessionem, *sessire* vocant, vt ait *Alciatus*. (Sp.)

(10) Verum hoc esse cognosces, vbi legeris *Volaterranum* in descriptione Liguriæ lib. 4, & in rebus Pisanorum lib. 5. Item *Iac. Barcellum* Historicum Genuensem lib. primo Hispanici belli. (Sp.)

(11) Callido ingenio, quod peculiare est Italis. Grammatici quidam fraudem in verbis, dolum in faciendo consistere crediderunt. Verum iurisconsulti tradidere, quod dolus fiat alterius circumueniendi caussa: fraus autem proprie dicatur etiam si decipiendi consilium non adfuerit: sed is, qui deceptus est, a seipso, vel ex euentu fraudatus est: vnde quatenus alter circumuentus sit, fraus dolo inest. (Sp.)

(12) Argenti. (Sp.)

(13) Notandum est hoc genus pœnæ, qua vrbis clausura alicui populo interdicitur. Exempla eius ex historiis plura colligi possunt. Similis est pœna, qua ciuitas cogitur vel turrium cacumina & apices deponere, vel mœnia eorumue partem destruere, (vt sup. de Placentinis retulit) vel certi generis aut coloris cera in sigillando vti. (R.) p. 172

(14) Quod murum sicut nec vrbem vlli populo licitum est constituere, nisi ex Principis autoritate. Quod in his gentibus non procedit, quæ liberæ sunt, & vacantia occupant. Illæ enim iure gentium reguntur, quo iure Romani Imperatores non præcellunt. Appellantur autem ideo muri sancti, quod in eis sine Principis vel Præsidis autoritate aliquid committi non potest. Quod tamen de muro proprie accipiendum est, hoc est, publico, qui vrbem munit & mœnia continet. Improprie namque accipitur de priuato ædificio, quod paries dicitur, vt apud *Corn. Tacitum* lib. 15. (Sp.)

Cœperat æstiuis succedere torpida(1) castris
Conuerso iam bruma gradu, placuitque potenti,
Multimodoque Duci(2), terræ melioris opima(3),
Intactosque prius diducto milite passim
60 *Et late sparsis fines insidere castris.*
Nec mora, frugiferis opulentam finibus Albam(4)
Occupat, hibernis satis hospita mœnia castris.
Hic quanto poterat Princeps terrenus honore
Proxima siderei coluit natalia Regis.
65 *Inde per Etruscas(5) legatos destinat vrbes,*
Campanasque domos(6), & quas in littore curuo(7)
Æquorei lauat vnda salis: qui debita fisco
Iura vetusta petant(8), per quos statuantur in omni
Vrbe magistratus, & ciuica quæque potestas(9).

(1) Ab effectu: quod hiems frigore torpeat. Autumnum vero respiciens ad Italiæ situm æstiuo tempori inclusit. Bruma pars est hiemis, cum dies sunt breuissimi. (Sp.)

(2) Exprimit verbum πολύτροπος: quod epithethon Vlyssi attribuit *Homerus* vt initio Odyss. ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα πολύτροπον. Et Odyss. κ. ἦ σύ γ' Ὀδυσσεύς ἐσσὶ πολύτροπος. *Eustatius* exponit: ἐντρεχῆ, ποικίλον, πολύμητιν, πολύβουλον, πολύνουν, πολύστροφον, τρεπόμενον εἰς πολλὰς ὁδοὺς βουλευμάτων: hoc est: *Qui animum nunc huc celerem, nunc diuidit illuc, In partesque rapit varias, perque omnia versat*: vt ait *Virgilius* Æn. 8. Alibi *Homerus* eund. vocat πολυμήχανον. (R.) p. 172

(4) Hoc

(3) Hoc est, in loca fertiliora, vtpote nondum bello tacta, quæ possint abunde suppeditare militi victum. (Sp.)

(4) Scilicet Pompeii. Sunt enim & alibi cognomines. Hæc autem est ciuitas vetusta in regione subalpina, in ripa fluminis Tanari. (Sp.)

(5) Per totam Etruriam amœnam, ac iuxta opulentam regionem, de qua vide *Volaterranum* mox ab initio libri Geograph. quinti. (Sp.)

(6) Quæ a Sarno ad Litim clarissimum amnem interfluo Vulturno patent. *Omnium*, inquit, *Florus* lib. primo, *non modo Italia, sed toto orbe terrarum pulcherrima Campania plaga est*, & quæ sequuntur, sumpta ex cap. 5 tertii *Plinii*. Campaniæ laudes eleganter cecinit *Silius* lib. 8. Prosequantur item *Solinus, Strabo, Eutropius. Cicero* de lege Agraria: *Campani semper superbi bonitate agrorum, & magnitudine fructuum, salubritate aeris & pulchritudine regionis.* (Sp.)

(7) Signat vrbes illas maritimas, itemque nobiles portus, de quibus vide *Volaterranum* lib. 6 & *Pontanum* itidem lib. 6 belli Neapolitani. (Sp.)

(8) Quæ solo *fodri* nomine *Radeuicus* complexus est his verbis: *Proximumque natalem domini apud Albam ciuitatem celebrans, nuntios pro colligendo* fodro *per totam Tusciam & maritima, atque Campaniam direxit.* Vnde apparet Italis *fodrum* appellatas esse omnes illas exactiones, quæ ad commeatus præstandos spectabant. Non ignoro hanc quoque vocem in vetustis Francorum Germanorum legibus, quarum codex, apud nos in diuæ Fidei templo extat, vsurpatam esse, sed pro pabulo tantum equorum: ex quo libuit in gratiam cultorum venerandæ vetustatis, quæ sequuntur adscribere verba: LOTHARIVS *Imp. &* CAROLVS *Rex in palatio Valentianis* cap. 13. *Vt missi in illorum missatias curam habeant, ne homines nostri, aut alii quilibet, vicinos suos maiores vel minores, tempore æstatis, quando ad herbam suos caballos mittunt, vel tempore hiemis, quando Marescalcos illorum ad* fodrum *dirigunt, deprædentur aut opprimant. Et an sic egerint hoc etiam, vt prædiximus, veraciter, missi nostri inuestigent, & nobis renuntient: vt in seniore hoc sic emendemus, quatenus homines suos in potestate habeant, & contenti sint debitis, & indebita iniuste non appetant.* (Sp.)

(9) Ita hodieque vulgari lingua Italica, vocantur, qui olim *Defensores ciuitatum*. (R.) p. 172

70 *Præterea reditus*(1), *cunctis de finibus illis,*
Quos famosa prius possederat illa Mathildis(2),
Pluribus inuasos, Rex in sua iura retraxit.
Inde recollectos, & tanquam corpus in vnum
Partibus ex multis quadam grauitate reductos,
75 *Nescio quid prisci se iuris habere volenti,*
Ac velut heredi cumulato munere Princeps
Concessit Catulo(3), *qui Regis auunculus*(4), *illo*
Tempore Dux validus felicia castra nepotis(5)
Milite non pauco, mentisque vigore(6) *iuuabat.*
80 *Hunc ex Romano* Catulorum(7) *sanguine clarum,*
Et genus, & nomen(8) (*nisi fallit fama*) *trahentem,*
Teutonicus verso Welfonem(9) *nomine sermo*
Dixerat, ambiguæ deceptus imagine vocis.

(1) Id est, prouentus, obuentiones, *einkommung*. Et in hac significatione per simplex delta scribi debet. Est autem nomen generale, sicuti prouentus, seu conuentiones. Comprehendit autem omnia iura seu vtilitates, quæ percipi possunt. Quam significationem etiam *frugem habere* aliqui dixerunt. Contra *Iulianus*, qui *fruges* esse, quibus homo vescatur, censuit: præter carnes & poma: quæ sententia verior est, atque ita vsus obtinet. (Sp.)

(2) Huius inclitæ feminæ genus fuit e gente veterum Marchionum Saxoniæ: texuit id *Cranzius* cap. 13 lib. rerum Saxonic. 5, a scriptoribus Italicis intactum, tametsi ipsam summa vehant laude. Eam pater *Egbertus*, vt idem tradit, cuidam *Bonifacio* Comiti in Lumbardia virginem elocauit: quod & verius esse puto. Quamuis aliter Itali referunt: quod scilicet *Beatrix, Henrici* secundi, qui nobis tertius est, soror, *Bonifacio* viro Lucensi potenti nupserit, cuius heres *Mathildis* filia simul cum *Gotfrido* coniuge Lucam, Parmam, Regium Lepidi, Mantuam, & quod nunc vocant Patrimonium possedit. *Merula* ipsam generosissimam Reginam nominat: quod in Æmylia, Flaminia & Etruria late imperauerit, regnumque & opes suas, cum nullam haberet sobolem, testamento ad Romanum Pontificem, velut æternum Petri patrimonium peruenisse, vt & omnes fere testantur, scribit: sicut in nostra vsque tempora pars illa Etruriæ nomen *Patrimonii* seruat. Nec cui mirum videri debet, feminam tam potentem *Henrici* Aug. quarti conatibus se obiecisse, in gratiam Roman. Pontificum, quorum vnicum erat ea tempestate profugium: quum & pater, & frater cognominis patri in Germaniis subinde res Augusti perturbare tentauerint. Inuenio *Mathildim* primum graui prœlio in Parmensi agro, ab *Henrici* Aug. filio, quem pater cum exercitu miserat

miserat in Italiam, vt eam præsidio obtineret, esse superatam. Deinde cum pater Aug. in Italiam descendens Mantuam, Ferrariamque Mathildis recepisset, tanta eam indole fuisse, vt *Henrico* ausa sit se opponere, prœlioque cum eo congressam, acie superatum Italia deiecisse. (Sp.)

(3) Hoc est, *VVelfoni*, vt mox ipse Poeta indicat. Fuit autem hi. *VVelfo Henrici*, Ducis Bauariæ & Saxoniæ, cognomento *Superbi*, de quo supra, frater, &c, vt indicat *Auentinus*, Dux Spoleti, Tusciæ Marchio, & Sardiniæ Princeps. Vnde dicit, *Dux validus*, vel quod rerum fortasse cum fratre potiebatur: quum annales referant, sicut & ex hoc loco colligitur aperte, Ducatum Spoletinum, Marchiam Tuscanam, Principatum Sardiniæ, cum relictis a *Mathilde* ditionibus ab Ænobarbo nostro in beneficium (*zum Leben*) acceperit, transigente inter prædictum fratrem eius, & *Henricum* Austriæ Ducem. Hunc *VVelfonem* ait autor annalium Vrspergensium se vidisse, atque eius nominis sextum supremumque fuisse. (Sp.)

(4) Huius enim *VVelfonis* soror, *Iuditha*, mater fuit Ænobarbi nostri. Lege in Chronico *Vrspergensis* annos Lotharii Saxonis, & *Nauclerum* in fine generationis 34, & vide elenchum *Auentini*. (Sp.)

(5) Hoc est, filii sororis suæ. Vulgo *nepos ex sorore* vocatur. (R.) p. 172

(6) Hoc est, consilio, in quod asciscendi sunt, vt admonet adagium, mediocris ætatis viri: propterea, quod in his nonnihil detrito virium vigore, valet tamen vsu rerum aucta prudentia. (Sp.)

(7) *Luctatiorum* appellata nominibus Duorum *Catulorum* virtus enituit: præcipue alterius in primo bello Punico: alterius in Cimbrorum cæde. Fuit & alius *Catulus* sororis Catilinæ vir, Eq. Rom. iussu Syllæ interfectus a Catilina. (Sp.)

(8) *Vrspergens.* Chronic. de gente Welfonum loquens: *Creduntur*, inquit, *viri illi incliti fuisse de gentibus illis, quæ sub* Valentiniano *Imperatore de Scythia erumpentes, diuersas partes Germaniæ occupauerunt. Nauclerus*, qui Sueuiæ suæ, hoc est, vt vulgariter dicam, modernæ *VVelfonum* familiam vendicat, sequitur eos, qui illos in hanc prouinciam aiunt venisse cum reliquiis Troianorum a Sicambria (illa scilicet, quam Bürckheymerus ex meris nugis vere dixit constructam) & post multa sæcula sub diuo *Carolo*, quendam ex maioribus huius generis duxisse ferunt vxorem, senatoris Romani filiam: ex qua genuit filium, quem *Catilinam* vocabant, ab auo materno eiusdem nominis, quod iuxta linguam Teutonicam *Welff* dicitur. Ego indigenas arbitror fuisse. Ab Italis autem *Catuli* nomen inditum ei, qui apud eos inclaruit: quemadmodum Comites *Titiones* hodie appellantur, quorum origo est e clara etiamnum familia apud nos a *Brandis*. (Sp.)

(9) Augustana editio, *Guelphonem*. (R.)

Inter successus letos, & prospera rerum
85 *Magna repentino Regem iactura dolore*
Perculit, & placidæ turbauit gaudia mentis.
Nam procerum multi(1), *seu qui sub Principe claro*
Castra sequebantur, seu qui sub pace quieta
Teutonicas vrbes, natalia que arua tenebant,
90 *Extremum clausere diem: quo tempore Præsul*
Ille Frisingus Otho(2), *maioris caussa doloris*
Extitit, ingenuo comperta morte nepoti.
Hic patruus Regis, studiis in vtrisque peritus(3),
Regia signa sequi semper consueuerat(4): *at nunc*
95 *Credo equidem, reuocante Deo, languore grauatus*
Manserat, vt medius fratrum(5), *clerique gementis*(6)
Inter luctificos psalmis modulantibus hymnos,
Non in castrorum strepitu, ferrique fragore
Expirare(7) *sacram diuini muneris*(8) *auram*
100 *Posset, & æthereo tandem sua reddere Regi*(9).

(1) Scilicet, *Fridericus* Archiepiscopus Coloniensis, vir nobilis & literatus: quique mansuetudine ac benignitate sua longe lateque multorum in se prouocarat affectum: cuius viscera apud Papiam posita, ossa vero ad ciuitatem Coloniensem deportata sunt. *Anselmus* Rauennæ Metropolitanus, qui multis diebus in Imperii obsequiis, & fidelitate probatus fuerat, vir prudens & literatus, ante Mediolanum defunctus est. Herbipolensis quoque Antistes *Gebhardus*, reuisendæ patriæ amore illectus, dum benigne ab Augusto dimitteretur, paulo post septimum diem reditus sui ad ciuitatem suam, morbo correptus obiit: exemplo suo docens, quod longas manus mortis nec terra securior, nec conuictus delicatior faciet declinare. Tunc etiam *Chunradus* Croatiæ atque Dalmatiæ Dux, natione Noricus de castro Dachovva oriundus, apud Bergomum finem viuendi fecit: eiusque corpus in terram suam deportatum, in monasterio *Schiren* sepultum est. Cuius liberalitas, & in multis probata periculis animi magnitudo meruit, vt subtractus ex hac luce, memoria illius longo tempore apud posteros non deleatur. Multos

tot præterea nobiles atque strenuos viros eodem tempore diem clausisse extremum, *Radeuicus* autor est, cap. 14 lib. rerum Ænobarb. quarti. (Sp.)

(1) Quoniam *Ioannes Trithemius* in referendo inter scriptores suos ecclesiasticos *Othone* mire dormitauit, libuit nonnulla & de genere eius, quod illi contigit secundum carnem nobilissimum, & de vitæ eius conuersatione, quæ illi sancta tribuitur, obiter perstringere, fide dignos secutus autores, etiam hic locus expostulare videtur. Igitur *Otho* Cæss. Augg. *Henricorum* quarti nepos, quinti sororius, *Chunradi* Aug. cuius lib. primo meminimus, frater vterinus, Ænobarbique nostri patruus, natus est ex clarissimo tum regni Principe *Leupoldo* Marchione Austriæ, qui & Orientalis nominabatur, & post mortem Sancti nomen tulit, ac *Agnete*, filia Henrici quarti, quæ eidem *Leupoldo*, priore marito, scilicet auo Ænobarbi, *Friderico* Sueuiæ & Franciæ Germanicæ Duce vita functo, nupserat, adsentiente eius, vt refert *Peutingerus*, fratre *Henrico V* Aug. Habuit authem *Otho* fratres germanos, *Chunradum* Patauiensem Episcopum, *Leupoldum* Ducem Boioariæ, & *Henricum* Ducem Austriæ: quo cum tandem ex diutina discordia in gratiam rediit, autore Ænobarbo, vt supra libro sexto memoratum est. Sorores, *Gertrudem* Ducissam Boemiæ, *Bertham* Ducissam Polonorum *Itham* Marchionissam Montisferratensem. Huius *Volaterranus*, de *Guilhelmo*, eius nominis tertio, Montisferrati Principe inclito, cuius fecimus mentionem libro secundo loquens, sic meminit: *Ex Iuditha sancti* Leupoldi *Austriæ Marchionis, quatuor mares suscepit.* Fuit autem *Otho* in diuinis scripturis eruditus, & in sæcularibus literis, vt *Trithemius* ait, non infime doctus, tum fere primus, qui suis finibus, *Radeuico* teste, Aristotelica dogmata inuexerit, & qui inter Episcopos Alemanniæ itidem primus, vel inter primos habitus sit. Ideoque dicit, *studiis in vtrisque peritus.* Vitæ vero modum prius, quam Episcopus vocaretur, iuxta Cisterciensis ordinis religionem instituerat, quam & professus est, tum cœnobii Morimundensis Abbas declaratus: in quo & obiit in medio, vt refert *Radeuicus*, & mox Poeta innuit, *vt Medius fratrum clerique gementis* &c. tam Episcoporum, quam Abbatum 10 Kalend. Octobr. anno ab incarnatione domini 1159, anno imperii Ænobarbi patrui 3, Regni 5. Nobiles Latinorum poetas, *Maronem*, *Lucanum*, *Nasonem*, *Iuuenalem* lectitasse, maxime autem familiares habuisse post *Ciceronem* & *Salustium*, *Senecam* & *Boetium*, historiæ, seu annales ab eo digesti manifestant, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis transmisit. Diuum *Augustinum* non legisse tantum, sed propemodum excussisse etiam sui ipsius, quos vocat *Theologicos*, excursus testantur, & octauus maioris historiæ liber ostendit. Delectabatur item doctrina *Gilberti* Pictonum Episcopi coætanei sui, cognomento *Porretani*: & aliquanto iniquior fertur extitisse diuo *Bernardo*, qui contra *Petrum Abelardum* Britannum acerrime scripsit. Sed ea de re in morte est palam confessus, vt libro quinto meminit *Æmilius Veronensis*, & ingenue alumnus suus *Radeuicus* fatetur: qui, vt singulari quodam cap. libro quarto rerum Ænobarb. multis verbis, tum a se epitaphiis quoque editis memoriam *Othonis* ad posteros transmittere studuit, ita se manu sua extrema eius lumina clausisse scribit. (Sp.)

(3) In diuinis pariter & humanis litteris versatus. (R.)

(4) Nota, etiam Episcopos ea tempestate castra *Imperatorum* sequi solitos fuisse. Exemplum hic in *Othone Frisingensi* & alia apud eundem *Guntherum*. (R.) p. 173

(5) Cœnobitarum scilicet, & monachorum Morimundensium. Id enim cognominis occuparunt factitiæ religionis professores. Olim autem fratres absolute dicebantur omnes christiani. (Sp.)

(6) Episcoporum & Abbatum, vt modo dictum est. Pontificii iuris interpretes aiunt in materia fauorabili & indifferenti appellatione Clericorum intelligi sacerdotes cuiuscunque sint status. Lege *Panormitanum* in Rubr. *de vit. & hon. cleric.* (Sp.)

(7) Id est, Animam exhalare. Imitatur *Horatium*, qui *diuinæ particulam auræ* dixit. (R.) p. 173

Spiritum, quo substantia animæ constituta est. (Sp.)

(8) Hoc est, opificii, nimirum respiciens ad illud Scripturæ: *Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* (Sp.)

L. diuini *luminis* auram. (B.)

(9) Siquidem animæ omnium hominum pertinent ad imperium Dei, qui earum conditor est. (Sp.)

Quia spiritus reuertitur ad Deum, qui eum dedit, vt *liber Sapientiæ* inquit. Et in epitaphio *Senecæ* eleganter scribitur:

Namque animam cælo reddimus, ossa tibi.

Terræ nimirum loquitur auctor. (R.) p. 173

Interea veterem prauis auctoribus(1) *iram*
Summus, & extinctas(2) *animo refricare querelas*
Cœperat Antistes, magnumque potentis(3) *honorem,*
Anxius inuidiæ stimulos Adrianus *habebat:*
105 *Præcipue postquam sua iura recognita fisco*(4)
Assensu procerum per cunctas comperit vrbes,
Indoluit facto, quantumque videbat honoris

 Acces-

Acceſſiſſe viro, tantum pater ipſe putabat
Deceſſiſſe ſibi: tunc quicquid atrocius actum(5)
110 *Ante videbatur, legatorumque, ſuoſque*
Contemptus, regnique minas, mandataque duris
Aſperiora notis, ceu quædam pabula flammæ(6)
Inuidiæque faces, ardenti ſponte camino
Adiicit(7), *& rapidos fornaci ſuggerit æſtus.*
115 *Hæc quoque cauſſa recens*(8) *aderat, quod regia miſſi*
Quærere iura viri, dum per caſtella, locoſque
Pontificis ſummi, mandata fidelius æquo
Publica conficiunt, nimia feritate timendi
Inſolito miſeros vrgebant pondere ciues.

(1) Nunc quoque Epiſcoporum vulgus nihil audit ab aſſentatoribus, etiam doctis, niſi dominia, ditiones, gladios, claues, poteſtates: atque hinc faſtus quorundam plusquam regius, ſæuitia pluſquam tyrannica, vt ait piorum quidam. (Sp.)

(2) Ea ſcilicet, tranſactione, quæ facta fuit inter Ænobarbum, & ipſum per legatos ſuos apud Auguſtam, vt ſupra in principio ſeptimi lib. narratum eſt. (Sp.)

(3) *Friderici* Imp. Nota, Imperatoris honor & felicitas rerum geſtarum ſtimuli & faces inuidiæ ſunt in animo Papæ. Sed vt *Martialis* ait,

Rumpatur, quiſquis rumpitur inuidia.
ὁ φθόνος οἰκτιρμοῦ, κατὰ Πίνδαρον, ἐστὶν ἀμείνων.

ait quidam in Anthologia Græc. Epigram. ex *Pindari* Pythion. 1. Et vt *Plautus* Captiuis, Sc. Quo illum: *Eſt miſerorum, vt maleuolentes ſint, atque inuideant bonis.* (R.) p. 173

(4) Bene recognita dixit: quod reſtitutio non niſi cauſſa cognita plerumque fieri ſolet. De iis autem iuribus intelligendum eſt, quæ, vt patuit proximo lib. prodita ſunt a *Friderico* conſilio Principum regni apud Roncalias, vbi vulgata illa lex Ænobarbi, cui caput eſt: *Habita quidem*, iuſſu eius in Codicem Iuſtinianæum relata, ſub titulo; *Ne filius pro patre*, promulgata eſt, anno a nato Chriſto 1158. (Sp.)

Hinc illæ lacrymæ. Nam dolebat Papæ, quod regina auium ſuas plumas, quas cornicula ſibi aptarat, repetitum veniſſet. (R.) p. 173

(5) More hominum fecit *Adrianus*, qui animo ſemel exulcerato omnia ex omnibus, quod dicitur, angulis conquirunt, quibus vnquam ſe ab aduerſario læſos meminiſſe poſſunt. Et hoc tum fecit (inquiunt) & hoc tunc, & illud alias. Ita fit quod *Symmachus* ait lib. 3 ep. 6; *Ictus nouiſſimus etiam veteris plagas dolore reſcindit.* (Legitur ibi vulg. *Luctus.* Sed aſſentior *Schoppio* meo, ex veteri codice reponenti, *ictus.*) Recte factorum vel obliuiſcuntur homines, vel certe nullam prorſus rationem habent, vt illa cum erratis, quibus forte læſi ſunt, compenſent. Adeo apud eos pluma leuior eſt gratia, iniuria plumbo grauior. (R.) p. 173

(6) Sic *fomenta litis* dixit querelas ſup. lib. 7 v. 187. Porro imitationem Horatii recte hic obſeruauit *Spiegelius.* Sic *pabula animi* dixit *Cicero* & *Ammianus Marcellinus.* (R.) p. 173

(7) Qui enim ab amico diſcedere vult, ſi modo inimicus reconciliatus amici loco habendus eſt, facile quærit occaſionem. Scite autem adluſit prouerbio, quo vſus eſt *Horatius*: *Oleum camino addere.* (Sp.)

(8) Quam *Fridericus* rigidus iuſtitiæ cuſtos fuerit, quod omnes vno ore prædicarunt de eo, apparet hanc cauſſam a ſacerdote ambitioſo, auaro & inuido excogitatam. Quis enim crederet, quam iuſtiſſimus Princeps in ſe integritatem ſeruauit, eandem non exegiſſe a ſuis officiariis? (Sp.)

120 *Ergo noua*(1) *veterem cauſſa ſtimulante dolorem,*
Gaudebat crebris Regem culpare querelis,
Iniuſtum, ſæuumque vocans, regnoque ſuperbum,
Ingratumque ſibi, qui tanti culminis vltro
Nomen, & Imperii ſummum tribuiſſet honorem.
125 *Ac primum ſcriptis leuioribus, atque*(2) *paterno*
Affatu ſuadere viro: mox acrius illum
Corripere, & nimium verbis inſtare moleſtis;
Nec minus ille vicem maledictis reddere gaudens(3),
Verba remittebat chartis odioſa ſuperbis(4).
130 *Sic alterna ferens diuerſæ iurgia partis*
Acrius incenſas ſtimulabat epiſtola mentes,
Conflictuque graui totius maxima mundi
Nomina, magnarum quatiebant prælia rerum.
Nec fuit ambiguum, multis(5) (*ſi credere fas eſt*)

Pontif-

135 *Pontificis summi (6) scriptis, crebroque rogatu*
Pellectos Ligures (7), iterum ceruice rebelli
Abrupisse (8) sacras contempto fœdere leges.

(1) Nota querelas Papæ de Imperatore, patris scilicet de filio, iniusto, sæuo, superbo, ingrato, qualem quidem ipse videri vult: qualis autem reuera fuit, iustitiæ & pietatis, lenitatis atque clementiæ, modestiæ & gratitudinis, si quisquam alius, studiosissimo & obseruantissimo; ceterum maiestatis Imperatoriæ retinentiore, quam eius Patri placebat aut commodum erat*. Vid. quæ dicam infra ad *lenium*.* (R.) p. 174

(2) L. *vtque* paterno. (B.)

(3) Ἀντιλοιδορῆσαι, quod tamen prohibet *S. Petrus*, ac potius Saluatoris nostri exemplum nos sequi iubet, ὃς λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει. παρεδίδου δὲ τῷ κρίνοντι δικαίως. Sed quem tanta indignitas non commoueat, vt aliquid humani patiatur? ἁμαρτάνει δὲ καὶ σοφοῦ σοφώτερος. Recte exclamat de contumeliis *Demosthenes*: ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους αὐτῶν ἀήθεις ὄντας τοῦ προπηλακίζεσθαι: qui locus ex Orat. in Midiam citatur in l. 16 aut facta §. qualitate. ff. de pœnis. (R.) p. 174

(4) Iusserat enim notario, teste *Radeuico*, vt in scribendis literis nomen suum præferret, Romani Episcopi postponeret, & dictionibus singularis numeri ipsum alloqueretur. Qui mos scribendi cum antiquitus in vsu esset, a recentioribus ob quandam personarum reuerentiam & honorem putatur immutatus. Addebat etiam Ænobarbus, aut Papam debere seruare suorum antecessorum ad personam Imperialem scribendi consuetudinem, aut seipsum antiquorum Principum morem in suis epistolis oportere obseruare. (Sp.)

(5) Sic distinxi: Iungendum enim, *multis scriptis*. (R.) p. 174

(6) Nota, Papam suis scriptis ab obedientia Imperatoris alienare eius subditos, & contumaciam rebellium augere. (R.) p. 174

(7) Mediolanenses. (Sp.)

(8) Exemplo *Virgilii*, apud quem est: *Fas omne abrumpere*. (R.) p. 174

Ergo vbi cum claro Præsul Reinaldus (1) Othone,
(Signifer hic; prudens at Cancellarius ille) (2),
140 *Et Comes eximiæ laudis* Gozuinus (3), *ad vrbem* (4)
Magna peracturi venere negotia regni,
Infremuit, cœpitque furens concurrere vulgus (5).
Quaque receptus erat Præsul famosus in æde,
Nam Comites ambo (6), muros suspectaque cauti
145 *Mœnia vitantes, extra prudenter agebant.*
Hanc lapidum sæuo Ligures euertere ictu,
Atque ipsum magni legatum Cæsaris (7) alta
Pontificem fama, mentisque vigore timendum,
Certatim sæuo properabant tradere letho.
150 *Nec prohibere potest Regi deuotior ipsa*
Nobilitas, nec qui socia conciuis in vrbe
Egregium nomen Guido Blandratensis *habebat.*
Vix tandem rabidas eiusdem Præsule sedis
Subueniente, minas effugit Præsul (8), *& vrbis*
155 *Pestiferæ muros, insidaque tecta reliquit.*
Protinus infectis legati regia rebus
Castra petunt, sociasque gradu properante cateruas.

(1) Archiepiscopus Coloniensis. (Sp.)

(2) Sic legendum & distinguendum puto. (R.)

(3) E Mediolanensium optimatium numero erat ille, & constanti in Ænobarbum fide. (Sp.)

(4) Scilicet Mediolanensem. (Sp.)

(5) Τὸ *vulgus* potest hic vel masculino vel neutro genere accipi: & masculino quidem ἀρχαϊκῶς. Nota hic furorem vulgi Mediolanensis in Legatum Cæsareum, eundemque Episcopum. Sed qui parcerent Legato Imperatoris, a cuius vxore Augusta *Beatrice* non abstinuerunt contumeliam? Quam fœda enim sunt, quæ scribit *Crantzius* lib. 6. Saxoniæ c. 36 in illam a plebe Mediolanensi perpetrata esse? Sed iustissima talionis lege iniuriam eam Imperator vltus est, dum Mediolanenses, quotquot capitis supplicium effugere vellent, coegit ore ficum de natura mulæ extrahere. Vnde ortum dicterium tam apud Germanos, quam apud Italos in hodiernum diem durat, quo contumeliam significaturi dicimus: *Ficum alicui ostendere*. (R.) p. 174

(6) *Otho a VVittelspach*, & *Gozuinus*, quos magis infensos habebant Mediolanenses. (Sp.)

(7) *Reinaldum*, qui ex Cancellario *Friderici* Imperat. Archiepiscopus Coloniensis factus est. Legatorum autem violatio cum sit contra ius gentium, quo iure illi sancti sunt, quantis sæpe bellis caussam dederit, historiæ loquuntur. Redundat enim iniuria legato facta in ipsum, qui eum legauit, qui proinde eam merito vltum it. Certe legatus *sanctum populis per secula nomen* recte dicitur a *Statio Papinio* 2 Thebaid. Magnumque in se facinus admittunt, qui retinent, & in vincula coniiciunt Legatos: *quod nomen apud omnes nationes sanctum inuiolatumque semper fuit*: vt scribit *Iulius Cæsar* 3 de bello Gallico. Et hunc τὸν κοινὸν νόμον vocat *Ioan. Chrysostomus* homil. 24. ad Ephes. οὐδὲ τὸν κοινὸν νόμον ᾐδέσθησαν, ὅτι ὁ πρεσβεύων οὐδέποτε πάσχει τι κακόν. Ratio in promptu est, quia legatorum & litterarum missione inter hostes sublata, omne commercium humanitatis sublatum est, omnis via ad pacis conditiones concipiendas interclusa atque intercisa est. »(Hæc ideo paulo plenius attigi, quod istud »bellum, quo nunc tertium annum collidi»tur Imperium Germanicum & Turcicum, »occasione violati Oratoris Cæsarei *Crequitii* »a Turco, cœptum est.) (R.) p. 175

Verba vncinis inclusa auctor postea in suo exemplari obliterauit.

(8) Coloniensis Archiepiscopus. (Sp.)

Interea Regum legatio fida potentum,
Diuersis studiis, ad magni Cæsaris aures
160 *Attulit, ex variis mandata recentia regnis,*
Principis Argolici(1) *quidam mandata ferentes,*
Securos in castra gradus, pacemque petebant.
Iamdudum siquidem Stapulensis morte Wibaldi(2),
Quem lux(3) *Argolicis oppresserat vltima terris,*
165 *Suspectos Regi sese vehementer haberi*
Audierant, gentemque suam purgare parabant.
Nec minus Hungariæ rector(4), *iam fraude recenti*
Comperta Ligurum, mandata fidelia pacis
Scripserat Augusto, pluresque prioribus illi
170 *In pœnam sceleris spondebat mittere vires.*
Anglus(5), *& vrbanis*(6) *illo qui tempore Gallis*
Rex erat(7), *ambo, viros ad regia castra fideles*
Legarant: pacisque fidem, magnique fauorem
Cæsaris oblatis certabant poscere(8) *donis.*

(1) *Emanuelis* Græcorum Imperatoris, de quo in prioribus libris. (Sp.)

(2) Augustana editio, *Stabulensis morte Gribaldi.* Sed pro *v* ibi *r* positum, errore vulgari. (R.) p. 175

(3) Sic recte *Perna.* Vulgo Dux. *Pflugius* diuinabat, *crux vltima*, id est, *mors*, vltimum malorum. (R.) p. 175

(4) *Geisa*; de quo libro modo citato. (Sp.)

(5) *Henricus* eius nominis II. (Sp.)

(6) Non existimo de veteribus illis accipiendum, qui a Romanis subacti, tandem cultioribus moribus esse cœperunt, sed ad discrimen populorum, qui Belgicam inhabitant, quod Teutonum, seu Germanorum nomine contineantur: a quibus ad Italos & Gallos collatis, asperitatem morum omnino sublatam dicere non possis, quod eam, sed quæ nata bello pectora deceat, retineant. (Sp.)

(7) *Ludouicus VII*, qui & *Iunior* appellabatur, vt indicaui lib. 6. (Sp.)

(8) I. e. certatim poscebant. (R.)

175 (1)*Hos inter Reges vetus, & grauis inde simultas*
Orta ferebatur, quod Galli Principis(2) *vxor,*
Coniuge dimisso, rectori nupserat Anglo.
Inde ferox odium stimulisque ardentibus ira,
Sæuaque limitibus dirimendis bella furentes
180 *Vexabant: ideoque sibi properabat vterque*
Alterius damno consciscere Cæsaris arma.
Hos omnes hilari vir prudentissimus ore
Laudauit, donisque suis dimisit onustos.

(1) Caussa odii inter Regem Galliarum *Ludouicum VII*, & Angliæ *Henricum* Andegauensem fuit, quod *Leonora* illo repudiato huic nupsisset. (R.) p. 175

(2) Iam dicti *Ludouici*, qui ab expeditione, quam cum *Chunrado* Imperatore, de quo supra, in terram sanctam susceperat, reuersus in Galliam, nihil antiquius habuit, quam vt *Leonora*, Aquitaniæ Ducis filiæ, matrimonium dirimeret: non sine admiratione suorum, quod eam per plures annos vxorem habuerat, & duas ex ea filias susceperat, consulto-re in

re in ea re fretus diuo *Bernardo* Careuallensi. *Leonoram* dimissam, *Henricus* Andegauensis vxorem duxit: isque mortuo *Stephano* Regi, vt conuenerat, in Angliæ regnum successit: vir maximus bello, vt lib. sexto indicauimus. Repudii causam alii, quod *Leonora* parum pudica videri cœpit, alii propinquitatis arctioris vinculum, quo constitutum constare coniugium pie non posset, fuisse tradunt. Repudiatam mox sunt secuta bella, quæ scripserunt diffuse *Gaguinus*, & *Æmilius Veronensis*. (Sp.)

Interea reduces legati(1) *castra subibant,*
185 *Fœda reportantes Ligurini criminis*(2) *ausa.*
Cognita res, cunctos, Regemque ferocibus ipsum
Concussit stimulis, iterumque recanduit ira.
Ne tamen Augusto, quicquam sub Principe, certo
Ordine non fieret(3), *rursus tribus esse citandos*
190 *Edictis Ligures iuris suasere periti.*
Quæ postquam tumida spreuerunt mente superbi,
Curia damnatos regni denuntiat(4) *hostes*(5).
Vtque viros iustæ stimulis grauioribus iræ
Rursus ad armiferos incenderet ipse labores,
195 *In medio procerum cœtu, vulgique corona,*
Talia mellifluo(6) Fridericus *protulit ore:*

(1) Coloniensis Pontifex, *Otho* Comes Palatii, & *Gozminus*. (Sp.)

(2) Scilicet, defectionis Mediolanensium, seu reatus maiestatis. (Sp.)

(3) Quare id factum sit, quum Princeps nullo iuris ordine adstringatur, & tantum rogasset regni proceres, qua pœna coercendi essent, patet in ea oratione, quam Episcopus Placentinus nomine Principum ad Ænobarbum vbi perorasset, vt sequitur, habuit. Extat hæc apud *Radenicum*, prætermissa *Gunthero*. (Sp.)

(4) Alibi, *deputat*. Cicero, *hostem appellare* vel *declarare* dixit. (R.) p. 175

(5) Hoc est, per sententiam publicos inimicos declaratos: quos veteres, quia cum illis duellum, id est, bellum esset, *Perduelliones*, vt obiter dixi superius quoque, appellabant. Ea enim dictione hi soli indicantur, aduersus quos ius belli est. Quapropter priuatus inimicus, noster perduellio non est: latrones quoque perduelliones non sunt. Vnde & *Cicero* lib. 2 Officiorum: *Pirata*, inquit, *non est ex perduellium numero definitus, sed communis hostis omnium*. Porro tradunt Iurisperiti nostri, hostes imperii licere etiam, postquam capti sunt, interficere: quod tamen Imperatores Romani a Christo alieni prohibuerunt. Vnde æquius est, vt eorum opinioni accedamus, quibus videtur, in ipsa acie solum licitum esse trucidare hostem, maxime qui se dedere nolit. Nam deditițium hominem occidere, crudelissimum est, nec boni Imperatores hoc patiuntur: ab ea quippe humanitate abhorret, quam naturaliter homo homini debet. Quamuis recte magis sentit *Alciatus*, inter christianos aliud esse. Quod quæ inter eos mouentur arma, plus quam ciuilia sint, nec ius postliminii in his esse existimet. Hincque ait, videri antiquissima consuetudine introductum, vt capti libertatem non amittant, sed præstita victori pecunia veniam recedendi impetrent. Nec ignorandum, Iurisconsultos subinde, *damnas* vel *damnes esto*, vt alii legunt (ea ratione qua & *copes* dicitur *copiosus*, licet cum *Alciato* veterem lectionem magis sequimur) pro damnato per syncopem dixisse. Vnde *Nebrissensis* perperam admonuit, vbi in Iurisconsultorum Pandectis legitur, *damnas est*, mendum esse. (Sp.)

(6) Tanquam scil. Nestor quidam, cuius ab ore dulcior melle fluebat oratio. τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή, vt est apud *Homerum*. Sic *mel* quasi *musæum* dixit *Lucretius*. *Lucanus* Panegyrico ad Pison. *Inclita Nestorei cedit tibi gratia mellis*. *Silius Italicus* lib. 15;

Ille foro auditus cum dulcia solueret ora
Æquabat Pylia Neleïa mella senectæ.

Sic enim ibi lego cum *Modio*, vbi vulgo, *Neleïa verba*. (R.) p. 175 seq.

(1) *Sæpe quidem vestras ad prælia cogere vires*(2),
Et fidas adhibere manus, iterata malorum
Improbitas, Ligurumque frequens iniuria cogit.
200 *Res onerosa quidem*(3), *nec si dubitabilis esset*
Grata(4) *fides, totiens ad magna negotia pigras*
Atque recusantes auderem poscere dextras.
Sed quia communis labor est, vobisque minori,
Quam mihi, quod geritur curæ, non suspicor esse,
205 *Auxilii quotiens vestri, certique fauoris*
Tempus eget, regnumque recens fortuna lacessit,

Totus

Totus(5) *ad inuictum vestræ virtutis amorem*
Confugio, certusque manus imploro fideles.
Scitis, & horrendum vobis, durumque videri
210 *Ceu mihi, non dubito, periuræ sæpius vrbis*
Prodigiale nefas(6), *quam vix modo munere nostro*
Delicti veniam, fructumque salutis adeptam,
Excitat insolitos feritas recidiua(7) *furores.*
Quæ iam de reliquo fidei, pacisque tenendæ
215 *Spes superesse potest, cum sacramenta, fidesque*
Totque vades(8) *Italas nostro sub iure per vrbes*
Infidæ rabiem nequeant compescere plebis?
Det pœnas periura graues, crudelia tandem
Facta luat, meritoque cadat, quæ(9) *stare recusat.*

(1) Exhortatur *Fridericus* Aug. Principes, ne violata a Mediolanens. fidei pacisque fœdera nuper icta, sinant inulta: ad quod ipse nullo priuato dolore rapiatur, sed ad vindicandum Imperii maiestatem dignitatemque læsam. (Sp.)

(2) I. e. in vnum colligere, vt *cogere Senatum, pecus* &c. Latini dicunt. Notanda est πλοκὴ elegans. Mox enim sequitur, alio significatu *cogit*, pro *subigit, necessitate adigit.* (R.) p. 176

(3) Sensus est, tam intolerabile, tamquam atrox est Mediolanensium facinus, vt si etiam de vestra in me fide, animique promptitudine dubitarem, quum tamen vtramque vltro in vobis spectatam, habeam, nunc vobis vel inuitis pro summo meo iure imperare possem, vt arma in meos non tantum, sed ipsius regni, cuius vos viscera estis, hostes perfidissimos mecum moueatis. (Sp.)

(4) Pflugius, *certa fides.* Vt sit antitheton. *Si* (inquit) *dubia esset vestra fides, quæ iam certa atque explorata mihi constat.* (R.) p. 176

(5) Ita reposui, vbi vulgo legebatur, *tutus.* (R.) Male Rittershusius, *totus.* *Tutus*, id est, securus de repulsa. Sic lib. 10, 544. (B.)

(6) Narrat *Radeuicus*, Mediolanenses, dum de iuratis fœderis pactis a se violatis conuenirentur, cum aliud in medium adducere nequirent, respondisse: *Iurauimus quidem, sed iuramentum attendere non promisimus.* (Sp.)

(7) Sic *recidiuam iniuriam* dixit *Symmachus.* Nimirum sicut febris recidiua grauior & periculosior est prima ac simplici: ita & perfidia sæpius iterata. Eleganter *Philo Iudæus*: αἱ ὑποτροπιάζουσαι νόσοι τῶν προτέρων εἰσὶν ἀργαλεώτεραι. Et Saluatoris nostri admonitio eodem pertinet, ad eum quem sanarat: *Ecce sanatus es: vide, ne quid tibi deterius contingat relapso.* De relabentibus in priores sordes nota sunt prouerbia sacrarum literarum: *Sus ad volutabrum: Canis ad vomitum*: grauissimus etiam est locus Apostoli epist. ad Hebræos c. 6 &c. (R.) p. 176

(8) 300 obsides, vt supra lib. 8 v. 200. (R.)

(9) Forte, *quia* stare recusat. (R.)

220 *Audierant, aliusque alium certante fauore*
Præueniunt, stimulisque virum maioribus vrgent.
At Rex rem tantam, tantique laboris egentem,
Non nisi Teutonico peragendam robore credens,
Germanos proceres, cognataque signa nepotis
225 *Baugariæ Ducis*(1), *atque alios plerosque potentes,*
Teque thori sociam sacri, generosa Beatrix,
Ex transalpinis(2) *ad sese conuocat oris.*
Ipse per Italicas paucis comitantibus oras
Vndique discurrens, bello quæcumque sequenti
230 *Vel prodesse sibi, vel obesse putauerat hosti*
Accelerat, castella viris, armisque, cibisque
Instruit, atque nouam valido munimine Laudam
Cingit, Ticini(3) *passuram pondera belli.*
Cumque sibi fidæ tetigisset mœnia Cumæ(4),
235 *Belligeras vires, atque auxiliaria poscens*
Agmina, plura suis vltro collata petitis
Accepit, fidæ gauisus plebis amores.

(1) Atque Saxoniæ, *Henricus* ille scilicet, qui ab ætatis initio suæ *Leonis* cognomentum, vt pater eius *Cauli*, & *Albertus* Marchio *Vrsi*, accepit: & post ab Ænobarbo, quod corruptus

corruptus auro Italico ab eo defecerat, duobus, vt supra dixi, Ducatibus per sententiam eiectus, in Anglia exilium egit apud sororium Regem *Richardum*, vt scribunt *Otho* Pontifex, *Vrspergensis Chronographus*, *Nauclerus*, & late prosequitur *Cranzius* lib. 6 Saxoniæ. (Sp.)

(2) Quæ & transmontanæ. Intelligit autem Germanicas: quæ lib. 10 referuntur. (Sp.)

(3) Papiensis, sic enim id oppidum nunc mutato nomine vocatur. (Sp.)

(4) Hoc est, *Comi*, quod & *nouum Comum*, vt alibi indicauimus. Dicit autem *sua*, quod Comenses pulsos sedibus per Mediolanenses, sententia sua restituerit: nec a finibus illorum prius abierit, quam veterem Comensium & Insulanorum, qui, vt sequitur, erant partium Mediolanensium, sedasset discordiam, posito illic præsidio in munita, quam ipse imminentem vrbi construxerat, arce, *Paterellum*, vt refert *Nauclerus*, a Teutonicis vocatam: quam mox reuerso illo in Germaniam, Mediolanenses capto, in vinculaque coniecto Germanico præsidio, demoliti sunt. (Sp.)

Cumano(1) *præcincta lacu iacet insula quædam,*
Belligeris fecunda viris, quæ fœdere prisco
240 *Infidæ Ligurum sese sociauerat vrbi:*
Nauigioque potens piratica bella gerendo,
Gaudebat crebris stagnum(2) *infestare rapinis.*
Hanc Rex ob varios bellorum prouidus vsus,
Conciliare suis sapienter cogitat armis.
245 *Nec fuit hoc frustra*(3) *structa nam classe, paranti*
Assultum bellumque viro, deuecta carinis
In medium plebs illa(4) *lacum, victore recepto*
Cessit, & ex illo generoso tempore Regi
Fida fuit, puroque fidem seruauit amore.

(1) Iuxta vsum: nam qui pure scribit, *Comensis*, diceret, cum a *Cumus* Campanorum *Comanus*, & *Cumanus*, vt tradunt Grammatici, deflectantur. Est autem *lacus Comensis* pars illius incliti Larii, quem nobilissimæ musæ celebrarunt. Oppida, quæ ille infra supraque complectitur, tum vetera, tum noua refert *Volaterranus*. (Sp.)

(2) Lacum. Sed improprie: quod lacus perpetuam habet aquam, stagnum autem temporalem. (Sp.)

(3) *Frustra esse*, vel *non esse* frustra, elegans formula, *Plauto*, *Sallustio* & *Corn. Celso* vsitata, ad significandum conatum irritum, vel voti compotem. Græcis est ἀμαρτάνειν τινὸς, vel ἀποτυχεῖν. *Plautus* Bachid. Sc. Constringe, *Frustra es*. *Sallustius* Iugurth. *Aduertendum est, vt neque vos capiamini, & illi frustra sint.* Et rursus: *Cuius neque consilium neque inceptum vllum frustra erat.* *Celsus* lib. 3; *Curatio minus iis prodest, in quibus assidue frustra fuit.* Sic *Plautus* & *Tacitus*, *Frustra aliquem habere*, dixerunt. Parum autem hic interesse puto, *hoc*, an auferendi casu accipias, pro, *in hoc*, vt volebat *Schoppius*: an recto, vt ego. (R.) p. 176 seq.

(4) Scilicet, Insulanorum. Nam sicut Chronographi, atque annales indicant, ab Insula generali vocabulo sunt appellati, de quibus latius scribit *Radeuicus*, & meminit etiam *Nauclerus*. (Sp.)

250 *Tunc quoque conceptum, tacitumque Placentia virus*
Quo minus euomeret, sese cohibere nequiuit.
Nam dum Cæsarei per fines vrbis iniquæ(1)
Nomine pœnali(2), *quæ Ianua soluerat, æra*
Legati ferrent, ipsa mox vrbe latrones(3)
255 *Egressi, spoliare viros, & regia*(4) *fœda*(5)
Non timuere manu contingere turpiter æra.
Ergo graui Princeps ex hoc quoque concitus ira,
Maiestate sui securus nominis, vltro
Ingreditur trepidam paucis comitantibus vrbem,
260 *Regalesque minas, metuendaque verba superbis*
Ciuibus incutiens, vix exoratus ab illis,
Quam tulerant summam concessa pace recepit.

(1) Id est, hostilis, scilicet Placentiæ. (Sp.)

(2) Hoc est, *mulcta*: licet *mulcta* non proprie dicatur *pœna*. Nam *Labeonis* opinio, qui pœnam & mulctam idem esse scripserat, a *Paulo* refellitur, quarum dissimilitudinem ille ostendit: & habetur in notissimo tit. *de verb. significat.* Vsus tamen contraxit in arctiorem significatum: quoniam pro pecuniaria tantum pœna recipitur: qualis Genuensibus ab Ænobarbo imperata est per sententiam, vnde & fisco debebatur. (Sp.)

(3) Præ-

(3) Prædones. Latrunculator autem præfectus est apparitorum & militum, qui latrones conquirunt. Vulgus pro iudice rerum capitalium vsurpat, absque vlla tamen, vt omnia, autoritate. (Sp.)

(4) Pecuniam fisco applicatam. (Sp.)

(5) Sacrilega. (Sp.)

(1) Instabat veneranda dies, qua Christus ab imo
Ora solo turbæ(2) referens optata fideli,
265 *Victor ab inferna(3) captiuos sede reduxit:*
Hanc(4) quanto potuit Mutinensi Cæsar in vrbe
Egit honore diem(5), finesque, Bononia, iuris(6)
Ingreditur studiosa tuos; vbi castra, suasque
Tempore iam longo non visas ille cohortes
270 *Liquerat, eximio magnis in rebus* Ehrardo(7).

(1) Perelegans Dominicæ resurrectionis descriptio. (Sp.)

(2) Nam & de paucis *turba*, nempe de decem, sicut cœtus, vt supra dixi, intelligi potest. Vt non tantum, quod vulgo receptum est, vox hæc infinitam signet multitudinem. *Fideli* autem, more Christianorum poetarum, pro Christo fidenti, credenti, seu eius promissis fiduciam danti vsurpauit. Substantiue *fideles* ab ecclesiasticis opponuntur *paganis*, vt in commentariis nostris in hymnum *Prudentii* de Christi miraculis, cui caput est, *Da puer plectrum choreis vt canam fidelibus*, fusius, vt omnia, scripsimus. (Sp.)

(3) Apud antiquos, *infernum* adiectiuum semper esse inueniemus: ex religione plurimi substantiuum fecerunt. Fides nostra habet, Christum inferos adiisse, vere mortuum & sepultum, ac neque animam apud inferos, neque corpus eius in sepulchro detineri, atque ita corrumpi potuisse. Ad huius veritatis confirmationem cum adducitur Psalmi 16 testimonium, vti & Petrus atque Paulus eum ad probandum Christi resurrectionem adduxerunt, rident nos Iudæi atque dicunt: hic Dauidem cecinisse, se seruandum a Domino, quem colendum sibi, & in quo speraret, vnicum proposuerit, ne in sepulchrum, vel ad inferos descenderet, & ne videret foueam, id est, non reconderetur in foueam corrumpendus. His obiicere licebit, quod Petrus, citato 10 versu modo dicti Psalmi in Actis, patribus illorum obiecit. (Sp.)

Qui Christi descensione liberationem hominum apud inferos factam non credunt, inter Hæreticos ab *Isidoro* referuntur 8 Etymolog. c. 5. A *Rufino* tamen in Expositione Symboli Apostolici articulus de *Descensu ad inferos* omittitur: vt etiam in Symbolo Nicæno. (R.) p. 177

(4) Ita restitui: vulgo, *hunc*, quod quomodo conuenit cum eo, quod præcessit: *Veneranda dies, qua*. (R.) p. 177

(5) Anno Dominicæ incarnationis 1159. (Sp.)

(6) Hinc Bononia *mater studiorum* dicta: quæ epigraphe etiam in nummis ibi cusis visitur: hanc mox *famosam vrbem* vocat. (R.) p. 177

Addendum hic iis, quæ libro tertio de Bononia diximus. Eam scilicet, vt *Plinius* scribit, solam relictam fuisse, ex his duodecim, quas Etrusci trans Appenninum duxere, *Fe sinam* tunc vocatam. Deinde a Bois, qui eam Etruscis ademerant, *Boioniam*, & per paragrammatismum *Bononiam*. Hodie autem non tantum illic viget Iuris studium, sed & quidquid bonarum literarum nomine censetur, adeo, vt hæc vna ciuitas tropæum ingeniorum erexisse videatur, vt olim in laudem Athenarum *Demosthenes* dixisse fertur. Opinatur *Alciatus*, priuilegium Theodosii Imp. Bononiensibus scholasticis concessum, esse subditicium. Hoc studium ob perfidiam Bononiensium transtulit Patauium *Fridericus* Imper. II. (Sp.)

(7) Babembergensi Episcopo: qui, vt scribit *Radeuicus*, erat religione & scientia præditus, vitæque purioris institutionibus instructus, adeoque sacrarum literarum studio deditus, vt inter arma, occupationesque forenses, nunquam eas intermitteret. Vnde Ænobarbus, licet omnes Episcopos, seu cuiuslibet ordinis ecclesiastici viros diligeret, peculiariter tamen adhibuit in consilium hunc *Ehrardum*, eumque dignum existimauit, vt *Radeuici* verbis vtar, in cuius arbitratu & discretione operas suas locaret, & onus simul ac honorem communicaret. (Sp.)

Ergo vbi legitimis Ligures iam sæpe citatos
Edictis spreuisse videt, nimiumque tenaci
Proposito fixisse pedem(1), ne vel modo quicquam
Præcipitanter agat(2), famosa rector ab vrbe(3)
275 *Præcipuos in iure viros, legumque peritos*
Euocat, & quæ sit contemptus pœna(4), requirit.
Quæ discussa diu, cunctorum denique talis
Iudicio descripta fuit(5): direptio rerum(6),
Seruitium populi(7), subuersio funditus vrbis(8).

(1) Portas-

(1) Fortasse ex l. 12 tab. hoc dixit: *Si caluitur, pedemue struit.* Festus: *Pedem struit,* in duodecim significat, *fugit*, vt ait *Seruius Sulpitius.* Sic glossarium Latinogr. *Pedem struit*, φεύγει. (R.) p. 177

(2) Nota, nihil præcipitanter agendum. Quia προπέτεια πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν: id est, *multis malorum est causa præcipitantia.* (R.) p. 177

(3) Bononiensi. (Sp.)

(4) Id est, læsæ maiestatis & defectionis. (Sp.)

(5) Notanda hic est triplex pœna læsæ maiestatis. (R.)

Notanda tria, quæ sequuntur, capita, pœnæ læsæ maiestatis, in bona, in personam, & in locum. (Sp.)

(6) Bonorum. (Sp.)

(7) Seruitutem personarum. (Sp.)

(8) Loci ad aratrum, vt vulgo loquuntur, damnatio. (Sp.)

280 *Intererant*(1) *castris a summo Præsule*(2) *missi*
Prudentes clarique viri, Guilhelmus(3), *&*(4) *ille*
Qui post schismatica longum feritate rebellis
Perstitit ad tumulum, successorique reliquit(5):
Hii(6) *post sermonum primordia blanda suorum,*
285 *Et dilinitas facundis vocibus aures,*
Aspera, nec placida Friderico *mente ferenda*
Attulerant, certis ita definita figuris.

(1) Sic recte reposueram: & postea vidi hoc approbari ab Augustana editione. Vulgo, *interrant*: quod miror etiam *Pernam* siue *Pithœum* retinere. (R.) p. 177

(2) Papa *Adriano.* (Sp.)

(3) Cardinalis Diaconus, antea Papiensis Archidiaconus. (Sp.)

(4) Signat *Guidonem* Cremensem, itidem Cardinalem Diaconum contra *Alexandrum*, qui *Adriano* successit, Papa ab Ænobarbo appellatus est. (Sp.)

(5) Nam *Fridericus* quatuor Pontifices in odium *Alexandri* creandos curauit: qui omnes superstite *Alexandro* vita sunt functi: quod & supra, ni fallor, indicauimus. Constat autem monimentis quorundam, tres priores Ænobarbicos Papas fuisse, tum vitæ sanctimonia, tum multis aliis nominibus *Alexandro* maiores, cuius ambitio notata est etiam ab externis rerum scriptoribus. (Sp.)

(6) Scilicet, *Guilielmus*, & *Guido*: quibus *Radenicus* duos addit, *Octauianum*, & *Henricum* itidem Cardinales, qui antea quoque ad Ænobarbum legati missi sunt, vt in superioribus libris vidimus. (Sp.)

Non licet Augusto, nisi tantum Præsule summo
Conniuente(1), *sacram*(2) *legatos mittere ad vrbem,*
290 *In qua Iura Petrus merito tenet omnia solus*(3),
Non licet & fisco(4) *castella, vel oppida Papæ*
Collectis vrgere suis(5), *nisi tempore tantum,*
Quo Princeps primam Romæ gestare coronam,
Imperiique nouos admittere gaudet honores.
295 *Pontifices Italos omnes non expedit esse*
Principis ad fidei modo iuramenta(6) *vocandos:*
Non licet & cuiquam(7), *Regis mandata ferenti*(8),
Pontificum vexare domos: hunc more vetusto,
Solus rite sibi Princeps defendit honorem.

(1) Adsentiente. (Sp.)

Adsentiente, adnuente. (R.)

(2) Romam, quam nemo alienigenarum Regum sibi vendicare est ausus, sed vel captam, vel incensam, vel direptam Imperatorum ditioni reliquerunt. Exemplum habes in Genserich Vandalorum Principe, & Teutricho nostro Gottorum Rege: alter in Africam rediit, alter Rauennæ regni sui sedem locauit. (Sp.)

(3) Inuenias hodie, qui tam impudenti mendacio subscribant, quum a Nerone, sub quo Romæ Petrum passum esse credimus, vsque ad Phocæ principatum vrbs Roma in Imperatoris potestate fuerit. Eius rei, vt cetera omittantur, argumentum est certissimum, quod *Bonifacius* quartus, cupiens Romæ eo loco vbi *Pantheonis* templum visebatur (sic nuncupatum, quod Cybeli matri & omnibus diis commune esset) delubrum in honorem intemeratæ virginis extruere, necesse fuerit ei facultatem ædificandi a *Phoca* obtinere, adeo Pontifex (vrbis non tam dominus, quam inquilinus) omni ditione carebat, vt ne sacellum quidem vnum sine Imperatoris iussu ædificare potuerit. (Sp.)

(4) Ita lego cum *Pithœo.* Vulgo & Augustana editio, *non liceat fisco.* (R.) p. 177

(5) Pro *exactionibus*, quæ nomine *fodri*, quo iterum *Radenicus* hic vtitur, significantur iuxta sanctionem apud Roncalias, vt abunde supra declaratum est, accepit. *De domini-*

dominicalibus, ait *Radeuicus*, *Apostolici non esse colligendum fodrum, nisi tempore suscipienda corona.* Vtuntur nunc vulgo iuris pontificii professores, item fisci ecclesiastici procuratores *collectarum* voce: a qua *collectarii* dicti videri possunt, qui in iure illi *coactores* habentur, qui in auctionibus reliqua publicanorum solent emere, quæ illi vel ob grauiores curas, vel ob debitorum procrastinationem nequiuerunt exigere: venerunt autem huiusmodi nomina, cum mala sint, modico pretio. (Sp.)

(6) Hoc est, fidelitatis, &, vt loquuntur feudistæ, homagium, seu hominium: de quibus diffuse traditur in cap. 1 *de no. for. fidel.* & nos supra eius sacramenti capita summatim recitauimus. Quibus adiiciendum est, iurantem fidelitatem domino, esse astrictum non solum respectu feudi, quod habet, sed respectu etiam suorum propriorum bonorum in his, quæ ex persona sua sunt explicanda. Quapropter vasallus inimicos domini prohibere & arcere tenetur, non solum ne per territoria feudalia commeatum habeant, transeant: sed etiam per terras suas proprias arcebit, nec victualia eis præstabit, nec vlla vel consuetudine, vel familiaritate sese eis communicet, sed quantum potest per se & suos eis resistet. (Sp.)

(7) Sic recte *Perna*. Vulg. & Augustana editio, *non licet*. (R.)

(8) Signat, nuntios Imperatoris non recipiendos in palatiis Episcoporum, & fortasse *mensores* quoque, quos Germani hodie vocabulo peregrino *furirer* appellant, qui iuxta *Vegetium* & *Modestum*, in castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant: vel qui hospitia in ciuitatibus præstant. *Scotus*, vt refert *Alciatus*, in Palatino officia *mensorum* lampadariis iunxit & traditque eos subditos fuisse Præfecto Prætorii per Orientem. Notum est *mensorem* etiam in alia significatione capi. Extat item in lib. 12 C. *Iustinianai* tit. *de mensoribus.* (Sp.)

300 *Quicquid ad eximii(1) recte patrimonia Petri*
Pertinuit dudum, possessio(2), siue tributum,
Restituatur ei Comitissæ terra Mathildis(3),
Et Spoletanus(4) sub eodem iure Ducatus.
Quicquid ab excelsis Romanæ mœnibus vrbis
305 *Pendentem(5) seiungit Aquam, Ferraria, Massa(6),*
Et cum Sardois(7) vberrima Corsica campis,
Pontifici summo prisco de more tributum
Soluat, & antiquas iusto sub canone(8) leges(9).

(1) Vide *Volaterranum* lib. 5 Geograph. in rebus Pisanorum. (Sp.)

(2) *Possessio*, id est, prædia, agri, quos sedes Apostolica occupauerat, seu vsu tenebat. *Possessionis* autem verbum non solum apud Iurisconsultos & in constitutionibus pro proprietate ipsa, seu prædio capitur, sed etiam apud alios autores. Vnde *possessiones vrbana & rustica Ciceroni* in Philippicis. Possessio autem non tantum corpore, sed animo etiam retinetur. Quod *corpore & animo possessioni incumbere* iurisperiti dicunt. Et hoc verbo *Diocletianus* Cæsar vsus est in l. *consentaneum*, sub tit. *quom. & quand. ind. sentent. prof. deb.* Possessio anni spatio amittitur ab eo, qui possidere animo saltem desiit, si quidem alius possessionem occupauerit, ita vt post annum agere deiectus interdicto retinendæ possessionis non possit. Porro tributum pro quouis vectigali posuit. (Sp.)

(3) Hoc est, iurisdictio, quam ad vrbes, oppidaque & loca, de quibus supra, beato Petro testamento relicta, olim eorum Domina *Mathildis* habuit. *Terram* enim hic pro territorio, siue Comitatu accepit. (Sp.)

(4) Hunc cum tribus aliis insignibus Ducatibus, Romano scilicet, Narniensi, & Beneuentano Longobardi constituere post cædem *Caphis*, regnum & regium nomen repudiantes, vt scribit *Merula*. Poeta & vium loquendi in hac voce retinuit. Nemo enim veterum *Spoletanus*, sed *Spoletinus* dixit. (Sp.)

(5) Tmesi, hoc est, sectione, sic exigente metri ratione, vsus diuisit in duas partes, nomen oppidi in Etruria *Aqua pendentis*. Ptolemæo *Aquula*: vnde *Aquulenses*, qui Plinio *Aquasenses*, ex manifesta loci, vt ait *Volaterranus*, coniectura. (Sp.)

(6) Apparet nomen oppidi noui, sicut & *Ficarolum*: quorum meminit *Radeuicus*. (Sp.)

(7) Hoc est, *Sardinia*. Nam a *Sardo*, siue *Sardon*, quæ ipsa est hodie *Sardinia*, cui quondam nomen, vt paulo ante dictum est, fuerat *Ichnusa*, deducitur *Sardonius*, *Sardous*, & *Sardonicus*. (Sp.)

(8) Vt secundam syllabam in ecclesia corripit, ita hic canonem prima longa ponit, contra rationem Græcæ linguæ. Sed imitatur hac in re *Prudentium* & alios sacros Poetas eius æui, apud quos talia plurima occurrunt. (R.) p. 177

(9) Intelligit consueta, quæ vel ad vectigalia, vel id genus alia munera, seu onera pertinent: quæ plerumque certo numero, mensura, & tempore præstantur, vnde *iusto sub canone* dicit. Quo vocabulo Iurisperiti certas præstationes accipiunt, de quibus affatim traditur in tribus posterioribus libris C. *Iustinianai*. Ad huiusmodi autem munera, onera, præstationes, seruitia qualiacunque necessario subeunda requiritur consuetudo, quæ vetustissima & post hominum memoriam sit, ea enim priuilegii ius habet, & qualis nunc

nunc eſt præſumitur ſemper retro fuiſſe. Nec in ea conſuetudine introducenda videtur Principis ſcientiam neceſſario requiri: cum non ſimpliciter, ſed in vniuerſum iuri omnium officiat. Qua ratione, vt *Alciatus* putat, & aduerſus Imperatorem ex tali iure, poterunt pleræque Italiæ vrbes præſcriptione ſe tueri, tametſi Imperator ignoraſſe ſe alleget: præſertim cum ex fama ſatis potuerit hoc Cæſar ſcire, ſi modo res Italicas curaſſet. Curat autem minimum, vt idem ait: vt qui tot egregias vrbes, eius fidem implorantes, in ſummas calamitates incidere permittat, cum ipſe interim, vel ſacrificulorum preculis, vel aliis non æque neceſſariis rebus operam inſumat. (Sp.)

Hæc ſatis argutis rationibus(1) *omnia Princeps*
310 *Extenuans, doctis diſſoluit ſingula verbis*(2),
Oppoſuitque ſuam rupta de pace querelam,
Quam ſecum tali firmatam lege ferebat:
Ne cum Romanis, Siculo, Graiove tyranno
Ipſius iniuſſu ſociaret fœdera Præſul(3).
315 *Denique vel ſtricto iuri*(4), *legumque rigori*(5)
Stare, vel arbitrio ſapientum velle virorum(6),
Facturumque ſatis, ſuſcepturumque libenter
Conditione pari(7) *ſeſe promiſit: at illi*(8)
Accepiſſe quidem, ſed non præſtare paratos,
320 *Ridiculum quiddam, ſeſe veniſſe, ferebant.*
Nam ſe iudicio Papam(9), *qui iudice nullo*
Fungitur in terris (10), *ſupponere poſſe negabant.*

(1) Sic ſupra lib. 6 verſ. 143, *verba ſatis ampulloſa*, & verſ. 305. Et *ſatis implacide dimiſſos.* Et libr. 8 verſ. 364 *ſatis indignanter abegit.* Alias vero τὸ *ſatis* extenuare ac minuere ſolet vim nominis, cui additur: vt *Cicero* 7 ad Attic. epiſtol. 7; *Neque tamen quemquam bonorum aut ſatis bonorum dubitare*, &c. id eſt, mediocriter bonorum. Idem in iiſdem epiſtolis *ſat bonos* dixit, eodem ſignificatu. Et in *Catone* maiore ſic intelligendum, quod in eius apophthegmate eſt, *ſatis bene paſcere.* Sic vtitur *Lactantius*, optimus Ciceronis imitator, libr. 6 cap. 13; *Primus eſt virtutis gradus, malis operibus abſtinere: ſecundus etiam malis verbis: tertius etiam cogitatione rerum malarum. Qui primum gradum aſcendit, ſatis iuſtus eſt: qui ſecundum iam perfectæ virtutis: qui tertium, is vere ſimilitudinem DEI aſſecutus videtur.* Nota hic contentionem & altercationem inter Imperatorem & Legatos Pontificios. (R.) p. 178

(2) Neſcio quo conſilio *Guntherus*, ne reſponſionem Ænobarbi ſpecialiter referret, præterierit: quum tam fideliter a *Radevico* relata ſit, cuius adſcribam verba. *Imperator*, inquit, *ad hæc verba Cardinalium tale dedit reſponſum: Quamuis non ignorem, ad tanta negotia non ex animi mei ſententia, ſed ex conſilio Principum me reſpondere debere, ſine præiudicio tamen Sapientum, hoc abſque conſultatione reſpondeo: Epiſcoporum Italiæ quidem non affecto hominium, ſi tamen & eos de noſtris regalibus nihil delectat habere. Qui ſi gratanter audierint a Romano Præſule*, quid tibi, & Regi? *conſequenter quoque eos ab Imperatore non pigeat audire*, quid tibi, & poſſeſſioni? *Nuntios noſtros non eſſe recipiendos in palatiis Epiſcoporum aſſerit. Concedo, ſi forte aliquis Epiſcoporum habet in ſuo proprio ſolo, & non in noſtro palatium. Si autem in noſtro ſolo & allodio ſunt palatia Epiſcoporum, cum profecto omne, quod ædificatur, ſolo cedat, noſtra ſunt & palatia. Iniuria ergo eſſet, ſi quis nuntios noſtros a regiis palatiis prohiberet. Legatos ab Imperatore ad vrbem non eſſe mittendos affirmat: cum omnis magiſtratus inibi beati Petri ſit, cum vniuerſis regalibus. Hæc res fateor magna eſt & grauis, grauiorique & maturiori egens conſilio. Nam cum diuina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & ſim, ſpeciem tantum dominantis effingo, & inane vtique porto nomen, ac ſine re, ſi vrbis Romæ de manu noſtra poteſtas fuerit excuſſa* &c. (Sp.)

(3) Romanus. (Sp.)

(4) Illud eſt, quod a iuſtitiæ & æquitatis ratione deflectit: quod *ſummum ius* veteres dixere, pro *ſumma iniuria, ſumma malitia.* Stricti iuris tres eſſe ſpecies, non inſcite *Accurſius* tradit in l. *placuit.* C. *de Iud.* Conſtantinus tamen reſcripſit, in omnibus rebus præcipue attendendum eſſe iuſtitiæ & æquitatis, quam ſtricti iuris rationem. Proinde obſeruandum hic, quam ſe demiſerit Princeps, alioqui generoſo & excelſo animo. (Sp.)

Eleganter atque ex arte Iuris inter ſe opponit *ius ſtrictum* ſeu rigorem legum, & *arbitrium Sapientum* ſeu bonorum virorum, quod vulgo *laudamentum* vocant ex libris Feudalibus. Et noſter *Guntherus* alias *laudare* pro *arbitrari* vſurpauit ſupra lib. 8 verſ. 611; cum alias *laudare* Latinis ſit *nominare, appellare*: vt annotauit *Macrobius* Saturnal. lib. 6 cap. 7. Sic *Seneca* inter ſe opponit, ſub *formula iudicare*; & *ex æquo & bono iudicare*, lib. 2 de Clement. c... Sic alias idem opponit inter ſe *Iudicem & Arbitrum*: vt lib. 3 de benef. c. 7. de quorum omnium inter ſe differentia alibi latius. Illæ quoque ſunt formulæ a ICtis ſumptæ: *Satisfacere*,

ſatis offerre, ſatis cauere, ſatis præſtare, ſatis accipere, ſatis ſuſcipere. Ad quas & *Plautus* alludit. (R.) p. 178

(5) Hic obiicitur actionibus, quæ in bonum & æquum conceptæ ſunt: quia in eis non ſeruatur legitimi iuris rigor, quod in tabulis, aut moribus vtentium expreſſum eſt. (Sp.)

(6) Hoc eſt, *arbitrorum*, vel potius *arbitratorum*: vt ex Poeta, & latius ex *Radeuico* patet. Sunt autem *Arbitri*, qui ex compromiſſo adeuntur: quorum ſententiæ metu pœnæ paretur. *Arbitratores* vero ſunt, qui tanquam boni viri arbitrari & conſtituere aliquid debent, iuris diſpoſitioni minime obnoxii, nec comminatione pœnæ formidabiles: quorum ſententia magis tranſactioni, quam iudicio conformis eſt, videntur enim partes tranſigere arbitratu illius, cum priores arbitria ſua inſtar iudiciorum dirigant, & non multum ab ordinariis differant. (Sp.)

(7) Scilicet, compromittente Papa. (Sp.)

(8) Pontificii legati, quos vulgus itidem barbare vocat *Ambaſſiatores.* (Sp.)

(9) Sed & nulla ſolidæ Scripturæ autoritate, imo ſua ipſius definitione: qua ſtatuit credendum de neceſſitate ſalutis, ſe eſſe ſuper omnem humanam creaturam. Vnde nactus adulatores inſignis nominis, vnam iuriſdictionem poſt aliam ſibi vſurpauit, præferendo ſe omnibus mundi Principibus, præſertim Imperatori Romano: quem poſteriores Papæ, iniuſte ab Italia prohibuerunt, vt ſcribit late piorum quidam ob zelum & veritatis aſſertionem perſecutus. (Sp.)

(10) Nota, quod Papa ſit *ἀνεκλόγιστος καὶ ἀνυπεύθυνος*: ſcilicet quia Spiritualis iudicat omnia; ipſe a nemine iudicatur. Sed bene, quod additur, *in terris.* In cælis igitur ſedebit etiam in ipſum Iudex, is, cuius ad obſeptum diuino horrore tribunal omnes quotquot nati ſunt homines, ſiſti oportet, vt vnusquiſque præmia reportet eorum, quæ in corpore ſeu bona ſiue mala egit. 2 Corinth. 5 v. 10. Sed neque illa hic negligenda videtur Canoniſtarum diſtinctio, qui cum abſurdum exiſtimarent, Deum (hoc enim nomen Papæ tribuere non dubitarunt) hominum animaduerſioni eſſe obnoxium & iniuſtum tamen putarent, cuiquam maxima ſcelera & fœdiſſima flagitia impunita eſſe: rationem excogitarunt, qua & ſcelera plecterentur, & Papa tamen ſacroſanctus & inuiolatus haberetur. Aliud igitur Papæ, aliud eius hominis qui Papa eſſet, ius exiſtimabant: & cum Papam, quem vt Deum, errare poſſe negant, legum cognitioni & animaduerſioni eximant, eum tamen hominem, qui Papa eſt, vitiis & vitiorum pœnis obnoxium eſſe fatentur. Vide *Georg. Buchananum* Dialog. *de iure regni apud Scotos.* (R.) p. 178 ſeq.

Pluribus exhibitis fruſtra(1) *ſubiecit & illud*
Cæſar, vt electi bis tres(2) *a Præſule ſummo,*
325 *Totque ſua de parte viri*(3), *quibus omnia vero*
Poſtponenda quidem certa ratione putentur,
Omnia ſollicita dirimenda negotia cura
Suſcipiant, certoque Dei peragenda timore(4).
Sed nec in hoc Præſul conſenſit(5), *& omnia nutu*
330 *Ire* ſuo cupiens, iuſtæ ſe ſubdere legi*(6)
Reſpuit, vt magnæ(7) *cauſas qui quæreret iræ.*

(1) Subintelligendum, concordiæ mediis, quæ placidiſſimus Cæſar Ænobarbus proponebat. (Sp.)

(2) Cardinales. (Sp.)

(3) Sex ſcilicet, Epiſcopi, vt ait *Radeuicus,* religioſi, prudentes, & qui Deum timeant. Vnde ſubdit Poeta, *certoque Dei peragenda timore.* (Sp.)

(4) Auguſtana editio, *tenore.* Sed non recte. (R.)

(5) Exigens ab Imperatore capita fœderis, quod inter Papam *Eugenium* & ipſum ictum erat: vt ipſe Imperator teſtatur in epiſtola, quam ea de re ſcripſit ad *Eberhardum* Archiepiſcopum Saltzburgenſem. Eam recitat *Radeuicus* cap. 35 lib. 4. (Sp.) Papa recuſat ſtare iuri aut æquo & bono. Et quid ni? cum ipſe iura omnia in ſcrinio pectoris ſui cenſeatur habere: ſi *Bonifacio VIII* in propria cauſſa atteſtanti credimus, c. 1 de conſtitution. lib. 6. (R.) p. 179

* Germaniſmus. (B.)

(6) Hoc eſt, tam æquo compromiſſo, quod iure non poterat declinare, præſertim non niſi ſui ordinis iudicibus ſeligendis. (Sp.)

(7) Id eſt, diutinæ diſcordiæ, quæ & ſecuta eſt inter ſacerdotium & regnum. Sed vti ille oſtendit, Papæ regna affectando, diſcordiæ & bellis anſam dederunt. (Sp.)

(1) *At Ligures tacitæ molimina fraudis in actum*
Sæuitiæ proferre(2) *parant, Treciumque, quod illis*
Ereptum, valido iamdudum milite rector
335 *Munierat, terrore graui, validaque minantur*
Expugnare manu, tormentaque bellica raptim(3)
Secreto fabricata dolo, ſubuectaque plauſtris(4)

Marte

Marte graui sciuncta ferunt, magnaque repente*
Mole leuant, castrumque nouis assultibus vrgent.
340 *Missilibus telis alii, celerique sagitta*
Mœnia summa petunt, lapides agitata minores
Funda rotat, magnos(5) balearica machina muros
Incutit, & duro munimina verberat ictu.
Ast alii clypeis densa testudine(6) iunctis
345 *Fossarum supplere lacus, murosque latenti*
Suffodisse dolo, seu duri roboris ictu
Frangere, seu gradibus scalarum scandere turres
Acriter, & celsas properant comprendere pinnas:
Hoc magis vrgentes, quod(7) regia signa propinquis
350 *Finibus, & magnas metuebant Cæsaris iras.*

(1) Et ex hoc loco iterum intelligis, Poetæ non defuisse ingenium. Tam canoro versu, ceu suam materiam nactus describit expugnationem arcis Treciensis: in quam Ænobarbus, vt vi item bellica cœperat (vt cecinit non minus eleganter Poeta ad finem lib. 7) præsidium suum locauerat. (Sp.)

(2) Germanismus, *in der That*. (B.)

In actum proferre Latinum non est. Nam quod quidam apud *Ciceronem* pro domo reperiri putauerunt, frustra illos fuisse *Muretus* recte demonstrauit. Posteriores tamen eo vtuntur. Cicero *facti, actionis, rei* verbis vti solet, sed non in eodem loco tamen. (R.) p. 179

(3) Alias vno verbo dicit, *properata*. In verbis, *secreto dolo*, respicitur ad sententiam Plautinam: *Doli non sunt doli, nisi astu colas.* (R.) p. 179

(4) Scilicet, magnis illis instrumentis, quibus eriguntur tormenta, qualia diuersi generis a *Vitruuio* describuntur, suaque peculiaria recipiunt vocabula. Porro M. Varro autor est, *plaustrum* ab eo dici, quod ex omni parte palam est, & quæ in eo vehuntur reuelata perlucent. Huic opponitur *arcera*, de quo *Gellius*. (Sp.)

* L. *Arte*. (B.)

(5) Forte legendum, *magnis*, scilicet lapidibus. An potius pro *muros* legendum *muris*? vt video facere *Lipsium* lib. 3 Poliorcet. Dialog. 3 extremo, vbi hunc locum laudat. Ita hoc diceret: Funda quidem minores lapides rotat: Balearica vero magnos lapides incutit muris. (R.) p. 179

(6) Quæ dicitur fieri a militibus, quando consertis clypeis connexi, & colligati subeunt hostiles muros, quæ dicitur *phalanx*. Iuuenalis: *Iunctaque vmbone phalanges.* (Sp.)

Testudinis militaris crebra apud historicos mentio est. Sic *Sallustius* Iugurth. *Et ipse extra vineas egressus testudine acta succedere.* Sic *Tacitus* 3 histor. *Tum elatis super capita scutis densa testudine succedunt.* Plura auctorum loca annotaui olim ad *Oppianum* meum. (R.) p. 179

(7) L. *quo*, magis scilicet. (B.)

Malim, *quo*, vt sibi respondeant, *hoc magis, quo magis.* Sic Græci, *τοσούτῳ μᾶλλον, ὅσῳ.* Sæpe autem *quo* deprauatum fuisse in *quod*, alii ante nos docti viri obseruarunt. (R.) p. 179 seq.

Nec minus e summis animosi(1) turribus hostes
Saxa rotant, franguntque suos in prælia muros,
Vndique tela pluunt, balistæ(2) turbine(3) ruptus
Sibilat, & longis resonat stridoribus aer.
355 *Prima sequensque dies cœpto momenta labori*
Magna dedit, victos patefecit tertia muros.
Iamque(4) fatigatis toto iam corpore nostris(5),
Nec reuocare manum, nec respirare licebat,
(6) Aut mutare locum, primo, quem quisque tuendum
360 *Cœperat: at Ligurum sibi mutua signa frequenter*
Succurrunt, mutantque vices: semperque videtur
Augeri numerus, semper succrescere vires.
Succubuit numero(7) virtus(8), sæuoque tumultu
Effractæ patuere fores, pugnaxque iuuentus(9)
365 *Aut misero gladios hostiles sanguine tinxit,*
Aut tulit iniectas collo, manibusque catenas,
Hic(10) tamen in duris habito discrimine rebus.
Nam quoscumque illic victor(11) de gente Latina(12)
Repperit, ense ferox & inexorabilis, omnes
370 *Percußit, & ferrum gentili sanguine pauit(13):*

At

At quos Teutonici manifeste sanguinis index
Lingua(14) venustabat, tractandos mitius esse
Credidit, & captis sublata cæde pepercit.
Hisque quater denis, regni(15) quos fama clientes
375 *Vera fatebatur, in vincula dura coactis,*
Infandis alii perierunt cædibus omnes,
Ipsaque castelli fractis munimina muris
Euersa, & rapidæ ceciderunt(16) tradita flammæ.

(1) Cæsareani scilicet milites & Trecienses. (Sp.)

(2) Balistæ tormenta sunt, quibus saxa maiora & grauiora mittuntur, vt notat *Marcellus*. *Ouidius* in Tristibus: *Quam graue balista mœnia pulsat onus.* *Lucanus* lib. 3 pro machina hastam iaciente accepit, cum inquit: *Neque enim solis emissa lacertis Lancea, sed tenso balista turbine rapta, Haud vnum contenta latus transire quiescit.* *Silius* libr. 1 vtramque excussionem his versibus expressit: *Adductis stridula neruis Phocais effundit vastos balista molares. Atque eadem ingentis mutato pondere teli, Ferratam excutiens ornum, media agmina rumpit.* (Sp.)

(3) Id est, maximo impetu, quo balista emittit spicula sua. (Sp.)

(4) Offendit me ista parum apta geminatio, *iamque iam*. *Pflugius* malebat: *Namque*. Qui & in vers. seq. pro *reuocare manum*, diuinabat, *animum*. (R.) p. 180

(5) Cæsareanis & Trecensibus. (Sp.)

(6) Sic de Catilinariis coniuratis *Sallustius*; *Nam fere quem quisque pugnando viuus locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat.* Quem ferme totidem verbis exscripsit *L. Annaus*, qui vulgo Florus lib. 4. c. 1; *Quem quisque in pugnando ceperat locum, eum amissa anima corpore tegebat.* Vtrique *Plautus* præiuit his verbis in Amphitr. Sc. 1;

> *Sed in fugam nemo tamen conuortitur;*
> *Nec recedit loco, quin statim rem gerat.*
> *Animam amittunt prius, quam loco demigrent:*
> *Quisque vt steterat iacet, obtinentque ordinem.*

Similia sunt apud *Q. Curtium* & *Iustinum*. (R.) p. 180

(7) Militi Mediolanensi, qui numero superabat. (Sp.)

(8) Milites Ænobarbici & Treciani. (Sp.)

(9) Ænobarbicum scil. præsidium, & oppidanum Treciense. (Sp.)

(10) Perna, *hic*, malim, *hoc*. Vt iungantur, *hoc discrimine habito*. (R.) p. 180

(11) Mediolanensis. (Sp.)

(12) Italica. (Sp.)

(13) Propterea dixit supra, *tacita molimina fraudis, in actum Sauitia proferre parant.* (Sp.)

(14) Hinc illud quasi tritum sermone prouerbium: *Galilaus es: loquela tua te prodit.* In verbo, *venustabat*, auctor vernaculam suam linguam extollere videtur ob venustatem: vt quæque natio suam putat esse venustissimam; alias, præsertim sibi ignotas, pro barbaris habet. (R.) p. 180

Nam, vt facies homini tantum, sicut ait *Plinius*, data, quæ vnicum prope discrimen est, quo quis ab altero internoscatur, sic illi soli peculiaris cum primis est sermo, vnus patrii soli & certus index. Nam quemadmodum vnaquæque regio suam habet vernaculam linguam, ita singulæ propemodum ciuitates aliæ aliter pronunciando, illam adeo variant, vt cuias quisque sit, nihil certius indicet, quam ipsa hominis vox. (Sp.)

(15) Beneficiarios & vasallos imperii. (Sp.)

(16) *Pflugius* diuinabat, *cesserunt*. (R.)

At Cæsar tantæ comperto vulnere cladis
380 *Indoluit, luctuque graui commotus, & ira*
Continuit gemitum(1), pressitque in corde dolorem(2).
Fortia Principibus præbens exempla dolendi(3),
Non placuit meritas noxarum sumere pœnas,
Vlciscive suos, aut bella mouere, priusquam
385 *Curia Roncaliis iamdudum indicta coiret.*
Hic Ligurum fraudes, & fœdera rupta, suasque
Omnibus offensas(4) mirantibus, atque superbæ(5)
Perfidiam plebis iusto damnantibus ore,
Edidit, atque suæ consciuit robora caussæ.

(1) Indignationem. (Sp.)

(2) Imitatio Virgilii: *Premit altum corde dolorem.* Qui nescit dissimulare, nescit imperare. (R.) p. 180

(3) Dissimulandi dolorem. (Sp.)

(4) Iniurias, quibus animi hominum offenduntur. (Sp.)

(5) Scilicet, Mediolanensis. (Sp.)

390 *Protinus hostiles infesto milite fines*
Irruit, & latos ferro, simul igne, rapina,

Depo-

Depopulatur agros, ficus(1), *vinetaque ferro*
Cædit, & arboreos detracto cortice truncos
Excoriat(2), *nullis vltra iam fœtibus aptos:*
395 *Vtilius reputans damnis, quam sanguine fuso*
Deterrere reos, tumidasque retundere mentes.
Aut si forte truces, vel sic resipiscere nolint,
Consumpti pereant, vel deditione supremi(3),
Vel famis exitio sumptu breuiore(4) *ciborum,*
400 *Seque, suosque simul cogantur tradere muros.*
Præterea portas(5) *posito custode per omnes*
Abstulit vtilium clausis commercia rerum.
Neve quis hostili venalia deferat vrbi,
Audenti pœnam, prodenti præmia fixit(6).
405 *Sepe fores vrbis stipatus milite forti*
Accedit, tutos vt mœnibus euocet hostes.

(1) Augustana editio & Wecheliana, *fines.* (R.)

(2) Hoc vno verbo est *delibrare*, vt quidam legunt apud *Paulum* in l. 5 cædere. ff. arb. furt. cæs. Alii tamen ita: *cingere* est *deglabrare.* *Budeus* etiam *deglubere* legi posse ait. *Nonius* quoque pag. 30 b. *delibratum* decorticatum exponit. Videtur autem hic violatum legis diuinæ præceptum Deuter. 20, de non succidendis arboribus pomiferis in obsidione vrbis. (R.) p. 180

(3) Quid sibi vult, *supremi*? videtur nomen pro aduerbio positum, nempe pro *tandem*, vel *postremo* cogantur tradere, &c. Sic ego. At *Adolfus Boethius* meus legendum putabat, *suprema*, pro, *extrema.* (R.) p. 181

(4) Id est, sumptione parciore. De hoc vsu τῦ breuis, vid. supra lib. 1 ad v. 133. (R.) p. 181

(5) Augustana editio, *partes.* (R.)

(6) His enim duabus rebus, præmiis & pœnis, Respub. tanquam neruis continetur, vt aiebat *Solon.* Et *Lycurgus* in Leocratem: δύο γὰρ ἐςὶ τὰ παιδεύοντα τὺς νέυς, ἥτε τῶν ἀδικέντων τιμωρία, καὶ ἡ τοῖς ἀνδράσι τοῖς ἀγαθοῖς διδομένη δωρεά. πρὸς ἑκάτερον δὲ τέτων βλέποντες, τὴν μὲν διὰ τὸν φόβον φεύγυσι, τῆς δὲ διὰ τὴν δόξαν ἐπιθυμῦσι. Quibus conuenienter *Plutarchus*: *Sunt hæc duo* (inquit) *quasi elementa quædam virtutum: præmia & pœna. Nam & præmii spes ad optima quæque studia promptiores, & pœnæ metus ad actiones prauas tardiores efficit.* Sic *Vlpianus* iuris sacerdotes ait bonos efficere cupere non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione. l. 1 ff. de iust. & iur. (R.) p. 181

Sæpius egressos impune iterumque reuersos,
Egregia(1) *tandem Fridericus fraude fefellit,*
Eductosque sua Ligures paulisper ab vrbe,
410 *Conuersosque fuga, sociis præcurrere iussis,*
Faucibus angustis intercipit, atque negato
Portarum ingressu, captis, ferrove peremptis
Pluribus, incolumes vix paucos reddidit vrbi.
Cumque procul Ligurum fines penetrasset, agrosque
415 *Depopulans, magno momenta*(2) *potentia bello*
Adderet, hostili velox equitatus ab vrbe
Quingenti iuuenes, animis armisque valentes,
Regia translatæ petierunt mœnia Laudæ(3);
Inuentosque greges, latis armentaque campis
420 *Ad sua conuerso cogebant mœnia cursu.*
Hos Dux, Anconæ raptis Guarnerius(4) *armis,*
Atque alius(5), *sub quo tunc Præsule diues agebat*
Mantua, præcipuæ meritus præconia famæ,
A tergo iuuenum valida comitante caterua(6),
425 *Horribili clamore premunt, prædaque recepta,*
Sexque decemque viris Ligurum de gente peremptis,
Vix alios muris pauidos vrbs mœsta recepit.

(1) Vt supra *pulcrum dolum* pro *strategemate* dixit, ita hic *egregiam fraudem* vsurpat. (R.) p. 181

(2) Incrementa, vires. (Sp.) Augustana editio, *monimenta*, quod recte postea emendatum est. Nam & alias hæc permutarunt librarii. (R.) p. 181

(3) In die Pentecostes anni prædicti, vt ex *Ra-*

ex *Radenico* constat: qui, *iuste*, inquit, *eos diuina vltio persecuta est, vt qui sanctissimo diei debitam reuerentiam & honorem exhibere contempserant, ipsi cum dispendio, atque dedecore reuerti cogerentur*: quod & Poeta innuit, dicens. . (Sp.)

(4) Augustana editio, *Grauerius*. (R.)

Ductor auxiliaris militiæ quam Anconitani miserant. Duces veteribus erant, qui præcedebant. Vnde Maro. *Dux femina facti*. Nuper in dignitatis gradum Ducis nomen translatum est. Quanquam *Radenicus Guarnerium* hunc Marchionem Anconitanum nominat. (Sp.)

(5) Scilicet, *Carsidonius*. (Sp.)

(6) Vt ait *Radenicus*, paucorum Alemannorum. (Sp.)

Iamque quater denis ferro flammaque diebus
Inclitus hostiles Princeps vastauerat agros,
430 *Oppidaque & validis munitas turribus arces*
Cœperat, inter quas nulli superabilis ante
Cesserat, inuicto quædam munitio Regi,
Quam montem sancti plebes vocat illa Ioannis.
Iamque fere cunctis mutilauerat vndique membris
435 *Insidum reprobumque caput*(1), *tantumque relictis*
(Cetera subdiderat victor sibi castra) duobus.
His aliud quiddam pulchrum fortuna recensque
Addidit, & largi cumulauit dona fauoris.
Namque suos equites opulentæ(2) *in rura Cremonæ,*
440 *Et prædabundas emisit Brixia*(3) *turmas:*
Cumque per inuasos late discurrere fines
Cœpissent, nulloque metu ventura cauerent,
Præmoniti dudum, latebrosis sedibus(4) *hostes*(5)
Prosiliunt, terrentque viros, funduntque, fugantque,
445 *Attonitosque necant, & ferrum sanguine pascunt*(6).
Sic sexagenos equites, peditesque trecentos
Vel gladius fudit, vel constrinxere catenæ.
At Cæsar reprobæ(7) *vastatis finibus vrbis*
Fida suæ repetit victor munimina Laudæ.
450 *Hic iam dimissis Italis, vxoria signa,*
Et transalpinas libet expectare cohortes.

(1) Ipsum scilicet Mediolanum. (Sp.)

Eleganter metropolim capiti, minora oppida & castella membris comparat. (R.) p. 181

(2) Sic reposui, pro *opulenta*. Nota hic Brixienses victos, fugatos, cæsos, captos: qui exemplum præbent eius, quod dicitur: *τῶ ἀμυνομένῳ ἄμεινον*. (R.) p. 181

(3) Augustana editio, *Brissia*. (R.)

Fœdere iuncta Mediolano. (Sp.)

(4) Cremonenses, a suis exploratoribus opportune moniti. (Sp.)

(5) Hoc est, ex insidiis, quibus fefellerunt Brixianos securos earum. (Sp.)

(6) Sic supra v. 370 *ferrum gentili sanguine pauit*, *γλυκὺ σχῆμα*: quasi *ferrum* animatum esset ac nutriretur. (R.) p. 181

(7) Mediolani. (Sp.)

Creuerat interea Ligurum cum tempore pestis,
Appositisque malum capiens augmenta diebus**
Ingruerat, totamque fames possederat vrbem.
455 *Non tamen infaustos*(1) *homines mala tanta docebant*
Pœnituisse sui, quos desperatio(2) *tutos*
Fecerat exclusa certæ formidine cladis.
Vnde nec insidias infandi(3), *occultaque mortis*
Expauere sacro molimina reddere(4) *Regi.*

* Scripturæ locutio. (B.)

(1) Hoc ideo dicit, quod nonnunquam malum fit occasio bonorum. In humanis malis primas tenent, bellum, pestis, fames. (Sp.)

(2) Quæ est, definitore *Tullio* lib. Tuscul. quarto, *ægritudo sine vlla rerum expectatione meliorum*. Salustius; *ne forte desperatione adducti, vita mortem præferrent*. (Sp.)

(3) Quod eius sceleris rei iuxta legem maiestatis non modo pœnam animæ, hoc est, vitæ amissionem sustinent, sed & memoria eorum post mortem damnatur. (Sp.)

(4) Pflugius, *tendere*. (R.)

L. *tradere*. (B.)

Protinus

460 *Protinus immani metuendum corpore quendam,*
Cuique erat ex facili(1), *verum simulare fauorem*(2),
Allectum pretio stimulant, vt regia castra,
Vesanum(3) *simulans verbis ac gestibus, intret,*
Exceptumque dolis(4), *inuento tempore*(5), *Regem*
465 *Interimat, quocumque modo: nec tardior ille*
Consiliis parere malis, hostilia magni
Proxima conspicuæ Regis tentoria Laudæ,
Subuersa facie, cunctis incognitus intrat.
Exceptusque semel, totis ludibria castris,
470 *Et faciles præbere iocos, risumque mouere*
Gaudebat, stultæ simulator callidus artis:
(6) *Squallidus, illota facie, barbaque, comaque*
Horridus impexa, scisso pannosus amictu,
Fulgur habens oculis, spumanti sordidus ore,
475 *Nunc pauidus vultu, nunc efferus, & modo mitis,*
Et modo trux, modo blanda loquens, modo iurgia nectens,
Nunc humilis, nunc ore minax, ac feruidus ira,
Nunc celer incessu, nunc tardior, & modo pallens(7),
Et modo terribili succensus lampade vultum(8),
480 *Nunc risu lachrymas, gemitu modo gaudia rumpens,*
Sæpe genas alapis, colaphis supponere colla
Gaudebat, prudens hominis simulator inepti(9).
Sic olim Priamum(10), *perituraque Pergama mendax*
Ille Sinon(11), *Graia munitus fraude, subiuit,*
485 *Illususque*(12) *diu miseris illudere Teucris*(13)
Optabat, sensuque dolos tractabat iniquo.

(1) *Esse alicui ex facili*, pro *facile & in promptu esse*, πρόχειρον εἶναι, ἢ ἐξ ὑπογύου: Quod *Plautus* sæpe solet dicere, *in mundo esse*. Vid. *Nonium*. *Vlpianus* l. 4 ff. De eo quod certo loco: *pecunia ex facili soluenda*. *Tacitus* (seu quis alius est scriptor *vitæ Iul. Agricolæ*) sententiose inquit: *Nihil profici patientia, nisi vt grauiora tanquam ex facili tolerantibus imperentur*. Eadem loquendi formula & *Seneca* & *Plinius* vtuntur. *Ille*, epist. 122 sic ait: *Artifex instrumenta sua tractat ex facili*. *Iste*, lib. 22 c. 15, & lib. 30 c. 31 *Eorundem cinis* (loquitur de vermibus terrenis) *exesis dentibus iniectus ex facili eos cadere cogit*. *Valerius Maximus*, libr. 8, cap. 7: *Democriti diuitiæ tantæ fuerunt, vt pater eius Xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit*. Vulgo ibi, *facile*. Cuius autem quæso diuitiæ tantæ, tanto vt exercitui, qui decies centenis millibus militum constitisse fertur, epulum dare potuerit? Quare deleta voce, *exercitui*, lege veteri libro iubente: *Xerxi epulum dare*. Sic *de falso*, pro *falso* Tertullianus c. 2 Apologet. Sic *in facili esse* vsurpat Tryphon. in l. 8. ff. de confir. tut. Huic contraria est altera, qua dicimus, *esse in difficili*, pro *difficile esse*. Vt *Liuius* lib. 3 hoc præclaro epiphonemate: *adeo moderatio tuendæ libertatis, dum æquari velle simulando ita se quisque extollit, vt deprimat alium, in difficili est*. Sic & *Scæuola* loquitur in l. 29. Gallus ff. de liber. & postum *ille* (inquit) *casus in difficili est*. Idem autem cum priore valet, *in procliui esse*. *Sallustius* Iugurth. *cuius si dolum caueris omnia in procliui erunt*. Nota hic insidias capiti & vitæ *Friderici* per simulationem insaniæ structas a quodam Mediolanensium emissario. Sic & per alium tentatus est, monachi schemam indutum, infra vers. 525. & veneno per quendam Arabem appetitus, infra vers. 527. h. lib. Sed Imperator diuina prouidentia protectus omnes hosce insidiatores euasit atque elusit. Porro cum hac simulatione vesaniæ, (quæ graphice admodum a *Guenthero* describitur) conferri potest *Plautus* in Menæchmis. (R.) p. 182

(2) Nemo non videt, hic *furorem* esse reponendum. (R.)

(3) Furiosum. (Sp.)

(4) Insidiis. (Sp.)

(5) Hoc est, per opportunitatem siue oblatam occasionem. (Sp.)

(6) Perelegans furiosi & simul stulti hominis descriptio. (Sp.)

(7) Id est, timidus. (Sp.)

(8) Id est, iracundus. (Sp.)

(9) Qualis in veteri historia Rom. est Brutus, Regum expulsor, libertatis assertor, & vindex tyrannidis: qui, vt eleganter in Bruto ait *Cicero*, summam prudentiam simulatione stultitiæ texit. (R.) p. 185 seq.

(10) Qui quinquaginta filiorum pater, dein iusta progenie orbatus, postremo senex captus & occisus est ad aram Iouis Hercæi, vt canit *Homerus*, *Cicero*, & *Iuuenalis* meminere, nec non poetarum lux, *Maro*. (Sp.)

(11) Historiam pete ex eodem *Marone*, quam cecinit multis versibus libr. secundo Æneidos. *Seruius* mendacii artem Sinonem probe calluisse indicat, quod præmissis vera

 falsis

falsis subiungeret, vt lib. tertio de Arenoldo Brixiano *Guntherus* cecinit. (Sp.)

(12) Forte respexit ad illud in 2 Æneid. *certantque illudere capto.* Tandem tamen vbi Regis Priami aliorumque sibi animos conciliasset, non iam amplius illusus fuit, Sinon a Troianis, sed clementer habitus, & ex commiseratione vita libertateque donatus, atque in vrbem cum equo Durateo seu ligneo militibus grauido receptus. (R.) p. 183

(13) Troianis. Semidoctum vulgus eosdem *Teucros*, & *Turcas* tam barbare, quam falso vsurpat. (Sp.)

Vtque per expressi certissima signa furoris(1)
Omnibus in castris suspectus(2) *desinit*(3) *esse*,
Ipsum etiam Regem cœpit funestus ineptis
490 *Delinire iocis, dum tandem tempore rapto*
Prodiit in verum vesania(4) *ficta furorem.*
(5) *Nam cum more suo*(6), *primo Rex lucis in ortu,*
Ad matutinos(7) *diuinæ laudis honores,*
Strenua(8) *neglecto rapuisset membra cubili,*
495 *Omnibus in castris pingues*(9) *efflantibus auras*(10),
Et matutinæ(11) *pressis torpore quietis,*
Dæmonis impulsu, sæuissimus ille satelles,
Opportuna ratus peragendæ tempora fraudis,
Pronus in alterutrum(12), *vel sese subdere morti,*
500 *Vel patrare nefas, incautum fortibus vlnis*
Implicat, & grauiter robusto corpore pressum
Extrudit castris, altæque crepidine ripæ
Præcipitare parat, fluuioque(13) *immergere Regem,*
Fecissetque reor, ni Cæsar fraude reperta(14)
505 *Multa reluctatus, castrorum in fine supremo.*
Implicitusque manu prensis hæsisset vtraque
Funibus, & magno socios clamore vocasset.
Qui mox excusso somni torpore(15) *ruentes,*
Iniectis manibus circumstant vndique monstrum,
510 *Ac primum rigidos vlnarum soluere nexus,*
Illæsumque Ducem(16) *caute subducere tentant.*
Inde flagellatum, condignaque fraudis(17) *adeptum*
Præmia flumineis torrens absorbuit vndis.

(1) *Cicero* in 3 Tuscul. de insania & furore loquens: *Eos enim*, inquit, *sanos intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo perturbata nullo sit. Qui contra affecti sunt, hos insanos appellari necesse est.* Et paulo post: *Græci autem maniam vnde appellent non facile dixerim: eam tamen istam distinguimus nos melius quam illi. Hanc enim insaniam, quæ iuncta stultitiæ patet latius, a furore distinguimus. Græci volunt illi quidem, sed parum valent verbo. Quem nos* furorem, melancholiam *ipsi vocant: quasi vero atra bili solum mens, ac non sæpe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur. Quo genere Athamantem, Alcmæonem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum dominum esse rerum suarum vetant 12 tabulæ. Itaque non est scriptum*, si insanus, *sed* si furiosus esse incipit. *Stultitiam enim censuerunt*, id est, *inconstantiam sanitate vacantem: posse tamen tueri mediocritatem officiorum, & vitæ communem cultum atque vsitatum. Furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia cæcitatem. Quod cum maius esse videatur quam insania, tamen eiusmodi est, vt furor in sapientem cadere possit, non possit insania.* (Sp.)

(2) Hæc vox, sicut *suspiciosus*, bifariam dicitur, & qui suspicatur: & qui suspectus est: sicut *ignarus*, qui ignorat, & ignoratur, & alia consimiliter. (Sp.)

(3) Forte legendum, *desiit.* Videtur enim hic locus præteritum postulare. Quamquam etiam præteritum huius verbi, quod nobis est *sini*, veteres *sini* formarunt: vt erudite obseruauit *Ian. Guilielmius*, ac reposuit apud *Terentium* duobus locis, vt Andria Sc. Non dubium, & Adelphis Sc. Hem opportune. (R.) p. 183

(4) *Ve* particula tum intensionem significat, tum minutionem, vt *vetus*, *vehemens*, *vegrande*, *veiouis*, & *vesanus*, qui constituta mente non est. Inde *vepemis* apud *Martialem* lib. 11, parua mentula. *Drauci Nata sui vocat vepenem, Collocatus cui gallus est Priapus.* Nam iocatur in *Natam* Poeta, quod subactoris sui membrum virile, & quidem vastum, diminutiuo nomine *vepenem* blandiens appellabat. Qui vero *bipennem*, aut *pipinam*, teste *Iano Parrhasio* in primo in Raptum Proserp. libro, hactenus legerunt, ad sales Poetæ non aspirant. (Sp.)

(5) Lege vltimum cap. libri Ænobarbicorum gestorum, in quo *Radeuicus*, de moribus *Friderici*

Friderici loquens: *Si aftiuum*, inquit, *diuturnam forinsecus perquiras, antelucanas basilicarum & sacerdotum suorum cœtus, aut solus, aut minimo comitatu expetit, eosque tam grandi sedulitate veneratur, vt omnibus Italis erga Episcopos & clericos seruandi honorem & reuerentiam, ipse formam & exemplum tribueris. Officiis diuinis tantam prabet venerationem, vt omnem horam, qua coram ipso Deo psallitur, competenti veneretur silentio, nec vllus interim eum audiat de quolibet sollicitare negotio*, & cetera. (Sp.)

(6) Nota exemplum pietatis singularis in Principe, qualis & in *Carolo* Magno fuisse memoratur. Surgit Imp. *Fridericus* solus & vacat orationi, ministris suis adhuc stertentibus. Non illum aliquod expergefacit somnium, vt Agamemnonem Homericum, cui per quietem hæc insonat admonitio:

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Sed pietas, sed religio aduersus Deum hunc nostrum Agamemnonem excitat. Norat enim, ab hoc petendam esse omnem gubernationis felicitatem, ab hoc successus salutares orandos. Norat illud, quod apud *Homerum* liberis suis præcipit sapientissimus Nestor: εὔχεσθαι, πάντες δὲ θεῶν χατέουσ' ἄνθρωποι. Quem optimum *Homeri* versum dicere solebat *Phil. Melanthon*. Agnoscas igitur hic alterum *Dauidem*, qui diluculo ipsam auroram præueniens hymnum in Dei laudes decantat, omniumq; rerum gerendarum primordia inde capit. Adeo ipsi est

εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι αἰθέρι εὐχάς.

Quid quod & *Plinius* lib. 10 epist. de Christianis testatur, solitos esse stato die ante lucem conuenire, carmenque Christo quasi Deo secum inuicem dicere, &c. Porro quæ *Spiegelius* ad hunc locum annotat de septem horis canonicis, a quo & qua fini sint institutæ: iis & hæc obseruatio non incommode adiicietur: Choros seu cœtus canentium in ecclesiis in binas partes sese inuicem respicientes, primum diuisos esse sub Constantio Constantini Magni filio, & Flauiano Episcopo Antiocheno: vt inquam sic alternis Psalmos Dauidis accinerent: Quod institutum Antiochiæ primo cœptum (vbi & Christianorum nomen primo natum constat ex Actis Apost.) mox in omnes totius orbis fines dimanauit: teste *Suida* in voce χορός. Eodem æuo etiam natus videtur mos & institutum illud ecclesiasticum ἀντιφωνῶν & *Responsoriorum*, quæ vocantur, quæ & Latina ecclesia recepit. Credo sanctos illos ecclesiæ Antistites in illo more constituendo hoc spectasse, vt vitæ illius cælestis (in qua homines erimus πλήρωμα ἀσίγητον ἀγγέλων, vt *Nazianzeni* verbis vtar) vmbra & gustus aliquis velut in antecessum etiam in his terris præberetur ac præciperetur. Nec video, quid impediat, quin & hodie sine superstitione hoc pietatis incentiuum retineri & obseruari possit. « (Nisi forte omnia piæ & religiosæ vetustatis instituta conuellendo atque abolendo laudem nos singularis sapientiæ consecuturos speramus. Sed hæc iam extra notarum modum euagari incipiunt). (R.) p. 183 seq.

Verba vncinis inclusa auctor postmodum in suo exemplari dispunxit.

(7) *Pelagius* secundus decreuit, vt septem canonicæ horæ quotidie a sacerdotibus celebrentur, velut præsentaneum remedium humanæ imbecillitati futurum: quo sicuti iustus septies in die, quemadmodum ait *Solomon*, forte per incogitantiam cadit, ita per orationis curam toties resurgat reualeatque. Singulis autem horis *Gregorius* præfationem dedit initium Psalmi Dauid: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina*, subiecitque hymnum illum: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*, quem in Niceno conuentu editum fertur *Damasus* Pontifex omnium primus in fine Psalmorum adiecisse. Huius rogatu digessit diuus *Hieronymus* psalmorum librum in septem partes, ad numerum dierum vnius hebdomadæ: vt quilibet dies certum psalmorum numerum haberet, qui caneretur, quod ita distinctum nunc ex ipsius *Damasi* decreto in omnibus templis legitur. (Sp.)

(8) Agilia, minime torpida, qualia reddit somnus longior. *Strenuus* enim dicitur nauus, agilis, promptus, quasi strena & munere dignus. *Strena* autem vocatur munus, quod datur die festo ominis boni gratia, & peculiariter, quod die Dominicæ natiuitatis, & principio anni noui datur. Nam & populus Romanus kalend. Ianuar. hoc est, anni noui principio ex ritu vetusto strenam dabat Augusto, quod specimen erat maximæ in Principem dilectionis. (Sp.)

(9) Diuinabam, hic *pigras*, legi posse, nihil tamen facile mutarim. Auram pro spiritu vel anhelitu etiam alibi *Guntherus* vsurpauit, vt *exspirare auram*, supra v. 99. (R.) p. 184

(10) Stertentibus. (Sp.)

(11) Somni matutini. Inter mala corporis vigiliæ sunt plerisque, vt inquit *Plinius*. Qui bene concoxit, mane tuto surgere poterit: qui parum, quiescere debebit. Et si mane surgendi necessitas fuerit, redormire, autor *Corn. Celsus* in primo. Inter ea, quæ extenuant corpus numeratur vigilia, & somnus nimium breuis. Augustus non libenter de mane surgebat: quem *Carolus*, qui eius modo nomen retinet, sequitur. Contra Iulianus Imperator euigilabat surgebatque semper nocte dimidiata: secutus exemplum Alexandri Macedonis, quod mox referemus. Certe, vt *Christianus Horatius* cecinit: *Post solis ortum fulgidi Serum est cubile spernere, Ni parte noctis addita Tempus labori adieceris.* (Sp.)

(12) Manifesta imitatio *Virgilii* Æneid. 2; *In vtrumque paratus, Seu versare dolos, seu certa occumbere morti.* (R.) p. 184

(13) *Abdua* scilicet, ad cuius ripam Ænobarbica castra protendebantur. (Sp.)

(14) Cognitis insidiis, seu intellecto dolo. Notum autem, quod Grammatici repertum

pertum fortunæ, inuentum studio tribuunt. Vnde Inachus apud *Ouidium*: *Tu non inuenta, reperta es.* (Sp.)

(15) Quod nimius somnus solutis membris torporem instillet. Hoc intelligens Alexander, lecto stratus, ænea concha supposita, brachioque extra cubile protento, pilam tenebat argenteam: vt quum neruorum rigorem sopor laxasset, lapsæ pilæ tinnitus somnum abrumperet. Idem secutus est exemplum Iulianus Cæsar, vt scribit *Ammianus*. Vere dixit *Homerus*, *non esse Principis solidam dormire noctem*: quum nullum mare tam graues habeat tempestates vnquam, quam omne regnum assidue. Si non sine iudicio talem Æneam suum fingit *Virgilius*, vnde quæso Principi christiano sit otium, totos fallendi dies, imo perdendi maximam vitæ partem alea, choreis, venatibus, morionibus, & his etiam nugacioribus nugis? (Sp.)

(16) Cæsarem. *Ioseph. Deuonius* lib. 4 v. 43 *Priamum* sic vocat. (B.)

(17) Ἄποινα ἆθλα, ἐπιτίμια τέχνης. Nota, *præmii* verbum esse τῶν μέσων, & de *pœnis* quoque vsurpari. Exempla sunt etiam apud *Plautum*. Sic *Sallustius* hist. 1. *Nam vbi malos præmia sequuntur, haud facile quisquam gratuito bonus est.* Idem alibi fragmentorum: *neque bonum neque malum facinus cuiusquam pro nihilo haberi a diuino numine; sed ex natura diuersa præmia bonos malosque sequi.* (R.) p. 184 seq.

Non tamen hoc sceleris comperto fine quieuit(1),
515 *Abstinuitve dolis reprobæ*(2) *versutia plebis,*
Eque suis octo magna mercede paratos(3),
Furtiuis Laudam stimulant incendere flammis.
Horum, qui primus scelus attentauit, in ipso(4)
Ignibus admotis deprensus criminis actu,
520 *Quas decuit pœnas ligno persoluit adactus*(5),
Certaque complicibus(6) *scelerum, ne tale quid vltra*
Ausuros impune putent exempla reliquit.
Alter, vt explorans(7) *hostilia castra subire*
Posset, &(8) *innocuæ speciem prætendere mentis*
525 *Induerat monachum*(9): *sed & hic deprensus, eodem*
Supplicio mortem probrosaque fata subiuit.

(1) Nota, Mediolanenses conducunt incendiarios, qui Laudam exurant, quod ea *Friderici* partes sequeretur. (R.) p. 185

(2) Populi Mediolanensis. (Sp.)

(3) Nec mirum, quando Philippus Rex omnia castella expugnari posse dicebat, in quæ modo asellus onustus auro posset ascendere. Et sicut dicebat, ita faciebat. Nam pecunia cunctos mortales corrumpens, & proditores auro concilians, vrbes plurimas occupauit, totamque Græciam turbauit, vt docet *Demosthenes* in oratione pro Ctesiphonte. Quod & testatur *Horatius* 16 Oda lib. carm. tertio, quam scribit ad Mæcenatem de potentia auri. (Sp.)

(4) Ἐπαυτοφώρῳ ἁλωκώς, vel καταληφθείς. (R.)

(5) Id est, Patibulo affixus: veteribus *Gabalum*, vt *Nonius* inquit *Varronis* testimonio. (Sp.)

Id est, *patibulo affixus*, inquit *Spiegelius*. Cui *Adolfus Boethius* meus, is quem & supra laudaui, non putat assentiendum, ac potius lignum accipit de palo erecto & in terram depacto, cui incendiarii vel super imponuntur vel alligantur, cum aut fumigatione extinguuntur, aut lento igni circumfuso torrentur aut cremantur. Hoc primum. Deinde pro, *adactus*, idem mauult *adustus*. De primo, vt ei facile assentior contra *Spiegelium* (suspendium enim nimis leuis pœna est, quam pro incendiariis, de quibus vide Constit. criminal. Caroli V. cap. 125) ita alterum vix est, vt admittam, ac potius retineo *adactus*, id est, alligatus vel affixus clauis, vel catenis reuinctus. Possumus etiam palum per corpus adactum intelligere, quod Germanis est *Spiessen*. Genus supplicii hodieque apud nonnullas gentes vsitatum. * Vid. *Lindenbrog*. in not. ad *P. Diaconum* lib. 4 de Gest. Longobard. cap. 28. p. 274*. (R.) p. 185

(6) Pro *sociis*, more ecclesiasticorum, vocabulo latinis parum probato vsurpauit. Nisi quod apud eos semper accipitur in malam partem. (Sp.)

(7) Id est, Explorator, *ein kundschaffter, ausspeher*, ab explorando dictus. *Explorare* antiquos refert *Festus*, pro *exclamare* vsos, sed postea *prospicere*, & *certum cognoscere* cœpit significare: vt *explorator* sit, qui speculator. Sunt tamen, qui speculatorem alium omnino esse velint ab exploratore. *Caligula* Cæsar *exploratorias coronas* in explorationem hostium dedit, veteribus ignotas. (Sp.)

(8) Quis enim aliquid mali metuat a religioso viro? Sed experientia non modo veterum sæculorum, sed etiam nostræ ætatis docuit, sub cuculla quoque ista animum sæpe nefarium, proditorium, & parricidalem latere, vt sub ouilla pelle lupum. Itaque recte hoc fecit *Æneas Syluius*:

Non

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Effrenis monachus, &c. (R.) p. 185

(9) Cucullum, vt nunc dicunt: vel simpliciter raso capite, mentiebatur vitam arctioris religionis. (Sp.)

(1)*Nec reticere libet, quod tempore Cæsar eodem*
Ambiguo quodam scriptos autore salubres
Accepit monitus, venturum in regia quendam
530 *Castra, veneficiis magicoque furore potentem,*
Deformem facie, (2)*longi dispendia passum*
Temporis, alterius fraudatum luminis visu(3):
Spretorem mortis, solitum quascumque potentum
Pro nihilo reputare minas, huiusque sequaces(4)
535 *Viginti pluresque viros erroris*(5) *habentem:*
Qui gentilis Arabs(6), *tanquam munuscula Regi*
Adueheret, frænos, calcaria, cingula, bullas,
Quodque liget digitos(7),*quod colla coerceat aurum*(8):
Omnia sulphureis ita delibuta venenis,
540 *Vt si forte manu Princeps contingere nuda*
Cœperit, infecto permixtum sanguine virus
Æstuet, & toto dominetur corpore pestis.
At si sacra manus contactu forte nocenti
Cautius abstineat, sica(9) *sub veste latenti,*
545 *Regia vel fixo fodiat præcordia cultro.*

(1) Similia toxica sæpe & vetere memoria & nostra intentata sunt magnatibus. Vsque adeo semper eadem fabula agitur inter homines, personis tantum mutatis, nihilque sub sole nouum inuenitur. Est autem præ cæteris maxime memorabile illud facinus veneficii in *Henrico VII* Imperatore, qui a quodam Prædicatoriæ familiæ monacho clanculum immisso veneno in ipsum eucharistiæ calicem interemptus est: vt plurium testimoniis historicorum probat *Hotomanus* Commentar. lib. 2 Feud. tit. quomodo in læsæ maiest. crim. proced. Ceterum pro, *quid*, legerim hic vel, *quod*: vel *quia*. Scio hoc parum Latinum esse: Sed tamen ita & *Calpurnius* vtitur in Ecloga 4; *Scimus enim, quia te non aspernatur Apollo.* Græcismus est, quo exprimitur ὅτι. (R.) p. 185 seq.

(2) Hoc est, *senem ætate*, non inscita periphrasi. (Sp.)

Quia, vt *Horatius* ait:

Singula de nobis anni prædantur euntes.

Et vt *Seneca* Hippolyto.

Nullaque non dies formosi spolium corporis abstulit. (R.) p. 186

(3) Ita restitui. Vulgo, *visum*. (R.)

(4) Discipulos. (Sp.)

Complices, asseclæ. Sic dicimus vulgo, *Accursii, Bartoli sequaces*, &c. Veteres vsitatius pro adiectiuo: vt, *cura sequaces* apud *Lucretium*: *vnda sequaces*. Alibi Guntherus *Iudicem veri sequacem* dixit. (R.) p. 186

(5) L. terroris. (B.)

(6) Pro, *natione Arabs*: quæ dedit eius magiæ alumnos, quæ dæmonum tota opera & autoritate constat, quam tamen Græci magiæ nomine non dignantur. (Sp.)

Vsitatius est, *gente Arabs*. (R.)

(7) Annulos intelligit. (Sp.)

(8) Signat catenas, ad cultum e collo pendentes, *torques* appellamus. Olim insignia strenui bellatoris, & virtutis præmia. At nunc passim sine vllo delectu ditiores etiam nebulones, scarabæi, spuriæ item feminæ & purpuratorum, si diis placet, religionis Antistitum, opulentiorumque Sacerdotum scorta, & plerique alii, quibus arrisit lipiens fortuna, torques ex auro induunt. (Sp.)

(9) Hoc est, breuiore gladio, seu ferreo cultro. Vnde *sicarii* homicidæ, qui sica hominem interficiunt, de quibus *lex Cornelia*, & *Iustinianus* in Institut. *de publ. iud.* §. *sicarii.* In quo idem Imperator, quod, quia nonnihil ad eum, qui paulo post, sequitur locum facit, adscribendum putaui, *eadem*, inquit, *Cornelia lege & veneficos capite damnari, qui artibus odiosis, tam venenis, quam susurris magicis homines occiderint, vel mala medicamenta publice vendiderint.* Sed per abusionem *sicarios* omnes vocamus, qui cædem telo quocumque commiserint, autor *Quintilianus.* (Sp.)

Ergo vbi signa(1) *ferens prædicta veneficus*(2) *ille*
Castra Ducis magni facile agnoscendus adiuit,
Captus, & iniectis astrictus membra catenis,
Exhibitusque viro(3), *promissa vera loquenti*
550 *Supplicii venia*(4), *multumque diuque rogatus,*
Prodere quid peteret, queve hec autore moueret,

Spreuit

Spreuit, & inualidas sese fragilesque negauit
Formidare minas; si quid truculenter in ipsum
Actum forte foret, damnatum carmine(5) Regem
555 *Præstigiisque suis(6), pœnas sibi morte daturum,*
Protinus inque ipsa socium sibi clade futurum.
Forsitan hæc aliis poterant metuenda videri:
At Cæsar fucata dolo figmenta minasque
Risit, & appensum ligno iustissimus vltor
560 *Faucibus elisis condigna morte peremit.*

(1) Id est, indicia tam habitus, quam habitudinis ipsius Arabis. De lignis longe elegantissimis cap. habes apud eundem autorem libro quinto. (Sp.)

(2) Idem & maleficus in iure ciuili dicitur, vbi extat tit. *de maleficis & mathematicis.* (Sp.)

(3) Cæsari *Friderico.* (Sp.)

(4) Iuxta constitutionem Impp. Arcad. & Honor, quæ refertur in tit. *ad legem Iuliam maiestatis* libro nono Cod. Iustinian. In eius fine sic legitur: *Sane si quis ex his in exordio inita factionis, studio vera laudis accensus, initam prodiderit factionem, præmio & honore donabitur. Ipse vero, qui vsus fuerit factione, si vera (tamen incognita adhuc) consiliorum arcana patefecerit, absolutione tantum ac venia dignus habebitur.* (Sp.)

An facinoroso tali promissæ impunitatis fides seruanda sit, iuris nostri interpretes disputant. Vide *Couarruuiam* lib. 1 var. resol. cap. 2, & *Iacobum Menochium* de arbitr. iudic. quæst. lib. 2 cent. 4 casu 367. (R.) p. 186

(5) Incantatione, vt:

Carmina de cælo possunt deducere Lunam.

Et in 12 tab. *Qui fruges alienas excantasset, & qui malum carmen incantasset.* (Sp.)

Id est, incantatione & susurris magicis, quas Græci ἐπῳδὰς vel ἐπαοιδὰς vocant. Sic Poeta, *Carmina vel cælo possunt deducere lunam.* * Vide *Comment.* nostrum in *LL. XII Tabular**. (R.) p. 186

(6) Magicis & veneficis artibus: quarum inuentorem fuisse Mercurium, diuus *Augustinus* autor est. Vnde *præstigiatores*, qui & *perstrictores* appellantur, ii sunt, qui vnam rem pro alia facientes, aspectum hominum fallunt: a *præstringendo*, quasi *præstringiatores.* Nam *præstringere*, vt *Marcellus* ait, obtenebrare est. Sunt autem, qui cum *r*, vocem scribendam tradunt, & eius secundam syllabam longam esse. (Sp.)

ARGVMENTVM LIBRI DECIMI.

In decimo magni coniunx Augusta Beatrix
Cæsaris, Italicas venit deducta sub oras,
Principibus comitata suis, & Crema gemiscit.
Castra locat, Romamque suam clementius audit.
Hinc redit ad Ligures victor, Papamque creauit.
Crema petit pacem(a) rursus Liguresque petuntur.
Tandem concepta Princeps perferbuit ira,
Cremaque victa iacet(b), viginti millia capti,
Vrbs fluit in cinerem(c), Cæsar dat munera, grates.
Castraque dimittit, Ligurinus obambulat aulam(d).

(a) Augustana editio; *Cremaque victa iacet.* (R.)

(b) Augustana editio; *Vrbs Ligurina cadit.* (R.)

(c) Augustana editio; *in cinerem ipsa fluit.* (R.)

(d) Augustana editio; *Ligurinus carmina scribit.* Sed altera lectio, quæ est *Spiegelii* & *P. Pithoei*, magis placet. Rationem quiuis satis intelligit. Errant enim, qui auctorem ipsum *Ligurinum* vocari putant. Immo, ipsius operis hoc nomen est; quod & *P. Pithoeus* ante nos monuit. Sed cur operi suo hunc titulum fecit *Guntherus*? Traditum est, titulos librorum sæpe ab eo sumi & imponi, quod præcipuas partes obtinet, latissimeque patet, & maxime est insigne. Vnde & ICti denominationem rerum fieri volunt. Sic *Plautus*, sic *Terentius* a persona principe alicuius fabulæ ipsi nomen imposuerunt. Cum igitur *Ligures* (ita constanter vocat *Mediolanenses*) plurimum *Friderico* Ænobarbo negotii exhibuerint, multaque & magna aduersus eos rebelles bella gesserit Imperator, recte atque ordine facit, dum ab ipsis nomen operi indit *Ligurinum.* De tota ratione libros inscribendi vide *Iul. Cæs. Scaligerum* in Poeticis. Fuit autem (vt & hoc obiter admoneam) Ciceronis quoque tempore

pore *Ligurinus* quidam, momus; vt de *Ciceronis* ipsius mentione didicimus, quæ est lib. 5 ad Attic. ep. 20; *vt etiam* Ligurino *μώμῳ satisfaciam*, quod quasi prouerbiale esse videtur. *Martialis* etiam quendam exagitat sui æui Poetam, & recitatorem ineptum, cui nomen *Ligurino* fuit. Vide lib. 3 epigram. 44, 45, & 49. (R.)

LIBER X

INterea magni coniunx Augusta Beatrix,
Principis accitu, validas ex(1) *orbe cohortes*
Teutonico rapiens, superata fortiter alpe,
Nam fortem faciebat amor(2) *nexusque*(3) *mariti*
5 *Fœderis*(4), *Italicos fines ingressa tenebat.*
Huic præter proceres alios, famæque minoris(5)
Germana de gente viros, fidissima Saxon
Ille puer(6), *Regumque nepos*(7), *Regisque propinquus,*
Saxonas(8), *& Noricæ nuper sibi reddita terræ*
10 *Signa gerens*(9), *geminæ*(10) *sociauerat agmina gentis.*

(1) Sic *Bartholinus* noster claudens libr. Austriados tertium, Germaniam vocauit *Arctoum mundum*: & haud immerito, quum sit vasta prouincia, vt ibidem diximus. Si Beroso credimus, quæ a Romanis *Germania*, primum a Tuiscone *Teutonia* vocata est. Eius item meminit *Tacitus* de Germanis. Quos autem terminos olim, & quos hodie habeat Germania, diligenter ostendit *Munsterus*. (Sp.)

(2) *Seneca* namque teste, *perennis amor coniugis casta manet.* Nota item illa Propertiana sententia: *Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior.* (Sp.)

(3) Vinculum. (Sp.)

(4) Coniugalis: de quo extant tres libri eleganter scripti a *Ioniniano Pontano*. Sed nemo veterum tum ethnicorum, tum nostrorum copiosius tractauit *Roterodamo* illo magno *Erasmo*, quicquid pertinet ad connubialis vitæ rationem, in eo lib. quem *de Institutione Christiani matrimonii* scripsit. Si quis enim alius, quem scripsit vnquam ille, ipse dignus, qui in omnem, quæ sub cælo est, & Christum profitetur, linguam, transfundatur. Ex illo licet affatim petere modos, quibus coniuges alere seruareque possint mutuam charitatem. (Sp.)

Eleganter, exemplo *Ouidii*, qui ita loquitur. 3 de. Ponto Eleg. 15. Sic *maritam fidem* dixit *Propertius* lib. 4 eleg. 3,

Hacne marita fides & pacta sunt mihi noctes?

Idem alibi *sacra marita*. Sic *faces maritas* idem *Ouidius* epist. Canaces ad Macharetum:

Tolle procul decepte faces, Hymenæe, maritas.

Sic & *arbores maritas* dixere *Plinius* & *Columella*, & hic *maritum olinetum*: Catullus *vimum*: Liuius *domos maritas*. Plautus Epidico etiam *pecuniam maritam*. (R.) p. 187

(5) Signat equestrem ordinem. (Sp.)

(6) *Henricus* Leo, de quo in præcedentibus libris satis superque diximus. (Sp.)

Id est, *Henricus* Leo. *Pueros* sæpe obseruare licet apud *Guntherum*, dici etiam adultos & viros: vt supra notaui. * Cui simile est, quod *puellæ* dicantur vxores adultæ*. (R.) p. 187

(7) Scilicet *Lotharii* Aug. qui *Gertrudem* filiam *Henrico* Bauariæ Duci, qui natus erat ex filia *Magni* Saxoniæ Ducis, dotatam Brunsuico, omnique quæ ad Visurgim erat, ditione, quæ patri Augusto ex sua quoque coniuge dotalis prouenerat, collocauit. Vnde *Henricus* pater *Leonis* ius sibi ad Ducatum Saxoniæ prætendit: quem filius *Henricus*, cuius hic fit mentio, per transactionem, vt supra patuit, opera patrui Ænobarbi tandem adeptus est, a quo inde postea iterum deiectus fuit, vt paulo ante indicauimus, ob eius tum perfidiam in Imp. *Fridericum*, tum summum, ob morum superbiam, in ceteros contemptum. (Sp.)

(8) Forte legendum, *Saxonis*: vt iungatur, *terræ*: an potius *Saxonica*? scilicet signa, ἀπὸ κοινοῦ. (R.) p. 187

(9) Augustana editio, *regens*. Quod non reiicio, vt qui sciam, quoties syllabæ dictionum quarundam a librariis transpositæ sint. Sic in fragm. *Sallustii* alicubi positum reperias *satis*, pro *sitas*. (R.) p. 187

(10) Saxonicæ scilicet & Bauaricæ. (Sp.)

Horum igitur totis aduentus gaudia castris
Magna dedit, Liguresque metu concussit acerbo.
Tempore post modico famosus auunculus(1) *ille*
Cæsaris Etruscæ Princeps, & Marchio terræ,
15 *Teutonicaque potens, & Dux metuendus in ora,*
Aduenit Catulus(2), *cumulataque gaudia nostris*
Attulit, & valido suppleuit milite castra.

Vicinam magnæ Cremam locus ipse Cremonæ
Fecerat, & longo sub eadem(3) *tempore dudum*
20 *Legibus antiquis obnoxia manserat, at nunc*
Excusso laxata iugo, Ligurumque superbam
Ausa sequi rabiem, Regis iam sæpe citata
Spreuerat edictum, nec iuri stare volebat(4).

(1) Sic *Perna*, cum Augustana & vulg. editiones habeant, *famosus omnibus*. Priusquam *Perna* editionem mecum communicassent v. cl. *D. Ioach. Camerarius* & *Schoppius* meus, diuinabam, *famosior omnibus*, vt constaret versus ratio: & iungebam, *omnibus Cæsaris*, id est, omnibus qui ad Cæsarem attinebant: vel qui in eius comitatu erant. *Pflugius* autem diuinabat, *famosi nominis ille*. (R.) p. 187

(2) *Welfo*, auunculus *Friderici*, de quo item supra mentio facta est. Scribit *Radeuicus*, quod duo illi Duces sanguine coniunctissimi, vtpote vnus eorum alterius fratris filius, diuersis inter se virtutibus certabant: *Welfo* dando, subleuando, ignoscendo, *Henricus* seueritate, & malorum pernicie gloriam adeptus est. Illius facilitas, huius constantia laudabatur. *Welfo* negotiis amicorum intentus, sua negligere, nihil denegare, quod dono dignum esset: magnas potentias affectabat, exercitum, nouum bellum exoptabat, vbi virtus enitescere posset. Et paulo post: *Ita memoria nostra*, inquit, *ingenti virtute, diuersis moribus fuere ii viri duo, in quibus quoque ea tempora suum* Catonem *in vno, in altero suum* Cæsarem *inuenissent*. *Auentinus* indicat hunc *Welfonem* excitasse non ignobile cœnobium *Staingadense* in Bauaris, idque esse conditum circiter annum Domini 1191. Ego vidi cum illic hospitio Cæs. *Maximilianus* cum paucis, quos ipse selegerat, exciperetur, seriem huius inclitæ familiæ: quæ eadem fuit, teste eodem *Auentino*, vetusta, comitum Altorfianorum Ambergeanorumque domus, cognominata, *die Welfen*. *Henricum* vero Monacum, quæ nunc est pulcherrima illa sedes & vrbs primaria Bauariæ Principum, ædificasse. Moritur plenus dierum anno post Ænobarbi decessum quinto, qui fuit Domini 1195, cum Brunsuici, vt *Cranzius* refert, exornandis ecclesiis sedulam præstaret operam, pro insigni, quam aliquando gestabat gloria, & pro exquisitis in sæculo rebus gestis, cum Solomone de vniuerso suo labore, quo sub sole laborauit, nihil in terris consequutus, nisi memorabilem sepulturam, & memoriam cum laude boni nominis sempiternam. Scribit idem *Cranzius*, quod hoc loco, quando ad Ænobarbi nostri laudem facit, referendum putamus: quum *Henricus* iam per sententiam excidisset duobus longe maximis principatibus, Erfordiæ pedibus Imperatoris prouolutus veniam gratiamque postularet, *Fridericum* memorem tum arctioris sanguinis, tum veteris consuetudinis, qua diu familiarissime vsi erant, eum de terra sua manu leuatum & osculatum, & lachrymis obortis consolatum esse: Quod eum sine Principum assensu reponere non posset, quem eorum consensu destituisset. (Sp.)

(3) Sic *Perna*, recte. *Sub eadem* scilicet: Cremona. Vulgo, *sub eodem*. Nota hic defectionem Cremensium a Cremonensibus ad Mediolanenses. (R.) p. 188

(4) *Nauclerus* dicit caussam obsidionis: quod Cremenses non paruerint sententiæ contra se ab Ænobarbo apud Roncalias latæ, ad petitionem Cremonensium & Laudensium, de demoliendis muris, quos in illorum damnum construxerant, & restituendis simul aquarum decursibus, quos concluserant. *Radeuicus* vero, quod & sequitur Poeta; *Crema*, inquit, *cum esset de Comitatu, hoc est, territorio, & diœcesi Cremonensium, eiusque ecclesia tam in spiritualibus, quam temporalibus regenda foret arbitrio, spontanea se temeritate a suo capite abruperat, & quod nefas erat, hostibus sociata, cum Mediolanensibus filia matri rebellare cœperat. Super quo conuenta coram Principe, nec citatione legitima, nec vadibus, quos dudum dederat, cogi poterat, vt aduersum se experientibus iudicio sisti curarent. Qua de re pro absentia contumacia, ac contumaci absentia contra se sententiam tristem accipiunt, hostesque indicantur*. (Sp.)

His Cæsar stimulis, & centum mille talentis
25 *Quæ dedit ipsa sua prædiues sponte Cremona*
Impulsus, tumidam bello subuertere Cremam
Cogitat, inque duas diuiso milite partes,
Hanc(1) *secum Ligurum vastandos ducit in agros.*
Ast aliis(2) *magnæ confœderat*(3) *arma*(4) *Cremonæ,*
30 *Inuisamque iubet bellis incessere sedem*(5).
Paret, & assultu valido munimina tuta
Miles vterque(6) *petit, subitusque superuenit hosti.*
Qui tamen intrepidus duris adsuetus in armis
Occurrit, confertque manum: ferroque perempti
35 *Hinc illinc cecidere viri, quos maximus inter*
Præcipuo dignus Warnerus(7) *Marchio luctu*

Occubuit

Occubuit, bellumque simul, vitamque reliquit.
Castra locant alii, clausosque in mœnibus hostes
Obseruant, & quæ rapiendis congrua muris(8)
40 *Esse putant, magna properant effingere cura.*
Nec minus obsessis inclusi mœnibus hostes
Bellica sollicito raptim tormenta labore
Exfabricant(9), *illud tantum, quod respicit hostes,*
Contenti munire latus: nam cincta palustri(10)
45 *Magna parte sui clauduntur mœnia cœno:*
Nec latura pedum molli vestigia limo
Defendunt tutos lutulenta volutabra muros.

(1) Hoc est, alteram partem. (Sp.)

(2) Subaudi, militum ductor, Imperatoris scilicet, frater vterinus Dux *Chunradus* Com. Pal. Rheni, cui socios dederat *Berchtholdum* Zeringiæ Ducem, *Wernherum* Anconitanum Marchionem, & *Rupertum* Basileæ Comitem, vt refert Continuator annalium Vrspergens. (Sp.)

Vulgo *alius*, nullo sensu. Diuinabam &, *alii*: scil. parti. Quod autem doctissimus *Pithœus* pro *confœderat*, legendum putat, *confederæ*, id quale sit, non assequor, ac potius retineo vulgarem lectionem, cuius hic est sensus: cum aliis suorum militum coniungit socia Cremonensium arma. (R.) p. 188

(3) Coniungit vel adsciscit. (Sp.)

(4) Hoc est, milites, remissos a Cæsare Ænobarbo, quos Cremonenses auxiliares promiserant ad vastandum agrum Mediolanensem. (Sp.)

(5) Cremam. (Sp.)

(6) Et Ænobarbicus & Cremonensis. (Sp.)

(7) Augustana editio, *Garnerus*. (R.)

(8) Id est, diripiendis. Significat autem πολιορκητικὰ ἑλεπόλεις: de quibus expectamus promissum *I. Lipsii* librum. (R.) p. 188

(9) Elaborant, fabricant. Compositum verbum pro simplici. (R.) p. 188

(10) Continuator annalium modo nominatorum: *Erat*, inquit, *Crema oppidum firmissimum, continens vnius miliaris Lombardici spatium, fossatis & aquarum decursionibus, & locis paludinosis, & muris fortissimis vndique munitum.* Idem indicat *Radeuicus*. (Sp.)

Tunc quoque Romulea(1) *legatio venit ab vrbe;*
Sanguine pollentes, & claro nomine ciues,
50 *Blandaque Cæsareas Romanæ plebis ad aures*
Atque Senatorum(2) *cauti mandata ferebant:*
Scilicet, vt posita tandem clementior ira
Parceret ipse suæ Rex augustissimus vrbi:
Neve quod a stolido scelus & sine nomine vulgo
55 *Prodierat, ciues diffunderet vltor in omnes.*

(1) Romana, a *Romulo*, vt a Roma *Romanus*, & *Romeus* græce magis, quam latine, autore *Francisco Bononio*, item Romanensis, qua voce *Varro* vsus est. *Romanista* barbarum est, & conuitii gratia nuper natum vocabulum. (Sp.)

(2) *Senatores sunt*, inquit *Vlpianus*, *qui in senatu sententiam dicere possunt*, quam definitionem claram, & imperito cuipiam obuiam, *Accursius* & *Accursiani* fere omnes non intellexerunt: ignari non aliud fuisse *sententiam in senatu dicere*, quam *in concilio senatus quod sentiret, explicare*, de eo quod in consultationem positum erat, & a consultando S.C. dictum. Diuus Augustus cum inuenisset supra mille incelebris turbæ senatores, reiectis indignis, ad pristinum splendorem redegit. Cetera apud *Budæum* in prior. annotat. in Pandectas. (Sp.)

Auribus hoc(1) *placidis, & miti pectore Cæsar*
Accepit, cladisque(2) *memor, qua tempore primo*
Imperii propria miseros attriuit in vrbe,
Afflixitque reos, animi pietate coacta
60 *Rettulit in melius, responsaque blanda vicissim*
Reddidit, & magnis cupidorum pectora donis
Impleuit, geminosque viros, redeuntibus illis
Regia magnificæ laturos addidit vrbi
Verba, Palatinum famosæ laudis Othonem:
65 *Quique diu regno, studio curaque fideli*
Primus in ecclesia prudens Haribertus *Aquensi*(3),

Seruierat, dignaque sui mercede laboris
Iam tunc Præpositus, mox Præsul in vrbe futurus
Chrysopoli(4), *grato præclari munere Regis*(5).
70 *Vsqueadeo magnis Ducibus seruire lucrosum est.*
His mandata dedit, consensu Præsulis atque
Totius populi, veterem renouare senatum(6),
Reddere primæuo præfecti(7) *iura vigori.*
Et si Pontifici placeant ea fœdera summo,
75 *Omnia in antiquam correcta reducere pacem.*

(1) Ita correctum in Augustana editione, cum impressum fuisset, *hic*. Fortasse verum est, *hos*, an *hac*? scil. mandata, quod verbum præcessit. (R.) p. 188

(2) De hac clade supra lib. 4 primore. (R.)

(3) Ea scilicet, quæ ex diui *Caroli* Aug. Franco-germani opificium eadem *Aquisgranum* appellatur, vulgo *Ach*, quum sint & alibi locorum eius nominis ecclesiæ, etiam pontificales. Olim *Corionalum*, vt putant quidam, dictum est. (Sp.)

(4) *Bisuntina* fortasse, quod pulchra & aurea. Nam certam aliam nominis rationem ferre nequeo. Sunt eius nominis vrbes, altera in Chalcedonia, altera in Cilicia. (Sp.)

(5) Nota ex hoc loco, *Friderici* temporibus Episcopos ab Imperatore constitui solere: qui & iurisdictionem in eos habebat: vt supra lib. 5 v. 192 vidimus. Idem obseruauit, eruditiss. *Cuiacius*. (R.) p. 188

(6) Constat ex *Platina*, id Romanos sæpius attentasse, inconsultis etiam Romanis Principibus. Quod ipsum patrum nostrorum memoria contigit pontificatu *Eugenii IV*, in cuius vita hæc a *Platina* traduntur: *Romani ad libertatem aspirantes, sublato clamore, pulsisque omnibus* Eugenii *magistratibus, nouos ipsi magistratus crearunt.* Et apud eundem in vita *Nicolai V* legimus. *Stephanus Porcarius, vir maioris animi quam potentiæ, multa liberandæ patriæ indicia præ se ferens, Bononiam a Pontifice relegatur: qui Romam aduocantibus coniuratis propere rediit hac mente, vt cum vrbem attigisset, sumptis armis populum ad libertatem conuocando, Pontificem & Cardinales caperet.* Idem ausi sunt Romani recenti memoria sub *Paulo* II, in cuius vita verba hæc sunt: *Nonnulli minas eius contemnentes, tempus vendicandæ libertatis expectabant: quod postea eo mortuo illuxit.* (Sp.)

(7) De *Præfecto vrbi* sic scribitur tit. 12 primi Digestorum: *Omnia omnino crimina præfectura vrbi sibi vindicauit: nec tantum ea, quæ intra vrbem admittuntur, verum ea quoque, quæ extra vrbem intra Italiam, vt epistola diui* Seueri *ad* Fabium Cilonem *præfectum vrbi missa declaratur. Initio eiusdem epistolæ ita scriptum est:* » Cum » vrbem nostram fidei tuæ commisimus. Quidquid igitur intra vrbem ad» mittitur, ad præfectum vrbi videtur per» tinere. Sed & si quid intra centesimum » milliarium admissum sit, ad præfectum vr» bi pertinet. Sed si vltra ipsum lapidem » egressum est, præfecto vrbi notio non est. » Curam præterea habet tutorum, curato» rum non proborum: sed & numulario» rum, vt ab illicitis abstineant. Macellum » quoque ac forum boarium, suarium, pisca» rium, olitorium curat, vt iusto veniant res » pretio. (Sp.)

Ipse per hostiles numeroso milite campos
Vndique discurrens, hostilia quæque gerendo
Cuncta metu(1), *ferro, flammis, & sanguine miscens,*
Mœnia iam Ligures in tuta coegerat omnes:
80 *Ac ne clausa satis faciant munimina tutos,*
Quos bello vinci murus, vallumque vetabat,
Molitur superare dolo(2), *Ticinaque prudens*
Agmina, præcipuos Ligurini nominis hostes,
Præcursare iubet, prædaque patenter(3) *abacta,*
85 *Deceptos clausis educere mœnibus hostes*
Ipse suos secum secreta in sede latenter(4)
Collocat insidiis, & eos huc vertere cursum
Hoste premente iubet: nec lusit opinio Regem.
Nam postquam refugo simulatam puluere cauti
90 *Conuertere fugam, tacitas improuidus hostis*
Incidit insidias, circumfususque tumultu
Horruit(5): *ac veluti celeres in retia cerui*
Sæpe cadunt(6), *resonantque graui collisa*(7) *fragore*
Cornua, clamososque canes venator in illos
95 *Concitat, & cædit gaudens impune rudentes*(8):

Sic

Sic postquam telis hostilibus vndique septi,
In medium cecidere viri(9), nec tela mouere,
Nec cessisse licet, gladiis impune necantur
Cominus, arctatique loco breuiore laborant.
100 *Hic quinquagenis ferro centumque peremptis,*
Sexcenti duras collo subiere catenas.
Quos autem rapidis inuoluit proximus amnis,
Submersitque vadis(10), seu quos lethalia passos
Vulnera vix tandem trepidos vrbs mæsta recepit,
105 *Nec breue, nec promptum numero comprendere certo.*
Fida nouæ repetit victor munimina Laudæ
Augustus, lætamque suis successibus vrbem.

(1) Pflugius, *manu.* (R.)

(2) Id est, strategemate, qui est dolus bonus. Nam, vt ait Virgilius, *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?* vid. supra lib. 9, 408. (R.) p. 188

Calliditate, solertia, quam aduersus hostes adhibemus, vocaturque solertia. Lege *Comitem Purliliarum.* Porro *apud maiores nostros*, vt cap. *de Cautis* lib. *de Prudentia* quarto, *Pontanus*, inquit, *dolus duplex habebatur: & bonus, qui fraudem malasque artes repelleret: & malus, per quem ad iniqua captiosaque, qui peruerso sunt ingenio, impellerentur.* Prior sapientiæ comes est: posterior fraudis satelles. Plura de malo dolo in *Progymnas. Reuchlinian.* adnotauimus. (Sp.)

(3) Palam. (Sp.)

Palam. Cui opponitur, quod mox sequitur, *latenter*: ne quis forte mutandam putet lectionem in, *potenter.* Notandum hic strategema Imp. *Friderici* in Mediolanenses. (R.) p. 188

(4) Sonus elegans. (B.)

(5) Pulchra comparatio, maxime considerata eius animalis natura, de qua *Aristoteles* cap. 5 noni de natura animalium: *Cerui*, inquit, *sibilo & cantu venantium capiuntur.* Mulcentur enim, alliciunturque ea voluptate. Itaque alter venantium cantat palam, aut sibilat: alter clam ferit a tergo, vbi socius tempus iam esse significarit. Sed si ceruus erectas auriculas teneat, acerrime sentit, nec latere insidiæ possunt: sin dimissas, facile interimitur. Idem refert *Plinius.* Nec hic prætereundum existimo, ab huius animantis celeritate, fugitiuos ab antiquis vocatos esse ceruos, vt probat *Crinitus* Sexti Pompei autoritate, cuius verba refert, quæ in peruulgatis codicibus non habentur. Vnde neque illud alienum videri debet, quod *Donatus*, quo loco *Terentius*; *quadrupedem*, inquit, *constringito*; Quadrupes, inquit, *ligatura genus in cruribus*: *aut item* quadrupedem *posuit pro ceruo & fugitiuo.* (Sp.)

(6) Germanismus. (B.)

(7) A quibus gerendis etiam dictos quidam existimant *ceruos*, quasi *geruos*, g in c mutata. *Pindarus* tamen a Grammaticis notatur, quod in hoc animantium genere cornua feminæ non habeant. Quamquam Cæs. *Maximilianus* verum id esse alicubi deprehendit, idque in *Syluam* suam iussit annotari, quod opus ipse plane suum experientiarum non vulgarium, sub nomine olim suo in publicum edendum vidimus inchoatum. Sed & *Zenodotus* autor est, nihil impedire, pro diuerso regionis ingenio, non eundem corporis habitum ceruis informari. Possunt hic cornua tantum mares habere, alibi etiam feminæ. Id quod in elephantis deprehenditur, in quibus vtrumque sexum dentibus armari nemo non tradit. At *Ammianus* in India feminas edentulas nasci prodit. *Aristoteles* lib. supra citato scribit, ceruos cornua deposituros secedere, atque hæc abiicere locis asperis, inuentuque difficilimis. Vnde prouerbium etiam natum esse: *Vbi cerui abiiciunt cornua.* Quanquam *Plutarchus* (vt refert *Roterodamus*) in commentario de Pythiis oraculis, oratione prosa redditis, ostendit hoc oraculum editum fuisse de Procle tyranno, vt illi fugere ac migrare liceret eo, vbi cerui cornua abiiciunt, significante Deo, vt defoderetur, & e medio prorsus tolleretur. (Sp.)

(8) Quamuis *rudere* de asinis proprie dicatur (vt *Persius* Satyr. 3,

Findor, vt Arcadiæ pecuaria rudere credas:

Et apud *Ouidium* plus vice simplici) tamen abusiue etiam de leonibus, aliisque animantibus, immo & de hominibus vsurpatur. *Virgilius* Æn. 8.

Inclusumque cauo saxo atque infueta rudentem.

scil. Cacum. *Guntherus* hic de ceruis vtitur. Nota obiter ambiguam verbi primam syllabam. (R.) p. 188

(9) Germanismus. *Einfallen ins mittel.* (B.)

(10) Forte, *vndis*, inquit *Pflugius.* (R.)

Temporis eiusdem tractu, nondumque reuersis
Quos ad Romuleam Fridericus *miserat vrbem,*
110 *Confinis magnæ, multumque domestica Romæ,*
Funera Romani pastoris(1) Anagnia(2) vidit:
Quem tamen inde suam translatum clerus in vrbem

Sede ſacra Petri(3) *ſepeliuit honore fideli.*
Ante tamen tumulo quam membra exanguia Præſul
115 *Subderet, exorto geminas iam ſchiſmate partes,*
Manſuramque diu litem de ſede reliquit(4).
Nam cum de tanti rationem(5) *clerus haberet*
Succeſſore viri, ſtudiis melioribus vltro*
Rollandus *petitur*(6), *qui Cancellarius*(7) *ante,*
120 *Sanguine conſpicuus*(8), *veteri mox nomine verſo*
Factus Alexander(9), *per tempora multa*(10) *ſuperſtes*
Eccleſiæ pacem ſedato ſchiſmate(11) *tandem*
Vidit, & optato tunc demum fine quieuit(12).

(1) *Adriani*: qui cum Romam reuerſus, a Conſulibus libertatem Romanam reſtituere conantibus vexaretur, Anagniam petiit, vt lib. tertio obiter indicaui: vbi non multo poſt moritur anno Pontificatus ſui quarto, menſe decimo, relicta magno in pretio eccleſiæ Romanæ ditione. Sunt, qui ſcribunt, hunc *Adrianum*, de cuius memorabili vitæ exitu ſupra lib. modo dicto, nonnihil attigimus, dixiſſe, quod Romano Pontifice nemo ſit miſerabilior, ſeque in illa ſede tantas calamitates inueniſſe, vt facta collatione, præteritæ vitæ amaritudo, iucunditas & felicitas ei fuerit. Præterea pontificatum ambire, & ſine fraterna dilectione ad illum aſcendere, plane eſſe Romulo ſuccedere in parricidiis, non Petro in ouibus paſcendis. (Sp.)

(2) Olim *Hernicorum* populorum Latii, nunc *Campanos* vocant, caput. Virgilius: *Hernica ſaxa colunt, quos diues Anagnia paſcit.* *Silius* pinguem vocat, propter ſoli fertilitatem: *Hernicaque impreſſo raduntur vomere ſaxa, Queis putri pinguis ſulcaris Anagnia gleba.* (Sp.)

(3) Idem ſcribunt *Platina* & *Volaterranus.* (Sp.)

(4) Μέγαν ἀγῶνα ἐπιτάφιον κατέλιπεν, vt olim Alexander ſuis ſucceſſoribus. Contentiones autem illas de ſucceſſione ſedis Apoſtolicæ, quam vocant, obtinenda perantiquas eſſe, ex *Ammiani Marcellini* hiſtoria diſcimus. Refert ille lib. 27 exemplum memorabile *Damaſi* & *Vrſinici*, qui *ſupra humanum modum ad rapiendam Epiſcopalem ſedem ardentes* (vtor ipſius *Ammiani* verbis) *ſciſſis ſtudiis aſperrime conflictabantur, adusque mortis vulnerumque diſcrimina adiumentis vtriusque progreſſis*: In qua concertatione ſuperauerat Damaſus, parte, quæ ei fauebat, inſtante: adeo vt in baſilica Sicinini, vbi ritus Chriſtiani conuenticulum fuerit, vno die 137 reperta ſint cadauera interfectorum: efferataque diu plebs ægre tandem potuerit deliniri. Ibidem homo Ethnicus grauiſſimum ſubiungit iudicium de Romanenſium Epiſcoporum luxu, quem cum vilitate & modeſtia prouincialium Antiſtitum contendit. Adi & *Iohannem Sariſberienſem*, qui Imp. *Friderico* Barbaroſſæ σύγχρονος ita ſcribit eadem de re lib. 8 cap. 23 de nugis curialium. *Sed eſto, vt his liceat, qui carnales ſunt, contendere de primatu: Viris eccleſiaſticis hoc vſque quaque arbitror eſſe illicitum. Carnalium tamen exemplo ſub imagine religionis obrepit impietas, & iam non modo contenditur pro ſacerdotio, ſed pugnatur. Antiqui quondam trahebantur inuiti, & proni ad martyrium, primas cathedras carcere peius & cruce fugiebant. Contra iam palam loquuntur ſacerdotes, & prouerbium nullum dicunt*: Noluimus, *inquiunt*, martyres eſſe; ſed ſedium noſtrarum gloriam non dabimus alteri, &c. Lege totum illud caput; eſt enim inprimis graue & dignum conſideratione. Satis ſit eius clauſulam vltimam hic ſubiicere. *Nonne*, inquit, *miſeria digniſſimus eſt, qui pro tanta pugnat miſeria? Qui erit ei, quem nulla vocat electio, ſed repugnante in membris Chriſto, ambitio cæca & cruenta non ſine ſanguine fraterno intrudit? Hoc quidem eſt Romulo ſuccedere in parricidiis, non Petro in commiſſa diſpenſatione ouilis.* Eodem cap. teſtem laudat *Adrianum* ipſum, cui ſe, vt Anglum Anglo familiarem fuiſſe oſtendit: *Romano Pontifice neminem mortalium miſerabiliorem eſſe, conditione eius nullam miſeriorem.* Venit mihi hoc loco inter alia in mentem & iſta *Platonis* ſententia, alibi a me relata: Melius cum Republica actum iri, ſi eius munera potius refugientibus, quam appetentibus atque ambientibus commendentur. Venit etiam in mentem eius, qui aiebat: Si quis ſciret, quantum curarum ac miſeriarum cumulum tegeret atque complecteretur diadema, neminem fore, qui id humi repertum tollere ſibique imponere vellet. (R.) p. 189 ſeq.

(5) *Rath hielte.* Germaniſmus. (B)

* Hoc eſt, ſuffragiis duodeuiginti Cardinalium, vt *Æmilius Veronenſis* indicat: vel duorum & viginti, vt ait *Platina.* (Sp.)

(6) In Cæſ. *Friderici* & Teutonicæ nationis ignominiam, vt dicunt ſcriptores. Erat enim *Rollandus* iſte, vt eorum vtar verbo, *euidens ſacroſancti Imperii hoſtis, iuriumque Auguſtorum oppugnator acerrimus.* (Sp.)

(7) Scilicet, Romanæ eccleſiæ. Super hoc vocabulo, quod *Budæus* putat latinum non eſſe, idem plura in annot. prioribus. Hoc tamen latinitate donauit *Fl. Vopiſcus*, cum in Carino Imperatore ſcribit, vnum ex Cancellariis ab eo præfectum vrbi creatum. Sed & vſus hoc verbo dignitatem eam, maieſtatemque vendicauit, vt ex Electoribus Romani Imperatoris tres Archicancellarii nominentur;

pentur; Moguntinus, per Germanias: Coloniensis, per Italiam; & Treuirorum Antistes per Gallias. *Alciatus* in Rubr. C. *de primicer.* lib. 12 *scribam Principis primicerium* nominari docet, hoc est, honore inter notarios primum. Certe, quod & præceptor, summusque amicus meus *Zasius* annotauit, Principum scribæ (siue eos *Cancellarios*, siue *Secretarios*, siue *sacri scrinii proximos*, siue *Libellorum magistros* nomines) magni semper apud Principes momenti fuisse manifestum est. Constitutiones quoque Principum, multis eos ornarunt priuilegiis. Nam ea dignitate funguntur, qua vicarii Principis. Accessus ad Principem semper conceditur. Et est eis potestas sedendi cum iudicibus. Ad extraordinaria, vel tributa, vel munera, nec ipsi, nec liberi, neve alii de familia coguntur. Et qui diu Secretariorum officio functi cum fide fuerint, sacri palatii eis dignitas prærogatur. Quas in prouincia domus habent, hospitis accipiendi onere non grauantur. In iudicium vocati non satisdabunt. Ab officiis dimissi, omnibus his, qui post ad regendas prouincias sunt assumpti, præferuntur. Palatina eorum bona ex pari castrensibus accedunt peculiis, cum aliis multis priuilegiis, quæ colligi ex iure poterunt. (Sp.)

(8) Nobili familia Senensi, patre *Ranutio*, cuius gentilitii nominis neque *Platina*, neque *Volaterranus* meminere. (Sp.)

(9) Eius nominis *tertius*, anno 1159. (Sp.)

(10) Annis 18. (Sp.)

(11) Anno a Christi natali 1177. De mediis, quibus ad pacem, qua schisma sublatum est, ventum sit, adeo non conuenit inter scriptores, præsertim Italicos, vt nunquam in re aliqua tam memorabili, tantum tenebrarum esse vnum in locum congestum, scriptorum vel negligentia vel inscitia, quantum in hac, quæ de *Friderici* & *Alexandri* Pontificis reconciliatione sunt litterarum monumentis prodita. Non dubito, quin lucem aliquam inferret, si modo extaret historia, quam teste *Trithemio Christianus* Archiepiscopus Moguntinus de Ænobarbicis gestis scripsit: maxime quod inuenio, tum illo, tum Magdeburgensi Pontifice suasoribus *Fridericum* rediisse in gratiam *Alexandri*. Non tantum vir eruditus & eloquens, quem suo tempore orantem Itali mirati sunt, vt idem *Trithemius* ait, sed etiam manu promptus, atque vere forti animo fuit. Nam vt annales nostri testantur, vna cum *Reinaldo* Archiepiscopo Coloniensi contra Romanos, tum Ænobarbo rebelles, prospere apud montem Porcum pugnauit, an. a nato Christo 1167. Sed & *Chunradus* Episcopus, ex cuius annalibus, quibus sua tempora complexus est, ea quæ primo libro ad historiam cædis *Arnoldi* Pontificis Moguntini attinebant, adduximus, tam *Christiani* huius, quam schismatis etiam meminit his verbis: *Videns Dominus*, Fridericus *Imperator durum sibi fore, & contra Papam, & Archiepiscopum, certamen gerere, eidem aduersarium suscitauit. Instituit ergo Dominum* Christianum, *sua curia Cancellarium, loco Domini* Chunradi *Bauari* (qui in sede Moguntina *Rudolfo* Zeringensi successerat) *virum vtique mira prudentia in rebus ambiguis & arduis, subtilissimi consilii & velocissimi inuentorem. Erat etiam vir mira patientia in aduersis. Nulla in prosperis superbia extollebatur. Vultus benignitate omnibus gratiosus, & aliis honestis moribus adornatus. Hunc ergo, quia tam ecclesiasticarum, quam secularium personarum fauorem cognouit habere, constituit Episcopum Moguntinum. Durauit hoc schisma annis* 18. *Tandem Dominus* Christianus *se interponens inter Papam & Imperatorem, ambos ad concordiam reuocauit.* Quod autem *Fridericus* capto filio *Othone* (quem ei fuisse annales nostri, apertissimeque supra Poeta etiam prodiderunt, & obiter attactum quoque a nobis est, quamuis *Merula* perneget, cui tamen in ceteris, quæ ad hanc pacificationem attinent, maior fides adhibenda est) apud Venetias sub pedibus *Alexandri* subcubuerit, veniam præteritorum petendo, dicens: *Non tibi, sed Petro*, vt exprimit pictura, quam ego ipse vidi in comitio (locus est in palatio Veneti Ducis, in quo noui magistratus creari solent) cum ipso *Merula* poeticum magis argumentum, quam fidem historiæ crediderim: eoque magis ad Merulanam sententiam accedendum puto, quod videam neque naualis pugnæ, neque *Othonis* capti, ne verbo quidem meminisse *Platinam*: cuius historia de vita & moribus Pontificum aliquanto verior est existimanda: quod eam ex publicis tabulis, & diplomatibus, aliisque legitimis documentis deprompserit. *Conuenerat iam Venetias* (inquit ille) Alexander, *componenda pacis Italiæ caussa: eo & Fridericus accedens, in vestibulo* sancti Marci *Pontificis pedes osculatur: simul deinde ad altare maius profecti, accepta, dataque salute, de fœderibus pacis inter se multum diuque collocuti sunt, quæ postea sequenti die ex sententia confecta est.* Certe nisi existimasset fabulam *Platina*, non reor, præteriisset tam memorabilem rem silentio, quam nonnulli commenti sunt, scilicet, *Adrianum Friderici* collum pede comprimentem, dixisse: *Scriptum est: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* (Sp.)

(12) *Cum iam*, vt idem ait, *a tyrannicis perturbationibus videretur quieturus*, Pontificatus sui anno 21, die 19. Sed eas, o *Platina*, minime pro nomine Christi prouehendo pertulit, sed magis, vt negari non potest, sibi ipsi illas mouit, sub prætextu pietatis sacerdos arrogantissimus, tum pro sua dominatione constituenda, tum mundana Romanæ ecclesiæ ditione proferenda. Vnde auunculus meus in lib. quem *de vita & moribus Germanorum Principum* scripsit: *Nescio*, inquit, *quidnam potius admirer, Pontificisne superbiam, an Imperatoris contumaciam, vel cæterorum Principum socordiam ignauiamque, quod cum tanto reipublicæ christianæ interitu, ac irreeuperabili detrimento, tam detestandam execrabilemque Pontificis, Imperatorisque discordiam pertulere.* Omnium enim malorum fontem

fontem inde vsque ad nostra tempora profluxisse arbitramur. Idem scribit autor annalium *Vrsperg.* in *Friderico II.* (Sp.)

Sic Virgilius, *factoque ibi fine quieuit*, vid. & supra lib. 9 v. 514. (R.) p. 190

Altera pars sacra, Octaui, *te sede locatum*(1),
125 *Auspiciis decepta suis, ignara superni*
Iudicii(2), *falso* Victorem *nomine dixit.*

(1) Nam licet in *Alexandrum* plurium suffragia inclinassent, ea tamen non poterant non esse suspecta. Conuenerant namque coniurati in *Fridericum*, neque ob aliud, quam quod egregius Princeps Imperatoris & nomen & dignitatem in Italia tueretur, seque autore reflorescceret: vt quemadmodum paulo ante Pontifex *Adrianus* eum, recepta ab illis immensa auri vi, pronuntiasset abstentum, vt vtar *Cyprianico* verbo, a quo neque *Ritius* in Regibus suis abhorruit: ita nunc non alter illi in sede succederet, quam qui male odisset *Fridericum*: quod & præstiterunt coniurati. Paucis tamen, vt non raro bonorum est numerus minor, exceptis, nouem scilicet, vt nostri annales tradunt: tribus autem, vt externi: qui *Octauianum*, virum, vt nostri annales ostendunt, humilem, mansuetum, religiosum, & per omnia probatum, ad concordiæ & pacis vnitatem inter ecclesiam & imperium reformandam ac conseruandam vtilem, elegerunt, indito illi *Victoris* nomine. At Cæsar ab initio neutrum salutabat Pontificem. Verum vt *Alexander* (qui horrebat Romanorum arbitrium, qui suum popularem externo homini haud dubie prælaturi videbantur, si ad populum ea cognitio delata esset) Ænobarbum rogasset per legatos, vt sua autoritate id dissidium tolleret: isque respondisset, electos ad se Papiam debere venire, non vt eos iudicaret, sed vt a prudentibus viris addisceret, cui potius obedire deberet: spreto tam salubri responso, vt vir erat elati animi, Anagniam se contulisset, & quos mox Imperator honestos Episcopos de religione Christi bene sentientes miserat, qui eum ad Papiense concilium, quod *Fridericus* exemplo Iustiniani, Theodosii, Caroli & aliorum antiquorum Imperatorum, suo iure conuocarat, citarent, nimium superbe reiecisset: *Octauianum* per iam dictos Episcopos Papiam adductum, ibidem frequenti Antistitum conuentu Ænobarbus *Victorem* Pontificem probauit, ratamque illi fecit suo assensu dignitatem, quem & Germania secuta est. Lege *Radeuicum*, quo nemo copiosius eius schismatis acta, & si omnes illius meminerint, monimentis literarum tradidit. Sed & *Maximilianus* inuito *Iulio* indixit concilium, vt in temporibus eius latius referemus. (Sp.)

(2) Sed qui id tibi, *Gunthere*, constare potuit? quum non omnes, quos homines recipiunt, vt diuus *Hieronymus* grauiter dixit, probet vere Episcopos Deus. Certe humano iudicio legitime creatus videtur, in quem plurium suffragia congeruntur, etiam si fuerit coniuratio perditorum. Quamquam vt Dei solum est certum iudicium, ita nouit etiam ille in populi sui salutem abuti parum rite electis. (Sp.)

Rursus ad hostiles vastandos impiger agros
Signa mouet Cæsar, lateque per omnia bellum
Rura trahens, quæcumque nouis illæsa manebant
130 *Cladibus euertit grauiora prioribus addens.*
Ast vbi continuis crebro spoliata rapinis,
Nec domino(1) *victum, nec equo dare pabula tellus*
Iam poterat, conuertit iter, rapidoque tumultu
Tendit ad obsessæ trepidantia mœnia Cremæ.
135 *Hanc equidem iam tunc a prima cœperat ingens*
Obsidione timor, sed nunc vbi regia signa
Cæsaris, & Latias vento quatiente volucres
In campis volitare suis, ipsumque verenda
Maiestate suos hortantem ad bella(2) *maniplos*
140 *Aspiciunt, quatit ossa metus, cladisque futuræ*
Præuia(3) *turbatam confundunt nubila mentem.*
Non tamen infaustæ vel nunc resipiscere plebi,
Seque suosque pio rectori subdere muros,
Vltrices vitare minas, veniamque mereri
145 *Subuenit*(4): *insistunt sceleri, maluntque perire*(5),
Quam dono vixisse Ducis: mors libera pluris,
Quam donata salus, concessaque vita putatur.
Ergo pari studio ciues, ac nostra iuuentus
Arma volunt, pacemque negant, tormentaque grauesque

Attollunt

150 *Attollunt fabricas: diuersos machina in vsus*
Extruitur, quæ saxa rotet, quæ torqueat hastas,
Quæque vel in muros, vel in altas æmula turres
Spargat inextinctas viuaci sulfure flammas(6).
Tela, faces, & saxa volant(7), *niger aera nimbus*(8)
155 *Inficit, & missis subtexitur aura sagittis,*
Ardet vtrinque furor, cælumque clamore feroci
Rumpitur, & stimulis grauioribus æstuat ira.
Hii(9), *clausos*(10) *virtute pares sibi*(11) *velle videri*
Indignum fœdumque putant, gaudentque feroces
160 *Inculcare minas: illi, non esse minores*
Nituntur, referuntque vicem, ac maiora rependent.
Audaces mors certa facit, pellitque timorem
Desperata salus(12): *tunc si quos sorte maligna*
Comprensos, captosque tenent, hostilis in illos
165 *Grassatur rabies, sociisque videntibus ense*
Colla secant, luduntque manu, ceruice rotata
More pilæ(13), *aut miseros lacerant crudeliter artus.*

(1) Pflugius, *non homini*: quod mihi non placet. (R.)

(2) Quod est Imperatoris officium, de quo vide supra. (R.)

(3) Id est, *præsaga*. (R.)

(4) Id est, *succurrit, in mentem venit*. Nota hic quoque furorem populi in propriam ruentis perniciem. (R.) p. 190

(5) Sic Cato Vticensis potito rerum Cæsare mori maluit, quam a victoris pendere clementia, eique vitam referre acceptam. (R.) p. 190

(6) Græce eiusmodi ignis iacula *Pyroboli* vocantur: Teutonice, *Feurmörsel*. Horum fit mentio in Machabæis. (Sp.)

(7) Manifesta imitatio *Virgiliani* illius hemistichii in 1 Æn. *Iamque faces & saxa volant*. (R.) p. 190

(8) Hic ille est ferreus imber, de quo supra ex *Ennio* & *Virgilio*. Sic infra 340; *canis pluit aura sagittis*. (R.) p. 190

(9) Scilicet Ænobarbici. (Sp.)

(10) Cremenses obsidione cinctos. (Sp.)

(11) Vulgo, *se velle videri*. Error inde natus, quod *si* pro *sibi* scripserint librarii: quodque alii porro ex *i*, fecerint *e*. (R.) p. 190

(12) Iuxta illud Poetæ, Æneid. 2: *Vna salus victis nullam sperare salutem*. Plerumque enim, vt *Seruius* ibidem refert, desperatione robur augetur, vt *Papinius*: *Est vbi dat vires nimius timor*. Item scimus, *captiuitatis mortem esse remedium*. (Sp.)

Sæpe ad hunc locum *Guntherus* alludit: vt lib. 9, 456. & lib. 1, 135. Illis autem, quæ ad hanc sententiam *Spiegelius* adnotauit, ista licet addas: *Necessitudo etiam timidos fortes facit*: vt ait *Sallustius* Catilina. *Seneca* Medea: *Qui nil potest sperare, desperet nihil*, vide & *Muretum* Var. lect. 12 c. 6. Ex hoc fonte illud est apud Cæsarem strategema, lib. 1 Bell. Gall. quo militibus reditum intercludit: *vt* (inquit) *domum reditionis spe sublata, paratiores ad omnia pericula subeunda essent*. Nam e contrario, vt *Tacitus* 3 Histor. sapienter ait, *quanto plus spei ad effugiendum, tanto minor animus ad resistendum*. Cui non est absimile quod ait *Attius* Poeta vetus apud *Nonium*;

Sæpe ignauis fortem in spe expectatio.

Silius lib. 1;

Clausa acuunt extrema pericli,
Et fractis rebus violentior vltima virtus.

Idem lib. 6;

Et certare malis vrgentibus hoste putabat
Demisso maius.

Quare vt desperatis ægrotis Hippocrates medicinam adhibere vetat: sic periti Impp. nunquam cum desperatis hostibus confligendum suadent; ac potius fugienti hosti aureum pontem substernendum præcipiunt, quod Scipio dicebat. Exemplum insigne est in Gandauensibus a Ludouico Flandriæ Comite obsessis: de quibus vid. *Bernhard Girardus* lib. 17. *Est autem hæc vna ex speciebus falsæ fortitudinis, de quibus vid. *Aristoteles* lib. 4 Ethicor*. (R.) p. 190 seq.

(13) *Erat, Radeuicus* ait, *videre miseriam: quando hi qui foris, occisorum amputatis capitibus, eis quasi pila ludebant, & a dextra in lauam reiectis, crudeli ostentui & ludibrio habebant: qui vero in oppido, inhonestum arbitrantes, si quid minus auderent, captiuos nostrorum sine misericordia supra muros membratim discerpendo, miserabile præbebant spectaculum*. (Sp.)

Haud procul a sæuo belli semota tumultu,
Vicinum(1) *coniunx*(2) *seruabat regia castrum,*
170 *Ne miseras cædes, infandaque multa videret*(3),
Castaque crudeli sceleraret lumina visu(4).
Hanc, visente viro, per eam, quam regia signa
Seruabant portam, tutis e sedibus hostes

Prorumpunt, ſtrepituque graui tentoria Regis
175 *Aſſiliunt, multoſque necant, maculantque cruore*
Hoſtili proprioque ſolum, ſternuntque caduntque.
Cædibus alternis tota non viribus vllis
Depelli potuere die, dum Phœbus opaco
Infudit tenebras demerſa lampade mundo.
180 *Nuntius abſenti certiſſimus*(5) *omnia Regi*
Pertulit: ille graui concuſſus pectora motu,
Caſtra petit properans, & adhuc a cæde recenti
Signa cruenta videt, captiuaque corpora quædam
Vrbis in aſpectu laqueo ſupponere fauces
185 *Cogit, & ex alto ſuſpendit in aere ligno.*
Tunc etiam quidam vinctos in caſtra trahebant
Sex Ligurum de gente viros, qui iuſſa ferentes
Verba Placentinis (6) *Ligurinæ nomine plebis,*
Hoſtibus inciderant: horum qui maximus vnus
190 *Eſſe ferebatur, ſe Præſulis*(7) *eſſe nepotem*
Gaudebat, generiſque notis(8), *opibuſque nitebat.*
Hunc(9) *quoque, contempto non parui ponderis ære,*
Quod pro morte ſua redimenda pendere fiſco
Spondebat, pœna Princeps affecit eadem.
195 *Nec minus obſeſſi captos quoſcumque tenebant*
Suſpendunt, factique vicem mox reddere gaudent.
Tunc magna exarſit generoſi Cæſaris ira,
Quod velut ex æquo ſecum contendere victi
Auderent, nec adhuc miſeros agnoſcere caſus,
200 *Fortunamque ſuam vellent in morte fateri.*

(1) Nomen illi erat tum, vt idem autor eſt *Radenicus, Sanbaſſan.* (Sp.)

(2) *Beatrix* Auguſta, quæ aliquando, vt & *Cranzius* refert, ingentem a Mediolanenſ. contumeliam paſſa eſt. Quum enim feminea, vt putabat, ſecuritate vrbem intraſſet, cuius videndæ ſtudio iam pridem ardebat, populus male affectus Imperatori, qui iterum rebellionem meditabatur, inſolens fœdumque petulantiæ ſuæ exemplum edidit. Quippe, oblitus debiti, oblitus feminei decoris, oblitus armorum Cæſaris, quæ ſæpius illi cum victoria intentauit, Auguſtam feminam capite obuerſo in caudam mulæ impoſitam, traditaque pro frœno cauda, non tantum in vrbe circumuectam habuit ſummo ludibrio, ſed etiam eo ſchemate videndam per portam emiſit. Vnde memor, tam inſignis contumeliæ, vt eos rurſus ad deditionem compuliſſet, non alia deditos lege accepit Ænobarbus, quam qui viuere velint, ficum de natura mulæ dentibus eximerent, alioquin mox obtruncandi. Multos tum ferunt, præpoſuiſſe mortem ignominiæ: vitæ cupidi fecere, ad quod eos ſuprema neceſſitas adigebat. Hinc quoque natam eſſe aiunt, apud Italos familiarem illam contumeliæ notam, qua pollice digito inter duos oſtenſo irridentes dicunt: *ecco la fico.* Hæc eſt autem illa ficus, eodem *Cranzio* teſte, quam tuliſtis Mediolanenſes per ſummam ignominiam, vnde horror eſt, digna ſuperbiæ vindicta. (Sp.)

(3) Mala ſcilicet, & ſcelera, quæ ſæua belli tempeſtate ingruunt. Hæc recitat *Roterodamus* in explicatione prouerbii: *Dulce bellum inexpertis.* (Sp.)

(4) Putantur enim oculi atrocis alicuius facinoris conſpectu pollui & contaminari. Vnde & *Ouidius* exclamat:

Cur aliquid vidi? cur noxia lumina feci?

Eoque reſpectu cum Impp. hæc protulerunt in l. 12 cum ſupra. C. de re milit. *Nullus omnino publicos oculos nudatos inceſtet,* &c. tum iſta ſcripſit *Latinus Pacatus Drepanus* in panegyrico ad Theodoſium: *Nec tu illum* (Maximum tyrannum) *qua es clementia, in conſpectum tuum venire voluiſſes, ne oculos iſtos omnibus ſalutares homo funebris impiaret,* &c. vbi vt hoc obiter moneam, mox pro *noluiſſes,* legend. *voluiſſes,* hoc modo, teque purgare eodem teſte, quo inſimulatore voluiſſes. (R.) p. 191

(5) Pflugius, *mæſtiſſimus.* (R.)

(6) Vſque adeo verum eſt, quod Sapiens dixit: *Inimico reconciliato ne credideris.* Licet enim Placentini nuper in Ænobarbi verba iuraſſent, ſecrete tamen Mediolanenſibus fauebant, ficta deuotione, ſimulataque obedientia Cæſari adhærentes. Vnde non multo poſt ab eo, vt patebit, ſacroſanctæ maieſtatis rei, hoſteſque Imperii pronuntiati ſunt. (Sp.)

(7) Archiepiſcopi Mediolanenſis. *Vir erat ille,* vt ait *Radenicus, diues, & cuius conſilio Mediolanenſis ciuitas plurimum nitebatur.* Iuriſperiti *nepotis* vocabulo varie vtuntur: iis modo ad *pronepotem* extenditur, modo *filii* appellatione venit, modo non venit. Ego ſubſcribo iis, qui *nepotem* non proprie, ſed per interpretationem aiunt ſub filio contineri. Vulgarem autem vocabuli huius vſum narrauimus

rauimus in scholiis, quæ ad amici rogatum olim adiecimus hymno auiæ Christi *Anna* dicto ab *Roterodamo.* (Sp.)

(8) Id est, imaginibus, in bonam partem, vt aliquando etiam accipitur, sicut apud *Ouidium* : *Ille Numantina traxit ab vrbe notam.* Plerumque tamen in malam partem, pro infamia & suggillatione. *Notis* autem *scribere*, Iurisconsultis est, compendioso scribendi genere excipiendo vti. *Tranquillus* de Tito Principe Romano ; *E pluribus comperi, notis quoque excipere velocissime solitum, & cum amanuensibus suis per ludum iocumque certantem, imitari chirographa, quæcunque vidisset.* Huiusmodi exceptores sunt hodie in septis iudicialibus miranda solertia omnia propemodum dicta, aduocatorum quoque, nedum iudicum excipientes. Quales etiam olim fuisse in iudiciis Romanis probat adductis testimoniis *Budæus* in annotation. prioribus. (Sp.)

(9) Scilicet Præsulis nepotem. Vulgo legitur, *hos*, non recte. Sequitur enim, *pendebat*, nisi forte rescribendum, *pendebant*. Ita enim retineri posset, *hos*, scil. sex Ligurum legatos. (R.) p. 191

Protinus obsessos præconis(1) *voce moneri*
Imperat, vt miseræ solatia nulla salutis
In bonitate sua(2) *ponant sibi, nequis ad ipsum*
Spe veniæ fugisse velit, pro sanguine certet
205 *Quisque suo, propriamque manu se ferre salutem*
Nouerit, & validis tantum spem ponat in armis.
Inde quater denos(3), *quos plebes perfida dudum*
Illa viro dederat, fidei pacisque tenendæ
Pignora certa vades, fabricis(4) *& turribus altis*
210 *Imperat adnecti, quique hæc*(5), *fascesque suorum,*
Saxaque tormentis violenter ab vrbe rotata
Excipiant, miseris tutantes robora membris.
Quantus erat luctus, miseri quæ forma doloris,
Quæ super e totis populi suspiria muris,
215 *Cum pendere suis expanso corpore natos*
Oppositos telis, miseri videre parentes?
Pectora singultu saliunt, gemitusque dolore
Rumpitur, atque omni lachrymæ sub casside manant.
Non tamen id circo parcendum turribus illis
220 *Esse putant, curantve suos auertere ictus.*

(1) Qui publice aliquid ore & verbis denunciat, *præco* dicitur, vt apud *Virgilium* in 5 Æneid. *Victorem Æneas præconis voce Cloanthum Declarat.* *M. Cicero* Epist. lib. 6 ad Leptam scribens, ex autoritate Balbi Iurisconsulti indicat præconis munus ignobile, his verbis : *Simul vt accepi a Seleuco tuo literas, statim quæsiui e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit, eos qui facerent præconium, vetari esse in decurionibus : qui fecissent, non vetari.* Quam sententiam & *Alciatus* probat, non enim simpliciter *præco* musicam profitetur, sed voce & clamore populum alloquitur. Iuuenalis : *Quondam hi cornicines & municipalis arenæ Perpetui comites, notaque per oppida bucca.* (Sp.)

(2) Hoc est, miti & mansueta natura : quæ non defuit Ænobarbo, & Regem maxime decet. Nihil est enim, autore *Seneca*, memorabilius, quam eum cuius iræ nihil obstat, cuius grauiori sententiæ ipsi, qui pereunt, assentiuntur, quem nemo interrogaturus est, immo si vehementius excanduit, nec deprecaturus est quidem, ipsum sibi manum iniicere, & potestate sua in melius placidiusque vti. Quamobrem perfidiæ gentis imputandum est, quod clementia Principis sæpius læsa, vt fieri solet, in inexorabilem iram exiens, ipsum ad insigne seueritatis, quod mox sequitur exemplum adegit. Quæ, vt docet *Cicero* primo Officiorum, reipublicæ caussa adhibenda est, quod sine ea rerum summa administrari non possit. (Sp.)

(3) Scil. de illis 300, quos *Friderico* a Mediolanensibus datos esse obsides supra dixit. (R.) p. 191

(4) Machinis, quibus alligatos Cæsar obiiciendos decreuerat Cremensium tormentis : quæ nouem ipsi intra vrbem habebant, vulgato nomine *Mangas* vocata, teste *Radeuico*, apud quem eadem, quæ hic cecinit Poeta fusius est legere. (Sp.)

(5) Non intelligo, quorsum pertineat τὸ *hæc*. Fasces vero vocat sagittas. De *excipiendi* verbo vid. notata supra. (R.) p. 191

Atque aliquis toto distentus corpore pendens,
Saxa videns in se miserum torquere parentem,
Luctifico clamore ciens, ita filius inquit :
(1) *Quid facis infelix? huc tandem respice sæue*
225 *Ac miserande pater, lapidum compesce rotatus,*

 Tela

Tela manu suppressa tene, non obruis hostem;
Filius est, quem morte petis: vel parcere nato
Si prohibet fortuna patrem, da tempora vitæ
Non spatiosa meæ, veniatque miserrima mater,
230 *Pendentemque prius videat, mortique paratum,*
Quem genuit. Sic ille miser sua fata parenti
Defleuisse suo: sic & pater anxius illi
Respondisse potest: non me tua fallit imago(2),
Nate, nec ignara te nescius obruo dextra.
235 *Agnosco miserum miser, accipioque vocantem,*
Heu pietas, non parco tamen: sed desine sæuum
Incusare patrem, non te, miserande, sed hostem,
Inque meam structas cladem peto turbine turres.
Cogit amor patriæ(3), *mallem distractus in illo*
240 *Stare loco, corpusque tuis opponere saxis.*
Sors tua dura minus(4), *saxi quem protinus ictu*
Machina(5) *discutiet: nos turba miserrima fastus*
Teutonicos, Regisque minas, longique dolorem
Funeris, amissa iam libertate(6) *timemus.*
245 *Vix ea, cum rapido moles excussa flagello,*
Fortiter inflicto pendentem discutit ictu.
Sic aliquot pueri(7) *mortem subiere, sed omnes*
Expositi fato grauiorem morte timorem(8),
Longaque pendentes miserandaque fata tulerunt.

(1) Pathetica verba filii machinis affixi pro muris patriæ: ne pater in se hostile telum torqueat e tormentis in obsidentem hostem iaculandum. (Sp.)

Huic prosopopeiæ valde patheticæ, qua sermonem tribuit obsidi pendenti. Similem prorsus ἰδυρμὸν obseruaui 3 Cynegetic. *Oppiani* in historia subi. (R.) p. 191 seq.

(2) Verba patris ad filium exhortantis, vt fortiter pro patriæ, quam ipse propugnet, libertate moriatur. (Sp.)

(3) Vt hæc est vnicuique iucundissima, quæcunque contigit, vt testatur *Homerus* in Odyssea, qui interprete *Roterodamo* sic cecinit: *Vt nihil est patria, propriisve parentibus vlli Dulcius.* Sed & *Cicero* in legibus autor est, nos illis maxime obligatos esse: apud quem & habes catalogum defensorum patriæ, in oratione pro Sestio. (Sp.)

Manifesta παρῳδία illius Virgiliani: *Vicit amor patriæ*, &c. Nota hic, *Patria*, quam amoris paterni potiorem ducendam esse rationem. (R.) p. 192

(4) Hoc est, *melior*, q.d. *o fili, tua conditio est leuior, quia si & tu morieris, nullo id cruciatu longo continget, & vt vir fortis, pro patria mortem oppetes: verum ego obnoxius ero ærumnosæ perpetuaque seruituti.* Estque locus ab instantibus malis similis illi, qui est apud *Lucanum* lib. octauo: *Sed tua sors melior, quoniam mors vltima pœna est. Non metuenda viris.* (Sp.)

(5) Tormentum bellicum. Sed & vox ipsa consilia, quibus decipere hostem conamur, significat: vt in referenda eius origine narrauimus fusius, vt omnia, quæ in hymnum *Prudentii, ad omnes horas*, scripsi. (Sp.)

(6) Quum hæc non solum ab hominibus, sed etiam a bestiis expetatur, vt præclare dixit *Cicero* contra Rullum. Certe laus est illa maxima ciuitatis, in qua est libertas certa, æquaque tam ciuibus quam peregrinis. Vide *Aristotelem* lib. Politic. 4 & 6. (Sp.)

(7) Attendendum memorabile Cremensium crudelitatis, vel potius immanitatis exemplum. (Sp.)

Id est, filii, vt apud Euangelistam iuxta idioma Hebræorum, cuiuscumque sint ætatis. *Paulus* Iurisconsultus triplicem explicat huius vocis significationem. Prima est, cum seruos pueros appellamus: qui sermo etiamnum in vsu est. Altera est, cum contrario puellæ nomine vtimur, Teutonice *ein Knab.* Tertia est, qua ætatem indicamus: vnde propria significatione, cum puerum dicimus, impuberem intelligemus, id est, qui quatuordecim annos non expleuerit. Accipitur & in sacris literis pleniore significatione hæc vox, vt apud Esaiam: *Maledictus puer centum annorum.* (Sp.)

(8) Sic supra lib. 7 v. 575. *Veris grauiora timentur.* Est autem *acrior leto timor ipse leti.* (R.) p. 192

250 *Interea Ligures tantis ad mœnia Regem*
Implicitum cœptis, aliis non posse putantes
Ferre salutis opem, sociosque leuare labores(1),
Agmine collecto(2), *quanto non ante, Manerbum*
Haud procul a Cumis(3), *vix expugnabile castrum*

Assulto

255 *Assultu, raptoque parant euertere bello.*
Comperit hos motus, qui tunc in partibus illis
Virtutum merito generosum nomen adeptus,
Teutonica dudum miles de gente, vocatus
Cæsaris imperio, Comitem Gozuinus *agebat*(4):
260 *Propositum Ligurum Regi, magnosque paratus*
Significat, cautusque suis a Principe castris
Supplementa(5) *petit, collectis omnibus ipse*
Quos eadem tellus aptos his rebus, habebat,
Arma rapit, iamque obsessos euertere(6)*muros,*
265 *Castrensique necem populo seu vincla minantes,*
Aggreditur, turbatque viros, celerique relapsu
Conuertit, flectitque fugam, fallitque sequentes.
Sic iterum(7), *sic sæpe suo Comes impiger astu*
Ludificat Ligures, inceptaque magna retardat(8).
270 *Id satis esse putans, sociæ dum signa cohortis*
Auxiliumque ferens a Principe miles adesset.
Ergo vbi conspicuis velox equitatus in armis,
Quingenti iuuenes, firmissima robora belli,
Affuit, & valido suppleuit robore partes,
275 *Plura rati Ligures, & te quoque, Cæsar, adesse,*
Præcipitem petiere fugam, timidique soluta
Obsidione suos properant attingere muros.
Imminet attonitis victor, spoliisque retentis,
Pluribus occisis, aut vincula ferre coactis,
280 *Non prius abstinuit ferro, quam cardine verso*
Hostibus exclusis fugientes porta recepit.

(1) Malim, *labore*; aut erit hypallage. (R.)

(2) Circiter 30000, vt asserit *Radeuicus*. (Sp.)

(3) A Comensi lacu. (Sp.)

(4) Hoc est, administrabat, quibus ab Ænobarbo præfectus erat, Comitatus, scilicet, *Sefrenensem & Martusanum*. (Sp.)

(5) Id est, *subsidium*, vel potius *auxiliarem militem*. Castrensia verba sunt *obsidium*, *præsidium*, & *subsidium*, sed ad alia etiam translata. (Sp.)

(6) Iunge cum *minantes*, non cum *aggreditur*. (R.)

(7) Nota strategema *Gozuini*. (R.)

(8) Hoc est, copiam pugnandi facere cunctatur. (Sp.)

Iam crebris infida dolis, astuque maligno
Ausa pium fuerat stimulare Placentia Regem.
Quippe nec occultis Ligurum malesana volebat
285 *Parcere*(1) *colloquiis*(2), *alimentaque grata ciborum*(3),
Armaque damnatæ mittebat perfida(4) *plebi.*
Ergo Placentinos, totiens offensus ab illis
Imperii Cæsar manifestos deputat hostes.
Hoc satius reputans, quam si sub melle venena(5)
290 *Impia celantes, hostilia quæque mouerent.*
Nulla quidem pestis magis est operosa nocendi,
(6) *Quam simulatus amor*(7), *nimiumque domesticus hostis*(8).

(1) Id est, *abstinere*. (R.)

(2) Tractatibus, vt nunc aiunt. (Sp.)

(3) Commeatum signat. Quod verbum itidem castrense, vulgo *premiant*, duo significat, vel facultatem, ad tempus a militia, aliove ministerio recedendi, quam præbet militi Imperator eundi quo velit, ad præscriptum diem reuersuro: & in hac significatione numero tantum singulari fere vtimur. Vel cibaria & alimoniam publicam vel priuatam. *Cicero* pro lege Manilia: *Iam commeatu & priuato & publico prohibebamur*. (Sp.)

(4) Vt rarissimum est, amicitias reconciliatas pure colere. Bene autem *perfida*, quia iusiurandum, hoc est, hominii iurata capita, quæ superius recitata sunt, violauit. (Sp.)

(5) *Caius* Iurisconsultus *Homeri* autoritate probat vocabulum *venenum* indifferens, significatum a coniunctis accipere. Nam *bonum* & *malum venenum* dici potest. Hodie tamen vulgaris consuetudo admisit, vt quotiens *veneni* mentionem facimus, de *malo* intelligamus. Venenorum remedia diffuse

 attingit

attingit *Dioscorides* libro sexto. Per translationem autem hic intelligit Placentinos ideo externe se amicos agere, vt nacti occasionem, grauius lædant. Quod est iuxta prouerbium a diuo *Hieronymo* contra Ruffinum vsurpatum, *altera manu panem ostentare, altera lapidem ferre.* (Sp.)

(6) Catholica sententia, cuius vim si quis in humanis versatus rebus non aliquando expertus est, hic iure censendus est beatus. Nescio an Poeta ad illud vulgatum apud *Michaeam* capite 7 alluserit: *inimici hominis domestici eius.* Quod si *Polydoro* credimus, congruit in familiares inimicos, quibus nihil nobis perniciosius esse potest: quando illi vt clancularii hostes non facile cauentur. (Sp.)

Eleganter *Cæcilius* Comicus:

Hi sunt inimici pessimi, fronte hilari, corde tristi:
Quos neque tu apprehendas, neque vitare scias.

Grauiter quoque & vere *Georg. Buchananus* rerum Scotic. lib. 12; *Non tam hostes existimandi sunt qui castris ex aduerso positis odium suum palam profitentur, quam qui domi ex insidiis nostræ saluti imminent.* Exstat in hanc sententiam (vt omittam quæ sunt apud *Ciceronem* omnibus nota) etiam *Luciani* epigramma Græcum lib. 1 Antholog. tit. 42. εἰς κόλακας: quod vna cum Latina versione amici mei singularis, *Iohannis Posthii*, V. CL. & Archiatri Palatini ex eius Francicis, describam:

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι φύσις χαλεπώτερον εὗρεν
ἀνθρώπου καθαρὰν ψευδομένου φιλίην.
οὐ γὰρ ἔθ' ὡς ἐχθρὸν προφυλασσόμεθ', ἀλλ' ἀγαπῶντες
ὡς φίλον, ἐν τούτῳ πλείονα βλαπτόμεθα.

Hoc est:

Execrabilius nil Phœbus ab æthere cernit
Illo, qui puram fingit amicitiam.
Non etenim hunc hostem, sed amicum credimus: inde
In nostrum veniunt plurima damna caput.

Vide ibidem & Palladæ versus in eandem sententiam, quorum hoc est initium:

οὐχ οὕτω βλάπτει, μισῶν ὁ λέγων ἀναφανδὸν,
ὥσπερ ὁ τὴν καθαρὰν ψευδόμενος φιλίαν.

Id est:

Lædere non tantum valet hostem fassus apertum,
Quantum sub specie qui latet officii.

Nec absimile est alterum *Lucillii* lib. 2. Antholog. tit. 15 εἰς δολίους.

Εἰ μὴ φιλεῖς, ἐγώ με φίλει, καὶ μή με ἀδίκει σύ,
ἀρχὴν τοῦ βλάψαι τὴν φιλίην θέμενος.
πᾶσι γὰρ ἀνθρώποισιν ἐγὼ πολὺ κρέσσονα φημὶ
τὴν φανερὰν ἔχθραν τῆς δολερῆς φιλίης.
φασὶ δὲ καὶ νήεσσιν ἀλιπλανέεσσι χερείους
τὰς ὑφάλους πέτρας τῶν φανερῶν σπιλάδων.

Quod sic reddidit latine *Gregor. Bersmannus*, vir & Poeta optimus, nec minus nobis amicus:

Re mihi non verbis præstabis amicus amorem,
Prætexens damnis nomen amicitiæ.
Est odium satius manifesti quamlibet hostis,
Insidias nectens, quam simulatus amor.
Sic proram infestat minus exstans æquore rupes,
Abdita quam cæcas quæ latet inter aquas.

Ad eandem sententiam *Sallustius* quoque allusit Bello Iugurth. *Ei per maximam amicitiam maxima copia fallendi erat.* Laudanda est igitur Romanorum veterum ingenuitas, qui inimicitias aperte denuntiabant, & suis ædibus interdicere solebant inimicis, teste *Tacito.* Ita *in fronte scriptas gerebant amicitias & inimicitias,* vt *Ennius* ait. Ex eodem fonte & genere est, quod bellum apertum insidiosa pace melius est. (R.) p. 191 seq.

(7) Hoc est, amicus. Quippe ab amore, vt etiam diuus *Hieronymus* annotauit, amicus dicitur, enarrans locum Scripturæ modo citatum. Cum autem omnium rerum simulatio est vitiosa, tollit enim iudicium veri, idque adulterat: tum amicitiæ repugnat maxime, delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest. Autor *Cicero* in Lælio. (Sp.)

(8) Cum hostis hodie significet eum, cum quo bellum publice geritur, pro inimico accepit: quo verbo significamus omnem, quem odimus, qui amicus non est. (Sp.)

Iamque rebellatrix suppresso Crema timore
Præteritis afflicta malis, metuensque futura,
295 *Cœperat in sese grauiter mulctata(1) reuerti(2).*
Iam se posse minus trepidi, tristesque fatentur,
Nec solitis turbare viros excursibus audent.
Ne tamen omnino nulla sint fraude nocentes,
Muscipulis(3) similes laqueos, nexusque tenaces,
300 *Furtaque mirandæ non apparentia fraudis*
More nouo, notaque minus(4) reor hactenus arte,
Per quascumque vias, & circa mœnia tendunt.

Vt

Vt si(4) cauta parum laqueo vestigia quisquam
Inserat, ante quidem quam se dissoluere possit
305 *Adsit, & obtruncet, captumve coerceat hostis.*
Præterea densis scrobibus tellure cauata
Præcipites fodere dolos, fossasque latentes
Iniectu texere leui, quas incidat hostis
Inscius, & subito pateat discrimine morti(5).

(1) Condemnata. A *mulcta*, quam vocem Grammatici quidam a *mulcendo* per antiphrasim dictam putant, *mulctare* verbum dictum significat condemnare & punire. Sic Plautus *mulctare matrimonio*, Terentius & Maro libro vndecimo *mulctare morte*, Tranquillus *mulctare gentilitiis hereditatibus*, Corn. Tacitus, *mulctare verberibus* dixerunt. Ex vsu tamen, vt proximo libro quoque indicauimus, angustiore significatione *mulcta* pro *pecuniaris* tantum *pœna* recepta est. Sicque variæ differentiæ introductæ sunt. Quod pœna quælibet coercitio est, mulcta solius pecuniæ: quod pœna certa est, legeque expressa, mulcta ab ius dicentis arbitrio pendet. Quod pœna a quocunque iudice infligi potest, cui criminis exequutio demandata sit: mulcta ab ordinariis tantummodo, hisque qui pro tribunali sedent. Quod mulcta fisco datur, pœna etiam parti applicari potest. Quod mulcta infamiam non irrogat. Quod a pœnæ irrogatione, cum quis criminis conuictus est, prouocatio non est: at mulctæ indictio per iudicem appellationis reuocari potest. Sed & si vltra modum a lege constitutum Præses prouinciæ mulctam dicat, ipso iure rescissum est: si pœnam, appellatione opus est. Is quoque qui mulctam dixit, officio suo functus non est, & ideo eam reuocare potest: at qui pœnam constituit, amplius ea de re non aditur. Sunt autem pœnæ per leges & S. consulta certis delictis constitutæ: mulcta specialibus quibusdam, vt cum quis in ius vocatus iudicem negligit: contumaciæ enim infligitur. *Plinius* epistol. lib. 4; *Licinius Nepos prætor acer & fortis, mulctam etiam dixit senatori, qui ad iudicandum non venerat, egit ille in senatu caussam suam: egit autem sic, vt deprecaretur: remissa est mulcta, sed timuit, sed rogauit, sed opus venia fuit.* (Sp.)

(2) Id est, cognoscere seipsam. Vnde, *in se descendere* dictum prouerbiali sermone, est *sua ipsius vitia inspicere*. Persius. *Vt nemo in sese tentat descendere nemo, Sed præcedenti spectatur mantica tergo.* (Sp.)

(3) Muscipula est instrumentum quo vtimur ad mures capiendos, Græci *μυάγραν* appellant. Hoc autem vocabulo male literati, vt *Beroaldus* in asinum Apuleianum annotauit, pro ipso cato, qui & felis domesticus dicitur, vtuntur. (Sp.)

(4) Vt sit vera *Ouidii* sententia: *Ingenium mala sæpe mouent.* (Sp.)

Augustana editio, *At si*. Sic alias quoque *&* pro *vt*. (R.)

(5) Pflugius, *pereat discrimine mortis*. (R.)

310 *His aliisque dolis, quos tendere callida plebes*
Sueuerat, vltrices tandem Fridericus *in iras*
Excitus(1), extremamque manum præstare labori(2)
Accelerans, iam quippe viro post oppida clausa
Sextus agebatur brumali frigore mensis,
315 *Omnibus affectis, finemque optantibus olim(3)*
Bellorum, quocumque modo(4) munimina bello
Expugnare parat: tardum sibi quippe videtur
Expectare famem, cum longos ciuis ad vsus
Plurima de totis cautus(5) collegerit agris.

(1) Pro eo, quod est, vt habet prouerbium, *summam manum addere*, rem omnino absoluere, seu extremum finem imponere. Sumpta metaphora ab artificibus, vt explicat *Erasmus* in Chiliadibus. (Sp.)

Addere vel *imponere operi extremam*, vel *vltimam*, vel *supremam manum* prouerbialis formula ab optimis quibusque auctoribus vsurpata, ad significandam operis absolutionem & perfectionem. *Manus* enim est causa sapientiæ, omniumque rerum expediendarum instrumentum. (R.) p. 193 seq.

(2) Obsidioni. (Sp.)

(3) Id est, iampridem. Sic sæpe vtitur *Plinius* Iunior & *Symmachus*. An iungenda sunt, *olim-bellorum*? vt sit *τῶν πάλαι ἢ περὶ πολέμων*, quod tamen posterius nimis fortaue argutum videatur. (R.) p. 194

(4) Id est, nulla non arte adhibita, seu tentata. Vt solent comœdiarum aut tragædiarum scriptores, qui fabulas suas in actus quosdam distribuunt, (vnde illud Horatianum: *nec sit quinto productior actu*,) in extremo actu plurimum artis addere, sicut scribit *Tullius* ad Qu. fratrem: *Illud te ad extremum & oro & hortor, vt tanquam poetæ boni, & actores industrii solent, sic tu in extrema parte & conclusione muneris ac negocii tui diligentissimus sis*, & cetera. (Sp.)

(5) Id est, *prospiciens*. *Prospicientia* munus, quæ alio nomine ac maxime noto, dicitur

tur *prouidentia*, in aduersis prosperisque æque versatur rebus, commodis etiam atque incommodis prospectandis, iisque etiam prouidendis, atque vt auertendis damnis, sic etiam inuitandis compendiis. Non solum enim diuersissimas res acutissime dispicit, verum etiam & consulit, & consilio dat operam. Quæ autem sit eius opera, & quæ vis, exemplo prudentis ac probati agricolæ ostendit eleganter lib. 4 de prudentia *Pontanus*. Cautus autem proprie dicitur, vel qui tantum id videt, ne a recto delabatur, ipse de via digressus: vel qui id maxime curat, ab aliis ne decipiatur. (Sp.)

320 *Protinus ad muros, munitas vndique turres*(1),
Inuectasque rotis, & magno pondere firmas
Ducit, & hostili celsas super aggere sistit.
Harum summa tenent, quos vel balista, vel arcus
Morte procul missa facit hostibus esse timendos,
325 *Qui iaculum valido longe torquere lacerto*
Longius excussa didicere potenter habena(2).
Inferiora viri fortes, ex agmine toto
Electi, promptique manu tabulata tuentur:
Qui dum transfossas porrecto ponte patentes
330 *Mœnibus assiliunt, & muros rumpere tentant,*
Qui loca summa tenent, iaculis leuibusque sagittis
Infestant miseros per propugnacula ciues:
Ne confringendis liceat succurrere muris.
Tunc et subiectas facilis despectus in arces,
335 *Et leuis ex alto trepidos conatus*(3) *in hostes:*
Qui si forte suos rursum(4) *conuertere vultus*
Incauti tentant, vehementibus ora sagittis
Figuntur, nec scire licet, neque cernere fas est
Vulneris autorem, latebris quem lignea tutum
340 *Occultant tabulata, cauis pluit aura sagittis*
Desuper, & toto funduntur ab æthere(5) *mortes.*
At quæ de muris nostras fluitantia turres
Tela petunt, infirma volant, spatioque tenoris
Languida(6), *vix summo*(7) *delibant robora ferro.*

(1) Elegantet describit turres, machinas illas ambulatorias, quarum & superius meminit. Et quia, quæ de eiusmodi turribus scribit cap. 17 lib. 4. *Vegetius*, huic loco, vnde desumpta videri possunt, non incongruunt; quo planius ille intelligatur, haud grauabor ea adscribere. *Turres*, inquit, *dicuntur machinamenta ad ædificiorum speciem ex trabibus tabulatisque compacta: & ne tantum opus hostili concremaretur incendio, diligentissime ex crudis coriis, vel centonibus communitur: quibus pro modo latitudinis additur altitudo. Nam interdum tricenos pedes per quadrum, interdum quadragenos, vel quinquagenos lata sunt. Proceritas autem ipsarum tanta fit, vt non solum muros, sed etiam turres lapideas altitudine superent. His plures rotæ mechanica arte subduntur, quarum lapsu volubili magnitudo tam alta moueatur. Præsens autem periculum ciuitatis est, si ad murum fuerit turris admota. Plures enim accipit scalas, & diuerso genere conatur irrumpere. Nam in inferioribus habet arietem, cuius impetu destruit muros. Circa vero mediam partem accipit pontem, factum de duabus trabibus, septumque de vimine: quem cito prolatum, inter turrim murumque constituunt: & per eum ingredientes de machina bellatores in ciuitatem transeunt, & occupant muros. In superioribus autem turris illius partibus contati & sagittarii collocantur, qui defensores vrbis contis, missilibus, saxisque ex alto prosternant. Quo facto, ciuitas capitur sine mora. Quid enim auxilii super est? cum hi qui de murorum altitudine sperabant, repente supra se aspiciant altiorem hostium murum.* Græci eiusmodi turres, quibus ad iam dictum modum in vrbium expugnatione muri conscenduntur, *epibateria* appellant: quam dictionem in *Caluitii* laude vsurpauit *Seneca*. (Sp.)

(2) I. e. *amento*, vt recte exponit *I. Lipsius* hunc locum laudans lib. 2 Poliorcet. Dialog. 4 est autem *amentum* corrigia lanceæ, quæ etiam ansula est ad iactum. Glossarium exponit *ἅμμα ἀκοντίων*, i. e. vinculum iaculorum *ὅθεν κατέχεται ἡ λόγχη*. *Hastas ansatas* vel etiam absolute *ansatas* vocat *Ennius* Annal. lib. 5. (R.) p. 194

(3) L. *coniectus* in hostes. (B.)

(4) Augustana editio *sursum*. (R.) Ita quoque legi vult *Barthius*.

(5) Hoc est, ab altitudine, seu culmine turris superante summitatem muri obsessæ ciuitatis. *Mortes* numero multitudinis dixit more scriptorum ecclesiasticorum, apud quos legere est *mortes* & *mortium*. (Sp.)

(6) Hoc est, propter longiorem progressum, quo ius attenuatur. (Sp.)

(7) Id est, acie ferri, cuius illa extrema pars est. (Sp.)

Si

345 *Si rapidas tormenta faces* (1) *ad lignea forte*
Robora torserunt, & turribus ignis adhæsit,
Desuper effusis incendia protinus illa
Restinguuntur aquis, aut vino(2) *sparsa quiescunt:*
Aut si restingui nequeant, & feruida viuo
350 *Sulfure flamma viget, fumantia membra securis*
Amputat, & toti succisa parte medetur(3).
Turbine fulmineo magnos tormenta molares
Mœnibus infligunt, murosque & tecta flagellant.
Fundaque contorto transuerberat aera plumbo,
355 *Et mediis liquidæ glandes* (4) *in nubibus ardent.*
Ast alii fossas, iniectu cespitis, implent,
Hostilesque petunt densa testudine(5) *muros.*
Suffodiunt alii turres, ac fortia subter
Fundamenta cauant 6), *aut duri roboris ictu*
360 *Impellunt muros, labefactaque mœnia quassant.*
Aut emota loco muri compage soluta,
Saxa remoliri cuneis(7) *arctata laborant.*
Aut velut in plano vestigia certa ferentes,
Scalarum gradibus celsas apprehendere pinnas
365 *Contendunt*(8), *pugnantque simul: nec segnior hostis*
Vndique discurrens nunc hos, nunc obuius illos
Excipit, hærentes scalas detrudit ab alto
Margine murorum, vicinos cominus ense
Percutit, aut duro contundit tempora conto:
370 *Longius amotos, lapidum torrente ruina*
Obruit, aut iaculis & certo sauciat arcu.
Æstuat ira minis, sæuus crudescit vtrimque
Clamor, adhortantes incendunt pectora voces(9).

(1) Docens enim & *Vegetius*, quemadmodum ambulatoria turris possit incendi, *huic*, inquit, *tam manifesto discrimini succurritur multis modis. Primum, si confidentia vel virtus est militaris eruptione facta, globus egreditur armatorum, & vi hostibus pulsis machinamentum illud ingens direptis coriis ignis exurit. Quod si oppidani exire non audeant, maiores balistas, malleolos, vel phalaricas cum incendio destinant, vt perruptis coriis, vel centonibus, intrinsecus flamma condatur. Malleoli velut sagittæ, & vbi adhæserint (quia ardentes sunt) vniuersa conflagrant. Phalarica autem ad modum hastæ valido præfigitur ferro, inter tubum etiam & hastile, resina, bitumine, stuppisque conuoluitur infuso oleo, quod incendiarium vocant. Quæ balistæ impetu destinata, prærupto munimine ardens figitur ligno, turritamque machinam frequenter incendit. Depositi quoque homines funibus, cum hostes dormiunt, in latebris portant lucernas, & incensis machinis rursus leuantur in murum.* (Sp.)

(2) F. *vel aceto.* (B.)

(3) Nam (quod ex auunculo meo p. m. sæpe audiui) *vt totum serues, pars est perpenda subinde.* (R.) p. 194

(4) Missile glans est plumbeum in modum glandis formatum. *Salustius* in Iugurtino: *Pars eminus glande, aut lapidibus pugnare.* (Sp.)

Hic locus *Guntheri* valde pro *Lipsio* facit cap. vlt. lib. 5 de Milit. Rom. pagin 239. vbi bombardas & sclopeta nostratia cum veterum fundis conferens, docet, non minorem, & fere maiorem illarum vim atque impetum fuisse. Non autem dubito, quin Poeta noster ante oculos hic habuerit istum *Lucretii* locum lib. 6;

> *Mobilitate sua feruescit: vt omnia motu*
> *Percalefacta vides ardescere: plumbea vero*
> *Glans etiam longo cursu voluenda liquescit.*

Voluenda, id est dum voluitur, κυλινδουμένη: vt apud Maronem, *voluenda dies en attulit vltro*, &c. Futurum pro præsente participio passiuo, quo alioquin Latini carent. Porro istius liquefactionis plumbi e funda emissi, præter *Lucretium* multi etiam alii auctores meminere. Virgilius:

> *Et media aduersi liquefacto tempora plumbo*
> *Diffidit.*

Ouidius Metamorph.

> *Non secus exarsit, quam cum balearica plumbum*
> *Funda iacit: volat illud, & incandescit eundo,*
> *Et quos non habuit, sub nubibus inuenit ignes.*

Lucanus:

> *Inde faces & saxa volant, spatioque soluta*
> *Aeris, & calido liquefacta pondere glandes.*

Statius Papin. *Arsuras cæli per inania glandes.*
Idem:
Volucres imitantur fulgura glandes.
Seneca denique lib. 2 Natur. Quæst. c. 57; *Sic aera aut motus extenuat, aut extenuatio incendit. Sic liquescit excussa glans funda & attritu aeris velut igne distillat.* Vbi miseret me boni & docti viri, qui pro *glans*, *glacies* nimis certe frigide nobis substituere conatur. Idem in l. 14 quæritur §. 7 mulierem. ff. de ædil. ed. cum *Vlpianus* scripsisset: *Mulierem ita artam, vt mulier fieri non possit, sanam non videri constat*, non animaduertens, elegantem πλοκὴν de industria a IC. captatam, hariolatur legendum, *mater*, pro *mulier*. Sed non est nobis propositum illius vel hos errores exagitare acerbius, vel plures colligere. Ad *Senecæ* locum vt reuertamur, is ex *Aristotele* lib. 2 de Cælo cap. translatus videtur. Sic enim ait Philosophus; πέφυκε γὰρ ἡ κίνησις ἐκπυροῦν καὶ τὰ ξύλα καὶ λίθον καὶ σίδηρον. εὐλογώτερον οὖν τὸ ἐγγύτερον τοῦ πυρός. ἐγγύτερον δὲ ὁ ἀὴρ, οἷον καὶ ἐπὶ τῶν φερομένων βελῶν. ταῦτα γὰρ αὐτὰ ἐκπυροῦται οὕτως, ὥστε τήκεσθαι τὰς μολυβδίδας, καὶ ἐπείπερ ταῦτα ἐκπυροῦται, ἀνάγκη καὶ τὸν κύκλῳ αὐτῶν ἀέρα τὸ αὐτὸ τοῦτο πάσχειν. ταῦτα μὲν οὖν αὐτὰ ἐκθερμαίνεται διὰ τὸ ἐν ἀέρι φέρεσθαι, ὃς διὰ τὴν πληγὴν γίγνεται πῦρ, &c. (R.) p. 194 seq.

(5) Hoc proximo libro explicatum est. (Sp.)

(6) Id est, cuniculos agunt. (R.)

Eo capit, quo *Vegetius* ostendit, quibus modis fodiatur terra, ne machina noceat, & refert memorabilem Rhodiorum astutiam: *quorum cum*, inquit, *ciuitas oppugnaretur ab hostibus, & turris ambulatoria super murorum altitudinem ac turrium omnium pararetur, mechanici ingenio inuentum est tale remedium. Per noctem sub fundamento muri cuniculum fodit, & illum ad quem die postero turris fuerat promouenda, nullo hostium sentiente, egesta terra cauauit intrinsecus: & cum rotis suis moles impulsa fuisset, atque ad locum, qui subtus cauatus fuerat venisset, tanto pondere solo cedente subsedit, vt nec iungi muris, aut moueri vlterius potuerit. Ita ciuitas liberata est, derelictaque machina.* (Sp.)

(7) Id est, *trabalibus*. Sunt autem *trabales* species tormentorum, dicti a *trabibus*. Horum meminit *Horatius* in Odis. Proprie namque *cuneus* instrumentum est, quo in lignis findendis vtimur. Per translationem autem dicitur etiam multitudo peditum, quæ iuncta cum acie primo angustior, deinde latior procedit, & aduersariorum ordines rumpit: quia a pluribus in vnum locum tela mittuntur, autor *Vegetius*. (Sp.)

(8) Apte dicit, *contendunt*: quod qui scalis nituntur, frequenter periculum sustinent, exemplo Capanei, a quo primum hæc scalarum oppugnatio perhibetur inuenta: qui tanta vi occisus est a Thebanis, vt extinctus fulmine diceretur. (Sp.)

(9) Hæc sunt, quæ vocantur *celeusmata*. Intelligere autem licet vel Adlocutiones Ducum, de quibus supra, vel ipsorum inter se militum exhortationes mutuas. (R.) p. 195

**Vtque procellosum* (1) *ventis agitantibus æquor,*
375 *Oppugnat misera perituram sorte carinam,*
Rumpunt vela Noti, commixta grandine nimbus
Ingruit, & miseros affligit ab æthere nautas.
Assiliunt fluctus, validis agitata procellis
Verberat vnda latus, nexu tabulata soluto
380 *Rupta gemunt, haustoque mari rimosa* (2) *fatiscunt,*
Stant miseri nautæ, quaque impetus acrior vrget,
Hac studio maiore rati succurrere tentant.
Hic latices trepidus salsos in stagna refundit,
Et properat rimæ sarcire patentis hiatum.
385 *Ille vacillantem fluctu iactante carinam*
Remigio, doctaque manu (3) *sustentat, & ipse*
Decertans pelago (4), *perfringit remige fluctus,*
Vela noto, clamore viri, stridore rudentes
Quassa fragore ratis, plangoribus insonat vnda.
390 *Dum tandem decimus* (5) *violento gurgite fluctus*
Insiliat, victamque premens obsorbeat (6) *alnum.*
Vix modicum tempus disiectaque fragmina summis
Fluctibus & tabulas videas per stagna (7) *natantes:*
Naufragio pars hausta perit, pars reddita cælo
395 *Enatat, & nudi veniunt ad littora nautæ.*
(8) *Sic plebs infelix cladisque ignara propinquæ*
Fortis in aduersis, & adhuc inuicta resistit.

* Similitudo valde pulchra. (Sp.)

(1) Hoc *magnum mare* vocant *Lucretius*, *Catullus*, & alii. Vid. *Douzam*, & post hunc *Paulum Merulam* Virum diligentissimum & probissimum, in Commentar. ad Annales *Ennii*, libro 17. Nota hic graphicam descriptio-

ſcriptionem tempeſtatis & naufragii, in qua admirari licet ingenium & copiam *Guntheri.* (R.) p. 195

(2) Sic infra v. 577 *numiſma maniplis.* Talia multa obſeruarunt Grammatici apud *Virgilium*, vbi conueniunt vltima præcedentis & prima ſequentis dictionis ſyllaba, vt Æn. 2, *Dorica caſtra.* Æn. 3, *cæca caligine.* Æn. 4, *Fama malum.* Quorum ſimilia annotauit *Ful. Vrſinus* in Virgilio cum Græcis ſcriptoribus collato. Non placet autem mihi illa quorundam curioſitas, qui hæc tanquam κακέμφατα notanda exiſtimarunt: quaſi vero difficile fuerit ſummo Poetæ mutare ac vitare hæc talia, ſi pro vitiis orationis ea habuiſſet: quæ ſane apud *Tibullum* & *Propertium* adeo ſunt crebra, vt ea adfectaſſe videri poſſint. (R.) p. 195 ſeq.

(3) Sic *doctos digitos* dixit *Plinius* Iunior lib. 7 epiſt. 9 hoc verſu:

> *Vt laus eſt ceræ, mollis, cedensque ſequatur*
> *Si doctos digitos, iuſſaque fiat opus,* &c.

Doctum, vt apud Græcos σοφὸν, eleganter etiam de mechanicis & illiberalibus artibus atque artificibus vſurpari, monui ad *Oppianum.* Eodem & hoc exemplum aggregari poteſt. (R.) p. 196

(4) Vt *Horatius* od. 3 *Africum decertantem Aquilonibus* dixit: & *Catullus*: *Noli pugnare duobus.* *Virgilius* Æneid. 4, *placitone etiam pugnabis amori?* Et *Propertius* lib. 1. *Tu caue, ne triſti cupias pugnare puellæ.* Quæ omnia Græcorum imitatione dicta ſunt, μάχεσθαί τινι. (R.) p. 196

(5) Hic apud Poetas pro *maximo & vndabundo* celebratiſſimus eſt. (Sp.)

Exemplo *Lucani*, qui lib. 5 ſic fecit:

> *Hac fatum, decimus (dictu mirabile) fluctus*
> *Inualida cum puppe leuat.*

Significat autem vterque fluctum, qui *decumanus* vocatur: quem *fluctum maximum* appellant ICti in l. 96, & l. 112 de verb. ſign. Iuſtinianus addit, hibernus §. Eſt autem litus. Inſt. de rer. diuiſ. (R.) p. 196

(6) Ita & Auguſtana editio. Sed malim *abſorbeat.* Scio tamen, *ob* pro *ab*, veteres conſueſſe ponere: vt videre eſt in Collectaneis Lucretii. (R.) p. 196

(7) *Stagnum* pro *mari*, vt apud Græcos λίμνην ἀντὶ θαλάσσης vſurpari ad *Oppianum* notaui. Sic ſup. lib. 6, *Veneti ſtagna profundi.* (R.) p. 196

(8) Adaptatio egregia. (Sp.)

Iam quantum poterant muris accedere turres
Admotæ fuerant, longique ad mœnia pontes
400 *Prodierant, belloque furens animoſa iuuentus*
Fixerat in ſummi veſtigia margine muri.
Occurrunt hoſtes & ſpicula, ſaxa, faceſque
Coniiciunt, haſtiſque viros, ſudibuſque repellunt,
Deturbantque ſolo, quoſdamque viriliter auſos
405 *Inſiluiſſe leui trepidantia mœnia ſaltu,*
Obtruncant ferro, quos inter fata duorum
Sicut acerba nimis, ſic & miſeranda fuerunt.
Horum vnus trepidos dum per ſua mœnia ciues
Territat inſultans, Bertolfum(1) *fama vocabat,*
410 *Primus in attonitos ſaltu ſe miſerat hoſtes*(2):
Dum fugiunt omnes vnum, pauidiſque fatiſcunt
Mentibus, a tergo furtim librata ſecuris
Tempora flauenti decuſſit tecta capillo(3),
Totaque detracta eſt capitis membrana reſecti,
415 *Atque peremptoris nitido ſuperaddita cono,*
Hoſtilemque comis galeam pendentibus vmbrans(4),
Præbuit infandi ſignum crudele(5) *triumphi.*
Alterius(6) *manibus, ferro, pedibuſque reſectis*
Nomine fama caret, cladis memorabilis extat
420 *Truncus in hoſtili fœde tellure volutus*
Palpitat, & miſeri præbet ludibria fati.

(1) Auguſtana editio, *Berchtoldum.* (R.)

Radeuicus! *Sed neque noſtris,* inquit, *virtus in rebus aduerſis, nec Cremenſibus ſæuitia defuit. Nempe vnus militum noſtrorum, nomine* Bertolfus *de* Arrar, *qui cum primis de ponte ſaltu in ciuitatem venerat circumdatus vndique ab hoſtibus, dum pugnando ſe fortiſſimum oſtendiſſet, multoſque ſolus vſque ad magnam partem ciuitatis perſecutus fuiſſet, a quodam retro longa ſecuri proſtratus eſt. Nam in anteriore parte per medios ruentem vniuerſi vitabant, audaciam hominis metuentes, pariter & admirantes. Quem tandem cum occidiſſent, vnus de illis crudeliter in mortuum ſæuiens, cutem capitis, vt dicebatur, abſtraxit, & prius decentiſſime capillatam galeæ ſuæ affixit, ipſe turpis & indecentiſſimus, nec viri fortitudine permotus, nec humanæ conditionis ſortem conſiderans*

miseratui. Alium quoque præcisis manibus ac pedibus, graue ludibrium per plateas serpere permiserunt. (Sp.)

(2) Sic *Perna*, vulgo, *hostis*, quod retineri potest ex vet. scriptura: vt, *omnis homines*, apud *Sallustium*, & sexcenta eiusdemmodi. (R.) p. 196

(3) Sic recte *Perna*. Præcessit enim, *flaminis*, vulgo, *capillis*. Porro de cristis, quarum adiectione militum galeis terribilior dari species solebat, vid. *Is. Casaubonum* lib. 1 Animaduers. in Suet. p. 12, & *I. Lipsium* de milit. Rom. lib. 3 Dialog. 5. (R.) p. 197

(4) Tegens. (Sp.)

(5) Immo perquam immane, si modo legeris cap. . . *Pontani*, quod scripsit *de immanitate*, in quam inciditur post victoriam. (Sp.)

(6) Sic recte Augustana editio & Perna, vulgo, *alternis*. (R.)

Non impune quidem, non gaudia longa(1) *malorum*
Ciuis agens, magnæ cladis suscepit eodem
Damna die, belloque diu conflixit: at inde
425 *Pulsus in internam trepidus se contulit arcem.*
Iamque suis rebus certa diffidere tandem
Cœperat ille fide, placuit consulta salutis
Sæpe prius neglecta sequi, pacisque petendæ
Vtile consilium certæ præponere cladi.
430 *Nec mora, colloquium cum* Saxone(2) *poscit habendum,*
Cumque Peregrino(3), *quem tunc Aquileia diues*(4)
Eximium claræ Patriarcham(5) *laudis habebat.*
Horum facundis lenitas vocibus aures
Permulcet, veniamque sibi sermone diserto
435 *Præparat, & doctis excusat crimina verbis:*
Non odio regni, nec seditione rebelli
Arma tulisse(6) *manu, sed ne sua fata superbis*
Hostibus, & tumidæ gemeret subiecta Cremonæ.
Fœdera cum populo Ligurum iurata fideli,
440 *Dum licuit, coluisse manu, nunc illa soluto*
Quando ita Rex iubeat, tandem seiungere(7) *nexu,*
Nec plures adhibere moras, id poscere tantum
Puniat ipse reos victor, quocumque libebit,
Afficiatque modo, tantum ne victa Cremonæ
445 *Ludibrio fiat corrupto Principe plebes.*

(1) Nam vt est apud *Senecam*, ni fallor ex mimis *Publii Syri*:

Cito improborum læta ad perniciem ruunt.

Et vt nos aliquando scribebamus:

Nemo improbis factis diu gauisus est:
Aram breuis candam voluptas attrahit.

Malim autem hic legere, *nec*: quod sæpe in hoc opere, in, *non*, deprauatum fuit. (R.) p. 197

(2) Duce Saxoniæ, & Bauariæ *Henrico* supra memorato. (Sp.)

(3) Erat is vir eruditus, facundus, &c, vt ait *Radeuicus*, plurimis virtutibus adornatus. Huius Antistitis orationem ad Cremenses idem recitat cap. 65 quarti rerum Ænobarbi. (Sp.)

(4) Hodie fortuna est mediocri. Vel forte respexit ad illam veterem, quæ potens vrbs per tres annos sustinuit obsidionem Attilæ Hunorum Regis, illius illaudati egregiarum vrbium euersoris. Excidium Aquileiæ, de quo latius *Sabellicus*, vrbi Venetiarum dedit originem. (Sp.)

(5) Quatuor tantum principio fuere Patriarchæ: *Romanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus.* Postea accessere alii, vt *Constantinopolitanus* & *Aquileiensis*. Romæ, vt ferunt, extant quinque etiamnum ecclesiæ patriarchales. Nempe ad *Ioannis Lateranensis* ad *Petri*, ad *Pauli*, ad *Mariæ*, cognomento *Maioris*, & ad *Laurentii* ædem. (Sp.)

(6) Scilicet *se*. Quales ellipses & supra obseruaui. Nota hic Cremensium excusationem. (R.) p. 197

(7) Ita legendum ὑφὲν, id est, dirimere, separare. Vulgo male, *se iungere*. (R.) p. 197

Hæc vbi sunt perlata(1) *Duci, lenita resedit*
Ira ferox animi, (2) *multumque domestica magna*
Ac bene nota viro tetigit clementia mentem.
Protinus assensu procerum moderamine tali
450 *Vtitur, vt nec se venia, vitaque repulsos*

Infausti

Infausti doleant ciues, nec lenior aequo
Incitet ad similem multos vindicta fauorem(3).
Mœnibus incolumes tuto migrare relictis,
Quodque semel(4) *valeant humeris deferre sinuntur,*
455 *Cetera victori rapienda relinquere iussi.*
Quis rogo luctus erat? quis tota per oppida clamor?
Qui gemitus populi? dum paucis rebus onusti,
Multa relinquentes, miseri sua mœnia ciues
Arsurasque domos, & limina chara supremo
460 *Ore salutarent, dulcesque relinquere cunas,*
Orsa sui generis, cultasque parentibus aedes(5)
Prodirent, querulae viginti millia turbae.
At quos vel Ligurum populos, vel Brixia clausis(6)
Miserat auxilio, nudati rebus & armis
465 *Omnibus, accepta vix tantum*(7) *a Principe vita*
Indecores, mæstique suas referuntur ad vrbes.
Protinus ad prædam spoliandaque mœnia raptim
Curritur, & præda miles ditescit opima(8).
Omnibus ereptis castrensibus(9) *oppida flammis*
470 *In cineres collapsa fluunt, euersaque fractis*
Turribus antiquos expendunt(10) *clade*(11) *tumores*(12).

(1) Sic *Perna.* Vulgo, *placita,* repugnante metro. Diuinabam, *prolata*: scilicet per internuntios. Sed in Augustana editione etiam reperio, *perlata*: quod magis probo. (R.) p. 197

(2) Magna laus *Friderici.* Siquidem, vt grauiter *Seneca* dicit, nullum ex omnibus magis quam Regem aut Principem decet clementia: quæ, teste eodem, quo rarior in Rege, eo mirabilior habenda est. Clementiæ tamen locus, vt *Cicero* sapienter admonet Brutum, aliis rebus, aliis temporibus esse debet. Quod & ab Ænobarbo, qui temperamentum adhibuit, vt mox ipse Poeta innuit, obseruatum est. (Sp.)

Seneca hæc est sententia, cum alibi, tum lib. 1 de Clementia. cap. 5; *Magnam fortunam magnus animus decet. Magni autem animi est proprium, placidum esse tranquillumque, & iniurias atque offensiones semper despicere. Muliebre est, furere in ira,* &c. *Nil magnum est, quod non & placidum sit idem.* Recteque hoc dixit *Terentius* Adelph. Sc. Nunquam: *Facilitate nihil homini esse melius, neque clementia.* Et pulcerrime *Georg. Buchananus* lib. 12 Rer. Scoticar. *Generosus animus, vt aduersus resistentes vehemens est & concitatus, ita precibus, obsequio, ipsa denique instabilitatis humanæ recordatione mitigatur, & ad lenitatem inflectitur.* (R.) p. 197

(3) F. *furorem.* An retinendum, *fauorem,* intelligendumque fœdus & amicitiam cum hostibus Imperatoris? (R.) p. 179

(4) Malim, *simul.* (R.)

(5) Quam hoc triste ac luctuosum sit, laribus & sepulchris auitis carendum habere, etiam IC. innuit in l. 38 infundo. ff. de rei vind. (R.) p. 198

(6) Cremensibus obsidione cinctis. (Sp.)

(7) Malim, *vix tandem,* vt apud *Terentium* & *Ciceronem.* (R.)

(8) Vid. supra lib. 3 v. 166. Non semper neque passim sine delectu omnem prædam militi concedi solere, docet *I. Lipsius* Commentario ad Polybium de Militia Rom. Ex quibus declaratio & limitatio sumi potest atque adhiberi ad §. Item ea quæ ex hostib. Inst. de rerum diuis. (R.) p. 198

(9) Sic vulgo editiones male distinguunt. Iunge *castrensibus flammis,* i. e. quas castrenses *Friderici* B. milites iniecerant. (R.) p. 198

(10) Soluunt, compensant. (Sp.)

(11) Calamitate exilii. (Sp.)

(12) Inueteratam superbiam, seu contumaciam, & rebellionem pertinacem in principes Romanos Teutonici sanguinis: quod satis indicant annales Teutonicorum scriptorum de Cremensibus sic loquentes: *At illi confidentes in sui castri firmitate, eo quod olim* Lotharius *Imp. viribus deficiens, non ausus fuerit idem castrum obsidere, de auxilio quoque Mediolanensium & Brixiensium confidentes, præceptis Imperatoris superbe contradixerunt, ac mulieres choros ducentes per plateas cantant;* Sicut olim *Lotharius,* sic & *Fridericus* cogetur recedere inglorius. (Sp.)

Victor ad excelsæ munimina fida Papiæ
Vertit iter, solitamque suis(1) *gaudere triumphis*
Ingreditur pulchram castris victricibus vrbem.
475 *Gaudia Ticinæ plebis, celebresque triumphos*(2)
Cæsaris, & magni speciem describere plausus,
Dignum vate foret, sed & hoc, & multa relinquo(3)
Cautus, & inualidæ parcendum credo Camœnæ.

Iamque alibi(4) *similes in eadem diximus vrbe,*
480 *Exhibitos Regi deuotæ laudis honores,*
Post clades, Terdona, tuas, ideoque premenda(5),
Ne bis agatur idem(6), *præsentia facta*(7) *videntur.*

(1) Abusus reciproci. Intellige triumphos *Friderici*. (R.)

(2) Romana re a libero statu per Imperatores in tyrannidis speciem redacta, quum plura iam per libidinem, quam ratione gererentur, sæpius atque in diuersos modos variata atque interrupta est triumphandi ratio: vt multis exemplis ostendit *Fulgosus* libro tertio: quo teste, Bellisarius postremus fuit, qui sub Imperatoribus post Augustum triumphauit. Hunc autem honorem, vt multa alia ad militarem virtutem pertinentia, ceu longo postliminio in Italiam reuocauit *Castrucius* Lucensium Princeps, Pisis, Pistoria, magnaque Etruriæ parte armis parta, cum ad Altumpassum Florentini populi copias, capto Raimundo Cardona, earum duce, fudisset. Veteri enim more, quantum fieri potuit, reuocato triumphali curru vrbem Lucam iniuit, salutis anno trecentesimo, vigesimo sexto supra mille. (Sp.)

(3) Ἀποδίωξις plena prudentiæ; quales & supra notaui. (R.)

(4) Vide supra. (R.)

Lib. tertio, v. 77 & seq. Bene autem diximus: quia historiam perpetuam narrauit, nullo figmento admixto. (Sp.)

(5) Prætereunda. (Sp.)

(6) Quod, vt admonet *Cicero* in Lælio, seu de amicitia libello, vetamur prouerbio. (Sp.)

(7) Triumphales ob victam Cremam honores intelligit. (Sp.)

Stabat adhuc studiis hærens & fixa(1) *nefandis*
Vrbs Ligurum, necdum cœptis desistere, vel tot
485 *Cladibus ipsa suis, vel Cremæ sorte*(2) *recenti,*
Vel fatis, Terdona, tuis edocta(3), *volebat.*
Sed quia iam bello tellus afflicta bienni,
Frugibus & solita minus vbertate vigebat,
Hostilique solo crebris iam sæpe rapinis
490 *Exhausto, sociis*(4) *etiamnum*(5) *parcere Regem*
Sumptus(6), *& immensæ cogebat copia plebis*(7),
Milite dimisso, spoliatæ parcere terræ
Constituit, verso dum rursus cespite solem
Aspiciat ieiunus ager, dum semine iacto
495 *Læta tumescat humus, dum plena turgeat vrna*
Bacchus, & arboreis redeant(8) *sua munera ramis.*

(1) Ἀμετακίνητον. *fixum immotumque* dixit *Virgilius*. Vitiosius est in hac significatione compositum *defixus*. (R.) p. 198

(2) Augustana editio, *forte*, quod tamen postea corrector mutarat in *sorte*. (R.) p. 198

(3) Videtur alludere ad sententiam versiculi vulgo iactati: *Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.* In eandem sententiam Plautus: *Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit.* (Sp.)

(4) Partes Cæsarianas sequentibus. (Sp.)

(5) Sic *Perna*. In Augustana editione & vulgo legitur, *etiam non*, malim ego, *etiam nunc*. (R.) p. 198

(6) Commeatus. De esca namque & potu sumptum quoque dici, manifesto deprehenditur ex hoc in *Captiuis Plautinis* versu: *Me saturum seruire apud te sumptu & vestitu tuo*, cum cibus & potus sit quoque impensa seruis necessaria. (Sp.)

(7) Signat exercitum Ænobarbicum, qui fuit, vt tradunt, plus centies mille hominum. (Sp.)

(8) Sic recte *Perna*. Augustana editio & vulgo male, *redeunt*. Sed præcessit, *aspiciat, tumescat, turgeat*. (R.) p. 198

Ergo vbi belligeris ex omni parte cateruis
Stantibus, arrecta capiendis vocibus aure
In medio cœtu pulchro(1) *stetit ore serenus,*
500 *Indixitque manu*(2), *placidoque silentia vultu:*
Incipit ex alto(3) *doctis facundia verbis,*
Atque lepos consuetus adest, magnique capacem
Ponderis ingenuam comitatur gratia vocem.

(1) Id est, læta & hilari, qualis ei fuit, facie, vt *Radeuicus* formam eius describens refert, cuius hæc verba sunt: *Forma corporis decenter exacta, statura longissimis breuior,*

procerior

procerior eminentiorque mediocribus. Flaua cesaries, paululum, a vertice frontis crispata. Aures vix superiacentibus crinibus operiuntur, tonsore pro reuerentia Imperii pilos capitis & genarum assidua succisione curtante. Orbes oculorum acuti & perspicaces. Nasus venustus. Barba subrufa. Labra subtilia, nec dilatati oris angulis ampliata, totaque facies læta & hilaris. Dentium series ordinata niueum colorem repræsentat. Gutturis & colli non obesi, sed parumper succulenti: lactea cutis, & quæ iuuenili rubore suffunditur. Eumque illi crebro colorem non ira, sed verecundia facit. Humeri paulisper prominentes. In succinctis ilibus vigor. Crura suris fulta turgentibus honorabilia, & bene mascula. Incessus firmus & constans. Vox clara. Totaque corporis habitudo virilis. Hactenus *Radeuicus* eius temporis æqualis historiam suam clausit. Quæ autem per tres in Italiam sequentes expeditiones, & postremo in Armenia gessit, scripsere multi, diligentius vero *Nauclerus, Cranzius,* & *Æmylius Veronensis,* cuius verba de *Friderici* interitu haud grauabor adscribere. *Cesar,* inquit, *nobilissimo validissimoque cum exercitu ex Germania profectus, Pannoniamque emensus, ad Græcos peruenerat, ad vrbemque regiam Bosporo transmisso longe lateque nominis sui terrorem iniecerat: iam in Armeniam copias perduxerat, colebaturque a gentis proceribus a sancta caussa non alienis, dum Selephium flumium transmittit, equo offendente, iam grauis ætate, lapsus ita affectus est, vt inter manus sublatus, paulo post expirarit. Hoc & ab autore illius temporis Tyrio traditur, & propius fidem est, quam quod a nonnullis fertur, sed ab ætate iam ingrauescente & grauitate hominis abhorret, eum, dum positis armis vesteque ad æstum lauandum natat, extinctum.* (Sp.)

(1) Attentionem sibi conciliaturi & audientiam facturi oratores manu mota signum dabant. Hinc sæpe *Lucas* in Act. Apost. de Paulo ita loquitur, vt cap. 13; κατασείσας τῇ χειρὶ εἶπεν. Et rursum: ἑστὼς ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν, κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ. vt c. 21. Sic de Alexandro inquit cap. 19; κατασείσας τὴν χεῖρα, ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ. (R.) p. 198

(3) Ambiguum hoc est. Nam & de loco editore intelligi potest (quasi ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν steterit Imperator, sicut Paulus apud Lucam) & de longe arcessita dicendi materia: vt Virgilius; *Quid caussas petis ex alto?* Prius tamen magis fere mihi probatur. Nam supra libro 7 v. 319. de eodem *Friderico* perorante ait: *editiore loco constitit.* (R.) p. 198 seq.

(1)*Non ego digna satis comites præconia*(2)*vobis*
505 *Ore referre paro, nec si prudentia magni*
Nestoris(3), *aut Ithacæ*(4) *nobis facundia linguæ*
Afforet, æquandas meritis ingentibus vnquam
Sperarem nostro conceptas pectore laudes.
Ne tamen immemorem forte ingratumque putetis
510 *Qamlibet exiles vobis pro tempore grates*
Lætus ago, maiora quidem, modo viuere detur,
Expectare iubens, venient sua tempora rebus
Et meritis referetur honor(5). *Vos ardua regni*
Pondera sollicitis humeris gestanda dedistis.
515 *Vos gelidas mecum transcendere sæpius alpes,*
Coniugibus, patriaque domo, natisque relictis,
(6)*Exiguum quiddam, facto iam more, putatis.*
Quid referam prompta susceptos mente labores,
Quos Terdona dedit, quos Astum, quos prior illa
520 *Obsidio Ligurum, tumidæque rebellio plebis?*
Imperii summum multo mihi sanguine nomen
Et diadema graui perfusum cæde parastis.
Aera pestiferum, miserandaque funera passi,
Sensistis socios coniuncta sorte labores.
525 *Et nunc obsessa brumali frigore Crema*
Quanta vel e cælo, pro me, vel ab hoste tulistis?
Hæc & plura quidem, quorum me nulla vetustas
Immemorem faciet, pro me suscepta recordor
Lætus, & immensæ mercedis debitor esse
530 *Gaudeo, quam pleno cumulatam fœnore reddam.*
Nouimus, & memori scriptos in corde tenemus
Qui toties nostris ad certa pericula iussis
Prostiterint, quos bella pati, durosque labores
Iuuerit, atque hilarem pariter cum pectore vultum.
535 *In summis præstare malis, qui prælia primi*(7)

Tentare,

Tentare, aut murum conscendere fortiter ausi (8).
Multaque (9) *præsentes oculis, quæ vidimus istis:*
Et vero pro teste(10) *sumus, sit gratia summo*
Magna precor Regi, qui me fulcire meorum
540 *Dignatus studiis: alii venalia castra,*
Et mendicatas certa mercede cohortes
Alliciunt(11): *ego gratuitis vltroque paratis*
Fidens auxiliis, ad magna negotia rerum
Tutus eo, fidas ducens in bella cateruas.

(1) Oratio Cæs. *Friderici* ad milites ornata, magnifica & suauis: continens gratiarum actionem laudemque militum, quos remissos ad tempus reuocat, dicto die ad bellicos labores, proposita mercede amplissima. Vtitur autem ab initio extenuatione, noto rhetorum colore. (Sp.)

(2) Magna laus dicitur *preconium*, quia *præco* pro laudatore ponitur. *Plautus* in Menæchmis pro præmio præconis vsurpauit, non pro eius officio, vt *Valla* interpres putauit. (Sp.)

(3) Is, qui fuit Neptuni ex Chloride filius. Sunt enim & alii Nestores. Huic in bello Troiano ad eloquentiam partes salubris consilii dantur. Vnde dicit, *prudentia*. Et tres ætates attribuit *Homerus* in Odyssææ tertio, a quibus Nestoris anni apud Latinos in prouerbium abierunt. (Sp.)

(4) Hoc est, Vlyssea. Nam, *Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses.* Is Græcos a Troia discedere volentes retinuit facundia sua. *Horatius* eum exitium gentis Troianæ appellat: quoniam eius astu latens Achilles muliebri habitu inter filias Lycomedis, deprehensus est, & in Troiam ductus, qui Hectorem occidit, & fratres eius plures, continueque Troianis ipsis insidiabatur. Vnde quicquid actum est postea in Troianos, Vlysses fecisse videtur. Eum Homerus *breuem & prudentissimum* refert, Aiacem *longum & stultissimum* prodidit. *Ithacensis* a patria dictus *Horatio* lib. primo epistolarum. *Ithaca* autem insula est Ionii, clara tantum Vlysse, sterilis alioquin & parua, etiam *Ciceronis* testimonio in orationibus his verbis: *At si vos id, quod iure debet, vestra patria delectat, cuius tanta vis est, vt* Ithacam *illam in asperrimis saxulis tanquam nidulum adfixam vir sapientissimus immortalitati anteponeret.* (Sp.)

(5) Ex illo *Ouidii*;

Tunc sum ex merito quemque sequetur honos. (R.) p. 199

(6) *Nihil enim tam difficile, quod non fiat vsu facile.* Vnde Ouidius: *Quod male fers, assuesce, feres, bene multa vetustas Lenit.* Tanta est etiam vis consuetudinis, vt in alterum naturæ nomen abierit. (Sp.)

Assuetudo enim omnia facit leuiora. Hinc *Vegetius* lib. 1 c. 18; *Omne opus difficile videtur, antequam tentes.* Et mox cap. 19; *Hæc non creduntur esse difficilia, si vsus accesserit. Nihil enim est, quod non adsidua meditatio facillimum reddat.* Quæ sunt procul dubio ex *Terentiano* illo desumpta Heautontim. extrema: *Hæc dum incipias grauia sunt, dumque ignores: vbi cognoris, facilia.* (R.) p. 199

(7) Quia non mandauit tantum, sed etiam ipse bella gessit, qualem Principem sua ætate desiderasse videtur *Sidonius*. Sic enim cecinit: *Sed tamen vnus homo est, nec tanta pericula solus Tollere, sed differre potest: modo Principe nobis Est opus armato, veterum qui more parentum Non mandet, sed bella gerat, quem signa mouentem Terra, vel vnda tremant: vt tandem iure recepto Romula desuetas moderentur classica classes.* (Sp.)

(8) Hoc est, qui in acie aliquo egregio facinore inclaruerunt, ob quod donabantur ab Impp. corona quæ dicebatur *castrensis*. Ea corona insigne valli habebat. (Sp.)

(9) Qui suis quoque coronis ornabantur. quæ & *murales* dictæ sunt. Hæ quasi muri pinnis decoratæ erant. Vide *Gellium* libro quinto. (Sp.)

Scilicet, tentare ausi. Alludit autem in seqq. ad certitudinem oculorum, de qua & alias dictum. (R.) p. 199

(10) Iuxta illud Plauti: *Plus est oculatus testis vnus, quam auriti decem.* Id est, qui de auditu tantum dicant. Quæ autem cernimus, certiora sunt, quam quæ audimus. Vt etiam iuxta *Horatium* in Arte: *Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ Ipse sibi tradit spectator.* Porro ad cognitionem magis faciunt aures, ad fidem faciendam certiores sunt oculi. Vnde & vulgo, si quis fabulam narret parum verisimilem, rogare consueuimus, num ea conspexerit? Quod si neget, verum audisse modo, ridetur. (Sp.)

(11) Forte, *alliciant*. (R.)

545 *Nunc quia vastatis hostilibus vndique campis,*
Victum terra negat, castrisque alimenta ministrans
Plus socius studio, quam bello læditur hostis,
Respirare iuuat, laxataque soluere castra,
Ruraque dimissis ad transalpina cateruis,
550 *Sumptibus assiduis oppressæ parcere plebi.*

Dum

Dum melius promittat ager, repetitaque culta
Producant lætas Ligurina noualia(1) fruges.
Protinus expleto (nobis reuocantibus) anno,
Si bene nota fides, in castra redibitis omnes.
555 *Nec prius hostili bellum referemus ab vrbe,*
Quam iustas experta minas, superataque bello
In vestras dabitur proscriptis mæsta colonis
Diripienda manus, penitusque excisa iacebit(2).

(1) Id est, agri Ligurum, species pro genere. Sunt enim qui velint nouale esse aruum tunc primum ad sementem proscissum, cum prius esset silua, vel alio modo incultum, atque ita etiam *Hieronymus* interpretatur. *Seruius* item: *dicimus*, inquit, *& has nouales, & hæc noualia, proprie nouales tunc primum arua prostissa*, quod ita sensisse in Buc. *Virgilium* palam est in illo versu: *Impius hæc tam culta noualia miles habebit?* Vide *Vallam* lib. elegant. 6, *Appianus* autor est lib. 1, decimam partem fructuum Reipublicæ solitam pendi pro vectigali eorum agrorum, qui deserti ad culturam redigerentur. (Sp.)

(2) Prout eam in sequenti eius in Italiam expeditione, quæ incidit annum salutis MCLXIII, demum vrgente fame subactam ad solum euertit. Eam non multo post sociæ coniuratorum in Ænobarbum ciuitates communiter restituerunt. Mirandum profecto, quam breui tempore populo & opibus ciuitas auctior facta fuerit. (Sp.)

Hæc vbi verba viris regali plena vigore,
560 *Aut meliora dedit, cunctos simul ore venusto*
Laudat, & egregios titulis exaggerat actus.
(1)*Tunc si quos præclarum aliquid, laudisque superbæ(2)*
Commeminit gessisse manu, regaliter illos
Appellans, memorem factorum quemque suorum
565 *Efficit, & sese memorem simul indicat esse:*
Munificaque manu meritis bene(3) munera magna
Erogat, argenti multum largitur & auri,
Crateras, pelues, discos, paterasque capaces,
Addit equos celeres, galeas, thoracas, & enses,
570 *Textaque multimodis operose picta figuris,*
Atque figuratam late(4) se Rege monetam:
Distribuitque suis regale numisma maniplis.
Sic demum castris suspensa parte laboris
Pollicitos alacres ad quæque sequentia vires
575 *Muneribus lætos, titulis dimittit onustos.*

(1) Idem scribit *Radenicus* cap. 79 quarti libri. (Sp.)

(2) Quicquid in aliqua re excellit, *superbum* dicere possumus? quasi super alia iens. Virgilius; *Ceciditque superbum Ilium*, hoc est, nobile, magnificum. (Sp.)

(3) Iungo, *bene magna*: quod *Lucretianum* & *Ciceronianum* est. Sic *Iustinianus*, *bene multas* actiones pœnales ait Prætorem ex sua iurisdictione introduxisse. § pœnales. Inst. De action. Quam Latinam elegantiam qui non intellexerunt, ibi vel *permultas*, vel *pene multas*, perperam substituerunt. Sed hoc quidem alii ante nos monuerunt: Illud autem nemo, quod sciam, in §. pen. Instit. de vsu & habit: vbi vulgo in omnibus libris legitur: *Sed si cui habitatio legata, siue aliquo modo constituta sit*, &c. omnino veram lectionem esse hanc, *siue alio quo modo*. Vel etiam simpliciter, *alio modo*. Ostendit hoc satis Theophili paraphrasis ad eum locum, quæ ita habet: ἢ καὶ ἑτέρῳ τρόπῳ, *Perna* tamen seu *Pithœi* editio hic iungit, *meritis bene*, quod ostendit distinctio apposita ad *bene*. (R.) p. 199

(4) L. *lato* se Rege. (B.)

**Me quoque non armis, sed carmine castra secutum,*
Hactenus egregii(1) decursa parte laboris,
Si bene promerui castrorum præmia miles(2),
Non illaudatum, vel munera nulla ferentem,
580 *Spero quidem magni dimittet gratia Regis.*
Nec spernenda meæ (liceat modo vera fateri)
Munera militiæ, nec clarius arbitror esse(3)
Pauca probe gessisse manu, quam multa referre.

(4)*Nec minor hic illo labor est, quæ singula multi*
585 *Fortiter egerunt, ego prosequor omnia solus.*

* Epilogus operis, conuenientissime subiectus descriptioni præmiorum pro rebus bene fortiterque gestis ab Imp. distributorum: Ita inquam conuenienter & decenter, vt ex proxime præcedentibus quasi aptus nexusque esse videatur. Quemadmodum, inquit Poeta, Imperator suos milites armatæ militiæ præmiis ornatos, & vt alibi loquitur, onustos dimisit: Ita mihi quoque meæ militiæ, quæ non armata, sed togata est munera minime defutura esse confido, nec indonatus a magno Cæsare abibo. (R.) p. 199 seq.

(1) Vere egregius labor tuus, o *Guntbere*! nec falso hoc de te prædicas. Sic versus, suos *canoros* ipse vocat supra lib. 1 vers. 151. Et hic mox infra vers. 594 *nitorem* in suis carminibus agnoscit. Sic sæpe *Lucretius suaudicos versus*, *musæum leporem*, & similia, sibi ipse tribuit. Sic *Oppianus* noster suas quoque virtutes alicubi agnoscit: idque sine arrogantiæ crimine. Quid quod hoc ipsum non minus iubemur facere Apollinis Delphici præcepto, *nosce teipsum*, (quod *Iuuenalis* propterea ex cælo descendisse ait) quam vitia nostra agnoscere? Sic enim *Cicero* interpretatur. (R.) p. 200

(2) Tanquam miles, vt *Horatius* Epod. *Nec excitatur classico miles truci.* (R.) p. 200

(3) Hoc tam vere dicit, quam omnium, teste *Balbo* Antistite, qui vel in ciuili negotio, vel in veri perspicientia versantur, vna est stabilis fixaque sententia, nihil magno & excellenti Principi, neque charius, neque antiquius esse debere, quam rerum a se gestarum, & suæ virtutis gloriam in omnem memoriam propagare. (Sp.)

Facit huc quod scribit *Vegetius* lib. 2 de re milit. *Vnius ætatis sunt quæ fortiter fiunt: quæ vero pro vtilitate Reipub. scribuntur, æterna sunt.* Quem locum *Baldus* quoque adducit in fine Commentar. de pace constantiæ. (R.) p. 200

(4) Videtur *Guntherus* in conspectu habuisse hunc *Sallustii* locum in Coniurat. Catilin. *At mihi quidem, tametsi haud quaquam par gloria sequatur scriptorem & actorem rerum: tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primum, quod facta dictis exæquanda sint, &c.* vbi non dissimulo, me in membranis elegantissimis MSC. quibus me donauit *Gasper Schoppius* Francus, legisse, *auctorem* pro *actorem*. Et mox: *sunt exequenda*, pro, *exæquanda sunt.* Quæ lectiones minime contemnendæ videntur, nam *exequi* interdum est *edissertare, commemorare, exponere, narrare*: quod est Græcis διεξέρχεσθαι, διηγεῖσθαι, vt *Cicero* Epist. ad Marium lib. 11 27; *habeo multo occultiora, quæ vix verbis exequi possum.* Et *Quintilian.* lib. 5 c. 12; *verbosius exequi.* Idem lib. 1 c. 6; *Quæ Tullius in Oratore diuine, vt omnia, exequitur.* Altera vero lectio exprimeret formulam Græcam, τοῖς πράγμασι τὺς λόγυς ἐξισῶσαι: quæ est apud *Demosthenem, Nazianzenum*, & alios. (R.) p. 200 seq.

Hoc quoque me famæ, si desint cetera, solum
Conciliare potest, quod iam per multa latentes
Sæcula(1), *nec clausis prodire penatibus ausas*
Pierides, vulgare paro, priscumque nitorem(2)
590 *Reddere carminibus, tardosque citare poetas.*
Immo etiam pulchro reuerendi Cæsaris ausu(3),
Cæsareæque domus videor meruisse fauorem(4),
Cum de tam lato magnarum gurgite rerum
Sunt electa mihi cupide quæ scribere mallem
595 *Nominis acta sui*(5): *ne res notescere dignas*
Fuscarent tenebræ, speciosaque facta laterent.
Atque ideo dum musa recens, nosterque legetur
Iste labor, cupidum nisi fallit opinio vatem(6),
Virtutes, Friderice, *tuas mirabitur orbis.*
600 *Forsitan hunc olim, faueat modo fama, libellum*
Et pater, & magni proles generosa parentis
Attrectare manu, placidamque legentibus aurem
Tradere curabit, propriasque admittere laudes.
Et nunc pauca quidem, sacræ quæ sanximus aulæ,
605 *Carmina sufficiant, & respirare poetam*
Ad tempus liceat, dum bellica signa quiescunt,
Grataque dimissus bello fouet otia miles.
Mox vbi sollicite reuocatus in arma redibit,
Nos quoque belligeras acies, & castra petentes(7)
610 *Interrupta nouo repetemus cœpta labore;*
Cunctaque summatim, superet modo vita(8), *sequentes*

Continuo

Continuo quodam suscepta negotia filo
Propositi memores, ad tempora nostra trahemus.

(1) Iam inde a primis Longobardorum temporibus, & in ipsa Italia inolevit barbaries, atque Romæ desitum est Romane loqui. (Sp.)

(2) Qui apud veteres Latinos paulo diligentius de poetice scripserunt, sero asserunt a Romanis fuisse hanc facultatem receptam, annos post vrbem conditam supra CCCC. Regnante Numa Pompilio Saliorum carmina facta sunt, inculta atque incondita, propterea que parum posteris intellecta. Paulo mox cantica quædam & deuotionum sacra vulgata sunt, laudesque deorum versibus absolutæ, quibus more suo deos comprecari consueuerunt, aut expiare vrbem insigni aliquo prodigio. Neque tum Romæ defuerunt, qui vaticiniis editis, Populi Romani facta describerent, aut qui perobscuris versibus, futuras clades Punicis bellis prænunciarent. Primus autem omnium poeticen illustrare cœpit *Liuius Andronycus*: quam paulo post auxerunt, præcipueque instruxerunt *Q. Ennius, M. Plautus, Næuius, Pacuuius, Actius* & *Lucilius*. (Sp.)

(3) Scilicet *meo*, in poemate conscribendo. (R.)

(4) *M. Cato* retulit, poetas ipsos principio in vrbe contemptui habitos, & crassatores vulgo appellatos, qui poeticæ studio tenerentur. Factum tamen est, vt paulo mox principes etiam viri, aucto imperio, & domi forisque pace adepta, ad hanc studiorum partem animum inclinarint, summoque cultu atque honore illos habuerint, qui carmine absoluendo viderentur admodum excellere. Hinc sacratum in ipsa vrbe musis templum, & magna religione habitum. Quoniam existimarent, a Gratiis abesse illorum ingenia, qui paulo indoctiores haberentur, & quasi a musarum sacris alieni. (Sp.)

(5) Recurrit abusus reciproci, *Sui*: de quo supra non semel. (R.) p. 201

(6) Vt Virgilius, *si nunquam fallit imago*. Allusit *Guntherus* ad sententiam a multis magnisque auctoribus celebratam: *Quod volumus, facile credimus*. *Demosthenes* Olynth. 3. ῥᾷστον ἁπάντων ἐστὶν αὑτὸν ἐξαπατῆσαι. ὃ γὰρ βούλεται, τοῦθ' ἕκαστος καὶ οἴεται. τὰ δὲ πράγματα πολλάκις οὐχ οὕτως ἔχει. id est, *Seipsum decipere res est vna omnium facillima, nam quod vult, idem quisque etiam opinatur. At negotia sæpe non ita se habent.* *Cæsar.* 3 Bell. Gall. *Fere libenter homines id quod volunt, credunt.* Idem 2 Bell. Ciuil. *Quæ volumus, & credimus libenter: & quæ sentimus ipsi, reliquos sentire speramus.* Huc & vetus verbum pertinet: *Sabini, quod volunt, somniant.* Simul etiam allusum videtur ad sententiam *Isocraticam* in orat. ad Nicoclem; *Et carmina & orationes antequam emittantur, magna spei esse apud auctores suos, quæ tamen sæpissime ipsos frustra habeat.* (R.) p. 201

(7) Carmine scil. non armis: vt supra v. 576. (R.)

(8) *Modo viuere detur*, vt supra lib. 1 v. 60. & hoc lib. 10 vers. 511. * Vid. *Lection. Sacr.* * Hoc quoque Biblicum videtur. Sæpe enim ibi legas, *vita comite*. Quid quod *S. Iacobus* ne in crastinum quidem diem quicquam vult Christianos pure & absolute polliceri, se facturos? semper enim hanc conditionem promissis nostris adiiciendam esse, ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ, καὶ ζήσομεν καὶ ποιήσομεν τοῦτο ἢ ἐκεῖνο. Idque factitarunt sancti Dei homines: vt videre est in his sacræ scripturæ locis. Genes. 18. 4 Reg. 4. 1 Cor. 16. Heb. 6. 1 Pet. 3. Act. 16 & 21. *Symmachus* lib. 8 ep. 27; *Si bene destinata Dii iuuerint.* Idem alicubi præcipit *Plato*. Et merito. Nam vt vulgo dicitur ex Salomone, *homo proponit, sed Deus disponit*. Et *Hieremias* inquit; *Scio non esse hominis viam eius, neque viri, dirigere gressus suos.* *Seneca* quoque *nemo tam Diuos habuit fauentes, crastinum vt posset sibi polliceri*, &c. (R.) p. 201

Interea tacitus de se quid iudicet aula
615 *Audiat, & doctos, quorum tutandus amore*
Atque fouendus erit, noster Ligurinus(1) *adoret,*
Nec frontem duxisse velit(2), *licet vnus & alter*
Arguat & meritum naso(3) *subsannet adunco*(4).
Quemque sui meminisse decet(5), *nos nominis alti*
620 *Non sumus, egregios vix suscipit aula poetas.*
Hoc tamen in cœtu non deerit forsitan vnus,
Vel duo, vel plures(6), *qui te* Ligurine *legendum*
Esse putent, lectoque semel, rursumque relecto
Plus faueant, tandemque sacras ad Principis aures
625 *Nomen & autorem, quæ rerum insignia portes,*
Quidue petas(7) *perferre velint, & amica loquantur.*
Hunc ego quisquis erit, qui tam placabilis in nos
Extiterit, gaudere bonis maioribus opto
Semper & æterno fulciri Regis amore(8).

(1) Opus nostrum, a rebus in Liguria gestis nomen sortitum. (Sp.)

(2) Hoc est, non molesto animo ferat. Nam *frontem explicare* cum hilarescimus; *contrahere*, cum ringimur, vbi quid molestum est, dicimur. *Plinius* in libro vndeci-

mo. Frons & aliis, sed homini tantum tristitiæ, hilaritatis, clementiæ, seueritatis index. (Sp.)

(3) Sic *Horatius* in Sermonibus: *Naso suspendis adunco.* Notum est, quod nasum antiquitas irrisioni dicauit. Vnde *nasuti* vocati, qui docte norint alios irridere. Martialis: *Non cuicunque datum est habere nasum.* Idem: *Nasutus sis vsque licet, sis denique nasus.* (Sp.)

(4) Corrugato. (Sp.)

(5) Alludit ad illud Horatii: *Metiri se quemque suo modulo ac pede verum est.* Et hoc Persii: *Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex.* (R.) p. 202

(6) Videtur alludere ad initium Satir. Persii: *Quis leget hæc? Mi n' tu istud ais? nemo hercule nemo?*
Vel duo, vel nemo, &c.
Sic enim eum locum recte interpungebat doctissimus *Bergius.* (R.) p. 202

(7) Sic restitui, pro eo quod erat vulgo, *putas.* Postea hanc emendationem vidi etiam inter correctiones Augustanæ editionis. Diuinabam quoque *putes*: vt *expauere* Latini dicunt. (R.) p. 202

(8) Non temere, neque non magnum quid amico suo precatur optatque Poeta. Nam, vt *Syluius* ait, *perrari sunt, qui apud Reges perpetuo valent.* Idem: *Sæpe,* inquit, *qui heri placuit, hodie displicet.* Nullum est in atriis Principum maius studium, quam vt alios de gradu præcipitent, & se erigant. Apud Hadrianum Imp. delatorum voces adeo valuerunt, vt amicos, quos ad summum promouerat, postea hostium loco habuerit. (Sp.)

630 *Sic vbi conspicua tandem nouus hospes in aula*
Constiteris, claroque piam cum Principe prolem
Ceu totidem stellas nitido cum sole videbis,
Hæc tibi non stulte proferri posse videntur:

Gaudeat ista domus, qua gaudet præside mundus,*
635 *Gaudeat Augusto felix cum patre propago,*
Gaudeat, & nostrum iubeat gaudere parentem.

* Huius ortum & interitum scripsit diffusius *Peutingerus* noster his verbis: *Imperator Cæsar* Henricus quartus *Augustus, quem plerique* Tertium *appellant*: *quum* Rudolfum *Sueuorum Ducem, Comitemque Reinfe'densem, aduersus se* Gregorii VII *Pont. Max. persuasionibus concitatum, & Regem Augustum declaratum occidisset*, Berchtoldo Zeringio *genero Ducatum Sueuiæ, quem ex coniuge eius* Rudolfi, *filia occupauerat, abstulit, & ipsum dedit* Friderico, *magnæ nobilitatis viro (qui ab aliquibus* Baro, *ab* Othone *vero Frisingensi Episcopo* Comes *de* Hohenstauffen *cognominabatur) ob singularem virtutem, ac præclara eius facinora, eundemque ex* Agnete *filia generum suum fecit.* Berchtoldo *tamen in eo gratificatus, quod eum* Turegum, *non obscurum Sueuiæ oppidum, a manibus Cæsaris tenere permisit.* Fridericus *ergo Dux, qui genus suum, ad veteres, origine tamen Germanos, Francorum Reges* Clodouæum, *& Imp. Cæs.* Carolum Magnum *Aug. referebat: habebatque fratres* Othonem *Episcopum Argentinensem, &* Chunradum: *& ex coniuge sua* Agnete *filios duos sustulit*, Fridericum Iuniorem *&* Chunradum: *tandem senio confectus obiit in cœnobio, quod erexerat, Loricensi tumulo conditus iacet.* Agnes *deinde (Imp. Cæs.* Henrico V *Aug. fratre eius, adsentiente) illustri Marchioni Orientali, Austriæ scilicet, nupsit, genuitque ex eo filios* 18. *Porro* Fridericus Iunior Friderico *patri in Sueuiæ Ducatu successit. Fuit is nobili ingenio præditus, liberalis, & militaris rei scientissimus, altero tamen oculo carebat.* Chunradus *autem super Francones Dux constitutus, Ducatum etiam hunc pater a Cæsare acceperat. Defuncto interim Imp. Cæs.* Lothario Quarto *Aug. Saxonum Duce apud Confluentiam Rex Augustus declaratur. Hic expeditionem Hierosolymitanam cum Regibus ceteris christianis adsumsit, genuitque ex* Gerdrude *Sulczbacensis Comitis filia, coniuge sua*, Fridericum *alterum Sueuiæ Ducem: qui expeditione Romana febre correptus interiit, &* Henricum *valente patre Regem Augustum designatum, anno ætatis X, Domini vero MCXLVII. Sed hic cum Regis Hungariæ filiam* Sophiam *sibi desponsasset, morte immatura præuentus, ante patrem in fata concessit, anno ætatis suæ XIII, dominicæ salutis MCL. Idem* Fridericus, *monoculus Dux ex coniuge eius prima* Iuditha, Henrici Nigri *Bauariæ & Saxoniæ Ducis filia, genuit Imp. Cæs.* Fridericum Primum *Aug.* Ænobarbum *appellatum, &* Iuditham *filiam*, Matthæo *Lotharingorum Duci copulatam. Ex altera vero* Agnete *Comitis* Burgi Saræ *filia, genuit* Chunradum *Ducem, a Cæs.* Friderico *Rheni Palatinum Comitem constitutum. Agrippinensis scriptor filiam monoculo eidem addit, quæ* Gotfrido Secundo *Brabantiæ & Lotharingiæ Duci copulata: ex quibus* Gotfridus Tertius *Dux natus fuit. Alter vero res* Friderici *Cæsaris scribens, ait*: Chunrado *ex* Agnete *matre soror fuit* Hermanni *Lantgrauii illius Turingorum coniunx: cuius filius contra* Philippum *consanguineum suum* Othonis Quarti *partes fouerat. Cæs.* Fridericus Ænobarbus, *quum* Adilam, Diepoldi *Vohburgensis Marchionis filiam, ob consanguinitatis impedimentum repudiasset (quæ postea* Diethoni *Domino Rauenspurgii nupsit) coniugem sibi matrimonio copulauit nobilissimam illam* Beatricem, *maximi Vesontionum Comitis* Reginaldi *vnicam filiam atque heredem, genuitque ex ea Imp. Cæs.* Henricum VI; Philippum *prænominatum Etruriæ Ducem, contra* Othonem Quartum *Augustum designatum*: Chunradum *Sueuiæ Ducem, Durlaci interemptum*: Othonem *Palatinum Burgundionum Comitem, Vesontionumque Dominum, &* Fridericum *Ducem*: *qui quum in expeditione transmarina, patre defuncto, exercitus totius christiani ductor esset, febre*

correptus

corrreptus occubuit. Scriptor praeterea Saxonicus, duas adhuc Caes. Friderici filias, quarum vnam Sophiam Marchioni Saxoniae coniunctam, alteram Beatricem virginem Deo dicatam, Abbatissam Quedlinburgii fuisse refert. Filiorum vero coniuges fuerunt Imp. Caes. Henrici VI Aug. Constantia, Wilhelmi Secundi Regis Siciliae filia, quae professa e monasterio Panormi per Caelestinum Tertium P. M. educta quinquennaria, Imp. Caes. Fridericum Secundum Aug. genuit. Philippus, qui post Henricum Caes. Rex Augustus, sibi Graecam Mariam, Caes. Alexii Constantinopolitani filiam, copulauerat, ab Othone Wittelspachio Palatino Comite, quod filiam eius antea repudiasset, occisus. Othoni Burgundionum Moderatori Blesensium Comitis filia nuptui tradita fuit. Fridericus vero Dux, antequam Geizae, Hungarorum Regis, filiam sibi desponsatam traduceret, in fata concessit. Imp. Caes. Fridericus Secundus Augustus Rex & heres Siciliae citra & vltra Pharum, sex coniuges legitimas habuit, ex quarum prima Constantia Aragonum Regis filia, & Hungarorum Regis relicta vidua, Regem Henricum Aug. & Burgundionum rectorem genuit: cuius ex Margarita, filia Leupoldi illius gloriosi Ducis Austriae, filii nati Fridericus, & Henricus a Manfredo, quem mox referemus, veneno sublati interierunt. Haec autem Margarita, Henrico defuncto, Ottacaro primum Morauorum Marchioni, mox Boemorum Regi denuo nupsit: quem pugnis pluribus victum profligatumque Rex Rodulfus Habispurgius tandem congressu occidit. Secundam Friderici II coniugem, quod nati ex ea huius nobilissimae domus posteritatem continuauerunt, loco vltimo referemus. Tertiam idem Caesar coniugem Othonis Meraniae Ducis filiam repudiauit: quae postea Carentano Duci Vdalrico copulata fuit. Quartam deinde duxit Ruthinam, Othonis Com. Messenbursen. filiam. Qua defuncta quintam adiunxit, Isabellam Bauariae Ducis Ludouici filiam. Sexta autem fuit coniunx Mechtildis, Ioannis Anglorum Regis filia. Genuit autem Caes. Fridericus II ex secunda in ordine sua coniuge Iole, Iohannis Brauni Hierosolymitani Regis filia, cui & heres in regno fuit, Iordanem Regem, qui infans obiit, & Regem Chunradum Aug. Hierusalem, Siciliae Regem, Ducemque Sueuiae, qui ab eodem Manfredo veneno peremptus interiit. Is reliquit ex Elizabeth, Ludouici & Henrici Bauariae Ducum sorore, coniuge sua, Chunradinum illum innocentissimum filium: qui quum regna patrio atque auito iure sibi debita iam prope pubescens repeteret, proditus a Carolo Prouinciae & Andegauens. Comite Siculi regni occupatore, captus vna cum Friderico Austriae Duce, Badensique Marchione, etiam impubere, cum maxima iniuria & praeter fidem, quae hosti nocentissimo data seruanda est, capite casus occubuit, anno christianae salutis LXVIII supra MCC, & Neapoli ad Carmelitas reconditi iacent. In hoc Chunradino domus illa illustris Ducum Sueuiae defecit. Vsus est idem Caes. Fridericus concubina Blancha Marchionis Montisferrati filia, & ex ea sustulit Fridericum Antiochenum Albae Comitem, mox Tusciae Regem, apud Florentinos sepultum; Henricum Sardiniae & Corsicae Regem, qui captiuus apud Bononienses obiit; Ecium siue Recium, Longobardorum designatum Regem, & portentum illud, Manfredum Tarentinum Principem, mox regni Siciliae occupatorem, cum patrem & praedictos eius filios veneno necasset. Manfredus ex Constantia coniuge sua, quam cum Petrus Aragonum Rex sibi matrimonio copulasset, regno suo Trinacriam adiecit. Tandem Manfredus, vt quas meruerat poenas lueret, ab eodem Carolo occisus est. (Sp.)

Neue suum vatem patiatur littus arasse(1),
Vanaque(2) *deceptis*(3) *fregisse noualia sulcis*(4),
Vel tot in officio(5) *vigilatis noctibus*(6) *isto*
640 *Conseruisse leues quas texit aranea telas*(7),
Sed quisquis rerum, quas scripserit ille(8), *nitorem*
Te perhibente(9) *leget, pulchri quoque praemia facti*
Nouerit, & gratum feliciter isse(10) *laborem.*
Nam mihi per totum magnalia Caesaris orbem
645 *Impetus est*(11), *prolisque sacrae diffundere laudes*(12).

(1) Id est, sterilem operam sumpsisse. Sic Ausonius ad Theonem: Quid geris extremis positus telluris in oris Cultor harenarum vates, cui littus arandum? Sunt autem maxime steriles littorales sulci, nec idonei ad sementem. Vnde Oenone Paridi apud Nasonem: Quid facis Oenone, quid harenae semina mandas? Non profecturis littora bubus aras. Atque in nobilissima Germaniae inferioris regione, Brabantia, sunt agricolae tam industrii, qui sitientissimas harenas cogant & triticum ferre. (Sp)

(2) Quod spei futuri fructus parum respondeant. (Sp.)

(3) Infrugiferis. (Sp.)

(4) Laboribus, non inepta metaphora. (Sp.)

(5) Scilicet, historiae conscribendae. (Sp.)

(6) Inde propter tam insignem studiosorum diligentiam, opera eorundem multo studio elucubrata dicimus, lucernam olere, ad quam vigilantes soleant elaborare. Notae sunt Aristophanis & Cleanthis lucernae. (Sp.)

Ouidianum hoc est: Attenuant iuuenum vigilatae corpora noctes. Imo etiam euigilare libros idem dixit: Quos studium cunctos euigilauit idem. Alludit ad has Poetarum vigilias etiam Drepanius Panegyrico: Huc, huc totas pii vates doctarum noctium conferte curas &c. (R.) p. 202

(7) Qui in re friuola nulliusque frugis infinitum atque anxium capiunt laborem, dicuntur proprie aranearum telas texere. Vnde generaliter magis Poeta sicut modo, littus arare, pro sterili opera vsurpauit. Nam ad materiam operis referri non debet; quum mox ab initio cecinerit, se ardua gesta Aenobarbi vulgaturum: nec non maxima semper, Alcia-

to teste, fuerit historiæ autoritas, eaque omnibus temporibus in honore habita, vt cum plurima variarum rerum studia, & quidem nobilissima haberentur, rerum tamen gestarum scriptores semper primas partes sibi vendicarent. Cumque nulla non artium aliquo tempore male audiuerit, solam hanc professionem extra aleam esse semper existimatum est. Eiecti vrbe Roma pluries philosophi & rhetores fuere. Senatusconsultis quoque diffamati mathematici. Nec Medici, nisi post sexcentesimum, & eo amplius annum conditæ Vrbis admissi. Cum tamen interim Gn. Piso, Pub. Pictor, ceterique Annalium scriptores summam dignitatem nanciscerentur. (Sp.)

(8) Scilicet, Vates *Guntherus*. (Sp.)

(9) Ipso scilicet, opere Ligurino. (Sp.)

(10) *Glücklich a[illegible] g[illegible]ngen.* (B.)

(11) Signat, ni fallor, diuinum illum impulsum, mentisve agitationem, siue concitationem vere poetis peculiarem. Iuxta illud *Ouidianum* in Fastis:

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo
Impetus hic sacra semina mentis habet.

Sed & *Democritus* dicebat poeticen natura magis quam arte constare, & eos solos poetas esse veros, qui insaniant, quod & *Socrates* apud *Platonem* constituit & affirmat. Non potest grande aliquid super ceteros loqui, nisi mota mens. *Seneca* quoque inquit, quum vulgaria & solita contempserit, instinctuque sacro surrexerit excelsior. Tunc demum aliquid cecinit grandius ore mortali, nec potest sublime quicquam & in arduo positum contingere, quamdiu apud se est: decidat oportet a solito, & efferatur & mordeat frænos, & rectorem rapiat suum, eoque feratur, quo per se timuisset ascendere. (Sp.)

(12) Hoc est, quod alias ait, *didere nomen alicuius*. (R.)

His ita præmissis cunctis præbere legendum
Te poteris, totasque palam distendere pennas(1).
Mox vbi sit noster Solymarius(2) *ille requires,*
Quem prius ingenuo dedimus leue munus(3) *alumno*(4):
650 *Qui sibi te quinto, post se, vix mense creatum*(5)
Ac veluti medio(6) *proiectum ventris aborsu,*
Accessisse nouo mirabitur ordine fratrem(7).
Hæc monuisse sat est, age nunc proficiscere cautus,
654 *Sit fortuna tuis & felix exitus ausis.*

(1) Id est, exponere te iudicio lectorum, volitareque per ora doctorum virorum. Consimili metaphora dixit *Horatius* in epistolis: *Maiores pennas nido extendisse loqueris*, pro eo quod est, rem fortunamque, quam mediocrem aut tenuem a maioribus acceperis, auctiorem reddidisse. (Sp.)

(2) Non dubium est, quin opere in illo, quod vtinam non desideraretur, complexus est expeditionem Hierosolymitanam, quam *Chunradus* Rex Augustus, patruus Ænobarbi, vna cum *Ludouico* Gallorum, ac *Richardo* Anglorum Regibus, aliisque christianis Principibus sumpsit. (Sp.)

(3) Hoc vulgo nonnulli *leuidense munusculum* appellant, exemplo, vt putant, auctoritateque *Ciceronis* lib. 9 Fam. ep. 12. Sed merito ea vox, *leuidense*, ibi suspecta est eruditissimo *Ful. Vrsino* in notis ad omnia opera *Ciceronis*: quem vide sis. (R.) p. 202

(4) Filio Ænobarbi *Chunrado*, Germanicæ Franciæ Duci, vt ipse Poeta inter inuocationem testatur. (Sp.)

(5) Videbis & apud *Augustinum* probatissimum autorem de hominibus vsurpatum, vt non solum ad Deum pertineat. (Sp.)

(6) Cur *medio*? Quia tantum assecutus est quintum mensem, cum legitimus & quasi solennis partus fere decimestris esse soleat. Nota, hoc opus intra quinque menses absolutum fuisse. Quid ergo? num in illorum cœtum Poetastrorum *Guntherus* noster referendus erit, qui perpetuo gloriari solent, se carmina sua αὐτοσχεδιαστὶ scripsisse, immo effudisse, stantes pede in vno, vt ait ille: Idque versibus suis tanquam elogia statuis subscribunt. Quam perpetuam malorum Poetarum notam esse ait *Muretus*: cum e diuerso optimi quique Poetæ suos fœtus vrsarum more lambant ac refingant. Illis ne ergo similem faciemus *Guntherum*? Minime vero. Nam quæ quantæque sint huius Poematis virtutes & dotes, alibi demonstrauimus, & ex his quoque notis fiet, vt spero, perspicuum. Tribuatur ergo hæc festinatio felicitati & facilitati ingenii eius; non autem futili iactantiæ & vanitati. (R.) p. 202

(7) Autores opera sua subinde vocant *fœtus*. Vnde eruditissimus vir *Beatus Rhenanus*, extinctæ pæne antiquitatis excitator, tam eleganter, quam vere dixit: *Nulli parentes æque vehementer liberos suos charos habent, ac scriptores ingenii sui monumenta amant.* Poetaque non minus pulchre in translatione manens dixit, *nouo ordine*, hoc est, mirando atque inaudito. Nam partus naturalis citra septimum mensem haudquaquam vitalis gignitur, & ideo iniustus. l. *septimo. ff. de stat. hom.* Vltra vndecimum obseruata naturæ lege gigni est impossibile, & ideo iure ciuili est illegitimus. Super pariendi tempore variant autores. L. Papirius Prætor non male dixit, nullum pariendi tempus præfinitum, scilicet lege a conceptu. Lex 12 tab. a morte 10 præscripsit menses. Diuus Adrianus longo post tempore caussa cognita, a conceptu vndecim menses decreuit, a morte autem nihil immutauit ab eo, quod 12 tab. scriptum erat, & a Gallo declaratum fuit, & a diuo Iustiniano comprobatum *l. fin. C. de posth. her.* Varro autem, Plinius, & ceteri a conceptione dinumerant: quod & nostris LL. vsque adeo accedere videtur, vt nonnulli interpretes ausi sint affirmare, vndecimo mense iustum partum nasci. (Sp.)

CVNRADVS RITTERSH.
Lectori S.

CVm iam hasce notas ad typographum misissem, venit ad me epistola humanissima, a *Marco Velsero*, Exconsule & Septem viro Augustano, quem virum summa humanitate in summa dignitate præditum, etiam alibi horum commentatiorum laudaui. Ea inclusum habebat Diploma *Caroli M.* Imperatoris nuper in vetustissimo libro repertum: quo non frustra putauit egregius ille antiquitatis indagator *ac vindex*, hanc editionem *Guntheri* nostri ornatiorem prodire posse, cum ex ea sumi possint non pauca, quæ ad illustrandam descriptionem Roncaliarum, quæ extat initio lib. 2. *Guntheri*, conducant. Id igitur supra omissum, hic subiiciendum putaui. Epistola Domini *Velseri* hæc est: *Ligurinum tuum, mi Rittershusi, lucem nondum aspicere existimo. Ei itaque exornando, quo gratior in publicum prodeat, Karolinum hoc Diploma, in veteri manuscripto libro nuper inuentum, mitto. Tu animum istum, tibi in omnibus rebus gratificandi, boni nimirum consules. Vale. Augustæ Vind. XII K. Octob. An. Christ. 1597.* Sequitur nunc ipsum Diploma:


*IN nomine Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Karolus diuina fauente gratia, *Rex Francorum & Romanorum. Si prædecessorum nostrorum morem sequimur, non solum præsentibus, sed & succedentibus subuenire nitimur. Hac de caussa vniuersorum cognoscat experientia, qualiter dum pro nostra consecratione coronæque perceptione proficiscendi tempus ad Apostolicam sedem instaret, cum quam multis Principibus annum Wormatiæ transegimus, ibique omnem Reipublicæ statum vtilem & honestum confirmare; nociuum atque contrarium radicitus extirpare decreuimus. Interim dum hæc agerentur, casu contigit, Principes cum Militibus de Romana expeditione, quæ tunc instabat, acerbe contendere constringentes eos multo plures halspergas de beneficiis suis sibi ducere, quam illi fatentur se posse, vel iure debere. Sed quando hoc non ab aliquo antecessorum nostrorum terminatum fuerit, duximus dignum, vt eorum altercationi finem commodum imponeremus, atque decretum & certam aliquam legem super omni Romana expeditione concederemus. Statuimus ergo & decreuimus cum consensu tam spiritualium, quam secularium Principum, ibidem nobiscum assidentium, quando pro corona nostra, vel aliqua Regni vtilitate aut honore Romana expeditio a nobis vel a successoribus nostris præparetur, ad omnium nobiscum euntium præparationem annus cum sex hebdomadibus pro induciis detur, & per totum taliter regnum fidelibus nostris indicetur. Cuicumque autem secundum hanc legem eadem expeditio imperetur, si ad curiam Gallorum, hoc est, in campum, qui vulgo* Rungalle *dicitur, dominum suum non comitetur, & ibi cum militari apparatu non repræsentetur, feodo, præter hos, qui cum gratia dominorum suorum remanserunt, in conspectu nostro absque spe recuperationis priuetur. Qui autem per hominum siue liberi, siue famuli dominis suis adhæserint, quos*

* I. Rex Francorum & Longobardorum & Patricius Romanorum.

Römer-zug.

decem

decem mansos in beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutariis singulas marcas accipiant, & sic eundo & redeundo cum hoc stipendio sine omni dominorum damno vel expensa, nisi quantum ipsis dominis placuerit, fideliter seruiant. Si autem forte, quod absit, accidat, vt iidem Milites diuersos dominos propter diuersa beneficia acquirant, ne aliquod beneficium indebitum vel sine seruitio remaneat, singuli singula debita singulis dominis persoluant: videlicet, quantum ab ipsis, si irent, accepturi erant, tantum se daturos cognoscant, vel in præfato loco (vt dictum est) feodum amittant; Sed stipendia, nisi voluntate dominorum, non prætermittant, Similiter de ecclesiarum filiis vel domesticis, id est, ministerialibus, vel quorumcunque Principum clientela, qui quotidie ad seruiendum parati esse debent, statuimus, vt quicunque quinque mansos in beneficio possideant, domino suo, ad quem pertinent, bruniam cum vno scutario ducant, & hoc in arbitrio dominorum pendeat, quos ducant, a quibus stipendia accipiant, quibus halspergas concedant. Ipsis & ad itineris præparationem quinque libræ suæ monetæ in stipendium tribuantur, & duo equi, vnus currens, alter ambulans, addatur, ac duobus sociis soumarius victualibus bene oneratus comitatur, qui ab ipsis ad opus dominorum diligenter custodiatur. Ipsi quoque in dominorum tam diu viuant procuratione, quam diu in incepta vadant expeditione, & quicquid a rebellibus regni pugnando acquisierint, partes duas ad dominos deferant; tertiam sibi pro consolatione retineant. Quos autem non pascunt domini, ad ipsos reportent tertiam partem sui acquisiti. Singuli vero Principes suos habeant officionarios speciales, Marscalcum, Dapiferum, Pincernam, & Kamerarium: Qui quatuor quanto plus sunt laboraturi tanto plus in stipendio, in vestitu, in equitatu, præ ceteris sunt honorandi scilicet, & vnicuique istorum, decem libræ cum tribus equis tribuantur: quartus Marscalco addatur: quorum vnum ad præcurrendum, alterum ad pugnandum, tertium ad spatiandum, quartum ad loricam portandum. Isti vero tales remanere cupientes, si apud dominos impetrare valeant, quot mansos possideant . . . . monetæ, vel totum fructum feodi in illo anno pro stipendio persoluant. Vt autem nostrum imperium ab omnibus habeat supplementum, hoc constituimus & firmiter præcipimus, vt singuli buringi decem cum duodecim funibus de canapo solidos dominis suis impendant, & insuper soumarium cum capistro concedant, quem, si domini voluerint, ipsi ad primam naualem aquam vsque perducant, Mansionarius quinque solidos: Absarius triginta denarios: Bunaiarius quindecim quorumlibet larium possessores sex suppleant. Et vt hæc nostri decreti auctoritas, inuiolabilem & incorruptam in Dei nomine apud omnes successores nostros obtineat emunitatem, cunctis Principibus, qui aderant, astipulantibus, manu propria subter eam roborare decreuimus, & annulli nostri signo assignari iussimus. Signum Karoli gloriosissimi Regis. Hernustus notarius ad vicem Lutwardi Cancellarii recognoui. Data VIII Idus Iunii, Anno ab incarnatione Domini N. I. X. DCCXC. Regni autem eius XXII, ante consecrationem. Actum Wormatiæ felisiter. Amen.



* Hanc constitutionem postea an. 1599 iterum edidit, commentario a se illustratam, *M. Freherus*, & demonstrauit, non posse eam a *Carolo M.* conditam esse, sed potius adscribendam *Carolo III.* cui *Crasso* cognomentum, qui toto sæculo distat a *Carolo M.*

Vitæ

Vitæ FRIDERICI AENOBARBI

breuis descriptio,

ex PAVLI IOVII, Nouocomensis, *Elogiorum* libro primo,

cum animaduersionibus CVN. RITTERSHVSII, IC.

NVlli Cæsarum ex his, qui Romani Imperii dignitatem illustri rerum gestarum fama protulerint, nomen suum minus ad naturæ genium respondit, quam Friderico *primo, qui a colore* Ænobarbi *cognomen adeptus est. Vetere siquidem Germanorum lingua* Fridericus *pacis diuitem exprimit: contrario scilicet euentu, quum ingenio ferox, armorum & belli cupidus, nihil magis oderit, quam pacis nomen* a).

(a) Ingrata irritaque sunt omnia, quæ ad *Guntherum Friderici* Imp. præconem præstare & conferre conati sumus, nisi calumnias, quibus aspergitur, amoliti fuerimus, & inclementer satis in bonum Principem, odio nostrorum hominum & studio erga suam gentem nimio, dicenti, paucis contradixerimus. Quam vere de *Paulo Iouio* censuisti, *Liosi* noster amor, cum eum videri dixisti *iudicio & fide ambiguum. Notis ad* 1 *Polit.vid.* & Muret. 2. *venium.orat.* 14. & Ioh.Mich. Brut. *in hist. Florent.* Vbi affectus non distrahunt, rectum; vbi illi assunt, obnoxium. Ad gratiam scilicet se dare & auram. Laudationum nec causam sæpe nec modum habere: Genti suæ nimis ex professo addictum. Vt igitur solet *Iouius* in Germanorum laudibus esse malignus: ita hic quoque antiquum obtinet in laudatissimo Sueuicæ gentis Principe. Primum in nomine eius ludos facit, quasi κατ' ἀντίφρασιν *Fridericus* dictus esset, qui nihil magis oderit, quam pacis nomen. Non, inquam pacis odio, sed iuris sui, hoc est, Imperatorii, persequendi, sibique asserendi, & iniuriarum vindicandarum causa bella gessit: idque non suo solius, sed de communi Procerum Imperii, adde etiam Episcoporum, consilio. Diluendæ igitur huic calumniæ inspiciantur historiæ illo, quo vixit, æuo scriptæ. * Meminerimus etiam pulcerrimæ *D. Augustini* sententiæ, relatæ in Decretum *Gratiani* *. (p. 123.)

Nam ab ineunte ætate in contubernio Conradi *Cæsaris patrui in Asia militarat. Vbi vero in defuncti locum Imperator est appellatus, eo animi decreto arma induit, vt ea non prius se exuturum iuraret, quam Romani Imperii diademate ornaretur: cuius voti* Conradus *minime compos factus, graui cum dolore animi excessisset e vita. Id vero vnum* Fridericus *prœalto ingenio supra coronæ decus spectabat, vt quum eo potitus foret, cuncta iura Imperatoriæ maiestatis ad antiquam dominatus autoritatem reuocaret: quod superiorum Imperatorum beneficiariæ ciuitates perampla immunitatum priuilegia consecutæ, obsoletis iam tributis aut intermissis ingratæ & contumaces ad parendum viderentur. Excitabant autem mirum in modum ad extendendam famam virum integra ætate florentem Sueuæ gentis illustre & vere Martium nomen, antiqua maiorum decora, & recens vel infelicis patrui Cæsaris exemplum, sub quo variis vtriusque fortunæ documentis probe obseruatam & exercitam militarium operum disciplinam hausisset. Itaque Fridericus coacto exercitu in Italiam descendit, expugnataque in limine, & deleta Derthona, ac Spoleto demum in Vmbria ex itinere funditus exciso, Romam profectus tantum terrorem* Hadriano *Pontifici intulit, vt ad mare se proriperet*(b). *Formidandis enim stipatus copiis aduentabat, minaci ingenio aliquam lenitatis speciem ferens*(c), *ita vt se pacato agmine Pontificem veneraturum polliceretur. Clauserant Romani portas, Ælioque ponte erumpentes, cum Germanis ad Neroniana prata tendentibus, tumultuario cruentoque prœlio dimicarunt. Verum aduentu Pontificis placatus Cæsar, in Vaticano more maiorum Romani Imperii insignia accepit.*

Guntheri & aliis est Terdona.

(b) Ait *Iouius Hadrianum* Pontificem ad mare se proripuisse iniecto sibi terrore ab aduentante hostiliter *Friderico.* At de hac Pontificis fuga nihil *Guntherus*, nihil alii, fide multo, quam *Iouius*, digniores & antiquiores. Quid? quod potius eum Imperatori, vt amico occurrisse, & vt Patrem filio de Romanorum insolentia conquestum esse scribunt? * Quomodo igitur fugit Imperatorem cuius in tutelam fidemque confugit? * (p. 213.)

(c) Ait minaci ingenio lenitatis speciem tulisse. Credo voluit dicere, obtendisse, prætexuisse, vel prætulisse. Sed condonent Latini incommodam locutionem ei, qui alias stilo bonus grauisque est, & plane ad historiam: vt de virtutibus eius candide

idem

idem *Lipsius* indicat. Rem potius videamus. Nimirum is erat *Fridericus*, qui didicisset.

Parcere subiectis & debellare superbos:

vt ait *Maro*: quique esset secundum *Guntheri* nostri elogium,

Deuictis placidus ferus, indomitusque superbis.

Hoc non debuit *Ionius* odioso nomine appellare superbum & minax ingenium. Et vide quam parum sibi constet, quamque nihil pensi habeat, quid scribat, dummodo scribat inuidiose satis in Imperatorem, qui χαωίζειν noluit. (p.214.)

Guntherus aliique Laudam vocant.

Nec multo post in Cisalpinam Galliam regressus, Mediolanensibus bellum indixit, quod finitimis superba sæuaque arma intulissent (d), *vt late imperarent, Laude Pompeia crudeliter euastata, Conio graui obsidione subacto, crematoque & Papia omnibus belli detrimentis affecta, magnam sibi iniquæ atque intolerandæ potentiæ inuidiam conflauerant. Ceterum eo euentu inchoatum bellum, sæpeque renouatum Ænobarbus confecit, vt multis victor prœliis, semel victus ad Calcanum vicum iuxta lacum Eupilim, laboriosa difficilique obsidione perdomitos acerbissima lege imposita subegerit, Mediolanenses ad vnum omnes patrium solum verterent, vltraque centum stadiorum spatium ad vicina oppida migrantes, religatique, corruentis superbæ patriæ excidium ex propinquo spectarent: tanta quidem victoris immanitate, vt vrbs totius Italiæ amplissima ac opulentissima, inexorabili diui Cæsaris edicto, vix seruatis ab iniuria templis, solo æquaretur: turritaque mœnia cum ædificiis priuatis omnibus & publicis, Circo, Arena, Theatroque conciderent. Acerbissimo quidem luctu tanti populi penatibus excedere coacti: sed ingenti nec iniquo finitimorum solatio, qui suas iniurias conspecta hostium calamitate vindicassent. Id vero maxime crudele & contumeliosum fuit, quum vrbs euersa funditus aratris proscinderetur in agri speciem, vt non frugis, sed ad ludibrium, salis semen acciperet* (e). *Pari prope clade etiam hostiliter incumbens Cæsar Cremenses, Cremonenses* (f), *Soncinates afflixerat: quibus exercitandis incendiis, exortum schisma* (g) *suas faces admouisse videbatur.*

(d) Mediolanensibus superba sæuaque arma tribuit, & crudelem vastationem aliarum ciuitatum, quæ in Imperatoris fide manserant: tribuit iisdem iniquam & intolerandam potentiam: tribuit hostibus eorum non iniquum solatium ex ipsorum calamitate. An non igitur his opposita arma *Friderici* pia iustaque fuisse concedere debet? Et qui adscribere potest huic bono iure immanitatem, & dirum edictum, & facta contumeliosa atque crudelia? agnoscis ipsa *Ionii* verba: quæ qui conciliauerit, idem, secundum *Virgilium*, iunget gryphes equis. (p. 214.)

(e) Ait, vrbem Mediolanum aratris proscissam salem accepisse. Recteatque ordine factum, vt in ciuitatem sæpius rebellem & perfidam. Etiam ex more maiorum: qui vel ex iuris nostri mentione cuiuis notus. Sic enim *Herennius Modestinus* lib. III Different: relatus in l. 21. ff. Quib. mod. vsusfr. amitt. Si vsusfructus ciuitati legetur, & aratrum in ea inducatur, ciuitas esse desinit: vt passa est Carthago: ideoque quasi morte desinit habere vsumfructum. * De Mediolanensis ciuitatis autem hac pœna testatur idem *Alb.* de *Rosate* in d. l. si vsusfructus D. Sic & *Henricus* Imperator ciuitatem Thusciæ damnauit ad aratrum, teste *Angelo* in consil. 165. vid. *Rol. a Valle* consil. 66, n. 6*. (p. 214.)

(f) Ait, Cæsarem Cremenses & Cremonenses afflixisse. In quo errorem committit nequaquam dissimulandum. De Cremensibus tantum verum est. De Cremonensibus aperte falsum. Hi enim semper fideles *Friderico* fuere. p. 214.

(g) Hoc pæne per XXIIII. annos arsisse scribit *Guntherus* noster lib. 6. vers. 262. & meminit eiusdem lib. 10. v. 115. (p. 214.)

Hadriano *namque defuncto quum* Alexander *Senensis esset suffectus, nec Cæsari impotenter insitata indignaque iusto Pontifice postulanti* (h) *quicquam concederet: vsque adeo in eum iracundus & sæuus Cæsar concitatus est, vt vrbe Roma depelleret, & Victorem* (i) *Pseudopontificem crearet, conuentus Antistitum indiceret, haberetque, vt* Alexandro *tanquam adulterino, sacrosancti iuris potestas abrogaretur. Ea dissensione diuina humanaque* Fridericus *impie perturbauit: tantaque vi tueri suam causam adnixus est, vt moriente* Victore, *nihil imminuta pertinacia* Paschalem *sufficeret: & in huius defuncti tertius nomine* Calistus, *demumque* Innocentius *quarto loco subrogarentur: quum interim* Alexander *tantis iactatus fluctibus exul & inops, sed integra semper autoritate, ab Italia in Galliam, atque inde in Siciliam, & e Sicilia Venetias confugisset: imploratis passim auxiliis a piis Regibus* (k), *vt Reipublicæ Christianæ immaniter dilaceratæ, pereuntique mature opem ferrent. Ea autem constantis & infracti Pontificis felicitas fuit, vt Cæsariani Pseudopontifices ab se legitimo iure*

execrati

*execrati atque damnati, quanquam robusto integræ ætatis habitu valerent, Deo magno vindicante noxam**, *ægri senis fatum anteierint.*

(h) Ait *Iouius*: Cæsarem impotenter inusitata indignaque iusto Pontifice postulasse. Quæ nam illa vero tam indigna, tam inusitata? *Ioui*. nimirum, vt Pontifex esset Pontifex, & Imperatorem fineret esse Imperatorem. Hinc istæ lacrymæ. Ferre non poterat Pontifex Imperatorem rebus secundis famaque florentem, & priscam dignitatem maiestatemque Imperatoriam sibi asserere, & quosdam nimis exultantes & sese efferentes in ordinem cogere volentem. Qua de re consulendi & alii eius æui historici, & noster *Guntherus*. At num ob id iracundus & sæuus Cæsar abs te, *Ioui*, dici meretur? num tali notandus erat elogio, quod diuina humanaque impie perturbarit? (p. 214)

(i) De hoc vide *Guntherum* lib. 10 vers. 126. (p. 215)

(k) Ait: Pontificem *Alexandrum* implorasse passim auxilia a piis Regibus. Dixissem potius, implorasse auxilia piorum Regum: vel, petiisse auxilia a piis Regibus. Quæ formulæ perperam inter se commutantur. Sed hunc quoque lapsum calami, ipsius condonemus vehementiæ. Est autem hic operæ pretium obseruare, quam conformes sint huius Pontificis mores Petri & Pauli moribus. Scilicet illi quoque arma parabant in Cæsares, & in Neronem aliosque Imperatores Romanos concitabant alios Reges, quorum implorabant auxilia.

Quos autem *Iouius* pios Reges vocat, eos alius dixerit fuisse illos quidem bonos viros, sed nimis occupatos superstitione tunc peruagata, & falsa religionis specie, qua nihil solet esse in hominum animis percellendis efficacius, secundum *Liuium*.

De Pontificis felicitate, & vindicta diuina, quæ presserit Imperatorem, quod ait *Iouius*: ei merito opponemus illud *Ouidianum*:

careat successibus, opto,
Quisquis ab euentu facta probanda putat.

Et quod præclare scribit *Diodorus Siculus*: οὐκ ἐκ τῶν ἀποτελεσμάτων χρὴ κρίνειν τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας, ἀλλ' ἐκ τῆς γνώμης καὶ προαιρέσεως.

Fauebant Alexandro *duo Reges,* Ludouicus *Galliæ, suo* Pii *cognomento dignus, &* Gulielmus *Siciliæ, ea Christianæ reipublicæ fœda labe commotus. Idem quoque pietatis studium inerat Venetis, quibus multo maxima Italiæ pars accesserat. Isque demum detestandæ dissensionis finis fuit, vt* Otho, *Cæsaris filius, in Hadriatico aduersa nauali pugna a Venetis captus occasionem præberet parandæ pacis.* Friderico *namque multis defatigato bellis, filii desiderium, & vltoris Dei metus incesserat. Itaque pacificatore* Ziano *Venetorum Principe, Imperatorem ad pedes suppliciter proiectum*(l), *Pontifex pro foribus Marciani templi rite expiauit, in gratiamque recepit: ea conditione, vt sacro bello se deuoueret, quod tum* Saladinus, *Ægypti Sultanus, Hierosolymitano Regi graue bellum moliretur. Tradunt Scriptores, Pontificem ante actæ calamitatis suæ memorem, osculanti pedem, contracta fronte, hoc Dauidicum carmen protulisse*: super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: *vt domitæ superbi animi ferociæ nequaquam humaniter illuderet: Ad quod Cæsar tam pie quam grauiter*(m) *renidenti Vultu responderit*; Non tibi, sed Petro; *tanquam hominem facile contemnere, personæ vero dignitatem probe venerari videretur.*

(l) Scio hoc vulgo ita iactatum, & hoc quoque additum (quod tamen *Iouius* non audet dicere) ceruices Imperatoris pede calcasse Pontificem, pronuntiatis Psalmi 91. verbis. Venetiis quoque hodie id ita pictum audio visi. Sed & hoc scio, non æque certam huius rei apud omnes auctores fidem esse. Ab *Auentino* certe negatur, & ab Italis in Germanorum contumeliam confictum dicitur: quem & alii quidam prudentiores historici sequuntur. (p. 215)

(m) Ecce nouum specimen constantiæ & iudicii in *Iouio*. Qui ipsi paulo ante fuerat iracundus, dirus, sæuus, crudelis, contumeliosus, immanis, nunc pio, generoso, fortissimo animo eidem est præditus. Atqui mendacem memorem esse oportere aiunt. *Apuleius* Apologia. (p. 216)

Ceterum Cæsar Venetiis summis affectus honoribus, quum in Germaniam rediisset, pio generosoque animo, lectissimum ex veteranis copiis exercitum coegit. Et quum Henricus *filius consensu Procerum Cæsar esset appellatus, & per Pannoniam & Triballos Byzantium contendit. Inde vero recreatis copiis* Emanuele, *Græcorum Imperatore, propinquo suo liberaliter commeatum præbente*(n), *præter Mæandrum amnem profectus, cum Turcis acerrime bellum gessit. Supremum vero eius operum fuit Philomela vrbs manu capta. Nam paulo post ad Iconium Lycaoniæ vrbem, quum Ferrei amnis*(o) *perspicuis vndis per æstum inuitatus lauandi gratiæ alueum intrasset, cæco absorptus gurgite interiit; insigni quidem illudentium Parcarum iniurias*(p), *quum vir fortissimus, & supra Reges omnes bello inclitus, quem mille acies strenue dimicantem non ab-*

sumpse-

sumpserant, natantem ignobilis torrentis vortex abstulerit, pergraui vtique nostrorum luctu, iacturaque & singulari Barbarorum commodo atque lætitia. Delatum in Syriam cadauer Guido *Rex apud Tyrum exquisito apparatu funeris, & marmoreo sepulchro honestauit.*

(n) De *Emanuele* Græcorum Imperatore quod scribit *Iouius*, eum liberaliter commeatum præbuisse Cæsari *Friderico*, * omnia sunt alia. Imo legatos *Friderici* transitum petentes in vinculis habuit, seque Imperatorem Romanum, *Fridericum* vero tantum Aduocatum vrbis Romæ appellare ausus est, eumque dictitare, iam in sua potestate se conclusum velut retibus tenere. Vid. epistolam hac de re scriptam ab eius expeditionis comite, editam cum *Othone Frisingensi* & *Radeuico* a *P. Pithoeo*, qui scribit, se statim cum regnum Græciæ intrassent, in manus furum & latronum incidisse, nulla in Græcis fide reperta. Vid. & *Gobelinum Personam* Cosmodrom *. Nouimus, qualem se alias perfidus ille Græculus, (sic *Guntherus* vocat lib. 3) aduersus *Fridericum* gesserit. De quo hoc est inter cetera eius perfidiæ argumenta memorabile, quod ex *Niceta* fol. 101 didicimus; Mediolanenses ab hoc ipso instigatos fuisse ad rebellandum suo Imperatori. Egregium vero propinquum! *Sed Iouius tamen eius liberalitatem & alias virtutes prædicat, quia cum Papa & Mediolanensibus, aliisque Italis in perniciem *Friderici* conspirarat *. (p. 216)

(o) *Selephium* alii hunc fluuium vocant. *Augustinus Iustinianus* in Historia Genuensi: *Anno* 1189. *Imp.* Fridericus Barbarossa, *cum exercitu copioso post multa incommoda, periculaque & prælia venit in Syriam: & in partibus Antiochiæ, transeundo flumen non admodum magnum, quod recens nomen habet flumen ferro, & vetus* Selephium, *submersus interiit cum summo mœrore & detrimento nominis Christiani: & fuit corpus ipsius sepultum Tyri.* Vide & Chronologiam Turcicam *Francisci Sansouini*, nuper editam cum Narrationibus Turcicis, *Ioach. Camerarii*. (p. 216)

(p) Ecce viri pietatem! non absimilem illi ab Hetruria alteri, qui Pindari hymnos, Psalmis Dauidicis præferebat: vel illi ab eadem gente, qui Apostolos pro impostoribus mundi habebat: vel illi, qui de Animæ humanæ mortalitate librum edidit. (p. 216)

Effigiem Ænobarbi Cæsaris Mediolanenses in euersam patriam remigrantes, marmoreo in arcu supra Romanam portam sculpserunt, dracone stantis cruribus inuoluto, vt virosi dirique hominis(q) *simulachrum perpetuo spectaretur. Ad eundem quoque oris & barbæ habitum altera ipsius effigies plurimum arridet, quæ in aurea bulla scite expressa, appensaque membranis priuilegiorum Pisanæ ciuitatis conspicitur: ea fide collata, vt tertiam quoque eius statuam ad Volturni pontem proximo Lotrechii bello base deiectam viderimus: quum sumptuosissimi operis turritus pons, a* Friderico *iuniore, huius Ænobarbi nepote, Sueuæ gentis Regum imaginibus ornaretur.*

(q) Ego vero Protea non tam varium fuisse crediderim, quem tamen sese in quicquid voluisset transformasse fabulantur. Ecce, ille paulo ante pius, ille grauis, ille generosus, ille fortissimus &c. nunc subito iterum fit *Iouio* nostro virosus & dirus homo. (p. 216)

Atque hæc habui, quæ ad Iouianam descriptionem vitæ *Friderici* breuiter annotarem, ne quis eam forte legens, sequius de bono Principe opinetur, maleuolorum calumniis præpeditus. Longiorem & accuratiorem illarum refutationem peritioribus relinquo. Verum age colophonis loco addamus hic & *Nicetæ Choniatæ* pulcerrimum elogium, quo is, Annal. lib. 3 extremo, *Fridericum* nostrum exornauit: atque illud malignis & inconstantibus *Iouii* an laudibus, an maledictis opponamus. (p. 217.)

Γενόμενος δὲ κατά τινα ποταμὸν (ὢ τῶν ὑπὲρ δόξαν καὶ ἀέλπτων περιπτώσεων, ἢ μᾶλλον εἰπεῖν, τῶν ἀνεφίκτων ἀνθρώποις κριμάτων Θεοῦ) ταῖς τῶν ὑδάτων δίναις ἐναπεπνίγετο· ἀνὴρ διὰ μνήμης ἄγεσθαι ἀγαθῆς καὶ διηνεκοῦς, καὶ μακαρίζεσθαι δικαίως τοῦ τέλους παρὰ τοῖς ἐχέφροσιν, ἄξιος· οὐ μόνον ὅτι περ εὖ εἶχε γένους· καὶ πολλῶν ἐκ τριγονίας κατῆρχεν ἐθνῶν· ἀλλ' ὅτι καὶ τῷ τοῦ Χριστοῦ πόθῳ πυρούμενος, ὑπὲρ τοὺς ὁπωσδήποτε τῶν τότε χριστιανῶν αὐτοκράτορας, πατρίδα καὶ χλιδὴν βασίλειον, καὶ ἀνάπαυλαν, καὶ τὸν οἴκοι μετὰ τῶν φιλτάτων ὄλβον, καὶ τὸν ὑπερήφανον βίοτον, παραιτησάμενος· εἵλετο συγκακουχεῖσθαι τοῖς κατὰ Παλαιστίνην χριστιανοῖς, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς τοῦ ζωοπαρόχου τάφου τιμῆς, τὴν ἀλλοτρίαν τῆς οἰκείας προκρίνας· μηδ' ὑποχαλασθεὶς τῆς ὁρμῆς, ταῖς παρασάγγαις τῆς δολιχῆς καὶ πάσης ἀργαλέας ὁδοῦ, καὶ τοῖς ἐκ τῶν ἐθνῶν κινδύνοις, δι' ὧν παρέρχεσθαι ἔμελλεν· οὐδὲ τὸ σπανὸν ὕδωρ, καὶ ὁ μετρητὸς ἄρτος, καὶ ὤνητὸς, ἐνιαχοῦ δὲ καὶ ἐπίβουλος, ἐξέκρουσεν αὐτὸν τῆς προθέσεως. οὐδὲ τέκνων περιχύσεις, καὶ περιβολαὶ μετὰ δακρύων, καὶ ὕστατοι ἀσπασμοὶ, τὴν αὐτοῦ ψυχὴν συγκεχύκασιν, ἢ ἐξεθήλυναν: ἀλλὰ κατὰ τὸν ἀπόστολον Παῦλον, μὴ ἔχων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν τιμίαν παρ' ἑαυτῷ, ἐποτρύνετο μὴ μόνον δεθησόμενος, ἀλλὰ καὶ θανούμενος, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ. οὕτως ἀποστολικὸς ἦν τοῦ ἀνδρὸς ὁ ζῆλος, καὶ θεοφιλὴς ὁ σκοπὸς, καὶ τῶν ὑπερτελῶν τὸ κατόρθωμα: οἱ πρὸς τὴν ἀνάντη πολιτείαν τῆς εὐαγγελικῆς ὑψηγορίας ὅλον τὸν νοῦν ἀνατείναντες, καὶ πρὸς ταύτην ἅπαντα τὸν δρόμον συντείναντες, τὰ κατὰ τὸν βίον ἁπαξαπλῶς, ὡς σκύβαλα παρεβλέψαντο. Καὶ ὁ μὲν (ὡς ἐμαυτὸν πείθω) μακαρίου τετύχηκε τέλους. κἀγὼ δὲ (ὁ Κρέσιος) λίαν θαυμάζω τὸν ἄνδρα τῆς ἀρετῆς. Hæc ita sunt reddita Latine:

Cum autem ad fluuium quendam peruenisset (o insperatos & inopinatos casus, vel potius inexplorato

pirata hominibus Dei iudicio) verticibus aquarum suffocatur: vir honesta & perpetua memoria dignus, & iudicio prudentum vel in tali obitu felix, non eo tantum, quod nobili ortus genere auitum imperium in multas gentes obtinuit, sed ob illud potius, quod vltra omnes omnium gentium Christianorum Principes Christi desiderio flagrans, patria, delicijs regiis, tranquillitate beata domi, superbaque cum carissimis vita despecta, cum Christiana Palæstinæ incolas ærumnas tolerare maluit, & propter Christi nomen & vitalis sepulchri venerationem exteras terras patriæ prætulit, ab eo institutis non tot parasangis, non tam longinquo & vbique difficili itinere, non periculis, quæ a gentibus, per quarum prouincias transeundum erat, imminebant deterius: non aquæ penuria, non præfinitus isque compotius panis, & alicubi infidiosus, cum ab instituto dimouit: non liberum amplexus cum lacrimis, & extrema salutationes cum commonuerunt aut effeminarunt; sed potius instar Pauli Apostoli vitam parui æstimans, alios, non modo vt vinciretur; sed etiam vt pro Christi nomine moreretur. Adeo Apostolicus fuit illius viri feruor, & religiosum institutum, nihil eorum sanctimonia inferius, qui extra communem sortem positi, tota contentione animorum ad vitæ rationem Euangelicæ constitutioni respondentem feruntur, ex totius ætatis cursu eo directo, res humanas pro stercoribus despexerunt. At is quidem (vt mihi persuasum est) feliciter est defunctus. (p. 218.)

ANTONII VVLPII. (p. 211.)

Excisæ Italiæ cupiens pensare ruinas
Vel saltem in pulchra quærere morte decus,
Ænobarbe, Asiæ fines irrumpis, & hosti
Eripis auctas relligionis opes.
Inuidit cœptis Fortuna inimica secundis,
Nam dum te in nitido proluis amne, cadis.
Macte animis ingens Asiæ dignissime campis
In quibus illustres tot cecidere viri:
Hinc vatum calamos & marmora & æra fatigas,
Hinc merito claris annumerare viris.

GEORGII IODOCI Bergani.

Suetus eram, meame bellax audacia cælo
Sustulit astrigero:
Norica Pannoniis coniunxi saxa colentes
Fœdere pacifico.
Insubres domui, & Danum parere coegi
Legibus Imperii:
Europæ imposui frenos, Asiæque superbæ,
Africa me timuit.
Ipse tamen cuius vires animosque feroces
Sensit vterque Polus:
Captiui tenero nati deuinctus amore
(Ceperat hunc Venetus)
Non assueta iugo submisi colla supremi
Pontificis pedibus.
Et tandem Armeniæ mersantem flumine membra
Me tulit vnda rapax.
Indulgens nunc mater erat, nunc sæua nouerca
Sors mihi non stabilis.
Dic tu igitur, felix, miser an tibi iudicer, hospes,
Qui mea gesta legis?

PARTHENII PARAVICINI, Nouocomensis.

Te quoque bellorum decus, & noua gloria Martis
Armatos inter proceres, & Numina belli

Seruant venturis Musea palatia saeclis,
Et Iouius *famae quae docta volumina mandat.*
Nam licet egregias vrbes, & maxima regna
Ceperis, & validum toties subieceris hostem,
Atque etiam procul, inque orbem tua signa remotum
Protuleris: tamen haec olim inuidiosa vetustas
Presserat, & tecum rapidis immerserat undis,
Vt vix vlla tui superesset nominis vmbra:
Ni clarae Iouius *donasset munere lucis.*
Sic visum est superis iustos pensare labores:
Tu patriae illius clades ac diruta bello
Moenia & euersas reparasti funditus arces:
Ille tibi meritique memor, gratusque laborum
Extinctum decus, & lapsum instaurauit honorem,
Digna quidem atque aequanda tuis haec praemia factis.

FINIS.

FRIDE-

FRIDERICI II IMPERATORIS, MANFREDI SICVLI, CONRADI IV IMPERATORIS, HENRICI REGIS *FRIDERICI FIL.*

ALIQVOT EPISTOLAE.

hisce, *Conradum in Regem Romanorum electum*, *&* *regni Hierosolymitani heredem*, *&* "*dilectam filiam nostram*, *Isabellam*," *fororem vestram*, librarii culpa deprauatis, cum doctissimo *Tolnero*, legendum censui *dilectum filium nostrum*, *&* *Isabellam*, *filiam vestram*. Quod & adhuc censeo; quamuis illustris *Gundlingius* *Gundlingianorum* fascic. V obseruat. II § III p. 420 aliter sentiat, ac lectioni, quam *Baluzius* dedit, insistat; vti in nouis ad dictum *Parei* locum Paralipomenis fusius monui, simulque dixi, mihi non videri, litteras has vitiosa laborare inscriptione, atque non ad *Othonem* illustrem datas esse, sed *Ludouicum* filium, veluti eruditissimus *Koelerus* statuat in *Genealogia familiae augustae Stauffensis*, & quidem in probationis ad tabulam III n. 10.

Denique non possum, quin adscribam, quid *Baluzius* * in priore *Manfredi Siculi* epistola notatu maxime dignum coronidis quasi loco iudicarit. *Inter epistolas*, inquit, Manfredi Siculi, *quas ad* Conradum *scripsit de morte* Friderici II *Imperatoris*, *memorabilis in primis est hic locus p. 476*, *vbi scriptum est*, *eum sacrosanctam Romanam ecclesiam matrem suam in corde contrito humiliter recognouisse*, *&* *damna*, *quae dudum* *&* *ecclesiis inuitus forsitan vel prouocatus intulerat*, *integre restauranda sanciuisse*. *Ex quibus confirmantur*, *quae ab historicis scripta sunt de poenitentia eius in extremo vitae tempore*.

* In praefatione ad lectorem dicto *Miscellaneorum* libro I praemissa.

FRIDERICI II Imp.

I

Ad HVGOLINVM *Episcopum Ostiensem.*

Anno 1221. *Reynald.* ad an. 1221 § 3.

FREDERICVS Dei gratia Romanorum Imperator semper augustus & Rex Siciliæ, carissimo in Christo Patri & Amico suo HVGOLINO, eadem gratia *Ostiensi Episcopo*, Apostolicæ Sedis Legato, salutem & sinceræ dilectionis affectum. Iocundæ famæ felicitas & felicis rumoris iocunditas, quæ dilecto fideli nostro *Reginensi Episcopo* referente nostris auribus sonuerunt, immensæ prosperitatis gaudio fecerunt nos secundum utrumque hominem in Domino prosperari. Retulit namque nobis, venerabilem Patrem nostrum *Honorium* summum Pontificem vos promotioni negotii crucis, immo totius populi Christiani consulto consilio deputasse, vobis per Lombardiam & Tusciam concesso plenæ legationis officio, propter hoc, sicut speramus, feliciter promouendum. Gaudeat igitur Romana ecclesia, quia negotium multis initiatum laboribus optatum finem indubitanter assumet. Gaudemus & nos, quia vir fama integer, religione perspicuus, vita purus, facundia eloquentissimus, & claris virtutum & scientiæ titulis circumspectus, ad animandum eos, in quos exprobrantium nomen Christi opprobria ceciderunt, tam vtiliter quam efficaciter destinatur, vt sæcularibus desideriis abnegatis, vexillum salutiferæ crucis assumant, ipsum toto mentis desiderio requirentes. Gaudere debet & totus populus Christianus, quia terra, quam Christus nostra salus proprio sanguine dedicauit, a longo tempore horrendis Agarenorum spurcitiis, non sua potentia, sed nostris peccatis exigentibus, conculcata, ipsis ab hereditate Domini brachio virtutis diuinæ reiectis, ad verum & ineffabilem Christi cultum per vestrum ministerium reducetur. Et quidem licet ea simus deuotione subiecti sanctæ Romanæ ecclesiæ, matri nostræ, vt credamus, quemlibet missum de latere summi Pontificis, patris nostri, facere dignum fructum, tamen sicut stellæ in firmamento a se inuicem differentius lumen habent, & alia magis, alia minus lucet; sic salua reuerentia aliorum firmam spem gerimus, & indubitatam dante Domino fiduciam obtinemus, quod præ cunctis, qui huic essent ministerio deputati, vestrum verbum, igne caritatis accensum, gratum fructum afferet nomini sancto Dei, & toti populo Christi charactere insignito. Nam ex retroactis infallibilem de futuris elicimus coniecturam. Vt igitur efficacius & expeditius possitis hoc tam pium & salubre negotium promouere, vobis imperialis celsitudinis auctoritate plenam concedimus potestatem, vt omnes illos, qui per terram vestræ legationis sunt suppositi nostro banno, dum tamen plene super hoc vestris curauerint obedire mandatis, in fauorem prædicti negotii, quod magis humeris nostræ maiestatis incumbit, & ardentius, quam aliquod aliud cupimus promouere, ab ipso banno, cum expedire videritis, absoluere valeatis. Quicquid enim super hoc duxeritis faciendum, firmitatem volumus inuiolabilem obtinere. Nos enim, qui a matre nostra Romana ecclesia culmina in hoc sæculo summæ felicitatis accepimus, quicquid sua in hoc negotio & aliis fuerit deliberatione statutum, intemerata volumus stabilitate vigere. Datum Salerni IV Idus Februarii, Indictione nona.

II

Edictum de terra Comitissæ Mathildis.

An. 1221. *Reynald.* ad an. 1221 § 19.

FREDERICVS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus & Rex Siciliæ. Per præsens scriptum notum facimus vniuersis tam præsentibus quam futuris, quod cum ad resignationem Comitatus, terræ, & poderis quondam Comitissæ *Mathildis* faciendam sanctæ Romanæ ecclesiæ, venerabili matri nostræ, ad quam pertinet pleno iure, Serenitas nostra contra quoslibet detentores

tores speciale mandatum dederit, ac etiam generale tam per litteras, quam per dilectum fidelem *Conradum* Metensem & Spirensem Episcopum, Cancellarium nostrum, sub pœna mille marcharum argenti, & dictus Cancellarius castrum *Gonzag.* cum pertinentiis suis, quod est de Comitatu Comitissæ prædictæ, inuenerit occupatum a filiis Comitum *Alberti* de *Casalod.* & *Nerisii*, quibus sub pœna prædicta iniunxerit resignandum, & eidem super hoc parere contempserint ad non modicam iniuriam regiæ maiestatis, propter quod sine alia citatione in metum aliorum, præter pœnam prædictam, animaduertendum erat in eos; tamen vt Excellentia nostra potius ad veniam, quam ad vindictam pronior videretur, laborauimus per ipsorum amicos & consanguineos, cum citati non comparuerint coram nobis, vt sine metu pœnæ nobis resignarent castrum ipsum, & mandatum nostrum contempserint in hac parte, de consilio venerabilium Principum nostrorum, Patriarchæ Aquilegensis, Episcoporum Tridentini, Brissinensis, Vicentini, Paduani, Feltrensis, Mantuani, Cremonensis, Bergamensis, Laudensis, Parmensis, Astensis, & Taurinensis, taliter contra eos duximus procedendum, confirmantes primo, quod factum est contra eos de banno & pœna iniuncta per Cancellarium memoratum, & ex nunc personas ipsorum ponimus sub perpetuo banno Imperii, & etiam bona eorum iubemus, vbicunque fuerint, confiscari sine aliqua spe remissionis seu reuocationis, si vsque ad diem dominicum proxime venturum dictum castrum cum omnibus pertinentiis detentis ab eis non resignauerint in manus *Alatrini* & *Raynaldi* Capellanorum Domini Papæ vel eorum alterius, vel in nostras, sanctæ Romanæ ecclesiæ resignandum. Quod si non fecerint, quicunque de bonis ipsorum detinent, vel ex tunc occupauerint, siue quocunque alio modo acquisierint, libere possideant & auctoritate nostra detineant. Et super hoc præcipimus Cremonensibus, Parmensibus, Reginensibus, Mutinensibus, Bononiensibus, & generaliter omnibus aliis fidelibus nostris, vt memoratis Nobilibus, & aliis adiutoribus, fautoribus, & detentoribus memorati castri faciant viuam guerram firmiter inhibentes Mantuanis, Veronensibus, Ferrariensibus, Brisliensibus, & omnibus aliis fidelibus nostris sub obtentu fidelitatis & gratiæ nostræ, communitati cuilibet prædictarum sub pœna mille marcharum, Marchionibus, Comitibus, Baronibus sub pœna ducentarum marcharum, Militibus centum, & aliis inferioribus quinquaginta, quod eis nullum præstent auxilium, consilium, adiutorium, vel fauorem, & tam de castro prædicto quam de aliis castris, scilicet *Pegugnag. Bonden.* & *Bonden.* nec non de toto ipso Comitatu, podere, ac terris Comitissæ prædictæ dictos Capellanos nomine Romanæ ecclesiæ inuestiuimus, & eos constituimus possessores, & mandauimus de castris prædictis per venerabilem Episcopum Taurinensem, vicarium nostrum, in corporalem possessionem induci, præcipientes tam Militibus & habitatoribus castrorum ipsorum, quam omnibus aliis vassallis de ipso Comitatu seu terris & poderis Comitissæ præfatæ, quos omnes ad præsens absoluimus ab omni iuramento, quo nobis tenentur ratione terrarum ipsarum, quod dictis Nuntiis Domini Papæ, vel alteri eorum, seu cuilibet alii ab ecclesia Romana misso, abiuratis aliis iuramentis contrariis istis, præstent fidelitatis nomine Romanæ ecclesiæ iuramentum. Quod si non fecerint, sciant se ex nunc omnibus bonis Comitatus, poderis, siue terrarum ab eisdem possessis hac nostra sententia in perpetuum fore priuatos, & Milites & habitatores ipsius castri *Gonzagæ* desuper ponimus in perpetuo banno nostro. Præterea iniungimus firmiter & mandamus Potestatibus, Consulibus, seu Rectoribus ciuitatum, sub pœna mille marcharum, vt omnes possessiones Comitatus prædicti detentas ab ipsis sub pœna prædicta mille marcharum sine difficultate ac mora restituant, & absoluant omnes homines de Comitatu & terris prædictis ob omni iuramento, districtu & obligationibus, quibus ratione alicuius iurisdictionis, quam hactenus exercuerunt in eos, tenentur eisdem, & remoueant Consules, Rectores, Baiulos, & si quos officiales posuerunt in eis, & extrahant, quoscunque posuerunt in banno de terris ipsis sub obtentu fidelitatis & gratiæ nostræ! ipsis nihilominus iniungentes, vt dictis Capellanis, vel eorum alteri, seu cuilibet alii ad hoc a sancta Romana ecclesia destinato,

ad retinendam possessionem terrarum, quas habent, & recuperandam, quam non habent, præstent auxilium, consilium, & fauorem. Verum quia ipsi filii dictorum Comitum nostram contempserunt sententiam & mandatum, prædictum castrum infra terminum sibi datum nequaquam, vt superius legitur, resignantes, nostram promulgatam sententiam contra ipsos & omnes alios detentores Comitatus prædicti, poderis, seu etiam terrarum in nostra publica curia publicari fecimus, & vt firma semper & inconuulsa permaneat, Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Principes autem Imperii & Prælati & Nobiles Italiæ, quibus præsentibus hæc omnia acta sunt, sunt hi. Patriarcha Aquilegensis, *Conradus* Metensis & Spirensis Episcopus, imperialis aulæ Cancellarius, & totius Italiæ Legatus, Episcopus Pitauiensis, *Syfredus* Augustensis Episcopus, *Albertus* Tridentinus Episcopus, *Bertoldus* Brissinensis Episcopus, Abbas Augensis, *Ludouuicus* Dux Bauariæ & Comes palatinus Rheni, *Anselmus* Mariscalcus Imperii. & *Guarnerius* de *Bollandia* Senescalcus, Episcopus Taurinensis & Italiæ Vicarius, F. Papiensis Episcopus, O. Laudensis Episcopus, M. Mutinensis Episcopus, *Henricus* Bononiensis Episcopus, *Azo* Marchio Estensis, *Matthæus* de *Corrigia* Potestas Papiensis, *Niger Marianus* Potestas Parmensis, *Birrita* Potestas Reginensis, *Ægidius* Potestas Mutinensis, *Tisus* de *Campo* sancti *Petri*, & alii plures. Datum in castris apud *Sanctum Leonem* VIII Kalend. Octobr. & publicatum apud Spm. *Lambert*. pridie Kalend. mensis eiusdem anno Domini millesimo CC. XX. Indictione VIIII.

III

Aduersus rebelles Italiæ & de conuentu indicto apud Veronam. Scripta a *Petro* de *Vineis.*

An. 1222.

INuiti loquimur. Sed tacere non possumus. Iam enim securis ad radicem arboris posita, & gladius fere vsque ad animam transiens, labia dissoluerunt. Iusque datum sceleri scribimus, & populum contumacem dexteram in viscera propria conuertisse dolemus. Iuri præfertur iniuria, & voluntas iustitiæ dominatur, dum quidam Italiæ populi sceptrum contemnere conantur Imperii, ac etiam propriæ commoditatis immemores, libertatis cuiusdam vagæ luxuriam quieti pacis ipsorum & æquitati iustitiæ prætulerunt. Nec tamen a nobis rebellionem huiusmodi sumpsisse nunc primum exordium æstimetis; sed auitas prosequimur & paternas iniurias, & productam iam ad alias regiones libertatis inuidiosæ propaginem nitimur supplantare. Sed nec ista dissimulasse nos hactenus aut conniuentibus oculis pertransisse credatis. Quamprimum in nobis pubescentibus annis, ac mentis & corporis coalescente virtute, ad Romani culmen Imperii, præter spem hominum, nutu solummodo prouidentiæ diuinæ conscendimus, ac regnum Siciliæ, præclara nostræ maternæ successionis hereditas, ad iura nostra peruenit, aciem mentis nostræ direximus ad prædicta; ac deinde ad consummationem propositi nostri, miserabili casu de amissione Damiatæ tunc temporis materiam ministrante, cum . . . Papa curiam solenniter apud * . . . duximus indicendam, vbi simul condiximus interesse. Quo proposito & volubilitate consilii motu continuo rerum præsentium immutato, nos a tanto bono recedere non volentes, ac ducentes nobiscum militum comitiuam, prout imperialis excellentiæ decus & tantum negotium condecebat — *Reliqua desunt.*

* *Veronam* vid. *Reynald.* ad an. 1222 § 2.

IV

Ad Othonem *Ducem Bauariæ.*

An. 1241.

FElices processus nostros, incidentia prosperorum successuum, quibus Dominus exercituum prouexit & prouehit statum nostrum, tanto propensius ad notitiam * regiæ Serenitatis conferendo referimus, quanto eorum insinuatione gaude-

* *Vestræ.*

gaudetis, consortes & participes voti nostri. Primo quidem latere vos nolumus, quod tam nos adiunctiua guerra Ligurium mouerit ad desolationem & dispendia Romanorum. Sane populus hic duræ ceruicis, & ab experto iam faustu nostri sceleris odiosus, ad nos & Imperium nostrum, cui totum ius suum transtulit ab antiquo, reuerentiam gerens, quosdam vicinos suos fideles nostros, campestri expeditione præsumpta, frequenti obsidione aggredi & depopulari non timuit, grauiores iis excessus exaggerans, dum violentas manus irreuerenter extendunt ad præcellentes personas, venerabiles ecclesiæ Cardinales, dilectos amicos nostros; quorum aliquos in odium nostrum duro carcere, nonnullos etiam diuersis afflictionibus & penuriis coartarunt, intendentes ecclesiasticam libertatem penitus inculcare, cui velut Aduocati & defensores ecclesiæ potenter adesse nos modis omnibus competebat. Cumque forent irreuocabiles ab excessu, vt nec ad satisfactionem meditarentur induci, saniori resumpta prouisione consilii, quin potius ad depopulationem fidelium continuata vicissitudine temporum insæuirent, ne vsu reprobo cogitantes, quod nullus posset eos eruere de manibus prosequentium, nos iustis motibus incitati, iuste conuerti contra eos potentiæ nostræ manum, præfigentes anno præterito in eorum territorio castra nostra, si damna forsan illata & recens vexatio indomito populo intellectum afferrent, cum puluere labentium turrium segetes quoque ac prædia ferro flammaque vastata, quorum fumus tenerima bellica prænuntiis eos poterit edocere, & præ foribus vrbis aspicerent & victrices Imperii aquilas, suæ præsumptionis vltrices, eorum vinculis insistentes a longe formidarent, coram quibus illa dudum magni nominis Roma & ingentis linguæ populus & potius latere condixerat, quam videri. Denuo in præsenti ad verba ipsorum insanuerat, viros eorum per vaniloquia iactitantes, quod noster ad eos tam vicinus non tentaretur accessus, arma parauimus, nostram & quorundam fidelium prouinciarum nostrarum potentiam conuocantes; cum quibus contra iactantia eorum viciniora prædia vrbis adiuimus; vt vbi castris nostris admotis præ electa militia & infinita copia peditum armatorum, cui* patrem libitus Anibaldi vix legitur habuisse, quam plures dies publicus eorum depopulationibus noster instabat victoriosus exercitus, per quem de foris gladio & intus pauore nimio premebantur; nec abinde recedere credebamus, nisi Roma per cædes & damna publica humiliata foret & penitus consternata. Demum præuenerunt nos venerabiles Cardinales Anagniæ commorantes per solennes nuntios ad nostrum exercitum destinatos, videlicet venerabiles Rothomagensem & Messanensem Archiepiscopos, & . . . & . . . Episcopos, pro parte totius vniuersalis ecclesiæ ac ipsorum attentius supplicantes, quatenus Fratres eorum, qui erant Romæ, præsente Prætoribus Romanis exercitu aggredi formidabant, & cum eis ad prouisionem ecclesiæ, de qua apud eos feruenter instabat voluntas, apud Anagniam conuenire, castra nostra de . . . dignaremur præsidiis remouere, ne propter nos prouisionem ecclesiasticam impediri contingeret vel differri, data nobis insuper de creatione summi Pontificis indubitata fiducia procedendi. Nos igitur summo zelo clementer inducti, quod Apostolicæ Sedi per summam vnitatem & concordiam debeat prouideri, primo Magistrum *Ottonem* S. *Nicolai* in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, ac demum Penestrinum Episcopum, de cuius deliberatione a voluntate nostra propria obtinere conscientia confidat præter spem & creditum, vt miraculosius accideret, insperatum ad Fratres prædictos petentes cum instantia remisimus de nostra custodia liberos; ac subsequenter Prælatos ceteros, Abbates, & Clericos transalpinos, cum eorum familiis, pro quibus omnibus preces recolimus recepisse, ob honorem vestrum liberos abire permisimus; licet remotio castrorum nostrorum nobis & nostris fidelibus molestius offerretur, Salutis Apostolicæ prouisionis commoda cogitantes, omni vtilitate publica & speciali postposita, prorsus a finibus Romanis abscessimus, necessariis contra Romanos in terris nostrorum fidelium præsidiis ordinandis ad resistendum Romanis, si procedere attentarent. Speramus autem, iuxta præstitam nobis fidem & prouisionem infallibilem atque firmam, quod ecclesiæ Dei concorditer prouidebunt ad publica dissidia remouenda. Ceterum ad tractandum & ordinandum consummationem matrimonialis fœderis inter *Conradum*

* *parem Lybicus Hannibal.*

v. *Raynald* ad an. 1241 § 3 & seq.

de . . . in Romanorum Regem electum & regni Hierosolymitani heredem, & dilectam filiam nostram *Isabellam*, sororem vestram, venerabilem Cluniacensem Abbatem & Magistrum *Gualterum* de *Ocra*, Notarium & fidelem nostrum, Excellentiæ nostræ legatos & nuntios speciales, duximus ad vestram præsentiam destinandos.

V

Ad vniuersos regni fideles.

An.1241. IMperator vniuersis regni fidelibus. Excelsus super omnes gentes Dominus, orbis acephali calamitati compatiens, emisit de altitudine montium manum suam, vt tabernacula seniorum alienigenis iam inhabitata colonis, & sanctuaria IESV Christi minus dignis polluta ministris purgaret a vitio, expiaret a scelere, & vniuersalis orbitatis vmbraculum, superstitionis reiecta caligine, illuminaret speculo claritatis. Nullum enim, vt credimus, præsentes latet latebras mundi latus, nullius aures surdæ prætereunt, quantæ tribulationis modus in orbe resultauerit & in vrbe, quantæque seditionis inuolucrum antiquus attulerit persequutor, qui, si veritas sub nube non lateat, tantum in dominica vinea virus euomuit, quod nisi filius Dei viui, qui ad redemptionem humani generis, quod de limo terræ transsumpserat, subire martyrium non expauit, suæ clementiæ dexteram non mouisset, in piscatoris naufragante nauicula periisset populus Christianus, dum Petrus in altis habitans non respiciebat in petram, nec eius successio transferebatur in posteros; & sic cupiditatis insurgente vindicta, plorabat ecclesia viduitatis instantiam, dolebat populus contumelias generales, nec in ministrorum ore frequens proderat alleluya. Nam præter oppressiones innumeras & oppressorum incursus, quibus desolatæ matris latera lacerantur, sic ad proximos ictus præteritos fidelium retorquetur aspectus, quod consolationis remedium mundus nequaquam assumere poterat, dum mater ecclesia, quam Christus in petra fundauit, debebat erigi, tum opprimi contingebat; dum debebat alicuius suffragii vigore refulgere, tunc in maiori conflictu, tam grandem, tam vtilem virum perdidit & rectorem. Ex suis etenim gestis colligitur, & ex operum fructibus indubitanter innuitur, quoniam pastor vtilis, quoniam rector idoneus fuerit recolendæ memoriæ *Gregorius* Papa *nonus*, qui gregem sibi creditum ab iniquorum incursibus pro posse seruans illæsum, pro suis ouibus animam suam ponere non expauit, donec ipsam in Abrahæ gremio resignauit & spiritum reddidit Deo nostro, quem multis afflictionum generibus in his conflictibus lacessiuit. Cuius præsidio priuata mater ecclesia, ne veneno posset veteris serpentis inuolui, vbi nulla profuisset tunc temporis tyriaca, supplicauit ad Dominum, vt tantæ desolationi compatiens, eius miseriis misericorditer condoleret. Ad cuius c'amores assiduos manus Omnipotentis excitata, de feruore solito faciendo virtutem, de congruo sponso prouidit ecclesiæ, mittens de cælesti cœnaculo *Cælestinum*: in cuius substitutione Pontificis satis vtiliter prouisum fuisset ecclesiæ, nisi mortis imperium, quo Reges priuantur regimine & Principes principatum amittunt, suæ nouitatis primordia de medio sustulisset: quem sic raptum subito, sic repente subtractum, sedentis super flumina Babylonis matris viduatæ compassio tanto lacrymabilius deplorauit, quanto recentis doloris, suscitato præterito, reliquæ remanserant deplorandæ. Nondum etenim prioris vulneris cicatricis signa transierant, nondum primæui doloris fumus in altum ascenderat, & sic amaritudini coniuncta calamitas fluctibus addidit tempestatem. O quam mirabilem fallendi modum! Fallacia siquidem mortalis includit, quæ discreta prorsus a tredecim concepta peremptoriis, exceptiones dilatorias non admittit, ex necessariis semper terminis Syllogizans. Numquid enim vnum sibi sustulisse suffecerat, vbi successore secundo desolatæ matris gremium continuatis lacrymis viduauit, vt ad minus, quod in vno plorauerat, in alio solaretur, quæ dolorem cum gaudio temperans, terminauit gaudium in dolore, & sic eius euangelio

lugubri

lugubri totum prædicato per orbem, cum nulla spes remedii superesset ecclesiæ, cuius tribulationum publica notio se per vniuersos orbis angulos publicarat, piæ matris affectus, quam squalor viduitatis & desolationis affecerat, ad Dominum, dum tribularetur, coadunatis vocibus filiorum, qui huius doloris pungebantur aculeis, exclamauit: & ne pericula circumstantis angustiæ, quæ periclitari temporis necessitas exigebat, in altum forte succrescerent, voce clamantis cælum tertium penetrante, & a vultu Dei prodeunte iudicio, petentis petitio se sentiit exauditam, quod mater optauerat, voto desiderantis aduenit, & aspergens aquas in itineribus suis vocem abyssus protulit ab altitudine phantasiæ. Ac licet hoc fama paranympha processuum expectantium auribus ex affectus anxietate prædixerit, vt tamen in certius laudis canticum prorumpatur, quod cum *Gloria in excelsis Deo* referimus, creatum desuper in ecclesia Romana Pontificem præsens epistola lætabunda describit. Quod tanto solennius mouere debet corda fidelium, quanto consultius orbis angustiis, quæ iam hostis antiqui nequitia varia tentatione seduxerat, cuius est e summo cælo egressio, suæ gratiæ infusione prouidit. Canite igitur tuba & cithara, canite Deo nostro, qui suum prosequendo negotium, Papam concessit populo, patrem filiis, virum viduæ, pastorem ouibus, & in altis habitans respexit humilia, largitus mundo perituro rectorem.

v. Reynald. ad an. 1243 § 10.

VI
Ad Cardinales Romanæ ecclesiæ.

An. 1245

ILLam pro firmo gerimus de vestra sinceritate fiduciam, illam in vobis & ceteris Fratribus vestris esse constantiam opinamur, quod quantumcunque deuotionis & reuerentiæ vinculo Romano Pontifici sitis astricti, quantumcunque sui processus impetum contra nos habitum sub generalis ecclesiæ nomine periculis vestris ascribat, causam propriam redigens ad communem, vos, velut orbis cardines & columnæ firmissimæ, nec ad circumuentionem innocentiæ nostræ leuiter possitis induci, nec ad depressionem nostræ iustitiæ leuiter commoueri. Et quanquam ad euitanda desolationis dispendia, vt credimus, per scissuram, currentis temporis furori cesseritis, libenter tamen vos inuenire velle remedia credimus per cautelam, quibus orta per impetum valeant reparari discrimina, & excitata mundi dissidia conquiescant. Verum summa videtur circumspectione cauendum, vt sine præiudicio vestræ discretionis immensæ loquamur, ne dum per liquoris infusionem extingui credatur incendium, accensus ignis ardentius furiat, forsitan oleum iaciat in caminum. Illud etiam non minori diligentia cauendum credimus, ne materiæ minus crudæ cauterium apponatur, & ex quo sequitur vulnus insanabile potius quam vulneris medicina. Nuper enim audiuimus, vnde iustissima ratione mouemur, quod nobis excogitati consilii, qualitatis eius & temporis prorsus ignaris, per summum Pontificem adhuc publicum hostem Imperii & nostrum capitalissimum inimicum, pro pacis negotio, licet hoc vocationis forma non exprimat, concilium conuocatum, illo simpliciter adnotato, quod pro magnis & arduis ecclesiæ Romanæ negotiis, & transmarinorum Prælatorum & cismarinorum Principum synodus euocetur. Verum, quæcunque sit causa vocationis, huiusmodi litteris ad Apostolicam famam tacita vel expressa, satis tamen suspicionis nostræ causam perlucide & initia manifesta, quod (*non* pro nobis, non pro pace, sed contra nos, & discordia potius tale concilium euocatur, dum non a vobis saltem communes electæ personæ, sed ab inimico nostro & nonnulli nostri culminis inimici vocantur. Prius igitur pax inter nos tractari debuit, & tractata firmari, quam a tam remotis partibus pacis suffragia quærerentur. Nos enim de hoc inimicorum de paruo vel nullo, qui se offerunt, non timemus, si cum eo pacem habebimus, quem patrem habere, si datum esset, deberemus in terris.

VII *Ad*

VII

Ad fideles per Tusciam constitutos.

An. 1247. VNiuersis Vicarijs, Potestatibus, Rectoribus terrarum, & aliis curiæ Imperialis Officialibus, Imperii fidelibus, per Tusciam constitutis, præsentes litteras inspecturis cet. Cum ob accusationem coram nobis factam per *B.* & *O* de . . . & *D.* de . . . pro eo, quod interfecerunt Domnum *Iohannem* Abbatem monasterii de . . eorum dominum specialem, & eidem B. plurima damna intulerunt, ipsius bona temere deuastando, præfatos *O.* & *D.* legitime citari fecimus, vt coram nobis comparere deberent super dicta accusatione in iure in iudicio responsuri, quia ipsi venire vel sufficientem pro eis responsalem mittere cessauerunt, ideo ipsos & quemlibet eorum auctoritate Imperiali, qua fungimur, exbannimus, eorum contumacia & inobedientia exigente, & pro parte Imperialis curiæ bona eorum mandauimus annotari. Propter quod nolentes accusatos eosdem de tam nefando excessu remanere aliquatenus impunitos, vt pœnam pro qualitate delicti cognoscant, autoritate Imperiali prædicta vobis præcipiendo mandamus, quatenus tam ad supplicationem *B.* accusatoris præfati, quam etiam ex officio nostro, pro eo, quod mandatis nostris non obtemperauerunt, memoratos *O.* &. *D.* accusatos, exbannitos a nobis personas capere & eos sub fideli custodia ad nostram præsentiam destinare curetis, malefactores eosdem in vestris terris vel in eorum districtibus manere vel esse nullatenus permissuri.

VIII

Ad Comitem Casertanensem.

An. 1248. v. Petr. de Vineis lib. 3 cap. 61. 79. id. lib. 1 ep. 16.

IMperator FRIDERICVS *Comiti Casertanensi.* Cum, sicut firma nuper relatione comperimus, & te in parte non credimus ignorare, *Ludouicus* illustris Rex Francorum, dilectus animæ nostræ, ad partes vltramarinas, prout iamdudum stabili mente disposuit, transfretare magnifice sit paratus, quem per partes Italiæ transire velle constanter audiuimus, vel ibidem, si casus tulerit, hiemare, nolentes vt insula ipsa, nostri pars vtique præclara dominii, tempestate negotiorum & temporis imminente, Rectoris seu Præsidis præsentia careat, quæ personalis nostræ Maiestatis essentiam repræsentans, & Regem ipsum loco nostri, quo decuerit, honore recipiat, & prouinciam ipsam in omni tranquillitate gubernet, quanquam regnum nostrum in proximo, ciuitatis *Parmæ* depressa proteruia, vel ipsius vrgentissime depopulatione peracta, repetere personaliter disponamus, te ad partes illas, tanquam præcipuum loco nostri vicarium ante faciem nostram salubri consideratione prouidimus præmittendum, Deuotioni tuæ mandantes, quatenus in continenti receptis præsentibus ad Comitiuam tuam viris aliquibus fidelibus nostris de *Terra laboris* & Comitatus *Molini* tribus vel quatuor deputatis, magnis & continuatis dietis ad partes ipsas, sicut vnquam gratiam nostram diligis, celeriter studeas te transferre. Qualiter autem super receptione Regis eiusdem & negotiis nostris illarum partium gerere te velimus, per latores præsentium, nuntios tuos, fideles nostros, quibus super hoc plenissime beneplacitum nostræ Maiestatis expressimus, & fidem plenariam adhibere te volumus, sufficienter poteris informari.

v. id. lib. 2. ep. 5.

MANFREDI Siculi
de morte FRIDERICI II *Imperatoris* ad CONRADVM IV *Regem Romanorum*
Epistola I.

Regi CONRADO MANFREDVS per *Nicolaum* de *Rocca.*

An. 1250. TVrbinis calicem, quem nuper de patris & domini nostri casu non minus mentis, quam oculorum infusione transumpsimus, vellemus libenter a poculis

poculis vestris excipere, velut qui mensam vestram gratis concupimus dulcorare deliciis, & præcordia vestra placidis anxiamur gratificare pulmentis. Sed vt dolor, quem exinde gustare vos nouimus, nuntiantis sit contemplatione remissior, licet forsitan id famæ velocitas, quæ pennas consueuit in aduersis assumere, magnitudini vestræ prædixerit, nuntiantes tamen alios elegimus præuenire, vt eo sit casui medela procliuior, quo nuntiatio nostra maturior ad vestram notitiam deducetur. Scimus etenim, quod si patris virtutes attenditis, si eius, quem multipliciter natura dotauerat, complementa pensatis, nedum vos, qui caro de carne ipsius, & os de ossibus descendistis, lugere cogimini, sed & oculi omnium vniuersaliter ad lacrymas conuitantur. Cecidit quidem sol mundi, qui lucebat in gentibus, cecidit Sol iustitiæ, cecidit auctor pacis. Credimus tamen, quod si circumstantias eius consulte reuoluitis, consolationis vicinæ remedia sentietis. Vixit enim dominus pater noster feliciter & victoriose, dum vixit; & diuinæ maiestatis auctoritas, quæ processibus eius viuentis astiterat, * morientibus finibus voluit non deesse. In ipsis quidem mortis indiciis, præter dona mirifica & beneficia gloriosa, quæ in testamenti serie fidelibus gratanter indulsit, sacrosanctam Romanam ecclesiam, matrem suam, corde contrito, velut fidei orthodoxæ zelator, humiliter recognouit, & damna, quæ dudum ecclesiis inuitus forsitan vel potius prouocatus intulerat, integre restauranda sanciuit. Mirabiliter etiam Deus ipsum beauit in exitu, quod liberis fecundatus adultis, sed persona vestra præcipue, Domine, in cuius humeris honorem & onus regiminis glorificatus appendit, ad patriam, quo iter est omnibus, feliciter vtinam victurus, accessit. Ex quo pulcra spes vel plenaria certitudo & certa fiducia datur in gentibus, vt licet occasum sol ille petierit, per cuiusdam tamen continuationis ordinem relucescat in vobis, & licet fructificus cultor ille iustitiæ, magnificus auctor pacis, operas & culturas suas moderantis omnia mortis seueritate suspenderit, pacem tamen & iustitiam semper excolat & operetur in vobis; & sic pater abesse non creditur, dum viuere speratur in filio, nec creditur, tam pretiosa hereditas amisisse patronum, dum eius confidit inuenire dominium tam suaue, tam placidum in herede, immo, si salua patris reuerentia loquimur, satis consueto salubrius fideles vestri, scilicet regnicolæ, potissime sperant sub umbra vestri dominii protegi, & sub vestro regimine confoueri, ex eo sumentes efficax argumentum, vt qui nostis paternos mores naturæ generositate portendere, regnantis officium, quod ætas in vobis & natura consolidat vel consibulat, gerere velitis in subditis & sciatis. Vos igitur, gloriosissime Domine, cuius aduentum vniuersorum mentes expectant, & vota suspirant, sic vestrorum fidelium expectationibus consulatis, vt spes, quæ consueuit animam plus debito dilata conterere, ipsos in tam votiua præstolatione reficiat, & status pacificus regni vestri, quod Maiestatis vestræ præsidium affectuose desiderat, ex tam grati Regis præsentia reuirescat vel reuiuiscat.

* morientis.

v. Raynald. ad an. 1250 § 31.

II

Gloriosissimo Domino suo CONRADO *Regi* MANFREDVS *pedum oscula, & grata deuotionis obsequia.*

DE obitu felicis memoriæ domini patris nostri, quem præmissæ pridem vestræ Serenitatis auditibus litteræ nostræ prætulerant, ex eo præcipuæ consolationis informatæ remedia cum quadam animi gratificatione porrigimus, quod totum regnum Siciliæ vobis humiliter parere desiderans, sub vestris iussionibus viuere promptissima deuotione disponunt, ita quod Nobiles omnes & terræ ac ciuitates famosæ præcipue in vobis & heredibus vestris fidelitatis & homagii iuramenta tanquam eorum Domino libentibus animis præstiterunt, & nobis pro parte vestra vnanimiter obediunt & intendunt. Vos igitur, felicissime Domine, ad subditorum vestrorum statum pacificum obseruandum, Nobilibus & ciuitatibus regni vestri, quos interclusa præsentibus cedula continet, speciales litteras vestras dirigi iubeatis, per quas significetis eisdem, quod ex insinuatione

nostra ipsorum fide & deuotione plenius intellecta, parati estis obseruare tenaciter, quæ pater vester in testamento suo constituit obseruanda, & gratiam ac beniuolentiam vestram ad eos fauorabiliter extendetis, & quicquid in vestri absentia contigerit nos gerere vice vestra, rata & firma tenebitis, & seruari inuiolabiliter facietis. Nihilominus ciuitatibus & Nobilibus regni Hierosolymitani litteras vestras exhortatorias destinari mandetis, vt eos, qui nunc vmbram vestri dominii subire desiderant, & vestris iussionibus obsecundare ad vestra seruitia, pulchra spes animet, & beniuolentiæ futuræ præsagium libenter inducat. Præter hæc tamen ad memoriam vestram reducimus, vt si negotiorum & temporis qualitas vel habilitas suggeret, quod de aduentu vestro, qui ab omnibus tam libenter quam hilariter expectatur, regnicolarum vestrorum fidelium animos recreare possitis, quod exinde honori vestro magis expediat, regalis prouideat Celsitudo. Nobis veruntamen, qui prosperum aduentum vestrum inter viuentes alios desideranter appetimus, mandare dignemini, quid per nos fieri Serenitas vestra velit, vt vestræ Magnitudinis cognita voluntate, super omnibus iuxta vestrum beneplacitum procedamus.

CONRADI
Romanorum & Siciliæ Regis
Epistolæ quatuor.

I
Proconsuli almæ vrbis.

An. 1251.

PLene scimus, nec extraneas testium probationes exquirimus, quanta sit erga nostri honoris augmenta tuæ procurationis intentio, quantusque refloreat erga nominis nostri fastigia tuæ deuotionis affectus, dum, sicut ipsa rerum experientia docente collegimus, quæ nostri honoris sunt sollicitus expetis, & factus quasi iam nobis de nostræ felicitatis promotione domesticus, negotia nostra magnifice, sed prudenter vbilibet placido cordis affectu & fructuosa operis attentione procuras. Ex hac igitur caussa facti nos iam tibi & tuis quasi per debitum ad commoda quælibet amplianda beniuoli, nuntios prouidos & solemnes ex parte tua & Senatus Populique Romani nuper ad nostram præsentiam destinatos gratanter recepimus: qui dum suæ legationis officium sollicite, diligenter, ac prouide coram nostræ Serenitatis aspectibus impleuissent, ecce super capitulis omnibus, quæ ipsorum relatio detecta continuit, expediti gratiose per nos, ad propria reuertuntur. Cumque tam nuntii, quam cetera ex parte tua & Romanorum omnium nobis successu temporis offerentur, immo quæ tanquam negotia propria gerimus, gratissima sensibus nostris accedant, Circumspectionem tuam, de qua toto corde confidimus, requirimus & rogamus attente, quatenus firmam fabricans in nostræ munificentiæ liberalitate fiduciam, sic strenuos actus tuos erga honorem nostrum prudenter accommodes, sic industriæ laudandæ principium laudabiliori semper inantea continuationis ordine prosequaris, vt tuæ sollicitudinis opera tanti actoris fulta suffragio erga te & tuos amplissime dexteram nostræ liberalitatis inuitet.

II
Illustri Regi Nauarræ.

INuitat nos antiqua patris nostri dilectio erga vos dudum habita, de vestra speciali dilectione confidere, & vos ad succedentium Serenitati nostræ processuum participium euocare. Scimus enim, vt non improperando præterita, sed suauiter referendo loquamur, quod adhuc in teneris annis, vobis sub matris regimine positis, eiusdem genitoris nostri continua sollicitudo non defuit, quin potius arduis Imperii tunc & Germaniæ negotiis intermissis, caussam vestram viri-

viriliter assumsit in propriam, & contra persecutorum suorum incursus pro restauratione vestrorum iurium multis personæ laboribus ac rerum impendiis laborauit. Propter quod vos tam carnis vnione coniunctos, quam specie necessariæ gratitudinis obligatos noua de nobis libenter audire felicia credimus, & in causæ nostræ subsidium paratas inuenire confidimus vires vestras. *Reliqua desunt.*

III

Cardinalibus Romanæ ecclesiæ.

CONRADVS cet. *Venerabilibus in Christo Patribus, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinalibus.* Conscientiam vestram, si saluo pudore iustitiæ diligenter exquiritur, latere non credimus, qualiter hactenus ad honorem Dei & sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ, matris nostræ, cuius, velut Christianæ legis & orthodoxæ fidei zelatores, deuotum fatemur nos filium, & specialem recognoscimus defensorem, cuius etiam sacra mysteria catholice credimus, & tota cordis ac corporis reuerentia veneramur, grandis humilitatis & plenæ subiectionis signa monstrauimus, vt istam inter nos & summum Pontificem, Patrem nostrum, dissensionis horrendæ materiam, quam non sine dedecore partium & vniuersali discrimine populorum vulgus, proh dolor, ludibriose iam loquitur, sedare possemus. Nec adhuc coram vobis, qui positi tamquam luminaria supra montem lucetis in gentibus, & velut cardines fidei regitis domum Dei, referre nos deuotæ satisfactionis pudet insignia, quæ saluis iuribus & dignitatibus nostris nostrorumque fidelium tam in Imperio quam in regnis nostris, fuimus eidem Domino Patri nostro & sumus humiliter offerre parati, si tamen ipse nos filium caritatis paternæ debita relatione cognoscat. Dubitantes veruntamen, ne vel res inter alios acta, contra ius scriptum iuri nostro præiudicet, vel de præteritis coniecta suspicio causam exasperet successuum futurorum; timentes nihilominus, vt loquamur ad literam, ne sedens in solio Christi Vicarius, Venerabilis Pater noster, cui legatum pacis hominibus erogandæ commissum est, diebus istis, quibus non solum paschalem agnum communicare Christicolis, sed exorare pro persecutoribus etiam teneretur, voluntatis suæ arbitrio plus debito laxatis habenis, dum credat sibi licere, quod * liceat, spiritualem contra nos gladium temporaliter exerat & procedat in aliquo, si dici liceat, minus iuste, ecce . . . fideles nostros ad vestram præsentiam duximus destinandos, concessa eis ab Excellentia nostra potestate plenaria, vt a grauamine & iniusto processu Patris eiusdem, coram tam venerabili cœtu Patrum, primo ad Deum viuum, cuius nutibus attribuimus quicquid sumus, & deinde ad futurum summum Pontificem, ad generalem Synodum, ad Principes Alamanniæ, & generaliter ad vniuersos Reges & Principes orbis terræ, ac ceteros Christianos, pro parte nostra libere valeant appellare.

* *Non.*

IV

HENRICO Regi Anglorum.

An. 1254.

NOllemus auditus vestros, vulgaris forte famæ præloquiis stupefactos, illis pulsare rumoribus, quorum & nostram exaggeraret relatio lacrymosa memoriam, & cordis nostri præsumitur corruptura quietem. Sed ex eo præcipue nos his casibus personam elegimus relatoris, quod dum acerbitatem doloris nostri silentio cohibere vix possumus, in vobis mœroris impetum persuasionis nostræ remedio facilius credimus mitigandum. Nec mirari vos volumus, si de iis, quæ inuiti referimus, ad notitiam vestram nuntiatio sera perueniat, cum hactenus ex recenti vulnere mæstitiæ, præualeret immensitas, & ex oculis nostris naturæ suggerentis imperium fluxum emungeret lacrymarum, sicque fluctuabat mentis nostræ turbata tranquillitas, vt ad extinguenda doloris incendia necessario solatoris alterius lenitiuis liquoribus egeremus. Iam vero dato tempore luctibus, quod euentus tam turbidi qualitas exigebat, lugubrem obitum Henrici carissi-

cariſſimi fratris noſtri, nepotis veſtri, vobis infeſtis rumoribus nuntiamus; de cuius caſu tam horrendo licet ex deciſione carnis noſtra ſatis amaricata ſint pectora, dum pretioſiſſimam pectoris noſtri partem perdidiſſe dolemus, ex eo tamen turbamur amarius, quod dum ad regiminis noſtri gubernanda molimina viriles animos habere nos expedit, nunc ad deplorandum fratris noſtri deceſſum mollitiem quaſi ſubiuimus muliebrem: quia dum eius iam eſſet ætas prouecta virtutibus; in cuius humeris curas noſtras confidenter appendere poteramus, metentis æqualiter omnia mortis auſteritas, flore iuuentutis ſuæ, præmatiua nimis falce præſecuit, & quaſi prædonis ſagacitate ſubrepens, ſic improuiſe, ſic ſubito naturæ magiſtras manus eluſit. Verum, cum ad hæc reparanda diſcrimina artes & opes humanæ deficiant, quæ potius diſpoſitionis ſupernæ prouiſio & facti generalis æqualitas conſolatur, doloris eiuſdem, cuius vix de corde noſtro cicatricis occiduæ ſigna tranſibunt, vobis affectuoſe prouidimus porrigendum. Nec credat vnquam Dilectio veſtra, quod affinitatis noſtræ per hoc debilitata ſint fœdera, quæ in eo nobis conuiuente memoriter remanſerunt, & in *M.** cariſſima ſorore noſtra ſuperſtite, conſorte Nobilis Viri *Marchionis** *Meſſanenſis*, ſolidata perſpicimus, & in heredes eius partu gratifico perpetuata ſentimus. Quocirca non minus quam fratre noſtro viuente de nobis puro corde confidite; & ſi qua ſunt in regnis noſtris, quæ Serenitatis veſtræ grata ſint vſibus, vel affectui blandiantur, nobis exinde vota veſtra exauditionem omnimodam relatura nobis per litteras vel nuntios aperite.

* Margareta

* Miſnenſis

HENRICI *Regis,* *qui* Friderici II & Iſabellæ Anglicæ *filius fuit,* *epiſtola ad* Henricum *Regem Anglorum,* *patruum ſuum.*

An. 1247.

v. P. de Vineis lib. 3 ep. 21.

SI Magnificentiæ veſtræ frequenter hucusque non ſcripſimus, ſi nepoticæ ſoſpitatis euentus ad notitiam veſtram ſegnis officium calami non perduxit, ſi noſtrorum geſta ſucceſſiuum ſtilus hactenus dictatoris non digeſſit, cauſa fuit, quod nobis in annis teneris conſtitutis, nec renatis adhuc fonte baptiſmatis, quid & cui ſcriberet, noſtra dudum infantia nec diſcernere poterat nec noſcebat. Nunc autem honore tanti Sacramenti ſolemniter decorati, ad annos etiam alicuius cognitionis adducti, quos nec minus guſtatus amor paternæ dulcedinis nuper fecit audaces, dum nos in ſolio ſuo, vt toti regno Siciliæ vſque ad reditum ſuum de Italicis partibus, de conſiliariorum diſponamus conſilio, glorioſe reliquit, præſentes vobis noſtræ ſalutationis apices deſtinamus, & frequentius deſtinabimus in futurum, quotiens & rerum qualitas exiget, & ſe nobis opportunitas ingeret nuntiorum.

RERVM

RERVM MAGVNTIACARVM
CHRONICON
PER
CONRADVM
EPISCOPVM.

† † †

CHronici huius auctorem, vt alibi iam dictum*, alii dicunt *Conradum*, Agrippinensium Archiepiscopum: alii *Conradum*, Sedis Moguntinae Pontificem, *Wittelspachiorum* gente oriundum; alii C. incertae Sedis Episcopum; alii *Christianum* II, *Sifridi III* in Archiepiscopatu Moguntino successorem. Nouissime *Oudinus*** vult, fuisse *commodatitium*, vt loquitur, *Episcopum* siue *succursarium*, ac Archiepiscopi Moguntini absentis vel functiones suas obire nolentis vices per dioecesin agentem.

*Praefatione illi praemissa, tomo II *rerum Moguntiacarum* p. 93 & seq.

** Tomo III *Commentarii de Scriptoribus & Scriptis ecclesiasticis* col. 203 & seq. Sed sine vllo, quod fidem faciat, argumento: vt adeo haud opus sit, multis hic expendere, bene secusne id ille statuat; quem ceteroqui, dum col. 204 *Eisengreinium* modo & *Posseuinum*, modo *Vossium* & *Miraeum* sibi refellendos sumsit, turpiter se dedisse, nemo paullum peritior diffitebitur.

Mihi verisimillimum semper visum fuit, *Christianum*, quem dixi, *II* illius auctorem esse, vt l. d. allatis in medium rationibus professus sum. Nec quid usque huc mihi occurrit, quod sententiam hanc infringere videatur, nisi quod *Christianus* ille fatis iam concessisse dicatur, antequam *Gerhardus I* cathedrae Moguntinae impositus fuerit†: & tamen sectione II § X p. 130 edit. nouiss. auctor, quisquis ille est, subdiderit, *Gerhardum*, ope *Henrici* Archiepiscopi Herburgdunensis, ducentis pecuniae marcis corrupti, Christiani in locum suffectum esse; istas vero ducentas marcas pluribus malis, quae postea res Moguntinas affixerint, occasionem dedisse.

† *Gerhardus* enim anno demum MCCLII Archiepiscopatus Moguntini solium conscendit. In diplomate enim Collegiali, quae Moguntiae ad aedem *B. M. V.* vulgo *ad gradus* dictam, est, IX Kal. April. indulto annum MCCLIII ipse *pontificatus* sui *annum primum* dicit (vid. chronicon dictae Collegiatae tomo II *rerum Moguntiacar.* sectione I § XII p. 658) In alio, Collegiali ad *D. Victoris* extra moenia Moguntina Nonis Decemb. dato, annum MCCLIV *Pontificatus* sui *tertium* (vid. chronicon *D. Victoris* l. d. sectione I § XIX p. 600) & rursum in alio Collegiali ad *D. Petri* XVII Kal. Febr. concesso annum MCCLV itidem *Pontificatus* sui *tertium*. *Christianus* vero anno MCCLI iam iam e vita discessisse dicitur. vid. *Trithemius* chron. Spanheimens. p. 338, & Hirsaugiens. p. 588, *Dieffenbachius* in chron. manuscr. *Helwichius* in annotat. ad § IX sect. II chronici, de quo hic nobis sermo est, p. 130.

Enimue-

Enimuero, licet ſint, qui referant, *Chriſtianum*, vt modo dixi, iam an. MCCLI diem ſupremum obiiſſe; quos quidem ipſe alibi me ſecutum eſſe *, libens fateor; haec inter tamen patuit, longe aliter ſe rem habere. In *chronico* enim *Erfurtenſi*, quod Reu. *Schannatus* nuper e codice ueteri mſcr. iſtisque temporibus ſuppari, qui Moguntiae in bibliotheca ad aedium maximam adſeruatur, eruit ac in lucem protraxit, legas **, *Chriſtianum* anno demum MCCLIII Pariſiis uitae finem impleuiſſe, ac in aede Militum ſiue Equitum *S. Ioannis Hieroſolymitani*, quorum in nomen iutaque conceſſerat, tumuli cepiſſe locum.

* Lib. V rerum Moguntiacarum *Serarii* in vita *Chriſtiani II* annotat. 3 ad § IV p. 607.

** Sectione VIII *Collectionis primae Vindemiarum litterariarum* p. 105; Sic autem ibi: *Hoc etiam anno* (MCCLIII) Chriſtianus *Moguntinus Archiepiſcopus Hoſpitaliorum ordini ſe tradidit.* Et p. 106; *Eodem anno* (MCCLIII) Chriſtianus *Moguntinus quondam Epiſcopus Pariſiis defunctus eſt, ac in Hoſpitaliorum domo ſepultus.*

Breuiter ceteroquin auctorem res Moguntinas ab an. MCXLII ad an. MCCLII usque complexum eſſe, ſiue potius perſtrinxiſſe, non eſt, quod hic notem cum *Helvvichius* id iam dixerit, demonſtraritque *.

* In argumento operis p. 100 edit. nouiſſ. & quidem recte; quum ſectione II ab *Henrici I*, qui an. MCXLII cathedram Moguntinam inſcendit, regimine incipiat, ac in *Gerhardo I*, qui *Chriſtiani* in locum an. MCCLII ſuffectus eſt, finiat. Vt adeo hic notandi veniant *Voſſius* de Hiſtor. latinis lib. II cap. LIX p. m. 479. *Sagittarius* introd. in hiſtor. eccleſiaſt. cap. XX § LXXXIV p. 568, *Struuius* biblioth. hiſtoricae cap. VII § XVII p. 470, *Neu* ſectione XI Mantiſſae ad *Degorei Wheari* Relectiones hiemales p. 152, *Reimmannus* parte II Tentam. iſagog. in hiſtoriam litterariam Germanor. ſect. II quaeſt. 310 p. 389, dum putant, ab anno MCXL illum incipere, & finire in anno MCCL.

Iuuabit igitur, vnum alterumque iudicium, quod viri eruditi de eo tulere, ad verbum huc afferre. Sic autem

Iacobus Spiegelius

Schol. in *Guntheri* Ligurinum lib. II v. 397 & ſeq.

Communicauit mihi Rhenanus *noſter veterem libellum, quo quidam* Chunradus, *ea tempeſtate vel paullo poſt, vt apparet, Epiſcopus, ſimplici dictione, plane fidem rebus adferente, quas ille ad poſteritatis notitiam tranſmittere ſtuduit, complexus eſt quaedam, quae ſunt geſta ſub* Aenobarbo *noſtro*

ſtro, Henrico VI *eius filio*, Philippo *Rege*, & Friderico II. *Nec reperiuntur in vulgatis chronicis.*

Iacobus Fridericus Reimmannus

l. d.

Complectitur tempus annorum decem & centum. Incipit enim ab an. MCXL & deſinit in an. MCCL. Sed enim plerique anni exilitate laborant. Vt ſatis appareat, apud auctorem magnam fundi, quod ad res, fuiſſe ſterilitatem.

Godefridus Hechtius

Germaniae ſacrae & litteratae parte II lib. XII cap. V § XIII p. 475,

Conradus *Epiſcopus dignitate quidem, at non eruditione eximius, chronicon rerum Moguntiacarum exiguum edidit, in quo ſi demas, quae de tumultu, tempore* Arnoldi *Antitiſtis Moguntini, ex ſaeculo XII ſimpliciter narrat, nihil inuenias, quod memoratu dignum putes.* Ita ille. Quam bene, in dicta expendi praefatione.

Saepius chronicon hoc prodiiſſe, cum l. d. ſingulis editionibus recenſitis oſtenderim, velim lector beneuolus praefationem iſtam adeat. Nec enim conuenit τὸ πραχθὲν πράττειν, vt veteri prouerbio dicitur.

Ceterum nil reſtat, quam vt dicam, hac editione opuſculum, ſicut in ea, quam tomo II rerum Moguntiacar. inſerui, factum, in duas me incidiſſe ſectiones; vtramque vero rurſus in paragraphos, vnicuique vero horum praefixiſſe ſummaria; minoribus ſectionibus cifris ſiue numeris barbaris in margine notatis.

PROOEMI-

PROOEMIVM.

VENERABILI Patri, Domino *Theodorico* Abbati, & fratribus C. *Ludouico* Priori, *Ioanni* & *Rudolpho* Sacerdotibus C. Presbyter. Episcopali nomine indignus, gaudia electis Dei ante mundi exordia præparata. Solent plerunque res olim gestæ si scriptis non fuerint commendatæ, sic obliuionis conculcari pede, vt nulla de ipsis a posteris memoria habeatur, cum tamen earum notitia posset forte fore aliis caussa cautelæ, & instrumentum euadendi pericula vel vitandi. Quod si non fit, saltem legentibus & audientibus tædium tollitur, dum ea transierint, eis quasi quædam recentia renascuntur. Vnde fit, vt ex hoc in admirationem ducantur vel stuporem, vel certe ad passionis gemitum prouocentur. Scripturus itaque vobis iacturam & oppressionem, qua annis iam centum cœpit ruere ecclesia Maguntinensis, ipsius inuoco gratiam, cuius ea, quæ sustinuit & adhuc sustinere non desiit, mala, iudicio est oppressa. Igitur vt eius miserabilior calamitas quam patitur, & flebilior elucescat, prius quibus honoribus claruit, quibus diuitiis & ornatibus referta fuerit, succincte & breuiter differemus.

SECTIO I

De prisco ecclesiæ Moguntinensis ornatu ac thesauro,

(1) in tapetiis & dorsualibus; (2) pallis; (3) casulis & cappis; (4) tunicis; (5) albis, stolis; (6) infulis; (7) annulis; (8) baculis; (9) caligis & sandaliis; (10) pertica argentea; (11) vasculis pretiosis; (12) thuribulis & acerris; (13) libris; (14) peluibus & vrceis; (15) candelabris; (16) coronis; (17) crucibus; (18) calicibus; (19) fistulis & colis.

ERant ibi purpurarum pretiosarum tantæ copiæ, vt diebus festiuis totum monasterium, cum sit tamen longum & latum, intrinsecus tegeretur, & tamen adhuc superfuerunt. Erant tapetia & dorsalia mira picturæ varietate distincta, quæ operis subtilitate & pulchritudine animos intuentium admiratione delectabant. Præter ista erant & alia, quæ super pauimentum templi & scamna & coram altaribus sternebantur. Erant pallæ altarium auro intextæ pretiosæ. Inter quas tres erant præcipuæ, quarum vna æstimabatur posse valere marcas C, alia LX, atque aliæ non minoris vel parum minoris poterant æstimari. Erat in casulis Dalmaticis subtilibus, & cappis sericeis & purpureis, auro & gemmis intextis, pretiosus & copiosus thesaurus. Inter quæ sex cappæ præcipuæ erant, quarum vna æstimata est ad LX marcas. Sic enim & obligari poterat. Aliæ quinque minoris erant æstimationis. Ex his duas ego vidi, quarum vna vetustate fuit sic consumpta & attrita, quod alicui vsui non valebat. Data ergo est igni, & reddebat tres marcas auri cum dimidia. Alia, quæ adhuc recentior videbatur, vendita est cum vna palla altaris: quid pro his acceptum fuerit, vel quo deuenerit venditum acceptum, penitus ignoratur. Inter casulas autem sic de quolibet colore duo paria: duæ nigræ aurifrigiatæ & eiusdem operis duæ Dalmaticæ, & duo subtilia latis aurifrigiis ornata, & hæc omnia valde bona. Item duæ casulæ de samito albo, & eiusdem fili Dalmaticæ duæ: subtilia duo cum auro ornata, omnia valde bona. Item duæ casulæ de rubeo samito, & tot Dalmaticæ, & subtilia aurifrigiata valde bona. Item duæ casulæ de viridi samito, & tot Dalmaticæ & subtilia aurifrigiata valde bona. Item duæ casulæ de croceo samito, tot Dalmaticæ, & subtilia valde bona. Vna inter ceteras erat casulas ante paucos dies violacea, latis & magnis

Ddddd auri-

aurifrigiis, longa & larga, aureis lunulis & sideribus insertis: quæ tanti erat ponderis propter aurum, vt plicari non posset, & in ipsa vix aliquis poterat, nisi valde robustus, diuina mysteria celebrare. Vestiebantur tamen illa Pontifices & Prælati festis præcipuis canturi. Sed post euangelium cantato offertorio, factis oblationibus, illam deponentes, flexibiliorem sumentes, in illa diuina perfecerunt. 4 Item multæ tunicæ diuersorum colorum, videlicet rubei, viridis, & violacei coloris: virgulatæ, crocei, albi, quibus vtebantur ministri 5 altarium, & acoliti & chrismatis portatores. In albis, cingulis, humeralibus, 6 stolis & ceteris ornamentis paucis credenda copiosa diuersitas. Erant infu- 7 læ vel tiaræ XVIII aurifrigiatæ, chirothecæ valde bonæ. XVI annuli pontificales boni & magni: de robino vnus & impositis aliis gemmis minutis, de 8, 9 smaragdo vnus, de sapphiro vnus, de topazio vnus. Baculi pastorales duo vestiti argento. Caligæ VIII, & tot sandalia. Hæc de vestimentis. Nunc de 10 ornatu & thesauro ecclesiæ, & primo de pertica audiatis. Erat pertica argentea concaua deaurata, quæ tantum præcipuis festis, vt in Passione, Pentecoste, in dedicatione ecclesiæ, in festo patroni, gloriosi confessoris, beati Martini, in 11 natiuitate Saluatoris, ante altare dependebat. In qua vascula suspendebantur, quædam eburnea, quædam argentea, formarum diuersarum, omnia reliquiis plena. In horum omnium medio fulgebat smaragdus, suspensus catenis aureis duabus, habens quantitatem & spissitudinem dimidii peponis magni, & per omnia similitudinem habens peponis, & ipse concauus: huic solebat aqua infundi cum duobus vel tribus pisciculis paruis: & deposito desuper operculo, cum mouebantur pisciculi, simplices & vetulæ lapidem viuere affirmabant. 12 Erant thuribula X argentea deaurata, & vnum aureum, habens auri marcas III, & acerræ XI, inter quas vna erat de lapide integro onychino concauo, habens similitudinem vermis horribilis, id est, vt bufonis: concauitas eius patebat in dorso, vbi & circulus argenteus cum literis græcis ambiebat. In fronte huius acerræ, quia caput habebat simile vermi monstruoso, erat lapis topazius valde pretiosus, magnitudinem habens dimidii vitelli oui: in oculis eiusdem acerræ duo robini, quos carbunculos vocant. Adhuc eadem acerra habetur hic, sed gemmæ non. Item, erant duæ grues argenteæ concauæ, quæ solebant poni iuxta altare hinc & hinc, & dorso patebant, impositis carbonibus & thure vel thymiamate boni odoris fumum per guttura & rostra emittebant. Erant 13 autem grues tantæ magnitudinis, cuius viuæ. Erant libri, qui pro ornatu super altare ponebantur, vt euangeliorum, epistolarum, plenariorum &c. aliqui 14 vestiti ebore sculpto, alii argento, alii auro & gemmis. Erant pelues IIII argenteæ, & vrcei diuersarum formarum, quos manilia vocant, eo quod aqua sacerdotum manibus funderetur ex eis; argenteam quædam habentes formam leonum, quædam draconum, auium vel gryphonum, vel aliorum animalium 15 quorumcunque. Erant candelabra magna duo, quæ iuxta altare ponebantur argentea, & alia minora, quæ super altare ponebantur, quibus rotæ supponeban- 16 tur latæ, propter stillicidia candelarum, nescio quot. Erat corona magna pendens in choro ad similitudinem eius, quæ adhuc pendet ad sanctum *Albanum*, & vna in medio templi, atque aliæ tres minores ante altare sancti *Mar-* 17 *tini*, omnes ex argento diligentius fabricatæ. Erant cruces argenteæ portatiles miræ pulchritudinis, quarum duæ in Palmis, duæ in Paschate, duæ in hebdomada Paschæ, duæ in Rogationibus, duæ in die ascensionis Domini ferebantur. X per totum erant. Erat & vna crux tantæ longitudinis, vt totum brachium magni viri, in qua erant Sanctorum reliquiæ multæ magnæ. In medio vero continebat de ligno dominicæ crucis ad quantitatem digiti, ad longitudinem vero palmæ virilis: vestita erat hæc crux auro purissimo, & gemmis pretiosis & multis. Erat & alia crux lignea, auro optimo vestita, in qua imago erat aurea Domini crucifixi, quæ imago cuiuslibet communis hominis magnitudinem excedebat, concaua, sed multum spissa, cuius venter plenus erat reliquiis & gemmis pretiosissimis. Dicebatur autem nec Romanum Imperium meliores habere. Hæc crux poterat dissolui membratim in iuncturis, primo in talo, in genubus, in femore, in humeris, in cubito, in manibus, in collo, vbi corpori inhærebat. Cetera pars corporis dorsum scilicet, & venter

ter pariter cohærebant: & hoc ideo, vt commodius & securius posset in arca sibi ad hoc deputata specialiter reseruari. Hæc raro ponebatur nisi forte præsente Rege vel alio magno Principe & in festis Paschæ vel natalis Domini & Pontifice hoc iubente. Cum autem hoc fieri oportebat, tunc in loco valde eminenti in templo super trabem, vbi nulli alieno patebat accessus, a ministris fidelibus locabatur. In huius imaginis capite loco oculorum erant duæ gemmæ, quas carbunculos vocant, tantæ magnitudinis, vt duo vitelli ouorum, qui in tenebris coruscabant. Huic cruci inscriptus erat versus iste:

Auri sexcentas habet hæc crux aurea libras.

Et nota, quod vna libra habet duas marcas auri. Sic ergo erant mille & CC marcæ auri probatissimi. Nec silendum arbitror: pro speciali huius auri examinatissimo valore crux ipsa proprio nomine censebatur, vocabatur autem *Benna.*

De indumentis quotidianis, crucibus, calicibus, ampullis, attinentibus, & thuribulis mentionem facere propter multitudinem non bene possum. Sed quia de calicibus dicimus, subiit memoria, quod fueram iam oblitus. 18 Erant calices XII argentei, omnes deaurati, eiusdem ponderis, cum patenis, scilicet de tribus marcis, dempto calice, qui pertinebat ad maius altare, & is cæteros dimidia marca præcellebat. Cuilibet calici erant speciales ampullæ argenteæ, & pyxis argentea ad hostias deputata. Præter hos calices erant tres aurei. In vno horum poterat celebrari: qui etiam suas habuit ampullas & pyxidem ad hostias ex auro purissimo & margaritis, & peram ad corporalia, filis aureis infertis, miri operis & decoris. Habebant etiam calices alii suas peras ad corporalia ex purpura & auriphrigiis adornatas. 19 Erant fistulæ quinque ad communicandum argenteæ deauratæ. Erant colæ argenteæ nouem, per quas vinum poterat colari, si necesse fuisset: præter eam, quæ attinebat calici aureo: & hæc aurea erat. Hoc aureo calice solus Pontifex vel Prælatus ecclesiæ maioris in summis festiuitatibus vtebantur. Alii duo calices tantæ erant quantitatis, quod cum ipsis diuina mysteria nequaquam poterant celebrari. Erat enim vnus maior altero. Minor habebat cum patena marcas auri electissimi XVIII: in cuius pede per circuitum pretiosi erant lapides valde, & in patenæ circuitu limbus eiusdem operis ambiebat, & ipse quidem gemmis pretiosis non carebat. Calix maior quot marcas auri habuerit, nescio: certum autem est, quod spissitudo eius erat digiti, & per totum tam in pede quam supra gemmis erat preciosissimis adornatus. Habebat etiam idem calix duas ansas, quæ poterant manus replere leuantis, sicut solent habere mortarii, in quibus piperata & salsa præparantur. Huius patena talis erat latitudinis & spissitudinis, quod ipsi congruebat, & ipsa gemmis per circuitum decorata. Hic calix habebat altitudinem vnius vlnæ, & capere poterat dimidium sextarium vini. Nec ab omni homine poterat leuari a terra commode. Nullus me in hoc scripto arguat, obsecro, falsitatis. Nam ecclesia ipsa & sedes ab omnibus Regibus & Imperatoribus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Liberis, &c. & omni populo venerabilis habebatur propter Pontificum sanctitatem, cleri deuotionem, ciuium pietatem, qui tamen in rigorem pessimum, & superbiam modo & duritiam sunt conuersi.* O Maguntia felix, tot bonis inclita, si tu mutares gentem rationis ac honoris egentem.

* Al. *minus iuste dixi*, conuersi, auersi *dicere debueram. O Maguntia, Maguntia. Felix villa sim, tot donis inclita, si tu Mutares gentem, rationis, honoris egentem.*

SECTIO II.

De rebus ecclesiæ Moguntinæ creperis ac afflictis sub Henrico I, *& sequentibus quibusdam Archiepiscopis.*

I

(1) Henricus *apud Papam accusatur*; (2) *per* Arnoldum *se exculpare studet*; (3) *cuius opera ab Sede remouetur*; (4) *Obit.*

1 IGitur quum, sicut iam supra dictum est, sic Pontifices se haberent, & clericalis disciplina optime seruaretur, ita vt plebes clero, clerus Prælatis obedientiam & reuerentiam exhiberent, inuicem honorantes, inuicem diligentes, præsidente tunc quodam *Henrico* Archiepiscopo, viro vtique pacifico, & benigno, ac multis virtutibus dotato: diabolus qui hoc ferre non valebat, ipsi venerabili viro, quia veritatis ac pacis amator erat, lites & incommoda excitauit. Nam quia semper ei erat cordi, vt clerus honore debito gauderet, populus iustitia regeretur, terra pace publica exultaret: ecce accusatur apud Papam, quod somnolentus & inutilis haberetur. Quod vir venerabilis vt cognouit, solennes nuntios pro sua excusatione ad summum Pontificem decreuit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum secretissimum cognito-2 rem quendam, *Arnoldum* clericum, quem ipse Archiepiscopus ad præposituram maiorem promouerat iam recenter, tanquam eum, qui non posset esse immemor beneficii tam nouiter consecuti, & propterea eidem iam præposituram sancti *Petri* etiam contulerat: insuper & *Camerarium* constituit ciuitatis Maguntinensis. Erat autem idem *Arnoldus* miri ingenii & facundiæ, atque con-3 gestor pecuniæ infinitæ. Is itaque veniens ad Curiam Romanam, pontificatumque ambiens Maguntinensem, primum sibi Cardinales pecunia fauorabiles acquisiuit: deinde duos specialiter pecunia corrumpens, qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodum consummaret, cum illis familiarius pertractabat. Tandem ab illis instructus, & de se certificatus, cœpit in suum dominum accusationis iacula dirigere, quem venerat excusare. Breuiter tantum in sua processit audacia, & effecit, vt duos legatos destinari peteret huius rei cognitores & iudices: obtinuitque eosdem duos, quos corruperat. Tandem tractu temporis multa interuenerunt facta, quæ sicut scribentibus esset onerosum referre, ita legentibus tædiosum. Veniunt ergo legati Wormatiam. *Henricus* Episcopus citatus comparet, nihil prætendere poterat pro se, quod admittere vellent iudices siue legati supradicti. Præsidentes autem iudicio, in loco, qui *Neuhusen* vocatur, *Henricum* laudabilem virum ab Episcopatu amouent Maguntinensi, *Arnoldum* substituunt. Dicebatur autem, quod *Fridericus* Imperator huic negotio assensum præbuerit, sed occultum. Venerabilis vir *Henricus*, tam manifesta peruersitate turbatus, ipsos peruersos alloquitur in hunc modum: *Si ad sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil amplius attentaret, & nihil mihi accresceret, nisi labor corporis, amissio rerum, & afflictio spiritus, & euisceratio mentis, & euacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum IESVM Christum, tanquam iudicem iustissimum: vos cito ad eius tribunal, ibi mihi* * *coram summo iudice me responsurum exhibeo. Non enim iuste, nec secundum Deum, sed mercede corrupti, sicut placuit iudicastis.* At illi: *Quum tu præcesseris, nos sequemur.* Hæc autem ridentes & deridentes dixerunt. Acta sunt hæc anno gratiæ MCV.* Do-4 minus *Henricus* abiit ad quoddam claustrum Cisterciensis Ordinis, non monachus effectus, sed in consueto habitu vitam ducens.

* velle

* imo, MCLIII

II

(1) Arnoldus *in possessionem Archiepiscopatus immittitur;* (2) *pretiosas sibi vestes facit;* (3) *dissensione inter ciues Moguntinos oborta & in neruum erumpente, vni parti accedit;* (4) *multis inde malis in ecclesiam Moguntinam prouenientibus;* (5) *thesaurum ecclesiæ imminuit;* (6) *salubres quorundam admonitiones spernit;* (7) *Moguntiæ in cœnobio* D. Iacobi *a ciuibus, inita coniuratione, inuaditur, & misere obtruncatur;* (8) *occisus inhumaniter tractatur;* (9) *tandem clam sepelitur.*

ARnoldus non moram faciens, quum fuisset, vt moris est, ab Imperatore regalibus inuestitus, Maguntiam venit, ibique solenniter est susceptus. [1] Post annum fere & dimidium venerabilis *Henricus* Præsul defunctus, Deo ad quem appellauerat, totum processum lachrymabiliter assignauit. *Arnoldus* [2] autem primordia sui consecrans Præsulatus, purpuram optimam de almaria tollens, sibi fecit vestes, tunicam, sorcotium, & mantellum, vt in Imperatoris curia gloriosior appareret. Sed omnipotens Deus non diu sustinuit istud nefas: [3] orta est enim dissensio valde grauis inter ipsos ciues Maguntinenses. Nam vna pars dolebat vehementer, venerabilem virum Dominum *Henricum* ab Episcopatu amotum: alia gloriabatur & superbiebat, *Arnoldum* substitutum. Erat enim oriundus de ipsa parte ciuitatis, quæ *Selehofen* nominatur. Tam grauis autem crescebat de die in diem inuidia inter ciues, vt tribus diebus in septimana congrederentur, & per plateas cum gladiis, & fustibus, ac contis, cuspidibus, & lanceis inuicem se mactarent, caderentque hinc & hinc, tanquam oues occisionis. Nec se *Arnoldus* interponere curauit pro pace & concordia reformanda: [4] sed suos fautores potius contra partem aduersam animauit. Propter quod accidit, vt pars illa de *Selehofen*, quam fouebat & animavit *Arnoldus*, maius monasterium occuparet, illoque pro castro vterentur contra aduersarios. Durabat hæc dissensio dies multos, & clerus grauiter oppressus contemptus habebatur: quia iam copia maioris ecclesiæ eis concedebatur ad diuinum officium exequendum, non nisi pro illorum libitu laicorum, qui illud temere occupauerant: & iam quidem multi venerabilem *Henricum* conqueruntur mortis debitum exoluisse. Rem refero, fratres, omnibus illius sæculi notissimam. Mors venerabilis *Henrici* multis innotuit: peruenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab Episcopatu eum amouentes se promiserant sequuturos, & ludentes ad alterutrum dixerunt: *Ecce præcessit, suo tempore nos sequemur.* Et ecce transiit tempus breue, & ambo vno die moriuntur. Nam vnus sedens in sede naturæ, vt purgaret ventrem, omnia intestina sua in cloacam eiecit, & animam miserabiliter exhalauit. Alius manuum suarum digitos articulatim abmordens & de ore expuens, deformatis manibus, quasi se ipsum deuorans expirauit. O Deus vltionum, Domine Deus vltionum, h. e. iustum exercens iudicium. Et in his omnibus non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. Audita sunt hæc in terra nostra & fama celebri diuulgata, nec a quoquam aliud dicebatur, quam *benedictus Dominus, qui venerabilis* Henrici *iuste iniuriam vindicauit.* Sic isti dies suos clauserunt. Crescebat autem in malum vehementius odium & pugna ciuium prædictorum. Iam conducuntur de foris auxiliatores milites ab vtraque parte, peruenitur iam ad maiores. Nam quidam comites promissionibus attracti huic prœlio se immiscuerunt. Tractatur ab vtraque parte de sumptibus acquirendis: & pars, quam fouebat *Arnoldus*, festinatum consilium inuenerunt, & vt mutuo acciperent de ecclesiæ ornatu, secretum habuere tractatum. Iam integritas ipsius ornatus in parte est non modica vulnerata. O Cardinales, [5] *carpinales*,* pacem de terra accepistis, & vt homines se inuicem interficiant, vos fecistis. Quodcumque mali prouenit, quæcumque fuerint homicidia perpe-

* Cardinales.

perpetrata, vestra est in causa peruersitas, vestra est iniquitas operata, vt veniat super vos omnis sanguis, qui effusus est, & deinceps effundetur. Ecce in omni terra non est, qui huic malo velit occurrere ad sedandum, sed crescit & intumescit mare istud plenum frementium bestiarum, ventis afflantibus vtique ex inferno. Iam se immiscet *Arnoldus*, qui quum esset Archiepiscopus loci, fautores plurimos acquisiuit in propriæ ciuitatis interitum & iacturam, nolens parcere, vt quidam ei imponebant, nec sexui nec ætati. Propter quod consilium pars aduersa, vt in mortem sui Domini armarentur, iniit. Longo ergo & secretissimo habito tractatu, in proposito scelere se inuicem adhortantes, se roborant & coniurant, tacent & abscondunt quicquid pro sua sit malitia perpetrandum. Sed nihil opertum, quod non reueletur. 6 Per plures enim admonitus *Arnoldus* est & præmonitus, vt se cautius obseruaret. Qui fertur suis monitoribus respondisse: *Canes Maguntinenses mordere non norunt, nec aliquid valent quam latratibus deterrere: a corde carentibus timeantur.* Erat quidam Abbas in claustro *Eberbach* Ordinis Cisterciensis qui ipsum *Arnoldum* pro suis excessibus sæpe literis arguit, & imminentia pericula intimauit. Erat quædam sancta virgo, nomine *Hildegardis*, quæ per spiritum vidit ipsum *Arnoldum* citius moriturum, scripsisse quoque dicitur ei in hæc verba: *Pater, prospice tibi, canibus enim sunt funes abstracti, qui insequuntur te.* Non autem acquieuit monitis 7 aliquorum. Accidit vt in vigilia *Ioannis* Baptistæ post prandium de quodam oppido *Bingen* ciuitati Maguntinensi appropinquaret, ac se in claustro monachorum iuxta muros ciuitatis ad sanctum *Iacobum* in monte specioso, sic enim dicitur, se locaret: & ecce Maguntinenses vsque in crastinum sese armant & condunt, vt quum in ipso die *Ioannis* audita fuerit campana, quilibet sit paratus: & factum est ita. Venit dies, & maturius solito prandent omnes, pulsatur campana, & a maximo vsque ad minimum vniuersa ciuitas congregatur. Præsul *Arnoldus* se iam dederat quieti, & audito campanæ sonitu vltra quam credi possit vehementer expauit, & timor irruit super eum, amissoque rationis gubernaculo quid posset facere ignorabat. Obstruxit autem repagulum, & lapidibus & lignis, quibus poterat, ianuas omnes monasterii memorati. Turba autem turbata ex aduerso omnes portas & fenestras, vel quoscunque alios exitus obseruabat, ne euaderet, quem quærebant. Iam ignem ad officinas admouebant: vix & cum multa difficultate monachi recessum obtinuerunt: & dum monasterium fumo plenum, flammisque per circuitum premeretur, ipse Præsul turrim monasterii ascendens, misericordiam deprecatur, & si quem offendisset verbo vel facto, satisfacturum se suppliciter pollicetur. Sed turba viso Pontifice clamare cœpit furiose, nec poterant supplicantis verba præ tumultu turbatæ turbæ intelligi vel audiri. Sed admoto igne ad turrim, in qua stabat, ipsum de turri descendere compellebant: flamma iam monasterio dominatur. Videns ergo monachos obtenta securitate abscedere, tentat, si forte & ipse cum eis & inter eos possit euadere: assumpto itaque habitu monastico occultari tentat, vt & ignem, qui inualuerat, & gladium euaderet, quem timebat. Apertis ecclesiæ valuis cum monachis fere abscesserat: sed a quodam est cognitus & detentus infelix. Quidam primo gladium vibrans collo Episcopi immersit. Alter in fronte eius percutiens mucrone ab aure vsque ad aurem, superiorem partem capitis ad inferius diuisit. Sicque actum est, vt alii contis, alii fustibus, alii gladiis, 8 alii lapidibus mactantes, solo tenus præcipitarent. Iacentem sic & vulneribus & sanguine deformatum vulgus nequam & peruersum vestibus spoliarunt, quidam annulos de digitis abstulerunt. Reliquiæ quædam, quas collo pendentes solitus erat ferre, ab aliis sunt ablatæ. Hæc autem circa horam nonam parum ante vesperas sunt peracta, nec poterant clerici ab ipsis malefactoribus aliquatenus obtinere, vt saltem occisus in loco traderetur debito sepulturæ. Sic ergo iacebat in campo super fossam ciuitatis, vbi canum & luporum transitus habebatur, desiderantes eum & ab huiusmodi bestiis deuorari. Tribus diebus sic nudus toto corpore manens, veniunt aliquæ maledictæ feminæ, caseorum, & ouorum, atque olerum venditrices, mercatrices, meretrices, saxisque

saxisque dentes Pontificis contuderunt. Aliæ vero stipites ardentes, & titiones fumantes eius gutturi infixerunt, adiicientes linguis & labiis maledicta. Post diem tertium Canonici *S. Mariæ* ad gradus, iam incognoscibilem & fœtentem furtim sublatum, deferunt in ipsam ecclesiam, lachrymosis suspiriis sepeliendo. O furiam Maguntinam, o maledicta gens, dura corde, gens immitis, gens intractabilis, gens indomabilis, gens iniqua, inuisa cælo & terræ. Impia in Deum, seditiosa in inuicem, temeraria in sancta pace, quam nemo neminem honorantem honoret, nemo neminem amantem amet, nemo, &c. Væ tibi infelix Maguntia, quæ proprium patrem mactas, vt te in superbiam ponas, & parias genimina viperarum. Acta sunt hæc anno millesimo centesimo sexagesimo. O Cardinales, huius rei vos estis initium. Venite ergo, venite, haurite nunc, & ferte architriclino vestro diabolo, eique offerte cum ea, quam deglutistis, pecunia etiam vosmetipsos. 9

III

(1) Arnoldo *trucidato*, Rudolfus Zæringensis *a populo intruditur*; (2) *brachium de cruce* Benna, *pro obtinenda confirmatione, aufert*; (3) *a Pontifice repudiatur*; (4) *Maguntia omnibus priuilegiis, iuribus priuatur, mænibus nudatur.*

PErpetrato hoc scelere aliud sibi curare satagunt, nullam clericis, quorum intererat eligendi potestas, licentiam concedentes. Assumptoque quodam *Rudolpho* cognomine *Clobelauch*, fratre *Friderici* Ducis Zeringiæ, in sedem collocant, adhuc occisi Præsulis sanguine fumigantem. Hoc autem factum est, vt possent vltionem Imperatoriam, quam meruerant, euitare. Erat enim idem *Rudolphus* vir potens, amicus ipsius Imperatoris, consanguineus propinquus. Hic pro inuestitura regalium & consecratione sua, ac pallio acquirendo, quod est pontificalis honoris insigne, consultans ac pertractans, quando sumpta non habentur in promptu, vnde possint res huiusmodi acquiri, quibus in honore suo acquisitis dignitas obtineri, & obtenta valeret conseruari: & ad nutriendum ignem sumptuosæ ambitionis, quasi lignorum struem, secretiores consiliarii consilia subministrant. Thesaurus ecclesiæ nimius & inutilis perhibetur: quid enim grues argenteæ ad fumigandum altare? posset & ecclesia tota thurificari thuribulis cupreis abundanter. Item, ad quid calices aurei & gemmati tantæ quantitatis, vt in eis non valeant diuina mysteria celebrari? Hæc & similia consilia placuerunt. Quæ eo poterant facilius & citius adimpleri, quo percusso pastore grex dispersus, iam abierat vagabundus. *Rudolphus* ergo iam dictus Episcopus nominatur, disponensque itineri suo brachium ab illa magna cruce, de qua supra mentionem fecimus, quæ *Benna* vocabatur, ad vsus necessarios amputauit: fideliter promittens, se reparaturum brachium æqualis ponderis & valoris, si peracto negotio prosperum iter ei faceret Deus. Proficiscitur versus Romam, sed præuolauerat fama ad curiam, quæ facta fuerant manifestans: & Papa tactus dolore cordis intrinsecus de morte crudelissima Archiepiscopi, & de infamia intrusionis *Rudolphi* per manum laicam, & eorum maxime, qui crimen homicidii perpetrarunt: ipsam intrusionem, intrudentes cum intruso excomunicationis anathemate condemnauit. *Rudolphus Clobelauch* ad curiam non peruenit, inque via diem clausit extremum, proculdubio eius crucifixi occisus brachio, cuius ipse brachium amputarat. De thesauro hoc sciatur, quod qui olim affluxit, nunc velocius auolauit. Magna eius pars Imperatori creditur affluxisse, pars ab aliis ablata, pars Iudæis pignore obligata: pars furtim subtracta: dispersi sunt lapides sanctuarii, non quidem in capita platearum, sed in bursas furantium. Quæ vindicta sequuta sit mortem Domini *Arnoldi*, hic credimus non tacendum. Ab Imperatore proscripti perpetuo exilio sunt damnati, hi scilicet, qui manu nefanda ipsum facinus perpetrarunt: ipsa ciuitas omnibus iuribus, & libertatibus ac priuilegiis perpe- 1 2 3 4

perpetuo est priuata. Murus, & fossatum, & aliæ turrium munitiones sententialiter condemnata, & destructa funditus & euersa, ita vt ciuitas ipsa deinceps lupis & canibus, furibus & latronibus pateat peruia: nec vnquam reædificandi habeat facultatem: insuper & plebs ipsa perpetua infamia subiaceat, totius deinceps exors gratiæ & honoris: destructæ etiam sunt munitiones ipsius ecclesiæ in diuersis locis, & ecclesia multipliciter afflicta.

IV

(1) Conradus I *cathedrae Moguntinensi imponitur*; (2) *Cæsari aduersatur*; (3) *fugit ad Papam.*

1 2 SVccessit post hoc Dominus *Conradus*, Imperatoris consanguineus, de Bauaria oriundus. Sed suscitauit diabolus inter Imperatorem & Archiepiscopum immortales inimicitias, quia erat adhuc misera ecclesia Maguntinensis amplius castiganda. Causam huius discordiæ longum esset enarrare, ideo prætermitto, nam & præsentem materiam non contingit. Dominus itaque *Conradus* Imperatoris non habens gratiam, exul & profugus fugit, 3 Romam venit, ibique Imperatori quicquid mali poterat fabricauit. Papa pro quadam causa Imperatorem excommunicauit: ortumque est graue schisma inter ecclesiam seu clerum & Imperium. In his omnibus Dominus *Conradus* fuit Imperatori aduersarius capitalis. Sic ergo iterum ecclesia Maguntinensis Patris spiritualis est solatio destituta. Non erat, qui clericos in ipsa diœcesi ordinaret, chrisma consecraret, pœnitentes admitteret, moniales velaret, capellas & ecclesias consecraret. Hæc omnia mala ob venerabilis *Henrici* ab Episcopatu amotionem, cuius supra memoriam fecimus, pullularunt. O misera ecclesia Maguntinensis quid pateris? o lugubre & amarum poculum, quod tibi ira Dei miscuit ad potandum.

V

(1) Christianus I Conrado *surrogatur*; (2) *Cæsarem & Papam in concordiam reducit*; (3) *fato suo fungitur.*

1 VIdens Dominus Fridericus Imperator durum sibi fore, & contra Papam & Archiepiscopum certamen gerere, Domino Conrado aduersarium suscitauit. Instituit ergo Dominum *Christianum* quidem curiæ Cancellarium, loco Domini *Conradi* Bauari, virum vtique miræ prudentiæ, in rebus ambiguis & arduis subtilissimi consilii & velocissimi inuentorem. Erat etiam vir miræ patientiæ in aduersis. Nulla in prosperis superbia extollebatur, vultus benignitate omnibus gratiosus, & alias honestis moribus adornatus. Hunc ergo quia tam ecclesiasticarum quam sæcularium personarum fauorem cognouit habere, constituit Episcopum Maguntinensem. Durauit hoc schisma annis XVIII. Tandem Dominus *Christianus* se interponens inter Papam 2 & Imperatorem, ambos ad concordiam reuocauit. Actumque est de Episcopatu Maguntinensi, vt Dominus *Christianus* Archiepiscopatum Maguntinensem obtineret pacifice & quiete, & Dominus *Conradus* Saltzburgensem Archiepiscopatum accipiens gubernaret. Erat etiam in ipsa ecclesia a puero enutritus. Quieuerunt mala per tempus modicum, & Dominus *Christianus* obiit. Obiit autem iuxta Romam. Grauiter ægrotauit, vi- 3 cinus erat summus Pontifex, qui Episcopum vt proximaret, paternis literis hortabatur. Quumque Papa ad Archiepiscopum peruenisset, sed languor in tantum præualuerat, vt Patri sancto assurgere non valeret. Facta ergo confessione summo Pontifici, de manu eius communicationem sanctam accepit, aliaque ecclesiæ sacramenta; & Dominus Papa facta & dicta indulgentia in pace abiit, & Dominus *Christianus* Deo animam reddens, mortem obiit.

obiit. Audita morte Domini *Christiani* Imperator intime doluit, & vniuersa eius curia, & omnes, quotquot intellexerunt, grauibus suspiriis sunt turbati. Rursum etiam misera ecclesia Maguntinensis plorans plorauit, quod dolor eius renouatus est.

VI

(1) Conradus I *ad sedem redit*; (2) *Clero imponit tributum*; (3) *adem maiorem incendio deuastatam reficere incipit*; (4) *qua posthac venti immanis corrumpitur turbine*; (5) *contra Saracenos proficiscitur*; (6) *redux patriam bello reperit conturbatam*; (7) *moritur*; (8) *Duce Bauaria defuncti thesauros auferente.*

POst hæc Principes quidam Dominum *Conradum* Saltzburgensem Archiepiscopum, Imperatoris recuperata gratia reformant, ita vt ipse Imperator eundem Archiepiscopum *Conradum* ad Maguntinensem ecclesiam redire postularet, quod ipse Dominus *Conradus* maximo desiderio affectabat. Suscipitur ergo Dominus *Conradus* in ecclesia Maguntinensi, tanquam fuisset angelus Dei. In continenti autem postea grauem ponebat exactionem in clerum, & mirati sunt vniuersi, & omnes qui audiebant, dicebant: *Qualis est hic, qui tributarium facit clerum?* Sed conualuit hæc pressura, & ex in hoc suis deinceps successoribus relinquebat. Modico tempore post Imperator *Fridericus*, dum transiturus esset riuulum paruulum, qui pedibus poterat transmeari, impetu aquæ quasi submersus est. Ipse dicebatur fuisse aliquantum grauis venerabili viro Domino *Henrico* Archiepiscopo, & ad ipsius depositionem occulte consilium ministrasse. Huic filius suus *Henricus VI* successit, quieuitque terra a prœliis. Iam sperabat ecclesia Maguntinensis post tot calamitates, miserias, pressuras, iacturas, ærumnas, fletus & vulnera in statum surgere potiorem, & pastoris proprii protectione & præsentia consolari. Sed adhuc diuina hoc vltio non admisit. Nam ignis egressus de foro fæni, quem veniens ventus ab oriente detulit super templum, combustaque ecclesia, & libri multi & boni, priuilegia quoque multa, & valde vtilia sunt consumpta, etiam pars ornatus magna partim ignibus deuorata, partim per asportationem subtracta. Venerabilis autem Pontifex Dominus Conradus nouam monasterii fabricam inchoauit, sed non consummauit. In his omnibus nec clerus a suis se lasciuiis temperauit, nec laici a sua malitia respirarunt. Post paucos annos ventus veniens ab occidente pinnaculum templi deiecit. Erat autem ligneum & super ciborium antiquum collocatum. Cum tanto autem impetu in ipsam structuram ventus irruit occidens, vt quasdam trabes in Rhenum mitteret, quasdam vltra Rhenum ad miliare iuxta villam *Hochheim* in aere deportaret. Certissimum a multis famabatur, quod non ventus, sed diabolus hoc fecisset. Erant enim trabes quercinæ & abiegnæ, quantitatis illius, quæ in torcularibus solent esse. Ego memor sum, istud vltimum accidisse. In omnibus his non est auersa ira Domini, sed adhuc manus eius extenta. Post hæc iter cœpit idem Archiepiscopus transfretare, & de manibus Sarracenorum eripere terram sanctam, atque restituere cultui christiano: seipsum & alios multos cruce signauit, mare transiuit, fere tribus annis militans Domino in partibus transmarinis. Circa finem anni tertii *Henricus* moritur Imperator: heu heu, væ terræ de partibus Hierosolymitanis. Redit Archiepiscopus, terram reperit desolatam incendiis & rapinis. Nusquam enim vbi Rex non est, gubernator vel potens, non potest a populo pax haberi. Desideratur ab omnibus *Conradi* Archiepiscopi aduentus, & ecce venit desideratus, & terram inuenit prœliis & incendiis conturbatam, studebatque omni desiderio pacem terris, & quietem prouinciæ reformare: & hoc fecisset, si mortis debitum non soluisset. Graui enim ægritudine fatigatus, & cum de die in diem se conualescere

speraret, subito & insperata morte præuentus Deo spiritum reddidit MCC.

7 Audita morte Archiepiscopi Dux Bauariæ filius fratris eius, omnem thesaurum & ornatum, quem in casulis, & infulis, & cappis habuit copiosum, & ecclesiæ donare deposuerat Maguntinensi, abstulit violenter: quod tamen Deus non reliquit inultum. Nam & ipse Dux post multum temporis interfectus, turpiter interiit, neque corpori Christi participans, neque regno, vt existimatur. Equidem iuste satis superque satis, vt qui beatum *Martinum* debito sibi decore spoliauerat & ornatu, ipse quoque cælesti ornatu & gloria priuaretur. O altitudo & profunditas iudiciorum iusti iudicis Dei, terribilis in consiliis super omnes filios hominum.

VII

(1) Conrado *mortuo,* Sifridus I & Lupoldus *de Sede Moguntina contendunt*; (2) *quorum hoc post Cæsaris* Philippi *cædem exturbato, ille rerum potitur*; (3) *ecclesia Moguntina varie misereque adflicta.*

1 IMperator abierat, & surgunt duo Reges pro Imperio litigantes: non est, qui a malis imminentibus se abscondat. Maguntinensis Archiepiscopus non est, & duo pro eo, quis eorum fiat maior, decertant. Ex vtraque parte amici & fautores promissionibus & muneribus acquiruntur. Et turpe est dicere, ipsi clerici electores simoniæ vitio maculantur, & multiplicantur mala super terram, & scinditur ecclesia Maguntinensium. Qui vni adhærent, cum eo recedunt: alii remanent cum altero. Sufficere poterat ad desolationem terræ vnum schisma. Sed funes peccatorum dupliciter circumplexi, difficilius dissoluuntur. Peruertunt cuncta simul hæc duo schismata iuncta, Regum, Pontificum, nec nouit amicus amicum. Vna pars, quæ remanserat, Canonicorum cum suo electo excommunicatur. Sed ipsi hanc excommunicationem se simulantes ignorare, diuina celebrare non omittunt. Durauit hæc contumacia annis VIII. Contigit post hæc, vt Rex *Philippus*, qui

2 fouebat hanc partem interdictam, occideretur in ciuitate Bambergensi, & hæc pars debilitata est, atque fautores alterius Episcopi, qui de ciuitate exierant, conualuere, anno Domini millesimo ducentesimo octauo. Principes post mortem *Philippi* Regis in *Othonem* conueniunt, qui fuerat aduersarius *Philippi* pro Imperio, cuius parti etiam Papa fauebat. Iste *Otho* maturauit ad Papam venire pro Imperiali consecratione: solenniter proficiscitur, consecratur: post annum excommunicatur. Eique filius *Henrici* Imperatoris, Rex Siciliæ *Fridericus* suscitatur a Papa: redeunt mala, surgunt incendia, spolia reuiuiscunt. *Fridericus* venit de Apulia contra *Othonem*: post annos aliquos *Otho* moritur. *Fridericus* dispositis pro vt melius potuit rebus, Romam proficiscitur, in Imperatorem consecratur, anno Domini millesimo ducentesimo vicesimo, ab *Honorio* Papa. Quo mortuo *Gregorius* Papa succedit. Hic etiam *Fridericum* excommunicauit, lætantur prædones, & ex-

3 ultant lictores capta præda. Conuertuntur vomeres in gladios & falces in lanceas, non est, qui in latere non deferat chalybem & lapidem in præparationem incendii, & in exustionem: omnia mala confluunt specialiter super ecclesiam Maguntinensem, & maxime circa partes Rheni de ciuitate Spirensi vsque Coloniensem.

(1) Sifri-

VIII

(1) Sifrido I *succedit fratris filius*, Sifridus II; (2) Friderico II *aduersatur*; (3) *opes ecclesiæ disperdit*; (4) Henricum *Thuringum Regem facit contra* Fridericum; (5) *eoque mortuo, Hollandiæ Comitem* Wilhelmum; (6) Obit.

POst mortem Domini *Sifridi* Archiepiscopi Maguntinensis senioris succedit dominus *Sifridus* fratris eiusdem filius: hic duobus annis laudabiliter vixit: sed quia elati cordis erat & superbiæ magnæ, nimis se contra *Fridericum* Imperatorem erexit, non quidem vt diuinam, sed papalem gratiam obtineret. Graui etenim infamia non solum apud Papam, sed & apud omnes homines laborabat. Hic ergo vultum & animum leonis induens, leo factus est, & cœpit orphanos & viduas facere, villas comburere, ciuitates destruere, homines deuorare, terram in desertum deducere, & Papæ mirifice complacere. Et quia iam inquisitionis literas contra Episcopum dederat, ex his factis *fratrem venerabilem* appellabat. Hic *Sifridus* Episcopus malum opus operatus est, qui per flammam ignis terram depauperauit, & thesauros ecclesiæ ablatos prædonibus dispersit, dedit raptoribus, iustitia eius non manet in sæculum sæculi. Is itaque Landgrauium Thuringiæ in Regem eligi procurauit: sed breui viuens tempore, & regnum & animam resignauit. Interea *Gregorius* Papa moritur, sedes vacat annis duobus vel tribus. Huic autem Papæ succedit *Innocentius* quartus, qui in concilio Lugdunensi contra *Fridericum* Imperatorem depositionis sententiam promulgauit. Mortuo Landgrauio Rege *Wilhelmus* Comes Hollandiæ in Regem eligitur tantum ab Archiepiscopis Maguntinensi & Coloniensi. Post breue tempus dominus *Sifridus* Archiepiscopus etiam rebus valedicit humanis, abiens in regionem longinquam, nec tamen ideo cessant mala.

IX

(1) Sifridi *in locum* Conradus Coloniensis *postulatur*; *sed a Pontifice reiicitur*; (2) *inde eligitur* Christianus II; (3) *qui postea, tanquam inutilis Episcopatui accusatur*; (4) *dignitate submouetur.*

COnuenerunt ergo fratres ecclesiæ Maguntinensis tractantes de patre futuro, persuasi qui posset ipsam tot & tam grauibus oppressam miseriis, & tanto tempore iam plorantem paternis affectibus consolari, & concorditer in venerabilem virum Dominum C. Coloniensem Archiepiscopum vota sua transtulerunt, postulantes a sede Apostolica, ipsum sibi præfici in pastorem: sed, heu heu, hoc non poterat obtineri, non est hæc postulatio admissa, sed electio Capitulo restituta. Et ne Archiepiscopus Coloniensis ægre ferret suum desiderium non completum, ipsi legationis dignitas est commissa. Consedere rursum fratres ecclesiæ Maguntinensis, eligunt suum Præpositum, nomine *Christianum*, qui a cunabulis fuerat in ipsa ecclesia enutritus. Eadem die est a legato, qui tunc erat præsens, confirmatus, & a Rege regalibus inuestitus die *Petri* & *Pauli*. Omnia hæc acciderunt vno anno, scilicet, quod Dominus Coloniensis est postulatus, quod factus est legatus, quod Dominus *Christianus* factus est Episcopus & consecratus, quod pallium est assequutus. Omnes religiosi, & qui Deum præ oculis habere credebantur, super huius hominis promotione gaudebant, sperantes pacem rebus dari maxime, quia idem bellicis rebus non fuerat assuetus: etiam qui negotio fuerant inimici, congratulantur ei. Sed non stetit diu in Episcopatu: accusatur enim apud Papam, quod omnino inutilis esset ecclesiæ, & quod euocatus ad expeditiones Regis inuitus veniret. Hoc autem verum erat, eo quod fierent incendia, sectiones

 vinearum,

vinearum, deuaſtationes ſegetum. Dicebat etenim, nequaquam decere talia ſacerdotem. Sed quicquid deberet per gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei, omnimode ſe promptum aſſerebat, & voluntarium ſeruitorem. Quumque eius prædeceſſorum ſequi veſtigia moneretur, reſpondit: Scriptum eſt, ***Mitte gladium in vaginam.*** Ob hoc in odium Regis & multorum incidit 4 laicorum. Qui omnes eum accuſantes, apud Papam obtinuerunt eum ab Epiſcopatu omni ſubmoueri. Ceſſit ergo anno Domini MCCLI.

X

(1) Chriſtiano II *ſurrogatur* Gerhardus, *Comes Silueſtris;* (2) *legatis Cardinalibus pecunia corruptis.*

1 2 SVbſtitutus eſt autem ab eodem legato adoleſcens Subdiaconus ***Gerhardus*** nomine, filius comitis ***Conradi***, qui dicebatur ***Sylueſter Comes***. Hunc autem ſubſtituit Cardinalis Presbyter & legatus inductus a quodam ***Henrico*** Archiepiſcopo Herburgdunenſi, qui ſocius erat ipſius legati: nec tamen hoc ipſe ***Henricus*** Archiepiſcopus conſuluit ſine cauſa: acceperat enim occulte CC marcas pecuniæ numeratæ a ***Gerhardo***, quem idem Archiepiſcopus inſtitui procurauit. Nihil opertum quod non reueletur. Præter has autem CC marcas factæ ſunt deſtructiones multæ eccleſiæ Maguntinenſis.

CONRA-

CONRADI VECERII
DE
REBVS GESTIS
HENRICI VII
IMPERATORIS
LIBELLVS.

* * *

QVi hunc *de rebus gestis* HENRICI VII *Imperatoris* edidit libellum, CONRADVS VECERIVS, gente fuit Lucelburgensis, vt in prooemio opusculi ipse indicat; muneris vero dignitate *Maximiliani I* & *Caroli V* Imperatorum a secretis *; litterarum denique, quae humanitatis veniunt appellatione, haud plane imperitus; quin lingua manuque praestabilis **, ob eamque rem viris ista aetate eruditionis laude florentibus, *Hieronymo* praecipue *Buslidio* †, familiaris.

* Vid. *Miraeus* de Scriptoribus saeculi XVI p. m. 132, *Vossius* de Historicis latinis lib. III cap. X p. m. 651, *Mallinckrot* de Cancellariis & Vicecancellariis Imperialibus p. m. 421. Neque enim hic audiendi sunt *Schurzfleischius* ac *Ofius*, viri ceteroquin doctissimi, quorum *ille* ipsum *Henrici* ipsius a libellis fuisse dicit epist. DXLI tomi I p. m. 652; *hic* vero *Caroli IV*, annotat, ad *Albertini Mussati* historiam de gestis *Henrici VII* lib. I rubr. I p. 16.

** Vnde *Valerius Andreas Desselius* Bibliothecae Belgicae p. 141: *Vir non minus gnarus polite, belle, graphice excepta notare, quam ex tempore concepta bene, ornate, copiose dicere.*

† Vid. *Miraeus* l. d. vbi simul prodit, *Buslidii* ad *Vecerium* epistolas αὐτογράφους suo tempore Louanii apud *Valerium Andream* adseruatas fuisse.

Floruit adhuc an. MDXXIII, eoque laudationem funebrem *Hadriani* Papae *VI* honori memoriaeque scripsit, Coloniae Agrippinae typis vulgatam.

Erat enim inter clientes illius, ac peculiarem etiam *de aduentu* eius *ad vrbem* libellum confecit. *Sagittarius* cap. XXVI introductionis in historiam ecclesiasticam § LXXI p. 699.

Caussas, quibus inductus historiam hanc conscripserit, ipse loco dicto his explicat verbis: *Has res ego mecum etiam atque etiam reputans, quanquam non ignorabam, propensiorem illico fore lectorem ad carpenda quaeque recentia, quam comprobanda: sperare tamen coepi, fieri posse, vt quum singularem Regem describendi caussa iustis rationibus assumptum cognouisset, institutum nostrum boni consuleret. Namque & res dignae videbantur, quae referrentur in litteras, & extabat, qui ante nos id fecisset nemo*, quod equidem nouerim. Tum necessitudo patriae me vel maxime impulit, non ea quidem, vt Principis nostri facta plus aequo praedicarem, sed quae apud varias sparsim gentes & barbaris*

linguis

linguis & per partes legi compereram, in corpus libri cuiuspiam latini possem redigere; omni interim soli natalis affectione seposita.

* Non est, quod notem, doceamque, quam putide prorsus hic falsus sit *Vecerius*. Notauit enim id iam pridem apertissime *Difenbachius*, vt ex adnotatione infra § I adiecta patet.

Quamuis autem dicat, in vnum se redegisse corpus, quae apud varios, barbaris linguis, & per partes inuenerit, fere tamen nil aliud praestitit, quam quod Italica *Ioannis Villani* veste donauit latina, vt praeter *Spondanum* (ad an. MCCCVIII p. 306) illustres *Gundlingii* fratres iam monuere; *Nicolaus Hieronymus*, Gundlingianor. fascic. V obseruatione II § XLIII p. 479, *Iacobus Paulus*, praefatione in vitam *Henrici VII* § IX n. 11 p. 19. Certe nec historiarum peritus admodum fuit, nec a subsidiis ad scribendam hanc historiam satis instructus; quamuis singularibus paratum fuisse velit *Ioan. Christianus Neu* sect. IX Mantissae ad *Degorei Wheari* Relectiones hiemales p. 161.

Saepius interim hic, quem conscripsit, libellus prelum fatigauit. Primum quidem Hagenoae an. MDXXXI, cum scriptiuncula *de duabus Siciliae seditionibus*, typis exscriptus Setzerianis. Tum bis Basileae, initio, anno MDXXXII cum Witichindo Corbeiensi; dein an. MDXLII. Post a *Reubero* huic insertus volumini an. MDLXXXIV Francofurti ad Moenum; & anno sequenti MDLXXXV itidem Francofurti a *Christiano Vrstisio*, in tom. II scriptorum, quos edidit, rerum Germanicarum redactus. Helmaestadii vero eodem anno cura *Reineri Reineccii*, vna cum *Caroli IV* de vita sua commentario, & *Ioannis* Archiepiscopi Pragensis oratione in obitum Imperatoris modo dicti, Caroli scilicet IV.

Eadem vero, qua olim, hic prodit facie, nisi quod hic illic inspersae sint nonnullae adnotatiunculae, ex *Osio*, *Pignorio*, aliisque excerptae: quas beneuolis lectoribus hoc minus ingratas fore iudicaui, quo apertius ad noscendas auctoris hallucinationes faciunt.

Certum quanti aliis videatur, breuibus subiungendum.

Martinus Difenbachius

Dissertat. de vero mortis genere, quo *Henricus VII* Imp. obiit, sect. II § XIV p. 209.

Scriptor & ab Henrici *temporibus remotus, praeterea non ita accuratus, cuiusque libellus de rebus gestis Henrici VII*

Impe-

Imperat.—— *& nimia breuitate & exiguo rerum, quas recenset, pondere, ad mediae aetatis historicos fere accedit, inter quos non esse, quem pro mediocri historico laudet, dicit Lipsius.*

Nicolaus Hieronymus Gundlingius

Gundlingianor. fascic. I obseruatione VII § II p. 169 & 170:

Conradus Vecerius, *qui saeculo XV vixit, & Caesaris huius magnanimi vitam scribere conatus est, ingenue tandem,* vxor, *inquit,* illi quae, cuiasque fuerit, itidem prope in ambiguo est. *Rerum historicarum non admodum gnarum fuisse oportet, cum ne quidem gentem Lucenburgicam, e qua genus traxit Heros illius, nouerit. Dicit,* qui maiores ipsius fuerint, aut omnino parentes, *se,* quamuis curiosa inuestigatione, *cognoscere nequiuisse. Beneuolus lector hinc satis intelligere potest, quam paupertinus scriptor fuerit* Vecerius, *quod ne quidem res hasce exiguas indagare potuerit. Nil fere ex eo disci potest, quam rerum in Italia series ac progressio. Reliqua, quae narrat, omnia erroribus haud leuibus permixta sunt.*

I

HISTORIAM quiſquis aggreditur ſcribere, eam maxime virtutem tacite polliceri videtur, vti fide nitatur aſſertio: puſillumque intereſt, munuſne commemorandi res geſtas, integritatis ſuæ conſcius vltro quis ſuſcipiat, an publicandorum poteſtatem actorum Cæſaris permiſſu nanciſcatur. Atque eo magis, quod hunc quum ſeligit Princeps, non illud agit, vt bonum grauemque velit efficere (quis enim, præter immortalem Deum, cuiquam probitatem conferat?) ſed quo veracem videri iniunctione mandati teſtetur. At hiſtoricus vt primum res memorandas commendare poſteritati decreuerit, primum omnium de moribus ſuis ipſe videtur iudicium facere, ſeque eum promittere, qui & fideliter & accurate cogitata prompturus ſit. Has res ego mecum etiam atque etiam reputans, quanquam non ignorabam, propenſiorem illico fore lectorem ad carpenda quæque recentia, quam comprobanda: ſperare tamen cœpi, fieri poſſe, vt quum ſingularem Regem deſcribendi cauſa iuſtis rationibus aſſumptum cognouiſſet, inſtitutum noſtrum boni conſuleret. Namque & res dignæ videbantur, quæ referrentur in literas, & extabat, qui ante nos id feciſſet, nemo, quod equidem nouerim*. Tum neceſſitudo patriæ me vel maxime impulit, non ea quidem, vt Principis noſtri facta plus æquo prædicarem, ſed quæ apud varias ſparſim gentes & barbaris linguis, & per partes legi compereram, in corpus libri cuiuſpiam latini poſſem redigere: omni interim ſoli natalis affectione ſepoſita: alioquin nec veterum cuiuſquam acceptanda eſſet induſtria: qui quum Regum res maximis voluminibus poſteritati traderent, eorum ipſorum tamen, quos perſcribebant, & clientes & populares habebantur: adeo quæ ex officio gerimus, ab iis, quæ forte priuatimque fiunt, diſtinguuntur. Nunc ad inceptum redeo.

* *Diefenbachius* diſſertatione *de vero mortis genere, quo* Henricus VII *obiit*, ſect. II § XIV p. 210; *Id opido falſum, quum* Albertinus Muſſatus *duobus fere ante* Vecerium *ſæculis idem XVI libris præſtiterit, quod vel ex aliorum citatione cognitum* Vecerio *eſſe potuiſſet, aut certe debuiſſet.*

II

QVi maiores Imperatori *Henrico*, aut omnino parentes fuerint, quamuis curioſa veſtigatione cognoſcere non potui: ſed & vxor illi quæ cuiaſque fuerit, itidem prope in ambiguo eſt (*a*). Ipſe, quod conſtat, Luceburgiæ Comitatum hereditate obtinuit, Romam(*b*) profectus, & *Baldeuino* fratri Treuirenſis eccleſiæ Archiepiſcopatum confecit, & ſummis Antiſtitibus ac bono cuique ſapientiæ & comitatis ingens argumentum edidit. Fuit olim Luceburgia Treuirorum portio, idque vt credam, propinquitate locorum adducor. Hanc poſtmodum *Henricus* Romano admotam Imperio, Ducariæ dignitatis inſignibus exornauit(*c*). Situs eius ab Arduennæ ſiluæ termino, quatenus hodie appellationem obtinet, ad Moſellam fluuium, cuius amnis Burdegalenſis *Auſonius* carmine ſatis prolixo meminit; finitimarum ditionum his limitibus cingitur, Gallico, Lotharingo, Metenſi, Treuirico, Iuliaceno, Leodio. Oppida non amplius nouem, maior quondam numerus. Sed cum & pia, vt aiunt, *Henrici* liberalitas, tribus municipiis Sareburgo, Vitelliaco, & Treuirorum maximo templo donatis(*d*), & Gallica bella coarctarunt. Gens potiore ex parte Germanica, regione tamen Gallicam ſpectante eius quoque nationis moribus linguaque vtens.

(*a*) Puderet ſcribere, *Conradum Vecerium*, ——quinam *Henrici VII* pater extiterit, ignoraſſe, niſi ſuam ipſemet inſcitiam apertis quod dicunt, tibiis falſus eſſet, operis ſui *de rebus ab Henrico VII Cæſare geſtis* veſtibulum ſic exorſus; *Qui maiores* cet. Hæc ille, hac in re plane peregrinus & hoſpes, vti, lector, cum admiratione vides. Ita *Oſius* annotat. In lib. I *Muſſati* de geſtis *Henrici VII* rubr. II p. 27.

Non leuiter admirati sumus in superioribus, ignotos fuisse *Vecerio* maiores & parentes *Henrici VII*, cuius ille vitam edidit, mirari nunc par est magis, ab eodem scriptum, quæ cuiasque fuerit illius vxor, itidem in ambiguo esse, quamuis hoc ipsum a se curiose indagatum scribat. *Idem* l. d. ad rubr. III p. 93.

(*b*) Legerem longe libentius, *in Galliam*. Ita ad hunc locum idem *Osius* l. d. rubr. III p. 107.

(*c*) Male. Nepos enim *Henrici*, *Carolus IV*, Comitatum hunc anno demum MCCCLIV, III Id. Mart. Ducatus ad dignitatem euexit. Notauit id similiter *Osius* l. d. ad rubr. II p. 17 & seq.

(*d*) *Brouuerus* lib. XVII *annal. Treuir.* § XLIII p. 196; Neque interim a fide quidquam alienius tradi potuit, quam quod cohonestandæ Luxenburgicæ genti nonnemo prodidit, eius liberalitate tribus nimirum municipiis, *Sarburgo*, *VVilichio*, & tertio, quod non expressit, Clerum primarium & Episcopos donatos, quorum omnino nihil in Henrici vnquam fuit potestate. Luculentum ea de re scriptum extat *Ioannis* Bohemiæ Regis, & Lutzelburgiorum Comitis, cuius forte pertenuis notitia ad commendationem inanis muneris autorem impulit. Ioannes quippe cum Balduino patruo hoc ipso anno (MCCCXIII) circa quartum Nonarum Februarii Vesaliæ degens palam professus est, neque se neque suos vllo prorsus colore quidquam iuris aut legis vsurpare posse in *Mailbergii* & *Saraburgi* castrorum possessionibus, aut in aduocatione *VVittelichiana*, quæ a *Vinstingia* gente quæsita, aut iis denique fundis, fiduciariisque prædiis, quorum *Arnoldus*, *VVernerusque Rolandrii* vsum fructum in vita cepissent. Et quo ne posteris successoribusque disceptationis quicquam sit reliquum, id ipsum quodcumque ius, quod iure iniuriaue sibi vindicarint, *Balduino* patruo, eiusque successoribus omnibus, hisce tabulis velle remissum atque condonatum.

III

HAec de *Henrici* origine patriaque tametsi pauxilla, tenuitatem confesso præmittere placuit. Quanquam non me præterit, circumferri iampridem libellum vernacula lingua conscriptum, *de feminæ* Melyssinæ præstigiis, octauo quoque die pubetenus in anguem commutari solitæ. Quam inter maiores Septimi nostri connumerare nituntur(*a*). Eum vt nec approbare, ita nec refellere animus est. Quur enim non veneficia fieri posse concesserim, dum si tradantur vt veneficia. Quis enim non illa fascina legens obstupescat, neque tamen protinus tanquam conficta repudiet?

Ouid. Metamorphos. 14.

Scylla venit, mediaque tenus descenderat aluo,
Quum sua fœdari latrantibus inguina monstris
Aspicit, ac primo non credens corporis illas
Esse sui partes, refugit, &
Cerbereos rictus pro partibus inuenit illis.

Sed a fabulante poeta eos versus exaratos obiicies. Historiam accipe:

Virgil. Aeneid. 4.

Hæc se carminibus promittit soluere mentes,
Quas velit: ast aliis duras immittere curas.
Sistere aquam fluuiis, & vertere sidera retro,
Nocturnosque ciet manes, mugire videbis
Sub pedibus terram, & descendere montibus ornos.

Alius quoque eiusdem professionis scriptor* hunc in modum cecinit:

* Lucanus lib. 6

Mens hausti nulla sanie polluta veneni,
Incantata perit.

Libet & testimonium quanquam non admodum diffinitum, vnius e nostris sapientibus afferre in medium. *Hæc vel falsa sunt*, inquit diuus pater *Augustinus**, *vel tam insusitata, vt merito non credantur.* Firmissime tamen credendum est, omnipotentem Deum omnia posse facere, quæ voluerit, siue iudicando, siue præstando: nec dæmones aliquid operari secundum naturæ suæ potentiam (quia & ipsa angelica creatura est, licet propior sit vitio maligna) nisi quod ille permiserit, cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla. Nec sane dæmones natura creant, si aliquid tale faciunt, sed specietenus, quæ a Deo vera sunt creata, commutant, &c. Quid an non consonantia de ortu maximorum quondam Principum aliorum traduntur? Alexandrum nempe Macedonem complexu Olympiæ matris draconisque genitum, ideoque appellatum fuisse Hammonem? Scipionem Africanum & diuum Augustum, eiusdem superstitionis interuentu conceptos? quin & in oceani Gallici insula quadam

* De C.D. 16.

nouem Gallicenas illas fuiſſe tradunt authores, quum aliis artibus prædita, tum vertendi ſe in quas formas liberet. Quibus ex locis ortam fuiſſe *Melyſſinam* non eſt abſurda coniectio. Sed de his alias. Certe prænobiles, tum in Galliis, tum apud inferiores Germanos ſcio familias, & patriæ noſtræ deferentes prænomen, & in galeato imaginum apice (cuius ſtemmatis diligentiſſima ac minime perfunctoria cura fuit veteribus) id monſtrum cuppæ balneatoriæ inſidens. Sed & turrim ingentem medio ciuitatis noſtræ ſitam, paulo ſupra ætatem noſtram bona ex parte prolapſam vetuſtate comperi, in qua vanitatem illam fuiſſe peractam fama per manus traditur. Poſtremo *Carolum*, feliciſſimum ſeculi noſtri Principem, nondum pubeſcentem, quum de nuptiarum fœdere cum *Renata*, *Ludouici* Gallorum Regis filia ineundo tractaretur (quanquam illi larga poteſtas erat, e ſubiectis aliis gentibus titulum aſſumendi) totis tamen tabulis haud alia quam *Lucenburgiæ* appellatione fuiſſe denotatum, non in minima gloria poſuerim (*b*), vſque adeo, vt niſi aliis vitiis ſupradictum opuſculum laboraret, quippe in quo parum veriſimilia referuntur, interdum aduerſa, nonnunquam diſſonantia, non difficile fidem mihi faceret. Enimuero quo commodius ad ipſius *Henrici* res noſtra feratur oratio, & rectum viſum eſt, & neceſſarium, pauca prius de ſtatu temporum illorum ſupra repetere.

(*a*) Quæ *Veterius* habet de *Melyſſina* ſiue *Meluſina*, femina præſtigiis clara, & quæ octauo quoque die pube tenus in anguem commutari ſoleret, quamque hominum vulgus inter maiores *Henrici VII* Cæſaris recenſebat ex libello neſcio quo vernacula lingua conſcripto, & Lucenburgi ſolito circumferri, poetarum commentis, ne dicam anilibus fabellis, affinia putanda ſunt, & otioſorum tricis. Vide, lege, & riſu abſtine, ſi potes. *Oſius* l. d. ad rubr. II p. 28.

(*b*) Spectare huc videtur *Oſius*, dum l. d. ad rubr. I p. 16 ſcribit; *Neque hic in* Veterii *ſententiam ire velim, libere nimium aſſerentis, titulum Lucenburgenſis dominii a Viris Principibus expetitum fuiſſe maxime. Aut enim, cum hæc in litteras* Veterius *miſit, ea tempora ſpectauit, quæ multo poſt* Henricum VII *admotum Imperio ſecuta ſunt, hoc eſt*, Caroli IV, *Germanorum Imperatoris XXII, cui a ſecretis fuiſſe videtur; aut tale illo dictum condonandum eſt, & cogitandum, ex amore patriæ promanaſſe.*

IV

ANno a Chriſto ſaluatore genito MCCCII, Francorum Rex *Philippus* cognomento *pulcher*, graue aduerſum Pontificem maximum, *Bonifacium* Octauum, conceperat odium, tum Gibellinæ factionis ſtudioſiorem exiſtimans, tum quod fidem temere præuaricatum contenderet. Promiſiſſe enim ſibi paucis ante annis, quum alia quædam, tum de ſumma Romani Imperii poteſtate ab Germanis ad Gallos traducenda, atque adeo *Carolum* fratrem diſerte fuiſſe in conuentis nominatum, cui id decus primum aſſignaretur. Hæc videlicet pollicita nunc cecidiſſe ad nihilum, *Alberto* Auſtriaco Teutonico Principe palam nuper decretis eius comprobato. Eas Rex cauſas grauius ſecum conſiderans, rationem irarum exequendarum perquirit. Neque difficilis mox via *Bonifacii* irritandi inuenta. *Columnia* gens Romæ opibus & clientelis inſignis *Octauo* inter comitiorum arcana ſuffragii iure, ne legeretur, obſtiterat. Itaque eis quoque *Bonifacius* per ſpeciem expilati theſauri eccleſiæ effecerat, vt & ædes & ſuburbana familiæ publice diruerentur, & qui eorum Cardinales iam eſſent, venerando collegio excederent. Interea *Stephanus* ex ea gente profugus in Gallia agitans, idoneus *Philippo* viſus eſt, per quem initia malorum fierent. Cœptus comiter humaneque haberi, liberaliuſque, quam fortuna exulantium eſt. Ad hoc *Philippus*, ne quid impotentiæ prætermitteret, ſacerdotales Galliarum titulos a Pontificibus antea pro decretis, proque more ſanctæ matris eccleſiæ componi ſolitos, ipſe ordinare citra conſenſum Præſidis Romani ſtatuit. Quæ vbi ſummus Antiſtes intelligit, grauiſſime tulit iniuriam, peſſimi exempli, id quod erat, exiſtimans, ſi vel anteceſſorum recte conſtituta temere reſcinderentur, vel autoritatem pontificiam laicus Princeps profanaſſet. Augebatur indignitas ipſius *Bonifacii*, ſupra quam dici poteſt ambitioſa, magnitudine animi, & contumeliarum inſolentis. Itaque quo partes ſuæ iuſtiores vulgo noſcerentur, lege potius

agere, quam armis instituit. Prælatos Gallicos maiores conuenire Romam vniuersos iubet, ad publicam synodum celebrandam. Hi, ne regno decederent, *Philippi* prohibitione intercluduntur. Quibus rebus ad *Octauum* delatis, increpatur Rex primum per literas, deinde quum castigationem contumaciæ paruipenderet, sacrorum participatione arcetur. Neque eo minus Prælatis regni ipse Lutetiam accersitis, causam quoque suam approbare nititur. Pontifex ne nullam non rationem coercendi *Pulchri* tentaret, Flandrorum partes tueri aggreditur. Ea tum gens, quod superbius imperatum sibi diceret, Gallicum iugum detrectabat. Cum superis quoque Germanis amicitiam interiorem coniungit, iusso *Alberto*, quibuscunque posset viribus, fines Belgarum, quatenus *Philippici* iuris essent, incursare. Sed nihil ea Gallum a consilio dimouerunt. Missi clanculum in Italiam qui Campanos, si qui forsan priuatas ob iras infensi essent Antistiti, corruptos auro traherent in sententiam, ceteraque comprehendendi eius idonea mature appararent. Neque euentus infando commento defuit. Anagniæ agens Pontifex, a *Sarra Columnio*, duce Gallicæ multitudinis non prouiso irrumpente, summa luce circumuenitur, liberæque custodiæ traditum oppidani immodice (ut æquum erat) funesto scelere conturbati, triduo demum elapso, receptis animis exemerunt. Ipse Romam regressus, dum vindictæ modos altius inuestigat, morbum, vt creditur, ex ægritudine nactus, interiit.

V

VNdecimus *Benedictus* Octauum, *Clemens* Quintus *Benedictum*, munere summi Pontificatus insequitur. *Reyterandum* * *Gotthouem*, quoad priuatus erat, appellabant, Burdegalensem Archiflaminem. Is enim variantibus nonnihil patrum sententiis, inter alios duos *Pulchro* ab suarum partium Cardinalibus nominatus extiterat, quem Rex, quoniam id temporis plurimum poterat, si ita sedisset, solenniter nuncuparet. *Philippus* insperatæ dignationis lætitia gestiens, *Reyterandum* * accersit, in suaque manu papalia Comitia, prolatis epistolis Cardinalium, reposita edocet; ceterum postulata quædam sex capitibus comprehensa recipi sibi prius, quam res confici posset, oportere. *Gottho* nihil minus, quam quæ iactabantur, vel sperans, vel cogitans, illudique sibi existimans, cunctari primum: vbi serio agere Principem comperit, actis in præsens gratiis, capita se regiæ petitionis præstiturum promittit. Data acceptaque fide placita curantur. *Raymundum* * Cardinales Gallici duodecim summum ecclesiæ Romanæ sacerdotem in gratiam Regis consalutant. Italicos statim patres, vt idem facere vellent, epistolis nuntiisque celerrimis adhortati. *Gottho* vt primum quæ ab Rege acta de se fuerant, Italis quoque probari cognouit, senatum statim Cardineum vniuersum, Regesque Transalpinos aliquot conuenire Lugdunum iubet, ad peragenda inaugurandi solennia. Id edictum tametsi Prælatis Ausoniæ non perinde arrideret, pontificiam aulam trans alpes concessuram gementibus: coiere tamen in ciuitatem designatam non infrequentes, ibi declaratus ex more maximus ecclesiæ Christianorum Episcopus, quintique *Clementis* appellationem sortitus, mox *Philippum* censuris (namque id primum postulatorum caput extiterat) quibus innexum a *Bonifacio* diximus, exoluit, reliqua promissorum tempestiue se effecturum affirmans.

* l. *Bertrandum*; vt iam contra *Vecerium* hunc nostrum & *Ciaconium* notauit *Osius* l. d. ad rubr. I. p. 16.

VI

SEd nec ea *Philippus* posthabenda ratus, Pictauos in conuentum accersito *Clemente*, de ceteris desiderii sui partibus referri iussit in medium.

Summa

Summa petitio erat de abolenda in perpetuum memoria ***Bonifacii.*** Neque prætextu caruit flagitatio impudens, articulis quadraginta ingenio causidicorum excogitatis, quibus ***Octaui*** mores, præter alia facinora de hæretica impietate, sugillabantur. Hic vero hærere æstuareque ***Clemens***, quid nam consilii in re tam inexplicabili caperet. Namque inde occurrebat sacramenti interuentu firmata promissio, hinc innocentia ***Bonifacii***, qui vt neque forsan insons prorsus criminum haberetur, ita non vllum extare de obiecto admisso indicium: quin exemplis, decretis, constitutionibusque declaratum, abunde reliquisse, quanto studio, quantaque fide gubernacula culminis Apostolici procurasset. Sollicito inter has curas ***Quinto***, opportune ***Nicolaus*** Cardinalis Pratensis interuenit: cui, quod arbiter omnium arcanorum haberetur, nudantur ordine omnia. Is, vt erat ingenio ad subita etiam quæque moderanda dexterrimo, primum confirmato Pontificis animo, scire se, quid potissimum illi consilii profuturum speraret, affirmat, regias in primis spes ali dissimulanter augerique placere, tum doceri cupidum Principem, quo magis rata fiant, quæ ad ***Bonifacii*** cineres attinent, videri futurum consultius, si tanta res non nisi publici consilii senatusconsulto firmetur. Quam sententiam vbi Gallus approbauerit, sedem conuentui Viennam inter Allobroges deligat, aliamve ciuitatem quampiam & liberam, & ad excedendum regiis finibus opportunam. Placuit ***Quinto*** Cardinalis suggestio. Itaque de voluntate ***Philippi*** Viennam maximo Christianorum conuentu edicto, ***Octauo***que de opposita impietate ex sententia Patrum absoluto, ipse ibi paucos commoratus dies, Auenionem in ***Roberti*** Regis prouinciam sese contulit.

VII

NVnc tandem ad ***Henricum*** nostrum deflectat oratio. Anno a Christo MCCCVIII Rege Romanorum ***Alberto*** per insidias nepotis occiso, nuntiatum est, Principes, quorum legendi Cæsaris ius est, de sufficiendo Imperatore parum conuenturos. ***Philippus*** discordiam Germanorum cœptis suis optime conducturam existimans, secretiorum modo consiliorum arbitros coire iussos de noua dispositione interrogat. Venisse aliquando tempus suo quoque sæculo exornandi regni Gallici: sextum antea postulatorum caput, quod ad eum diem consulto noluisset ***Clementi*** prodere, id vero nunc expromere statuisse, de ***Carolo*** fratre substituendo in Imperium, deque ea dignitate per senatusconsultum in perpetuum transponenda in Galliam. Esse ***Clementem*** iampridem in potestate, posseque rem & iure & exemplo nixam facile transigi. Cui enim fiat iniuria, si vacantis Imperii permutetur conditio? Idem fecisse Pontifices olim alios. Denique fatorum seriem conuenire cum eiusmodi proposito, vt quemadmodum principatus ille de Græcis quondam in Francos, sicut ei videbatur, deque ea gente ad Italos, ac postremum ad Teutones translatus crederetur, ita rursus ad Francorum posteritatem remigret. Mouit vniuersos proceres relatio regia, laudatoque nobilitandi Gallorum regni desiderio, de consilii sententia decretum fit, & vt ***Philippus*** & ***Carolus*** primo quoque tempore, ante etiam, quam Germani irent in suffragium, ***Clementem*** numeroso comitatu adeant, rumore quidem disperso, quasi ad persequendam ***Bonifacii*** criminationem veniant, reuera autem vt protinus quam Auenionem inierint, Pontificem de sexta & ad id tempus ignota petitione commonefaciant. Eam occultationem nihil fuisse aliud, quam de imperatorio apice publice transponendo in Celtas. Abdere vero rem placuisse eatenus, quam apud ***Bonifacium*** quoque tentauissent, vt ne viuum regnantemque ***Albertum*** affecisse videretur iniuria. Nec repugnaturum ***Clementem*** quantumuis audaci flagitationi, videlicet, iam instructo exercitu verius quam famulitio territum. Edicto per vniuersam ditionem dimisso, generosi clientes ad regium iter apparati conueniunt, equitum sex millia fuisse traduntur.

VIII

ENimuero ficuti recte institutis diuinus fauor arridet, ita improbe consulta, iuxta *Sexti Pythagorici* sententiam, funestus insequitur exitus. Permanauit certe ad Pontificem quamuis latitantis conciliabuli astutia. Quare denuo accersito *Pratense* intimorum, vt diximus, omnium socio, ac iam ante exoso *Philippum* ob insectationem Bonifacianæ memoriæ, quæ si tolleretur e medio, & acta quoque illius, in quibus Cardinalatus censebatur, quem *Octauus* illi contulerat, conuulsum iri verebatur, nouam huiusmodi ambiguitatem aperit. Ille ad innatam sapientiam versus, *quam maximis itineribus*, inquit, *& antequam Gallicæ petitionis mentio in senatu fiat, nuntiandum in Germania censeo, de successore quammaxime mature surrogando.* Quum *Clemens*, quem igitur præcipuum crederet, tantæque successioni idoneum, quæsiuisset: *Pratensis* ecclesiarumne libertatis respectu, an studio Gibellinarum partium, an consuetudinis in vrbe quondam institutæ memor, *Henricum*, ait, *Luceburgiæ Comitem nulli Germaniæ Principum cedere arbitror, siue religionem, siue fidem, seu certe magnitudinem animi spectaueris. Neque dubium, si eo celsitudinis benignitate tua prouectus fuerit, nulla non re vel Pontificiis obtemperaturum iussis, vel immunitatem ecclesiæ propugnaturum. Sane clanculum & dissimulanter cuncta fieri oportet, ne si publico senatu in Patrumque conspectu cogitata retexeris, qui Cardinales Philippo student, proditis illico rebus, vota nostra conturbent. Itaque quas ipse literas dabis in Alemanniam, pusilla modo formula placet obsignari, quasi non scriptas de rebus grauissimis: Ego seorsum prolixas de tota re alias exarabo.* Iuuit assertionem Cardineam *Henrici* quoque integritatis gloria, quam ex rebus fortiter probeque gestis fama iam pridem exorta ad *Clementem* quoque pertulerat.

IX

DElatis ad Germanos epistolis, reque intellecta, Comitiorum solennia maturantur, valuereque adeo pontificiæ Cardinalisque literæ (qui & illud adiecerat, nisi bonis consiliis protinus obsecundarent, Cæsarei fastigii apicem, iurene, an iniuria, relicto Rheno transiturum in Galliam) sed & maxime spectata virtus *Henrici* profuit, vti cunctorum suffragiis, ac ne vno quidem repugnante, Romani regni sceptra florenti iuueni deferrentur. Autores habeo, Luceburgi transacta fuisse comitia*. Quod ascribendum putaui, magis ne ignorauisse eam rem crederer, quam vt morem locumque vetustum tam tumultuario præsertim tempore prætermissum existimarem. Ille vt contra opinionem hominum per Celtas perque Comitatum Pontificis renuntiatus Rex fuit, *Pulchellus*, qui iam festinabat compellare *Clementem*, illusum se animaduertens, domum irritus spei repetiit, nunquam postea bene de eo Pontifice sentiens.

X

LVceburgius, qui nihil minus quam Cæsarea gubernacula sibi credenda cogitauerat, omnium primum gratias immortali Deo lectoribusque agendas censuit. Mox ad ea, quæ & tempus & res & maleuolorum conatus ferebant, conuersus, mittit in oram Narbonensem, qui a *Clemente* postulent, vti ratam sibi facere surrogationem pro more dignaretur. Principes legationis, Sabaudiæ Comes (nomen vt in plerisque sequentibus non traditur†) & *Guido* Namurcæus, Flandri Comitis frater, ambo ex propinquis regiis. Hi a *Clemente*, totoque cœtu Cardineo comiter humaneque habiti, mense Aprili, comprobationem actorum in Germania, causa cognita, impetrarunt. Decretum, vti e Cardinalibus *Pratensis* & *Fliscus* prima quaque occasione in Italiam proficisci maturarent, gentibusque cis alpes habitantibus, Apostolica vice præciperent, ne quid impedimenti morarumve, quo minus potestas nouo Regi petendæ vrbis foret, astruerent, quin obedienter atque hospitaliter aduentum illius curarent excipere.

excipere. Sunt, qui legem adiectam fuisse probationi affirment, vt intra primum biennium ad motus Italiæ compescendos Romam solita expeditione properaret, simul ipse summos Imperatorii nominis fasces acciperet, quum tres proxime antecedentes Principes eum honorem prætermisisse constaret.

* Bene, quod ipse *Veterius* parum fidei illis, qui Lucenburgi transacta comitia fuisse narrant, habeat. Rensae enim captis primum consiliis, deinde Francofurti concordibus suffragiis *Henricum* elegere, quibus Cæsaris designandi potestas est, Principes. Vid. qui nihilominus illum hic notant, *Struuius* Syntagm. Histor. German. dissert. XXV § I annot. **** p. 795, *Spener* tom. II Histor. German. lib. I cap. V § II in not. p. 56.

† Comiti Sabaudiæ nomen fuit *Amadeo*. Præter eum vero & *Guidonem* Flandrensem missi ab *Henrico* fuere *Otho* Basileensis, & *Sifridus* Curiensis ecclesiarum Episcopi, *Ioannes* Delphinus Albonensis & Comes Viennensis, *Ioannes* Comes *de* Saræponte, & *Simon* de *Merualla*, Thesaurarius Metensis. Vt adeo dubitare possis, an duo illi legationis, vt *Veterius* hic vult, fuerint principes.

XI

Saubaudo reuerso, voluntateque Clementina perspecta, conuentus Aquisgranum indicitur. Coiere anno insequente ad id concilium inter alios proceres Dux Brabantiæ, Comes Flandriæ, & Comes *Raynaldus*. Ibi peractis solennibus generoso vertici regium diadema Archiepiscopus Agrippinæ more maiorum ad octauum Idus Ianuarii imposuit. Quem diem & constitutiones ecclesiæ celebrari ob memoriam Magorum iusserunt, & tum publica lætitia celebriorem reddidit. Anno a Christo genito MCCCIX ad diem VI idus Maii, cælum ardere visum, discurrente flammæ vortice e plaga boreali in meridiem. Quo typo aduentum *Henrici* portendi Italorum multi crediderunt.

XII

INterea Carolus Siciliæ Rex secundus, Gallicæ originis, cis fretum regnans, rebus humanis excessit. Plures huic filii, nempe maior natu *Carolus*, *Martellus* cognomine, & *Robertus*. *Martellus* viuo etiamdum patre mortem, sed filio relicto, obiit. Qua in specie, exque facto ipso, larga disputandi materia Iureconsultis est nata, neposne antecedere iure possit patruum in successione auita. Sed & responsis prudentum & pontificia pronuntiatione quadam *Robertus* annixus, compendium hereditatis obtinuit, paternaque nece comperta, mox Auenionem properat. Ibi nullis non modis Clementis amicitia comparata, adeo promouit, vt & Rex vtriusque appellaretur Siciliæ, & quicquid præterea alieni æris patri auoque per belli quondam tempora ecclesia Romana crediderat, illi ferretur acceptum: summa aureorum sex millia superauisse putatur. Tantis beneficiis *Robertus* se obnoxium sentiens, actis ad tempus gratiis, operam curamque Clementi omnem gratitudinis ostendendæ pensandæque dignationis detulit. Hic *Quintus* qui Luceburgium, vt supra tetigimus, paulo ante Regem Romanum declarauerat, siue suspectam habens *Henrici* potentiam, siue contractæ amicitiæ Vasconico more pertæsus, Siculum Romandiolæ Comitem facit. Eamque *Robertus* prouinciam *Giliberto Zantillio* Vicecomiti demandauit. Quæ res perpulchram Gibellinis Imperatorii iugi detrectandi potestatem tribuit, vel tantula rebellandi occasione gestientibus.

XIII

Luceburgius nihil eorum negligendum ratus, quæ ad amplitudinem augusti principatus pertinent, summa ope annisus est, vt quam celerrime documentum aliquod præberet, quantus & quam propensus sibi esset animus pontificiæ dignitatis excolendæ. Dimisso edicto per prouincias, vt quisquis nobilium Augustale beneficium obtineret, die constituto vellet adesse, solennemque profectionem Romanæ mitræ capiendæ causa pro conditione, proque con-

consuetudine sua curaret exornandam. Ipse vniuersa Germania *Ioanni* filio demandata, cum non adeo grandi comitatu iter ingressus, alpibusque propinquans, Lausani constitit, reliquam exercitus partem operiens. Eo mox legationes ex Italia salutandi causa certatim occurrunt.

XIV

AT Guelforum factio in Hetruria cisalpinaque degentium, quam semper antehac Teutonicæ felicitati aduersatam constat, in multo maximum metum incidit, & fama numerosi exercitus, & reliquæ Italiæ proniore consensu: præcipue vero Florentini, inter spem metumque ancipites, hostiliterne an deditione fortissimum Ducem exciperent, præualuit tamen sententia, vi potius, quam abiecta formidine agendum censentium. Itaque quo vel conturbaretur inauguratio, vel lentius certe succederet, conscripta per totam ciuitatem iuuentute, accitisque militibus aliis voluntariis præsidium haud contemnendum efficiunt. Ad hoc pecuniam, frumentum, ceterasque res comparant, vel stipendio, vel obsidioni necessarias. Denique fœdus cum Siculo *Roberto*, ciuitatibusque Hetruscis ac cisalpinis aliquot faciunt. Pisanorum longe diuersa sententia, hi quo sese Gibellinarum partium, atque adeo Cæsarei nominis quam maxime studiosos *Henrico* in ipso Italiæ ingressu comprobarent, donum Regi aureorum millia XL submiserunt.

XV

EO veluti viatico præditus (quippe cuius ærarium, vt veris agamus, virtute esset quam nummis instructius) Septembris exitu mouit e Lausano, superatoque monte perquam arduo, *Senisium* vocant accolæ, Taurinum est inuectus. Illinc decimo die, quam accesserat, Insubres ingreditur, ibi quoque magno apparatu acceptus, Astensium dissidia haud exilia summa cura composuit. Constabat id temporis regius comitatus equitum duobus millibus, quum residuum perinde expectaretur. Mansit itaque apud Astam toto bimestri atque amplius, & reliquam, vt diximus, copiarum partem opperiens, & de ineunda Insubrium ciuitate consultans.

XVI

GVidottus Turritus, sapientia atque opibus clarus, genti ea tempestate præerat. Is audito *in primis aduentu, vereri cœpit, ne diuersæ factionis pars (Gibellini erant, violentia illius acti in exilium) occasione Germani aduentantis in recuperanda dignitate vteretur. Itaque præsidium ad vrbis suæ tutelam comparat duorum millium atque amplius. Ipsi fœdus atque hospitium erat cum toto Guelforum genere per Italiam agentium. Sed & operam dabat quibuscunque poterat artibus, ne mœnibus reciperetur *Henricus*, Gibellinæ scilicet factionis patronum, vt paulo ante scripsimus, futurum metuens. Neque tamen obtinere potuit, quin bona ciuitatis pars Regis amantior, simul Cardinalis *Fliscus*, tum legatus Apostolicus, Clementinaque mandata conficere cupiens, Luceburgium vltro inuitarent.

* I. Imperatoris

XVII

REx Romanus, dolentibus *Guidotti* oculis, pridie Mediolanum dominici natalis inuehitur, dieque sequente octauo, Antistes eius diœceseos in *Ambrosii* beatissimi delubro mysteriis vacantis *Henrici* verticem secunda corona redimiuit. Augustæ quoque, quam vna secum aduexerat, idem honor habitus. Affuere solennibus omnium fere Italiæ ciuitatum legati Gibellinarum modo partium, ita vt Fluentini duntaxat oratores desiderarentur. Insubrium quoque interim discordiam quanta fieri potuit cura sedauit, adeo vt & *Maphæum* Vicecomitem cum sodalibus, & ciuitatis Archiflaminem, ceterosque proscriptos reductaret in vrbem. Eo tum quoque legati frequentes ciuitatum Italiæ

Italiæ gratulatum accedunt, ita vt tota passim Ausonia, Bononiam excipio & Paduam, vicarii Augustales dimitterentur, acciperenturque Comites.

XVIII

INter hæc *Guidottus* exosus felicitatem *Maphæi*, quibuscunque rationibus poterat, vindicare priscam fortunam molitur. Ac ni sapientia Vicecomitis infaustis cœptis fuisset occursum (namque rem omnem ordine primoribus regiæ aulæ exposuit) maximus in ciuitate tumultus extitisset, non partibus modo noxius, sed & formidolosus Principi, qui iam securior, bonam exercitus partem per finitima loca neglectim disperserat. Sunt qui dicant, *Maphæum*, quo certius animum *Turriti* pernosceret, simulasse societatem partium, accusauisseque multis modis supercilium Cæsarum, quod id genus Reipublicæ principatum nomine, seruitutem re ipsa præse ferret. Satius esse, æquabilem libertatem omnibus viribus propugnare, quam ingenuos ac fortes animos Germanico iugo supponere; reciperet modo animam, seque in priscam præfecturam ipse reponeret, nec detrectaturum populum ne nunc quoque gubernacula quondam sibi cognita. His atque eiuscemodi dictis peruictum *Guidottum* cuncta simpliciter credidisse, promisisseque *Maphæo*, & vafro aduersario & restituto in gratiam, quem impense cauendum esse veteri docemur adagio. Illum, *Guidotto* prodito, fabulam omnem denarrauisse *Septimo*. Neque defuisse impiæ criminationi fidem, ita vt die dicta, *Turrito*que adesse iusso, cognitio pararetur. Sed is iudicio consiliorum intellecto, furtim ad Guelfos transiit.

XIX

IIsdem diebus Cremona, *Guidotti* exactione comperta, simul Florentinorum adducta instinctu, rebellis *Henrico* efficitur, sed & qui Brixianorum Gibellini erant, successibus Imperatoris auditis, Guelfos vrbe exegerunt. Idem Parmæ factum. Quibus rebus Cæsar cognitis, mittit, qui eas quoque rixas consopirent, exulibus reductis in patriam. Sed breui post tempore Guelfica pars Felsineorum Florentinorumque confisa præsidio, Brixia Gibellinos inuicem depulit, ex professoque hostis Imperatori efficitur.

XX

ANno a Christo genito MCCCXI, mense Aprili, Imperator *Henricus* obsessa iamdiu Cremona, Geneuensem Episcopum cognatione sibi deuinctum, cum turmis ad Patauinos coercendos mittit, quos a Bononiensibus stetisse diximus. Ab eo Vicentia, quæ Paduani iuris erat, bello capitur. Præsidium in arce consistens, fuga dilapsum. Ea victoria ipsos quoque Patauinos metu vsqueadeo perculit, vt suppliciter sese fidei in primis tradiderint, aureorum millia centum ob contumaciam pendere, Cæsareumque præfectum recipere iussi. Idem Antistes profectus Venetias, tributum pro vetere consuetudine postulauit. Appulso honor ingens habitus, adnumerataque in tiaram Romanam talenta Veneta mille. Eadem in ciuitate ipsum insigne confectum, solito ex auro coronam variis maximique pretii gemmis adornantibus: sellam quoque argenteam, auroque circumlitam, fabricatam ibi tradunt. Interea sedente ad Cremonam *Henrico*, obsessi, quia parum muniti erant ad obsidionem ferendam, simul Archiepiscopi Rauennatis interuentu, sese sub conditione tributi pendendi vltro dediderunt. Eidem mandatum Antistiti, muros ciuitatis castellaque demoliri.

XXI

CÆsar Cremonensi bello perfecto, ad Brixiam quoque circumsidendam festinat, non alias pari instructus exercitu: qui parcissime numerant, equestrium Germanorum validæ armaturæ sex milia fuisse tradunt. Namque vt

 rumor

rumor per Transalpinas quasque prouincias de Mediolano, ceterisque ciuitatibus subiugatis increbuit, vix dici potest, quanta & quam fida multitudo militum certatim adflueret, pars emerendi stipendii studio: ceteri amore vncti Regis adducti. Pro certo creditur, *Henricum*, si in primis abstitisset, relictaque Brixia processisset in Hetruriam, non Thuscos modo, qui recentis defectionis sibi conscii, iram iustissimi vindicis formidabant, sed & quantam aperire non interest, partem Italiæ sub iugum missurum, quippe qui parum prouisi essent contra obsidionem, quorumque nutarent iam animi, iustitia clementiaque noui Regis impulsi. Sed is dum Cisalpinæ pertinacius imminet, maiorum rerum occasionem prætermisit. Adeo vincere maximos duces promptius scire compertum est, quam vti victoria. Quippe virtus attenuata periculis, nullam non in partem de prouidendo circumspectat: eadem rebus sublata secundis, securaque sui, quæ futura sunt negligit.

XXII

EOdem anno ciuitates Hetruscæ Guelfarum partium Florentia, Bononia, Senæ, Luca, Pistorium fœdus inter se aduersum *Henricum* sanciunt. Florentini præsidium equitum Hispani generis CCCC, quos a *Roberto* acceperant, misere Bononiam, itidemque Senam & Lucam, si forte ea regione Germanus statuisset incedere. Sed & quicquid Gibellinorum in ciuitatibus Guelfis versabatur, exactum.

XXIII

SVb hæc perstante Cæsare in obsidenda Brixia, variæ vtrinque clades acceptæ: inter ceteros autem proceres & frater Regis, & equitum magister *Walramus*, magnæ indolis, ictu sagittæ percussus interiit. Corpus apud diuum *Barnabam** conditur, quod templum nondum ciuitate clausum fuisse, *Iacobus* philosophus in supplemento autor est. Eo infortunio, sublatos paulo ante Cæsareanorum animos resedisse ob eximii iuuenis necem Brixiani credentes, frequentius iam incautiusque excursare cœperunt. Etenim die quodam licentius euagantes, intercepti, fusi fugatique sunt. Cæsorum numerus ducenti. Capti ex ciuitatis primoribus quadraginta, inter quos *Galeacius*, cognomento *Brusatus* obsessorum tribunus. Is quia fidem Regi non multo ante datam infregerat, quadrigarum violentia diuersam in partem miserum distrahentium corpus perfidiæ pœnas exoluit. Ceteri captiuorum securi percussi. Nihilo magis proficiente ad euincendam contumaciam exemplo seueri supplicii, quin hostes cælesti quoque fauore adiuti videbantur, strue cadauerum odoreque diuturni exercitus incubantis, corrupto aere, ita vt plurimi Teutonum varios in morbos inciderent, cogerenturque aut miseri e vita excedere, aut inglorii, neque id citra discrimen, repetere patriam. Procerum ea extinctorum tabe præcipuus *Guido* Namurcœus, cuius supra meminimus, Flandrorum quondam tribunus in Curtracensi prœlio, atque ob id rerum gestarum claritate spectatus. Quam ob luem magna purpuratorum pars *Henricum* de soluenda obsidione solicitat. Illo magis intolerabilem ac minime perseueraturam necessitatem hostium, quam laborem exercitus obseruante, quare decedere non nisi compos voti statuit. Quibus rebus intellectis, obsessi effecti supplices, Cardinalis quoque *Flisci* auxilio veniam consequuti, ad diem XVI Kalendarum Octobrium fidei Principis sese dediderunt. Rex ciuitate potitus, murisque protinus ac turribus demoliri iussis, tributum aureorum viginti millium, præterea obsides centum, quos ex omni ciuium multitudine selegisset, belli iure imperat. Magno stetit ea victoria, nempe vix quarta exercitus parte superstite.

* Immo, apud *D. Anastasiam* Veronæ, vbi ad annum usque MDLX, loco edito parieti insertum conquieuit. Quo anno sepulcrum disturbatum est, & humi conditum cadauer, quod etiam tunc aurea cæsarie insigne erat; conspectumque per tres circiter horas fuisse passim, abiisse deinde in cineres, retulit mihi vir antiqua nobilitate, studiorumque ingenuorum amore clarissimus, *Fernandus* Comes *Nogarola*. *Pignorius* annot. in histor. *Mussati* p. 19.

XXIV

XXIV

CRemonam hinc vt rediit, incœpit consultare de componendis rebus in posterum. Placuit ordinata Longobardia, præsidibusque per ciuitates impositis, Ligures petere, Mediolanum, vt diximus, procurante *Maphæo*, Veronam Comite *Scalari*, Parmam *Giliberto Corregio*, *Pascarino Bonoposo* Mantuam. Quæ res parum salutaris postea ciuibus exstitit: quos præfectos legum seruandarum causa in præsens præposuerat, superbe auareque postmodum imperantibus. At illis & in primis occupatio, & aureolorum copia, vt in perpetuum confirmarentur, quæ temporis causa concessa fuerant, effecerunt. Guelforum ciuitates vbi aduentare *Henricum* accipiunt, obsideri iussis itineribus Ligurum, remorari transitum illius conabantur. Iisdem diebus *Clemens* de repetenda vrbe Romana ab *Henrico* compellatus per literas, ipse consilio ecclesiæ generali distentus, *Pratensi* Cardinali petendæ Italiæ inaugurandique Regis singulari mandato negotium impartitur.

XXV

CÆsar ad diem vndecimum Kalendarum Octobrium maximo apparatu Genuam est inuectus. Principem Dominumque solenni more appellantibus; mox componendæ discordiæ ratio habita. Itaque *Opicino Spinulæ* sociisque iampridem exulantibus confecta restitutio. Quæ res ingentem illi dilectionem ciuium pepererunt. Ipsi milia aureorum dono data centum: regiæ vero coniugi viginti. Ea quum insequente mense grauiter ægrotare cœpisset, res humanas reliquit. Elata tumulataque solennem inter pompam apud beatissimi *Francisci* cœnobium, pudicitiæ singularis, religionisque spectatæ femina.

XXVI

ANno a Christo genito MCCCXII ad diem quartum Kalendarum Martii, Genua profectus *Henricus* classe triremium triginta, Pisas aduehitur. Quæ ciuitas nullo non genere apparatus eo vel exquisitissimo Regem accepit, Dominum quoque inter publicas acclamationes consalutans. Censebatur tamen in primis exercitus mille quingentis Transalpinis equitibus: præcipui Germanicorum procerum, Archiepiscopus Treuirorum *Baldeuinus*, cuius supra meminimus, Episcopus Eburonum, frater Barri Comitis, e propinquis regiis: Dux Bauarus, Comes Sabaudus, vterque e propinquis regiis: Comes Foresti: *Guido* Viennensis Delphini frater: *Henricus* Flandrorum Comitis frater itidem e propinquis regiis: *Robertus* ipsius Flandrorum Comitis filius: Comes Viennæ: Præfectus prætorio, quem nostri Aulæ magistrum appellant, vir maximi in re militari nominis.

XXVII

EOdem anno, mense Aprili, *Robertus* Siculus, cuius supra mentio est habita, de Romano *Henrici* itinere certior factus, quum nulla aliunde lacessendi Regis extaret occasio, simul ita facere ab Vrsina factione iussus, *Ioannem* fratrem mittit ad vrbem cum equitum sexcentorum præsidio. Literis subinde scriptis ad ciuitates Hetruriæ Guelfarum partium, de summittendis opportune Romam auxiliis. *Ricardo* Lunensi Comiti, quem *Robertus* Thuscis imposuerat, datum negotium Latii mature ineundi, idque cum phalange peditum duorum millium sexcentorum. Hi ad diem XVI Kalendarum Iunii Romam peruecti, Vrsinos conueniunt, moxque de sententia consilii Capitolium, Hadriani molem, ac Vaticanum armatis insederunt, *Petro Sabaudo*, senatore vrbis, coniecto in vincula. Columniis aliisque Cæsareanarum partium Lateranum, Mariam maiorem, amphitheatrum, Rotundam, sanctamque *Sabinam* occupantibus.

XXVIII

INter hæc Pisis *Henricus* equitibus bis mille, & hoc amplius constipatus, recta per Thuscos Romam contendit, Viterbium absque

negotio capit, ibique dies aliquot constitit, occasionem inuadendi Vaticani exspectans. Postquam tempus idoneum visum est perrumpendis insidiis, Viterbio promouet, occurrentesque Vrsinos leuibus prœliis vertit in fugam. Simul popularibus in ciuitate rem strenue gerentibus, ante diem Kalendarum Iunii vrbem visenda pompa introiit, protinus de expugnandis *Roberti* clientium reliquiis consultat. Itaque missis, qui singula factionis præsidia deturbarent, pro certo creditur quicquid ibi Appulorum Ibericorumque fuerat, depulsurum, nisi prœlio quodam sexto & vigesimo Maii die commisso, quum alii Ducum quidam, tum Leodiorum occubuisset Episcopus. Hunc enim perfractis (is erat ardor hominis) viarum custodiis, in castellum Angelicum properantem, Robertini Florali ex area per obliquum progressi circumueniunt, fugant funduntque. Cæsareanorum, qui capti occisiue fuerant, numerus millium duorum traditur. Eburonum, quem iam dicebamus Antistitem, in equum ab victore raptum, vehentemque inermem Hispanus quispiam conspicatus, cuius paulo ante fratrem Alemani confecerant, quum non aliam fraternæ necis vltionem euenturam speraret, lethali percussum vulnere, vt paucis post diebus moreretur, effecit. Eius interitu Principis, qui & virtute & autoritate eminuisset, in regia longe maximus pauor Cæsareanos inuasit, Robertinis econtrario lætitiam tristi casu afferente.

XXIX

PОrro Luceburgius, ne tempus omne vrbanis rixis attereret, statuit absoluere res, quarum causa potissimum vrbem petiuerat. Itaque de sententia Cardinalium, conuentu in Lateranum ad diem Sextilium Kalendarum indicto, *Ostiensique*, *Flisco*, & *Arnoldo* Cæsareas infulas sacrato capiti imponentibus, quod felix faustumque sit, prægrandi apparatu, singularique spectantium gaudio Augusti nomen apicemque fastigii imperialis accepit. Peracta inauguratione, Bauarus cum parte procerum perfunctum se officio comitandi existimans, assumpto commeatu in Germaniam abiit. Ipse Tybur paucis post diebus concedens, multa ibi veneratione incolarum exceptus, Pisas repetit.

XXX

GVelficæ ciuitates Hetruriæ, vbi quæ Romæ acta fuerant, deque Principe decedente intelligunt, iter illius rursum includere nitebantur. Ac veriti, ne parum instructi, copioso agmini minus resistere valeant, socios in vrbe degentes, per literas commonefaciunt, vt & nouum amplecterentur consilium, & properare mox in Thuscos maturarent. Interim Cæsar Gallia repetita, per agrum Perusinum exercitu infesto progreditur, cunctaque ferro atque igne deuastat, Castellionem vi capit, Cortonæ Aretiique reuerenter occursum venienti, portæque apertæ, inde crebris cum Guelfica gente prœliis feliciter gestis, variisque Florentinorum castellis euersis, agrisque vastatis, inopia pabuli proficisci compellitur. Ad eum Bonatiano in prædio (id loco vocabulum) agentem legati a Rege Siciliæ *Friderico* mari deportati, donum aureorum milia viginti adferunt, fœdus amicitiamque petentes. Postulatis eorum assensum.

XXXI

POstquam Cæsar Pisas accessit, legibusque coercere hostes aggressus, quos bello persequutus fuerat, & asperrima edicta in Thuscos *Roberti* partium promulgauit, & suos inuicem clientes pulchris beneficiis deuinctiores effecit. Quippe *Spinulæ*, cuius supra mentio est habita, Marchionique Montisferrati cum alia dignationum genera, tum ius monetæ cudendæ tribuit: tum de *Roberto* castigando tractatum. Causa cognita, deque consilii sententia ob læsam maiestatem Romani Imperii paterno illum regno prouincialique comitatu excidisse pronuntians. Quæ decreta postmodum, defuncto *Henrico*, Pontifex Maximus *Ioannes XXII* pro potestate rescidit: estque ea res in publica monumenta redacta. Sub idem tempus *Henricus* Flander, magister equitum Cæsaris, Pisanum

sanum agrum cum turmis circumuagari cœpit, arcemque fortissimam Petram sanctam, Florentinis & Lucensibus suspectantibus, expugnauit.

XXXII

IMperator nihil actum ratus verbosis sententiis, nisi facta consequerentur, ad hoc Hetrusco bello finem commodissime posse imponi, si ducem caputque damnandæ audaciæ contudisset, traiicere in Campaniam ad ipsum *Robertum* armis perdomandum statuit. Icto, vt ante diximus, cum *Friderico* fœdere, missisque in Germaniam, qui supplementum legionum conscriberent, placuit, vti die constituta expeditam classem in Ligustico sinu explicaret. Numerus Cæsareani exercitus ad armatorum quatuor milia traditur. Accessit eo & Genuentium classis, triremium septuaginta. A *Friderico* quoque Arragone triremibus quinquaginta submissis. Pisis Cæsar Nonis Augusti decessit: quo die *Fridericum* quoque Messana Rhegium traiecisse postea compertum est: eamque ciuitatem expugnauisse cum oppidis aliquot aliis.

XXXIII

HEnricus iter per Hetruriam faciens, vbi ad *Montem apertum* accessit (id nomen loco tribuere accolæ) ægrotare manifesto incipit, tametsi iam inde a relictis Pisis initia morbi irrepentis animaduerterat. Sed ipse qua erat integritate animique magnitudine, ne die dicta temere abfuisse crederetur, fidei quam valetudinis rationem habere maluit: inter medicamenta autem balneæ Maceratanæ indicata fuere. Itaque eo loci profectus, procuratoque de medicorum sententia corpore, sese *Bonoconuentum* contulit. Ibi mox ingrauescente malo, excessit e vita ad diem nonum Kalendarum Septembrium, diuo Apostolo *Bartholomæo* celebrem, anno quam Imperium accepisset quinto, mense octauo. Defuncto Cæsare, id quod fieri in funere magnorum Ducum assolet, luctus incredibilis omnem comitatum perculit. Itaque familiares defecti Principe, pars Teutonicos lares repetiit, ceteri regium corpus protinus Pisas, vt viuus iusserat, singulari fide ciuitatis adductus deportarunt: ibi quoque non a sociis modo, sed ab oppidanis quoque maiorem in modum defletus, solenni atque exquisitissima pompa effertur.

XXXIV

VItam instantissimi Principis, qua acceperamus vt puto traditione narrauimus, quem non Italia modo, nullis neque adversis frangi potuisse, neque secundis efferri manifesto cognouerat, sed & barbaros lætitia inuicti Ducis extincti obtinuit. Qui eo viuo nihil prorsus rerum nouarum tentare ausi, defuncto cuncta per Italiam, vt postea constitit, miscuerunt. Neque Pisanis, ceterisque optimatibus dubium erat, nisi maturatus fuisset interitus, regnum *Roberto* bello ablaturum, quippe cui perexiles essent ad propugnandum copiæ: ita vt ne signa quidem crederetur collaturus, quin cognito mox Imperatoris aduentu, nauigio aduolaturum Narbonam. Quod si Campaniæ obtinendæ facultatem dii tribuissent, infinitum esset quantum ille Rex & opportunitate commeatuum, & innata virtute moliri efficereque potuerit.

XXXV

FRidericus, cui fœdus cum Imperatore percussum paulo supra tradidimus, medio agens alto, vt excessisse Cæsarem e rebus humanis accipit, ingenti videlicet molestia animi consternatur: eratque ea constantia *Henrici*que amore, vt quoniam coram videre viuum nequiuerat, extinctum saltem contemplari exoptaret. Itaque Pisas non ob aliam rem nauigans, prolatum corpus regium inter vberes lachrymas conueneratus recondi difficile passus est, constantissimi Ducis amicitiam immature sibi deplorans ademptam. Sed & Pisanus populus *Henrici* imitatus iudicium, quem ille socium sibi delegerat, hic Principem sortiri decreuit, vltro ei ciuitatis delato imperio. Ceterum *Fridericus*

 satius

satius existimans parta defendere, quam nouis implicari, simul aliam sibi esse rationem quam Lucemburgio fuerat, tuendi patrimonii successionem auitam aduentitiæ ciuitatis procurationi actis gratiis duxit præferendam. Pari cautela Sabaudus, *Henricus*que, quorum ante meminimus, vsi, delatas sibi quoque ciuitatis habenas modeste recusarunt: ita vt tam pertinaci repugnatione Principum, Pisanos suspicio metusque haud exilis incesseret. Veteranorum Cæsaris pars multo maxima Germaniam repetiit: reliqui voluntarii nomina Pisano præsidio tribuerunt. Summa eius reipublicæ in subsidium maiorum Principum ad *Vgutionem Faiolam* delata est: is & Imperatoris ante nomine præfuerat Genuæ, & magnas postmodum res pro partibus Gibellinorum patrauit.

XXXVI

FLorentini non Imperatoris modo priusquam obiret, exulumque formidine, sed & seditione interna pullulante, coacti imperium ciuitatis *Roberto* publice detulerunt. Ac ne libertati vetustæ noua immutatio noxia forte fieret, legem adiiciunt, vt ne supra quinquennium potestas concessa teneretur. Idem fere reliquæ ciuitates Hetruriæ Guelfæ fecerunt, ita vt euidenter appareret, eo iam necessitatum *Henrici* perseuerantia redactos aduersarios, vti intra paucissimos dies sub iugum mitti potuerint. Atqui iam olim variis experimentis cognitum est, cum aliis in rebus humanis, tum in bello primas obtinere partes fortunæ ludibrium: ita Magnus *Alexander* tentato verius orbe terrarum quam domito, sed cui iam rerum vniuersitas propter felicitatem cœptorum destinaretur, in ipsis iuuentæ primordiis excessit e medio. Sic *Hannibal* Cannensi victoria nobilitatior quam prudentior, occasionem capiendæ vrbis prætermisit. *Scipiones* in Hispania duo mediis rebus, mediisque annis res humanas reliquere. Patrum quoque nostrorum ætate *Amorates*, capto Byzantio, Hydrunteque direpto, omnem sibi iam despondens Italiam intercipitur. Nuper vero Britanniæ Regem *Henricum* captis duabus validissimis ciuitatibus Galliæ, perterritisque ac consternatis absque dubitatione hostibus, sapientia non vita destituit: qui aut cæcus fuisse dictus est, aut certe, si tantam opportunitatem prouidebat, neque tamen fortunæ suæ obsequebatur, excors. Hos, vt dixi, casus inter fortuita reponebat antiquitas. Nos ad Deum optimum maximum publico consensu deferimus, e cuius æquissimo arbitrio quicquid rerum humanarum vel fit, vel dicitur, sumit originem.

XXXVII

VAria de genere mortis opinio. Nonnulli venenum malum niueo libello inditum asserunt: quod per ineffabilia mysteria commutatum, quotannis morituri que libamus. Monachos Prædicatorii ordinis, quibus ille ministris vtebatur in sacrificiis, horrendi facinoris extitisse autores, eamque rem *Beneuenutus Imolensis* sæculi eius in literas retulit. Fuisse tamen postea ex ea familia, *Carthusiensis* in fasciculo tradit, qui re delata ad Pontificem maximum, decretum causa cognita impetrarint, quo innoxius eius veneficii ordo vniuersus pronuntiatus fuerit. Dominicani, qui Luceburgi agunt, hoc amplius cœnobii sui autorem non alium citant, quam *Henricum*. Neque ergo fieri potuisse, vti tantum scelus in tam bene meritum perpetratum extiterit. Nobis potius in medio relinquere placet disputationem funestam, quam de infandæ audaciæ fama certam proferre sententiam.

NICOLAI

NICOLAI
EPISCOPI BOTRONTINENSIS
RELATIO
DE ITINERE ITALICO
HENRICI VII IMPERATORIS
AD
CLEMENTEM
PAPAM V.

QVa gente oriundus fuerit, qui hanc *de Caesaris* HENRICI VII *itinere Italico* narrationem scripsit, NICOLAVS *Antistes*, non adeo liquet. *Citramontanis*, quos a *Lombardis* diserte distinguit*, se semel atque iterum adnumerat**. Cum autem duplicis eos faciat generis, ac § CXVII alios dicat *non Theotonicos* †, haud ita facile definire licet, vtrum *Citramontanus Teutonicus* fuerit, an *non Teutonicus*. *Germanum* tamen fuisse opinatur doctissimus *Baluzius* in praefatiuncula illi praemissa: quem sequitur *Oudinus* tomo III Commentar. de Scriptoribus & Scriptis ecclesiasticis saec. XIV col. 737; vt tamen pro voce *Citramontanus* substituat *Vltramontanus*.

*Dum enim § XXV de honoratae militiae Equitibus, Mediolani a Caesare creatis, loquitur, *inter quos*, inquit, *quidam erant* Citramontani, *& plures Lumbardi*.

** Primum quidem § XXIV; Nos *autem* Citramontani, *inter quos* ego *fui tunc*, *plus satis eramus contenti* cet. Dein § LVII; Nos *omnes* Citramontani *de Rege timebamus*.

† His quidem verbis: *Ibidem omnibus Militibus* Citramontanis "non *Theotonicis inter duo millia florenorum & trecentos* scilicet dedit, quibus iunge, quae § CXVIII sequuntur: *Theotonicis Militibus, paucis exceptis, in Alemannia in suis partibus alias terras in feoda assignauit*. cet.

Id constat, instituto viuendi *D. Dominici* secutum fuisse iura, legesque; muneris vero dignitate *Botronti* egisse Episcopum. *Praedicatorem* siue *B. Dominici* sodalem ipse se vocat § XLVI: *Botrontinensem* vero *Episcopum* statim ab initio § I.

Est autem *Botrontum* oppidum Epiri, in ora maris Ionii, contra Corcyram situm, siue ἐπὶ τῷ στόματι τοῦ καλουμένου Πηλώδης λιμένος, vt *Strabo* lib. VII p. 224 dicit, *in ingressu portus Pelodis*, & quidem in loco, qui peninsulam refert, vt Byzantinus ille *Stephanus* innuit, dum scribit: Βουθρωτὸς Χερρόνησος περὶ Κέρκυραν. h. e. *Buthrotus peninsula circa Corcyram*, ἔστι καὶ πόλις, *est etiam oppidum*. Colonia Romanorum olim fuit nobile; id quod praeter *Plinium* lib. IV Histor. natural. cap. I, & *Strabonem* l. d. duo *Augusti* confirmant nummi; quorum vno expressum est C. A. BVT. EX D. D. h. e. *Colonia Augusta Buthrotum ex decreto Decurionum*. altero; BVTHR. AVGVSTVS. vid. *Cellarius* Geographiae antiquae lib. II cap. XIII p. 1087. Anonymo auctori *chronici Barensis*, a *Camillo Peregrino* editi, vocatur *Bothronto*, vti eruditissimus *Baluzius* iam monuit l. d. veteribus vero *Buthrotum*, vt apud *Plinium* & *Stra-*

& *Strabonem* locis excitatis videre licet. Ceterum Episcopatus, quo claret, Archiepiscopatui contributus est Naupactensi. vid. *Catalogus Episcopatuum matricibus suis subiectorum*, subiunctus *Philippi Cyprii* chronico ecclesiae Graecae, n. XXXIV.

Quas narrat, rebus maximam partem ipse interfuit. Caesarem enim Delegati Pontificii titulo sequebatur. Quibus non interfuit (aliquando enim officio sic exigente alio abiit; v. § XIV; aliquando ad Pontificem iuit; v. § XXXIX; aliquando aliis in partibus Caesaris curauit negotia; v. § XLV & seq. § LVIII & seq.) has ab iis accepit, qui non audiuerunt, sed viderunt, & ipsi egerunt.

Refert autem eas stilo quidem rudi, aspero, atque sine vlla venustate atque munditia verborum; aperto tamen ac simplici: tum vero, quod virum probum decet, animo ab odio aeque ac gratia vacuo; non ignarus, sui esse muneris, nil falsi dicere, nil veri dissimulare, atque in neutram inclinare partem.

Cum per aliquot saecula latuisset in tenebris, anno superioris XCIII lucem vidit. Cum enim hanc, quam ille dedit, narrationem in codice bibliothecae regiae Parisiensis 9920 inuenisset doctissimus vir, aeternumque Galliae decus, *Stephanus*, quem supra iam laudaui, *Baluzius*, dignam iudicauit, quam ad calcem veterum actorum, *vitis Pontificum Auenionensium* subiunctorum, cum orbe erudito communicaret.

Dici vero vix potest, quam magni hactenus apud eruditos, rerumque gnaros fuerit ponderis.

Iacobus certe *Paulus* a *Gundling*

in praefatione vitae *Henrici VII* praemissa § IX de Scriptoribus, quibus se vsum refert, n. V:

Ex Relatione, inquit, *quam* Clementi *Papae* V *fecit*, *apparet*, *quod vir fuerit rerum ciuilium opido peritus*, *nec litterarum communium vel vllius doctrinarum disciplinae expers. Res sane se praesente a Caesare & coram eo actas articulatim, candide, plane, atque adeo egregie prorsus descripsit. Optandumque esset, vt reliquas etiam ad illius obitum vsque litteris consignasset.*

Nicolaus Hieronymus Gundlingius

in dissertatione *de iure Imperatoris & Imperii in magnum Etruriae Ducatum* cap. I § LVI p. 64.

Haud temere Episcopi Botrontinensis auctoritate vtor. Fuit enim hic non solum in comitatu Imperatoris, ita, vt, quae viderat & audiuerat, litteris consignaret; verum etiam perquam singularia de Florentinis, eorumque obstinatione

obseruauit, quae scopo conueniunt nostro. —— p. 65; *In reliquis, quae bona fide auctor hic probatissimus recenset* cet. § LVII p. 66; *Cuius auctoris sincera recensio tanto minus debet esse suspecta, quanto certius est, totam narrationem illum verbis hisce conclusisse* : Pater sancte, testimonio conscientiae meae *cet.*

Casimirus Oudinus
l. d.

Huius itineris diarium ipse socius itineris post dicti Imperatoris mortem Clementi *Papae* V *dedicatum conscripsit, simplici quidem, sed narratione admodum fideli.*

Quae cum ita habeant, & *Vitae* modo memoratae his in oris rarius habeantur, aequis rerum aestimatoribus non ingratum fore ratus sum, si opusculum hoc alia inter *Reuberianis* insererem.

Inserui autem bona fide, sine vlla mutatione, quamuis vnus alterque locus laborare videatur : ac vt singula hoc commodius euolui, citari, enotarique possint, in partes istud incidi. Quod dum feci, earum numeros duobus semiluniis inclusos margini adscripsi; simul vero editionis Baluzianae paginas, notato in textu stellula apposita earum initio, adieci.

NICOLAI

NICOLAI
EPISCOPI BOTRONTINENSIS
RELATIO
de HENRICI VII Imper. itinere Italico
ad
CLEMENTEM Papam V.

SAnctissime Pater, infra scripta sunt, quæ acta sunt in Italia, postquam Dominus Imperator felicis recordationis montes transiuit, prout ego frater *Nicolaus* Dei & Vestri gratia *Episcopus Botrontinensis* possum testimonio meæ conscientiæ melius recordari ad præsens. 1147

(1) In *Taurino* venit Rex Romanorum mense octobris. Tunc cum eo pauci erant. Illuc venerunt Romani ad eum, qui in ambassiata veniebant ad vestram Sanctitatem. Ibi omnes, qui in ambassiata erant, ab eo honores receperunt & munera, & aliqui eorum consilium suum intrauerunt. Non credo, prout ego recordor, per verba eorum, quæ primo protulerunt, quod intentionis populi Romani fuerit, eos mittere ad petendum, quod Sanctitas vestra alicui vel aliquibus committeret coronationem sui, sed quod vos personaliter veniretis. Qui tamen in sua ambassiata habebant vnam generalem propositionem: quod quicquid esset vtile pro eorum ambassiata facerent, si viderent, quod Sanctitas vestra se excusaret, quod venire non possetis propter plures rationes, quas possetis allegare, ipsi de consilio Decani Treuerensis & meo vellent petere, quod alii vel aliis Sanctitas vestra coronationem committeret, & nos nomine dicti Regis hoc idem peteremus. Ista fuerunt in *Taurino* ordinata. 1148

(2) Eo existente ibidem, in *Mediolano*, in *Vercellis*, & in omni liga eorum, ordinatum fuit per eos, qui tunc dominabantur, sub pœna grauissima, quod suum Episcopatum nullus exiret. Et hoc factum est malitiose, vt publice dicebatur, ne aliquis Guebelinus se iungeret ei, & ipse cum tam parua gente modicum posset facere. Et quod hoc sit verum, satis apparet, quia Dominus *Guido* de *Turre* Priorem & Suppriorem Fratrum Prædicatorum Mediolanensium misit *Spiram*, significans ei, quod *Lausanæ* vellet sibi occurrere cum filiis suis & mille armatorum, & quod gentem non curaret adducere magnam, quia cum vno falcone sine armis ipsum duceret per totam Lumbardiam. Dominus autem Rex me præsente petiuit hoc a prædictis Priore & Suppriore, vtrum crederent, quod Dominus *Guido* intenderet facere, quod mandabat. Responderunt in animas suas, quod ita credebant. Dominus autem omnino verbis Fratrum confidens, specialiter cum vnus eorum diceret, se esse suum confessorem, sic in præparatus festinauit, credens, quod ista omnia essent vera. Et ista fuit vna causa, quia consilium Domini Regis Franciæ, licet Sanctitati vestræ tunc videretur expediens, minime expectauit. 1149

(3) In illo loco Dominus *Ricardus* de *Tiscionibus* de Vercellis expulsus, non obstante prohibitione, quod nullus suum Episcopatum exiret, venit cum centum armatis equitibus *Taurinum* dicens publice, quod destructus erat & sui & expulsus & confinatus propter partem Imperii, & quod sicut Domino suo de illo modico, quod eis remanserat, paratus erat ei seruire vsque ad mortem. Dominus Rex publice sic respondit, quod compatiebatur ei multum & suis; tamen quod propter suam partem hoc accidisset, ei non credebat, cum ipse partem in Lombardia non haberet, sed totum, nec partem vellet tenere in Lombardia, nec pro parte venerat, sed pro toto. Ex isto verbo fere omnes Guelfi fuerunt consolati, & omnis homo dicto Regi benedicebat.

(4) Postea venerunt ad eum illuc Comes *Philipponus* cum tota militia

Papiensium, qui fuerunt, vt audiui, plusquam quadringenti, *Symon* de Aduocatis de *Vercellis* cum ducentis militibus ad arma, & Dominus *Antonius* de *Laude* cum centum armatis & plus, vt dicebatur. Isti tres post Dominum *Guidonem* de *Turre* in parte Guelpha dicebantur maiores, prudentiores, & domini suarum ciuitatum. Consilium istorum fuit, quod nullam partem expositam in aliqua ciuitate reponeret, donec esset coronatus, & quod hoc pro meliori esset, pluribus rationibus ostendebant.

1150 (5) In eodem loco venit *Marchio Saluciarum* circa centum armatos secum habens. Ibi voluit iurare & facere fidelitatem de suis bonis, quæ ab Imperio tenebat. Dominus Rex ipsum noluit recipere ad fidelitatem, quia fidelitatem fecerat Regi *Roberto*, dum per Lumbardiam veniret de coronatione reuertendo. Et istud fuit suum motiuum; quia parentelam intendebat facere cum eodem, noluit aliquid facere in terris & in hominibus, quæ tunc per Regem *Robertum* tenebantur. Recordor ego de ciuitate Albensi, cui Vestra Sanctitas litteras sicut & aliis ciuitatibus Lumbardiæ, vt ei obedirent, dirigebat, quod ipse nunquam voluit sustinere, quod eis præsentarentur; ne, si obedirent, posset aliqua nouitas oriri inter eum & Regem *Robertum*, cui iam de mandato vestro dederat licentiam, quod non teneretur recipere feodum suum usque ad certum tempus, de quo ad præsens non recordor.

(6) In eodem loco venit *Marchio Montisferrati* cum ducentis armatis, vt dicebatur. Præsentauit se publice ad faciendam fidelitatem de Marchionatu. Dominus Rex noluit ibidem ipsum recipere, quia *Marchio Saluciarum* dicebat, quod sibi de iure debebatur propter quædam, quæ ab antiquo erant inter* eos, & quod ipse nihil iuris habebat. Propter hoc & quædam alia, vt sanius consilium haberet, & ne nimis se præcipitaret in primis, pro tunc noluit ipsum recipere ad fidelitatem.

*in margine Kierium.

(7) Licet autem consilium Domini Comitis *Philipponi*, *Antonii*, & *Symonis* prædictorum Guelforum fuerit, quod nullam partem introiret expulsam, donec coronaretur; consilium autem aliorum & specialiter citramontanorum fuit contrarium. Vnde Dominus, de *Taurino* iuit in *Kierium*, & ibi partem Guebelinam diu expulsam secum introduxit, quod fuit ad maximam consolationem omnium expulsorum Italiæ. Ibi constituit vicarium primum, quem fecit vestrum Militem, Dominum *Hugolinum* de *Vicco*; qui

1151 sic eos in bonis moribus nutriuit vna cum aliis Vicariis, qui secuti sunt eum, quod vsque in hodiernum diem in pace remanserunt. Dicta terra dicitur Ecclesiæ Taurinensis esse per priuilegia Imperatorum. Comes Sabaudiæ dicit quod sua est per priuilegia Imperatorum. Dominus Rex ipsam semper sibi retinuit propter verba illius populi, qui dicebat quod *Federicus* condemnatus iam illa priuilegia dedit prædictis Ecclesiæ Taurinensi & Comiti.

(8) De *Kierio* venit in *Ast* circa festum *Martini*, & secum partem expulsam introduxit, & fecit pacem inter eos. Ibi fecit Vicarium Dominum *Nicolaum* de *Bonsignoribus* de Senis. Pace autem facta inter eos, ibi primo percepit intentionem Regis *Roberti*; quia licet fuerit publicum, quod cum eo societatem haberent, vt vnus alium iuuaret secundum quædam pacta, sine tamen alio iuramento aliquo publico alicuius fidelitatis, per duos magnos de *Solario*, qui ante aduentum suum dominabantur, fuit sibi intimatum & instrumentum apportatum, quomodo Rege *Roberto* veniente de coronatione, ipsi secretum iuramentum sibi fecerunt sicut domino, & ipse eis; sed istud non debebat reuelari, donec Sanctitas vestra publice ostenderet affectum, quem ad eum habebatis, & quomodo voluntas vestra erat, quod ipse cresceret in Lumbardia, & in breui vos promiseratis, sibi ostendere per effectum, prout ego melius possum recordari. Ista fuit sententia verborum illorum duorum de *Solario*; quos ego si viderem, cognoscerem, sed nomina ignoro. Præsens fuit in istis Regina, fratres sui, Episcopus Gebenensis, & ego. Dominus post recessum illorum duorum mihi præcepit quod illud instrumentum ego comburerem, quod & feci. Nolebat autem, quod vnquam posset ostendi, ex quo vnum esse debebant propter parentelam futuram, & ipsum excusabat, di-

1152 cens, quod filius tam probi viri de sanguine beati *Ludouici* natus nunquam faceret tale quid, sed forte consilium suum potuit hoc facere. (9) In

(9) In illo loco diligenti & maturo consilio habito de Marchionatu *Montisferrati*, cuius esset, inuenit, quod *Marchio Saluciarum* nullum ius habebat. Licet autem inter ambos Marchiones, qui eiusdem domus fuerunt, fuerit ordinatum per testamenta eorum, quod si vnum contingeret mori sine herede, alius succederet, & Marchio *Montisferrati* mortuus fuerit sine herede, habens vnam sororem, vnde iste natus est, qui iam Marchio est, ratione cuius dicebat se habere ius, scilicet matris, quæ fuit soror vltimi Marchionis, qui filiam Comitis Sabaudiæ habebat in vxorem; quia tamen in tam nobilibus feodis sorores non succedunt, nec ordinatio potest fieri aliqua sine consensu superioris, declaratum fuit ibi per Regem, quod neuter eorum habebat ius, & quod Marchionatus deuenerat ad manum dicti Regis. Et hoc fuit per omnes approbatum nullo aperte contradicente.

(10) Tunc Dominus Rex volens placere Comiti *Philipponio* & omnibus Guelphis, volens etiam placere Domino *Opizino* de *Luculo*, cuius filiam habet in vxorem nunc Marchio, Marchionatum *Montisferrati*, qui iuste ad manus suas deuenerat, de nouo tradidit in feudum Marchioni illis diebus. Illa donatio omnibus Guebelinis in Lumbardia displicuit, quia Marchio tunc tenebat cum Domino *Guidone* de *la Turre* & Comite *Philippono* & aliis Guelphis, & Marchio *Saluciarum* tenebat tunc, sicut & nunc, cum Guebelinis expulsis de Lumbardia. Ab illo die semper Marchio *Montisferrati* pro Imperio & fidelibus Imperii fidelis est inuentus.

(11) In eodem loco venerunt ad eum Archiepiscopus Mediolanensis & Dominus *Matthæus* Vicecomes & *Manfredus* de *Becaria* de Papia, qui tunc erant expulsi. Ibi, prout recordor, iurauerunt suum consilium isti tres, qui tunc Domino *Guidoni* de *Turre* & parti Guelphæ erant contrarii, & adhuc sunt, excepto Archiepiscopo. Tunc etiam superius nominati Comes *Philipponus* & *Symon* Vercellensis & *Antonius* de *Laude* Domini Regis consilium iurauerunt & fidelitatem fecerunt, & plures alii Prælati & laici, quos nescio nominare, inter quos fuit Episcopus *Astensis*, *Nouariensis*, & *Taurinensis*. 1153

(12) Ibidem Dominus Archiepiscopus Mediolanensis requisiuit Dominum Regem, quod fratres suos tres, quos *Guido* de *Turre* plus quam per annum in carcere tenuerat, mandaret liberari. Dominus Rex mandauit illi, quod ipsos liberaret. Quod tunc facere recusauit.

(13) Ibidem Comes *Philipponus* inuenit vnum de Papia, qui venerat ad Dominum suum. Et quia, vt prædixi, ipse & alii, qui potenter suas ciuitates tenebant, ante ingressum Regis in Lumbardiam ordinauerant sub pœna graui, quod nullus suum Episcopatum exiret, prædictum increpabat, quare contra ordinationem suam venisset, & Comitatum suum exiuisset; respondit, quod ad dominum suum venisset. Tunc dictus Comes, postquam ipsum vituperauerat, mandauit fratri suo, tunc Episcopo Papiensi, quod domos suas faceret sibi dirui, & vineas suas abscindere, quod & fecit. Postquam factum est, & Regi fuit intimatum, multi mirabantur, quod dicto Comiti parcebat sic, quod non solum ipsum de hoc non puniuit, sed etiam sicut prius consiliarius fuit. Et in conscientia mea ego ex tunc minus in animo meo ipsum Regem reputaui, & quod ipse nunquam bene faceret iustitiam, nec de malis hominibus magnis studeret facere iustitiam, quod supra modum mihi displicebat.

(14) Quæ facta sunt in *Ast* alia, non bene recordor, licet plura, prout credo, facta fuerint, quia diu mansit post meum recessum ibidem. Ego autem illo die recessi de *Ast* cum magno Capellano vestro, cum literis, quas scitis. Quo die Dominus *Cardinalis* de *Peregruo* intrauit.

(15) Post meam reuersionem suum recessum audiui de *Ast* in hunc modum. Plures de Lumbardia, de Ianua, tunc cum eo erant; & inter eos ipse vidit diuersa consilia secundum diuersitatem voluntatum. Modo quasi in centro illius contratæ Lumbardiæ situatum est vnum castrum, quod vocatur *Vigenenum*, distans de *Mediolano*, de *Vercellis*, de *Papia* per viginti milliaria: & de *Laude* etiam. *Illud* castrum tunc tenebat Dominus *Guido* de *Turre* pro communi Mediolanensi, & vnus de suo sanguine erat tibi tunc Po- 1154

testas. Per procurationem vnius medici, qui tunc ibi morabatur, notus postea & amicus Domini *O.* de *Grandissono*, quia ipsum curauit de magna infirmitate, quam tunc habuit in *Aquebelle*, dictum castrum Domino Regi latenter fuit promissum; ad quod recipiendum Dominum *Hugonem Delphini* præmisit. Qui simul cum eo de *Ast* recedens, paucis scientibus, ipse per partem viæ, quæ vadit in *Casalle*, cum Rege incedens, Domino Rege illa nocte veniente in *Cassale*, dictus Dominus *Hugo Vigeneuum* intrauit, & Potestatem, Domini *Guidonis* consanguineum, cum suis bonis illæsum dimisit. Quo castro habito, omnes ciuitates circumquaque timuerunt. In *Cassali*, cum in pace essent, nihil aliud fecit, nisi quod iuramentum fidelitatis ab eis recepit.

(16) In Castali & ante, quia consilium prædictorum trium *Philipponi*, *Symonis* Vercellensis, & *Antonii* erat, vt prædixi, quod nullum extra positum secum intromitteret; consilium autem aliorum erat contrarium, & voluntas Domini Regis caute & secrete dictos tres custodiri faciebat, sic tamen, quod ipsi ignorabant, nec quis advertebat, nisi illi, quibus erat commissa dicta custodia.

(17) De *Cassali* volens recedere. Rex, dictus *Symon* de Vercellis, ibidem potens & Dominus, rogabat, quod procederet; Dominus Rex noluit, non bene sperans de eo; sed vltra cum eo procedens versus *Vercellas*, 1155 *Padum* cum somariis & curribus sine nauigio transiuit, quod omnibus patriotis miraculum videbatur, ciuitatem intrauit Vercellensem, & expulsos secum adduxit. Ibidem vnum vicarium de Ianua *de Malosellis*, qui Guelphi sunt, dimisit, consanguineum Domini Comitis Sabaudiæ. Ibique pace inter eos facta & bona concordia, receptisque fidelitatibus Domini Episcopi, Nobilium, & communis, versus *Nouariam* direxit gressus suos.

(18.) In *Nouaria* veniens, partem expulsam secum adduxit. In *Nouaria* tunc dominabatur vnus Guelphus Dominus *Guillermus* nomine de *Brusatis* antiquus. Vtrum sibi obuiauerit nescio bene, nisi usque in *Vercellas*, quia fuit antiquus & debilis. Pace inter eos & concordia facta, quia Dominus Archiepiscopus Mediolanensis erat aliquantulum Domino Episcopo *Vercellensi* durus super consecratione sua, Dominus Rex & Regina ipsum Archiepiscopum rogauerunt, ut dictum Episcopum Vercellensem in præsentia eorum consecraret. Quod & fecit in Ecclesia Fratrum Prædicatorum in *Nouaria*. Qualem reuerentiam sibi fecerunt, quæ dona dicto Episcopo dederunt Rex & Regina, & quas expensas fecerunt in dicto festo, quantum ad conuiuia & alia, ipse scit, cui factum est, & ipsi, qui interfuerunt. Quomodo autem dictus Episcopus dicto Regi post suam consecrationem & honorem receptum ab eo sibi seruiuerit & fidelitatem seruauerit, insignia Regis *Roberti* in *Vercellis* posita & in suo hospitio specialiter & per eum & suos, vt fama est, hoc ostendunt. Recordor incidentaliter, quod ante recessum meum de Pisis audiui ab Imperatore per paucos dies, quod in isto mundo non erant duo Prælati magis ingrati, quam Archiepiscopus Mediolanensis & Episcopus Vercellensis, & quod inter omnia, quæ plus habebat cordi, vnquam Sanctitati vestræ supplicare circa facta Prælatorum, hoc erat, quod Sanctitas vestra sciret, quid fecit pro istis duobus, & quid fecerunt contra eum.

1156 (19.) Domino Rege in Nouaria existente per aliquos dies, Dominus *Guido* de *Turre* tunc sibi misit ambassiatores, primo quod veniret; per quos fratres Archiepiscopi Mediolanensis, quos antea non miserat, licet de *Ast* petiuisset, liberos remisit. Ille fuit primus locus, qui solum a Mediolano distat per paruam dietam, ad quem misit, licet in ciuitate Spirensi misisset & Priorem & Suppriorem Prædicatorum Mediolanensium, quod citra Lausanam sibi occurreret, prout superius est notatum. Mora missionis nuntiorum Domini *Guidonis* de *Turre* ad Regem, secundum ea, quæ mandauerat per fratres, satis in corde Regis posuit de suspicione, licet illis diebus parum ostenderet per effectum, cum semper, quantumcunque accusaretur per alios dictus *Guido*, per eum excusaretur. Quamuis de multis veris accusaretur, videlicet quod Domino *Guillermo* de *Postella*, qui maior est Nobilis de Mediolano, negauit venire ad præsentiam Regis iis diebus & pluribus, & quod ipse terram muniuerat

uerat armatis omnibus, quos habere poterat; semper tamen, quantumcunque Domino Regi diceretur, ipsum publice excusabat, & dicebat quibusdam ad partem suis amicis priuatis, quod Prior & Supprior prædicti Mediolanenses, sibi dixerant in animas suas, quod bona fide intendebat obedire, & nihil mali erat in corde suo circa eum.

(20.) De *Nouaria* recedens transiuit *Ticinum* sine nauigio. Quod miraculum rustici de partibus dicebant, cum a centum annis non esset auditum, quod sine naui per aliquem locum quis transiuerit illam aquam.

Mediolanum præcesserat Marascalcus Regis propter hospitia assignanda. Qui nullam bonam voluntatem videns in Domino *Guidone* suo iudicio, satis ingressum Domini Regis timuit in *Mediolanum*, specialiter cum palatium communis dictus *Guido* nollet dimittere, qui ipsum inhabitabat, nec stipendiarios vellet licentiare, qui erant in equis fere mille. Quando in via litteras recepit Marascalci Dominus Rex de statu ciuitatis Mediolanensis & voluntate Domini *Guidonis* & suorum, retraxit se aliquantulum extra viam, & prædicta in consilio proposuit. Pauci, iis auditis, fuerunt, qui auderent bene ingressum suum consulere propter pericula proditionis, quæ quasi in promptu videbantur. Suæ voluntati acquiescens mandauit festinanter Marascalco, quod proclamari faceret, quod omnes sibi obviarent & sine armis, excepta familia Marascalci. Tunc omnibus suis præcepit, quod arma acciperent. Et sic festinauit, quod dictus *Guido*, qui sibi obuiabat sine armis, non bene per vnum miliare potuit sibi obviare, ita cito ciuitati appropinquauit, cum pueris & familia decenti. Intimauerunt autem aliquibus de consilio Regis quidam, quod non obstante proclamatione Marascalci, quod nullus arma portaret stipendiarius vel ciuis sub pœna graui, sed omnes Regi obuiarent sine armis in solennitate, qua deceret, quod in vna platea illorum *de Turri* equitum & peditum fere decem millia armati fuerunt, & ibi dicebant, quod non erat contra Regem sed contra suos inimicos, videlicet Archiepiscopum & fratres suos, Dominum *Matthæum* Vicecomitem & suos sequaces. Propter quod in campis fuit ordinatum, quod intrando ciuitatem Mediolanensem nullus iret ad hospitium sub pœna graui, nullus separaret se ab alio, donec Dominum Regem in suo hospitio posuissent, & licentiam haberent recedendi ad hospitia. Et hoc fuit Theotonicis grauissimum, quia tarde erat, & hospitium non habebant plures, nec aliquis erat securus. In hospitio Archiepiscopi descendit Rex, & ibi fuit per plures dies, donec Dominus *Guido* induci potuit, quod palatium communis dimitteret. De hoc multi multa loquebantur contra Regem, quod talia poterat sustinere.

1157

(21.) Celebrato ibi solenniter die natiuitatis Domini Iesu Christi, in crastinum fecit pacem inter Dominum Archiepiscopum, fratres suos, Dominum *Matthæum* Vicecomitem prædictos, & Dominum *Guidonem*. In præsentia sui & multorum se inuicem sunt amicabiliter, vtinam fideliter, osculati. Cito post, nescio quot diebus, sed scio quod infra octauas natiuitatis Christi, in platea communi, ante sanctum *Ambrosium*, parata sede decenti, vocatis omnibus ciuibus & forensibus, ipse in sede regali sedens, & ad pedes suos prædictos simul habens, vnus Iuris peritus de mandato suo surrexit, ostendens populo, quare venerat de suis partibus satis pulcre, & quomodo suæ intentionis erat, nullam partem tenere, vbique ponere pacem, omnes expulsos introducere, & talia plura, quæ populus cum magnis lacrymis præ gaudio audiebat, dicens laudem Deo & sibi, secundum modum patriæ, supra modum.

1158

Specificauit etiam & digito ostendit dictus prolocutor vnionem, pacem, & concordiam, quam fecerat alibi, & inter prædictos Dominos Archiepiscopum, fratres suos, Dominum *Matthæum*, & Dominum *Guidonem*. Et omnia isti prædicti simul sedentes, & simul tenentes se in recessu cum manibus, asserebant, & tunc facta ostendebant. Hoc facto, Dominus *Guido* sponte palatium communis, quod inhabitabat, Domino Regi dimisit, & Domina Regina remansit in palatio Archiepiscopi.

(22.) Tunc temporis ciues de *Modoetia* instabant, quod Rex *Modoeciam* reuerteretur ad coronam ferream recipiendam, cum ibi esset locus ab antiquis Regibus ordinatus. Dominus Rex habita matura deliberatione & inspectis libris

bris & chronicis antiquis inuenit, quod dictus locus erat suæ coronationis ferreæ *Mediolanum*, & quod sanctus *Ambrosius* talem in tali loco & plures Episcopi Mediolanenses plures in tali vel tali loco coronarunt, & quia *Mediolanum* frequenter rebellauit Imperio, & Reges plures nesciebant, si audacter *Mediolanum* possent intrare ad recipiendum dictam coronam ferream propter rebellionem eorum frequentem & infidelitatem, deliberauerunt, quod quando Mediolanensem ciuitatem non possent pacifice intrare, quod apud *Modoecium* coronam reciperent, quod nunquam Imperio rebellauit. Vnde cum Dominus adhuc *Modoecium* non intrasset, & in *Mediolano* pacifice esset receptus, iniuriaretur ipsis, si alibi quam in ecclesia sancti *Ambrosii* suam coronam ferream reciperet. Quod ab omnibus, exceptis ciuibus de *Modoecia*, est vnanimiter conncordatum. Vnde Dominus Rex diem Epiphaniæ pro sua corona ferrea recipienda in ecclesia sancti *Ambrosii* elegit.

1159

(23) Post hæc fuit visum honestum consilio Mediolanensium, quod aliqua curialitas fieret Regi. Et super hoc fuit vocatum consilium sapientum, inter quos fuerunt Dominus *Guido* & Dominus *Matthæus*. Omnes concordauerunt, quod aliquid sibi daretur. Sed de summa vnus nobilis, Dominus *Guillermus* de *Postella*, dixit primo, quod Regi darentur quadraginta millia florenorum. Dominus *Matthæus* dicit, quod bene erat dictum. Et plures alii concordabant. Addidit tamen vnum, quod aliquid daretur Dominæ Reginæ pro Curia sua tenenda, & dixit de decem millibus florenorum. Et pluribus placuit. Tunc Dominus *Guido* dixit, quod ciuitas erat potens & diues, & quod parum erat secundum indigentiam Domini. Vnde videbatur ei, quod non minus quam centum millia florenorum debebant sibi dare. Iste habuit etiam sequaces suos plures.

(24) Ex istis statim inter Theotonicos & inter consiliarios Domini fuit dictum & iudicatum, quod Dominus male fecerat, quod vnquam Dominum *Matheum* intromiserat, & quod iam minus volebat de vtilitate sua procurare in ciuitate Mediolanensi, quam Dominus *Guido* de *Turre*, qui Dominium perdebat. Alii autem dicebant aliud, quod Dominus *Guido*, sciens populum grauatum per eum multum, & non voluntarium ad tantam pecuniam dandam, quia cum maximo gaudio Regem receperant, vt omnino vel rebellarent vel gratiam ad eum perderent fecit. Nos autem citramontani, inter quos ego fui tunc, plus satis eramus contenti de Domino *Guidone* & de sua procuratione magna, cum sciremus Regem & nos omnes satis indigere, quam essemus de Domino *Matthæo*. Vnde dicebamus communiter, quod Dominus *Matthæus* ita modicum volebat, vt daretur Regi, vt gratiam populi & fauorem haberet. Scio, quod de istis centum millibus florenorum Rex recepit quinquaginta millia sine solutione particulari alicuius hominis, quia ordinatores super hoc redditus & introitus ciuitatis vendiderunt ad certum tempus pro tali summa. Alia quinquaginta millia fuerunt posita per ciuitatem & Comitatum, & cum talibus rumoribus recollecta, quod ego frequenter de domo Prædicatorum non audebam venire vsque ad palatium propter maledictiones & vituperia, quæ dicebant de Rege & de nobis citramontanis isti, qui ad soluendum cogebantur.

1160

(25) In die Epiphaniæ per Archiepiscopum *Mediolanensem* & Episcopum *Vercellensem*, quem ad hoc specialiter voluit habere tanquam suum Episcopum, qui sic tunc a Rege & Regina vocabatur, & pluribus aliis Prælatis præsentibus, tunc coronam ferream in ecclesia beati *Ambrosii* suscepit. Eodem die centum & sexaginta Milites nouos fecit; inter quos fuerunt aliqui citramontani, & plures Lumbardi, omnes Guebelini, duobus vel tribus exceptis, videlicet *Guiberto* de *Corrigia* de Parma & *Ponsino* de *Ponsonis* de Cremona, qui Guelphi erant. Et de hoc fuerunt multa iudicia, cum Guelphi essent plures quam Guebelini, & ditiores & potentiores, quia tunc per manum Domini sui nolebant militari. Memoriam nominum istorum duorum habui, quia frequenter propter mirabiles proditiones, quas fecerunt in Parma & Cremona, suis ciuitatibus, quas procurauerunt rebellare, audiui eos nominare. Qui tot honores & commoditates a Domino Rege receperant in diuersis locis, quomodo sine causa potuerunt talia facere?

1161

Ad

(26) Ad dictum diem omnes ciuitates fuerunt vocatæ per Syndicos, & omnes miserunt, & omnes fidelitatem iurauerunt; exceptis Ianuensibus & Venetis, qui tunc, licet miserint, non iurauerunt, & multa dixerunt, quæ male retinui, quare non iurabant, & tamen Dominum suum Regem Romanorum recognoscebant. Vnde nullam bonam causam scio, nisi quia sunt de quinta essentia, nec Deum, nec ecclesiam, nec Imperatorem, nec mare nec terram volunt recognoscere, nisi quantum volunt; & ista suæ rationes innuebant.

(27) Postea successive infra mensem omnes ciuitates infra scriptas pacificauit, & partes expulsas intromisit, & Vicarios eis dedit, scilicet *Cumanam*, ubi partem Guebelinam intromisit; *Brixiensem*, ubi partem Guelpham intromisit; *Mantuanam*, ubi partem Guebelinam intromisit; *Placentiam*, ubi partem Guelpham intromisit, & sic de omnibus aliis a *Bononia* & supra excepta *Verona*, in qua partem Guelpham voluit intromittere, sed Veronenses noluerunt ipsum *Comitem* de *sancto Bonefacio*, tunc præsentem in Mediolano, recipere, qui caput Guelphorum in illa ciuitate *Verona* erat, dicentes, quod dictus Comes per *Federicum* erat priuatus omnibus bonis suis tanquam proditor & rebellis, & de hoc iustitiam petebant. Dictus Comes defendebat se, quod *Federicus*, licet priuauerit eum, non potuit, quia iam fuerat condemnatus. Alii dicebant, quod non, & de hoc volebant facere fidem.

(28) Et dum sic litigarent ante perfectam declarationem, ista quæ sequuntur, per Dominum Regem fuerunt in consilio suo proposita. Proposuit Dominus Rex omnibus citramontanis & vltramontanis, non solum suis consiliariis, sed etiam pluribus aliis sapientibus ad hoc vocatis, cum Deus, non ipse, per suam gratiam in Lumbardia pacem posuisset, sic quod omnes partes expulsæ fere erant introductæ, & simul pacifice viuebant, & Vicariis suis obediebant, quis esset modus melior, cum ipse esset in procinctu eundi ad coronam, conseruandi Lombardiam in pace post suum recessum. Lumbardi per se, citramontani per se, conuenerunt. Et postea voluit Rex, quod simul essent. Et per se & simul omnes concordauerunt, quod de omni ciuitate maiores de vtraque parte secum duceret, quia illi erant, qui faciebant brigam & hoc cum expensis suarum ciuitatum, & quod vnus esset Vicarius generalis cum magna gente stipendiariorum. Istud consilium Dominus Rex approbauit, & Dominum *Comitem Sabaudiæ* Vicarium generalem constituit, qui debebat habere mille quingentos equites armatos ad expensas omnium ciuitatum Lumbardiæ, secundum ratam cuiuslibet. Et ista stipendia recepit dictus Comes per aliquod tempus. 1162

(29) De modo eligendi illos, qui dictum Regem ad suam coronam debebant sequi, fuerunt multi, multa dicentes, quæ longa essent enarrare. Sed finaliter in hoc deuenerunt, quod vna pars eligeret aliam, videlicet Guelphi XXV Guebelinos, & Guebelini XXV Guelphos Ordinatum enim erat, quod quinquaginta de Mediolano Dominum Regem sequerentur. Per Guelphos electus est Dominus *Matthæus* ViceComes & vnus de suis filiis, cum XXIII aliis. Per Guebelinos electus fuit Dominus *Guido* de *Turre* & vnus de filiis suis, cum XXIII aliis. Post aliquod interuallum videntes Guelphi, quod fere omnes, quantum ad capita eorum, de Mediolano recedebant, & plures Guebelini remanebant, quia plures intrauerant tunc Guebelini Mediolanum, quantum ad capita, quam fuissent de Guelphis his diebus, reputabant se grauatos, & tunc rogauerunt Dominum, quod alius modus inueniretur eligendi, quia notabiliter grauabantur. Licet Dominus Rex non libenter mutauerit, tamen ad instantiam *Comitis Sabaudiæ* Vicarii generalis & aliorum citramontanorum, qui plus Domino *Guidoni* fauebant his diebus propter iam dicta, quam Domino *Matthæo*, mutauit Dominus modum, & elegerunt aliter, ita quod credebatur, quod negotium bene staret. 1163

(30) Domino disponente se ad recessum, pauci erant, qui libenter sequerentur. Guelphi non libenter dimittebant ciuitatem, sed semper timebant Dominum, nec de eo plene confidebant. Guebelini, quia pauperes, & diu fuerant extra, non libenter sequebantur. Volebat tamen Dominus Rex, quod venirent. Ex quo per eos & per alios fuerat consultum, nihil voluit mutare, quin venirent.

(31) Tunc necesse fuit, quod pecunia pararetur per modum daciæ pro expensis eorum, item alia talia siue dacia pro expensis Vicarii generalis, item alia pro illis quinquaginta milibus florenorum, qui adhuc Domino Regi debebantur. Ista summa pecuniæ tanta pauperibus & diuitibus imposita sic omnes commouit, quod nullus bene posset credere, nisi præsens fuisset. Tamen oportebat, quod pecunia pro omnibus prædictis solueretur. In ista commotione Dominus *Guido* excusauit se propter infirmitatem, quod venire cum Domino Rege non posset. Dominus excusationem non admisit, & hoc quia medicum suum misit, & requisitus per iuramentum, vtrum haberet talem infirmitatem, propter quam esset merito excusandus de non veniendo, dixit, quod non.

(32) In ista tanta commotione accidit illa nouitas, quæ imposita fuit Domino *Guidoni*, & hoc quia in domibus suis & in sua contrata & pedites & equites inuenti sunt infiniti homines armati, & de domo sua principaliter & vicinia exeuntes contra Theotonicos plures vulnerauerunt. Item in aliis 1164 contratis longe remotis a sua, tamen de sua sequela, exiuerunt armati pedites & equites, licet per plures dies esset proclamatum, quod nullus Italicus arma portaret sub pœna graui. Fuit tamen dictum Domino Regi, me præsente & pluribus, quod Dominus *Matthæus* in illa nouitate concordauerat, & de consilio suo factum erat totum, & quod filii sui erant armati cum filio Domini *Guidonis*. Et istud fuit motiuum, quare credebatur, & hodie a multis creditur, quia dum ista nouitas inciperet, plures erant cum equis euntes per ciuitatem, & aliquos ego audiui clamantes: *Moriantur Theotonici omnes, pax est inter Dominum* Guidonem *& Dominum* Matthæum. Et tunc post istas clamationes omnes ciues sunt armati.

(33) Tunc illa hora ego eram cum Rege, qui mandauit, quod Dominus *Matthæus* caperetur cum filiis. Ego autem, qui veniendo ad Regem de domo Prædicatorum, per domum Cancellarii transiueram, vbi dictum Dominum *Matthæum* cum vno filio suo dimiseram sine armis, dixi: *Domine, Dominum* Matthæum *in domo Cancellarii dimisi.* Nullus voluit mihi credere. Præcepit mihi Dominus, quod ego irem & adducerem eum. Iui cum maximo periculo, & ipsum adduxi ad cappellam Domini. Tunc dixit mihi Dominus publice, quod seruitia feceram sibi; sed istud erat maximum, quia istum innocentem mandauerat capi ad eum interficiendum, si ego non fuissem, quia accusabatur ab omnibus, & adhuc etiam accusatur, & dicunt, quod ipse consensit; sed quando vidit, quod res non poterant fieri, vt credebat, propter festinationem nimiam Theotonicorum armatorum, dimisit alios in briga, & se extra posuit. Ibi facta sunt multa mala & infinita spolia, & multi mortui & vulnerati. Si iuste, Deus scit. Fugit Dominus *Guido* in domo sua. Inter alia suspicione plena inuentæ sunt sagittæ paratæ cum igne græco, multæ & grossæ balistæ ad trahendum.

1165 (34) Post illud periculum, quod satis magnum fuit, non multum post *Cremona* rebellauit proiiciens partem vnam & Vicarium extra ciuitatem. Hoc idem fecit *Brixia* & *Crema*. Sed *Laude* extra partem Guebelinam posuit, sed obediebat Vicario dicti Regis. Illis diebus dictus Rex dedit Comiti *Philipponi* Cassale, *Symoni* de Vercellis mille libras imperialium in feodum in redditibus suis recipiendas in Vercellis. Quod multum Guebelinis displicebat. Domino *Guidoni* tria millia ordinauerat dare, nisi illa miseria accidisset. De consilio istorum missus est *Antonius* de Laude ad istas tres ciuitates prædictas, quæ rebellauerant, tanquam prudentior inter alios Lumbardos & melior mediator. Illis etiam diebus missus fuit Episcopus Gebennensis in *Paduam*, vbi per eum inuentæ sunt diuersæ viæ & quidam tractatus super quibusdam gratiis, quas petebant Paduani. Et de hoc habuit Dominus Rex magnam pecuniam, sicut scio.

(35) Poc hæc *Antonius* de *Laude* reuersus est de *Brixia*, *Cremona*, *Crema*, & *Laude*, quæ rebellauerant, in quibus nullam obedientiam inuenit. Et sibi ab aliquibus fuit impositum, quod si bene laborasset & fideliter, quod ipsos de facili ad obedientiam reduxisset, quia nihil noui erat factum inter eos ad hue, nec causam habebant aliquam, nisi ratione nouitatis in Mediolano factæ.

factæ. Post hæc Dominus *Antonius* petiuit licentiam eundi in *Laude*: quæ licet partem Guebelinam expulisset, sicut & aliæ tres prædictæ, tamen adhuc Vicarium Regis tenebat, & sibi obediebat. Dominus Rex non libenter dedit ei propter ea, quæ dicebantur de eo, & quia prudentior homo Lumbardiæ. Tamen quia multi instabant, receptis fideiussoribus pro eo, quod ad talem diem reuerteretur, licentiauit eum. Fideiussores sui fuerunt Comes *Philipponus* & Dominus *Symon* de Vercellis. Iuit & postquam steterat per vnum diem *Laude*, tunc Laudenses Regis Vicarium ad suam procurationem expulerunt. Transacto termino, quod non reuertebatur, sed mandabat, se esse captum, multis placuisset, quod Dominus Rex posuisset manus ad ostagia, scilicet Dominum Comitem *Philipponum* & *Symonem* de Vercellis, quod facere recusauit. Et causa fuit, prout credo, quia tunc Comes *Philipponus* maximam displicentiam ostendebat de hoc, quod fecerat Dominus *Guido*, gener suus, & tunc Regi multum fidelis videbatur. 1166

(36) Transactis quibusdam diebus, die quo vestri nuntii tunc Electus *Salaritanus* & Dominus *Hugo Gerandi*, nunc Archiepiscopus & Episcopus, dum publicarent gratiam, quam Regi faciebatis super commissione suæ coronationis, dictus *Antonius* cum quodam de *Crema* missi per suas ciuitates claues portarum earundem Domino Regi præsentauerunt, petentes misericordiam, & suam culpam recognoscentes. Claues de suo mandato Marascalcus recepit, & dictum *Antonium* & alium custodiri fecit. Et licet eis tunc non pepercerit, tamen cito post ad preces vestrorum nuntiorum eis & ciuitatibus eorum sine aliqua pœna indulsit. Prædicta acta sunt circa finem quadragesimæ. Et quia his diebus Mediolani diuina non poterant audiri propter interdictum positum per *Dominum* de *Peregrue*, & ipse a vestra Sanctitate priuilegium habuit, audiendi diuina solenniter in omni loco, vbi intraret, per aliquos dies iuit *Papiam*, & in Pascha ibi propter diuina audienda; peracto mandato humillime in domo Prædicatorum tenuit curiam suam, & illo die Comitem *Philipponem*, suum filium, & vnum alium militauit, & post festum reuersus est Mediolanum.

(37) Et tunc, quia audiuerat, quod Pergamenses non bene stabant, scripsit Vicario, quod illos electos XIV, qui debebant eum sequi ad coronam, sibi mandaret. Antequam Vicarius litteras Domini Regis reciperet, ciues Pergamenses in præsentia Vicarii sui firmauerant, quod nullus Theotonicus ciuitatem suam intraret, & quod nullus eorum ad sequendum Regem ad suam coronationem iret, & quod prædicta per Vicarium Regi intimarentur. Post istam ordinationem Dominus Vicarius litteras regias recepit, quod sibi mitteret illos XIV, qui secum debebant ire ad coronam. Et verisimile timens de rebellione ciuitatis, si dictas litteras publicaret, tenuit eas, & Domino Regi mandauit ordinationem, quam fecerant, & quod non obstante tali littera sibi missa, quod iterum sibi scriberet, quod ad bonum & pacificum statum ciuitatis Pergamensis faceret, quod sibi videretur expedientius. Habita secunda littera, primam primo legit ciuibus, & postea secundam; & gauisi ciues de secunda in pace tunc remanserunt. 1167

(38) In crastino octauæ Paschæ de Mediolano recessit Dominus, & iuit *Laude*, dimisso Domino *Nicolao* de *Bonsignoribus* Vicario, & expulsos secum introduxit, & etiam Dominum *Antonium*, & eis pepercit, licet videretur maioribus sui consilii, quod muros destrueret, & vnum castrum de eis faceret ad expensas ciuitatis, vt subiecti per castrum tenerentur de cætero vellent nollent, quod facere recusauit. Immo in nullo eos puniuit. Si bene fecit, Deus scit. Sed non credo; quia facilitas suæ veniæ timeo ne aliis daret exemplum non bene faciendi.

(39) Ibi Cremonenses, qui primo rebellauerant, miserunt claues ciuitatis, petentes gratiam & misericordiam. Nec per vestros nuncios nec per suos consiliarios induci potuit, quod eis misericordiam promitteret, quia primi erant, qui rebellauerant. Tamen Regina, piissima Domina, quæ claues ciuitatis receperat, & omnes de suo consilio dabant talem spem, quod laborarent secundum suum posse, sic quod non debebant desperare. De illo loco recessi ego, & veni ad præsentiam vestræ Sanctitatis pro dispensatione matrimonii Domini *Guidonis* Flandriæ. Vnde quomodo ciuitatem Cremonensem intrauit sine promissione gratiæ, quia simpliciter ad suam voluntatem se posuerunt, quomodo 1168

sibi obuiantes, pluribus in camisiis & corrigiis per collum, quos ad carceres misit, quomodo mulieribus & paruulis clamantibus misericordiam, quomodo portas & partem murorum destrui fecit, & domos illorum *Marchionum* de *Tabiacabbo*, qui fugerunt, & quorundam aliorum destrui fecit, & ciuitatem Comitatu priuauit, licet postea reddiderit, nescirem loqui nisi ex auditu.

(40) De *Laude* audiui quod *Cremam* iuit, & introduxit secum expulsos, & eis pepercit in omnibus; nec intellexi, quod aliquid ibi fecerit aliud, nisi quod mandauit Pergamensibus, quod venirent ad eum, & ipsi tunc venire noluerunt.

(41) In *Cremona* eo existente tunc nulli erant rebelles, nisi *Brixienses*, &, prout intellexi, Brixienses ad ordinationem illius *Theobaldi*, quem intromiserat, quia per Guebelinos Episcopum & suos consanguineos diu extra ciuitatem fecerunt, miserunt quosdam mediocres ad Regem, dicentes, quod parati erant obedire, sic tamen, quod Guebelini, quos extra posuerant, non intrarent. Aliquibus videbatur magis expediens Domino, dimittere sic *Brixiam*, & directe ire ad coronam; quia tempus tunc satis erat conueniens. Aliquibus videbatur contrarium. Et vt intellexi, & credo verum esse, Guebelini de *Brixia* Dominum *Waleranuum* fratrem Regis informauerant, quod ciuitas infra quindenam caperetur, & quod si ipse posset ordinare, quod Rex poneret ibi exercitum, quod ipsi dicto *Waleranno* darent viginti millia florenorum. Tantum ipse laborauit cum quibusdam, quod missus fuit ibi primus cum magna gente, & postea Dominus Rex ipsum cum sua gente est secutus.

(42) Postquam vestra Sanctitas me licentiauit, antequam Brixiam venirem, multa mala fuerunt ibi facta, quæ ignoro. Ibi fuit Dominus *Waleranus* sagitta percussus, & postea sexta die mortuus. Ibi fuit ille proditor *Theobaldus*, quem Dominus intromiserat, ad cuius procurationem ciuitas rebellauerat, per horribilem modum interfectus, & plures Theotonici per Brixienses assati, & plures ex vtraque parte suspensi. Vix ab istis vel ab illis capiebatur persona, quæ non esset in periculo mortis. Posthæc veni in *Brixiam*. Et iam Domini Cardinales & Dominus Patriarcha pro pace laborauerant, sed nihil erat completum; & hoc, vt dicebant aliqui, quia Dominus Rex erat nimis durus, alii dicebant non, sed Brixienses erant nimis superbi. Ego autem credo, quod nulla duritia erat in corde Regis, sed quia frater suus erat de nouo mortuus & plures Theotonici horribili genere; si vitam, sicut dimisit eis, promisisset, vt petebant, & Cardinales consulebant, & non venissent ad omnimodam voluntatem suam, maior pars exercitus & fere Theotonici omnes & amici mortuorum fuissent turbati contra ipsum, & merito, quia omnibus constabat, quod in *Brixia* ipsi, quando ista tractabantur, victualia non habebant, excepto vino, de quibus commode per vnum mensem vixissent. Et hoc satis apparuit, quando intrauimus, de omni re comestibili modicum inuenimus.

(43) In eodem loco fuit Episcopus *Albensis* Frater Minor & vnus Archidiaconus ex parte Regis *Roberti* ad tractandum pacta, conditiones, & alia, quæ necessaria erant circa matrimonium filii sui & filiæ Regis Romanorum. Episcopus *Leodinensis* & Episcopus *Basiliensis* fuerunt electi per Regem pro eo. Isti quatuor simul existentes iurauerunt ad sacrosancta euangelia, quod bona fide ipsi ordinarent sine cauillationibus aliquibus, & Dominis suis consulerent in hoc facto, quæ essent pro meliori vtriusque. Pluribus diebus simul fuerunt, & concordauerunt illas conditiones dotis & aliorum, quæ requirebantur ad ista; sed quid, nescio; sed vidi quod consolati recedebant.

(44) Interim fuit vnus cursor veniens de *Brixia* & vadens in *Florentiam* captus cum litteris quod Potestas Brixiensis, qui tunc erat Florentiæ, *Pynus* nomine, per familiam Domini *Canis* captus, quia Brixia tunc erat exercitu regio sic vallata, quod exire vel intrare non erat facile sine magno periculo. Litteræ Regi fuerunt apportatæ. Ibi fuerunt in legendo eas Rex, Regina, Treuerensis, Dominus Sabaudiæ, ego, & vnus Clericus, qui vocatur Magister *Henricus* de *Iodonia*, iuris Professor. Potestati, Capitaneo, Executori iustitiæ, consilio, & communi Florentiæ ciuitatis isti de *Brixia* scribebant, quod nullo modo obedirent, & quod ipsi eis cito succurrerent in pecunia, & scirent, quod nullius rei indigerent nisi florenorum pro stipendiariis soluendis,

1169

1170

uendis, & mitterent per illos Prædicatores, per quos eis aliam pecuniam miserant vel per Minores. Item scribebant, quod tali die tunc quatuor milia interfecerant Theotonicorum, & tot magnos ceperant, & totum erat mendacium, & quod cito haberent victoriam de Rege, quia omnes sui recedebant. Modo Cardinales, qui se intromiserant de pace, dixerant Domino, quod ipsi volebant obedire ei, dum tamen securi essent de vita, & quod bona intentione loquebantur; sed quia frater Regis mortuus fuerat, per eos hoc petebant.

(45) Postquam Rex istam litteram vidit & audiuit, fuit totus melancholicus. Tunc dixit ei primo, & credo quod Comes Sabaudiæ, quod non curaret, quia isti erant homines, qui mendaciis & litteris falsis totum mundum reuoluebant, & iuuabant se talibus. Vt autem intentio eorum sciretur, non bona, sed peruersa a Cardinalibus, per illos, qui ibi erant præsentes, deliberatum fuit, quod bonum erat, quod littera Domino Legato & aliis Cardinalibus portaretur, vt ipsi scirent, quo motu Brixienses mouebantur misericordiam petentes. Et fuit concordatum, quod ego sibi & aliis portarem.

(46) Tunc Dominus Legatus erat in quodam castro, quod vocatur *Succinum*, distante ab exercitu per viginti miliaria parua, & alii erant in *Cremona* Receptis litteris illis de mandato Regis, illuc eundo & reuertendo, dum essem quasi in medio viæ, triginta homines in equis & bene trecenti homines pedites armati me cum familia acceperunt, & dum me ducerent ad quoddam castrum, quod *Brixienses* interiores tenebant, vnde illi stipendiarii erant, qui me ceperant, quod castrum a sinistris erat situatum inter exercitum & *Succinum* extra stratam publicam per octo miliaria, vulnerauerunt aliquos de familia mea, & omnium manibus ligatis & ad terram positis, quærebant locum conuenientem, vbi essent arbores ad eos suspendendum. His diebus ex vtraque parte pauci accipiebantur, nisi per aliquem modum morerentur; Et dum me ducerent sic, maior inter eos magis curialiter me associabat, ne ribaldi tunc aliquo modo me turbarent. Ab illo ego petiui, quare me ceperant, cum essem Frater Prædicator & Episcopus, & in via eundi ad Cardinales, & talia, & quod ipsi essent excommunicati. Ipse sic mihi subridendo respondit, quod securus essem, quod ego non morerer, sed famulos meos non assecurabat, nec tamen morerentur, donec aliud mandatum haberent a Brixiensibus, suis dominis, qui de diuersis partibus nati propter stipendia seruiebant eis, & oportebat eos obedire dum essent stipendiarii eorum. Postea addidit, quod mandatum eorum habebant, quod me caperent, qui litteras eorum Florentiam missas mecum habebam, & ipsas portabam Cardinalibus legendas. Ego, qui litteras habui in somario, satis timui, & statim percepi, quod circa Regem erant aliqui proditores, cum tam pauci fuissent legendo primo illas litteras, oportebat quod unus ex illis vel Brixiensibus intimasset vel alteri sine aduertentia, qui hoc etiam eis mandasset.

1171

(47) In illo castro, ad quod me ducebant, & vnde erant, omnium victualium habebant abundantiam, vino excepto. Et quia flascones super vnum de meis equis videbant, quærebant diligenter, si esset ibi vinum. Dixi quod sic, & *Warnachinum*. Ipsi, qui diu fuerant sine vino, appetebant bibere supra modum. Tunc descendi de equo, & eis dedi vnum flasconem, & alium retinui mihi. Feci somarium stare, quia vasa non habebamus ad bibendum. Et ibi acceptis quibusdam scyphis argenteis, dedi eis. Et dum biberent, ego petiui a famulo confectionem, & dedi eis. Et in ista occupatione litteram illam in cophino accepi, eis ignorantibus, & eam in sinu meo posui. Postea sedens in equo sub cappa ipsam diuisi minutatim, sicut melius potui, & sparsi valde caute, ne illi, qui me sequebantur, aduerterent.

1172

(48) Postquam fuimus prope castrum, tunc me deposuerunt de equo curialiter, & corrigiam meam & omnia, quæ erant supra me, vbique quæsiuerunt, & nihil invenerunt valoris, nisi annulos. Totum mihi dimiserunt, quia non quærebant nisi litteras. Sic fecerunt de omnibus sociis & famulis. Et postea somarium euacuauerunt de omnibus litteris, quas Brixiam miserunt, qui plures erant. Et nullis aliis rebus me spoliauerunt.

Et sic exquisiti castrum intrauimus cum receptione tali, quod mulieres & paruuli clamabant, *ad patibulum, ad patibulum.* In domum Curati prope Ecclesiam duxerunt nos. Et de nostra pecunia nos & ipsi bene valebamus, sine vino tamen, quod non poterat haberi. De aliis rebus maximum forum erat. Tot & tanta lucrabantur continue illi de illo castro super exercitum Regis, quod carnes vnius bouis maximi dabant pro tribus Turonensibus, & vnum roncinum pro quinque florenis, qui hodie valeret viginti florenos.

(49) Dominus Legatus, qui litteram illam viderat & transcribi fecerat, in crastinum dum irem in *Cremonam* ad ostendendum eam aliis Cardinalibus, de *Succino* recessit, & ad exercitum venit. Vnde dum ego reuerterer de *Cremona*, ad ostendendum, ipsum non inueni in *Succino*. Et illo mane, quo de *Succino* recessi reuertendo versus exercitum, fui captus. Qui me tenebant dederunt mihi licentiam, quod vnum de sociis meis ad exercitum mitterem vna cum nuncio eorum, qui omnes litteras, quas nobis inuenerant, *Brixiam* mittebant, vt ipse Frater expeditionem nostram procuraret. Dominus Legatus & Dominus *Lucas* statim, quod audierunt, a nostro socio me esse captum, nimis doluerunt, & eorum gratia in continenti *Brixiam* miserunt pro nostra liberatione, & etiam personaliter in crastinum ciuitatem intrauerunt, quod non erat sine maximo dispendio eorum, & tantum laborauerunt, quod litteras meæ expeditionis, familiæ, & rerum procurauerunt, licet cum maxima difficultate. Et multum me iuuit, cum laboribus eorum, quia illas litteras non inuenerant inter nostras litteras eis missas, cum eas, vt prædixi, destruxissem.

1173

(50) Me existente in carcere, & nesciente, quid fieret per Cardinales de mea expeditione, & supra modum timente, quia audiueram, quod ille famulus eorum, qui fuerat captus cum litteris prædictis, per gentem Domini Regis, fuerat suspensus; cogitaui vnum modum exeundi, & exiui antequam littera apportaretur, vel aliquid sciretur de mea expeditione, dimissis omnibus, videlicet socio, duobus nepotibus, & aliis familiaribus; & postquam venerunt litteræ per Dominos Cardinales procuratæ, tunc omnes libere sunt dimissi. Modus per quem exiui fuit iste. Ego inuitaueram omnes illos stipendiarios ad prandium, & feceram bene parari. Deficiebat nisi vinum. Modo quædam aqua diuidebat illud castrum, in quo eram, quod vocabatur *Pont de Vic*, ab alio, quod erat vltra aquam, & vocatur *Rubech*. Quod castrum *Rubech* per gentem Regis tenebatur, vbi erat abundantia vini. Aqua non erat meabilis sine naui. Ibi nobiscum erant duo Fratres Prædicatores, quorum vnus erat notus in loco & dilectus. Mensa posita, ego petiui licentiam cum illo Fratre noto pro vino habendo eundi in *Rubech*. Deliberauerunt ipsi, ex quo socius meus iuerat pro mea expeditione ad exercitum, & quod alium socium meum cum nepotibus meis, familia, & rebus dimittebam, quod ego reuerterer, & licentiauerunt me vna cum vno socio meo de Fratribus illis, & nauem parauerunt, & plura vasa ad vinum ponendum. His factis nullus sciuit intentionem meam. Postquam fui vltra aquam, iui ad castrum, & feci omnia vasa impleri de bono vino & in nauem reponi. Et tunc dixi Castellano, quod non permitteret me recedere. Hoc feci, ne illi, qui remanserant, male haberent. Alii hæc scientes credebant, quod violenter me teneret, & nullum malum nostris fecerunt, sed satis simul biberunt, & in crastinum eos omnes liberauerunt, quia venerunt litteræ Cardinalium.

1174

(51) Post hæc fuit deliberatum in consilio Regis, quod littera Domini Legati videretur, etsi ipse posset virtute suæ auctoritatis ponere sententiam excommunicationis contra illos, qui nollent obedire, quod requireretur. Ego missus ad Dominum Legatum. Copiam suæ litteræ mihi dedit, quæ plenissima ad omnia ista facienda erat. Ipse mihi dixit secrete, & voluit, quod Domino Regi dicerem, quomodo parum Italici curant de excommunicationibus alicubi. Et posuit exemplum de Florentinis, qui sententias Domini *Ostiensis* parum curauerunt. Item de Bononiensibus, qui sententias Domini *Ostiensis* parum curauerunt. Item de Bononiensibus, qui sententias Domini *Neapoleonis* vilipenderunt.

Item

Item *Domini* de *Peregrue* sententias Mediolanenses non curauerunt. Vnde nisi gladius materialis eos ducat ratione timoris ad obedientiam, gladius spiritualis non. Vnde non intendebat aliquam sententiam excommunicationis ponere super aliquos, nisi primo Sanctitatem vestram consuleret.

(52) Non recordor de aliis magnæ memoriæ dignis ante *Brixiam* factis postquam ibi fui reuersus, nisi de vno, quod mihi semper displicuit. Cardinales credo omnes, qui his diebus in *Cremona* & *Succino* morabantur, propter sui maiorem commoditatem, fuerunt frequenter rogati, & aliquando ego fui præsens, ab amicis & vxoribus eorum, qui de *Cremona* obuiam Domino Regi fuerant in camisiis cum corrigiis in collo, ut prædixi, quos, antequam intraret *Cremonam*, misit ad carceres in diuersis castris, quod Dominus Rex maritos suos, filios, & fratres de carceribus liberaret, quia plures iam erant mortui. Hanc supplicationem Dominus Legatus ex parte sua, qui erat in *Succino*, & alii Domini Cardinales, qui erant in *Cremona*, voluerunt quod ego facerem: quod ex affectu feci, scit Deus, licet nihil profecerim. Tunc postea ipsimet rogauerunt Dominum Regem, & nihil fecerunt. Quidam latenter & secrete, quos Deus confundat, nescio, qui sunt illi, in capite Regis posuerant, quod si ipse prædictos dimitteret, statim *Cremona* rebellaret, & quamdiu eos haberet, securus esset de ciuitate. Et si vnquam ipse in suo regimine male fecit, meo iudicio debili, circa subditos, ibi fuit. Prædicti capti Cremonenses non erant maiores suæ ciuitatis, quia maiores noluerunt obedire, sed ciuitatem dimiserunt. Non erant peiores, sed iudicio omnium de melioribus. Per eosdem ciuitas erat ad obedientiam reuersa quia ciuitatem diligebant. Vnde vt dicto Regi plus facerent de honore & reuerentia, & vt prouocarent eum ad maiorem misericordiam, nudi in camisiis, vt prædixi, sibi obuiantes & misericordiam pro sua ciuitate implorantes, de sua virtute præmium non bonum habuerunt. 1175

(53) Ista fuit ciuitatis Cremonensis condemnatio. Nullus eorum perdidit vitam neque membrum, nec bannitus fuit, nec incarceratus. Condemnati sunt omnes simul in sexaginta milia florenorum. Perdiderunt Comitatum suum vsque ad beneplacitum Regis, & portas suas cum aliquo muro adiacenti. Nunquam propter aliquem clamorem meum & vituperia, quæ Domino Regi dixi frequenter, hoc facere potui, quod illi miseri carcerati possent libere exire. Sed ad procurationem cuiusdam crudelissimi iudicis, qui erat in *Cremona* pro Rege Procurator super fisco rebellium, qui vocatur magister *Iohannes* de *Castilione*, Tuscus est, crudelior homo, de quo audiui loqui, post Neronem, oportuit quod ipsi maximam pecuniæ quantitatem soluerent cameræ Regis & sibi ratione custodiæ, non obstante quod ipsi suam ratam soluere debebant de illis sexaginta milia florenorum, in quibus tota ciuitas erat condemnata. Scio quod non poterant aliqui soluere, & quia ipse torquebat eos, fuerunt mortui. Alii, licet soluissent, tamen quia erant vltimum potentiæ, erant destructi. Et credo, quod istud grauamen contra Deum & iustitiam meo iudicio fuit occasio, quare postea ciuitas rebellauit & adhuc in rebellione persistit. Excusare se non potuit Rex, quin ista sibi dixerim & durius & in præsentia illius crudelissimi *Iohannis*. Sed ipse *Iohannes* cum pluribus suis complicibus tot & tanta mendacia, vt puto, contra prædictos dicebat, quod verba mea parum poterant eis proficere. Si Dominus Albanensis viueret, de hoc posset testimonium perhibere. Et etiam Dominus Legatus potest de aliquibus recordari. 1176

(54) Post hoc intrauit *Brixiam* Dominus Rex. Condemnati fuerunt in muris & Comitatu priuati, quod portæ portarentur Romam, & in vna summa pecuniæ condemnati, quam omnes simul Guebelini, & Guelphi soluerent; licet Guebelinis, qui expulsi fuerant per alios, videretur esse contra iustitiam, propter rebellionem, quod in tali summa condemnabantur. Quæ summa fuit, vt mihi videtur, sexaginta milia florenorum. Et quia Guebelini non rebellauerant, dicebant, quod de tali summa ratione talis culpæ non debebant aliquid soluere. Oportuit tamen, quod soluerent suam partem. Postquam intrauimus *Brixiam*, quod miraculum reputaui, nunquam est auditum, quod vnus percussus fuerit, vituperatus, vel læsus, licet præcedentia fuissent talia, quod sic transire 1177

transire non erat imaginabile, nisi cum gratia Dei. Ciuitate Brixiensi dimissa in pace, & muris pro parte destructis, iuit *Cremonam*, & postea *Placentiam*, nihil faciendo in istis, cum essent in pace. Postea iuit *Papiam*.

(55) Recordor adhuc, quod aliqua fecerat ante *Brixiam*, quæ si Deo placuerunt, non tamen omnibus hominibus; & scio quod mihi displicuerunt. Primum fuit, quod Domino *Philippo* Sabaudiæ ad petitionem & procurationem Comitis *Philipponi* & aliorum partis Guelphæ dominium dedit ciuitatis Papiensis, Vercellensis, & Nouariensis. Et de hoc habere debuit viginti quinque milia florenorum, quæ pars Guelpha soluit, non ipse. Et tamdiu debebat dominium prædictorum tenere, donec Rex redderet sibi prædicta viginti quinque milia florenorum. Et ipse tunc tenebatur eis reddere. Secundum fuit, quod Domino *Matthæo* ad procurationem Guebelinorum dedit dominium ciuitatis Mediolanensis. Et de hoc soluit quinquaginta milia florenorum. Et omni anno viginti quinque milia tenebatur cameræ soluere. Nec poterat amoueri, nisi prius sibi restituerentur quinquaginta milia. Vnde tunc, cum iste pauper fuerit, & Guebelini ipsum ad soluendum non iuuabant, quia non multum abundabant, oportuit, quod violenter a pauperibus extraheret. Tertium, quod Domino *Guilberto* de *Corregia*, qui erat vnus tyrannus Guelphus, qui iam dominabatur in *Parma*, adhuc dedit sibi dominium in *Regio*. Vtrum ab hoc pecuniam receperit nescio; sed credo, quod aliqui de suo consilio aliquid habuerunt. Quartum, quod alteri tyranno Guebelino Domino *Cani* de *Verona*, qui dominabatur in *Verona*, nec vnquam partem Guelpham voluit intromittere propter rationem superius dictam, adhuc dedit sibi dominium in *Vicentia*. Et ista fuit causa quare rebellauerunt Paduani.
1178 Quintum, quia alteri tyranno, Domino *Paserino* de *Mantua*, cum illo dominio ciuitatis *Mantuæ* dedit vnius castri dominium optimi, cuius nomen ignoro ad præsens.

(56) Item ante Brixiam Dominus *Waleranus* frater Regis de mandato Regis iuit subito in *Pergamum*. Accusati erant quidam, quod rebellare volebant, & ciuitas illa per eos, quia potentiores erant ciuitatis. His diebus ciuitas Pergamensis tenebat exercitum suum magnum ante *Brixiam*, sicut faciebant aliæ ciuitates. Et propter hoc grave videbatur multis hoc credere, quod vellent rebellare. Tamen Regi per Vicarium Pergamensem & per alios secrete fuit intimatum, quod illi, quos Dominus *Waleranus* cepit tunc, inter quos erant aliqui consanguinei Domini *Guillermi* de *Pergamo* Cardinalis, volebant rebellare. Alii dicebant, quod non; sed sui inimici dederunt dicto *Waleranno* pecuniam, vt ista faceret, prædicta prædictis imponentes. Quid sit veritatis, nescio. Vnum scio, quod, postquam ad preces vestras & multorum Cardinalium Dominus Rex ipsos liberauit, & ipsi iurauerunt fideles esse in perpetuum, postea Domino existente in Tuscia in quodam bello ante *Succinum*, cum rebellibus Imperii existentes per Comitem *Warnerum* & suam gentem aliqui mortui fuerunt & aliqui capti de prædictis Pergamensibus.

(57) Domino Rege in *Papia* existente mortuus fuit ibi Dominus *Guido* Flandriæ, sed non sepultus propter interdictum, quod erat in loco, sed corpus suum fuit sepultum in *Tortona*. Item ibi Domino Rege existente, mandauit Domino *Matthæo* Vicario in Mediolano, quod ad eum veniret; Venit; sed per Comitem *Philipponem* portæ fuerunt clausæ, nec permissus fuit intrare, licet Domino Regi multum displiceret. Extra portas stetit diu, videlicet duobus diebus, nec vnquam potuit facere Rex, quod ipsum permitteret
1179 intrare. Nos omnes citramontani de Rege timebamus, quia paucos habebat secum citramontanos, plures fuerant mortui ante *Brixiam*, & plures reuersi ad partes. Pauci Guebelini erant tunc cum eo, quia omnes fessi de exercitu reuertebantur ad propria, & iam erat magnum frigus. Fuit autem hoc per decem dies ante festum omnium Sanctorum. Infra illos duos dies Guelphi multi fuerunt ibi congregati, ita quod in *Papia* securi non eramus, & tantum de Rege timuimus vna nocte. Audiuerant quidam religiosi confessores ab vxoribus quorundam de ciuitate Papiensi, quod tali nocte in lecto suo debebat interfici, & per tectum, ita quod oportuit vna nocte Dominum Regem lectum suum mutare. Qua nocte visæ sunt quædam scalæ apportari & coniungi, & per

per quosdam circa domum. Et tamen totum oportebat dissimulare propter defectum gentis. Bene videbatur Regi, quod ille Comes *Philipponus*, quando esset absens, parum faceret pro eo, qui præsens non poterat in sua ciuitate suos seruientes introducere.

(58) Tertia die dictus Vicarius Mediolanensis intrauit cum paucis & sine armis; & quibusdam Papiæ ordinatis ad pacem, licet ex tunc Rex non bene cogitaret de dicto Comite *Philippone*, recessit versus *Terdonam*, postea *Ianuam*. Quo die Dominus *Pandulphus* de *Sabello*, vester Notarius, & ego, vester humilis filius, plenissimam auctoritatem habentes recipiendi fidelitates ciuitatum & omnium Nobilium, præmiandi fideles, & inobedientes puniendi, prout nostrum statum deceret, legati sui iuimus in Tusciam, primo versus *Bononiam* dirigentes gressus nostros, quia illa via erat rectior. Quid Dominus Rex fecerit in *Terdona* nescio. Audiui quod expulsos intromisit & ibi inter partes pacem fecit. Quid in medio usque *Ianuam*, & quid in *Ianua*. Audiui, quod pacem fecit inter eos omnes, & quod Dominus *Opisinus* & alii expulsi de *Ianua* reintrauerunt, & inter eos fecit pacem. Audiui etiam quod magnam pecuniam sibi dederunt & dominium simpliciter ad viginti annos: quod in veritate erat suum: sed propter quædam priuilegia eis concessa a prædecessoribus Imperatoribus & Regibus dictæ ciuitati, dicunt, quod non tenentur sibi seruire per mare, nisi ab *Arelato* vsque ad castrum *Sancti Angeli* in Siciliam, & per terram inter dictos terminos prope litus maris ad duas dietas. Visum fuit Regi pro meliori quod ad præsens sic dominium reciperet, sperans, quod infra viginti annos totum posset recuperare. Interim ipse confirmabat eis priuilegia sua, prout rite & iuste erant eis concessa a suis prædecessoribus. 1180

Audiui etiam, quod in *Ianua* venerunt nuntii Regis *Roberti* plenariam potestatem habentes confirmandi parentelam inter eos, prout ante *Brixiam* per *Albensem* Episcopum & vnum Archidiaconum ex vna parte, & Episcopos *Leodiensem* & *Basiliensem* fuerat concordatum, & quod militia quotidie crescebat in Florentia, & sub vexillo Regis *Roberti*, quorum caput erat Dominus *Degus* Marascalcus ab eodem missus, vt ipsius Regis transitum impedirent versus Romam. Dominus Rex prædictos ambassiatores requisiuit, quid vellent significare prædictæ militiæ Regis *Roberti*, quod de Tuscia recederent, ex quo inter eos parentela fieri debebat; honestum autem non videbatur nec securum, quod milites sui, & sub vexillo suo, rebellibus suis darent auxilium, si inter eos debebat fieri talis amicitia? Dicti ambassiatores responderunt, quod mandatum non habebant ad hoc faciendum; venerant autem ad complendum parentelam, & de hoc erant parati. Post hoc fuit eis dictum, quod licet non fuerit eis præceptum, hoc forte poterat esse causa obliuionis & inaduertentiæ, vel quia non erat certum de consummatione parentelæ, quod ipsi nomine suo illis, qui in Florentia erant, scriberent, quod ex quo parentela talis sit inter dictos Reges, quod non credunt Domino Regi *Roberto* displicere, si recederent, sed magis placere. Prædicti noluerunt facere, dicentes, quod hoc non habebant in mandatis. Et quando litteras, quas ipsi dicto Regi ex parte Domini sui apportauerant, Cancellarius ostendit, in quibus continebatur magna dilectio, voluntas, & desiderium veniendi Romam ad ipsum honorandum in sui coronatione, per hoc satis videbatur, quod dictus Rex *Robertus* non intendebat in medio ipsum impedire per suos, qui in coronatione sua intendebat præsens esse. Satis fuit illis dictum. Sed facere noluerunt. Audiui postea a fide dignis, quod postquam Rex *Robertus* sciuit ista, dicti nuntii non fuerunt sibi familiares sicut ante, & quod multum fuit turbatus contra eos, quod talia, quæ erant suæ voluntatis, facere recusarunt. Sic recesserunt dicti nuntii imperfecto negotio, dicentes, quod suo domino integraliter totum referrent, & libenter facerent, quod eidem videretur. Ibidem mortua fuit Regina, & apud Minores sepulta. 1181

(59) Prima ciuitas, quæ, postquam fuit Rex in *Ianua*, rebellis fuit Astensis. Rege existente in *Ianua*, *Antonius* de *Laude*, qui vsque illuc ipsum

 associa-

associauerat, sine licentia recedens, & propter hoc suspectus de multis, quæ facta sunt postea, in *Vogueria*, castro Papiensium extrinsecorum, transiens, per illos captus est & adhuc detinetur. Domino Rege existente in *Ianua* & timente de ciuitate Papiensi, mandauit Principi, quod vigilaret ad custodiam dictæ ciuitatis. Dictus Princeps occasione habita cuiusdam castri Papiensis, qui rebellauerant sibi, cuius fideiussor erat, quod non rebellaret Dominus *Manfredus* de *Becharia*, caput ibidem Guebelinorum, per dictum Principem captus est, & adhuc detinetur. Dictus Princeps timens de Comite *Philippone* per ea, quæ videbat, dum suas nuptias celebraret de sorore Delphini, quam accepit, inuitauit Comitem *Philipponem* & filium suum. Comes non venit, sed filius, quem dictus Princeps accepit & adhuc captum tenet. De modo capiendi inculpatur a multis. Sed excusat se sic, quod mandatum a Rege habuit, quod assecuraret se de ciuitate Papiensi; assecurationem non videbat nisi per captionem Comitis *Philipponi*, & quia ipsum habere non poterat, cepit filium eo modo, quo potuit, timens, ne si ciuitas Papiensis perderetur, & patrem vel filium non acciperet, quod sibi merito imponeretur.

1182

(60) *Cassalle*, quod Dominus Rex dicto Comiti *Philippono* dederat in feodum, fuit primus locus, postquam Dominus Lumbardiam exiuit, qui rebellauit, & post ciuitas *Astensis*. Et isti Regem *Robertum* Dominum acceperunt. Post magnum interuallum temporis ciuitas *Vercellensis*. Et hæc causam accepit, vt dicitur, propter quandam brigam, quæ fuit inter Comitem *Warnerium* & Principem Dominum *Philippum* in Vercellis. Postea *Parma*, *Regium*, & *Cremona* per *Guibertum* de *Corregia*, qui, vt dicitur, duodecim milia florenorum a Florentinis & Bononiensibus recepit. Postea *Padua*, & motiuum fuit dominium Domini *Canis* in *Vincentia*. Aliqui istarum ciuitatum rebellauerunt Domino existente in Tuscia.

(61) Sed quia volo me expedire de Lumbardia, cum de factis ibidem aliis rescirem plus, quam ad præsens scripserim, ad nostram legationem nobis commissam reuertor. Post recessum Regis de *Papia*, eodem die Dominus *Pandulphus* & ego recessimus & in *Parma* venimus. Dominus *Guibertus* de *Corregia* sciens, nos esse legatos in Tusciam, quia in consilio fuit, vbi de nobis fuit ordinatum, ad nos in *Parma* venire noluit, licet pro eo mandassemus. Postea venimus *Regium*, & postea *Mutinam*; vbi audiuimus, quod Dominus *Guibertus* de *Corregia* pacta fecerat pro duodecim milibus florenorum, quæ Florentini & liga eorum debebant soluere. Dum fuimus in burgo *sancti Domini*, in *Bononiam* mittere deliberauimus; & misimus vnum Notarium Potestati & regentibus, scribentes, quod nos tales cum litteris papalibus & regiis sicut nuntii pacis ibamus, in Tusciam, & quod per *Bononiam* transire volebamus. Ipsi litteris nostris lectis, post magnam deliberationem nostrum nuntium acceperunt, & ad carcerem miserunt. Ipse in carcere existens, sicut Romanus subtilis, per pecuniam, quam dedit vni, qui ipsum custodiebat, recessit & ad nos venit, vbi iam ad tria miliaria eramus prope *Bononiam*.

1183

(62) In strata intellectis iis, quæ acta sunt circa eum, dimissa *Bononia* a sinistris, per castrum *Episcopi* posuimus nos in Alpibus per viam horribilem, & de nocte multum tarde applicuimus ad vnum castrum inter *Florentiam* & *Bononiam* in via recta, quod castrum a *Bononia* distabat per septem miliaria. Ibidem inuenientes totam militiam Florentinam, quantum ad stipendiarios, qui venerant *Bononiam*, Domino in *Papia* existente, timentes ne per *Bononiam* vel eorum Comitatum vellet transire. Et quando sciverunt, quod versus *Ianuam* direxerat gressus suos, tunc in *Florentiam* reuertebantur. Si Dominus *Pandulphus* & ego timuimus, Deus scit. Inquietissima nocte habita, mane cum prædictis surreximus, & deliberauimus pro meliori, quod antequam poneremus nos cum talibus hominibus in via, quod illi, qui præerat inter eos, diceremus statum nostrum & ad quid in Tusciam ibamus, & quod ipse ordinaret, quod gens sua nos non offenderet. Factum est sic. Cum eis iuimus sine offensa, quod satis fuit mirabile, & venimus secunda die in nocte prope *Florentiam* ad duo parua miliaria in quadam villa, quæ vocatur *Lastre*.

(63) Et

(63) Et antequam ibi veniremus, præmisimus illum Notarium, qui in *Bononia* fuerat captus, ad Potestatem & Capitaneum & alios, qui regebant, quod nos tales missi ad pacem eorum & vtilitatem Tusciæ cum litteris vestris & Regis veniebamus, & quod nobis providerent de hospitio. Prædicti nostris litteris receptis vocauerunt consilium maius secundum modum ciuitatis *Florentiæ*, & ibi remanserunt vsque ad occasum solis. Nuntius noster de tanta mora atædiatus, qui etiam pro se ipso hospitium non habebat, recessit, dimisso ibi vno, vt si prædicti ipsum pro responsione facienda, quod veniret pro eo ad tale hospitium. Cito postquam venit ad hospitium, illi consilium exiuerunt, & quid deliberauerant nobis respondere, facto ostenderunt. Præcones ciuitatis illa hora satis tarde ad omnia loca ciuitatis, ad quæ consueuerunt clamationes fieri, ex parte prædictorum, qui regebant Florentiam, & qui vocati fuerunt, significarunt populo, quod nos in tali loco eramus prope ciuitatem ad duo miliaria, nuncii & ambassiatores illius tyranni Regis Alemanniæ, qui in Lumbardia partem Guelpham destruxerat, quantum potuerat, & nunc in Tusciam descendebat per mare, ad destruendum eos, & inimicos eorum introducendos, & nos, qui clerici eramus, per terram præmittebat ad totam patriam subuertendam, & sub vmbra Ecclesiæ, cum clerici essemus. Vnde publice tunc Dominum Regem banniuerunt, nos, qui sui nuntii eramus, & quicunque eum vel nos offendere vellet, quod posset impune, siue in corpore offenderet siue in rebus, & quod certi erant, quod magnam pecuniam portabamus ad corrumpendum multos in Tuscia & ad dandum Guebolinis. Noster nuntius hæc audiens timuit, nec ausus fuit, ex tunc hospitium suum exire, nec per aliquem nobis istud intimare. Vnus *de Spinis* antiquus, qui mercator Domini *Honorii* Papæ, auunculi Domini *Pandulphi*, fuerat, hæc audiens, misit sibi litteras omnia prædicta continentes apud *Lastrem*, vbi iam in nostris lectis dormiebamus, quando litteræ venerunt. 1184

(64) Surreximus, & quid eramus facturi ignorabamus. Reuerti *Bononiam* & suum districtum erat nobis periculum maximum, vt iam probaveramus. Aliam viam ignorabamus, nec erat secura illa hora. Potestati & Capitaneo scripsimus (qui ambo nati erant de terris Ecclesiæ, vnus de *Radicophano*, scilicet Potestas, alius de *Marchia*) omnia quæ expedienda nobis post talem clamationem videbantur. Mane fecimus equos parari & somas ligari. Et dum essemus in mensa, semper expectantes nuncium nostrum, & responsionem Potestatis, audiuimus, quod campana cum martello pulsabatur. In continenti vidimus totam stratam plenam armatorum peditum & equitum. Tunc domum nostram girauerunt. Postea ad scalam quidam *de Maguelotis* popularis pulcher homo volens ascendere incepit clamare: *Moriantur tales.* Hospes diu gladio euaginato non dimittebat aliquem ascendere. In illo tumultu somarii nostri & equi fere omnes per prædictos ducti sunt. Tunc per diuersa loca gradus ascenderunt & ad cameram nostram venerunt cultellis euaginatis. De nostris familiaribus tunc aliqui fugerunt, dimittentes se per fenestras cadere ad vnum hortum; inter quos fuit socius meus Frater Prædicator. Alii se præ timore mortis abscondentes sub lectis. Pauci tunc nobiscum remanserunt. Sed Deus, qui nos liberauit de manibus eorum, sic nos in cordibus confortauit, quod in mea conscientia nunquam timui de me, licet magis essem in periculo, quam alius. 1185

(65) Dum hæc fierent, in ciuitate Florentina fuit tumultus. Quidam dicebant, quod male erat factum sic nos banniendo, & specialiter Dominum *Pandulphum*, qui erat de nobilioribus vrbis natus. Et hac de causa Potestas vnum de suis Militibus, natum de terris Ecclesiæ, & Capitaneus vnum popularem miserunt ad nos. Et hoc fuit factum ad procurationem prædicti mercatoris *de Spinis*, cuius nomen suum est *Aduocatus*, sicut credo. Isti tres venerunt ad nos; & partem de equis, partem de somariis in via inuenientes, quia ad ciuitatem ducebantur, violenter de manibus eorum acceperunt, & nobis ipsos restituerunt cum iis verbis, quod quantum vitam nostram diligebamus, quod in continenti recederemus, & quod ipsi laborarent, quod 1186

omnia rehaberemus. Nos voluimus eis exponere ambassiatam nostram, noluerunt audire, litteras vestras ostendere, noluerunt videre. Quid plura? Rogauimus eos, quod nos permitterent de nocte transire per *Florentiam*, & nos bene custodirent, ne aliquid loqueremur. Negauerunt semper dicentes, quod in mandatis habebant, vt nos reuerteremur, vnde veniebamus. Ille antiquus *Aduocatus* de *Spinis* dixerat nobis ad partem, quod nullo modo induceremur reuerti per *Bononiam* vel suum districtum, quia iam erat eis mandatum, quod nos expulsi de Florentinorum districtu eramus, & quod de nobis facerent, sicut de publicis hostibus, vt de cetero nullus auderet intrare. Hos vilitatem, miseriam, & fatuitatem Bononiensium cognoscentes, diximus, quod si nos deberent interficere, nunquam per *Bononiam* reuerteremur. Deliberatione habita inter eos magna, posuerunt nos per quandam viam, quæ ibat ad terras Comitum *Guidonum*, qui habitant inter *Bononiam*, *Romandiolam* & *Aretium*. Ibi vndecim equi nostri remanserunt & tres somarii. Dominus *Pandulphus* plus perdidit quam ego, & quia plura habebat perdere, & quia plures equos. Ego perdidi capellam meam & quicquid in mundo isto habui auri & argenti, excepto vno stilo argenteo, qui erat in tabulis meis ad corrigiam, & annulo in digito. Nec ipse nec ego vnquam postea habuimus de prædictis.

(66) Altera die, quæ fuit sanctorum *Symonis* & *Iudæ* vigilia, in tertiis, prædicti tres dimiserunt nos in quodam oppido, in quo Florentini & Comes *Tegrinus* habebant dominium. Et in nocte dictus Comes *Tigrinus* duxit nos inter Alpes ad vnum burgum suum qui vocatur *burgus sancti Gaudentii*, & mutuauit nobis equos, quot potuit, pro familia, quæ erat pedes. 1187 Postea iuimus cum eo ad alium locum; vbi ad nos venerunt duo fratres dicti Comitis *Tegrini*, videlicet Comes *Tancredus*, & Comes *Bandinus*. Postea inuenimus quartum fratrem, Comitem *Rogerium*. Isti omnes dicuntur de Comitibus *Guidonibus* & sunt Comites Palatini; & eiusdem domus sunt *Comes* de *Batefole* & Comes *Saluaticus*. Item *Comites* de *Romania* omnes vocant se Comites Palatinos, & magnos redditus habent in Romandiola. Inter istos quidam sunt Guelphi, & illi sunt ditiores, videlicet Comes *Saluaticus* & *Comes* de *Batefole* & Comes *Bandinus*. Omnes iurauerunt nobis fidelitatem, & venire ad Dominum suum personaliter, vel mittere, si impediti essent, statim quod esset in Tuscia, & ipsum associare ad coronam in illa decentia, in qua possent secundum suas facultates. Isti omnes nos multum honorauerunt & gaudenter receperunt, & plus Guelphi quam Guebelini, meo iudicio. Tamen non obstantibus fidelitatibus nullus de istis Guelphis venit ad eum in Tusciam, vel misit ad renouandum iuramentum, sed dilationem petiuerunt & habuerunt vsque ad terminum petitum; & in termino petito, iam Imperatore existente ante *Florentiam*, confœderati sunt publice cum Florentinis, cum ipsis in Florentia existentes. Qui erant Guebelini inter istos, vel venerunt, qui potuerunt, vel miserunt, & cum eo fuerunt vsque ad mortem suam.

(67) Post receptionem iuramenti & fidelitatis prædictorum Comitum venimus in terram Episcopi *Aretini*, qui erat frater Germanus *Comitis* de *Romena*, vnius de prædictis; qui multum nobis compatiens, duxit nos ad vnum castrum suum, quod vocatur *Ciuitella* inter *Aretium* & ciuitatem *Senensem*. Et hoc fuit in vigilia omnium Sanctorum. Ibi celebrato festo, dimisit nos sicut nobilis, totum castrum munitum de omnibus in manibus nostris dimittendo, vt de castro & de bonis faceremus nostram voluntatem; facto tamen prius iuramento fidelitatis, prout tenebatur, de suis bonis tem- 1188 poralibus. Ibidem multa ordinauimus. Citauimus Florentinos & Senenses, & tantum fecimus, quod citatio fuit affixa ad eorum palatium. Postea ipsis contumacibus processimus secundum auctoritatem nobis missam ad multas pœnas temporales contra eos, semper tamen seruato ordine iuris; de quo parum scio ego, sed socius noster Dominus *Pandulphus* in vtroque iure multum est expertus, vt dicunt, qui iura nouerunt & ipsum audiuerunt.

(68) In

(68) In eodem castro nos existentes *Aretinos*, *Cortonienses*, illos de burgo *sancti sepulcri*, de *Monte politiano*, de *Lucignano*, sancti *Sauini*, & illos de ciuitate *Clusina*, illos de *Castro plebis*, & illos de *Castilione* Aretino citauimus, vt per Syndicos & procuratores comparerent, audituri & facturi, quæ eis auctoritate nobis commissa mandaremus. Prædicti omnes miserunt, exceptis illis de *Castro plebis*, quos *Perusini* tenent. Omnes iurauerunt fidelitatem, exceptis illis de burgo *sancti sepulcri*, qui petebant inducias vsque ad mensem, dicentes, quod bona eorum pro maiori parte erant inter mercatores Florentinos & in Florentia ad præsens. Vnde dilationem petebant ad recolligendum, ne perderent prædicta. Illi etiam de *Clusio* petebant dilationem, si illi de sancto *Sauino* & de *Lucigniano*, quos Senenses tenebant, petebant dilationem. Nullis voluimus dare; sed magnas comminationes eis fecimus, quod durissime contra eos procederemus, nisi nostris mandatis obedirent.

(69) Postea iuimus *Aretium*. Illi ad votum obediuerunt. Ibi existentes citauimus *Comites* de *Mangone*, qui morantur versus *Bononiam*, inter quos aliqui sunt Guelphi, aliqui Guibelini, *Comites* de *Montedolio*, qui omnes sunt Guebelini, Marchiones plures, qui inter *Aretium* & *Perusium* morantur, quorum quidam sunt Guelphi, & quidam Guebelini, *Hugutionem* de *Faiola*, illos de *Pacis*, illos de *Vbertis*, illos de *Petramala*, & generaliter omnes & quemlibet per se, qui erant Nobiles in districtu Florentino, Senensi, Aretino, & Clusino. Et credo, quod fuerunt plusquam quingenti. Item multa alia castra particularia, de quibus non recordor, pro maiori parte omnes vel venerunt, & tunc iurauerunt, vel miserunt, & tunc isti vel iurauerunt publice vel occulte. Aliqui non audebant publice, quia statim fuissent destructi per inobedientes, cum omnes non haberent loca fortia. Et forte, quod verius de pluribus credo, publice nolebant iurare, cum falsi essent & in corde suo inobedientes, sed iurabant occulte, ne si Dominus obedientiam haberet ciuitatum maiorum & magnorum Dominorum, quod ipsi postea, si non iurassent, destruerentur. Generaliter contra rebelles, & qui non venerant vel legitime se excusauerant, posuimus graues pœnas ad terrorem. 1189

(70) Postea venimus in *Castilionem Aretinum*. Ibi obediuerunt ad votum, & multum nos honorauerunt. Deinde venimus *Cortonam*, qui multum nos honorauerunt, sed aperte vocato populo iurare noluerunt, licet per Syndicum iurassent. Quin primo eos citauimus, & in multis verbis nos tenuerunt, sicut viri duplices, qui libenter non hoc faciebant. Excusabant se sic, quod statim postquam *Perusini*, *Castellani*, & illi de *Augubio* scirent, quod iurassent, in continenti ipsos destruerent, & hoc possent, quando vellent, quia pauperes sunt & debiliores respectu prædictorum, & *Aretini* non diligunt eos. Vnde supplicabant, quod eis daremus dilationem donec Dominus Rex esset in *Pisis*. Quod fecimus, licet non libenter. Sed quia eramus inter eos, oportuit quod in aliquo eis condescenderemus.

(71) Ibidem existentes, illi, qui maiores erant in *Perusio*, non Potestas vel Capitaneus, sed ciues ditiores, quorum nomina non habeo in memoria, miserunt ad nos vnum fratrem Minorem Gardianum in ciuitate Castellana, quod libenter vellent quoquo modo inter eos & Dominum Regem esset pax & concordia, & quod ipsi vnam summam pecuniæ ad præsens concordatam, & vnam sibi darent annuatim pro illis castris, quæ fuerunt Imperii & pro lacu Perusino, quæ nunc possident, licet iuste testimonio suæ conscientiæ prædicta tenerent, quia vnus prædecessorum vestrorum prædicta, quæ tunc pacifice tenebant, eis confirmauit, & de nouo dedit, & quod hoc posset facere ille vester prædecessor dicebant, quod priuilegium Imperiale haberet sibi super hoc ab vno Imperatore concessum. Nos ista audientes respondimus, quod libenter ad pacem laboraremus, & specialiter in isto facto, sed scire volebamus, quæ, quot, & quanto tempore prædicta tenuerunt, & videre copiam priuilegii Papalis de huiusmodi confirmatione. Misimus vnum 1190

 fratrem

Fratrem Prædicatorem, illum, qui nunc accusatur falsè de intoxicatione Imperatoris, cum in partibus illis ab omnibus inter omnes Prædicatores esset magis Guebelinus & a Guebelinis dilectus. Pluribus diebus stetit cum prædictis Perusinis, semper promittentes sibi ostendere prædictum priuilegium. Finaliter oportuit, quod recederet, per eos licentiatus. Nihil sibi ostenderunt, quia, vt Frater credebat, non habebant. Dixerunt sibi sic: *Recedatis, quia vos estis Guebelinus: & si iam populus, qui totus Guelphus est, sciret quod nostra priuilegia vobis ostenderemus, miraretur & de facili crederet, quod esset proditio per nos facienda. Nos prædictis Dominis Legatis mittemus, quæ volunt videre.* Postea nec miserunt, nec se excusauerunt. Vnde trufam reputauimus.

(72) Ibidem existentes, illos de burgo *sancti sepulcri* & plures alios condemnauimus, qui mandatis nostris nolebant nisi sub conditionibus obedire.

72. Mortua Domina Regina in *Ianua*, statim postquam Dominus Rex venit *Pisas*, mandauit nobis, quod ad eum veniremus & gentem, quam possemus sibi adducere vel mittere, mitteremus. Misimus plures Comites & Nobiles. Postea nos cum Episcopo *Aretino* & filio fratris sui cum pulcra gente posuimus nos in via, ordinatis tamen prius, quæ ordinanda erant in partibus illis, quomodo patria maneret in pace & secura, & quomodo de ciuitatibus & castris, quæ nobis obediuerunt, sequerentur nos armati, pœnas ponendo in nolentes vel etiam infra certum tempus negligentes.

1191

(73) Primo die postquam de *Cortona* recessimus, transeundo ante *Castrum plebis*, quod nobis non obediuerat, *Clusium* venimus, quæ sub manu Senensium erat. Bene nos recepit & honorauit, sed iurare noluit, timens, si iuraret, quia statim Perusini & Senenses ipsos, inter quos sunt positi, destruerent, sed promittebant, quod si Dominus mitteret militiam, vel veniret in Tusciam, & quod aliqualiter possent defendi, quod fidelitatem iurarent, & interim euntes ad eum & reuertentes ad eum non offenderent, sed conducerent eos per suum districtum. Hoc acceptauimus ab ipsis, quia aliud habere non potuimus, & nullos processus fecimus contra eos. Videbamus eorum bonam voluntatem, paupertatem, & debilitatem suam, & potentiam & voluntatem malam Perusinorum & Senensium, inter quos prædicta ciuitas est situata. Est etiam ibi passus, quem si ipsi non permisissent transire Aretinos, Cortonenses, & omnes illos, qui fidelitatem nobis fecerant, nulla erat via, per quam nos vel ipsi ad ciuitatem Pisanam possemus ire.

Adhuc antequam de *Cortona* recederemus, illi de *Montepolitiano* miserunt nobis litteram apertam sub sigillo communis, quod daremus eis spatium vnius mensis, [quia] nimis Senenses timebant, & post mensem obedirent. Dedimus; sed non obediuerunt, nec adhuc obediunt.

(74) Post recessum de districtu Clusino, per terras Ecclesiæ versus *Radicophanum* & continuatis dietis applicuimus ad *sanctam Floram*. *Comites* de *sancta Flora*, qui sunt tres, libenter nos receperunt, & fidelitatem iurauerunt, & semper pro Imperio inuenti sunt fideles. Ibi mare intrauimus, & equi nostri cum familia de nocte in magno periculo transiuerunt per vnam aquam prope ciuitatem *Grossetanam*, quam Senenses tenebant, & est situata prope mare. Applicuimus illo die nos per mare & familia per terram ad quoddam castrum Pisanorum quod vocatur *Castilio* de *Piscaria* supra mare. Tunc fuimus securi, quia ibi incipit Comitatus Pisanorum, licet distet a ciuitate Pisana bene per tres dietas.

1192

(75) Venimus *Pisas*; & ibi inter alia relatione digna inuenimus ciuitatem satis turbatam & commotam, & hoc propter dominium totum, quod ad se Dominus Rex acceperat, nihil volens eis seruare de modo faciendi ancianos & alios officiales secundum consuetudines antiquas, qui consueuerant ciuitatem gubernare; sed vnum Vicarium dedit eis de *Vbaldinis*. Tunc inueni in dicta ciuitate vnum Fratrem Prædicatorem, qui vocatur Frater *Peregrinus*, missum per Regem *Fredericum*. Quæ fuit illa prima ambassiata,

ſiata, quam portauit, neſcio. Audiui tamen quod Dominus ***Fredericus*** libenter vellet eſſe iunctus Domino Regi per aliquam parentelam, & propter hoc venerat dictus Frater. Cum dicto Fratre miſſi fuerunt ad Regem ***Fredericum*** duo ex parte dicti Regis, vnus Nobilis de Comitatu Florentino, qui vocatur Dominus ***Vbaldinus*** de ***Vbaldinis***, frater Vicarii tunc Piſani, & quidam Miles Florentinus, qui vocatur Dominus ***Lambertus*** de ***Ciprianis***. Et iſti intentionem Domini Regis bonamque voluntatem, quam ad eum habebat intimarunt.

(76) His diebus illi ***de Columna*** & Dominus ***Ludouicus*** de ***Sabaudia***, ſenator vrbis, ſignificauerunt Regi ſtatum vrbis, quomodo illi duo, quibus Capitolium dimiſerat, ſicut bonis & fidelibus, qui etiam fecerant iuramentum de reſtituendo, reddere nolebant, niſi primo haberent quatuor milia florenorum, quos expenderant in cuſtodiendo, timentes etiam ne aliud lateret. Dominus Rex illa quatuor milia eis miſit. Significauerunt etiam, quomodo militia magna omni die ad Dominum ***Iohannem*** fratrem Regis ***Roberti*** veniebat & de barris factis ibidem, & de exercitu poſito ante pontem de ***Mollen***, & multa alia. Dominus habito maturo conſilio ordinauit, quod in continenti Dominus ***Pandulphus*** & Magiſter ***Iohannes*** de ***Veneſtringue*** vtriuſque iuris profeſſor & Frater ***Iohannes***, Magiſter in Theologia, de ***Piſis*** recederent cum plena poteſtate & auctoritate perficiendi & complendi parentelam inter dicti Regis ***Roberti*** filium & filiam Regis Romanorum. Tunc fuit quibuſdam viſum, quod duo ſufficerent ad prædicta facienda, & quod Dominus ***Pandulphus*** & ego iremus ad vrbem ad tollenda omnia impedimenta, quæ poſſent eſſe in receptione iocunda coronationis dicti Regis. Viſum etiam fuit, quod prædictis duobus Fratri ***Iohanni*** & Magiſtro ***Iohanni*** daretur ambaſſiata, ſicut & nobis, ad Dominum ***Iohannem***, fratrem Regis ***Roberti***, & ad Romanos, & quod ponerentur in littera. Factum eſt ſic. Simul iuimus ſatis feſtinanter, ſcientes, quod Dominus Rex non multum tardaret poſt nos, nec etiam Domini Cardinales. 1193

(77) Continuatis dietis, die dominica, ante feſtum aſcenſionis Domini venimus Romam. Literis credentiæ Domino ***Iohanni*** datis, reſpondit nobis breuiter, quod in craſtinum veniremus, ipſe pro ſuo conſilio, quod erat in campis ante pontem de ***Mollen***, mandaret, & tunc ante eos proponeremus, quæ ex parte Domini Regis Romanorum dicere haberemus. Mane fuimus ad eum reuerſi. Reſpondit nobis, quod adhuc non fuerat eis locutus, ſed poſt dormitionem iret ad eos. Iuit, & nos iuimus; & fuit ibidem nobis dictum, quod non turbaremur de mora, quia continue ſupra pontem & citra & machinis & baliſtis & gladiis confligebant, & iam vnam partem pontis acceperant. De quo multum dolebamus, quia plures ibi moriebantur, & ad tollenda huiuſmodi veneramus.

In craſtinum, hoc eſt, die Martis ante Aſcenſionem, venimus, & ambaſſiatam propoſuimus, quæ nobis erat commiſſa ſub litteris credentiæ. Et vt melius recordor, iſta fuit, quod Dominus Rex Romanorum ſalutabat eum, & de aduentu ſuo multum gaudebat, cum Frater ſuus Rex ***Robertus*** ipſum miſiſſet ad honorandum eum in ſua coronatione, prout in litteris, quas dictus Dominus Rex ***Robertus*** Domino Regi Romanorum illis diebus miſerat plenius continebatur, & illas credo habere. Vnde ipſum ex parte dicti Regis rogauimus vt receptio ſua in vrbem & coronatio pacifice ſine briga poſſet fieri, quod laboraret vna nobis cum, qui propter hoc mittebamur, quomodo pax eſſet inter ***Vrſinos*** & ***Columnenſes***, & ſi ſubito dicta pax fieri non poſſet, quod fieret treuga. Item petiuimus, quod gentem ſuam, quæ erat circa pontem de ***Mollen***, faceret recedere, cum breui dictus Rex Romanorum vna cum Cardinalibus ad vrbem veniret, & quod vrbem intus & extra ſic diſpoſitam non libenter inueniret. Dulciter nos audiuit, & ſic reſpondit, quod iuuenis erat, & Dominus Rex frater ſuus dederat ſibi in mandatis, quando ab eo receſſit, quod de conſilio talium, qui cum eo erant reſponderet & faceret quæ erant reſpondenda & facienda in omnibus, niſi ab eo haberet in mandatis. Aſſignauerunt nobis diem in craſtinum vigilia Aſcenſionis. 1194

Venimus

Venimus, & ipsum inuenimus, sed consilium non, quia tunc erant circa pontem prædictum, vbi dabant durum bellum; & illo die dicebatur, quod pons prædictus per eos lucraretur. Rogauit nos dictus Dominus *Iohannes*, quod in mane die Ascensionis essemus cum eo in prandio, & tunc indubitanter nobis responderet. Dicto die, dictus Dominus *Iohannes* prædictos Magistrum *Iohannem* & Fratrem *Iohannem* conduci fecit versus Neapolim. Sibi enim dixerant expresse & de mandato Domini, quare ibant, quia ad complendum parentelam. Et istud mouit Dominum Regem, quare prædicta sibi exprimeret, vt sicut iuuenis, magis esset promptus ad ea, quæ requirebamus facienda. Inuitationem Dominus *Pandulphus*, cum ipse plures inuitasset, non retinuit, sed se excusauit, nec ego volui ibi esse sine eo.

1195

Dum essemus in prandio dicto die, plures de familia dicti Regis intrauerunt & ad nos directe venerunt, dicentes nobis, quod de suis sociis ante castrum *sancti Angeli*, in quo erat Dominus *Iohannes* hospitatus, aliqui erant per familiam ipsius interfecti, & aliqui capti.

Dum hæc nobis narrarent, dictus Dominus *Iohannes* mandauit nobis, quod veniremus in vesperis, & ipse nobis faceret responderi, & si nollemus ire propter distantiam, vnum locum medium assignauit nobis, ad quem ipse mitteret aliquos, qui nobis ex parte sua responderent. Domino *Pandulpho* non fuit visum, nec mihi, propter commotionem, quæ erat in vrbe, quod ad dictum locum veniremus; sed Domino *Gentili* de filiis *Vrsi* & *Poncello* suo consanguineo mandauimus, quod illi, qui nobis debebant respondere, ad domum Domini *Pandulphi* venirent, nam decentius esset, quod ipsi nuntii fratris Regis ad nos venirent, quam nos ad eos iremus, qui eramus nuntii tanti Regis. Dominus *Gentilis* & vnus Episcopus de ordine Fratrum Minorum, credo, quod vocabatur Episcopus *Casertanus*, & erat consiliarius Domini *Iohannis*, ad domum Domini *Pandulphi* venerunt, & nobis ex parte dicti Domini *Iohannis* responderunt per hunc modum: *Dominus* Iohannes *frater Domini Regis Siciliæ mittit nos ad vos, qui estis hic nuntii Regis Alemanniæ, & qui ex parte dicti Regis litteras credentiæ sibi apportastis. Vos audiuit, & ad ea, quæ dixistis, sic respondet, quod verum est, quod missus fuit ad vrbem ex parte fratris sui ad honorandum illum, qui vos huc misit: Postea habuit litteras dicti fratris sui, in quibus sibi mandabat, quod Regem prædictum in vrbem non permitteret intrare, nec ipsum coronam in Ecclesia beati* Petri *recipere, sed omne impedimentum, quod posset sibi & suis præstare, præstaret. Propter quod Domini fratris sui mandatis obediens significabat nobis, quod ipsum Regem, qui nos miserat cum litteris credentiæ, diffidabat & omnes suos seruitores, & nos duos, qui præsentes eramus. Vnde sciremus, quod non sustineret, quod in vrbem intraret, sed vbicunque posset, offenderet ipsum.* Quantum ad aliud sic nobis respondit, quod pacem facere inter *Vrsinos* & *Columnenses* vel treugam non faceret, quia *Columnenses* erant sui inimici, pacem nolebat procurare eis vel treugam, sed vbique ipsos offendere. Quantum ad aliud quod rogabamus ex parte Domini nostri, quod gentem suam quæ erat ad pontem de *Mollen* reuocaret, dixerunt, quod reuocare illam intendebat illo die, non propter preces suas, quia pro eis nihil faceret, sed propter suum melius; quod & fecit. Post multa verba inter nos petiuimus, quod ex quo diffidati eramus, quod nos conducerent ad significandum hoc Regi Romanorum, quia sciebamus ipsum esse prope, & venire sine armis, non dubitans, dictum *Iohannem* esse suum inimicum, sed credens, ipsum esse suum amicum, sed quod magis nobis placebat, prædicto Regi significaret diffidationem per suos nuntios, & nos in vrbe nos custodiremus melius quam possemus. Responderunt, quod sibi nullo modo significarent; sufficiebat, quod nobis suam voluntatem intimassent, sed parati erant nos conducere vsque ad castrum de *Insula*.

1196

(78) In crastinum cum Domino *Gentili* posuimus nos in via. Eantequam.

antequam ad castrum veniremus, aliquos familiares Cardinalium in via per domum Domini *Iohannis* captos invenimus & ligatos, quos Dominus *Gentilis* expedire fecit, & satis laborauit. Hoc fecit, vt credo, quia Dominos Cardinales diligebat & reuerebatur, & quia nos sibi dicebamus, quod ista erat proditio accipere gentem Regis Romanorum, antequam sibi significaretur diffidatio, & quod regales Franciae nunquam fecerunt tales proditiones. Castrum de *Insula* intrauimus, vbi iam plures de familia Regis Romanorum inuenimus, signantes hospitia, cum ibi Dominus Rex illa nocte in praedicto castro hospitari credidisset. Postquam infra fuimus, clausae sunt portae, & cum difficultate apertae, quia statim exiuerunt multi de familia Domini *Iohannis*, qui in domibus armati latitabant, ad portas; & credo, quod nisi fuisset Domini *Gentilis* probitas & legalitas, quem timebant, quod strages fuisset, antequam portam exiuissemus, quia iam se illi, qui intrauerant, credentes se esse perditos, vt desperati, videntes portas clausas, volebant in alios irruere; sed, benedictus Deus & bonitas Domini *Gentilis*, omnes exiuimus sine damno.

1297

(79) In continenti post exitum castri inuenimus totam stratam plenam hominibus dicti Regis, inter quos pauci erant armati. Praecepimus eis, quod non vltra procederent. Dominum *Ostiensem* inter Cardinales inuenimus primo, quia primus erat. Postquam nos audiuit, incepit fortiter fugere, & retrocedere, & satis nos fecit ridere, quantumcunque timeremus. Breuiter inuenimus Regem sine armis equitantem. Vocatis Dominis Cardinalibus, Praelatis, & Principibus, praedicta per ordinem narrauimus. Omnes mirabantur; & qui magis fuit durus ad credendum, fuit Rex, & hoc propter litteras Regis *Roberti* recenter sibi missas, & propter quod sui ambassiatores, qui ibant in Neapolim dixerant sibi, quare ibant. Videbatur sibi etiam, quod si in mandatis habuisset praedicta, quod nihil noui deberet attentare, donec sciuisset intentionem fratris sui, auditis ambassiatoribus suis. Ibi pernoctauit in campis. Et mane Cardinales diuiserunt se. Dominus *Ostiensis* cum Domino *Pandulpho* per terras sororii sui iuerunt. Dominus Legatus & Dominus *Lucas* per rectam viam, per quam nos veneramus. Dominus Rex & sua gens directe versus pontem de *Mollen* aciebus ordinatis. Quando ad pontem venerunt, iam homines Domini *Iohannis* illum locum ante pontem, vbi plus quam per mensem fuerant, dimiserant, munita vna turri hominibus & balistis multum bene; nec aliquis supra pontem ascendere poterat, quin illi, qui in turri existebant possent eum sagittare.

1298

(80) Postquam Rex prope pontem fuit, qui in penultima acie venerat, nullus adhuc transiuerat. Exiuerunt per pontem *sancti Angeli* gentes Domini *Iohannis* in pulcherrimis equis & armis, ita quod omnes credebamus, quod deberet esse pugna. Ibi facti sunt multi noui Milites. Ordinatis aciebus ad pugnam, viderunt, quod alii in vno loco firmi stantes & vltra non procedentes, mirabantur. Miserunt aliquos in cursoribus ad respiciendum locum, & inuenerunt illi, quod pratum *Mollae* pulcrum erat medium & quaedam vineae inter eos & vnus riuus prope pratum, nec erat via, nisi stricta, per quam pauci simul ire poterant. Postea deliberauerunt, quod pontem transirent, credentes, quod cum vltimis, si bellare intenderent, bellarent. Inceperunt continue transire, & alii de turre sagittare. Dictus Rex transiuit quasi de mediis. Visum fuit Comiti Sabaudiae securum, quod ipse in transitu cooperiret arma sua, quae multum apparebant exterius propter aurum & gemmas: Et dicebat sibi istam rationem: *Domine, forte in turri sunt balistae tales, quae proiiciunt sagittas ita grossas, quod possent vos armatum totum perforare.* Noluit, sed sic sibi respondit: *Domine Comes, audiuistis vos, quod adhuc aliquis sit mortuus vel letaliter vulneratus, qui pontem transiuerit, licet plus quam duo milia sine armis transiuerint?* Respondit, *quod non.* Et, *quare?* dixit Rex: *Deus custodit eos, & Deus nos custodiet.* Et sic transiuit, & nos omnes cum eo. Non audiui, licet plures fuerint sagittati, quod aliquis homo mortuus fuerit. Equi plures fuerunt mortui.

1299

(81) Statim post Domini Regis ingressum in vrbem inceperunt bella, destructiones domorum, & multa alia mala. Gens Regis continuato insultu per duos vel tres dies turrim illam iuxta pontem ceperunt, & omnes, qui erant ibi,

ibi, & credo, quod se reddiderunt salua vita. Post paucos dies illi, qui tenebant *Capitolium*, de nocte ipsum dimiserunt, & gens Domini *Iohannis*, ad quem illi iuerant, intrauit, habita pecunia ab eo, vt publice dicebatur. Statim domum Fratrum Minorum prope *Capitolium* muniuerunt de aliquibus eorum, ne per illum locum grauarentur. Gens Regis post hæc domum Fratrum Minorum violenter intrauit, &, vt audiui, per consensum aliquorum Fratrum, quia aliter non potuissent sine damno. Quosdam de illis, qui locum muniuerant, ceperunt, & alii in *Capitolium* fugerunt ad suos socios. Postea videntes, quod populus Romanus cum Senatore parabant se ad dandum insultum contra *Capitolium*, quia multos de populo iam vulnerauerant de balistis trahentes per fenestras ad diuersa loca, dimiserunt *Capitolium*, sic quod quilibet posset portare arma sua & vna vice quicquid posset portare cum armis. Factum est sic. Dominus *Ludouicus* Senator Dominum *Nicolaum* de *Senis* dimisit ibidem loco sui; quem etiam populus finito termino Senatoris habere voluit, prout ad præsens recordor.

(82) Quomodo Dominus Legatus & Dominus *Lucas* laborauerunt transeuntes ad Dominum *Iohannem* pro pace, & nihil facere potuerunt; quomodo Dominus Rex in præsentia multorum in domo Domini Legati, ad quem venerat, ipsi Domino Legato, Domino *Ostiensi*, & Domino *Lucæ* obtulit, quod paratus erat, secundum quod vos volebatis, filiam suam dare filio Regis *Roberti*, & frater suus impedimentum remoueret, quod sibi faciebat tenendo viam clausam ad sanctum *Petrum*, breuiter scribo, quia Dominus Legatus Sanctitati vestræ retulit, qui melius scit, quam ego, & non solum hoc, sed omnia, quæ facta sunt in vrbe.

1100

(83) Illis diebus reuersus fuit Frater *Iohannes* de *Lucido monte*, Magister in Theologia & Dominus *Iohannes* de *Venestingue*, vtriusque Iuris professor, de Neapoli, & quid sibi respondit Rex *Robertus* super parentela facienda, quam, sicut potestatem habentes, sibi offerebant secundum conditiones & articulos, qui fuerunt ante *Brixiam* concordati, credo, quod Dominus Legatus vobis dixit, quæ in scedula manu dicti Regis *Roberti* scripta continebantur, quæ volebat adimpleri, antequam ipse vellet facere parentelam, de quibus alias inter tractatores nulla erat facta mentio. Plura in scedula continebantur, de quibus non recordor. Recordor autem, quod volebat, Vicarius Tusciæ esset ad vitam filius suus, & quod ipse Rex *Robertus* esset Admiraldus per mare & Vicarius in Lumbardia ad aliquos annos, & multa talia, quæ nullo modo Rex Romanorum fecisset. Per hæc iudicet Sanctitas vestra intentionem vtriusque ad faciendum vel impediendum prædictam parentelam.

(84) Illis diebus frequenter instabat Dominus Rex apud Cardinales, quod vellent ipsum coronare in ecclesia beati *Iohannis Lateranensis*, ex quo ad sanctum *Petrum* non per eum, sed per alios clausa erat via, & si ipsi vellent ire & ipsum præcedere ad eorum ecclesiam, ipse eos sequeretur. Domini Cardinales de huiusmodi impedimento dolentes, & continue afflicti super strage & destructione vrbis, quæ continue fiebat, non valentes apponere remedium, libenter ipsum alibi, quam in sancto *Petro* coronassent, sed timebant, quod non possent virtute commissionis eis factæ. Et hoc sentiebant multi clerici eorum; clerici Domini Regis, & plures de vrbe ad hoc vocati sentiebant, quod poterant, sicut etiam Sanctitas vestra declarauit.

1101

(85) Romanis aliqualiter notis per Dominum Regem, & specialiter amicis Domini Neapoleonis, quos tales non invenerat, quales litteræ Domini Cardinalis promittebant, tamen propter hoc quod fecerant illi, qui pro pecunia Domini *Iohannis* Capitolium reddiderunt, vocauit vno mane maiores & nobiliores vrbis, qui secum tenebant, & seruitores suos se reputabant, inter quos fuit Dominus *Hanibal* & Dominus *Thebaldus* de *Campo floris*, qui consilium suum iurauerunt in *Taurino*, illi de *Sabello*, & plures alii, quos nescio ad præsens nominare. Petiuit ab eis, vtrum vellent ipsum iuuare, & de quo, & quomodo. Responderunt fere omnes quod sic; tamen diuersimode. Aliqui fuerunt, videlicet illi *de Comite*, quod eum non iuuarent contra Regem *Robertum*, cum auus dicti Regis auum suum Militem fecisset, nec ipsum Regem *Robertum* vellet iuuare contra eum in aliquo.

His

His diebus Rex Franciæ nobilibus vrbis litteras direxerat, supplicando, quod Regem Romanorum non iuuarent contra Regem ***Robertum***. Et hoc non erat secundum quod confœderationes inter eos in manibus vestris factæ sonabant. Responsio cuiuslibet fuit scripta & in præsentia omnium lecta. Tunc dixit eis Dominus Rex, quod multum eis regratiabatur; tamen volebat, quod illud, quod promiserant, assecurassent, antequam recederent ab eo, & quod in præsentia omnium vellent operibus adimplere absque vlla mutatione prædictorum. Propter quod captos se reputauerunt. Quidam eorum pueros suos ponebant pro se ipsis obsides, quidam fratres suos, alii domos & castra & aliquam summam pecuniæ, de qua dabant fideiussores. Istud factum fuit, quare Dominus potuit tenere illam partem vrbis, quam occupauerat, & quare acquisiuit magnam partem, quam alii tenebant ante ista, ***Colisæum***, ***Militias***, turrim ***de Comite***, turrim ***sancti Marci***, montem illorum ***de Sabello***, & multa alia palatia statim habuit in manu sua, per quæ illos tenebat, quorum erant, & de illis defendebat vicinos & propinquos offendebat. 1102

(86) Postquam omnes securitates dederant secundum suam possibilitatem & conuenientiam, & ipsis dimissis, Dominus ***Hannibal***, qui consilium Domini Regis iurauerat in ***Taurino***, frater etiam Domini ***Iohannis***, qui fuit vnus, qui ***Capitolium*** pro pecunia reddiderat, vrbem exiuit, & statim Dominus ***Iohannes*** de ***Sabello*** post eum, publice & aperte Domino Regi se opponentes, & Romanos, qui cum eo stabant, offendentes, aquam de vrbe, per quam molendina, quæ sunt sub ***sancta Sabina*** molebant, subtrahendo. Vnde moti Romani cum Theotonicis ad vnum castrum, quod vocatur ***caput bouis***, prope vrbem ad duo miliaria, quod castrum erat Domini ***Iohannis*** de ***Sabello***, cucurrerunt, & castrum, excepta arce, violenter acceperunt, & partem combusserunt. Et cito post custodes arcis, non habentes succursum, facto vno pacto, de quo non recordor, recesserunt. Tunc Dominus Rex arcem cum castro & aliis bonis sibi obligatis per Dominum ***Iohannem*** de ***Sabello***, qui promissum non tenuerat, sed contrarium fecerat, sibi publice opponendo, fratri suo ***Petro*** de ***Sabello***, qui sororem Domini ***Petri*** de ***Columna*** habet in vxorem, pro illa summa pecuniæ, pro qua erant ista obligata, si non teneret promissum, dedit, & quod prædicta teneret, donec esset sibi satisfactum de prædicta summa pecuniæ, in qua erant sibi ista obligata. Quæ summa fecit, vt recordor, viginti milia marcarum argenti.

Dominus ***Theobaldus*** de ***Campo floris*** recessit post istos sine licentia Domini Regis. Tamen nunquam eum offendit vel Romanos; sed in castris suis pacifice se tenuit, quia bonus homo est & fidelis. Et credo, quod recessit propter brigam, quam habebant Columnenses cum eo; & quia tunc nimis sequebantur eos Theotonici & diligebant propter seruitia, quæ Domino eorum fecerant, timebat, ne ipsum offenderent.

His diebus fecit pacem inter Præfectum vrbis & illos ***de Columna*** & Comitem ***Anquilariæ***. Nunquam autem pacem facere potuit inter illos ***de Sabello***, licet multum a principio laborasset propter amorem, quem habebat ad Dominum ***Pandulphum***, cui multum tenebatur propter sua bona seruitia. 1103

(87) His diebus Dominus Legatus expectabat vnum nuntium ad vestram Sanctitatem missum ad sciendum vestram intentionem, vtrum liceret eis alibi quam in sancto ***Petro*** Dominum Regem coronare, quia de hoc erant opiniones diuersorum. Quidam dicebant, quod sic. Propter quod moti Romani vna die, qui iam alias rogauerant Cardinales, quod vrbi compaterentur, quæ sic continue destruebatur, cum furore venerunt ad ***Militias***, vbi tunc Dominus Rex hospitabatur, & cum eo illa hora præsentes erant Domini Cardinales omnes. Satis timuimus illos rusticos insanos; & credo, quod nisi fuisset Dominus Rex, qui illos quantum potuit, mitigauit, pauci de clericis fuissent securi de vita. Sed credo, quod Dominus Rex nihil sciuit, prout audiui hoc ab eo per iuramentum affirmari. Sed si aliquis fuerit in culpa, plus crederemus de Domino ***Nicolao*** de ***Senis***, qui tunc ***Capitolium*** pro Senatore tenebat, quam de alio. Tamen nec in eum, nec in alium, quod sciuerim, de tan-

de tanto excessu fuit vnquam facta per aliquem correctio, quia pro certo scitum non fuit.

(88) Deinde Cardinales videntes commotionem populi & vrbis continue destructionem, transactoque termino, quo famulus, qui ad vos venerat, reuerti debuisset, in die Apostolorum *Petri* & *Pauli*, electo per dictum Regem, ipsum coronauerunt in ecclesia beati *Iohannis* in *Laterano*, receptis juramentis & promissionibus ab eo, secundum quod in ordinario scribitur & in litteris vestris continetur.

(89) Post sui coronationem Dominum *Symonem* de *Regalibus* de Pistorio, tunc suum Cambellanum, vna cum quibusdam Militibus, qui ad vrbem venerant, & Fratre *Peregrino* ex parte Regis *Frederici* ad eum missis, misit in Siciliam. Et, vt credo, isti primo de parentela facienda inter filium dicti *Regis* & filiam Imperatoris sunt locuti ad dictum Regem *Fredericum*, & de quibusdam pactis, & confœderationibus inter eos, de quibus modicum recordor ad præsens; tamen credo, quod postea inter eos pro pueris eorum per procuratores in Roma parentela est jurata, & quantum ad dotem & ad omnia concordata. Item recordor, quod Dominus Imperator habuit de pecunia Regis *Frederici* vnam summam magnam florenorum, & de illa Dominus *Lucas* & Dominus *Ostiensis* aliquid in Sicilia habuerunt propter suas expensas: quantum non recordor. Credo etiam quia pacta erant inter eos, quod vnus tenebatur alium iuuare in ista guerra, quam habebat Dominus contra Tuscos & contra Regem *Robertum*. Et credo, quod post inceptionem guerræ contra Regem *Robertum* vnus non poterat pacem facere sine alio, & quod quamdiu guerra durabat inter eos, omni anno Rex *Fredericus* tenebatur ei dare quinquaginta milia florenorum, & de hoc, quod contra Regem *Robertum* iuste acquirerent, filius suus cum filia Imperatoris debebat habere vnam partem, & multa talia. Ista pro certo nescio, quia modicum ad talia habebam cor; sed per intellecta a pluribus ista puto vera esse.

1304

(90) His diebus finito termino Senatoris, & Domino coronato, cum nec bella nec destructiones vrbis cessassent, populus vnum de Militibus Domini, Burgundum natione, nomine Dominus *Iohannes* de *Savigney*, Capitaneum elegerunt, qui *Capitolium* teneret, donec vestra Sanctitas de alio Senatore ordinaret. Et antequam ipsum elegissent, scio quod populus Dominum rogauerat, quod vellet *Capitolium* committere alicui, donec de alio Senatore ordinaretis. Qui cum non debuisset nec potuisset de iure, facere recusauit. Credo etiam per ea, quæ audiui, quod populus Romanus Dominum Legatum rogauit, quod eis prouideret de aliquo Senatore, cum sine capite non bene viuerent, & specialiter his diebus. Qui, vt intellexi, respondit, quod hoc non poterat, cum a Sanctitate vestra sibi nihil erat commissum.

1305

(91) Et quia Dominus Imperator & omnes sui fessi erant de mora in vrbe tanta, & plures eorum deficiebant in expensis, & nullus propter calores securus erat de vita, quilibet tendebat ad recessum. Romani videntes, quod Dominus parabat se ad recessum, habita inter se deliberatione supplicauerunt ei, quod vellet adhuc manere per aliquos dies, donec Dominus *Iohannes* cum suis recessisset. Dicebant autem, quod si recederet ante eum, quod ipsi omnes erant in periculo & corporum & domorum, & quod Dominus *Iohannes*, ex quo ipsum non impediuerat de corona, qui ad hoc venerat, quod non staret, sed in continenti recederet. Dominus Imperator excusabat se & propter consuetudinem antiquam Imperatorum, qui recedunt corona recepta, & propter multa alia, quæ clare in suis hominibus apparebant, qui disponebant se ad recessum, sicut Dux Bauariæ & maiores exercitus, qui nullo modo manere volebant, etiamsi Dominus maneret, vt apparuit per effectum. Qui etiam prædicti reputabant, se in periculo recedendo & Dominum Imperatorem manendo, & hoc, cum non essent tot homines, quod si fieret diutius, quin omnes essent in periculo. Et tamen finaliter plus elegerunt periculum viæ, quam calorum in vrbe, qui satis magni erant his diebus, & Dominum suum in illo periculo dimiserunt.

Dominus Imperator volens in aliquo Romanis satisfacere, iuit in *Tyburim*

cum

cum aliquibus de suis, paucis tamen ibi dimissis, quia pauci inueniebantur qui vellent ibi remanere. Nec propter hoc bella cessauerunt, nec alii recesserunt De *Tyburre* Dux Bauariæ, Dominus *Ludouicus* Sabaudiæ, *Comes* de *Aydone*, & multi alii magni viri cum eis recesserunt. 1206

(92) Post hæc litteræ vestræ ad Dominos Cardinales venerunt; qui simul non erant, sed dispersi. Dominus Legatus erat prope *Viterbium*, & Dominus *Lucas*, & Dominus *Ostiensis* magis de ipsis remotus. Habita inter eos collatione, venit Dominus Legatus & Dominus *Lucas* in *Tyburim*. Et litteris vestræ Sanctitatis lectis Domino Imperatori in præsentia multorum reuerendorum Dominorum, & cum reuerentia intellectis, copiam sub sigillis eorum sibi dederunt. Antequam ad ea, quæ eis continerentur, & per Dominos Cardinales distincte & mature propositis responderet, nec rationem aliquam fecit, donec primo sapientes & juris peritos vrbis, quos meliores habere potuit, super prædictis audiuit. Et tunc ipsos cum suis auditoribus copulauit, ordinans juramentum tunc inter illos, qui alias sibi iurauerant renouari, & de nouo facere, qui alias non fecerant, quod sibi veritatem consulerent, quid esset facturus, & ad quid tenebatur, secundum ea, quæ in litteris vestris continebantur, & multa talia, quæ longa essent enarrare. Quid responderit, cum publicum fuerit, credo quod Domini Cardinales ibidem existentes Sanctitati vestræ scripserunt, & etiam, postquam ad præsentiam vestræ Sanctitatis venerunt, retulerunt viua voce. Propter quod breuiter transeo. Nec in speciali de omnibus recordor. Habeo tamen memoriam de hoc quod prædicti iuris periti sibi dixerunt, quod in iure canonico & ciuili non inveniebant, quod Dominus Papa posset indicere treugam inter Imperatorem & vasallum suum: quia si vasallus committat crimen læsæ maiestatis, & Imperator, qui tenetur facere iustitiam, velit eum punire, & Sanctitas vestra posset indicere treugam inter eos, ea ratione, qua posset vna vice, posset semper, & sic nunquam sequeretur punitio de delicto, quod est contra jus naturale & diuinum. Addebant etiam quod Imperator & Rex *Robertus* non subiiciuntur Ecclesiæ æqualiter, quantum ad temporalia: quia vnus est defensor & aduocatus, nihil habens ab Ecclesia de temporalibus; alius est subditus & vasallus, suum regnum ab Ecclesia habens. Dicebant adhuc, quod, si vt vasallum Ecclesiæ in temporalibus permitteret se duci per Sanctitatem vestram, quod esset periurus, cum iura Imperii diminueret; quæ tamen iurauit non diminuere sed augere. Vnde cum treugæ per vestram Sanctitatem indictæ inter eos non durassent nisi per annum, non obstantibus iis, quæ a prædictis clericis audiuerat, & multis aliis, quæ male intelligere & minus repetere scirem, deliberauit in animo suo, prout ab eo audiui in priuato, & interim ad vestram Sanctitatem mittere, quamuis non potuerit ita cito & propter defectum nuntiorum sufficientium, & propter quædam alia, quod per totum annum in aliquo Regem *Robertum* non offenderet, vt magis ipsum diligeretis, & minus Regem *Robertum*; quem non credebat abstinere, quin offenderet eum, vbi posset, non obstantibus treugis per Sanctitatem vestram indictis. Et hoc bene in Lumbardia & Tuscia apparet per effectum, in quibus dominium multarum ciuitatum, castrorum, & villarum sibi accepit contra Deum & iustitiam, & vbi potuit ipsum & suos in mari & in terra offendit & post treugas. 1207

(93) Ibidem Columnensibus voluit dare tria millia florenorum in feodum, quod recipere noluerunt, nisi primo scirent voluntatem suorum Dominorum Cardinalium. Ibidem ipse fecit vnam protestationem propter prædicta, quod licet non intenderet ad præsens Regem *Robertum*, sibi rebellem & hostem publicum, offendere, tamen suæ intentionis non erat; cum in suorum discretorum consilio non inveniret, quod ratione treugæ indictæ inter eos per vestram Sanctitatem ab offensione dicti Regis *Roberti* abstineret. Ibidem Domini Cardinales ipsum requisiuerunt quod vellet quædam iuramenta facere, quæ in litteris vestris de nouo eis missis continebantur. Respondit, quod non intendebat alia juramenta facere, quam fecisset ante sui coronationem, nec virtute litterarum vestrarum tenebatur, iudicio suorum jurisperitorum, quia vestra Sanctitas mandabat prædictis, quod talia iuramenta ab eo 1208

 require-

requirerent, antequam ipsum coronarent, quod si nollet, ipsum non coronarent, & iam ipsum coronauerant, ideo minime tenebatur.

(94) Post festum beati *Dominici*, nescio quot diebus, contradicentibus omnibus de suo consilio, Romanis exceptis, reuersus est Romam propter ea, quæ fiebant Romæ per gentem Domini *Iohannis*. Timebamus, quod si Romam reuerteretur, quod Romani ipsum recedere non permitterent, donec Dominus *Iohannes* recederet. Item, si recedere vellet, quod non posset sine maximo periculo, & quia paucos homines habebat, & quia per pontem de *Mollen* recedere eum oportebat; vbi si pars alia bonum cor habuisset, de facili impediuisset in exitu pontis; quia ante pontem, vbi alias fuerant, subito poterant se congregare, per pontem non poterant quatuor homines simul exire; item multi passus erant infra vnum miliare a ponte, vbi decem boni homines tenuissent decem milia per vnum diem, antequam transire potuissent sine eorum maximo periculo. Propter quæ nullus nostrum concordabat, vt Romam reuerteretur. Ipse autem fidelissimos suos amicos Romanos, quos fideles inuenerat, volens consolari in recessu, & in Deo confidens, nihil timens inimicos, Romam non cum magna societate est reuersus; & ibi ad preces Romanorum, paucis de suis dimissis, ne si omnes duceret, alii maiora mala fecissent, qui ibidem remanebant, de Roma recessit per illum pontem cum Dei adiutorio nullum per inimicos habens impedimentum versus *Viterbium* dirigens gressus suos. Primo venit *Sutrium*.

1209

(95) Ad præsens vnam modicam digressionem facio. Antequam Dominus Imperator de *Tybur* recederet, Florentini pro se & sua liga timentes, ne Imperator in reuertendo ipsos offenderet, sicut & fecit, miserunt vnum, de quo plene confidebant ad consilium Domini Imperatoris ad inueniendum modos & vias pacis & tranquillitatis ipsorum. Iste missus vocabatur *Ricardus Hugueti*. Illi, qui mittebant eum, erant Dominus *Gerius* de *Spinis* & Dominus *Pisus* de *Tosa* Florentini. Per plures dies dictus *Richardus* cum consilio Domini Imperatoris secreto fuit, & recessit quasi totaliter in concordia a nobis secundum intentionem illorum, qui eum miserant. dicebat se scire, promittens reuerti in *Vrbem veterem* cum illis & quibusdam aliis ad omnia perficienda, & ibidem debebant quidam occurrere de consilio Domini Imperatoris maiores ad aliquem diem certum infra mensem Augusti. Non venerunt, nec miserunt ad dictum diem prædicti, licet postea miserint. Secundum veritatem, antequam de *Tybur* recederemus, ego credidi negotium esse factum per ea, quæ audiueram a prædicto *Ricardo*. Adhuc non cognoscebam Tuscos iis diebus.

(96) De *Viterbio* placuit Domino ire *Tudertum*, licet omnibus citramontanis displiceret propter deuium. Quidam de illis partibus posuerunt in capite suo, quod si iret, & eis regratiaretur de bona militia, quam ei sine debito, cum sint homines Ecclesiæ, cum propriis expensis per longum tempus miserant Romam in suum seruitium, quod ipsum, qui tunc pecunia indigebat, honorarent, sicut fecerunt postea. Ibidem Vicarius, qui erat in Marchia, misit ad eum, vt litteras conductus per totum Imperium ob vestram reuerentiam sibi mitteret. Quod libenter fecit, licet a multis de partibus fuisset accusatus, quod non permisisset ire aliquos voluntarios de *Marchia* Romam in suum seruitium, licet omnes contra eum ire volentes sine difficultate dimisisset.

1210

(97) De *Tuderto* intrauimus Comitatum *Perusinum*. Nec recordor, me vnum solum citramontanum vidisse, cui placeret illa via, non compatientes Perusinis, quos vna cum Bononiensibus supra modum odiunt propter ea, quæ fecerunt contra Imperatorem, qui nunquam in aliquo ipsos grauauerat, sed propter deuium, quia quilibet tendebat reuerti *Pisas*, & plures ad partes suas. Dominus Imperator proprii capitis & proprii sensus in hoc & in multis aliis, qui non se regebat semper per consilium alicuius, nisi per suum, sicut omnes, qui in suis consiliis magis secretis fuerunt, frequenter sunt experti, in multis locis illum comitatum destruxit, & multa damna bonorum temporalium eis intulit. Non credo quod aliquis fuerit ibi mortuus, quia omnes fugerunt, exceptis illis de *Marchano*, qui omnes sunt inuenti, quia primi

primi & omnes per ignem destructi & per spolium. Ibidem & in quibusdam aliis locis in dicto Comitatu fuerunt Tudertini, Spoletini, & Narnienses, non dolentes de eorum destructione, cum alias, vt dicebant, fuissent per eos destructi. Immo scio, quod Domino Imperatori promiserunt omni die, quo vellet iacere in Comitatu Perusino mille florenos, sed quod habuerit, non credo.

(98) De Comitatu Perusino venimus ***Cortonam***, vbi fuit ***Terricus*** de ***Villeson***, vester familiaris, de vna continua mortuus. Illi Imperatorem cum magno honore receperunt, & in præsentia totius populi fidelitatem sibi fecerunt per Syndicos, rogantes ipsum, vt eos ad cameram suam reseruaret, ita quod nulli tenerentur seruire nisi sibi. Quod facere noluit, & hoc quia in ciuitate Pisana, antequam ad ***Cortonam*** iret, per Episcopum ***Aretinum*** fuit sibi intimatum, quod ***Cortona*** erat ecclesiæ Aretinæ; & de hoc volebat facere fidem dictus Episcopus per priuilegium ***Karoli*** Magni, qui eam ecclesiæ Aretinæ dedit, & per confirmationem multorum aliorum Imperatorum. Antequam priuilegia sua venirent, pro quibus miserat in ***Aretium***, placuit Deo, quod dictus Episcopus in ***Pisis*** finem vniuersæ carnis est ingressus. Vnde recordor, quod Imperator præcepit fieri Instrumentum, quod fidelitatem Cortonensium receperat saluo iure ecclesiæ Aretinæ, nondum tamen sibi declarato nec ostenso. 1311

(99) De ***Cortona*** venimus ***Aretium***, qui ipsum cum gaudio receperunt & fidelitatem fecerunt. In illo loco fere omnes renouauerunt iuramenta, aliqui personaliter, aliqui per Syndicos, qui Domino ***Pandulpho*** & mihi iurauerant. In ***Aretio*** publicauerunt processus, quos publicari mandastis, in præsentia Imperatoris. Quidam Abbas Aretinus & Præpositus ecclesiæ, secundum quod Cardinales eis mandauerant, & Dominus Imperator cum reuerentia audiuit. Vtrum in ciuitate ***Tiburtina***, vel in ***Cortona***, vel in ***Aretio*** inceperint citationes Regis ***Roberti***, & multarum personarum, & ciuitatum rebellium, non recordor; sed memoriam habeo, quando hoc in Roma tractabatur, quod Auditores sacri Palatii, de quorum consilio specialiter omnes tales processus fiebant, dixerunt Imperatori, quod initiare & mediare & terminare talia oportebat in terris Imperii. Bene imaginor ego quod in altero prædictorum locorum factæ sunt primo citationes ante ***Florentiam*** & apud ***sanctum Cassianum***, vbi diu fuimus, & in ***Monte Imperiali*** diutius, factæ sunt multæ declarationes & dilationes, & talia huiusmodi necessaria, quæ ego ignoro, cum de iure nunquam lectionem audiuerim; de quo doleo multum; In ciuitate Pisana Regis ***Roberti*** & bonorum suorum & ciuitatum multarum rebellium Imperii, nec non Comitum, Baronum, & multarum singularum personarum Imperii, & ciuitatum ecclesiæ, qui fuerunt personaliter in Roma, in Lumbardia, & in Tuscia contra Imperatorem, sententiæ diffinitiuæ sunt datæ secundum qualitatem personarum & locorum & quantitatem culparum. Et omnia ista scripta publice, & ab omnibus possunt videri. 1313

(100) In processibus prædictorum, diu antequam sententia daretur, voluit Imperator, quod sui clerici ista tractantes & in ***Bononiam*** & alibi in Tusciam, vbi litterati viri reperiuntur, mitterentur ad videndum, & æstimandum si in prædictis vel in aliquo prædictorum esset aliquis defectus: quia si defectus propter negligentiam eorum, qui talia ordinabant, fuisset inuentus, promisit eis, quod de vita & de honore eorum non essent securi. Ante sententiam assecurauerunt Imperatorem, quod in processibus nullus esset defectus, & hoc vellent secundum iura ante omnes clericos mundi sustinere. Dominus, qui alias viderat eorum opinionem de coronatione sui possibili alibi quam in sancto ***Petro*** bonam, prout in litteris vestris continetur, quod licuit, atque licet, licet plures clerici Dominorum Cardinalium sentirent contrarium, non dubitauit, quod in processibus esset defectus, ex quo per tantos & cum tanta diligentia erat examinatum, & cum tanto periculo eorum eis noto, si in eis defectus aliquis inueniretur.

(101) Post hæc ipse motu iustitiæ, sicut in mea conscientia credo, sententiam protulit, sed non simul de omnibus, nec in eodem die, licet in eadem

eadem ciuitate, prout mihi videtur ad præsens, & in mea conscientia ad huc sentio, quod audacius de maiori & magnis executionem sententiæ fecisset, si potuisset, quam scripto & verbo protulerit, in hoc Deo credens placere. De minoribus & multitudine non credo propter suam maximam compassionem & misericordiam, quod de ipsis, quantum ad omnia, si potuisset, executionem iustitiæ fecisset, sed quantum ad aliqua credo.

1313 (102) De *Aretio* recessit Dominus Imperator circa festum natiuitatis beatæ Virginis. Et prima nocte fuit in comitatu Florentino ante Castrum *Montis Wardi*. Homines castri mane fortissime defenderunt se contra insultus Theotonicorum. In vesperis duo Fratres Prædicatores de conuentu Florentino, quorum vnus fuit de illo loco, & quidam ciuis Aretini, habentes in dicto castro amicos, intrauerunt ad eos, & eis pericula ostendentes, eos induxerunt ad obedientiam, quam in mane fecerunt, misericordiam Imperatoris deprecantes, quod in corpore & in rebus vellet eis parcere, quod & fecit.

(103) Altero die venit Imperator ad castrum sancti *Iohannis*. Et postquam viderunt illi de castris, quod aqua, quæ per villam transibat, ab eis remouebatur, nec impedire poterant aliqualiter ante eorum destructionem, mediantibus tamen quibusdam patriotis, castrum reddiderunt ad omnimodam voluntatem suam faciendam. Ibi erant circa quinquaginta nobiles bene in equis stipendiarii Florentinorum, natione Cathalani, ad custodiam castri missi, ignorantes voluntates eorum, quando Marascalcus intrauit, & eos captos, dimissis equis eorum & armis indigentibus, ad Imperatorem adduxit; qui, licet plures instarent, quod suspenderentur, quia meruerant, ratione cuiusdam ordinationis & proclamationis factæ, quod quicunque infra certum tempus cum suis rebellibus inveniretur ratione stipendii, quod puniretur, sicut rebellis & hostis; item dicebant, quod si illos primos captos suspenderet, nullus de eorum sociis auderet se ponere in alio castro firmo, & per hoc rebelles Tusci sibi obedirent, qui solum in potentia & virtute Cathalanorum suorum stipendiariorum confidentes, non in semet ipsis, qui miseri sunt in armis, contradicunt, nullo modo voluit sustinere, quod morerentur, sed ipsos cum

1314 aliis de illis partibus captos de Roma post se in magna miseria duci fecit, & in festo natiuitatis Christi ad preces meas & aliorum meliorum me eis compatientes apud *sanctum Cassianum* liberos dimisit. Non tamen eis bona, videlicet equos & arma, restituit; quia bene petitum fuit ab aliquibus melioribus, si vellent cum eo manere & sibi seruire, qui causam contra Florentinos habebat, sicut seruiebant Florentinis, qui nullam iustam causam habebant, quia inobedientes domino suo erant, aliqui dixerunt quod sic, aliqui quod non, cum essent subditi Regis *Roberti*, qui eos miserat. Postea ab aliquibus fuit dictum pro meliori, quod nullus eorum teneretur.

(104) Altera die venit in *Phiguino*, pulcherrimo loco sine muris, quasi ab incolis dimisso propter timorem. Ibi pernoctauimus vsque mane. Et tunc versus castrum *Ancisæ* fortissimum, in quo erat tota militia *Florentiæ*, post tertiam venimus. Pons erat ibi super aquam nullo modo cum equo meabilem. Prope castrum super illum pontem & circa muros & portas erant Florentini armati pulcherrime & multi, &, vt dicebatur, in duplo quam nos; quia tunc in equis pauci eramus, & nulli pedites armati. Et quia non fuit via nec per aquam nec per pontem, nec bellare poterant, nisi illi de locis, vbi erant, descenderent, supra castrum per montem sine via, vbi non dicebatur, per incolas quod aliqualiter possemus ascendere nec transire, iuimus, & prope castrum ex alia parte versus *Florentiam* venientes, exiuerunt illi de castro in cauda exercitus, & fuit ibi durus conflictus nobilium, & multi mortui Cathalani & Florentini per gentem Imperatoris fuerunt, &, vt ab omnibus postea fuit dictum, si fecisset ante dictum castrum *Ancisæ*, in quo tunc erat flos militiæ *Florentiæ* & Tusciæ in maximo numero hominum, ipse vicerat *Florentiam*, quia omnes boni erant ibi, & maximus numerus hominum, & locus

1315 strictus & male de victualibus munitus. Florentini exteriores dederunt sibi aliud consilium, quod directe *Florentiam* iret, & statim eam caperet, quia omnes, qui poterant eam defendere, erant in illo castro *Ancisæ*, sicut verum erat. Mane versus *Florentiam* iuit. Sed per aliam viam Florentini recesserunt, scientes

scientes vltra aquam, quia pontem habebant, de nocte, & ante Imperatorem peruenerunt. Et tamen post eos ita cito venit Imperator, quod quando applicuimus ante *Florentiam*, scio quod carnes inveniebantur ad ignem in ollis & lecti facti, & nihil adhuc erat remotum; & hoc probaui in hospitio, in quo fui.

(105) Postquam venimus ante *Florentiam*, omnia mala, quæ per gentem Imperatoris potuerunt fieri, in eorum districtu & territorio facta, & per ignem & per destructionem & per arborum suorum abscissionem. Post paucos dies ab aduentu suo Dominus Imperator fuit infirmus continua vel duplici tertiana, & de hoc erat dubitatio inter Medicos. Ibi primo incepit crescere in hominibus de partibus Tusciæ & de Marchia. Non tamen vnquam fuerunt tot in armis, quin Florentini & eorum liga, quæ ibi conuenerat tam de Tuscia, quam *Bononia*, & *Romandiola*, & *Marchia*, de *Perusio*, & quibusdam aliis terris Ecclesiæ; pro vno, vt dicebatur, fuissent tres in bonis equis, & pro vno pedite armato decem armati vel plures. Ego recordor frequenter, quando Medici desperabant de Imperatore, plures, qui iam sibi seruiuerant diu cum eorum expensis, volentes sibi prouidere in hyeme, receperunt licentiam ad tempus certum, & post eorum recessum, quia iam ad decem miliaria non inueniebantur victualia, oportebat cum magna comitiua ire pro victualibus propter periculum, quod aliquando, vt dicebant, quia talia scire debebant, non remanebant homines trecenti bene in equis ab aurora vsque ad vesperas cum Imperatore periculose sic infirmo. Et bene erat mirabile, nisi Dominus custodiuisset Imperatorem cum suis, quomodo alii tot in numero & infra suam ciuitatem potentes non maiora damna faciebant aliis, cum tamen fere omni die non generaliter alicubi exirent, sed statim, quod inueniebant resistentes, ad ciuitatem reuertebantur. 1216

(106) Ibi de comitatu eorum & districtu ad obedientiam venerunt tam de *valle* de *Seua*, quam de *valle* de *Greua*, & pluribus aliis contratis versus *Arnum* plusquam quadraginta castra, & meo iudicio plus timore quam amore. Timebant autem, ne spoliarentur per Theotonicos. Et postquam obediuerant, erant securi, & veniebant ad exercitum, vendebantque bona sua in duplo, quam valerent.

(107) Domino Imperatore sic debili iterum prædictus *Ricardus Hugueti* venit ad exercitum, missus per istos maiores de *Florentia*, ad tractandum de pace & concordia, vt prius, excusans eos, quantum potuit, licet non bene, prædictos, quare non venerant vel miserant in *Vrbem veterem*, prout promiserant; & reincepto tractatu de nouo propter plures mutationes in prædictis, post plures dies quasi concordes omnes illi secretiores de consilio cum prædicto Confessorem suum vocauerunt, vt ipsum induceret ad faciendum pro pace illud, quod talibus, de quibus magis confidebat, pro meliori videbatur. Prædictus Confessor satis laborauit, sed parum profecit. Omnia quæ volebat totum consilium habere, quæ possibilia erant & honesta eorum iudicio, a Tuscis rebellibus concedebantur, hoc excepto, quod in terras non intraret in ista nouitate, sed bene Vicarium mitteret vnum singularem, quem petebant, de quo Domino Imperatori plus placebat, quam de alio Vicario. Sed nullo modo voluit consentire, nisi intraret, si vellet, dicens, quod gratiam & misericordiam haberemus ab eo pro ipsis, quantum vellemus, saluo tamen honore suo, qui nullo modo esset in tali pacto, quod necessitatus esset non posse intrare, si vellet, in suis ciuitatibus, nec ipse iudicabat, quod sui rebelles quærerent aliud, nisi suum recessum ad tempus, postea de facili impedirent eum ne intraret, quia introitus per istas partes sine mari in Tuscia satis sunt graues, & per mare non semper homo vadit, quando vult, & magnam multitudinem simul per mare transire sumptuosum est multum. 1217

(108) Quando plura damna in illa parte non poterant fieri Florentinis, nec victualia amplius inueniebantur, quia in principio, sicut fatui,

per

per ignem granum & paleas, & per effusionem vinum & oleum destruxerant, in vigilia omnium Sanctorum de illo campo recessit Imperator, & transiuit aquam his diebus satis magnam de clara die; in quanto periculo, illi sciunt, qui viderunt. Si alii in aliquo cor habuissent, cum possent, ad quamcunque partem voluissent, cum eorum enfortio percutere, nec alia pars aliam poterat iuuare, cum vna esset citra aquam, alia extra, & alia infra, aqua fuit profunda, & transitus longissimus, & alueus altissimus, ita quod iudicio transeuntium decem bonæ balistæ super alueum existentes nos omnes impediuissent, quia a nobis non poterant offendi gladio vel lancea propter profunditatem aquæ prope alueum & ipsius aluei altitudinem. Deus voluit quod sic fieret, prout credo, quia illi sapientes milites, qui prædicta considerauerunt, hoc semper timebant.

(109) Cum adhuc nullum remedium posset videre, vastando comburendo aliam partem, vltra aquam fecimus festum omnium Sanctorum & animarum in vno castro illorum *de Bardis*, pleno mulieribus, nobilibus, & infinitis diuitiis de illa contrata. Mulieres nobiles illius societatis pro maiori parte se, pueros, & bona eorum recollegerant propter loci fortitudinem; vbi erant muri altissimi, & fossatum latissimum & profundissimum, plures seruitores locum custodientes cum multis balistis. Ad primam inuasionem salua vita eorum castrum reddiderunt. Dominus Imperator voluit, 1118 quod illas Dominas nobiles honesti viri eas ducerent decenter ad quæcunque loca ire vellent cum eorum pueris, qui de maioribus & ditioribus *Florentiæ* erant nati & magis sibi in ciuitate contrariis. Tuscis Guibelinis, qui pueros noscebant, displicuit de eorum liberatione, dicentes, quod credebant, quod si Dominus teneret pueros cum eorum matribus, mariti earum & patres eorum cito ad obedientiam venirent. Dominus nullo modo eos voluit retinere, sed liberos misit eos.

(110) In crastino animarum recessit Imperator de illo castro. Et post suum recessum statim ibi positus fuit ignis, tunc comburendo illam patriam vsque ad sanctum *Cassianum* prope *Florentiam* ad sex miliaria. Ibi posuit castra sua. Villa fuit valde bona & plena omnibus bonis. Ibi remansit vsque post festum Epiphaniæ. Circa illum locum erant multa castra fortia. Aliqua combussit, aliqua retinuit, sicut *Lucardum*, vbi fiunt boni casei, & castrum *sanctæ Mariæ nouellæ*, in quo cepit Dominum castri, postquam per aliquos dies se defenderant, qui vocatur *Conradus* filius Domini *Iohannis Filache*. Dicitur quod pater cum filio in terra Delphini & circa Rhodanum habent plusquam centum milia florenorum, & sunt de magnis hominibus Florentiæ. Plures Domino Imperatori consulebant, quod de isto faceret iustitiam ad terrorem aliorum Florentinorum quia si istum decapitaret, alii nunquam auderent se ponere in castris, timentes similem sententiam, si caperentur, & si non vellent se ponere in defensione castrorum, nunquam inueniretur stipendiarius, qui auderet se ponere, ex quo illi, quorum sunt castra, non auderent, & sic de facili omnia castra lucrarentur, quibus habitis, ciuitates nullo modo se tenerent. Misericordia motus Imperator, quia fuit pulcher iuuenis, & multi quærebant mortem suam, ipsum extra carcerem dimisit, primo tamen positis duobus suis filiis obsidibus pro eo. Postquam 1119 exiuit carcerem, fecit sibi fidelitatem, & Dominus indulsit sibi omnia, si fidelis inueniretur.

(111) Accepit licentiam eundi in Florentiam, credens eos inducere ad obedientiam, postquam eis conditionem Imperatoris narrasset, quomodo erat sanctus & misericors. Reuersus est, & nihil fecit. De quo doluit, vt dicebat. Plures voluissent obedire, sed quidam impediebant, fingentes multas litteras, quas falsas ipse Dominus reputabat, missas eis de ista curia vestra, sed non de vestro consensu, dicebat, quomodo viriliter se tenerent, quia

quia per vestram Sanctitatem cito confortare eos procurarent. Isti mendaces, qui sic populum inducebant, vt pacem nollent, pro confirmatione prædictorum Dominum Episcopum *Florentinum* in exemplum ponebant; qui de concilio reuersus, & intentionem vestram sciens, erat de primis armatus cum suis clericis, & plus confortabat eos publice in sermonibus, quod nullo modo ipsi, qui erant liberi, ponerent se in seruitutem & cogitarent diligenter, quid de ipsis facerent inimici eorum, dum intrarent *Florentiam*, ipsis potentiores, ratione Theotonicorum, qui eos semper contra suos vicinos iuuarent. Hæc & plura alia de *Florentia* diuersis in exercitu scribebantur, quæ nunquam credidit, sed falsa semper dixit, & quod talia inueniebantur ad inducendum populum vt facilius pecuniam solueret; qui iam erat sic illis diebus grauatus, quod pro defectu solutionis plures domus & magnæ continue destruebantur.

(112) Et istud sentio ego in conscientia mea. Et hoc mouet me. Cum semel vnum Fratrem Minorem de *Florentia* natum misi ad Episcopum *Florentinum*, & omnia prædicta secrete sub litteris credentiæ, mandaui sibi, quod talia de eo dicebantur, & quod ipse talia generaliter & publice dicendo curiam Romanam totam diffamabat, vos autem merito contra eum turbari deberetis, qui eis & omnibus aliis ciuitatibus vestras litteras miseratis quod obedirent, & quod Sanctitati vestræ ego prædicta significaueram, tunc per dictum Fratrem Minorem mihi mandauit, quod nunquam a vobis nec ab aliquo Cardinali aliquid de huiusmodi materia haberet in mandatis, nec pro nec contra in dicto concilio fuerat ab aliquo attentatum: multa erant alia, circa quæ erat occupatus sine istis: subiunxit postea quod ipse erat Guelphus, & de Guelphis natus, & per eos promotus. Vnde si eos diligebat, non debebam admirari; quia sciebat, quod si Guebelini reuerterentur & possent, quod ipsum & domum suam destruerent. Prædicta ego retuli Domino, qui libenter audiuit, & voluit, quod ista publicarentur, ne talibus mendaciis crederent. 1110

(113) Multæ valles & plura castra in ipsis illis diebus venerunt ad obedientiam, & personaliter in exercitu erant, & victualia adducebant, & plus iudicio meo timore quam amore, sicut postea apparuit per effectum, quia statim, quod exercitus fuit ab eis elongatus, plures ex eis reuersi sunt ad obedientiam Florentinorum.

(114) His diebus Dominus Imperator dedit *Comiti Sabaudiæ* ciuitatem *Astensem* cum Comitatu, & omnia sua priuilegia a suis prædecessoribus sibi vel suis data, siue essent Reges, siue Imperatores, confirmauit; & fecit eum Principem de nouo, & approbauit quitationes, quas fecerunt nepotes sui, & pacta inter ipsos confirmauit, & si minus iuste ipse ratione quacunque comitatum possideret, confirmauit & de nouo donauit.

(115) In eodem etiam loco dedit Domino *Roberto* Flandriæ *Cassale* in Lumbardia in feodum & vsque ad valorem quatuor milium florenorum in redditibus magis prope locum illum. In eodem loco pluribus Tuscis nobilibus plura dedit castra in feodum, sic tamen, quod essent ad beneplacitum suum & Imperii. Et hoc fecit de omni feudo, quod dedit alicui Italico, vbicunque fuerit, timens semper de eorum mutatione quantum ad fidelitatem propter ea, quæ videbat in multis aliis Comitibus & nobilibus, qui totum, quod habebant, ab Imperio tenebant, & fidelitatem Domino *Pandulpho* & mihi fecerant nomine Domini, & tamen tunc, sicut nunc, erant cum *Florentinis*. Vnde quia oportebat ipsos priuare via iuris, dicebat Imperator, quod in donis, quæ Italicis daret, nolebat, quod processus iuris essent necessarii, vt magis ipsi ad infidelitatem inclinati timerent eorum bona perdere. 1111

(116) In eodem venit vnus Nobilis de *Senis*, tunc Potestas Pistoriensis, & vocatur *Binduchius* de *Salenbenis* vir eloquens, sicut recordor me vidisse secularem. Iste erat vir diues, dicens, quod habebat auctoritatem ex parte totius ligæ Tusciæ tractandi de pace, & si aliæ ciuitates nollent pacta conuenientia, ipse tamen volebat pro sua. Non credo, quod ipse tunc aliquid sciuerit de alio tractatu, vt in verbis suis videbatur, quia plura petebat

sic diuersa ab aliis petitionibus concordatis, quod nobis constabat, quod Dominus ad talia nullo modo inclinaretur.

(117) De illo loco recessit Dominus *Robertus* Flandriæ, & *Dominus de Blanquenebam*. Et licet haberent causas sufficientissimas, vt Domino prætendebant, tamen cum beneplacito Domini & licentia non recesserunt. Dicebat autem, quod cum esset in medio inimicorum suorum, & in campis, ille non erat consanguineus suus bonus, qui ipsum in medio inimicorum suorum dimittebat & in periculo tanto, & plura alia ostensiua, quod male faciebant, quod ipsum sic dimittebant. Ad alium locum venerunt *Pisani* in magno numero peditum & equitum, & de eodem loco recesserunt diu ante nos.

Postquam non inueniebantur plura victualia circa sanctum *Cassianum*, Dominus Imperator recessit versus *Podiobouis* inter *Senas* directe & *Florentiam* & sanctum *Miniatum*, & ibi *Montem*, quem vocauit *Imperialem* præcepit ædificari, & per incolas habitari. Qui libenter hoc fecerunt, cum alias ibi securi existentes, multis annis per Regem *Karolum* castrum eorum fuisset destructum & per Florentinos condemnatum, quod amplius non habitaretur. In eodem loco in castro Imperiali Dominus dedit Domino *Henrico* Flandriæ, suo Marascalco, ciuitatem *Laudensem* cum Comitatu, & si non valeret decem milia florenorum in redditibus, volebat, quod in locis propinquioribus eidem assignarentur vsque ad decem milia florenorum, & fecit eum *Comitem Laudensem*. Ibidem *Comiti* de *Foresio* dedit castrum de *Succino* in Lumbardia & quatuor milia florenorum magis prope castrum assignandorum, si prædictum castrum non valeret. Ibidem omnibus Militibus citramontanis non Theotonicis inter duo milia florenorum & trecentos. Ista fuerunt extrema, quia nullus habuit plusquam duo milia, & nullus minus quam trecentos. Dedit huiusmodi feodum secundum conditiones eorum.

1222

(118) De huiusmodi feodis prædictis & Comites & alii tenebantur facere seruitia Imperio secundum modum & formam, quam faciunt illi, qui habent feoda talia in regno, licet eis modus & forma grauis & dura videatur aliquibus, & pluribus assignauit eis in illis partibus castra & circa castra magis prope summam datam. Et quia non tot erant castra in sua obedientia, sicut Milites, eis assignauit de sua camera recipere annuatim, donec in Italia in aliquibus locis certis eis prædicta assignasset. Omnibus Theotonicis Militibus, paucis exceptis, in Alemannia in suis partibus alias terras in feoda assignauit secundum conditiones & merita personarum.

(119) His diebus *Senenses* Augustinianos primo. postea Fratres ordinis Camaldulensis miserunt ad inueniendum aliquam viam pacis; & secundum ea, quæ petebant nihil est consummatum. Tamen illi, qui tunc regebant, supplicauerunt Imperatori, quod me vellet mittere ad eos tractandum aliquam bonam viam. Et quia nolebant, quod aperte ego irem, sed occulte, Domino non placuit, cum non esset honor suus, vt dicebat. Litteras plures habuerat de *Senis*, quod ad tractandum occulte nullum mitteret, si vellet pro se habere bona pacta, sed aperte quemcunque vellet mitteret, cum populus tunc pacem desideraret; si pax non fieret, ex quo gratiam Dominus Imperator eis volebat facere, & hoc publice populo diceretur, quod omnes pacem impedientes essent ad clamorem populi in periculo. Regentes noluerunt, quod aperte ego irem, timentes prædicta, & Imperator noluit, quod ego irem occulte.

1223

(120) His diebus prope *Montem imperialem* ad vnum miliare, ad duo vel ad tria in tribus castris maior pars stipendiariorum Tusciæ erat, & propter offensionem gentis Imperatoris, quæ victualia de *Cassulis* venientia conducebat, illi qui erant in castro *Collis* prope sanctum *Geminianum* in vno campo molli aliquos interfecerunt, & aliquos acceperunt; inter quos fuit vnus Imperatoris consanguineus, Dominus *Aymo* de *Albomonte* captus. Hac vice excepta, nec vidi nec audiui, quin vbique perderent Imperatoris rebelles.

rebelles. Ipsum suum consanguineum cum omnibus captis pro tribus milibus florenorum redemit Imperator. Mortui fuerunt inter omnes circa triginta, nullus tamen Miles. Et quia quadragesima erat, & pisces non inveniebantur, & iam propter moram longam victualia male, quia illi de illis tribus castris, qui forte erant plures, quam nos, destruebant illos, qui Imperatori obediebant, & nos alios, licet cum difficultate posset Imperator induci ad recedendum, tamen illud pro suis gentibus coegit eum, quod cogit lupum aliquando de silua recedere. Iam enim sui iuerant bis ante *Senas*, & totum erat apportatum, quicquid erat inuentum pro victualibus.

(121) Dimisso *Monte imperiali* firmato lignis, & portis factis, & plusquam mille hominibus habitantibus, pedites & equites tot dimisit, quot ad custodiam patriæ necessarii videbantur. Et licet de illo loco esset via eundi in *Pisas* sine periculo, tamen, quia longior erat, quam recta, in qua erat maximum periculum, paucis videlicet nullis consentientibus per medium inimicorum per totum diem equitauit, hoc est, inter sanctum *Geminianum*, castrum Florentinum, & sanctum *Miniatum*, & quicquid combustibile inuenit, combussit, & in via vnum castrum fortissimum accepit de districtu sancti *Miniatis*. In continenti post illud castrum intrauit comitatum *Pisanum*. Tunc omnes fuerunt securi. 1314

(122) In omnibus locis prædictis, non solum laicis, sed clericis & religiosis, maxima damna facta sunt de eorum bonis temporalibus contra Deum & iustitiam. Et hoc generaliter fiebat per ribaldos, licet Dominus Imperator per me & alios religiosos, qui talia videbamus, frequenter fuisset prouocatus contra Marescalcum suum, quod de huiusmodi malefactoribus non faceret iustitiam competentem. Vnde frequenter fuit sibi dictum per me & quosdam alios, quod de officio diuino, de quo erat solicitus super omnes, quos in vita mea vidi, Dominus parum curaret, quando permittebat ecclesias spoliari. Tunc plorans amare mandabat pro Marescalco, & fiebant proclamationes & tallia & mutilationes multorum. Et tamen non obstantibus istis aliquem locum ecclesiasticum non vidi alicubi in Tuscia in terris rebellium custoditum a prædictis vt deceret. Ipse affligebatur, & clamabat contra suos officiales. Sed nihil erat. Tunc erant miseri Guibelini pauperes facti de nouo per Guelphos, & plures Guelphi igniti & destructi per gentem suam.

(123) His diebus omnes exercitum sequentes, nescientes quo ire, & de vita dubitantes. Tunc etiam erant pauperes multi ribaldi citramontani & pessimi, qui nulli ecclesiæ deferebant, si poterant spoliari. Et istud (f. si) aliquando inter se & alios rebelles esset pugna, plures interficiebant sacerdotes & clericos. Et hoc probabatur, quando denudabantur. Et plures capiebant vulneratos adducentes. Inter quos recordor, quod ego de vno sciens, quod erat captus in quodam insultu vnius castri, potenter dictum castrum defendens, vnde erat Plebanus, statim Dominus mandauit, quod mitteretur ad suum Episcopum; & in mane, quia letaliter erat vulneratus, fuit mortuus. In partibus illis meo iudicio seculares sunt mali, & clerici non sunt boni. 1315

(124) In *Pisis* Dominus Imperator venit circa medium quadragesimæ. Et inter omnia, quæ facta sunt ibi relatione digna, quantum recordor ad præsens, ista fuerunt. Pluribus diebus de portu Pisano vsque in *Ianuam* nullus audebat ire, quia galeæ Regis *Roberti*, quæ iam aliquas terras in *Corsica* & in *Sardinia* Pisanorum destruxerant, mare taliter tenebant clausum, quod nullus sine periculo poterat ire, & plures de gente Imperatoris fuerunt per prædictas galeas, & mortui & capti, postea redempti. Et ista, prout credo, fuit prima causa, & primum motiuum, quare Venetos & Ianuenses Dominus Imperator requisiuit, vt de aliquo certo numero galearum infra tale tempus vsque ad tale, hoc est, per spatium trium

 mensium,

mensium, sibi vellent seruire. Ianuenses viginti promiserunt. Veneti promiserunt libenter sibi seruire. sed nesciebant, quod possent ad dictum tempus, quo indigebat, propter armatam, quam ipsi contra quosdam sibi rebelles faciebant his diebus; sed si pacem vel treugam vel victoriam haberent, totam suam armatam ad seruitium Imperatoris offerebant. Item iudicem *Alboreæ* ad preces aliquorum Pisanorum ipsum legitimauit quo ad successionem. Qui legitimatus dedit sibi quindecim milia florenorum. Quibusdam videbatur, quod non poterat, quia de territorio Ecclesiæ erat. Finaliter tamen sui clerici dicebant, quod poterat. Item in illa legitimatione remisit sibi offensam omnem, si aliquam contra eum commiserat, quia, vt dicitur fratrem suum occiderat, vt terram haberet. Sed quia iustitia de fratricidio ad eum non pertinebat, cum esset homo ligius Ecclesiæ, poterat, vt dicebant illi, sibi remittere offensam contra eum commissam, non contra personam offensam, vel contra Ecclesiam.

1226

(125) Nunquam Pisanis confirmare voluit sua priuilegia ab aliis suis prædecessoribus data vel confirmata, nec aliquam gratiam vel priuilegium vnquam eis dare voluit. Et de hoc multi contra eum mirabantur, cum ipse vltra sexaginta milia florenorum postquam primo factus fuit Rex Romanorum, ab eis habuerit, vel pro ipso expenderint. Caussa, quare confirmare nunquam eorum priuilegia voluit, fuit, quia ego & quidam alii, qui eorum priuilegia videramus, sibi retulimus, quod in dictis priuilegiis plura continebantur, quæ erant Ecclesiæ, sicut *Sardinia* tota, & vna pars de *Neapoli*, & quædam alia, de quibus non recordor ad præsens.

(126) Item in *Pisis* vnum carceratum Guelphum nomine de illis Guelphis Comitibus natum, qui castra eorum proditiose *Lucanis* dederunt, licet propter delicta parentum a cunabulis captus fuisset, per me mandauit ipsum liberari. Quod supra quam dici possit omnibus Guebelinis & specialiter *Pisanis* displicuit. Nec propter hoc dimittere voluit, quin innocentem liberaret.

(127) Item in *Pisis* priuilegia Ianuensium confirmauit, quæ in *Ianua* confirmare noluit, saluo tamen iure Imperii & omnium aliorum. Ianuenses non fuerunt contenti de huiusmodi confirmatione. Aliam tamen confirmationem non habuerunt per eum.

1227

(128) In Pisis Domino Imperatore existente, iterum *Senenses* miserunt ad Imperatorem, quod me in quoddam castrum, quod vocatur *Cassula*, mitteret, & illi, qui regebant ciuitatem Senensem illuc venirent, assecurati per illos de castro primo, quia per gentem Imperatoris tenebatur. Dominus Imperator satis voluisset, quod ego iuissem. Sed sine periculo non poteram propter ciuitatem *Vulterranam*, quæ erat in medio. Vnde non ausus fui me in periculo ponere.

(129) In Pisis, vt prædixi, Regem *Robertum* & multos alios *Astenses*, *Papienses*, & multas alias ciuitates Italiæ propter crimen læsæ maiestatis condemnauit.

(130) In Pisis *Lucani* miserunt pro Archiepiscopo Pisano & pro me ad tractandum de pace. De licentia Imperatoris iuimus prope ciuitatem *Lucanam*. Et ibi, qui terram regebant, ad nos venerunt, & multum nos honorauerunt, & in fine post multos tractatus consuluerunt pro meliori in dicto negotio, cum populus Lucanus esset superbus & fatuus, quod gens Imperatoris super eos aliqua damna faceret. Tunc equitauit gens Imperatoris & *Petram sanctam* & *Sarsanam* & illas partes accepit.

(131) Cum quanta reuerentia in Pisis nuntios vestros, qui processus coram eo publicauerunt, & quomodo voluit, quod ipsos honorarem, & in ciuitate, & per mare securos conducerem, quid responderit eis; & protestationem, quam ibi fecit, non solum Christiani Regis, sed Christianissimi Impera-

Imperatoris, quia hic præsentem habeo, personam vestram & Ecclesiam Romanam quanta reuerentia & dilectione habebat ostendentem, & multa circa ista non scribo, credens probabiliter, quod fratres vestri nuntii ordinate & diffuse Sanctitati vestræ retulerunt.

(132) Voluit etiam, quod Vicarius Pisanus publicationem deuote audiret. Qui tamen, quando ad ipsum iui ex parte sua, mihi sic respondit, quod in Sicilia duo alii Fratres Prædicatores, quorum vnus erat Sacerdos, alius Diaconus, portauerunt alias ex parte Domini Papæ litteras, quorum vnus fuit suspensus, & alius decapitatus, qui non ita bene meruerunt, sicut isti. Tamen non obstantibus multis aliis ab eo tunc dictis, ipsos audiuit deuotius, quam credebam. 1228

(133) *Pater sancte*, vnum nolo omittere, quod audiui ab Imperatore, quando ab eo recessi. Petiui secrete, quod placeret mihi dicere, quid intendebat facere de tot galeis in mari existentibus, ex quo tales processus audiuerat fieri contra regnum Apuliæ inuadentes. Induxi tunc eum, quantum potui, quod caueret summe de occasione quacunque, per quam Ecclesia Romana haberet causam ipsum offendendi directe vel indirecte. Et ad istam materiam multa sibi dixi. Tunc ridendo & quasi me confortans, qui multum hoc timui, respondit: *Sitis consolatus. Nos audiuimus consilium nostrorum clericorum iuratorum, vtrum defendendo nos Deum offendamus, & vtrum teneamur facere iustitiam & delinquentes punire, ex quo Deum non offendimus prædicta faciendo, sed magis offenderemus ipsum contrarium facientes. Pro certo nondum deliberauimus, vtrum debeamus intrare regnum vel non, nec bene deliberare possumus, donec alios rumores habuerimus de Rege* Frederico: Tunc ego subiunxi: *Et si ipse consulat, & vos intretis, Papa excommunicatum vos denuntiabit & postea procedet ad vestram depositionem, sicut factum fuit de* Frederico, *qui fuit ditior, nobilior, & potentior, & minores rebelles habuit, & plures amicos, tamen finaliter Ecclesia ipsum destruxit.* Tunc dicebat: *Si Deus pro nobis, nec Dominus Papa, nec Ecclesia destruet nos, ex quo Deum non offendimus. Bene faciemus pacem nostram cum Domino Papa, quia bene scimus suam intentionem diu est, & bene nobis per nostrum Camerarium* Terricum *de* Villeson *mandauit illud, quod de nobis in corde habuit. Vnde non timeatis, quia nos non timemus.* Petiui pro gratia speciali, vt mihi illud diceret, & hoc propter meam maximam consolationem.

(134) Ista fuit intentio verborum suorum, *Pater sancte.* Licet de verbo ad verbum non sint eadem verba, tamen certus sum, quod est eadem sententia; quod Sanctitas vestra a principio eum ita cito approbauit, licet multis displiceret & magnis; ita curialiter de Legato sibi prouidit, vt in Lumbardia possent omnes videre affectum vestrum sincerum, quem ad suum magnificum statum habebatis, vt citius obedirent; postea commissionem, quam petiuit de sui coronatione, in continenti habuit. Hæc omnia fecistis, vt in statu debito positus, superbia aliquorum per eum refrenaretur, quos iam nullus audet tangere propter ea, quæ facta sunt per eos, & adhuc possent similia & maiora fieri, nisi essent humiliati. Modo quia fortuna non arrisit sibi in Italia, & omni die timebatur de statu suo, & quia pauper, & quia infinitos habens rebelles, oportuit de necessitate, quod vestram gratiam ab eo retraheretis, timentes probabiliter, quod si cum vestra gratia in displicentiam aliorum deficeret simpliciter, vel statum perderet aliqualiter, quin vobis & Ecclesiæ ex hoc maxima damna & incommoda euenirent. Vnde dicebat quod certus erat, quod si Regem *Robertum* iuste & rationabiliter bonis temporalibus priuatum propter commissionem criminis læsæ maiestatis 1229 1230

iestatis decapitaret, tanquam dignum, quod Sanctitati vestræ displicere non deberet, sed placere, & omnia, quæ sunt Ecclesiæ Romanæ, videlicet regnum & quædam alia, ad manus vestras libere recipere & vni de vestro sanguine vel alteri nobili digno conferre, de quo vobis videretur.

(135) *Pater sancte*, testimonio conscientiæ meæ alia ad præsens nescio relatione digna, nisi quod per salutem animæ meæ vobis dico, quod non credo, quod aliquis viuat hodie inter Principes seculares, qui plus Deum diligat & Ecclesiam Romanam, & omnem probum virum, quam ipse faciebat.

ALBER-

ALBERTINI MVSSATI
HISTORIA AVGVSTA
HENRICI VII CAESARIS

SECVNDVM EDITIONEM,
QVAE ANNO MDCXXXVI VENETIIS
PRODIIT
E TYPOGRAPHEO DVCALI PINELLIANO.

* * *

ALBERTINI MVSSATI, qui hanc *de rebus* HENRICI VII *Imperatoris in Italia gestis Historiam* scripsit, cum illustre in litteris nomen sit, iuuabit de illius ortu, fatis, meritisque primo omnium hic agere.

Fuit autem patria Patauinus, honesto natus loco *; & quamuis duro admodum pueritiae initio vsus sit (patrem enim amisit, nondum pubertatis ingressus annos, tum vero in tantis rei domesticae angustiis, vt ipse, qui vix sibi victum quaerere poterat, fratrum duorum & sororis in egestate educandorum necessitatem sibi impositam videret †) cupiditate tamen rerum optimarum accensus, non minus ad doctrinae, quam virtutis decus capessendum incitatius ferri coepit, ingeniique magni perinde ac boni vi difficultates istas omnes feliciter superauit.

* Sic enim ipse in fragmento poetico, in translationem sacrarum reliquiarum *D. Lucae* Euangelistae, Patauii an. MCCCXVI celebratam, *Gualtpertino Mussato* fratre coenobii *D. Iustinae* tum temporis Abbate, p. 140. Carminum:

Hoc posuit tumulo corpus venerabile sacro
Relligione nitens vir Gualtpertinus *amati*
Augendi cultus studio venerabilis Abbas,
Gratia cui fratrem tribuit diuina Poetam,
Atque pios mores, & sacras noscere leges,
Mussatos*que dedit claro cognomine ciues*
Vrbis honoratos Patauinae sanguine iunctos.

Sic enim in Elegia de celebratione natalis sui v. 15 & seq.

Editus in lucem mundi contagia fleui,
Inque statu natus pauperiore fui.
Esse miser didici teneris infantulus annis,
Cuique miser tribuit vix elementa pater.
Bina mihi fratrum series adiuncta sorori,
Et tamen illorum de grege maior eram.
His pater, vt maior, patris post fata relinquor,
Quam fierem pubes, sic pater ipse fui.

Enimuero iuris se dedit scientiae, vt tamen sapientiae simul praeceptis animum componere, & poeseos studio, ad quod natura ferebatur, vacare non negligeret. Et cum in vtroque hoc litterarum genere nulli parceret operae ac labori, ante annos non iurisperiti modo intelligentis ac in dicendo validi, sed poetae etiam ingenio & facundia praecellentis *, nomen tulit.

* Quin, ob eximiam plane carminum eleganter pangendorum facultatem tantae in patria habitus fuit dignationis, vt primus, renascentibus in Italia bonis litteris, lauru poetica, vtriusque academiae rogatu, ICtorum scilicet ac Artistarum, siue eorum, qui artium liberalium profitebantur disciplinas quanta maxime par erat caerimonia, an. MCCCXV a *Pagano Turriano*, Patau-

Patauinorum Antistite, & *Alberto* Saxoniae Duce, Patauini Gymnasii Rectore, coronatus, ac ab eo tempore id honoris fuerit consecutus, vt vtriusque, quam dixi, academiae decreto, quotannis die natalitiorum Domini vtriusque Collegii Doctores & Studiosi solemni pompa, praecinentibus tubis, ad aedes ipsius ventitantes, certis muneribus eum Poetam salutarent. Vid. *ipse* in epistola ad *Ioannem* Grammaticae Professorem, Venetiis docentem, quae n. IV epistolarum editarum est, p. 49. e qua solum afferam, quae huc maxime faciunt. Sic autem ibi:

Inde reluctantis cinxerunt tempora lauro,
Vana mihi, turba iudice, pugna fuit.
Annuit Antistes, plausit praeconia Saxo
Dux, habet auctores laurea nostra duos.
Doctorum series, studii reuerentia nostri,
Signauit titulis singula gesta suis.
Et super his legem statuit cum plebe Senatus,
Obseruaturum tempus in omne fidem.
Munera perpetua pro laude perennia nobis
Sanxit, & vt nostra semper in vrbe legas cet.

Et rursus in epist. ad *Collegium Artistarum* v. 43. & seq. p. 401

Si me Roma suis nollet conferre poetis,
Hac saltem Pataua tutus in vrbe legar.
Festa dies aderit, qua me celebrare Poetae
More volent, Christi festa orientis erit.
Festaque honoratis annectent tempora sertis,
Et referent laudes ad mea tecta meas.
Vos quoque consortes studii mea dona Magistri
Cum simul exorto grata referte Deo.
Dumque legar, semper mecum mea festa legentur,
Festa per aeternos continuata dies.
Praepositus binae portans hastilia cerae,
Sollicitus nostri muneris auctor erit.
Ornabitque manus nostras de tegmine caprae,
Munus enim tragicis vatibus hircus erat.
Proxima succedet pariter studiosa iuuentus,
Turba frequens, fausto quae pede tundet humum.

Κατ' ἐξοχὴν certe *Mussatum Poetam* dici videas, praecipue a *Cortusiis*, quos euoluas lib. I *de nouitatibus Paduae* cap. XII p. 20. cap. XIV p. 21, cap. XV p. 22, lib. II cap. II p. 28, cap. VIII p. 31, lib. III cap. IV p. 39.

Supremos tamen in Ictorum ordine honores non petiit*; sed contentus illos meruisse, aliquot annos caussas in foro cum laboriose egit, tum prospere atque ex sententia. Quo factum, vt primum in populi perueniret notitiam; dein ad amplissimam succederet dignitatem: vt taceam, & domum ipsam re fortunaque hac illum ratione non parum auxisse †.

* Indicio nobis ipse est, dum lib. V rubr. X p. 29 se vocat *laicum*, vti lib. II rubr. VII p. 9, & lib. VI rubr. X p. 34 *plebeium*. *Laicus* enim hic *opponitur Iudicibus & Iurisconsultis, quod videlicet non esset adeptus gradum, vt vocant, Doctoratus*, vt bene *Pignorius* ad h. l. p. 25.

† Testis ipse in dicta Elegia v. 41 & seq. p. 82:

Ad bona fortunae veni labentibus annis,
Velaque sunt magno tunc mea tenta mari.

Transtulit ad caussas iuuenem sors prima forenses,
Et me verbosi mersit in ora fori.
Arte sub hac emptus pretio mea verba locaui,
Quaerebat victum garrula lingua suum.
Nostra per ambages actas me transtulit illas,
Integra vix septem dum mihi lustra forent.
His raptus iam factus Eques, loca celsa Senatus
Sortitus, me sic sorte ferente, fui.

Reipublicae autem adhibitus negotiis, vtilem, si quis alius, tam legationibus variis obeundis, quam armis pro salute illius expediendis operam praestitit. Semel enim iterumque ad *Henricum* Augustum legati iuit titulo*, & suorum rem tam dextre apud eum, sobrieque egit, vt & illi gratus esset**, & populo acceptus †.

* Et vno quidem anno, MCCCXI scilicet, tribus vicibus. Primum Mediolanum, cum ille regni Longobardici insignia ibi sumeret. Vid. *Cortusii* l. d. lib. I cap. XII p. 20. Dein rogatum, vt ciuitati ille confirmaret priuilegia. Vid. ipse infra lib. II rubr. VII p. 9. Tertio, in castra ante Brixiam, in quibus coram eo orationem habuit, suosque prospero excusans successu, quae petebant, obtinuit. Vid. ipse rursus infra lib. III rubr. VI p. 13. Vt taceam, quod vnus fuerit illorum, qui ciuitatis nomine *Henricum* Romam comitari debebant. Vid. ipse lib. V rubr. X p. 29.

** Vid. ipse infra lib. IV rubr. IV p. 22, & lib. V rubr. X p. 29.

† Vid. ipse infra lib. XII rubr. II p. 66. Populo certe semper suasit, quae rei publicae erant salutaria. Vid. ipse lib. III rubr. VI p. 16, lib. VI rubr. I p. 31, lib. X rubr. II p. 55.

Dein an. MCCCXIII ad *Canem Scaligerum* de pace facienda se legari passus est*, & an. MCCCXVIII in Tusciam, rogatum auxilia**. Anno postea MCCCXXI excurrit in Germaniam, ad *Fridericum* Austriacum Anticaesarem †. Anno MCCCXXIV Rouoredum missus est, transigendum cum *Cane Grandi* de bello sistendo ††; & non longe post in partes Alemanniae*.

* Vid. ipse de gestis Italicorum post *Henrici VII* obitum lib. II rubr. II p. 9.

** Vid. *Cortusii* l. d. lib. II cap. VIII p. 31.

† Vid. Iidem l. d. lib. III cap. I p. 37, *Anonymus* de Potestatibus Paduae, qui in codice *Zabarellae* post *Rolandini* historiam repertus fuit, ad h. a. p. 136.

†† Vid. *Cortusii* lib. III cap. V p. 40.

* Vid. Iidem ibid.

Belli vero, Martisque discrimen impauidus semper subiit, ac non minus an. MCCCXII ante Poianam*, quam biennio post ante Vicentiam † insigne fortitudinis edidit specimen. Vt adeo iure, non vt immodicus aestimator sui l. d. v. 71 & seq. cecinerit:

—— Nostra quoque est mores experta Potentum
Vita, quibus multo digna fauore fuit.

Dilexi

Dilexi Proceres, & eis solertior haesi,
His propior multa sedulitate fui.
Vtque erat vrbanus tanto mihi carior vsus,
Regnat in his mixta nobilitate vigor,
Verum liuor edax horum praecordia semper
Dissipat & certans de paritate loci.
Perque feras acies iui, & violentior hostis
Intulit insignes per mea membra notas.
Vidi supremos apices, fastigia mundi,
Pontificem excelsum, Caesareumque Virum.
Vidi actus, vidique viros, moresque, viresque,
Parua licet quorum, pars tamen vna, fui.

* Vid. ipse infra lib. VII rubr. X p. 41. Vexillum *Quarterii pontis Molendinorum* tum tulit, suosque ad rem fortiter agendam magno hortatus opere est.

† Vid. ipse lib. VI de gestis Italicorum post *Henrici VII* obitum rubr. II p. 44; *Equo*, ita ibi, *per tubularum rupti pontis intercapedinem lapso, pede procumbente desiluit, sauciusque vulneribus vndecim e ponte in aquosam foueam se praecipitem iecit, vbi a gladiatoriis peditibus frustra reluctans circumuentus, in vrbem adductus est.* Conf. *Cortusii* l. d. lib. I cap. XXIII p. 26.

Dum an. MCCCXXV in partibus Alemanniae *Ludouici* Imperatoris ac *Friderici* Ducis Austriaci (quorum ad arbitrium ac iudicium lis suorum & hostilis disceptatio cum *Cane Scaligero* delata erat) praestolabatur sententiam, Pataui nouus belli ciuilis exoriebatur motus. Cui cum filius ac frater *Gualtpertinus*, *S. Iustinae* Abbas, se implicuissent, culpae alienae poenas luere coactus est, *Clugiam* siue *Clodium*, tanquam in exsilii locum, se recipere iussus*. Quod cum moleste admodum ferret, cum *Conrado* quidem ab *Auffenstein*, qui Paduae tum cum imperio agebat, per litteras satis acres**, & deinde cum *Marsilio* de *Carraria* praesens Clodii† suas fortunas questus est. Sed incassum. Quin, cum Patauium an. MCCCXXVIII venisset, *Cane Scaligero* ciuitatis regimen adepto, ratus, id sibi licere gratia extorribus facta, neque tum quidem commorandi accepit veniam, Clugiam, vnde venerat, remigrare compulsus††.

* Vid. ipse lib. X de gestis Italicorum post *Henrici VII* obitum p. 106, Cortusii l. d. lib. III cap. VI p. 41.

** Vid. ipse loco modo dicto p. 81.

† Vid. ipse rursus l. d. p. 106.

†† Hoc enim anno id factum esse, ipse refert l. d. p. 108. Vt adeo *Cortusios*, qui l. d. lib. IV cap. V p. 49 in an. MCCCXXIX id reiiciunt, ac *Mussatum* sequenti XXX vita defunctum volunt, sequi haud liceat.

Quo rerum statu animi debilitatus maerore, omnisque spei irritus, in morbum incidit, quo anno MCCCXXIX sequenti* prid. Kalend. Iun†. superatus, miseriarum finem inuenit. Quippe post obitum id habuit felicitatis, vt ca-

 dauere

dauere Patauium deuecto, rite completis ad tumulum sollemnibus, quam honestissime in sepulcro conderetur.

* *Scardeonius* lib. II de antiquit. Patau. class. X f. 230.
† *Cortusii* l. d. quanquam, vt dictum, in anno errent.

Ingenii sui plura posteritati reliquit monumenta*; quae superiori saeculo iunctim edita sunt Venetiis, in quibus primum locum occupat haec, quam *de rebus* Henrici VII *Caesaris in Italia gestis* scripsit, Historia.

* Quippe praeter hanc ipsam Historiam confecit *XII de gestis Italorum post* Henrici VII *obitum libros*: librum de *Ludouico Bauaro* ad filium; duas praeterea elaborauit tragoedias, quarum tituli *Eccerinis* & *Achilleis*; *Epistolas* XVIII versu scriptas; *Elegos*; *Soliloquia*, ligata similiter concinnata oratione; *Eclogas*. Quae omnia, vt dictum, in vnum volumen congesta Venetiis anno MDCXXXVI publici iuris facta sunt. Neque enim hic audiendus *Miraeus*, qui in Mantissa auctarii sui p. 104 edit. Fabric. anno MDCXXVIII edita scribit. Ceteroquin & librum *de Rudimentis* scripsit ad filium, vt p. 1 libri, qui *Ludouicus Bauarus* inscribitur, videre est. De *lite* itidem *naturae & fortunae*, cuius meminit lib. XII de gestis Italicorum post *Henrici VII* obitum rubr. I p. 79.

Scripsit autem eam, pro temporum illorum, quibus viuebat, genio, satis diserte, vt Osius bene censuit*; tum vero insigni fide, vt veritatis amans erat ac diligens; quamuis & ipse suo doceat exemplo, non ardui modo operis rem esse, verum explorare, sed id etiam sine cuiusquam odio vel gratia scribere.

* Annotat. ad lib. I rubr. II p. 21 his verbis: *Morboniam abeant, qui verborum vetustatem vitio* Mussato *vertunt, & barbarum eo nomine scriptorem vocant, barbari ipsi penitus & insulsi. Honorificentius enim de illo senserunt hactenus, hodieque sentiunt & loquuntur capita saniora (quamuis in historiae conditore res magis quam verba spectet cordatus lector) quod eius dictio pro aeuo, quo scripsit, elegans omnino sit, immo supra aeuum illud, quo primum humaniores litterae, misere sepultae e Gothicis tumulis emersere, & opere, quod texuit, non indigna.*

Vt adeo haud mirum sit, quod eam magni semper fecerint summis ingeniis, studiisque illustres viri; praecipue cum e tenebris, in quibus per tria saecula cum tineis & blattis colluctata fuit, *Dominici Molini* Senatoris beneficio in lucem prodiit*, castigationibus, collationibus, & notis *Felicis Osii*, *Nicolai Villanii*, & *Laurentii Pignorii*, virorum in omnium bonarum artium disciplinis egregiorum, ornata.

* Serenissimae Domus Bauaricae desiderio id maxime datum fuisse, fama fuit. vid. Illustris *Gundlingius* loco mox excitando p. 20. De cetero operae pretium erit, doctissimum hic audire *Menckenium*, qui in adnotat. ad catalogum *Langleti* du *Fresnoy* cap. XL p. m. 136 ita: *Liber hic in rarioribus est, magnoque venit pretio, & quamuis non sine vllo erga Pontificias partes studio scriptus sit, contigit tamen, vt maxima exemplorum excusorum pars Censorum passa sit manus, locis quampluribus cancellatis siue inductis,*

industis, quin integris nonnunquam foliis rescissis. Vnde curae sibi habeat, qui eundem emere vult, vt exemplar haud mutilum sibi acquirat.

Sedenim iuuabit, nonnulla eorum huc affere testimonia. Sic autem

Franciscus Petrarcha

lib. IV rerum memorandarum cap. XIX, cum narrasset prodigium quoddam, quod Mediolani in aedibus *Maphaei* Viccomitis contigerat;

Et horum quidem Mussatus *, *Patauinus historicus, nouarum rerum satis anxius conquisitor, testis est* †.

* Veteres editiones *Mixtatum* habent pro *Mussato*. Quae lectio *Iosiam Simlerum* in errorem induxit, qui, quem debuerat *Mussatum*, *Mixtatum* appellauit; vt praeter *Vossium Pignorius* monuit in annotat. ad lib. IV rubr. VI p. 21.

† Locus, quem *Petrarcha* signat, exstat infra lib. XII rubr. XI.

Laurentius Pignorius

in epistola dedicatoria ad *Dominicum Molinum* p. 1;

Ille diligentissimus rerum gestarum scriptor, ex quo capite laudatur a Pandulfo Collenutio *&* Onufrio Panuinio, *magni nominis viris.*

Gerardus Ioannes Vossius

lib. III de Historicis Latinis cap. IX p. m. 792;

Historicus profecto prudens & grauis, & pro temporibus illis, quibus tum viuebatur, elegans ac disertus. Tum autem veritatis, quam historiae animam merito dixere, longe amantissimus. Nempe sciebat praestantissimus vir, in se, qui tanta in dignitate constitutus esset, turpius mendacium fore, quam aliquo imi subsellii homine. Nec ignorantiam praetexere potuisset, qui rebus ipse inter Patauinos suos & Caesarem atque alios gestis interfuisset, saepe etiam praefuisset, vt ex non vno ipsius Mussati *loco cognoscere licet.*

Sic *Vossius*, quem his ipsis verbis retentis secuti *Sagittarius* in Introductione in Histor. ecclesiast. cap. XXIV § XLIV p. 632, *Neu* Mantissa ad *Degorei Wheari* Relectiones hiemales sect. XII p. 160.

Iacobus Paulus a *Gundling*

praef. commentario suo de vita *Henrici VII* praefixa § IX n. IV p. 20,

Conuerto me ad eximiam plane historiam, quam Albertinus Mussatus, *Senator Patauinus, confecit. Saepius is illo rerum statu a ciuibus suis ad Caesarem missus est. Gesta*

Caeſaris fideliter, accurate, atque egregie deſcripſit, maximam opere hoc laudem promeritus.

Cum igitur res ipſa loquatur, cauſſam mihi fuiſſe, cur eam his infererem ſcriptoribus, nil ſupereſſe videtur, quam vt paucis exponam, quid a me hic praeſtitum ſit. Primum autem tum *Scholiaſtae*, tum *Villanii*, tum *Pignorii* lectiones nonnunquam in textum ipſum, ſicubi is aperte in mendo cubare videbatur, recepi: nunnunquam vero adſcripſi margini; illis *Scholiaſtae*, quae nullius momenti videbantur, omiſſis. Dein adnotationes illorum ac animaduerſiones, detergendis in textu naeuis, ac locutionibus minus latinis tum notandis, tum explicandis, cum maxime inſeruientes, ſubieci ſtatim locis, quo pertinent, ipſis; cuilibet tamen earum, vt ſcias, cuius ſint auctoris, nota peculiari ſubiuncta; *Scholiaſtae* ſcilicet, lit. *Sch. Villanii*, lit. *V*; *Pignorii*, lit. *P*. Tum, vt illis, quibus editio Veneta eſt, hoc facilius ſit, quae forte quaerunt, loca inuenire, illius paginas, notato in textu ſtellula appoſita earum initio, margini adieci. Ad extremum epiſtolam *Muſſati* in laudem *D. Henrici* Imperatoris, & commendationem ſui operis, de geſtis eiusdem, quod lectu digna ſit, ac de ipſius apud Caeſarem gratia & pietate tot vicibus patriae praeſtitae, & fide in ſcribenda hac hiſtoria luculentis verbis agat, eidem in Carminum libro excerptam praemiſi.

ALBER-

ALBERTINI MVSSATI

in laudem D. HENRICI *Imperatoris, & commendationem sui operis* de Gestis eiusdem

EPISTOLA.

GEsta sed Imperii Romani, Maxime CAESAR,
Nunc, HENRICE, tui sunt memoranda libri.
Fer, pia Mater, opem, Christi dignissima Virgo;
Rore tuo labiis influe verba meis.
5 *Dexter amet mea vota tuus, te supplice, natus,*
In cuius nostrum nomine carmen erit.
Virgo parens sic alma velis, scripsisse licenter,
Sit fas, cumque suo Caesare viuat opus.
Iure tibi teneor, Rex inuictissime, pro te,
10 *Accedit capiti nexa corona meo.*
Parce tamen, bone Rex, nimium mihi fortiter auso,
Si fuerant alia gesta notanda manu.
Parce, ferox olim Patauis irate superbis,
Saepe tamen verbis conciliate meis.
15 *Vt mihi te facilem, sineret dum vita, dedisti,*
Sic heres famae sit liber iste tuae.
Sit stilus ipse humilis, rebusque incommodus altis,
Sit rata verborum pro grauitate fides.
Quoque magis magnis fuero scriptoribus impar,
20 *Hocque minus reliquis inuidiosus ero.*
Si mihi praefuerint, ego me consoler in illis,
Gaudebo laudes attribuisse bonis.
Quum bene quid feci, fuerit mihi gloria vinci,
Dum bene promeritis annumeratus eram.* (* *Mel.* eam, vt sibi.)
25 *Plaudeat archigraphi si non mihi tibia Liui,*
Sit miles simili, sit ratione pedes.
Vtilis Ausoniis miles tibi profuit aruis,
Vtilis interdum turba pedestris erat.
Me super his scriptis, caelestia numina testor,
30 *Non timor, aut odium, nec superauit amor.*
Gesta super vero semper sine crimine scripsi,
Zelus in hac quisquam non mihi parte fuit.
Scripta mihi videas rerum discrimina, Lector,
Et tibi nunc Gelfus, nunc Gibolengus ero.
35 *Saepe tibi dixi, Caesar, de parte petenti,*
Totus ero talis, Rex, tibi, qualis eris.
Fac tua sit nostri series constantia libri,
Namque erit hic vitae fons & imago tuae.
Haec referens Gelfa non me de parte negaui,
40 *Et risi, & tecum pars mihi risus erat.*

Gratia multa tibi pro me, mitißime Caesar,
Accedant animae praemia digna tuae.
Quod tibi cis alpes non me dilectior alter,
Carior aut nostra sub regione fuit.
45 *Et sors quaeque suos casus mutauerit, vnquam*
Mutua non soluit foedera nostra fides.
Tu mihi munificus supra quaesita fuisti,
Solus ab Imperio prodiga dona tuli.
Ius etenim patriae donasti dicere nostrae,
50 *Quodque procul patria distraherereris humo*
Et sibi perpetua pro libertate dedisti
Semper Rectores posse creare suos.
Quodque magis iuri subiecta Vicentia nostro,
Nostra quod ex omni tempore serua foret.
55 *Quid fuit a nostra te sic dissoluere terra,*
Inque Vicentinum tradere iura caput?
Ingrati Pataui. Quae vestra insania? vobis
Is se subiecit, qui caput orbis erat.
Se sub lege ligans, esset cum lege solutus,
60 *Iura sibi prorsus non reuocanda dedit.*
Fecerat hoc pietas, vigor, & clementia recti
Principis HENRICI, *& simplicitatis amor,*
Collaudata satis Pataua e praeconia famae
Profuerant verbis insinuata meis.
65 *Pace super nostra placidus concesserat vrbi*
Moribus & vita liberiore frui.
Sed male concordes & longa pace superbi
Cesßistis pactis per vaga vota bonis.
Multa peroranti dudum, frustraque roganti
70 *Exhibita est nulla pro mihi parte fides.*
Summula Principibus paruae desponsa monetae
Tempore sub paruo conduplicata fuit.
Accessit damnis amissa Vicentia nostris,
Bellaque cum Grandi capta fuere Cane.
*F. tandem 75 *Omnia iam sero * tantum mihi credita vati,*
Tunc cum solliciti plena timoris erant.
Mittite me, Pataui, Dominum Legatus adibo,
Soluantur bellis mœnia nostra, rogem,
Ne veniat bellum, quod dißipet omnia, dixi,
80 *Milite cum Franco, Theutonicusque furor.*
En modo libertas pretii maioris emenda est,
Conditio vestras saeua requirit opes.
Tum simul exorans trepidus cum plebe Senatus
Omnia sub libitu supposuere meo.
85 *Iui, atque aere dato supplex bona vestra redemi,*
Sic in fas alio non redimenda viro.
Ore meo vestros hostes certamine vici,
Qui pariter verbis succubuere meis.

Iuit

Iuit ad Etruscos, altae quoque moenia Romae
90 *Rex, abiit vestra longius ignis humo.*
Non libet hostiles vltra distinguere causas,
Praebita cur fuerit proxima terra Cani.* *Vicentia
Non mihi cum patria liceat contendere nostra,
Noster vera liber gesta fidelis habet.
95 *Cum Cane vitasset momenta per omnia clades*
Vrbs mea, consilio si foret vsa meo.* *al. modo
Ipse fui vobis per contingentia Calchas,
Ac si rite foret scire futura datum.
Inque necem Troum cesset victoria Graiis,* *f. cessit
100 *Sunt* qui Dulichio credita facta Duci.* *f. qui pro quia
Viue liber puri testis fidißime veri,
Cumque meis semper singula gesta refer.
Tuque stude solers Paduae ventura iuuentus,
Cautior vt nostris efficiare malis.

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER I

Solum natale Rubr. I LVcembore* oppidum est Francorum fines a Germanis distinguens, a telluris sterilitate nomen accipiens. *Lucel* quidem lingua Germanica *pauper*, vel *parum*, & *Borc*, castrum appellant.

* Forte *Lucelborc*, cum respectu ad etymon. Sch.

Prosapia. II Comitum de *Lucembore* prosapia æque nobilis antiquis orta stipitibus, quos mage memorabiles fecit armorum, bellorumque strenuitas. Ex his procritus *Henricus* qui patre, fratibusque patris duobus in bello, quod inter ipsos, & Comites Brabantiæ gerebatur, amissis; fratribus videlicet patris, ac duobus priuignis in acie occisis, & patre viuo ab hostibus capto, & dum se ære redempturum magnum pondus polliceretur*, tamen gladiis confosso, & in proximum fluentem iacto, cum tribus reliquis eodem patre natis superstes mansit, paternæ domus maior, vt primogenitus, lege Gallica.

* Hoc loco syntaxis laborare videtur, ni post, *redempturum*, copulam apponas, vt sit; *dum se aere redempturum, magnumque pondus polliceretur*: aut alio quopiam ubicine vitium hoc fulcias. V.

Mores. III Hunc laudes multæ in ipso ætatis flore prædicauere. Qui iugiter, & indies accrescente tempore famam fama auxit, vt circa incumbentia* sibi semper, & consulte, fortiter, & strenue agendum esset. Iustitiam quoque tanta coluit obseruantia, vt merces, & singula quæque aduehentes intra *Lucembore* fines, adeo in tuto essent, vt nulla onustorum animalium per nemora, & vastitates accubantium, rerumve custodia opus esset: inexorabilis circa iudicia compertus: in raptores, ceterosque grassantes etiam æris effusor proprii, si quicquam constitisset furto, vel rapina deperditum. *Margaritam*, Ducis Brabantiæ filiam, adolescentem imberbis & ipse duxit vxorem, ex qua *Ioannem* filium primogenitum procreauit. Treueriensibus vectigalia quædam, certaque solita domni de *Lucembore* exennia denegantibus bellum solus intulit, & collatis vndique Principum, amicitiarumque priuatarum subsidiis, vrbem *Treuir*, ciuitatum Alemanniæ cis Rhenum non mediocrem, obsedit, & exhibendorum exenniorum antiquum fœdus obstrinxit. Vacanti sedi Treueriensi, quæ eligendi Romani Principis vocem obtinet, minorem natu ex Fratribus suis præfici curauit obnixe, idque solers effecit. His, aliisque memorabilibus inter ceteros vtriusque Galliæ Principes insignis habebatur, famaque pollebat. Cuius & opes creuerant, ceteraque, quæ inter primores, & excellentes mortales extollunt.

*Dure nimis hoc membrum superiori aptatur, nisi hanc agendi circa *incumbentia* necessitatem augendæ famæ causam fuisse dicas. Iam quæ autor hic atque alibi vocat *incumbentia*, idem est ac Latinis *officium*, Græcis καθῆκον, Tuscis *le faccende*: id quod a latino, *facienda*, deriuari videtur, allusione ad Græcos, qui τὸ γινόμενον, pro eodem vsurpant. Et vero, quæ *facienda* sunt, *officium* omnino sunt, & quibus *incumbere* vnusquisque debeat. V.

Prima ad regnum promotio. IV Orbis itaque terrarum vacante imperio, cum de noui Principis electione instaret agendum, conuenere Primates, quibus ius eligendi concessum est ex imperialibus institutis. Inter quos Maguntinus Episcopus domui de *Lucembore* fidelitatis astrictus homagio vna cum Treueriensi Archiepiscopo aspirans in *Henricum* sublimandum, dudum subticuit, dum reliqui, quos iam præsenserat in diuersos intendere, concepta depromerent. Sic itidem per triduum ferme habita de compromissis in plurimos mentione*, calescentibus* a in dissensiones animis ad scrutinia declinauere. Sciscitatis itaque clandestine,

(vt

(vt assolet) vocibus, *Henrici* vox edita est quaternis assensibus; binis scilicet Treuerientis, & Maguntini ad idem innitentium; & binis, qui ob aliorum inuidias animos diuerterant, non votis; sed aliorum contemptibus in *Henricum*. Siue autem sic, seu diuinitatem humanis anteponamus conatibus, declaratus est *Henricus* Romanorum Imperator semper Augustus conuenientibus porro & reliquis. Res hæc per fines vulgata Germaniæ nonnullis admirationi fuit, nec prius credita, quam per patentissima documentorum monumenta manarent edicta, quæ prouincias communi assertione complerent. Suberat & admirationis occasio, cum ad summos Alemanniæ Principum apices hoc supremæ dignitatis fastigium applicari mos esset. Et equidem mira res, vt quanto humilius habuerit ipse primordium, tanto celerius volauerit in sublime, natura fortunaque fauentibus, vt mundanis vtamur vocabulis, non abnuentes Dei nutum in excelso consistere.

Alemannia placata.

V *Henricus* hic titulum nactus Imperii, vniuersorum Principum feruentioribus assensibus, plebis clamoribus, & clericorum Antistitum applausibus in sedem augustam delatus est. Cuius & iugum subiere libentes, qui trans, & cis Rhenum accolunt, & omnes Teutones ad hunc sese referentes, vt ad perspicuum columen Cæsareæ Maiestatis.

Caussa progressus in Italiam.

VI Pacata Alemannia, finibusque Aquilonis vsque in Oceanum ad maiora direxit animum, desuetum iamdudum regnum per fines terræ reuiuiscere posse coniectans insignibus argumentis: seque in horum initium coronas vtrasque adepturum permetiens, Italorum tentare partes induxit in animum. Constiterat namque plurimas Italiæ ciuitates per Optimatum factiones arcuisse in exilia ciues partium scismatibus, quæ hinc Guelphorum sub ecclesiæ; hinc Gibolengorum sub imperii clypeis nomina sibi quædam induerant, quarum nonnullæ etiam, & præsertim Longobardorum passæ tyrannides siue exiliis, siue coertionum profligationibus, diu marcuerant. Cuius rei inuidia ad se, simile veri erat, extorres concurrere, sicque pacis ingenti suasione alliciendos populos ad cultum noui, & speciosi nominis Imperatoriæ Maiestatis. Nec huius regiæ virtutis instinctum circumspecta refellit opinio. Nam & Tuscorum quidam optimates ex Gibolengis partis antiquæ, nec non ex diuisis Guelfis, qui *Alborum* intolerantia Gibolengi nominis sibi prænomen elegerant, eiusdem propositi complices montes transiluere ad ipsum Regem eliciendum muneribus, & subsidiis. Ad quæ etiam hortamenta suggessisse acceptum est *Albuinum*, & *Canem* Veronæ Dominatores: quæ res postea successu rerum ludibrio gentibus fuit, diminutionis statuum eorundem consecutione, & grauium pecuniarum exhaustu. His informatus conceptibus, & instinctu nobili, *Clementem* Papam, Cardinaliumque cœtum, quos cum Philippo Francigenarum Rege litis caussa, quæ pro cremandis olim *Bonifacii* Papæ ossibus de hæresi accusati Regem vrgebat, simultates genere non ignorabat, accersiri* statuit, impetraturus coronationis suæ decus, & in actus quoscunque fauores ecclesiæ triumphantis. Quod & facile sui obtinuere Legati litteris patentibus, termino ad hoc in certam diem præfixo constitutione solemni, emologata etiam electione cum sacræ benedictionis præconio. Cuius & diadematis appositioni se ipsum Romæ in sedem Pontificalem compariturum, &* effecturum despondit.

**f. assaturum Sch.*

*Quomodo *accersiri*? hic mihi aqua hæret. Scio quidem *Ioannem* de *Ianua* scribere in Summa Catholica; *inuenitur ergo* arcesso *ab* arceo, accerso *ab* accio, accesso *ab* accedo, legerem igitur, *accessiri*, ex norma canonum Grammaticorum eius æui. P.

Annuntiatio progressus.

VII His ita compositis, filioque eius primogenito in Boemiæ regnum, quod tunc Romano vacabat Imperio, summoto *Henrico* Karinthiæ Duce ad id Regnum aspirante, præfecto, coronatoque, & Boemis regia censura pacatis, vt populorum amores sibi conciret, nuntios cum Maiestatis suæ litteris mature annuntiare iussit felicem aduentum ipsius, seque pacem mundo daturum: iura, libertates* lapsis restituturum: Vniuersitatum in pace degentium mores approbaturum, & reliqua regalibus extollentia suasionibus corda fidelium. Intereaque confœderationes cum Principibus regionum Teotonici nominis, priuatasque amicitias sibi sponsionibus, & cete-

**lego, iura libertatis P.*

& ceteris, quæ mortales alliciunt, conquirens, spe etiam suffultus *Amei* Saubadiæ Comitis alteram ex filiabus Ducis Brabantiæ vxorem habentis, cui & *Delphini* frater adhæserat eiusdem Saubadiæ Comitis gener, inque socias vices & *Guidone* Flandriæ Comitis fratre ineunte. Hi quidem & Imperatoris aduentum, obstudium exosi eis dicti *Philippi* Francorum Regis, affectabant. Statutam inde diem transgrediendarum Alpium præfixit in Lausannam vicinam descensui ad Lombardiæ planiciem, indeque sese cum copiis promoturum enuntiauit. Præmissisque iterum ex latere * viris strenuis ad partes Italiæ, Episcopis, & Laicis, ad vniuersos & singulos Imperii fideles diem nuntiantibus, qua citra montes descensurus erat, vt occurrerent suffecturi viribus regalis aduentus, & pariturì salubribus eiusdem monitis, vt Regia Maiestas appeteret.

Colloquia cum Principibus Germanorum.

VIII Compositisque rebus, vtcumque componi potuerunt. Ipse inter Regni Principes, insistente Regina *Margarita* consorte, ibidem colloquium habuisse fertur. Inquiens, *vt, si humanorum actuum auctor, & productor Deus ipsum vti voluisset communi vitæ solatio, priuatus vt viueret, vt liber animus, & sui iuris foret, sibi priuatæ vitæ parendum esset dumtaxat officio. Nunc autem, dum statuerit, vt rerum omnium ipse potiatur, infallibiles fore effectus eorum, quæ prouidentia diuina prouiderit, se iugum non excussurum, vt seruum pecus, quod sua ipsius consumitur inertia: sed executurum commissa diuinitus. Exhortans commilitones suos, quibus mundum sponsum patere, ait, iam bene faustis aspirare principiis, in spectante Deo secum ire, Principatus mundi se offerentis accipere. Vacantes curules, Præfecturas, summasque potestates Senatus, populique Romani se dedentes amplectantur. Se illos antecedere, illos sequi, vt miles, vt dux in omnes fortunas, & casus.*

F. vt militem, vt ducem. V.

Ad hæc inter se diffidentium militum murmur intonuit, obiurgansque vulgus per varia suas cuiusque discrepabat in facies, dum ex Principum choro prosiliere, qui plurimorum assensu Regem alloquerentur; præmaturum asserentes tantarum rerum exordium; Germanorum animos non ad tantos motus infractos, non paratos ad tam supremæ aggressum rei; hybernandum potius, interim niuibus liquescentibus in Kalendas Martias proficiscendum, vt cum pecus omne per ampla luxuriet, sata exercitus repleant, quæ omnia formidolosum Regem, & præpotentem efficient. His parum suffectus in Reginæ conuersus amplexus, ait, *illam se saltem non relicturam, comitemque futuram in omnes casus.* Et *prodeant*, inquit, *Aquilæ, Italiam petant, progrediantur, faueat fortuna, quam Deus, naturaque fulciant.* Sic fatus, arma, equos, farcimenta, sarcinas, & vehenda quæque expeditioni suppetentia parari iussit.

Transgressus in Italiam.

IX Inde mouit iter trecentis ferme hastatis militibus, peditibusque totidem, & per iuga, & colles summotis niuibus in *Taurini* ciuitatem descendit *. Cuius portæ patuere, quemque ciues libentes accepere, quibus Vicarium statuit, & nouas leges dedit, & ad id loci nonnulli ex Tusciæ, Lombardiæque partibus confluxere, aduolante fama, Romanum Regem aduentare. In rescriptisque Cardinali datum, cui *Pellagruæ* cognomen erat, apud *Bononiam* tunc Apostolicæ sedis Legato, qui & *Ferrariam*, expugnatis Venetis, in Ecclesiæ ditionem redegerat, vt obuiam Regi pergeret, & commeatum præberet in omnes vias, & actus. Qui *Pellagrua* iis intendere creditus, literis in aperto sic nuntiantibus, diuerso tamen itinere *Auinionem* ad Papam contendit. Cui, quantum de persona, mutato Papa proposito subrogauit Cardinalem ad eiusdem Regis conductus officium, qui cœpto iam itinere proficiscens vita defecit. Dispositis *Taurini* rebus Rex idem vicinam *Hastensium* ciuitatem venit, communi obedientia susceptus, ibique pace confœderatis Maioribus ciuium, Senatu nouo, ceterisque ad nutum ordinatis, *Nicolaum* de *Bonsegnoribus* Vicarium constituit, cui & meram regendi potestatem tribuit.

**f. Cui*

Conuentus Optimatum Lombardiæ ad Cæsarem

X Increbrescente itaque fama per vniuersas Italiæ ciuitates, ab infero, superoque mari in vtriusque Galliæ montes, Germaniæ Principes, populorumque Teutonicorum frequentias Alpes transiliisse in Regis conductum, infremuere vndique contraria in studia, variisque oblocutionibus decertantes. Formi-

Formidolosum namque id nouum dominia, statusque quietos tenentibus, & præsertim, qui propulsatos extorres tenebant, gratissimumque exulibus, iisque, quos oppresserant diuturnæ Tyrannides, noua exoptantibus suis casualiter profutura calamitatibus. Vnde concussiones, fragores, strepitusque resultabant, hinc palam verba iactantium, quos diuturnus metus taciturnos fecerat obmutescere; inde, quos potentiarum tuendarum. Regi se remediis quibuscunque conciliaturos erigebantur.

* Intricatus locus, qui videtur extricari *rerum spes, Regi sese mediis quibuscunque* posse hac ratione: *Inde quos potentiarum conciliaturos, erigebant. P.*

Ex his primi Longobardorum Magnates, *Philipponus* Papiæ Comes, *Simon* de *Colubiano* Vercellarum, *Gulielmotus Bruxatus* Nouariæ, & *Antonius* di *Fisiraga* Laudi Dominatores, paribus votis, consiliisque cum delectorum ciuium legationibus ad curiam pertexere, ibique comiter suscepti, ad Regisque consilia vocati, dierum plurium spatio diuersa versantes, denuo Regem allocuti sunt. Status instantes ciuitatum præfatarum salubres populis suadere conati, illum se suis producturos potentiis, suffragiisque ad reliquam Longobardorum obtinendam prouinciam propriis spondebant, animum Regis, quibus poterant * attrahere suis studentes votis. Quibus & ipse virtute regia responsa reddidit. *Bono animo esse. Se populis suis, ipsisque quietem daturum, vicinos exules ipsorum gratiis restituturum, beneficia impensurum, & tanquam primis sibi mansuetis, & obsequentibus complaciturum. Resignanda Dominia honori regio, paces Manfredo, & ceteris petentibus non denegandas omnino.* Quibus siue spe capti, siue formidinibus concivium, quos domi Zelotypos Majestatis Imperii reliquerant, assensere, paruereque claues dedentes, singulaque detentiones re, & verbo remittentes. Et hos quidem ad animorum erigendorum informationes more regio condonauit. *Philippono* castri *Saluazii* dominium, & gubernationem, quod tunc vacabat Imperio, concessit in feudum, antiquumque sui stipitis Comitatum innouans in eundem, ceterosque prædecessorum priuilegiis singularibus, ac iustis titulis conquisitis regali beneficentia, & largitate donauit, maiora pollicitus in posterum facultatibus se offerentibus, & meritis eorundem. Accessere, & *Albuini*, ac *Canis* della *Scala* Veronæ Dominatorum viri solemnes legati, quos aquilas, clypeumque Romani gestasse Imperii, seruasseque constare aiebant personarum discriminibus, per quorum prædecessores & in mortem itum fuerat. Nec ob id desiisse superstites magnitudines, & dominatus, non suos, sed Imperii, quorum ipsi Procuratores existunt, non minuere, sed augere, proprium offerentes Imperii domicilium vrbem *Veronæ*. Quibus & se congratulabundum læto, & singulari non celauit aspectu, proposita vera annuens, gratiarum eos dignos profitens, quæ regiam decuerint liberalitatis congruentiam; progressurum se, & proximum, vel præsentem *Veronæ* affuturum, nec iis deesse, qui iusta petierint. Illo & *Pisanorum* aduenere legati in pretiosissimarum ornatu vestium, equis prouecti sublimibus, cum famulorum ordinibus, & armis fulgentibus, aspectui congruentes Imperatoriæ Maiestatis, quibus ex confidentia continuo personæ Regis commissa custodia, & vt ex conscriptorum numero Consularium haberentur, decretum est. Ex thesauris vrbis suæ publicis dona tulere Regi millium LX aureorum, cum totidem sponsione conferendorum in suæ ciuitatis accessu felici. Tuscorum quoque Nobilium, eorum præcipue, qui Imperialis zeli agnomina ab antiquo tenuerant, videlicet ex *Vbertorum* Florentina progenie plurimi, aliique prosapiarum Etruriæ strenuissimarum militaribus fulciimentis. Tumescente identidem curia Regia Gallorum, Germanorum, Italorumque turmis, vt iam magnitudine laboraret sua, *Guido* della *Turre*, vir egregius Mediolanensium Præpositus, intra Mediolani fines ciues continuit, ipsosque in armis sub custodiarum vigiliis tam in vrbis, quam ceterorum ditionis suæ locorum præsidiis sollicitos habebat. Vir magnanimus, acer, & implacabilis, quamdiu sibi suppeteret defendendi, vel vlciscendi facultas. Huius conatibus *Maphæi* Vicecomitis, eiusque factionis potentum Regem sollicitantium obstabat sedulitas, nec non nepotis eius Mediolanensis Archiepiscopi, cuius fratres

tres ipse *Guido*, vt suæ dominationi suspectos, compeditos habuerat. Quem & vrgebant intrinsecorum multorum odia, partes *Maphæi* clandestine tenentium, penesque hos vacillantis, semperque noua exoptantis plebis inconstantia. Sicque sub huius ambiguitatis dubio stetere ferme triginta interuallo dierum, hinc inde exercitus, ipseque diuersæ Regis, quippe vt dissensionibus intra Mediolani vrbem excitatis, commotisque in se ipsum absque aperti belli commixtione *Guido* corrueret. *Guido* autem corde strenuo ciuitatum Lombardiæ, Tusciæque præstolabatur suffragia, in spem etiam ductus, instabilem fore Regis exercitum. Nec vtriusque meditatio futilis, vel inanis; procul enim dubio in summis discriminibus adeo res constituta erat, & anceps hinc inde, vt in fortunæ curriculo veheretur. Captato tempore Rex exhortationibus Archiepiscopi præfati, *Maphæi*, & aliorum consciorum internæ factionis per transfugas moto exercitu, relicto in *Hast* præsidio ad *Casale Saluazium* se contulit, ibique paucis moratus diebus per internuntios *Guidonem* interpellari fecit, vt iussis pareret regalibus. Quo cunctante populi in concitationem facilis timore, nondum tamen obsequente, sed rem diffugiis producente, Rex permotus ciuitatem *Vercellarum* adiit, vt propinquior *Guidoni* metui esset, factiosisque intrinsecis exaltationi: dumque impulsu datæ spei potiundæ vrbis Mediolanensis concitus & ipse incalesceret, militum copias e *Nouaria* eduxit, ficto astu se *Papiam* * ——— ostendens, diuertitque iter citra *Guidonis* spem *Mediolanum* properans; tuncque perculsus ingenti, & inopinato motu *Guido* nuntios ad Regem transmisit, qui se pariturum edant, ipseque inermis dimisso, licentiatoque omni exercitu, ac præsidio, Regi obuiam venit, seque, vrbisque omnem potestatem tradidit.

* f. iterum Sch.

Mediolani deditio.

* XI Mediolani deditio non minus *Henrici* Romani Regis famam auxit per omnes Italiæ fines, quam vt altera Roma diceretur, & vt alterius Italiæ partis rerum omnium potiretur. Tum animos imperium non affectantium nouus terror inuasit: obsequentium spes extulit. Hinc mœrores occulti, tacitique: inde gaudia, & lætitiæ apparentes in tuto, dissimulateque*. Mirabile dictu, omnes ferme Lombardiæ ciuitates ab Alpibus hinc *Veronam* vsque inde *Mutinam* inclusiue fidelitatum iuramenta præstitere. Vicarios suscepere nouis legum sanctionibus ad Regis placitum vitæ, necisque potestatem habituros, *Alexandria* dumtaxat excepta. Hæc enim *Roberti* Apuliæ Regis præsidio tenebatur, cui & sponte Rex ipse cessit, forsan & illum caussa non latente. Regum nempe consilia non omnia, nota populis. *Patauini*, *Vicentinique*, quos *Friderici* Imperatoris sæuitia, nefandaque *Eccerini* de *Romano* tyrannis, imperii vices obtinens, necauerat a stirpibus, longaque deinde freti quiete, substitere, nihil arrogantiæ, contemptus, paruique obedientiæ ostendentes fauentium exemplis, rerumque successibus salubria resumpturi consilia. *Bononienses* ——— secus. Nam & ipsi nouorum vallorum, fouearumque munimentis vrbem cinxere; plebiscita, legesque in Regem, Regique obsequentes statuere, in quibus, & Imperatoris nomen proferenti capitale sit supplicium. * 5

* Videtur hic, *dissimulate*, sumptum pro, *aperte* ac *palam*: cum tamen contrarium significet, nam *dissimulare* est astute aliquid celare, ne intelligi possit. V.

Coronatio apud Mediolanum.

XII Triumphans igitur in *Mediolano* Rex *Henricus* corona ferrea insigniri iuxta legis Imperialis sanctionem antiquam statuit, euocatique vndique populos dimissis edictis ad diem certam, in ipsa *Mediolani* vrbe, & sanctissimi *Ambrosii* æde, seu oraculo. Quamquam disceptatum, an *Modoeciæ* id fieri oportuerit, vt plurimum moris antiqui fuerat; decisum tamen, & illico fieri nihil interesse. Illud quoque Principum, Baronum, ac populorum iam subiectorum frequentia, & alacritate effectum est. Ad id ex nondum parentibus inuitati, vocatique interfuere *Patauinorum*, *Vicentinorum*que legati regiam coronationem præsentiis honorantes seque non ex fidelibus minimos zelis bonis, & cum se captaret temporis opportunitas, operibus offerentes. Quibus mite responsum gratificandi, cum sibi, Imperioque (vt decuerit) se deuote summiserint, reddidit. Coronati itaque *Henricus* Cæsar, Augustaque *Margarita* anno ab ortu Domini nostri Iesu Christi

Christi vndecimo trecentesimo millesimo, VIII Idus Ianuarii ferrea corona, quam *Lauream* appellabant, in equis phaleratis, rubro scarleto cum purpureis tegumentis supra vertices latis, se populis exhibuere per vrbem, Rege sceptrum manu dextera gestante, videlicet scipionem aureum lilio supra renidente, quorum imagines, effigiesque hoc loco conscribi consequens visum est.

XIII Homo gracilis, statura prope iusta, colore, capilloque subrufis, eminentibus superciliis, sinistri oculi albuginem detegit plus æquo mobilitas. De planicie in acutum apicem nasus se porrigit. Ore venusto, mento terete, coma gallica, *quantum pollex operiret, conspicit occiput*. Ceruix humeros a capite congrua æqualitate discriminat. Nulla tergorum obesitas. Ventris, & pectoris veluti linealis æqualitas, pedumque, & crurum commensurata conformitas. Loquela tarda, succinctaque, idioma gallicum, satisque se conferens intelligentiæ Latinorum. Magnanimitatem concomitari mansuetudo videbatur, & diuini cultus instans sedulitas. Cuiusquam cum subiectis pactionis impatiens, Gibolengæ, Guelfæve partium mentiones abhorrens, cuncta absoluto amplectens Imperio. Augusta, annum iam sextum & trigesimum agens, impuberis habet aspectum, cui color albus, fusca cæsaries, maxillæ teretes, nasi rubra acies, os pusillum, facie & ocellis ridenti simillimis. Labellum inferius, mentum, & colla velum tegit circumductum Germano ritu. Amictus laxior Gallico more, statura paulo breuiore mediocri. Consilii non ignara, arrogantiæ expers. Affabilitatis in inferiores plus quam regiæ quidam esse dixerunt, quod & mansuetudini plerique attribuere. Cæremoniarum, diuinique cultus tantæ assiduitatis, vt solemnium festiuitatum dicta sit pernoctare vigiliis. Lapsorum miseratrix, amoris in virum supremi, prolationis facundæ, nec prolixæ.

Regis & Reginæ descriptio.

* Nescio, quid hoc rei sit: quare mendum subesse reor. V.

*6

*ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS.

LIBER II.

Rubr. I His mundi Principibus ad sublimis gloriæ columen sic feliciter prodeuntibus fortuna secundis adversa permiscuit, solis hucusque dulcibus vsa blanditiis †. Accidit quippe, vt dum recogente pro instantibus Imperii, Reique publicæ necessitudinibus ad incumbentes actus, vtilesque progressus de subiectorum populorum contributionibus oportere conferri, annuntiatum populo Mediolani, vt offerrent ipsi iuxta Communis, & populi agnitas facultates †, conuentu adhibito conscriptorum Decurionum, primores, quos vetus agitabat intestina dissensio, hinc *Guidonis*, inde *Maphæi* instinctibus, vtrinque ambitiosis studiis ostendendæ potioris dilectionis in Regem, certatim maiores summas offerri suasere, vt demum pollicitatio summam caperet centum millium florenorum.

Exortæ in Regem Mediolanensium simultates, Crema & Cremona rebelliones, cum expulsione Guidonis dalla Torre.

† Hæc syntaxis non vnam præfert offensam. Primo, illud, *recogente oportere conferri*, subdurum videtur. Deinde post verbum, *Mediolani*, videtur nonnihil desiderari. Ad hæc illud, *vt offerrent ipsi*, non potest defendi, nisi figura, *πρὸς τὸ σημαινόμενον*. Sed hæc omnia æquari, tollique possunt, si pro, *oportere*, scribas, *oporteret*; post, *Mediolani*, adiungas, *foret*, vel *fuisset*; & pro, *offerrent ipsi*, reponas *offerret ipse*; quanquam postremum hoc ferri potest. V.

Hoc publicatum iam prioribus oneribus defesso populo perquam graue visum. Iam Regem detestari per fora, fana, & plateas: iam Teotonicorum furores insupportabiles; iam status mutationem, quam gaudio esse putauerant, mœrori, onerique fore. Hæc* querelæ in dies inualescebant, in plebem, nec ante sedatæ; sed potius delatæ, quam Cæsaris clementia manaret edictum, alteram partem exigendam, alteram differendam, effectumque est, vt pro

* pro *Ha[…]* Sch.

vt pro dimidia foret exactio, dum super reliqua aliud Princeps statueret. Nec dilatio hæc, si distulit odia, tamen abstulit; quin tumidi præcordiis conceptus insisterent. Insuper & maiores futuri scandali subiere caussæ. Nam illis pæne diebus Cæsar *Papiam* promoturus, delectos ex Maioribus secum ire decreuit ad L circiter numerum, quibus de publico stipendia dari statuerat, ex quibus duplex dissidium exortum est; alterum plebis prægrauatæ soluendi æris: alterum vtriusque factionis Nobilium, hunc extra vrbem exitum non tantum militiæ, comitivæque regiæ indicium, sed futuri exilii meditantium esse principium. Inde & plebs excandescens, in Principem iam solis concitationibus egens, susurrabat infrendens. Nec hæc *Guidonem* Turrianorum, sibique adhærentium: nec *Maphæum* Vicecomitem, ceterosque eiusdem partis Principes latuere. Se namque Cæsari magnitudinum suarum formidine exosos, suspectosque nouerant. Verum hic diuersorum diuersa certabat opinio. Plurimi namque *Maphæum* a Cæsare tutum omnia fiducialiter agere, quamquam astu *Franciſchinum Guidonis* filium tentandum a *Galaaz* filio extra....... prope *S. Dionysii* prædia ad colloquium traxisset, nec sic amotis arbitris, quin & manum in fidem dare *Galaaz Franciſchinus* compertus fuerit. Alii verum colloquium fuisse inter se sine fraude dictitabant, Cæsarem re cogente *Maphæi* culpam ad tempus dissimulasse. Sed hic veritati locus supersit. Intumescentibus igitur plebis, insigniumque in Cæsarem simultatibus, dum instante *N.* de *Bonſignoribus*, quem suffecto altero Hastensibus Vicario, vrbi Mediolanensi præfecerat, vt impositio soluendi stipendii, pecuniæque aggregandæ fieret, ad idque sibi ægre responsum foret, infra prætorii forum, vbi *Broletum* vocant, exaudita vox est arma conclamans, extemplo plures in eundem clamorem exacuens; sicque breui vrbs vniuersa commota est. E consilio vocati sine ordine discessere, sese ad domos proprias proripientes. Populus, & omnis plebs per vicos ad suas quisque domos perrexere. Nonnulli arma capessentes in tribubus stetere ancipites, quidnam hoc esset hæsitantes. Cæsaris Principes Francorum ex Ducibus *Ameus* Sabaudiæ Comes, Marescalus Flandrensis Comes *Guidonis* Comitis frater, Dux Austriæ, *Goleranus* Cæsaris frater, ceterique ad arma prosiluere, non compositis, centuriatisve cohortibus hinc inde palantes, quorum plerique suspectioribus vrgentibus causis ad Turrianorum loca discurrentes, quæ *Vasta* appellant, *Guidonis* vicina domui circiter XXX in equis hastatos inuenere ibidem consistentes, seu quicquam pensi habentes, siue quænam hæc esset res, hæsitantes, inter quos *Franciſchinus Guidonis* maior natu fuisse constitit, in quos aggressu facto, victi cessere Germani, plurimis cæsis, sauciisque. Dumque ad id loci tantæ resistentiæ infamis Franci, Germanique confluerent, ibidem infestius concursum est, vbi pæne pari, & ancipiti certamine ciues* terga vertere cæsi, fugatique. Quo statim conflictu *Guidonis* domus excisa est; ipso non comperto supellectilia direpta, ænea, argentea vasa, grauis æris arma, equi, ceteraque, quæ diuitiosa ætas in domum egregiam aggregauerat, exustis, conflagratisque desuper terram ædificiis. Nec hoc substitit loco regia militia, seditionum exterrita pauoribus; sed per vrbem hinc inde perambulans vix inermibus parcens, quos in armis inueniebat, confodiebat. Marescallo *Galaaz*, *Maphæi* filius maior natu, in has necessitudines se cum sequacium turma vt suffragantem exhibuit. Occidente sole nox cædem, conflictumque diremit. Regiæ cohortes in theatrorum plateis, locisque triuiis pernoctauere sub armis, succensis facibus alternis vigiliis. Illucescente die iussa quies, clamataeque fiduciæ voce præconia; ferunt tamen, a præda, & violentiis per vicos non esse desitum: Quin & Teotonicorum plerique, quibus se & *Maphæi* Vicecomitis nonnulli complices adiunxerant, in Turrianos, eorumque partis consortes defæuierunt partiariis nuncupationibus, vt si se Guelfos aliqui profiterentur, animaduersum in eos; si quidem Gebellinos, illæsi abirent. Per colonias quoque Vicecomitum fideles aggressi Turriani nominis plurimos cædere, domos & villas incendere, vt in ardentibus victoriis mos est victoribus, idque * inultum pertransire.

*7

* Scribe suo periculo, nisique Sch.

pertransire. Post hoc trium, vel quatuor dierum lapsu, edicto regio conclamatum est, his abstineri excessibus, ablata restitui, *Guidonem*, filiosque intra dierum octo spatium comparituros ad se de impositis purgandum, æris & personarum pœnis adiectis. His terroribus confusi ciues per domos, & vicos se continuere: nec satis fiduciæ fore *Maphæo*, familiæque vulgatum. Cæsarem namque non latere perlatum est, in se per factionem vtriusque partis coniuratum; alloquia locis abditis inter vtriusque partis primores habita; coniugia desponsa; hæc non nisi, vt priuatim vnanimiter conspirantes Cæsarem oppeterent, vrbe pellerent, communionem integrarent. Hæc fauillæ inter vrbis penetralia sic feruentes flammas extulere, vt omnis Italia nouarum rerum iam excita motibus incaluerit, prodiitque famæ ventilabrum mixtim veris, falsisque promiscuum, iam Regem, in tyrannum versum, facultates populorum dissipare, partiarium se palam ostendere, Teotonicorum rabies, Francorumque insolentias in Latinos insanire. Verum diuulgantium pars Regem non corruptum; sed domesticis suis violatum aiebat; occisis tamen, pulsatisque id parum prodesse. Viciniores perculsæ his terroribus ciuitates, & præsertim partis Ecclesiæ, nomen ex antiquo tenentes, omni potiundæ quietis spe exutæ rebellauere. *Crema*, *Cremonaque* viciniores pulsis Vicariis, præsidiisque regiis iugum excussere. *Regini* * plus æquo exultantes partis Imperii fautores, seque ob noua Regiæ militiæ in partem se detegentis extollentes, expulere, fugæ remedio Vicario cedente.

Scribe, *Regienses*. Nam inter *Rheginos* & *Regienses* hoc interest, quod *Rhegini* dicuntur a *Rhegio* Calabriæ; *Regienses* vero a Regio *Lepidi*, Galliæ Cisalpinæ ciuitate, de qua loquitur hic *Mussatus*. V.

Defectio Brixiæ.

II Hisque talibus *Mediolani* nouis elati *Mazii*, *Brixiæ* paulo ante Dominatores, in *Thebaldum* de *Bruxadis*, ceterosque, qui nuper iussu Regis *Brixiæ* ciuitatem intrauerant, insultum mouere; sed fortuna præsumptos eorum diuertens * affectus, populo plebeque, quos iam veteris domini pertæsum fuerat, noua affectantibus, vices mutauit, vt pluribus cæsis, multisque captis *Maphæus* de *Maziis*, & *Brixiensis* Episcopus, eiusdem nepos, vix fugam arriperent ad castrum *Vrceorum* se proripientes. Sicque *Thebaldus*, qui Cæsaris beneficio nuperrime in ciuitatem restitutus fuerat, suique sequaces, fulciente populo primum locum obtinens, vt ceterorum eiusdem partis princeps, exclusis ad libitum *Maziorum* amicis, vrbem *Brixiæ* possedit. *Albertus* de *Rogolone*, quem Rex Vicarium ibidem præfecerat, nullis suffultus patratis cessit; comiter tamen habitus a *Thebaldo*, & suis, non abscedit.

* f. melius, effectus. V.

Cumarum obsidio.

III *Cumarum* ciuitas his tumultibus paulisper commota; Cebenensi tamen Episcopo, illo iussu Cæsaris ad reconciliationem properanti, subsedit.

Expulsio Rubeorum de Parma.

IV *Rubeorum* pars in ciuitatem *Parmensem* Cæsaris imperio adducta pacem cum *Giberto* de *Corrigia* initam rupit, congressuque impari cum *Giberto* victa, fugataque cum strage multa occisorum, captorumque ex vrbe discessit.

Procurata cum Mediolanensibus conciliatio.

V Hi strepitus vndique increbrescentes Regiam curiam perplexam curis ingentibus, sollicitudinibusque fecere; in consilia publica, priuataque Cæsarem coegere non suffectura diurnis lucibus. Priuati consilii coibant a latere domestici *Ameus* Sabaudiæ Comes, *Treueriensis* Episcopus, Cæsaris frater minor natu (nam & *Goleranum* alterum fratrem plurimum armis, militiæque intentum expediebat) Episcopi *Leodiensis*, *Basiliensis*, *Cebenensis* & *Tridentinus* bibliothecæ regiæ Cancellarius, *Henricus* de *Coldonia* Protonotarius * secretorum conscriptor, ac Referendarius. Primis decretis domesticos corripere, emendare, cautum; se Mediolanensibus conciliare; *Guidoni* della *Turre* diem dictam prorogare, ne quid in insontem forte animaduertatur; curæ esse partiaria vocabula detestari, abolere, causas commotionum mansuete dignoscere; animos perterritos conciliare, mitigare; collectiones, ærisque grauamina minuere, subleuare; deuiantes suasionibus mansuetis ad subiectiones elicere. His stabilitis sollicitus Cæsar *Ameum* Sabaudiæ Comitem, Delphinum fratres geminos, Ducem Austriæ, *Ioannem* de *Calcia* Flandrensem

* 2

drensem Marescallum curiæ, Flandriæ Comitem, fratrem aliosque Germanos, & Francos ex Principibus seuocasse dictus est, in eosque vultu, verbisque nunc tristibus, nunc horridis, ardentibus in iram oculis, sermones intendisse, sic inquiens.

Deum meum, cælum, sidera testor, o Franci, Germanique socii, commilitones, necessarii mei, fratres, agnati, cognatique, mea caro, sanguisque meus, nulla me mundi gloria, nullique mortalium cupidinum affectus ad has mundi motiones adducunt. Si sursum aspiciam motorem Deum, si infra Clementem *Papam intueor. His ducibus vehor. Et quis contra me? nisi ipse ignarus, ingratusque facinoribus assentiam, vt cæcus a cæcis ductus delabar in foueam? An ille supremus iusti, & æqui præceptor Deus quidquam sanctius statuit, quam vt proximum diligam, vt me ipsum? Vllane discretio, vel differentia inter Christicolas? quis ille sit proximus? Germanus, Francus, Vuandalus, Suecus, Longobardus, an Tuscus? Et quisquam vestrum respondeat, Gebellinos? Proh facinus! Ad quid veni? ad quid missus? vt prædecessorum cuiuspiam errores impius successor exequar? Schismata iam antiquata suscitem?* Clemens, *& Dei sedem in terris obtinens nostrum ad id progressum mouit in plumbo consculpens, vt Gibellinis Guelfos subiiciam, vel e contra? Quænam hæc paritas? Hi Imperii, illi Ecclesiæ velaminibus inuidiosa induere nomina, quibus hæc suggessit Lucifer ille, qui cecidit. Ergo &* Clementis *Papæ Nuntius, cuius sub signaculo in me Christicolæ, vt in alterum Dei luminare, conspiciunt, alterum eorum genus insecutus progrediar, alterum proditurus? Non sic temerarii nostrorum actuum peruersores, præsertim quos ex vobis illud præcordiale scelus inuasit. Præmoriar ipse, priusque huius corporis compagine, quam mente diuidar. Et si quos ex vobis illa prorsus vrgeat cordis anxietas (vos siquidem mecum progeniti fratres) in fratres aspiciens, abite hinc retro, cædem appetite, sæuite vobis auctoribus, non me duce, non principe. Per Deum immortalem nostras ciuitate secures, quas primus huiuscemodi concitationis tumultus suo sanguine cruentas excipiet. En iam Longobardiæ, Italiæque ciuitates iustissimis accensæ iracundiis (si vulgata fidem teneant) nos vt famosos tyrannos detestantur, & fugiunt. Quid ni? singula quoque animalia mortem, perniciemque deuitant.*

Fine iis verbis facto Regina Augusta genis madidis Regis animum demulcere conata, *placandum viri animum*, ait, *non omnia vera, quæ singuli referunt, & si quæ comperta, non a grauibus, fidisque profecta; sed vulgi vilissimi hæc sordida, ineptaque vulgaria. Principes talium innoxios, ignarosque, erigendos animos ad fortia, hæc aduersantia subito tolli. Parabit vnusquisque animum, omnia auctore Deo votis accommodari.* Consiliarii itaque super instantibus diu inter se plura versantes salubre fore* ab radice morbum curandum; *Guidonem* Cæsari conciliandum, indulgendum ei, vt tuto ad Principem accedere sit fas, vt bonis restitutis extra Mediolani fines indemnatus cohabitet, & castrum *Orphanum* suspicionis tollendæ causa cuiquam vtrinque fido resignet. Harum conditionum tractatores *Philipponum* Comitem, *Guidonis* Socerum, *Simonem* de *Colubiano* Vercellensem, & *Antonium* de *Fisiraga* Laudensem interponendos, qui & Cremonenses pertemptent, qui defectionum suarum motus fuerint, dissensionum causas auferant, & ad gratiam mansueti Cæsaris redigant. Extemplo missi Cremonam (nam & illo profugus *Guido* perrexerat) retulere, *Guidonem* respondisse, se a Cremonensibus, vt hospitem ad vitæ refugium susceptum, omnia in ipsorum arbitrio consistere, se nihil aliud pensi habere, nisi sicut ipsi de se, suisque statuerint: Cremonenses, quoque onerosum Vicarii iugum, populum pauperie, inediaque profligatum, impotentem contributionum, quas Cæsar ipse iam conferendas decreuerat, præterea ipsum Cæsarem, (quod intolerabilius erat) Teotonicos in Latinos dimissa licentia sinere insanire. Iam Guelfos vbique delendos ex præsumptionibus inultorum excessuum in ipsos commissa-

* Intellige, putauere, vel quid simile. Sch.

commissorum apparere. Cuius & Cæsaris partiariæ mentis indago significat in singulis Ciuitatibus, & locis Vicarios Gibellini nominis * institutos, parti Ecclesiæ iam timendum esse, innouatum *Friderici* scisma vetus, & demum consilium capiundum ab amicis, sociisque Longobardis, & Tuscis, & respectu habito respondendum.

* 9

Ianuensium obedientia.

VI Interea legati ad Cæsarem ex *Ianua* magnifice profecti iurauere mandata, nauigia spondentes impensis propriis ad coronationis conductum. *Lucenses* destinatis Legatis diu in curia retentis, multisque diu hinc inde pertentatis, ære multo promisso, vt immunes Imperialium obsequiorum, suis exclusis exulibus, liberi manerent, nullisque aliis obstricti contributionibus, quamquam & non reiecti, longis admissi auditi colloquiis, tandem frustra tempus triuere.

Concessa Patauinis libertatum priuilegia.

VII Hisdem ferme diebus a Paduanorum magistratibus Religiosorum Minorum, & Prædicatorum viri duo ad curiam transmissi sunt, per Secretariorum Cæsaris intercessiones inquisituri, quænam salubria libertatis remedia concedente Cæsare cum obsequiorum vtrinque congruentium exhibitione interponi valerent. Qui inter se diffidentes commissa parum diligenter executi, spes mittentium fefellere. Quorum alter a Cæsare sciscitasse * retulit, nihil omnino pactionis interuenire posse, nisi Syndico iustis quibuslibet parituro ad Cæsarem transmisso, ceterum supplicationi locum non fore, at his obtemperatis † animum Regis in commune *Paduæ* pronum ad gratiarum contributiones. Solliciti insuper magistratus cum Tribunis plebis, quos *Gastaldiones* appellant, duodecimque secretorum conscii, in quos super instantibus per Decuriones ex Senatus consulto translata agendorum potestas, duos plebeios probatæ fidei viros *Antonium* de *Vicoaggeris*, & *Albertinum Mussatum* illo etiam proficisci iussere, eadem, quæ præfatis Religiosis commissa fuerant, perquisituros.

* l. *sciuisse*. V

† Striblige hic esse videtur, verbo neutro passione donato. Potest corrigi sic, *his si obtemperauerint*. V.

Hi paribus affectibus curiam ingressi, cum Regis Archariis exordia summo opere nacti tractatuum, interdum & Cæsarem allocuti, de conditionibus agere cum deputatis ad id *Ameo* illustri Sabaudiæ Comite, Archiepiscopo *Treuerïense*, *Leodiense*, *Basiliense*, & *Tridentino* Episcopis cœperunt, * pluriumque dierum spatiis assiduis solertiis, & hinc inde conuentibus simul habitis, cum ipsius Cæsaris conscientia Paduanis, Maiestate Regia salua, de ipsius Domini liberalitate posse concedi *, vt singulis semestribus terminis, quibus & Comitiorum dies eligendorum Rectorum instare solebat, optio sit Patauinæ communitati, quatuor eligere, quos maluerint, fideles dumtaxat Imperii, quorum vnum Cæsarea constituat auctoritas, qui Vicariatus Imperii nomen obtineat, si inter montes, & vrbem fuerit: alias eadem vnius eligendi optio sit Præsidis Lombardiæ. Idemque in *Vicentinæ* ciuitatis gubernatione Paduanis indultum sit, feudalibus inuestituris perpetuo valituris. Si quoque Rectores, seu Vicarii ciuitatis vtriusque leges, mores, statuta, consuetudines, franchisias, libertates obtentas per prisca tempora incorrupte conseruent, impostertum obstricti Syndicatibus populi vtriusque. Horum sit recognitio gratuita populo Paduano, vt per se, suosque successores annuus Cameræ Regiæ census præstetur quindecim millium florenorum auri. In instanti quoque pro promotionis, & progressus Cæsarei apparatibus, proque coronationum exenniis seruiatur de LX millibus florenorum auri. Insuper & militiæ Præsidis prouinciæ pro stipendiis portio quinque millium florenorum auri, Communi Paduæ singulis quinque mensibus attributa præfigendis offeratur semper in terminis.

* Ad finem vsque periodi nutat oratio, vel alio commodiori loco adiungas, *obtinuerunt*, & manca videtur: nisi post verbum, *concedi*, vel *impetrarunt*, vel quid simile. V.

Iis Legati duo præfati acceptatis, quatenus Paduanus approbasset populus, non ob aliud missi, a Cæsare licentiati cum multis beneficiorum sponsionibus,

nibus, quam citò responsuri, discessere. *Paduam* autem applicantes nouitatum mole aduersus Cæsarem ingruentium elatum inuenere populum. Præstiterant siquidem suspicionis habendæ cumulo additamenta occasiones nouæ, vt citra spem omnium de Rege fidentium *Albuinus*, & *Canis* della *Scala*, obaudito, reiectoque e curia *Vinciguerra* Comite Veronense, quem in *Veronam* introduci Regis vulgato proposito creditum omnis fiducia deseruerat, declarati Vicarii Cæsaris, Imperiique fuerint patentibus litteris Cæsareæ Maiestatis. Nonullisque innotescere plebem incendebat, & *Riziardum* de *Canino* eadem in Ciuitatibus *Taruisii*, *Feltri*, & *Belluni* priuilegia consecutum, & hoc contigisse non nisi dati æris neglecta iustitia*, corruptelis omnia venalia fore. Sic itaque vulgi caussas ignorantis voces * non vanæ, nunc quicquam veri autumantes, regia iudicia famosis insinuationibus diffamabant. Hæc inter varia spes ambiguas diuertentia. Legati primo Magistratibus, deinde Senatui tractata retulere, conditiones detexere, vixque, eis dicentibus, a risu, sibilis, immaturoque murmure plerique abstinuere, factoque dicendi fine fremitus obstrepentium præsidenti * Potestati, consilium super relatis quæsituro, pæne concessere. Demum autem, quid agendum instaret, propositione facta, vt quisque consuleret, fuere, qui singula singillatim veluti non modo non salubria; sed iniqua, vrbique perniciosa detestarentur, præsertimque illud abhominabile, vt *Marchia Taruisii* cuiquam sit subiecta Vicario publico, vel priuato; ærisque onus prorsus importabile; sanius asserentes, defendendarum vrbium *Paduæ* & *Vicentiæ* munimentis intendere, cum Vicentinis coire, vnanimitates nouis fiduciis reformare, fossas in confinibus dilatare, vallare castra, fortalitiasque vtriusque Comitatus munire, arma, & equos parare, se se ad quoscunque belli casus accingere, & præparare; nec minus ad Regem remittere, qui transigant, seu tractent, vtramque ciuitatem liberam * suis moribus, & legibus, vt hactenus, viuere, nihil innouari, hoc dumtaxat assensu concesso, vt electi Rectores per Commune *Paduæ* in vtraque Imperatoris Vicarii nuncupentur, nec ob hoc quicquam respondeant, nisi duarum partium mille, Decurionum exquisito consensu. Nec alter legatorum tacuit, quem instructum in curia Regia visa, & sciscitata reddiderant, * vt arrogans visa sit ad Regem tantæ discordantiæ reportatio, vt nullis assensum foret Regis articulis; formam non prorsus irritandam; sed qua liceret, & possibile communi foret, conformandam honori Regio, & Paduanorum votis, animaduertendumque fore, quam dubii bellorum euentus futuri sint. Rursus & aliis visum, inducias dare, supersedere in dies quindecim, interea nouorum successuum mutatione salubria exoriri consilia, documentoque forsan esse, quæ ab Legatis ad Romanam Curiam transmissis acta expectabantur. In hanc vltimam sententiam Senatus resedit.

*l. nunc Sch.

*10

*videtur deesse viuere Sch.

*fore, vt videtur V.

Constitutio Vicarii in Parma.

VIII His sic se habentibus Cæsar Nobilem quendam *de Malaspinis Parmæ* Vicarium constituit, gratum *Giberto* de *Corrigia*.

Tractatus inter Cæsarem & Brixienses.

IX Instantibus quoque *Maphæo* de *Maziis*, & aliis paulo ante expulsis, *Ameum* Comitem Sabaudiæ cum militibus circiter mille curiæ Regiæ, & Mediolanensium ferme CC ad castrum *Vrceorum* transmisit, cum *Thebaldo* de *Bruxiatis* & populo *Brixiæ* vel compositurum, vel bellum indicturum. Misso ergo inde Legato *Morocllo* de *Malaspinis* in *Brixiam*, ante omnia quæsiuit *Bartolinum* de *Maziis* aliosque captiuos relaxari, vt ista sint compositionis initia. Senatus habitus, populique conuentus negauere. *Thebaldus* de *Bruxiadis* cum nobilioribus intercedentes, captiuos consuluere relaxandos, siquidem *Vrceorum*, ceteraque Brixianorum castella quæcunque *Mazii* inuaserant, dederentur. Vtque ex coloniis *Brixiæ*, ceterisque confinibus damno infecto Comes Sabaudiæ abscedat, vtque per ipsum Cæsarem ab hostilibus inuasionibus intra dictos fines abstineatur. Vixque hæc obtenta, plebe concita memoratæ tyrannidis contumeliis, excandescente; in *Mazios*, adeoque exardescente, vt cum telis, & missilibus, solutis iam captiuis, vt traderentur Legatis Regiis, ad plateas concursum sit. Retroductis ergo intra

intra palatia captiuis, ***Thebaldus*** cum Nobilium cœtu in plebem egrediens, allocutione longa, verbis mansuetis, si non assentientem, conniuentem tamen sedauit, & furore vtcunque remisso captiuos hora captata per auia legatis redditos extra vrbem ad tutum vrbis exitum sociauit, sicque castris populo ***Brixiæ*** restitutis, ***Ameus***, omnisque secum adducta militum expeditio discessit. Tunc & idem ***Ameus*** per terras, & colonias Cremonensium transitum faciens, populabundus ignes ponere, prædas ceteraque hostilia centuriis, militibusque suis quibuscunque concessit. Qui insultu in ***Soncinum*** facto, cohærentia omnia castro ædificia concremauere, inde per Villam, quam ..... vocant, pertransiens, occupatum locum natura ad munitionem aptum foueis vallauit, stipendiariorum phalangem, qui ad populandos ***Cremonensium*** agros concurrant, dimittens. Quibus sic gestis ***Mediolanum*** ad Cæsarem contendit.

* Quænam sit neglecta hæc *dati aris infitia*, mihi obscurum. Dicendum certe fuit, *duo ars*, vel aliter, eadem sententia. V.

X Cæsar ad debellandam, conuincendamque Cremonensium rebellionem intendens, hostes illos ex sententia iudicauit, edicta pronuntians, vt tamquam sacri Imperii rebelles insequi, pulsare, occidere vnicuique fas esto; bona eorum, iura, mancipia, pecora occupantium sunto: ad hæc sacri Imperii obsequia per ciuitates, & loca transire volentes a pedagiis, ceterisque exactionibus liberi abeunto. Et promulgato ad XIV Kal. Maias exercitu ***Cebenensem*** Episcopum ***Veronam***, ***Mantuam***, & ad ceteras ciuitates, & ad loca Romano Imperio subiecta legauit. Qui annuntiatis edictis, Vicarios, populosque in dictam diem in Cremonensium agris castra posituros inuitauit Imperialibus monitis, Papalia subiungens anathemata, vt tanquam extra Christicolarum communionem constituti Cremonenses, loco eorum habeantur, quos ab orthodoxæ fidei semita deuios error abduxit, & idcirco *persecutores eorum dignis Dei obsequiis, qui ad ipsorum damna & pernicies, opes, & operas interponent, accepturi centuplicia laborum merita ad abluenda crimina diuinitus pro delictis. Cremonenses in aduersum opinionibus freti suis, quas iustas putabant, vallabantque rationibus, hunc non Regem, sed tyrannum diuulgabant, cum iam tyrannides in vrbibus exercendas decreuerit; antiquatos tyrannos titulis Imperialibus approbans, alios ad libitum dominantium constituens, deiici populos, quos introduci fecerat, iubens, & pellentes subsidiis fouens, totumque parti Gibellinæ deditum, Guelfam in Lombardiæ partibus opprimens*, ad Tuscos eiusdem partis eleuandos feruentius aspirans*. Hæc dictitabant Cremonenses, per litteras populis nuntiabant, subsidia quærebant a finitimis, a longinquis, quorum excidia iis aiebant agi principiis. Hæc Cremonensium per Italiæ vrbes vulgata rebellio non solum expectantium Cæsaris tumultus, ad suorum finium tuitiones; verum & eorum, qui se summiserant, ad defectiones animos allexit, quæ res suspendit regios ad singula quæque peragenda progressus.

Cremonensium rebellium damnatio.

* 11

* *opprimentem* V.
* *aspirantem* V.

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS.

LIBER III.

Rubr. I CÆsar autem Longobardiæ subigendæ sequentias videns, quamquam labore nonnullo rebellionum tollendos anfractus, iam ad vlteriores terminos laxauit intentum, vtque tota Gallia, quam ***Cisalpinam*** vocant antiqui; ante ***Padi*** transgressum, mandata recipiat, sinum ***Adriaci maris***, qui angulus est Venetiis, ditioni suæ subiungendum constituit. Huius itaque tractus ciuitas ***Padua*** principatum obtine-

Vincentia a Patauinis ad Cæsarem defectio.

obtinebat, cuius opulentia, longæuæ pacis obtentu, circumstantium finium vrbes præcellebat. Seruata namque in publicum ferme annos quinque & quinquaginta post *Eccerini* de *Romano* tyrannidem creuerat in immensum, armis, populisque numerosa. Per hanc & *Vicentia*, suæ per ipsos Ciues suis vrgentibus necessitudinibus commissa custodiæ, regebatur: defessa tamen, seu longæuæ quietis fastidita dulcedine, seu Paduanæ plebis insolentes dominatus abhorrens, quibus sæpe veris plerumque & falsis criminationibus ex factionum suspicionibus nunc relegati ciues, nunc securi percussi occubuerant. Nec omnia hæc lacessitum iam Cæsarem Paduanorum ingratitudine quadam despectarum conditionum acceptandæ pacis, quibus se mitissimum exhibuerat, latebant. Ipsum namque stimulabat ipsorum vesana temeritas, & hinc Vicentinorum clandestina factio suadebat, in quam fere assentiebat omnis cum plebe Nobilitas. Accersito itaque *Cebenensi* Episcopo, ex curiæ consiliariis vno, cui *Aymo* nomen erat, strenuorum actuum non ignaro, vrbis *Vicentiæ* in deditionem accipiendæ negotium, quoquomodo habilius res agi posset, commisit. Is solers, cohorte militum secum ducta, *Mantuam* se transtulit, insinuans, se Regis iussu populos Imperio fauentes in Cremonensium agros ducturum ad obsidionem. Qui & deinde *Veronam* veniens idem nuntiabat. Subinde admissis Vicentinorum conspirationibus tradendæ sibi *Vicentiæ* diem statuit. Composita itaque ad id omnium apparatuum necessitudine, *Canem*, grandem Imperii *Veronæ* Vicarium, secum trahens, cum Mantuanorum, & Veronensium legionibus, nec non & cohorte regia, statuta die *Vicentiam* tradentibus ciuibus, patentibus portis ex Paduanorum desidia occupauit. Iamque aquilis in forum expositis, Paduanorumque Præside *Ioanne* de *Vigontia* Episcopo reddito*, Paduani milites, qui præsidio vrbis erant, hinc inde per vrbem discurrentes tandem singillatim per fana, & vicos; hostiatim per domesticorum latebras delituere. Pars ad castrum, quæ *Insula* dicebatur, vbi militum stationes erant, concurrere, portas claudentes, ad quas festinus *Canis* cum phalangibus, ceterisque leuis armaturæ peditibus * cucurrit, & † ignes portis subduxit.

* *Dedito*, erat dicendum. Sed autor hic, vt plerunque alias, ad vulgarem loquendi modum respexit, quo dicimus, *renderʃi* vel *arrenderʃi*, dedere se. quam tamen sententiam latina vox non admittit. V.

† Ἀκυρολογία. Nam *subducere* est *subtrahere*: cuius contrarium, *subdere*. Omnino reponerem, *subdidit*. V.

Occupati ergo intrinseci terrore nouo vix arma capessere valentes, parum validæ resistentiæ audentes, dubii ad portas traxere*; pauci muros conscendentes nonnullam repugnantiam ostendere. *Canis* eorum diffidentias, Vicentinis suggerentibus, prænoscens, castrum reddi postulauit. Trepidantes oppidani, parumque in tutela spei habentes, loci deditione rebus saluis personarum salutem pepigere. Reseratis portis agmina introiere, & *Canis* ingressus rupto fœdere datæ fiduciæ milites ad prædas dimisit, occupantibus quæque rapienda concedens. Nec ipse idem se se continuit, quin & delectos quosdam, quos postea grauis æris pondere redimendos coegit, in funibus alligatos, absque vllius cum Paduanis sodalitii, vel amicitiæ reuerentia, *Veronam* transmisit. Erat siquidem vir ille acer, & intractabilis, nullos coercens impetus; sed ad quæcunque illum ira prouocasset, præceps, & inexorabilis: nec non habitu, gestuque immanior videri mallens, quam sua valuisset exercere seueritas, nec plus quidquam pensi habens, quam si eidem, quæcumque voluisset, licerent. His ergo modis ciuitas *Vicentiæ* de Paduanorum exempta gubernatione ad Cæsarem defecit anno a Domini nostri Iesu Christi ortu vndecimo trecentesimo millesimo, XVII Kal. Maias. Quintodecimo videlicet die mensis Aprilis.

* Hoc quoque tractum a vulgari loquendi consuetudine, qua dicimus, *trahere*, intransitiue, quod aiunt, pro, *ire* seu *accedere*. At si hic non addas *se*, forte est verbum, *dubii*, Etruriismus erit. V.

Mantua commotio.

II Hisdem pæne diebus inter introclusos a Cæsare in *Mantua* exules, & alterius factionis principes *Bonacosos* nouæ exortæ suspiciones. Hos vetera odia; illos ægre deposita dominia stimulabant. Succrescente itaque in dies contumacia, concussi vtrinque terroribus animi, Imperii Vicarium *Lapum Farinatam* de *Vbertis* alternis delationibus inquietabant. Ipse quidem tumores nunc blandis suasionibus, nunc minis acerbis propulsabat. Inculcatum tandem in aures Cæsaris extitit verisimiliori præsumptu siue veris, siue falsis assentationibus exulum elatiores ad pellendos *Bonacosos* vulgi rerum nouarum cupidi suggestione fore conceptus, quod quidem animum regium vehementiori molestia perturbabat. Indignum quidem, ingratos viros abuti restitutorum larium beneficio, censebat. Sic occasione captata *Aymonem* Episcopum Cebenensem transmisit illo, cum militum cohorte, qui vel pacem iniret; vel, si quorum temeritas exigeret, animos eorum debita animaduersione retunderet. Is solers mandatorum regiorum executor, accersito ad se *Salinguerra* Ferrariense, cui *Taruisinæ Marchiæ* conditiones notæ fuerant, nec talium audendorum audacia deerat, *Mantuam* ingressus, cum *Lapo* disquisitione facta de singulis, in partem *Bonacosorum*, veluti Regi fideliorem, fouendam, relinquamue eiiciendam declinauit, idque ingeniose cautioribus vtriusque scilicet Episcopi, & *Lapi* solertiis sine strage effectum est. Pulsi quidem *Cortesia* de *Casarolto*, ac *Venaticus* de *Gaffaris* cum complicibus fuere: pauloque post hoc missus a *Passarino* de *Bonacosis* conniuentia populi Mantuani ad Cæsarem *Beraldus Passarini* frater, Vicariatum pro *Passarino* petiturus, citra commissa & populi, & *Passarini*, se ipsum præfici procurauit; quo frustratus proposito, vetitus intra mœnia ingredi, instante *Passarino* suffulto *Cane Grandi*, & *Albuino* della *Scala* versutias eius in curia detestantibus, abrogatus est, suffectusque *Passarinus*.

Laudi deditio.

III Cæsar Longobardiæ potiundæ reliquiis totus intentus, Longobardorum inconstantiis iam diffisus, quas multifariam expertus deprehenderat, in animum statuit, illos eorum astibus refellere, ne iam ex prouiso Gallicum a Ligure superetur ingenium. *Antonium* itaque de *Fisiraga* Laudensem, miræ circumspectionis virum, cuius industria pæne Laudensium, Cremonensium, Cremensiumque consortia clanculum regebantur, cum pluribus earundem ciuitatum primoribus ad colloquium secum adsciuit, spe reformandæ pacis, incundorumque fœderum, congruentium votis eorum, & Regiæ Maiestati. Namque idem *Antonius* dedendæ sibi ciuitatis *Laudi* potentiam deesse, seque non modo non creditum fratribus, populoque Laudensi; sed ob fidelitatem, quam Regi obnoxius obseruauerat vehementer suspectum dictitabat. Cum igitur ad Regis colloquium ventum esset, spe redeundi adempta ipsi *Antonio*, suisque primoribus, cum animaduersionis in eos comminatione, nisi ciuitas *Laudi* Cæsari dedatur, conuictus *Antonius*, ceteris curis, ingeniisque cedentibus, veritus etiam, ne mediantibus Electo *Salernitano*, & *Vgone Guascone* Papæ Capellano, qui iussu Papæ Cremonenses de pace interpellabant, ipsum præuenissent, ciuitatem dari iussit, cui extemplo intrinseci paruere. Potitus itaque ciuitate *Laudi* Cæsar, Cremonensibus eximio terrori fuit, Germanis, ceterisque militibus agros eorum depopulandos concedens. Tantus quippe terror illos inuasit, vt se se munitionibus vrbis, vallisque non crederent, inter se etiam diffidentes. Proceres eorum plurimi, quos rebellione notatos sui cuiusque * actus patefecerant, vrbe cessere, quos & *Guido* della *Turre*, qui se illo contulerat, comitatus, pari fuga *Bononiam* perexit; inde quisque, quo sors detulit, abscedens. Destituta plebs cum Tribunis, Senatoribusque hinc latens, hinc per fora discurrens, Prætorii curias dereliquere, nihilque iam ex plebiscito, vel Senatus consulto agebatur. Dum ex Patribus tremebundis aliqui, concione in forum extra ordinem aggregata, supplicationi locum fore suasere; Regem suscipiendum, placandumque; spes in eius clementia ponendas.

* 13

Cremonæ ad Cæsarem defectio, & excidium.

IV Populus igitur cum plebe, funeres veluti habitibus, apertis portis, præmissis ad Cæsarem nunciis, obuiam exiit distinctis ordinibus cum palmis, ad passuum millia quinque a suburbiis, aureum ferentes tegumentum, hastis subleuatum, quo velaretur Regiæ Maiestatis sublimitas. Procedens autem Cæsar cum agminibus, & centuriis, stipatus Principibus, renuit subire operimentum illud, non mansuetudinis; sed timoris ostentum ab illis, quorum pertinacias expertus fuerat, autumans; nihilque deferens ad numerum trecentorum (eorum videlicet, qui ceteris potentiis, industriisque præfuerant) vinciri iubet, vinctosque per municipia custodiendos distribui. Ingressus itaque ciuitatem, Prætorio metuendus consedit, adhibitisque his, quos iura, consuetudines, ac rigores Imperialium constitutionum nosse constabat, sedens in solio sententiam promulgauit. *Portas, munitionesque ciuitatis funditus demoliendas; honores, libertates, & priuilegia quæque ciuitatibus* * *ab Imperio concessa adimi; vltra suburbiorum continentias quemquam huic Communitati non parere; castra omnia, colonias sui iuris esse; ciuem vnumquemque Cremonensem Romani seruum Imperii fore, contumacibus dumtaxat exceptis, hosque hostes iudicatos.* Suprema turris in forum sita, quam *Turracium* vocant, cum * supposita leonis effigie, conspicuum ciuitatis decus, excidenda erat, nisi Reginæ clementia pro plebe supplicantis placatum Cæsaris propositum fecisset; eiusdemque Reginæ obtentu a præda, populationibus, domorumque ruinis deditum est. *Suncini, Rimenengi*, ceterorumque castrorum municipes audito ciuitatis excidio, continuo ad Cæsarem defecere. Hoc *Cremonæ* excidium finitimos vndique conterruit. Cæsar truculentus asseritur. Plura nuntiata, falsaque veris subiuncta, vt vulgantis famæ proprium est. Formidolosus adeo gentibus Rex, vt populi iam variis tumultuarent sermonibus, diuersisque studiis decertarent.

* l. Communitati. V.

* l. superimposita. V.

Brixia rebellis.

V *Thebaldus* de *Bruxiadis*, Brixianorum primas, ceterique Nobiles cum plebe vnanimes, vti extra omnem placandi Cæsaris spem ob contemptus præteritos, præmatura sata meti, & quidquid terra virens attulerat, succidi, cæsisque arboribus ac vitibus cum grano veteri vndecunque collecto, ceterisque, quæ ad victum vestitumque hominis accommodantur, intra mœnia reduci, reponique studiis fecere solertibus, exclusis senibus, ac puberibus, retentisque dumtaxat ad bella opportunis, constructisque machinis per propugnacula ad muros dispositis, portas clausere. Ad quos obsidendos festinus, & instans Cæsar euocatis omnium parentium ciuitatum populis, Francorum, Germanorumque copias eduxit, inseditque circumpositis castris per planitiem, & omnes aduersos colles, passibus occupatis. Interea ab Legatis, quos ad Papalem curiam direxerat, Summi Pontificis rescripta suscepit, præfixam diem coronationis in *Mariæ* Virginis Dei Genitricis Assumptione mensis accedentis Augusti indicantibus * in vrbe celebrandæ, adstantibus a latere Legatis sacrosanctæ ecclesiæ Cardinalibus tribus iam nominatis in rescriptis, quæ res festiua Italicis, Gallicisque, nomen Regium diligentibus fuit, lætitiæ summæ, ceteris mœrori.

* mel. indicentis. V.

Paduanorum obedientia & priuilegiorum concessio.

VI Per hosque dies veluti excitati tanti concussione tumultus Paduani, iam palam cernentes, solam post *Brixiæ* excidium *Paduam* excepturam incursus, non vltra differendum statuere cum Cæsare remedia quærere, in pœnitentiam adacti, quod saluberrima pacta per *Antonium* de *Vico-aggeris*, & *Albertinum Mussatum* impetrata spreuissent, nunc ea collaudantes, vt salutifera, ipsorum *Antonii*, & *Albertini Mussati* prudentias, bonitates, solertias ad cælum tollentes, in aduersum alias oblocutos increpantes ac detestantes. Quibus ferme diebus per internuncios acceptum est, *Paduæ Aymonem* Episcopum Gebenensem (cuius mentio superius habita est) duodecim Sapientibus tunc reip. propositis insinuari fecisse, vt si Communitati *Paduæ* libuisset, vellentque Regi obsequi, cum sui libertate status, hoc facile impetrari posse ex Regis clementia, ipsiusque *Aymonis* obtentu

obtentu pro Paduanis intercessuri, si tantum id velint, & gratum habeant. Siquidem etiam, quas conditiones postulare intendant, impetrabiles eidem *Aymoni* præcognitas esse fecerint. His demum sic per Secretarios hinc inde pertemptatis, colloquium stabilitum fuit apud *Barbanum* vicum penes * *Paduæ*, *Vicentiæ*que confines *. Itidem ipse Episcopus cum paucis cum sex *Paduæ* Legatis conuenit: dumque ab Episcopo * quæsitum, quas conditiones Paduani impetrare desiderent, expositum ei est per *Albertinum Mussatum*, cui omnia priora nota in curia Regia pertractata, & ea quidem tamquam rationabilia, libuere ipsi Domino Gebenensi, suasitque habilia ad impetrandum, seque personaliter pro Paduanis ad Cæsarem profecturum sub spe præcipua obtinendi narrata, aliasque obtenta, vel similia spospondit, totumque se ad id dispositurum. Gratiarum inde actionibus per Legatos Episcopo prolatis, finis colloquio fuit, rediereque hinc inde, *Aymo* Vicentiam; hi vero Paduam. Super quibus habitis primo duodecim Præpositorum, Tribunorumque plebis, deinde Senatorum * consiliariis mille, ex consilio *Albertini Mussati* id exhortantis, multisque inductionibus cum validarum rationum assignationibus approbantis, obtentum ex Senatus consulto est, legatos ad Cæsarem destinandos, in quorum numero sint duo præfati *Antonius* de *Vico-aggeris*, & *Albertinus Mussatus*, sub ductu *Aymonis* Episcopi, pro gratiarum, pacisque conditionum remediis omnino conquirendis a clementia Regia, quibus in tranquillo quies, statusque Paduanorum consistat immobilis, proque parendo mandatis regiis cum fidelitatis iuramento iuxta consuetudines, ac constitutiones Maiestatis Augustæ, extemplo delectis ex ordine Militum *N. Scrouegno*; ex plebe *Io. A.* de *Rogatis*; *Belcharo* de *Bregnachis*, *Antonio* de *Leo* Iudicibus, prælibatisque *Antonio* de *Vico-aggeris*, & *Albertino Mussato*, notitia priorum conditionum industribus subiunctis, quo vtilius res agerentur. Hi duo turbationibus male cognitorum operum, imo potius in se obiectorum criminum, quod ignauiter, parumque prudenter egissent, recusabant instanter legationis obsequium, quod tandem Decurionum, Tribunorumque plebis mitigantium instantiis subiere pereuntis Reip. conterriti discriminibus, iterque arripuere cum ceteris. Accidítque, vt apud *Bononiam*, cum per passuum mille fere spatium accessissent, inhibitum illis per obuios Bononiensium Nuncios foret, ne, cum ad exosum eis, inimicumque Regem intenderent, mœnia sua ingrederentur; sed confestim finibus abscederent. Non patentibus aditibus reuersi sunt, sed rursus impetratis passibus, siue transitibus per speciales Legatos ab iisdem Bononiensibus, ex præfatis Legatis sex ægrotante *N. Scrouegno*, & altero *A.* de *Rogatis* ex caussa occupato, quatuor reliqui ad regiam curiam perrexere. Procedentes itaque die statuta ante Cæsaris tribunal *Albertinus Mussatus* iussus a collegarum consortio sic proposuit.

Tertia mihi sors (Magnanime Cæsar) *Dei Cælitumque munere condonata est, serenam intueri Maiestatis tuæ faciem, Christianorum decus, per quem inspectante Deo Reges regnant, & Domini dominantur. Et si hac vice, qua ante te asto, vt Reip. Paduanæ rem in effectum adduxerim, vt suis sit compos votis illa Respublica, beatum me dixerim, sicque Deo gratum, vt me hac quamquam vltima felicitate consoler. Ad commissa procedo. Paduanæ ciuitati, longæuæ pacis alumnæ, studii ac sapientiæ matri, dissidii partialis * expertis, tyrannorum * impatientis, tuus in Lombardiam transitus fuit lætitiæ singulari. Testes adduco* Curiæ, & Constantiæ Episcopos, *Principes tuos, acceptos ibidem, vt angelos, non modo terrena, sed cælestia nuntiantes. Coronationis tuæ gaudio spectabili inuitasti mansuetudine regia Paduanos, ex quibus delecti primates interfuere, tantum decus inspectantes, in quibus pusillus & ego. Paulo post hæc* Antonium *de* Vico-aggeris, *hunc scilicet hic adstantem, meque sic minimæ consistentiæ, vt ecce conspicior, populus ille direxit, indicaturos clementiæ regiæ, quibus ad tranquille, beateque viuendum opus erat, quaque ex ea necessitudine appetebat illa Communitas.*

Marginal notes: * 14 — * intellige, ipso Sch. — * puto l. consiliis. Sch. V. — * mel. experti Sch. — * mel. impatienti. Sch.

nitas. Annuisti Cæsar *quibusque petitis. Te liberum obligare voluisti, vt tibi ipsi leges indiceres, quas etiam voluntario transgredi non liceret. Ipsis nobis Rectores eligere; nostris legibus viuere; consuetudines, moresque seruare; ciuitati* Vicentiæ *imperare fas esse censere voluisti; tuum merum, mixtumque Imperium in eam tradere (parce* Cæsar) *vt prodigus. Et quid, inquam, plura petitis Regia munificentia tribuat? A facie tua læti, saturique discessimus, reuersuri ad diem certam, cum tantarum acceptationibus gratiarum. At cur in statutam diem, inquies, redire desiisti? quæ moræ? Adiuimus*, clementissime Cæsar, *non ad tyrannum, cuius solius ore responsa darentur. Adiuimus populum numerosum, quem ex coloniis, castellis, municipiis, vicisque difficile congregari. Quibus diu, multisque admodum opportunis induciis* aggregatis annuntiata tantorum beneficiorum liberalitas lætitiæ tantæ fuit, vt clamor ad cælum sublatus, populariumque suffusa gratulatio in vniuersum tua triumphali largitione satiaret †.*

* Nemo non nouit, quid sint *induciæ*; cessatio scilicet a bello, in certum tempus, quam ab abstinendis manibus ἐκεχειρίαν dixere Græci. Sed *Mussatus* hic deficiens a Latinis ad Italos posuit *inducias* pro *mora* ac *dilatione*, quam hi appellant, *indugio*. Quod verbum licet ex parte significationem *induciarum*, *cessationem* scilicet, repræsentet; cum tamen cetera non amplectatur, mancus erit ac barbarus, qui *inducias* pro *cessatione* vsurpauerit. Atque hoc persæpe iis continget, qui non ex latinitatis autoribus, sed ex vernaculi sermonis vsu latinorum verborum sententias desument. Venia tamen danda *Mussato*, qui tantæ barbariei tempore vixit, vt vel Tullius haberi potuerit. V.

† Nescio, quid rei sit hoc *satiaret*. Deprauatum credo, atque obelo iugulandum. V.

Quid vero reditus nostri præfixi termini distulit executionis effectum? Audiat mansuetudo tua*, Cæsar. *Exequendi forma, quæ magis Maiestati tuæ congrueret. Non quia impetrata vnanimes non amplecterentur affectus; sed quia non vniformis opinio in recognitionum modis exuberantium animorum flagrabat in tantæ tuæ liberalitatis munificentia, quo magis tibi pateret desideriorum, & operum manifesta sinceritas. Has quidem Tribuni, has Decuriones, has conscripti mille Patres vias, formasque certatim contemplandæ, honorandæque Maiestatis singillatim decernebant. Dum tandem paulo latioribus, quam opportunitas expetebat induciis, concordibus opinionibus decreuerunt, tibi obsequendum, parendum, te vt decus sublime, venerandum emologatis pertemptatis, & actis per nos* Antonium, *&* Mussatum. *Et ecce subiit repentina, insperataque nouitas Paduanis, vt* Canis de Verona Vicentiam *occupauerit, pulso captoque præsidio Paduano. Hoc habile* Cani *nostro ciui, fratrique fuit, cui & sic venienti Paduanæ portæ patuissent nostris fauoribus aucto, cum quo nobis societas, & ciuilitatis vnitas. Sed, o Deus, melius si Paduanis innotuisset iussio tua*, Cæsar, *quia nobis parere intensius fuerat, quam tibi mandare, propositum. Et ad quid populis in pace degentibus, vt de te superstite Diuinitas summa prouidit, optanda Paduanis ciuitatis* Vicentiæ *imperium, vel potestas? At si quisquam dicat, honori cedet. Honorem nempe*, Cæsar, *superabat onus ad pondo auri quinquaginta. Sint sui iuris Vicentini tantummodo volentes, nec ad sermonem nostrum res illa pertineat. Venimus, ciuitatem, ciuesque ditioni tuæ subiicimus. Sacri nos fideles Imperii profitemur, velis tantummodo*, piissime Cæsar, *nostris viuamus legibus, quarum sanctionibus diutius liberi viximus. Prætores habiles, vtilesque nostris moribus nobis eligere, sit fas, ex quibus vnum ipse decernas, cui ius nobis dicendi summam tribuas semestribus terminis singulis potestatem. Prædiis, rebusque suis ex improuiso spoliati gaudeant Paduani. His secundum vota disponimus, his nostra contenta Communitas. Tuque viue, valeque, Rex inuictissime, salus viuentium Christianorum.* Postquam huic finem fecit orationi *Mussatus*, Rex seuocatis Principibus, amotisque inde Legatis, triduum fere mature deliberans, interce-

intercedentibus Augusta serenissima *Margarita*, *Amoo* Sabaudiæ Comite, geminis Regis fratribus, ceterisque Secretariis, ac præcipue *Aymone* Gebenensi Episcopo, protulit hæc, iussitque his regiis authentice annotari rescriptis.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus.

Vniuersis sacri Romani Imperii fidelibus præsentes literas inspecturis gratiam suam, & omne bonum. Tunc fidelium & deuotorum Imperii multipliciter accenditur deuotio, cum munificentiam regiam, & in iustitia facilem, & in exhibenda gratia senserit liberalem. Hinc est, quod sapientum virorum, Consilii & Communis Paduæ, dilectorum fidelium nostrorum, tranquillitati fauorabiliter prospicere cupientes, concedimus, & de benignitate regia indulgemus eisdem, vt singulis sex mensibus quatuor probos viros, idoneos, nobis & Imperio fideles, eligere valeant, & eorum electionem notitiæ nostræ suis patentibus litteris sigillatis sigillo dicti Communis intimare, si in partibus Lombardiæ, vel Tusciæ, aut aliis citra montes Lombardiæ, vel in vrbe Romana fuerimus constituti. Nosque de prædictis quatuor vnum, quem volemus, dabimus, & præficiemus in Vicarium, & Rectorem dictæ ciuitatis Paduanæ dumtaxat ad sex menses, nostrisque patentibus literis, sigillo regio munitis, Episcopo Paduano, qui pro tempore fuerit, vel alii personæ idoneæ Paduæ commoranti committemus, qui ab eodem Vicario, sic auctoritate regia præfecto, sacramentum recipiat nostro nomine, quod regimen prædictæ ciuitatis, & districtus ipsius bene, legaliter, & fideliter ad honorem, & vtilitatem nostram & Imperii exerceat, & gubernet. Si vero extra terminos Lombardiæ, ac Tusciæ, aut alios citra montes Lombardiæ, vel vrbis Romæ nos existere contingeret, electio prædictorum quatuor Generali significetur nostro Vicario Lombardiæ, qui vnum ex eisdem præficiat in Vicarium ciuitatis Paduæ, quem voluerit, modum, & formam nostram prædictam per omnia seruaturus.*

* Dixerim, *recipiam*. Nam persona, *qui*, subdurum videtur, nec bene aptum. V.

Hanc autem concessionem, & indulgentiam a data præsentium tantummodo per sex annos immediate sequentes volumus in suo robore permanere, nisi ex vberioris dono gratiæ dictum terminum deliberauimus ampliandum. Idem quoque Vicarius dictam ciuitatem, & districtum suum, prout iure tenet, & possidet, in statu communi, & pacifico nostro nomine regat ad honorem Dei, nostrum & Imperii, secundum leges, & consuetudines, & iuxta statuta, & ordinamenta approbata, & approbanda, quæ statuta, leges, & ordinamenta contra Deum non sint, nec in præiudicium honoris nostri, & Imperii memorati. Volentes autem ciuitatem Paduæ prædictam desiderato tranquillitatis gaudere commodo, & ab incommodis per regalem prouidentiam præseruare, ipsam ciuitatem, & districtum, homines, & status eius in nostram protectionem & defensionem specialiter duximus assumendos, ipsosque ab omni salario Præsidis nostri prouinciæ eximendos, mediantibus viginti millibus florenorum boni & puri auri, annis singulis nostræ Cameræ ab iisdem tradendis, & etiam applicandis. In cuius rei testimonium præsentes literas scribi, & nostro Maiestatis sigillo iussimus communiri. Dat. in castris ante Brixiam V Idus Iun. indictione nona, anno Domini millesimo trecentesimo vndecimo, Regni vero nostri anno tertio.*

* 16

RVRSVS.

Henricus Romanorum Rex semper Augustus.

Vniuersis sacri Romani Imperii fidelibus, præsentes literas inspecturis, gratiam suam, & omne bonum. Decet Maiestatem regiam caussas, quæ dissensio-

dissensionum & errorum inter fideles Imperii producere poterunt discrimina, diligenti sollicitudine remouere, ac pacifico statui commendare. Nam dum quietis animis ac mentibus sunt conformes, ad nostrum obsequium, & Imperii deuotionem vtilius se disponunt. Volumus igitur, & ordinamus, quod singulares homines Paduani spoliati suis bonis, iuribus, & possessionibus immobilibus per quoscunque homines ciuitatis & districtus Vicentiæ die decima quinta mensis Aprilis proxime præteriti, qua die Vicentia resumpta fuit de custodia ciuitatis Paduæ, & ab eodem die citra restituantur ad bona & possessiones suas immobiles sine placito, vel querela. Qui iidem restituti vtantur & fruantur absque quolibet onere, vel grauamine indebito, saluo tamen, quod dicti Paduani bona, iura, & possessiones huiusmodi Communi Vicentiæ, aut singularibus personis ciuitatis, vel districtus eiusdem iusto pretio vendere teneantur, si dictum Commune Vicentiæ, vel singulares personæ ciuitatis, vel districtus eiusdem voluerint comparare. Reseruato omni iure cuilibet; ita quod per prædicta nulli in iure suo præiudicium generetur. De mobilibus vero Paduanorum, quæ habent, vel habebant in ciuitate, territorio, vel districtu Vicentino, quæ ad manus Vicentinorum peruenerint, eisdem fieri volumus per Vicarium Vicentiæ iustitiæ complementum. Eodem modo per omnia in restitutionem possessionum, iurium, & bonorum immobilium, & mobilium, quæ Vicentini in ciuitate, & districtu Paduæ, vel alibi per dictos Paduanos occupata in prædicto die, vel ab eodem citra habuerint, vel habent, sancimus, & volumus obseruari. Ordinantes, &* dicentes omnes, & singulos ciues Paduanos captos in præfata die, vel postmodum in ipsa ciuitate Vicentiæ per nostros, vel per ciues Vicentinos, vel aduenas, relaxari. Adiicimus insuper, & iubemus, quod Commune Vicentiæ, & singulares personæ, ac vniuersitates ipsius debita, in quibus ipsis Paduanis obligati noscantur, vt omnis quæstionis materia conquiescat, satisfaciant, vt tenentur; & Vicentinis per Paduanos, modo simili de suis debitis satisfiat. In cuius rei testimonium præsentes literas exinde conscribi, & Maiestatis nostræ sigillo iussimus communiri. Dat. in castris ante Brixiam V. Idus Iun. anno Domini MCCCXI, indictione nona, Regni vero nostri anno tertio.*

* f. restituti Sch.

* f. decernentes Sch.

His impetratis Legati pro regiæ munificentiæ recognitione, pro Augustæ exenniis, proque impensarum supportatione, quas incumbens Brixiensis obsidionis expeditio ampliores effundi coegerat, iussi intra præfixas dies millia florenorum auri centum regiæ cameræ assignare, rediere. Acta in Senatu collegarum iussu *Mussatus* per singula recitans mire collaudatur. Hanc patriæ salutem singuli profitentur. Quinquaginta enim & quingentis vno conuentu aggregatis ad Paduanæ consuetudinis pyxides cum plumbeis calculis, quas *Ballottas* appellabant, quas clanculum deponere cuiuis licebat, vt ex numeris eorum liqueret tuta singulorum clandestina voluntas, septem, & decem in aduersa pyxide dumtaxat repertis, omnia ex S. C. approbata. Postque dies circiter quindecim ab Rege missus *Aymo* Gebenensis Episcopus, qui a Senatu, singulisque Senatoribus, & Tribunis iuramenta fidelitatis suscepit, factaque est ciuitas Paduana Imperio fidelis *Henrico VII* præfato regnante, anno a Iesu Christi ortu XI. CCC. millesimo. XII Kal. Iulii. Et si ad siderum, constellationumque* reuelationes aspectum quisquam direxerit, notabilis hæc rerum identitas. Nam & hac ipsa die post annos sex & quinquaginta, quæ ab Imperio ad ecclesiam Romanam defecerat, ad Imperium rediit. Interea duo de transmissis a Patauo ad Romanam curiam Legatis *Baricus* de *lingua* de *Vacca*, legum Doctor, & *Anselminus* de *Anselminis* Miles, quamquam in castris Regis compediti per transitum ob sui Communis contumaciam, quodque famosum quid in Regem in conspectu Pontificis erupisse dicti fuerint*; relaxati tamen mitigatione tractatus sic pendentis Paduam demum applicuere, Senatuique Papale responsum retulere,

* f. reuolutiones. V.

* 17

retulere, vt scilicet inclito Regi, ecclesiæ sanctæ filio, pareatur omnino, nec prius cuiquam locum supplicationi *, tum demum admittendas Paduanorum petitiones Pontificali clementiæ, regio culmini, & ipsorum statui congruentes. Nec multis itidem diebus lapsis *Ioannes* de *Vigontia* Iudex, & *Rolandus* de *Guarnerinis* Miles collegæ reuersi integrauere relata.

** **le. fore Sch.***

VII Cæsar in castris ante *Brixiam* cum Longobardiæ populis ad obsidionem intentus, machinis, arietibus, omnique tormentorum genere assidue interiores fatigans, & ipse ab iisdem nonnullis incursionibus, machinarumque grandinibus impetebatur, fortuna (vt assolet) vices hinc, inde alternante, in quibus & hoc obtigit memorabile. *Thebaldus* de *Bruxiadis*, qui Brixiensibus præerat, in rupe montano castro proxima, qua vndique Cæsaris conspiciebatur exercitus, speculam quandam, quam Longobardi *Bitifredum* appellabant, construi fecerat, non modo ad conspiciendos Cæsariensium motus; sed ad defendendi collis castro contigui opus accommodam. Ad hanc visendam cum se hastatorum manu fere triginta contulisset, seu forte, se quouis indice a Germanorum hala, quæ se in medium aditum per excisum * iugum proripuit, circumuentus est. Nec ille, quamquam insperatæ vitæ iam certior, pugnam detrectauit. Concurritur telis, cruentaque fit vtrinque cædes, paucisque ex *Thebaldi* militibus fuga in vicinum castrum prodeuntibus, ceteri cæsi, captique, inter quos & *Thebaldus* pæne ab Germanis agnitus, indice famulo Longobardi idiomatis, qui hunc iam ex equo procumbentem, iamque occidendum *Thebaldum* proclamauit. Captus itaque, & vulneribus quinque confossus, ex quorum vno, conscisso sinistræ arteriæ cranio, oculus confluebat, ad Cæsarem deducitur. Infremuit exercitus, clamor triumphantis Regis sublatus ad æthera. Quem Cæsar, Augusta satis superque frustra pro illo supplicante, Procerum, Principumque consiliis adhibitis, moderato regio examine percunctatus, confessum, conuictumque læsæ Maiestatis more maiorum condemnauit. Corio itaque bouino insutus, vt viuus diutius pœnæ seruaretur (nam & vulnerum angustiis profligato paululum vita respirabat) onagrorum caudis annectitur, tractusque circa castra ad bouum quatuor colla lacertis pedibusque in diuersum colligatis membratim diuiditur, caputque hastæ confixum acumine ad proximos muros ostentatur intrinsecis, donatis per singulos exercituum manipulos membris, intestinisque a conclamante popello concrematis. Hicque *Thebaldi* finis. Huiusmodi tam terribilis successus ostentum siue dissimulantes, siue virtutibus exuperantes intrinseci, se seque eo magis extollentes, continuo captiuorum hostium ad singula propugnacula murorum centum circiter numero peditum colla laqueis fregisse allatum est. Ex insignibus quatuor Præpositos vnius loco efferentes, quibus summa in omnium capita tributa potestas, *Thebaldi* ignauiam detestantes, qui in hostium potestatem improuisus abiisset, nemini illum nominare fas esse: Deo Sanctisque immolandum, quod in caput eius condescenderat, promeritum exitum *. Quadipartitæ in ipsos quatuor conclauium, ciuitatisque custodiæ, multaque cautius decreta, audentius, frequentiusque deinceps extra mœnia proruptum.

Brixia obsidio, cum Thebaldi de Bruxiadis morte.

** **l. excelsum Sch.***

* Iam non barbariem hoc sapit, sed solos. Scribe, *promeritus exitus*, ne risum excutiamus Transinontanis. V.

VIII Per hosque dies *Aymo* Gebenensis Episcopus *Grato* Dominus Clariaci, & *Andreas* Iudex *Gareti Astensis* a Cæsare transmissi *Venetias* se transtulere. Quos *Petrus Gradonico* Dux Venetiarum cum Comitiua obuiam nauigans comiter, honorificeque admodum excepit, in Ducatum adducens. Nec ab illo, seu Venetis fidelitatis, vel obedientiæ cuiusquam fœdus petitum. Nam & maturius, cum Rex prima Italiæ ostia contigisset, Legatos illo Dux ipse direxerat cum regalibus exenniis honorificabilitudinitatis, nec obsequentiæ vllius causa, quibus etiam inhibitum pedes osculari regios. Sic aiebant indultum Venetiarum dignitati, communibus Ecclesiæ,

Ad Venetos legatio.

Ecclesiæ, Imperiique largitionibus antiquatis. Munera tamen, iuuamentaque ad coronationis progressum, galearumque corpora, seu vasa, si quidem nauigio in quoquam mari opus fuerit, quæsiisse dicti sunt. Ad quæ Dux, se tanquam amico *Henrico* Romanorum Regi captatis opportunitatibus seruitia, & honores, iuxta Primatum suorum capiunda consilia, impensurum despondit. Per triduum ergo ibidem morati Legati, cum commeatu *Venetiis* egredientes, ad ciuitatem *Taruisii* profecti sunt.

Taruisii obedientia.

IX Ad hos suscipiendos cum Illustribus Taruisinis prodiit vir egregius *Riciardus* de *Camino* iam regiæ fidelitati censu dato subnixus, quem (vt supra demonstrauimus) *Taruisii*, *Feltri*, & *Belluni* Vicarium Rex præfecerat, qui Legatis gratulabundus læta festiuaque gaudia * cum tripudiis, populique Taruisini applausibus fecit: concioneque habita ipse prior, reliquique singillatim iureiurando mandata regia obsequi firmauere. Biduoque illico persistentes sublimibus donati equis, *Paduam* pro tollendis schismatibus, scandalorumque causis, quæ vehementes inter Patauinos, & Vincentinos dissidentes diutius incendebantur, rediere.

Tolla per transitum Templariorum condemnatio.

X Inque harum procinctu rerum *Ottobonus* Aquilegiensis Patriarcha ad generale concilium vocatus a Papa, quod in subsequentibus Octobris Kal. in ciuitate Vienæ statutum erat, per Venetias Paduamque transiens Cæsarem primo visurus, Longobardiæ directum callem tenuit. Concilium quippe in eas Kalendas Papa statuerat omnibus Christicolarum euocatis Prælatis, præsertim super apostasiæ scelere, nefandique ac detestabilis idolatriæ vitii, execrabilisque facinoris Sodomorum, & abominandæ hæresis, in quibus conuicti, confessique Magistri, Præceptores, & Milites Domus Militiæ Templi Hierosolymitani, septuaginta duo circiter numero, plectendi apostolicis instabant censuris. Et, proh pudor! Quanquam ne hæc nostri thematis nefanda relatu: sed fanda quidem in similium transgressorum (quod absit) exitium, vt quæ nostra vidit ætas, cautior fiat euitare posteritas. Abominandæ feræ formam humanam indutæ fratres, imo hostes illi, crucis armati signaculo, in suæ communionis fratrum receptione cum abnegatione Christi, & spuitione super crucem, aliisque subticendis, vt verecundiæ parcatur humanæ, erroribus suis, suorumque complicium animas suas diutius desponderant Satanæ. Hi namque Franciæ † terræ Vltramarinæ, Normaniæ, Aquitaniæ & Pictauiæ prouincias hac superstitionis sorde tabefecerant. Illa (vt prædiximus) Concilium potissima aggregabatur causa, pro fidei roboratione, proque huiusmodi erroribus * elimandis, deducendisque ad tramitem veritatis. Huiusque inquisitionis, & elucidationis indaginem attributam constat conspicuo *Philippo* Regi Francorum, Christianæ fidei feruore Progenitorum suorum vestigia clara sequenti, cui horrendum illud facinus intimatum extiterat, nec * luxus, auaritiæue typo, vt nonnulli ex illorum asseruere consortio, cum nihil inde in sui proprium vindicauerit; sed ab intactis eorundem substantiis manus prorsus amouerit, sua sponte, iussuque in sacrosanctæ ecclesiæ, a qua defluxerant, patrimonium reseruandis.

* 13

* mel. eliminandis Sch.

* f. lucri Sch.

† Quænam est hæc *Francia terra vltramarina*? ego legerem, *Francia & terra vltramarina. P.*

Prodigia.

XI Grandia hæc, mirandaque, vixque crediti, antequam fierent, motus ii, qui nec cælestibus caruere prodigiis. In ipsis quidem tantorum successuum principiis de cælo apparitiones Parisiis, perque contiguas Francorum terras conspectæ sunt. Solis, & lunæ par eclipsis ex telluris vmbra per biduum. Nouum ignotumque visum sidus irradians. Lunæ imago triplex, & in æthere cycli quidam cum inclusa crucis effigie, nouæque formæ, ac variæ per aera; insuperque ex tellure aduolantes in cælum faces in partes Italiæ conflagrare; polorum axes increpantes sereno cælo auditi, veluti tonitrua edentes, absque præmicantibus fulgoribus. Sic de Gallicis enuntia-

enuntiatum est terris, repletæque Italiæ ciuitates, mundoque fama insistente patens habitum est. In colonia *Patauii*, quam *Carte* vocant, natura adeo in animante vagata est, vt equa pullulam nouipedem enixa sit. Inter Patauii, Taruisiique fines arcis *Triuillæ* palatium, opus laterum vetustissimum, in momento terræ subsedit, vt supremi tigni, domusque fastigium solo æquatum sit. Auium quoque genus ignotum per Longobardorum agros visum, deprehensumque, plumæ cineritiæ cum rubris maculis, & crista in vertice magnitudinis harum, quas *frixones* Patauini vocant. Has tamen visas *Friderici* Imperatoris tempore quidam retulere. Anni huius hiems pluuiosa crebris imbribus, niuibusque affluens. Ver alluuiosum, æstas arida, grandinosa. Vnde per omnes Pataui fines tanta sterilitas, vt vix sementes arua retulerint, adustique palmites vuis excussis futuri anni præiudicauere vindemiis per vniuersos colles Euganeos. Et si quidem a vetere maiorum more, Romanorum præcipue, quorum adhuc legum, dogmatumque institutis viuimus, ad Deorum placationem in similibus se referentium exempla traheremus, nos scilicet, qui Dei vnigeniti filii illustrati lumine, omnipotentis Patris maiestatem viuacius deprehendimus, expianda procurandaque nobis fuerunt illa votis, suppliciisque prodigia, emendandaque crassantium* mundo crimina. Nec quisquam neget, vt veluti illi Gentiles iam iratum paratumque Iouem ad fulmina, victimis persæpe placatum substitisse, vexatosque illos, quos Deos vocabant, hominum insolentiis, in eosdem insæuisse, opes euertisse, exitia mortesque intulisse, profiterentur; vti in arrogantem Niobem in Deos proferre ausam,

* f. grassantia Sch.

Maior sum, quam cui possit fortuna nocere,

*19 *Phœbi, Phœbesque parens vindictas Latona constituit. Illi super illusarum mentium nubilo, quos Deos arbitrabantur, colebant venerabanturque: Nos certum visumque negligimus, nec signa eius, cuius potentias, virtutesque palpauimus in excelsis visa formidamus. Vnde profecto nimirum*, si dispensantis Dei plagæ cælo demissæ iusta plectunt animaduersione terrigenas. Ad propositum reuertamur.

* l. mirum Sch.

Pergamensium captio.

XII In castris ad Cæsarem clandestina insinuatione delatum est e Pergamo†, per Optimatum factionem nouas res pertemptari; hostes Brixienses intrinsecos sollicitari per literas, & internuntios; sese tutari viriliter; bono animo esse; iuuamenta, præsidiaque ad eorum succursus parari, *Guidone* della *Turre* cum fidis Longobardiæ, Tusciæ, Romandiolæue partibus in vnum coire; in exercitu Cæsaris seditiones iam serpentes concitari; Pergamensium Communitatem ad rebellionem apertam iam se coaptare, munire. Cæsar in agendis impiger *Goleranum*, fratrem natu maiorem, militiæ armorumque strenuum, fortem, & quocunque se offerret necessitudo, celerem, cum militum manu* transmisit, quem formidabilem noctu tremebundi apertis portis excepere ciues. Is vero, quem diffiducia suggestarum rerum, conceptorumque facinorum vrgebat, constrictis aditibus, ne quis abire inde posset, exploranda tecta, domosque per singulos vicos instans iussit nonnullis coniectantibus, & *Guidonem* della *Turre* intra ciuitatis penetralia delitere. Ex primoribus ciuitatis duos & viginti vinctos postera die ad castrum secum adduxit, quibusdam etiam in ipsis castris existentibus in eadem vincula coniectis, quos multis quæstionibus percunctatus Rex *Veronam* custodiendos transmisit.

* videtur deesse, ille Sch.

† *Mussatus* hic & sæpe alias ponit *Pergamum* & *Pergamenses* pro *Bergamo* & *Bergomasibus*. Quod vel corrigendum vel notandum. V.

Mors Golerani, fratris Cæsaris.

XIII Sed ecce diebus his fortuiti casus deplorandus euentus, qui *Golerani* Regis fratris ad spectaculum immissi ignis per Brixianos interiores in ligneum propugnaculum, quod ad superandos vrbis muros Germani construxerant, occurrentis tragula gulam traiecit, lethaleque hoc vulnus

** mel. Veronam*

illum paucos post dies vita exuit. Cuius corpus Veronæ * delatum magnificis exequiis humatum est. Mirumque ac memorabile, quod Cæsar constanter hoc tulerit, vt nullius prorsus indaginis in illo vultus, actusque deprehensa molestia; cuius imitatione & taciturna curia tantum funus silentio dissimulatum præteriit.

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS.

LIBER IV.

Aduentus legatorum Cæsaris ad Papam, & Cardinalium a Papa legatorum ad Cæsarem.

Rubr. I. BAsiliensis *Episcopus* vnus ex regiæ curiæ Principibus *Auinionem*, vbi tunc Papalis curia residebat, transmissus a Cæsare, benigne a Papa susceptus, totum Cæsaris progressum, difficilesque vicissitudinum anfractus, pertinaciamque Brixianorum, complicumque ac fautorum seriatim dictauit; qualiter etiam ob Bononiensium, Florentinorum, Tuscorumque, eiusdem factionis, res, argumenta habebantur, statuta die *B. Mariæ* Virginis iamiam accedentis Augusti coronam præsertim in Vrbe assumi non posse, prorogandum terminum hunc, quandocunque se captaret facultas, fore. Idque non modo ipsius *Basiliensis* desiderio instantis, sed eadem optantis Papæ proniore instinctu obtentum est, decretique a latere Legati *Arnaldus* de *Frangeriis* Sabinensis Episcopus, hicque principalis ad coronam capiti Cæsaris imponendam Legatus, *Nicolaus* Hostiensis & * Velocrensis Episcopus, *Leonardus* de *Guercino* Episcopus Albanensis, *Lucas* de *Flesco*, *S. Mariæ* in via lata Diaconus Cardinalis, quos inter (vt prædiximus) constitutus, & prælatus absentis Papæ loco Sabinensis Episcopus, disceptatione in Consistorio habita, quisnam eorum ad eam dignitatem præferendus foret, allegante Hostiense, quod dum Papam coronare suum esset, sic & consequenter Imperatorem. Sabinensis ex aduerso dictitabat, certum esse, vt Imperatorum * coronationibus Sabinensis semper Papæ proximior coronam erigat, officiosior aliis illico præsertim: sicque Papa pronuntiante obtentum est, vt Sabinensis illo fungatur officio, Legatusque ceteris præsit. Iussi ergo in Italiam quam mature proficisci, illud celebre coronationis obsequium captata in eiusdem Regis optione temporis habilitate executuri, celerrime iter arripuere; duo tamen facilioribus aditibus Alpes transilientes, scilicet Sabinensis, & Albanensis, in Regis castra circiter Augusti Kal. applicuere, ibique summa recepti lætitia, Regem, Reginamque Papali benedictione consalutantes, indultum Regi annunciauere, coronationis terminum ob iustissimas caussas prorogatum ad tempus: iamque sancitum totus coronationis officium in Vrbe, & redactum in formam cum omnium præordinatione solemnium. Ipseque confidenter ad solitam virtutem exurgat, vires animumque indeficienter intendat; seque, ac Confratres alios non ad aliud præmissos, nisi, vt se adiuuent, foueant temporalibus, & spiritualibus fulcimentis, & ipse quidem tantum circumspiciat se, poscat, requisita summopere impleturos. Solliciti igitur iidem duo ad portas *Brixiæ* præmissis nunciis accedentes alloquia petunt. Ingressos Brixianus populus suis quibusque ordinibus, vocibus altis, applausibusque prosequuntur, vociferantes; *Viuat mater Ecclesia: viuat, viuat Dominus Papa, sanctique Patres Cardinales.* Itaque ad Prætorium adducti reuerentissimis inclinationibus aggregata concione frequenti eorum alter Hostiensis iusso silentio crucis signaculo, sic infit.

** mel. Veletrensis. Sch.*

* 30

O de-

O deuota semper Deo, & sacrosanctæ ecclesiæ Brixiana Communitas, qui vos ab ipsius ecclesiæ vestræ matris vera semita tam cæcus, tamque pertinax error abduxit, vt venientem in nomine Domini benedictum, eiusdem ecclesiæ filium, Henricum *Romanorum Regem Augustum, neglexeritis, vosque contra omnipotentis Dei nutum, contraque sanctissimi* Clementis *Papæ monita infelices erexeritis? Nonne scitis ipsius filii Dei vocis oraculo responsum,* Cæsaris imaginem reddendam Cæsari? *O imbecilles! o miseri! o iam humana, diuinaque censura damnati! Quænam hæc vestra cæcitas, quæue calamitas? Pergitisne alterum mundo luminare constitutum obstruere hac clausi rupe, laterumque strue, quam Deus ipse superna animaduersione, vt olim Sodomam, & Gomorram, euertet. Tollite ecce vos, infausta infidelium secta, & ad pedes benedicti Regis in ciliciis & cineribus vos sternite humiles, & peccata deflete, nosque, Dei, ac Trinitatis, nec non & Patris nostri* Clementis *Papæ sanctissimi contemplatione freti, pro vobis assistemus, vt pareat, & in vos, quamquam immeritos, regia benignitate conspiciat.*

His postquam prolatis Hostiensis assedit, assurgens venia petita *Pinus* de *Vernaciis* Cremonensis, tunc Brixianorum Præpositus, seu Potestas, vir eloquens, maturi ingenii, ætatis iam vergentis ad senium, iussus a populo sic respondisse dictus est.

Nulla creaturarum humanarum abneget tot, & tantis edocta scripturis, visibilibusque monimentis summam potestatem in terris Petro, *ecclesiæ petræ, successoribusque tributam; nec non & singularem mundi ministrum, quem Imperatorem ab ipsius officii nomine vniuersi nuncupant, diuina etiam mundo conniuentia præstantem; sed non abneget quis, in se tantum diuinam retinuisse præstantiam, vt quem iniuste iudex damnauit humanus, illa reum non habeat, quæ etiam Reges terræ fudit iniqua iudicantes, & debita animaduersione punivit. Et ignotum nostro Papæ* Clementi *dignissimo hunc immanem virum,* Augusti *nomen inductum* prorsus videmus. Hunc scilicet, qui non Imperator; sed expilator ciuitates per fines omnes destruit Lombardiæ, schismata* Friderici *suscitat, partes innouat Gelfas, Gibolengasque, in exilia Gelfos ducens; Gibellinos extollens, quod & palam notat, in Mediolano, Parma, Verona, Mantua, Teruisio, ceterisque vrbibus tyrannos effectos in perniciem populorum, miserorumque ciuium a propriis iamdudum exclusorum laribus, quorum & plerique extorres ipsos nunquam videre lares. Et ad quid aliud, nisi ad pecuniarum extorsiones sedulus intendit? quarum semper egens, atque exhaustus, subiectos populos semper sitibundus fugit. Et, ah Deus! quid in nos seuus constituit, hanc ciuitatem dedere semper volentes, vt Imperio seruiat, Vicarium accipiat, censum reddat? Certe hæc nihil reputans exitia, cruces, sanguinem nostrum petit, quo, vt immanis bellua se saturum repleat, hæc mœnia, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ stationes, diripiat. Sed vbi illa sacrorum Augustorum nostrorum prænomina* Iustus, Pius? *Quonam cessit hæc pietas? Vosque Apostolici ordinis* Petri *Confratres, attulistisne huic domui pacem, quam vobis semper suadendam, cum cælum repetiit, testatus est generis Saluator humani? Volumus, petimus, imploramus; aperite redeuntibus, si quidquam peccauimus, gremium, Antistites* nostræ fidei, nostræ spei, ne voremur, ne leo rugiens nos arripiat, animas nostras exterminet. Gregem deuium, desolatumque fouete. Si quidem hæc Dei nostri viui instinctu feceritis, creatori nostro gratias agemus, vosque & sacrosanctam venerabimur ecclesiam, matrem nostram, a qua nunquam præcordia diuertemus: sin autem; patet & nobis adhuc terrestris, demumque cælestis cibus, & refectio. Terrestris quidem ab* hinc

* C. indutum Sch.

* 21

hinc in semestre curriculum, quo absumpto, edenda nobis bruta, & singula quæque, etiam esui non accommoda: post & nati, coniuges, ceterique imbelles, quorum carnibus, cruoribusque vescemur. Et si forte hostium prædas venabimur, corpora præsertim immania Sueuorum, Wandalorum, nationisque cuiusque Germanæ, recreabimur, reficiemurque ad Christi nostri statuendum finem, cuius futurum in proximo iudicium in obstinatum, seuerumque Regem, sicut vos, & omnis caro repente viderit, expectamus.

His stupefacti Cardinales alloquiis, concione dimissa per horrea, & penus, vbi recondita grana, vina, & singula quæque victui competentia, se duci permisere, pertinacias eorum, verbaque instantia auribus percipientes, sicque male conciliati e portis digressi sunt. Cæsari audita, visaque retulere. Magnanimus autem Cæsar maledictis Brixianorum nihil permotus, multa diu in se versans, spemque vultu simulans,

Premit altum corde dolorem.

Turbatus quidem, vt se plus, quam in mentem piam veniat, oporteat in Brixianos animaduertere, in sese distinguens. Siquidem pacta compulsus ineat, Maiestatis suæ adeo remissam, debilitatamque* auctoritatem, vt superbiendum sit populis nondum parentibus, adempta præ contemptibus pœnarum formidine. Innotescebat namque illi liquido, Tusciæ, Romandiolæue † vsque pæne in vrbem populos arrectas ad hanc obsidionem aures intendere*, vt si male hinc sibi succedat, illarum eleuandas, extollendasque ad contemptus insolentiores audacias, ne dum & ipsos Longobardos, quamquam iugo summissos, tanquam in principiis desides in pœnitentiam versos, quod se subegissent, & forsan aliquando captato exemplo colla retrahere. Angebat & curam regiam ibidem, tamdiu fatigatos populos inedia, egestateque intolerabili vix castris contineri posse. Et iamiam mitescente autumnale per tempus sole, imbribusque decidentibus, quod nunc intolerabile, tunc impossibile ipsis continget populis, stationibus insidere.

* puto. *fors* Sch.

* mel. *Et si* Sch.

† Alibi appellauit *Romaniolam*, quam modo *Romandiolam*. Et pro coniunctionis particula posuit disiunctionis, *ve*, nimirum pro, *&c*. Ergo scribendum, *Romandiolæque*. V.

His circumuentus Cæsar vix cuiusquam salubris opinionis solamen sibi ipsi conformabat. At Regina grauissimis affecta doloribus, hinc cognati necem, multorumque Procerum deflebat interitus, quos tam instans bellum, quam lethalis aeris pernicies morbo consumpserat: hinc amati mariti sedulæ afflictiones, amaræque nobilissimi cordis torturæ, & anxietates. Verum vtriusque demulcebant, protelabantque successuum angustias altariorum orationes, incessabiles diuinorum celebrationes, nocturnæ orationes, & vota. Sicut quippe omnibus notum Principibus, ac populis, ab aurora Missarum instaurationes ad altam diei horam tertiam de mane perdurabant, tempestiueque vespere † in crepusculum curiam vacantem tenebant, vixque horum temporum intercapedines victui, capiundisque consiliis suppetebant. Hæc vita regia. Hæ Augustæ deliciæ.

† Contenderim, scribi debere, *vespera*, scilicet *hora* vel *preces*. Aliter vix aptam sententiam expiscabis. V.

Exennium Paduanorum Cæsari transmissum.

II In hoc pæne procinctu rerum nec hoc memorabile subticendum. Minimum namque accidens cor humanum in lætitiam nunc dilatat, nunc angit. E Patauo ante conspectum Regis octo adducti dextrarii sub rubeis phaleris tantæ proceritatis, tantæque congruentiæ, & pulchritudinis, vt vix alios totidem sub nostro climate tam integræ consistentiæ natura ediderit, omnes fere quinquennes ætate, quorum quatuor in exennium a Patauina Communitate Cæsari præsentati, duo illustri *Ameo* Sabaudiæ Comiti, reliquique duo strenuo Viro *Guidoni* Flandrensi Comiti, quos facie serena

ferena fufcepit gratulabundus Cæfar, continuoque fingillatim diuifit, donauitque Principibus, fuofque Sabaudienfis, & Flandrenfis acceptauere libentes, gratiæque actæ pretiofi muneris largitoribus Paduanis. Refectaque die illa lætitia vniuerfi exercitus ad fpectaculum concurrentis frequentia confpectu admirabili beftiarum.

Aggreffio & repulfa Germanorum a mœniis Brixiæ.

III Nec remiffus ad incumbentia Cæfaris animus aggrediendi montani caftri, quod mœniis ciuitatis contiguum eft, fortunam tentare in fequentem diem conftituit, quam primum * illucefceret. Ordinatis itaque in ipfo crepufculo centuriis peditum, militumque fuis fingulis ordinibus, totam veluti infultaturus ciuitatem, ne intrinfeci in caftri fuccurfum conuolarent, fundibularios, leuifque armaturæ pedites, quorum fere quingentos, & mille Ianuenfes direxerant, ceterofque ad expugnationem cum baliftarum, tormentorumque omnis generis * apparatibus ingeniofos ad caftri oppugnationem fero præordinat *, fummoque mane lituum, ac tubarum clamoribus vniuerfi exercitus copias mœnia circum eduxit. Perterriti tanto fremitu Brixiani, per propugnacula quæque affilientes, muros corona cinxere. Ad caftri munitionem folitas bellicoforum excubias mifere, feque ad fua quifque loca coaptauit. Affurgentes itaque Galli, Germani, Tufcorum Longobardorumque diftincti ordines cum tegmentis, ceterifque inftrumentis acceffere ad caftri foueas citeriores, excifafque rupes circumquaque. Acceffum conceffere oppidani, afperitatis loci fiduciis quamdiu clanculum obticentes, latentefque poft aggerum, vallorumque munitiones, tum demum clamor vtrinque exoritur. Hinc inde res telis, fudibufque, faxis, miffilibufque geritur; fed loci tutela fuperiores oppidanos per quam nocuos efficiebat, faxorumque copia in inferiores collapfa folo impulfu interimebat. Fit cædes, fed impatientia Germanorum, fociorumque corpora grandines, fudefque excipientia, maior. Conflictus is a prima luce in horam meridianam, fatigatis hinc inde partibus, conftitit, dum tamen defeffi ceffere Germani, fociique plurimis eorum, & præcipue leuis armaturæ Ianuenfium occifis, fauciifque. Caftrum ea die defenfum, non fine oppidanorum grauiffimis fuppliciis, & occifionibus. Confecto prœlio Rex campis difceffit, per caftra milites, populofque dimittens exprobratus ab iis, qui muros infidebant, plebeiis vlulatibus. Congratulantes ea noctis vigilia *Brixienfes* facibus gaudia multifariam expreffere. Cardinales, ne cædium infpectores adiudicentur, Cremonam fe ea die proripuere. Aft in fequentibus ad hæc diebus venerabilis *Ottobonus Placentinus* Aquilegienfis Patriarcha, qui & in iifdem caftris erat, Cæfaris obtenta ægre licentia, ingreffus in *Brixiam* multa diu intrinfecos percunctatus, vt fe in manfueti, iuftique Principis manus dedant, nec crimina augeant, hortatus eft, fe prorfus pro eorum falute interceffurum defpondens; fed nequidquam tempus triuit. Hæc inter varia Cæfar animo conftantiori, accitis ad concilium curiæ Principibus, quæfiuit, quidnam agendum inftaret ad hos exterminandos Brixienfes, totius mundi expectationes morantes. Plerifque igitur confilia fuper propofitis exprimentibus, fcifcitatifque confultatioribus eloquiis edictum eft, ne tantarum rerum progreffum differat ciuitatis huius obftaculum; *Ameus*, Comes Sabaudiæ, prouinciæ Longobardiæ Comes, mille quingentis fibi deputatis iam ante militibus, additifque eis peditum tredecim millibus & balifteriorum duobus millibus per Longobardiæ Communitates, conferente ad hunc numerum Taruifina Marchia pro facultate debitam portionem, huic expeditioni præfit, quem numerum fuffecturum conftabat ad coercitionem, oppreffionemque Brixienfis pertinaciæ. Hoc edictum exiit ab *Henrico* Cæfare per vniuerfas, & fingulas Lombardiæ, ac Marchiæ Taruifinæ ciuitates, vtque fingulæ fingulos mittant ad huius rei æquandam collationem.

* f. quum primum Sch.

* ego legerem, machigenis P.

* 22

Præfectus Paduanis Vicarius.

IV In hos dies IV Kal. Oct. ex quatuor nominatis a Paduanis ex indultorum refcriptorum tenore Cæfar vnum præfecit in Vicarium *Gerar-*

dum de *Henzola* Parmensem, qui statuta die Paduam ingrediens, susceptus est. Ex insueta tamen translatione agnominis Potestatis in Vicarium Imperatoris, aliisque iuramenti solemnibus, antiquam formam in plerisque immutantibus, fluctuauere animi populares, infremuereque hæsitantes paulatim, neque tamen reconciliati, Primorum, Nobiliorumque communibus assensibus sic oportere asserentium, & ipsi obsequentes acquieuere. Aderat & ibi venerabilis *Aymo* Gebenensis Episcopus, Regis Princeps, & Secretarius, totus beneuolentiæ Paduanorum deditus, transmissus a Cæsare ad statum ciuitatis conformandum honori regio, pacique communi, qui & illos ad semitas dirigebat strenuo animo ad amorem Regis capessendum sese vniendos absque dissidiis, tollebatque causas regio iussu, ne Paduani, Vicentinique insimul colliderent alternis zizaniis, insistens, vt prædia Paduanorum, inter fines consistentia Vicentinorum, iuxta regia edicta Paduanis restituerentur cum literis ad hæc, rescriptisque regiis; vtque *Bachilionis* fluentum a Vicentinis obstrusum deflueret per Patauorum alueos antiquo more. Is quippe Gebenensis mansuetudine multa, vt cuiusque generis homines, sic & Paduanos ad suos, Regisque amores alliciebat. Vir hilaris faciei, verborum cuique gratissimorum, & effector studiosus eorum, quæ spondebat, laudem multam emeruit in his commerciis, memoriæ æternæ Paduanis commendandam. Rebus autem inter Paduanos, & Vicentinos in dissidium omnino vergentibus, *Albertinum Mussatum* a Paduana ciuitate legatum ad curiam regiam secum duxit, Regique præsentem commendauit, de Paduanorum mansuetudinibus, ac fidelitatibus se testem adhibens: sed hoc imperfecto negotio morbo * correptus, salutis nanciscendæ causa de castris delatus, vt in Gebenam transferretur, apud *Iporegiam* vita defecit. * 13

Pestilentia-lis epidimia.

V Sed hic instat memoranda e summo cælo demissa pestis, exemplo carens ab omni rerum memoria, seu irati Dei plaga in emeritum genus humanum ex iudicio addicta fuerit, seu causantibus equorum a primordio cadaueribus extra statiuas castrorum Cæsaris abiectis, quorum putredines tunc despissatum imbribus aerem instanti solis adustione (vt in autumnali assolet tempore) tabefecerant, in corpora humana defluxit epidimia, ad cordiales radices penetrans, tamque lethales morbos inferens, vt infectis nulla salutis remedia comperirentur. Hæcque serpsit tam breui corruptio, vt omnes in castris interirent. Hæc interruptio * Gallos, Germanosque sine fine assumpsit, quos etiam ad has impressiones immoderata ciborum disponebat ingluuies. Cecidere ex Ducibus Germanorum, Gallorumque quatuor millia & LXX, vt in conscriptorum registro compertum est; militum hastatorum septem millia septingenti; e plebe numerus infinitus, nec sacris locus sepulturis, vllarumque exequiarum fiendarum commoditas. Cum noctu magna cadauerum pars in agrorum secessus extra castra traherentur, quæ agrestibus belluis exposita relinquebantur. Pars in ipsis castris per foueas, quæ agros Brixianorum disterminant, sternebantur supertractis riparum crepidinibus de die in diem, dum solo æquarentur. Nonnulli miserabiliter sociorum corpora humo sepelientes, & ipsi postea insepulti per agros occumbebant. Nec huius perniciei inexpertes Longobardi, quamquam illis continentioris vitæ temperantia conferret. Multi Nobilium e castris fugientes, dum versus propria lecticis veherentur, in ipsis defecere meatibus, paucis euadentibus, vt Duce *Leopoldo* Austriæ, qui Venetias delatus, per Illyricos sinus transiens, in Alemanniam deductus est. Defluxit & pestis hæc intra Brixianorum mœnia, assumpsitque omnis ætatis, & sexus mortales; sed eos præcipue, quos rerum penuria, instansque fames affecerat. Quique supererant, ante oculos instantis mortis imaginibus terrebantur. Deficientibus namque locis sacris, quæ cœmeteria vocant, in publicis viis corpora sepeliebantur, sicque extra, & citra mœnia ciuitatis vbique fletus, & dolor: mœror siquidem superstitibus morientium, vrgensque * capitalis belli sæuitia,

* f. interruptio. Sch.

* f. ingruens. Sch.

tia, cum pæne omni die homicidia, vulnera, rapinæ, & cetera hostilia vndique circa mœnia committerentur.

VI His in angustiis circumuenti Principis, intrinsecorumque Brixiensium necessitudines aspiciens vir nobilissimi generis, *Lucas* de *Flesco*, Ianuensis, Ecclesiæ sanctæ Cardinalis, cuius supra mentio facta est, inter Italicos dilectissimus, eximiæ auctoritatis, seu conniuente, seu non contradicente Cæsare, in *Brixiam* ingressus, factum suscepit, vt arbitror, consummandum, allexitque Brixienses suis stare iussionibus ad ipsius eiusdem libitum. Qui tandem vitas rogantes, ac ciuitatis non delendæ remedia cum suorum statuum quietudinibus assensere. Is egrediens Regi suasit, iam quasi defectam obsidionem tolli, afflictorum intrinsecorum misereri, coronæ suscipiendæ tempus instare, nec vlterius differri oportere. Rex Principum consilio* promotus Cardinali assensit, nihil omnino in publicum paciscens, vel spondens, nisi Cardinali complaciturum in his, quæ Maiestati Regiæ congruentia fuerint, in sui tamen libitum; quamquam & aliter diuulgatum per plurimos extiterit. Sed hæc populis prorsus ignota fuere, qui dicerent, in secretis pacta percussa, vt scilicet mœnia starent ea parte dumtaxat aperienda, diruendaque, cuius in propugnaculis quidam ex Teutonicis mortes suspendiis perpessi fuerant, nec ea tractus balistæ metam excedebant; quosdam ex primoribus, seu insignibus secum ducendos: nullos bonis, nec ciuilitate priuandos. Hæc ex post facto per multos ex Curialibus negata, verumque hoc repertum est, Cardinalem conquestum nonnullis, Regem non in totum obtemperasse pollicitis. Hæc eadem Brixienses deplorabant, non de Rege; sed de Cardinali querelas priuatim effundentes. Consummato itaque tractatu, *Ameo* Comiti Sabaudiæ, *G.* Flandrensi, ceterisque Regis Principibus portæ aperiuntur, ingressique omnes, qui in castris cum Cæsare remanserant. Multi enim Longobardorum iam penuriis, ac valetudinibus propellentibus castra reliquerant. Cæsar autem ex Maiestatis ac magnificentiæ suæ sublimatu non nisi apertis ruina muris cum Regina intra mœnia ingressus est, subsequentibus Brixiensibus, qui pulsi ante fuerant, cum oliuarum ramis sub applausibus, & vocibus regiæ victoriæ, tuncque continuo mœnia circumdata populis demolienda dimisit, inque foueas fragmenta trahi.

Defectio Brixiæ ad Cæsarem.

* *l. permotus*

VII At ibi paucos moratus dies, consilio expediendorum Longobardiæ negotiorum, vt ad coronam maturius pergeret, emisso per subiectas ciuitates edicto, vt se ex vnaquaque * delecti tres aut quatuor ex industrioribus sequerentur, secum septuaginta ex intrinsecis *Brixiæ* dumtaxat, *Papiæ* Concilium in certam diem statuens, vbi præfatos adesse iussit, *Cremonam* perrexit.

Digressio Cæsaris versus Lombardiæ fines.

* 24

VIII *Cremonæ*que ferme biduo residens, literas citandorum Longobardiæ Primorum per subditas ciuitates direxit, vt se ad coronationem sequerentur, nominatis in literis singulis his, quos secum adesse in coronatione volebat. Deinde Cremonæ res, vtcunque tam breui valuit, pro temporis opportunitate composuit, inter quæ & Reginæ supplicationibus, permotæ mulierum pie conclamantium deplorationibus, vinctos, qui in municipiis *Rimenengi*, *castri Leonis*, & ceteris tenebantur, relaxari pronuntiauit, discedensque infecto negotio ex subito ortis inter Cremonenses dissensionibus *Placentiam* versus gressus direxit, vinctis in carceribus derelictis.

Acta Cremonæ.

IX Placentini obuiam prodeuntes ad millia passuum circiter duo extra mœnia, procidentes ad pedum oscula, claues obtulere, se suaque omnia iussui suo despondentes, *Albertum Scotum* de proceruia, tyrannideque in se, & suam patriam inique diu patratis accusantes, nec vllam futuram quietem, ipso in ciuitate persistente, asseuerantes. Cæsar ingrediens ciuium opiniones scrutatus, maioris dissensionis excitandæ occasiones videns,

Acta Placentiæ.

videns, resque fore non sic repente tractabiles, si super ipsis discutiendis institisset, Vicario instituto *Petro* de *Mesa* Veronense discessit. *Albertus* vero *Scotus* Regem sub spe introductionis suæ in *Placentiam* ad metas, seu fines districtus Placentini secutus, intentione sua collusus, per amicorum, fideliumque sibi castella discurrens, ciuitati paulo post bellum mouit.

Concilium Papiæ.

* lego Cherii P.

X Digressus a *Placentia* Cæsar *Papiam* applicuit, vbi & concilii causa Longobardorum Legatos iam ibidem pro die statuta inuenit, absentes per dies pæne septem præstolatus. Fuere ibidem *Gherii* * Legati, *Iporegiæ*, *Nouariæ*, *Vercellarum*, *Cumarum*, *Mediolani*, *Papiæ*, *Pergami*, *Placentiæ*, *Brixiæ*, *Mutinæ*, *Regii*, *Parmæ*, *Cremonæ*, *Laudi*, *Mantuæ*, *Veronæ*, *Vicentiæ*. Iussi citatique legati in Prætorio conuenientes regio, ante tribunal considentes, vocatique singillatim ad auditoriam, attenti stetere obticentes. Assurgens igitur *Ioannes* de *Cancellariis*, Ianuensis, Iudex Palatii Regis, Cæsare permittente concionatus est.

Regem pro Longobardia pacanda, componendaque ad vias pacis multa perpessum: nec tantum consiliis, studiisque inuigilasse, sed & armis decertasse, omneque suum, & suorum ingenium, ac vires intendisse: verum odia ciuilia, partiumque veterum factiones non adeò extirpare valuisse, vt plura non restent solemnibus loco suo & tempore componenda remediis. Instare tamen tempus profectionis in Tusciam, expectantesque alias maris & terræ nationes Italicas adire, visitare, coronationem a Papa decretam perficere. Ad hæc consilio opus esse fidelium præsentium, quod vnicuique pro singula Communitate in scriptis edere fas sit. Eritque cuiusque secreto maturius sibi perspiciendum, effectuique mandandum Principum, consiliariorumque sententiis.*

* f. perficiendum Sch.

His propositis exhortati Legati ab Hostiensi Cardinali iuxta Regem assidente, cuius & facta* fuit oratio, termino ad hoc triduano dato dimissi recessere* Legati. Adueniente autem die conuentus idem habitus est consiliis sub sigillis Cancellario datis, nec Paduanorum Legatis, quorum animos patria fouebat, extollebatque libertas, curæ fuit pro cuiuspiam libitu, seu forsan impensa aliud Regi consulere, quam si pacatam dissidiis prouinciam linquere velit; vrbium sedibus tyrannos deponat; extorres earum in lares proprios restituat; ex alienigenis probatæ fidei viros in eis præficiat, iustis legibus, consuetudinibusque populos viuere sinat. Hæc inclyto Regi, & pio expedire, sicque prospere omnia cedere. Sin autem, ex nunc, cum absens hinc fuerit, auditurum se nouerit ciuitates cum ciuitatibus, municipia cum municipiis, viros cum viris ad oppressiones, occisiones, prædas, incendia, & hostilia quæque exitia procursuros; vnde & noua veteribus cumulanda odia, interioraque scelera patranda*, ipsumque Regem, quem partiarium ex primis pollicitationum præconiis se mundo prædicari fecerat, flagellum diuinitus emissum verbis satis communis promulgata sit assertio*, vtque concessa sigillo regio Paduanis sponte & libere priuilegia, super fundis & aquis restituendis, quæ in dies dilata executione protrahebat, obnixe seruanda iuberet; his exemplis allici subiectos ad venerationes, ad cultum regiæ Maiestatis. Iterum ergo ad tribunal loco, quo & nudius tertius consederat Cæsar, alto astitit solio, iussitque per Oratorem eundem *Ioannem* Ianuensem enunciari. *Se fidelissimis subiectorum* ibi præsentium gauisum admodum consiliis, ex quibus se ab iisdem dilectum agnoscebat. Hæc cordi sibi fore, & semper inter singulares commemoranda lætitias: grates agere de tantis affectibus. Super his autem, quæ in Longobardia agenda incumbebant, quamquam ardua, & peropportuna, tempus nunc non accommodari ex ingruentis motus sui necessitudine. Verum permittente quam*

* malim, facta P.
* delerem, legati Sch.

* 25

quam primum poterit tempore, se reformando statui operam dare cum omni efficacia.

* Qui sententiam aliquam ex his verbis extorquere potest, idem & clauam ex manibus Herculis extorserit. Corrigendus igitur omnino hic locus, ita fortasse; *ipsumque Regem, quem minime partiarium ex primis pollicitationum praeconiis praedicari fecerat, flagellum diuinitus emissum verbis satis communibus promulganda sit assertio.* Atque hic interpungendum. V.

Hoc responso sic promulgato, dum Regem illico ad discessum paratum quisque praesentiret, exules, qui contradictionibus, ac potentiis aduersariorum restituti non fuerant, in spem tamen hucusque deducti, ante tribunal procidentes vociferationibus multis lamentabantur, inter quos memorabiles *Manfredus* de *Beccaria* Papiensis, *A.* de *Fisiraga* Laudensis, *G.* de *Rubeis* Parmensis, multique inferioris ordinis erant, quorum strepitus aures non modo Caesaris, sed & assistentium offendebant.

XI Dumque horum multis affabiliter, & benigno, ac mansueto respondisset alloquio, ex auditorio tandem sese surripuit. Hora quoque ferme nona epulatus de *Papia* exiens *Terdonam* versus iter arripuit. *A.* vero de *Fisiraga* gressus eius *Terdonam* usque secutus spe vana sui intentus in derelictum omissa, in reditu versus Papiam ab ruralibus *Vogariae*, coloniae Papiensis, *Manfredi* de *Beccaria* partes tenentibus circumuentus, ac detentus est, ibique in vincula coniectus, sic ferente infortunio stetit infeliciter.

Transitus per Terdonam, Ianuam versus.

ALBERTINI MUSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER V.

Rubr. I Dimissa in his amfractibus Longobardia, nulla inde mora Caesar *Gabii* colles exuperans in *Ianuam* descendit. Abbas scilicet plebeius vir, more patriae populi Praefectus, cum Potestate, ac primoribus ciuitatis, plebeque tota obuiam procedentes, millibus ferme quinque inductis * similis amictus ornatu, introeuntem supremis excepere gaudiis, nitente purpura supertectum, Regina pari honore subsequente, qui in Episcopali palatio a communitate locatus subsedit. Ciuitas haec, partium Gelfae ac Gibolengae ignita schismatibus, diuque variis agitata fortunis *, nunc sub parte Gibolenga, seu Imperiali (idem enim sonant vocabula) consistebat, Gelfis quamquam pluribus, ac ditioribus succumbentibus, seu segnitie, seu sic rerum occurrentibus successibus. Huius principantis Imperialis partis prosapiarum duarum factiosi principes erant, *Auriae* scilicet, & *Spinolae*. Ex *Auriis* maior *Barnabas*, ex *Spinolis*, *Opicinus*. Horum duorum de pari contentio Remp. in dissidium, ac praecipitium traxerat. Nam plebis Principatum obtinentem *Opicinum Barnabas*, Gelforum admisso subsidio, e ciuitate deiecerat, populique maioris, cui *Opicinus* exosus erat, suffultus obsequiis, regimini gubernaculisque ciuitatis praeerat. Quocirca vsque in Astensem ciuitatem venienti Regi *Opicinus* occurrerat, spemque ab eo in patriam redeundi exauditus acceperat. Accensae igitur odiis partes, Caesaris aures alternis allocutionibus, clandestinisque susurris inquietabant. Altera scilicet, quae *Barnabae*, *Opicinum* * vrbem per tyrannidem diu oppressisset, qua intolerabilis depositus fuisset, quodque colonias, appendiciaque vrbis, tamquam hostis, viribus Regis *Caroli*, seu & *Roberti*, primogeniti eius, conquisitis concremauerit, paeneque & vrbi excidio fuerit, incusante: ex his offensam Remp. populum, plebemque, & quod execrabilius est, ipsam Maiestatem Caesaream, habita in socias partes Regis *Caroli*, & suorum amicitia. Deferebatur & Montisferrati Marchio, *Opicini* gener, quod suis

Ianuensium status, partium dissensio, & reconciliatio.

* pro, indutis Sch.

* f. tunc Sch.

* leg. f. quod vrbem Sch.

suis subsidiis socerum in Ianuæ perniciem fouisset. E contra ***Opicinus***, & sui, ***Conradi*** de ***Auria***, & ***Barnabæ*** cum Gelfis consortium parti Gibolengæ, seu Imperiali peruium *, noxiumque criminabantur, quodque eum, suosque extorres fecissent propriæ patriæ, Gelforum scilicet, ***Fliscatorum*** *, ***Grimaldorum***, ***Saluaticorum*** (hæc enim erant aliorum optimatum agnomina) freti suffragiis, plebemque Ianuensem adeo in seruitutem redactam, vt turpi terra, marique seruitio premeretur, nullis patriæ, vt moris ante fuerat, suffulta fauoribus. Cæsar his, aliisque molestatus progressum vltra Ianuam, quem maturiorem conceperat, distulit pro his sedandis, & si non in vnionem, saltem per dilationem in quandam veluti temporaneam quietudinem, reducendis. In harum rerum primordio regimen, gubernationemque ciuitatis Potestate, qui ei de more præerat, amoto, suscepit, Abbati dimisso tantum vocabulo satellites abstulit, Vicarium constituit. Ad sexaginta millium florenorum contributionem populum, & commune coegit, sibique iurisdicendi, mulctandi, damnandi, absoluendi autoritatem omnem retinuit. Verum ciuium odiis remedia perquirere studiis solers intendit, nunc ***Aurias*** nunc ***Spinolas*** singillatim alternis percunctatus vicibus, Comite Sabaudiæ, viro summæ virtutis, ac prouidentiæ, iuuante, quibus & ***Hostiensis*** Cardinalis magno adiumento erat, in quo omnis spes eorum, qui Gibolengi erant, consistebat. Nam & ipse omnium eiusdem factionis princeps habebatur, Tuscorum præcipue. Ipse quidem ***Pratensis*** erat, pagi iuxta ***Florentiam*** vrbem, plebeio genere, magnæ virtutis, ac sapientiæ vir. Eius consilio omnia fere pertractabantur. Horum demum assiduis collocutionibus ad conuentiones, certaque pacis fœdera partes inductæ sunt, Rege Reip. honores, cæteraque munera communia inter ipsas compartiente.

* f. perniciosum. V.

* 26

Noua Regi delata de motibus Longobardiæ.

II Interea dum de Longobardiæ partibus fama prius increbuisset, deinde Regi verum nuntiatum est, ***Gibertum*** de ***Corrigia*** Parmensem cum Tuscis, ac Longobardis coniurasse, nouaque sponsalia inter ***Guidonem*** della ***Turre***, & ***Philippum*** Comitem *de* Langusco celebrata, ***Marchiones*** de ***Caualcabo*** cum Tuscorum, Bononiensium, ac Longobardorum cohortibus, fauente ***Giberto*** prædicto, iam bellum Vicario, ac Cremonensibus intrinsecis intulisse. In ***Placentia***que res nouas contra Regem attentari, ad cuius Cremonæ subsidium ***Galaaz***, primogenitus ***Maphei*** Vicecomitis, Vicarii Mediolanensis, subito conuolasse *. Quodque intra ***Brixiam*** seditio clandestina aduersus ***Mazios*** in ipso vrbis sinu oriretur: quodque huic seditioni ***Mazii*** sibi prouidissent, introducto in ciuitate præsidio, quod ***Pergami*** erat, cum Vicario Pergamense, & coniurationis principibus pluribus necatis, ex vrbe omnes plebeios suæ factionis expulissent. Itemque, quod iisdem diebus Marchiones iam dicti, ***Giberto*** prædicto suffulti, cum exterioribus ***Cremonæ*** de castro ***Casalis Maioris*** egressi, in quo pluribus diebus cum suis se collegerant, bellum acre ciuitati intulissent, in ciuitatem ingredientes victis, fugatisque ***Gofredo*** de ***Vercellensibus***, Pistoriense Vicario, ac ***Galaaz*** prædicto, nonnullisque occisis, & captis ciuitatem obtinuissent. In ***Hast***, ***Vercellis***, ceterisque Longobardiæ ciuitatibus partis Guelfæ factiosos elatos in Gibolengos insæuire, & ***Philippum*** Sabaudiensem, Lacedæmoniæ Principem, ***Papiæ*** Vicarium, fauorabiliorem eorum ausibus fore, ***Philippone*** præfato ***Comite*** de ***Langusco*** suadente, ac suggerente. ***Albuinum*** quoque della ***Scala*** morbo, quem in castris Brixiæ nactus fuerat, decessisse Veronæ †, cuius funeris causa ***Canem*** ***Grandem***, eius fratrem, qui Regem apud Ianuam comitabatur, oportuit * Veronam proficisci celerius †, ne quid sinistri eidem euenturum fuisset exoso populis, ac primoribus Guelfæ partis, ac præcipue ex concepto odio Paduanis.

* mel. conuolarit Sch.

* mel. oportuerit Sch.

† Si pro, *oportuit*, legamus, *oportuerit*, videbitur hoc pendere a verbo, *nuntiatum est*, quod Zeugmæ huius a superiori caput est: Ea sententia, vt nuntiatum fuerit Cæsari, Canem profectum esse Veronam. Id quod concipi non potest, cum ille Regem comitaretur. Retinerem igitur, *oportuit*, salua tamen doctissimi Glotlographi, quicunque ille sit, reuerentia. V.

III His

III His Longobardiæ tumultibus Cæſar, quamquam ſatis attonitus, regio, ac imperioſo animo circa contingentia minime remiſſus, *Guarnerium* de * *Oembore* Militem ſtrenuum, prouinciæ Longobardiæ Præſidem, omniumque bellorum in eadem prouincia exorientium conſtituit, expediteque cum ea, qua valuit, militum Gallorum ſeu Germanorum hala, illorſum tranſmiſit. Is *Placentiam* prius petens, iamiam de ſubcreſcente in ea rebellione ſuſpectam, a ciuibus ante ingreſſum facultatem intrandi cum centum dumtaxat viris habuit, optione ſibi ad hoc conditionaliter data, nec aliter ſibi intrandum fore. Viderant enim, vt aiebant, a quibuſcunque Regis Vicariis Gelſos opprimi, & Gibolengos extolli; huius ſchiſmatis omnino patientes eſſe nolle, ne violari poſſent, hanc partem elegiſſe, communiter viuere, Vicario parere. Conditionibus his moleſtus *Guarnerius* hac veluti repulſa abſceſſit ad Regem ſe conferens.

Conſtituit Præſidem in Longobardia. * *l. Oenbore ſ. Hohenberg.*

IV Per eoſdem dies natura corruptibilis, nullum paſſa humani ingenii, ſeu ſpeculationis effugium, in ſereniſſimam, ac clementiſſimam *Margaritam* Auguſtam ſuæ oſtendit perpetuæ alterationis officium. Nam ſex ferme dierum ſpatio aeris peſtilentia apud Brixiam, vt aſſeruere Phyſicorum optimi, cordialiter infecta, quamquam tandiu ſub * latente ſerpigine (proh dolor) vita ſubtracta eſt apud Ianuam in palatio hæredum *Benedicti Zachariæ* in vrbis appendiciis, vbi *Beſagnum* dicunt, ad partem orientalem iuxta mare. Cuius corpus more regio purpura inductum *, cum aurea corona capiti ſuperpoſita, ad Fratrum Minorum cœnobium ſub frequentia mirabili delatum eſt, ibique cum exequiarum, cærimoniarumque ſolemnibus in choro eccleſiæ iuxta altare depoſitum in ſarcophago plumbeo, non tamen lapidibus, auroque * ſtabili concluſum, cum & inde in tempore tolli, & in Alemanniam deferri debere putaretur, ſicque fama prædicaret. Huius inſignis memoriæ dies feſtus erat beatiſſimæ *Luciæ* Virginis anni Domini noſtri vndecimi trecenteſimi milleſimi. Mortem eius ſtrenue ferens inclitus Rex, nullam in patulo effudit lacrimam, licet ante huius coniugii copulam iugales reperiſſe * duos amoris inuicem tam ſupremi nec creditum, nec relatum.

Mors Imperatricis. * 27 * *pro, indutum, vt alibi. Sch.* * *l. marmoreque P.* * *reperias V.*

V Ad Regem viſendum in *Ianua* ſic obuerſantem venere Piſanorum primores Legati ad quatuor & viginti numero, præpoſito ac duce *Facio* Comite, nato olim *Gherardi* Comitis Piſani, illius videlicet (quamquam & rei horribilis antiqua, nondum tamen deleta memoria) qui capitali, ac pari morte cum *Corradino* de *Stoph*, Alemannorum Rege, campeſtri bello victus, & adiudicatus a *Carolo*, tunc Hieruſalem, & Siciliæ Rege, occubuerat. Ii ad pedes ſtrati Cæſaris, oculis madidis ex viſuali exultatione conſpectus Cæſareæ Maieſtatis, quam expectatam, deſideratamque diutius dictitabant, pergraues, ac prolixos exigentibus rerum materiis expoſuere ſermones.

Legatio Piſanorum.

Mundo videlicet, hoc luminare obſtruſo, genere humano in calamitatibus occumbente, nunc Deo reminiſcente prouiſum, ad populorum oppreſſorum, Imperialis culminis lucem affectantium, conſolationem, iniquarumque gentium contuſioni, ac dignæ propulſationi, perquam neceſſarium, ad quorum conſequentias mundus ſe offert volente Deo; ad ſe veniat, orantes, vti ad domum, & thalamum Regium, in quo omnis tutela, ſingulariſque fidelitas: omnia ſua eſſe: ibi habile ad ceteros progreſſus receptaculum: nihil inde terraue mariue obſtare ad vrbis Romæ acceſſum, cum fidelium comitiua ibidem aggreganda: copias ſuas ibi contrahi, ad quas fouendas omnes ſuppetebant apparatus, offerebantque tentorii ſuper admirabilis exennium decem millium capacis militum cum ſtatiuis: tempus adueniſſe iuſtitiæ, tempus vltionis in deteſtabiles Imperii contemptores, tempus reſtituendorum larium exulibus, tempus alacritatis, & quietis his, qui ſacrum, & venerabile contemplantur Imperium.

 Ad

Ad quos Cæsar humano, ac mansueto, breuique (vt moris sui erat) eloquio respondit, se eorum visione lætari, multumque cordi applicuisse relata. Sui aliorumque fidelium venisse caussa, ad quos confouendos tanto insudabat labori, quanto fragili, ac mortali corpori perpeti possibile sit: Vniuersos Christicolas sibi cordi esse in pace, quatenus poterit, componendos. Hoc refocillati responso in curia residentes galeas quatuor, ac vasa, onerariasque naues cum armamentis, apparatibusque tenuere magnis impensis in portu Ianuensi.

Legatio Roberti Regis Apuliæ.

VI Interea ex Apulia ***Riciardus Gambatesa***, ***Roberti*** Regis Apuliæ Secretarius, Ianuam venit, altero dumtaxat socio, qui magno introductus Principum amplexu in colloquiis cum Rege diutius erat. Arcana tamen huiuscemodi tractatus ignota prorsus erant populis; verum ex susurris, ac coniecturis, & diuersorum arbitrationibus vulgabatur, de sponsalibus agi inter ipsum Regem, Regisque filias cum Rege ***Roberto***, fratribus, ac nepotibus hinc inde: plerasque tamen conditiones vtrobique tantarum rerum impedire processus, puta, pro parte Regis ***Roberti*** Senatoriam, Vicariatumque Tusciæ in alterum ex fratribus peti: ex aduerso hoc Regem impertiri æquum non fore, fidelibus suis & Imperii consequenter in exiliis permansuris, quorum præcipue causa in Italiam venerat, ipsis reuera promotoribus, vixque possibile fore, odiis sic intensis, partium adeo incensarum remedia quæri. Dumque de his in curia regia ageretur, & ecce ab nunciis ex Vrbe venientibus ad ***Stephanum*** de ***Columna***, qui forte tunc in ipsa curia compertus est, exauditum est nouum, ***Ioannem*** Regis ***Roberti*** fratrem in Vrbem cum magna armatorum manu aduentasse, vt scilicet præoccupata senatoria sede, Vrbeque tota Regi prohiberet ingressum. Sed hoc quidem, dum clarius innotuit, per quosdam in bonum præsumptum, vulgatumque est, vt scilicet Regi beneuolentiæ, honorificentiæque causa obuiam venerit, putans illum ad Vrbem aduenisse maturius. Sed his diu murmuratis *, & pro libitu proferentium, vt sæpe solet, varie propalatis, periit illius obsequentiæ seu beneuolentiæ & factum, & fama. Nam ipsa * rebellionis causa venerat, per ipsos actus ostensæ. Opitulabantur & ipsi ***Ioanni*** omnibus, * quibus poterant fulcimentis, ***Vrsinorum*** alta, potensque progenies, siue ***Columnensium*** odiis, quorum ductu * res agi ferebatur ad Vrbem, siue etiam Gelfæ partis amore, quam pro posse coaluerant, fouerantque. His in curia sic enunciatis, ***Riciardus Gambatesa*** vna dierum absque Regis scientia quadriremi sibi parata in crepusculo e portu Ianuæ exiens in Apuliam rediit.

** Plane barbarum V.*
** L. ipse. V.*
** 28*
** l. Rex Sch.*

Legatio Cæsaris ad vrbem.

VII Cæsar sollicitus ***Ludouicum*** de ***Sabaudia***, virum illustrem, qui & anno instanti Senator Vrbis vocatus a Romanis fuerat, ad Vrbem quacunque via in galeam paratam iussit accedere, qui tempestate maris per plures ***Pisis*** remoratus dies, tandem tranquillo captato tempore in maritimas terras descendit, ibique in oppidis Comitis ***S. Floræ*** se recolligens, pluribus diebus tandem ex acceptione, ductuque Columnensium ad Vrbem permeans, in Lateranum conscendit. Deinde ***Stephanum*** de ***Columna*** fautorum cum suis propere summisit. Partes itaque Romæ per suos quæque vicos munitionibus, propugnaculis, ceterisque ad bella, oppugnationesque necessariis præparauere. Fama tamen per Italiæ ciuitates increbrescebat, populum Romanum, præsertimque plebem commodis suarum rerum Regem exoptare. Hoc Romæ dissidium gentes Italicas, Gallicasque, & vndecunque Imperii nomen agnoscitur, in varias spes erexit.

Legatio Regis Siciliæ ad vrbem.

VIII Per hasque dies vir nobilis, ***Galuagnus Lancea***, ***Friderici*** Siciliæ Regis Consiliarius, & Admiratus cum Legatorum cœtu in duabus galeis portum Ianuæ applicuit, missus a ***Friderico*** præfato, ibique comiter susceptus a Cæsare, consalutauit eundem sui Regis iussione, tabulaque argentea magni ponderis, aliisque regalibus exenniis donauit. Ad quæ autem cetera venerit per curiam, forte paucis ex Regis Secretariis consciis, ignora-

ignoratum est; multa tamen narrata per pulpita & plateas. Quidam vt quæsitum venissent Regi Siciliæ titulum, vtque statum, conditionesque Regis Romanorum sciscitarentur, quibus in iuribus* consisteret. Quidam, vt vtrinque fœdera colligarentur aduersus Reges Franciæ, & Apuliæ; sed horum opinio subito euanuit, *Galuagnus*que cum Regis assensu, scientiaque suas post paucos dies ingressus galeas, in Siciliam reuertus est.

* L. viribus. V.

IX Cæsare sic *Ianuam* obtinente, curiamque ibidem tenente, Florentinorum Communitas cum sociis vniuersitatibus, Tusciæ scilicet, *Senarum*, *Perusii*, Ciuitatis *Castelli*, *Lucæ*, aliorumque locorum, adiuncta eis partis Gelfæ *Bononia*, *Dego* Marescalcum Regis *Roberti* cum mercenariis militibus quadringentis seu circiter, ad terram *Sarzani* in Lucensium finibus cum regiis, partisque Gelfæ insignibus transmisere, ne inde Romanorum Regi transitus pateret, iuramentis inuicem firmatis, se sibi inuicem non defecturos ad *Henrici* de *Lucembore*, Gibolengorumque necem. His circumuentus Cæsar animo constantiori Principum suorum, scilicet *Amei* Comitis *Sabaudiæ*, *Roberti* Flandrensis Comitis, *Treuerienfis* Archiepiscopi, fratris eius, Episcopi *Tridentini* Cancellarii, Episcopi *Leodienfis*, *Henrici* de Flandria Marescalchi (hi enim ex cunctis sibi supererant) consilio suffragiisque adiutus, Cardinalium, & præcipue *Hostienfis* (*Albanenfis* namque iam apud *Lucam* morbo migrauerat) sese quibus poterat exhortationibus contuebatur. Verum tantum Ianuenses sexaginta millium florenorum auri collectione prægrauauerat, vt iam nulla sibi spes exactionis ab eis foret, sic sicque repente ingruentibus sui, & suorum impensis, cœperant non suppetere facultates, vnde egens, atque exhaustus suis stipendia differens, in vanas, fallibilesque spes tenuerat anxius, & impotens; ærisque iam alieni necessitatibus sui a Ianuensibus impetebantur, querela clamosa in aures eius non modo absentis, sed præsentis infusa. Ex quibus odiorum subiit in ipsum Regem conceptio plebis vniuersæ, ac populi Ianuensis. Subortæ & vehementes scandalorum causæ sunt. Communes enim querimoniæ per ciuitatem vniuersam iam effundere palam audentium frequentabantur. *Ianuam*, liberam ab omni sæculo ciuitatem, quæ *Friderici* de *Stoph* dominium spreuerat, ipsumque viribus contuderat, nunc cæco lumine colla iugo summisisse, nullo bello, nulla tutela, nunc deformem esse, suis carere ordinibus, legibus municipalibus, ac plebiscitis rescissis, & coactis; populum, plebemque obcæcandos fore, quod se sic vinctos præbuere, vt seruos, mancipiaque fecere. Addebat* & his querelis id, quod iam se omnibus bonis priuatos agnoscebant, cum de maris nauigiis veluti pisces alerentur, nunc subtractas eis nauigandi facultates, emolumentaque omnia defecisse. Mercatoribus Longobardis, Tuscis, Siculis, & nedum Alexandrinis, ceterisque marinas insulas incolentibus ob hanc pestem Regis huius mercium vsibus* defecisse, intolerabiliaque prorsus hæc omnia populo Ianuensi. In dies rumor inualescens augmentabatur, nec Regem latebat, vociferantibus, & per sæpe rerum venalium* creditoribus ad ipsius Regis atrium sibi de acceptis pretia dari conclamantibus. Rex ambiguus, quibusnam sibi prouideat remediis, cum iam sibi ipsi concitata plebe timendum videret, *Leodienfem* Episcopum, & *Henricum* Flandrensem Marescalcum subito *Pisas* transmisit, ab amicis, ac fidelibus Pisanis subsidia in tantis necessitatibus quæsituros. Curia tum plus solito vacua, ob mortes suorum diminuta, quorum multi, qui supererant, eadem peste, quam inclusam fouerant, in Ianua periere. Et miranda res hæc. Nam ipsi iidem illa laborantes pernicie sic Ianuenses infecere, vt & inaudita ab omni sæculo hominum mortalitas in Ianua, terra saluberrimi climatis, & aeris dispositissimi, contagiosi morbi more, in ciues transierit, ex qua infiniti decessere, ipsaque, frequentante Antistite cum clero, & populi totius longissimis ordinibus, corpora beatissimi *Ioannis Baptistæ* ac aliorum Sanctorum per ciuitatem cum hymnis, & applausibus deferebantur, placandi Dei causa, pro morbis tam lethalibus expiandis. Vacua quidem

* mel. Addebant Sch.

* L. vsus Sch.

* 29

* f. etiam quia Sch.

dem (vt prædiximus) curia, non modo ipsa defunctorum causa, verum* & ex citatis nominatim ad coronationis obsequium pauci aderant, excusatis ære dato plurimis, aliis in contemptu, rebellioneque persistentibus. Nam ex Magnatibus Longobardis solus *Luchinus*, *Maphæi* Vicecomitis Mediolanensis minor natu, cum paucis equitibus, Legatisque Communis Mediolani*.

* scil. aderat. Sch.

Reditus legatorum Paduanorum cum priuilegiis.

X Ex ciuitatum ceterarum Legatis aderant & Paduani quatuor, *Rolandus* de *Plaziola*, *Iacobus* de *Aluarotis*, *Ioannes Henricus* de *Capitenaccæ* Iudices, & *Albertinus Mussatus* Laicus. Hi cum pro obsequendo Regi venissent, maturiorem, vt ceteri putantes accessum ad Vrbem, in Ianua diebus circiter centum stetere, qui tandem fatigati, grauatique longa residentia, & impensis*, discedendi licentiam frustra, diuque implorantes, nec ad impetrandam Regem facilem reperissent, tandem a *Mussato*, quem singulari amore diligebat, instante ex rationibus necessariis, puta sibi, collegisque per Commune Paduæ ex viarum discriminibus ipsum pro victu salarium transmitti non posse, sicque se arctatos fore, vt violenti causa ipsos remeare oporteat, redituros coronationis tempore, cui etsi* non licentiam præbuit expressius; tamen non negauit.

* Nutat hic sententia, & procul dubio aliquid desideratur. Explerem sic lacunas; *discedendi licentiam frustra diuque implorantes, ad eam impetrandam Regem facilem non reperissent, ni tandem a* Mussato, *quem -------- impetrata seu obtenta foret: cui etsi non licentiam præbuit expressius, tamen* & quæ sequuntur. V.

Hi quoque impetratis iam litteris super decursu fluminis *Bacchilionis*, prædiisque Paduanorum in Vicentia, districtuque positis, quæ adhuc per Vicentinos occupata detinebantur, Paduam rediere.

Rescriptorum, seu litterarum forma hac erat.

Henricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus.

Vicariis suis ciuitatum Paduæ, *&* Vicentiæ, *qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, & omnibus fidelibus Romani Imperii, & Vicariis, & Officialibus suis quibuscunque, ad quos præsentes litteræ peruenerint, fidelibus suis dilectis, gratiam suam, & omne bonum. Cum iuxta nostræ decentiam Maiestatis causas dissensionum, & errorum, qui & quæ inter fideles nostros* Paduanos, *&* Vicentinos, *eorumque Communia, & singulares personas poterant generare discrimina, curantes diligenti sollicitudine remouere, & ad pacificum statum reducere, super bonis, iuribus, & possessionibus immobilibus Paduanorum sitis in ciuitate Vicentiæ, & districtu, & e conuerso super bonis, iuribus, & possessionibus immobilibus Vicentinorum sitis in ciuitate Paduæ, & districtu, nec non & super aqua, seu flumine Bacchillonis priuilegia quedam hinc inde duxerimus concedenda, super quorum executione facienda venerandum virum* Aymonem *Gebenensem Episcopum Principem, & Secretarium nostrum, illo duxerimus transmittendum, qui certo super hoc facto processu, sententiam tulit, prout in instrumentis publicis, quæ super his conscribi iussit, plenius continetur. Nec (vt pro parte Paduanorum nobis insinuatum est) priuilegia prædicta, & sententia de facto, vt nostræ intentionis fuit, & est, iuxta ipsorum tenores, & formas suos sint sortita effectus, & executioni mandata, volentes omnino ipsa priuilegia, & concessiones in totum, prout concessimus, & conscribi, atque sigillari fecimus, inuiolabiliter obseruari. Prudentem virum* Bassianum *de* Guaziis *Legum Professorem,*

fessorem, & Iohannem *de* Castione *nostri palatii Auditores*, *familiares*, & *consiliarios nostros dilectos*, *ad partes*, & *loca Paduani* & *Vicentini districtuum præsentialiter duximus transmittendos*, *quibus deliberato consilio nostrorum Iudicum*, & *Sapientum tenore præsentium dedimus in mandatis*, *vt dicta priuilegia impleant*, & *exequantur*, *prout scripta sunt*, *integraliter cum effectu*. *Iubentes*, *vt ad locum communem intra ciuitates* Paduæ & Vicentiæ, *seu alibi prope* *30 *ipsas*, *vbi tutius*, & *commodius sit* * *partibus conuenire*, *secundum discretionem eorundem accedant*, & *vocatis ad se omnibus*, & *singulis Paduanis* & *Vicentinis*, *dicentibus*, *seu dicere volentibus*, *se spoliatos fuisse suis bonis*, *iuribus*, & *possessionibus immobilibus temporibus in dictis priuilegiis contentis*, *recipiant capitula*, & *probationes a singulis super bonis*, *iuribus*, & *possessionibus immobilibus*, & *iuribus*, *ac rebus*, *quæ dicere*, & *ostendere voluerint*, *se possedisse*, & *tenuisse temporibus contentis in priuilegiis antedictis*, & *quibus se asserere voluerint fuisse eisdem temporibus spoliatos*. *Et veritate reperta ipsos de ipsis bonis*, *iuribus*, & *possessionibus*, *super quibus fecerint iustas probationes*, *ponant*, & *inducant auctoritate nostra in vacuam*, *liberam*, & *expeditam possessionem*, & *in statum pristinum ipso facto*, *prout ante erant*. *In quibus prædictis omnibus*, & *dependentibus ex eisdem plenam* & *liberam eisdem concedimus potestatem*, *arbitrium*, & *auctoritatem quauis solemnitate*, *vel solemnitatibus iuris omissis*. *Volumus autem*, *quod dicti* Bassianus, & Iohannes *in prædictis*, & *circa prædicta*, & *dependentibus ex eisdem summarie procedant*, & *procedere possint*, & *debeant absque libello*, *de plano*, & *breuiter*, & *sine strepitu*, & *figura iudicii*, & *per omnem modum*, & *viam*, *per quem*, & *quam sibi melius*, & *celerius videbitur posse fieri ad executionem omnium prædictorum pro fauore spoliatorum*, & *contradictores*, *inobedientes*, & *rebelles punire*, & *cohercere possint*, & *condemnare*, & *pœnas eisdem imponere*, & *ipsos mulctare*, *secundum quod sibi ipsis melius videbitur faciendum*. *Mandantes vobis*, & *cuilibet vestrum*, *quatenus in prædictis omnibus*, *prout vobis dicti* Bassianus & Iohannes *dixerint*, *pro executione prædictorum omnium facienda pareatis*, & *efficaciter intendatis*. *Quibus in prædictis omnibus*, & *dependentibus ex præmissis committimus vices nostras*, *reiectis excusationibus*, *allegationibus*, *impedimentis*, & *appellationibus quibuscumque*. *Quod si ambo*, *seu vterque eorum his exequendis interesse non poterit*, *alter eorum*, *ea nihilominus exequatur*. *Volumus quoque*, *quod factis restitutionibus supradictis*, *ad plenum omnino ius cuilibet reseruetur*, *ita quod per eas restitutiones nulli in iure suo præiudicium generetur*. *Data Ianuæ VI Kalendas Februarii*, *anno Domini millesimo trecentesimo duodecimo*, *Regni vero nostri anno quarto*.

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER VI.

Rubr. I REuersi Paduani Legati cum his regiis rescriptis, primo Sapientibus octo, qui agendis præerant, ceterisque Primatibus ciuitatis ad hæc vocatis retulere, quæ in curia egerant, deinde Senatu habito, mille scilicet virorum, relatio per *Albertinum Mussatum* seriatim exposita, in qua & status Regis declaratus, conditionesque omnes cum totius Italiæ moribus, ac successibus in notitiam addactæ *. At postquam assedit *Mussatus*, infremuere varriis

Acta in Senatu Paduanorum post reditum legatorum.

* *f. adducta* Sch.

variis allocutionibus Consiliarii huius congregationis. Plurimi namque in omnem euentum, quatenus & ipsi possent, quietem, ac pacem affectabant, ad nouas res segniter, ac pigre hortentibus animis discurrebant. Plerique casum Regis, præcipitiumque instans, ac verisimile sperantes, ad rebellionis audacias, ac præsumptus extollebantur; sicque ea die tanti negotii decisio delata est. In sequentem vero insperata noua pæne * credita; sed ex litteris *Canis Grandis* de *Verona* Communi *Paduæ* transmissis acceptum est, ipsum *Canem* ciuitatis *Vicentiæ* Vicarium auctoritate regia constitutum, & veris falsa ipsa eadem instans fama permiscuit, vt Rex iniquus illum non modo Veronæ, sed Paduæ, Taruisio, Feltroque præfecerit. Grande hoc Paduanis, horrendumque negotium: additæque vero voces, animos eorum nouis terroribus concussere, parum vlterius boni affectus in Rege præsumentium, ipso opere eorum iudiciis omnem Regis prauitatem indicante. Extemplo igitur conclamante populo Senatus habitus, in quo, quid nam agendum foret tanto in discrimine, propositum est.

* *Pene* hic valet, quod Latini dicunt, *vix*, Italice, *a pena*. P.

Ex Legatis *Rolandus* de *Plaziola* Iudex re tam horribili non mediocriter commotus, astitit conspiciendus in eminentia auditorii, sic fatus.

* *E curia illa duce Deo dimissus, vbi ipsam fandi facultatem formido negauerat, ad patrios ductus lares, hosque vestros dulces affectus, vtar libera fiducia mea,* o ciues, *ore iam soluto loquar, qui centum prope dies silentio præteriens, taciturnus obmutui. Vidi hunc Regem, vidi mores, & vidisse piguit, desuper, vt puto, datum hoc mundo exitium, & viderunt quippe carnei oculi faciem illam, quam intueri cordialis negabat affectus. Et quid mirum,* o ciues, *illum videre, cuius progressum elementa ipsa abhorruere, terra fructus denegauit, gleba, palmiteque hac peste sterilibus, infectus aer irrespirabiles animantium vitas suffocauit, ignis ædes, & subsistentia quæque solo consumpsit. Vidi vrbes paulo ante florentissimas pulsis ciuibus ruinosas, colonias desertas, insolentibus iam cicutis opertas, rusticanas inedia visas nobilium facies, plebe fame exanimata. Proh pudor! Longobardia terra ferax, nunc inculta ad siluestres comparabilis vastitates. Et qui incolæ nobilium oppidorum? Incolæ nempe tyranni veteres, Vicariorum Imperii induti vocabulis: his hodie Longobardiæ reliquiæ consumuntur. Vltra hæc progressa clades, Ianuam veluti ignis edax incendit. Ianuam, inquam,* ciues, *diuitiis, virisque, ac omni bono valentissimam, vidi formosam, vidi deformem in triduum, formosam hilaritate ciuium excipientium hanc felicitatis effigiem: vidi deformem mutata facie populi in communione viuentis, conuersis moribus patriæ ad voluntarios principatus. Veluti, vt si amoto hoc nostro Præside,* ciues, *substitueretur ignotus, recissaque ac sublata vestra forent plebiscita cum legibus; hicque Senatus dissolutus, Tribunis vestris, quos* Gastaldiones *appellatis, turpiter, ac ignominiose depositis: sic ibi cassus, Potestatis nomen obtinens, ensifer vnus Abbas, ciuitatis saluberrimus conseruator. Sic dispersi ordines popularium a primo ciuitatis æuo consuetudinum. Sed quid? Has immutatas vitæ conditiones frustra, seroque videre,* ciues, *in sese has iacturas deflentes, socordias suas accusantes, quod* Fridericum *Imperatorem a suis finibus repulissent, hunc inermem admisissent. Sed inanes hæ querelæ. Nam suis eneruati viribus, accepto iugo millia florenorum sexaginta fisco regio contribuere. At de ciuium illorum calamitatibus omittamus,* o ciues, *hoc de Rege loquamur. Quænam hunc ratio formidabilem facit? Nonne ipsius Dei flagello perculsus copiis omnibus exutus est? Ducentis siquidem superstitibus militibus, ducentis; pene, inquam, ducentis mundo ruinam minatur, hosque semestris expecta-*

* 31

expectata merces in Regem obiurgari cœpit * *instante opportunarum rerum angustia. Vidi vociferantem popellum ad fores atrii de creditis sibi, suisque esculentis, & poculentis satisfieri, ipsumque obaudisse simulantem ex ipsa rei familiaris indigentia, qui nec sibi, nec aliis suffecturum sentiebat, & idcirco venundari fasces, præsidatus, & officia quæque corruptum inopia non pudebat. Puduit ne hunc* Canem, *virum nefarium, mutato sodalitio Vicentiæ, & Paduæ in pace degentium, Vicarium Vicentiæ constituere, scilicet hosti huius florentissimæ nostræ urbis? Non quippe puduit,* o ciues, *immo ex partiariorum consulto, vt vos hic* Canis *in tyrannidem trahat, bellum intestinum propinquis in huius ciuitatis sinu moueat. O in memoriam veniat patrum nostrorum fera, ac fœda ipso relatu clades! Ille scilicet Satanæ filius* Eccerinus *de* Romano, *quem huius* Henrici *de* Lucemborc *scelestus* Fridericus *prædecessor ad solas neces ministrum hoc falso Vicariatus Imperii nomine constituit. Proh dolor: quantum* * *reminiscentia animaduertere opus est vobis; qua solertia has reseruare reliquias. Hæc sunt vestigia,* ciues, *illis simillima, si vos ad vitam, & mores huius ab infantia* Canis *vos retuleritis: hic nempe* Eccerino *illo ferocior. Taceo, quam maturior æuo sanguine suorum manus pollutas habuerit, nec vobis parciturus semper inuisis, semper exosis, illo natus, illo educatus loco, quo vndecim millium patrum vestrorum funera vna simili nece defunctorum adhuc viuens memoria non abiecit. Sed, o quanta memorandorum exuberat materia! Sed ad salutiferum agendorum consilium me conuerto. Censeo huic Regi obediendum non fore, cum resistentibus paribus iuribus resistendum, cum aduersantibus vos aduersari, aquilarum effigies e quibuscunque communibus, & priuatis fastigiis aboleri, mœnia, castella, coloniasque vestras tuitione, rebellioneque coaptari, vitas pro libertate in omne discrimen exponi. Te* Gherarde, ad Vicarium dirigens oculos, (*si quidem tibi sic ipse consulueris*) *Vicariatui abrenunciare, dulceque, ac sacrum Potestatis nostræ officium, nomenque resumere, & per semestre tempus ciuitatem hanc in libertate regere, sicque continuo iures obnixe; sin autem, stipendium tuum discessurus habeto: præsto habemus de S. Miniato* Rodulfum *virum optimum, quem ad hanc liberam, beatamque Potestatis sedem vocandum, sumendumque adiudico.*

* f. cœpit Sch.

* f. Hæc quanta Sch.

Fine facto, fremens Senatus in altum voces tulit pari assensu, hæc omnia sancienda diiudicans. Tunc *Albertinus Mussatus*, alter scilicet ex Legatis assurgens paulisper, Consiliariorum clamore ex affectu, fiduciaque rerum gestarum exauditus, tandem sic cœpit.

*32 * *Adiudicetur in tanta votorum vestrorum identitate insana, & pertinax audacia mea,* ciues, *si tam impressos, tam infixos* Rolandi *suasione conceptus distrahere ausim, vel saltim moderatius rem aggredi per quam duram persuaserim, nec audire pigeat, quem alias obaudisse pœnituit* *, *vincat incensas efficax ratio voluntates. Nec abnegem male Regi suggestum, hunc* Canem *Vicentinis præfecisse, sed profecto nescius Rex, quantum ponderis, quantumue schismatis hæc attulerit præfectura discrimen. Sed quidnam hoc in commercio verius dici potest, quam, vt sua de re, quod sibi libuerit, fecerit? Nihil vtique. Quid vero attinet, quid agendum restat? hic discutiendæ rei constat articulus. Disseruit* Rolandus *ad rebellionis exhortationem, hunc Regem egenum, destitutum, exosum suis populis, & hæc quidem vera affirmo, assentio allegatis, dum non tantum illum aduersis demersum fatear, nec sic sua facta opprimi, vt nequeat releuare caput. Si quidem defectus illius animos vestros extollat; Affectus, si qui sunt, vos continentes, & moderatos efficiant. Illum ne* ecclesi-

* videtur legendum, non pœnituit P.

ecclesia Romana coadiuuat? fouet? subleuat? Attestetur hoc Rolandus, *cuius oculi videre assidentes a latere quatuor Cardinales Papæ monitu pro viribus obsequentes. Ad hæc, si Franciæ, Apuliæue Reges de sponsalibus, vt accepimus, non conuenere, tractatus siquidem non reiecere. Si enim regalia quædam petita munera conferre velit eisdem, puta Regi Franciæ Regnum Arelatense, tractumque Rhodani vsque in Alemanniæ fines;* Roberto *Apuliæ Regi Tusciæ, & Longobardiæ præsidatum, nonne concessus patet ad vrbem limes? Corona nempe conceditur in vrbe summa. Quid si his Rex assentiat, cuius patrimonii hæc non fuere? cui, vt vim ingenio pellat, forte ista licuerint, cui etiam resipiscere fas erit sedenti in suæ fortitudine Maiestatis. Non * probet* Rolandus, o ciues, *hunc Regem sic deiectum, sic oppressum, vt asseruit, quem Gibolenga Italiæ pars vt sidus contemplatur, quem intestinæ factiones per Gelfas vrbes clandestino desiderant. Habetote semper hunc supra verticem metuendum, dum spirauerit, dum Regem, Imperatoremque Romanorum viuere nouerint nationes. Vultisne iustum, efficax, omnique iuri, & æquitati consonum vobis adhibere remedium? Ne dicite,* Rolandus *suadet Regi rebellandum, neue vos verbis rebellantes efficite, laudate rescripta, indultaque Paduanæ Communitati super fluuio Bachilionis deducendo in vestros alueos; castra, & bona in Vicentia & districtu sita, vt mandauit Rex, suscipienda; Regi, vt iusto, obediendum omnino. Et quid ex his continget?* o ciues! *profecto* Canis *iste, obstinatique calamitosi Vicentini non obtemperabunt; nam si vobis ablata restituant, quisnam potentiæ vestræ resistet, possidentibus castra, & fortalitia singularium Paduanorum per Comitatum Vicentiæ sparsa, inque ipsius vrbis sinu vestra erit potentia: sin autem ista denegata contra Regis iussum fuerint, ad Regem hunc questus æquos effundite, declamate, hasque interim, quibus sic fiditis, vires extendite in Sacri Imperii nomine fluuium aperituri, fundos vestros quæsituri. Agite sub iuris clypeo, quæ* Rolandus *fieri suadet sub contemptu Regiæ Maiestatis. Et quid refert huic Vicario Imperii, dum eadem sit potentia, idem præsidatus, Potestatis nomen imponere? Quid abolere imagines aquilarum? Virtuosos actus verbis proponite; innitimini operibus, non ventosis ostentibus, fouete semper ius, etiam iniquo sub Rege. Ius quippe constans, & immortale; Rex mobilis, mortalisque, vt verni flores decidunt, euanescit. Censeo Regiæ Maiestati obsequendum, Rescriptis regiis implendis instandum verbis & opere, ex quibus non modo insecutor iste* Canis, *hostisque vester propulsatur; sed ipsum regium iudicium, si deuium ab iure fuerit, ipsa sua fallibili censura, & iniquitate conuincetur.*

* Videtur, commode posse legi, Nunc P.

Hac oratione nonnulli ciuium permoti, præcipue, quibus maturior ætas, quique plus pensi habebant, stetere dubii per sedes circumcertantes, hoc consilium non sic repente capiendum; sed differendum in dies aliquot, dum successus agenda edocerent. At plurimorum clamor *Rolandi* consilio inhærebat. Dumque ad calculorum scrutinia per pyxides ventum esset, a duabus fere partibus *Rolandi* consilium approbatum.

II Plebs

II Plebs nouarum rerum zelatrix, exauditis ante Senatus digressum vocibus, per summa Prætorii communis fastigia, e muris pictas aquilas deripuere, die tota per vicos discurrentes easdem per singulas ciuitatis portas, ac domos priuatorum cum ignominiosis clamoribus abolentes. Deinde omnia cœpta hostilia hinc inde, ignes, populationes, prædæ, rapinæ, & quæcunque furor hostilis administrat. Ex Nobilibus autem Paduanis inter Vicentinorum fines Paduam versus duo munitas ad resistentiam domos habebant.

Rebellio eorundem.

III *Demetrius* de *Comitibus Motam* iuxta *Montem Gardam*, & *Martinus Canis Camisanum*. *Motam* aggressus *Canis Grandis* cum Vicentinorum & Veronensium bellatoribus, subductis* ad implendas foueas materiis, fundibulariisque, ac leuis armaturæ peditibus ex * segnitie *Demetrii* indefensam *Motam* in deditionem accepit, ipso *Demetrio* capto, pluribusque mercenariis peditibus, quos Paduani ad eius loci præsidium miserant, cæsis. Inde *Camisanum*, copias educens, instructis bellatorum ordinibus, ceterisque ad momentaneam oppugnationem vtilibus, insultans, viribus, audaciaque *Martini* de *Canibus* repulsus cessit, nonnullis ex suis cæsis, pluribus sauciis.

Mota expugnata.

* refer. addu- ctis V.

*33

IV His diebus *Montis Gardæ* apicem propugnaculis, valloque cinxit, vbi * & ad agros Paduanorum depopulandos militum halam dimisit. Horum in hac specula stantium aggressuræ vsque in vrbis appendiciis tum rapinis tum & occisionibus, tum incendiis infestabant nonnullos, & raptos in castellum trahebant, qui sese ære constituto, pro vt torti, flagellatique offerebant, redimebant. Incendiis quoque inter vtrasque ciuitates ex procurrentibus hinc inde latronibus, mercenariisque militibus nullus modus, aut finis, dum ab vrbibus stadiis ferme quinque nulla tecta restarent, inquilinis ad ipsas vrbes profugientibus.

Munitio montis Gardæ per Canem Grandem.

* refer. *vnde* V.

V Paduani Vicentinorum exurendis finibus non contenti, instructis militum aciebus in castro *Montagnanæ* prodeuntes cum *Vinciguerra* Comite, quem *Montagnanæ*, vt bellum hostibus inferret, præfecerant, per colonias Veronensium ædes, cunctaque solo superposita concremauere, villas *S. Zenonis*, *Minerbium*, *Pressianam*, aliaque cis *Alponem* vsque ad *Lignagii* portum, ipsumque portum *Lignagii* vno superstite palatio, quod pontem protegebat. Sicque in Padua omnis bellorum, armorumque tumultus; in Vicentia omnis generis calamitas, ipsum scilicet dominium acerbissimum. Ex diffidentia namque Gelforum ciuium, quos *Canis* suspectos habebat, timor, tremorque cunctos inuaserat, dum & sic intumescentibus rerum conditionibus hoc contigit memorabile.

Depopulatio agrorum Veronensium.

VI Paduani Vicentinos, quod parum prudenter statum immutassent, in pœnitentiam adductos existimantes ex coniecturis nonnullis, erexere præsumptus, vt si mœnibus ciuitatis potenter sub militum, populique frequentia proximi fierent, pristinumque statum, seu acceptabilius cum sodalitii mansuetudine pollicerentur, data venia de commissis, suæ tam patenti forsan calamitati consulerent, & per spontaneam irruptionem discusso iugo sese, vrbemque traderent. Hac spe igitur allecti, directis agminibus per directum callem Vicentiam versus perexere vsque ad pontem *Quartesoli*, vnde *Ticina* defluit; ibique post obsistentiam *Bitifredi* supra pontem eminentis remorati, non patente aditu in dextrum amnis latus in agrum proximum vexilla reduxere supra eiusdem fluuii decursum, deliberatoque Primorum consilio cursorum manipulum ad explorandum, si qui extra ciuitatem promouissent, cum passuum tribus millibus a mœniis distarent, transmisere per arctissimum, decliuemque vadum. Hi transilientes, scilicet ex

Conflictus Vicentinorum apud Quartesolum.

exteris *Beltramus Gulielmi*, *Bernardus Cerniani*, Cathelanorum ductores, cum paucis ex suis, ex Paduanis *Martinus Canis*, *Sublimanus* de *Rubeis*, *Iohannes Caualerius* de *Canibus*, *Iacobus* de *Tergula*, cum quibus & *Bonincontrus* de *Brauis* ex Vicentinis exulibus, peragrato amne ad mille passuum tractum in pago, qui *Quartisolus* vocatur, Vicentinorum militiam ex aduerso venientem sub vexillis Imperii, Communitatisque Vincentiæ, & cum scalarum insigniis videre. Duæ siquidem erant acies, prima eius ordinis, quem *feritorum* vocant, ad numerum centum quinquaginta; reliqua amplioris * ter centum fere passibus distante. Cursores hi, quorum supra mentionem fecimus, Paduanæ Potestatis iniussu, & extra ordinem ad imparem congressum venere, veluti præcipites, & clamore vtrinque sublato prœlium iniere. Tunc res gladiis acta est. Vicentini, qui in prima acie consistebant, siue quia Paduanorum copias eximias aduentare, ibique præsto adesse arbitrarentur, timore perculsi; seu belli euentu sic forte ferente, terga vertere. Tunc ibi strages eorum in suos collidentium fuit, quo in conflictu pæne omnes cecidere; altera maiore cohorte in fugam versa. Ex occisis occubuere *Vanni* Comes *de* Bagnacauallo, *Canis* Vexillifer, qui regium vexillum, aquilamque gestabat, *Masius* de *Scanabicis*, Scalarum lator, & ex stipendiariis socii plurimi. Ex Vicentinis *Corradus* de *Viuario*, *Triuixolus* de *Triuixolis* †, *Gherardus* de *Pratis*, filius Bugamantis, *Hieronymus* de *Montebello*, *Nicolaus* de *Luscis*, *Montorius Mascarelli*, *Petrus* de *Mora*, Notarius, e captis . . . . . . * filius *Marchabruni* de *Viuario* (nam & pater in conflictu stratus in proximi nemoris latebras perfugit, inermisque fortunæ subsidio Vicentiam saucius tandem se proripuit) *Guidonus Nantor*, & alii ad numerum viginti.

* f. ampliore V.

* Albertus Sch.

† Io. *Baptista Paiarinus* MS. in *chronicis Vicentinis* lib. 1. ad an. 1312. p. 42. *Triuixolum* hunc cognominat *de Repetis*. Schol.

Canis autem *Grandis* hanc cladem euenisse suspicatus ex factione Gelforum Vicentinorum, clausis portis captos multos quæstionibus subiecit, plerosque securi percussit, nonnullos suspendiis damnauit, pluribus * vinctis pœnas adiecit æris, in capitales recasuras, vt si intra certam diem non soluerint, moriendum esset eis. Contumaces omnes, qui se fuga subtraxere, bonis publicatis hostes Imperii iudicauit. Hæcque omnia mense Aprilis acta Domini nostri Iesu Christi sub annis XII, millesimo trecentesimo.

* 34

Exitium Marosticæ.

VII Hisque eisdem diebus Paduani exercitum generalem cum omni expeditione *Marosticam* duxere, ibique circumsidentes Burgum expugnauere, pagum scilicet totum cum omni subsistentia, & occisis, captisque terrigenis, ablatis substantiis, ædes omnes incendio consumpsere, arcem expugnare experti per biduum, quam, ne impensæ ob residentiam longiorem victoriam superarent, inuictam reliquere. Dumque sic positis castris operam darent, missa interim militia per Vicentinorum rura, *Tiennas*, *Breccantium*, *Maxonem*, *Sclauonem*, planiciem, & quæcunque inde per valles habitacula montibus adiacebant, perque ipsorum montium iuga igne, populationibusque diripuere. Illo itaque expedito, exustoque calle, qui ad emigrandum de *Bassiano* per Vicentinos agros Paduanis patebat, incensis castris Paduam rediere. Nam Bassianenses castrum *Angarani* auctore *Marsilio Polafrixana*, qui ibi pro Paduanis Potestas præerat, expugnauerant occiso, captoque Vicentinorum præsidio.

Depopulatio agrorum Paduanorum per Canem Grandem.

VIII Verum dum apud *Marosticam* hæc agerentur, *Canis Grandis* cum Vicentinorum, Veronensiumque cohortibus per directum callem in Paduanas villas aggressum fecit, exussitque *Arlesicæ* reliquias, *Rubanum*, & *Mestrinum*, perterritis admodum Paduanis, qui vrbis custodiæ erant, excur-

excurrente fama, vt ad ipsas vrbis portas procursurus fuisset. Post hæc idem *Canis* populo, militiaque & stipendiariis cum Mantuanorum subsidio de Veronensium finibus velox exiens Burgum *Montagnanæ* totum cum appendiciis circa castrum flammis, prædaque consumpsit, defenso castro per *Riciardum* natum *Vinciguerræ* Comitis Veronensis, ad cuius insultus occursum Paduana militia procurrens, aucto in castro eodem præsidio, ad *Est* se contulit, vbi stipendiarios dimittens *Nicolao* de *Lucio Nouentam* Vicentinorum Coloniam diripiendam deputauit, Paduamque remeauit. *Nicolaus* in diem sequentem, antequam illucesceret, euocatis *Pedeuendæ* colonis cum stipendiariis retentis, *Nouentam*, impetu in eam facto, in deditionem recepit, exustam, dirutamque relinquens. *Canis Grandis* Paduanorum molem perferre non valens ad *Guarnerium* de *Oembore*, Longobardiæ Præsidem, confestim nuncios direxit, vt se adiuuet cum Imperialibus copiis ex singulis ciuitatibus Longobardorum Regi Romanorum obsequentium.

IX Isque *Guarnerius* velociter cum cohorte Regia, & contribuentium ciuitatum nouem numero subsidiis Vicentiam se contulit, vbi oneratis vehiculis cum apparatibus ad hostilia opportunis in campos, qui *Monti Gardæ* adiacent apud *Motam* statiuas posuit, celeriterque instructis, centuriatisque aciebus in Paduanum districtum populabundus exiit, & Villas *Rouoloni*, & *Couoni* cremauit, & in castris pernoctans per dimidiam, & vnam diem, his confectis incendiis abscessit. *Canis* his exutus copiis (nam & vrgentibus Longobardiæ Gelforum bellis sua quisque ad loca profectus est) diffusisque viribus suis, arcem *Montis Gardæ*, ex qua Paduani abscessuri erant, singulis paratis ad id machinis, & tormentis exustam in derelictum omisit.

Exercitus Guarnerii Præsidis in agros Paduanorum.

X Paduani accersitis sibi viris illustribus, *Francisco* Marchione Estense conciue suo, ac *Veceli* de *Camino*, Dominatore Teruisii, Feltri, & Belluni (is enim præfato *Riciardo* fratri per eosdem pæne dies per ignotum ruralem virum agresti harpe nequiter interfecto successerat, antiquamque cum Paduanis societatem inierat) exercitu generali in campos Vicentinorum recto itinere prodiere, apud pontem *Quartisoli*, cuius mentio superius habita est, castra ponentes, instructis itidem peditum ordinibus cum subsequentibus militum aciebus, præmissis etiam, qui sata, vineta, & frutices vastarent, cuncta, quæ solo eminebant, æquantibus vsque in vrbis appendiciis, vallum inexpugnabile cum fouea latissima, quæ suburbiorum ædes cingebat, lanceariis, fundibulariisque ac munimentis circum operti constitere *. Speculati itaque præmissi Proceres e Paduanis *Tiso* de *Campo S. Petri*, *Nicolaus* de *Lucio*, *Iacobus* de *Carraria*, *Pantaleo* de *Buzzacarinis*, & *Albertinus Mussatus* plebeius; e Taruisinis *Rambaldus* Comes de Collealto, *Biaquinus*, & *Tolbertus* de *Camino*, *Odoricus* de *Cuchania* relatione de his oculis subiectis prænunciata *Gherardo* de *Henzola* Paduano Potestati, ac præfatis *Francisco* Marchioni Estensi, & *Veceli*, expugnationi nequaquam insistendum decreuere, loco natura, manuque fortissimo; cum & cæcum certamen, &* inhabile tantis cohortibus foret (*Canis* enim intra mœnia cum octigentis fere hastatis militibus, peditum millibus circiter quatuor erat vrbis tuitioni subsistens) versis denuo aciebus in castra rediere. Ibi fere triduo percunctati, quibusnam viis hostibus damno, exitioque esse potuerint, nequaquam proficientes, castra dimouere.

Exercitus Paduanorum in agros Vicentinorum.

* f. consistere V.

* 55

XI Ante quem digressum contigit, vt dum multi ruralium cum ligonibus, & securibus pro agris hostium peruastandis ad pontem *Longare* vsque peruenissent, cum palantibus ex iuuenibus Paduanis plerisque in equis lucri causa discurrentibus, ad id loci ex impræmeditato proposito ad pontem concursum foret, inermis turbæ clamore, & in *Bitifredum*, qui

Duplex prælium apud Longare.

 primæ

primæ custodiæ præerat, insultu facto peruentum, intrinsecis siue astu, siue improuisis nil contra certantibus, reclamante tamen *Benaduxio*, Parmensi, vno scilicet ex Potestatis Paduæ collateralibus, qui vastandi, ac depopulandi officio præerat, vt resilirent, factumque temerarium non insequerentur; hic tamen frustra, diuque non exauditus in ancipiti fortuna cum ceteris, qui in equis erant, ad pontem accessit, turma stipatus. Tuncque extemplo ex interioribus foribus irrupit militum acies in priores pedites, ac rurales ruinam educens, ibique percussorum, ac in sese collidentium strages, quorum pars in flumen demersa, in qua & ipse *Benaduxius*. Ex equitibus Paduanis, qui ponti super stabant, occidit *Trondus* de *Capitenacca* siue demersus, siue confossus. Capti *Bartholomæus* a *Palatio* Veronensis exul, *Ioannes Antonii* de *Andrea*, ceteris in fugam versis. Delato itaque ad Paduanum exercitum nouo, *Gherardus* de *Henzola* Potestas confestim in suffragium *Beltramum Gulielmum*, *Anceam* de *Opicengis* Pisanum, cum stipendiariis illico transmisit, quos & effrenes Paduanorum iuuenes vltro subsecuti, fugatos, fugantesque obuios cum clamore inuenere, quorum pars magna Paduanorum præfatorum immixta fugantibus, *Scalam* viuere, cum victoribus conclamabant, vt errore personarum frustrati victores ab occisione desisterent. Incursu itaque *Beltrami*, & ceterorum fortuna mutata, Veronentium acies continuo retrouersa est, quorum terga cædentes Paduani, & *Beltramus* præfatus, ac *Lancea* stragem fecere. Cæsi ibi *Matthæus* Miles Lucensis cum aureis militiæ insignibus, *Panceta* de *Rouolone* natus olim *Bartholomæi* de *Schinellis* ex nobilibus Paduanis exulibus, filius *Caulineti* Militis præsumptus, aliique quamplures. Hi quippe de intimis *Canis* consociis erant, ceterique in equis circiter XXV. Peditum magnum numerum flumen absorpsit. Indesistentes *Beltramus*, & socii victores in ipsas pontis valuas cæsis tergis illos insecuti sunt. Paduanus exercitus nihil ex Procerum arbitratu apud *Quartisolum* proficiens ex indirecto viam arripuit, cuncta peruastans, & ad villam *Longare* cis flumen *Bacchilionis* stetit, metatoribus castrorum sic disponentibus. In oppositum, vt prædiximus, ripæ crepido erat, vbi trans ipsum flumen in Paduanorum iniuriam Vicentini decursum ex assueto alueo diuerterant, vbi & ligneas turres ex fluminis aduerso in ipso obturationis ore cum propugnaculis firmauerant munitissimis, ad quem locum, & celer *Canis* cum omni armatorum manu, solo Vicentiæ relicto præsidio, conuolauit. Dispositisque per propugnacula pro loci tutela præsidiis, & ipse cum militia solers opportunitates supplebat. Itemque amne *Bacchilionis* aditum prorsus exercitui denegante secessit, infra exercitus ex *Castenerii* opposito statiuis positis. Quem subsecutus *Canis* cum copiis contra stetit, omnes adducens bellorum apparatus, saluis locorum præsidiis; ibidemque paulatim hæsit Paduanorum instinctus, quicquam potiundæ vlterioris ripæ existimantium; sed pontibus, altisque ad superandos hostes propugnaculis, quæ *Bitifredos* dicunt, erectis, *Canis* vlteriorem ripam interrupit, & alueum, qui viam a campis adiacentibus distinguebat, aqua eiusdem fluminis repleuit, quo naufragior receptus, Paduanos præcipites ageret, sicque vana peragrandi spe Paduanos amouit.

Munitio Montis Gardæ per Paduanos. * deesse videtur, *magis*. V.

XII Hi multum, diuque hæsitantes, quidnam hoc in casu agendum instaret, depopulato omni terrestri fœtu a parte, quæ Orientem respicit, ab ipsis Vicentiæ mœniis quantum *Bacchilio* non præcingit, & ab ipso *Bacchilione* vsque in agros Paduanos, nil videre agibile*, quam castrum *Montis Gardæ* reficere, præsidioque munire equestri, pedestrique, in tutelam finium Paduanorum, molestiam & depopulationem Vicentini districtus vsque in ipsius ciuitatis portas, vel præcipue a *Ticina* fluuio versus fines Paduanos; sicque consilio inito apud ipsum *Montem* castra posuere, ipsumque castrum erexere fortissimum præsidiis munientes.

XIII Ve-

Varii concursus inter Paduanos, Veronenses, & Vicentinos.

XIII Verum ne interea segniter tempus tererent, milites mercenarios cum Ducibus eorum, & maxime Cathelanis, *Bernardo* scilicet *Cerniani*, & cohorte *Beltrami Gulielmi* tum forte * ægrotantis, ac *Lancea* de *Opicengis* Pisano, & *Borgarutio* de *Sartiglano* cum numero CCL vel circiter direxere ad septentrionale ciuitatis Vincentiæ latus. Qui per *Camisanum*, & villam *Quinti* transeuntes in ceteras Pedis montium colonias aggressum fecere. Ex quibus prædas abduxere rerum mobilium, animalium, ac virorum in funes existimationis eximiæ. Fuere viri capti LXXX numero, *Bassianum*que iter diuertentes, ibi sese collocauere, vbi relictis prædis remeabant. Contigit, vt dum *Canis* e ciuitate Vincentiæ cum militibus ferme CC exiisset, cursoribus dimissis ad castrum *Camisani*, qui raptas de pascuis equas adducebant, superuenientes *Bernardus*, *Lancea*, & *Borgarutius* illos insecuti fuerint, per millia passuum fere duo sine ordine discurrentes, quos *Bernardus* inermis se tertio antecedebat cum sola lancea, & clypeo, qui improuisus, & ignarus itineris in gentes *Canis* incidit continuo confossus. Dumque *Lancea*, & *Borgarutius* subsequentes in eandem necem ruituri fuissent, detenta * equorum hinnitibus militum *Canis* assistentia, fugam arripuere, insigniis, quæ ferebant, hostium impulsu derelictis. Remansere itaque insignia victoribus Vicentiam relata. Duobus sociis *Bernardi* Cathelanis occisis, ceteri ad exercitum se contulere. Insuper viri nobiles *Biaquinus* de *Camino* cum Taruisinis Proceribus suasione *Vinciguerræ* Comitis Veronensis, ductu *Nicolai* de *Lucia*, cui & patebant viarum aditus, noctu e castris clandestine progredientes cum hastatis militibus fere quadringentis per vias abditas *Montagnanam* se contulere, ibique epulati, cum peditibus quingentis in agros Veronenses exiuere, & versus *Cologna* castrum se in locis opertis ponentes diuisim, vt eis vicissitudines appetebant, quo magis oppidanos ad egrediendum elicerent, cursores præmisere. Improuisi oppidani in equis L, pedites CCC vel circa exeuntes ad agros versus præmissos se exposuere. Cumque ab oppido tanto elongassent meatu, vt retrocessus iis difficilis foret, *Biaquinus*, *Vinciguerra* Comes cum cohorte maiori detectis vexillis in illos concursum fecere pari clamore. Circumuenti Veronenses, negato fugæ remedio, in quam partem abirent ignari, gladiis obiecti fere omnes cecidere, multis tamen vsque in oppidi foueas gurgitibus assumptis, paucis se per vallum irrepentibus. Ex equitibus tamen XXV numero periere, capti, cæsique, ceteris per fugam fluentum tranantibus. Captorum numerus circiter centenus inter victores diuisus. Postera autem die prælibati Nobiles in castrum cum quatuor aduectis *Scalarum* insigniis aduenere. His confectis Paduanus exercitus munito præsidiis castro *Montis Gardæ* Paduam se contulit anno Domini nostri Iesu Christi XII. MCCC, III Kal. Iulii. Hoc in exercitu Paduano fuisse constat ex conscriptis ciuibus Paduanis equites mille ducentos; hastatos vero ex Nobilium, locupletumque comitiuis septingentos; scutiferos sexcentos; equas ruralium, quas *Bertolatas* Longobardi vocant, circiter mille; mercenarios milites CCC; peditum conscriptorum ex vrbe, suburbiisque quinque millia quadringentos: ex coloniis sex millia nongentos; omissis tamen in vrbe, municipiisque Præsidiis, vno quoque solo ex quaque familia dumtaxat, siue milite seu pedite in exercitum adacto; currus oneratos cum bubulcis duplicibus tribus millibus ducentis. Cum *Veceli* Taruisino venere in equis viri mille, quos inter nobilium, locupletumque quadringenti, hastatorum sociorum ducenti, ceteri scutiferi. Equæ ruralium hastatorum LXX. Pedites cum lanceis summæ longitudinis sexcenti. Currus onerati trecenti. *Franciscus* Estensis & Anconitanus Marchio septuaginta in equis habuit, quos inter lanceatos quinquaginta, pedites centum, balistas cum tormentis miræ grossitudinis duodecim.

* 36

* leg. detenta P.

Mors Tisonis de Campo S. Petri.

XIV Post huius exercitus digressum, in Paduana ciuitate Marchiæ Taruisinæ flos, & supremum decus *Tiso* de *Campo S. Petri*, natus olim

Magni

Magni Tisonis morbo dysenterico correptus diem obiit, II scilicet Non. Iulii, cuius funus Paduani tanto mœrore, tantoque luctu prosecuti sunt, ac si ipsa Resp. vidua, omnique consistendi spe destituta fuisset. Verum post exequias refocillata conspectu nepotis iam fere adulti, cui *Gulielmus* nomen erat, antiquum paternæ domus, vxorisque *Tisonis* eiusdem iam maturæ prægnantis allecti spe, oratorum præconiis animos erexere.

Longobardiæ autem motiones, quæ ob nostri Regis momenta obtigere, seriosius expositurος, incussas ciuitates, ac loca, resque per eam* gestas ante Cæsaris saltus ad vrbem pertingere non pigeat, indulgeatque paulisper Cæsarea Maiestas, contemporaneis sic ferentibus rerum successibus, nos veluti per mediterraneas aquas cymbam nostram dirigere, quo sublimioribus velis Tyrrheni maris procellas fortioribus impulsibus percurramus. * Longobardiam * siquidem moderni accipiunt † sicut ab oriente montes Gallicorum, seu interiacentes Alpibus regiones distinguunt, vt *Sabaudia*, *Fortiniacum*, *Gebena*, & eis terræ contiguæ, quarum incolæ olim *Allobroges* vocabantur; ab occidente mare Adriaticum, seu Venetiarum: ab Austro *Alpes Lunæ*, quæ ab *Ianua* in *Bononiæ* fines exclusiue iuga protendunt; ab Aquilone Tridentinæ, Aquilegiensesque oræ. Is namque ambitus duas olim veluti regiones, *Æmiliam* scilicet, & *Liguriam*, nostra posteritas nuncupabat; quamquam, & antiquorum assertionibus ab *Atice*, qui *Veronam* diuidit, *Taruisina Marchia* suum per se nomen obtinuerit. At hodiernis vbique per Italiam vulgaribus Marchia illa agnomine *Longobardorum* includitur.

* scil. Longobardiam. Sch.

† f. sic vt Sch.

* 37

* Mendosus locus, quod & vidit oculatissimus Scholiastes. Sed leui negotio fortasse illum emendaueris, si dixeris *e Lombardiam siquidem moderni accipiunt sic, vt ab oriente montes Gallicorum, seu interiacentes Alpibus regiones distinguant* &c. Posterior autem locus, cuius initium, *is namque ambitus* &c. corrigi quidem posset, sed a vulgata lectione nimis recedendum foret. Quare crisin hanc potiori Aristarcho relinquimus. V.

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER VII.

Dissensio inter Principem Achaia & optimates Longobardia.

Rubr. I PHilippus Lacedæmoniæ Princeps, in discessu e Longobardia Cæsaris, instantia de se fidentium *Philipponi* Comitis *de* Langusco Papiensis, *Simonis* de *Columbiano* Vercellensis, & *Gulielmoti Bruxadi* Nouariensis, Vicariatus Papiæ, Vercellarum, ac Nouariæ a Rege petiit, ac obtinuit dato ære Cameræ Regiæ trium & viginti millium florenorum pro earum ciuitatum contributione, prouisioneque debita ad coronationis progressum, præfatis *Philippone*, *Simone*, ac *Gulielmoto* tantumdem æs in dies certos Principi iam dicto restituturos despondentibus. Hoc Princeps proposito ciuitates easdem gubernandas susceperat, vt nominatis Optimatibus earundem fauores impenderet. Ipsi namque, titulo Vicariatus seruato Principi, honorificentiaque præstita, populis præerant, & pro libitu, vt ante Cæsaris aduentum, dominatus obtinebant. Dumque in dies tempus procederet egresso e Pisis Cæsare ad vrbem passim properante, *Philipponus* Comes, *Simon*, & *Gulielmotus*, seu ex insolentia ob remotum Cæsarem ausus extollentes, seu forte populorum impotentia, quos affecerat instans annua sterilitas, Principi desponsum æs restituere differebant frustratoriis pollicitationibus, nec ipsi Principi rerum familiarium facultas ad ordines satellitum, quibus opus erat, retinendos suppetebat. Nausea, seu dedignatio ex his magnanimo increuit Principi, dum se, quem dominantibus præpositum, extollendumque condigne existimabat, paruipendi cerneret, ab his præsertim, quos expressos,

expreſſos, abiectoſque ſuſtulerat. Ad hæc *Maphæus* Vicecomes, Mediolani Vicarius, quem amara odia aduerſus præfatos agitabant, Principem ſtimulabat, quos & facile ſuis refellendos aſtutiis, ac prorſus nequitiis poſſe ſuggerebat. Tandem inualuiſſe credita ſunt ipſius *Maphæi* continuata ſuſurra. Ipſe namque Princeps veluti fraudem fraude vindicaturus, dum *Turinum* ſponſalium cum Delphini filia contrahendorum cauſa profecturus eſſet, *Ricciardinum*, *Philipponi* de *Languſco* primogenitum, & *Simonem* de *Columbiano* ſecum ducens, vinctos detinuit, adiiciens illos, niſi ære ſoluto in ſui, vel parentis poteſtate futuros, cum pœnarum etiam adiectione, & debito intereſſe. *Simon* de *Columbiano* paucis dierum intermediis ſeſe, vt Principi libuit, ſoluto auro redemit. *Ricciardino* interim in vinculis remorante, *Maphæus* Vicecomes in aduerſariorum ſtudia peruigil, has, quæ inter Principem, & præfatos ſimultates ſerpſiſſe præſenſerat, ſibi profuturas inſpiciens, accitis ſibi *Montiſſerrati* & *Salutiarum Marchionibus*, exercitum in agros *Papiæ* ad *Lomelinam* terram feraciſſimam, dum præmatura ſata iam meſſes expoſcerent, præpoſito *Galaaz* promogenito ſuo, direxit. Hi agros, coloniaſque cum ſatis & vineis vaſtantes, ac depopulantes, caſtella quæque indefenſa diripuere. Quibus & *Mortara* caſtrum a præſidio, quem Princeps Lacedæmoniæ in illo tenuerat, vltimo redditum eſt, circumpoſitiſque ante *Gaarlatum* caſtrum fortiſſimum ſtatiuis, præſidium, quod pro *Philippono* Comite in eiuſdem cuſtodia præerat, fame affectum ad dictum *Galaaz* defecit. *Philipponus* autem Comes cum Papienſibus, Aſtenſibus, *Alexandrinis, ac Regis Apuliæ *Roberti* Seneſcalco, qui *Albæ* præerat, in *Lomelinam* fruſtra, feroque contra egredientes copias circa *Gaarlatum* recuperandum eduxere. Nam *Galaaz* cum ſuis potitus iam illo, actiſque populationibus, inexpectato congreſſu redierat. Sed caſtris ſic metatis contingit, vt Alexandrini inſtantis annuæ ſterilitatis fame pæne conſumpti, ex impotentia vlterioris reſidentiæ, caſtris incenſis, exercitum, omiſſo *Gaarlato*, redire coegerint.

* 18

II Intra autem Longobardiæ viſcera in ciuitatibus hac tempeſtate variæ partes, hinc Gelfa, hinc Gibolenga, decertabant bellis aſſiduis. *Guido* de *Corrigia*, *Guido* della *Turre*, *Gulielmus Caualcabo* cum Gelfis ſequacibus factione *Venturini*, & aliorum de *Succino* cum equitatu, ac peditibus *Succinum* perrexere, caſtroque dedentibus indigenis potiti ſunt, rebellibus, qui parti Gibolengæ adhærebant, occiſis, arce dumtaxat excepta, cuius deditione vitas paciſci volentes intrinſeci, admiſſi non fuere. Pro huius ergo arcis expugnatione *Gulielmus Caualcabo* inſiſtens pro peditibus CC Cremonam mittit. Dumque ii pedites præſto *Succinum* proficiſcerentur, in *Guarnerium* de *Oembore* Lombardiæ Præſidem in occurſum arcis *Succini* cum militiis Mediolani, Pergami, & cohorte regia venientem, incidere, a quibus cæſi, fuſique ſunt. *Gulielmus* autem *Caualcabo*, nunciata ſuorum clade, confeſtim copias ſuas in campos aduerſus *Guarnerium* eduxit, vbi & prœlium anceps extitit. Denuo * *Gulielmus* equo, quem * conſederat, ſtratus occiſo, in alterum proſiliens, ſigno dato, verſa acie in *Succinum* ſe contulit. Ingredientem oppidani, qui in arce erant erumpentes inſultauere, *Guarnerio* cum ſuis mixtim in caſtrum introeunte, & terga cædente. Circumuentus igitur *Gulielmus* iterum confoſſo equo corruens cum magna ſuorum ſtrage capitur, & ad Præſidem *Guarnerium* adducitur. Præſes illo agnito, & de nomine, quod ab eodem quæſierat, certior factus, *non*, inquit, *vlterius in boue, vel equo equitabis*, & dempta galea cum claua, quam geſtabat, caput eius confregit, illumque necauit, cæſis ibi ex *Gulielmi* haſtatis militibus circiter L, captis LX; ex peditibus cæſi CC, capti C, ceteri fugientes Cremonam aduenere. Tum Cremonenſes magnus pauor inuaſit, per vrbem totam luctus, ac mœror. Vixque ſe vrbe continere ſpem retinuerant. Mediolani vero, & vbicunque Gibolenga pars per Longobardiæ ciuitates præerat, exultatio.

Mors Gulielmi de Caualcabo apud Succinum.

* *Legam*, *Demum* P.
* *L. conſcenderat* P.

Vvv vv III Lau-

Fanonis de Drisimo, Vicarii Laudensis, primatio.

III Laudensem ciuitatem dum ***Fano*** de ***Drisimo***, Imperii sacri pro Romanorum Principe vices agens regeret, factione partis ***de Summarina***, ac præcipue ***Antonii*** de ***Sifratico***, res nouas moliebatur, vt ***Visterinam*** scilicet partem, quæ Gibolenga ab antiquo fuerat, vrbe pelleret, ac ***Guidoni*** de ***Corrigia***, & ***Guidoni*** della ***Turre***, ceterisque Gelfis adhæreret. Sic compertum inquisitione ***Guarnerii*** Præsidis apparuit, ***Fanone*** præfato per ipsum Præsidem in vinculis coniecto, & data ***Visterinæ*** parti ciuitatis Laudi potestate, dispersis, ac oppressis omnibus ***Summariuis***.

Placentiæ commotio.

IV Placentiæ potestatem in Longobardiæ discessu ciuibus Gibolengis Rex ipse tradiderat, ***Alberto Scoto*** non admisso, qui statim castro ***Arquadi***, & ***Florenzolæ*** potitus, bellum ciuitati mouit, tandemque vltimo receptus introiuit. At ***Guido*** de ***Corrigia***, & ***Guido*** della ***Turre*** cum Cremonensium, Brixiensium, ac Parmensium, & Reginorum * exulum cohortibus ***Placentiam*** coequitantes, Gelfos sibi præordinata factione præuisos in ciuitatem posuere.

* Dixi alias, debere scribi *Regienses*, non *Regiaos*, cum de *Regio Lepideo* sit mentio. Item, *Pergamum* esse ciuitatem Asiæ, *Bergomum* Italiæ. Quare hac in rubr. & in sequente videntur hæ voces corrigendæ, & si quando alias occurrent. Quod mihi satis fuerit hucusque annotasse. V.

Pergamensium in fide Cæsaris perseueratio.

V Pergami ciuitas, ***Bailardino*** de ***Nogarolis*** Veronense Vicario pro Romanorum Rege, Gelfis exclusis, per idem tempus cum ***Maphæo*** Vicecomite, ac Mediolanensibus, Veronensibus, ceterisque Imperii fidelibus perseuerans stetit.

Defectio Hastensium a Cæsare ad Robertum Regem Apuliæ.

VI Hastenses a Cæsare, pulso Imperii Vicario, factione primatum Gelforum ad Regem ***Robertum***, seu eius Marescalcum, qui ***Albæ*** præerat, defecere. Diuisi igitur Longobardi, partium accensi furoribus, quibus poterant bellorum studiis, alternisque prœliis, ferro, & igni sibi, populisque acerbe aduersabantur. Cæsaris quidem partes agebant ***Turinum***, ***Nouaria***, ***Vercellæ***, ***Philippo*** de ***Sabaudia*** Principe Achaiæ Vicario Mediolani, ***Pergamum***, ***Cumæ***, ***Brixia***, ***Verona***, ***Vicentia***, ***Mantua***, ***Mutina***, ***Laudum***, ***Placentia***. At contra in fidem partis Gelfæ, quam sanctæ Ecclesiæ nuncupabant, ***Alba***, ***Hast***, ***Alexandria***, ***Papia***, ***Parma***, ***Regium***, ***Cremona***, ***Padua***, ***Taruisium***.

Mutinensium Gibelengorum clades.

VII ***Francisco*** autem della ***Mirandula***, ***Mutinæ*** Vicarium gerente, pulsis Gelfæ partis valentioribus, qui per municipia hostes adiudicati, bellum ciuitati incursionibus assiduis inferebant, Bononienses, partis eiusdem Gelfæ instinctibus, exulibus Mutinensibus peropportunis suffragiis opitulabantur. Illi autem iis freti subsidiis, agros Mutinensium vsque in ipsius vrbis appendicias vastabant, depopulabanturque. Sicque ciuitas pæne obsessa fame, ac inedia sic * afficiebatur, vt exilium ciuilitate tolerabilius foret. His in angustiis contigit, vt, dum prælibati exules cum Bononiensium subsidiariis militibus ad ***Baioariam*** exurendam, pagum scilicet ab oppido duorum fere millium passuum distantem, concurrerent, ac præda rapta ædes concremarent, ***Franciscus*** Imperii Vicarius cum nobilibus, ac militia, & mercenariis militibus, qui & ***Mutinæ*** præsidio erant, eductis copiis in illos fecerint impetum, & congredientium vtrinque pugna atrox duarum fere horarum spatio commissa sit. Fortuna, ac belli euentu, cuius finem mortales ignorant, exulibus victoriam parientibus, terga dedere intrinseci. Illico, & ***Franciscus*** captus cum suorum strage, occisique hi viri insignes, ***Prendiparte*** Vicarii filius, ***Thomaxinus*** de ***Gorzano***, ***Iohannes***, & ***Vbertus*** de ***Fredo***, ***Nicolaus*** de ***Alcardis***, ***Iohannes Zacagnus***, aliique ex populo, plebeque Mutinensi ferme centum quinquaginta: capti circiter centum. Ceteri mœnia repetentes magno discrimine suscepti sunt. Et acta sunt hæc anno Domini nostri Iesu Christi millesimo trecentesimo duodecimo, VIII Idus Iulii. Nec intrinsecis pauori modus, per fora, plateas, & vicos discurrentium mulierum vlulatus, puerorum vagitus, suspirantium seniorum tremores, vt vix argumenta defendendæ vrbis, viresque ad claudendas portas suppeterent, dum & denuo transmissis ad ***Canem Grandem*** Veronæ, ac ***Passarinum*** Mantuæ Vicarios viciniores,

**39*

denique

denique & ad *Maphaeum* Mediolani Vicarium, ceterosque Imperio fauentes litteris, vt se naufragos adiuuent, se languentibus viribus, vixque desperatis continuere. Victores ad castrum *Saxioli* cum praeda, & captiuis regredientes signa militaria, vexillumque regium ad victoriae spectaculum *Bononiam* transmisere, subiicientes, nunc potiundae vrbis *Mutinae* tempus habile instare, si quidem propere Bononienses cum copiis circum moenia percurrant. Illi nulla mora cum militum centuriis, peditumque ordinibus sarcinas aduehentes supra *Mutinae* foueas instructis aciebus, positisque statiuis cum machinis, & omni tormentorum genere, ad oppugnationem sese coaptauere. Ex aduerso impiger *Canis*, & *Passarinus* de *Bonacosis* cum Veronensium, & Mantuanorum, ac stipendiariorum cohortibus ad tuitionem amicorum Imperii se *Mutinam* contulere. Paduani vero nuntiata Mutinensium clade cum militum hala, & magna peditum sequela pro *Cane* reuocando *Montagnanam* festinantes in agros Veronensium populabundi exiuere, cuncta ferro, igniqne vastantes, exustis, ac vi *Cologna* vicis castro adiacentibus captis, cum praeda Paduam rediere.

Contumeliosa contentio inter Praesidem Longobardiae & Principem Achaia.

VIII Perque idem tempus ex conuentu Vercellis existentibus *Guarnerio* de *Omborc* Longobardiae Praeside, *Marchionibus Montisferrati*, *Balatrono*, *Maphaei* Vicecomitis filio, aliisque compluribus, pro Imperii agendis opportunis, accidit, vt lis subito inter ipsos oborta scandalum pareret. A *Philippo* namque Achaiae Principe castrum cum basilica *Sanctae Mariae*, quod in ipso vrbis sinu positum est, Praeses postulauit, magnificentius ac congruentius fore asserens pro Imperii Maiestate, vt idem, qui prouinciae Praeses erat, in praestantiori, eminentiorique loco consederet. At contra Princeps, qui illud idem obtinebat, se eiusdem Imperii in ipsa vrbe Vicarium, priuatamque potestatem habere allegabat, adiiciens, quod & ad tempus ipsum Vicariatum dato Imperatori magno aere coemerat, suique esse iuris ad tempus exempto*, & indulto. Succurescentibus itaque verbis excandescens Praeses arma conclamauit, inque Principem excurrens, in equo consistentem manu ad ceruicem superiecta vna cum equo summo impetu versus *Tizonum* palatia trahebat inuitum, vbi & ipse in munitionibus condescenderat*. At ex Principis militibus assistens vnus *Aymo* de *Asperomonte* arrepto pugione Praesidem petiit, inque eius latus vulnus magna vi intulit, quo tardatus, occupatusque vulnere Praeses Principem dimisit. Immixti igitur Francis Germani, manus inuicem immiscuere, Praeside tandem saucio in proximas *Tizonum* aedes cedente. Princeps nactus in manu dextra vulnus ad Aduocatorum palatia profugus concessit. In platea quoque plures ex gente Principis occubuere. Continuo itaque intestine in nouam dissensionem accitae Imperatoris partes nouas res exorsae sunt, recollectis hinc inde in Vercellis vndecunque viribus, accersitis & (vt perlatum est) *Philippono* cum Papiensibus, aliisque Longobardis eiusdem ligae in socias partes aduersus Praesidem, *Maphaeo*que* Vicecomite cum suis, & Imperii fidelibus Praesidi adhaerentibus. Ingentes igitur in Vercellis simultates, causaeque scandali in hoc rerum procinctu exortae sunt. Ad hanc iudicandam contumeliam fratrem, Lugdunensem Archiepiscopum, *Guidonem Dalfinum* Leuitum, ac Dominum de *Pulchro Lido* Princeps adsciuit. Occurrit & sponte Sabaudiae Comitissa, Magni *Amei* Comitis vxor: vbi conuenientes ob Maiestatis Imperatoriae contemplationem de pace propensius actum est. Arbitrationibus itaque ad conditiones redactis, stabilitum est, vt Vercellarum Vicariatu, plenoque Dominio Principi reseruato, vterque inde* abscedat. Decem octo ex *Tizonum* Primatibus, ac duodecim ex Aduocatis ab Vercellis abeuntibus, mandatis Imperii pariturís. *Tizonibus* Praeses, Aduocatis Princeps confinium loca ad libitum constituerent, sicque *Turinum* Princeps, *Laudum* Praeses contendit.

** commode legetur, ex empto P.*

**leg. consederat Sch.*

** mel. Maphao Vicecomite, fine que Sch.*

* 40

Captio Vercellarum per Philipponum Comitem de Langusco.

IX Rebus Vercellarum sic se habentibus, *Philipponus* hac allectus, laetusque desidia, *Tizonum* diminutas ex conditionibus vires praeuidens, cum Papiensibus, ceterisque amicis Longobardis maturauit iter, vtcumque potuit, Vercellas, eductis illo copiis, susceptusque ab Episcopo Vercellensi *Simone* de

de *Columbiano*, eiusque sequacibus intra mœnia, in partem *Tizonum* irruit, & multa cæde, prædaque ciuitatem inuasit, palatia, munitionesque illorum demoliens, & in Aduocatorum, suamque, & suorum partem cuncta disposuit anno Iesu Christi Domini nostri millesimo trecentesimo duodecimo mense Iulii.

Deletio Berica facta per Paduanos cum Bacchilionis aperitione & captione Poiana.

X Taruisina interim Marchia, & præcipue Paduana ciuitas, instantis *Canis Grandis* offensa insecutionibus, nec non & retentæ Bacchilionis aquæ ad communis vitæ commodum intolerantia, ipsa impellente necessitate, in hostes sæuire propensius impellebatur. Paucis inde diebus dum inutiliter, frustraque fluminis transgressum tempeasset, vt præmonstratum est, tandem vna dierum circa Augusti Kal. nonnullis illius profluuii exploratoribus edocentibus, incustoditum pontem, qui *Narto* præest, villæ scilicet, quæ ad collem montis *Bericæ* dependet, refici posse, repente Paduana militia, populusque per noctis tenebras adductis tabulis, omnique trabium apparatu in ripa *Bacchilionis* rutilante aurora constitit, nulloque tumultu veteris pontis affixis ad fundum aquæ pilonibus trabes adiecere, deinde tabulis superpositis in vlteriorem ripam egressi sunt. Tunc clamore tubarum, multaque exultatione *Vicentiam* versus patente itinere direxere acies omnesque populares ordines, dum ceteris coloniis post terga omissis, ac illæsis ad villam, quæ *Longare* dicitur, accederent, vbi munitissimum castrum erat, quod supra obicem obstrusæ aquæ Vicentini construxerant; sed illud a præsidiis desertum profugis ad montana inuenere. Hoc itaque occupato, cursoribus præmissis totus processit exercitus vsque ad pagum, qui *Longare* dicitur, qui passuum ferme duobus millibus a ciuitate distabat, signis collatis. Subsistensque ibidem militia, præstolata cursores, non vltra progressus est, iam poscente recreandorum equorum, hominumque hora, ab æstu laboreque defessorum, dum iam septima diei pars præteriisset, præeunte nocte tota in vigilia peracta. Cursoribus autem advenientibus, qui ad speculandum, si qui motus ab vrbe apparuissent, præmissi fuerant, qui quidem e gente *Canis* quinquaginta ferme in equis*, obuii eis occurrerant, partim fuderant, partim captos adducebant, posuere bipartita castra. Stipendiarii siquidem in *Longare*, Paduani in *Custoza* se locauere. Continuo a Potestate ex Senatus consulto edictum, promulgatumque est, vt Vicentinis cum Paduanis societas, constansque amicitia tantummodo volentibus concessa, permissaque sit cum omni offensarum indulgentia: tyranno tamen *Cane* omni exuto Dominatu, abstinereque interim in biduum omni iniuria, ac depopulatione. Sed huius edicti tenorem non admittentibus Vicentinis, seu contemptibus, seu potius ademptæ sibi libertatis obstantiis, ad omnia incendiorum, depopulationumque damna discursum est. Captis miserrimis ruralibus (proh causarum, malorumque inexpertibus!) qui montis totius colonias incolebant, oliuis, palmitibusque cæsis, cunctisque ædibus incendio consumptis, & vt nominandas in memoria villas, quas septem & viginti fuisse constat, vnicum indicet posteritati compendium, totum quicquid ædium terræ subsistentium mons, quem *Bericam* vocant, a primo meridiei colle, vbi *Oriani* primæ villæ nomen est, vsque ad ciuitatis suburbia ab vtroque montis latere cum angulo incluso, quem *Vallem Grauconem* nominabant, ignis absumpsit, deuectis inde supellectilium, omnisque generis vtensilibus Paduam per manus publicas, & priuatas. Et ne notabilem euentum conscriptio digna prætereat, in *Custozæ* vico orificium montis est, latissimusque in concauo saxo cuneus, hinc per triuia, inde per quadriuia meatus educens, vbi & inexpertis irremeabiles latebræ. Cuius cunei latitudo passuum mille capax est.

* qui Sch.

Ex hocque æterni efflant cum frigore venti.*

Locum hunc si continuatæ per colonos ab antiquo famæ credamus, Romani* in metallum damnati fodere. Vnde ex *Custoditorum* itidem vocabulo *Custozam* in hunc diem vocant, quasi *Custodiam* dicant. Sed, o anxius, o inexpletus rei familiaris mortalibus amor! In hunc tam terribilem, tenebrosumque inclusi locum plurimi incolarum cum multis rerum suarum sarcinis, omnisque ætatis, & sexus familiis hac tutela confisi sunt. Strue namque lignorum

* mel. perflant Sch.

* quid si, Romanis V.

lignorum in orificio adacta cum sarmentis, igne, stuppa, & aquæ respersione, cuius copiam naturalis fons in eo loci administrabat, fumorum tum densitatem euomebant inclusi venti, vt accedere volentibus extrinsecis prorsus * intolerabilis esset accessus. Huius facti admiratione stupefacti Paduani vix per triduum excogitantes, quidnam remedii ad hos educendos reperiri posset, tandem a prudentioribus cautum est, vt ex cæmento, lateribusque solida confecta pariete os cauernæ huius obstrueretur, idque effectum est. Extemplo respirantibus ventis, exclusoque aere destillans desuper humiditas cum frigore humana afficiebat corpora ex vitalium elementorum carentia, sicque vitas magnis rogauere clamoribus, deditique sunt. Consummatis his postremo, & *Bacchilionis* flumen ad solitum alueum conuertere nouo dirupto opere, castro, munimentisque a Vicentinis multo labore antea constructis. Hoc eodem exercitu per montana *Alontia* pro coloniis exurendis coambulante in terra *Leonici* fumus conspectus est, ac si villa ipsa conflagraret, *Leonicum* signa vertere, insultum cum clamore facientes. Ex intrinsecis oppidanis nonnulli, qui partes Comitis *S. Bonifacii* agebant, exhortati in eandem Villam ignem iniecere, vt terrore concussi, qui præsidio arcis erant, ipsam dederent Paduanis. Tunc ingens vltro, citroque clamor exortus rem in discrimine posuit. Intra arcem quidem *Canis Grandis* iussu, Leonicensibus suspectis, Veronenses dumtaxat inclusi erant ad loci tutelam; extra vero vtriusque factionis terrigenæ pernoctabant. Circundatis igitur munitionibus, Potestate Paduæ a meridie signa firmante, *Vinciguerra* Comes *S. Bonifacii* cum stipendiariis a septentrione montem conscendit ad *Sancti Firmi* locum, quem continuo obtinuit. Omnia in certamine constituta sunt; sed arce viriliter ab Veronensibus defensa, nihil vltra obtentum, patratumque est, quam ipsius villæ partes fere tres exustæ, soleque iam discedente recollectæ acies ea die *Orianum* ad castra reuersæ sunt. Verum Leonicenses, qui factionis præfati Comitis erant, desperatis rebus expectatione *Canis* diffisi, cum familiis omnis sexus, & ætatis in eadem castra venere ad Comitem *Vinciguerram*. Abolita *Berica*, exustisque castris, vertentes iter Paduani *Poianam* terram fortissimam circumuallata fouea duplici cum castro munitissimo aggressi sunt. Locus enim hic Paduanos fines a Vicentinis, Veronensibusque distinguebat, adeoque formidolosus ipsorum finium ruralibus, vt in hoc veluti angulo inclusi latrones, aggressoresque cunctos circumstantes præda, rapinisque assiduis impeterent, & si quando Paduani in Veronensium, Vicentinorumque fines permeare tentauerant, per hunc locum sublata facultas foret. Plebe igitur præmissa, cum omni superstite militia, insultu repente cum clamoribus facto, vndique circumstetere. Oppidani per diurnam resistentiam cum lapidum iactibus, & frequentibus sagittis vulnera plurima intulere oppugnantibus, eademque & perpessi sunt. At demum declinante vespere, impellente *Albertino Mussato*, cui forte vehendo vexillo Quarterii *pontis Molendinorum* sors obuenerat, trabibus longis vltra foueas vtrasque adactis, ingenti exhortatione, impulsuque via ferro aperta est, vexillumque inter foueas illatum. Qua violentia, terroreque confusi intrinseci, retrocedentes, igne tectis subito immisso, derelictisque villæ stationibus, in arcem se proripuere. Tum & ceteræ irrumpentes populi cohortes ad arcem vsque oppidanos insequuti sunt. Altera vero die intenti ad oppugnationem castelli Paduani, delatis in foueas cratibus cum sarmentis, omnique ad eas replendas materia, pugnam intrinsecis intulere, ibique balistarum impulsibus cum conuitiis, & hinc inde tumultibus tota peracta dies prœlio est, semiplenis foueis, quas iam per inferiores meatus aquis exsiccauerant, feroque impellente in castra rediere. Sed ea nocte omni spe frustrati Capitanei, qui præsidio erant, *Cane Grande* non aliud, quam multæ pollicitationis litteras destinante, arce deserta, proditis stipendiariis, ac custodibus ceteris, furtim profugi ad *Canem* se contulere. Stipendiarii autem, ceterique, qui in præsidio manserant, luce prima pactionibus impetratis, obtentisque, vt viui dimitterentur, euasere, capita numero sexus vtriusque trecenta, ca-

*41

ſtrumque illico crematum eſt, præda partim in commune redacta, partim aduſta. Tuncque multa alacritate feliciſſimis congratulationibus Paduani reuerſi ſunt anno Domini noſtri Ieſu Chriſti milleſimo trecenteſimo duodecimo, menſe Iulio.

Exuſtio Curtaroduli per Canem Grandem.

XI Verum *Canis Grandis*, Paduanorum exercitu apud *Poianam* remorante, cum militibus circiter quingentis, peditibuſque mille in Paduanum diſtrictum populabundus exiit, coloniamque locupletem *Curtarodulum* vi capiens, ferro, igneque vaſtauit non abſque ruralium incolarum cæde. Quamquam & in digreſſu terrore perculſus aduenientium *Veceli* de *Camino*, qui Paduam forte in Paduanorum ſubſidium venerat, ac *Pagani* della *Turre* Epiſcopi Paduani, & *Gualpertini Muſſati* Abbatis *Sanctæ Iuſtinæ*, qui in * ſuccurſum *Curtaroduli* excurriſſe dicebantur, prædam dimiſit, profuguſque Vicentiam contendit. * 41

Deletio coloniarum Vicentini diſtrictus per Pedem montis.

XII Nec inde Paduanis, *Canem* ſibi viribus imparem ſentientibus, perſequendi propoſitum * deſiſtit. Diebus ſiquidem eiſdem, Auguſti Kalendis, viribus reſumptis, accerſito viro egregio *Veceli* de *Camino*, conciue ac ſocio, iterum in campos Vicentinorum magnis copiis exiuere a calle *Canfreduli* per ampla prædia educentes acies, plebeiaſque cateruas, in villa *Sandrici*, & *Lupiæ* diuiſo ex copiis exercitu, caſtra ponentes, quibus in ſequentem lucem igne abolitis, exuſto, diruptoque caſtro *Monticuli* de *Precalcino* cum omnibus appendiciis in villa *Verla* metati ſunt, nec per dies octo prædæ, populationique finis. Ab ſuburbanis quippe Vicentiæ munitionibus, ſic vt montana continebant, quæ vallem *Driſmi* excludunt vſque per occidens a parte vtraque vallis *Legoure* per ſuprema, & infima pedis montis a *Soledo* incluſiue vſque in *Baſſiani* fines nihil ſubſtans relictum eſt. Conſumpta ſiquidem omnia ferro, & igni, captis victiſque incolis omnibus, quos montium apices fugæ remediis non ſuſtulere. Vixque *Canis Grandis* ipſa ſuburbia defendit, quæ adorti Paduani ſunt, eductis aciebus ad valla cum tubarum, lituumque ſtridoribus, & in ipſum *Canem* laceſſitum ad prœlium conuitiis, rumoribuſque plebeis. Indeque ſe referentes per agrorum latitudines ad *Cittadellam*, deinde *Paduam* rediere anno eodem, menſe Septembri.

* f. *deſtitit* V.

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER VIII.

Rubr. I VEniam profitenti non abneget lectura poſteritas, ſi res geſtas noſtri Cæſaris a meis remota notionibus, ab hinc minus ſerioſe deſcripſerim, cum inueſtigationi per internuncios, amicorumque, & peregrinorum documenta ſollicitudo non defuerit. Ea propter operæ pretium ſit ſaltem veritati ſtudioſius attenta fidelitas. Malui quippe, ſi quid demeruerim, de omiſſis argui, quam de male dictis.

Egreſſus Cæſaris de Ianua, & aditus Piſas.

Ianuam egreſſus magna claſſe Cæſar in *portu Veneris* magna tempeſtate dies circiter quadraginta perſtitit, inde *Piſas* applicans, curiam auxit concurrentibus vndique Tuſcis, & Romandiolis, ceteriſque, qui ſub *Alborum*, & *Gibellinorum* vocabulis partem imperii in Italia fouerant, per menſes duos Martium, & Aprilem anni milleſimi trecenteſimi duodecimi a Domini ortu, quo in ſpatio multa inter Piſas, permulta & extra, præſertim intra *Romæ* penetralia, oraſque maritimas tractauit, tentauitque. Compoſitiſque, vtcumque valuit neceſſitudinibus, nullo ſtrepitu, paucis concomitantibus, ſumma ſpe allectus ex Romanorum factionibus, dies, noctéſque

noctesque perambulans per *Plombinum*, ac maritimam Kalendarum Maiarum die occidente sole *Viterbium* petiit, comiter a Præfecto vrbis, & *Anguillariæ* Comite susceptus. Hunc Cardinales cum ceteris Comitiuis multa defessi celeritate, viæque grauedine subsequebantur, vtque pontem, qui *Molis** dicitur, quem occupandum *Iohannes Roberti* Regis Apuliæ frater statuerat, quod & Cæsar ipse præsenserat, ipse præoccuparet, iter nocte maturauit, inexpectato *Pandulpho* de *Sabellis*, quem ad *Iohannem* præfatum tractaturum de compositione præmiserat. Extemplo, vt iuxta vrbem peruenit, cohortem militum per ipsum pontem *Molem* in vrbem transmisit. Verum ex ligneo propugnaculo ad pontis latus extructo, quem *Tripizonem* vocabant, sagittarum iactus exiuere, illataque vulnera introeuntibus, ex quibus equi occisi quamplurimi, & nonnulli hominum in transitu interempti.

* Hic pons, qui primo fere lapide ab vrbe distat, *Miluius* ab antiquis, *Mollis* a nostris appellatur. Auctor noster sequutus vulgarem appellationem, *pontem Molem* dixit, cum debuisset dicere *Mollem*. Sed causam huius rei alibi monstrabimus. V.

Ingressus Cæsaris in vrbem.

II Cæsar interea in locum tutum extra vrbem sese recolligens sibi, & suis habiliorem, cum intrinsecis *Columnensibus* præparauit ingressum, quem non omnino furtiuum fore suapte* magnanimitas passa est, etiamsi ferro viam aperire expediens sit. Sabbato autem II Kalendas Maias eo ibidem subsistente, in Dominicam sequentem luce prima Romanorum cohortes *Columnensibus* præuiis cum multa plebis caterua, horum scilicet, qui Imperii partes agebant, obuiam cum exultationibus exiuere, Clero multo concinente, ac per *Columnensium* patentes introitus induxere, inque Papali palatio Lateranensi locauere. Ex familiaribus tunc, sociisque Germanæ ac Gallicæ linguæ ferme septingentos habuit hastatos. Ex Tuscis Albis, ac Gibolengis milites trecentos. Quem & Comes *Sanctæ Floræ* cum centum quinquaginta, Comes *Anguillariæ*, *Stephani* de *Columna* Generalis cum centum, *Corradus* de *Antiochia* cum quinquaginta militibus prosecuti sunt. Existens in Roma Cæsar omnia tentare, antequam bellum cum *Roberto* Rege Apuliæ ineat, præmeditans, sciscitauit, quamquam & ad ipsum Regem in Apuliam *Iohannem* de *Iustiga*, & Religiosum vnum ex Prædicatorum ordine præmisisset, vt scilicet Cæsari ad coronam suscipiendam auxilium præstaret, neue contra attentaret, inniteretur que, cum id in basilica principis Apostolorum *Petri*, & *Pauli* fieri & antiquus mos, & Apostolicæ litteræ contineant ac præfigant; perquirique ac experi ad hoc fecit *Vrsinorum* Primores altæ prosapiæ. Ad quem Cæsaris internuntii nil obtentum, cum diu percunctati fuerint, retulere. Hæc præter, vt omnia in solius *Roberti* Regis voluntate consistant, illius hoc esse iudicium, huius velle, huiusque nolle, ipsum adeant, nihil ad hos attinere de perquisitis.

* 43

Propugnaculum Tripizonis.

III Cæsar non oblitus contumeliæ in transitu *Tripizonis* acceptæ, illud expugnandum iussit, circa quod obsidione firmata, expugnationibus circumpositis cum balistis, aliisque ad propugnaculum, quod ex tabulis erat, deiiciendum opportunis, pacta personarum salute, locum in deditionem accepit in Pentecostes vigilia, vespere iam declinante. Dumque ad planiciem loco vicinam Regis *Roberti* milites, vt subsidium intrinsecis ferrent, se exposuissent, illico prœlium commissum, quod crepusculum diremit, occisis ex vtroque congressu circiter X. In diem sequentem *Iordanus* de *Columna* cum ducentis quinquaginta Anagninis, Tudertinis, ac Spoletinis in succursum Cæsaris aduenere, per quos eosdem dies transmissi Legati Cæsaris ad Regem *Robertum* in Apuliam cum responsis ad *Iohannem*, & Vrsinos rediere, quæ ad Cæsarem relata sunt, quod videlicet Tuscis fidelibus ac Longobardis dilectissimis defecturum se non decreuerat, polcentibus in se, suosque prædecessores obsequiis, meritisque. At assentiente, emologanteque *Philippo* Francorum Rege, assensu Apostolico, sponsalia forsan has mitigarent, sedarentque controuersias in Italia verisimiliter obuenturas tradita Cæsaris filia primogenito *Roberti* prædicti, eodemque genero in Longobar-

diam,

diam, & Tuſciam Vicario per Romanum Imperium conſtituto. Cæſar Tuſcis, Longobardiſque fidelibus, quorum ſubſidiis, obſequiiſque, ac ductu res magnas, progreſſumque e montibus fecerat, indeficiens Regia conſtantia ad omnis belli fortunam tentandam animum erexit, primoque propoſito vrbis fortalitias captare, loca munita præoccupare, vt ſi in vrbe, quæ caput mundi, Imperiique Romani eſt, ſe continuerit, ceteras terras, tanquam appendicias, ſuum veluti caput reſpectare.

Comeſſatio Cæſaris cum Romanorum Principibus, & exhortatio ad dandas fortalitias.

IV Inſtinctu itaque ſuorum, & præcipue Columnenſium, veluti comeſſationem cum Romanis facturus, abſque differentia Nobiliores in conuiuium vocauit, ad quod hilaritate multa conuenere inſignes fiducialiter, quos inter *Annibaldus* de *Annibaldis*, *Iohannes* de *Sabello*, & *Thebaldus* de *Campo Floræ*. Hi quidem, quamque Vrſinis affines, eiuſdemque proſapiæ, Imperatori non adhæſerant; quin imo aduentum renuerant, ac contra præſumpſerant, & ſe in tantas res nouas immiſcuerant. Gratulabundum ſe Cæſar inter hos, alioſque conuiuas exhibens, demum epulatus, lectis fragmentis, amotiſque tabulis inter eos ſic factus eſt.

Fari mihi inter vos tanto in rerum diſcrimine, cauſa, ratioque mouet, o Quirites, *vixque ſtupor, atque admiratio loquendi facultatem occupat, cum excogitem, quid me ex* Auguſta *vrbe Regia in hanc Italiam adduxerit, & quid niſi iam deſueti extollendi amor Imperii? vt iam vix notus Romanus a Barbaris mundo imperet ſub clypeo, tituloque Cæſareæ Maieſtatis. Quid frequentes litteræ, quid Nuncii celeres toties expetiuere, niſi vt meum carum viſitem Senatum, populumque Romanum? quo exultante in Capitolium vehar? Venione violentus inuaſor, qui ab Apoſtoli* Petri *limine repellar? a clementiſſimo, ac ſanctiſſimo Papa miſſos teſtes adduco tres a latere Cardinales. Hi duces, hi nuncii, executoreſque legum, Canonumque, & Imperialium ſanctionum. Ad vos itaque reuertor, vos alloquor*, o Quirites. *An fruſtra vocatus venerim tanquam mundo ludibrium? Sciturus ſum in huiuſmodi charitate conuiuii, quæ vos vota alliciunt*, quid geritis in arcanis, quibus ex vobis fulcientibus adiuuer, declaret, edatque optio ſingulorum.*

* 44

Hoc ſi ſuccincto, breuique ſermone paululum vultu ſubmiſſo ſubſiſtit metuendus. *Stephanus* de *Columna*, vir inſignis, ſe ſuaque, & ſuorum deſpondit, nec defecturum, quoad poſſet, morte non excluſa, ſi caſus, fortunaque popoſcerint. *Nicolaus* de *Comite** ſe gratuitum decus, cingulumque militiæ a Rege *Carolo Roberti* Regis genitore ſuſcepiſſe ait, aduerſus quem & poſteros non iturum ſubnixe propoſuerat. *Annibaldus* vero, *Iohannes* de *Sabello*, & *Theobaldus* de *Campo Floræ* Regi Romanorum parituros ſeſe obtulere in omnem caſum, & aduerſus omnes cogitationis ſuæ, ſingulis dumtaxat exceptis. Cæſar exceptiones has ægre admittens, potiuſque eis turbatus, cuiuſque aſiſtentium in ſcriptis dicta redigi imperauit. Demumque *Stephanum*, ſuoſque, obſidibus datis, abire conceſſit, ceteros deprehenſos priuatim tenuit. *Annibaldumque* Militiarum palatia, munitioneſque ac turrim *Sancti Marci*, & *Coloſſeum*, quorum poſſeſſor erat, reddere coegit. Iuſſit etiam inuito & reluctanti *Iohanni* de *Sabello*, vt ſubarras ad domos, viciniamque ſuam firmet, quarum obſtaculis Vrſinorum genti dempta ſit migrandi ad Capitolium, quod tunc ipſi tenebant, facultas, ſeu etiam ad Militiam, turrimque *Sancti Marci*, & *Coloſſeum*. Inde enim in eas fortalitias erat meatus, hocque volente Cæſare prorſus factum eſt, circiter XII Kal. Iunii, quo & die ad ſubarras Cancellarii, qui Vrſinorum partes tenebat, per gentes Cæſaris decertatum eſt, in quo plures vtrobique cæſi, captique, quos inter *Petrus Malabranca*, ipſius Cancellarii nepos, a Ducis Bauariæ Satellitibus. Sequenſque dies maiori certamine acta eſt prope domos, & ſubarras *Riciardi Petri* de *Annibaldis* cum multa cæde, ac vulneribus procedentibus Vrſinis vſque in vicinas domos Columnenſium, captuſque ea die *Comes* de *Biſerno** cum pleriſque conio-

* f. de Comitibus V.

* Quid ſi legamus de *Piperno*? P.

consociis, flagraueretque ruina domus eædem cum turri funditus mandato Cæsaris. Vigesimo autem Maii die, VIII scilicet Kalendas Iunii, Capitolium omni Vrsinorum subsidio carens defecit ad Cæsarem.

Mors Episcopi Leodiensis, & plurium Cæsaris Principum in vrbe cædes.

V At deinde succensis ad maiora partibus increuit vtrinque furor. Nam & Cæsaris manipuli pridianis exhortati victoriis intensioribus ausibus VII Kal. Iulias insultum fecere ad subarras *Laurentii Iohannis Statii* sole ad tertiam iam horam ascendente. Is *Iohannes* vir nobilis Romanus partes Vrsinorum summa vi agebat, qui occurrens ad subarras defendendas primo certamine saucius lethaliter occubuit, confractisque subarris discursum est per Vrsinorum vicos, in quibus & ipsum illustris viri *Gentilis* de *Vrsinis* palatium erat situm, quod totum Germani, Francique, ac ceteri Cæsaris bellatores cum multorum strage depopulati sunt. Primates siquidem partis aduersæ, *Iohannes*, *Roberti* Regis frater, cum Romanis, ac Tuscis in castro *S. Angeli* consultantes super agendis conuenerant. Auditis itaque ruinarum fragoribus, & conclamantium vocibus confestim ad arma concurrere, directisque aciebus ad occupatum vicum se trahentes dispositos ad prædas Teutonicos cum Francis, ceterisque, qui iam omnia exuberanti victoria succedere sibi reputauerant, insultum fecere. Tunc ibi strages, cædesque in fugam conuersorum, quorum terga sine intermissione cædebantur. Pars intra domos rapinis onerata necabantur. Fusi itaque, fugatique ea die Cæsaris amici, & subsidiarii vsque in Columnensium domos sunt. Occisa in viis publicis reperta capita centum quinquaginta, inter quæ occubuit vir super illustrissimus Episcopus *Leodiensis*, *Comitis** de *Barri* frater, *Petrus* de *Sabaudia*, *Ludouici* Senatoris frater, *Abbas* de *Nuncimborc*, *Robertus* Flandrensis, pluriumque ex intimis Cæsaris illustres, ex Germanisque Teutonicis, & sociis latini nominis. Regalia signa, & Sabaudiæ, ac Flandriæ ablata, & in spectaculum ad amicos Florentiam delata. Hoc conflictu *Nicolao* de *Bonsignoribus* Senensi, qui tunc Capitolii sedem *Ludouici* Sabaudiensis Vicarius obtinebat, adnunciato, flagrans excandescensque, campanis vndique per turritas ecclesias ad certamen pulsatis, percussisque, populum Romanum elicuit præconiis vocibus: continuoque vrbem vndique armorum fragor, plebeius clamor, strepitusque concussarum ædium inuasere ad subarras concurrentium armatorum frequentia. Hoc die detectæ partes odia publica, priuataque detexere.

* mel. *Barri* Sch.

Copiarum Cæsaris in vrbe diminutio.

VI Sed victoria iam in Vrsinorum partem succrescente, famaque sic in publicum perferente, Cæsaris fautores, zelatoresque regii culminis pœnitudine substracti, defessi, sauciique destitere, in tecta sua quisque remeantes, necatis per vicos, & angulos ad certamina multis, *Stephano* etiam in tibiam percusso acriter; conflictæque, ac confusæ ab inde Cæsaris partes ad subarras non prodiere, omni spe reparandarum virium destitutæ: diminutæque deinde * Cæsaris copiæ, *Leodiensis* Episcopi, ac Flandrensium occisorum illustrium familiis, desperatis rebus dispersis. Nec tamen & Præfectus vrbis, Comites *Anguillariæ*, & *Sanctæ Floræ* eodem conflictu defecti discessere. Spoletini, Tudertini, Narnienses, ceterique Imperatoriæ fidei populi, & *Corradi* de *Antiochia* sequaces ad sua quisque reuersi sunt. Sic angutato *, oppressoque & de *Pisis* aduersa noua allata sunt, vt dum illo pro balistariis quingentis Romam per æquora ducendis pro opportuno subsidio destinasset, illique iam e portu Pisano *Vanni Musca* Admirato septem galeis vela pro euentu * erexissent, *Raynerius* de *Grimaldis*, *Roberti* Apuliæ Regis Admiratus, Pisanæ motionis per exploratores præmissos edoctus, veloci delatus septem galearum nauigio inuasit, fuditque incautos multis contra certantibus necatis, ceteris cum vasis, & omni balistarum apparatu ad Regem suum Neapolim adductis. Decrescentes videns copias suas Cæsar, instinctu nobili in se ipsum compressus, Deo immortali, fortunaque sic reprimentibus, dum vrbis potiundæ tempus, necessitudoque non appetant, soli coronationi innitendum constituit, superos,

* 45

* f. angustiato V.

* f. aduentu V.

ros, inferosque fauores alias accepturus, bonum, faustum, Deumque in se propitium de corde non abiiciens, sed euenturos successus mente vsquequaque coniectans. Summissis itaque, qui ab *Iohanne Roberti* fratre, ac Vrsinis exquirerent, vt * concessa principis Apostolorum basilica, præordinata per Papam sanctione coronam acciperet, mitigatione aduersariorum nil voto consonum assecutus est, referentibus his in *Roberti* Regis hæc assensu consistere. Expectatusque is assensus frustra, diuque præmissis, ac remissis ad *Robertum* Regem Legatis laicis, ac clericis, nullatenus habitus est, nullaque exaudita a Rege vox est, nisi, vt sese præstolarentur, negotiaque interim singula differrent, pollicitus inde semper, & in dies iter maturare, in singulis deficiens terminis, qui dilatione Tuscos, Italicosque Gelfos non modo fatigabant laborum fastidiis, sed spei vanæ illusionibus perturbabant, ignauiæ socordiæque imputantibus Regis fœminei *Roberti* nomen in Regem *Bertam* vertentibus, sicque vulgo vocitantibus. Sed alii alia certatim adiudicabant. Vulgabant nonnulli, Apuliæ Regem in se ipsum diuisum factionibus multis agitari, plurimos Imperii nomen, dominiumque zelare, multos Francigenas odire, Francorum mores Apulis exosos, vixque minus, quam Siculis varios varia exoptare, *Friderici* olim Imperatoris gesta in abditis susurris laudari. Et ea propter circumspectum Regem *Robertum* a regno digressum non elongare. Satis superque esse, dum metui sit Cæsari, subsistere extra regni fines. Præterea formidolosum admodum *Fridericum* Siciliæ Dominatorem nunquam votis Francorum accommodum, quem cum Cæsare magno fœdere adstrictum constabat. Hæc, aliaque a Romæ accessu *Robertum* tamdiu arcuisse.

** L. in concessa Sch.*

VII Cæsar his pertemptatis, proposito deficiens, Cardinales, vt se apud Lateranum coronarent, sollicitauit. Illis asserentibus, nefas esse a Papali constitutione, rescriptisque discedere, litterarum contextum, moremque longæuum allegantes: replicanteque Cæsare, necessitatem legem tollere, vimque facti vi sacrarum legum pellendam, per ipsum non deficere ad vrbem Papali missione profectum coronam accipere, veritati, & æquitati obsequendum fore, nec dubium, Papam emologaturum etiam ex post facto, si quid inhabilitatis in tanti consummatione negotii fuerit. Cardinalibus vero non assentientibus, Cæsar populum Romanum, illum videlicet, qui suas partes fouebat, in Concilium euocauit has proponens facti angustias, quidque expediat, consultans. Ex plebiscito itaque obtentum est, Cardinales Reipublicæ suasionibus, precibusque coronam dare; sin autem, coercendos per Tribunos, populumque Romanum. Reluctantibus itaque Cardinalibus plebs commota est, in illos excandescens, iamque furore accenso, intra Militias Cæsarem in priuato affati sunt, se ad Papam facti tenorem direxisse, responsumque speratum intra Iulias Kal. præstolari. Velit in mansuetudine persistere Maiestas Cæsarea, sacrosanctæ ecclesiæ monimentis, institutisque obtemperare, obsequi, sic omnia prosperari. Circumspectus Cæsar remisso animo dictis acquieuit, concione sedata, dimissaque. At intra hos dies impensis tanto exercitui deficientibus, ipsaque regia camera exhausta pecuniis, contributionem populo Romano decreuit. Edicto emisso impatiens plebs ad scandalum iam nullis aliis auctoribus concitabatur, exinaniuitque illius contributionis edictum, Iudæis dumtaxat, qui trans, & intra Tiberim morabantur, obtemperantibus. Dum igitur dies vigiliæ principis Apostolorum instaret, summa luce de palatiis Militiarum egrediens multo cœtu in montem Auentinum concessit. Postquam autem illuxit sequens diei festum, populo comitante, ac Principibus suarum partium Lateranum venit, Missarumque * solemnibus peractis, protestantibus Cardinalibus, scilicet Legato, & *Luca* de *Flisco*, non sua sponte, se plebis, Regisque impulsibus se coactos parere, coronam auream capiti eius imposuere, multis cleri, populique applausibus inclito Imperatori *Henrico* semper Augusto vitam, victo-

Acta circa coronationem in vrbe, & ipsa corona assumptio.

* 46

victoriamque conclamantibus vniuersis in Auentinum ad parata conuiuia, comessationeque cum Nobilibus, & plebe delatus est anno eosdem Domini nostri Iesu Christi millesimo XII. CCC, Kal. Iulii. Nec sine aduersariorum molestiis tam festiuum, tamquam celebre conuiuium peractum est. Missi quidem ad scopulum Auentini montis fundibularii, ac plures cum balistis, discumbentes ad pulpitum spiculis inquietabant, aliquibusque sauciis per pauimentum ad loca tutiora sub parietum tegminibus confugiebant. Obiurgabantque conuitiis in Cæsarem clamore sublato; sed hoc veluti paruipendens Cæsar in sua magnanimitate, nihil palam molesti in patulum ostentabat. *Annibaldus* autem, & *Iohannes* de *Sabello*, quorum mentio supra habita est, quibus detinebantur in his motibus, angusta egressi loca, custodibus improuisis, de palatiis in vicos passim subterfugere, per vrbis appendicias ad castra sua, duobus ferme millibus ab vrbe distantia, confugientes. Tuncque Cæsari aduersantes milites sexcentos *Roberti* Regis in castellis eisdem suscipientes, bellum Cæsari intulere. Prædas itaque, rapinas, incendia, & hostilia quæque ad ipsas vrbis portas committebant, & ne quidquam deesset iniuriæ, quæ in eorum potentiis consisteret, decurrentem fluuium ad eas vrbis oras, vbi Cæsaris omnis aquabatur exercitus, obstruxere, diruptis etiam molendinis, quorum vsu idem vescebatur exercitus. Quod si ad Tiberim potiundæ aquæ causa iter conuertebant, *Roberti* Regis balistarii illos a fluminis aditu repellebant.

Exitus Cæsaris ab vrbe, & ad Tiburem profectio.

VIII Sic deinde arctatus Cæsar, vix se intra vrbis mœnia continebat, rebus ad victum necessarium denegatis. Ratus deinde mutandi loci cautelas honestiores, tutioresque, Nobiles præfatos in ius euocari iussit, vt iusto iudicio, si contempserint, hostes adiudicarentur; quibus contumacibus, veluti bellum illis indicturus, vrbe egredi meditatus est. Armatis scilicet copiis castra illorum tanquam aggressurus, parare, tuncque iter extra vrbem versus Tiburim diuertere inscius inimicis. *Tibur* quidem ciuitas est decem & octo millibus passuum ab vrbe distans, quæ quamquam publicæ rei subdita, partes tamen Columnensium fouebat, Imperatoremque affectabat. Relicto ergo Romæ præsidio trecentorum militum cum Præside, qui Columnensium oras, vicosque ac subarras tuerentur, diruptisque in planum *Annibaldi*, ac *Iohannis* de *Sabello* palatiis cum turri *S. Marci*, oriente sole vrbem egressus est, & recto itinere *Tiburim* contendit XIII Aug. Kal. Dumque identidem dies ferme quatuor egisset, Dux Bauariæ, *Dalphinus* de *Vienna*, *Vgo* frater *Dalphini*, Dominus *Fortiniati** ex gentis Cæsaris Principibus, vrgentibus his causis, inopiaque apparatuum inter tantos, obtenta Cæsaris licentia, impetratisque ab *Iohanne Roberti* fratre ex indulgentia rescriptis cum militibus circiter quadringentis discesserunt diætis celeribus, longisque *Viterbium* applicantes. Ex quibus causis diuisa, extenuataque curia intra *Tiburis* mœnia, vtcunque poterat, subsistebat cum militum fere numero nongentorum. Ad *Iohannem* itaque *Roberti* Regis fratrem in vrbe vndique ex Tuscia, Bononia, Apulia, & ex Patrimonii terris confluebant militum, peditumque copiæ, vbi iam ferme tria millia militum aggregata, pedites sine numero. Nec minus anxium, sollicitumque Cæsarem *Annibaldus* & *Iohannes* præfati assiduis contumeliis vexabant, concurrentes ad *Tiburis* portas, & Regem Romanum conuitiis increpantes ad prœlium euocabant. Sed hoc pro tempore, locoque Cæsar mansueta æquanimitate tolerabat. Iisdem diebus circa mensis Iulii exitum ad Legatum Papales litteræ allatæ sunt, vt scilicet vrbe Cæsar, *Robertus*que Rex cum vniuersis abscedant copiis, quodque dispositis in pace rebus ipse Romam proficiscatur, hæcque præconiis vocibus in vrbe, & Tiburi conclamata sunt. Arctatus, extenuatusque Tiburi omnibus copiis Cæsar, spe sublata potiundæ vrbis ad motus alios proniore fortuna laxauit intentum. Suadentibus, angentibusque Etruriæ Primatibus, quos vetusta quærendorum, visendorumue larium stimulabat anxietas, in amicas terras retrocedere constituit. Subeunte ratione, si Tusciam prouinciam prosperiores largirentur euentus, ibi & sedem futuram Italiæ, tanquam in centro positam, accommodamque

* lego. *Fortinnati* P.

Cæsareæ Maiestati. Prouinciæ huius, tanquam sortitam a re vocabulum, Florentiam, ceteris ciuitatibus, ac coloniis ingenti magnitudine præstare constabat, veluti prouinciæ dictæ fastigium, huiusque subigendæ causæ suberant, regium allicientes animum. Nec deerant huiuscemodi aggrediendæ vicissitudinis* promotores. Erant Gibolengæ partis vetustissimi Imperium, vti signum cæleste, colentes: Erant *Albi*, genus hominum superstitionis nouæ, qui nati ex Gelfis, eiusdemque factionis ex ciuilibus dissidiis a suorum communione discesserant, vniti Gibolengis ad omnia Gelforum irritamenta, perniciesque: & horum magna pars exiliis afficiebatur. Nactique hi *Alborum* agnomina a primis Pistoriensibus, Gelfos *Nigros* vocitantibus, quæ dispersa per Italas gentes adoleuere vocabula. Genera hæc Cæsarem & Imperium affectabant, perque vrbes has in ipsarum visceribus diuisæ, auctæque factiones. Nam, sicut in omnibus politiis plurimum contingens est, ex minus potentibus ad potentiores exoriuntur seditiones, sicque semper humanus vexatur instinctus, isque ad nouarum rerum optiones inferiores inducit. Deinde nonnullos, sanguinis vincula vrgente natura, relegatorum parentum sollicitabant, torquebantque præcordia, & horum plurimi consanguineos in patrias terras videre cupiebant. Nec Cæsarem fallebat, hac quæsita prouincia, Longobardis rebellandi facultatem non fore, multis suæ partis potiores vrbes constanter obtinentibus, sicque ab Tiburi vsque in Alemaniæ ostia limen patere.

* 47

Mors Francisci, Marchionis Estensis.

IX Hac tempestate *Ferrariam*, conflictis, pulsisque Venetis, qui post obitum Magnifici *Azonis*, Marchionis Estensis, illam occupauerant, possidebat *Dalmasius* ex Cathelonia oriundus, a *Clemente* Papa præfectus. Is Magister militum, virque bellicosus erat, qui mercede a multis Italicorum accepta vitam in armis exercuerat. Degebat & *Ferrariæ*, vt priuatus, Illustris *Franciscus* Marchio, præfati *Azonis* olim frater, qui præfecturæ, ac dominatui eiusdem ciuitatis, post eius mortem, paternæ domus vt successor, ab intimis aspirabat. Sic igitur vtrinque obortæ simultates. Is liuor diu latitans in dies incendebatur. Præoccupata tandem loci, & temporis opportunitate, *Dalmasius* ex præuiso conceptu, dum *Franciscus* in siluam ad venationem exisset, Cathelanorum præsidia per vicos distribuens, *Aldobrandinum* alterum *Francisci* fratrem, ceterosque qui eiusdem factionis erant, publicæ rei gerendæ causa veluti consultaturus in Concilium euocauit. Hosque custoditos pro rei gerendæ cautela tenuit ad prædestinatam horam aduenientis *Francisci*. Dumque iam declinante sole aduentaret e venatione *Franciscus* cum paucis inermis, ense duntaxat ex more ad latus, nunciata iam rerum suspicione *Francisco*, vt subsisteret, non acquieuit. Se nihil male promeritum asseueranti*, causasque non subesse, ob quas tuto ire fiducia, facultasque desint; procedenti porta *Leonis* patuit, sed confestim, vt ingressus est, ab ipso *Dalmasii* fratre, Cathelanisque circumuentus, stipatusque est. Aiunt plerique, eum ex præordinato capiundum duntaxat, ni ad capulum manu superiecta, viribus vti, tutelaque demonstrasset. Alii iam necem præconstitutam fore*. Lanceis itaque, ac pugionibus statim confossus concidit, proh tantæ strenuitatis, magnificæque domus pudor, denudatum in ludibrium nobile corpus in tabe*, lutoque paternæ ciuitatis non exportatum diu iacuit, quoad ex Religione viri prodeuntes, obtenta licentia humandum nullo necessariorum fletu deferrent. Visa, vulgataque res hæc perquam crudelis, horrendaque adiudicata est per Longobardiæ, Tusciæ, Marchiæque Taruisinæ fines, hoc indignum funus ab alienigena tantique excessus indigno, vel præsumptus viro. Fuere alii, qui certatim diuersa dictitarent, causas scilicet subesse tantæ rei aggrediendæ, patrandæque. Vulgabant quidem in diuersoriis, *Franciscum* in necem *Dalmasii* clandestine per satellites molitum, quodque illi capti, confessi, conuinctique suppliciis addicti forent, & hoc Papam non latere, quapropter exosum *Franciscum* habuerit. Itemque hoc ipso tempore res nouas *Franciscum* in Ferraria exorditum aduersus *Dalmasium* cum suæ factionis viris, quodque

* *f.* asseueranti,

* dicendum, *fuisse.* V.

* Liccnolo P.

quodque in eum statuerat & ipse perpessus sit. Hæc, & alia optionibus variis per vicinas terras vulgata, multisque veluti confabulata susurris. Veritati locum superfore censeat iudicantis auctoritas.

*48

**ALBERTINI MVSSATI*
DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS
LIBER IX.

Egressus Cæsaris e Tiburi, & aduentus in Tusciam.

Rubr. I BEllum laturus in Tusciam Cæsar, multis ad idem propositum recensitis, diuque permensis, propere scilicet Tiburi accitis ab Vrbe compositisque copiis egrediens, longo, laboriosoque calle *Viterbium* petiit, inde Perusinos incutiens fines. Cumque hanc ciuitatem aduersam sibi, suisque iam pernouisset, mœnia vitabundus, per colonias populationes suis concessit, exacuitque motus in acriores actus, vt ceteris Tuscis timori foret, veluti in arma furens, viasque Marte discindens. Nec Gallicus Germanusue furor suis ipsis parcens castella, & terras *Comitum* de *Marzano* * damnorum, contumeliarumque immunes fecit, quamquam & hi Cæsaris partes fouissent. Communis clades cuncta igne, ferroque vastauit; sicque populabundus tumultuariis gressibus copias omnes in *Aretium* contraxit. Ibi tanquam sponsus in thalamum suum susceptus, exeunte congratulanteque omnium Gibolengorum frequentia, moras omnes sustulit, trepidantibus vicinarum vrbium vndecunque Gelfis. Cœptoque illico autoritatis Imperatoriæ primordio, *Robertum* Apuliæ Regem in iudicium citandum iussit, emisso edicto in diem certam, mulctaque indicta, si sese contumacem reddiderit.

* Appellatur hæc gens, *i Conti* de *Marciano*. Sed hic noster posuit z pro *c*, more Longobardico. V.

Insultus Cæsaris in Florentinorum agros, & alia circa Florentiam.

II Nec minus extemplo aquilas, aureamque flammam explicans in *Florentiæ* fines processit, exustisque ædibus, & singulis ad prædam concessis castrum *Montis Vuarchi*, vix intro confugientibus, seque ad tutelas accommodantibus terrigenis, vndique circumsedit. Nouo terrore perculsi, qui præsidio erant, stupefactique repentina obsidione tam validis, potentibusque hostibus ad pugnam iam se coaptantibus, vix capiundo consilio vacabant destinatis horis, inscii, ignarique, quid & Florentiæ tanto in motu actum, præsumptumque sit, a qua parte nulla vera notio illos exhortabatur. Sic itaque circumuenti, confusique ex diffidentia tutelæ, petitis, indultisque personarum & rerum remediis, deditione castri ad Cæsarem defecere anno D. N. XII. CCC. millesimo, circa Kalendas Septembris. Felici itaque vsus successu Cæsar, castris inde motis, castrum *S. Iohannis* aggressus est, quod terrigenarum, in partem Imperatoriam declinantium, factione prodito præsidio, qui* custodiæ erat, continuo in deditionem accepit. Capta ibi Cathelanorum equitum capita XL, peditum LX. Tantarum rerum tumultus Florentiam delatus, admiratione, terroreque multo quosque ciues concussit. Captatis tandem opportunitatibus temporis, compositis militiis, centuriatisque aciebus cum plebeiis manipulis occurrentes Cæsari, ad *Ancisam* substitere, quo aduocatorum sociæ partis, Lucensium, Senensium, & ceterorum Gelforum, subsidiis ante congressum vnirent*. Cæsar, seu spe intestinæ factionis, seu cautiori potiundæ vrbis ingenio castra mouens, vitabundus & ipse incundi perperam congressus ad ciuitatem iter diuertit, spatioque mille circiter passuum a suburbiis substitit, fixis castris. Florentini tanta rerum variatione perterriti, admiratique, celeri meatu Florentiam regressi sunt. Tunc vtrinque aggregandarum virium studia: Cæsari depopulandorum agrorum, ædiumque circum mœnia, vt & intrinsecorum præcordiis tanto improuisu terrores incutiat, feriatque facti admiratione mentes: intrinsecis

* pro, *quod*, vt alibi. Sch.

* f. *vnirentur*, aut, *se vnirent* Sch.

 trinsecis

trinsecis egregia in tanto anfractu, virilisque audacia, Tusca subtilitas, prouidere, vigilare, amicitias exteras euocare, sollicitare mœnia circuire, vallare, noua fœdera inter se percutere, sponsalia copulare. Quodque in ciuitate Florentiæ vix eueniturum pacis tempore existimabile, a plebe contra Magnates instituta ob violentias euitandas, ex plebiscito sublata sunt, abrogatis, abolitisque decretis Tribunitiæ potestatis. Vulgata aduentantis Florentiam Cæsaris, increbrescenteque notitia per Tusciæ vrbes, Bononiamque delata ad arma capessenda, qualis antea non fuerat, publicus, priuatusque concursus. Ad hunc non Imperatorem, non Romanorum Regem, sed humani generis hostem propulsandum communis earum gentium festinabat intentio: submouendum hunc non modo Tusciæ finibus, sed terra, marique repellendum. Discurrereque confestim e *Luca*, *Senis*, *Perusio*, *Castello*, *Vulterra*, *Sancto Geminiano*, *Colle*, *Pistorio*, *Bononia*, *Romandiola*, earumque coloniis militum turmæ, cateruæque peditum, relictis duntaxat custodiendorum locorum præsidiis *, quorum copias vix Florentina mœnia continebant. Cæsar palantes cohortes ab incendiis, populationibusque reuocans, in vna castra coegit, foueis circumuallauit, suburbanisque vicinas castrorum munitiones compressit, vnde armorum, virorumque fremitus, hinnitusque equorum exaudiebantur. A cœnobio quidem *S. Salui* ad Florentiæ pæne appendicias castra regia protendebantur, nec iam *Musellum*, aut *Scarparia*, vel quisquam ad vrbem aditus a mane, meridieue ad fulciendam vrbem patebat. Superuenit tunc in partem Cæsaris noua clades. Nam, vt Florentinis Pisani obuii, infestique forent, ad vicinum Pisis Florentiæ castrum exercitum duxere, statiuis circumpositis; seu, vt partem copiarum a Florentia distraherent; seu, vt illo sublato castello, castrum *S. Miniati* aggrederentur, sicque diuerterent, minuerentque vnitas Florentinorum vires. Tum *Dego* Mareschalcus omnium bellicorum apparatuum cum ferme militibus mille, peditibus totidem, noctu iter mouens ante lucem insperatum, inexspectatumque prœlium in Pisanorum castris intulit. Improuisi Pisani pæne arma capessentes, iam multis in ipsis tentoriis trucidatis, nihil præter terga hostibus dedere. At militum consternatio minor, qui ad propinqua Pisarum municipia citatiores fugere. Tunc cædes ac strages, quantam victoribus pro libitu fortuna, casusque administrauit. Relictis siquidem castris in fugam omnes conuersi, a tergo cæsi sunt. Eo die Pisanorum capita sexcenta occisa, totidem circiter capta, vexillaque, & signa regia, multaque alia militaria cum tentoriis, & statiuis grandis existimationis Florentiam relata. Perque hos dies ipsis Kalendis Octobris paulo ante Luciferum ab Hesperia ad Hyperboream plagam sub Bootis temone in aerem infimum, metuendum Regibus signum, descendit. Igneus scilicet & æstuans Cometes, faciem terræ magno collustrans fulgore, qui dimidia & vna ferme hora exustus, consumptusque est. Huius erat flammeum corpus concretum, longam ab Hesperia caudam protendens, tortuoso, conuolutoque sursum acumine, cuius altera linea latior, ipsa tamen cauda breuior in eam partem, quæ occidens ab Aquilone diuidit, protendebatur. Interea Florentini, vt gentibus Cæsaris peruagandi, prædandique saltus auferrent, vtque frumentandi de *Aretii* finibus vias præcluderent, Fesulanam arcem, basilicamque *S. Miniati* in monte, ac palatia filiorum *Petri Benincasæ*, ad collem *Ripolis* sita, muniere præsidiis, ex quibus locis vndique Cæsaris speculabantur exercitum, multæque pugnæ tumultuariæ intercedebant; palantibus Cæsaris persæpe militibus. Harum pleræque memorabiles. *Brancharolus* de *Eugubio*, Pisanorum miles mercenarius, in Vulteranenses * agros prædabundus exiuerat, in quem *Belaqua* de *Vicecomitibus*, qui forte cum militum hala, peditumque leuis armaturæ manu, vt agros eosdem tueretur, obambulabat, incidit. Tuncque impari concursu improuisus *Brancharolus*, cui minor sociorum copia erat, concidit, fusis, occisisque tribus & nonaginta, in quibus quatuor & triginta in equis erant, captisque duobus & quinquaginta Gibolengi nominis Florentiam adductis. Fereque iis diebus circum Octobrias Kal. a Florentinis stipendiariis annonæ centum

* 49

* *Volaterranos* V.

centum quinquaginta salmæ, quæ ab ***Aretio*** vehebantur sub ducentorum præsidio ablatæ sunt; fusoque ipso præsidio, tribus scilicet & septuaginta captis, & sexaginta interemptis, ***Bernardinus*** de ***Polenta*** cum militibus octingentis, & peditibus duobus millibus in vallem ***Arni*** descendit. Castrum aggressus ***Leccii***, quod Cæsaris præsidio tenebatur, idque primo impetu ad ***Bernardinum*** defecit, munitumque extemplo a Florentinis, vt itinerantibus, vel quidquam ad Cæsaris exercitum deferentibus, facultatem eriperet. Nullaque mora ***Bernardinus*** præfatus ad ***Ancisam*** copias eduxit, in quam insultu facto, turrim ***Bandinelli***, quæ ponti ***Ancisæ*** eminebat, sponte deditam obtinuit, muniuitque in castri oppositum. Nec identidem persistens, noctu ad ***Gangaretum*** properauit, vbi cum eadem militum peditumque manu ad eius callis custodiam, ne suffragantes ad Cæsarem inde succedant, se inclusit, conniuentibus ad hæc Comitibus ***Saluatico***, & de ***Batifole***, eiusdem vallis Optimatibus. His incursibus arctatæ vndique ad Cæsarem viæ, solo ***Casentini*** patente aditu, erant. Inde enim vltimus migrandi meatus. Nam & ***Muselli*** fauces, collesque a Florentinis occupati, castro dumtaxat ***Burgii***, quod Imperio seruiebat *. Contingit quoque inopinatus, infestusque Cæsaris gentibus euentus. In VI eas Kalen. dum ***Arnum*** flumen Cæsaris milites, peditesque de more migrassent, repentina quippe a nocturnis imbribus excreuit alluuio, quæ illis ad castra repedandi facultatem ademit, vnde & peruagantes hinc, & hinc, frustraque vada passim inuestigantes, Florentinorum edoctus concursus præoccupauit, horumque pars * magna cæsa, pars naufraga, pars in molendina, quæ forte mediterranea in eo loco vsui Cæsaris suppetebant, profuga, cum ipsis pariter exusta, miserabiliter periit. Deleta ex hac sic casuali clade capita trecenta.

*intellige, exceptis Sch.

*50

III Circumuentus igitur Cæsar iis, aliisque impeditionibus, iam frumentandi sublatis aditibus, cum iam, nec ad esum munda pecora sufficerent, equinis, onerariisque animalibus exercitum ali oporteret, castra vltra ***Arnum*** traiicienda constituit. Clanculum rebus compositis, ne quicquam sinistri peragranti officeret, centuriatis distinctisque acierum ordinibus, repentino motu, nullo tubarum, lituumue strepitu Kalendis Nouembris ante Luciferum absque vlla hostium insecutione transiuit. Inde per vallem ***Emæ*** perequitans diurno lucescente fulgore secus pontem ***Axis*** ab vrbe passuum ferme tribus millibus substitit. Motus huius fama noctu in matutinas horas subiit, rumoreque per vicos in plateis, & theatris inualescente, subito ad arma vndique conclamatum est. Primates frequentium campanarum tinnitibus in forum signis expositis, non nisi luce diurna compositas cohortes portis eduxere. Tuncque varias plebs & militarium ordinum plurimi querelas effudere, Primorum ignauias, & nonnulli facinora detestantes, quod improuisi, & quod forte prouisi, sed irretiti sceleribus, Regem sic abiisse permiserint. Hesterna die habita notissima degressus huius indicia, hoc non socordia, sed conniuentia contigisse. Iudicia sic varia excandescentem plebem vix ad centurias coire sinebant. Tandem copias omnes, qua & Cæsarem iuisse præsenserant, direxere. Dumque ad ***S. Margaritæ*** locum quingentis fere & mille passibus venissent, agmina ibidem contraxere. Conspicatores prævios, qui Cæsaris gressum, statumue decernerent, cunctasque eius copias præmetirentur, præmisere. Ii speculati ad pontem ***Axis*** consistentes acies Cæsaris, veluti prœlium aperto campo non detrectaturas, retulere, quodque hastatorum militum mille sexcentos haberet, peditum octena millia adiicientes, quod & circumcirca palatia, Florentinorumque ædes ad duorum millia passuum subiectus iam flammis vrerentur. Nec hæc Florentinorum exercitum latebant, fumis turbulentissimum aerem, assilientibus ad cælum fauillis, in patulum conficientibus. Florentinorum igitur, ceterorumque sociorum iactantias & ausus Cæsaris vigor adeo contriuit, vt quamquam & militiarum triplicitas, & pedestrium ordinum infinitas imparem Cæsarem ostentarent, in equum descendere conterritas mentes non declina-

Recessus Cæsaris a Florentiae suburbiis, cum depopulationibus colonorum.

* *declinauerint* Sch.
* *fuisset* Sch.

declinauere *, potiusque periculo stupefactis fuisse *, si aquilas in se conuersas ad congrediendum loci habilitas obtulisset. Cæsar paululum cum acierum, & centuriarum ordinibus secedens, per ipsam *Emæ* planitiem ad passuum ferme tria millia ab vrbe, vbi *S. Maria* in *Paneta* vocitatur, castra reposuit, ibique curandorum corporum, reficiendarumque virium opportunitate vnam moratus cum subsequente nocte diem, inferenda Florentinis damna, quibus magis afficerentur, quibusque in locis, cum Principibus consiliis præmeritus est, indeque sublatis castris a *Porticu* vsque in *Marzaliam*, & deinde per *Vallem Grauem*, ac turrim vsque in *Quadrantulam*, & a *Valdepeta* ad *S. Romulum* cum *monte Spertuli*, & Villa *Pagnæ*, ac *S. Lazari* plebatu, municipiis, quæ sese fortaliciis contuebantur, dumtaxat exceptis, cremauit, vastauitque incendiis.

Castra Cæsaris apud S. Cassianum, cum congressu apud castrum Florentinum.

IV Et ad Burgum *S. Cassiani* opulentissimum † fere millibus passuum Florentiæ vicinum, nullis ex impotentia per viam resistentiis, accessit, occupantibus quæque concedens. Ibique recreatis, repletisque ad libitum pingui præda cohortibus palantes emisit milites per omnes montium, & planitierum ambitus, per destitutas oras profugis vndecumque incolis. Nec incendiis modus, flammis vndique prodeuntibus ad spectacula mærentium in sese conuictorum Florentinorum.

† Credo, hic deesse, *octo*, post *opulentissimum*. Tot enim lapidibus plus minus distat oppidum illud a Florentia. V.

Futuraque erat illa dies Cæsari lætabunda, nisi & casualiter ante ipsius diei occasum fortuna vices variasset. Dum enim ex Florentinorum exulibus Gelfis, Albisque Aretinis, ac Teutonicis cohors vna versus vrbem victoria suadente, vehenteque populabunda concurrisset, exhortatione præcipue *Vani Barroccii* †, & filiorum *Solatæ* * de *Albizo*, expositis iuxta crucem *S. Gadii* aquilis ad duo fere millia ab vrbe passus, in egredientes ab vrbe conspicatores, qui forte sciscitaturi, quo in loco Cæsar substitisset, prodierant, incidit. Ibique continuo concurrentibus hinc, & hinc absque ordine manipulis, commissa cædes; sed mage conterritis ex insperato improuisu exulibus, quos plus fiducia temeraria, quam belli expeteret cautela, illo prouexerat, magna & ipsi strage in fugam conuersi sunt *. Cæsi ex hastatis militibus circiter centum, capti quinquaginta, quos inter & Nobiles fuere quamplures, magno ex post facto a victoribus redempti. At vnus *Griffus* de *Lignaria* quæstionibus subiectus, coniuratione detecta, qua intro, citroque vrbis mœnia cum plerisque ciuibus, & agrestibus se ipsum in Cæsaris obsequium seditionem molitum professus est, aiminæ caudæ annexus ad patibulum tractus, denique & laqueo appensus est. Nec remissi Florentini extemplo, vt Cæsarem in *S. Cassiano* compositis copiis resedisse acceperunt, *Carrocium* ex Cathelonia cum mercenariis militibus, & cohorte Florentina ex vico vltra *Arnum* sito, ac Senensibus subsidiariis in *Valdelsam* transmisere, vt in tuto castella, & coloniæ oræ eiusdem forent, per quascunque, vt exposcebant locorum capacitates, præsidia posituros. Cumque & iidem sic destinati per indices, Cæsarem ad *Podii Bonici* exitium in lucem sequentem iturum cum exercitibus præsensissent, præuenientes delatis in castrum, vtcunque voluere mobilibus, vicum totum ipsi concremauere. Increscentibus itaque sic hostilibus contumeliis, vt atrocissimi belli cursu omnia in furorem, & excidia versa forent, Florentiam noua delata sunt, iam Comitem *Nouellum*, *Roberti* Apuliæ Regis Leuirum, *Thomam* de *Marzano*, ac *Gibertum* de *Santillo* Romandiolæ Comitem cum militibus quingentis *Senas* applicuisse in instanti Florentiam profecturos. His in publicum nuncupatis, plebeiæ societates accensis animis, lacessitis & in furorem vndique ciuibus, ad commiscendas per omnem prœlii fortunam cum Cæsare manus, Senatum haberi conclamauere, nec vltra prœlium differri, quam integratis cum Regis Apuliæ subsidiariis secum copiis euocandis, quæ cum fratribus circum loca, & vrbes, & collatis in vnum viribus dimican-

† legerem, *Barrucii* P.
* lego, *Sclata* P.
* 51

dimicandum. Habitus ergo Senatus est, paribusque id votis decretum. Interimque Cæsar in *S. Cassiano* persistens, cunctis ad victum affluebat commodis, satis superque exuberantibus rerum copiis; verum fomitibus * pro sereno tempore aquas non euomentibus, etsi humanis suppetebat vnda corporibus, non tamen belluæ siccis deriuationibus aquabantur; sed per distantes a castris valles *Canti Grauis*, *Vltranensis*, *Barberini*, *San Donati in Podio* (sic ipsæ nuncupabantur conualles) magnis adducebantur periculis. Iisdemque diebus ex Florentinorum Nobilibus *Gerardinis*, *Caualcantibus* iam domatis †, plurimisque aliis, quorum agri, castellaque, & loca iam in Cæsaris manus inciderant, in fidem venere Cæsaris, sese ceteris identidem exulibus, Albisque ad omnem vrbis oppugnationem, & intrinsecorum exitium adiungentes, tuncque ea ciuitas, quæ per multos annos floruerat, cuius decus & honorificentia assurgentibus insolentiis ceteras, veluti famulantes, peculiaribus premebat obsequiis, quamque, vt Italiæ apicem, populi Gallici, Germanici, Ligures, Illyrici, Apuli, Siculi, Aragones, Hispani, & omne Latinorum nomen venerabatur, obsessa sic repente, veluti sui ipsius pondere grauis, quatiebatur diffidentibus, in sese, ac dissidentibus, qui simul vna gloria, vnaque freti successiuum amœnitate pullulauerant.

* l. fontibus V.

† Suspicor legendum, *Caualcantibus ac Donatis*. Quæ gens Florentiæ nobilissima. V. *Ian-Donatis*. P.

O natura! o casus! o fortuitum! Vbi (vt sic iam eloquar) pridiana felicitas? te times? in te titubas? muris de te diffisa vix crederis, vixque illis credita substas? hostem Teutonicum toties paruipensum cominus minantem vereris, quæ animos rebus lætis credulos tantis aluisti deliciis? Sed te non pudeat, o rerum ignara, iam dudum vsa fortunæ blanditiis, sic ludicri ratio deposcit, Deus melius quam te tanti non pigeat insecutoris. En quis hic est? Cæsar. Quique Cæsar? Orbis Herus. In se aliquis per hypothecas * sic obiurgatus dictitabat tantis septus angustiis. Iam molles de Rege sermones ipsi paulo ante detestati deprompserant; sed hinc infracti ad conciliationes animi, hinc offensi Regis, veterumque exulum vrgebat timor. Sic irremediabiles rerum, ambiguæque conditiones ad tuendum hunc statum solitum * intensius incitabant, inuitabantque, sicque in dimicatione spes positæ, ferro rem vltimandam, factoque probandum censebant, iustiora quis arma induerit. Nec minor extra mœnia in Cæsaris exercitu circumloquentium fremitus; sed exuberantis victoriæ successibus licentiores audaciæ, vehementioresque ad congrediendum causæ, quod in hunc vltimum, irreparabilemque potiundæ patriæ, visendorumque larium euentum Deus, fortunaque illos eduxerit, nullum recursum consummatis in vnum rebus restare, cetera vitæ tædia fore, mortes has, si subire oporteat, suarum fines calamitatum. Ad hæc veterum, nouarumque igniti contumeliarum vlciscendi infrendebant instinctibus, vixque tardum congressum querebantur. Nec minores per ceteras Italiæ ciuitates motus, strepitusque, & conquassationes. Ad hunc veluti rerum suarum finem oculos singuli dirigebant, quibusque poterant subsidiis, suarum partium vires augebant, priuatim, & publice mittere, suffragari, polliceri, vt hoc suum quisque * 52 factum pensaret, vtque ad cupientium, precantiumque commoda belli finis declinaret. Vtrinque variis optionibus vota persoluebantur. Vulgari, communique assertione nullum in dubium reuocabatur, ad huius stateræ libram mundi pendere iudicium, vt si quidem victoriam alea fati Cæsari tribuat, rerum omnium potiatur. Interea ad *Legolim*, Florentinorum pagum, omnis Pisanorum exercitus cum salmariis pannorum, coriorum, sagittamenti, ferri, & omnium belli apparatuum se contulit, vt aperte illos * sollicitos Florentinos agerent, vtque Cæsaris copias fulcirent. Cumque circum XII Kal. Decembrias delatis ad *S. Cassianum* ad ipsum Cæsarem opportunis, inde reuersuri quinque centum fere onagros magna præda, quam ex coloniis, agrisque Florentinorum gentes Cæsaris quæsierant, onustos conueherent sub commeatu,

* apothecas P.

* l. solitu Sch.

* l. illi Sch.

tutelaque Centurionis Flandrensis, Comitis Flandriæ Militis, ac cohortis Cæsareæ Teutonicorum ac Flandrensium circiter CL, Pisanorumque militum CC, peditum, ac leuis armaturæ DC; ***Carrocius***, Cathelanorum ductor, & ***Tecla*** de ***Friscobaldis*** cum Florentinorum consociis, qui castri Florentini præsidio erant, in equis CXX, peditibus tercentis magna vi in hos insultum fecere, Pisanis extemplo in fugam versis. Ac continuo Flandrensis cum cetera cohorte regia pugnam non detrectauit; sed forti congressu prœlium atrox vtrinque commissum est. Ex delectis siquidem partis vtriusque (sic sors attulit) pugnam obuenire contingit. Confractis igitur in sese magno fragore lanceis, ceteris telis mixtim res acta est, dimidia & vna fere hora in hoc perhorrendo concursu consumpta. Tandem belli sic ferente successu, Centurio confosso equo, quem considebat, in terram præceps corruit, sicque deinde in infensos regios milites cædes commissa est; ipso tamen viuo cum triginta consociis militibus capto, ceterisque cæsis. Nec huius cladis, iis captiuatis, destitit strages. Nam in dispersos Pisanos, qui fugas magno pauore hinc, & hinc per prædia, & agros pererrantes arripuerant, insectatio est facta, qui pæne omnes, irruentibus ad hanc consternationem ex *S. Miniate*, castro Florentino, adiacentibusque circum villis ruralibus cæsi, captique sunt. Opima præda Salmarum quingentarum raptim ablata, aduectaque est in castrum Florentinum, & per cetera municipia, prout cuique surripiendi casus obtulit, signa quinque militaria cum Flandrensis vexillo Florentiam ad trophæum relata, Priorumque palatio appensa, ipsoque inde Centurione cum ceteris captiuis magno gaudio Florentiam transmissis; ex Florentinis, & aliis, qui cum ***Carrocio*** erant, quinque & viginti occisis, ipsoque ***Carrocio*** cum aliis circiter quadraginta grauiter sauciis. Felici itaque sic offerente successu, Senatui Florentino, partisque Gelfæ Primoribus placuit, Deo, fortunaque sic secundantibus frui, euocarique amicorum vndique sodalitia ad vltimum belli experiundum euentum, vt oblatas iampridem copias Florentiam vnaquæque mittat Vniuersitas, videlicet ex ***Senis*** milites octingentos, peditum millia quinque. E ***Luca*** milites octingentos, peditum millia decem. E ***Bononia*** milites quadringentos, peditum millia duo. E ***Perusio*** milites quingentos, peditum millia duo. E ciuitate ***Castelli*** milites septuaginta, pedites quingentos. Ex ***Eugubio*** milites centum, pedites totidem. E ***Romandiola*** milites trecentos, peditum millia quatuor. E ***Prato Pistorio***, & *S. Miniate* milites centum, pedites mille. E ***Florentia*** milites mille ducentos, peditum millia quindecim.

* *ALBERTINI MVSSATI* *53

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER X.

Prodigium, & mutatio status Taruisii e singulari dominio ad Communitatem.

** lego, exorientem P.*

Rubr. I IN huius anni fine, decimo nono Kal. Ian. humanum omne genus eclipsantis lunæ prodigio perterritum est. Nam & illa in vniuerso erubescens sanguinem portendere ab aruspicibus adiudicata est. Hocque horrendum, ac super admirabile habitum, cum illam paulo post crepusculum ex Oriente * a Septentrionali parte sanguineus color obumbrauerit, paulatim illam totam operiens, vsque ad metam diurni solis tertiam, per naturales horas ferme quatuor. Cæsare autem sic apud *S. Cassianum* castrum tenente, noua in Taruisina Marchia momenta exorta sunt. ***Vecelus*** de ***Camino***, alter ***Gherardi*** olim filius, minor natu superstes, in dominio ciuitatis Taruisii, ***Riciardo*** fratre necato improuiso casu, vt supra monstratum est, cum Paduanis sodalitium egerat, rupto Imperii fœdere, quod cum Cæsare frater inierat, parti Gelfæ instanter adhærens, sociumque

bellum *Cani* della *Scala* cum Paduanis inferens, astrictus eis in communes fortunas, & casus. Cumque verso proposito indies Paduanorum vires permensus esset, illas primo onerosis fatigare petitionibus, pressit, prætentauitque, maiora deinde petiturus, si in se admodum proniores inuenisset. Ædes ergo altissimas in ipsa vrbe, prædiaque ditissimorum rebellium per Comitatum sita petit, subiiciens, se absque suorum stipendiis, quæ singulis exercitibus Paduana Communitas conferebat, seruiturum minori ipsius Communitatis onere, suppetentibus sibi ipsorum prædiorum fructibus ad mercedes prædictas. His petitionibus, quanquam grauissimis, etsi non libentibus, conniuentibus tamen nutibus, assensere. Elatus his *Vecelus* in summas necessitates arctatos Paduanos tantorum exhibitione munerum nihil, quanquam magnum, denegaturos existimans, gradatim ad maiora experiunda dilatauit animum. Suggessit quidem nonnullos ciuium percunctari, vt se belli Capitaneum eligant cum omni mulctandi potestate militarium ordinum transgressores, adiiciens intractabiles Paduanos bellicis disciplinis, periculoque Reipublicæ fore, si, quem vereantur, cuiue deferant, desit præceptor. Dumque his per ciues violandæ libertatis formidine pauidos ægre responsum foret, pollicitis ad se valentiores ad gubernacula ciuitatis allicere summopere nisus est. Iis quoque identidem nihil proficiens, tumescentem animum in comminationes prorumpens, detexit, dum sibi, vt asserebat, salubria populo Paduano tantummodo petenti denegata sint, sibimetipsi prouidendum, inquiens; sufficere sibi a suis finibus hostes arcere, agros Taruisinos tutari, consultiusque sibi fuisse Imperatori obsequi successiuo fratris vicariatu, quam tres ciuitates, quibus præerat, vni soli comparasse. Non sic se neglecturum pro ingratis. Hac motus cautela, ingenioque, vt pauefacti, diffisique suis viribus Paduani summam ei petitorum potestatem tribuerent, per quam & ipse denuo ciuitate potiretur. At Paduani, quæ venabatur, iam præsentientes, illudentesque, insanum virum abhorrere, ac abominari excandescentibus cœpere propositis: sed non ob id odia detegere, & pro tempore, rebus sic per belli discrimina se habentibus, dissimulare, differre. *Vecelus* ad ea, quæ diu ante conceperat, agenda non segnis ad *Henricum*, leuirum suum, Goriciæ Comitem, qui paulo ante cum *Cane Grandi* ex sponsione infantulæ filiæ ipsius ad filium olim *Albuini* della *Scala* coniugationes inierat, perrexit, vti cum eo super aliis incumbentibus colloquium habiturus. Accersitoque Archidiacono Aquilegiense, qui partis Gibolengæ zelo amore *Canis* flagrabat, de compositione cum *Cane*, vtcunque id fieri posset, clanculum egit, se solo ac leuiro cum ipso Archidiacono, amotis arbitris. Id tamen per eos, qui cum *Vecelo* ad id loci concesserant subsequentibus indiciis prope præsumptum est. Sollicitus Archidiaconus hinc, & hinc persæpe ambiens, demum ad sponsalium conuentiones geminorum maris & feminæ, *Veceli* filiorum, cum geminis mari, & femina quondam filiis *Albuini* deuenit, paribus votis *Veceli* & *Canis*, quanquam in fidem amicitiarum cum populis sibi fauentibus obnixe obligarentur. Statutis itaque in dies certos exequendorum terminis, Taruisium remeans, vt ea appetentibus opportunitatibus effectum sortirentur, propensius studuit. Cumque paucos ex necessariis suis super amicitia cum *Cane Grandi* ineunda, per* quam sibi in tuto esset absque bellorum rancoribus, consuluisset, idque ab eorum nemine ob *Canis Grandis* formidines, quem in suos seuerissimum aiebant, obtinuisset: instanti tamen proposito, prædestinata die in cœnobio *Sanctorum Quadraginta* aduentante Archidiacono cum *Canis Grandis* nunciis ad omnia constitutis, rem fœderibus obstrinxit. Inuitum tamen Castellanum Taruisinum Episcopum in eo loci adesse solerti coegit instantia, cuius præsentia, quoad posset, factum exoneraret; remotum tamen a verborum audientia stare altero colloquio fecit, ne palam de his, quæ acta fuere, se testem profiteri valuisset. Neue hæc populo Taruisino prorsus ingrata antequam innotescerent*, quam *Canis Grandis*, & Comes Goriciæ cum præsidiorum copiis, vt

*54

* mel. ante innotescerent, quam Sch.

vt vltimo assentirent, præsto astitissent. Sed fatis, id est, Dei nutibus, humanos conatus persæpe irritantibus, a præinstructis Nobilibus serpsit in plebem Taruisinam iam indagantis famæ ventilabrum, Taruisium *Cani* proditum cum plebis ac Nobilium strage, ac nece, quod deletæ Vicentiæ exemplo in Taruisinos tantum prodeat facinus *, fæuiendum sit, iam præconstitutas in maiorum capita neces, cruces, & exitia quæque. Nec segnis *Rambaldus* de *Collealto* Comes accitis Episcopo præfato, Aduocato *Tolberto*, & *Biaquino* de *Camino*, plurimisque aliis insignibus, ac plebeiis in fidem vnam coeuntibus rem extemplo turbandam, inhibendamque omnino decreuere, iuramentis firmatis, præstitisque. Nec vltra distulere, præiudicantis moræ dispendia summouentes, in diem sequentem XVIII Kal. Ian. prima luce plebe hostiatim noctu concita, vt per vicos quisque præsto in armis ad concurrendum existat. Effecereque id * flagitantibus animis ingrauescentis dominii affecti tædiis, multisque ex penuriis vtiliter sibi res nouas exoptantibus, si forte ad prædas discurri sors permitteret. Nec præsentienti hæc in crepusculo *Vecelo* ad tot, tantosque arcendos suppetiere vires, nec iam pœnitudini ad resiliendum locus, aut tempus aderat efferatis ciuibus, incensisque ad vltimum odiis, nec nisi ferro decernenda res erat, si in plateas, vel fora conspiciendus prodiisset. Mane facto prædestinatis concurrendi signis, triplex ad *S. Mariæ* maioris basilicam exauditus est campanæ sonus, post quem cathedralis ecclesiæ, ac omnium ciuitatis capellarum increbuere tinnitus, quo strepitu *Rambaldus* cum armatorum manu ad plateam Prætorii se in patulum exposuit. Stipendiarii *Vecell* septuaginta circiter numero, qui ea nocte custodiæ vigiles fuerant, quorum maior pars Paduanorum erat, aduersum *Rambaldum* aciem direxere. *Rambaldus* præmaturum sui, & suorum concursum videns paulisper resiliit. At stipendiarii per viarum angulos, quibus ad plateam gressus erant; manipulos ceterorum conspiratorum in seruituros aduertentes, e platea diuulsi, migrato amne, ad *Vecelum* se contulere. *Albertinus* de *Castro Nouo* Paduanus, qui pro *Vecelo* Potestas vrbi præerat, cum paululum frustra restitisset, Prætorium populo resignauit. *Vecelus* desperatas res, nihilque ad ipsum præsidii confluere conspiciens, equo insidens phalerato, paucis comitantibus, vrbe digrediens ad proprias *Serrauallis* terras contendit, sicque Taruisina ciuitas, quæ annis ... Caminensium Principatui paruerat ad commune regimen redacta est, anno a Domini Iesu Christi natiuitate XII. CCC. M; XVIII Kal. Ian.

* *l. quod* V.

* pro, *flagrantibus* Sch.

II Sed hisdem diebus intestina, nouaque Patauii clades orta est. Vir erat in Patauo nobilissimo genere natus, paterno ex *Maltrauersorum*, materno ex *Estensium* Marchionum prosapiis *Nicolaus* de *Lucio*, miræ eloquentiæ, profundissimi ingenii, magnanimitatis immensæ, liberalitatis profusæ. Sed has virtutes obliquabat stimulus agitantis invidiæ, & ambitio interminabilis, ciuilia abhorrens instituta, nisi quæ ipso auctore condita fuerant. Intolerantia paris, vel maioris in ciuitate clanculum afficiebatur. Alterius laus sua semper sibi visa detractio, quo vitio bonos odire, assentatores diligere flagitabat *. Nullus illo melior, si quando illum ad boni sectationem non virtus; sed occasio dirigebat; ad nocendum nemo peior. Mirum, quoties in Senatu eius eloquentia causas roborabat inualidas. Nam in digressu e Prætorio Senatus consultum eius sententia firmatum, ipsi, qui calculis decreuerant, detestabantur, nec, quin in idem reciderent, propterea frequens pœnitudo correxerat. Agnitus infidelis fidelium conatus fallibili astutia superabat; vtque sibi suffragantes astu conquireret, muneribus coemebat; hos sacrarum ædium præfecturis locupletans religione contempta, Dei cærimoniis per abusum ad commoda secularium erogatis; illos annuis exenniis ex horreis propriis exhaustis, & penu; alios ex Reipublicæ iacturis; nonnullos ex miserorum fortunis ditabat. Egregiorum facinorum machinator, horum adiumentis singula quæque pro libitu in ciuitate efficiebat. Multumque illius conatibus opitulabatur seruiendi * facilitas; sed quanquam factiosus,

Seditio Nicolai de Lucio, & castri Lucii traditio.

* pro, *flagrabat* Sch.

* 55

factiosus, nunquam in partem stabilis, fortunatiores semper secutus euentus, plebi aduersus insignes obsequens, dum plebiscita præualuere: in insignium consortio ferocior in plebem, siquidem illa succumberet, cum feliciore parte, seu Gelfa, seu Gibolenga alterna perambulans. Dominatorum Veronæ per varias temporum vicissitudines amicus, & inimicus. His mixtim virtutibus, vitiisque magnus habebatur. Nec huius tam singularis viri descriptio omittenda sit. Homo flauus, subrufus, oculis albentibus, mobilibus, ac eminentibus, labiis tumentibus, pectore lato, ventre obeso, cruribus tumidis, pustulatis, semper valetudinariis, staturæ breuis, sed robustæ, amictus in terram laxioris, multi ornatus, cibi & potus vltra communem appetentiam, in feriis ac luxu petulans. Hic natura, moribusque omnibus parem sibi votis, & congruentiis virum sibi asciuit *Antonium* de *Curtarodolo*, cum quo omnis vitæ communio. Cuius non modo substantias auxit; verum sibi pari domus dominio, thoroque absentis per vices vxoris sedula obseruantia copulauit, laborante & fama vt lasciuiam maiorem, quam viri ad virum conspicientes, ac coniectantes non probarent. Visi quidem in pulpitibus & pauimentis, sese iunctis labiis, linguis in alterutra ora coniectis, amplexari muliebribus osculis alternatim, absque rubore, persæpe super comessationibus ante oculos plurimorum ciuium. Vir hic in Reipublicæ perniciem alitus ad huiuscemodi nostri Cæsaris tempora trigenaria ferme ductus ætate pro Veronæ Dominatoribus regimen in Verona prælatus agebat, qui in primis Longobardiæ motibus quouis ingenio *Albuinum* & *Canem* ab Cæsaris fide auertere primum nisus est. Paduanos, quibus iam Cæsar libertates patriæ amplissimo fauore donauerat, ad eas aspernendas induxit, potioremque eis, reluctante *Albertino Mussato*, & fidelitatem, & pacem probante, pertinaciter rebellionem suasit, portas muris præcludendas, fameque corpora afficienda, ac potius interimenda, quam ipsi parere in Senatu mille virorum facundis, ac prolixis emologando præconiis. Nec id ex post facto compertum est patriæ seruandæ causa; sed, vt* ad momentorum bellicorum discrimina status concussus in pendulo vacillasset, ipse seu in Padua, seu in Vicentia efferente fortuna magnificentior fieret, suopte confisus ingenio, nullaque prorsus ciuilitate contentus. Capta demum Vicentia per *Canem Grandem*, vt supra monstratum est, & ipse captionis complex vulgata fama, populique clamore multis argumentis dictus, præsumptusque est. At ex causa duplici, Primorum ciuitatis suffragio ex ore vocitantis populi illum reum mortis, adiutus est. Vna, cum non liqueret, ne insons morti, proscriptioniue damnaretur; altera, ne tanto in discrimine concussæ vrbis, quo vix quisquam mœniis se continere putabat, ipse potentissimus rebellis additamenta exitio vrbis ipsius cum hostibus contribuisset. Ex fiducia quippe data illi iam rerum suarum diffiso in ciuitatem adductus est. Huiusque consilii *Albertinus Mussatus* extitit conciliatis ad hæc *T.* de *Campo S. Petri*, *Iacobo* de *Carraria*, *Gualpertino Mussato* Abbate *S. Iustinæ*, aliisque partis Gelfæ compluribus. At nil eo minus vrbi, ciuibusque tectis odiis iugiter insidiatus, noctesque, diesque conspirationibus cum factiosis vacabat, cum Gibolengis se Imperatorem zelare, cum Gelfis odire asseuerans, vtque facilius creditus ad subuertendum patriæ statum, vbi optatum defixerat, occasiones conquireret, *Canem Grandem* in Auditoriis, Senatu, concionibusque tribunitiis detestabatur, illi conuiciatus, vt ex sordido olei venditorum genere editus fuerit, qui in tanta eminentia erat, vt atrox, scelestus, intolerabilisque foret. Ipse quidem edictum ex Senatus consulto exire ore proprio consuluit, pronuntiauitque, vt necantibus illum *Canem* sit decem millium florenorum aureorum merces constituta ex ære communi cum amplissimis aliorum priuilegiorum indultis; eo semper (vt ex consequentiis demum innotuit) clandestine cum ipso *Cane* super prodendæ vrbis, aut municipiorum vicissitudinibus diurnis, ac nocturnis per internuntios conspirante, suggerente ac medio *Bailardino* de *Nogarolis*, cuius filia *Guidoni* nato ipsius *Nicolai* de *Lucio* diu ante nupserat. Dum

* pro, vel sic.

tandem plura coniectans, quam successus afferrent, ad hæc, quæ iam scripturi sumus, cum conspiratorum vnione conuenit. *Vecelum* de *Camino* subornauerat cum *Cane* in amicitiam coire, vt exinde bellum Paduæ inireretur, quod (vt supra scripsimus) frustra tentatum, secus ac meditati fuerant, obuenit. *Dalmasium* quoque, ac *Galardum* Ferrariæ pro Romana Ecclesia Rectores, in sociam fidem *Canis* sollicitauerat, vt rebus Paduæ ex rebellione *Nicolai* ipsius in discrimine positis, belli materiam Paduanis mouerent prætextu finium Ferrariensium, intra quos colonias certas Paduani occupatas tenere ferebantur, Venetiisque nonnullis Gibolengis accersitis relegatis Paduanis ordiendæ exequendæque proditionis seriem noctu * tractauit, qui quidem sibi adiumento essent, & cum *Cane* rem frequentibus itineribus ad prædestinatum finem deducerent. Intereaque *Antonius* de *Curtarodulo* proditionis sedulus machinator tanto seditioni vtilior, ac efficacior, quanto a Gelfis Paduanis dilectior, ex tempestiua cautela regimen terræ de *Est* præbentibus fiducialiter ciuibus petierat, obtinueratque, vt opportunitate captata illa *Cani* traderet, si rerum euentus proditorum spes non refellisset. Erat quippe in conditionum articulis, vna simul die, momentoque vno castrum *Lucii*, *Est*, & *Montem Silicem* hostes introductos inuadere, improuisosque Paduanos pæne ad mœnia obsessos vrgere; sed interim *Nicolaus Lucium* Paduanorum, se illi credentium, impensis, quod *Canem* inuadere opinatum suggerebat, munire, circumuallare, propugnaculis firmare, dies, noctesque studebat, præsidia equitum, peditumque inter castelli claustra magna Paduanorum mercede timore infesti *Canis* sub simulatis vigiliis continens, quo ad patrandorum facinorum finem habilitates appeterent. Verum iam Paduæ oborta per fora, & tabernas populariam susurra, quæ in plebem, demumque ad Patres, & Primores inualescebant, in eum, cuius perfidia alias toties decepti fuerint, tantam spem ponere insanum esse, vt tantis operibus castrum eius munitum sit, virum ad omne nefas semper promptum in hac tempora suspectissimum auertendum esse, ne licentiosior his abutatur concessionibus: timendum esse & vrbi, & Comitatui. Hæc ad *Paganum* della *Turre* Episcopum, & *Gualpertinum Mussatum* Abbatem *S. Iustinæ*, ac Optimates relata, ad examen in ipsorum Conuentu perducta sunt, nec inania visa, imo prorsus discutienda, & in tutum redigenda. Sed plerique rem adhuc dissimulandam, pro ipso *Nicolao* solemnes viros ex sibi fiducialibus mittendos, quorum suationibus Paduam veniat, Reipublicæ consulturus, cuius consilio omnia agenda erant. Sed *Albertinus Mussatus*, *Nicolai* scelerum multa edoctus experientia, iam ad traditionem omnia parata violentis indiciis intuens, viros illos præmittendos approbauit, sed clam noctu partem militiæ Paduanæ, seu mercenariorum militum cum peditum manipulo summittendam, vt castrum nondum hostibus repletum præoccuparent, consuluit, *Nicolaum*que nulla vi tunc arcendum; sed in eius libitu esse, Paduam aduenire, vel in castro resedisse. Hoc consilium ferox maiori Consultorum parti visum est, rem humilius tentandam, conciliandum ciuem altæ potentiæ, ne vltro expes, ac molestatus a communione abiiciatur. Missi ergo, qui se ad id obtulere, multo sedandi viri zelo, *M. Polafrixana* Miles, & *Rolandus* de *Plaziola* Iudex, qui sponsionibus blande acceptis veniendi Paduam in triduum, rediere. Remissus & *Zambonetus* de *Capite Vaccæ*, vt præsidio, qui *Lucii* erat, præesset; sed hunc astutiis interceptum, se Paduam venturum despondens, retromisit. Arctatus *Nicolaus*, cum tardatum videret *Guarnerium Comitem* de *Oembore*, Longobardiæ Præsidem, cum Longobardorum cohortibus, scilicet Mediolani, Pergami, Cremæ, Brixiæ, Mantuæ, ac Veronæ, quibus cum *Cane Grandi* castrum primo *Lucii*, deinde *Est* tradi debuerant, stetit ambiguus, hæsitans, quidnam faceret. Si quidem in aduentum Longobardorum differret coniurationem detegendam, morti, exitioque sibi fore indefenso, præoccupantibus Paduanis agendorum vices primas: si vero rebellioni se coaptet, solius *Lucii* deditione citra latiorem spem *Cani* datam minoribus viribus rebella-

* 56

rebellaturum illum primis pollicitis refellisse*. Nam terræ de *Est* defectione frustratus, quam custodiendam centum Paduanis militibus ipsius ciuitatis Commune commiserat, in eos dies, & promissa, & intentum complere non poterat. Nec inuadendæ terræ de *Est* latissimæ, & accolis fæcundæ sibi, aut *Cani* facultas absque Longobardorum præsidiis suppetebat. Coactus ergo re cogente ad *Canem Grandem* maturius, quam ipse disposuerat, propere misit, qui mercenarias cohortes ad se *Lucium* dirigeret Ipseque non remissius, qualitercunque inconstantem virum ac proditionem exponat, Paduanosque intra intimos fines insultet, illos transmisit, vnaque & Paduanos exules, Veneris die prima luce, X Kal. Ian. anni Domini nostri XII. M. CCC; in quorum aduentu, equitum Paduanorum præsidia, quæ viginti erant, & peditum quinquaginta, in vinculis coniecta, qui post hac ære redempti sunt. *Lucium* est mons alti apicis, longæ pedis circumferentiæ, cuius ab occidente vnus viæ aditus, quem *Valbonam* vocant, ad Vicentinos peruehens fines; ab Austro Estenses termini, palude media; ab Oriente, & Aquilone *Cintum*, *Rusta*, *Venda*, & ceteri montes Paduanorum finium, sed *Bacchilionis* fluentum *Lucium* a montibus intersecat. In apice solitaria statio, sed in colle adiacente *Nicolai* palatium, rupe excesa, propugnaculis ex lateribus astructum. Expositis mane aquilis Imperatorii culminis, ac scalis, insignibus *Canis Grandis* omnes cohærentes fugere coloni.

*leg. forte, fefellisse. V.

*57 * III Noua Paduam continuo relata Paduani nulla mora ad *Est* coequitantes, mane rutilante *Lucium* versus acies direxere. Dumque illo pergerent, & ecce fumum ardentis villæ *Arquadæ* in aere conspexere. Ipsi quidem *Canis* militia aduentus Paduanorum ad *Est* nescia, iam populabunda ductore *Antonio* de *Curtarodulo* exierat. Paduani igitur transitus illorum ex fumorum conspectu certi, ad montium angulos, per quos redeundum illis erat, obiectis aciebus cum Estensibus peditibus stetere solliciti. Aduentantes iam præscii imminentis cladis *Antonius* & præfati, de altis collibus in planitiem Paduanos ad aditus expectantes iam cominus videre; sed tunc nulla salutis via confisi, solutis aciebus, ac quibuscunque ordinibus ex equis desilientes abiectis armis per vastitates nemorum, & exesas rupes, ac montium saltus fugere. Sed vana illis fugæ spes erat.. Nam viarum inscii in Paduanorum manus incidebant, vitas orantes, seque vltro dedebant. Occisi per colles plurimi ignoti, cum exteri ex mercenariis *Canis* essent. Equites ferme centum cum equis & armis *Est* adducti. Per alias *Pedisuendæ* colonias multi pererrantium fame, frigoreque affecti in rusticorum manus sponte aduenere. Pars in triduum per sentes delitescens, demum per rurales capta est. Ex trecentis hastatis, qui ea die e *Lucio* exierant, totidemque peditibus nocte insequenti duo & viginti *Lucium* reuersi sunt. Pars per *Rouolonis* planities fortuna aduehente deuoluta, migrato *Bacchilione* Vicentiam perrexit. Et ii centum duo conspecti sunt. *Antonius* de *Curtarodulo* viarum gnarus, altero comitante, per auia collium equo celerrimo prouectus, pæne tamen ab insequentibus interceptus, *Lucium* introiuit. Paduani multa gratulatione exultantes cum præda, & captis in *Est* sub crepusculo reuersi sunt. Continuoque structis machinis, tormentisque omnium generum cum propugnaculis naualibus, ac terrestribus ad *Lucium* oppugnandum instructis copiis perrexere; sed fortuna, rerumque successu sic ferente, dum vix desperatis rebus oppidani ad locum desertum ex inualida resistentia se coaptarent, nox hyemalis, prorsus viris ac bestiis intolerabilis, certamen diremit. In sequentes dies fama vera increbruit, *Guarnerium* de *Oembore* cum Longobardorum comitiua ad *Canem* Veronam aduenisse. Solliciti Paduani arcem Estensem, villamque totam vallo præcingere, munire, circumfodere militibus ad eas operas poscente vicissitudine se ingerentibus, crates, sudes, & onera quæque humeris aduehentibus, ipsisque ancilibus e foueis terra sublata efferentibus, loca tutelis firmauere, *Bornio* da *Samaritanis* de Bononia, milite strenuo, qui tunc

Combustio Pedisvendæ, & conflictus sequens Nic. de Lucio.

tunc Poteſtas Paduæ erat, ad ſpectaculum rupem ligone ſcindente; vt opus eodem exemplo capeſſentes ceteri libentius ſubirent. Idem altera militia ad caſtrum, villamque *Montis Silicis* vallandam, muniendamque eadem ſedulitate effecit.

Ingreſſus Præſidis Longobardiæ in Paduanorum agros, & captio caſtri Bocconis.

IV Cum & in his Paduanorum ſolertiis *Guarnerius* Comes cum cohortibus, & *Cane Grandi* comitante, multis belli apparatibus, onagrorum plauſtrorumque fulcimentis, Vicentiam venit, inde celeri meatu domum *Maſtini Canis* in *Camiſano* ſitam, in qua nobiles Vicentinos exules fore exiſtimabant, inſultauere multo impetu, illamque vi captam, captis occiſiſque cuſtodibus, cremauere. At Nobiles Vicentini, qui ab illa domo nocte egreſſi fuerant, populabundi per *Pedis montis* colonias multa præda, ruralibuſque captiuis abductis, *Baſſianum* perrexere. Inde *Comes*, ac *Canis* ad montem *Vardam* accedentes, inſultu facto, nihil proficientes Vicentiam redicre. Sed Vicentia cum maioribus apparatibus in alteram diem digreſſi, *Lucium* introiere. Ibi regia Teutonicorum hala Præſidi deputata, ibique ciuitatum Longobardiæ Imperio parentium collatæ copiæ cum leuis armaturæ peditibus, ac lancearum longiſſimarum vibratoribus, ibique vis prouinciæ Imperialis nominis. Egredientes hæc phalanges, in montanas *Pediſuendæ* colonias primum fecere impetum, præoccupantes *Cinti* cuſtodiam, quam Paduani ad ſpeculandum viginti quinque peditibus commiſerant, diruereque id monumenti veteris, quod montis apici eminebat, captis occiſiſque cuſtodibus. Inde vallem *Cornaledam*, omniaque terræ cis montem *Vendæ* ſubſiſtentia igni, populationeque conſumpta relinquentes, in *Lucium* conceſſere. Poſtero die centuriati compoſitis aciebus ad montem *Bocconis* pergentes, vbi caſtellum *Nicolai* de *Caſtronouo*, qui ex *Maltrauerſorum* ſtirpe erat, *Nicolai* de *Lucio* conſanguineus. Sed impetum *Albertinus*, *Nicolai* filius, ſuſtinere non valens, ſed *Cani* reddidit, cum matre, & familia miſerabiliter adductus ad nunc inimicam ſcilicet, hoſtilemque domum, qua iam progeniti, alitique eodem ſanguinis vinculo fuerant, increbreſcente proditionis auctore. Sed o illi, ſi non pudor, ſaltem internus* mæror, cui in biduo exuſtis ſic hoſtiliter ædibus, ac depopulatis, non quota pars ſua, ſuorumque fuerat, perque eius viſcera iam ſui ipſius cæpta inſæuire proditio. His concrematis, depopulatiſque, *Guarnerius* ac *Canis*, quamquam proditore exhortante in æquos campos, vel ad obſidiones maiorum municipiorum, vel ad congreſſus cum Paduanis exire, præmetiti, prouiſique, ad Paduanos* ſui, ſuorumque tutelas non inertes: imo ſi prouocentur, cum numeroſa militia prœlium non detrectaturos, abſtinere a Paduanis finibus, ac abſcedere conſultius decreuere. *58

* intellige, *fuiſſet*, aut eiuſmodi Sch.

* mel. *Paduanus ad* Sch.

Prouocatio Paduanorum per Canem Grandem ad prœlium, & reſponſio.

V Ex iactantia tamen *Canis*, experiundique Paduanorum auſus cauſa, ex domeſticis vnum cum ſigillatis litteris ad *Bornium* Poteſtatem, Nobileſque, prœlium in amplo campo petiturum, tranſmiſit. *Bornius* miles ſtrenuus, vt ad ſummæ felicitatis feſtiuum gaudium, vireati ſerto exornatus, accitis ad conſilium Optimatibus nuncium commiſſa præfari iuſſit, quo remoto non aſpernari prœlium facunda, validaque allocutione ſuaſit, victoriam in promptu eſſe; haſtatorum vnanimium duo millia fulgentibus armis in robuſtiſſimis equis, quos ſibi ſua ipſorum patria progenuerat, cum populo numeroſo; tria millia alienigenarum in beſtiis famelicis, vixque longo ſe itinere continentibus domo pellendos, necandoſque, nullius diſcriminis hunc congreſſum fore. Tum nullo reluctante reſponſum eſt, acceptabile prœlium fore; *Canis* ipſe campum æquum edoceat, in quem exituri libentes ſe iuramento diſpondent. *Canis* in ſequentem diem, ſe ante tertias ſub monte *Vardæ* in Vicentino prædio cum ſuis affuturum reſpondit, illuc adeant, ibidem ſeſe expoſiturum cum copiis. Paduani breuiſſimo ac impoſſibili moleſtati termino; referri illi iuſſere ſub maiori Communitatis ſuæ ſigillo, nuntioque nobili ex ipſius Poteſtatis ſociis, vt cum ſit apud *Eſt* Paduanæ militiæ pars vna, altera apud *Montem Silicem*, pars quoque multa in vrbe, & per municipia cetera, velit ipſe *Canis*, ſi prœlium exoptat,

exoptat, in tertiam præstolari diem, quâ ad destinatum campum accedere facultas sit. Sed *Canis* his elusis cum *Guarnerio*, ceteroque exercitu e *Lucio* egrediens Vicentiam contendit, *Guarnerium* ac Longobardos ad sua quemque remisit.

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER XI.

Rubr. I

Defectio Casulanorum ad Cæsarem.

CONcussæ bellicis exitiis Tuscia ac Longobardia, iam deformes ædium ruinis, agrorumque desolationibus solo intuitu miserabiles conspicientibus effectæ sunt, cum extra cuiusque ciuitatis mœnia itinerantibus ante oculos mors, aut captiuitas præsto forent, iamque virgulta & sentes vias incognitas a nemorosis, palustribusque solitudinibus efficiebant, vnaque prouinciarum belli facies classitis obstrepebat sonitibus. Intra mœnia, municipiaque noctu vigiliæ sedulæ, die armorum fragores, solus Mars agibilia quæque sibi vindicabat. Casulani a Senensibus factione Gibolengorum indigenarum deficientes, Mareschalcum Regium cum *Friderico* de *Montefeltro*, *Vgutione* de *Fagiola* cum militibus septingentis in castrum suscepere. Illoque extemplo Florentinæ, ac Senensis militiæ cum Regis *Roberti* subsidiariis concurrentes, angulos, quibus aditus, exitusque ad oppidum erat, circumstetere. Nam exhaustum copiis Cæsarem, contemptumque, si se castris tantum contineat, intuentes, illi insistendum decreuere; sed in dies longiori obsidione, quam & ipsi meditati essent, fatigati, ad vrbes & oppida paulatim retrocedentes, relictis statiuis, patentes exitus militibus regiis præbuere, illique præstita commoditate potientes, relicto *Casulis* præsidio ad Cæsaris contubernia magna Regis & suorum exultatione suscepti sunt.

Contentiones Florentinorum. Cæsare obsidente.

II Sed in Florentia iam senescentis belli tædio contentiones exortæ sunt. *Fulcerius* de *Calbulis*, qui magna mercede cum stipendiariis Romandiolæ in Florentinorum exercitibus fuerat, cum *Degone* Cathelanorum Primore, qui in eiusdem subsidiis erat, simultates agebat, quæ vtrinque succrescentes dissidium intolerabile, exitialeque vrbi, & parti Gelfæ parituræ erant. Cumque Florentinorum fauor *Degonem*, vt sibi *Fulcerio* cariorem*, extolleret, abscessit e Florentia *Fulcerius*, & in Romandiolam cum suis se contulit. Nec hoc ingratum Florentinis, nonnullis dictitantibus ex coniecturis, *Fulcerium* accepto ære cum Cæsare clandestine coniurasse, desiisseque Cæsarem insequi facultate sæpius se offerente. Multa deinde in ciuitate susurra, litesque dissentientis a Maioribus plebis. Plebs namque fatigata, defessaque longo bello, quo operum fulcimentis vacuerat*, prœlium inferri Cæsari conclamabat; Maiores tutiorem differendi partem laudabant, arcebantque pæne vociferantium furores.

* 59

* F. vacauerat V.

Digressio Cæsaris e S. Cassiano ad Podium Bonizi.

III In castris autem Cæsaris exinanitæ copiæ erant, Pisanis, ceterisque, quos vrgebat ex longa statione instans penuria, paulatim & in dies ad refectionum loca secedentibus. In eisdem ex infecti aeris epidimia frequens mortalitas, quam abiecta extra castra equorum cadauera, coactaque intra locum arctissimum animantia despissauerant. Secesserat quoque per eos dies e castris *Ostiensis* Cardinalis ad Curiam proficiscens, Pontificem rogaturus, vt *Robertum* Apuliæ Regem ab Cæsaris insecutione summoueret. Tuscos quidem illius amoto suffragio pæne superatos videbat. Multis igitur molestatus incommodis Cæsar in his *S. Cassiani* castris, statiuis disiectis, incensisque, repente omnem exercitum amouens in diem Ianuarii tertium decimum anni Domini Iesu Christi XIII. M. CCC, *Barbarinum* concessit, indeque in posterum ad *Podium Bozici* se contulit. Ibidemque moratus, Principum omnium consilio in eius montis apice se ad hyberna disposuit.

In *Podio* siquidem *Bonici* locatus Senensium, Florentinorum, ac Lucensium finibus pariter bellis inferendis admodum accommodus erat, & si Pisas subeundi quoque casu appeteret vicissitudo, inde limes, rectusque callis erat. His diebus ab *Roberto* Rege Apuliæ litteræ Paduanis allatæ fuere per hanc seriem.

Rubr. IV.

Concessio Papalis facta de ciuitate Ferrariæ a Rege Roberto significata, & responsio.

ROBERTVS

Dei gratia Rex Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ Folcaquerii, ac Pedemontis Comes.

Nobilibus, & discretis Viris, Potestati, Ancianis, & Communi Paduæ, dilectis amicis, & deuotis suis, salutem & sinceræ dilectionis affectum. Sincera charitas pii Patris D. Clementis, *sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summi Pont. de persona nostra, tanquam sui, & ipsius Ecclesiæ præcipui filii, & deuoti, interne confidens, ciuitatem Ferrariæ curiæ** *nostri regiminis certo modo commisit, & administrationis gubernacula expressione concessit. Nos autem, quamquam ista foret commissio atque concessio nobis grauis, cum ad præsens simus aliis regni nostri arduis negotiis occupati; considerantes tamen, quod ipsius Domini summi Pontificis requisitiones instantes refutare non possumus, & seruitia sanctæ matris Ecclesiæ modeste, vel debite declinare, commissionem, concessionemque prætactas cum ob zelum feruidæ deuotionis, quam ad sacrosanctam Rom. ecclesiam gerimus, tum ob affectum, quem ad prosperum statum vestrum, aliorumque amicorum & deuotorum vestrorum habemus, acceptauimus reuerenter. Quocirca dilectionem & amicitiam vestram requirimus, & hortamur, quatenus aduertentes sinceritatem nostræ intentionis huiusmodi, velitis Vicario, & aliis Officialibus nostris ciuitatis præfatæ, veluti repræsentantibus imaginem nostræ præsentiæ, ad honorem ipsius sanctæ Rom. matris Ecclesiæ, nostramque pariter efficacibus auxiliis, & fauoribus opportunis assistere, ac eos prompta vestri exsforcii, si, & , prout opus extiterit, adhibitione iuuare, vt admixtis communibus viribus, & paribus affectibus colligati ciuitas ipsa Ferrariæ sub sceptro nostri regiminis, in prosperi status tranquillitate refloreat, & consequenter ex quadam vicinitate connexa status vester in prosperitate continua perseueret. Præfati namque Vicarius, & Officiales nostri habent a nobis expressius in mandatis, vt versa vice, quicquid pro bono statu vestro agere poterunt, prompte ac efficaciter operentur. Data Neapoli die XII Decembris, XI indictionis.*

* Curæ Sch.

* Paduanorum Responsiua.

*60

Inclito ROBERTO REGI Hierusalem, & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Prouinciæ Folcaquerii, ac Pedemontis Comiti Bornius *de* Samaritanis *de* Bononia *Potestas, quatuor Conseruatores libertatis & status, octo Sapientes a Credentia, Anciani Communantiæ, & populi ciuitatis Paduæ reuerentias subditas, & deuotas. Maiestatis Regiæ literas commissæ, ac susceptæ administrationis ciuitatis Ferrariæ ex circumspecta pii Patris sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ summi Pontificis largitione suscepimus, eas tam flagrantibus amplexantes affectibus, quam & extensiuas regiæ potentiæ, & nostræ salutis nuncias intuemur. Nec dubium, quin non modo Pontificali, sed cælestis Dei fuerit concessione prouisum, vt qui sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ filii sumus, per tantum eiusdem matris filium foueamur, vt in suorum consortiis ambulemus. Vicarium itaque, & Officiales Regios, fratres nostros, in ipsa ciuitate, & vbilibet paribus venerandos affectibus humillima deuotione suscepimus, nec non & iuuandos, ac seruandos sub sceptro regii culminis communibus viribus pollicemur.*

Grates

Grates insuper Regi inclito tam munificæ oblationis auctori intima, ac præcordiali recognitione referimus, cui vitam, & victoriam exoramus. Data pridie Non. Ianuarii.

Conflictus regiæ cohortis apud Abbatiam Spognæ.

V Sicque Ferrariæ status immutatus est, in magnum Bononiensium, Paduanorum, ceterorumque Gelforum solamen, aucta per easdem oras Gelforum parte. Dumque interim frumentandi causa sub commeatu regiæ cohortis trecentorum onagrorum salmarii per *Galegnanum* traducerentur, *Zirimbertus* de *Syntilla*, Aragonensis, Romandiolæ Comes, ceterique Florentiæ milites, qui in *S. Geminiani*, & *Collis* præsidiis assistebant, per internuncios edocti in *Spognam* conuenere, clanculum delitescentes in planitiem secus Abbatiam *Spognæ*, dum remeans militia regia ad ducentorum militum numerum, peditumque totidem desuper *Scarnam* scopulum descenderet versus *Collem*, pars Florentinorum substitit in insidiis prope Abbatiam eandem, pars iuxta porticulam, qua ad *Sanctum Lazarum* itur, similiter latitans stetit, cetera in primo calle, qui Senas vehit in patulum exposita constitit. Cohors regia exploratores ex militibus sex ad ipsam visendam aciem direxit, vt quales, quantiue forent, decernerent; sed vltra progressi, quam postularet redeundi facilitas, a Florentinis intercepti concidere. Indeque extemplo condescendens Regis acies in æquum campum, congressum cum eis fecit. At in vtrisque insidiis positi militiam regiam circumuenere, sicque statim confusa, victaque in stragem cessit. Cæsa itidem militum capita duo & septuaginta, pauca in fugam versa, cetera capta cum peditibus, qui ad eam percingendam, fulciendamue aciem ex belli more simul perrexerant. Ex Cathalonia quidem mercenarii Florentinorum leuis armaturæ prædæ rapaces illos corripuere. Signa militaria tria Florentiam relata. In his a regio latere Germani, Flandrenses, & Franci ex insignibus curiæ fuere, quos inter *Aymo* de *Braymonte* Francus, Cæsaris consobrinus, *Raynerius Porine* de *Casulis*, is, qui *Casulas* Cæsari tradiderat. Capti *Teri Paganelli*. Ex Comitibus *Romæ* * vnus, ex Comitibus *Sanctæ Floris* alius confossi, & alius ex regiis Principibus de ipsius Cæsaris consanguinitate.

*Lege omnino cum aliis duobus codicibus, *ex Comitibus Romena*. Quod castellum hodie quoque extat, nec multis lapidibus longe a Florentia distat. Gens autem, in cuius ditione oppidum quam longum tempus durauit, qui vulgo dicebantur *i Conti da Romena*, superioribus annis extincta est. V.

Mors Raymundi de Aspello apud Mutinam.

VI Per eosdem dies *Raymundus* de *Aspello* Marchio Anchonitanus, *Clementis* Papæ nepos, multo recollecto thesauro, quem ad Curiam proficiscens deferebat, in Mutinénsium finibus iuxta castrum vetus a *Guidone* de *Monte Cucho*, & *Francisco* de *Menabouibus* Ferrariense, tunc Mutinensium Præfecto, intrinsecisque Mutinensibus Gibolengis, nefandi latrocinii conspiratoribus, occisus est, ablatis aurea pecunia cum salmariis, comitiuaque eius ad vnum interempta, ditatique prædones nonaginta millibus florenorum festiuo gaudio in Mutinam rediere. Isque dies tertius decimus Februarii fuit anni Domini nostri XIII. CCC. millesimi. Affectique mœrore Bononienses tanto crimine lectum ex agris corpus Bononiam deferentes, magno exequiarum, cæremoniarumque honore, ac prosecutione in pretiosum sarcophagum locauere.

Concilium Roberti Regis Apuliæ, de mittendo fratre in Tusciam.

VII Interea ab Legatis partis prouinciæ Tusciæ Gelfæ patenter acceptum est, *Robertum* Apuliæ Regem concilio Neapolis sub omnium Regni Principum assistentia celebrato, oblatum Tusciæ acceptasse dominium, sponsione obnixe facta, emologataque per Principes, nullo medio *Petrum* Victoriosum, maiorem natu fratrem, in Tusciam mature transmissurum, cum copiis tantæ expeditioni suffecturis, certissimis adiiciens pollicitis, hoc tantum * aggrediendæ rei fore primordium. Se quidem ipsum nil eo minus omne in ipsam Tusciam certamen, ac bellum in se suscepturum, affuturumque vt ducem, vt fratrem; nil interesse, quin adeo Tuscos fratres,

*61

fideleſque, vt ſui ipſius Regnum Apuliæ, tueatur; confeſtimque ipſum *Petrum* arma, fulcimentaque omnia cum Principum, Nobiliumque Regni cohortibus parari iuſſiſſe, ſublatis cuiuſque moræ diſpendiis. Quam feſtiua hæc per omnem Tuſciam noua partem Gelfam diligentibus fuerint, ſimilium his ætas noſtra non recolit. Cernenda quidem erat vti ex nimboſa aeris tempeſtate clara ſerenitas; iam deletam Teutonicorum peſtem, iam victum Cæſarem ſupputabant. Luctus omnium in iocos, ac feria verſi ſunt, diebus tripudia, noctibus autem,

Sedula per ſummas ardebant lumina turres.

Exhortatio Cæſaris ad commilitones.

VIII Cæſar in *Podio Bonici* caſtris inſidens regio animo contubernalium, qui apud *Spognam* conciderant, mortes tulit, conſtanti virtute mœroremſupprimens, multaque exhortatus ſuaſione commilitones bono animo eſſe, ſeque ipſos ſecundis rebus ſeruatos ſperare ſalubria, dum ver iam frondes retulerit, omnem Germaniam nouo ſocero Auſtriæ Duce promoturo in Italiam; Bohemiæ Regem primogenitum ſuum paternas aucturum copias ditiſſimi Regni gazis, ac fauoribus; *Fridericum* Siciliæ Regem iam vires in ſocias partes aggregare, eoſque, qui ex hybernis diſceſſere, Italicos, Imperialis nominis fratres, ac ſocios ex Aretio, Piſis, ceteriſque vrbibus, ac municipiis refectos, reſumptis facultatibus in contubernia redituros; pium Patrem *Clementem* ſanctiſſimum Pontificem, cui, vt oculi pupilla ſupremæ curæ eſt, Eccleſiæ fauores ſacris monitis ſubiunctis viribus præbiturum; Deum immortalem propitium, quo ſuffultus, quo productus domitis Longobardis, maritimis fauentibus populis terra marique in vrbem profectus eſt, Roma ſua, Capitolioque potitus coronatuſque, emologata inſuper iam per Papam coronatione ſolemnis inſtitutione decreti; hos rebelles, infideleſque Tuſcos, & ceteros Longobardos (ſi qui ſunt) igni, ferroque diuina, ac ſua punitione exterminatos, ac conſumptos. Nimirum, qui Dei, mundique iudicum temporanei, ac æterni tempſere mandata adeo* plagis percuſſi ſunt.

* a Deo Sch.

Tranſmiſſio Comitis Claramontis per Fridericum Siciliæ in ſubſidium Cæſaris.

IX His, aliiſque Imperator magnanimus Principum, militumque animos extollebat; pæneque in his diebus Comes *Claramontis* e Sicilia cum ducentis circiter militibus, baliſtariiſque tercentis, frumenti ac coriorum ſalmis ducentis, a *Friderico* Siculorum Rege tranſmiſſis VIII Kal. Martias in caſtrum ad Cæſarem conceſſit. Interea e Campania noua in Tuſciam, & Longobardiam relata ſunt, *Riciardum*, *Iohannis* de *Cecano* natum multis Gibolengorum Campanorum viribus *Ciperianum*, *Roberti* Apuliæ Regis oppidum, occupaſſe, bellumque acre in Gelfos prouinciæ Campaniæ mouiſſe, non niſi, vt diſtractas *Roberti* copias in Campania a Cæſaris impetitione ſummoueret. Quodque obuii Palatini Comites, olim celebris memoriæ *Bonifacii VIII* Papæ pronepotes, prouinciæ eiuſdem vnitis Gelfis, compoſitas vndique copias in aduerſum in *Ciperani* campos eduxerint, ibique campeſtre bellum patratum fuerit, quodque victoria Comitibus parta mille virorum ſtragem, cædemque fecerit. Dum enim ii, qui oppidum occupauerant, in ipſum fugitiuum* terga dediſſent, cederentque, ad pontem lapideum vnum dumtaxat, per quem regreſſus illis erat, ſtipati e ponte in fluentem præcipites obruebantur. Dum denique cum conflictis per Comitum phalanges pariter in oppidum itum eſt. Ex hoc certamine occumbentibus, cæſis, merſiſque Gibolengi nominis partiariis, ſolum *Roberti* nomen cultum Campaniæ totius prouincia inuocauerit.

* f. fugitiui V.

Tranſmiſſio D. Frenandi per Robertum Apuliæ Regem ad Tuſcos.

X Pridie Idus Februarias ecce *Don-Frenandus* cum ducentis Cathelanorum militibus a *Roberto* præmiſſus in Tuſciam, venit præoccupaturus Cæſaris curſum, ſi mutatione caſtrorum aliquo digreſſus foret. Huius *D. Frenandi*, viri ſuperilluſtris genealogiam perſcribere, affert noſtri contextus habilitas. Rex *Nanfos* (is bonus Rex *Nanfos* Hiſpaniæ Rex, qui ſuapte induſtria, viribuſque inter mundi meliores claruit, cuiuſque præſtantes virtutes æternam famam meruere) quinque genuit filios, Primogenitum

D. Fre-

D. Frenandum ex ***D. Blanca***, ***Ludouici*** Francorum Regis filia, genitoris scilicet huius ***Philippi*** nunc regnantis in Francia. Secundo genitum ***Sanctium***, cui Infantulam ***Molinæ*** ciuitatis Hispaniæ vxorem tradidit, ex qua ***Pitetum*** genuit nunc Regnum obtinentem Hispaniæ. Tertio genitum ***Don Iannem***, cui copulauit vxorem ***Gulielmi*** Montisferrati Marchionis filiam, ex qua Galiciæ nunc Dominatorem genuit. Don ***Petrum*** quarto genitum, qui filiam ***Americi*** de ***Verbona*** vxorem duxit. Quinto genitum Don ***Iacobum*** natu minorem. Is ergo Don ***Frenandus*** in Tusciam missus ex Don ***Frenando***, ***Nansos*** Regis * Hispaniæ primogenito, & ***Blanca***, ***Ludouici*** Francorum Regis filia, natus est.

* 62

Genealogia Regum Aragonum & Francorum.

XI Et quia Aragonensium Regum quoque in casu mentionem nostra fortasse feret Historia, modernum eorum genus in notionem deducendum quidquam euidentiæ lectoribus afferet. Don ***Iacobus*** Aragoniæ Rex, idem videlicet, qui Regnum Maioricæ magno bello, ingenioque sibi subiecit, tres filios procreauit. Don ***Petrum*** Cathaloniæ, & Aragoniæ Regem, qui ***Manfredi***, filii ***Friderici*** Sueui, filiam vxorem accepit. Ex qua hic ***Petrus*** tres filios assumpsit. Primogenitum ***D. Nansos***, qui eidem immediate successit in Regno. Secundo genitum ***D. Iacobum***, quem Regem nunc habet nostra modernitas. Tertio genitum ***D. Fridericum*** nunc Regnum Siciliæ obtinentem. Secundo, autem, genitus ***D. Iacobi*** præfati, qui Regnum Maioricæ conquisiuit, paternum nomen obtinens, ***D. Iacobus***, qui Regni eiusdem Maioricæ nunc obtinet Principatum, qui & Comes ***Rusignonis*** est, & Dominus ***Montis Pesulani***. Tertio genitus ***Iacobi***, horum frater, Toletanus Archiepiscopus fuit, qui bellum graue Sarracenis inferens, prœlio interemptus, vitam meruit sempiternam. Francorum Regum (ne nostra sit longa retro series) constat inclitam Regum Francorum prosapiam a profugis Troianorum profectam, virili sexu exhaustam, denuo ex ***Vgone Ziapeta*** ex Liguria plebeio, ex ea feminina stirpe nato coniugium * sumpsisse propaginem, a qua octauus successit sanctus ***Ludouicus***, quem de Sanctorum catalogo sancta profitetur Ecclesia, qui quinque filios habuit. ***Philippum*** primogenitum, ***Carolum*** secundo genitum, hunc scilicet, qui ***Corradinum*** de ***Stoph*** more maiorum supplicium damnauit. Tertio genitum ***Philippum*** Comitem Atrabatensem, qui bello Flandrensi interiit. ***Comitem*** de ***Lanzone*** quarto genitum. Quinto vero genitum ***Comitem Claramontis***. ***Philippus*** primogenitus sancti ***Ludouici*** tres mares filios habuit. ***Philippum*** nunc Regem Franciæ, & ***Carolum*** ex eadem matre, ac ***Ludouicum*** ex altera vxore. ***Carolus*** secundo genitus ***Ludouici*** sancti vnicum filium habuit ***Carolum***. Hic ***Carolus*** septem filios habuit Archiepiscopum Tolesanum primogenitum, ***Carolum*** Martellum nunc Regis Vngariæ patrem, ***Robertum*** nunc Regem Apuliæ, ***Philippum*** nunc Principem Tarentinum, ***Raymundum***, Belezonium, ***Iohannem***, & ***Petrum*** Victoriosum. At hodiernus ***Philippus***, ***Philippi*** filius, ***Ludouicum*** Nauarræ primogenitum Regem habet, cui filiam Ducis Burgundiæ copulauit. Altera eiusdem sorore adducta ***Carolo*** minori natu, scilicet tertio genito. ***Philippus*** quoque secundo genitus Regis Britanniæ filiam duxit vxorem. Denique nostram prosequamur historiam.

* Illud, coniugium, mihi suspectum. V.

Sed o Deus? quam admirabiles mortalibus mundi motiones, vt Poetæ verbis vtamur.

Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ.

Dissensio inter Romanos & intestina commotio.

XII Profecto nescia mens successuum futurorum. Sic arridente fortuna in sui vertigine ludicri sors obtigit (si læua non fuisset) Cæsarem ad suæ productura columen maiestatis. Sed ea, vti ad statum progressa, decidit, omne frustrata rerum appetentium argumentum. Ecce, sicut ex præmissis Romæ gestis habitum est, dum Cæsar inde digressus tandem vltro in Tusciam diuertisset, ***Roberto*** Apuliæ Rege frustra, diuque ab suæ factionis terrigenis expectato, Nobiles vtriusque factionis Romani bello *, quod nunc † illos

* suspectum V.

† L. illo Sch. † illos in se duntaxat conuersum fuerat, affecti, intercepere induciis *, dum sibi, suisque consulendi perquam opportuna temporis, ac conditionum vicissitudo causam daret. Mitigatis igitur propositis de pace agi per alternos nuncios sustinuere. Re quoque vltra, quam creditum paulo ante fuerat, ad mutatum actum progrediente, nutibus consonis cedendum assensere libitibus publicis, & priuatis; arma ponenda; pacem inducendam; inter insignes illustresque coniugia spondenda, inienda, ciuili more viuendum; duos Senatores creandos per vtrasque *Vrsinorum*, & *Columnensium* partes. Moxque hæc omnia hilaritate multa impleta sunt. Creati Senatores *Franciscus Mathæi* a *Monte* pro *Vrsinorum* parte: pro *Columnensium* vero *Iacobus* de *Sarra Ioannis* de *Columna*, dispositaque Respublica sub ipsorum nobilium ad placitum institutis. At visa sibi Romana plebs quibuscunque sub Dominis premi seruitiis, fatigata iis nunc Regum, nunc Nobilium exagitationibus, in omnes variis circum querelis distinata est, pauloque ante diffidentium plebeiorum iam in vnum coire videbantur conuersæ variis affectibus voluntates. Hos Reges, hosque Nobiles non aliter plebe, populoque Romano, quam suis vti mancipiis, nil illis curæ esse, dum ipsorum vota percompleant. Hinc *Robertum* Romanis ac Tuscis destitutis tempus triuisse pollicitis. Inde Cæsarem captatis occasionibus vrbe secessisse. Hos suos Nobiles sibi solis prouidisse, suis tantum, non popularibus commodis, vel fauoribus intendere. Suæ Reipublicæ prouidendum, cum hodie * plebiscitis, quam legibus sibi ius dicere salubrius sit. Non sic inoleuisse * auctoritatem Tribuniciæ potestatis, vt plebs violata intolerabile iugum ferens, indignis succumbat obsequiis. His conquestibus fora & vicos replentes ad Primores *Vrsinorum* ac *Columnensium* iam palam exultante commotione hæc lamenta delata sunt. Ii per internuncios sic iratæ plebis præsumptus non parui pendentes, plebi tamen assentiendum non fore diiudicauere; sed obsistendum. Accensis ergo & Nobilium & plebis ardentius instinctibus, vtrinque ad Capitolium concursum est. Sed despissatis, completisque vndique ad Capitolium accessibus plebeiorum cateruis, quos iam omnis furor inuaserat, in sese confracti, nec non & repulsi Nobiles, ad suas quisque domos secessere. Gratulabunda plebs, irremissaque per multitudinis concionem, veluti commotum in fluctus pelagus, vrbis fortalitias, castrum scilicet *S. Angeli*, *Militias*, *Insulam*que vrbis præoccupantes, suis muniere præsidiis, vnumque eligendum constituere, quem *Dictatorem* Romana vocabat antiquitas, sed *Capitaneum* nostra modernitas, in quem omne priuatum, publicumque ius tributum sit, a quo quemquam prouocare ipso verbo nefas habeatur. Extemplo is declaratus est *Iacobus Ioannis Arloti* de *Stephaniscis*, in Capitoliumque euectus, ipse agenda quæque diiudicet, id totum ius esse, quod dixerit. *Iacobus* hic animo non mediocri, nec Romanæ expers audaciæ, se vilipensum reputans, si segnis tanto prælatus fauore plebis, citra constituentium spem abutatur arbitrio, erexit animum, si se Magnatibus formidabilem faciat, ipsos opprimat, alliciendos intensius ad se plebeios, quos semper in ciuitatibus Maiorum impatientes constabat: non ignarus, quod extensa in Maiores iudicia populis placent, æmulumque illis siquidem semper vulgus. Ad tribunal ergo conscendens, vultu, gestibusque metuendus ad se accersiri undique iussit insignes. Præsto assistentes omnes capti continuo, vinctique. Ex filiis *Vrsi* (sic enim stirps illa nuncupatur) *Gentilis Poncelus* Vrsi, *Ponceletus Mathæi* de *Monte*, *Franciscus* (is, qui Senator paulo ante a Maioribus delectus fuerat) abrenunciare compulsus; *Stephanus* de *Columna*, *Sarra* eius frater, *Iordanis* * *Agapiti*, *Ioannes*, & *Petrus* de *Sabellis*, *Annibal* de *Annibalis*, plurimique per Romanas stirpes insignium, quos tandem pœne exorabilis multis cautionibus e vinculis ad municipia relegauit, capitali adiecta inde degredientibus pœna. Nec hactenus substitit viri audentis acerbitas (vt siquidem *Branchaleonem Bononiensem*, qui Regum ac Ducum per tot ab vrbe condita sæcula palatia, thermas, fana, columnas verterat in ruinas, ipse memorabilior

* 63

* f. Iordanus Sch.

rabilior superaret) ad demolienda eminentia quæque noua, ac vetera insurrexit, præsumpsitque, ***Monzonem***, turrim scilicet secus ***S. Mariæ*** pontem, cum oppositis ad alterum latus valuis, vno momento sub plebis furore diripiens. Inde enim illi futurum iter trans Tiberim ad maiores patebat conceptus, ad plebeiorum perinde discursum, demoliendæque sic erant ***Brancaleonis*** reliquiæ, excelsaque castri ***S. Angeli***, ***Insulæ***, & singula quæque mirabilia, in vrbis antiquæ deformitatem, ipsorum contemptu Magnatum, in quos & illi animaduertendum erat captatis qualitercunque causis, dum sola Tribunitia, exterminatis Patribus, potestas adolcuisset illo sub magistratu. Denuo quoque compertum est, dispositis ad huius, plebisque libitum rebus, præcipue potentioribus fusis, omnia hæc parari Cæsari, ipsum euocandum in vrbem, vehendumque triumphaliter in Capitolium, principatum ab sola plebe recogniturum. Sed secus ac præmeditati sunt, fortuna successusque vota eorum distraxere. Nam Patres, Primoresque Nobilium, quorum exitium iam vltimari videbatur, si mora plebi aptitudinem præstitisset, exploratis per Secretarios ex eis plebiis * in actum producebantur, rem aggrediendam ad resistentiam clanculum consultauere, maturatoque ad diem constitutam processu, in vrbem diluculo cum cohortibus summa vi ad Capitolium concurrere. ***Capitaneus*** horum ignarus, improuisusque dispersam per vicos plebem, simul & insciam, aggregandam campanarum tinnitibus frustra conatus, præoccupatus est, concursuque satellitum captus, vinctusque in carceres Patrum iussu detrusus. Vacillans tanto motu plebs, per ædes delitescens, nusquam conuentum habuit. Sicque amplissima illa Cæsaris spes, forte casuque sic ferentibus, sublata est.

* *f. quæ in actum Sch.*

XIII Laborante apud ***Podium Bonici*** in castris Cæsaris peste, quæ repentinis mortibus corpora interimebat, non suppetentibusque ad victum escis, claustra, structurasque ***Podii*** præsidiis muniuit, celerique cursu vna die ad ***Pezodem*** castrum permeans, altera ***Pisas*** VI Idus Martias contendit. Motus iste tumultum per gentes Italicas varia loquentibus populis pertulit. Infremuere Longobardi variis optionibus, si in Longobardiam illum forsan reuerti contingat, timendum esse Gelfis, nonnullisque Gibolengis, dum illum * sibi onerosum existimarent; nec minima illorum pars, si ipsos bellis continuis fatigatos ipse egens, atque exhaustus impressionibus vrgeat, instanti necessitate compulsus. Tusci lætabundi ad spes validas erecti sunt, illum copiis vacuatum, prostratumque, ac collapsum suo ipsius pondere in Alemaniam desperatis rebus reuersurum dictitantes. Pars adhuc tremebunda, quod secesserit in suas Pisas, per hoc vernum tempus vires resumpturus, vtque tabefacta morbosis oppilationibus contubernalium corpora recrearet, refocillaretque, sub restaurandi belli asperrima spe, nocentior futurus aduersus Tuscos, veluti allusis fastidio Apulis, qui frustra ad succursum in Tusciam venerint. Sic varii varia per Italiam certatim autumabant, differebantque. Florentini, veluti laxati retinaculis molossi, ad occupata municipia discurrentes, singula quæque continuo destituta recepere, ***Podio Bonici*** duntaxat excepto, quem fortius præsidium obtinebat. Illico namque bellicosos intra fortissima valla collocauerat.

Digressio Cæsaris e Podio Bonici Pisas.

* 64

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER XII.

Insultus Paduanorum ad castrum Lucii præcensitus, & progressus ad Leniaticum, & agros Veronenses trans Athesim.

Rubr. I PAduani rebellione castri ***Lucii***, vti in intimis confixi præcordiis, coloniarum omnium ***Pedisuendæ*** adustione saucii, affectique, ad ***Est*** exercitum mouere, cum architectorum ingeniosis fabricis, machinas, propugnacula, cuneos, testudi

testudines, cataphractas, instrumentaque omnium ad castrum oppugnandum generum innixe struentes. Cum fundibulariis, ac sagittariis sub tegminibus naualium, terrestriumque vehiculorum in eos dies aggressuri locum fuerant: sed irremissus *Canis* illo præsidia Veronensium, Vicentinorum, Paduanorum exulum, ac stipendiariorum, quæ castella, aditusque omnes circumplerent, propere summisit, ipseque sedulus ciuitatis Vicentiæ custodiæ, quo valuit apparatu, perstitit, parum Vicentinorum fidens. Sed cum aggressum Paduanis præsidiorum tantorum congeries, & inaccessibilis loci denegaret asperitas, refellendorum hostium cautelis ex insperato aliorsum concurrere meditati sunt. Vexilla igitur versis aciebus, repentino itinere, ad meridiem sole iam permeante ad Abbatiam *Vangadiciæ* perrexere, curatisque identidem corporibus, annona data, per crepusculum quiescentes, post tertiam noctis egredientes, eductis nauigiis per *Athesim* cum balistarum armamentis ipsi per directum aggerem, qui ad *Leniaticum* vehit, centuriati, præmissis cursoribus, exoriente sole in æquum campum sub *Leniatico* descendere. Tunc clangore tibicinum, ac tubarum improuisos incolas conterritos relictis ædibus, quæ per circumferentias extra fortalitiarum foueas erant, intra ipsas tutelas coegere. Continuo ergo exustæ circum ædes, præda eximia subrepta, quam deferre vis repentina negauerat. Extra valla nil relictum est. Digressique per halas, ad coloniarum populationes dimissas, omnia igni, ferroque subiecere, ab *Anglario* scilicet, villa fæcundissima, in qua pinguis præda comperta est, cum adiacentibus circum ad meridiem villis, cum *sancto Petro*, & villa *Bartholomæa*, vinctis, adductisque cum præda ruralibus, pecoribusque omnis generis, quorum greges, armentaque per pascua dispersa vagabantur. Molendina per longos *Athesis* tractus vsui colonorum deseruientia incensa, adustaque per torrentem dimissa, pars funibus cæsis ad Abbatiam demissa. Dumque aduesperasceret, victores multa * alacritate præmissis præda sarcinis cum animalium armentis, & captiuis magno cornicinum, tibicinumque stridore ad Abbatiam secessere, hicque fuit purificatæ Virginis Mariæ dies, IV Nonas Februarias, anni Domini tertii decimi CCC. M. In diem posteram *Montagnanam* permeantes, recollectis militiis, prima sequentis diei luce, discursuri in agros Vicentinos gressum cepere, coequitantes vltra Paduanos terminos in coloniensibus prædiis, vbi niuibus, imbribusque repulsi *Montagnanam*, a qua digressi fuerant, & inde die ipsa *Est* reuersi sunt. Cumque oppugnandi *Lucii* horrendum desuper tempus facultatem adimeret, seruatis ad tempus apparatibus, Paduam se contulere. *Canis* Vicentiæ attentus persistens, e *Lucio* noua præstolatus, spe illa frustatus, non nisi in suismet finibus contumeliis, quæ gesta erant, accepit, mirabundusque stupefactione, ac mœrore simul arctato impetu in Vicentia se continuit.

* 65

Rebellio Sublimanti.

II Subiit & Paduæ iisdem diebus turbatio formidabilis. Inter tutiores ex oriente fines ciuis erat diues æque, ac nobilis *Sublimantus* de *Rubeis*, qui quanquam ex Gelfis ortus parti Gibolengæ adhæserat. Vir audax, parum prudens, suo fidens ingenio, ea non contentus ciuilitate, qua ciuitas gubernabatur. Is ab iuuenta in villa *Bracioli*, materno prædio, turrim ædificauerat, quam in dies extremo desiderio paulatim muris, propugnaculisque muniuerat latissimas circum foueas. Istic applicans affectus, animumque ad ausus dilatans, se non modo a priuatis inimicis, verum & ab ipsa vrbe tutari, si ceteris belli inquietudinibus illa perplexa foret. Se igitur, sic habentibus Paduæ successibus, contributiones instantium in Republica vicissitudinum ipse perpeti recusans, demoliri proprias in vrbe ædes passus est, ac veluti contumaciter *Bracioli* rure subtractus, ad hostes ire cum ceteris desiit, plerisque mulctatus, damnatusque pecuniis, reputatis, perditisque omnibus in contemptum; sed dilata per dies, atque per dies per ciues huius arcendi viri occasio, tandem increuit stimulantis plebis ac Maiorum animis pæne iam autumantibus eadem, quæ obstinatus ille

ille conceperat. At Primates octo, per quos cuncta ex bello instanti vrbi eminentia agebantur, illum per eiusdem necessarios primo ad vrbem euocandum, conciliandumque statuere. Ille quouis ductus ingenio ad ***Gualpertinum*** Abbatem ***S. Iustinæ*** in vrbano cœnobio se contulit, illi, vt patri vrbis & priuato per fidem pollicitus, bono animo Communitati esse; nihil contra nec meditatum, nec molitum, natumque iam puberem ipsi præsto commendaturum, flagellandum, necandumque, si quid in Rempublicam rebellionis attentasse contigisset. Verum orabat, precabaturque, ab aduersantibus priuatis ipsius Patris Abbatis patrocinio defendi, præsertim, ne suum de ***Braciolo*** palatium aliquorum insecutione demoliatur. Gratulabundus Abbas, & ***Sublimanum*** & natum amplexatus, in Prætorium ad Primates adduxit, vbi acceptatis, susceptisque vtrinque fiduciis integrata res visa est, biduoque fere inter ciues obuersatus, relicto Abbati filio, ***Braciolum*** reuersus est. Dumque expedito ab ***Leniatico*** exercitu ***Bornius*** Potestas cum militiis, & populo in vrbem remeasset, intolerabile indignumque visum est, vnum ciuem dato obside singulari viuere lege, contra communionis mores, instituaque. Citatus extemplo, vt pariturus se exhibeat, valetudinem finxit. ***Bornius*** octo Primatum decreto, ne ad instar ***Nicolai*** de ***Lucio***, habilius rebellioni se coaptet, eius noctis silentio Quarterii ***Turrisellarum*** militiam illo transmisit, acceptumque ***Sublimani*** filium, qui in Abbatia erat obses, cum quinquenni & trimula filiabus, furcis in patris conspectu appendendis, vel spiculis obiiciendis paternis, nisi se, castellumque dedat. Insultu primo ac repentino improuisus ***Sublimanus***; pertinax tamen ruralibus ***Bracioli*** vi intrusis cum bannitis compluribus Paduanis, ac consanguineis ex ***Pitetorum*** genere (sic illorum vocabatur progenies) Paduanam militiam non admisit, ac potius spiculorum iactibus secedere coegit. Noua hæc Paduam relata, non paruum momentum attulere, rumorque idem per Venetias, Vicentiam, Veronam, perque ceteras adiacentes vrbes, Paduanas* in sese obsessos in intimis ciuitatis attestabatur. Exortaque ***Cani Grandi*** lætitia, dum implicitos hostes videret iam commodius ac facilius confligendos. ***Bornius*** confestim præmissis machinis, materiisque omnibus ad vineas struendas ipse idem ad locum se contulit. Sed admirabilis, memorabilis ecce ***Sublimani*** calliditas; Abbatem ***S. Iustinæ***, vt patrem suum, ac ***Zambonetum*** de ***Capite Vaccæ*** consanguineum consulendos petiit, ***Martinum*** de ***Canibus***, ac ***Raynaldum Verlatum*** Leuitum. Accedentibus ille vultu placido, posito ponte, cum instructis ad hæc sequacibus in Abbatis amplexus accurrit, raptumque cum ***Zamboneto*** sublato simul ponte sustulit. Stupefacti Paduani successu admirabili infremuere. Hæc res mœrori, ludibrioque fuit variis varia exoptantibus*. Elatus hoc facinore ***Sublimanus*** filiorum mortes horum funeribus vindicandas clamabat. Paduani, quamquam potentissimos, carosque ciues in exitia expositos viderent, præponendum Reipublicæ commodum decernentes, ad foueas transiliendas direxere vineas, peditumque ordines cum missilium, sagittarumque apparatibus. ***Sublimanus*** arctatus pacisci pro se, & suis postulauit, alias desperatis rebus in expiationem filiorum Abbatem, & ***Zambonetum*** ad internecciones gladiis, missilibusque ipsorum Paduanorum expositurum. ***Bornius***, Paduanorumque Primores in sese conuersi, multumque pensi habentes, quidnam hoc in terribili, horrendoque articulo electuri sint, in partem adacti disseruere variis ad varia trahentes alloquiis. Primo quidem fœdum, ac vrbi præiudicabile fore, inultos nefarii viri ausus præterire ad scelestorum in Rep. præsumentium audacias extollendas, præuaricando exemplo ceteris contributo. At in aduersum, si ad castelli asperitates, cuius foueæ profundissimæ erant, excelsæque turris, ac propugnaculorum supereminentium oppugnationes accedant, facile, vt assolet, euenire, nonnullos interire. Inde & perquam noxium vrbi, Abbatem, cuius industria, viribusque per belli tempora ciuitas defensa fuerat, ***Zambonetum***que nobilem ciuem hoc in anfractu perituros. Accedebat & ***Albertini Mussati***, ipsius Abbatis fratris, intima populi, & Nobilium charitas, quamquam & ipse bonum commune semper præmittendum clamitaret.

* mel. *Paduanos* Sch.

* 66

mitaret. Denique, vt viuus cum suis *Sublimanus* abscedat, obtentum est. Susceptis itaque illæsis Abbate, & *Zamboneto*, castroque resignato, sole ad occasum iam declinante *Bornius*, & ceteri milites, ac pedites in castra secessere. Cumque iam clauso in tenebris die recessurus *Sublimanus* tutum commeatum a *Bornio* per nuncium postulasset, *Zambonetus* præfatus commeatus gratiam a *Bornio* petiit, non obtentam, nisi quatenus & *Sublimano* libuisset. Accedenti ad *Sublimanum* ex latere Potestatis socio, ac militi cum armatorum manu *Zambonetus* adhæsit, *Sublimano*que se obtulit, omnis acceptæ contumeliæ, vt aiebat, oblitus, nec ob id se illi defecturum, consanguinitatis vinculo constringente. *Sublimanus* milite Potestatis suisque licentiatis, se & sua *Zamboneto* & suis commisit. Cumque e castro progressus iam equum conscenderet, ingenti ignitus dolore *Zambonetus* ob sæuitiam, fraudemque *Sublimani*, qui pro eo vitam, salutemque impetrantem, quærentemque morti subiecerit, illum occidendum flagitantibus ad hoc amicis, qui secum erant, assensit. Multis ergo contossus, cæsusque vulneribus, loco eodem, quo & Abbatem & *Zambonetum* seduxerat, concidit, cadauere per *Zambonetum* & consocios in foueas castelli deuoluto. Mirum, quoties ipse sibi mortis speciem despondens prædicere exauditus sit, nusquam se, quam in *Bracioli* foueis periturum. Insinuata propere *Bornio Sublimani* mors mærori, indignationique fuit, animaduersuro in eum, nisi effugiens delituisset. At Paduanus profugum incensus cum plebe populus sustulere, resipiscereque *Bornium* accepto processu arcuere, & fraudem fraude vindicandam ex plebiscito comprobauere.

Spontaneo castri Lucii per Canem Grandem, inuito Nic. de Lucio proditore exustio.

III Per hos dies Idibus Martiis *Canis Grandis* exustis vndecunque ditissimis coloniis Paduanorum, scilicet *Vendæ*, vltro, citroque, eo fretus fauore in Paduanorum ostio, quem *Lucii* deditione præstiterant proditores, non amplius eorum seruitium gratum accipiens, quod non sui amore, aut dilectione; sed præuaricationis præcipitio id fecissent, castrum *Lucii* cum palatiis proditoris concremari iussit, hocque duplex suasit, fecitque occasio. Intolerabiles *Cani* impensæ, & expectatæ oppugnationis, quam Paduani structis parabant machinis, ingentibusque apparatibus, non inanis metus, sicque in cineres cum omnibus super solum substantiis versum est.

Ciuitatum Longobardiæ status & conditiones.

IV Vtque proditorem patrati sceleris mordacior pœna confligeret, Veronenses quidam *Canis Grandis* fideles, inimicitiarum præteritarum memores, quas olim *Guido* de *Lucio*, *Nicolai* genitor, cum *Mastino* & *Alberto* della *Scala* offensis capitalibus egerat, quibus satis constiterat ipsum *Guidonem* mortis *Mastini* complicem, occisorumque fautorem, ea reminiscentia, sepulcrum *Guidonis* in eo loci situm violantes, corpus, ossaque dispersa cunctorum visibus obtulere, vt huiusmodi seditionis pœna, non modo proditorem, & posteros, sed patrios manes molestaret. Interea Longobardi atroci, assiduoque bello se collidentes, vrbium mœniis, vt dudum ante, nullis immutationibus se continuere. *Vercellas* siquidem *Aduocatorum* pars, exclusis *Titionibus* in *Salizolo* ac *Cransentino* se continentibus, obtinebant: *Nouariam* Cæsareus Vicarius Torniellis suffultus, *Bruxadis*, ac *Caualaciis* pæne ceteros vrbis fines occupantibus. *Bergomum Soardi*, & *Coglones* sub Regio Vicario, *Bungis Riuolensibus*, ac nonnullis ex *Coglonibus* exulibus, perseuerabant. *Cumas* * *Boscones*, Imperio * fauentes, extrinsecis *Vitanis* tenuere. *Laudum Visterini* possidentes *Ouerganos*, *Fisiraticenses*, & *Fanonem* de *Drisima* extra ciuitatem arcuere sub Imperii clypeo. *Albertus Scotus* cum Confaloneriis intra *Placentiam Fontanenses*, *Auditenses*, ac *Furgosios* ab vrbe nomine Cæsareo prohibuere. *Mutina Mirandulani* sub Imperii Vicario potientes, *Sauignanos*, *Buschetos*, *Rangones*, ac *Saxolenses* mœniis exceptos pressere. *Canossienses*, *Roberti*, cum *Foglanis*, ceterisque Gelfis, solis de *Sesso* nobilibus exclusis, *Rhegium* tenuere. *Cremonæ* & *Parmæ Gibertus* de *Corrigia* Capitaneus Imperio obuius præsidebat. *Brixiam* pars *Maconum* vix solis mœnibus,

** vel. Roschones, qui hodie Rusche dicuntur. Sch.*

* 67

nibus, cetera oppida tenentibus externis, magnis tutabatur angustiis. Inter *Canem Grandem*, Veronæ, & Vicentiæ Vicarium, & Paduanos acre bellum assiduis populationibus, nullis intermissionibus agitabatur.

Deditio ciuitatis Parmæ Roberto Apuliæ Regi per Gibertum de Corrigia.

V Affectus longo bello *Gibertus* de *Corrigia* persequentibus *Rubeis* exulibus, qui vico *S. Dionysii* occupato, adiuti *Maphæo* Vicecomite, ceterisque Imperialis partis, assiduis incursionibus Parmenses fines turbabant, *Roberto* Apuliæ Regi ciuitatem protegendam supposuit, dominiumque eius ac gubernationem tradidit pridie Non. Martias, accepto Regis præsidio intra vrbem. Huius quoque exemplo defessi bellicis tædiis Cremonenses, extrinsecique Brixienses, Pergamenses, Laudenses, ac Cremonenses extorres communi alloquio Parmæ habito idem subeundum dominium decreuere.

Aduentus Archiepiscopi Treuerensis, Cæsaris fratris, in Longobardiam.

VI Interea *Treueriensis* Episcopus, Cæsaris fratris iussu, *Pisis* digressus in Longobardiam veniens *Placentiam* applicuit, cuius aduentus in varias opiniones excogitatus, dictusque est. Dixere quidam, vt ibidem Germanorum expectatas copias commodius aggregaturus Ianuam, & deinde Pisas transferret; nonnulli, vt ad Curiam Romanam inde proficisceretur, vt Cæsaris coronationem, quam pro Regis *Roberti* parte calumniari allatum erat, defenderet; alii quoque exinanitas Cæsaris vires coniectantes, paulatim Curiam minui, vt commodius, tutiusque, etiam si clandestina expeteret opportunitas, ipse Cæsar in Alemaniam pergeret, circumlocuti sunt. Sed huiusce rei veritatem gradatim scribenti successus aperiet. Occurrit & his diebus in Italia fama, molestatum Pontificem nece horrenda Marchionis Anchonitani, ipsius Pontificis consanguinei, ab latere *Franciscum Gaietanum* Cardinalem Legatum ad ciuitatis *Mutinæ* excidium constituisse, vt occisores, & complices exterminans vrbem diriperet censura Apostolica, vt offensam sacrosanctam Romanam Ecclesiam tanti viri internecione exemplifica punitione vlciscatur, admiscendis ad idem sæcularibus & ecclesiasticis brachiis sub crucis vexillo, & temporalis ac spiritualis executione iustitiæ. Plures incensis sic per Longobardiam partibus per menses Martium & Aprilem contigere congressus.

Congressus Guarnerii Præsidis cum Vgone de Albasio in terris Feliciani.

VII *Guarnerius* de *Oembore*, Prouinciæ eius Præses, adactis secum *Marchione Montisferrati*, & *Luchino*, *Maphæi* Vicecomitis filio, cum stipendiariis, & parte militiæ Mediolani, ad exteros iuuandos Astenses, qui ciuitati acre bellum inferebant, ad partes Montisferrati veloci cursu tetendit. Præscius huius transitus *Vgo* de *Albasio*, *Roberti* Regis Sescalcus, qui *Alexandriæ* præerat, collectis Alexandrinorum, extrinsecorumque Mediolanensium viribus, ac aliorum sibi fauentium vndecunque, ad resistentiam contra perrexit. Ferente itaque casu, dum digressus *Guarnerius* e castro *Lunii* ad *Montem Caluum* coequitasset, vt inde ad castrum *Masii* contenderet, *Vgo* vestigia assidue persequens per campos *Feliciani* acies suas deduxit. Inde enim *Guarnerio* migrandum erat. Vbi dum paulisper substitisset, accedentis *Guarnerii* aquilæ patuere. Hinc & *Guarnerio*, ac suis signa Regia in æquum campum nullo medio visa sunt. Protinus directis vtrobique nunciis prœlium assensibus communibus indictum est. Dispositis itaque, ac centuriatis militum, & peditum ordinibus, signo belli dato, vtrinque concursum est, sole fere ad decimam horam permeante. Tunc ibi lancearum, missiliumque fragor, stragesque collidentium virorum cum viris, contundentibus simul clypeis, totus æther pulsatus obstrepuit, dum primis vix æque iam defessis bellatorum aciebus, quos *Feritores* vocant, quorum pars maior Alexandrinorum erat, superati secessere, Alexandrini iam terga dantes, quos insequens *Vgo* Marescalcus, exhortansque, vt prœlium restituerent, nequaquam profecit. Illi namque demissis in conflictum animis sine ordine strati, victique partim campo abiecti occubuere, partim irreuocabiles diffugere. Teutonici matura nimium victoria potiuntes, iam ad spolia nanciscenda dilabentes, soluto aciei ordine ab *Vgone*, qui in cornu dextro suæ maioris aciei cum Gallis, magnisque Proceribus erat, insultati sunt; nec illi, quorum pars iam ad prædas ex equis desilierant, impetum *Vgonis* sustulere*, terga vertentes, consternatique, quos *Guarnerius* diuertere

* 68

tere cum subsidiariis maioris suæ phalangis primoribus frustra diuque conatus, in se & suos corruentes reintegrare non valuit: quin imo, tanta & suorum & hostium strage, saucius & ipse cessit: hæsitque fortuna in *Vgonis* Marescalchi partem, populi sui caterua in aduersos milites missilia iaciente, transfodienteque equorum ilia. Dumque *Guarnerius* suorum cædem cautior cerneret, exitialemque sibi & suis intolerabilis conflictus moram, coactis, vtcunque potuit, *Marchionis* & *Luchini* signis e campo sese proripuit, declinante ad occasum sole, & celeri cursu ad castrum *Quatuordecim* confugiens, suorum reliquias eduxit. Campo, victoriaque potitus *Vgo* suis prædam concessit. Cæsa e parte Præsidis capita centum sexaginta duo, inter quæ & Procerum Teutonici nominis quadraginta: capta duo, & nonaginta. E parte *Vgonis* cæsa duo & quinquaginta: Signa militaria decem Alexandriam, & Papiam ad triumphum relata. Nec segnis *Vgo* fortuna potitus campo pernoctauit, allicuitque fugitiuos Alexandrinos mulctis pœnarum indictis, *Guarnerii*que vestigia subsecutus circum castellum *Quatuordecim*, in quo se recluserat, rutilante aurora copias suas disposuit.

Bailardini de Nogarolis accessus ad Casale, & eius repulsa. * mel. interiores Sch.

VIII *Bailardinus* de *Nogarolis* Veronensis Pergami Vicarius, suasione *Corradini*, & *Gulielmi* de *Confaloneriis* Brixiensium, qui ab extrinsecis Brixiensibus ad intrinsecos defecerant, noctu cum Brixiensibus interioribus in Burgum *Casalis Maioris* furtim introiere*. Hoc enim castrum extrinsecorum præsidio tenebatur. Deducto igitur in strepitum certamine, qui in arce erant, campanæ sonitu per propugnacula ad arcis tutelam dispositi, præconstitutum signum flammeum in turris pinnaculo his, qui Asulæ, Brixiensibus, erant, fecere. Militia igitur signo emotita cum pedestri ordine illo ad succurrendum coequitauit. *Bailardinus* autem omissa ad arcem certandi opportunitate, contra venientes regressus, pugnam iniit; sed eo insperato succursu territus, magis fugæ, quam congressui intendit. Ex suis duobus & quadraginta captis, viginti interemptis. Papiæ exules seu banniti diebus his in insidiis nocturno tempore secus *Grauolanum* prope cauam pontis, tribus millibus ferme passuum ab vrbe, vt locum occuparent, delituere. At *Philipponus* de *Langusco* Comes cum extraneis edoctus, hora prima noctis erumpens, clandestine illos insultans fudit, quinquaginta circiter cæsis, captisque, ceteris in fugam versis.

Fortuitus Canis Grandis casus.

IX *Canis Grandis*, Veronæ & Vicentiæ Vicarius, sua insolentia cum palantibus paucis per Paduanorum agros, dum vltra pontem *Brentelæ* solus se duntaxat tertio discurrisset, fere a mœniis Paduæ passuum millibus duobus, a tribus eiusdem loci ruralibus circumuentus, occiso equo, in terram stratus concidit; sed proclamantem duo alii sublatum e rusticorum manibus eripuere.

Concursus Paduanorum ad suburbana Vicentiæ.

X Allecti igitur eius vesania Paduani, vt si forsan concitus a Vicentiæ mœnibus elongatus præceps excurreret, intercipi posset, sero iter mouentes nocte tota per callem *Canfreduli Sandricum* prætereuntes, intra *Theupesi* nemoralia in auroram delituere, cursoribus præmissis, qui illum lacesserent; sed numeroso agmine, quod lucescente iam die coloni concurrentes indicauere, subtractus mœniis se continuit.

Prodigia.

XI Hoc anno XIII Kal. Maias Mediolani prodigium apparuit. Armati scilicet viri effigies equo insidentis sub clauso crepusculo inter ædis *Maphæi* Vicecomitis vestibulum multorum visibus se obtulit. Eratque & sessoris, & equi moles supra communes mortalium mensuras perceptibilis, quæ hora fere vna perstans euanuit. Postque triduum in eo loci prima noctis quiete visi duo eiusdem molis armati, acri certamine simul congredientes, postque vnam fere horam, veluti defessi, pari digressu duellum dirimentes. Mense eodem IX Kal. Iunias liquido aere cyclus, ad cælestis arcus effigiem, summo cælo solis orbem ambibat.

Congressus apud Soncinum, & combustio Burgi.

XII Per hos dies *Ponzinum* de *Ponzonibus* Cremonensem, belli Gelforum Longobardorum aduersus Gibolengos Ducem, dum versus *Vrcegs*

cum

cum manu militum coequitasset, ***Bernardinus*** de ***Mazonibus***, & ***Corradinus*** de ***Confaloneriis*** cum Teutonicorum hala, quæ apud ***Succinum*** pro loci custodia residebat, insultauere; sed obuius ***Ponzinus*** æquo campo stans contra directis aciebus insultantes excepit, maioribusque viribus fudit, cæsis ex eis centum sexaginta, nullo in captiuitatem seruato, vstoque ***Succini*** suburbio cum suis Cremonam reuersus est. Quinto quoque Kal. Maias extrinseci Brixienses, qui ***Asulæ*** rebelles erant, sumptis aduersus intrinsecos viribus, castrum de ***Cegulis*** occupauere, quod octo mille fere passibus ab vrbe distabat, & cum ingenti animalium præda, relicto ***Cegulis*** præsidio, in ***Asulam*** regressi sunt. Pauloque post itidem residentes ex factione interiorum castrum ***Paonis**** intoiere, rebelleque ciuitati fecere. Hac fortuna potiuntes exteri Brixienses celeri gressu Cremonam acciti, properantes vna cum Pergamensibus, Laudensibus, ac Cremonensibus exulibus ad Pergamenses fines tendentes, castrum ***Colonii*** occupauere, vbi dispositis ad rebellionem Pergamensibus ceteris cum necessariis præsidiis III Idus Maias rediere. Huius castri captio Pergamensibus, Mediolanensibus, Brixiensibus, ceterisque Imperatoriæ partis Longobardiæ præiudicabilis admodum fuit, cui tota agrorum Pergamensium planities depopulabunda, vastandaque succumbebat, nec vllæ tutæ Mediolanensium cis ***Abduam*** fluuium coloniæ, patentibus & huius castri cursoribus vsque ad ipsa mœnia Brixiæ campis.

* 69

ALBERTINI MVSSATI

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER XIII.

Introitus secundus Cæsaris in Pisas, & Lucensium agrorum depopulatio.

Rubr. I Pisas profectus, acceptusque comiter a fidelibus Pisanis Cæsar, nulla mora ad depopulandos Lucensium agros militias dimisit. Hi ad pontem ***Tecti***, mille fere passibus ab vrbe distantem, celeri cursu coequitantes, multa strage; prædaque Pisas reuersi sunt. Sic & inde sedulo per colonias palantes ferro & igni cuncta vastabant. Denique eisdem primis tumultibus Idibus Martiis filii ***Ceppi*** & ***Gucciati*** de ***Manzatoribus*** prodito ***Camporenæ*** castello, cuius præsidio erant, ad Cæsarem defecere, Pisas cum Regiis militibus se conferentes. Continuo itaque a Florentinis hostes adiudicati sunt, diruptis funditus illorum ædibus, bonisque in commune omnibus confiscatis. Sicque identidem varios casus varia vtrinque præbente fortuna per mensem Maium, & Aprilem, hinc Lucenses Don. ***Frenando*** Duce, hinc Rhegii milites Marescalco præuio, cum Pisanis colonias inter vtraque confinia consistentes igni subiecere. Accidit hoc inter plurimos concursus memorabile. Dum lacessitos persæpe Lucenses ad excurrendum per plures mensis scilicet Aprilis dies paucis summissis, vt incautos extra mœnia traheret, Marescalcus Regis adeo frustra defatigasset, vt defessi variis cursibus non sic facile egrederentur, clanculum absque lituum, vel buccinarum strepitu euocatis contubernalibus noctu Pisis egressus est, sparsim e diuersis vrbis portis militum halas educens, ne per exploratores tanti apparatus Lucenses edocerentur, equitatuque clandestino rutilante aurora IX Kal. Maias ***Vicum*** aduenere. Inde in vallem ***Butti*** ingressos turris ***Rotæ*** custodes videntes e summa turre edidere. Hoc signo, quamquam hostilis motus notissimo, ægre permoti ***Lutti*** de ***Opicengis*** cum Pisanis exulibus ad speculandum parua militum manu Lucenses emisere. Dumque ad vallem ***Butti*** peruenissent, iam regressos hostes, qui certas ædes concremauerant, inuenere, nec magnas illorum turmas insequi imparibus viribus ***Lutti*** visum est; sed arcendos suos, ne progrederentur, constituit iussitque. At exacerbatos Buttenses acceptis contumeliis, quin ad vlciscendum, præsertim aduersus Vicenses concurrerent, quorum ductu in eos Regia militia impetum

 fecerat,

fecerat, coercere *Lutti* non valuit. Exosi quidem Buttensibus conuicinis, & e contra Vicenses erant. Tunc *Bandus Quartesanus*, Miles Lucensis, qui Buttensium pro Communi Lucæ Potestas erat, liuore quodam, quo in conciuem *Lutti*, qui exercitui præerat, agebatur, cui tantum licere videbat, vt eius nutu singula agerentur, *Indignum*, inquit, *vt ipse, æque, vt* Lutti *Lucensis ciuis, cui vallis eius, & incolarum demissum dominium erat, impunes abire hostes pateretur. Se, qui eius amici erant, sequerentur.* Et concito equo viginti sex fere hastatis equitibus ex eiusdem necessariis, ac Buttensi, & Compitensi populo concomitantibus vsque ad *Vici* foueas concurrere. Vicenses, & qui in propugnaculis speculabantur, hanc paruam hostium manum conspicientes, in eos erupere. *Quartesanus* tanti impatiens impetus terga vertens, interceptus*, confossusque decidit. Cæsa ex eis memorabilibus capita XX in equis *Vanni Bacchini*, *Angelus Negoci*, *Colucius Malataca*, *Bastardus Zarii* de *Fondo*, *Arigus Quartisani*; ex Buttensibus, & Compitensibus duo, & sexaginta. Signum militare vnum, plebeiorum ruralium signacula septem Pisas ad triumphum allata; plures vero ex Germanis profugos feruentius insequentes ad turrim de *Serra* prolapsi a tergiuersantibus Buttensibus repulsi sunt, cæsi ex eis duodecim, inter quos Coqui *Mastri* Regii filius concidit.

* 70

Insularum Capraria & Gorgonæ adustio.

II Paulo ante Maii Kal. Roberti Apuliæ Regis Admiratus cum Galeis quatuor per portum Pisanum excurrit, vagantes inde, improuisoque Pisanos præda corripiens. Sequenti die insulas *Capraria*, & *Gorgona* depopulatus exussit; sed maiori damno in tertiam diem remigans, onerariam nauem cum lembis decem septem eadem compage sustulit, ex qua Ianuensis monetæ millia quatuordecim cum omni remige rapuit. Ea enim moneta ex *Sardinia* magna collecta Sardorum contributione Cæsari deferebatur, cuius delatores æquore demersi sunt. Præterea his fere diebus Cæsari innotuit, *Gaducium Gallum* Pisanum in *Sardinia* Vicarium, qui per montana *Galluræ* grauibus Sardos exactionibus vexabat, ab eisdem interfectum cum triginta suæ Comitiuæ sequacibus, ipsosque Sardos violenda compulsos contribuendi molestia ad rebellionem erectos.

Fani commotio.

III In prouincia Romandiolæ circum Idus Maias *Fani* commotio praua, memorandaque suborta est. Dum enim *Rodulfus* de *S. Miniate*, *Fani* Potestas, *Fridericum* de *Monte Feltro* Comitem nouas res molientem præsensisset, Fanenses Primores vtriusque factionis ciues ad confinia ire iussit, *Cesanellum*, & fratres olim *Iacobi* de *Cassaro* bastardos iussionibus arcens, vt ad diem constitutam mœniis abscenderent. Illi, veluti parere volentes, ad vicum suum apparatus equitandi fecere. Suæ factionis amici exitium status sui suspicati, tumultaria concitatione recessum hunc detestati sunt; improperantes his, vt sic incauti, ac præcipites ad confinia tenderent, sese, & vrbe, ac amicis destitutis. Ii autem ex aduerso, qui Gibolengæ factionis erant, hac permoti nouitate, de se & statu diffidentes, dum se multitudine potentiores decernerent, præmaturo cursu ad Prætorium, & plateas armati concurrere, Gibolengam partem seu Imperialem viuere incenso furore vocitantes. Gelfi hoc concursu conterriti ad plateas sparsim traxere; sed primo aduentantes continuo obtruncati sunt numero centum quadraginta. *Cesanellus* & fratres maiori turba ad forum concurrentes, certamen acre, & anceps cum Gibolengis iniere, nec par erat congressus. Cum *Rodulfus* Potestas cum Satellitum, & armatarum familiarum comitiua equitum, & pedestrium Gelfos, & Commune *Fani* viuere clamitans, certamen subiit, Gibolengosque e plateis secedere compulit. *Cesanellus*, & Gelfi hoc tanto adiuti suffragio victores, Gibolengorum stragem fecere. Commissaque identidem cædes multis e summis Prætorii specularibus in præcipitium deiectis. Tunc sine numero per vias, & angulos, inque ipsis ædibus omnes Gibolengi nominis iugulati sunt, clausis vrbis portis omni denegato fugæ remedio, ciuitasque *Fani* ad partem Gelfam redacta est.

IV Per

IV Per idem tempus ***Riciardus Gambatesa***, ***Roberti*** Regis Apuliæ Vicarius, ad quinquenne Florentiæ possidendæ dominium Regi concessum, venit. Dumque isdem diebus ***Enorlum*** castrum factione municipum Florentiæ rebellasset, duo ex vrbis Sextis ad obsidionem emissi sunt ***Degone*** Marescalco mercenariorum militum duce. Interea Cæsar Pisis curia in auditoriis disposita, contumeliarum impatiens, quas ***Robertus*** Apuliæ Rex sibi ac suis, terra, marique, vt iam in patulum aduersarius, intulerat, discussisque discursisque solemni concilio contra illum articulis ad tribunal consistens tulit in hac forma sententiam.

Transmissio Vicarii in Florentiam per Robertum Regem Apuliæ.

HENRICVS VII.

Dei gratia Romanorum Imperator, & semper Augustus. Ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Deus Iudex, *iustus*, *fortis*, *& longanimis*, *omnes secundum sua merita iudicans*, *superbientem illum*, *qui dum ante suæ thronum clementiæ se gloria & honore sublimatum* * *conspiciens*, *sedem suam ad Aquilonem*, *vt esset altissimo similis*, *ponere cogitauit*, *de altis cælorum fastibus ad inferiora terræ in opprobria sempiterna demersit* (*ipsum enim gratia*, *& spe misericordiæ condigne priuando*, *eum duxit æternalibus vltionibus exponendum*) *sic ad præsens iustitiam respiciat*, *& æquitatem iudicet**. *Ipse cælestium*, *terrestrium*, *& infernorum Dominus*, *qui nouit occulta cordium*, *& ante cuius tribunal omnis calumnia cessat*, *& veritas nullius nequitiæ tenebris obscuratur*, *deponat nunc de sede potentem*; *qui temptauit*, *& exacerbauit ipsum*, *& concitauit eum in iram*; *perdat eum*, *qui mala quærit*; *det illi*, *qui obstinato animo viam innocentiæ effugit*, *& gloriatur in malitia*, *opprobrium sempiternum*; *faciat in eum iudicium conscriptum*, *& sit gloria omnibus Sanctis eius*. *Nequitiæ siquidem*, *& perditionis* * *alumnus* Robertus *natus claræ memoriæ* Caroli II, *qui se Siciliæ Regem intitulat*, *ex* * *Imperii Romani adipe impinguatus*, *incrassatus & dilatatus contra illum*, *cuius etiam causa multorum feudorum &* * *honorum ipsius Imperii*, *quæ hactenus tenuit*, *& quæ iniuste præsentialiter occupat*, *humiliter obedire deberet*, *virus iniquitatis euomens*, *odia*, *dolos*, *& fraudes pro fidelitate retribuens*, *& detestando ingratitudinis vitio calcaneum rebellionis præsumpsit erigere*, *ac contra stimulum indurata nequitia calcitrare non cessat*, *nefandaque superbia tumefactus sedem ab Aquilone*, *videlicet ab opposito Maiestatis Cæsareæ*, *quam eius Dominam*, *& Magistram reuereri & honorare tenetur*, *sibi ponere satagens*, *ipsum conuitiis & contumeliis prouocauit hactenus*, *& proteruo animo continuo prouocare præsumit*. *Ipse namque inter ceteros suæ malignitatis conatus*, *licet antequam Imperialis coronationis causa proficisceremur ad vrbem*, *per suas litteras speciales pluries culmini nostro scripsisset*, *quod ipse* (*quod & ex causa prædicta debebat*) *erga nos*, *qui nec verbo*, *nec opere ipsum grauaueramus*, *nec grauare*, *sed potius gratiose tractare intendebamus*, *eundemque ex puritate conscientiæ agere credebamus*, *ad exhibendam nobis debitam reuerentiam*, *& honorem tam in dicta coronatione*, *quam alibi intendebat*, *& ad id pro viribus se parabat*, *confœderationes tamen & conspirationes*, *vniones*, *& ligas in offensam & impedimentum progressus Cæsarei vna cum Florentinis contraxit literasque dedit Senensibus*, *& aliis nostri Imperii Romani subditis in Longobardia*, *& Tuscia*, *vt eos in rebellionis exitium & cæcitatis foueat*: *omenque contrarium* (*sicut exercuisse dignoscitur*) *per se*, *suosque procuratores*, *nuncios*, *& Ambasciatores in nostræ Maiestatis iniuriam*, *offensam*, *& impedimentum progressus Cæsarei facere procurauit*, *& fecit*, *ac etiam tractauit*, *& ordinauit*, *quod ciuitates Cremonæ*, *Rhegii*, *& Parmæ*, *quæ sub nostræ obedien-*

*71

* al. videat

* al. proditionis.

* al. &

* al. honorum

obedientia existebant, contra nos & Imperium rebellarent, inducendo tam communia ipsarum ciuitatum, quam alios subditos nostros prædictos ad rebellionem huiusmodi, & eis ad id pollicendo consilium, auxilium, & fauorem, & nihilominus gentes dicti Roberti *eius fulti fauoribus, suæque nequitiæ conscii & ministri, ciuitatem Astensem, & castra Valentiæ, & Casalis, sancti Euasiii, & alias nonnullas ciuitates & castra prouinciæ Longobardiæ, quæ mandata nostra iurauerant, & nos in eorum Dominum recognouerant, & Officiales nostros receperant, & habebant, Officialibus ipsis exinde violenter eiectis, nequiter occuparunt, & occupatos, & occupata pro* Roberto *retinent supradicto. Idem quoque* Robertus Ioannem *fratrem, & stipendiarios suos Romam, ea videlicet intentione, transmisit, vt vrbe, si posset, suæ perditioni dolose subiecta, vel saltem turbata, in eius periculo nefandæ seditionis immisso dictæ coronationis solemnia impediret, prout dicti* Ioannes, *& stipendiarii in ingressu nostro in vrbem prædictam, quamdiu imperantibus illis moram traximus, efficaci operum argumento probantes vna cum copiosa dictorum subditorum multitudine, quæ per instigationem dicti* Roberti *sub promissi eis sui subsidii, & defensionis fiducia, cum equis & armis ad se opponendum nobis, & exercendum præcogitatam malitiam, simul cum* Ioanne, *stipendiariisque prædictis conuenit ibidem contra nos, & gentes nostras hostiliter, posuerunt insidias, fecerunt insultus, spoliationes, violentias, & homicidia perpetrarunt, viasque publicas, & loca, per quæ ad tenendam basilicam principis Apostolorum de vrbe* omnibus religionem profitentibus Christianam liber aditus patere debebat, bellicosis apparatibus claudere, nobis ac nostris gentibus ad basilicam ipsam, ne ibi dicta coronatio celebrari valeret, accessum totis viribus prohibere, ac alias omni modo, quo poterat, Maiestatem nostram offendere procurarunt. Aliasque præfatus* Robertus *committebat, & erat in actu quotidie committendi omnia, quæ ad nostrum, & Imperii damnum, vel iacturam tenderent, & ad eam omnibus modis, quibus poterat, nitebatur. Hoc siquidem ad nos crescente clamore notorio, & in pluribus etiam rerum experientia edocente, licet ipsa tam publica & notoria essent, quod nulla possent tergiuersatione celari. Et nos, qui legibus subiecti non sumus, contra dictum* Robertum *propter præmissa non requisitum potuissemus procedere: Tamen ex Augusti clementia, quæ libentius emendat in subditis peccata, quam punit, nec exerit ferrum præcisionis in morbos, quæ sanare potest mulcebris lenitas medicinæ, post secessum nostrum de vrbe prædicta super dicto notorio & prædictis per ipsum* Robertum *contra nostram Maiestatem commissis ad inquisitionem descendimus, quam, vt fidei, vel amoris scintilla (si qua forsan remansisset in eo) ipsius viscera tangeret, & ipse interim spatium ad retrocedendum haberet, vsque in præsens gratiosis deliberationibus duximus protrahendam,* Robertum *prædictum citari legitime fecimus, vt coram nobis comparere curaret super his, si posset, suam innocentiam ostensurus. Verum idem* Robertus *in sua proteruia perseuerans in terminis ad hæc sibi præfixis, vel eorum aliquo per se, vel alium comparere contumaciter non curauit. Quare nos super præmissis in ipsius* Roberti *contumaciam fide dignis, & sufficientibus receptis, & examinatis testibus, & eorum dictis in scriptis redactis, & per nos solemniter publicatis, de mandato nostro a peritis nostri palatii cum diligentia recensitis, & facta nobis de ipsis per ipsos peritos relatione fideli, per ea, quæ probata fuerant, prædicta omnia, & singula publica, & notoria esse in scriptis interloquendo pronunciauimus & declarauimus, iustitia exigente. Ac postmodum eum requiri & citari sufficienter, & peremptorie fecimus, vt certo termino iam elapso coram nobis, vbicunque essemus, ad hanc nostram sententiam audiendam comparare curaret. Quæ ipse præscius, diffisus meritis, & offensis, & in sua obstinatus contumacia, & fraudibus perniciosius inductus facere prætermisit.*

*71

Quia

Quia igitur de præmissis omnibus, & singulis, prout in inquisitione continetur prædicta, specialiter per dictos testes plenarie nobis constat; nos prædictos, & alios prædicti Roberti excessus nefarios, & opera detestanda maturo librantes examine, ac illud notissimum nullatenus omittentes, quod ipse Robertus, cum in Vrbe prædicta causa præfatæ coronationis essemus, & dilectissimi nostri Pisani, qui inter ceteros nostros subditos fidelitatis & operis sinceritate renident, Galeas, & gentes Romam ad nostrum seruitium & honorem mitterent, Galeas ipsas in nostræ Maiestatis iniuriam inuadi, spoliari, & gentes prædictas capi, carcerari, & in carcere detineri fecit, & nihilominus in huiusmodi continuatione criminum perseuerando, mala malis addendo, & peiora quotidie committendo, dum contra rebelles nostros direxissemus signa Cæsarea, rebellibus ipsis, sicut publicum & notorium est, & facti euidentia docebat, & docet, misit pluries armatorum subsidium, vt eos diutius in suæ rebellionis erroribus confoueret: & attendentes, quod ipse, dum potuit pacem & quietem habere, dum debuit tranquillitatem expectare, ac nostram beneuolentiam, & dilectionem, quam sibi animi sinceritate paraueramus, obtinere, noluit, bellum quæsiuit, iniquitates exercuit, & pro posse procurauit, sicut etiam procurare non cessat Imperii populis seminare zizaniam, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, nutrire schismata, & fouere discordias: & sine intermissione in actu continuandi, & committendi omnia, quæ potest, in contrarium nostrum existit: & non solum in nostrum & Imperii contemptum, Reique publicæ detrimentum; sed etiam in perturbationem prosperitatis ecclesiasticæ, quæ ad dicti Imperii statum plurimum tendere dignoscitur, & in retardatione negotii terræ sanctæ, ad quod, teste illo, qui omnia nouit, totis cordis affectibus anhelamus: & videntes apertius, quod dictus Robertus irreuocabiliter in signum erroris prolapsus, & obstinatus in dolis, viam veritatis *73 expreuit omnino, & , tamquam aspis surda suum peruium* obstruens auditum, nec mandata nostra, nec legis pœnam, in quam suis culpis incidisse, ac incidere noscitur, nec etiam Imperatoris plenitudinem potestatis veretur, sed quotidie ceruicis durioris efficitur, & quantum ipsum ad pœnitudinem expectamus, tanto maiorem sumit audaciam malignandi. Considerantes etiam, quod ipse Robertus de Imperii crapulatus pinguedine debacchatus, dilatatur, & ex illicitis sibi laxatus habenis, nobis pro obedientia rebellionem, & pro fidelitatis debito iniurias facit, Nosque ac quoscunque fideles Imperii nobis obedientes pro posse impugnare conatur, eiusque potestas non in ædificationem, sed destructionem: non ad fructum, & iuuamen, vt deberet, sed ad pestem esse dignoscitur. Et volentes præmissis iniuriis, atque ipsius fraudibus obuiare, ac Euangelicam doctrinam sequi, quæ nos monet, quod omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, abscindatur, & mittatur in ignem. Licet fideles, Reges, & Principes in suorum dignitatis eminentiam, libenter condignis honoribus, & gratiosis fauoribus prosequamur: tamen, vt culpa supplicium timeat, & virtus retributionem expectet, Robertum ipsum, cuius eligimus domare superbiam, & præsumptionem erectam conterere, a statu suo quantumcunque sublimi deponere, cum propter præmissa læsæ Maiestatis crimine reus sit, vniuersis, & singulis dignitatibus, quibus se intitulat, & decorat auctoritatibus, honoribus, libertatibus, immunitatibus, priuilegiis, prouinciis, contratis, ciuitatibus, castris, terris, villis, feudis, vasallis, bonis, rebus, iuribus, & iurisdictionibus, tam perpetuis, quam temporalibus, quos, quas, & quæ habet, tenet, & possidet, vel quasi, seu habuerunt, tenuerunt, & possiderunt quomodolibet hactenus ipse, vel sui prædecessores, priuamus, eumdemque Robertum rebellem, proditorem, & hostem Imperii, dictæque Maiestatis reum de toto prædicto imperio exbannimus, & diffidamus, & ipsum, si quo tempore in nostram terram, & Imperii fortia venerit, vita per capitis mutilationem priuandum, in his scriptis sententialiter condemnamus. Statuentes, & mandantes, quod nulla persona

*cuiuscunque nobilitatis, excellentiæ, status vel conditionis existat, nullaque ciuitas, castrum, villa vel vniuersitas eidem contra nos & Imperium præbeat publice vel occulte auxilium, consilium, vel fauorem, sub pœna centum librarum auri pro qualibet ciuitate, & quinquaginta librarum auri pro quolibet castro, villa, Marchione, Duce, Comite, Barone, & quolibet Nobili in viginti librarum**, aut pro qualibet alia singulari persona pro vice qualibet, qua contra fecerint committenda. Quodque cuilibet impune liceat ciues, incolas, & habitatores ciuitatum, castrorum, villarum, & quaslibet alias singulares personas, cuiuscunque status & conditionis existant, quæ contra nostrum honorem ei obedirent, vel darent auxilium, consilium, vel fauorem, publice vel occulte offendere in persona, rebus, & iuribus, & ipsos, & ea capere, arrestare, & detinere. Inhibentes etiam, & præcipientes expresse, ne aliqui debitores eiusdem* Roberti *de bonis in quibus tenerentur, in aliquo eis satisfaciant, vel præsumant quomodolibet respondere: Alioquin tantundem Cameræ nostræ persoluant, & ad id sine strepitu, & figura iudicii compellantur. Vniuersitates, & prouincias, ciuitates, castra, villas, & singulas Vniuersitates, & quaslibet singulares personas, cuiuscunque præeminentiæ, vel excellentiæ, etiam si præditi regia dignitate, & cuiuslibet alterius nobilitatis, conditionis, & status existant, quæ ex aliquo pacto, promissione, seu obligatione dicto* Roberto, *aut suis prædecessoribus facto, vel pœna apposita sub quacunque aliorum forma comprehensa, vel comprehensi sint ratione, causa, vel titulo, & specialiter de aliquo seruitio faciendo, vel omni modo, armatorumque aut aliud subsidium dandum per mare, vel per terram tenerentur eidem* Roberto, *ab ipsis pacto promissione, obligatione, & pœna apposita: Vasallos quoque, feudatores, & omnes & singulos, qui eidem fidelitatis, & feudi, vel alia quacunque ratione, vel causa* ad aliqua paranda seruitia personalia vel realia tenerentur, ab omni vinculo fidelitatis, subiectionis, & obedientiæ ei, vel suis heredibus faciendæ absoluimus penitus, & in totum. Ita quod nec ciuitas, castra, villæ, vniuersitates, & personæ prædictæ pacto, vel obligatione prædictorum, nec vasalli, & feudatarii præfati, cuiusuis fidelitatis, & subiectionis, vel obedientiæ ratione, causa, vel titulo sibi, vel suis heredibus quomodolibet teneantur. Prouincias enim, ciuitates, castra, terras, villas, feuda, vassallos, bona, res, iurisdictiones, iura, seruitia, & quæcunque alia sub nostris comprehensa priuatione, & absolutione confiscamus; demum omnibus & singulis Militibus, Auditoribus, Iudicibus, Iurisperitis, & Notariis, qui eiusdem* Roberti *domestici, seu familiares existunt, seu aliis, qui in eius seruitio esse noscuntur, & quibuslibet aliis districte præcipiendo mandamus, quatenus* ab ipsius* Roberti *familiaritate, consiliis, directione, & obsequiis quibuscunque infra duorum mensium spatium ab hodie computandum cum effectu recedant, nunquam ad eius consilium, vel seruitium accedere publice, vel occulte præsumant. Alioquin ipsos Milites honore, & dignitate militiæ, & Iurisperitos omni iudicandi, & assidendi.... omnibus, & singulis priuilegiis, & immunitatibus, ac Notarios notariatus officio, eos videlicet de dictis Militibus, Auditoribus, Iudicibus, Iurisperitis, & Notariis, qui huiusmodi mandato nostro non paruerint, ex nunc, pro vt ex tunc, priuamus termino suprascripto, & inhabiles, & infames reddimus, ita quod elapsis mensibus supradictis ad nullos actus legitimos postmodum quocunque tempore admittantur. Huiusmodi autem priuationis, confiscationis, exbannitionis, diffidationis, condemnationis, & absolutionis sententias in his scriptis fecimus, & alia omnia, & singula facta, & instabilimenta facimus exigente iustitia, & bono Reipublicæ requirente, ac ex certa scientia de plenitudine potestatis. Supplentes omnem defectum, si quis forsan in inquisitione prædicta de quibuscunque processibus propterea factis ob aliquam iuris solemni-*

*al. XX librarum auri, omisso, in. dein, & quolibet.

*74

*al. quod

solemnitatem omissam esset habitus, non obstantibus aliquibus legibus, vel statutis, contractis, & priuilegiis sub quacunque verborum forma concessis; etiamsi de ipsis oporteret de verbo ad verbum in præsentibus fieri mentionem, quæ contra præmissa, vel præmissorum aliquid possent, quomodolibet obiici, vel opponi, quibus specialiter derogamus. Actum Pisis in præsentia nostrorum Principum, & Baronum, populi multitudine copiosa VII Kal. Maii, Regni nostri anno quinto; Imperii vero anno I.

Pugna apud Massam Marchionum Malaspinæ.

VI Cum æstas instaret, & campi ad maturitates vbique fruges educerent, conciti ad bella rebellibus inferenda contubernalium Cæsaris animi, ipsumque ad bellorum motus iugiter incendebant, legatos, nuntiosque per amicorum Tuscorum ac Longobardorum ciuitates, & municipia mitti suadebant: quæ omnia summopere illo imperante omnibus solertiis effecta sunt. At proficiscentibus ab *Cane Grandi*, & *Passarino* de *Bonacosis* equitibus ducentis per *Lunesanam*, ductoribus *Franceschino* de *Dallo* Marchione, *Paganio* de *Panico* Comite, & *Guidinello* de *Monte Cucudo*, sors infesta obuenit. Nam venientes *Vanni Scornazanus* Pisanus exul cum mercenariis equitibus, quos Lucenses illi ducendos commiserant, ad *Massam Marchionum* ex improuisu circumuenit, incautosque dispersa eorum acie fudit, vbi cæsa eorum capita sex & octuaginta; capta sex & quadraginta, ceteris in fugam versis. Inter cæsos *Franceschinus* Marchio præfatus, *Otholinus*que frater captus. Signa militaria tria, vnum Imperialis aquilæ, alterum *Canis Grandis*, tertium *Passarini* Mantuanorum Vicarii Lucam ad spectaculum delata XI Kal. Iunias.

Apparatus Cæsaris terra & mari aduersus Robertum Regem Apuliæ.

VII Multis ergo curis implicitus Cæsar, permulta ingenti anima versabat. Hinc suppetentibus terrestri bello viribus anxios Florentinos, multosque præteritis damnis affectos, iterum inuadere, exagitare; hinc Lucenses, veluti in ostium oppositos, mœnibus arctare, municipiis, castellisque, ac coloniis vndique exuere, denudare, facileque tunc illi ad alias Tuscorum vrbes euincendas progredi, ob idque sparsas fidelium copias Pisas elicere. Nec minus & fortunam mari tentare, si se captaret opportunitas, vt in Apuliam nauigaret, ob quam causam *Fridericum* Siciliæ Regem totius naualis belli Admiratum suum in publicum pronunciauit, constituitque, illo apparatum Galearum XXIIII remige aggregante. Nec desides Ianuenses quinque & viginti Galeas cum armamentis ad hanc Cæsaream classem augendam *Lamba* de *Auria* Admirato præsto esse, Pisanosque Galeas XII multa impensa ad tantos progressus offerre. His* inuadendum in Apulia *Robertum*, cuius oppugnatione Italiam totam subiici certissimum erat, Cæsari persuasum erat.

*75

Capta Petra sancta per Marescalcum Cæsaris, & Lucensium obsidio, & variis in finibus Lucensibus congressus.

VIII Verum vltimo Kal. Iunias sic tumescentibus bellorum incrementis Marescalcus Cæsareus cum cohortibus, & Pisanorum militiis, & peditum manipulis per Lucenses agros ad *Petram Sanctam* aquilas tulit. Ea colonia diues erat. Quæ, quamquam intra Pisanorum fines, iam dudum a Lucensibus possessa fuerat, in ipsam insultu facto vndique cum sagittarum, missiliumque iactibus, frustra resistentibus colonis, ac nonnullis imperialis partis factiosis operam dantibus, eruptum est. Tunc locupletum incolarum captatis mercibus, pingui præda victores potiti sunt. Lucensium vero stipendiarii centum, qui præsidio erant, in ipso conflictus actu violenti per orientalis partis portam erumpentes, fugæ remedium nacti sunt. Extemplo Marescalcus, & ceteri Cæsaris milites, Pisanique captiuos terrigenas cum spoliorum, & prædæ magnis oneribus per callem, qui ad mare prouehit, ad † plagias* *Motronis* vexere**, in Galeas duas Pisanorum cum lembis tantarum rerum capacibus, vt Pisas deferrentur, locauere. Dumque iam delatores ad æquor remigassent, ecce inopinatus subiit euentus. Nam *Roberti* Regis Apuliæ piratæ, qui per eas oras, vt incautos Pisanos, seu circumuagantes Cæsareas rates circumuenirent, intenti procurrebant, vasa huiusmodi duo cum lembis, & omni præda, ac ductoribus eripuere, rerumque omnium facili successu potiti sunt. Lucenses quoque per signorum indagines horum certiorati, maturantes iter cum militum, peditumque phalangibus ad *Vicum Camaioris*

* vel. plagas

** l. ✝ Sch.

duobus ferme millibus passuum a *Petra Sancta* distantem, audita hostium victoria, substitere, ibique pernoctantes Luciferum moto exercitu *Botharam* perrexere; locus is a *Petra Sancta* passibus fere mille quingentis distabat, Lucam confestim nuncios destinantes, vt ad id loci socios Florentinos, qui externa die Lucam in subsidium venerant, transmitterent. Ipsique ea die celeres in eadem castra centum numero pedites se adiunxere. Sicque coniunctis copiis confisi, pontes ac vias, quæ montes a palude distingunt, per quos hostibus reditus erat, deiecere, vnde nec illis, nec ferro aperiendus reditus pateret, nec suffragantes ab Cæsaris partibus accedere, nisi per medias Lucensium copias consequens erat. In Lucensium castris tunc post triduum fuere militum millia duo, peditum millia viginti, Cæsarei milites mille ducenti, peditum millia decem.

† Hic locus hodie quoque indigitatur, *le piagge di Mutrona*. Vtitur autem auctor noster hic, atque alibi verbo, *plagia*, pro eo, quod est vulgo, *piaggia*, quo nomine significantur omnia decliuia, montium præcipue, ac litorum. Et videtur id verbi vnum esse ex iis, quæ a Græco idiomate in Tuscum se transtulere, absque vt per Latinorum fines transirent. Quod genus permulta esse ostenderem, si vacaret. Πλάγιον autem græce *obliquum transuersumque* significat. Et cum talia sint & montium latera, & riparum, litorumque tractus, ideo hac appellatione recte donantur. Probo tamen oculatissimi Glossographi emendationem, qui, *plagas*, pro, *plagias* reposuit. Quod nomen sicuti latinum est, ita fortasse nimis videri possit hic generale, cum tractum terræ omnem, æquum iniquumque significet. V.

Tantis sub rerum vtrinque apparatibus insperata Lucensibus occurrit nouitas. Insinuatum quippe *Ioanni* de *Porticu* vallis *Arni* pro Lucensibus Potestati *Fuscendum* * eiusdem vallis castrum munitissimum, clandestina eorum, qui præsidii primores erant, proditione prodendum Cæsari, iam pæne ad actum rebus compositis, Comite Sabaudiæ cum Regiis copiis, apparatibusque omnibus ad portas excidendas noctu properante. *Ioannes* vespere declinante coniuratione detecta, conspiratorum partem pluribus profugis * temp. . . . . *Robertum*que *Rubeum* duplici ad eam portam, quæ *sancti Bernardi* dicebatur, præsidio stare iussit, sicque aliter, quam meditati fuerant, proditores verso successu Comitem adventu suo frustrati, conuictique criminis Lucam dimissi suspendio pœnas dederunt, vexillaque duo versis aquilis, quas illi ad proditionem parauerant, Prætorii Lucensis fastigio appensa. In digressu tamen a * *Foscelo* populabundus Sabaudiensis oram eam cum coloniis singulis igni, ferroque vastauit. Timore perculsi Vicenses ægre obediebant Lucensibus, vbi * & banniti, relegatique Pisani defluxerant. Ipsumque *Busiani* castrum superbe, insolenterque mandata peragebat. *Aranum* per hos dies Gibolengi inuasere, quod paulo post *Græcus Bernarducius*, eius oræ Vicarius, introductis Gelfis accepit. *Graphagnanæ* incolæ detectis partium odiis, diu contritis, certamen singulare gessere. Obtinentibus tamen Gelfis earum dierum vna, Nonis Iuniis, quadraginta ex Gibolengis gladiis interiere, cæsis ex Gelforum parte XV. Huius certaminis subsidiarii eo rumore excitati fuere Lucenses populi *sancti Petri*, qui tunc in ea regione erant. Hoc congressu, motuque elati in *Graphagnana*, & *Terelio* Gibolengi deinceps Gelfos maioribus agitauere molestiis. Verum *Bartholomæus Passarelli* pro Lucensibus itidem potentatum habens, conniuentibus oculis, vt res exposcebant, res præterire sinebat, dum tantum ab rebellione expressa illos arceret. Sicque in Viciano Rectoris specie residens erat. In Lucensium castris interea discors opinio. Ipsi quidem Lucenses instabilem exercitum præsentientes, horrentesque, ne expeditionis solatio illos ab hostibus indefensos destituat, misceri prœlium efflagitabant. *Dego* stipendiariorum Florentinorum princeps, ac subsidiarii Bononienses * assentiebant. Soli Florentini moræ patientes, hostes inclusos in se ipsos confici adiudicantes, prœlium detrectabant. Sicque in ancipiti in dies factum suspendebatur. Anxii Pisani suorum tædio, quos angebat impermeabilis accessus, inde & rerum familiarium inopia, vt vnde * irrumperent, quatenus & ipsi possent, machinas, testudines, cataphractas, onerarias barcas, quas *Barbottas* ipsi nuncupabant, cum bancio-

* infra *Foscelum* dicitur Sch.

* f. tempori Sch.

* supra *Fuscendum* dicitur. Sch.

* mel. quo V.

* 76

* mel. inde Sch.

bancionibus * frumentariis, omnique nauali, terrestrique apparatu instruxere, vt ferro, viribusque se obiectarent, ad statutamque Iunii diem XIV egredi coniurauere. Sed ecce in summo Gorgonæ fastigio ignem emicare, quod signum *Falo* † ipsi nuncupabant, conspexere. Huius indices signi *Roberti* Apuliæ Regis Galeas in *Elbam* declinasse declarauere, ibique identidem damna intulisse incolis, mox & in portum Pisanum descendisse. Verum Falonis indicio Gorgonei classem Pisani in tutum redegere, illæsamque seruauere. Hæque in sequentem diem Galeæ in plagias *Motronis* scopulo adhæsere. *Aldemarius Calaber* harum Vice-Admiratus (nam & *Corradinus Spinola* Ianuensis Superadmiratus Regis eiusdem erat) per callem, qui ad *Camaiorem* vehebat, ad Lucensium exercitum se contulit, dimisso apud Motronem nauigio. Hincque consalutatis exercitus Primoribus, pro Regia Maiestate se itidem affuturum, missumque ab Rege indicauit, iis monitis, vt a balistariorum tribus millibus septingentis tractis, qui in vasis illis erant, septingentos secum in castris accipiant, ceteros præsto adesse, vbi melius se captaret opportunitas, Tuscorum suorum seruitia suppleturos, terraque, marique Galeas eas in maris ore catenatas subsistere, vnde regressus, seu fuga hostibus futura esset. Nec his veluti tantæ opportunitati non suppetentibus contentum Regem; sed in mandatis *Corradino* adiectum, vt Galeas alias sex illis coniungat. Ipseque triginta insuper armari iusserat, vt quinquaginta necessitudinem compleant amicorum. Pisani his perplexi, tardatique horum intercapedine dierum, consumptis, quæ ad victum, opusque, quod aggressi fuerant, inaniter frustra tempus illud triuere. Nec illis supplementa. Suppleant, dum e *Lunæ* finibus longo bello iam affectis frumentandi facultas deesset. Idque idem e Ianuæ *Riparia* obtigerat, quam veluti sterilem constabat. Nec suis opitulari terraue mariue possibilitatem adesse intuebantur, ad quos omnis ademptus accessus terrestris. Os quoque maris Galeæ obstruebant. Angebatque Imperatoris, Pisanorumque animos, quod iam victuum penuria intolerabilis suos afficeret, præsertim vini defectus, cum minima eius cessus * mensura, quam *Mitadelam* †† terrigenæ vocant, Pisanæ monetæ solidis duobus arrogatis venditoribus emeretur. Marescalcus Cæsaris solertia vigili in diffugium pronos membrorum mutilatione suos pæne arcebat, ad quos supreme arctandos cura Lucensium sedula dies noctes fatigabatur, excubiis vndecunque dispositis, pæneque, vt eos quamquam sic affectos prœlio incesserent, castra continebant.

* f. *barchisbus* Sch.

* f. *census* V.

† Vox *falo* acuta accentiuncula notanda est, *falò*. Significat autem flammam, seu flammæ splendorem, vel potius repentinam flammæ apparitionem. Et videtur esse vnum ex iis verbis, quæ a Græcis ad nos recta migrarunt. Illis enim φαλὸς denotat *splendidum* vel *album*, deriuatione a verbo φάω, quod est, *luceo*. Consimile huic verbo (quod obiter dixerim) est nauticum illud, *fanò*, quod Græcis est φανὸς, & significat *lampadem* seu *laternam*, a verbo φαίνω, quod inter alia est, *luceo*, seu *appareo*. Galli dicunt, *falot*, quod videtur affine τῷ *falò* Etruscorum. V.

†† Scribendum est, *Metadellam*, uti hodie quoque appellatur a Thuscis. At *Mussatus* per vnam tantum liquidam eam enuntiauit, more scilicet Venetorum, qui bellum internecinum cum geminatis omnibus indixisse videntur. Quo fit, vt *quelo*, *elo*, *belo*, *fato*, *puto*, pro *quello*, *ello*, *bello*, *fatto*, *putto*, &c. tandem id genus omnia tenui hoc sono pronuntient. ——— *Metadella* duplex mensura est, altera solidorum, liquidorum altera. Nam apud Etruscos modius diuiditur in XXIV partes, quas illi vocant *staia*. Sextarius item dispescitur in duas, quas *minas* appellant, *quartinasive*. *Mina* iterum secatur in duas, quas indigitant, *quarti*. Quartarius hic deinde scilitur in duas, quas dicunt, *mezzi quarti*, seu *metadelle*. Post hæc *metadella* ercifcitur in duas, quas nominant, *boccali*: baucalium rursus partitur in duas, quibus nomen, *mezzette*: quæ tandem in duas minuuntur, quarum appellatio, *quartucci*. Vides igitur, *metadellam* esse octauam partem illius mensuræ, quam illi sextarium appellant; licet nonnulli 16 esse velint, eandemque cum baucalio. Quod autem pertinet ad liquida, *metadella*, quæ idem est ac *mezzetta*, est quarta portio illius œnophori, quod Etrusci appellant *fiasco*. Hoc enim diuiditur primo in *boccali*, tum in *mezzette* vel *metadelle*; posthæc in *quartucci*; ac tandem in *quartuccini*. Accedit ergo metadalla ad ξ i. e. ξέστης Græcorum. V.

*ALBERTINI MVSSATI *77

DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS

LIBER XIV.

Defectio castrorum Romani & Gisalbæ ad Gelfos Longobardos.

Rubr. I CAstro *Colonii* Pergamenses exules potiti, vt præmonstratum est, intrinsecos, ceterosque, qui vrbi adhæserant, municipes vndique conterruere, in quo ipso motu *Fridericus Coglonus*, qui eatenus Vicario Cæsaris paruerat, egressus ciuitatem in *Martinengum* confugit, confœderatusque extrinsecis bellum vrbi, accitis suis circumfidelibus, intulit, cuius rei causa sic ferentibus successibus *Romani* castellum ad *Giselbertum Carpionum* Pergamensem, iam dudum exulem, defecit. Item & *Gisalbæ* Consules castrum & se victoribus applicuere. Sicque breui mutatis vicibus Pergamensium coloniæ, municipiaque omnia inexpectatis concursibus sibi rebusque suis consulentes, in fidem Gelforum venere. Militia igitur, populusque Pergami compositis viribus per distinctas acies *Vezanegam* perrexere. Locus is a *Colonio* castro millia passuum circiter quatuor distabat. Dum itaque ea forte die, videlicet XVII Kalendas Iunias, iidem extrinseci Pergamenses, Laudenses, Cremonenses, Brixienses, qui ducenti fere hastati ad agros depopulandos exierant, præfatam militiam, ac populum in *Vezanegam* aduentasse cognouissent, parua a loco distantia frondosis abditi velaminibus, vt intrinsecos lacesserent, præmisere cursores. *Ii*, qui in *Vezanega* erant, audentioribus, quam prouidis animis continuo aduersus cursores incompositis ordinibus discurrere. Signo extemplo dato, qui prope latebant, iam cœpto cum cursoribus congressu magno, illos adorti sunt. Nec, qui exierant, primum sustulere impetum, quin fugati magna strage in *Vezanegam* regrederentur. Tunc & inde frequens extrinsecorum excursus fines Pergamenses ferro, igni que vastabat, quosque incautos extra valla, & munitiones inueniebat, obtruncabat. Interfecti in Cluso *Matthæus* della *Bora*, & *Morus Alexii* ab extrinsecis cum Pergamensibus interioribus ferme quinquaginta, quorum internecione confusi, qui omnia montana Pergamensium incolebant, ad Gelfos defecere.

Defectio castrorum Irmignani, Spirani, Calcinati, & Cisarani ad Gelfos Longobardos.

II Castraque multa per planitiem, inter quæ *Irmignanum*, *Spiranum*, *Calcinatum*, *Cisaranum*, ex ipsis quoque montanis aquarum cuneos, quibus ipsa Pergami ciuitas aquabatur, confregere, fontes alio diuertentes. Vix itaque pæne obsessa mœnia Vicarius Cæsaris cum intrinsecis continebat.

Prælium inter Cathelanum, Cozo, Roberti Regis Vicarium apud Cassinas.

III Hoc eodem mense Maio *Cathelanus Cozo*, *Roberti* Regis Apuliæ apud Alexandriam Vicarius, cum exulibus Alexandrinis, Pedemontanis, cetetisque Imperialis partis, qui *Cassinas* tenebant, compestre prœlium iniit, quo victi, fugatique Cassinenses, exitialem conflictum perpessi sunt. Ex quingentis quippe peditibus, cum fere triginta hastatis militibus, qui ad congressum venerant, captisque centum quinquaginta, in Cassinas rediere, ceteris cæsis captisque, inter quos *Raymundus Marchio* de *Ancisa*, *Romæus Lanzauegla*, *Galuagnus Merlanus*, *Lanzalottus Viciatus*, *Galuagnus Lanzauegla*, aliique Primores, qui Cassinarum defectionis auctores fuerant, in captiuitatem Alexandriam ducti fuere. Captiuorum capita ducentum quinquaginta. Multa in *Brumidam* fluuium demersa.

Captio castri Sarmatiæ per Gelfos Longobardos.

IV Hos prope dies *Paganus Raina*, *S. Saluatoris* Potestas cum subiectis castrum *Sarmatiæ*, opportunitate captata, violenti oppugnatione, custodibus, qui eius præsidio erant, trucidatis, occupauit, dum ipsius Sermatiæ terrigenæ cum omnibus copiis ad castrum *Genzani* debellandum perrexissent. In ea cæde *Franciscus Canis*, qui factionis *Canum* de *Casali*, aliorumque Imperialium inibi princeps erat, obtruncatus est: plures quoque subita ignis iniectione præoccupatos incendium consumpsit. Huius castelli excidium vehementi gentium Imperialium læsioni fuit, in quo, tamquam circumuolantium, palantiumque ex Alexandria, Casali, Vercellis, Papia amicorum Cæsaris nido recipie-

recipiebantur. Erantque prætereuntium de Casali Vercellas obex, ne cui liber inde transitus foret.

V Itemque pæne per dies eosdem apud *Vuastos* aggerem æquo campo directis aciebus concurrerunt inuicem *Bruxiadi*, & *Caualacii* de Nouaria exteri cum aduersis Nouariensibus, nec non & exulibus Vercellarum, vbi Nouarienses & Vercellarum exules terga victi * dedere, cæsis ex eis tercentis sexaginta, ceteris in vrbem fugatis. Tuncque in Nouaria ingens trepidatio vix portis sese credentium audita suorum strage.

Congressus Caualaciorum & Bruxiadorum de Nouaria.

* 78

VI Cremonæ quoque lætabunda fors de castro *Tribuli* obtigit. Nam rebelle, ac infestissimum ciuitati, dedentibus municipibus ad *Passarinum* della *Turre*, *Roberti* Regis Apuliæ Vicarium, defecit. His omnibus mensis huius sic repentinis belli successibus Cæsareæ in Longobardia partes acribus vexatæ contumeliis, terrore multo concussæ sunt, de solo Germanorum aduentu spem adiicientes, ad quos euocandos Treuirensis Archiepiscopus Cæsaris frater Alpes transilierat. Verum ex Bauariæ Ducatu citra illorum spem noua per Italiam increbrescebant, arctatum sola regni sui tuitione *Ioannem* Boemorum Regem Cæsaris filium aduersantibus nonnullis ex regni Principibus factione *Henrici* Carinthiæ, qui & se Boemiæ Regem nuncupabat, vnde vix sibi suffecturus patri suffragari non valeret. Sic, aliterque varii per vniuersas Italiæ ciuitates certatim pro suo cuiuslibet libitu sermones effundebantur, nullaque interim populis quies, hinc ab Aquilone, inde ab Austro in se ruituros populos expectantibus. Iam duo capita Italiæ declarata, quorum alterum regnaturum oporteat, aut *Cæsarem*, aut *Robertum*, Apuliæ Regem; ad hos duos omnium opinionum relatio; horum, cum in Cæsarem iura omnia diuina & humana consentiant, rite rerum omnium potiturum assertiones; illorum non diffitentium, si quidem non factiosus alterum genus hominum subleuasset, alterum oppressisset adiectiones. Per hos dies lacessitus in contumaces, indefensosque Paduanos multa exulum querela Cæsar, dum conceptum in dies distulisset, damnationi illorum intendit, sedensque ad tribunal iuxta delatorum indagines, causis adiectis, nec vllius confutatione propulsatis, sententiam tulit in hanc formam.

Captio Tribuli.

HENRICVS VII

Diuina fauente clementia Romanorum Imperator, & semper Augustus ad certitudinem præsentium, & memoriam futurorum.

Rubr. VII. Sententia Cæsaris contra Paduanos.

POstquam Reipublicæ tuitionem diuina influentia nobis disposuit committendam pacatis seditionibus, quæ per prouinciam inimico pacis pullulauerant operante, disposuimus necessario partes Italicas reformare, in quibus vacante Imperio vniuersæ communitates, ac ciuitates Italiæ iura Romani Imperii occupauerant, & inter se intestinis bellis duriter fatigatæ, cupiditate habitantium excrescente, quibusdam ciuibus captata occasione nefanda eiectis more tyrannico regebantur, & infinitis eorum ciuibus exulantibus ab eisdem, ac bonis propriis tyrannice ab aduersariis occupatis, cogebantur per ciuitates exteras mendicare, ac multis etiam per diuersas prouincias dispersis, vitas eorum in exilio peregerunt. Verum ad ipsas partes Italiæ accedentes vniuersis nostris, & Romani Imperii fidelibus de Lombardia, qui in fidelitatis proposito perdurant, placatis atque vnitis concorditer, dum nostra foret intentio præparata ad inchoanda itinera versus Romam, vt diadema Imperialis culminis suscipere valeremus, ciuitas, & commune ciuitatis Paduæ, ac infra scripti ciues ciuitatis ipsius, & quilibet eorundem in malum damnabiliter obstinati, post recognitionem spontaneam, & fidelitatem nobis exhibitam cum patratione iuramenti solemnis, inter ceteros alios suæ

*suæ malignitatis conatus, deferente clamore notorio, qui nulla potuit, neque potest, tergiuersatione celari, comiserunt tunc contra Regiam, & post Imperialem Maiestatem infra scripta crimina, & reatus. Ipsa namque ciuitas & commune Paduæ, & infrascripti ciues, & districtuales ipsius ciuitatis, & quilibet eorundem sinistro & vigilanti animo effectualiter procurarunt, vt ciuitates Lombardiæ, & ceteræ ciuitates Marchiæ Taruisinæ cum quibusdam ciuibus ipsarum ciuitatum, ac ciuitates Tusciæ, & aliæ vniuersitates castrorum nobis & Romano Imperio rebelles, contra nos se opponerent, & in rebellione persisterent, animo indurato, ac promouerunt & induxerunt Consiliarios, * Officiales, & homines ipsius ciuitatis Paduæ ad expellendos fideles subditos, seu amicos Romani Imperii, ac ipsos forbanniendum, ac quosdam occidendum, quosdam relegandum de ciuitate Paduæ antedicta, & nihilominus cum ipsis ciuitatibus rebellibus supradictis conspirationes & ligas contra nos, & Romanum Imperium facere præsumpserunt, & mala prioribus aliis peioribus cumulando, communicato consilio cum prædictis ciuitatibus rebellibus supradictis hominibus eorundem ordinauerunt de transmittendo ad Vrbem subsidium armatorum pro impediendo, ne diadema Imperiale suscipere valeremus. Item communicato consilio tractauerunt & ordinauerunt de accipiendo ciuitatem Vicentiæ de dominio Imperialis culminis, & de sumittendo eandem prædictæ ciuitati Paduæ rebelli, ex quo tractatu cum operibus subsecutis infiniti homines ad interitum sunt deducti. Insuper infra scripti ciuitatis eiusdem, communicato consilio inter se & cum supradictis Ciuitatibus rebellibus partium supradictarum, ipsam ciuitatem Paduæ tunc temporis nobis & Romano Imperio subiectam, & re vera sub nostro dominio existentem seduxerunt ad rebellionem, nobis & Romano Imperio faciendam, in qua rebellione continuo perstiterunt, & super adhæserunt ciuitatibus rebellibus antedictis, & dum essemus diademate Imperialis culminis infulati, & resideremus cum nostro felici exercitu in castris ante Florentiam mittere Florentinis subsidium festinarunt. Nos vero cupientes scire, vtrum clamor ille notorius adimpletus esset operibus sic nefandis, de prædictis & super prædictis ex nostro voluimus officio diligenter inquirere veritatem. Et commissione prædictorum testibus omni exceptione maioribus notorie, legitime comprobata, de consilio nostrorum iudicum pronunciatum fuit solemniter, crimina supradicta in inquisitione formata contra eos contenta, & quælibet eorundem notorie fore & esse perpetrata, seu commissa per commune & ciuitatem Paduæ, & homines Paduanos in ipsa inquisitione contentos, & quemlibet eorundem, & ita per patentem euidentiam ipsorum criminum notoriam fuisse & esse commissionem reatuum prædictorum, quod nulla possint tergiuersatione celari: & tanquam contra notorie delinquentes hactenus, & nullatenus postea desistentes committere similia, & eadem posse, & debere procedi contra ipsos commune & ciuitatem Paduæ, & homines infrascriptos, contra quos inquisitio iam præcessit, & quemlibet eorum, & ipsos, & quemlibet eorundem definitiue condemnari, & puniri de crimine & reatu legis Iuliæ læsæ Maiestatis notorie perpetrato per ipsos commune, & homines Paduæ, & quemlibet eorundem in singulis capitulis in ipsa inquisitione contentis, & quolibet eorundem. Demum eandem ciuitatem Paduæ, & commune, & homines infrascriptos, & quemlibet eorundem requisiuimus, & citauimus sufficienter, & peremptorie, vt certo termino, iam elapso coram nobis, vbicunque essemus, & nostra curia resideret, ad hanc nostram definitiuam sententiam audiendam comparere curarent. Quod ipsi prædissisi meritis & offensis, & in sua obstinati contumacia, ac fraudibus perniciosis indurati facere despexerunt. Quia igitur legitime constat, prædicta crimina & reatus per prædictos, vniuersitatem, commune, & homines infrascriptos fore commissa, prædictos, & alios quamplures dictorum communis & ciuitatis Paduæ,*

79

Paduae, & hominum infrascriptorum excessus nefarios, ac opera detestanda in statera iusti iudicii appendentes, & attendentes, quod dum ipsi pacem & quietem habere potuerunt cum tranquillitate, & Imperiali beneuolentia, bella proditionaliter quaesiuerunt, iniquitates exercuerunt, & procurauerunt pro posse (sicut nempe adhuc procurare non cessant) & in Imperii populum seminare Zizaniam, suscitare odia, immittere scandala, concitare tumultus, ac fouere discordias in nostrum ac Romani Imperii contemptum, & vniuersalis Reipublicae detrimentum; ipsum commune Paduae, & quamlibet singularem personam ipsius communitatis, ciuitatem, & homines infrascriptos, & quemlibet eorundem, cum sint crimine laesae Maiestatis rei, & multarum nefandarum proditionum malae praeponderationis in profundum malorum demersi, in eorum contumaci absentia, quam Dei praesentia repleat, omni iure, quo melius & plenius possumus, ex certa scientia tam de nostrae plenitudine potestatis, quam alio quocunque modo, sedentes pro tribunali definitiue, sententialiter in his scriptis, tamquam rebelles, & proditores, ac hostes Romani Imperii, & laesa Maiestatis crimine reos priuamus mero & mixto Imperio, ac iurisdictione qualibet temporali, omnique iure eligendi Potestatem, Rectorem, seu Dominum perpetuum, vel temporalem ad regimen ipsius ciuitatis Paduae, vel eius districtus. Priuamus etiam ciuitatem eandem, & priuatam esse declaramus litterali studio, ac licentia doctorandi, & omnibus franchisiis, priuilegiis, ac immunitatibus, honoribus, ac feudis, & omnibus quibuscunque iuribus a nobis, vel Imperatoribus, seu Regibus Romanorum, praedecessoribus nostris, concessis, seu qualitercunque acquisitis, & ipsa scienter reuocantes cassamus, & irritamus, & annullamus, pronunciantes & declarantes dictum Commune Paduae, ciuitatem ac ipsius communitatis vniuersitatem, & quamlibet personam ipsius vniuersitatis, & omnes & singulos homines infrascriptos, & quemlibet eorundem feloniam, proditionem, & legis Iuliae laesae Maiestatis crimen contra quondam Regiam, & demum Imperatoriam Maiestatem nostram, & totum Romanum Imperium ex praedictis excessibus commisisse, veniendo etiam contra proprium iuramentum fidelitatis nobis praestitum per ipsum Commune, Consiliarios, Officiales, & homines ipsius ciuitatis, contra fidelitatem per eos factam. Et nihilominus ipsam ciuitatem Paduae, vtpote Maiestatis crimine ream, quod muris & fortaliciis quibuscunque denudetur, ac totaliter deformetur, ita quod solo aratrum patiatur, ita quod ex omni parte ipsius ciuitatis vnicuique sit liber aditus, & decessus. Insuper ipsum commune, & vniuersitatem ipsius ciuitatis Paduae in decem millibus libris auri fisco, & Camerae nostrae seu Romani Imperii persoluendis propter praesumptionem commissionis nefariae & excessuum praedictorum. Singulares quoque personas ipsius communitatis de toto Romano Imperio exbannimus & diffidamus, decernentes, quod realiter, & personaliter quaelibet persona ipsius communitatis licite, libere, & impune possit offendi, & capi, & capientium serui fiant. Ipsos homines infrascriptos, & quemlibet eorundem, vtpote Maiestatis crimine madefactos, capitali poena plectentes, vt si quo tempore ipsi, vel aliqui ex eis in nostram & Romani Imperii fortiam peruenerint, furcis suspendantur, ita quod ibidem penitus moriantur, in his scriptis sententialiter condemnamus. Ancianos quoque, & Consiliarios, siue Sapientes, vel Rectores ipsius ciuitatis Paduae, & quemlibet eorundem, qui tempore dictae rebellionis erant, & successiue fuerunt ibidem, & in futurum fuerint, dicta rebellione durante, de toto Romano Imperio exbannimus, & perpetua notamus infamia, priuantes eosdem & quemlibet ipsorum omnibus priuilegiis, honoribus, franchisiis, & immunitatibus a nobis, vel a Romanis Imperatoribus, praedecessoribus nostris, concessis, vel eisdem aliter acquisitis, inhabiles esse volumus iudicandi, & assidendi officio, & cuiuslibet magistratus honore. Potestates quoque, Iudices, & Notarios, qui tempore dictae rebellionis, & ab inde citra obnoxii fuerunt de praedictis, & qui deinceps regimine dictae*

*80

ciuitatis praefuerint, absque nostra, vel successorum nostrorum licentia, & ad ipsius ciuitatis regimen exercendum accesserint, priuamus, & priuatos esse volumus ab officio iudicandi, praesidendi, & assistendi, & Notariatus, & cuiuslibet magistratus, & perpetuae infamiae volumus subiacere, ac etiam omnibus priuilegiis, franchisiis, & immunitatibus, honoribus, & iuribus a nobis, vel praedecessoribus nostris concessis, vel aliter acquisitis eosdem priuamus, ipsa priuilegia & honores ex certa scientia reuocantes, ipsosque exbannimus, & tamquam rebelles Romani Imperii a cunctis nostris, & dicti Imperii fidelibus volumus realiter & personaliter posse offendi. Iudices quoque Aduocatos, & Notarios dictae ciuitatis Paduae ciues, districtuales, atque incolos iudicandi, assistendi, aduocandi, & Tabellionatus officio priuamus, & perpetuae volumus infamiae subiacere. Item, quod praedicta ciuitas Paduae, commune, & homines ipsius ciuitatis in dictae rebellionis, & tam detestabilium scelerum obstinatione publica sic longaeuo tempore nullatenus perdurassent sine ipsorum ciuium & incolarum patientia, & assensu, & vt poenae metu coacti se, & dictum commune a praedictis nefandis erroribus retrahant, & ad debitam obedientiam nostram & Romani Imperii reducantur, vniuersos & singulos dictae ciuitatis, eiusque districtus ciues & incolas, tanquam nostri & Romani Imperii proditores & rebelles, de toto Romano Imperio exbannimus, decernentes, ac mandantes, quod nulla persona cuiuscunque status existat, nec aliqua ciuitas, castrum, vel villa, vel aliqua vniuersitas eidem ciuitati, seu communitati Paduae, vel personae dictae ciuitatis, vel hominibus infrascriptis, vel alicui eorum praebeat publice vel occulte auxilium, consilium, vel fauorem, sub poena centum librarum auri cuilibet ciuitati, quinquaginta librarum auri cuilibet castro, villae, Baroni, Comiti, Marchioni, vel alteri sublimi personae, & viginti librarum auri cuilibet singulari personae pro vice qualibet, qua contra fecerint, committenda, & quod cuilibet sit licitum impune ciues, incolas, & habitatores ciuitatum, castrorum, villarum, & quaslibet alias singulares personas cuiuscunque status & conditionis existant, quae obedirent eisdem, vel alicui eorum, vel dederint auxilium, consilium, & fauorem, publice, vel occulte, offendere in persona, & re, & ipsius res capere, arrestare, & detinere. Iubemus etiam expresse, ne aliqui debitores praedictae ciuitatis, vel personarum praedictae communitatis Paduae, vel alicuius eorum, seu hominum infrascriptorum, vel alicui eorundem de debitis, quibus tenerentur eisdem, vel alicui eorum, in aliquo satisfacere praesumant, vel quomodolibet respondere, alioquin tantundem Camerae nostrae persoluant, & ad id summarie, & sine strepitu, & figura Iudicii; & quaslibet alias singulares personas, cuiuscunque conditionis & status existant, quae tenerentur eidem ciuitati Paduae, vel alicui personae de dicta ciuitate, vel hominibus infrascriptis, seu alicui eorundem, ad* aliquem pactum, vel eorum praestationem, vel restitutionem, vel aliquod seruitium faciendum, vel aliquod auxilium praestandum ex aliquo pacto, seu obligatione poenali ex quacunque causa, seu titulo facto cum eisdem, vel aliquo eorundem, seu cum praedecessoribus suis, ab ipsa promissione, obligatione, & contractu, seu contractibus, & poena apposita in eisdem in tantum, in quantum eisdem, vel alicui eorum, vel suis heredibus tenerentur, absoluimus, & absolutos esse volumus ipso iure, ita quod ad ea praestanda eisdem, vel alicui eorundem, vel suis heredibus nullatenus teneantur. Praedicta autem bona praedictae communitatis, & personarum eiusdem, & hominum infrascriptorum, ac etiam aliarum personarum, de quibus superius facta est mentio, cuiuscunque conditionis existant, iura etiam realia, & personalia seruitia ex quacunque causa, titulo, vel obligatione eidem ciuitati Paduae, communi, vel personis dictae ciuitatis, ac etiam hominibus infrascriptis, seu alicui ipsorum, vel etiam Officialibus antedictis competentia, quocunque modo contra sistentes, & in fiscum Romani Imperii incorporantes, sententialiter in his scriptis. Ab omnibus autem poenis praedictis excipimus illos omnes, qui essent de nostra familia, & illos, qui*

*81

* pro, aliquod, more saeculi. Sch.

qui sunt exules a dicta ciuitate ratione partis vel fidelitatis nobis exhibitæ, quorum familias, & bona, & quos familiares nostros, & exules fideles, eorumque familias, & bona a dictis sententia, pœnis, & bannis eximimus, & sub protectione nostra & Romani Imperii reseruamus. Nec non illos nostros, qui iam ad mandata nostra venerunt, & sunt, vel qui intra duos menses proximos subsequentes ad mandata nostra & Romani Imperii reuera, & præcordiali, & fideli dilectione studuerint peruenire. Præmissa autem omnia, & singula facimus exigente iustitia, & bono Reipublicæ requirente, ex certa scientia, & de nostræ plenitudine potestatis, supplentes tamen defectum, si quis forsan in processibus propterea factis foret habitus ob aliquam iuris solemnitatem omissam, aliquibus legibus, aut gratiis sub quacunque forma verborum concessis, etiam si de ipsis, vel eorum aliquo toto tenore de verbo ad verbum oporteret in præmissis fieri mentionem, quæ contra præmissa, vel aliquod præmissorum possent quomodolibet obiici, & opponi.

Conquestio Paduanorum de Cæsaris sententia.

VIII Incussit Paduanorum animos tanta in se Cæsaris animaduersio, tamque diræ pronunciationis asperitas, magisque Seniorum ordines, qui adhuc acceptæ cladis a *Friderici* de *Stoph* infanda tyrannide memoria non abolita, veluti facti noua imagine torquebantur. Eademque & filiorum, ac nepotum conquestio, paterna, auitaque monimenta reminiscentium, hæc non ob aliud sibi contigisse diiudicantium, nisi quod *Canem Grandem* ad instar infandissimi *Eccerini* de *Romano* ad se vorandos non excepissent, ob idque in ostio Vicentiæ ab Cæsare positum, vt in ouile improuisis pastoribus ingrederetur; sic fata poscere, vt tractim longa refecta pace huiusce Imperii flagello alternatim nunc floreat, nunc arescat Paduana ciuitas. Ad hæc habilem *Canem Grandem*, Vicentiæ Vicarium, iuuenem insolentem, in tyrannide natum, educatumque, nunc adultum eorum adipe saturandum, incrassandum. Querebanturque insertas huic damnationi causas iuxta aduersantium libitus præter veri existentias, vt scilicet *Cani* rapaci, non Imperio rebelles se opposuerint, quibus moriendum erat, si vicinitatis patientia, vt per fines contiguos luxuriasset, acquieuissent. Ipse enim antiqui, nouique odii rancore in inuisos, & ipse illis exosus stimulabatur. Nec cum Longobardis coniurasse ad rebellionis excessus: sed potius perterritos tanta crudelitate, metus instantis exemplo ad sui tuitionem erexisse animos, dum accepto iugo mansueti Paduani millia florenorum centum, quibus victa Brixia cessit, vt pacem coemerent, persoluissent, ab Cæsare pacem non emerant. Si *Canis* suis esset moderator habenis, fundos, castra, prædiaque Paduanorum, quorum non quota pars in ciuitate, finibusque Vicentiæ sita erant, daturus erat *Canis* ciuibus Paduanis in suo libero iudicio. Ipse merus executor in Cæsaris tribunali, in conciuium Vicentiæ Paduanorum capita ius dicturus, cuius exemplo parituri Longobardi electis Vicariis huiuscemodi e tantorum multitudine subiectorum. Hæc indigna, inhumanaque, nec omnino tolerabilia Christicolis.

Concrematio Veronensium agrorum, a portis Veronæ vsque in Paduanos fines ab orientali & meridionali partibus.

IX His, aliisque Paduani exacerbati molestiis, in *Canem* hunc sæuiendum, propulsandumque* concretis in vnum viribus Senatu numeroso mille virorum censuere, experiendumue ferro, vtra sic partium validior potentia, an *Canis*, cui triplex ciuitas copias administrabat, an extensa ad extremum fulcimentum, experimentumque Paduana, nullius suffulta adiumento communitas. Accitis ergo in vrbem ruricolis, quibus iussa vehiculorum, fundibulariorum, leuisque armaturæ ad bella instrumentorum obsequia, magno fremitu, armorumque fragore centuriatis militum, ciuium, mercenariorumque ordinibus XI Kal. Iulias ad Estensem coloniam copias eduxere, summoque sequenti diluculo in castro *Montagnanæ* recollecti in diem tertiam per Veronenses fines migrantes, dum iam vesperasceret, in villam *Arculis* insultum magna vi, tumultosisque clamoribus fecere. Dumque ad tutelam loci dispositi, qui in eo præsidio erant, per missilium iactus ad valla per summos aggeres insultantes pedites propulsarent, desilientes equis milites, in foueasque descendentes, fixis in aggeris crepidine mucronibus, raptim ad vallum cum interioribus manus conferebant. Sed territi Arculenses instantis aggressius pertinacia, signo receptui

* 82

per loci Capitaneum dato, castello destituto, incensoque ponte, qui *Alponis* fluentum complectebatur, fugam arripuerunt, trucidatis tamen duobus, & triginta, qui insecutione repentina Paduanorum tardati, substitere. Capti fere totidem. Paduani primo successu alacres castra per *Arculis* aedes disposuere. Nec remissi abeunte nocte, ante luciferum, eductis aciebus per latissimum callem, & ditissimas *Blundarum*, & *Porcilis*, ac Villarum oras, quae cis *Aticem* longa pace incolebantur, in ampla pascua descendentes ad *S. Martini Bonalbergi* vicum venere, nec quicquam vasti in itinere ipso facientes ad vrbem *Veronae* magna gratulatione signa direxere. Cumque ad suburbanum, vbi *sancti Michaelis* basilica erat, permeassent, fixis aciebus ante Veronae conspectum, *Vinciguerram sancti Bonifacii* Comitem cum stipendiariorum cohorte ad portas vrbis currere permisere. Is Veronensis exul erat, cuius pater, auusque vrbe pulsi longo ab aeuo vrbes & loca pererrauerant. Penetralia ciuitatis plena timoris erant, vixque *Fridericus* della *Scala*, qui potestatis vices pro *Cane* consanguineo gerebat, ad portas claudendas instante metu suffecit. His qui citra *Aticem* amnem, qui vrbem interfecat, vltra pontem diffugientibus, thesauros, carosque penates cum parua sobole, & carioribus pignoribus aduehentibus, ad salutemque trahentibus. Veruntamen tantae tutelae memor *Fridericus*, praeuisusque fuit, qui in portarum obice ex transuerso plaustra annecti iusserat, excludique nonnullos ex peditibus stipendiariis, qui lanceis longis, ac balistis, ne ignis portis suppositus illas accenderet, veluti morti deuotos, prohiberent. Hi insultum, quibus valuere viribus, lacessiti, impulsique sustulere, *Vinciguerra* Comite eos adoriente, impetenteque, qui coacti insultantium inuasionibus plaustra partim transilientes, ad septem & viginti numero confossi sunt. At *Bornius* de *Samaritanis* Bononiensis, Paduanorum Potestas, dum hora declinantis solis regressum appeteret, nec vt ciuitas oppugnaretur primi fuisset propositi, non aduectis longioris temporis sarcinis opportunis, signum receptui dari iussit. Tum per horae spatium exaudiendus inter vrbis moenia tubarum clangor expectantium acierum praeconium obstrepuit, & qui proelia efflagitabat *Vinciguerra* Comes cum * Paduanorum iuuenum certamini insistentium reuocatus est. Is dies festus ac memorabilis Paduanis *S. Ioannis Baptistae* fuit, VIII Kal. Iunias anni Domini XIII. CCC. milleni. Tunc incendiis, rapinis, capturis, occisionibusque repertorum extra moenia nullus modus. Nam per triduum distinctae per vias, & colles Paduanae acies ab ipsis moeniis, sicut distinguit orientalis pars, gemina dumtaxat arce dimissa, quae in apicibus montium *Suauii*, & *Ilasii* eminebat, igni, populationique consumpsere vsque in Paduanos, Vicentinosque fines: diruptaque, ac exusta altissima *Canis Grandis* palatia, quae in monte *Aureo*, *Calderio*, *Suauio*, & *Ilasio* erant. In plerisque quoque locis, praesertim montis *Aurei*, & *Suauii* miserabilis repugnantium incolarum caedes, deductique animantium greges, armentaque cum captiuis rusticolis in castra ad *Arculem*: ceteros vero fines Athesis latitudo sola defendit. Porro castris exustis victores *Montagnanam* hilaritate multa regressi sunt.

* videtur desiderari, manu, vel quid simile. Sch.

* ALBERTINI MVSSATI
DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS
LIBER XV.

*83

Praelium inter Comitem Goritiae, Paduanos, & Taruisinos vltra Plabem apud flumium Montegani.

Rubr. I

AVertit Paduanorum conceptus nouum a finibus Taruisii iuuamentum, quod diu ante magno aere molitus *Canis Grandis*, Caesaris quoque intercessione, sibi quaesierat, *Henricum* scilicet Aquiliciae Comitem, Caesaris accitum legatis, susceptoque ab ipso *Cane* aere cum Sclauorum, ac Teutonicorum, nec non Foroiuliensium multo agmine transitum a Taruisinis, vt ad *Canem Grandem* in eius subsidium migraret, petiisse, *Sacili*que iam copias aggrasse, in cuius comitiua aduenerant, pars dati aeris mercede, pars amoris gratitudine. Hi orae Sclauonicae, Tirolis, ac Foriiulii Duces, ac Primates. Ipse quidem Comes Aquiliciae cum

cum galeatis militibus duobus & octuaginta, balistariis equitibus sex, & quinquaginta. Comes *Aunciburc* cum galeatis octo & viginti, balistariis equitibus duodecim. Comes de *Auforborc* cum galeatis sexdecim, balistariis octo. Dominus *Ratimborc* cum galeatis quinquaginta, balistariis viginti nouem. Dominus *Saffenborc* cum galeatis decem octo, balistariis sexdecim. Dominus de *Guisinich* cum galeatis viginti duobus,balistariis decem octo. Dominus de *Ouestam*, & Dominus de *Stofemborc* cum galeatis centum viginti septem, balistariis sexaginta. Dominus *Clanic* cum hastatis quatuordecim. A *Didimo Doymo* Comite transmissi hastati quinquaginta. A *Babanico* Comite septuaginta. E foro Iulii galeati septuaginta septem, aliique hastati milites sexaginta, aliique in equis minoribus plebeiorum per easdem oras aggregatorum sex millia fidelium. Acceptis igitur a Taruisii communitate literis Paduani, collectis extemplo signis, ad vrbem iter dirigentes ex suis mercenariis militibus CCCC trans fluuium *Plabis* ad *Montegani* fluuii ripas, vnde hostibus transeundum erat, direxere, ipsique magnis militum, peditumque copiis castra *Bassiani*, & *Citadelæ* trans *Brentam*, vt conuenire cum fiduciariis *Cani Grandi* denegarent, munire: nec minus vrbi, ceterisque municipiis, vt propterea in tuto essent, prouidere. Taruisina ciuitas in statum communem post positum *Vecili* de *Camino* dominium redacta, magnis inter primores, & plebem simultatibus agitata per multos anfractus versabatur. Plebs in insignes obstinata, quod illam illi paruipendere assuefacti, præteriti dominii fiduciis, quas nondum præcordiis posuerant, increscens iugiter in eos odium coalebat, simulabatque grauibus, onerosisque plebiscitis. Inter hanc plebem factiosi & nonnulli erant Imperialis partis amore veteri imbuti, qui incalescentes ad insignium exagitationes identidem ceteros incitabant. Insignes vero assidue his stimulati, vt iniectas in se ignominias propulsarent, mansuetudinibus multis per conuentus, & conciones fiducias captare satagebant, quæ omnia ad contrarios conceptus superstitiosos plebeiorum animos feruentius accendebant. Ea primorum nobilitas antiqua ecclesiasticæ seu Gelfæ partis factione alita erat, in qua viuaciter persistebant. Sic disposita Taruisina communitas certatim multis ante disceptationibus subsidium a Paduanis poposcerat. Criminabatur per susurra in priuatis, publicisque locis plebs Nobiles, quod, vt sibi dominia vrbis quærerent, vtque Gibolengos, plebeiosque vrbe pellerent, Paduanos allicerent, non prorsus, vt a Comite *Aquiliciæ*, seu hostibus illos tutarentur. Hocque in ambiguo diffisa, stimulataque plebs torquebatur, exosos, inuisosque Paduanos admodum habens. Vixque * potius finibus arcendos, quam perniciosum illorum subsidium quærendum decertans. Vicerat tamen & Nobilium instantia, & Comitis *Aquiliciæ* timor, cuius omnino tyrannidem abominabatur, sed sic admittendos ad idem subsidium Paduanos, vt ab Vrbe per passuum millia VIII abstinerent, nec municipiorum munitionibus receptarentur, ad obuios passus aduersus eundem Comitem statiua sua ponerent, sint hæc in eorum optionibus, alias sibi pro suo interesse consulerent. Non maiori acceptatione Paduani, quam, vt præmissum est, trans *Plabem* secus fluuium *Montegani* * stipendiariorum equitum, peditumque cohortes disposuere. Erat hæc custodia passuum fere sex millibus protensa per quinque exercitus, locisque totidem, quibus patentiores transitus erant, obsidenda. Reliquæ riparum crepidines sui natura hostes excludebant. Diuisa exercitibus loca, Taruisinis duo, Paduanis tria, cum arbitratu Ducum exercituum, præsertim Taruisinorum nobilium, quibus a communitate copiæ intrinsecæ dissensionis causa non summittebantur *, non complerentur facilia hostibus vada, e Padua centum, e Bassiano ducenti milites, qui ibi præsidio erant, transmissi sunt; sed transmissi e Padua centum sequenti die in castra venere; hi vero, qui Bassiani insistebant, tardati triduo distulere.

* forte melius, *Suisque* Sch.

* f. *nec* Sch. †

† Doctissimus Scholiastes pro, *non*, reponendum censet, *nec*. Probo. Sed nostram commentationem improbatum iri non puto, qua pro illo, *non*, substitui posse credimus, *&* *ne*. V.

Hac fortunæ, casusque dierum intercapedine prœlium immisceri contigit, fumo quidem in specula *Caniglani* conspecto indicatum fuit XV Augusti

Kal. vt vada irrumperent, Comitis cohortes aduentare ante solis ortum. Tunc omnes Paduanorum, Taruisinorumque turmæ e castris prodeuntes ad vada constituta præsto in armis, & equis stetere, sicque diem fere mediam trahentes, defessi longa mora, per castra resedere. Discumbentibus itaque, abiectis armis, sumptis cibis, ac sese quieti datis, ecce adorientes magno tumultu vadum hostes, quod paucis Taruisinorum ruricolis custodiendum interim relictum fuerat, vno simul momento præteriere. Strepitu igitur per viciniora statiua exaudito, ad arma conclamatum est. Exurgentes *Cortesia* de *Casalolto* Comes Mantuanus, qui stipendiariorum, ac Paduanorum militum, qui in eisdem castris erant, Dux præerat, *Matthæus* de *Colle*, *Donico Apulus*, & alius *Burgundio*, *Antonius* de *Sangonaciis* Paduanus cum sexaginta fere hastatis mercenariis, ac Paduanis, collatis signis in hos Germanos, Sclauosque, qui vadum prætericrant, inexpectatis contubernalium aciebus impetum fecere, ferroque paulisper certatum est, Teutonicis, Sclauisque extemplo terga dantibus. Cumque CCC circiter trans fluuium migrassent, tam parua manu paucfacti, ac si ii ferociori agmine in eos irruissent, in vnum collidentes magna strage consternati sunt. Tum identidem cædes, maiorque concidentium in sese ruina, quam gladiis, fugaque per passus fere quingentos ad neces, præcipitiaque Teutonicos transuersos agebat; quamque fortuitus sit belli euentus, monstrauit ille successus. Nam sexaginta pæne milites latini CCC partim stratos, partim cæsos, partim etiam profugos fudere. Cumque ad fluuii *Montegani* meatum hoc ruptum agmen deuenisset, concidentium virorum, equorumque strages aditum repleuerat. Hicque impermeabilis vltro ancipites Teutonicos retrouertit. Versis ergo ceruicibus, equisque in obliquum reflexis insecutores sub vno dumtaxat militari signo quadraginta pæne perspexere, stupentesque in se ambigui, quidnam agerent, paululum aggregati substitere, multum pensi habentes, ne latentes adhuc phalanges in additis locis illos insultarent. Cum *Cortesia* Magister militum, qui Paduanæ, Forensisque militiæ Dux erat, nullo suffultus adiumento ceterarum militiarum, quæ (vt præmonstratum est) tardatæ castris nondum aduenerant, multaque defessus patrata pugna, dextraque manu saucius, signo receptui dato, saluti suæ, suorumque per retrogressum consuluit. Ceteræ Paduanorum, stipendiariorumque cateruæ, dum ad certaminis locum diffusim appropinquassent, diffugientes, *Cortesiæ* signum primo conspectu aduertentes, dispersæ laceratis aciebus fugas quæsiuere. Taruisini quoque milites, qui & cum rupto Teutonicorum agmine congressum ab tergo fecerant, Ductore *Rambaldo* de *Colle alto* Comite in castrum *S. Saluatoris* susceptis profugis Paduanis se contulere. Pars per cetera municipia confugere, pars fluenta *Plabis* armis abiectis enatauere. Teutonici vero tantæ victoriæ inscii, quam sors ipsa contulerat, nullo concursu, insecutioneue, successus qualitate mirabundi in hostes irruere. Verum campo iam vacuo *Zambonetus* de *Capite Vaccæ* & *Vgo* de *Macharuffis* adolescentes, qui in certamine equis strati secum perambulabant, ab Teutonicis intercepti sunt, aliique plebeii quinque; *Marinus* de *Zacchis*, aquæ ignarus, in *Plabe* simul cum equo dilapsus suffocatus est. E Teutonicis vnus vir egregius *Comes* de *Guisinich* captus ad *S. Saluatoris* castrum deductus est. Cæsa in hoc congressu Teutonicorum, Sclauorumque militum ex insignioribus capita duo & triginta, cadaueraque in quadrigis ad propria deuecta. Ceterorum ordinis militaris capita sexaginta, quæ *Aquiliciæ Comes* humari fecit. Sic ergo ferente casu *Aquiliciæ Comes* hac cruenta potitus victoria, circa *Monteganum* castra educens, statiuis traiectis, dispositisque per triduum ad depopulandos, qui inter ipsum *Monteganum*, & *Plabem* agros erant, milites dimisit, nec inde digressus, quoad & trans *Plabem* per præcursores per sex fere dies * colonias, terrasque Taruisinorum cremari fecerit, qui nequaquam prohibiti vsque ad *Spinedam*, vicum ciuitati mille passibus contiguum, vastantes omnia, concurrere. Conterriti Taruisini inuasione terribili Paduanis, ne sese derelinquerent, supplicauere. Nec ii segnes non modo Taruisinorum, sed suis prouidentes vicissitudinibus, CCC hastatos milites continuo *Triuisum*, deindeque concedentibus Taruisinis necessitate cogente, ad *S. Tomasii* suburbium transmisere, qui in Taruisinos agros vna cum eisdem, ac pæne iam obsessam vrbem ab

*85

ab iis incursionibus tuerentur. Sed extemplo subtracti Teutonici, Sclauique ab *Plabis* transitu abstinuere, nec vltra castris insistere meditans *Aquiliciæ Comes*, omnia, quæ in eius potentia erant, permensus, affectos commilitones longiori tempore, quam ipsi a primordio coniectati fuerant, ipseque illis spoponderat, inuenit. Nec laute suppetentibus ad victum opportunis, tumque æstu, tumque graui fatigatione plebs repentino morbo interibat, quæ etiam in maiores serpsit epidemia. Horum igitur intolerantia, vstis castris, *Sacillum* regressi sunt V Kal. Augusti anni Domini millesimi CCC tertii decimi. Indeque soluto exercitu insignium consociorum sua quisque repetiit. Interea Cæsaris Legati blandis cum Taruisinis sermonibus, pollicitationibusque tradendæ, conseruandæue pacis, id dumtaxat obtinuere, quod in fidelitate Imperii persisterent, dum nullis arctati eligendorum Rectorum legibus, nisi in suis optionibus, nullisque vexati exactionibus impeterentur. Quibus ægre contenti Legati discessere.

Confœderatio inter Paduanos & Taruisinos.

II Porro ante Paduanorum regressum, qui adhuc in *sancti Tomasii* suburbio ad præsidium stabant, de confœderatione inter vtramque communitatem agi cœptum est, sollicitantibus ad id plebem insignibus, quod saluberrimum foret, contiguas ciuitates paribus viribus se iuuare, hostes vtrinque propulsare, in vna amicitia persistere. Verbis itaque ab singularibus collatis ad conuentus publicos Taruisii, Paduæque, hæc educta, decretaque sunt subiunctis iuramentis: idem corpus esse, idemque velle, ac nolle. Hinc aduersum *Aquiliciæ Comitem*; inde aduersum *Canem Grandem*, deindeque in quoslibet aduersantes, adiecto vno solo, ad verbalem Taruisinorum excusationem, qui pridie Imperatori parere adiurauerant, articulo, vt persona Imperatoris excepta sit verbo. Quibus Paduani facta verbis præponderantes assensere, nihil interesse curantes, dum idem in *Canem Grandem*, hostesque quoslibet sit seruitiorum effectus. Sic solemni compagine fœdus vtrinque iuratum est Non. Augusti.

Subsidia Longobardis a Roberto Rege transmissa.

III Apud Longobardos *Simon* de *Villa* ad Parmæ præsidium cum CC militibus ab *Roberto* Apuliæ Rege transmissis profectus est. *Vgo* de *Albasio*, Alexandriæ & Pedemontis pro eodem *Roberto* Senescalcus, cum Regia, Alexandrinaque, & Pedismontis militia ducto per *Lomellinam* exercitu *Garlascum* obsedit, vbi collectis vndecunque copiis, euocatis Bononiensium, Cremonensium, Rheginorum*, Parmensium, ceterorumque Longobardorum amicis, se Mediolanum obsessurum despondit: Tunc erecta Turrianorum pars e ciuitatum Longobardiæ allectis amicis, ex Mediolanensium finium municipiis, ac coloniis, nec non & ex ipsius vrbis penetralibus ad *Maphæum* Vicecomitem inuadendum vires collegit, quæsitis, impetratisque ab *Roberti* Apuliæ Regis Vicariis ac Principibus vndecunque suffragiis, constitutis, ac præordinatis cum Gelforum omnium prouinciæ complicibus ad dies certas motionibus, quo magis perplexos *Maphæum*, Cæsarisque fideles circumuenirent. Sicque tota Longobardiæ prouincia ad ingentes motus, quamprimum fata flauescerent, disposita armorum fragoribus obstrepebat.

* *Rhegiensium* V.

Prodigium.

IV Hoc anno XIII post millesimum CCC, coniunctis XVI Kal. Maias in signo Geminorum Ioue & Venere, post diem quartam subsequentem nostro in climate sub crepusculo Cometes apparuit, eo primo conspectus sito, quo sol, dum vesperascit, ad oceanum vergit. Cuius crinita cauda specie subalbi* fumi ad viginti pedum mensuram protendebatur ad occidens. Isque XX iugiter dierum diminutione quotidiana consumptus est.

* *f. subalbidi* Sch.

Captio Soncini per Cremonenses & Gelfos Longobardos, non castri S. Bassiani.

V Exhortati prosperis successibus Cremonenses, cum Rhegiensibus, Brixiensesque exules cum Pergamensibus, Laudensibus, ac Cremensibus exteris multis populationibus ciuitatum agros, quæ Imperio fauebant, incendiis exterminabant, ad quos assiduis victoriis potiuntes *Succini* municipes ii, qui extra arcem oppidum tenebant, defecere. In quod ingressus *Passarinus* della *Turre*, Rheginorum Potestas, cum Cremonensibus, & Rheginis continuo arcem obsidione * premebat. Ac demum sexta die, post VI scilicet Idus Maias, qui pro Cæsare in arcis præsidio erant, desperatis rebus, fameque vitas pacti cum captiuorum Gelforum, qui in ea diu marcuerant, deditione, arcem *Passarino*

* 86

sarino reliquere. Inter captiuos fuere ex memorabilibus *Georgius* de *Zappo* Pergamensis, & alter *Sandrini* de *Riuola* frater, *Iohanninus* de *Ponzonibus* Cremensis, aliique, qui captiuati per *Guarnerium* de *Oemborc*, Præsidem Cæsaris, in arce ipsa superuixerant. Mirumque inde, quanto victoriæ fauore vetera municipia dedentibus incolis sponte ad victores eosdem defecere. Inter quæ & *sancti Bassiani* castrum.

Nouum in Placentia mouimentum * *f. orta erant*, Sch.

VI Nouum in *Placentia* mouimentum exortum est circum Iulias Kal. Dum Placentini ciues, qui in castro *S. Ioannis* erant, placandorum conciuium, litiumque causa, quæ inter partes eorum absentia * ad ciuitatem venissent; seu, vt quid noui molirentur, quod ignoratum est: seu etiam, vt visione vrbis recrearentur: ceteri, qui Imperii partem iugiter tenuerant, ad arma concurrere totaque inde vrbe concussa, impotentiores Gelsi ad idem *S. Ioannis* castrum repente secessere. *Galaz*, *Maphæi* primogenitus, illo subito profectus, vt in tuto res esset XII e Maioribus, VI pro *Alberti Scoti* parte, totidemque pro *Vbertini* de *Lando* (ii enim capita eorum erant) Mediolanum relegauit. Diffisus & *Alberto Scoto*, viro inconstantissimo, quamquam partes eius diutius tenuisset. Iique fuere relegati, *Albertus* ipse *Scotus*, *Rolandi Scoti* filius maior natu, *Zaninus Scotus* cum *Gelfo* filio, *Petrus* de *Anzipegis*. Huius relegationis diffidentia multi Gelforum Placentinorum ciuitate destituta ad *Florentiolæ*, *Arquadi*, & cetera municipia confugientes, ibidem se rebellioni coaptauere. Placentia ciuitas in Cæsaris parte liquidior mansit.

Exultatio Gelforum Longobardorum ob aduentum Principum Regis Roberti Apuliæ.

VII Per hos dies multa lætitia Gelforum Longobardorum pars exultauit, vt *Thomas* de *Marzano* Apulus prouincialis, *Roberti* Apuliæ Regis Senescalcus, Vicarius in Pedemonte, contubernio quinque centum militum, multorumque peditum in Longobardiam venit. Qui *Maphæo* Vicecomiti, ceterisque Cæsareæ partis complicibus exitia pollicitus ad se in Papiam Gelfos concire destinauerit. Exultatio hæc non mediocriter Cremonenses, Brixienses exules, ac ceteros eiusdem consortii extulit, terruitque ea fama Gibolengos. Siquidem Gelfis fortuna, rerumque experientia felices successus administrauit, quos & ipsi sibi viribus conquisiuere.

Defectio Martinengi *ad Gelfos, & expugnatio* Terenzani. * intellige, *facta* Sch.

VIII Nam VIII Idus Iulias dedente *Loborengo* de *Martinengo*, qui præsidio castri *Ponti Vici* pro parte Cæsaris erat, in eorum manus deuenit. Qua freti fortuna *, insultu valido in *Terzani* coloniam fortissimam, ditissimamque, vi multa illam obtinuere, victis, conflictisque cum multa strage colonis, cæsisque subsidiariis militibus C, quorum præsidiis defensa fuerat, quique atrox bellum finitimis intulerant. Inter quos & nonnulli ex intrinsecis Brixiensibus obuenere, qui, paucis ex eis captis, in eadem internecione occubuere. Incolæ *Terenzani* septingenti, qui vrbi eatenus paruerant, ad extrinsecorum obedientias placati sunt.

Defectio ad Gelfos Paterni, Passirani, Boadi, Cocaluii *&c.*

IX Sed eadem plures successus fortuna accumulante victoribus, per eosdem fere dies castella hæc ruralia vi, vtroque ad eosdem, ad ea magno impetu prosilientes, defecere, *Paternum*, *Passiranum*, *Boadum*, *Cocalium*, *Bornadum*, *Calinum*, *Herbuscum*, *Tremadum*, *Zizagum*, & fere quæcunque occidens versus sub Brixiensium finibus incolebantur extrinsecorum mandata suscepere.

Insultus Galeaz, Maphæi *Vicecomitis filii ad Parmæ suburbium.*

X *Galaaz* quoque cum multa, magnaque Mediolanensium & Germanorum cohorte ad *sancti Domini* Burgum accedens, inde ad *S. Ilarii* vicum, qui ciuitati Parmæ contiguus est, processit. In quem ingrediens concitata, turbataque vrbe duarum fere horarum moram traxit. *Gibertus* de *Corrigia* ad plateam prosiliens itidem substitit, ea vrbis porta, ad quam hostes persistebant, aucta præsidiis, dum *Galaaz* Burgum populatus abscessit. Vtque hostibus digressum viarum arctatione turbaret, cum militum manu eos insecutus est. Nec frustratus proposito. Nam quinque, & viginti itinere tardatos intercepit, qui gladio mox obtruncati sunt.

Captio Trimilati.

XI Vndecimo vero Kal. Septembris Brixienses exules occupauere *Trimilati* castrum, in quo munitione maiori sublocantes præsidia ad portas *Vrceorum* tumultu, strepituque ingenti concurrere, vnde animalia, captiuosque, consumptis incendio exterioribus ædibus, deduxere. Dumque nullis intermissionibus

* 87 sionibus ad hostes fatigandos intenderent, aciesque * per Brixiæ campos educerent speculatorum intrinsecorum equitum †, quos forte versus *Boadum* præcurrere iusserant, exteriorum ac militiæ Cremonensis præcursores obuios cominus repentino visu inuenere, inter quos congressu facto victi cessere, intrinsecis duobus occisis, duobus captis simul, *Bono* de *Prando*, & *Rambaldino* de *Buciis*.

† Videtur deesse, *turma* vel *cohortes*, vel quid simile. Aliter nec ea verba, vnde regerentur, haberent, & iure ambigeres, quinam victi recessissent, Cremonenses, Brixiensesue. Sed melius est & magis consonum iis, quæ sequuntur, si legas, *speculatorum intrinsecorum equitum turmam* &c. ac deinde inferius, *inter quos congressu facto, victi cessere intrinseci, duobus occisis* &c. Sic enim syntaxis bene se habet, & omnis ambiguitas tollitur. V.

Congressio Brixiensium intrinsecorum.

XII His deinde cursoribus, quos populabundi exules per Brixiensium agros importuna instantia frequentabant, pene obsessa ciuitas, plebeios ad susurra diuertit, peiora pati, quam Cæsare mœniis insidente, dum illos muris inclusos rarior suorum pernicies intermissioribus luctibus afficeret. Singula tunc certamina in eorum optionibus fuisse, & in Germanos tantum; nunc assidua, & in conciues, ac consanguineos; fore munitos eo tempore pro facti opportunitate præmeditata diligentia; vnam solam ex victus deficientia mortem tunc superasse infestiore euentu; nunc singulos dies egredientium ad omnium vsualium rerum quæstum singulorum neces eos afficere; nunc longinqua de Tuscia ab Cæsare omnibus pæne aduersis circumscripto, vel de Alemannia trans Alpes altissimas a Germanis rerum desperatissimis, Brixiamque abhominantibus, remedia expectare: male illis hunc odisse Cæsarem, peius dilexisse: in Nobiles blasphemias fundere, quod ciuili, intestinoque bello ab stirpe omne Brixiensium genus nullo æuo reparabile consumant, interimantque. Præterea, quod bello illo cum Cæsare fama præpollens de Brixiensium fortitudine mundum mirabundum replesset, nunc hæc veluti lues, & liuor, vt sese edentium canum, egregia gesta deformat, versaque nostra est in rabiem fortitudo. His sub querelis, & ecce *Rizolinum* de *Cazago*, & *Venturinum Riuoli* mercatores ad vrbem vsualia vehentes ab extrinsecis cum quibusque mercibus captos fama verax allata est.

Maphæi Vicecomitis prouisio contra Mediolanensium præsumtiones.

XIII Mediolanum summa *Maphæi* Vicecomitis circumspectione, filiorumque præstantiis in Cæsaris fide stabili constabat, quamquam & Gelforum Longobardorum hostilitates, auctique successus eos, qui Turrianæ factionis erant, taciturnique obmutescebant, in tantum iam extulissent, vt concionanti *Maphæo*, hortantique Mediolanenses, vt se ab vsurpare vrbem, ædes, & cetera conantibus defensionibus coaptarent, nonnulli hiatus proferre ausi fuerint, & vt vsurpator ipse fuerit in locis publicis & priuatis, dictitare. Eosque ausus non temnens *Maphæus*, ne iis, captatis forsan opportunitatibus, feruentius insolescerent, e Pergamo subsidiarios milites CCCC, pediteśque totidem consciuit * ad Pergami præsidium, ex coloniis ripæ *Aduæ* * interim terrigenis substitutis. Hæc quidem circa X August. Kalendas. Sicque *Maphæo*, natisque cura peruigil ciuitatem tutari, hostem propulsare, penetralia vrbis expurgare, ausus, præsumptusque factiosorum metu, lenitateque competenti comprimere, emendare. Nec illis simulandi, dissimulandiue ad tempus cautelæ deerant, nec generosi ad omnes casus animi amicos Pergamenses, Placentinos, Laudenses, Cremenses, Veronenses, Mantuanos, Brixienses hortari, literis sollicitare, vt sese intra mœnia contineant, bonis sint animis, inclitum Imperatorem repente prosperari, omnia ad libitum cadere, iis exulibus, vti sine capite membris, destituendis, vt creuere, sic exinanire breui.

* f. conciuit Sch.
* mel. Abduæ Sch.

Captio Vezanegæ per Gelfos.

XIV Nec segnes Cremonenses aduersum hæc omnia conantes, aggregatis copiis in colonia *Coni* Cremonensium finium cum complicibus Brixiensibus, Pergamensibus, & Contubernalibus Gelforum vndecunque exulum ad *Vezanegam* se contulere. Terra hæc IV millibus ferme passuum ab vrbe Pergami distabat. Hanc Pergamenses interiores militibus LXX mercenariis hastatis cum equis duplicibus, centumque & LX lanceariis peditibus obtinebant. In

quam

quam *Passarinus* della *Turre* militiarum Dux, tumultuoso discurrens impetu, fortissimam vim attulit, quosque ad fouearum, vallorumque discrimen adiiciens, atrocique conflictu contritis intrinsecis irrupit in eam, cæsis hoc ingressu circiter quinquaginta, ceteris captis cum terræ omnibus incolis; prædaque pingui omnis gregum, armentorumque generis victoribus distributa, venditis sub hasta captiuis, nec minus ædibus cum quibuscunque terræ substantiis incendio crematis. Sequenti luce *Stezanum* properantes, impotens tanti impetus, paruo certamine* victoribus cessit. Vstumque, omnique exutum virorum, animaliumque rapina relictum est. * 88

Defectio Florentiolæ, & castri Alquadi ad Cremonenses.

XV Hisdemque diebus *Florentiola*, *Alquadi* castrum, ceteraque municipia Placentiæ, quæ ciuitati bellum agebant, dedentibus Gelfis, qui in eis se contulerant, ad horum, communisque Cremonæ dominia defecere, in ipsorum fidem adiurantes. *Rubechi* quoque castrum fortissimum, municipibus se iisdem victoribus applicantibus, Cremonæ accreuit.

Defectio turris Sigibaldi ad Gibertum de Corrigia.

XVI Feliciorque sors accumulata victoribus. Nam turrim *Sigibaldi*, quinque millibus passuum ab vrbe Parmæ distantem, *Girardus* de *sancto Michaele*, Parmensis exul, qui factione *Rubeorum* Parmensium rebellium eorum iussu, fideque custodiendam spoponderat, *Giberto* de *Corrigia* rupta suis fide proditione tradidit. Turris hæc LXX ex necessariis, amicisque *Giberti* captiuos sub *Rubeorum* cohertione tenuerat, inter quos reperti, qui superuixerant, V & XXX Nobilium, cæteri ex non inferioribus Parmæ plebeiis, nec hos paulo ante redimi XIV millibus florenorum aureorum contenti* Domini captiuorum. Ingens quoque lucrum equorum, armorumque inde sublatum est. His sic prospere gestis ad *Herbusti* castrum se contulere victores. Hoc tantum commodi harum actu rerum potitus est *Nicolaus* de *Lucio* Paduanus, quod pedetentim Mantua digressus ad procuratum sibi per *Canem Grandem* Pergami Vicariatum per Brixiensium municipia tandem Pergamum se proripuit.

* *intellige, fuerant* Sch.

Exercitus Gelforum, & congressus inde facti, ac demum captio Comit. Philipponi de Langusco.

XVII Porro pars hæc Gelforum prouinciæ Longobardiæ victoria sic exubernanti potita, maiori agmine coactis in vnum viribus, accersito *Philippone* Comite *de* Langusco, affluentibus militum, peditumque copiis, ad titubantem Placentiam perambulauere, secusque suburbia dispositis castris intenti, sollicitique obsidioni stetere. Accidit quoque sic rerum successum diuertente fortuna, vt dum *Philipponus* agmine longius dimisso ipse cum parua militum manu suburbium ingressus, multa fiducia armis positis per ædes discubuisset, qui intra mœnia erant a summæ turris speculatore edocti, distantem a suburbio exercitum cognouere, nec dum acies ceteris accessisse. Cum *Galeaz Maphæi*, qui ad tutelam ciuitatis externa die venerat, cum intrinsecis Placentinis erupit, insultum* in incautos faciens, nullis, aut paruis repugnationibus vicit. Tunc pedes & inhermis captus *Philipponus* cum quinquaginta fere ex Placentinis extrinsecis, qui e castro *S. Ioannis* rebelles ad id loci cum *Philippone* se contulerant. Cæsis fere totidem e Comitis eiusdem familiaribus, sociisque Papiensibus signum militare vnum Comitis Mediolanum ad spectaculum relatum. Tumque *Simoni* della *Turre*, reliquisque, qui in eadem expeditione erant, Cremonensibus, Pergamensibus, Brixiensibus annunciata clade, mirabundis, stupefactisque, quonam modo conflictus ille adeo repente contigerit, solutis copiis nihilominus ad sua quique reuersi sunt. Distulitque illorum propositum coeundi ad Mediolanum insultandum, laxauitque *Maphæi* Vicecomitis obsidionem expectantis fiduciam ea *Philipponi* oppressio, quodque ab Regiis Senescalchis accepere per literas, eos ad excidium *Marchionis* de *Salucio* sollicitos, quem prope conuictum in Pedemontis castellis obsidione premebant, nec inde prorsus discessuros, nisi omnibus priuatum, confusumque viribus intercipiant, & veluti Maiestatis Regiæ *Roberti* sui Regis proditorem vltimo afficiant supplicio. Stantes igitur per municipia ciuitatum Gelfi atrox bellum inferebant, vt nullus tutus per Longobardiæ fines meatus foret, inuariabilesque incursus assidue per Septembrem, & Augustum transeuntes afflixere, capturis, rapinis, occisionibusque variis, nec a Venetiarum mari per Liguriæ, & Æmiliæ fines a Lunæ iugis, quantum

* *f. mel. insultumque* Sch.

Longo-

Longobardiæ nomine includitur, in Alpes, quæ in Alemanniam vehunt, vllus liber aditus. Per hos dies castrum *Bercedi*, in quod ingressi Teutonici, qui e Germania ad Cæsarem migrabant, in terrigenas insæuientes furore solito, stupris, ac violentiis vexabant, verso in eos furore, & contumeliarum intolerantia, ad Gelfos defecit, cæsis ex eis circiter quinquaginta, ceteris fugæ remediis secedentibus anno Domini nostri Iesu Christi CCC. millesimo. Papienses captione *Philipponi* patefacta, *Gherardinum*, tertium *Philipponi* * natum, vt Papiæ præesset, extulere, feruentioribus animis ad bellum Mediolanensibus, Placentinis, ceterisque Imperatoriæ partis inferendum. Contigit quoque pæne per hos dies, Vogarienses cum Papiæ exulibus ad incolas castri *Pezedi* clandestina factione potentiorum ad ipsum *Pezedum* in deditionem suscipiendum incedere magno apparatu, Gelfosque de *Basegnana*, nonnullorum indagine præscios, in eos præconstituto insultu multa vi irruere. Vogarienses, insultus improuisi, extemplo terga dedere, continuataque in eos strages vsque in fluminis *Tanari* ripas, vbi extrema illorum consternatio, cæsis fere ducentis, totidem captis. Inter captos *Muscetus*, *Manfredi* de *Beccaria* filius, & Papiam adductus.

* 89

ALBERTINI MVSSATI
DE GESTIS *HENRICI VII* CAESARIS
LIBER XVI.

Rubr. I

Egressus Regia gentis a Petra Sancta.

POstquam nulla frumentandi, subsidiiue spes Cæsaris cohortibus fuit, affectos in dies inedia e *Petra Sancta* digredi, naufragii, ferri, omnisque generis subire discrimina vis coegit. Clanculum igitur Marescalchus amotis arbitris, his dumtaxat ad intima credenda retentis, quorum illi probata fidelitas, prima quiete nullo tubarum, lituumue stridore, dimisso *Simone Philippi* Pistoriense loci præsidio, per noctis silentia meatum taciturnis obtutibus * fecit, properansque recto calle, qui Pisas vehit, pernoctanti gradu secum celeres cateruas traxit. Lucenses, qui in *Camaiore* erant, fragore insolito exaudito, hinnitibusque equorum, fremituque excitati ad arma discurrentes tanta mora centuriandis ordinibus perstitere, vt iam Cæsareæ phalanges pontem *Monetæ*, quem Cathalaniensium parua manus custodiendum disposuerat, emigrassent. Tum celeri cursu per stagnum insequentes extra ordinem postremam retrouardiam laceram peditibus, equitibusque immixtam insultauere, ceteris iam in tutum traductis. Tunc ibi cædes, stragesque eorum, quos nox, naufragium, furor iratorum hostium circumuenit. Cæsa gladiis capita trecenta, totidem naufraga, signa duo militaria Lucam relata. Sospes Marescalchus cum ceteris fortuna contentus ad Cæsarem se contulit.

* Locus mihi suspectus. Nam qui, obsecro, *taciturni obtutus*? An posuit, *taciturnis*, pro, *caecutientibus*? Dithyrambica certe audacia. Quanquam non ignoro, tralationem ab auditu ad visum a poetis vsurpatam. Sed his enthusiasmo afflatis in altum se capellere licet. Historicis vero stringenda est ora. V.

In *Petra Sancta* residens *Simon Philippi* Pistoriensis, vir Cæsari amantissimus, per hos fere dies paulo ante Kal. Maias cum parte militiæ, peditumue *Vaiatoriam* Lucensium coloniam coequitauit. Alteram sociorum partem ad terrendos, occupandosue eos, qui in *Camaiore* erant, discurrere ad *Camaioris* portas iussit; sed inscius ea forte die *Vanni* de *Scornezanis* Pisanum exulem cum vno ex Lucensis ciuitatis militiæ Qarterio ad *Camaiorem* aduenisse. Is *Vanni*, vir impiger, incursu patefacto aduersum excurrit, nec illi vllum sustulere impetum victi, cæsi, fugatique. Hæc maiori Cæsaris damno sors obuenit, quam ea, quæ in *Petræ Sanctæ* recessu maiorum virorum captura, ac internecione. Cæsi itidem quatuor, & septuaginta hastati in equis, pedites centum octuaginta. Inter cæsos *Strupha* Miles, consodalis Marescalchi

Regii, cum viginti contubernalibus, *Fredus* Comes Gangalandi *, *Berlingerius Nicole de Grosseto*; *Bertinus Philippi* de Vercellensibus Pistoriensis, *Buegatus* de *Orlandis* Pisanus, ceteri Germani, Flandrensesque; pedites vero vt plures *Spineti* Marchionis *Malaspinæ* fideles.

* Genuina hæc lectio. Ea enim gens appellata est vulgo, *i Conti di Gangalando*. V.

Apparatus Cæsaris contra Robertum per mare.

II * Angustiatus in Tuscia terræ successibus infestis Cæsar, corde strenuo, mari omnem tentare fortunam disposuit. Laceratis quidem hinc atque hinc copiis, cum fratrem Treuirensem ad augendas eas per Germaniam emisisset, parsque Gibolengorum, Alborumque defecta intolerabilibus impensis per vrbes, terrasque sparsim secessisset, in solum *Fridericum* Siciliæ Regem spem recuperandarum virium posuit fulcientibus indeficienter Ianuensibus, suisque Pisanis, hortanteque Comite *Camerlengo* magno inter Regni Apuliæ Principes, asserenteque obnixe, vt si Imperator tantum conspiciendus, sentiendusue secus Apuliæ Ducatum prodeat, nil dubii, quin mutatis vicibus totius Regni reuolutio in inuisum *Robertum* futura sit. Exosum *Robertum* Regni Primatibus, quorum insigniores ex Imperio originem traxerant. Præterea discors in eundem *Robertum* Romana vtriusque factionis Nobilitas studia agebat, hinc, quod partem anno externo ægre sustulisset, hinc, quod eius magnificentia suis sit æmula exaltationibus. His omnibus allectus, conceptu peroptimo, fortique instinctu per internuncios cum singulis per loca singula tractare, polliceri, hortari, dies, noctesque exagitabatur. E Ianua Galeas XXV, e Pisis XII, cum armamentis, apparatibusque ad omnem naualis belli congressum desponsas, iamque portubus expositas nullis induciis munitus suis copiis computauit. Has vltra *Fridericus* Siculorum Rex octo, & viginti promptissimo obtulit obsequio. Increbruit hoc per Italiæ ciuitates longe lateque nouum, quod & trans Gallicas Alpes allatum est, inuadendum in Apuliæ Regnum *Robertum* multa classe, vrbibusque illi * pertimescendum.

* 90

* pro, *ab illo* Sch.

Concilium Philippi, *Regis Francorum, pro Rege* Roberto, *cum rescriptis ad Papam, & Papæ processu.*

III Dum ad *Philippum* Francorum Regem indicante *Roberto* delatum est, *Philippus* eatenus Cæsaris progressum non multipendens, quod sibi hunc *Henricum* fidum militem creatum, educatumque dilexerit, redamatumque se non veritus fuerit, nec se aduersus vlla insolentia elatum prorsus reputauerit, substitit mirabundus. Concilioque Principum euocato, quid sua intersit, in propositionem adduci, pro tribunali sedens imperauit. Principes secus adducti, contrito, eruminatoque accidentium, appetentiumque rerum momento censuere, rem aggredi *Philippum*, non tergiuersandum, hanc scintillam non adeo tenuem, quin, nisi temperie repressa sit, flammam edere valeat, fortassis non omni tempore extinguibilem. Notissimum populis adhuc degentibus, quanta Imperii, & Ecclesiæ pericula talia schismata in Christicolarum præiudiciis increuerint, nec placanda, si inoleuerint, nisi succisione, profunda cum animarum & corporum expiatione. Obstandum terribilibus principiis Clementissimo mandante Papa. Præterea hoc Regi inclito, Regiæ domus exposcente vinculo, rem sui esse commercii, agique, quod suum est, naturæ iure. Relatione Principum facta, decretum est, legatos ad Papam dirigi cum regiis rescriptis in hanc sententiam.

Sanctissimo in Christo Patri,

DOMINO CLEMENTI,

Diuina prouidentia sacrosanctæ, ac vniuersalis Ecclesiæ summo Pontifici, PHILIPPVS Dei gratia Rex Francorum deuota pedum oscula beatorum.

AD nostrum alias quorundam Magistrorum relatu, & nunc ex assertione charissimi consanguinei nostri Principis Achaiæ *peruenit auditum, quod Magnificus Princeps*, Henricus *Imperator Romanorum, Apuliæ, Siciliæ, & alias terras proprias illustris Principis* Roberti, *Regis Siciliæ, consangui-*

consanguinei nostri charissimi debellare proponens, ad ipsius exheredationem suos * *intendat exercere conatus, turbando pacem vniuersam Christianorum, impediendo negotium passagii terræ sanctæ in vniuersale, & specialiter Romanæ ecclesiæ, cuius terræ dictæ patrimonium proprium esse dignoscitur, excidium & iacturam. Cum igitur nos prædicti Regis Siciliæ, qui de consanguinitate nostra traxit originem, & de nostra domo Regia processit, exheredationem non de facili sustinere possemus, beatitudini vestræ super hoc alias scripsimus, vt consideratis incommodis, quæ ex præmissis, si (quod absit) contingerent, sequerentur, ad occurrendum tantis, & talibus periculis, velit vestra Sanctitas in hac parte de competenti remedio celeriter prouidere, ne propter huiusmodi incommoda possit dictæ terræ sanctæ negotium retardari, vel totaliter impediri. Verum cum Imperatorem in prædictis non intellexerimus suum propositum diuertisse; quinimo paret se diebus singulis ad eadem, vestram iteratis precibus Clementiam deprecamur, quatenus imminentibus periculis occurrentes, prout ad vestrum spectat officium, in prædictis sic celeriter tale remedium apponatis, quod pacis pulchritudo seruetur, negotiumque passagii terræ sanctæ, quod alias fieri posse non credimus, impediri non debeat, aut turbari, & ne cum velletis super his alias occurrere, tunc commode non possetis, dictumque Regem, & subditos dignetur vestra Sanctitas specialiter recommendatum habere. Data Parisiis XII Maii.*

* 91

Insuper & supplicaturi Legati erant, damnationem ab Imperatore aduersum *Robertum* latam rescindi, satiusque fore eam per Papam tolli, quam mandari, vt ipse, qui protulerat, reuocaturus sit. Dimissi Legati Dominus *Marigensis* cum egregiis Collegis Papam digno, mansuetoque more consalutauere, literis oblatis Maiestatis Regiæ, deinde & subiunctis ore commissis. Papa lætabundus responsis dandis diem statuit cum festiua personarum acceptione, multisque comiter paterna, domesticaque mansuetudine singulari affabilitate honoribus collatis. Demum constituta die respondit, supremos affectus ad omnia grata filio Regi inclito habere, admissas precationes eius, adeo vt tres a latere Cardinales Imperatori transmissurus sit, omnia hæc, & accidentalia alia accidentia pro ipsius Regis libitu dispo̅situros. Nec hoc generale responsum legatos contentos fecit, nisi singillatim super reportandis propositum emologauerit, edideritque, dum & Papa ad hæc mandanda rescriptis publicis sub Apostolicis pendentibus signaculis declarauerit. Horum, veluti futurorum momentorum fundamentum, tenorem inseri huic contextui visum est.

CLEMENS EPISCOPVS

Seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

*INter cetera, quorum nos cura sollicitat, illa præcipue meditatio mentem nostram occupat, illaque nos sollicitudo fatigat, vt Ecclesiæ Romanæ bonis & iuribus in sua stabilitate seruatis, instanter obseruetur, felicia semper incrementa suscipiat, & nostræ ministerio seruitutis copiosæ pacis affluat libertate. Nuper quidem multorum fide relatione percepta**, *quod nonnulli multorum in diuersis locis & partibus præparabant stolium** *galearum, & alios faciebant bellicos apparatus, quosdam ipsorum ex certis tenebat coniecturis exorta suspicio, quod ad Regnum Siciliæ, seu* Terræ *citra* Farum*, *quæ de Regno ipso fore dignoscitur, quæ ad nos, & Romanam Ecclesiam pertinent pleno iure, & quæ carissimus in Christo filius, Rex Robertus Siciliæ illustris nunc pro Ecclesia prædicta Vasallus a nobis, & eadem ecclesia tenet in feudum, hostiliter inuadendum, vel offendendum, stolus, & apparatus huiusmodi, quamuis hoc vix possumus credere, parabatur.*

* l. *fide relatione perceptum*, Sch.
* l. *stolum* Sch. †
* l. *Pharum* V.

† Probo correctionem doctissimi Scholiographi, qui, *stolum*, censet legendum. Vulgo enim dicimus, *stuolo*, cum aliquam significare volumus multitudinem. Adde, quod

quod & *stolus* proprie dicitur de nauibus apud Græcos, vt annotat *Hesychius*. Sicut ergo *Mussatus*, dixit, *stolus galearum*, ita dicunt Græci, ναυτικὸς στόλος, νεῶν στόλος &c. Sed vt plurimum omittunt epitheton. Atqui hæc etiam vox vna est ex iis, quam Itali a Græcis mutuati sunt, inconsultis Latinis. V.

Nos Ecclesiæ præfatæ ac nobis & Regno, ac terræ prædictis, quæ veluti recreationis pomærium delectabiliter intuemur, & in Apostolici pectoris medio præ multa dilectione portamus, & aduersus talium munimina prouidere volentes, & periculis animarum, corporum detrimentis, bonorum dispendiis, & grauissimis scandalis, & irrecuperabilibus incommodis terræ sanctæ, quæ possent ex eis sic procedere (quod absit) ad illa, quæ contigerint, merito formidanda, salubriter obuiare, præsertim cum simus parati, omnibus de ipso Rege Siciliæ conquerentibus iustitiam exhibere: vniuersis & singulis, Clericis & Laicis, cuiuscumque conditionis & status, ordinis, dignitatis, vel præeminentiæ sint, etiamsi Pontificali, vel Imperiali, siue Regali, aut quacunque alia fulgeant dignitate, ac vniuersitatibus, communitatibus, & ciuitatibus quibuscumque auctoritate Apostolica districtius inhibemus, & expresse præcipimus, ne dictum Regnum, vel terram, aut partem, vel aliqua loca eorum, vel alterius eorundem per terram, vel per aquam*, mare quocunque quæsito colore inuadere, vel offendere, aut propter hoc recipere, vel exhibere stipendia, siue Galeas, seu alia maritima dare, locare, commodare, aut alio titulo quocunque concedere, seu remigare in eis, vel eisdem galeas, seu vasa concedere quouis modo præsumant; siue præstare super his præsumptionibus ipsis auxilium, consilium, vel fauorem directe, vel indirecte, publice vel occulte. Nos enim in omnes, & singulos, qui contra inhibitionem, & mandatum huiusmodi venire præsumpserint, etiamsi (vt prædicitur) Pontificali, aut Imperiali, seu Regali, aut quauis alia præeminentiæ* dignitate, de Fratrum nostrorum consilio excommunicationis, quam eo ipso incurrant, sententiam promulgamus, eorumque terras, ac loca ipsorum, & quaslibet alias communitates, vniuersitates, & ciuitates contra præmissa, vel præmissorum aliquid attentantes, ecclesiastico subiicimus interdicto, contra eos nihilominus ad priuationem omnium priuilegiorum, indulgentiarum, & gratiarum, quæ ab eadem Romana curia, non modo feudorum, bonorum, honorum, officiorum, & iurium, quorumcunque, & ab ipsa, & quibuscunque aliis tenent ecclesiis, & aliis spiritualiter, & temporaliter grauiter processuri, prout eorum inobedientia exegerit, qualitas facti suaserit, & nos viderimus expedire. Data & acta apud Castrum Nouum Auinionensis Diœcesis in palatio ipsius Castri die II Iunii, Pontificatus nostri anno VIII, & præsentatæ Ianuæ die IX Iulii.*

* 92

* f. maris Sch.

* desideratur, fulgeant Sch.

His quatenus, & plura impetrasse non valuere, contenti Legati, multis refecti pollicitationibus, discessere, rescriptaque in Italiam emissa.

Alloquia Principum Cæsaris contra rescripta Papalia.

IV Cæsar horum omnium non ignarus, Papam ab *Roberti* amicis exagitatum perpendens, in fauoresque veluti coactum prolabi, & ipse easdem non negligere instantias non omisit. Solemnes igitur Legatos in Galliam *Ameum* Sabaudiæ Comitem, Patriarcham Antiochenum, Archiepiscopum Ianuensem, Episcopum Abotonthenensem, aliosque Proceres instituit. Hi confestim e Pisis digressi per maritima secus *Motronem* concessum a Lucensibus callem gratis cœpere, Pisanorumque Communitas in eadem Comitiua *Lippum* de *Caprona*, *Lemutium Baliam*, *Iacobum Fagarolum*, & *Mesium* de *Vico* in eandem legationem ire iussit. Nec minus Pisani galeas, naues onerarias, & vasa quæque in portu parare, munire non destitere. *Lucas* de *Flesco* Cardinalis iisdem diebus e Pisis ad Curiam profectus est. Apostolicas literas tanti edicti Cæsar in Principum audentia perlectas in admirationem paulisper vultu decliui supputauit, nil in eas prorsus ore proferens. Verum Pisanus Archiepiscopus in Papam tumidioribus prorupit eloquiis, parum probe, parumue diligenter, & persuasum ei, ipsumque sibi consuluisse talia ab Pontificali culmine emanasse rescripta, hanc suam sistere creaturam: quin genus

genus humanum ad salutem perducat, errores tollat. Initia redemptionis terræ sanctæ iam viuaciter prodeuntia tardare, exinanire; inimicos redemptionis eiusdem confouere, scandalis vires administrare, male ex iis cedere Ecclesiæ S. Dei, & Christianæ Religioni. Abbas *Podii Bonici* assistens minus inepte congruentia Laicis, quam Clericis verba protulit, Papæ detestatus opinionem.

Motus Cæsaris terra marique.

V Interea non inanes moras Pisis trahens Cæsar multa per Tusciam, permulta cum Apulis, Calabrisque, ac Romanis per internuntios sciscitare, tentare, polliceri, componere, sedulis vigiliis, ingenti animo studebat. Compositis itaque, vtcunque prope libitum valuit, rebus, nauigia e Ianuæ, Pisarumque portubus educi imperauit, classemque omnem armamentis instructam, ac si idem nauigaturus fuisset, buccinis, multoque strepitu protensis ad remigem velis exponi Ductoribus, Admiratisque Comitibus *Camerariæ*, & *Claremontis* (hi enim potiundi Apuliæ Regni spem validam, si tantum Calabras terras attigerint, Cæsari tradiderant) concomitante *Friderico* Siciliæ Dominatore, iuuanteque ad omnes fortunas. Inde fama per omnem Italiam increbruit, Cæsarem, terrestri bello summotum a Tuscis, tanta classe regnum Apuliæ petere cum *Roberto* congressurum *. At in arcanis certa dies constituta nauigiis fuit, vt, cum *Terracinam* applicuerint, VII & XX ferme passuum millibus ab vrbe itidem sistant, præstolenturque Cæsarem. Ipse vero Nonis Augusti mille quingentorum militum Latini, Teutonicique nominis contubernio Pisis digressus, celeri cursu inter *Fusceli**, & *Sancti Miniatis* fines, nullis sarcinarum oneribus, noctu discubuit. Aurora sequenti dimotus, vespere facto, secus castrum Florentinum descendit, vbi nonnulla oppidanorum molestia lacessitus, appendentes castro ædes cremari fecit. Nec vltra remoratus, inde dietis assiduis, nulla quietis intermissione, Comitatu *Collis* peragrato, Abbatiaque *Spognæ* dimissa, III Idus Augustas ad Senensium agros deuenit. Hic dies *assumptionis Beatæ Virginis Mariæ* fuit.

* 93

* l. Fusicechii V.

Concussio Senensium a Cæsaris transitu.

VI Repentinus Cæsaris aduentus improuisos Senenses adeo conterruit, vt seditionem intra penetralia plebs, insignesque supputarent. Extemplo communibus votis, tumultuaria concitatione, vocibus consonis, vt commune viueret, & populi libertas, ad arma concursum est: ad Potestatis magistratum exhortandum pro ciuitatis tutela Prætorium, foraque publica repleta sunt, dispositis ad portas pro temporis & loci opportunitate munimentis. Sub armis ea dies cum pernoctato in sequentem silentio exacta est.

Pulsi Gibolengi truces ex vrbe veteri.

VII Hoc eodem momento *Vrbis Veteris* Gibolengi, vt venienti Cæsari vrbem vacuam pararent, in Gelfos, accitis e Comitatu suæ factionis municipibus, insultum fecere. Tunc tumultuaria pugna per vicos, & fora vtrinque acriter certatum est fere per biduum. Demum in partem Gelforum hærente fortuna, fugati, pulsique fuere vrbe Gibolengi, ducentis seu circiter cæsis, inter quos *Bindus* de *Baschio*, vnus ex coniurationis principibus, pluresque ex Nobilibus eiusdem factionis, in solamque Gelforum partem cessit vniuersa communitas.

Mors Cæsaris, & contingentia circa eam, cum fine operis.

VIII Cæsar apud Senas nil ea parte proficiens, calle altero, qui ad vrbem vehit, digressus, iter diuertit ab aduersa Senarum parte, vbi *Ispianum* nuncupatur, & protendit gressum ad *Orgiam* fluuium, XII a Senis millibus passuum, ibique æstu, itinerisque longi, ac velocis labore defessus, respirandi causa, vt se, suosque fatigatione recrearet, positis statiuis descendit. Ipse autem peracta paulisper cœna, perambulans demum influuii ripa consedit, mersis in torrentem cruribus, vbi diu aquæ refrigeratione oblectatus, veluti languore subeunte, lectisternium ante solitam abeuntis lucis horam petiit, quietique accommodatus nequaquam sopitus est; sed prima vigilia sub dextri cruris genu pustulam obortam deprehendit, qua multo dolore cruciatus noctem duxit insomnem. At ante quam dimotis tenebris aurora rutilaret, peruigilatæ noctis tædio affectus, signo tollendorum castrorum dato, consurrexit, & ad *Bonconuentum* contendit, pagum a Senis XII millibus passuum distantem, ibique grauescente morbo apud *sancti Bartholomæi* basilicam triduo recubuit, vbi VIII Septembrias Kal. hora nona, ipso *sancti Bartholomæi* festo expirauit,

rauit, anno ætatis suæ vno & quinquagesimo, mense vno, diebus XII; Regni sui anno V, Imperii vero anno primo, mense vno, & diebus viginti quatuor.

Triplex illi interitus causa deprehensa est, vna in nate sub genu † lethalis vlceris, quod Physici *Antras* vocant; altera scissæ ab stringuria †† vesicæ, quo morbo assidue laborabat; tertia pleurisi *, quam misso iam spiritu vomuisse constitit.

*vel. pleuritide V.

† Antrax a Græcis appellatur morbus ille, quem Latini carbunculum dicunt, a carbonis igniti similitudine: qui fit Paulo Æginetæ post Galenum sanguine in atræ bilis naturam conuerso, quum inferbuerit. Qua vero de causa *Mussatus* non acceperit natem pro pulpa cruris, ea est, quod superius dixerat, pustulam obortam Cæsari sub dextri cruris genu; dixisset enim sub poplite, quo pars imminet musculis. V.

†† Στραγγουρία, Latinis vrinæ stillicidium, seu substillum, Galeno, excretio vrinæ per guttas.

Admirabilis hæc mortalibus, & veluti fatalis notata loci ac diei interuenientium identitas, cui admirationi *Corradini* de *Stoph* adiiciebatur eiusdem *sancti Bartholomæi* memoranda festiuitas, qua & ipse in Italia ab *Carolo* Rege conflictus capitale post supplicium sustulit. Cauenda nimis sacrosanctæ matris ecclesiæ offensa Christicolis, cum & huius prædecessorem fuderit Apostolica sententia *Fridericum*, in quem, cum prole tota, veluti fulmen iaculata, irreparabile tulit exitium; & hic quoque *Henricus* secundæ pacis vexillo in Italiam auspiciis ductus ecclesiæ, quæ voluit, obtinuit, simul arridente fortuna. Verum mutatis velis, versis ad oppositum gubernaculis, aduerso sidere soluta classis profundum oppetiit. Siquidem rescripti iam sola mente transgressor Apostolici, quo inhibitus *Roberti* Regnum inuadere, aduerso ferente spiritu, suopte frustratus ingenio, adiuratum sibi *Fridericum* Siciliæ Dominatorem ad *Cathonam*, Calabriæ insulam, inuadendam, qua sibi transgrediendi pateret aditus, obstinata * animaduersione præmiserat. Et hæc quippe detestandæ litis exordia ad totius terrarum orbis scandala solo aduertentis Dei sopita iudicio. Tulere cadauer commilitones Germani, & superposuere lecticæ viuum virum, sed ægrum simulantes; sed intolerabiliter olentis, in *Paganico*, Senense colonia, noctu consumpto ignibus humore, conditas aromatibus in vtres reliquias per maritima maturo gressu ad suas Pisas aduexere, vbi multo suorum luctu secus altare basilicæ Cathedralis humatus est.

* 94

GESTA

GESTA
VENERABILIS DOMINI, DOMINI
BALDEWINI DE LVCZENBVRCH, TREVERENSIS ARCHIEPISCOPI,
ET
HENRICI IMPERATORIS GERMANI SVI DE LVCZENBVRCH.

* * *

QVi hos, *de vita rebusque gestis* BALDVINI *Archiepiscopi Treuirensis* & HENRICI VII *Imperatoris*, libros scripsit, posterisque reliquit, suum nobis nomen inuidit: idoneus tamen illarum scriptor est, fideque nulli aequalium, qui de iisdem egerunt, inferior. Actuum enim euentuumque, quos exponit, partem ipse praesens vidit, partem fando ab iis accepit, qui rebus illis interfuere, probata viri virtute, atque adeo, quos sequeretur, digni: id quod ipse pro testimonio loquitur, dum in prologo operis, *Scribere*, inquit, *incipiam in primis capitulorum ponendo distinctiones, & postea eorum prosecutiones, quae per eum gesta sunt, & quae eius temporibus euenerunt, quae vidi, & quae veridica proborum & discretorum relatione, famaque generali voluntate audiui, ponere non obmittam.*

Viris doctrinae fama celebribus, historiaeque patriae studiosis, auctori chronici, quod vulgo *magnum Belgicum* vocari solet, *Trithemio*, *Kyriandro*, *Brovvero*, olim non sine cura lectum fuisse, doctissimus iam notauit *Baluzius* *. Addas, non sine vtilitate tum illis, tum aliis fuisse lectum. Quem enim legebant, & sequendum iudicarunt, & frequenter secuti sunt, diligentissimus praecipue annalium Treuirensium scriptor *Brovverus*, lib. XVII illorum, in vita *Balduini*; tum vero nostris temporibus Illustris *Gundlingius* in eruditissime scripta *de vita rebusque gestis* HENRICI VII *historia.*

* In praefatione ad lectorem, tomo I *Miscellaneorum* praemissa; cuius verba, cum notatu digna sint, infra dabo.

Lucem, in qua nunc versatur, debet perinsigni, quem modo laudaui, viro, *Stephano Baluzio;* quippe qui eum, cum per tria & quod excurrit saecula in bibliothecarum forulis abditus latuisset, e veteri bibliothecae regiae Parisiensis codice manu exarato eruit, vt in monumentis antiquis e tenebris & puluere in lucem euocandis magna fuit solertia, ac anno superioris saeculi LXXVIII primo, quem dixi, *Miscellaneorum* suorum tomo inseruit.

E quo eum hic repetii. Cuius quidem consilii hae mihi fuerunt rationes, quod non *Balduini* modo & *Henrici VII* res tractet, sed *Ludouici IV* etiam, easque loco haud vno illustret; Miscellaneorum vero dictorum tomi in rarionibus nunc appareant libris.

Repetii autem eundem, vt *Baluzius* illum edidit, nisi quod lectionibus, quas ipse locis librariorum incuria negligen-

gligentiaque deprauatis, in margine apposuit, interdum & meas, *Brovveri* secutus ductum, adiecerim; hoc tamen obseruato discrimine, vt *has* litteris stantibus, *illas* vero Italicis siue currentibus exscribi curauerim.

Nil superest, quam vt *Brovveri, Baluzii*, & *Gundlingii*, de his Gestorum libris iudicia adscribam. Sic autem

Ille, l. d. § XXVI p. 191.

Id quod acta Balduini *diligentissime eo tempore conscripta produnt.*

Iste, in praefatione dicta a) 5,

Sequuntur gesta Balduini *de* Luxenburgo, *Archiepiscopi Treuerensis, qui frater fuit* Henrici VII *Imperatoris, patruus* Iohannis, *Bohemiae Regis*, & Caroli IV, *item Imperatoris. Scripta sunt ab auctore sane nobis ignoto, sed tamen coaetaneo, adeoque plurimi faciendo. Eum in epitomen redegit olim* Wilhelmus Kyriander, *eamque transtulit in commentarios suos* de Augusta Treuerorum: *vbi etiam adnotat, magnam partem eorum, quae de* Balduino *isto refert* Trithemius *in chronico Hirsaugiensi, sumpta esse ex opere, quod nunc primum edimus. Illius etiam varia fragmenta referuntur in* magno chronico Belgico, & *apud* Christophorum Brovverum, *in libro XVII annalium Treuerensium.*

Hic, in praefatione dictae *de vita rebusque gestis* Henrici VII *historiae*, § IX *de auctoribus*, quorum opera vsus sit, n. I p. 19,

Auctor vitae Balduini *Archiepiscopi Treuirensis, fratris* Henrici VII, *magnam partem regiminis Caesarei non sine veri cura, copioseque descripsit.* Brovverus *illum, vt videre est, ob oculos habuit in historia* Balduini; Baluzius *vero, vir inter aeui nostri doctissimos in Gallia postmodum edidit. Idoneum hoc scriptum adhibui, in eoque, quod sequerer, inueni.*

Incipiunt Gesta Venerabilis Domini, Domini BALDEWINI *de* LVCZENBVRG, *Treuerensis Archiepiscopi,* & HENRICI *Imperatoris, germani sui, de* LVCZENBVRCH.

BEata consideratione cogitaui, dies antiquos gloriosorum gestorum magnificorum virorum in curiositate scriptorum immemorialiter proh dolor præterire, animaduersioneque disceptaui, annos æternos retributionis præmiorum laborum singulorum hic operatorum post hanc vitam vnumquemque pro mercede reperire. Laudes igitur rerum gestarum digne recolendarum sub modio non ponantur, nec obfuscato ignorantiæ nubilo aliqualiter inuoluantur. In ea exultabo, & mire miranda mirabilia tua prout potero narrabo. Ei ergo, qui est fons & origo omnium bonorum, ad honorem, vt ipse in suis glorificetur creaturis, sunt temporum gesta viuæ memoriæ iugiter commendanda. Viuæ memoriæ res gestæ tunc aliqualiter donantur, vt in eis posteri emendentur, & gloriosa antecessorum gesta prouide imitentur. Vocis enim viua locutio velut vmbra dinoscitur more defluentis aquæ pertransire, & sicut fumus in aerem dispersus euanescens non solet reuenire. Iubiloque sicut cum aromato quotienscunque* corde tanguntur, totiens auscultantium corda iocundantur, sic gloriosa Magnatorum gesta litterali descriptioni tradita, quotienscunque recitantur, totiens probi & discreti virtutum hauriendo exemplaria lætificati meliorantur. Nunc, sicut videmus, omnipotens Deus non solum verbo tenus Moysi legem tradere, sed digito suo tabulæ insculptam lapideæ*, ut semper eius iugis & viua perseueret memoria, dignatus est ministrare. Volo igitur, prout se facultas offeret meæ paruitati, non tumescentis laudis adulatione, sed humilis mentis in imo audacissima præsumptione, magnifica gesta gloriosi Principis, almi Galliæ Germaniæ Primatis, venerabilisque Patris & Domini, Domini BALDEWINI de LVCZELINBVRCH, Treuirorum Archiepiscopi, scriptis commendare. Sed quod non sufficiam, scriptorum vernula fiam. Scribere igitur incipiam, in primis capitulorum ponendo distinctiones, & postea eorum prosecutiones, quæ per eum gesta sunt, & quæ eius temporibus euenerunt, quæ vidi, & quæ veridica proborum & discretorum relatione famaque generali voluntate audiui, ponere non obmittam. Inuoco ergo adiutorium patris luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio, a quo omne datum optimum & omne donum perfectum descendens est in corde hominum, vt mihi Spiritum Sanctum mittat in adiutorium, & hoc opusculum, immo mihi opus permaximum, Domino nostro Iesu Christo ad honorem, & reuerendo Domino, Domino BALDEWINO Archiepiscopo ad fauorem, omnibusque posteris ad exemplar utilitatis valeam inhoare, pertractare, & fine optimo consummare. Hoc mihi dignetur præstare Deus trinus & vnus.

* f. chorda. *94

Incipiunt capitula primi libri.

Incipiunt

Incipiunt capitula secundi libri.

Prologus tertii libri.

*LIBER I

*97

CAPVT I

De vita & morte antecessoris.

Dignus a dignis dignissime laudatur, licet ab inuidis laudis generositate inaniter destituatur. Dicendæ ergo laudis gratia licet parumper ad superiora ascendere, vt huius valeam materiæ intellectum exprimere planiorem. Anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, in die beatorum *Processi* & *Martiniani* martyrum, prope monasterium *Monsterdreyse* ordinis Præmonsteriensis, *Albertus* Dux Austriæ *Adolphum* de *Nassaua*, Romanorum Regem, sæuiter occidit congressione prœliali, seseque in regno intromisit, quod firmiter credidit gladio obtinuisse triumphali. Veruntamen procurauit ab Electoribus se in Romanorum Regem electionis iure sublimari, & Aquisgrani solemniter coronari. Contra quem summus tunc Pontifex Dominus *Bonifacius* octauus, eo quod vxor eius esset de viperiali genimine seminis *Frederici*, aliisque multis de causis rigidas exercere sententias publicissime sublimauit, & Dominum *Dytherum*, Regis defuncti germanum, causa eius vesaniæ resistendi, in Treuirorum Archiepiscopum non postulatum, nec ab aliqua parte Capituli electum, celeriter sublimauit. Capitulum tamen elegerat *Henricum* de *Virnenburch*, cui maior pars subditorum ecclesiæ iam obediebat. Statim ecclesiæ suæ terras plurimas & redditus pignorali cautione & literali obligatione constangiis grauibus damnisque datas imp ignoratasque, permaxima debita contraxit, de quibus parum dicitur persoluisse, & cum in honore esset, non intellexit, viriliterque contra *Albertum* Regem restitit, & etiam contra Confluentes sibi rebellantes, vniuersum etiam suæ* diocesis Clerum, contra se ipsum inimicitias tumide prouocauit. Vnde concors caterua clericalis ipsum ad præsentiam Domini *Clementis*, tunc summi Pontificis, dura de eo querimonia facta, vocari in propria persona prouide procurauit. Quo citationis termino imminente, de carnis ergastulo quantocius migrauit anno Domini millesimo tricentesimo septimo, vicesima tertia die mensis Nouembris, ecclesiam suam non modicum disturbatam, debitisque grauatam, dilapidatam, impignoratam, dissipatamque relinquendo, ita vt ipsa ab imo cordis suspiria possit cum Propheta flebiliter clamare: *Dedisti me tanquam oues escarum, & sine pretio vendidisti, & obligando me multipliciter dispersisti.*

*98

CAPVT II

Qualiter sit electus.

Ecclesiæ ergo suæ Treuericæ Deus totius consolationis gemitus & suspiria parua mora protracta breuissime terminauit diuino munere bonitatis anno Domini millesimo tricentesimo septimo, die septima mensis Decembris, Capitulo Treuerensi coadunato & ad futurum Præsulem eligendum, vocatis omnibus vocandis, congregato, a maiori & saniori parte Capituli venerabilis Dominus *Baldewinus* de *Lutzelinburch*, Præpositus & Canonicus dictæ ecclesiæ, adhuc ipso Parisiensi studio fideliter mancipato, anno natiuitatis eius XXII, in gaudium & lætitiam totius cleri & populi, diuina cooperante gratia, in Treuirorum erat Archiepiscopum sollemniter postulatus. Hinc ouat clerus, altisonis vocibus psallens, Te Deum laudamus. Hinc fit cunctarum compulsatio campanarum, concursus populorum cateruatim congregatorum, sic vt ipsa ecclesia iocunde possit canere cum Psalmista: *Saccum meum conscidisti, & me misericorditer circumdedisti multiplicata lætitia salutari.*

*CAPVT III

*99

De eius confirmatione.

Lumen a luminis flamma incenditur. Sic a iure electionis nuntios per sollemnes procuratoresque eximios Pictauium extitit delata, & sanctissimo Patri

Patri Domino *Clementi* Papæ publice intimata. Quam quidem postulationem ipse summus Pontifex, inquisitionem faciens condecentem de persona postulata, quam de postulantum conuersatione & vita, parte aduersantium friuola appellata, totaliterque cassata, benigne approbauit, & de minoritate annorum secum etiam dispensando, ipsum fore admittendum, suo cum Cardinalibus præsidens Consistorio, in propatulo publicauit, & more consueto ipsum admittendo sententionaliter confirmauit.

CAPVT IV

De eius consecratione.

VEritatis igitur fama eius approbationis Parisius sibi reuelata, ipse *Baldewinus* confirmatus vna cum Domino Henrico & vulgariter fratribus eius germanis, Pictauium veniens, summo se Pontifici lætanter præsentauit, quod ipse gratanter recepit, & amicabiliter salutando. Et anno Domini millesimo tricentesimo septimo, sexto Idus Martii, more Treuerico scribi consueto, ipse Dominus *Clemens* Papa quintus per Cardinalem in Pictauiensi ecclesia dictum Dominum *Baldewinum* in Presbyterum ordinauit; sequenti die cum pluribus aliis Archiepiscopis & Episcopis in Treuirorum Archiepiscopum diuinitus consecrauit. Ipse vero dictis cum fratribus, multisque aliis Cardinalibus & amicis, diuersis curiarum sollemnitatibus habitis, Papam valedicens, ad propria cum suis est reuersus. In qua tamen reuersione in littera sibi a Domino *Petro* Moguntinensi Archiepiscopo destinata intellexit Dominum *Albertum* Romanorum Regem humanæ conditionis debitum persoluisse. Nam ab eius cognato, *Iohanne* Duce videlicet, fratris sui filio, cui quia ipse * *Albertus* ad instinctum suæ vxoris Reginæ, volentis, hereditare filios suos Ducatum Austriæ, postquam dictus *Albertus* occiderat *Adolphum* Regem, violenter suum patrimonium, videlicet Ducatum Austriæ, recepit & detinuit, esse dinoscitur interemptus; & illud euangelicum fuit adimpletum in hoc casu: *Mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

* 100

CAPVT V

De eius receptione.

ZOna tranquillitatis, pacis, & concordiæ totius patriæ aliquamdiu sub antecessore non modicum extitit delaneata, & cleri caterua de nimia rancoris materia multipliciter perturbata. Sed misericors & miserator Dominus de excelso throno suo prospiciens ecclesiæ suæ durissimas & lacrymosas oppressiones seruituti Babylonicæ digne comparatas, per dictum *Baldewinum*, pacem & concordiam reformando, misericorditer releuauit. Nam dictus *Baldewinus* eius in primo aduentu lætissimo totam per diocesim cunctis suis Officiatis & Iudicibus districte mandauit, vt in cunctis suis territoriis tam aduenis quam incolis, non per tyrannicum rigorem, sed per incutiendum timorem, vniuersos pacem seruare vnanimiter coartarent, si eius gratiam seruare & indignationis rubiginem cuperent euitare. Et sic in amœnitate pacis & concordiæ anno Domini millesimo tricentesimo octauo, die sancto Pentecostes, cum multorum procerum proborum caterua non modica, velut Zelotypus sponsam suam visitando, Treuerim est ingressus. Hic fit concursus populorum, coadunatio clericorum. Voce tamquam præsaga ciues Apostolorum pacem portauerunt, patriamque illuminantes hodie aduenerunt, & sic eum lætantissime receperunt, & suam in ecclesiam processionaliter adduxerunt, præsente matre, fratribus, sorore, & multis spectabilibus viris. Eodem die Missarum sollemnia sollemniter celebrauit * curiam sollemnem faciens, & sumptuosam, cunctos aduenientes lautissime procurauit, a nobilibus & subditis huldas * & subiectiones debitas acceptauit, & feodalia feodalibus in feoda condonauit, cunctaque antecessoris debita persoluit; dissipata & obligata, omnimode satisfaciens, ad ius & proprietatem suæ ecclesiæ fideliter reuocauit.

* 101

* *Id est*, fidei sacramenta, *vt interpretatur* Brovverus.

CAPVT

CAPUT VI

De genealogia eius, & obitu patris.

ZEli scribendæ historiæ est, parumper ad superiora ascendere, vt eius seriem clariori luce valeam pertractare. Anno dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo octuagesimo quinto nobilibus de parentibus, videlicet *Henrico* Comite Luczelinburgensi parte, & Domina *Beatrice* de *Bellomonte* in Hannonia matre Dominus *Baldewinus* exstitit nobilis natus. Auus eius eodem nomine *Henricus* dictus *Blondel Fuille*, qui Dominum *Baldewinum** proauus scitur publice exstitisse. Qui Ducatus a Coloniensibus finibus longe lateque circa Rhenum extenditur, & multas habens munitiones & castra, vltra Mosam protenditur, & feodum Coloniensis Archiepiscopi esse in parte perhibetur. Isto *Walrano* defuncto, *Henricus* dicti *Baldewini* auus in patrimonio succedere debuerat paterno. Sed Dux Brabantiæ illum sibi indebitum hodierna die noscitur vsurpasse. Isto vero *Henrico* de medio facto, *Henricus* pater Domini *Baldewini* in Comitatu Luczelinburgensi successit. Eo tempore Coloniensis castrum *Vorinche* inter Coloniam & Nussiam quondam situatum, quod prius Archiepiscopo ad patriæ tuitionem iuuamine construxerant, de quo rapinæ erumpebant, amore pacis pro aliqua pecuniæ summa ab Archiepiscopo, vt illud in fortiori loco ad littus Rheni reædificauit: quem cum Officiatus suus interrogans, de quo castrum deberet retinere, cum annuis careret redditibus, dicitur respondisse*: Quatuor viæ sunt trans castrum situatæ. Quod ille audiens, alueum Rheni transmeantes* theolonicis exactionibus aggrauauit, terram vero transeuntes multipliciter rapinis molestauit. De quo cum Archiepiscopus rogatus a Coloniensibus non desisteret, Colonienses dictum castrum obsidione circumsepserunt, quam obsidionem Archiepiscopus soluere cupiens, exercitum permaximum congregauit. Tunc Coloniensibus in adiutorium, quia ciues sunt eorum, Dux Brabantiæ & Comes de Monte celeriter concurrerunt. Qui Comes dicto Duci partem Ducatus Limburgensis se contingentem pro quadam pecuniæ summa noscitur vendidisse. Econtra *Henricus* Comes Luczelinburgensis Ducem Brabantiæ pro dicto Ducatu Limburgensi impetens, & ipsius partem a Coloniensi Archiepiscopo in feodum recipiens, Ducem diffidauit, & cum *Walramo* germano suo aliisque duobus fratribus Militibus, obscure tamen natis, in Archiepiscopi adiutorium properauit. Hic discordia discordiæ sociatur, & guerra guerræ rigide cumulatur. Quodam ergo die sabbatino, Archiepiscopo prœlium inire voluntario, a Coloniensibus mandatur, eos sibi & omnibus adhærentibus per biduum victualia ministraturos, si ob honorem Dei sequentem dominicalem diem, eiusque genetricis præsentem diem sabbatinum a prœliis vacando dignaretur celebrare, maxime cum sua turba die tenus sumeret augmentum, earum vero nullum sperarent sumere incrementum. Quod Archiepiscopus accepisset, si *Henricus* non dixisset: *Heu! non debemus hodie propter clericum timorosum prœlium inire gloriosum?* Hoc cum Archiepiscopus intellexisset, dicitur respondisse; *Probrior mea clericatura in campis eius militia noscitur fuisse*; mandans Coloniensibus, vt se præpararent, & inire prœlium secum non tardarent*. Hinc clangor auditur tubarum, resonantia fistularum, sonus tympanorum, clamor populorum in mortem se præparantium. Heu, heu! cuiuslibet partis acies eius diuiditur in turmas. Primo Colonienses cum Archiepiscopo prœlium inchoantes, partem deteriorem habere. Secundo *Henricus* Comes cum Duce prœlium commiscens, Duce ad iactum lapidis retropresso, Comes visus fuit præualere. Tertio Comes de Monte inermibus suis cum rusticis in vulgo *Kempen* appellatis, in Coloniensium & Ducis adiutorium prœlium aggressus, Archiepiscopi & *Henrici* Comitis partes infirmauit, separauit, dissipauit totaliter, & prostrauit. Heu miserabile spectaculum! Hic captiuatur, ille trucidatur, hic morti addictus spoliatur, ille in Rhenum fugiens suffocatur, in nemore vero paludinoso submerguntur plures, substantiæ capiuntur, fugæ a multis rapiuntur, Archiepiscopus vero a Comite de Monte capitur, & custodiæ in *Bensbure* mancipatur. Proh dolor! Vbi Comes *Henricus*, miles impertер-

* desunt hic nonnulla.

* thelonicis

*102

*103

imperterritus, fugere nescius, cum *Walramo* germano proprio, duobus aliisque prædictis fratribus miserabiliter fuerat interemptus anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo octauo, sabbato, die beati *Bonifacii* martyris, hic ploratus & vlulatus de tam paruulis pupillis, *Henrico, Walramo, & Baldewino*: *Baldewino* vero nondum trimatus anno completo, patre orbatis. Quid essent acturi, quoue diuersuri, a nonnullis querulose in altum eleuatur. Sed illud diffortunium eis in fortunam numen mutauit diuinum. Nam *Henricus* in Imperialis dignitatis apicem, vt infra patebit, fuit eleuatus; *Baldewinus* vero in Treuirorum Archiepiscopalem dignitatem exstitit sublimatus.

CAPVT VII

De eius physionomia.

*114 EST etiam eius physionomia ad posterorum * vtilitatem memoriæ commendanda, ad vtilitatem, inquam, quia animæ sequuntur complexiones corporum, vt posteri eius complexionem cognoscentes, probabiliter credant morum * vt virtutum eius insignia, quæ ponuntur postea in eo omnimode exstitisse. Fuit enim staturæ mediocris, caput sicut sphæram parumper impressam formosum habuit & rotundum, capillos capitis & barbæ subtiles, in colore citrinos, medios simplices, medios crispos, quæ omnia subtilis cerebri substantiæ esse indicia referuntur. Anciput qualibet parte eleuatum, quod est bonæ apprehensiuæ signum. Occiput eleuatione amplatum, quod bonæ memoriæ signum esse determinatur. Nasum pulchrum, grossitudine mediocrem, auditum acutum, vocem dulcem habuit & acutam, oculos limpidissimos, appropе aliqualiter sursum videndo acutissimos, sed a remotis videndo Limburgentium more obtusos, aures rotundas. Hæc bona organorum dispositio sensuum perfectionem noscitur denotare. Collum vero eius in longitudine & breuitate mediocriter dispositum, forte tamen & neruosum, scapulas largas, brachia & crura fortiora & neruosa cum musculis non multum carnosis, pectus amplum & eleuatum, dorsum rectum & bene dispositum, cutem albam rubore aspersam, carnes molles ingenium bonum repræsentantes, corpus vero totum mediocre, agile & subtile noscitur habuisse: quæ omnia prudentiæ & fortitudinis esse signa a naturalibus allegantur. Vnde si eius virtutum insignia postea recitantur, nemo miretur, cum per subtiliora aurifabri instrumenta opus subtile fabricetur.

*f. &

CAPVT VIII

De eius pueritia & adolescentia.

LVx irradiationis intellectualis morum & virtutum limpidissimum acquiritur per studium. Baldevvinus igitur annis infantiæ suæ lapsis, scholasticæ *115 * disciplinæ magistris, moribus, virtutibus, atque artium litteris imbuendus, tradebatur: a quibus ipse vsque ad annum natiuitatis suæ decimum tertium in Hannonia cum sua matre in Comitatu Luczelinburgensi existens suis in puerilibus informabatur, & suos coætaneos in litteratura excellens, quia limpidiori pollebat ingenio, promptior habebatur. Fuit Parisius circa quinquennium, logicam & philosophiam audiendo. Deinde scholas per biennium dimisit propter guerras inter Francigenas & Flandrenses existentes, quando in Curtray flos Francigenarum occubuit per Flandrenses. Duobus solemnibus cum Magistris, magnæ litteraturæ viris, Camerariis, Domicellis, Nobilibus, eius statum condecentibus, Parisiensi studio fuerat destinatus; vbi omnium artium principia terminosque substantiales, studio inhærendo frequentissimo, memorialiter retinebat, Arabicis arithmeticisque figuris scribebat, & astronomiæ insudando sphæram addiscebat. Specialiter tamen iuris Canonici studiis frequenter insistebat, & in iis vsque adeptionem * artus noscitur perdurasse, qui fuerat annus dominicæ incarnationis millesimus tricentesimus septimus, quo etiam anno in Archiepiscopum Treuerensem fuerat postulatus, vt superius sufficienter est expressum. Nemo ergo existimet, me hic aliqua superflua tumescentis animi ambitione posuisse, cum sine eis meram historiæ veritatem nequaquam potuissem expressisse. Nunc igitur reuertar ad propositum, Deo trino & vno gratiarum referendo actiones.

*f. baccalaureatus

CAPVT IX

De pacis & iustitiæ obseruatione.

LVcet ceteris clarius, qui est virtutum floribus, moribusque adornatus. Sicut ergo lux solaris tenebrosis interpositis nubibus, quin diescat, nequit occultari, sic morum eius vita virtuosa * vt laticescat, a nullis poterit offuscari. Generali enim fama volutante reformator & conseruator pacis & iustitiæ fuisse perhibetur. Nam pacis terræ amicissimus conseruator, raptorumque fuerat horribilissimus exstirpator, quos sua magna cum prudentia subiugauit. Nam plurima castra & fortia iuxta prædonum fortalitia, per quæ ipsi iugiter tamquam obsessi habebantur, malis eorum gratibus funditus ædificauit, & sic eos ad pacis obseruantiam, quantumcunque magnos, violenter coartauit. Et rem memoriæ dignam hic duxi interserendam, vt hic enarratis testimonium adhibeam veritatis. *Frederico* de *Numagen* Domicello, qui a mercatoribus Mosellæ alueum descendentibus non rapinam sed cautionem, vt ipse asserit, receperat pigneralem sui castri, sub obtentu districtissime demandauit, ne Treuerensem exiret ciuitatem, in qua tunc erat, nisi conquerentibus cuncta ablata prius restituisset. Quod præceptum celeberrimum productum fuerat ad effectum. Et sic defensor mercatorum, amator bonorum, exterminator iniquorum rigidissimus, in iudicio iustissimus habebatur. Nam proprium occultæ nationis fratrem, qui propriam vxorem occulte interfecerat, spe solemnioris, optimo licet ab Archiepiscopo pro fratre esset reputatus, supplicio rotali interimere permisit. Et sic nemini parcendo, cunctos maleficos timore perterritos suis procul a finibus fugere compellebat; vt, sicut Salomon, sapiens & pacificus digne potuerit appellari.

*106

v. Spondan. ad an. 1354 § 12.

CAPVT X

De eius vita & conuersatione.

IVstitiæ pacisque iste conseruator, vitæ venerandæ conuersationisque fuerat gloriosæ. Nam in cibo potuque capiendo moderatissimus habebatur, omnia statuta ieiunia & quamplurima alia sæpissime obseruando, horas canonicas, multasque priuatas * orationes deuote orando, castissime viuendo, omni vero die Missam celebrando, aliamque audiendo, solitarius otiositatis tempore existendo, studio frequentissime insistendo, suæ ecclesiæ priuilegia sæpius perlegendo, fugiendo vitia, nunquam otio vacauit alieno. Cum magnatis magnifice, cum mediocribus mediocriter, nulli subditorum nimis familiaris existendo, honorifice incessit, sciens nimiam familiaritatem contemptum generare, pauperum causas defendendo, vanis & mulierum spectaculis, ludisque illicitis se rarissime immiscendo, causas subditorum & discordias sedando & prudenter terminando promptissimus est inuentus. Nunquam etiam aliquod negotium dimisit indiscussum. In incessu, dictis, & factis veridicus, stabilis fuerat, & semper seriosus. Tempore vero iocunditati opportuno suæ iuuentutis occultis cum suis Militibus, Capellanis, & Camerariis, Domicellis, velut eorum minimus, dicens: Episcopalem dignitatem suspendimus ad parietem; nunc superior, nunc inferior, socius iocundissimus currendo, saltando leuissimus, lapidem ceteris præiactando, eos viribus fortissimus præcellere cernebatur. Nam tanta fortitudine pollebat, quod domo Abbacensium in Piguia famulum cursitanti equo insedentem cum equo ad terram velociter deiecit. Aliquem quoque nimium laudari aut vllo modo vitiari noluit aliqualiter tolerare. Nam carminum recitatorem de inebriationis verbositate in Dominum *Henricum* tunc Coloniensem Archiepiscopum turpia proferentem, licet dictus Henricus tunc sibi capitalis esset inimicus, viriliter reprehendit, dicens: *Vade tu miserrime, non licet te Dominis turpia recitare.* Etiam rancoris materia inter eum & ciues Treuerenses fuerat exorta. Nam ciues tempore *Dyetheri* sibi aliqua ecclesiæ iura illicite vsurparunt. Pro quo Dominus * *Baldewinus* nimium offensus, guerram cum eis habiturus, primo anno creationis suæ Treuerim exiuit. Sed Dominus *Walramus* hoc intercipiens, concordiam ordinauit, iura Archiepiscopi & ecclesiarum valide conseruando, vt in litteris hinc inde datis continetur. Suis etiam hostibus guerrarum tempore tyrannicus fuerat inimicus, quos tamen nunquam aliquo aggrediebatur odio: pace reformata cunctis dimittens veniam postulantibus, vt ei Omnipotens dimittere dignaretur.

*107

*108

CAPVT

CAPVT XI
De eius prouisione.

NObis eius facta insignia prouisionis lucidissima dant exemplaria prouide viuendi. Nam nunquam aliquid ad sua vtensilia vel victualia comparauit tempore cariori. Omnia enim sua castra & domicilia vino, blado, pabulo in annum de anno, velut Ioseph in Ægypto, congregatis & vere vltra numerum multiplicatis, redundabat; quæ tamen tempore caristiæ suos per Officiatos suis subditis indigentibus, & cautionem præstantibus, vt tantum in nouis futuris persoluerent fructibus, quantum de antiquis reciperent, nihil vltra requirendo, misericorditer dispersit; & sic suos subditos in suis possessionibus iugiter conseruauit. Discreta etiam prouisione omnia ecclesiæ suæ priuilegia, primo Papalia, secundo Imperialia, tertio homagialia, & alia perpetua, timens amissione distractionem, antiquorum cereorum fragilium sigillorum propter diuturnalem reuolutionem, priuilegiorum fracturam dispendiosam multumque damnosam posse posteris imminere, in vnum volumen congregando, & transcribi mandando, vtiliter ordinauit, & illud triplicauit, vnum suæ ecclesiæ Capitulo & Capitulari loco, aliud suæ & successorum suorum cameræ Treuerico in palatio, tertium vero * suorum & successorum suorum Camerario ad * omnia & singula, quo diuerteret, loca deuehendum prouide deputauit, vt in omni loco Archiepiscopus posset sua homagia, litteras, & priuilegia, saltem sub copia, prouidere, nec non vnicuique, dum opus esset, recitare; Hoc & hoc a nobis in feodum dinosceris habere. Et omnium ecclesiarum suarum Collegia ad sua priuilegia ostendenda, vt in ista scriberentur volumina, districtissime coartauit; & quotquot erant sibi ostensa, quæ tamen sub bullis apparuere veris, inscribi verbo tenus procurauit; vt si in posterum aliqua priuilegia rapinis, incendiis, antiquitate consumpta, seu malæ custodiæ deputata, vel quocunque modo perderentur, in prædictis voluminibus perpetua memoria perdurarent. Sic ergo, velut Ioseph, prouidissimus habebatur. Viuant igitur eius prouisionis insignia in sæcula sæculorum.

* f. suo

* 109

CAPVT XII
De eius familiæ promotione.

B*Aldewinus* iste tanto vixit tempore, quod omnes ecclesiæ suæ diocesis, Prælaturæ, nec non beneficia ad eius collationem spectantia sibi vacauere. Quibus in personis idoneis, vt peruigil pastor, noscitur prouidisse. Legistas enim, Canonistas, Artistas, Philosophos, Capellanos, Clericos, Laicos etiam multos, Milites, Nobiles, Domicellos, aliosque Ministeriales, numero multum valde multiplicatos, suo ministerio deputatos, decenter sustentauit: quos omnes & singulos, alios Archidiaconos, quosdam Præpositos, nonnullos Decanos, Scholasticosque præbendatos, Canonicos, & Pastores fieri procurauit. Nam de tam excellente Magnatorum progenie exstitit oriundus, quod nullum habuit affinem seu cognatum, quem ad Præposituram maiorem, vel aliquem Archidiaconum vellet promoueri. Vnde *Iofridum* in maiorem Præpositum, alterum verò suorum Pædagogorum in * maiorem Decanum sublimauit. Clericos suos variis beneficiis prouidendo, laicos vero solemnissime vxorando, possessionibus, domibus, agris, vineis in perpetuum allodium eis distributis, ditissimos faciebat. Quid plura? Nunquam aliquis eius, licet in paruulo, diu morabatur seruitio, quin rebus & honoribus fuisset multipliciter honoratus. Vnde digne possum dicere; *Gloria & diuitiæ in domo eius.* Viuat igitur memoria perenniter merito recolenda nunc & semper per infinita sæcula sæculorum. Amen.

* 110

Explicit liber primus gestorum Domini Baldevvini *de* Luczenburch, *Archiepiscopi Treuirorum, tractans de eius vita generalitate.*

LIBER II
Incipit prologus libri secundi.

VOx sapientiæ meis intonet auribus, vt mel intelligentiæ de durissima & vera petra, id est, Christo, valeam sugere, quo laborem inchoatum, mihi

vtique permaximum, possim adimplere. Cum igitur hanc famosam historiam dicti Domini *Baldewini*, quam de gestis fratris eius, Serenissimi Principis Domini HENRICI septimi Imperatoris Romanorum sic huc vsque vlterius non possum separare, quia ipse Dominus *Baldewinus* dicti Imperatoris ad Imperialis apicis dignitatem acquirendam collateralis noscitur extitisse, & gloriosi Historiographi, magnæ litteraturæ viri, quoniam non esset dignus pedissequus appellari, eam historiam amborum gestis indissolubiliter conglomeratam cernuntur minime scriptitando, proh dolor, præterire, ego tamen, cum sim scriptorum minimus, hanc historiam perpulchram tam turpiter euanescere nebulosis ignorantiæ tenebris inuolutam* non possum aliqualiter tolerare, iuxta illud, * 111

Scribimus indocti, doctique poemata passim;

licet plures æmuli liuore nimio conglobati grandia verba trutinantes, tumidis suis latratibus, dentibusque detractoriis me studeant dilaniare. Quod tamen duxi patienter sufferendum. Nam patientia malitiam legitur sæpissime superare. Propono ergo pro meis viribus, quantulumcunque paruulis, istam perscribendo historiam perseuerare: quia secundum *Gregorium*, si non possum garbam integram ad horreum importare, non debeo tamen vacuus remeare. Vnde quod potero faciam, scriptorum vernula fiam. Quomodo ergo scribendo incipiam? Materia enim signata est & clausa, & quis aperiet mihi? Recordor vocis illius, qui dicit: Petite, & accipietis; pulsate, & aperietur vobis. Habentem ergo clauem Dauid rogitabo, vt me in cellam ducat vinariam, vbi flabit eius Spiritus sapientiæ & intellectus, & fluent aquæ dulcedinis. Ibi de fontibus Saluatoris limpidissimum intellectum hauriam, quo hanc historiam ei ad laudem, Treuerensi vero ecclesiæ ad honorem, Domino *Baldewino* ad fauorem, valeam recto tramite pertractare, qui est æternus, trinus & vnus Deus.

Explicit prologus secundi libri.

CAPVT I

De Henrici VII *Romanorum Regis electione, per Dominum* Baldevvinum *procurata.*

Regalis dignitatis celsitudine regni Romanorum per lamentabilem mortem quondam *Alberti* Regis non modicum disturbata, Dominus *Baldewinus* aliique sex Coelectores villam *Rense*, inter Confluentiam & Boperdiam sitam, vbi ex antiqua consuetudine ad tractatum de electione habendum* consueuerunt conuenire, concorditer diuerterunt; vbi anno Domini millesimo tricentesimo octauo, gratia summi Spiraminis cooperante, & Domino *Baldewino* id procurante, in ipsius fratrem Dominum *Henricum* Comitem Luczelinburgensem in futurum Romanorum Regem eligendum suis exigentibus meritis communiter concordarunt. Exigentibus, dico, suis meritis. Fuit Miles imperterritus, in armis strenuus, hastiludiorum & tormentorum a mari usque ad mare in iuuentute semper quæsitiuus, in quibus inter ceteros, quorum tamen virtutibus non est detrahendum, gloriosior habebatur; iudex iustissimus pauperum, pupillorum, mercatorum, peregrinorum promptissimus defensator, raptorum, malefactorum, tyrannorum rigidissimus exterminator, semper illum gerens animum; Iuste iudicate, filii hominum. Omnibus enim fuit amabilis & benignus; in quibus tamen permixtim seriositatem iudicialem, honorem & dignitatem, serenitatem, prudentiæ quoque & discretionis amœnitatem nullo vnquam tempore deserebat. Virtutum & bonorum morum concatenationem optima cum temperantia iugiter retinebat, & se semper bonis moribus omnium in omni tempore insignissime conformabat, omnibusque se ita socialem & tractabilem præbebat, cum intermixtione, vt dixi, officii & dignitatis, ita quod ab omnibus hominibus amore constrictus nimio habebatur, & tamen iis, quæ sunt mundi, mundo non segniter reddendo, non minus quæ sunt Dei Deo noscitur reddidisse. Nam cum Domina *Margareta*, sorore *Iohannis*, Ducis Brabantiæ, sua collaterali prædilecta, ita continenter a tempore contracti matrimonii creditur vixisse, quod nunquam ad aliquam aliam adhuc post eius obitum dicitur accessisse. Capellæ vero suæ ornamenta, Missalia magni ornatus* ac pretiosa, ad quæcunque loca perrexerat, adhuc comes existens, suis cum somariis secum vehere faciebat

* 112

* 113

bat, & omni die coram se & collaterali sua, quando aderat, suos* electos per cantores canticis cum musicalibus Missas & horas canonicas, impedimento non interveniente, sed prætermittendo, celebrare solemniter faciebat. In Missis vero audiendis, horisque canonicis cum die dicendis maxima deuotione pollebat, ita quod suis Sacerdotibus Capellanis maximam deuotionem dicitur præstitisse. His igitur virtutibus quia fuerat adornatus, merito illud propheticum eius debuit auribus insonare: *Specie tua*, quoad iustitiam humanitatis & ad vitam actiuam, *& pulchritudine tua*, scilicet bonorum operum diuinitatis, & ad vitam speculatiuam, *intende prospere, procede, & regna*. Vnde Dominus *Baldewinus* aliique sui Coelectores cum totius Almaniæ Principibus, Nobilibusque, ipsum Franckenfort ad locum electioni deputatum duxerunt, & ibidem in Christi fidelium solatium cunctorum dominicæ incarnationis anno millesimo tricentesimo octauo, XXVII die mensis Nouembris, in Regem Romanorum viuis vocibus concorditer elegerunt, & toti mundo ad monarchiam obtinendam in futurum Imperatorem promouendum vnanimiter præsentarunt.

* f. Clericos.

CAPVT II

De eius coronatione Aquisgrani, & consecratione.

CONstantiæ maximæ, probitatisque eximiæ Dominus *Baldewinus* & alii sex Principes Coelectores anno Domini millesimo trecentesimo octauo Dominum HENRICVM VII Romanorum Regem ad auream regni sedem Aquisgrani per Karolum Imperatorem situatam, adduxerunt. Ibi eum ciues Aquenses, clauibus ciuitatis plus quam per leucam obviam portatis & traditis, in Romanorum* Regem lætabundis vocibus receperunt, & ibi per Dominum *Henricum* Coloniensem Archiepiscopum, quia in eius conprouincia fuerat, installatus, & ipso die Epiphaniæ Domini eodem anno ibidem in Romanorum Regem honorifice diuinitus consecratus, & vna cum sua collaterali prædicta sibi assistente in vestitu deaurato varietate circundata, cum corona regni fuerat solemniter coronatus, & abinde solemniis curiis habitis Coloniensem ciuitatem regiam Rex ipse fuerat ingressus, & tres Reges beatos, Regis infantis Christi primos adoratores tribus pretiosissimis baldekinis a* regiacius etiam totidem oblatis auro gemmisque pretiosis suppliciter adorauit, & ad Imperialem ibi aulam diuertit, de qua Coloniensis Archiepiscopus ipsi Regi, vt tenebatur, cedebat. Tres vero Præpositi Colonienses, videlicet maior Præpositus Archiepiscopo Coloniensi, *S. Cuniberti* Præpositus Archiepiscopo Treuirensi, gradum *S. Mariæ* Præpositus Archiepiscopo Moguntinensi, de suis curiis præpositurís antedictis Deputatis cedebant, vt antiquo iure tenentur. In qua præpositura *S. Cuniberti* Dominus *Baldewinus* pro ecclesiæ suæ iure conseruando aliquandiu morabatur; sed propter nimiam distantiam ab aula non diu multum perseuerauit, sed ex opposito aulæ iuxta ecclesiam *S. Iohannis* Euangelistæ se securius collocauit. Henricus vero Rex ista vice non diu Coloniæ moram protraxit, sed in suum Comitatum remeauit, & ibidem illo anno cum Domini *Baldewini* consilio in regni gubernacula recipienda se prudentissime præparauit. Isto anno Dominus *Baldewinus* iuit in Hannoniam, & *Tüyn* reformauit.

* 114

* vox corrupta

CAPVT III

De secunda Coloniæ visitatione.

HOnorandæ dispositionis prouisione facta, ad regni* loca perlustranda ipse *Henricus* Rex vna cum Domino *Baldewino*, aliisque quampluribus anno millesimo tricentesimo nono ante festum natalis Christi Coloniam secunda vice remeauit, & ibidem omnia sua feoda requirere volentes spectauit, præsidens iudicio sententias contra rebelles sua feoda non requirentes seruato iuris ordine promulgauit. De antiqua enim consuetudine in Regem Romanorum electus sine omni confirmatione habet & potest regalia ministrare, vt habetur XCVI di. *Cum ad verum*, & cap. *Duo sunt*, & cap. *Si Imperator*. XCIII di. cap. *Legimus*. Super hoc verbo *Imperator* in glosa. Hic gaudia gaudiis cumulantur, hastiludia continua, choreæque solemnes celebrantur. Ibidem continue ipse

* 115

 Rex

Rex cum Principibus & Nobilibus, totoque vulgo specialiter in die natalis Domini solemnissimam habens curiam conuiuando festinauit. Isto tempore fuit frigus permaximum, cuius æquiparantia a nullo tunc viuente potuit recordari. Ibi etiam Rex a Coloniensibus huldas acceptauit, eorumque priuilegia renouauit & confirmauit. Regem vero Colonienses multis muneribus honorarunt. Et deinde Confluentiam diuertens, ibi Treuerensis ecclesiæ theolonii priuilegium perpetuo duraturum, precibus Domini *Baldewini* inclinatus, fauorabiliter indulsit anno Domini millesimo tricentesimo nono *, die mensis Februarii, regni vero eius primo. Sed hic a Domino *Baldewino* rogatus, ciuitatem Treuerensem, quam prius ob iniuriam & offensam condignam ab ea sibi iniuriose sæpius illatam, ante regni adeptionem hostiliter obsedit, nunc amicabiliter uisitauit.

CAPVT IV

De nundinis per Baldevvinum * *Treuerensem impetratis, & Regis recessu.*

* l. Treuerensibus

AVctor ab augendo tam suæ ecclesiæ redditus *, quam ciuitatis honorem, patriæque meliorationem iste *Baldewinus* merito appellatur. Nam ecclesiæ suæ redditus, vltra quod inuenit, vere duplicauit, territoria & homagia, vt postea tractabitur, multipliciter ampliauit, ciuitatis & terræ augmentationem, si ciues gratanter acceptassent, quamplurimum procurauit. Nam etiam a fratre *Henrico* Rege nundinas, nundinarumque libertates, vt Frankenfordienses habent, quando eis exspirant, videlicet a natiuitate beate *Marie* virginis usque in diem beati *Remigii* in capite Octobris duraturas, ciuitati Treuericæ ob eius & circumiacentis terræ meliorationem donari & indulgeri sub sigillo regio impetrauit. Quam nundinarum libertatem Treuerenses saltem circumquaque proximam per leucam, vt dicitur, eis bannitam obseruare & defendere recusarunt. Vnde talis beniuola impetratio & vtilissima esse noscitur frustrata. Inde Rex cum Domino *Baldewino* Comitatum Luczenburgensem ingressus, solatiis plurimis insistendo, ad ciuitates regias visitandas, easque regno coadunandas se quamplurimum disponebat.

* 116

CAPVT V

De Iohanne *eius nato in Regem Bohemiæ creato.*

REgum Almaniæ sepulturæ ciuitatem deputatam, id est, Spiram, deinde ipse Rex cum Domino *Baldewino*, aliisque multis Principibus & Nobilibus diuertebat, vbi feodalia feodalibus in feodum condonauit. Et etiam ibidem iis diebus Rex Bohemiæ *Wenczelaus*, relicta tantundem filia, sine masculino successore hereditario, exstitit sublatus. Per cuius decessum Bohemiæ regnum Regi Romanorum noscitur vacauisse: cuius filia, *Elizabeth* appellata, propria in persona Spiram veniens aures *Henrici* Regis cœpit interpellare, vt de ipso paterno Bohemiæ regno in feodum donando sibi * dignaretur prouidere. Rex vero, cum Domino *Petro* Moguntino Archiepiscopo & cum Domino *Baldewino* consilio inito, *Iohannem* filium eidem *Elizabeth* matrimonialiter copulauit, & eundem in Bohemiæ Regem gloriosius sublimauit; & ibidem sollemnibus nuptiis celebratis, eos ambos Domino *Petro* Moguntino & Domino *B.* de *Hennenberch* multa potentia eis ambobus Bohemiam destinauit. Et sic ipsum regnum *Iohannes* Rex pacifice est adeptus, & ibi gloriosissime regnum regnauit, & sibi resistentes prosternendo, vt postea habetur, Domini *Baldewini* adiutorio inuictissime triumphauit.

* 117

CAPVT VI

De Adolphi *&* Alberti *Regum per* Henricum *facta translatione.*

CVstodia tota adimpleuit legis mandata, operaque caritatis. Nam duos suos antecessores Reges *Adolphum* & *Albertum* de loco sepulturæ Regum Almaniæ deputato multum remotæ terræ commendatos exinerauit & releuauit, & per

& per plures Episcopos & Abbates, multosque Clericos tam sæculares quam religiosos, cum cereis infinitis cultibusque sumptuosis, Regum funeribus digne deputatis & deputandis, Spiram adduci & transferri cultu regio procurauit; & ipse *Henricus* Rex funeris *Adolphi*, eo quod essent de eadem linea consanguinitatis, cum multis Ducibus, Baronibus, Militibus, aliisque nobilibus & ignobilibus caterua non modica ad quamplurimam distantiam incessu pedum gradiendo obuiauit, & lamentando, *Quomodo ceciderunt incliti*, Christum Domini acceptauit; & eodem die anno Domini millesimo tricentesimo nono, regni vero eius primo, amborum exsequias in Spirensi ecclesia deuote celebrare per Episcopum Spirensem procurauit, & vt olim Tobias, eos iuxta alios antecessores Reges solemniter collocauit.

* 118

*CAPVT VII

De Domini *de* Wirtenberch *expugnatione.*

HVmilium sicut *Henricus* fuerat exaltator, sic superborum rebellantium exstitit rigidissimus exstirpator. Nam cum ipse *Henricus* se ad alpium montana transcendenda præpararet, *Dominus* de *Wirtenburch* se ipsi Regi tyrannice opposuit. Propter quod ipse Rex *Dominum* de *Winsberch* prouincialem Advocatum præfecit, & omnibus illarum partium regni fidelibus, Castellanis & Ciuitatibus districtissime præcepit, vt sibi tanquam suo vicario in omnibus intenderent & obedirent, & eius iussionibus per omnia parerent. Qui Regis ad præceptum cum fidelibus regni & ciuitatibus dictum *Dominum* de *Wirtenberch* armis bellicis sæuiter persequendo suo in territorio, in locum de loco fugere coartauit, & eius quadraginta tam oppida quam castra viriliter expugnauit, & ad talem internecionem deduxit, quod tantum terrunculæ vix poterat obtinere, quod vitæ necessaria valeret, pauperiem viuendo aliqualiter habere. Eodem anno Domini millesimo tricentesimo decimo *Baldewinus* in Treuerim existens, se ad alpium montana transcendenda quamplurimum præparauit.

CAPVT VIII

De via Lumbardiæ arreptione

IVstitia & iudicium correctio sedis eius, Henrici Regis. Nam ipse in Spira præsidens iudicio contra *Iohannem* de *Austria*, dictum *Sunderlant*, iudicialiter vocatum & iuris ordine damnatum, quia suum antecessorem, *Albertum* Regem Romanorum, callide interfecerat, sententiam sanguinis districtissime promulgauit, & deinde ad alpium montana transcendenda iter arripiebat. Eodem tempore Dominus *Baldewinus* de Treuerim per *Erunbergh*, anno videlicet millesimo tricentesimo decimo, feria *post exaltationem sanctæ crucis, & per a) *Zauren* in b) *Hanheyn* diuertit, vbi sibi *Iohannes* Rex Bohemiæ & Regina obuiauerunt: quos amicissime salutando & sumptuose conuiuando, eos & Dominum *Petrum* Moguntinensem Archiepiscopum & *Dominum* de c) *Hermenbergh* Bohemiam euntes, in die beati d) *Matthiæ* valefaciendo, currum cum auro & argento maxime onustum secum ducendo, Columbariam deuenit, vbi *Henricum* Romanorum Regem fratrem maximo cum exercitu inuenit, & ibi ipsi Regi permaximæ pecuniæ summam fauorabiliter mutuauit. Deinde per e) Molenhusen, f) Slecstat, Falkensteyn, g) Solecter, vbi Comes de Sabaudia obuiam venit, Bernam cum gaudio intrauerunt. Ibi in die sancti Michaelis sunt recepti, vbi & se requiei securissimæ subdiderunt.

* 119

a) l. Zabern. b) l. Hagenau. c) l. Hennenberg. d) l. Matthæi. e) l. Moltzheim. f) l. Sletstadt. g) l. Solothurn.

CAPVT IX

De obitu Comitis *de* Sarvverden, *& alpium transscensione.*

EPiscoporum, Clericorum tam sæcularium quam religiosorum non modica caterua congregata, Dominum *Iohannem* de *Saruuerden* Comitem ibidem anno

anno Domini millesimo tricentesimo decimo, feria secunda post *Remigii* obdormientem, eius celebrando 1) obsequias, lamentabiliter tumularunt. Deinde per 2) mortem *Losanniam*, *Leori*, *Geneuæ*, *Hactevillæ* 3) *Schameleri*, & per *S. Michaelem*, *Modanam*, 4) *Lengenburch*, & 5) *Transmorthenis* monte, tamen maximo cum labore & periculo, aliquo tamen sine damno, transscendendo, ipse Dominus *Henricus* & *Baldewinus* exercitu cum maximo XXIV die Octobris *Susam* Italiæ ciuitatem primam honorifice intrauerunt, & per sex dies ibi quiescentes moram pertraxerunt. Abhinc per 6) *Fiuilianam* in feria sexta ante omnium Sanctorum *Turin* deuenerunt, & ipsum festum & memoriam omnium animarum ibidem peragenda per octo dies * continuos permanserunt. Hinc per 7) *Kir* euntes, in crastino beati Martini *Ast* appropinquauerunt, vbi ciues multum ornati exeuntes, claues ciuitatis Regi obuiam portauerunt, ipsum cum Domino *Baldewino* Archiepiscopo & *Walramo* fratribus, Ducibus Sabaudis, Comitibus, Nobilibus, Militibus, Regina cum Dominabus sollemnissimam & sumptuosissimam habendo curiam iucundissime festinarunt, & ibidem triginta diebus continuatis, multis insistendo solatiis, conuiuiis, hastiludiis, vnanimiter perdurarunt.

* 120

1) f. exsequias 2) f. *montem* Bal. Mortenum *Br.* 3) Chamberi 4) Lunæburgum *Br.* 5) Moriennæ *Br.* 6) Viglianam *Br.* 7) Circeium *Br.*

CAPUT X

De triumpho in Mediolano obtento, & eius coronatione.

PErsecutor omnium iniquorum iste *Baldewinus* vna cum Domino *Henrico* Rege & aliis numero infinitis institit per *Casile*, *Vercel*, *Nouarre*, & per *Gargente*, ciuitati Ambrosianæ appropinquabat; de qua ciues ipsi Domino *Henrico* Regi obuiam erumpentes, ipsius Mediolanensis ciuitatis claues plus quam per leucam offerentes, ipsum in Regem Romanorum & Dominum suum humiliter receperunt. Et sic *Mediolanum* anno Domini millesimo tricentesimo decimo, feria quarta ante natale Domini, strenuissime intrauit: vbi *Guido* de *Turri*, sicut sibi Vicecomitatum ibidem, *Mapheo* Vicecomite de eo potentialiter eiecto, nequiter vsurpauit, ita etiam Domino *Henrico* ingressum suum ibidem in palatium fatuissime denegauit. Dominus vero *Baldewinus* ipsius ciuitatis portam Romanam vel Ambrosianam appellatam intrans, sua sub clausura conseruauit, claustrum *S. Ambrosii* inhabitauit, & dominica sequente cum Leodiensi Episcopo, *Lupoldo* Duce Austriæ, *Walramo* fratre, *Dyetardo* de *Catzzenelenboge* Comite, *Henrico* de *Spaynheim*, *Domino* de *Husfelis*, & aliis multis lætantissime conuiuauit.

Vide *Albert. Mussatum* lib. 1 *de vita Henrici VII* cap. 10, & *Villanium* lib. 9. cap. 9.

Et ibidem dictus * Dominus *Henricus* Rex sequenti die Epiphaniæ Domini in *S. Ambrosio* a Mediolanensi Archiepiscopo vna cum sua Regina corona ferrea ad instar lauri margaritis pretiosis perornata, de calybe tamen per ipsum *Henricum* Regem cunctis successoribus facta, eo quod corona Regum antiqua ex negligentia esset amissa (nam a nullo Regum de tempore *Frederici* Imperatoris fuerat requisita) gloriosissime exstitit coronatus, permaximo insidens palefrido, famulis præcedentibus & sequentibus, & in lateribus, tamen a remotis, equitantibus, sub teleo pretiosissimis sametis purpureis & baldekinis facto, aliisque famulis, saccis apertis, pecuniam non modicam, videlicet Venetianos imperialibus admixtos, extra viam proiicientibus, quam totus colligens populus, viam patefaciendo, suum ibidem in palatium pacifice & gloriosissime est ingressus.

* 121

Vid. *Mussatum* ibid. cap. 11.

Et amici *Guidonis* de *Turri* multis vicibus armauerunt se, & Imperiales similiter. Posthæc meridiano tempore, regnante solis ardore, quo homines solent feruorem declinare & dormitando membris quietem ministrare, filii *Guidonis* de *Turri* aliis cum infinitis proditorie Regem occidere toto conamine laborarunt. Sed hoc auertebat numen diuinæ bonitatis. Nam *Lupoldus* Dux

Dux Austriæ de campo, quo equitauerat causa spatiandi, per vicum illorum de *Turri* fuerat reuersus: in quo maximos strepitus rixosos equorum frequenter audiebat, cum hinnitibus eorum, per vnam portam casualiter apertam armatorum multitudinem respiciebat. Qui statim suos suo remisit hospitio, vt omnes Theutonicos excitarent, congregarent, & se occulte ad prœlium cum eis commiscendum festinantissime præpararent. Ipse vero versus palatium equitauit, Regem excitauit, & causam sui aduentus indicauit. Qui statim Domino *Baldewino* * mandauit, quod suos coadunaret, & se armarent, & portam ciuitatis, quam inhabitauit, non exiret, sed eam non segniter obseruarent. Ipse vero Rex sua speciali cum familia suum palatium firmiter custodiuit. Hinc ille probissimus de Austria *Lupoldus* se celeriter præparauit, & cum suis & aliis pluribus inimicos acriter inuasit. Hic clamor multorum, sonitus tympanorum, resonantia fistularum ascendit in altum. Ibi proditores prosternuntur, iugulantur, occiduntur. Plurima corpora exanimata in vicum crudeliter iaciuntur. Ibi ab Almanis rigidissime prœliatur & rigidissime triumphatur. Hic proditorum domus publicantur, spoliantur, aurum & argentum, omnisque cultus pretiosus a Bononibus distrahitur. Hic insiliens aurum, ille argentum, hic vestes, illeque vtensilia auidissime rapiebant. Tres vel quatuor vestem vnam vel baldekinum rapientes pretiosum, a laceratione quilibet frustum retinente, sæuiter lacerauerunt. Quid plura? Tot ibi sunt Bonones rapina ditati repatriantes, quod vltra mensem plusquam Bononum duo millia in exercitu deficere videbantur. Ipse Guido hoc factum intelligens, suique filii, in quoddam castrum extra ciuitatem rapiendo fugam turpiter euaserunt, vbi eos Rex obsidere faciebat. Sed ipse *Guido* inde, occulte tamen, recedendo dicitur euasisse. Filii tandem castrum in manus Regis donando, & totam terram periurando noscuntur recessisse. Et ecce laqueum proditorie parauerunt, & eundem miserabiliter inciderunt.

* 122

Vide *Mussatum* lib. 2 cap. 1.

CAPVT XI

De priuilegiis impetratis, & Subcancellarii concrematione.

IMpiorum exstirpatione facta, Dominus *Henricus* Rex Romanorum, vna cum Domino *Baldewino*, in Mediolano præsidens iudicio, mortis sententiam contra *Guidonem* & filios & fautores * horribiliter fulminauit, & inimicorum ædificia, turres, mausolea publicauit, & ad terram deiiciendo funditus exstirpauit. Hic Brixienses per suos legatos se Regi subdiderunt, quibus Rex *Th. Brisach* Capitaneum & Vicedominum, accepto ab eo fidelitatis iuramento, præfecit. Quod tamen postea in suam damnationem, vt patebit, perfidissime violauit. Hic Dominus *Baldewinus* priuilegium perpetue duraturum ab *Henrico* Rege Treuericæ ecclesiæ super theolonio Confluentino anno Domini millesimo tricentesimo vndecimo, regni eius tertio, Nonas Februarii vtilissime obtinuit, quod prudentissime impetrauit. Hinc Rex vna cum Domino *Baldewino* Papiam est ingressus, & huldam recepit, & postea Mediolanum remeauit. Quodam igitur die, cum Rex in secreto suo esset silentio, quidam Miles festinanter in hæc & his similia prorupit verba: *Cur*, Rex, *tua crudelissima in Theutonicos indignatio exarsit furiosa? Cur omnes tam innocentes quam reos tua occultissima & vehementissima damnauit sententia? Obsecro, si non vis reis, vt tamen innoxiis pietate regia miserearis. Recordare, quod propter te exilia patiuntur, & parce his, qui pro tuo amore laboribus & periculis continue subduntur.* Rege vero non modicum perterrito, & quidnam hoc esset, sciscitante, fertur respondisse: *Inferior tuus Cancellarius, quem titulo militari decorasti, quamplurimas scripsit litteras, regio sigillo minori tam sigillatas, quam sigillandas, cunctis Lumbardiæ ciuitatibus destinandas, isto sensu contextas, vt tuo regio ex præcepto vno & eodem die, ipsis litteris intitulato, omnes Theutonici capiantur, & omni mora postposita celerrime interficiantur.* Quæ Rex audiens, nuntios secum misit, qui eum Cancellarium cum litteris ceperunt, & vinculatiuæ custodiæ addixerunt *. Qui captus, statim confitebatur, se hoc in Regis necem fecisse, & propter hoc in eius seruitio perstitisse, & se sæpe Regem tractauisse, & si sibi opportunitas po-

* 123

* 124

 tuisset

tuisset occurrisse, se ipsum Regem interfecisse, eo quod cerneret, omnes Gelfinos omnimode fore destruendos, & eos de *Turri* interficiendos, de quorum linea consanguinitatis esset oriundus, & quod sex caratas albi vini infecisset, & Theutonicis causa intoxicationis potandum dedisset. Tandem cum Rex cremari, & ossa eius in cinerem redigi imperauit. Et sic in cinerem redactus in quadam ciuitatis planitie hanc vitam miserabiliter terminauit. Et hinc per *Laude*, *Creme*, & per *Surisim*, *Poerne* & hostium turres & ædificia totaliter destruendo, *Cremoniam* diuertit; & ibi cum Domino *Baldewino* præsidens iudicio, portas & turres eius ad internecionem deduxit, & leonem deauratum effringendo totaliter destruxit. Et abhinc per *Quintay Pompiam* cum exercitu permaximo *Brixiam* obsidione circumsepsit, & montem, in cuius pede situatur, eius exercitus ex vtraque incendio destruxerunt anno incarnationis dominicæ millesimo tricentesimo vndecimo, in vigilia Ascensionis eiusdem, quæ fuerat XIX die mensis Martii, regni vero eius tertio. Terra enim in conspectu eius noscitur siluisse.

Ioan.Villan. lib. 9 cap. 15, *Mussat.* lib. 3 cap. 4.

CAPUT XII

De Th. Brisach *interempto, &* Brixiæ *expugnatione.*

SOllicitudo cordis *Henrici* Regis fuit, omnia imperialia ad ius & proprietatem Imperii reuocare. Vnde *Brixiam* rebellantem quam hostiliter obsedit, bellis permaximis crudeliter sæpissime inuasit. Nam quodam die Brixienses armati exiuere, cum quibus Regis & *Baldewini* exercitus cœpit bellum commiscere. Hic tubarum clangore, populorumque vociferatione, in aerem pulueris * eleuatione, crudelissimaque interfectione, bellum maxime fuerat aggrauatum. Partes Regis viriliter insistunt, illi acriter resistunt: hostiliter illi impellunt, illi viriliter repellunt: hic trucidatur, ille perforatur. Quid plura possum referre de parte Regis? Optat quisque mori, nisi bellum cedat honori. Ibi multi Brixienses fuerunt interfecti, & ille fæx militiæ, procurator perfidiæ, *Th. Brisach**. aliis pluribus in ciuitatem turpiter fugientibus, exstitit captiuatus. Contra quem Rex mortis sententiam proferebat, & caput sibi amputatum supra miræ altitudinis hastam infigebat, corpus vero in quatuor partes diuisum supra quatuor rotas stipitibus infixas dignissime locabatur. * 125

* Thedaldus Brusciati. *Villanus* lib. 9 cap. 19.

Post hæc, dum Dominus *Vualramus*, frater Regis & Domini *Baldewini* germanus, exercitum circuiret, emissa de muro sagitta, ad colli & humeri coniunctionem, sumptis sacramentis, verus vt Catholicus, viam vniuersæ carnis est ingressus; quem in Verona diuersis cultibus, funus eius condecentibus, lamentabiliter tumularunt. Postea aere ibidem corrupto plures moriebantur. Tandem Brixienses, consilio inito, exercitum Regis inuadere nocturnali tempore callide disponebant, & apertis portis exilientes in monte, balistariorum validis exortis clamoribus, tentoria incenderunt, quos partes Regis imperterrite petierunt congressione prœliali. Hic fortissimum committitur bellum, hic clypei galeæque acriter percussi resonantiæ sonum referunt in cælum, hic illatis ictibus immensis ensem reuerberat ensis, vndique rigidissime bellatur, belli fortuna vagatur, ab vtrisque permaximus auditur tumultus, seu Theutonici fugere nescii tot tot occiderunt, & residui in ciuitatem fugerunt, & paulo post omnes Brixienses se Regis gratiæ capistris propriis collis impositis submiserunt anno Domini millesimo * tricentesimo vndecimo, feria quinta post festum *Matthæi**. Tunc Rex ciuitatem muros & portas funditus destruere, fossata planitiei terræ præcepit adæquare; & sic Brixiam, tanquam villam patentem, per fossata planaria, non per portas, intrauit; & in ea vna cum Domino *Baldewino* iudicio præsidens, omnes eius munitiones radicitus exstirpauit; & deinde per *Soruyn*, *Cremone*, *Playsente*, *Castel S. Iohannis*, *Pamenogie*, *Cortone*, *Saraval*, *Gaio*, *Tridentum*, *Ianuam* diuertit. Ciues Ianuenses claues ciuitatis offerentes obuiantes venerunt, iuramentumque fidelitatis præstiterunt, & ipsum in Regem Romanorum, suumque verum Dominum vnanimiter receperunt.

Villani lib. 9 cap. 19. * 126

CAPUT

CAPVT XIII

De obitu Reginæ, introitu Romæ, & Quatuor Coronatorum inhabitatione.

CAusarum multarum expeditione facta *Ianuæ*, Domina *Margareta* Regina cœpit multum ægrotare, & infirmitatis crescente molestia, ducta fuerat ad extrema, & suo spiritum, qui condidit illum, reddidit creatori. Hic dolor Regis intima cordis læsit vitalia. Nam cum ea, vt turtur castissimus, cunctis vixerat temporibus. O mors truculenta, quid fecisti! Cur lunam de mundo sustulisti? Antea sol & luna lucem dederunt vna. Nunc sol solus sine luna. Hinc eius sollemnissimæ parabantur exequiæ. Luctu maximo & lamentatione corpus eius conditum aromatibus ibidem apud Minores decentius per Episcopum & multos Nobiles terræ fuerat sollemnissime commendatum, multisque miraculis diuinitus ibidem coruscabat, anno Domini millesimo tricentesimo vndecimo (die XIII) mensis Decembris.

Mussatus lib. 5 cap. 4. *Villani* lib. 19 cap. 27.

*127 Abhinc Rex eodem anno XXIV die Februarii per mare nauigio per portum *Veneris* portui *Pisano* applicauit; & in sexta die Martii * *Pisanam* adiens ciuitatem, clauibus ciuitatis sibi obuiam portatis, & iuramento ab eis recepto fidelitatis, ibidem aliquandiu decreuit permanere. Tunc ante *Lucam* plurimos probitatis viros maximo cum exercitu destinauit, qui cum eis multa prœlia durissima strenue commiserunt, & circumquaque plurima castra & fortalitia vi expugnando viriliter ceperunt. Deinde Rex cum Domino *Baldewino* & aliis multis XXIV die Aprilis per *Rausegonem*, *Bibone*, *Campillo*, *Castellion*, transeundo aquam *Grosset*, & per *Admesiam*, *Montabor*, *Vitribeum*, & per campos de *Bakenuelle* transit * *Pontinole* per ante turrim *Tripezon*, de qua plurimi fuerant sagittati, anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo Nonas Maii *Romam* strenuissime fuerat ingressus; vbi *Rudolphum* Ducem Bauariæ cum aliis multis Nobilibus insigniuit titulo militari.

* Ponte Emulo. *Villani* lib. 9 cap. 39. Pontem, qui *Molis* dicitur. *Mussatus* lib. 8 cap. 1.

Et intrans ad *S. Iohannem Lateranis* orationem multum humilem & deuotam suo orauerat creatori. Et dehinc diuertens ad locum * *Militiis* appellatum, & ibidem multo tempore habitauit. Et ipso die Pentecosten cum tribus Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Comitibus, & vniuersis incedens & comedens, coronandus in palatio Neuoriano sollemnissime festinauit. Dominus vero *Baldewinus* cellam *Quatuor Coronatorum*, ad Archiepiscopi Treuerensis habitationem, cum Romam venerit, pertinentem intrauit, & eam ad suæ ecclesiæ Treuerensis proprietatem pertinere, ad memoriam reuocauit vtiliter. Eo ibi existente, omnia beneficia ibidem vacantia habet conferre Præpositus.

* De palatiis Militiarum. *Mussatus* lib. 8 cap. 7. Castrum, quod *Militia* dicitur. *Albert. Argentinens.*

CAPVT XIV

De Capitolii, triginta turrium, & monasterii Minorum expugnatione.

*128 OMnium inimicorum suorum dominabitur. Nam suus & Domini *Baldewini* exercitus Gelfinos * Imperii inimicos se in monasterio *Minorum*, in Capitolio, & diuersis turribus Romanis resistendi causa se obseruantes rigidissime inuaserunt, muros petierunt ictibus, sagittis, eos capere alacriter laborarunt; & illi non segnes tela & lapides de supra pluentes, illos obruentes, istos ferientes se multipliciter defensarunt. Tandem Theutonicorum exarsit animositas furibunda, qui viriliter muros transcendebant. Istos occiderunt, hos præcipitauerunt, & sic hoc monasterium cum violentia ceperunt. Eodem modo Capitolium inuadentes, nec tela nec lapides timentes, plurimos inuenientes audacia cum maxima tyrannide ascendentes, & ipsum violenter obtinuerunt. Nam reperti ibi-

dem inimici en male turbantur, moriuntur, præcipitantur, quia creuit in hoc bello proteruia Theutonicorum, & vlterius procedentes, nec hostes nec arma metuentes, triginta turres violentia expugnarunt & cum gloria triumpharunt. Tandem Rex præsentibus Cardinalibus, Domino *Baldewino*, & pluribus aliis Romæ in Capitolio præsidens iudicio, plurimas proferendo sententias, Dominum *Ludouicum* de *Sabaudia* dignitate senatoria beniuole decorauit.

Post hæc Vrsini & Gelfini conglomerati bellum permaximum genti regiæ intulerunt. Ibi hostis horribiliter irruit in hostem, hic verberando, ille perforando, alter alterum de equo præcipitando. Hi gladiis, alii baculis pugnant. Ibi Dominus *B.* de *Columna* & *Petrus* strenuissime bellauerunt, & multi prostrati permanserunt. Hic clypeum clypeus, ictum reuerberat ictus, & magnus erat tubæ clamor crepitantis in vrbe. Hic viri eximii, magnæque probitatis gloria corusci, videlicet *Theobaldus* Leodiensis Episcopus, Abbas de * *Wyssenburch*, & *Petrus* de *Sabaudia*, inuicti Israhel, bello in hoc gloriosissimo strenuissime pugnando, heu heu * ceciderunt, & morti debitum persoluerunt. Nam hoc bello mota fuerat Romania tota. * 129

* Apud *Mussatum* lib. 5 cap. 5 *Nuncemberc.*

Ibi Regis exercitus Romam citra Tyberim obtinuerunt; & sic obtenta, tribus a Cardinalibus a latere Papæ ad hoc specialiter destinatis in sancto *Iohanne Lateranis* anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, regni vero eius tertio, die passionis *Petri* & *Pauli* consecrato, quæ est * XXIX mensis Iunii, in Imperatorem sollemniter consecratus, & ab ecclesia in Monarcham dignissime approbatus. Et abhinc recedens, legem Mosaycam rotulo inscriptam sibi porrigentibus reddidit Iudæis. Et ad *S.* diuertens *Susannam*, ibidem curiam habendo sumptuosissimam cum Cardinalibus, Domino *Baldewino*, & pluribus infinitis Nobilibus, & cunctis aduenientibus solemnissime festinauit. Ipso tempore, die beatæ *Mariæ Magdalenæ*, fuit hora diei tertia solis eclypsis permaxima in signo virginis causata, cuius, proh dolor, signum anno patebit proximo.

* *Villani* lib. 9 cap. 42, & *Albertus Argentinensis* Imperatoris consecrationem reuocant ad diem primam Augusti.

Deinde Imperator contra Imperii aduersarios acies dirigens, & fortalitium & castrum *Cappe* de *Bont* appellatum bellicose expugnauit, & incendio deuastauit. Eodem anno, XXI die Iulii *, *Tyberburch* declinauit; vbi Dux *Rudolfus* Bauariæ & plures Domini Dominum Imperatorem valefaciendo, maximo cum gaudio successu de tam prospero repatriarunt. * Tibur

* *Mussatus* lib. 8 cap. 8.

CAPUT XV

De multorum castellorum & castrorum expugnatione, & prælio in Lantsisi, *& Florentinorum obsidione.*

PAstor gentis metropolitanæ & vrbis Treuericæ Imperatorem nondum noscitur deseruisse. Nam secum eodem anno, die fuerat XXIV, Viterbium ingressus. Hinc per *Amilione*, *Cortone*, *Tudertum*, *Castellion* violenter expugnabant. Marschalcus vero cum * prelibus sibi confœderatis *Markant* * celeriter inuasit, & cum aliis sex castris, cunctis hostibus refrænatis, violenter expugnauit, & totam illam terram vsque *Pruse* rapinis incendiisque deuastauit. Deinde Imperator *Montewark* & castellum *S. Iohannis* bellicose expugnatos igne concremauit, & nonaginta duos * Castellanos capistris collis impositis secum ducendo, grauiter captiuauit. * its in mscr. * 130 * f. Casilanos

Mussatus lib. 9 cap. 2. *Villani* lib. 9 cap. 44.

Posthæc ante *Lantsise* prœlium fuerat gloriosum. Ibi inimicus inimicum, vultibus distortis, validis clamoribus ortis, acriter impugnant. Hic percutit, ille repugnat; hic decollatur, ille trucidatur; multi præcipitantur, plures strangulantur; ibi diuersi diuersos ictus permultant, clypei galeæque resultant. Maxime hoc prœlium fuerat ingrauatum. Sed & Theutonici conglomerati, iracundiaque prouocati, inimicorum exercitus maximis cum laboribus per medium

dium diuiserunt, & ibidem pluribus in fugam versis, multisque occisis, triumphum validissime obtinuerunt. Qua obtenta victoria, Domini Imperator & *Baldewinus* aquam transeundo in **sancto Saulo*, anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, die prima Octobris, castris & tentoriis ibidem, situatis, obsidione *Florentiam* vallaverunt.

* La Badia di Salui. *Villani* lib. 9 cap. 46. Coenobium S. Salui. *Mussatus* lib. 9 cap. 2.

Ibi tantus coadunatus fuerat exercitus, quod prima nocte suos adaquando equos aquam currentem periculose transequitabilem, vadum transierunt, ita totaliter dissicauerunt, quod mane facto eius fluxum minime inuenerunt, & ibidem multis pugnis Florentinos molestarunt, & totam illam terram rapinis & incendiis deuastarunt. Et abhinc vltima die Octobris, tentoriis replicatis & deportatis, castris incensis, recesserunt, & *Pectiperdis* declinauerunt. Quos Florentini hostiliter insequentes, vsque ad * *Pontem acidum* supra *Leymam* venerunt. Quod partes *Henrici* & *Baldewini* cognoscentes, capitibus clypeisque *131 * reuersis, vt lupus in agnos, in eosdem rapuerunt. Fit strepitus multus, fit magnus vtrinque tumultus. Capita truncata cadunt, lacerantur membra decora. Acriter pugnatur, belli fortuna vagatur. Tandem Florentinorum exercitus segregatur. Hi cornu dextrum cædunt, aliique sinistrum. Tandem Theutonici magis animositate quam ferro armati, tot tot occiderunt, quod residui fugierunt. Dimissa parma fugit hic, sua dum capit arma. Alter prostratus cadit in capiendo moratus. Plurima quid dico? Nullus succurrit amico. Et sic glorioso triumpho obtento Domini *Henricus* & *Baldewinus* ad *S. Cassianum* diuerterunt, & ibi aliqualiter permanserunt.

* Pons Ancisæ. *Mussatus* ibid. Pons Axis. *Idem* cap. 3. *Villani* lib. 9 cap. 47. *Mussatus* lib. 9 cap. 4.

CAPVT XVI

De castelli S. Mariæ nouellæ *expugnatione.*

VErus fratris adamator Imperatoris iste *Baldewinus* anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, die XVI Nouembris, castellum *S. Mariæ nouellæ* situando tentoria obsidione circumsepsit, maximam habendo pugnam. Sui sagittis & ictibus muros & inimicos hostiliter petierunt. Illi se viriliter defendendo, non segnes, tela, lapides iacientes, tandem nimiis defensionibus fatigati defecerunt, & in Dominum *Baldewinum* gratiam eodem anno, XXV die Nouembris, vnanimiter donauerunt, quod inde Dominus *Baldewinus* plurima capiendo castra, die Nouembris vltima burgum *S. Cassiani* est ingressus. Isto tempore Marschalcus *Cassele*, & totam terram violentia vsque ante *Sene* rapinis incendiisque deuastauit. Hic Dominus *Baldewinus* priuilegia suæ ecclesiæ, quod *Bopardienses* & *Vesalienses* in * staris & aliis Treuirorum Archiepiscopo obediant & intendant, in pignore ab Imperatore beniuole obti- *132 nuit. Datum apud *S.* * *Cassianum* in castris ante Florentiam anno Domini millesimo tricentesimo duodecimo, regni eius quarto, Imperii vero primo, Idus Decembris sexto.

* *Kyriander* legit *steris*. Vide *Brovverum* lib. 17 *Annal. Treuir.* p. 193, & 194 postrem. edit.

Isto anno die Epiphaniæ & multis aliis visa fuerat cometa in signo Virginis tanquam situata. Fuit etiam eclypsis lunæ multorum futurorum malorum præ-nosticantia. Abhinc Domini Imperator & *Balduinus Gebon* deuenerunt; vbi Imperator eodem anno XV die Ianuarii more Treuerico scribi consueto libertatem situauit, ciuitatem initiauit, & primum ponendo lapidem, *Montem Imperialem* appellauit. Posthæc ciuitate bene firmata eodem anno VIII die Martii per *Pyescolle* Pisanæ ciuitati appropinquauit, vbi sibi Cardinalis Hostiensis & multi alii obuiantes humiliter inclinantes sollemniter receperunt. Hic post tot triumphos choreæ diuersæ parabantur, multimoda hastiludia exercebantur. Quid plura? Gaudia gaudiis cumulantur. Ibi Dominus *Baldewinus* ad suam terram visitandam, breuiter, tamen, reuersus Dominum Imperatorem valefaciendo XIX die Martii in portu Pisano cœpit nauigio repatriare

 anno

anno Domini millesimo tricentesimo tertio decimo, XV die Maii Treuerim in cunctorum lætitiam sollemniter fuerat ingressus.

CAPVT XVII

De Imperatoris obdormitione.

SVbditorum cunctorum mitissimus defensator, rebellatorum vero rigidissimus exstirpator iste *Henricus* ad vesaniam *Roberti* Siciliæ Regis perdomandam versus Neapolim, vbi ipse habitauit, iter capiendo, & veniens *Beneuent*, eodem anno XV Augusti, id est, Assumptionis beatæ *Mariæ* Virginis, Missam more solito deuote audiebat, & a quodam Ordinis Prædicatorum Religioso dominici corporis Christi sacramentum deuote recipiebat; cuius sodalis eiusdem professionis ablutionem sumendam * in calicem fundebat; quam ipse Imperator fidelissime sumebat, & statim postea totius corporis molestiam sentiebat. Postea sui prudentissimi intelligentes Medici ipsum nulla infirmitate alia quam intoxicationis materia grauiter laborare, sibi indicarunt, deuotissime supplicarunt, quod hanc intoxicationis materiam fineret eos per inferendum sibi vomitum radicitus reuocare. Quibus fertur respondisse: *Malo migrando ad Dominum diem claudere extremum, quam generare scandalum in sacrum dominicum & detrimentum Christianorum.* Et sic in illa infirmitate vsque ad diem Augusti XXIV laborauit, qui est dies *Bartholomæi*, omnium Apostolorum secundum sanguinem nobilissimi, ipse omnium Christianorum nobilissimus spiritum suo, qui fecit illum, reddidit creatori. Proh dolor! prospera in contrarium mutantur. Nam illud gloriosissimum Romanorum Imperium a nullo fuerat Regum de tempore Frederici Imperatoris requisitum. Vnde vere fuerat totaliter dissipatum. Quod per istum maximis cum laboribus, prœliis, & bellis anno Domini millesimo tricentesimo decimo tertio die prædicta*. Et ecce cometæ & solis eclypsis in signo Virginis prius causatis significatio cunctis viuentibus lamentabilis, heu heu, hic adimpletur. Quis enim dubitat, fidei Catholicæ solem eclypsim passum fuisse, cum post istius mortem multæ hæreses noscuntur exstitisse? Quis superstes non vidit cometam comas caristiarum & discordiarum in omnes mundi partes quamplurimum diffudisse? Nam illud gloriosum Romanum Imperium vere fuerat reuocatum, coadunatum, & in maxima parte restauratum; cuius recuperationis finis imminebat, quod proh dolor, ista mors pessima toti Catholicæ fidei nociua pessime prohibebat. O mors pessima! quid fecisti? cur solem de mundo recepisti*, solatium sæculorum, dominum armorum, æquitatem iudiciorum, solatium viduarum & pupillorum rapuisti, & quicquid fuit iuris rigoris, mundi decoris, fidei, honoris interemisti, infecisti, & heu omnimode confudisti? Corpus vero eius a Domino *Henrico* de *Flandria* Marschalco suo & suis fidelibus flebiliter lamentantibus Pisis fuerat relatum, aromatibus conditum, Imperiali more redimitum, in ecclesia Pisana eodem anno secunda die Septembris sollemnissime fuerat terræ commendatum. Spiritus vero eius cum sanctis martyribus coronatus in cælestibus electis conregnet omnibus per infinita sæculorum sæcula. Amen.

Mussatus lib. 16 cap. 8.

* 133

* 134

* Quoniam paullo ante, vbi agitur de morte *Henrici VII* Imperatoris, adnotatum est, plerosque tum credidisse, eum veneno esse necatum, quod ei datum sit a quodam religioso Ordinis Prædicatorum; quam tamen opinionem multi contenderunt esse falsam, inciderit que non ita pridem in manus nostras exemplar earum litterarum, quas eiusdem Imperatoris filius, *Iohannes* Bohemiæ Rex, dedit ad eluendam maculam sanctissimo Ordini inustam, quarum disertam mentionem faciunt viri celeberrimi, *Iohannes Trithemius*, *Nicolaus Serarius*, & *Christophorus Brovverus*, visum est, eas heic opportunissimo loco edendas esse. Sic ergo habent in veteri membrana authentica, quam seruant Fratres Prædicatores Virdunenses.

IOHANNES Dei gratia Bohemiæ Rex, Lucemburgensis Comes, vniuersis præsentes litteras inspecturis salutem in eo, qui custodit veritatem in

in sæcula, & facit iudicium omnibus, qui iniuriam patiuntur, Quia Saluator noster in hunc mundum venit, vt perhiberet testimonium veritati, & nos secundum modulum nostrum debemus ipsum, quantum possumus, imitari, & maxime quando per vanitates & insanias falsas veritas corruit in plateis, & salus populi grauius impeditur ex eo, quod aliqui diminuant bonam famam illorum, qui pro veritate fidei mittuntur, vt sint in lucem gentium, & loquendo & exhortando vsque ad extremum terræ proficiant cuilibet ad salutem. Quicunque enim sic cogitant infamia vel procurant contra Dei nuncios seu ministros, restat procul dubio, quod contra populum Dei consilium malignantur. Vnde ait Propheta: Super populum tuum malignauerunt consilium; *& causa ilico subinfertur:* quia cogitauerunt aduersus sanctos suos, *& sequitur:* vt non memoretur nomen illorum vltra. Ps. 82.

Nuper autem retulit coram nobis religiosus vir, Frater Petrus *de* Castro Reginaldi, *Ordinis Fratrum Prædicatorum, quod in magnum ipsius Ordinis dedecus & contemptum facti sunt Romancii, chronicæ, & moteti, in quibus continetur, quod claræ memoriæ Dominum & genitorem nostrum Imperatorem* Henricum *frater quidam* Bernardus *de* Montepeluciano *Ordinis supradicti, administrando ei sacramentum Eucharistiæ, venenauit, & propter hoc ad defensionem veritatis prædictus Frater* Petrus *de* Castro Reginaldi *habere super hoc litteram testimonialem humiliter supplicauit, & nos ipsius supplicationi, prout possumus, inclinantes, notum facimus vniuersis, quod a principio, quando rumores audiuimus de prædictis, nos & amici nostri de his inquisiuimus diligenter, & contra dictum Fratrem* Bernardum *de* Montepeluciano *nihil inuenimus fide dignum. Idcirco ipsum credimus prædictum facinus nullatenus commisisse, quia prædictum Dominum genitorem nostrum in sua infirmitate vltima ipse Frater* Bernardus *diligenti obsequio custodiuit, & pacifice in sua religione inter fideles Imperii commorando, vbi a familiaribus prædicti Domini genitoris nostri longo tempore superuixit; & hoc fuit non modicum ipsius innocentiæ argumentum. Duæ etiam amitæ nostræ, sorores prædicti Domini genitoris nostri, habitum prædicti Ordinis susceperunt, quarum vna fuit Priorissa in quodam monasterio, & sic professæ in dicto Ordine vsque ad mortem permanserunt. Postea etiam Domina* Maria *soror nostra germana, suscepit habitum Ordinis memorati. Tamen antequam esset professa, inclytæ recordationis* Carolus *Rex Francorum eam sibi in vxorem petiit copulari; & sic facta Regina Francorum, quandiu vixit, habuit Confessorem de Ordine supradicto, & post mortem, sicut elegerat, habuit inter Sorores ipsius Ordinis sepulturam*. Et similiter auia nostra, Domina* Beatrix, *mater dicti Domini genitoris nostri, quæ post eum aliquo tempore superuixit, fecit se inter Sorores prædicti Ordinis sepeliri. Nos etiam & carissima Consors nostra habuimus postea de prædicto Ordine Confessores. Et si nobis & amicis nostris apparuisset, quod aliquis de Fratribus Ordinis supradicti in Dominum genitorem nostrum tam dolorosum & nefandum flagitium perpetrasset, nunquam voluissemus tot & tantas familiaritates Fratribus ipsius Ordinis exhibere.*

* Obiit an. MCCCXXIV, sepulta apud moniales Ordinis S. Dominici iuxta Montem Argisum in diœcesi Senonensi. *Tilius.*

Ideo rogamus, quantum possumus, vniuersos, vt, sicut docet Apostolus, deponentes mendacium, loquatur vnusquisque cum proximo suo veritatem, quod non credat narrationem ignorantium & romancii, in quibus contra veritatem plurima continentur, quia hoc esset in detrimentum salutis eorum, & præiudicium animæ patris nostri. Rogamus etiam quemlibet, qui super hoc a Fratribus prædicti Ordinis fuerit requisitus, vt procuret, sicut poterit, quod aduersarii a prædictis æmulationibus arceantur, ita quod totus prædictus Ordo Fratrum Prædicatorum possit Deo sine cordis molestia liberius deseruire, & populum ad viam salutis efficacius reuocare.

Quod

Quod vt perpetuæ firmitatis robur obtineat, præsentibus nostris litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Datum in castro nostro Magduno super Euram Bituricensis diocesis XVII mensis Maij anno MCCCXLVI.

LIBER III

Incipit prologus libri tertii Gestorum *Domini* BALDEWINI *de* LUCZELINBURCH.

TEmperantia est virtutum perfectissima, quæ nec superflua nec diminuta attemptatur, quia circa abundantiam & defectum virtutes morales esse negantur, sed temperato inhærere medio in ethicis affirmantur. Vnde singuli historiographi singulos persequentes stilo quadam scriptitare temperantia conantur, vt nec superflui nec diminuti quomodolibet inueniantur. In hac igitur historia quæcunque superaddita seu conglobata inueniuntur, non superflue ponuntur, sed vt legentes intelligentiam capiant planiorem. Cum ergo ego, cunctorum vernula scriptorum, qua potui temperantia, non magistrali, sed rudi fateor, stilo hanc historiam huc vsque pertractaueram, dignum est, vt ei finem imponam, secundum illud: *Nemo immittens manum aratro, respiciens retro, regno adaptatur diuino.* Dixi ideo corde intimo, *Custodiam vias meas*, terminando eas. Quomodo igitur procedam? Diuinæ recordor vocis Moysi dicentis*: *Fac secundum exemplar, quod tibi monstratum est.* Exemplar enim huius historiæ rubiginosis est quamplurimum maculis obfuscatum. Nam obliuioni est in maxima parte iamiam ministratum. Diuinum ergo inuoco auxilium, vt mihi det exemplar mente innouatum, memoriæ reuocatum, obiecto clarissimo probatum, septuplum purgatum; de suæ quoque magnitudinis sede sapientiam mihi mittat in adiutorium, vt mecum sit, mecum laboret, & me ab vberibus suæ consolationis dignetur lactare, & torrente voluptatis domus suæ potare, vt hanc historiam bono fine Deo, Treuerensi ecclesiæ ad honorem, Domino *Baldewino* & præsentibus ad fauorem, & omnibus futuris ad exemplar vtilitatis valeam terminare per eum, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat vnus Deus per cuncta sæcula benedictus. Amen.

*135

CAPUT I

De Ludouici *Regis per Dominum* Baldevvinum *procurata electione & coronatione.*

RAncoris materia heu! per lamentabilem mortem Domini *Henrici* Imperatoris, Principis strenuissimi, toti mundo illata, Domini Almaniæ Principes Electores vota sua in duo diuiserunt. Nam Dominus *Baldewinus* pro Moguntinensi, *Vuulmaro* Brandenburgensi, & Duce Saxoniæ, & *Iohanne* Rege Bohemiæ, qui vltra mille galeatos Bohemicos secum adduxerat, Franckenfort anno Domini millesimo tricentesimo XIV, in crastino beati Lucæ Euangelistæ, Dominum *Ludowicum*, Ducem Bauariæ, habens secum *Wilhelmum* Iuliacensem, *Adolphum* de *Monte* Comites, & alios quamplures Comites, Nobiles, quos sua pecunia acquisierat, vltra quatuor millia galeatorum in propriis expensis vna. *Henricus* Coloniensis vero Archiepiscopus per nuntios suos, & *Rudolphus* Dux Bauariæ, Domini* *Ludowici* frater, in Sassenhusen *Fredericum* de *Austria* Ducem in Romanorum Regem elegerunt, qui in Bunna per Coloniensem Archiepiscopum exstitit coronatus. Sed *Ludouuicus* electus per Dominum *Baldewinum* Aquisgrani fuerat adductus cum potentia, suisque expensis per terram Coloniensis Archiepiscopi contra eius voluntatem Coloniam duxerat, quem ciues ad Domini *Baldewini* preces in Regem Romanorum communiter receperunt. Hic Dominus *Baldewinus* libertates suæ ecclesiæ & priuilegia fecerat innouare & confirmare, sibi ab Imperio impignorata corroborare, & Comites Palatinos pro se & omnibus suis heredi-

*136

heredibus omni suo iure in* *Mon.* &** *Thuron* procurauit simpliciter renunciare. Fecerat etiam Dominum *Iohannem* Regem Bohemiæ & *Petrum* Archiepiscopum Moguntinensem ad omnia prædicta consensum suum adhibere, & per omnia approbare. Isto etiam tempore pontes lapideos, vnum supra ripam *Kile* prope † *Tranck*, alterum supra ripam, *Riuiere* †† dictam, funditus instaurauit. Hinc sancti *Beati* iuxta Confluense collegium duodecim Canonicorum parauit, & per Papam confirmare procurauit.

* Monasterium Meinfeld. ** castrum Thuron † Erang. Ering *Br.* †† Erubrum *Br.*

Isto tempore fuit fames, permaximaque caristia in tota ista terra, ita quod maldrum saliginis vendebatur Treuerim pro sexaginta solidis. Tunc *Grauiscellis* in * *Hammone* venditum est maldrum tritici septem libris Hallensibus, grossis tribus, pro XIV h. Etiam pestilentia vniuersalis erat adeo magna, quod multorum pauperum corpora ex nimia fame & pestilentia infecta in stratis publice inueniebantur, & a pluribus ciuitatibus magnæ generales foueæ in cimiterium consecratæ parabantur, & pretia statuebantur, vt ipsa cadauera sepulturæ traderentur. Istæ plagæ heu! post mortem lamentabilem *Henrici* Imperatoris in flagellum omnium nationum statim * esse cœperunt, & plusquam triennium miserabiliter durauerunt. Vnde quidam metrificator:

* Hammonia

*137

Vt lateat nullum famis tempus esse CVCVLLVM.

CAPVT II

De iuuamine facto Iohanni *Regi Bohemiæ per Dominum* Baldevvinum.

EOrum Regem & Dominum *Baldevvini* nepotem aliqui in Bohemia Domini, scilicet *Dominus* de *Lippa* & sui, volentes ipsum de proprio pellere regno. Quod factum nuntium per Cellerarium ad aures Principis *Baldevvini* Treuerim fuerat delatum, qui momentaneum colligens exercitum Nobilium plusquam mille galeatorum, assumpto cum eo *Petro* Moguntino Archiepiscopo, Bohemiam hostiliter inuaserunt, castra & oppida viriliter expugnauerunt. Quod intelligentes inimici, fugam turpiter inierunt; & sic Rege liberato apud . . . . . Rex & *Baldevvinus* conuenerunt, & obuiis se manibus lætantissime receperunt, & in amplexus amicabiles irruerunt, & vltra dimidium annum in Bohemia pro pace reformanda & fortalitiis recuperandis dictus *Baldevvinus* remansit. Eodem tempore Dominus *Baldevvinus* & *Iohannes Ludovvicum* suum Regem in Bauaria per *Fredericum* Ducem quasi obsessum intellexerunt; cui toto suo cum cuneo, *Petro* Archiepiscopo in Bohemia remanente, perrexerunt, & in *Ezzelingen* conuenerunt, & ibidem in ripa permaximum permiscentes prœlium diei circa crepusculum cum accensis cereis acriter pugnarunt. Ibi Dominus *Baldevvinus* Regem Bohemiæ Militem fecit, propriis cum manibus pretiosissime armatus, gloriosius prœliabatur. Tandem *Fredericus* cedere coactus, abhinc declinauit, & se per fugæ subsidium turpiter absentauit.

v. Alb. Argentin.

Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo decimo quinto, videlicet in ipso vltimo caristiæ anno, *Ludovvicus* & *Fredericus** ante Spiram conuenerunt; vbi *Ludovvicus* in præsidium suorum se recepit in cimiterium Iudæorum, vbi ambo maxima victualium penuria laborarunt, ita quod adhuc Nobiles rapas effodientes, esuriei satisfacientes, ipsas comedere artabantur. Quod Dominus *Baldevvinus* intelligens, maxima cum potentia & victualium quantitate copiosa adueniens, plurima Regi *Ludovvico* victualia ministrauit, & ipse cum *Frederico* Duce prœliandi castra ante Spiram situauit. *Fredericus* vero cernens *Ludovvicum* Regem & *Baldevvinum* Archiepiscopum præualere, Austriam repetiuit. Ibi *Baldevvinus* multa suæ ecclesiæ impetrans priuilegia, & *Bopardiam* & *Wesaliam* & additionem * *Balgincheit* in pignore suæ ecclesiæ cum hulda acquisiuit, & Treuerim remeauit.

*138

* Galgenscheid

CAPVT III

De pacis terræ conspiratione, Bruil *prope* Coloniam *obsidione*, *& etiam Domini* Baldevvini *dominatione*.

VItæ laboriosissimæ iste *Baldevvinus* noscitur exstitisse. Nam anno Domini millesimo tricentesimo decimo sexto Domini *Baldevvinus* & vere omnes Principes Electores Aquensem & ciuitates Rheni maiores ad Ludovvicum Regem in *Norenberch* & post in *Bacheraco* congregati, totius terræ pacem iuramentis confirmantes, conspirauerunt, theolonia minorauerunt, & Comitem Hannoniæ terræ Aduocatum partibus in inferioribus præfecerunt. Hic Dominus *Baldevvinus* Bacheracensis & Rotibula, cum hulda pro maxima pecuniæ summa ecclesiæ suæ in pignus recepit, *Sternenbergh* alienis legatum sibi donari redimendum impetrauit, quod & redemit, & eo suam augmentauit ecclesiam.

Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo decimo septimo Dominus *Henricus* Coloniensis Archiepiscopus pro * *Tulpeto* reddendo * suæ ecclesiæ *W.* Comitem Iuliacensem diffidauit. Cui Comiti Dominus *Baldewinus* in adiutorium expeditionem non modicam suis sumptibus destinauit, cum inimicitiæ adhuc inter dictos Archiepiscopos regnarent propter electionis dissensionem, quam expeditionem Comes in *Tulpetum* per duodecim hebdomadas & quatuor dies collocauit. Vnde in dicta expeditione existens, sæpe cum *Henrici* partibus diuersos habendo conflictus, alios necando, alios vulnerando, continue triumpharunt, & *Tulpetum* defensando viriliter conseruauerunt. Eodem etiam anno *Stirberch* prope *Egram* a *Lantgrauio* de * *Luckenbergh* legitima emptione facta feudum ligium & aperibile suæ in perpetuum esse ecclesiæ, vt in litteris continetur, vtiliter ordinauit. Isto etiam tempore *Witlich* & *Meyen* muris circumdedit, & Canonicos regulares de * *Lonche* propter frequentem hospitum visitationem depauperatos in *Meyen* transtulit, ecclesiam ibidem eis incorporauit, claustrum eisdem ædificauit, vt regulam Canonicorum possent liberius conseruare.

* Zulpich
* 139
* Leuchtenberg
* Lonche

Isto etiam anno & sequentibus *Henricus* Coloniensis Episcopus, *Iohannes* Comes *de* Crucenache, & plures alii, cum essent de parte scilicet Ducis, conspiratam terræ pacem friuole violarunt. Nam omnes territoria sua transeuntes rigide spoliarunt. Propter quod ciues Colonienses castrum *Brule* anno Domini millesimo tricentesimo decimo octauo plusquam per tres menses obsidione compresserunt. Tandem hoc castrum voluntate ciuium in manus Domini *Baldevvini* fuerat collatum, tamen in hunc modum, quod si *Henricus* Coloniensis Archiepiscopus pacem terræ non seruaret, ipse Dominus *Baldevvinus* hoc castrum in manus Coloniensium traderet destruendum. Et post in Septembri magnus terræ motus per longam moram perdurauit.

Sequenti vero anno millesimo tricentesimo * decimo nono Dominus Baldevvinus magnum conglomerando exercitum in *Ludowici* Regis adiutorium contra *Fredericum* Ducem castra ante *Wesebaden* in loco * *Scherfsteyn* dicto situauit; vbi *Fredericus* Dux intelligens *Ludowicum* & *Baldewinum* prævalere *, *Baldewinus* vero, quod Bopardienses, si ei non vellent obedire, posset auctoritate regia diffidare, impetrauit, & Treuerim remeauit. Isto etiam anno ciues Colonienses *Henricum* eorum Archiepiscopum pacem terræ violasse coram Domino *Baldewino* legitime probauerunt, supplicantes castrum *Brule* sibi dari violandum, pro quo etiam pecuniarum summam spoponderunt. Quod Dominus *Baldewinus*, licet Archiepiscopus *Henricus* sibi tunc capitalis esset inimicus, facere recusauit. Nam dilapidationem Coloniensis ecclesiæ nequaquam voluit tolerare, sed in manus dedit eorum non violandum, sed Archiepiscopo resignandum pace reformata. Quam pacem ipse

* 140
* Schierstein
* f. recessit.

ipse Dominus *Baldewinus* postea in * *Vrawenkathen* prope Andernacum beniuole ordinauit. * Frauenkirchen.

CAPVT IV

De Moguntina ecclesia prima vice Domino B. *commissione*, Crucenache, Kestelin, Spaynheym *obsidione*, & Baldenstein *fundatione*.

ÆTernæ memoriæ Dominus *Baldewinus* anno Domini millesimo tricentesimo decimo nono maximis armatorum cateruis in auxilium sui *Ludowici* Regis Argentinam sumptuosissime perrexit; vbi cum Frederico Duce prœlium libentissime miscuisset, si ipse *Fredericus* perstitisset, qui cum suam partem deteriorem esse conspiceret, vadum * *Bruze* transequitauit, &, vt ita dicam, non fugiendo, sed plures coadiutores requirendo, repatriauit. Isto tempore Dominus *Petrus* Moguntinensis Archiepiscopus, recordationis felicissimæ, defunctus * sæculo, de carnis ergastulo feliciter migrauit. Quo defuncto Moguntinense Capitulum ante Argentinam venit ad Dominum *Baldewinum* totaliter congregatum, & ad sanctam Moguntinensem sedem in Capitulo concorditer ipsum postulauerunt. Et ecce non post multum temporis interuallum venit quidam nigrorum de Ordine monachorum, *Matthias* nomine, electus & confirmatus a Papa in Archiepiscopum Moguntinensem destinatus; qui se omnimode in Domini *Baldewini* gratiam donauit, electionem Domini *Ludowici* Regis per Dominum *Baldewinum* approbauit, & cum ipso sibi vtiliter conspirauit. Vnde Dominus *Baldewinus* ipsum a Capitulo in Archiepiscopum receptari feliciter procurauit, de sua postulatione facta gratiarum multimodas referendo actiones.

* Brosce, Breusch.

* 141

Posthæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo *Adolphum* Ducem Bauariæ, *Comites* de *Spaynheym*, *Nassauvve* & *Iohannem* Comitem *de* Cruczenache armis fuerat bellicis viriliter aggressus, & castrum *Sprendelingen* captum violenter obtinuit. Deinde ante *Crucenache* venit, incendia vsque ad portas inferendo, & *Iohanni* Comiti ibidem plurima in blado & vino inferendo damna, ad maximam interemptionem deduxit. Postea in *Spaynheym* quæcunque extra castrum reperierat, crudeliter vastauit, & dehinc * *Kestelim*, quod erat *Simonis* antiquioris fratris Domini *Iohannis* Comitis, circumdedit; & cum ibidem multa intulisset damna, neptis sua de *Valkenburch* exorta, illius terræ Comitissa, suis cum infantibus descendit, & se aspectui Domini *Baldevvini* præsentauit, & flebili voce, allatis filiis, clamauit: *O Pater reuerende, numquid carnem tuam vis & sanguinem egestati dare, quam potius debueras a cunctis defensare, cum tui sint consanguinei? Pater recordare * & parce nobis hodie, nam potens es saluare.* A quibus dictis pietatis visceribus ab intimis motus humiliter recessit.

* Castellaun

* 142

Eodem anno *Baldensteyn* supra *Lanam* propter rebellionem *Reyneri* & *Iohannis* de *Westerburch* a fundamentis violenter erexit, castrumque *Richenberch* tunc construxit, quod *Wilhelmo* Comiti Katzenelenboge in feudum ligium cum omnibus pertinentiis dedit, & anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo primo ipsius castri *Baldensteyn* feudum ab illis de *Westerburch* suæ ecclesiæ in perpetuum allodium comparauit. Et eodem anno conueniens *Bacheraco* ipsum castrum auctoritate regia libertati procurauit, & retentiones in omnibus Imperii castris contra quoscunque,& quod omnia Imperii obligata vbicunque posset redimere impetrauit, & castrum *Schadecke* feudum ligium aperibile facta emptione legitima procurauit, & *Esch* prope *Clotten* muro circumduci & libertari fecit. Isto etiam anno Dominus *Baldevvinus* illos de *Dorsvvilre* ad satisfaciendum suæ ecclesiæ Capitulo maxima expeditione congregata coartauit.

CAPUT V

De Frederico *Duce capto per* Iohannem *Regem Bohemiæ,* & Furstenberch *obsidione.*

RËcipere pacem, iure suo semper saluo, iste *Baldewinus* promptissimus habebatur. Nam anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo secundo feria quinta post Bartholomæi cum heredibus *Rudolphi* Ducis Bauariæ & Comitibus *Nassawe* & *Spaynheim*, qui adiutores erant *Frederici* Ducis Austriæ electi contra *Baldewinum*, multorum (precibus) inclinatus, castrum *Kirperch* suæ ecclesiæ aperibile ligium a *Simone* de *Spaynheym* Comite acquisiuit, & terram, quam vndique violenter acquisierat, restituit. Dicti etiam Duces Bauariæ * *Bacheracum* Domino *Baldewino* * p. l. confirmauerunt assignatione. * 143

* *Sic in Ms. At* Kyriander *edidit*, ipse pignus. *Forte leg.* per litterarum conf. assignationem.

* Oettingen

Eodem anno *Ludowicus* Rex & *Fredericus* conuenerunt inter * *Ochingin* & *Molindorff* congressione prœliali. In quo prœlio Dominus *Iohannes* Rex Bohemiæ, Domini *Baldewini* nepos, strenuissime pugnauit, & totum ipsius *Frederici* exercitum dissipauit, adnihilauit, totaliterque prostrauit die sanctissimi antecessoris sui *Wenczelai* Regis, ipsumque *Fredericum* cepit, & captum *Ludouico* Regi, sub hoc pacto, quod ipsum non occideret, honestissime assignauit. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo tertio & pluribus sequentibus annis Mars & Saturnus in Geminorum erant coadunati signo; de quo Astrologorum erat prænosticatio, quod multa deberent prœlia per diuersa mundi climata sæuiter regnare, diuersæ quoque hæreses in Dei ecclesia, proh dolor, pullulare. Eodem anno Dominus *Baldewinus Wellensteyn* prope Cruzenache, & Frederici Siluestri *Nuenberch* prope † *Kir* castrum, & turrim * *Seynheim* feodum ligium & aperibile comparauit, & Regem Bohemiæ feodo in *Symeren* renuntiare procurauit, quod ligium & aperibile *Georgius* Comes Hirsutus a *Baldewino* & ecclesia sua Treuerensi cum pertinentiis recepit, exceptis mismicis & castrensibus, vt in suo priuilegiorum libro plenius continetur.

† Kirn
* Spanheim *Br.*

Post hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quarto *Smydeburch* & partem *Neurenburgi* ligia & aperibilia fecit, & *Comitem* de *Hennenberch* XLI marcarum argenti annuorum reddituum feodalem statuit, quos redditus ecclesiæ Treuirensi in sua terra assignauit. Isto etiam anno Domini *Baldewinus*, Rex Romanorum, Dux Lotharingiæ, & Comes Barensis confœderati fines Metensium exercituali potentia ingressi, quicquid extra ciuitatem * proprietatis habuerunt, decoris & honoris, funditus destruxerunt, & eorum rebellionem nefandam penitus perdomarunt, & singulis ad emendam præstandam, prout excessus imponebatur, coartarunt. Isto anno fuerat quidam Sacerdos Coloniæ degradatus, & propter hæresim crematus, & vere tota ciuitas fuerat infecta prauitate hæretica, & vix purgata, quæ hæresis a Moguntinensibus dicitur initiata. * 144

Post hæc anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo quinto Dominus *Baldewinus Furstenberch* circumdedit, & in obsidione diu mansit: postea condignam recipiens satisfactionem recessit. Eodem anno *Winterberch* a *Iohanne* Comite *de* Spaynheim feodum ligium & aperibile ecclesiæ comparauit. Et anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo sexto *Ludowicus* Rex fuerat Romam pacifice ingressus absque Electorum suorum consilio, & non ab ecclesia, sed a Senatu fuerat in Imperatorem coronatus.

CAPUT

CAPVT VI

De Bopardiæ *expugnatione*, S. Wendelini *emptione*, & *ecclesiæ Moguntinensis Domino* Baldevvino *secunda commissione.*

OMen bellicosum sæpius ille *Baldewinus* fuerat sortitus. Nam anno Domini millesimo tricentesimo vigesimo septimo Dominus *Baldewinus* Domino *Matthiæ* Moguntinensi Archiepiscopo, qui Marchionis Misnensis oppidum * *Suden Geysen* appellatum obsidione vallauerat, expugnare nequiuerat, adiutorialem expeditionem destinauit, deinde personaliter veniens. Vnde hoc oppidum viriliter expugnauit, & cum tota sua acie in adiutorium Domini *Baldevvini Bopardiæ* properauit; vbi Dominus *Baldevvinus* cum eis magnam habendo pugnam, eorum portas inuadendo viriliter violauit, potenter intrauit, & forinseci *Bopardiæ* partem * oppidi cum suburbio, contra tamen intentionem Domini *Baldevvini* cremauerunt; sic eos requirere suam gratiam malis eorum gratibus coartauit; qui se, oppidum, bona, & corpora, suam implorando gratiam, voluntati suæ vnanimiter reddiderunt, & sibi & suæ ecclesiæ subiectionem & fidelitatem perpetuam iurauerunt, iuribusque, libertatibus, & priuilegiis suis renuntiantes, Domino *Baldevvino* se & sua submiserunt. Isto anno totum *S. Wendelini* castrum & districtum comparauit.

* Giessen Br.

* 145

Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo octauo quædam dissensionis materia inter Dominum *Baldevvinum* & *Comitissam* de *Starkenberch* super quibusdam bonis in *Birkenfelt* exorta. Super qua *Henricus* de *Spaynheym* Præpositus Aquensis & *Emmericus* de *Lapide* Miles pro Comitissa & suis treugas Domino *Baldevvino* in manus suas *Grimbergh* promiserunt. Interim Dominum *Baldevvinum* per Mosellæ alueum nauigio descendentem, non * præmunitum, non diffidatum, dicta Comitissa proditione, pendentibus treugis captiuum in suo castro *Starkenberch* tenuit captiuatum; a qua captiuitate, promissione facta se in sua vita nullum castrum in *Birkenfelt* constructurum, liberum tamen ædificandi arbitrium suis relinquendo posteris, fuerat liberatus.

* f. præmonitum

Trithemius in *chron. Hirsaug.* ad an. MCCCXXV, & in *chron. Spanheim.* ad an. MCCCXXVIII.

Eodem anno *Matthias* Moguntinensis Archiepiscopus viam vniuersæ carnis fuerat ingressus. Hic fratres Moguntinensis Capituli Dominum *Baldevvinum* in suum Archiepiscopum vnanimiter postularunt, & postea Dominum Baldevvinum in propria venientem persona suæ diocesis tutorem fecerunt, & castra & munitiones in eius manus assignarunt. Qui statim cuncta ipsius ecclesiæ debita ab antecessoribus multipliciter contracta, quia longissima cum Lantgrauio Hassiæ fuerat * in guerra, quæ nondum erat sedata, ne aliqua supercrescerent damna, de sua propria pecunia funditus persoluebat. Isto tempore *Dominus* de *Virnenburch Henricus* a Papa fuerat in Archiepiscopum electus, confirmatus eisdem & directus. Cui Canonici crimina imponendo & defectus, ad Sedem Apostolicam appellarunt.

* 146

Trithemius in *chron. Hirsaug.* ad an. MCCCXXVIII.

Isto anno Dominus *Baldevvinus* vallem sub *Hoynberg* situatam, renouationem *Wiskirche* & *Lyesheim* castrorum ligia & aperibilia suæ Treuerensi ecclesiæ, recepta stipulatione, vt in priuilegiis cernitur, adiecit. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo vicesimo nono *Ludouicus* Imperator Romæ quendam nomine *Nicer* de Ordine fratrum Minorum Antipapam creauit, & in sedem beati Petri collocauit, Cardinales, Episcopos &c. Et ecce hæresis prænosticata hic fuerat prænosticata. Isto tempore itinera iuxta *Cochime*, *Triis* *, *Stupam*, & * *Neve*, vbi equus inonustus vix poterat deduci, in tantum ampliauit, quod equus sarcinatus se asinus onustatus secure poterat pertransire.

* Stuben.
* Noss

CAPVT VII

De fundo Carthusiensium empto, & Baldenelcz fundatione.

ROgatur itaque Dominus *Baldevvinus* iura Moguntinensis ecclesiæ rigidus obseruare. Nam ciues Moguntinenses per excogitatam suæ malignitatis astutiam sub quadam æquitatis specie quædam iura ecclesiæ sibi friuole vsurparunt, & Dominum *Baldevvinum* pro ipsius ecclesiæ tutore recipere recusarunt. Quorum fines Dominus *Baldevvinus* circumquaque exercituali manu forti deprædando, deuastando, hostiliter ingressus, eorum inflatam superbiam rigidius edomauit. Oppidum quoque *Elteuille* appellatum inter * Moguntiam & * Pigvviam situatam ædificauit, & ecclesiam de * *Fleytsheim* incastellauit, vt mercimonia & alia, quæ de * Frankenfort secrete deuehebantur, auferrentur, aliaque fortalitia circumcirca Moguntinenses acquisiuit, vt per ea prohiberet, quod victualia & alia necessaria nulla possent adduci, suique cum Moguntinensibus plura bella & rixas habuerunt; ibique multi occisi & læsi fuerunt, coactique frequenter Moguntinenses per pontes & fossata vsque ad portas ciuitatis fugati fuerunt, de quo eos in ecclesiæ tutorem se recipere coartauit anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo. Isto etiam anno castrum *Smideburch* tam comparando quam ædificando dedit Treuirensi ecclesiæ. Eodem etiam anno iuxta Treuerim *S. Albanum* ab Abbate & Conuentu *S. Matthiæ* comparatum ædificiis Carthusiensibus aptis cœperat decorare.

* Kyriander Bingiam
* l. Flersheim
* 147

Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo primo *Domini* de *Elcz*, *Erenberch*, *Waldeke*, *Schonecke*, suis quampluribus cum complicibus, cupientes Domini *Baldevvini* magnanimitatis magnificentiam aliqualiter incuruare, rapinis terræ semitas perturbando, vnanimiter conspirarunt, contra quos Dominus *Baldevvinus* exercituali potentia acies direxit, *Elcz* circumdedit, & *Baldenelcz* a fundamento constructum, quo eius potentiam nihilauit, mirabiliter firmauit. Eodem anno castrum *Solmecze* feudum ligium & aperibile feceret, Winteraua suæ Treuerensi ecclesiæ construxerat ad tuitionem.

Alio sequenti anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo secundo guerra durante contra dicta quatuor castra, castrum * *Rusenberch* a fundamento ædificauit, de quo potentiæ suæ malleo erecta contriuit cornua superborum. Eodem anno Episcopatum Spirensem ad instantes preces *Walrami* Comitis Veldenciæ ibidem Episcopi & Capituli, qui tot debitis erat grauatus & guerris, quod vlterius regere non poterat, cœperat regendum in * temporalibus. Et ecce tres Episcopatus simul strenue regebat, debita persoluit, distracta ad ius & proprietatem fideliter reuocauit. Vnde sequenti anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo tertio *Domini* de *Elcz*, *Erenberch*, *Waldecke*, *Schonecke*, videntes quod resistere suæ potentiæ non valerent, post guerrarum fessarum diu duratarum excidia pacis dulcedinem postularunt, quam Dominus *Baldewinus* pacis amator poscentibus fuerat largitus, & *Iohanni* de *Elcz* de suo castro *Baldenelcz* suæ ecclesiæ perpetuum iuratum & fidelem Burggrauium duxerat statuendum. Isto etiam anno, die *Mariæ Magdalenæ*, in meridie, fuerat Treuerim subitaneum fluuium aquæ diluuium permaximum, ita quod cuncti perterriti submersionis periculum timebant affuturum.

* Ruschenberg
* 148

Postea anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quarto dominum de *Schurenberch* a *Domino* de *Vonisberch* comparatum ecclesiæ addidit Moguntinensi. Eodem anno Dux Lotharingiæ die Nouembris XIII de homagio suo a Domino *Baldewino* recepto munimina tradidit litterarum. Alio anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo quinto ad instantiam Erfordiensium Dominus *Baldevvinus* personaliter cum magna potentia Marchionem Misnensem & Comites *de* Hoynsteyn hostiliter inuasit, eosque per incendia & bella multum damnificauit. Sequenti anno Erfordienses Domino *Baldevvino* rebellarunt: contra quos misit Marchionem & armatos suos, qui contra eos bella

bella quamplurima habuerunt. Isto anno, die *Simonis & Iudæ*, fuerat ventorum turbo in valitudine tanta, quod multa alta ædificia corruendo fuerant disrupta*. Vnde quidam metrificator;

SIMonIs eXCeLsI sternVntVr tVrbIne LVCI.

* 149 * in quo versu computando MCCCXXXV annos Domini poteris reperire.

**Trithemius* in chron. *Hirsaug.* ad an. MCCCXXXV.

Anno vero Domini millesimo tricentesimo tricesimo sexto Dominus *Baldevvinus* Episcopatum Spirensem a debitorum grauaminibus releuatum, & multum melioratum, pace reformata, dictoque *Walramo* Episcopo de medio sublato, maxima gratiarum actione recepta, duxerat resignandum, & * *Gerlacum de Erenberch* Spirensis dioecesis in Episcopum eligi curauit. Eodem anno turbat vina gelu, ventus segetes, & equos sprue.

*I. Gerhardum

CAPVT VIII

De monasterii Carthusiensium consecratione, castri Montis S. Iohannis *constructione, &* Welsberch *destructione, Domini in* Limpurch *emptione.*

VOce imperatiua Papali & Cardinalium consilio emissa, anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo septimo Domino *Baldevvino* & Capitulo Moguntinensi fuerat mandatum, vt Episcopatum Moguntinensem in manus duorum Legatorum ad hoc in Pinguiam destinatorum, tanquam in manus Papæ, libere resignarent. Cui mandato Dominus *Baldevvinus* obediens accessit Bacheracum, conuocans ibi Capitulum & Officiales ecclesiæ Moguntinensis; præcepitque eis, vt mandatis Apostolicis obedirent, & iuramento sibi per eos præstito libenti animo renuntiarent. Quo audito, quia videbant, quod eis amplius præesse non vellet, inobedienter ab eo recesserunt, & contra voluntatem Papæ & Domini *Baldewini*, *Henricum* de *Virnenburg*, eis a *Iohanne* Papa destinatum, contra quem prius crimina & defectus opponendo appellauerant, nunc in Archiepiscopum acceptarunt: qui statim omnia sua temporalia ab *Ludowico* Imperatore in feodum recepta, cum Domino *Baldewino* est pacificatus. Isto anno * apparuit cometa Iudæorum interfectionis prænosticatiua. Nam quidam depauperati Nobiles sibi Regem præfecerunt, cui nomen * *Arindeler* imposuerunt; qui ciuitatibus adhuc magnis expugnatis. Iudæos quotquot inuenire poterat, crudeliter trucidauit.

* 150

* Armleder

Alio anno Domini millesimo tricentesimo tricesimo octauo *Edwardus* Rex Anglorum Regem Franciæ supra Ducatum Normandiæ diffidauit, & de Almania multis terrarum Dominis plurima stipendia donauit, Franciam potenter intrauit, cremando, spoliando, sed minime perfecit. Postea anno Domini millesimo, tricentesimo tricesimo nono die *Kyliani* fuit eclypsis solis plusquam duarum horarum tempore meridionali. Et postea in autumno dicti de *Swizere* in Berna plures interfecerunt prœlio triumphali. Isto etiam anno Dominus *Baldewinus* Regi Anglorum tanquam infinitis pecuniarum summis mutuatis coronam regni prædicti pro pignore acceptauit. Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo circa Lætare visa fuit cometa tamquam in Cancro situata, & postea nundinæ *Monstruele* per *Comitem Hanoniæ & Dominum* de *Valkenburch* fuerant spoliatæ, multi occisi. Eodem anno Rex Anglorum die natiuitatis beati *Iohannis Baptistæ* transfretauit, & multis Francigenis interfectis, pluribusque phaselis captis, gloriosius triumphauit. Eodem etiam anno Dominus *Baldewinus* ad vesaniam Comitum *Walrami* de *Crucenache & Comitis Siluestris* de *Duna* perdomandam, *Dunam* circumdedit, & castrum *Montem S. Iohannis* appellatum a fundamento erectum contra *Dunam* fortissime firmauit. Et postea die *Thomæ* monasterium & conuentum Carthusiensium iuxta muros Treuerenses ab eo funditus constructum solemniter dedicauit.

* 151 Sequenti anno Domini millesimo * tricentesimo quadragesimo primo in Maio *Comes* de *Spaynheym* per Dominum *Ludowicum* Imperatorem Domino *Balde-*

Baldewino fuerat reconciliatus. Comes vero *Siluester* de *Duna* in castro quodam *Velsberch* dicto retentus, Domino *Baldewino* per aliqua tempora magna inferendo damna, nocturnali tamen tempore per spolia & incendia persistebat; quæ Dominus *Baldewinus*, tamquam leo se dormire simulans, supportauit, tandem euigilans, rugitu suo maxima exercituali potentia *Velsberg* obsidione vallauit, quam obsidionem Dux Lotharingiæ cito suo conamine cupiens soluere, consilia & auxilia collegerat opportuna, eo quod castrum suum esset feodum, suoque in territorio situatum. Videns etiam potentiam Domini *Baldewini* esse præeminentem, timore tactus ad Dominum *Baldewinum* in obsidionem properauit, secumque se quoscunque conligauit. Obsessi vero Domini *Baldewini* videntes animositatem, cernentesque operum machinarum horribilitatem, quibus violenter expugnari metuebant, saluis rebus & corporibus, in manus Ducis castrum ad Domini *Baldewini* voluntatem violandum tradiderunt, & postea ad Domini *Baldewini* iussionem funditus fuerat destructum. De qua tamen regalis & * fortitudinis castri violenta & celebri destructione esset mire mirandum, si vltioni diuinæ esset non intitulandum. Nam ante obsidionem aura frigida & turbulentissima ante festum beati *Martini*, qua obsedit, & postea in obsidione aura leuis & gratissima annuo tempore contraria regnabat; sed castro violando tradito, cunctos vt prius auræ intemperies molestabat. Vnde totus vulgus sanctos se vindicare proclamabat.

Alio sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo secundo *Comes Siluester* * de *Duna* fessus guerrarum excidiis, poscens amœnitatem pacis, in propria persona metu coactus ad Dominum *Baldevvinum* Treuericum ingressus palatium, se omnimode suæ gratiæ condonauit; cuius amicorum precibus Dominus *Baldevvinus* inclinatus eum in suam gratiam acceptauit. Isto etiam anno *Durdrachum* in maxima parte proprio igne diuinitus flagellatum in tantum, quod supra aquam . . . . dictam naues cum vino & mercimoniis, ita quod aquarum inundantia non poterant extingui, cremabantur. Postea in vigilia *Iacobi* maxima erat aquarum inundantia per totum Rhenum, non a Rheno, sed a fluuio *Mogos* dicto, quod tamen contra suam est naturam, in flagellum causata, ita quod integræ villæ ruptæ & defluxæ cernebantur. Eodem anno XXIII die Ianuarii quasi in prima noctis hora pluente grandine fulgura cernebantur, & tonitrua audiebantur. Eodem anno Comes Barensis a Domino *Baldevvino* homagium & feodum iuramento innouatum acceptauit, & super eo duplicia munimina litterarum præbuit. Alio quadragesimo tertio anno *Ludovvicus* de *Bauaria* Imperator Illustris Principis Domini *Iohannis* Regis Bohemiæ filio de terra Carintiæ, quam prius sibi donauerat, eiecto, vxorem eiusdem raptam & suo filio traditam absque ecclesiæ iudicio, non desponsatam, immo adulteratam, terram fraudulenter obtinuit Carinthiorum *.

* 152

* *Vide* Alb. Argentinensem. *Sententiam diuortii edidit* Freherus.

Sequenti vero anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo quarto Dominus *Baldewinus* pontem trans Mosellam in Confluentia sumptuosius construxit. Eodem anno Dominus *Reynerus* de *Westerburgh* Dominum *Baldevvinum* diffidauit. Vnde Dominus *Baldevvinus* exercituali collecta potentia *Schadeck* simul & *Grenzau* expugnata suæ ecclesiæ obtinuit Treuirorum. Eodem * anno medietatem dominii de *Limpurch* facta emptione legitima suæ ecclesiæ adiecit. Alio quadragesimo quinto anno Frisones Comitem Hanoniæ * eis bellum inferentem sæuiter occiderunt. Eodem anno Dominus *Baldevvinus* priuilegium perpetuum per totam suam diocesim contra mendicantium Ordines super quarta parte legatorum parrochialibus ecclesiis donanda impetrauit.

* 153

* Hollandiæ. *Vide* Alb. Argentinens. & Trithemium *in chron. Hirsaug. ad an. MCCCXLV.*

Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo sexto *Henrico* de *Virnenburch* Moguntinensi Archiepiscopo propter fautoriam *Ludovvici* de *Bauaria* ab omni pontificali honore a *Clemente* sexto priuato, & * *Nicolao* de *Nassavya* in Moguntinæ sedis Præsulem creato, ac ipso *Ludovvico* de

* Gerlaco

Bauaria

Bauaria ab eodem Papa propter sua præscripta demerita ab omni dignitate regia sententialiter deposito, Principes Electores, videlicet Dominus *Baldewinus* Treuerensis, *Walramus* de *Iuliacho* Coloniensis, *Gerlacus* de *Nassauya* Moguntinensis, Dux Saxoniæ, & *Iohannes* Rex Bohemiæ, aliis vocandis vocatis, non tamen comparentibus, dictas depositiones ratificantes, auditis Procerum regni sententiis in *Rense* diffinientibus, quod prædictis sic se habentibus, eos ad electionem Regis fore processuros. Qui vnanimiter vota sua in Dominum *Karolum Iohannis* Regis Bohemiæ primogenitum direxerunt, & inuocato Spiritus sancti adiutorio in Romanorum Regem anno prædicto tertia post *Kyliani*, XI die Iulii concorditer elegerunt.

Eodem anno inter Reges Francorum & Angliæ prœlio permaximo perpetrato, Princeps serenissimus, Domini *Baldewini* nepos, Miles imperterritus, Dominus *Iohannes* Rex Bohemiæ, licet cæcitate fuerit percussus, non minus tamen fuerat armatus, sagittis Anglicorum lethaliter vulneratus, viam vniuersæ carnis vicesima sexta die * Augusti fuerat ingressus.

*154

Anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo septimo, die Aprilis XX, quæ fuerat feria sexta infra octauas Paschæ, *Reynardus* de *Westerburch* auxilio *Ludowici* de Bauaria & consilio, Domini *Baldewini* Burgrauio proditorie eiecto, residuum de *Grenzau*, sibi vsurpauit, quod oppidani Confluentiæ reexpugnare, & recuperare volentes, dum hostiles insidias adesse ignorarent, se vt leuius ambularent, dearmarent, arma famulis baiulanda commendarent, se ambulando disgregarent, plures capti, quamplures valde crudeliter fuerant trucidati. Eodem anno postquam *Ludouicus* de Bauaria mala malis plicuisset, nec se saluberrimis ecclesiæ monitionibus correxisset, die (XI) Octobris, dum de venatione reuersus fuisset, se membratim aggrauatum sentiuisset, & denuo alleuiationis causa equum ascendisset, spatium iniisset, crescente dolore se incuruans, a suis per brachia receptus, amplexatus, sustentatus, spiritum celerius exhalauit. Isto etiam anno, die exaltationis sanctæ Crucis, vineæ & nuces congelabantur caumate pruinali, ita quod maxima vinorum caristia fuerat subsecuta. Alio anno quadragesimo octauo *Dominus* de *Westerburch* & peregrini *Vilmarienses* multa dioceſi mala intulerunt.

CAPVT IX

De Vermich *& dominii* de Couerna *emptione & de* Solmecze *destructione.*

MVltorum consilio Dominus *Baldewinus* facta emptione legitima *Vermich* castrum cum suis pertinentiis suæ Treuericæ ecclesiæ comparauit, & Duci Iuliacensi, in cuius territorio situatur, in feodum perpetuum condonauit. Et Iuliacensis tunc Marchio a filiis suis captiuitati addictus, Domini *Baldewini* consilio * in curia Domini *Karoli* Imperatoris Moguntiæ celebrata confirmationem priuilegiorum * suorum & super Archicancellariatu regni Arelatensis obtinuit, vbi etiam per totam Galliam & Germaniam tutor & mamburnus fuerat constitutus regni Romanorum; quo plures sua feoda requirentes infeodauit. Quo etiam anno * *Hozolmecze* cum pluribus confœderatis destruens, solo coæquauit. Eodem anno in capite Augusti collecta exercituali potentia *Vilmar* obsidione vallauit, vbi cum per quindecim dies contra Moguntinensium diffidationem potestatiue perstitisset, pluribus hostibus occisis turres machinis diruisset, aduersarii cum Domino *Baldewino* placitare inceperunt, & eo modo conuenerunt, quod castrenses recedentes, castrum & oppidum in manus trium Nobilium specificatorum conseruandum traderent; quod si Dominus *Baldewinus* ipsum ad suam pertinere ecclesiam competenti testimonio ostenderet, sibi suæ ecclesiæ nomine perpetuo iure conseruandum assignarent, & vice versa adversariis ministrarent. Quod obsessi corporali iuramento præstito spoponderunt, & Dominum *Baldewinum* de obsidione recedere seduxerunt. Quod subito, vt supra in *Grenzau*, temere infregerunt. Eodem anno Dominus *Baldewinus* castra & territoria *Vreudenberch*, *Vreudensteyn*, *Coppa*, & castrum & dominium de *Coverna*, cum suis castrensibus

*155

* *desunt hic aliqua.*

* *Hohensolms*

& pertinentiis comparata, & *Bobingen* feodum ligium & aperibile facta emptione legitima ecclesiæ addidit Treuirorum.

Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quadragesimo nono *Guntherus* Comes *de* Svvartzenburch a Domino *Henrico* de Virnenburch deposito Moguntino, & Domino *Ludouico* filio Bauarii, Marchione *de* Brandenburch, & Domino *Rudolpho* Duce Bauariæ dicto de *Heydelberch* contra Dominum *Karolum* in Romanorum Regem electus, ante Franckenfort castra * situauit; cui Dominus *Karolus* Domini *Baldewini* adiutorio prœlium acturus manu exercituali præualida obuiauit, nam fortificatus, quia filiam dicti *Ducis* de *Heydelberch* sibi desponsauit. Vnde dictus *Guntherus* intoxicatione, vt dicitur, infirmus, videns se deceptum, corporeis viribus destitutum, suos Electores cum Domino *Rudolpho* concordes, coactus in propria persona Domino *Karolo* sigillum suum regium & signa regalia resignauit, quem Dominus *Karolus* in gratiam acceptauit.

vid. Alb. Argentin.

*156

Eodem anno noua flagellatorum secta surrexit, sed effectu cuius, ignoratur. Qui flagelliferi nudo corpore, capite capucio & pileo, & pudebundis lineo velamine tectis, cruce & vexillis & candelis ardentibus prælatis, carmina hæresi mixta decantando, se durissime ad sanguinis effusionem acubus flagellis intextis verberando, sæpius prostrando, sub quadam specie pœnitendi incesserunt. Quam pœnitentiam non a sacerdotibus, sed a laicis susceperunt, quos magistros præfecerunt; quibus etiam confitebantur, & ab eis absoluebantur, & pœnitentiam iniunctam peregerunt. Quam sectam vt hæreticam Dominus Papa *Clemens* sextus damnauit, & Domino *Baldewino* mandata destinauit, quæ Dominus Baldevvinus non per Plebanos, sed per suos Burgrauios & Schultetos & Scabinos executioni mandauit, & eam vix exstirpauit.

Isto etiam anno Deus genus humanum triplici plaga flagellauit, ita quod plus quam medietas hominum cessit ab humanis; primo epidimia videlicet, cui gibbus creuit quacunque corporis parte, & omnes anhelitum eius capientes celerius interierunt; secundo hemoroida; tertio . . . . id est, sacro igne, ita quod corpora sepulta in se ipsis celerius fuerant consumpta; sic quod ab orbis initio non fuerant tempora periculosiora. Quæ plaga a Iudæis * fuerat imposita, sic quod aquam in omni terra intoxicassent, de quo aer infectus, tales plagæ in omnia climata pullulassent. Quibus de causis in omni terra Iudæi alii suffocati, alii submersi, alii perforati, quidam prius suos pueros, postea semetipsos igni iniecerunt, & se voluntarie peremerunt. Et ista per sequentem annum durauerunt.

*157

CAPVT X

De Monckeler, Lyesheym, Hofolmecze, Elkerhusen *destructione, & Domini* Baldevvini *obdormitione.*

AMen, dicit Dominus Petro, quæcunque ligaueris vel solueris super terram, in cælo ratificatur. Vnde anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo Dominus *Clemens VI* Papa annum iubilæum in vrbe celebrauit, & peccamina pœnæ & culpæ relaxauit. Eodem anno *Iacobus* de *Monckeler* litteras compositionis & concordiæ inter ipsum factas sigillo proprio & multorum amicorum suorum sigillatas infregit; quem Dominus *Baldewinus*, amicis suis id ordinantibus, ad hoc deduxit, quod se captiuitati ad Domini voluntatem adiecit, & in Treuerico palatio tamquam pro seruiendo aliquandiu mansit. Tandem Dominus *Baldewinus* precibus inclinatus amicorum, acceptis litterarum munimentis, ipsum sub conditione acquitauit. Qui statim post Domini *Baldewini* terras spoliando, cremando violauit. Vnde Dominus *Baldewinus* anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo primo, Maii die secunda, *Monckeler* obsidione vallauit, villam *Han* nauali introitu cepit, & turrim ibi ædificans, Grünecke appellauit. Tandem partes Domini *Baldewini* suburbium ictibus sagittis hostiliter inuaserunt, illi viriliter defendendo repulerunt. Ibi Dominus *Hartardus* de *Schonecke* non modicum lapidatus, & parum ad brachium vnum sagittatus *, sed magis armorum

*158

morum strictura & aeris & solis suffocatus, spiritum celerius exhalauit, quem Dominus *Baldewinus* apud sanctum *Matthiam* solemniter tumulari mandauit. Tandem Dominus exercitu commisso Confluentiam properauit. Ibi *Comes* de *Seyna* tradens litteras, castrum hoc recognouit pertinere ad ecclesiam Treuirorum. Ibi etiam *Comes* de *Berga* castrum suum *Windecke* Domino *Baldewino* venditum, ab eodem feodum ligium & aperibile suæ Treuericæ ecclesiæ, homagiumque de * *Arwelst* acceptauit, & se iuratum hominem subdidit ecclesiæ Treuirorum. Reuersus Dominus ad exercitum, fossatoribus conductis, qui malleis rupium duritiem conterentes, turris fortioris suburbii fundamentum ligneis stipitibus imponentes, sebo, pice, sulfure linientes, incendentes ipsam turrim cum parte muri deiecerunt & solo coæquauerunt. Et dum obsessi vnanimiter protraderent, aliqui de parte Domini insilierunt: obsessi vero penuria aquæ laborauerunt, & ad fontem scaturientem situatum in fossata castri subterraneam viam fecerunt. Quo partes Domini *Baldewini* diuersa opera sumptuosius facta laboriosius conduxerunt, & periculosius per scalas de rupe in rupem a latere situatas fontem hostiliter petierunt, & cum obsessis in eorum cauerna ad fontem facto conflictu maximo nimia sanguinis effusione cauerna disrupta & obtenta gloriosius fontem obtinuerunt. Vnde obsessi omnis humoris solatio priuati viso erecto ante castrum patibulo perterriti, gratiam quæsierunt. Quibus Dominus *Baldewinus* suæ potentiæ magnificentiam nobilitatis pietatisque mansuetudine temperauit, & eis, quos iam violentia deuicit, sua grauia faciens damna, ministrauit gratiam. Nam indulsit, quod per duodecim dies omni die de suo exercitu ad eorum victum vinum ac * emerent, & castrum sine sui læsione obseruarent, ita quod si eis aliquod adiutorium dissoluendæ obsidionis & iuuamen Domino *Baldewino* nocendi quocunque possent modo sociarent; si vero nullum, tunc termino elapso singuli quæ vellent & possent vna vice exportando castrum in manus Domini Baldevvini ministrarent, quod in crastino *B. Thomæ* productum fuerat ad effectum. Hunc magnificum & gloriosum triumphum Dominus *Baldewinus* non suæ potentiæ iussit ascribi, sed clementiæ diuinæ bonitatis Dei ad honorem. In crastino natale Domini in horis & Missis Dominus in *Monckeler* effectus deuote celebrauit, & cum suis lautius conuiuando solemnius festinauit. Castrum vero postea solo coæquauit, & ex opposito in *S. Petri* allodio fortius castrum ædificauit, & *Saresteyn* appellauit. Isto etiam anno castrum *Triis* cum pertinentiis sibi iure cedens feodali ecclesiæ addidit Treuirorum.

* l. Arnfels

*159

Sequenti anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo secundo Dominus *Baldewinus* videns terrarum semitas multiplicatas, raptoribus nimium perturbatas, quorum insultibus volens obviare, pluribus magnatibus sibi confœderatis, regio nomine generalem terræ pacem, & eius Aduocatum *Dominum* de *Sleyda* ordinauit, & tertia die Iunii exercituali potentia *Dunam* in *Eyflia* in suas manus tradi coartauit; cuius tamen posteriorem partem postea voluntarie Coloniensi Archiepiscopo assignauit; & plurima Castrensium domicilia circa *Dunam* & *Vlmenam*, quæ fuerant raptorum receptacula, deuastauit; & vltra Rhenum progrediens, castra * *Saffroch* & *Hoselebach*, de quo obsessi tempore nocturnali metu corporeo coacti secesserant; annihilauit. Et posthæc *Elkerhusen* quasi inexpugnabile vallauit, & patibulo erecto, obsessis talem ac * tantum metum incussit, quod * anesio suo deportato, castrum tradiderunt, quod igne crematum solo complanauit. Posthæc * *Harckenberch* obsidione vallauit, *Reynerum* de *Westerburch* coartauit, quod *Henricum* de *Graschaff* captum liberum dimitti procurauit, & triumpho reuersus fuerat glorioso.

* l. Saffroch

*160

* f. [illegible]

* l. Hartenberg

Alio anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo tertio Dominus *Gerardus* de *Schonecken* iuxta Treuerim Bohemos in adiutorium Regis Francorum contra Regem Anglicorum properantes pignera cautione, vt asseruit, cepit, & spoliauit, & eos in *Lyesheym* conseruauit; quos Dominus *Baldewinus* liberauit, & post hæc castrum disiectum nihilauit, & *Geroltstein* obsidione vallauit, vbi in tanta aquarum penuria laborauit, quod nihil proficiens, abhinc remeauit. Eodem anno *Fredericus* Comes Siluester tertia die

 Septembris

Septembris recognouit, quod castrum *Tronecke*, districtum *Marcha* dictum, cum appendiciis de *Taleuanck* teneat ab ecclesia Treuerensi in feodum, & super eo duplicia tradidit munimina litterarum.

Eodem anno Dominus *Baldewinus*, præsente Domino *Karolo* Romanorum Rege, Coloniensi & Moguntinensi Archiepiscopis, in vigilia natalis Domini in ecclesia Moguntinensi Vesperas, & in Capella Regis Matutinas & primam Missam natalis celebrauit, Regem communicauit, & confirmationem multorum priuilegiorum impetrauit; & XV Kal. Februarii Treuerim reuersus, infirmitatis molestia grauatus, receptis sacramentis, & auctoritate Apostolica a pœna & culpa absolutus, XII Kalendas Februarii circa crepusculum spiritum suo, qui condidit illum, reddidit creatori, in die *S. Agnetis* anno Domini millesimo tricentesimo quinquagesimo tertio, more Treuerico scribi consueto, anno natiuitatis suæ sexagesimo * octauo. Sedit annis quadraginta sex, septimanis sex, dies quatuor, & vacauit dies duodecim; cuius exequias Capitulum solemnissime per *Episcopum* * *Vlmacensem*, cooperante *Episcopo Acconense*, & *Abbate* . . . . infulato XII Kal. Martii, præsente Domino *Karolo* Rege & pluribus Magnatibus peragendo celebrauit. Requiescit in posteriori choro ecclesiæ Treuerensis *S. Nicolai* sepultus. Cuius anima paradisica capiat gaudia per æterna sæcula sæculorum.

* 161

* l. Olomucensem

Epitaphium præscripti Domini, vt habetur in eius tumba.

Hic Baldevvinus *iacet Antistes Treuerinus,*
Magnificus, iustus, patriæ lux, mente venustus,
Lutzlunburch natus, septeni denique gratus
Cæsaris Henrici *germanus, iuris amici,*
Vtilis ecclesiæ, pater huius dote sophiæ,
Quam bene respexit, augens per multaque, rexit
Sex quadraginta fere simul annis, quis sibi vere
Guerra frequens creuit grauiter, quia raro quieuit
Vincere prædones, & castra per obsidiones.
Anno milleno, C ter L I ter, duodeno
Carne Kalendarum fuit exutus Februarum
Quem pie Rex Christe clementer ad æthera siste.
AMEN.

ALBER-

ALBERTINI
MVSSATI
LVDOVICVS
BAVARVS
AD
FILIVM.

* * *

VTrum hanc *de rebus & gestis* LVDOVICI IV *Imperatoris in Italia* narrationem hoc, quem praefixi, titulo auctor MVSSATVS inscripserit, haud liquet. Quod si vero eam illo inscripsit, non est, quod mireris. Partis enim, quae Pontifici fauebat, tanquam numero maioris, ac, vt putabat, aequioris, de LVDOVICO iudicium sibi sequendum esse rebatur, vt sub finem aperte prodit, libereque, dum ait; *Ob quas rerum varietates ii mortalium, qui* Ioannem *Papam, vti sacrosanctae ecclesiae ordinarium caput, obseruatumque venerabantur*, LVDOVICVM *hunc Caesarei, Imperatoriique nominis dignum negabant*, BAVARVM *vocitabant: reliqui, quorum longe minor numerus erat, Imperatorem Romanorum. Nos maiori parti adhaerentes, &* Ioanni *Papae ecclesiaeque ob enormes creatorum Antipapae & Cardinalium ignominias*, LVDOVICI *tantum nomen expressimus, nil ipsius merito, dignitati, auctoritatique detrahere intendentes.*

Dedit autem eam ad filium, vt ex inscriptione Codicis Veneti manu exarati patet; quippe quae sic habet: *Addantur haec* historiae libro meo* de Rudimentis *ad filium.* Qua etiam de caussa factum, vt verba, *ad filium*, titulo addiderit, qui eam primum iuris fecit publici.

* pro ha

Ceterum scripsit eam in exilio, in quod illius, fratrisque *Gualtperti* culpa eiectus erat, vt in prooemio videre licet. Clugiae quidem; quippe quo in loco patria expulsum virum optimum, & de ea non nisi optime meritum, vitam miseram persecutum esse, & tandem cum morte commutasse, supra dictum.

Caussam, qua motus, in litteras eam misit, haud difficulter adsequaris. Subinnuit enim eandem ipse, dum § II haud diffitetur, si prorsus de tantis LVDOVICI rebus in Italia gestis taceret, posteritati fore, quod iure queri possit. Cauendum igitur, ne dici queat, illius curam se neglexisse ac rationem.

Nil itaque superest, quam vt paucis moneam, quid mihi hic curae fuerit. Enimuero lectiones, quas *Scholiastes* margini adscripsit, *Villanius* vero sub finem operi adiecit, retinui; earumque nonnullas in ipsum, sicubi aperte mendo laborabat, textum recepi; ceteras vero partim margini adleui, partim paragraphis siue partibus minoribus, in quas libellum incidere placuit, substraui: subiunctis tamen vnicuique, vt scias, cuius sit, certis litteris; *Scholiastae* quidem his; *Sch. Villanii* vero initiali, *V.*

ALBER-

ALBERTINI MVSSATI
LVDOVICVS BAVARVS
ad Filium.

I ET rerum mundanarum variatio, FILI, & vrbis nostræ status immutatio, nec non & morum tuorum vix vnquam mihi credita deprauatio, nos a rudimentorum tuorum serie, & proposito inanis vtilitatis abduxit. Agro siquidem sterili semina credere extremæ dementiæ est, vbi & labor, simul & impensa depereunt. At nec crassantiarum tuarum, & actuum pudendorum indagines tradere posteris visum est, quorum reminiscentia nostros scribendi dolores renouaret, & non aliud, quam parentibus, & beneuolis ignominiam irrogaret. Sufficiat & tu nobiscum patiare, quæ feceris, & inter nos, quas sortes huius sæculi fortuna concesserit, partiamur. Et (vt nobis dico) paternæ possibilitati euitabilis foret * illa communicatio, quæ plus, quam dimidium sustulit vitæ nostræ solatium, & nostram maturauit trans alias contumelias flagitiosiori calamitate canitiem. Pigeat ergo hoc ipsum tantum de te super dicendorum præmisisse sermonem, quem subticuisse incohercibilis nostri cordis efflagitatio non permisit.

* pro, *inenitabilis sit* Sch.

II Habet etiam, quod nos increpet neglecta posteritas, quod tantos Italicorum motus *, quantos post *Henricum* Cæsarem *VII* postque eos, quos nostro codici satis solerter inscripsimus, opus immensius, & arduarum rerum magnitudines omiserimus, Apostolice scilicet sedis cum Longobardorum dominatoribus ingentes motus, præsumptuososque in ipsam sedem, sanctæque Ecclesiæ maiestatem ausus, & vtrinque dissidia, & simultates, nec non aperta bella per vniuersos fines Italicos ab Mediolano, omnium earum dissensionum auctore, Præsidibus *Maphæo* Vicecomite cum egregia familia domus eius, ad quorum factiones hæsere Primates fortissimi, ac robustissimi Tusciæ, & Longobardiæ. Quodque & similiter duorum Cæsarum Germanorum omiserimus grandes actus in discordia Electorum, *Friderici* scilicet, olim *Rodulfi** Austriensis Ducis, & Romanorum Regis nati, & *Ludouici* Bauariæ Ducis, eorumque terribiles congressus cum captura *Friderici*, & eiusdem Austriæ Ducis, eiusque pacifica relaxatione mirabili, & incredita; & eorum Regum, seu Ducum associatione fraterna. Quodque reliquerimus dilatata dominia *Canis Grandis*, quæsitasque *Feltri*, & *Belluni* diuersis successibus ciuitates, simulque & *Caulanum* super *Liquentiam* castrum, ac *Sarrauallum* cum *Cadubrio*, & plurima municipia eius oræ. Prætermiserimusque momenta insignia nostræ vrbis, dissensiones ad placita apud Reges præfatos Alemanniæ,& consensus partium,& dissensus,quamquam eas vias ipsi perambulauerimus, acta singula recensuerimus, & coniecturauerimus assiduis legationibus, sic volentibus, & vrgentibus Paduano populo inquieti. . . . . * Dominus †*Beltrandus* de *Pozeto*** tituli *S. Marcelli* Episcopus Cardinalis, celeri cursu per Satiram transeuntes, summam rerum, quasi summis digitis, attingemus.

* addere, cum respectu ad hanc vocem, *contigisse scimus*, Sch.

*2

† Deesse videntur nonnulla.

* Male, vt *Struuius* iam notauit Syntagmat. Histor. German. dissert. VI § 1 p. 816. *Alberti* enim Imperatoris filius fuit *Fridericus*.

** *Bertrandus* de *Pogieto* apud *Papirium Massonum*, Gallum, ex *Petrarcha*. De *Pogieto*, vel *Podieto*. *Ciacconius* p. 684 § 4. Sch.

III *Ioanne XXII* Papa, rebelles Lombardorum tyranni, vt vix iam sacrosanctæ Ecclesiæ fortissimum robur sustinere possent, accersiri *Ludouicum* Bauariæ Ducem, tamquam Romanorum Regem ex Alemannia iurata simul pactione decreuere, vt Imperii sacrosancti maiestatem interiectis dissidiis obiicerent Ecclesiæ maiestati, eorumque Marchiarum collisionem facerent, qua vniuersi Christicolæ concertarent, vt scilicet tyranni iidem Ecclesiæ vires alienis subsidiis ab se retunderent, & ad eandem factionem antiquatas Imperii partes vndecunque, & diuersis studiis complicarent. Fuere hi *Galaaz*, *Marcus Luchinus*, *Maphæi* Vicecomitis per idem tempus prædefuncti filii, *Canis Grandis* Magnifi-

Magnificus della *Scala* Veronæ, Vicentiæ, Feltri, Belluni Dominator; *Passerinus* de *Bonacosis* Mantuanorum Dominus; *Raynaldus*, & *Oppizo* Marchiones Estenses Ferrariæque Domini; *Castrucius* de *Interminellis* Pisarum, Lucæque Dominus. Hi missis in Alemanniam Legatis colloquio petito apud *Fridericum*, primum illum traxere Tyrolum, demum ab *Henrico* Tyroli Comite transitum præbente in Tridentum descendit, vbi multis * grauis æris desponsis a), porro ipsi ad propria rediere.

* f. multis Sch.

a) Nihil hic immutarim, &, *desponsis*, pro, *desponsionibus*, acceperim: vt quemadmodum dicimus, *promissum* substantiue, ita hic *desponsum* pro ipsomet promisso formauerit. *V.*

Ludouicus per iugosas vias perambulans Cumanos * peragrans fines Mediolanum contendit. Ibi a Vicecomitibus comiter, gratanterque acceptus Curiam suam posuit, Mediolanumque multo Primorum & populi fauore in ditionem accepit, vt iam Vicecomitum dominia sic cederent, vt non maiori præeminentia, quam pro singularibus ciuibus haberentur. Dumque sic minutis potentiis occumberent, magna potentiorum ciuium manus aduersus illos sumptis fiduciis querelas nouas *Ludouico* exposuere. Non expedire bono & iusto Regi, commune Mediolani & subditos suos ciues collectionibus, quas magnas exigi mandauerat, grauare; apud Dominatores suos solitos æra, pecuniasque communes esse, quas paulo ante, vti Rex ipse magnifice susciperetur, exegerant. Allectus verbis nominati æris Rex, apud quem illorum pecunia hæc esset, seorsum quæsiuit. De *Galaaz* notione habita, acciri illum iussit, qui de re quæsitus aduersus indices nauseans, illos mentiri superbo animo, vultuque & verbis acribus respondit: nec Regi eam reuerentiam, quæ decuerat, deferens in annunciatores rei huius minas iactabat. In quem mox ira non mediocri lacessitus insurrexit, nec inde pedes amouere, nisi exhibitis pecuniis, imperauit. Interim *Galaaz* superbum atque insolentem, ac parere recusantem in atrum profundum carcerem detrudi, neruoque pedes astringi fecit. Moxque *Azo*, *Marcus*, & reliqui prosapiæ Vicecomitum a Regis facie semoti sibi sparsim hinc, atque hinc delituere. Omnique priori potestate, atque eminentia priuati sunt. Exhibitis igitur Rex pecuniis, commune & populum exoneratos nouis collectionibus exhilarauit: Regimini Mediolani, vt solemnibus, communibusque ciuium consiliis regeretur, formam dedit. Animaduersio hæc a *Ludouico* in Vicecomites facta tyrannis ceteris Lombardiæ ingentes terrores incussit, vt de ipso diffidentes deinceps ab eius supereminentia in suis terris præcauere attentiores fierent; nec tamen ob id suspicionis quidquam ostendentes, ne tanto labore, & impensis cœptas fiducias lacerarent. Interea in hunc *Ludouicum*, conatusque tam apertos summus Pontifex ab latere vnum, scilicet *Beltrandum*, cum magnis militiarum copiis in Lombardiam legauit, qui a ciuibus communitateque Parmæ prædominantibus *Rubeis* in Parmam ciuitatem cum magno fauore, gaudioque susceptus est: moxque *Passarino* de *Bonacosis* Mantuanorum dominatori bellum decretum, illatumque est, depopulatis Mantuanis agris, coloniis ferro & igne absumptis, cum plurium municipiorum captione.

* leg. f. Comenses V.

IV Per hæc momenta Romani, qui longo iam tempore Romana Curia in eorum immensa damna, & ignominias caruissent, Legatos primum Auinionem ad summum Pontificem transmisere, petituros *ipsum summum Pontificem, Curiamque in Italiam, Romam scilicet, transferri: sedem sanctam Apostolicam a B. Petro, sanctisque Patribus ibidem præconstitutam, quem se accepturos summis desideriis, fauoribus, honoribusque spondebant, obedituros que votis communibus ac supplicibus. At siquidem hæc, sicut alias pluries requisitus, renuerit, viduamque sedem deseruerit*, Ludouicum *Regem dictum Romanorum, & quamuis * nomen, titulumque Romanorum Regis ferentem, in vrbe accepturos, vt Roma, caput mundi, apicis sui gloriam non amittat, & quatenus ipsi Romani potuerint, vt vtramque sedem spiritualem, & temporalem in vrbe videant, ac foueant, colant & venerentur, operas dabunt, Romanumque vrbi faciem Monarchiam * Orbis terræ obseruabunt.* Papa legationem Romanorum benigno affatu, facetisque allocutionibus * (quemadmodum altæ eloquentiæ, scientiæque præditus erat) suscipiens, deliberandum cum fratribus sibi fore magni momenti consilium.

* f. & quamuis Sch.

* Monarchicam melius responderet. Sch.

* 3

Dum

Dum neque in proposito solito Romam ire consisteret, Legatos mediis verbis per dies plures suspensos tenuit. Dum & certum responsum quærentibus, *moram interponendam infra quam Romanæ Ecclesiæ commodior opportunitas captaretur*, respondit. *Eant, Ecclesiæ matri suæ fidem obnoxiam seruent. Non latere eos, quantis fauoribus a matre Ecclesia semper foti, atque aliti sint, Imperio Romano, Imperatoribusque iamdudum aduersis, & preuaricantibus. Norint, quid specialiter a Germanis, quantumque sui maiores semper contumeliarum, & pressurarum acceperint, matre Ecclesia vsquequaque confouente, aut vnquam deficiente.* Legati ægre a Papa conciliati discedentes Romam applicuere.

V Romani iis frustrationibus, vt a Papa illusi, communi assensu ad *Ludouicum* nuntios miserunt. *Romam veniat. Romanis, Imperioque suo libere potiatur, cui se parituros ferro, igni, omnibus obsequiis spondebant.* Mox *Ludouicus* prosperatum rerum successum non renuens, Mediolanum egressus, per breuiores meatus Lombardiam peragrans, per Lunenses agros Pisas contendit, indeque celeri cursu paucis diætis Romam ingressus est. Populus Romanus, vt Deo ab excelsis veniente gauisus, illum magnis alacritatibus, præconiorumque applausibus excepit.

VI Per eos dies *Stephanus* de *Columna*, & *Ponzellus* de *Vrsinis* a *Roberto* Rege zonis militaribus cincti, pro eo, quod ob id populo suspecti haberentur, ab ingressu vrbis abstinuere in proximis coloniis subsistentes. *Sarra* vero, frater *Stephani*, populo complex, & Imperatoris, Imperialisque partis zelator, ac fautor, populo in omnes vices & necessitudines adhæsit. Et ipse *Stephanum* & *Ponzellum* detestatus, *Ludouico* se fautorem, consultoremque adhibuit. Sicque *Ludouici* Romanorum Regis nomen ac titulum vociferante populo, illum viuere, ac regnare, in Capitolium ipse, Reginaque pariter consedere, concessa populo, plebique Rom. de rebus Imperii potestate consulendi, efficiendique, quicquid ad statum Reipublicæ pertineret. Plebs vero ac populus (vt eorum moris semper est) gaudere nouis rebus, non modo Ludouici nomen extollere; sed & Papam *Ioannem* detestari, criminari in publicum cœpere, verumque Papam negare. Noua crimina in eum addicere. Dum a plebe primum succreuit vox, in ipsumque vulgus inualuit, *reprobum* Ioannem *Papam, atque non Papam haberi. Nouum creandum summum Pontificem, qui sibi Fratrum Cardinalium nouorum conuentum concreet, atque constituat, sacrosanctam Ecclesiam Romanam in sua Roma ordinariis basilicis regat, reuerenter officiorum diuinorum celebritate decoret, illum* Ioannem, *qui trans montes sacræ Ecclesiæ alludit, anathematizet, hic colatur, & reuerentiaque Romanorum, & totius orbis terræ habeatur, cui & specialiter pareat, vtrumque tribunal, & spiritualiter, & temporaliter Romæ consistat.* Vox hæc, communeque plebis vulgare ad populum & Patres conscendit, adeoque frequens increbruit, vt pari omnium consensu ad *Ludouicum* Regem suum hæc retulerint, fierique obnixe postulauerint. *Ludouicus*, fortunæ eius successum non abnuens, inter Primates sui contubernii, quos secum ex Alemania abduxerat, hæc exequenda, & consiliis eruminanda diligenter proposuit. In iis Italici duo erant, qui *Ludouici* productioni operas multas dederant, eiusque lateri sese adiunxerant, quorum consiliis potissimum fruebatur, *Marsilius* de *Raymundinis*, ciuis Paduanus plebeius, Philosophiæ gnarus, & ore disertus, & *Vbertinus* de *Casali* Ianuensis, Monachus, vir similiter astutus, & ingeniosus. Cum his, & reliquis suæ communionis (vt dictum est) consilio firmato, decretum est, populi Romani inductionibus, consiliisque adhærere, nec ab eorum consiliis, ac assensibus discedere. Ipsi decernant, suo Senatus, Tribunatusque consulto in omnibus parendum. Protinus vehementissimis populi Romani caloribus, ignitisque ad has res nouas animis *Ioannes XXII* Papa communicationibus propinatis * in personam, & actus eius, pro vt iam dicti *Marsilius*, & *Vbertinus* consultores, ac etiam processuum dictatores conscribere, atque componere multo studio sciuerunt, edicta a Senatu, populoque Romano promulgata sunt: *Ioannem eo vsque dictum Papam, tamquam schismaticum, profanum, & hæreticum, cassum, & reprobum, seu reprobatum,*

adiectis in eo contextu causis plurimis, quas probabiles, imo & manifestas asserebant, inter quas causas vnam hic exponere locus admonet.

* Glossema sapit hic locus, & apertissimum mendum. Verba enim illa, *Ioannes XXII Papa*, abundare videntur. Proxima vero *communicationibus* propinatis, sensu carent. Itaque sic emendatem; *Ioanni XXII Papa criminationibus propinatis.* Sch.

VII Per plurimos ante annos inter Ordines Fratrum *Prædicatorum* & *Minorum* lis* quædam, grandisque contentio oborta schisma grande, ac iurgium, & ignominiosum discrimen attulerat super Domini nostri Iesu Christi, & illum imitantium paupertate, dicentibus Fratribus *Minoribus*, eisque adhærentibus, quod ipsi ipsum Dominum Christum, & vitam eius imitantes non habebant alicuius rei nisi simplicem vsum facti, abdicatum & denudatum ab omni proprietate, vel iure vtendi. *Prædicatores* vero dicebant, ipsos Fratres *Minores* non solum habere simplicem vsum facti; sed habere etiam ius vtendi. Quare si non haberent ius vtendi, non haberent ipsum vsum, nisi aliquod ius haberent, propter quod liceret eis vti ipsa re, seu rebus: & quod ipse Christus non habuit in aliquibus rebus sic simplicem vsum facti, quin & ius vtendi habuerit, sine quo iure vsus eius fuisset iniustus. Et in hanc opinionem Papa *Ioannes XXII* firmatus constitutum fecerat solemne, & contra sentientes, vel dicentes hæreticos promulgarat, Ordine *Prædicatorum* cum eo vnanimi, & concordi. Hanc causam sumpsere consultores *Ludouici* prædicti, & sententiæ dictatores. Insuper de potentia Papæ consultores iidem, ac dictatores distinctum quoddam in suis optionibus composuere chirographum, secundum quod ipsum *Ioannem* multifariam errasse censebant; in Romanis basilicis diuulgatum. Moxque sub hæc sumpta sibi Romani, auctore *Ludouico* eorum Rege & Principe, omnia legitime agendi potestate, vt, quæcunque constituerent, legis vigorem haberent, deposito, ac reuocato *Ioanne*, magnis instantiis induxere virum vnum ordinis *Minorum*, eo vsque vita & honestate probatum, *Petrum* de *Coruaria**, summi Pontificatus sedem, & diadema suscipere, præficientibus illum *Ludouico* & Romanis sub plenitudine potestatis. Qui paucis post diebus confratres sibi Cardinales delegit, conuentumque constituit, cum quibus faciem Pontificatus & Papalis induit maiestatis.

*4

* al. de *Corbaria* Sch.

VIII Fama rei huius per vniuersum orbem vulgata quoscunque ex omni parte Christicolas ad diuersarum opinionum studia concitauit, scissaque est ferme omnis in duas partes Christianitas. Pars vna Imperatorem, Imperiumque præferri affectans, Papam *Ioannem* detestabatur, quod ad damnationem *Ludouici* nimis præceps irruisset, hæreticumque sub nimio animi motu, atque fulmine quodam pronunciasset, *Roberti* Regis amore, & obtentu, quem non sub iustitiæ æquo libramine, sed sub partiali superstitione foueret: cum & ipsum partiarium assererent, non suam pertinaciam partis, cui adhæserat, proprio ore succelantem, dum sæpe & sæpius voce Gibellinos detestaretur, laicos partiarios imitatus, nullos ad Prælaturas admittens, quos Gibolengos præscisset. Aliaque obiiciebant, quod minus legitime ad Papatum productus & ipse eiusdem *Roberti* fauore fuisset, non confratrum Cardinalium optione spontanea. Atque etiam virum contentiosum aiebant, quod per vniuersas partes Italiæ scandala, & bellorum causas, & specialiter inter Lombardos mouisset, sacrosanctam Ecclesiam in discrimina & pericula ardua traxisset, quorum nullum vnquam conciliasset. Scire ipsum lites, discordiasque suscitare, non concordiis sedare. Res quoque ad se, vel Pontificatus officium minime pertinentes assumere, non contentum spiritualibus, sacrosancti Imperii iurisdictiones contemnere, improbare, ius electionis ex Alemannia in Franciam, vel Italiam transferre niti, & multos sermones habere. Semper inquietam Ecclesiam sanctam sub hoc Papa*, nunquam quietam** habituram. Pars altera iustum, sanctum, æquum, sapientissimum, ac clementissimum dicere virum, scientissimum Philosophum, & sacræ Theologiæ Magistrum, quibusque* virtutibus & scientiis imbutum, Tyrannos odire, quæ pestis per ea tempora totam ferme Italiam, & præsertim Lombardiam, Tusciam, Romandiolam, & Marchiam inuaserat, qui, contemptis Deo, & Sanctis, sanctas Ecclesias, scilicet Episcopatus, Abbatias,

* intellige, *fore*.
** quid si, *quietem* Sch.
* pro, *quibuscunque* V.

Abbatias, Prioratus, & quascunque etiam magnorum prouentuum basilicas*, quos, vt populos vocarent, in armis bellis, & quotidianis armorum vsibus stipendiariis erogabant, deque ipsis sacris locis equorum stabula, pulsis Antistibus, & Prælatis, fecerant. Hanc, tyrannis Vicecomitibus Mediolani, sæuam rabiem nequius cœpisse, & adeo perseuerasse, vt ipsi tyranni Ecclesias, & Prælaturas de facto, spreta Papali sede, & iurisdictione suis clientibus, & partis dignis* conferrent. Promouisse primum & non alium hæc omnia momenta senem illum inueteratum malorum *Maphæum* Vicecomitem: his nefandis actibus abstinere Archiepiscopum Mediolani, & alios pulsos* Prælatos in pace sine restitutis locis, prædiis, & bonis ad ecclesias spectantibus, quibus sacræ coluntur ecclesiæ. Illum *Maphæum*, stirpemque eius tantis malis nutritam, vt de iusto vsu abusum, & de æquitate iniquitatem fecissent, monuisse obtineri* in vanum, cultum in ea vrbe exerceri per veros Prælatos permitterent: sed mandata Apostolica spernentes non modo destitere; sed infandos actus ausere, preces Apostolicæ mansuetudinis renuentes, deinde se ipsos excommunicationum vinculis innodantes, & verba proterua in sacram Ecclesiam, ipsumque Apostolicum iactantes, quæ manifestæ hæresis ignominias, & intolerabilis Christianæ religionis contemptus, & pertinacias ostendebant. A quibus similiter canonice, & solemniter moniti, nec abstinere passi, vel ab ecclesiastica monitione correcti peccata infanda accumulauere peccatis Sarracenorum, & aliarum superstitionum sectas, & materias imitati, vt & ipsi Sarraceni & hæretici manifesti. Insuper monitum hunc *Ludouicum* Bauarum illorum hæreticorum erroribus, infandisque actibus non adhærere; sed, si ad sacrum Imperii culmen aspirasset, illos, & consimiles abhorrere, & veri filii sacrosanctæ Ecclesiæ more ad illos repellendos, & refellendos tam prauis ausibus Ecclesiæ astare, & seruire: Sed ille, cuius mens in Ecclesiam effera earum tyrannidum, tyrannorumque Italicorum iura tenere spiritu diabolico coniectauerat, non modo non destitit, sed Vicarium suum, gentemque Germanam aduersus Ecclesiæ monita patenter transmisit, & se hæreticum, & diuinarum constitutionum exhibuit contemptorem. Post quæ cum his tyrannis consortia, & coniurationes nefarias iniit, dum ad eos sectandos, & fouendos eorum ductibus & sumptuosis commeatibus in Italiam condescendit. Fœda hæc assidue labes iam pæne per vniuersum orbem irrepserat, vt his & aliis dissensionum vulgaribus vterentur. Hocque conceptum, planeque, & deprehensum est, quod (sicut constat) antiqui mali semen in terris iactum disseminatumque est.

IX In duas partes secta Christianitas erat nostra*, & paucos inuenisse contingens fuerit per hanc præcipue nostram Italiam, quos vna ex duabus optio non inquinauerit, aut illa, quam aiunt, Gibolenga, vel Gelfa. Hæc enim a tempore *Friderici II* vocabula duo inseparabilia germina, seu potius pestifera schismata pullularunt, atque inualuerunt, quæ semper tenuere Italiam inquietam. Sic hoc in errore, & contentione fere omnes, qui Gelforum nomen, animumque seruabant, *Ludouicum* hunc detestabantur, & actus, *Ioannem* Papam* laude commendabant. Gibolengi vero & sermone, &, quo poterant, etiam opere innitebantur e contra. In hac laici, & hac clerici omnis generis concertationibus, & discordiis vrgebantur. Lues hæc ipsas fratrum *Minorum* & *Prædicatorum* Religiones infecit, cui illa de Christi paupertate contentio dedit initium. Papa enim *Prædicatorum* opinionem sententia promulgauerat, nefasque, atque hæreticum contra sentire, vel dicere edixerat. Cuius offendiculo contingit fratrem quendam *Michaelem Cesenensem*, Generalem Ordinis ministrum, adscitis sibi fratribus, præsertim duobus *Bonagratia* Pergamensi, & *Gulielmo Ocham* Anglico, dum Auinione essent, iussi identidem persistere cum ministro, iniussu clanculum e curia digredi, & Pisas, vbi *Ludouici* obedientia, & fides Imperii seruabatur, se transferre, *Ludouici*que parti adhærere, *Ioannem* Papam, vt *schismaticum*, quin imo & *hæreticum* detestantes, quod idem Papa in pronunciatione eadem articulo Christianæ fidei derogasset. Nec non cum & idem *Ioannes* Papa omnes, & singulas sententias, & opiniones beatissimi etiam *Thomæ Aquinensis*, Ordinis Prædicatorum, veras speciali sententia, ac constitutione comprobasset, quorum nonnullas nonnulli Studiosi ac Doctores Parisienses erroneas iudicabant. Hos igitur* multi Ordinis eiusdem sectati Papæ *Ioanni* iam patenter maledicebant, hæreticumque vocitabant, quamquam Ordinis eius corpus,

* add. occuparunt V.

* f. & parum dignis Sch.

* 5

* in mscr. abstineri Sch.

* mel. in Sch.

* mel. & actus Ioannis Papæ Sch.

* longe melius sine, igitur, Hos multi -- Sch.

corpus, seu vniuersitas scandali huius expers sub silentii taciturnitate consisteret, Generalis illius ac complicium suggestionibus non adhærens. Verum excommunicatis, ac maledictis his *Michaele* & consociis per *Ioannem* Papam, ipsi per terras, vrbes, & municipia *Ludouico* fauentia vagabantur, & contra interdicta Papalia iussu, ac permissione *Ludouici* diuina mysteria celebrabant.

X Infecit quoque per idem tempus error vnus perniciosus & *Prædicatorum* Ordinem. Plerique enim conuentuum *Venetiæ*, *Paduæ*, & *Taruisii* sibi auctoritate quadam potentatum assumpserant officiorum, rerum, & ministeriorum communium, vt oppressa reliqua fratrum multitudine Prælatos Ordinis, scilicet Generales & Prouinciales, eligi pro suo libitu curarent; quos vellent, extollerent, quosque vellent, deponerent; prouentus quoscunque ipsis distribuerent, vt nonnulli ex communibus prouentibus pecuniosi dicerentur, gazasque priuatas * habere, sibique has vices sumpsisse, vt veluti perpetui superesse putarent. Demum per eiusdem Ordinis aliquos insinuatione Papæ facta, atque fide facti, Papa Generalem Ordinis Priorem, Prouincialem quoque, & plurimos illo errore præsidentes ab officiis absoluit, & eorum potestate priuauit, aliumque Generalem, ac Prouincialem suffecit, quibus & consocios Visitatores totius Ordinis adiecit, quos *Venetias*, *Paduam*, *Taruisium*que profectos præfati ausu præsumpto non admisere; sed potius fauore complicium suorum confratrum, nec non & laicorum brachiis sibi adscitis reiicere conati sunt. Fuereque etiam, qui in institutis a Papa ex Ordine eodem sese propitios præstitere. Lis suborta iam ad manuum iniectiones partes concitauerat, scandalumque in publicum enunciatum, deductumque est, vt vndique & hoc tempore præiudicialeque iurgium vndique vulgaretur. Appellantes autem ad ipsum Papam ii, qui his nouis processibus grauabantur, Papa constanter in rem talem amouendam * persistente, succubuere, & sub ingenti per totum orbem infamia tandem quieuere. Detestabantur populi huiusmodi Religiosorum facinora, quæ mala signa portendere aiebant, quod ipse scissæ Religiones inuicem colliderent, atque colluctarentur.

XI Addidere & alii singulares tantis dissensionibus augmenta. Episcopus *Furliuiensis* eo, quo potuit, apparatu in Papæ *Ioannis* contemptum Mediolanum ad *Ludouicum* accesserat, seque in omnibus obsequentem præstiterat, simulque & Episcopus *Venetus* digressus Venetiis ad *Ludouicum* Pisas contendit. Quibus mox *Ioannes* Papa, notitia habita, priuatis, maledictisque, successores dedit. Terrebant hac enim parte Christianos * ... hoc schisma in tantum inualesceret, vt in terris, vrbibus, castrisque *Ludouico*, Imperioque fauentibus, spretis Papæ *Ioannis* interdictis, excommunicationibusque, Religionum conuentus, ceterique basilicarum, seu capellarum parochiani diuina officia celebrarent. *Beltrandus* in Italiam Cardinalis primum *Placentiæ*, inde *Parmæ* cum militiarum suarum copiis persistens adiussu Papæ prœlium apud * .... Vitabundus, plus *Ludouici* fautores terroribus, quam armorum insecutionibus impetebat. Qui demum Lombardia digressus, *Bononiam* se contulit, quam decedentibus * ciuibus & populo in plenum dominium accepit ...... Romei olim de Pepolis pulsi fuerant, multosque ex veteribus antiquarum causarum exulibus introduxit. Ibique pro Romana Ecclesia, Papaque *Ioanne* sibi sedem firmauit, assidue cum Florentinis, Perusinis, Senensibus, & aliis vndecunque per Tusciam, Romandiolam, & Marchiam Gelfis fauorem partis Ecclesiæ pertractans. Nunc prospera, nunc aduersa perpetiens, maxime semper aiebat, in summi Dei auxiliis fidens, perconcussam Ecclesiam, Petrique nauiculam non mergi permitterent. Sed paulo post Parmensis ciuitas coniuratione *Rubeorum*, præsidio Ecclesiæ pulso, rebellis effecta est, moxque delata re ad Legatum, Episcopum *Parmensem*, qui de *Rubeorum* prosapia erat, captum retinuit.

XII *Ludouicus*, cui nulla, quatenus vires suppetiissent, audacia deerat, Regnum Apuliæ aggredi vehementi animo aspirabat, quascunque poterat in vrbe copias accumulans. *Robertus* vero, dum illo & diuitiarum & omnium ferme copiarum fortior, potentiorque cerneretur, Regno suo consistere, nec vltra discurrere multa prudentia disposuit, seque, suosque continuit, cum a Tuscis & Italiæ Gelfis ad concertandum multis suasionibus induceretur. Ille tamen immobilis, atque in se consistens, vrbes, prouincias, municipia, & colonias suas munire, circumuallare, in vigilibus præsidiis spem habere, procul *Ludouicum* ipsum produ-

* 6

* pro, *in re tali amouenda* Sch.

* f. desideretur, *ne* Sch.

* f. *Sustum* Sch.

* f. *se dedentibus* Sch. Reliqua desiderantur.

productione, quam bellis apertis fatigare. Nouerat siquidem populi Romani mobilitatem, atque inconstantiam, quodque illis *Ludouicus* plus honori, quam emolumento foret, dum cum suis Germanis gente soluta & licentiosa illis fastidia, damnosaque tædia inferret. Curæque summæ *Roberto* erat, ne de suis finibus, terrisque Regni per plana, per æquora Romam annona, victualiaque deferrentur, quorum carentia Romanus populus afficeretur. Idque *Roberto* ad votum succedebat. Nam subito Romæ multa irrepsit rerum carentia, quæ & Germanos & Romanos admodum coangustabat. Ab auxiliaribus tyrannis Lombardis, Tuscisque *Ludouicus* frequenter subsidia postulabat, qui illum plurimum pollicitationibus frustabantur. *Castrucius* tamen cum multis Pisanorum, Lucensium, & suorum subditorum turbis, viri strenui (sicut erat) vices agens, Romam ad *Ludouicum* se contulit, vbi eximio fauore susceptus a *Ludouico*, & Populo Romano, mox vrbis Romæ Senator creatus est, curiamque *Ludouici* adeo auxit magnitudine ac fauore, vt quibusque Imperialis partis per vniuersam Italiam amicis spes sucrescerent, reliquis magno metui forent.

*7 *XIII *Ioannes* Papa tantis anfractibus, rumoribusque assidue inualescentibus, etsi mente, vel corde timidus, nil tamen ambigui in patulum ostendens, Dei maxime fiducia ad fratrum, curialiumque exhortationes erigebatur, hoc non contingere aiens, nisi vt his luctationibus ac vexationibus sancta crescat Ecclesia. Inimicos sua ipsorum exterminet pernities. Edictumque subito per vniuersam Ecclesiam omnibus fidelibus emisit: *In sacrarum missarum solemnium officiis post* Pater noster *orationem specialem ad altaria cantari*: *sterneret Deus inimicos sua virtute, vt Ecclesia illi subsolita, & sua libertate conseruiat, seu subseruiat.* Addido Psalmo *Letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi*, &c. Mirum quid post edicti huius decantationem notatur. Euenit enim, vt eius virtute signa per eos dies subsecuta sint. *Passarinus*, Mantuæ tyrannus, vir astutissimus, cuius maxime ductu, consultoque *Lodouicus* in Italiam tractus extiterat, ab *Ludouico* de *Gonzaga*, & filio, ex coniuratione cum *Cane Grandi* della *Scala* habita, præsidioque eius, inscio *Passarino* in Mantuam accepto, obtruncatus, necatusque est, filio eius *Francisco* capto, & cæsis membris omnibus decaluato in *Castellaris* fundum iacto, in quem olim *Franciſchinum* Nobilem de Mirandula, multosque *Passarinus* coniectos ad famis mortem coegerat. Hicque finis *Passarini* fuit, tyranni longissimo tempore crudelissimi. Episcopus *Furliuiensis*, qui & spreta Papæ *Ioannis* & Ecclesiæ auctoritate magno apparatu in Lombardiam ad *Ludouicum* accesserat, fauoreque multo excoluerat, repentina morte ac crudeli correptus est, quamquam & hic signa extremæ pœnitudinis eorum, quæ in hoc opere commiserat, & verbis & nutibus patenter ostenderit. *Castrucius*, vir robustæ fortitudinis, mox, dum Roma digressus in Lucam rediit, & ipse morte præuentus est. *Raynaldus* & *Opizo* Marchiones Estenses, qui & reliquorum fautorum *Ludouici* complices fuerant, Papæ *Ioannis* indulgentiæ sese committentes, ad ipsius Papæ, Ecclesiæque gremium confugere, quos Papa, Catholicorum fidelium multorum rogatibus, in gratiam suscepit, Ferrariamque sibi & Ecclesiæ resignatam, & traditam accepit, quam & ipse multa liberalitate illorum fidelitatibus regendam, gubernandamque commisit, illosque cum complicibus, & quibusque excommunicatis seu interdictis ab omni anathemate & processu absoluit, & Ecclesiæ sacrosanctæ filios nunciauit. Galaaz Anno Domini nostri IX. M. CCC*.

* Glossema est, quicquid continetur his verbis; *Galaaz anno Domini nostri IX. M. CCC.* Sch.

XIV Per idem tempus constitutum vnum de gente Germana Marchionem in Marchia Anconitana *Petrus* de *Coruaria* Antipapa in Marchiam transmisit, qui plurimarum ciuitatum fauore identidem amplo dominio vsus est. Hic *Tanum* de *Esio* diu magnificum, qui & ipse multa tyrannica in Marchia exercuerat, securi percussit, magnamque partem Marchiæ eius subegit. Eo anno *Carolus*, *Roberti* Regis Apuliæ filius, naturali morte vita subtractus est, cuius funus Apuli magno luctu prosecuti sunt. Anno hoc innouata fama est per omnes terras Italicas, verisimile videri, litterarum signa, quæ iam ferme septennio a Philosophis Astronomicis Toletanis vulgata fuerant, incipere, per quæ iudicabatur hoc eodem anno, præsertim mense Septembri, finem habitura, futurum scilicet

 esse,

esse, vt aeris, & temporis intemperies pestifera, & plena terrorum, esset infinitos mortales ad mortem coactura, de cœlo audiendos nouos sonos & gemitus, eclipsim vniuersalem, qualis ante non fuerat, terræ motus in plurimis mundi locis, insuper fames, & inedias, aquarum inundationes, tonitrua, fulgura, cædes, Regem vnum magnum periturum, paucos viuorum..... *, nisi ad certa loca in litteris discreta, & sub cauernis confugerent. Fidem rebus his multa iam aduenientia præbuere. Terræ motus siquidem in Marchia Spoletana ciuitatem *Nursiam* totam euertit, in qua occubuere capita *..... matibus obruta. Vndique per Apuliam & Italiam non modo.... per terras Tusciæ, Marchiæ, Romandiolæ panis refectionis.... pretio reperiretur mensibus Martii, Aprilis, & Maii frigidissimæ *....

* videtur desiderari, *superstitem* Sh.

* f. *descripta* Sch.

* f. *frigidissimis* Sch.

* Mutilus hic plane mscr. ne quis miretur, multa desiderari. Sch.

XV *Ludouicus* Romanis onerosus vrgente victualium inopia, & effrena Germanorum gente populo molesta, ac interdum versa, dum se, suosque ingratos præsentiret, cum contubernalibus suis Antipapa, & Anticardinalibus suis in *Viterbium* secessit, vnde & demum *Lucam* aduenit, dominatumque ciuitatis, non admisso *Castrucii* filio, occœpit, identidemque resedit. Cumque deficientibus eorum suffragiis, qui in Italiam illum contraxerant, copiis suis stipendia deficerent, ciuitates Lucanam & Pistoriensem breui intolerabilibus exactionibus confecit, vt nec soli sui & suorum victui impensæ suppeterent; sicque familiarium rerum inopiis egens, atque exhaustus, in Lombardiam descendit, *Cremonam*que vrbem ingressus cum militum sociorum V centum, vel circiter comitiua, *Canem Grandem* ad * colloquium in *Marchariam* accersiit, & in eo loci *Canis* ingentibus Paduanorum, Veronensium, & suarum terrarum copiis peditum, ac militum in loco campestri cum *Ludouico* conuenit. Terminata, constitutaque per eos dies parum innotuere; verum subito *Cremonam* noua ingrata, horrendaque *Ludouico* allata sunt, *Azonem*, olim *Galaaz* filium, Vicecomitem cum ciuibus, amicisque suæ factionis ciuitatem Mediolani in se, suumque Dominium occupasse, rebellemque *Ludouico* se fecisse. Paucorumque fere dierum interiectione & de *Luca* acceptum est, *Marcum Balatronem*, Vicecomitem cum *Castrucii* filio, quos præsidio Lucæ *Ludouicus* reliquerat, socia coniuratione rebellasse, & cum Florentinis, Gelfisque Tusciæ pacem in *Ludouici* odium, præiudiciumque temptare. Furliuienses quoque spreto, recusatoque *Ludouici* imperio mandata Ecclesiæ, Legatique Apostolicæ Sedis iurasse, multos per Tusciæ terras eadem attentare, in Longobardiaque plurimas vrbes, scilicet *Papiam*, *Pergamum*, & *Laudam* deficere, ac palam defecisse, solum *Canem* cum *Ludouico* Mantuæ Dominatore, & Parmensibus *Ludouici* fidem tenuisse, nec tamen adeo de *Ludouico* fidere, vt illum in vrbium suarum mœnia admitterent. *Ludouicus* his angustiatus pressuris *Succinum* municipium adiit, paucisque diebus annonæ & alimoniorum vrgente carentia Mediolanum versus iter dirigens, traiecto *Ambro* * amne *Valubrium* descendens sequenti die *Gorgozolam* mouit, coloniam X milibus ferme passibus a Mediolano distantem, identidemque resedit: *Spinetam* de *Malaspinis* Marchionem, per *Canem Grandem* ad *Azonem* transmissum, dictum est, *Ludouico* acquiesceret, fidelisque foret: At illum prius mortem subiturum respondisse, in eodemque proposito & Mediolanenses fore. Retruso ergo *Ludouico* ad hæc Lombardiæ confinia *Beltrando* Ecclesiæ Legato accreuit animus tam Tusciæ, quam Marchiæ, ac Romandiolæ etiam populos, & vrbes, ac Dominatores ad amicitiam Ecclesiæ allicere, dum iam ab *Ludouico*, caloreque Imperialis fauoris se destitutos viderent, vrgente illos metu, ne maxime in eos, qui illi adhæserant, vlcisci meditaretur. Sed & hoc fortunæ cursu sic concernente vltra, quam ipse idem putauerat, ad votum successit. *Franciscus* quidem de *Ordalaffis*, qui & *Zecchus* nuncupabatur, Furliuiensium Primas, ac inter eos detestatus, reuerenti voto cum Furliuiensibus se Ecclesiæ deuotum, pariturumque præsto obtulit, ac obnixam fidem dedit, & cum iureiurando in Bononia præsentiali persona, paucisque post diebus cum CCLI lanceatis equitibus ad Legatum se contulit, quacunque iusserit illum ire, pariturum..... Filius *Francisci*, qui *Fauentiæ* pulso patre præerat, cum quibus potuit militum, peditumque copiis idem fecit. Ariminenses, Rauennates, & ferme omnes Romandiolæ, & Marchiæ populi Dominatores fecere idem, & Tuscia

* 8

* pro, *Lambro*

Tuſcia pariter vniuerſa. *Marcus Balatronus* Vicecomes Lucæ cum...... filio olim *Caſtrucii* incluſus, dum nepotem *Azonem* filium olim *Galaaz*, *Ludouico* rebellem pernoſceret, ſe ſe continuit, cum Florentiniſque permulta per internuntios ſuper agendis in his amfractibus pertemptauit, fiduciamque Florentinis mercatoribus, ceteriſque viantibus libera licentia eundi, redeundi, mercandique largitus eſt.

XVI Tunc nec *Beltrando Ludouicum* amicoſque in Longobardia, Reginos * ſcilicet, ac Parmenſes hac veluti fuga & auerſione *, viſum eſt; ſed confeſtim, vt potuit, accerſito ex Venetiis Ioanne Quilico, exule Parmenſi, multos Parmenſium tam in ipſa vrbe, quam in coloniis ſuæ factionis habente, illoque in fidem accepto, copiis militum, peditumque ei iunctis, primum in Reginum diſtrictum, deinde in Parmenſem, ac colonias depopulandas, cunctaque exteriora cremanda transmiſit. Regini* ſiquidem per eos ante dies & ipſi ſuggeſtione *Rubeorum* Parmenſium ab Legato & Eccleſia ad contrarias partes defecerant. *Ioannes Quilicus* cum militiis Eccleſiæ, fautoribuſque, videlicet filiis olim *Giberti* de *Corrigia*, & aliis ciuitatum *Regii* & Parmæ extorribus in eoſdem fines diſcurrentes vrere, prædari, & captiuare, omnia terræ ſubſtantia conſumere hoſtili more. Quibus caſtrum *Berbium* validiſſimum ſponte mox redditum eſt, bello Reginis & Parmenſibus inferendo congruentiſſimum: deinde ad caſtrum, ſeu burgum *S. Dyoniſii Ioannes Quilicus* cum certa coequitans militum, peditumque manu, diſcurrens illud inquilinorum, fideliumque ſuorum præſidiis firmauit, deque bello vrbi inferendo conſtituit. Proceſſereque Eccleſiæ, Legatique phalanges, adituſque vrbium earum vndique obſidentes cinxere, ne qua parte illis auxilia conquirerentur, quorum intrinſecos & fames iniqua, inediaque priuaſſet, dum eo anno per vniuerſam Tuſciam, & pene omnem Italiam (vt prædictum eſt) omnis generis caritas populos vrgeret.

* ł. *Rhegienſes* V.
* ante, *viſum*, deeſt aliquid. Sch
* l. *Rhegienſes*

*9 * XVII *Canis Grandis* Veronæ, dum eo vſque Legato Eccleſiæ ſeſe non actibus ſeruitorem, verbis tamen, & blandimentis beneuolum exhibuiſſet, per eos dies in contrarios actus, ſeruitiaque prorupit, apud *Marchariam* (vt ſupra expoſitum eſt) ſolemni & perſonali aſſiſtens alloquio *Spineta* Marchione, & *Gulielmo* de *Nogarolis* iniente inter *Ludouicum* Bauariæ & *Azonem* Vicecomitem diſcordia *.... tens, præterea & Parmenſes ac Reginos conſiliis, & hortamentis aſſiduis .... de *Carraria*, Paduanum, *Rubeorum* Parmenſium conſanguineum, ad eos roborandos dirigens, rebellionique Eccleſiæ coanimans. Semel quoque quidem circa Martias Kal. euocatis Paduanis, & vndecunque ſubditis Verona egreſſus Mantuam verſus exiit, quamquam ea die verſo ex cauſa non omnibus nota propoſito rediret, plurimiſque diebus in Verona præſidia militum, equitumque in armis tenuit belli in quamcunque partem inferendi ſigna edens. Cui & *Ludouicus* de *Gonzaga* Mantuanorum Dominus per omnia adhærens inſeruiebat vti dominium occiſo *Paſſarino* ab illo recognoſcens.

* Difficile omnino, allequi, quæ hic deſiderentur. Sch.

XVIII Æſtate in hac Legatus in tanto fortunæ caſu omnia bellica parare, inſtruere, naualia etiam vaſa, galeas ſcilicet duas Bononiæ fabricatas, aliaque nauigia tabulata Ferrariam traduci faciens, pararique onerarias diuerſorum generum rates. Ab amicis Venetis III galeas poſtulauit, vaſa ſcilicet duntaxat, & armamenta, quod conductu & ſtipendio Eccleſiæ nautæ & bellatores ad prœlia fulcirentur. *Ludouicus* autem Bauarus per colonias Mediolani peruagatus, hinc atque hinc caſtra frequentius immutabat, vnde copioſius tam viris, quam beſtiis alimonia ſuppeterent. Paucis autem, & iam fere nullis præter *Canem Grandem* Italicis Principibus, aut populis ſuffragia præſtantibus, ipſeque *Canis*, ne Legato ſeſe hoſtem manifeſtius patefaceret, modica, præterquam de ſummittendis ex ſuis contubernalibus pro pace inter ipſum, & Mediolanenſes tractanda, ſubſidia præſtabat. Sicque *Ludouicus* exinanitis aliunde, quam ſuorum Germanorum viribus ægre ſe in cis Longobardiæ finibus continebat. Iamque pæne in Alemanniam retroverſurus ab Longobardis omnibus Italicis putabatur.

XIX De hoc autem *Ludouico*, cur nondum ipſum Cæſarem, aut Imperatorem vocauerimus, deprimerimus, *non incongruum putamus. Vere quidem electionem primitiuam a veris Imperii Electoribus ſatis idoneam fateri non prohibemur. Itemque & victum prœlio campeſtri *Fridericum* Auſtriæ Ducem

* f. *depreſſerimus* V

Ducem, cum pro causa Imperii certaretur, constare satis volumus. Reliquiasque Domini nostri Iesu Christi, lanceam scilicet, & clauos, quæ veluti pignora quædam veri Imperatoris, & Romani Regis habentur, ab illo eodem bello quæsita potenter, sicut vera sunt, indubitanter asserimus. Rursusque & ipsum strenuo animo Alpes transiisse; Mediolani coronam ferream suscepisse, inde per Tusciam permeantem Romam peruolasse, in Capitolio sedisse, Senatorem, Consulesque, ac Decuriones, & Tribunos more Romani Imperatoris creasse. Populi Romani concione laudatum, approbatum fuisse, omnia vasto animo aggressum, quæ ad virum audaciæ, eximiæque virtutis pertinuerint. Hæc, & nomine, & re dignum Cæsarem, Romanorumque Regem nuncupandum, vocandum, dignumque fecere. His tam grandibus, excellentibusque præconiis alia in oppositum altera populorum opinione proposita inducebantur, hunc scilicet primis sui Principatus initiis Papæ *Ioannis*, sanctæque Romanæ Ecclesiæ communicationem, reuerentiamque spreuisse, damnatis a Papa, rebellibusque Ecclesiæ Vicecomitibus auxilia præstitisse, monitisque omnibus contemptis, se ipsum rebellem exhibuisse, tyrannorum Longobardorum & Tuscorum ductu in Italiam transiisse, partiariumque se ostendisse, vt *Robertum* Apuliæ Regem, ceterosque terrarum Italiæ Ecclesiæque amicos Principes, ac populos, eorum tyrannorum suggestionibus (quatenus ipse, ipsique potuissent) oppressisset. Quodque prauis aliquorum sibi adiunctorum consiliis Papam *Ioannem* abhominatus, ac detestatus furioso plebeiorum, populique Rom. clamore, accensoque rumore, in illum sub nullius sacri, solemnisque iuris serie, solius facti executione, depositionis, hæreticæque superstitionis sententiam fulminasset. Ne ve diuini, humanique iuris allusioni, sacrarumque constitutionum, ac consuetudinum quidquam deesset, turpi ludibrio, periculosoque Christiani ritus discrimine, Antipapam, Cardinalesque creasset sub clamore, fauoreque dementiæ popularis, sub sacri manti Papalis effigie, galeorumque rubeorum. Ad vltimumque, fœdum ac cæcum Consistorium constituisset. De potentia Papæ factiosas per imperitos Consodales suos astu partiario conscriptiones promulgasset. Denique & simplicissimorum puerorum more *Ioannis* Papæ ideam seu * imaginem ex stramine formari passum esset, ipsamque imaginem *Ioannis* Papæ nomine igni adiudicatam cremasset. Quæ quidem talia toti mundo horrenda abhominandaque *Ludouico* huic leuitatis, paruæque prudentiæ, potiusque paucæ maturitatis infamiam attulere. Verum cum plurimos Imperialis factionis hæc iam dictis Consodalibus, prauisque Consiliariis, quam ipsi *Ludouico* ascribi dicerentur vsquequaque tamen ipsa excusatio non leuabat. Ob quas rerum varietates ii mortalium, qui *Ioannem* Papam, vti sacrosanctæ Ecclesiæ ordinarium caput, obseruatumque venerabantur, *Ludouicum* hunc Cæsarei, Imperatoriique nominis dignum negabant, *Bauarum* vocitabant, reliqui, quorum longe minor numerus erat, Imperatorem Romanorum. Nos maiori parti adhærentes, & *Ioanni* Papæ, Ecclesiæque deferentes, quod profecto nobis æquius videbatur, maxime ob enormes creatorum Antipapæ, & Anticardinalium ignominias, *Ludouici* tantum nomen expressimus, nil ipsius merito, dignitati, auctoritatique detrahere intendentes, sed ..... * veritatis iudicium reseruantes.

* Ademit hic etiam aliqua æui longinqua vetustas.

XX. Ducis huius, seu Principis staturam, moresque quam ..... hoc loco describere expediens putauimus. Statura fuit gracili, & procera. Capillo subruffo, raroque. Acie viuidi coloris semper ridenti simili, oculis caprinis. Naso peracuto ad os prono, ac propinquo. Maxillis æqualiter carnosis. Mento tereti. Collo ceruici & humeris congruenti. Lacertis, cruribus, & pedibus staturæ congruentibus. In armis strenuus, & audax ad omne discrimen; sed præceps, & nimium lubricus. In aduersis consilio egens, iocosus, atque vrbanus. In incessu citus. Frequens sessionum, & locorum mutator.

RICARDI

RICARDI BARTHOLINI,
PERUSINI,
DE

BELLO NORICO

AD
DIVUM MAXIMILIANUM

AUSTRIADOS

LIBRI XII.
CUM SCHOLIIS

IACOBI SPIEGELII

SELESTADIENSIS.

* * *

POstremum hic locum occupant XII hi AVSTRIADOS siue de *Bello Norico* libri. Auctor illorum RICHARDVS BARTHOLINVS gente fuit Italus, patria Perusinus (vt praeter alios vel ipse in titulo operis indicat) familia ortus honesta, nec vno laudis genere spectata. Patruum certe habuit *Marianum Bartholinum*, virum & munerum dignitate, & meritorum amplitudine quam maxime illustrem, quippe qui a *Iulio* Papa *II* in duodecimuiralem Iudicem (quos *Auditores Rotae* vulgus appellat) cooptatus fuit, quum prius Cardinalem *Rheginum* in Hungariam comitatus esset; postea vero Oratoris titulo in Germaniam ad *Maximilianum* Imperatorem missus est, & quum negotiorum sibi commissorum rationibus liberaliter dextreque expeditis, Romam rediisset, caloris aestiui leuamen Sublaci quaerens, aquarum frigiditate morbum contraxit; quo confectus, mortem oppetiit*.

* *Spiegelius* infra in schol. ad v. 488 & seq. lib. II.

Ipse bonus excultus litteris, omnibusque ingenuis artibus si quis alius, probe instructus, cum patruo in Germaniam concessit*, & tum eruditione sua, tum morum suauitate omnium facile amicitiam sibi conciliauit ac fauorem. Sigillatim a *Matthaeo Lango*, Patre purpurato, Episcopo Gurcensi, & Archiepiscopi Salisburgensis cum spe succedenti Adiutore, inclitae virtutis, magnaeque in rebus Imperii publicis tum prudentiae, tum auctoritatis Principe, in familiam adscitus, Sacellani aulici admotus ministerio est†; inter tot viros ingenio aeque ac doctrina praestantes, quos obsequiis ille sibi alligarat, loci & honoris non postremi.

* Vid. *Spieglius* l. d.

† *Cuspinianus* in Diario de congressu Caesaris ac trium Regum Vindobonensi, tomo II Scriptor. Freherianor. p.607: *Finito officio* Richardus Perusinus, *Reuerendissimi Cardinalis Gurcensis Capellanus, dicere incepit, vt est eloquentissimus.* Nescio igitur, quo mentem diuiserit *Hendrich*, dum in *Pandectis Brandenburgicis* p. 433 scripsit: *Bartholinus Perusinus "Cardinalis & Episcopus Gurcensis. Retulit in litteras & edidit responsum Principum Germaniae datum Legatis Leonis X & ceteris Oratoribus. Augustae Vindelicorum MDXVIII.*

Ista officii fungens procuratione, tum anno MDXV Viennae in celeberrimo illo Caesaris ac trium Regum, *Vla-*

Vladislai Hungariae, *Sigismundi* Poloniae, ac *Ludouici* Bohemiae congressu coram & sub oculis illorum egit, dignus omnium maxime habitus, qui publice diceret *; tum anno MDXVIII Augustae Vindelicorum in amplissimo illo Caesaris Principumque conuentu cum Hero suo substitit, ac quae in eo acta fuere, pulcra descriptione, ab *Conrado Adelmann* de *Adelmansfelden* publice post edita †, complexus est.

* *Cuspinianus* l. d. Quam vero tum habuit orationem, ipse Hodoeporico *Mathaei* Cardinalis Gurcensis lib. II (p. 658-663) ad verbum inseruit. Ceterum in hoc ipso Gurcensis itinerario de conuentu hoc curate egit. *Cuspinianus* l. d. *Hic etiam tribus* (immo duobus) *libris, quos* Odeporicon *vocat conuentum hunc celebrauit. Dantiscus* in carmine *Hodoeporico* huic praemisso:

Cuncta vt conspexit, Riccardus *scripsit ad vnguem,*
Delicium certe posteritatis erit.

Seckendorfius Histor. Lutheran. lib. II sect. I § I n. 7 p. 5: *Panegyristes regii istius congressus non ineptus,* Richardus Bartholinus *Perusinus.*

† Anno quidem eodem, forma quarti ordinis, hoc titulo: *Richardi Bartholini, viri erudissimi, de conuentu Augustensi concinna descriptio, rebus etiam externarum gentium, quae interim gestae sunt, cum elegantia insertis.*

Viris alioquin illa aetate celeberrimis, ac genere, honore, copiis, existimatione, scientia atque eruditione longe ante alios eminentibus, *Ioanne Francisco Pico*, Mirandulae Principe, *Iacobo Spiegelio* Caesaris a consiliis & epistolis secretioribus, *Erasmo Roterodamo*, incomparabili illo bonarum litterarum instauratore, *Caspare Vrsino Velio*, Cardinalis Gurcensis primum a secretis, dein Caesaris Historico, *Ioachimo Vadiano*, Nobile Heluetio, Medico tum in artis salutaris scientia, tum in omnium bonarum artium disciplinis egregio, Senatore Sangallensi, *Ioanne Dantisco* Polono, Regis *Sigismundi* a libellis, post ecclesiae Varmiensis Episcopo, pluribusque aliis familiariter vsus est.

Quanti *Maximiliano* Caesari ipsi ob eruditionem, carminumque elegantiam visus fuerit, vel inde colligere licet, quod ab eo coetui Vatum tum temporis ingenio atque facundia praecellentium adscriptus fuerit, socius factus *Ioannis Stabii*, *Thomae Velociani*, *Ioannis Cuspiniani*, *Vlrici Hutteni*, *Ioachimi*, quem modo laudaui, a *Watt* siue *Vadiani*, *Casparis*, quem itidem iam nominaui, *Vrsini Velii*, *Richardi Sbrulii*, *Ioannis*, quem iam primum dixi, *Dantisci*, *Ioannis Piniciani*, *Vrbani Regii*, *Alexandri Brassicani* * cet.

* *Spiegelius* in not. ad *Petri Aegidii* epistolam in obitum *Maximiliani I.* tomo II Scriptor. Freherianor. p. m. 764.

Sed enim, vt ad ipsos hosce libros deueniam, coepit eos non longe post bellum hoc Noricum finitum. Vt digne absolueret, nulli pepercit labori, decem annorum spatio iis conficiendis & exornandis impenso *; versibus vero multae venustatis, grauitatisque, atque adeo plane luculentis, vti sane magni spiritus ac ingenii erat poeta. Quos cum Caesari dicasset, haud ἄδωρος abiit ** (vti postea, quum *Vladislao* Hungariae Regi epithalamium in *Ludouici* ac *Mariae* matrimonium Viennae obtulisset †) maius praemium, si Caesar diutius in viuis egisset, accepturus.

* Sic enim ipse lib. XII v. 961 & seq.

Iam bis quinque *meis multum euigilata* per annos
Austrias *elapsa est manibus* ——

Vnde post *Vadianus* in dedicatoria operis ad Cardinalem *Langum*: *Essetque consilium non tam meum, quam eruditorum multorum, ea in lucem* decennio elaborata *emittere.*

** Vid. *Spiegelius* in not. ad v. 969 & seq. dicti libri XII.

† Vti ipse prodit lib. II *Hodoeporici* p. 670; *Hosce versiculos cum obtulissem, adoros abii. nugae. nam Principum fores pedibus, quod aiunt, non manibus pulsandae.*

Quamprimum autem in manus eruditorum venere, maxime quum prelo liberati prodiissent in publicum, tantum non omnium laudes tulerunt, applausumque. Praeter *Ioannis Francisci Pici*, *Ioachimi Vadiani*, atque *Iacobi Spiegelii* iudicia, quae infra legere poteris, testimonii loco sint, quae sequuntur, aliorum haud minoris, famae virorum, quae subiungo, elogia.

Sic enim

Ioannes Dantiscus

in carmine de profectione *Sigismundi* Poloniae Regis in Hungariam, quod Hodoeporico *Langi* insertum est, v. 242 & seq.

—— —— *Exin*
Appulit Hetrusco Riccardus *sanguine cretus,*
Grandia qui cecinit Romani Caesaris acta,
Egregius vates ——

vbi *Freherus* in margine recte notat, per *grandia* illa, quae cecinerit, *Caesaris acta* intelligendos XII hosce *de Bello Norico* siue Bauarico - Palatino libros.

Nicolaus Gerbelius

ad *Bartholinum* auctorem,

Euge tuum mirantur opus, tua carmina adorant
Pierides, ridet conciliata Venus.
Per virides lauros iurat crinitus Apollo,
Nil aliud toto dulcius orbe legi.

Huber-

Hubertus Thomas Leodius

lib. III Annal. de vita *Friderici II* El. Palat.
p. m. 43.

Qui totum bellum legere volet, is inueniet apud Richardum Bartholinum, *qui de illo duodecim libros eleganti carmine conscripsit, quos Doctor* Spiegelius *doctissimis illustrauit commentariis.*

Acutius, ni fallor,

Ianus Douza,

praefat. secunda annal. Batauicor. quos carmine scripsit, apud *Vossium* lib. III de H. L. cap. XII p. m. 679;

Vt minus suffecerit operi, cui se parem credidit; laudandus tamen vel hoc ipso, quod officium suum in gloriosissimo Principe decantando requiri passus non fuerit.

Nicolaus Hieronymus Gundlingius

Otior. parte II cap. IV § VII not. g) p. 189;

Forte de Richardi Bartholini *Perusini XII* Austriados *libris in quibus bellum Palatino-Bauaricum* Maximiliani *Caesaris in honorem, versibus sani omnino coloris descriptum est, nonnullam mentionem iniicere potuissem. Sedenim mihi nimis poetici ac panegyricorum ad formam exarati videntur.* Iacobo *certe* Spiegelio *haud exiguo labori fuit, verbis ac rebus per* λόγοις *paganorum* μυθικοῖς *obscuratis lucem affundere.*

Edidit autem illos non ipse, sed *Ioachimus Vadianus* & quidem anno MDXVI, 4; *Iacobus* deinde *Spiegelius* eos Argentorati anno MDXXXI recudi fecit, scholiis illustratos, doctis certe ac laboriosis; quae bonae frugis futura haud inaniter ominatus est, dum in conscribendis iis occupatus adhuc ille erat, laudatus modo nobis *Vadianus* *; *doctissimos* vero *commentarios*, cum eos luci *Spiegelius* exposuisset, *Hubertus Thomas*, vt modo audiuimus, tam vere, quam breuiter appellauit.

* Commentar. in III librum *Pomponii Melae* p. m. 156; *Qui* (Spiegelius) *nunc in manibus habet commentarios in* Austriadem Bartholini *nostri, coeptus nuper, mox edendos, vt mihi retulit. De quibus sane polliceri studiosis ausim, nihil ab illustribus auctoribus passim de rebus Germaniae annotatum, nihil traditum olim, quod illi non clarius, aptiusue & suauiori gustu lectori sint exhibituri.* Coepit autem eos *Spiegelius* Caesaris ipsius suasione, vt infra in Dedicatoria ad *Georgium* ab *Austria* leges.

Reuberus denique his eos ſcriptoribus ex editione Spiegeliana adiecit. Quibus vero de cauſſis dignos iudicarit, quos ſuae huic Scriptorum ad rerum Germanicarum hiſtoriam facientium συλλογῇ ſubiiceret, facile colligere eſt. Inuentiones ſuaues aeque ac iucundae, inductiones aptae, verborumque lepos ac feſtiuitas illi placuere: nec vlli, qui genuinae poeſeos guſtum habet, diſplicebunt; vt celeberrimi nominis, rectiſſimique iudicii vir, *Gundlingius* l. d. exiſtimat.

Ceterum, qui de bello hoc planiorem, curatioremque notitiam haurire cupit, adeat *Mullerum* lib. II des Reichs-tags-Staat cap. XVIII p. 369 & ſeq. lib. III cap. I. p. 412 & ſeq. cap. III p. 433 & ſeq. cap. V p. 448 & ſeq. *Gerardum* de *Roo* lib. XI annal. Auſtriac. p. m. 554 & ſeq. *Fuggerum* Theatri honorarii Auſtriaci lib. VI cap. VI *Adlzreitterum* annal. Boioor. parte II lib. IX n. LXXIII p. 212 & ſeq. & quem primo loco nominare par erat, *Trithemium* hiſtor. Belli Bauarici tomo III Scriptor. *Freheri* p. 113 & ſeqq.

Haec prooemii inſtar. Iuuabit nunc, antequam eis euoluendis, legendiſque te des, & *Vadiani* & *Spiegelii*, de quibus ſupra, praefationes percurrere.

ERVDITISSIMO IN CHRISTO PATRI, MATTHAEO, MISERATIONE DIVINA S. ANGELI S.R.E. DIACONO, CARDINALI GVRCENSI, ECCLESIAE SALISBVRGENSIS COADIVTORI ET SVCCESSORI, IMPERIALIQVE LOCVMTENENTI GENERALI, DOMINO COLENDISSIMO,

IOACHIMVS VADIANVS, HELVETIVS, *FELICITATEM OPTAT.*

CVM *diebus superioribus, in manus meas,* Reuerendissime Domine & Illustrissime Princeps, Ricardi Bartholini *Perusini de bello Norico, plena eruditionis poemata venissent, essetque consilium non tam meum, quam eruditorum multorum, ea in lucem, vtpote decennio elaborata, quamprimum emittere: vt & meritissima gloria non priuaretur autor, & rerum nuper gestarum digna memoriæ series æternitatem sortiretur: visum est mihi tum demum hoc ipsum recte fieri, si tui in omnis eruditos patrocinii, tanti operis, vel prima pagina ratio haberetur. Tametsi enim non ignorabam, diuo* Maximiliano *Cæsari inuicto istud opus, quod magnam rerum a se in illo bello gestarum partem contineret, ab ipso Vate* Bartholino *dicatum fuisse: quia tamen in illa poesi sua, ita magnanimo Cæsari consiliorum, laborumque consortione adscriberis, vt quasi Achatem quendam herois Æneæ, fama super æthera noti, in ipsa mihi lectione repræsentaueris, merito post tanti Principis numen inuocatum, secundæ tutelæ & beneuolentiæ partes in te officii nostri sedulitate locari debuerunt. Vt enim pleraque alia, quæ me mouerunt, præteream, animaduertebam,* Ricardum *inter doctissimos integerrimosque, & ad quosuis exantlandos labores promptissimos viros, qui te sequuntur, tuamque aulam constituunt, loci & honoris esse non postremi. Præterea & id consecutum, vt de singulari tua in se gratia & beneuolentia, etiamnum sibi congratulari possit. Quid illud? quod vno omnium doctorum ore, vno optimorum quorumque, qui te nouerunt, consensu, is esse iudicaris, in cuius conspectum debeant, quotquot eduntur, illustrium ingeniorum monumenta venire. Non tam, vt illorum officio ille tibi honor, quem amplissimum consecutus es, augeatur, aut confirmetur, quam vt scire possint, dignum*

num sit luce & lectione, nec ne quod edunt. Hoc enim tibi, Celsissime Princeps, *supra multorum Principum fortunas peculiare accessit, vt præter summam in ciuilium, & ecclesiasticarum rerum tractatione prudentiam, præter multa alioqui & natura, & fortuna non communia tibi cum multis insignia, iudicare & discernere in omnium illustrium doctrinarum instituta contentione, quid optimum, quidve optimo proximum sit, perfacile possis; nec quis offerat tibi quicquam, sed quid offerat perpendere, & eruditioni potius, quam personæ meriti locum præstare. Quod ipsum, vt in aliis contigisse persæpe cognoscimus, ita in doctissimo & elegantissimo opere* Ricardi *nostri futurum esse speramus. Cuius vt incredibilem humanitatem summamque integritatem prætercam, quam ego his diebus, quibus te arduis maximorum Principum negotiis occupato, Viennæ amicissima & familiarissima consuetudine sua perfruor, expertus sum. Eruditionem certe suam, quæ multifaria est, sine piaculo non præteriero: quæ mihi singula collustranti, cum in aliis ingenii sui monumentis, tum maxime in illo, de bello Ducum Bauariæ, Principumque Palatinorum, opere admiranda esse videtur. Præter enim carminis diligentissime obseruatam elegantiam, & apertam istam fluidamque facilitatem, quam præ se ferunt, præter verborum & figurarum delectum, quem summo iudicio mihi habuisse videtur, ita rerum gestarum meminit, vt ab historiæ fide nusquam recedat. Ita veris luculenta illa, oculisque & auribus grata poeticæ pigmenta obducit & interponit, vt boni poetæ officium nusquam intermittat, simulque & prodesse, & delectare volens, vtilitatem cum voluptate, miro quodam artificio coniungat. Est inter hæc inuentionis acumen, est digestissimus ordo, est verbis parta gratia. Mire veritas resplendescit, mire fabellæ oblectant. Sunt his intertexta ex Physicis, Astronomicisque petita loca, sunt amœna & signata regionum, populorum, montium fluminumque, maxime ad Germaniam pertinentium, descriptiones. Ita proprie & graphice omnia exprimuntur, vt legens non legere, sed videre sibi, quæ legit, videatur. Præterea in orationum varietate, nusquam a decoro, nusquam ab arte receditur: sunt in his congrui rebus affectus, & illecebræ quædam, quasi suapte natura prognatæ: est mira vis suadendi, dissuadendi, vrgendi, dehortandi: sunt consilia, sunt argumenta, sunt colores, &, vt in summa dicam, quicquid ad consummatam huius generis scriptionem pertinet, hoc præstitisse mihi* Bartholinus *videtur: cuius eruditionem & diligentiam eo vehementius amplector, quod in media Italia natus, adeo de Germanis, rebusque, & locis Germaniæ abunde scripsit, vt ætatem suam, quam nondum prouectam habet, in media Germania egisse cuipiam videri*

possit

poßit. Quod si quibus operis varietas, vt nimia, fortasse subsultare videbitur, nil mirabuntur, cum in animum inducent, quot Principes in eo bello fuerint: quodque illi partim suis, partim Cæsaris auspiciis decertarunt. Quorum nomina etsi asperiora quandoque visa fuerint, quam vt ea heroici carminis dignitas susciperet: ponere tamen vt erant, quam mutare maluit, ne quisquam, quod mutata perperam essent, queri posset. Sunt præterea, Reuerendissime Domine, *paßim fabellæ quædam insertæ, quæ, quanquam ad delectationem potißimum excogitatæ videantur, altius tamen introspicientibus, detracto tectorio, magnanimi Cæsaris laudes (ni fallor) offerent. Postremo futuros non dubito, quibus nonnulla in locorum fluminumque descriptione nominum mutatio, aut varietas stomachum motura est. Cum tamen ipse poeta ad id agendum partim autoritate, partim seruandi nitoris studio, ductus sit. Quæ in re mature cognoscendum esse arbitror, antequam quis iudicet. Nam cum sine discrimine, nunc* Boemos, *nunc vero* Boiemos: *Item,* Amasium *flumen,* Amasiam, Amissum, *nonnunquam* Amusium *apellitat, autoritate factum est. Nam apud Latinos hæc nomina varie leguntur, quin & apud Græcos varie scribi, ipsum* Ricardum, *qui & græce cum primis eruditus est, mihi aliquando retulisse memoria teneo: sicut &* Vistulam *fluuium, iam* Visulam, *iam* Istulan *vocant. Addo etiam Græcorum angustias, in quibusdam suo arbitratu vel vitauisse, vel obseruasse, vt in descriptione* Mosæ. *Græci enim hanc dictionem per ω longum scribunt: tamen* Ausonium *imitatus est, qui* Mosellam *corripuit. Idem in dictione* Menapii, *&* Gessoriacus, *quorum alterum produxit, alterum per literæ vnius ademptionem, profert* Gessoracus: *quæ imitari aliquanto tutius aliquis potest, quam vno asserto, reliqua sine euidenti ratione reiicere. Illud omnino condonandum est, quod per licentiam, quæ poetis in his, quæ postulat ratio, perquam libera est, in descriptione* Ratisbonæ, *eam vrbem* Reginum *vocat, cum in vetustissimarum tabularum Geographia,* Regino Reginonis *inueniatur. Primo autem libro* Itæuon *pro* Istæuon *dicere potuit, cum* Batarnas *pro* Bastarnas Claudianus *dixerit. Quod si hoc illi licuit, cur idem non huic? Simili modo illos, qui oppidum* Inspruck *inhabitant,* Pontesænos *nominant, propterea quod coniunctim* Pontesæni *in antiquißima eius tractus tabella reperiantur: nec ineleganter ex duobus hoc modo vnum factum est, vt ciuem* Pontesænum, *agrum* Pontesænum *nominemus, nam & id ad* Maronis *imitationem fieri videtur, qui* Inarimen *coniunctim protulit: cum interim apud* Hesiodum & Homerum ἀρίμοις & εἰν ἀρίμοις *cum præpositione legatur. In barbaris vero, aut versis omnino, aut*

 parte

parte mutatis singularem ego eruditionem agnosco. Agendum enim mihi esse videtur quocunque modo, vt latine scripturi ita barbara disponamus, vt si latina esse omnino nolint, a latinitatis saltem candore non omnino abhorreant, id quod in heroico versu omnino necessarium est. Quemadmodum libro Epistolarum nono ad Caninium Rufum Plinius *scriptum reliquit, in hac verba:* Nonnullus & in illo labor, vt barbara & fera nomina inprimis Regis ipsius, græcis versibus non resultent: nihil tamen est quod non arte curaque, si non potest vinci, mitigetur. Præterea si datur *Homero* & mollia vocabula, & græca ad bonitatem versus contrahere, extendere, inflectere, cur tibi simile audenti, præsertim non delegata, sed necessaria non detur? *Hactenus* Plinius, *cuius autoritas eos retundit, qui minus fortasse decenter* Ricardum *barbara mutasse cauillari poterant: vt cum pro* Amurates, Amartes *dixit, & pro* Tamburlanus, Tabarenus *(scilicet, quia* Tabarenis *oriundus videretur) in his namque omnibus leniendis & cura esse, & ars solet. Id quod tu,* Illustrissime Princeps, *solito iudicio dignoscere exactius potes, quam ab vllo præscribi, atque explicari queat. Tu opus tantum, & quod laudum tuarum partem iustam continet, & quod diui* Maximiliani *titulos astruit, postquam acceperis, amplecteris & defendes,* Ricardumque *nostrum* Bartholinum *ob illam suam singularem eruditionem, qua dignissima Principum beneuolentia existit, amabis & fouebis. Vt te annuente alacrior promptiorque factus, plura huic similia tuarum virtutum monimenta in lucem edat: quod tum maxime futurum esse animo colligo, cum se abs te vehementer, vt hactenus, amari intelliget.*

Opto te, Reuerendissime Princeps, semper bene valere. Viennæ Austriæ, Pridie Nonas Octobris anno MDXV.

CLA-

CLARISSIMO SACRI IMPERII PRINCIPI,

DOMINO

GEORGIO *AB* AVSTRIA,

EPISCOPO BRIXINENSI,

IACOBVS SPIEGEL, SELESTADIENSIS,

S. D.

INnumeræ ſunt dotes tum animi, tum corporis, *Ornatiſsime Princeps*, quibus totus renites, quarum vnaquælibet ſatis fuerit, vt quicquid vſquam gentium bonorum librorum in publicum profertur, tibi vnice dedicari conueniat: de quibus ego hic neque ſingulis, neque vniuerſis mentionem vllam propoſui: & quia illuſtriores ſunt, quam quæ aut meis, aut quibuſuis exoticis præconiis egeant: & quod res, quæ per ſuam ipſarum virtutem placent, alienis laudibus grauari potius, quam commendari videas: earum tamen non poſtremo loco referendæ eſſent, ſiquis omnino ſoli facem admouere velit, auſpicata nominis felicitas, & verenda grauitatis tuæ autoritas, quæ in te tantæ conſpiciuntur, quantæ in alio nemine. Vnde me operæ pretium facturum putaui, ſi Commentariolos meos, quos in Auſtriadem *Bartholini* nuper edidi, tuæ Celſitudini tutandos in lucem emitterem: nam hac parte mihi ſpes, & ea quidem bona oſtenditur, ſi tuo nomine prætento, atque adeo tua autoritate duce, tanquam anteſignano, in publicum producerentur, facile futurum, vt a cuiuſcunque generis meleuolorum incurſibus, ſeſe in hominum manus tuto exhibere poſſint. Inuenias enim aliquot, vt de illis ipſis agam, qui paſſim, præterito diiudicandi reſpectu, vel qualibet rabida cane irritabiliores, res quantauis induſtria ſcriptas, tamen adlatrare audeant: alios ita iuratos in verba magiſtrorum, quibus ſeſe manciparunt, vt præ illis nihil non pudeat, & proinde omnia contemnant, & conuitiis lacerent: alios eo liuore, veluti morbo contabeſcentes, qui cum ipſi ſuis prodeſſe, aut per inertiam non poſſint, aut per ſocordiam minus velint, in alienis interim conatibus atque laboribus, quia imitari nequeunt, genuinum frangere delectantur. Sunt quoque, qui in propriis ingenii ſui fœtibus, qualeſcunque illi etiam fuerint, tam tamen corrupto amore cæcutiant atque hallucinentur, vt præ illis nihil non deſpuant, oderint, fugiantque. Habent præ-

terea adfectus (nam singulos enarrare non est locus) alii atque alii, alios atque alios, quibus similiter transversi trahuntur, vt ab infamandis aliorum studiis sibi temperare non possint. Hic vero *Bartholino* nostro, cuius nos scholiasten agimus, patrocinium, aut subsidium non quærimus, vt qui suis viribus, sua armatura collectus atque instructus, contra hostiles impetus pro se ipse facile deprœliabitur. Est enim carmen eius non modo tale, quale suum esse nec ipse quidem *Vergilius*, aut *Homerus* quoque recuset, verumetiam quod si inimici carpere velint, non audeant: aut si audeant, nec velint, nec possint. Atque hæc omnia, quæ modo retulimus, ad eos proprie pertinent, qui in peritorum albo aut sunt, aut videri volunt, nam indoctum vulgus nihil prorsus moror, susque deque ferens, si Æsopicus gallus pretium margaritæ non modo non dignoscat, sed & despicetur. De me vero sic habeant illi male feriati, & (vtar verbo Catoniano) vitilitigatores, me, quæ modo in medium profero, non in hanc fraudem prætexisse, quo omnem ingenui lectoris censuram declinare cupiam: vt quam etiam quantacunque mercede redimere & desidero & debeo, libenter culpam agniturus, sententiam mutaturus, & meliora docenti cessurus, sicubi erroris conuictus fuero. Nullus enim est tam absolute perfectus artifex, qui non in arte sua, quantisuis vigiliis parata, alicubi tamen deficiat: tam procul absit a me, vt eam securitatem meæ tenuitati arrogare præsumam: satis enim superque satis mihi fuerit, *dignissime Præsul*, quod sciam hæc mea, modici fortassis momenti scholia, a malorum calumniis & morsibus, sub te, tanquam propugnaculo, summa securitate latere posse. Est & alia huius tuæ Amplitudini sacræ inscriptionis, illa priori non inferior caussa, vt cuius me plus semel commonefecit, patris tui *Maximiliani*, Principis omnibus modis absoluti, & incomparabilis, sacrosancta imago, quam animo meo penitius infixam, tanquam oculis subiectam semper & vnice pia contemplatione contueor, acerba adeo suauitate, & suaui acerbitate meipsum subinde pertentans ac recreans. Nam, vt gustus pomi suauiter quidem amari, aut vini satis veteris, palatum tamen permulcet oblectatque: ita memoria defunctorum, cum quibus nobis quondam vsus & beneuolentia fuit, animis nostris quiddam amarulentiæ offundit, id tamen non sine multo dulciori gratæ voluptatis accessione. Proinde, & hic quoque mihi a tam dulciter acerba digrediundi libidine, minime temperarem, nisi me epistolaris breuitas longius aberrare prohiberet. Facere tamen non possum, quin vnam illius ex multis animi virtutibus,

quibus

quibus tanquam gemmis exornatus fuit, proferam: mihi videlicet verisimile fieri nequit, vllum vnquam extitisse Principem, qui omnes conatus, ad ea, quæ functionis suæ ratio postulare videbatur, ita studiose adiunxerit, vt plane huius celeberrimi dicti nunquam non memor fuisse visus sit, Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει. Nam semper totus in eo fuit, quo Germaniæ Imperium, quod diuinitus sibi collatum, administrandum susceperat, tribus potissimum rebus, nempe ingeniis, opibus, & pace, pulcherrimis ornamentis excoleret & illustraret. Videbat enim sapientissimus Princeps, nullam rempublicam rectius posse institui, nisi inprimis hac sanctissima triade curaretur constitui. De qua quidem re, vt paucis multa perstringam, quæ natio, quod regnum, quæ ciuitas, quæ respublica tot laudatissimis omnium artium proceribus floruit, tanta vi & abundantia opum superfluxit, tot commoda tam diuturnæ pacis percepit, quot proximis retro temporibus, hoc est superstite rerumque gubernacula moderante *Maximiliano*, vere diuo, vere pio, vere felici, vere Augusto, & vere patre patriæ, Germaniam nostram florere, superfluere, & percipere vidimus? Quæ tamen omnia, si quis ad præsentem rerum faciem spectet, simul cum illo sese iam ad immortalitatem recipiente, fato quodam fines nostros reliquisse, nemo est qui inficiari possit. Atque hic vides, *nobilissime Princeps*, quam spatiosus campus de nostri sæculi statu se nobis aperiat, quem tamen prudentes ingredi nolumus: partim, quod instituto meo parum responderem, si altius procurrerem: partim, quod multi & pii & perquam eruditi viri inventi sunt, qui iamdudum, & sæpius, priuatim & publice, ore & calamo Germaniam nostram hodie tam calamitosam, & insanissimis motibus tumultuantem, miserabiliter deplorarint, tantamque indignitatem fortissimæ liberrimæque nationis detestati sint: quibus in ea ipsa harena libenter cedimus, contenti nos herois nunquam satis laudati qualibuscunque verbis, sed animo tamen plusquam auidissimo meminisse. Verum necdum me a cœpto procursu reuocare possum, vt hoc quoque adiiciam. Hic enim mihi in mentem venit Epigramma *Ioannis Sapidi*, popularis mei, & amicorum, quos vnquam charissimos & iuratissimos habui, multo omnium charioris, &, vt sic dicam, iuratioris, quod is Epitaphii loco, in patris tui tum vita functi honorem potius effudit, quam scripsit: quod quia ingeniosum, acutum, iucundum, politum, & quod aures ferire possit, me non temere, imo vtiliter facturum putaui, si huc accersitis versiculis te eorum argutia oblectarem:

Diuo

Diuo Parca manus iniecit Maximiliano,
Quem tamen immunem nesciit esse necis.
Namque suo dum rite putat se munere functam,
En tres ex vno non bene cauta parit.
Vnus enim terra cubat, alter honestat Olympum,
Tertius est claris semper in ore viris.

Sed hæc de *Maximiliano*, cuius famam cum summa gloria, prouecta vetustas semper magis magisque grandescere atque enitescere faciet. Hæc, inquam, dicta nobis sufficiant, plura fortassis suo loco & commodiora dicturis. Superest, vt & Amplitudini tuæ scripti mei rationem quoque reddam: de quo sic habeat. Instituueram a principio, imo iam inceperam commentarios iustæ tractationis in sacrosanctum hoc nostrum poema, procudere, atque id quidem non sine parentis tui persuasione: quo vero argumento permotus id fieri voluerit, non est huius loci longius commemorare: leue enim esse non potuit, quod tam circumspectus Princeps tantopere cupiebat: sed quia opus infinitis modis excrescere videbatur, sic vt multis dictis pluradicenda semper accederent, visum est amicis meis, accerrimi iudicii viris, quibus ego, propriæ sententiæ parum tribuens, specimen & gustum eius fœturæ exhibui, vt scilicet habita ratione studiosorum nostri sæculi, vt plurimum breuitate, sed eadem iucunda, minimeque obscura delectantium, ab instituto recederem, contractisque cœptis commentariis in compendium, scholia potius scriberem. Parui itaque sapienter monentibus, reductoque calculo compendiarias hasce annotationes conscripsi, quas tibi vnice meo Mæcenati, vnice dedicatas, vnice commendo: vt scilicet tanto commendatiores prodirent in publicum, quanto tu ipsas pronioribus vlnis in complexum susciperes: quod te per tuam Amplitudinem oro, quam seruator Iesus diu seruare dignetur. Selestadii anno ab orbe Redemptoris MDXXXI, Kal. Augusti.

IOAN-

IOANNES FRANCISCVS PICVS
RICARDO BARTHOLINO SVO.

LEGI, quantum per occupationes licuit, poema tuum, in quo multa vidi, & docta & noua. Indeque obrepsit inter legendum & iucunditas & oblectatio. Testarique facile possum, videri mihi ex his, quos perspexerim, autoribus, tempestate nostra fuisse neminem, qui & luculentius, simul & doctius bella cecinerit. In carmine residet maiestas atque eruditio: & quod attinet ad numeros & lineamenta, exerit sese quædam probati generis concinna satis, nec morose affectata imitatio. Chronographiæ nec parum multæ, nec protritæ orationes artificio plenæ. Vnum illud duntaxat desiderarim, deorum gentium mentionem, quæ plurima est in carmine, non eo modo, quo sæpe vteris, fuisse constitutam. Siquidem optarem eos accersceres, non vt olim poetæ addicti eorum superstitionibus, verum vt ipsorum & osor & contemptor & expulsor ac vindex, & plane propagator nostræ religionis, cuius es flamen. Sed hoc aduertunt pauci, quod & sæpenumero in scriptis dolui, & nostris in carminibus me non probare illorum sententiam sum testatus: quando nec ipsorum deorum, nisi in contumeliam memor fui. Nec citaui nomina, nisi dum eos ostenderem ab imperio orbis terrarum, IESV CHRISTI (quem colimus) virtute depulsos. Redeo ad elegantiam & doctrinam, cuius gratia & si tibi Cæsar, & tuus, immo meus, immo noster Gurcensis debet, debet nihilominus & Germania, & Italia, & tua inprimis Augusta Perusia. Vale ex hospitio apud Licum XIIII Calendas Octobris.

ILLVSTRI DOMINO,
IOANNI FRANCISCO PICO,
MIRANDVLAE PRINCIPI,
RICARDVS BARTHOLINVS
FELICITATEM D.

A*Vgustæ Vindeliciæ cum mihi lepidissima epistola tua ex Lico reddita fuisset*, optime ac doctissime Princeps, *summopere lætatus sum: tum, quia mearum vigiliarum, quod abs te Romæ semel, iterum in Germania efflagitaui, iudicium protulisti: tum etiam, quod eandem, cum tantis sis apud eruditos & nominis & autoritatis, tanquam tutelarem Deum in poematii frontispicio, vt id securius, tuo contentum*

tentum patrocinio exeat, collocandam censui. Quantum autem de diis profanis sentis, id ego tuo arbitratu sectatus fuissem, nisi labore exterritus (totum enim opus recudi oportebat) huiusmodi oneri pepercissem. Ceterum nisi dii deæque canerentur a poetis, fabularumque lenociniis vterentur, velut ieiuni, & minime succipleni, cum proprium theographia poetarum sit, spernerentur. Nam prodesse volunt & delectare poetæ. Alterum enim nihil aliud, quam deorum dearumque figmenta complectitur, quæ ab Euemero *illo* Prisco, *siue ante illum a quopiam alio, siue post ab* Homero, Hesiodo*que affatim prodita sunt, vt earundem illecebris ad cognitionem bonarum rerum animi rudes facilius traherentur. Quas si ab illis demas, nescio quam parum eorum opera placebunt.* Hesiodi *poemata extant, si illinc deorum auferes nomina, totum tollas, mutilesque ornatum necesse est. Et tamen, vt ille, ita de generatione mundi, rerumque ac deorum senserit credere, quam philosophi esset, non plane intelligo. Idem si in* Marone *nostro efficies, nonne totum illud* Iunonis Veneris*que figmentum auferendum? Quod si fieret, profecto quid diuinum ex opere adimi videretur. Tamen quamobrem ita finxerit, tu non ignoras. Idem in ceteris sentio. Nam semper licuit, semperque licebit poetis nouas quandoque fabulas, nouos deos, ne dum antiquos, modo ne temere asciscantur, reponere. Quod ego in opere meo ita fecisse sum arbitratus. Nam quid aliud significat* Bellonæ *descriptio in primo libro, quam intestini belli originem, Principumque regnandi gratia, pugnandi cupiditatem? Quam partim iis, partim deorum voluntati, quæ vitari non potest, attribuo. Quid quod etiam in toto opere* Palladem *fauentem Palatino, contra, hostem Cæsari, eandemque in calce operis in fauorem eius rediisse introduco? Nimirum, quia Cæsarem & prudentia, & bello (vtraque enim assecla Imperatoriæ Celsitudinis sunt) ceteris Principibus præstitisse manifestum est: suaque ipsius prudentia, aliorum sapientiam ita superauit, quod in pugna contra* Palladem *& a me fictum est, & ipse suis in libris indigena sermone composita ostendit, vt omnibus in rebus a se gestis victoriam fuerit consecutus. Idem de* Diana, *quam &* Lunam *&* Hecaten *intelligimus, fauentem Cæsari arbitrere. Neque enim ad vulgarem venationis significantiam referas, sed paulo altius eruenda fictio est, quam apud* Homerum *&* Hesiodum, *vbi omnipotentem deam describunt, facile reperies. Per pugnam vero* Veneris Cupidinum*que, haud profecto aliud sentio, quam vt Cæsaris animi fortitudinem constantiamque contra voluptates firmissimam interpretemur. Absit vt nudis fabulis in tanti Principis laude contentus fuissem. Tum, quia de ipso parum promererer, cum etiam, si, vt positæ sunt, intelligerem, atheos (vt* Protagoras *ille) & haberi, & nominari non indignus viderer. Hæc ego, non tuæ vt sententiæ refragarer, scripsi, sed vt alii, mea qualis esset de diis opinio intelligerent, ac mihi tanquam vero Christi mancipio, bonam (si vellent) in scriptis meis gratiam referrent. Vale, Illustris Princeps, nostrique eris memor. Ex Augusta Vindelicia.*

AD

AD DIVVM *MAXIMILIANVM* CAES. AVG. RICARDI BARTHOLINI, *PERVSINI*, DE BELLO NORICO, *AVSTRIADOS LIBER I.*

ARGVMENTVM.

PROPOSITIO totius operis varia: quoniam variis in locis pugnatum. Inuocatio ad Cæsarem dirigitur. Sequitur narratio, sed concise: quoniam alibi diffusius rei initium narratur. Bellona tanquam Germanorum in re militari gloriæ inuida, Pugnam ab inferis deam, quam & Eumenides sequebantur, euocat: a quibus Germanorum animi ad Martem accenduntur. Sequitur Roberti *prius secum, demum cum patre* Philippo, *de suscipiendo bello consultatio: cui pater persuadet, noscendam esse deorum voluntatem, aramque Vlyssis ad Oceanum (vnde responsa petebantur) adeundam consulit: quod etiam Pallas in somnis* Roberto *peragendum imperat. Et per occasionem, caussæ recensentur indignationis deæ, qua Austriadas prosequebatur, quam in toto opere hostem Cæsaris facit, in fine rediisse in concordiam scribit. Itur ergo ad aram; vbi* Robertus *cum sacerdote loquitur, a quo loci & origo narratur, & Vmbræ ab inferis euocantur: quarum nomina* Georgius *Dux* Roberto *exponit: inibique multa de origine magiæ. Interim sacerdos functus sacro, bellum ingens cædesque futuras canit. In fine Vmbrarum fuga describitur. Et* Robertus *non bene percepto oraculo, dulces terras patriamque reuisit.*

CÆSAREAS *acies*(1), *Arctoaque regna* (2), *Ducesque*
Magnanimos(3) *canimus* (4), *fontemque binominis Istri*(5),
Et vastum Heluetio spumantem vertice Rhenum(6)
Strage hominum, atque atro maculantes æquora(7) *fluctu.*

(*) Proponit more poetico rerum capita, id quod fere solitum est poetis. Deinde interposita parua digressione, ad Cæsarem inuocatio dirigitur, & per occasionem eum terrarum dominum vaticinatur.

(1) Quia fuit variis in locis, & sub plurium auspicio pugnatum.

(2) Germanicas, prouincias, sub Arcto vrsa positas, vnanimi scriptorum consensu.

(3) *Albertum* Bauariæ, *Vdalricum* Wirtenbergens. *VVilhelmum* Lantgrauium Hassiæ, ceterosque, qui huic bello interfuere.

(4) Semper hoc verbum *cano*, quid diuinum ac magnum significat, vt ad oracula extendatur. Quare poetæ diuino afflati furore, *poemata canere* dicuntur.

(5) Nota figura dixit, *fontem Istri*, & fluuium intellexit. Significat autem per

 Istrum

Istrum, certamen in ipso flumine, quod quarto libro describitur.

(6) Innuit bellum nauale Lantgravii, quod cum Chaubis ad Rhenum gessit. Scribitur hoc libro septimo.

(7) Cum Danubius in pontum, Rhenus in oceanum Germanicum exoneret.

5 *Magnum opus aggredior*(1), *cum saeui fulmina Martis*,
Et domitas bello gentes, *cum Palladis iram*(2),
Et(3) *coniurato pugnantes foedere*(4) *Boios*
Mens agitet(5); *quis Parnassum*(6) *Cirrhamque*(7) *mouentem*
Sollicitat? *tantus ne animis mortalibus audet*
10 *Illabi furor*(8)? *& magnis non cedere factis*?

(1) Extenuatio.

(2) Quae in toto opere hostis Caesaris introducitur. Quare hoc factum sit a Poeta, satis ipse indicat in epistola ad *Ioan. Franciscum Picum*.

(3) Pugnam Boemicam significat. Haec libro decimo describitur.

(4) Poetice dixit. Nam arbitror Boemos illos, qui a Caesare victi fuerunt, pecunia meruisse, non foederis ratione. Per *Boios* Boemos intellexit, quod olim Boi, vbi nunc Boemi sunt, habitarint. Id quod ex *Taciti* verbis deprehenditur in libello *de Germanorum moribus*.

(5) Sensus est. Debuissem ego a nullo impelli, vt huiusmodi grandia facta Caesaris aggrederer, & debuissem a magnis factis pedem retraxisse. Ergo cum scripserim, id quodam furore accidit, non ratione. Eodem colore ac fere ductu vtitur in principio Thebaidos *Papinius*.

(6) Hic Phocidis mons altissimus. Nam, vt proditum est, quum terra tota diluuii aqua cooperiretur, ad alterum eius verticem non peruenit. Vt hic mons apprime poetis decantatus, ita notus est de verticibus eius Seruianus error. Graecis Parnassus *Mesomphalos*, id est, *orbis vmbilicus* dicitur. Quod ipsum *Strabo* testatus libro nono, fabellam quandam ex *Pindaro* recenset: *Iuppiter, vt perhibent, spatium quum discere vellet Natura regni nescius ipse sui: Armigeros vtrinque duos aequalibus alis Misit ab eois, occiduisque plagis, Parnassus geminos fertur vinxisse volatus, Contulit alternas Pythius aris aues.*

(7) Haec ad Phocidem ciuitas attinet, non longe a Delphis, iuxta quam & Cirrhaei campi. Vnde & Apollo *Cirrhaeus* a poetis cognominatus, ob Delphicum oraculum vicinum. Item *Cirrhaei scopuli*, & *antra Cirrhaea*, *fontesque Cirrhaei*, pro Phocensibus & Parnassiis.

(8) Nullum enim si *Aristoteli* credimus, magnum ingenium sine mixtura dementiae fuit. Democrito item, & Socrati apud Platonem ii veri poëtae sunt, qui insaniunt. Hinc *Ouidius* suo iure dixit in Fastis: *Est Deus in nobis, agitante calescimus illo, Impetus hic sacra semina mentis habet.* Poetici furoris, quem Graeci ἐνθουσιασμὸν appellant, *Cicero* meminit lib. *de Diuinat.* primo, & in oratione pro *Archia* Poeta: quae omnia sunt a Platone mutuata, atque iam vulgo cognita.

Iam satis Amphryso, *Pataraque arcessere Phoebum*(1),
Cimbrorum si bella(2) *velim*, *Senonumque tumultus*(3),
Victaque Teutonicis Romana furoribus(4) *arma*(5),
Infraenesque Gothos(6), *madidumque cruore latino*(7)
15 *Wandalon*(8), *& raptas vrbes*(9) *Herulumque furentem*(10)
(11)*Et meminisse, olim & tacitis defendere ab annis*;
Pierio(12) *sed enim cum me calor excitet oestro*(13),
Scribendique immensus amor, *resque ire per altas*
Caesaris, *ipse mihi praecinctus tempora lauro*
20 *Numen erit, Cynthique simul lustrabimus vmbras*(14),
(15)*Nec Bacchum eois opus est diuertere lucis*(16).

(*) Sensus pendet inferius. Innuit enim, si se ad scribendum appulisset Cimbrorum gesta cum Mario, si Senonum arma, Teutonum, Gothorum aut Wandalorum voluisset tradere memoriae, ac vindicare ab obliuione, quae labentibus annis gignitur, satis adiumento fuisset sibi, si Phoebum, aut Bacchum inuocasset: sed quia maiora aggreditur, maioris numinis patrocinio opus esse sibi asserit. Vnde ad Caesarem inuocatio dirigitur, quem Phoebo & Baccho maiorem esse credit. Porro notum est, Apollinem iuxta Amphrysum Admeti Regis armenta pauisse. Vnde Lucanus: *Et flumine puro Irrigat Amphrysus famulantis pascua Phoebi.* Patara Lyciae ciuitas, quam, vt *Mela* ait, nobilem facit delubrum Apollinis, quondam opibus & oraculi fide Delphico simile. Nomen inditum ei est a Pataro conditore. Hanc Ptolemaeus Philadephus auxit, & Lyciacam Arsionen nominauit: sed antiquum nomen retinuit, autore Strabone.

(1) Futurorum enim praesensioni, & poëtis praeesse credebatur: quoniam sentiendi vis omnis a sole nobis est, vt elegantissime proditum est ab *Ammiano*.

(2) Haec

(2) Hæc scribunt *Plutarchus* in Mario, qui & illic de Cimbrorum origine plura disserit, *Appianus* in Celtico, *Eutropius* lib. quinto, & eodem *Orosius*. Ex recentibus, *Albertus* in Saxonia cap. decimo primi libri. Cimbri autem quæ gens fuerint, *Albertus* magna fide tradit, cap. 8 primi libri. Saxoniæ, qui Gallicos notat scriptores leuitatis, quod Cimbros vocant Brabantinos, aut Flandrenses, & alios aliis pro suo arbitrio deputent populis. Idem autor est, Cimbriæ insulam, quam corrupte alii *Fimbriam*, alii *Imbriam* nominant, antiquæ gentis nomen seruare.

(3) Hos Germanos fuisse constat, nominis inter veteres Sueuos præcipui. Horum incursione, vt *Florus* scribit, rapidissimus procurrentis Imperii cursus supprimitur. Historici fere omnes, qui Romanam historiam conscripserunt, huius belli meminerunt.

(4) Animositate (vt ita dicam) & ira: quæ *Aristotele* teste, necessaria est, nec quicquam sine illa expugnari potest, nisi illa impleat animum, & spiritum accendat. Cui tamen *Seneca* reclamat. Is tradit primo *de ira* libro, suam Germanis animositatem & iram exitio fuisse. *Germanis*, inquit, *quid est animosius? quid ad incursum acrius? quid armorum cupidius &c.*

(5) Id constat verum esse, vbi quis bona fide rerum scriptores euoluerit. Quot non modo inclitas Italiæ, sed & Græciæ, quin & totius Europæ vrbes germanico furore dirutas cognosces? Quarum etiamnum passim vestigia apparent. Sed & in ipsa Germania, vt *Ammianus* scribit, propter furorem Germanorum, inter Coloniam & Confluentiam nullam olim ciuitatem visam contestatur. Et *idem* ad finem libri decimi sexti: *Fremitus*, inquit, *Alemannorum indignatione mixtus, vnanimi conspiratione vociferantium erat, & in oculis eorum furor videbatur.* Accedit peculiare eorum iræ & furoris argumentum, quod semper Germani armati sint, armisque cingantur, vt *Egesippus* autor est. At qua fortitudine animi christianis in re bellica vtendum sit, ne nos veterum alioqui fortia facta pronos rapiant in proximi perniciem, diuus *Ambrosius* lib. primo *Officiorum* explicat.

(6) Bene *infrenes*. Non enim est angulus terræ, in quem non irruperit Gothorum gens, quam constat vere Germanicam fuisse gentem. Hæc gens e Scandia insula Germanica, cuius inferius Poeta meminit, egressa est, quæ adhuc secundum aliquos *Gotlandia* dicitur. Cuius vel Regum nomina Gothos Germanos fuisse produnt: *Berich, Filmer, Valamir, Deinterich, Eurich, Ermanrich, Gebrich, Gunderich*, vt prætercam multa vocabula germanica Gothis vsitata, quæ apud *Iordanem* legimus.

(7) Wandalorum ab origine antiquissimam, & nunc totius Europæ latissimam gentem, a primis cunabulis recensere difficillimum, & prope impossibile: cum *Alberto Cranzio* arbitramur, quod in ea gente diu nullæ literæ, quibus antiquitatum memoria seruaretur, viguerunt, primumque illi, sicut plerique cum christianismo sunt inuectæ. Eodem teste, Wandalorum, ceu generali gentis vocabulo, hodie continentur Russi, Poloni, Bohemi, Dalmatæ, Croatæ, ita vt quos nostri Sclauonos, veteres vero nomine dixerint Wandalos. Hoc autem vetustissimum totius gentis vocabulum inter Saxones solum permansisse, idem autor est *Albertus*, qui inquit: *Hodie, quæ fuerit gens* Wandalorum, *in vniuersum ignoraremus, nisi vernacula Saxonum lingua hoc vocabulum conseruasset, vt inter eos, qui olim* Wandali, *fracto, vt fit, vocabulo, nunc* Wenden *vocitentur.* Ceterum miram rerum vicissitudinem cognosces, vbi Wandaliam *Alberti* legendo, vt ita dixerim, peragraueris, videbisque eam gentem haberi nunc contemptui, cuius patres res magnificas exantlauerunt. *Otho Frisingensis* & *Barnefridus* Wandalos Gothicam gentem perhibent. Quod illa in quatuor partes diuisa fuerit: scilicet, *VVisigothos*, id est, Occidentales, qui in Hispanicum nomen abierunt: *VVandalos, Gepidas*, & *Ostrogothos*, hoc est, Orientales, qui nomen Italicum sortiti sunt. *Methodius* martyr, vt refert *Irenicus*, epistolam Wandalorum adducit, qui sese publice Germanos testantur.

(8) Nam *Gensericus* Wandalorum Rex, qui vrbem Romam omni præsidio vacuam semel obtinuerat, sub *Leone* Augusto iterum Italiam aduentare cupiens, vt scribit *Paulus Diaconus*, citra Populoniam a *Basilico* patricio, nauali superatus certamine, Carthaginem inglorius repedauit. Vnde ad hoc respiciens Poeta dixit, *madidum latino cruore*. Legi enim alicubi, quod ad hunc locum facit, Antemium, qui tum tenebat vrbis imperium, Basilico a Leone Augusto in subsidium misso, ad Wandalorum conatus infringendos, Italicam classem coniunxisse.

(9) Scilicet, a Wandalis. Siquidem relicta vrbe, per Campaniam sese effundentes cum Mauris cuncta ferro flammisque consumunt, quidquid superesse potest diripiunt, captiuamque nobilissimam ciuitatem ad solum vsque demoliuntur, captiuant, prædantur. Nolam nihilominus vrbem ditissimam, aliasque quamplures pari ruina prosternunt. Neapolin præterea, quasque ob firmitatem capere non poterant, rebus agrariis exinanitas relinquunt. Autor est *Paulus* præfatus.

(10) Herulorum origo itidem germanica est. Sunt enim e Gothis profecti Heruli. Ab his, vt *Procopius* scribit, Dalmatia depopulata est, circa Sigidonum loca cuncta occupata, tum Illyricum, Thracia ac loca vicina penitus deleta. Deinde ad antiquam patriam reuertisse.

(11) Hoc est, si velim meminisse, & si velim gesta eorum defendere a silentio, si nollem pati vt obliuioni traderentur.

(12) Musico. Papinius. *Pierius menti calor incidit.* Nam in Piero monte Thessaliæ, protendente ex Ioue & Mnemosyne, Musas natas atque educatas fabulantur.

(13) Pro furore, vel stimulo posuit. Oestrum enim est insecti genus, cui nomen

Asilo. Romanum est, vt ait *Maro* lib. Georgic. tertio. Ea boues & equos in rabiem agit. Vnde qui magno animi motu rapiuntur, Oestro perciti dicuntur.

(14) Tantam ferunt Cynthi montis, qui Delo imminet, magnitudinem, vt vmbra sua Ægæi maris ambitum protegat.

(15) Scilicet, *ad gesta tua*, Cæsar, *describenda.* Bacchus enim poetarum numen est, vt Phœbus. Maro: *Adsis, o Leane pater.*

(16) Vel quia victor fuit. Vnde Poeta libro tertio: *Accola callicori remeans vbi corniger Indo.* Bacchus *Pampineis ornauit tempora vittis.* Vel ad ortum Bacchi, nam in monte Mero Indiæ altus est. Vnde locus fabulæ datus, Iouem in femore ipsum aluisse, autor est Mela. Græce enim μηρὸς femur dicitur.

Tempus erit cum bella canam(1), *quibus horrida vinci*
Bactra(2) *venenatis dabitur confisa sagittis,*
Carmanosque(3), *Syrosque*(4) *truces, Libyenque perustam*(5),
25 *Æthiopumque plagas*(6), *vel cum duce Cæsare, victor*
Vsque coloratos transcendet miles ad Indos(7).
Cum fugiet deuictus Arabs(8), *timidique Sabæi*(9)
Terga dabunt, alio que ingens tremet abruta mundo
Taprobane(10), *cum victa palus Mæotica*(11) *cernet*
30 *Signa triumphato Germanica feruere Ponto.*
(12) *At noua nunc belli moles, superumque profanis*
Lis exorta odiis(13), *claras cum euerterit vrbes:*
Ordiar hinc(14) *seriem, & rerum primordia pandam.*

(1) Vaticinium futurarum victoriarum Cæsaris, ac si dicat: *Nunc gesta a te, Cæsar, ordiamur, cum materia non sit defutura, te totius orbis victore.*

(2) Prius *Zariaspe*, postea *Bactrium* ab amne nuncupatum est. Bactri obtinent aduersa montis Paropamisi, *Plinio* autore libro 6. *Strabo* redarguit eos, qui Bactros extra habitabilem & temperatam terræ zonam posuerunt. Horum regio, vt & Sogdianorum, vltimis Scythis attributa est.

(3) Apud *Ptolemæum* duplicem inuenio Carmaniam, desertam vnam, cultam alteram. Carmanorum mores magna ex parte Persicos *Mela* scribit lib. tertio. Plura præter alios de Carmania *Marcellinus* lib. vicesimo tertio.

(4) *Porphyrion* Horatianus interpres, scribit eam regionem, quæ nunc *Syria* dicitur, olim addita syllaba fuisse *Assyriam* nominatam. *Strabo*: *Qui vero proprie nunc*, inquit, Syri *appellantur, vsque ad* Cilices *&* Phœnices & Libes *&* Ægyptium pelagus, *&* Issicum sinum, *& ab hoc olim vsque ad* Euxinum. Quare vtrique *Cappadoces*, tum qui ad Taurum, tum qui ad Pontum iacent, vsque ad hoc tempus *Leucosyri* appellantur: ac si sint aliqui Syri nigri. *Herodotus* eos a Græcis *Syros* dici ait, qui *Assyrii* appellantur a Barbaris. *Xenophon* Syros ab Assyris, vt refert *Camers*, passim separat.

(5) Signate, quia Libya pluuia eget, propter nimiam siccitatem. De Libyæ nomenclatura tam græci quam latini concordant, scilicet, a Libya quadam muliere indigena. Qui Iudæorum sequuntur opinionem, dicunt ex Cham Noe filio fuisse natum Mesraim, cuius filius Libyus fuerit, a quo Lybiam denominatam volunt; autor *Iosephus*. Veteres geographi Libyam in quatuor prouincias diuiserunt: sed a posteris, vt *Sextus Rufus* refert, per omnem Africam sex prouinciæ factæ sunt. Alii plures in ea prouincias esse dicunt. Lege *Ptolemæum* in principio quarti, & *Solinum* cap. quadragesimo. *Parrhasius* commentario secundo in Claudiani raptum, quibus Libya nominibus antea fuerit appellata, refert.

(6) Vtrosque Æthiopas intelligit. De primis lege *Ptolemæi* cap. septimum. De secundis cap. octauum libri quarti. Sunt qui *Æthiopiam* dictam velint a verbo græco αἴθω, quod *vro*, *incendo*, *ardeoque* significat, & ὤψ, *facies*, & *aspectus*, quod solis aspectu plurimum torreat. *Plinio* dicta ab *Æthiope* Vulcani filio. A diuo *Ambrosio*, vilis & abiecta interpretatur: fortasse, quod magna ex parte inopem vitam & pastoralem ducant. *Iosephus* scribit Æthiopes ante a Chuso Chami filio fuisse Chusæos cognominatos. *Diodorus* tradit, Æthiopes gloriari, se esse hominum primos. Argumentum idem exequitur in principio libri quarti. Porro sita est Æthiopia ab Oriente hyberno ad Occidentem hybernum. Meridiana cardine siluæ Hebeno maxime virent. Meridiana eius parte imminens mari mons excelsus, æternis ardet ignibus *Æneccauma* dictus.

(7) Id est, *sole tinctos.* Maro: *nigris demelibus ab Indis.* Ab Emodis montibus incipit India, a meridiano mari porrecta, fauonii spiritu saluberrima. In anno bis æstatem habet, bis legit frugem, vice hyemis etesiis potitur. autor *Solinus.* Reliqua de Indiæ spatio ex *Strabone* & *Plinio.* Est enim spatiosissima ipsa, & non gentium tantum & oppidorum prope innumerorum, sed omnium rerum prouentu, ære tantum & plumbo excepto, felix. Flumina cum plurima, tum maxima habet: quorum irriguo procursu fit, vt in vdo solo proximantis solis vis nihil non vberrime gignat. Multæ etsi gentes ac variæ, vt iam diximus, Indiam incolant, nulla earum tamen, teste *Diodoro*, originem trahit extra Indiam, sed omnes *indigetes* appellantur. Scribit *Megasthenes*, neque Sesostrim Ægyptium, neque Tearconem, neque Æthiopem, sed nec Nobocodrosorum, qui magis a Chaldæis probatur quam Hercules

cules, rursus neque Idanthyrsum Scytham, immo neque Persas ipsos, aut Cyrum regem Indiam attigisse: Semiramin autem priusquam egrederetur, obiisse. Accedunt, qui Herculem nunquam Indiam fuisse ingressum, affirmant. *Eratosthenes*, & aliorum scriptorum magna pars, Herculis & liberi patris gesta fabulosa & minime credenda arbitrantur.

(8) Triplex a *Ptolemaeo* Arabia ponitur, *Petraea* vna, *Deserta* altera, *Felix* tertia. De *prima* & *secunda* meminit lib. quinto, de *tertia* lib. 6.

(9) *Strabo* dicit *Sabaeos* incolas Arabiae felicis. Apud hos thus, myrrha, & cinnamomum nascitur, aliaque odoratorum genera, quorum meminit *Theophrastus* lib. nono de historia plantarum. Nemo autem ignorat, *Sabaeos* a *Marone* primo Georgicorum *molles* non ab re appellari, quales fere reddere solet rerum copia. Mollitiem autem ignauia sequitur, & animus plane effeminatus, quem timor arguit. *Seruius* ait *molles*, quia aere clementiore, quam fere alibi vtantur, dici. *Probus* autem inquit molles, vitio sermonis, quia parum viriliter loquantur. Ego *Straboni* subscribo, vt & doctissimus *Camers*. Bene ergo *timidi* a Poeta, quales omnes segnes & deliciosos videmus, vocantur, hoc est, *imbelles*.

(10) Syntaxis. *Cum ingens Taprobane obruta tremet alio mundo*: vel *cum tremet obruta ingens alio mundo*. Quoniam insula in mari Indico est, & armis Caesaris obrui posse videtur. Signate dixit, *ingentem*: quia, vt *Plinius* refert, non defuerunt, qui crederent alium mundum esse. Formam eius insulae appingit *Ptolemaeus* vltima tabula Asiae. Huius insulae ingens a terris aliis distantia facit, vt de eius situ, magnitudine, ac incolarum moribus plurimum discrepent autores. Hinc factum est, vt cum de loco remotissimo sermo incidit, prouerbiali figura dici consueuerit, *vbi Taprobanen Indica tingit aqua*. Ea figura primo de Ponto *Ovidius* vsus est. Vel dixit, *alio mundo*, quoniam maior pars vltra aequinoctialem plagam posita est sub ariete, vt *Ptolemaeus*: sub cancro, vt *Dionysius* Poeta.

(11) De hac inferius dicemus.

(12) Reassumptio est.

(13) Dicit hoc, propter Palladem, quae Palatinis fauebat: & propter Dianam, quae a Caesareanis stabat partibus, vt postea latius patebit.

(14) Id est *ordinem describam*: & per figuram, quae *Correptio* appellatur, se non seriem totam scripturum dicit, sed principia rei gestae. Et hoc artificiose factum est a Poeta. Nam admonet *Horatius*, pleraque differenda esse, & in praesens tempus omittenda. Quare Poeta huius praecepti memor, hic libat rem: sed libro secundo lucidius narrat.

(1) Postquam magnanimi iusto data Norica tellus (2)
35 *Caesaris arbitrio est, regnum qui legibus anceps(3),*
(Quandoquidem Imperium sceptrum commune refellit,
Nec patitur regnare duos (4)) discerneret aequis,
Iudicii impatiens, simul atque vt cederet alter (5),
Possesso non iure solo & dotalibus aruis (6).
40 *Decreuit, vigiles extemplo it rumor ad aures*
Boiugenum heroum (7), gliscitque insana cupido
Regnandi, saeuitque animis gens aspera bello.

(1) Quoddam narrationis prooemium incipit Augustae Vindelicae *Albertus* & *Robertus* (quem & alii *Rupertum* vocant) Duces, vt de summa rerum disceptarent, ad Caesarem profecti sunt. Vterque ius suum Caesari trutinandum reliquit: qui pro *Alberto* sententiam tulit: indignatus propterea *Robertus*, arma parat.

(2) Scilicet, ea portio Bauariae, quae Duci nuper *Georgio*, cognomento *diuiti*, parebat, & litis caussa fuit, atque profani odii inter gentiles Principes.

(3) Id est, incertum, cui seruiret, & sub cuius ditione esset futurum. *Aequis legibus*] Hoc est, vt ius fasque dictaret.

(4) Nam semper alter veretur, ne se spreto alter singulariter eligatur. Vnde *nulla fides regni sociis*, vt *Lucanus*: *Sociisque comes discordia regnis*, vt *Statius*, & noster Poeta inferius: *Amor impacatus ad arma Gliscit, & insociis pollens discordia regnis.*

(5) Scilicet, *Robertus* impatiens iudicii, cederet ex solo non iure possesso.

(6) Quae ipse propter matrimonium occupata praetendebat tueri.

(7) Ostendimus superius, Noricum a Bois possessum fuisse, vbi ex *Strabonis* autoritate, victos eos a Tauriscis, incoluisse diximus vlteriorem Danubii ripam: vnde adhuc *Boioaria* appellatur.

** Interea armisonis mundum Bellona (1) quadrigis*
Lustrans, Arctois fixit Dea lumina terris.
45 *Tunc secum: Nunquam ne meas Germania (2) vires*
Sentiet? aut mentes regno semel vlta superbas
Danubium (3) aspiciam, Vindamque (4) Aenonque, Licumque
Corporibus fluere, & spumantem sanguine Rhenum?

(5) Per me Dardanidæ, per me iacet Ilium, & ingens
50 *Regnum Asiæ, fonteſque ruunt a culmine Thebæ (6),*
Ipſa ego ad Æmathios (7) madefacta cruore Philippos
Lethalem impleui membris ciuilibus agrum.
Quid nunc Thermopylas (8), Marathoniaque arma (9), fugamque
Commemorem Xerxis? quid tinctas ſanguine Carras (10)
55 *Heſperio (11)? & volucrem vexilla timentia Parthum (12)?*
Magna Philiſtæum (13) ſtimulaſſe in prælia Regem
Odeacro ſuperante, parum eſt: nec Saxona tandem (14)
Edomitum duris (15) decima trieteride (16) Francis (17).
Cenſuerim in voto, & deletos funditus Hunnos (18).
60 *Neſcio quid maius (19) Martis ferus incoat alti*
Nunc animus, pugnaſque diu, cladeſque morari,
Et differre nefas (20), belli ventura cruenti
Conſilio premit Albertus (21), *vocat vndique gentes*
Lantgrafius, *ſumptiſque feri Buſſactores (22) armis*
65 *Exacuunt animos venturo Marte profanos.*
Reſpice quam ſublimis eat, quotque agmina ſecum
Auxilio moueat Virthymberzentius *heros.*

* Fictio poetica mire congruens laudi Germanorum: quos ita bello præſtare innuit Poeta, vt Bellona inuidia mota (nam in bello, ne ſibi palma ab iis eriperetur, dubitabat) ſtatuit deprimendum nomen Germanicum: id autem fieri non poſſe, niſi ſe ſuis ipſorum viribus conficerent.

(1) Ἐνυὼ Græce vocatur, Martis ſoror, dea bellorum.

(2) Poeta in lib. octauo particulariter Germaniam deſcribit, vbi & nos officium noſtrum faciemus. Hic obiter referemus id, quod a *Vadiano* noſtro adnotatum eſt: non conuenire inter pleroſque, vnde *Germani* dicti ſint. Sunt enim qui a vernaculo ductum vocabulum putent, quod *Garman, illi totum virum* nominant, atque hinc dictos ab inſigni fortitudine ſibi perſuadent. Sunt qui a *germinando* velint Germaniæ nomen inditum: quod in ea mira ſit & frequentiſſima hominum generatio. Hinc a *Solino* dictum: *Diues hominum terra, frequens populis numeroſis.* Aliis placet *Germaniam* dictam, quod eius regionis homines veluti *fratres & germanos* mutua ſe diligant caritate. Nam patet omnibus ad eos acceſſus. Aduenientes omnes promiſcue, porrecto poculo ſuſcipiunt. Aliis recens eſt *Germania* vocabulum, vt *Tacito*. Verior aliis *Strabonis* ſententia videtur: exiſtimantis, Germanis a Gallis datum nomen: quod eos habitu corporis, ac animi moribus pauliſper imitarentur. Sed id euidenter *Irenicus* refellit: qui & a Græcis nos itidem *Germanos* nominatos eſſe, grauiſſimorum autoritatem ſecutus adnotauit, & non ἀδελφοὺς, vt *Celtes*, A Iudæis vero *Aſcenaſim*, ab Aſcenate.

(3) Per Germaniæ Pannoniæque populos, hoc nomine decurrit: quorum poeta in quarto lib. meminit: vbi ad Illyricum in Auſtrum deflectit, *Iſter* appellatur.

(4) Hic Warnefrido *Virda*, noſtra lingua *Wertach* dicitur, Vindeliciæ fluuius. *Ænonque, Lycumque*] *Ænus* fluuius Baioarios a Vindelicis, & hos a Rhætiis Lycus diducit.

(5) Innuit Poeta latenter, maxima imperia bello corruiſſe. Per *Dardanidas* Ilium, & regnum Aſiæ bellum Troianum intelligit.

(6) Fraternum ſignificat bellum Etheoclis & Polynicis, quod nuda poteſtas armauit, vt eſt apud *Papinium*.

(7) Bis pugnatum eſt in Philippicis campis, teſte *Marone*: *Romanas acies iterum videre Philippi.* Primum ſub Cæſare dictatore contra Pompeium. Huius belli meminere inprimis *Cæſar* ipſe tribus libris de bello ciuili, *Plutarchus* in Cæſare & Pompeio, copioſius *Appianus* libro ſecundo bellorum ciuilium, diuus *Auguſtinus* libro diuinæ ciuitatis tertio, *Eutropius* & *Oroſius* lib. ſexto, Lucanus toto opere Pharſaliæ, *Florus* lib. quarto. Rurſus ſub Auguſto contra Caſſium & Brutum. Hoc bellum ſcribunt *Liuius*, *Plutarchus* in M. Antonio & M. Bruto, *Appianus* lib. quarto, *Florus* eodem, *Eutropius in* ſeptimo, *Suetonius* in Auguſto, *Oroſius* lib. 6. Meminit *Lucanus* lib. 2 ibid. *At non magnanimi perculſit.* Dixit autem *Emathios*, quod Philippi ciuitas eſt in Edonica regione, quæ eſt Macedoniæ iuxta Theſſaliam, prius appellata Crenida. Philippus nomen mutauit, ob merita lati abs ſe auxilii contra vim Thracum, expugnare vrbem conantium. Theſſaliam vero variis nominibus nuncupatam fuiſſe, tradunt fere omnes, qui de ea aliquid memoriæ mandauerunt. Vnde *Emathia*, ab *Emathione*, vt Æmonia ab Æmone.

(8) Anguſtiæ Termopylarum claræ ſunt certamine Xerxis maximi omnium regum Perſarum. *Liuius* ſcribit, Thermopylarum iugum, ſicut Apennini dorſo Italia diuiditur, ita mediam Græciam diruit. Nomen illæ a thermis accepere, quæ paſſim circa præceſſa iuga, quas illi pylas vocant, ſcaturiunt.

(9) Innuit pugnam terreſtrem Darii Perſarum regis, aduerſus Athenienſes, in qua a Milti-

a Miltiade superatus est in campis Marathoniis, qui Atticæ sunt. Lege *Herodotum*. Meminit item *Gellius*: vt latiuscule indicauimus in carmine *Pici* de Cruce, ibid. *Sed nec tam tumidam victrix te Gratia quondam Reddiderant cæsi Marathonis in aquore Persa.*

(10) Crassianam cladem designat, quam late scribit *Appianus* in Parthico, *Plutarchus* in Crassi vita, *Florus* lib. tertio, item *Iustinus*, *Eutropius*, *Orosius* & alii. Sunt autem aliæ *Carræ*, quas *Plinius* iuxta Sabæos esse scribit. Nam hæ ad quas Crassus interiit, in Mesopotamia sunt. *Carra* etiam dici numero singulari, testis est *Hermolaus*.

(11) Latio. *Lucanus Assyrias Latio maculauit sanguine Carras.*

(12) Propter equorum celeritatem & sagittam, quam post tergum mittunt. Autores *Herodotus* & *Herodianus*.

(13) Sensus est: *Non censeo ex sententia mihi satisfecisse, si aliquando Germani inter se pugnauerint.* Et est obiectioni tacitæ responsio. Pugnauerunt Germani, sed non adeo, vt eorum gloria minor sit propterea. *Odeacer* genere Wandalus, seu Herulus: quem tamen nonnulli Rhugum, *Procopius* Italum militem fuisse tradidit, Vrbe Italiaque potitus est, Augustulo deposito a Wandalis, qui in natali solo remanserant, accersitus, quod a Feleteo Rhugorum Rege incesserentur bello, nihil de vrbe Roma, aut Italia sollicitus, exercitum duxit in Feleteum: hosteque interfecto, tam ociose ingressus est, quam alii Romani duces clarissimam aliquam victoriam adepti consueuere. *Albertus* ex hoc transitu, quem tam facilem habuit, Odeacrum Vandalorum Regem fuisse coniectat: qui belli huius quoque meminit cap. 35 lib. 1 Wandaliæ. Hic tamen illi non fuit perpetuus successus. Nam cum iam annis quatuor ac decem Italiam satis pacate tenuisset, a *Theoderícho* Ostrogothorum Rege impetitur armis, bis vincitur, & tandem dolo occiditur. Autores habes *Procopium*, *Paulum Diaconum*, *Pomponium Latum*.

(14) Caroli Magni Saxonicum bellum tangit, quod fere duos & triginta annos gessit, interpolatum tamen.

(15) Quod amore libertatis dura quæque tulerint. Quanto eam studio seruauerint, vel prouerbium admonet, etiamnum vulgo tritum: *Liberior Franco sum.*

(16) Hi enim sunt, vt Comes *Nuenarius* ad Carolum quintum scribens, ait, qui Saxonum gentem bellicosissimam, & Romanorum viribus insuperabilem, diuturno bello domuerunt, victamque CHRISTI sacratissimam religionem profiteri, compulerunt. Hi Hispaniam prius occupatam Sarracenis, Pannonias Hunnis, Sarmatiam Sclauis, totum Balearicum mare vexatum Mauris, tam breui tempore subegerunt, vt nescire possis, maior ne felicitas eorum in consequendis ac retinendis, quam fortitudo in expugnandis prouinciis fuerit. De origine & sedibus priscorum Francorum postea dicemus.

(17) Triginta annis.

(18) Hunnorum gens post Attilæ mortem, quem illi *Ethele* gentiliter vocabant, penitus desiderata concidit exoleuitque. Id *Luitprandus Ticinensis* in 3 volumine suo exacte ac emuncte differit, teste *Irenico*: qui hallucinatos eos dicit, qui Hungaros ab Hunnis deduxerunt. Hunnos germanica lingua vsos, autores testantur, qui Attilæ gesta in literas retulere. Hungari vero semper alienissimam ab idiomate germanico sortiti sunt. Porro Hunnorum originem, quæ *Prisco* referente ac *Iordane*, Dæmonica fuit, Gothicam ostendit *Irenicus*.

(19) Bellona cum videret iam sponte animos belli auidos, præmeditatur longe maius facinus, quam sub Carolo vel Odeacro perfecerat. Videtur Poeta hoc bellum Noricum cæteris præponere magnitudine.

(20) Postquam est apta occasio, qua nocendi cupidi duntaxat opus habent.

(21) Hic per occasionem omnium principum nomina recitantur, qui bello interfuerunt..

(22) Antiqui populi, qui Westphaliæ partem olim incoluerunt, vt patet ex *Ptolemæo*.

Sic ait, & Pugnam nigri de faucibus Orci
Euocat (1): *huic tristis famulam se iunxit Erinnys* (2).
70 *Dein Rheni auriferis velox allabitur oris* (3),
Atque Palatinas fertur bacchata per vrbes,
Pugnæque, irarumque æstus effundit anhelos.
(4) *Qualis in Actæis alterna lampade* (5) *lucis,*
Fertque refertque gradus cerealibus (6) *acta sacerdos.*
75 *Aut vbi in Hismeni* (7) *ripis, gelidiue Aganippes*
Ogygiæ celebrant repetita (8) *triennia Bacchæ* (9),
Hanc circum Eumenides (10), *bustalibus horrida tædis* (11)
Agmina, crinales iactant per inane cerastas (12),
Incumbuntque animis, cæcosque cupidine regni
80 *Impellunt furiis, tantique incendia belli*
Sollicitant, addunt vires, audaxque ministrant
Pugnandi robur, mentesque ad prælia vertunt.
Protinus attonito crescunt sub pectore motus,
Impatiensque moræ subiit furor: inde regendi

Ambitio-

85 *Ambitiosa fames, amor impacatus ad arma*
Glliscit, & in sociis pollens discordia (13) *regnis.*
Iam vigili statione vrbes atque oppida late
Cinguntur, ferrique duces exasperat ardor.

(1) *Erasmus Roterodamus* in explicando primo adagio Centuriæ primæ quartæ Chiliadis, tangit caussas, propter quas veteres poetæ, qui rerum vim ac naturam sagacissime perspexerunt, & aptissimis figmentis adumbrauerunt, tradidere bellum ab inferis immitti, idque Furiarum ministerio.

(2) Lis, Contentio, Furiarum præcipua. Neque enim quælibet ad hoc negotii conficiendum est idonea: sed omnium pestilentissima, cui nomina Mille, mille nocendi artes.

(3) Adeo Rhenus venis aureis scatet, vt egregie eius ripam Homerico verbo *Argyrodinen* appellare possemus, vt ait *Irenicus*. Antiqui Germaniam omni auro exuerunt.

(4) Comparatio a sacerdotibus Cereris, vel Proserpinæ apud Eleusim Attici soli oppidum, noctu discurrentibus, accensis facibus.

(5) Scilicet, festis & sacrificiis Proserpinæ dicatis: a quibus profani voce præconis excludebantur, vt *Suetonius* ait.

(6) Quoniam per vices tædas ferebant, inuicemque altera alteri facem tradebat. Id autem fiebat, ad repræsentandos Cereris errores. Nam facibus in Ætna succensis filiam inuestigauit. *Papinius* libro quarto Siluarum. *Tuque Actæa Ceres, cursu cui semper anhelo Votiuam taciti quassamus lampada mystæ.* Qui versus ab interprete dissimulatus, vt *Parrhasius* admonet, habet historiam, quam ipse primo commentario in raptum Proserpinæ retulit.

(7) Trieterica sacra intelligit notissima. *Ogygia* autem, id est, Thebanæ, ab Ogygo primo Thebanæ ciuitatis Principe, sub quo primum diluuium factum est, longe ante quam illud sub Deucalione factum esse narratur. Vnde *Ogygia mala*, prouerbiali figura dicta, vel ingentia, vel antiqua.

(8) Amnis Thebarum, vt Aganippe fons a poetis decantatus.

(9) Quoniam singulo triennio repetebantur hæc sacra.

(10) A contrario dicuntur Furiæ, quoniam beneuolæ minus sunt, semperque ad mala impellant, vt sequitur.

(11) Pro torribus ambusti hominis arreptis accepisse videtur: cum proprie bustum sit, quasi bene vstum.

(12) Finguntur enim Furiæ crinium loco habere serpentes. Cerastæ corniculati serpentis genus.

(13) *Petronius Arbiter* in carmine de bello inter Cæsarem & Pompeium, Discordiæ imaginem graphice & erudite expressit.

Quo ruitis miseri (1)? *quæ tanta exordia Martis?*
90 *Quodue paratis opus? quæ vos socialibus armis*
Impellit rabies? satius si bella furorque
In Turcas (2) *translata forent, si Dorica regna* (3),
Ægeumque capax (4), *& Bosporus Hellesponti* (5)
Fræna sub Austriade rursus Rhenana subirent,
95 *Armaque in Assyriam* (6) *ferrentur, & obruta bello*
Ingemeret Babylon (7), *sceptrumque Orientis ad Alpes* (8)
Cæsar ab Eoa (9) *veheret Germanicus aula.*
(10) *Sed visum sic ire Deis. Iam certa* Robertus
Bella mouens animo, curarum voluitur æstu:
100 *Huc tandem, atque illuc raptus cupit ire per arma,*
Hostilesque equitum turmas, & frangere Marte
Iudicium, nec velle suum pro lege tenebit (12):
Austriades, inquit, prohibent me sistere regno.
Iura quis hæc sanxit? num regi cedere dignum est,
105 *Cuius connubio iunctam tenet ille sororem* (13)?
Ergo cælestes Superi, mortalia cordi
Si vestro, aut hominum fandum sedet atque nefandum,
Respicite huc, nec enim ignaris mendacia Diuis
Astruimus: propria cogor decedere terra.
110 *Quis feret hæc? aut quæ mundi tam barbara proles* (14),
Quis Scytha (15), *vel sæuæ Fascellidos* (16) *ara Dianæ* (17),
Busirisque (18), *& inexorabilis ara Geloni* (19),
Aut quæ iam veteres (20) *placarent sanguine diri*
Numina Teutatis (21), *Taranesque, Hesusque* (22) *repelli*
115 *Nos animo ferrent æquo, dotalibus oris?*

(1) Er-

(1) Exclamatio est, vt illa *Lucani*: *Quis furor, o cives.* & cætera.

(2) Variæ horum sedes & origo traditur. Sunt tamen qui iudicent, hos, qui ætate nostra latissime imperitant, ortos ab illis Turcis, quos *Pomponius* inter Scythicas gentes retulit. *Plinius* Turcarum item meminit cap. septimo, libri sexti. *Cilix* græcus autor, rerum Constantinopolitanarum scriptor, vt refert *Volaterranus*, Turcis Hunicum tribuit genus. Reliqua *Otto Frisingensis* & *Volaterranus*.

(3) Græcorum imperium, cuius sedem Constantinopolim, patrum nostrorum memoria, Mahumetes expugnauit. Excidium eius Poeta in tertio per digressionem scribit. Doris regio Græciæ est, vnde Dorica lingua.

(4) Propter frequentes insulas, quarum suo loco mentionem faciemus. Redditur autem id maris ob huiusmodi Insularum crebritatem confragosum, vt *Dionysius* tradit, *Maro* innuit atque *Papinius*: ille quidem, *crebris legimus freta concita terris.* Hic vero in Achilleidos primo dicit: *Ægæa frangunt vbi saxa procellæ.* Inde hominem ob lucri studium, nihil omnino lucri recusantem, *Ægæum nauigare*, vulgo dicimus. *Persius* Sat. quinta: *Ocius ad nauem, nihil obstat, quin trabe vasta Ægæum rapias.* Porro quid de denominatione scribant autores, refert *Hermolaus*. Pompeio dicitur Ægæum, quod ita crebræ in eo sint insulæ, vt procul aspicientibus species caprearum videantur. Siue quod in eo Ægæa Amazonum Regina perierit. Siue quod in eum Ægæus pater Thesei se præcipitauerit. Pherecides ait, antiquum cognomen Neptuni fuisse Ægæon, atque inde mari nomen inditum.

(5) Qui & Thracius, iuxta est Byzantium. Alter Cimmerius: de quo inferius. Vterque dictus a bouis meabili transitu, propter angustiam freti.

(6) Hæc post Euphratem est, amne tamen a Babyloniis diuisa. Ab Assur Iosepho Assyrii.

(7) *Chaldaa gentis caput Babylon est*, inquit *Solinus*. Sic a Græcis & Latinis dicitur. Hebræi *Babel* nuncupant. Rationem nominis pete ex lib. Geneseos, & primo *Iosephi* Antiquitatum. De prima Babylonis origine gentiles historici ab Ecclesiasticis plurimum discrepant. Has contrarias opiniones concordat *Berosus*. Communis gentilium sententia est, fuisse Babylonem a Semiramide primum constructam. *Ouidius* 4. Metamorphoseos, vbi dicitur, *altam Coctilibus muris cinxisse Semiramis vrbem.*

(8) Occidentem, seu Italiam, vt ex duobus Imperiis vnum solidum esset. Italiam limites habere iuga Alpium *C. Sempronius* autor est, & *Ptolemæus* lib. Geographiæ 3. Etymum Alpium in *Stauroftici* enarratione diximus.

(9) Orientali.

(10) Ex eorum sententia, qui omnia fato fieri dicebant.

(11) Hic ductus est rerum, qui ad cetera quæ sequuntur, trahitur.

(12) Iuxta illud: *Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas* Quod tamen nequaquam fieri debet, vt alicubi admonet *Iustinianus* ac vere Imperatoria illa vox diui *Traiani*, qui dum præfectum prætorio ense cingeret: *Hunc*, inquit, *ensem, si iuste imperauero, pro me: sin autem male, contra me vtaris.* Sicut enim per Principem cum benefacit, plurimorum vitæ & saluti consulitur: ita & error Principis, pro *Nazianzeni* sententia, ad multorum perniciem pertinet.

(13) Albertum intelligit, qui *Kunigundem* filiam *Friderici* tertii, sororem Cæsaris *Maximiliani*, feminam probatissimam, nuper non sine sanctitatis opinione defunctam, vxorem habebat. *Et, ille*, per contemptum legendum est.

(14) Fera, sæua, hoc loco.

(15) Sensus est: *Tantum abest a ratione humana, quod Cæsar iudicauit me discessurum a regno meo, vt illis etiam crudelis videretur, qui ab omni crudelitatis genere minime abhorrebant.* Inter quos Scythæ non postremo loco habiti sunt. Quippe feritas eorum apud Græcos in prouerbium cessit, vt quicquid agreste, quicquid barbarum ac sæuum intelligi vellent, id *Scythicum* appellarent.

(16) Apud Dianam Tauricam, hostiæ erant peregrini & hospites. Meminit *Lactantius* lib. de falsa religione cap. 21. Autorem immanis huius sacrificii indicaui in scholiis, quæ lib. *de Immanitate a Pontano* inscripto, adieci. Id autem crudele sacrificii genus cum Romanis displicuisset, ad Laconas Diana est translata, vbi sacrificii consuetudo adolescentulorum verberibus seruabatur. Hi autem adolescentes *Bomonica* dicebantur, quod aris superpositi contendebant, qui plura possent verbera sustinere. Ex iis castigandus locus interpretis *Papinii* super illud in octauo Thebaidos: *Taygeta & pugna, laudataque prælia matri.* Quo loco passim legitur, *suo Minice*: cum legendum sit, *Bomonica*, vt *Camers* doctissimus admonet.

(17) Quod simulacrum eius sublatum in fasce lignorum absconditum fuerit.

(18) *Quis aut Eurysthea durum, Aut illaudati nescit Busiridis aras?* hominis scilicet sceleratissimi, & nunquam nominandi, qui equis suis epulandos hospites dabat. Hercules hunc domuit, ex Africa in Ægyptum profectus. Negat *Eratosthenes* vllum in Ægypto vnquam Busirim fuisse: idque totum confictum ait, ad indicandum loci inhospitalitatem.

(19) Ita exemplar emendatum habet, non, *vmbra Palici*, Constat ex *Mela*, Gelonos Marti victimam humanam facere solitos. Ergo *ara Geloni*, id est, Martis, cui Geloni victimam humanam sacrificabant. Quanquam *Palicis* quoque sacrificari solitum erat eiusmodi victima. Quod videtur etiam *Maro*, vt *Lactantius* ait libro duodecimo Thebaid. strictim tetigisse: *Et implacabilis ara Palici.*

(20) Scilicet, Teutones & Germani. quod

terum scriptores externi præcipue Gallis ea tribuerint sacrificia.

(11) *Lucanus* in primo: *Et quibus immitis placatur sanguine diro Teutates*, id est, *Mercurius*. Ita enim ab eis nominabatur. *Sulpicius* ait, *Teutates, qui mortis DEUS interpretatur*. *Tacitus* in Germania; *Deorum, maxime Mercurium colunt, cui certis diebus*, humanis quoque hostiis litare fas habent. Meminit & *Cæsar* in commentariis.

(12) Hos similiter maiores nostri humanis victimis placabant. *Taranem* autem *Iouem* vocabant. Vnde *Lucanus* hoc versu: *Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ*, innuit aram Iouis apud maiores nostros non esse mitiorem & sanctiorem ara Dianæ Scythicæ. Sed nec Romani huius immanitatis expertes fuerunt. Siquidem Latialis Iupiter etiam sanguine colebatur humano. Vnde *Lactantius* loco iam citato: *Sed de Barbaris*, inquit, *non est adeo mirandum, quorum religio cum moribus congruit: Nostri vero, qui semper mansuetudinis & humanitatis gloriam sibi vendicarunt, nonne sacrilegis his sacris immaniores reperiuntur?* & quæ sequuntur. Reperio priscos Teutones secundum Mercurium proximo loco Martem coluisse sub *Hesi* nomine. *Lucanus*: *horrensque feris altaribus Hesus*. *Lactantius*: *Galli* Hesum *atque* Teutatem *humano cruore placabant*.

Dixit, & arcanum patris penetrale Philippi
Ingressus, quem Marte super belloque futuro
Voluentem, aggreditur multa, & sic turbidus infit:
Quæ te cura premit belli, pater? aut mihi soli
120 *Succumbet dotalis humus: vel, quod precor, omnes*
Auertant superi, caris vi pellar ab oris.
Non regni est securus amor, tutumque duorum
Imperium (1): *at vastis pugnax Germania* (2) *lucis* (3)
Excitur, populique ruunt Mauorte furentes.
125 *Belliger Austriades* (4), *alto de vertice Carnos* (5)
Atque Alpes (6) *in bella mouet, Stiriamque* (7), *suumque*
Impellit Tyrolum (8), *trepidatque Carinthia* (9) *secum,*
Intonsique ruit pubes crinita Sueui (10).
(11) *Certe etiam nobis nec promus in arma* (12) *Sicamber* (13)
130 *Auxilio deerit, nec quæ se montibus arctat,*
Gens durata gelu & numquam satiata cruore
Heluetii (14), *& bello Gallorum exercita virtus* (15).
Iam nemore ingentes mens est excire Boemos
Hercynio (16), *& trepidas Regis conuertere in vrbes.*
135 *Tu modo quid sentis refera. Quem talia contra,*
Egregio sollers fatur sic ore Philippus:
Nunc regni cura est animo, & te posse tueri,
Hoc quodcunque reor virtute armisque potentem.
Nunc timeo Austriadas, genus insuperabile bello.
140 *Cerno equidem, nec vana fides, gentilibus armis* (17).
Tam fera communi tentari prælia damno
At quid, nate, velim, paucis aduerte docebo.

(1) Lucanus: *omnisque potestas Impatiens consortis erit.* Caussam diximus superius.

(2) Epitheton regioni conueniens. Nam vt idem *Lucanus* dicit: *Omnis in arctois populus quicunque pruinis Nascitur, indomitis bellis, & mortis amator.* *Seneca* quoque nominat Germanos, *auidam belli gentem*.

(3) Quibus abundat, & vt *Tacitus* scribit horrida est, &, vt *Mela* ait, magna ex parte, ac paludibus inuia est.

(4) Bene belliger. Nam *Maximilianus* sub titulo Austriæ Ducis, antequam ei Imperii fasces traderentur, nouem continenter annis bella illa grauissima cum Gallis, Leodiensibus, Geldriis, Batauis, atque Morinis confecit. Horum meminit Poeta paulo post, vt & aliorum, quæ gessit iam regio honore auctus.

(5) Montana enim inhabitant, hodie Carniolani, teutonice, *die Crainer*. Regio habet Comitatum Goriciensem non ignobilem, Iulium Carnicum *Plinio* & *Ptolemæo*, vt quidam ex loci situ contendunt.

(6) Iulias intellige ex *Tacito*, quæ & nonnullis *Itala* dicuntur. Sunt enim & alia Alpium vocabula.

(7) Et hæc montana est: præterquam ad ortum, qua Pannoniæ finitima est: ea ex parte se in vastam effundit planiciem. *Valeriam* hanc olim dictam. *Sylvius* autor est, nulla tamen autoritate. Porro Stiriam, Marchionatum olim *Fridericus* primus Ducatum appellavit: Quanquam id alii posterioribus Cæsaribus attribuunt.

(8) Prædiues Norici regio, nomen traxit ab arce eius nominis: quæ extat hodie: haud longe a ripa Atesis, ad Ameranum oppidum:

oppidum: olim celebris sedes erat Comitum Tyrolanorum, quorum meminit *Otho* noster & *Guntherus* Ligurinus: in qua sunt vrbes insignes, Radenburgum, Hallæ, Ænipons, Sterzinga, Brixina (veteribus *Brixnora*) Bolzanum, Tridentum. *Nauclerus* docet, quo titulo Principatus ille ad Austriacos Duces venerit.

(9) Hæc a Foroiuliensibus incipit, & vsque ad montana Carniolæ pertingit. Hæc prouincia Austriæ Principibus nomen *Archiducis* intulit: quod *Sylvius* in eius descriptione dicit. Is & in noui Principis auspicio, nusquam alibi auditas cæremonias ibidem recitat, & alia quædam, quæ lectorem delectare possint.

(10) Id *Tacitus* de priscis Sueuis prodidit, qui ad Albim fluuium habitarunt: quam regionem hodie incolunt Saxones. Bene igitur, ac iuxta erudite admonet autor ille commentarioli, quo explicantur vetusta Germaniæ populorum vocabula apud *Tacitum*. Non ad viuum, quod aiunt, omnia statim exigenda esse in veterum descriptionibus. Verum Poeta de populis, quos hodie Sueuos dicimus, loquitur, propter Durgouios & alia loca, quæ *Cæsar*, ceu Princeps Austriæ, hæreditario iure in Sueuis possidet.

(11) Hic populos suas partes secuturos recenset. Ne inopes auxilii, amplissima Palatinorum domus videatur, aut penitus in rebus aduersis destituta. Quandoquidem & inter Principes verum est, quod vulgo iactari solet, *Amicos secundis quidem rebus parari, ceterum non nisi aduersis probari.*

(12) Geldrius. *Hunibaldus*, a Cambra Antenoris vxore astutissima genti nomen datum, autor est. Mihi commentum videtur, vt pleraque alia. Sicambriam ponunt *Ptolemaus* & *Tacitus* inter Bussacteros paruos, & Bructeros, Longobardosque: vbi etiam *Abbas Spanheimensis* putat habitasse Francos: quod *Comiti Nuenario* a ratione non videtur alienum.

(13) Autores fide digni, fortissimos bellicæque rei expertissimos prodire Sicambros: hæc tamen fere nota apud *Cæsarem* nobiles, quod ex rapto mos esset illis victitari & latrociniis.

(14) Haud dubium quin Poeta intelligat eos, qui nunc *Suiceri* vocantur, intra Rhodanum & Rhenum populi bellicosissimi. Habuerunt enim & alias nationes, vt refert *Irenicus* lib. 11.

(15) Id referri potest & ad Iulii Cæsaris tempora, qui ad CCC milia olim transire conantes in Galliam, bello compressit, vt notum est, summo autorum diuo *Iulio* tradente. Et ad nostra etiam tempora, ob memorabile illud prœlium in suburbanis Mediolani, a Francisco Gallorum Rege gestum contra eos. Pugnam hanc *Vadianus* retulit in commentarios, quos doctissimus ipse erudite scripsit in *Melam*: quam vbi legeris, statim cognosces, victis Helvetiis id obtigisse, quod paucissimi victores consequi solent. Primum magis placet: nam antea opus poeta absoluerat, quam hæc pugna fieret.

(16) Quia Boemia vndique est cincta silua Hercynia, de qua Poeta in lib. octavo, & nos illic copiosius, pro instituta breuitate, referemus.

(17) Quoniam *Palatini* & *Albertini* Bauariæ Duces iuncti affinitate erant.

(1) Est locus ad Rheni ripas, atque vltima mundi
Littora, ad Oceanum magnum, qua Graius Vlysses
145 *Tartareum Ditem, atque animas mouisse silentes*
Dicitur, & nigros traxisse ad sidera Manes.
Densum ingensque nemus, vallesque feruntur opacæ
Excipere has vmbras, pallensque vbi carmina bubo(2),
Et stryges infernæ, leuaque (3) *sub illice* (4) *cornix* (5)
150 *Effundunt, lucosque volant simulacra per altos.*
Hinc exaudiri fremitus, fontesque figuras
Insolitis vlulare modis, claustrique refractis
Legibus infernisuperas euadere ad auras.
Cocyti perhibent Manes, cum sacra sacerdos
155 *Incohat*(6), *& domito luctantes extrahit Orco.*
Extemplo nutare nemus (7), *trepidamque sub imo*
Tellurem mugire ferunt, mirabile visu,
Vicinos atra obnubi caligine montes
Accipimus, siccari vndas, & currere retro
160 *Flumina, & astriferum nebulam prætexere cælum.*
Non aliter magico turbantur carmine Thraces,
Cum sæuit Rhodopæa nurus (8), *lateque per Hæmum* (9),
Horrida Circæi crudescunt sibila cantus (10).
Sed postquam paulum Vatis furor ille quiescit,
165 *Voce canit responsa Deum, nec certius illo*
Prædicit quicquam Cyrrhæo Phœbus in antro(11).
Inuidet huic Hammon(12), *& si sua cornua tollat,*
Prædictisque rudem voluat Garamanta futuris.

 Quid

Quid vos Chaoniæ quercus(13), *sanctumque per vmbras*
170 *Pana Lycaonias*(14)? *signisque excepta mouentis*(15)
Niliacæ responsa bouis(16)? *quid in aere læuo*(17)
Commemorem cantus auium, cursusque volantum?
Ceditis huic omnes, quare cum crastinus ortus
Fulserit, & croceos aurora retexerit ignes(18),
175 *In nemus ire para, lucosque require silentum*
Hic diuum mentes, & belli arcana futuri
Prædisces, venturamque omnem ex ordine pugnam.
Finierat. Tunc ille orsus, sic talia contra:
Postquam nosse cupis duri primordia Martis,
180 *Euentumque iubes Stygios me poscere noctis*
Nigrantis populos, caligantumque cohortes,
Exequar intrepidus, responsaque Vatis adibo.
Sic ait, interea prono iam Phœbus Olympo
Merserat auricomum caput Oceano Atlantæo(19),
185 *Inque laboriferas surgens humentibus vmbris*
Luna vices, hominum curas mulcebat inanes(20).

(1) Aram Vlyssi consecratam significat. Eius meminit *Tacitus* in principio libelli *de moribus Germanorum.*

(2) Emendandus sic est codex, vt etiam inferius, *dirusque vbi carmina bubo.* Legi enim in emendato exemplari. *Pallensque vbi carmina bubo.* Bubones inter aues inauspicatas referri, nemo ignorat.

(3) Nota avis, vel viuacitate sua.

(4) Inter glandiferas numeratur.

(5) Ad sinistram partem sita.

(6) Accusatiuo iunxit, imitatione *Maronis: Te sine nil altum mens incohat.* Legitur etiam in neutrum prolatum. *Probus* in catholicis sic ait: Ho. *primæ coniugationis est, & haui facit*, incoho, incohas, incohaui. *Quidam putant dici*: inchoare, *imperitissime. Nam neque post* c. *literam* h. *latina verba regunt: exceptis tribus nominibus, quæ supra posui*, Pulcher, Orchus, Lurcho. *Neque* o *litera ante* o *alterum latinorum verborum primæ persona reperitur, sed illæ tres vocales, quas ante posui*, E. I. V. *Nam nec* A *nec* O. Quod igitur *Plautus* posuit *reboo*, non latine, sed græce posuit. *Boo, Boas*, vnde deriuatiuum reboo.

(7) *Tibulli* carmina nota sunt: *Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi*, & reliqua ex secunda Elegia primi. Sed de his, quæ Poeta hic narrat, inferius, vbi nonnihil de magia loquemur.

(8) Tracensis, a Rhodope monte Thraciæ. Est & Ioniæ ciuitas, vt scribit *Stephanus.* Ab utroque Rhodopæus & resolutione diphtongi Rhodopheius enuntiatur. *Ouidius*: *Hospita Demophoon tua te Rhodopeia Phyllis.*

(9) Et hic mons est Thraciæ. *Ouidius* in Transformationibus refert fabulam Rhodopes & Hæmi. Hi enim dum sibi diuinitatem adscribunt, ita numinum in montes sui nominis sunt conuersi.

(10) Maro: *Carminibus Circe socios mutauit Ulissis.*

(11) Delphicum oraculum intelligit. Nam Cyrrha Phocidis oppidum est in littore situm. Delphi item in Phocide. Igitur Cyrrhæo antro, id est, Delphico, Phocensi, vt superius relatum est.

(12) Harenarium Iouem signat qui in Libya colitur. Caussam nominis atque cultus postea referam.

(13) De Dodonæo Iouis oraculo, quod Poeta hic tangit, inferius dictabimus, vbi Poeta ait: *Siluisse Lebetas vidimus.* Chaones, populi sunt Epyri.

(14) Id est, Arcadicas. Fuit enim Lycaon rex Arcadiæ. Pana autem præcipue Arcades coluerunt. Nam ipsum non solum siluarum credebant, sed & vniuersæ materiæ Deum appellabant: vnde nomen παν impositum, quasi omnia in se contineret.

(15) Apim bouem intelligit, cui in Memphi duo delubra erant. Hunc autem oraculi loco habitum fuisse tradunt *Plinius* & *Pomponius*, qui paucis qualis Apis fuerit describit. Alii authores scribunt, tantæ dignitatis creditum, vt Iudæi quoque eundem sibi pro numine statuerint colendum, vt in Exodo, & quarto Basilæon libro scriptum est.

(16) Scilicet, ad cibum capiendum: & tunc, vt *Solinus* ait, dat omnia manifestantia de futuris de se consulenti: & ad hoc fortasse respexit Poeta.

(17) *Tacitus* in libro *de moribus Germanorum* scribit, volatus auium supra modum fuisse obseruatos a Germanis.

(18) Radios, quos spargens, omnia facit aurescere: vnde & illi nomen *Aurora* Croceus autem color idem qui aureus.

(19) Hesperio, Hispanico, *Dionysius* Poeta: *Circuit Oceani gurges tamen vndique vastus.* Qui quamuis vnus sit, plurima nomina sumit. *Finibus Hesperiis Atlanticus ille vocatur.* Breuitatis caussa vnde varia maris nomina sumpta sint, dicere prætermitto, docent illa *Plinius* & *Solinus*: ex nostris *Lactantius* cap. vndecimo primi, & diuus *Ambrosius* cap. tertio libri *Hexameron* tertii.

(20) Iuxta illud *Persianum*: *O curas hominum, o quantum est in rebus inane.* In hunc modum dicit *Solomon*, ille David Regis atque Prophetæ filius, tam regni gloria, quam vaticinandi sapientia omnium clarissimus, ad vniuersam ecclesiam Dei: *Vanitas vanitatum*, & cetera.

Ecce

Ecce (1) *per immensum virgo Tritonia* (2) *cælum*
Labitur, & rigidos serpentum exasperat orbes.
Formidant silvæ, tellus tremit, adstupet æther,
190 *Tempestasque alto visa est feruescere Ponto*
Gorgoneo, quotiens Pallas quatit ægida, vultu (3),
Oreque vesanum virus vomit aspis hiulco.
Hæc Rheni ad littus, nigras delapsa per vmbras,
Phalsgraphidum *tecta alta petit, collesque superbos,*
195 (4) *Sopitum & noctem nequicquam heroa sub altam*
Miratur Pallas: namque illum insomnia belli
Versabant hinc inde, atroque furebat anhelans
Marte animus, mirum dictu, pugnamque ciebat.
Talia voluentem affatur sic Diua Robertum:
200 *Quid nunc lente iaces, rerumque oblite tuarum*
Indulges somno (5) *Boiorum* (6) *maxime ductor?*
Surge, age rumpe moram, & chari genitoris ab alto
Vt lux alma polo terris secluserit vmbram,
Mandata exequere, & lucos inquire silentes:
205 *Sed primum corpus mergens fluuialibus vndis,*
Purus adi (7), *purumque sacras te confer ad aras.*
Dixit, & in tenuem Pallas delabitur auram.
Austriadas contra sæuum indignata, diu quæ
Ingentem hanc victrix tristes exercuit iras.
210 *Fabor enim, nec longa sequar, vestigia rerum.*

(1) Particula *Ecce*, semper aliquid magnum & repentinum significat, vt apud *Maronem*: *Ecce autem a Tenedo.* Porro Poeta sumpta occasione hic Palladem introducit fauentem Palatino: recitatque caussas, quare inuidia fuerit Austriadas prosecuta, imitatus Maronem, qui id etiam facit, cum caussas memorat, quamobrem Iuno Troianos hostili animo insequeretur.

(2) Pallas modo Tritonia, modo Tritogenia a poetis dicitur, vt *Lycophronis interpres* ait. Vel quod a Tritone Libyæ flumine genita sit, vt *Æschylus* fabulose innuit. Vel quod a Ioue genita, apud Tritonem fuerit educata. Vel quod, vt *Callistheni* placuit, tertio die mensis genita fuerit: vnde apud Athenienses tertius mensis dies Palladi est consecratus. Vel quod a Iouis capite edita sit. Bœotiorum enim lingua, Triton caput dicitur. Vel quod eadem sit quæ & luna, quæ tertio a coitu die apparet. Vel quod nihil ab aere differat, quod est tertium elementum. Hinc est, quod *Diodorus Siculus* in primo dicit: aerem Pallada nominarunt ac Iouis filiam dixerunt: virginemque fuisse, quoniam non corrumpatur, & subliniorem locum teneat, quapropter ex vertice Iouis dicitur nata. Et *Trigeminam* appellant, propter tria anni tempora, ver, æstatem, hyemem. Quippe vetustas autumnum non numerabat: quia proprium non esse tempus existimabant, sed ex vtriusque confinio constare: Et *Glaucopis*: quod aer glauci sit aspectus, non quod habeat oculos glaucos. *Democritus* ait Palladem *Tritoniam* propterea cognominatam, quod tria hæc mortalibus elargiatur: bene consulere, recte iudicare, iuste agere.

(3) Quo scilicet fabulæ canunt Gorgonas fuisse puellas: vel quo ipsa Pallas fuit, cum Medusam trucidaret, vt canit *Orpheus* in hymnis. Alii tamen a Perseo Palladis ope scribunt obtruncatam.

(4) Color sumptus a *Liuio* & *Silio Italico*, de Hannibale. Vterque scribit illum sæpe in somnis bella agitasse.

(5) Bavarorum nunc.

(6) Si non dormiebat, vtpote bellorum somniis agitatus, cur ergo tanquam somno deditum arguit? Nempe, vt magis erubesceret, magisque bellicosum animum a desidia excitaret.

(7) Iuxta legem, *Diuos caste adeunto.* Nam vt *Tibullus* ait: *Casta placent superis.* Quod non solum superstitiosa gentilitas de animo, sed etiam de corpore obseruauit. Vnde dixit, *corpus mergens fluuialibus vndis* Qui vltimus pes deest in exemplaribus impressis. Sic Maro: *Donec in flumine viuo abluero.* At noster Legislator *beatos* dicit, *qui mundo sunt corde.*

* *Cecropiæ* (1) *quondam Rex, est ita fama, Mineruæ* (2)
Carus Otho (3) *templum erexit, centumque Sabæi*
Thura ministrabant aris solennia Mystæ.
Passim cultus honor, primum intemerata sub alto
215 *Effigies defixa tholo* (4), *non qualis ad arma*
Prosilit, & Libycos violentior explicat hydros (5):

Sed similis vultu, quo non experta maritum
Esse solet, Melitemque refert, aut Protomedæam (6):
(7) *Vel cum seposita Iliacum* (8) *Simoenta Medusa*
220 *Ingreditur, pulchrosque artus in flumine viuo*
Proluit, & rutilo splendorem a vertice vibrat.
At sub marmorea pictum testudine templum
Cernere erat, cum discusso capite orta tonantis (9)
Perrexit Libyam (10), *& primum Tritonide ripa* (11)
225 *Exiliens visa est, nec adhuc fuit ægide præster*
Insertus (12), *Garamasque* (13) *vagum, nec viderat artus*
Chersbydron (14), *caudaque atrum serpente* (15) *Pharæam* (16).
Aera sed postquam rupit Danaëius heros (17).
Remigio alarum, & crudum thoraca Mineruæ
230 *Induit, & cæsa petiit Phorcinide* (18) *cælum,*
Feruidaque (19) *vt supra Syrtim Berenicida* (20) *Gorgon*
Extitit, in terram sanguis crassumque venenum
Decidit, vnde ferunt tristes creuisse colubros (21),
Et Cyrenæa nocuum Basiliscon (22) *arena* (23).

* Narrantur causæ odii Palladis in Austriadas, sumpto colore ex Marone de Aiace Oileo. Prima est, euersio templi ei olim positi a *Premislao quinto* Boemiorum tyranno, qui vulgo *Odacker* cognominatus est, a deuastatis agris, facta per *Rudolphum* Comitem Habspurgum, præsidem Prouinciæ, quem nunc Lantgrauium Alsatiæ: designatum tamen post diutinam Imperii vacationem, Imperatorem, bello & pace clarum, qui primus in hanc Austriorum familiam Romanos fasces induxit. Describiturque templi pictura, in quo sacerdotes centum sacros ritus peragebant. Et vt rei fidem habeas. Hoc cum *Otthacaro* Cæsar *Rodulfus* super iure Ducatus Austriæ, quem is occuparat, bellum gessit: cui tandem adactus parendi sacramento & affinitate inter eos inita conciliatur. Obiurgatus autem *Otthacarus* a *Margarita* vxore (cuius iure atque hereditatis titulo contra Imperii tamen eges ad Austriæ Principatum adspirabat) rerum prœlio concurrens in campis Austriæ, qui teutonice appellantur *das Marchfelt*, haud longe ab arce & oppido *Mareck*, a *Rodulfo* superatur obtruncaturque. Rem, vt gesta est, latissime refert *Nauclerus*.

(1) Atheniensis, a Cecrope primo Athenarum Rege.

(2) Palladis, cuius simulacri Phidiæ operis, quod Athenis fuit, mentionem facit *Plinius* libro 55.

(3) Pro Otthacaro.

(4) Testudine.

(5) Vel quia ex Tritone palude exiluit: vel respexit ad Persei fabulam.

(6) Nomina sunt filiarum Nerei & Dorides apud *Hesiodum* in Theogonia.

(7) Alludit ad simulacrum Palladis, quod apud Troianos colebatur, vnde & Palladium ab Vlysse raptum. Medusa autem, vt est in fabulis, serpentinos capillos habebat.

(8) Id est, Troianum. Nam ex Ida monte Troiano Simois scaturit, clarus parta Veneris.

(9) Hoc ideo finxerunt, quod nobilium artium inuentio Mineruæ adscripta sit. Per Mineruam enim, partem illam superiorem animæ, id est, mentem & rationem intelligunt.

(10) Nam labens e cælo, dicitur primo Libyam, vtpote altiorem aliis regionibus, tetigisse.

(11) Triton palus Libyæ: a qua Tritoniam Palladem dictam esse, vulgaris opinio est: cui *Lucanus* libro 9 dat autoritatem: *Et se dilecta Tritonida dixit ab vnda.* Sed & alias huius nomenclaturæ caussas ante dixi.

(12) Quæ sequuntur ex vulgata Persei fabula sumpta sunt, iuxta *Lucani* narrationem in nono, ac *Silii* in tertio. Præsterâ græci flammam & combustiuum nominant. Hinc huic serpenti nomen datum, vel quod flammam & ardorem immittat ei, quem momorderit. Remedia morsus eius docet *Plinius*.

(13) *Seruius* ait, *Garamantes populi sunt Africa iuxta zonam torridam.* Maro, *Super & Garamantas & Indos proferet imperium.*

(14) Dictus, quod in terris & aquis moretur.

(15) Hunc antiquitas dicauit Æsculapio pro ministro Deorum mitissimo, quia morsu non esset malignus, quamuis ore lato.

(16) Scilicet, cum se erigit, habet enim pedes iuxta caudam.

(17) Perseus Danaes filius ex Ioue.

(18) Medusa Phorci & Cetus filia. Fabula tam nota est, quam vulgo dici solet. Gorgonem Perseus aggreditur. Sed omissis fabulamentis, Phorci filiam tradunt defuncto patre iis qui circa Tritonida paludem habitant imperasse, & ad venationes solitam exire, ducemque se Libycis ad pugnas exhibere: quæ comparato exercitu, cum Persei potentiæ, quam secum e Peloponneso duxerat, resistere conaretur, noctu per fraudem ab eo interfecta est: cuius etiam defunctæ

defunctæ pulchritudinem adeo admiratus est Perseus, vt abscissum caput ostendi, eius caussa in Græciam secum tulerit.

(19) Propter recentem cædem.

(20) A *Berenice* oppido In Syrti sito.

(21) Scilicet, qui fabulosa consectantur. Id enim ob nimium loci feruorem accidere philosophi prodiderunt.

(22) Græca dictio Βασιλίσκος, quæ regulum, vel tyrannum significat: quod instar regis cunctis animalibus fit terrori: vel quod in omnes tyrannidem & sæuitiam exerceat. Bene ergo *nocuum* dixit. Morsis a basilisco scribit *Auicenna* nullam prorsus esse curationem.

(23) *Plinius* lib. 8 de basilisco loquens ait. *Cyrenaica hunc generat prouincia 12 non amplius digitorum magnitudine. Candida in capite macula, vt quodam diademate insigni* & cetera. Quibus adde, quæ *Lucanus* de basilisco.

235 *Parte alia* (1) *Ætnæo Tritonis* (2) *fulmine* (3) *sæua*
Euboico in Ponto (4) *tristisque ad saxa Capharei* (5)
Disiicit Argolicam rapido cum turbine classem (6).
Interea exoritur magnum & memorabile bellum,
Quod Reges gessere pares (7) *verum exitus iisdem*
240 *Haud par* (8), *Austriades* (9) *caussis melioribus vsus* (10).
Hunc perimit bello, victorque per oppida vectus
Sanguine pollutæ infecit Tritonidis arces.
Ex illo iratos contra fert tempore Pallas
Austriadas animos, odiisque inimica profanis
245 *Insequitur gentem immeritam, Diuosque futuros* (11).
(12) *Quippe etiam Austriadum venturam a sanguine magno*
Progeniem (13) *audierat, quæ Bosporon, & Garamantas* (14)
Signa vltra ferret, Gangem superaret & Indum (15),
Quæque suum victrix hauriret Marte cruorem.

(1) Vel alio pariete, qui erat sub testudine, vel alia parte testudinis.

(2) Pallas.

(3) Id est, ardenti, ab Ætna sumpto epitheto. Vel Ætnæo fulmine, id est, quo Typheus gygas, vel Enceladus, vt aliis placet, ictus a Ioue fuit, sepultusque sub Ætna. Lege *Seruium*.

(4) Nunc Nigropontus appellatur. Euboeam insulam, cuius *Strabo* meminit libro 9, *Plinius* lib. 2 maris impetu a Bœotia aliquando auulsam scribit. Hæc in Turcarum tyrannidem redacta est, patrum nostrorum memoria.

(5) Promontorium Eubœæ, meridianum quidem, sed in ortum spectans Caphareum, Gerestum in occasum, Cœneum in Maliacum sinum protenditur. Situm insulæ, & Promontorium vide apud *Ptolemæum* tabula Europæ decima.

(6) Minerua propter Cassandræ eius sacerdotis stuprum, vel, vt placet aliis, quod ei capto Ilio Græci sacrificare noluerint, eis in patriam redeuntibus, grauissima tempestate fatigatis, circa Caphareum naufragio caussa extitit pereundi. Vel, quod certior, *Solino* autore, prodidit memoria, sidus Arcturi grauibus afficit tempestatibus. Reuera enim constat, vt ait *Seruius*, Græcos tempestate laborasse, æquinoctio vernali: quoniam manubiæ Mineruales, id est, fulmina, tempestates grauissimas commouent.

(7) Potentia.

(8) Quoniam *Rudolfus Otthacarum* interemit, vt diximus.

(9) Rudolfus. non genere, iam enim omnis stirps masculina e gente veteri defecerat: iure ergo belli Austriæ Princeps intelligi debet. Cuius tamen filius *Albertus*, qui & patri in Imperio successit, vnanimi Procerum Imperii consensu, Austriæ Ducatum, omneque eius ius adeptus est: qui & Romanos fasces, vt mox dicam, gessit.

(10) Lucanus: *Victrix caussa Diis placuit, sed victa Catoni.*

(11) Qui ex hominibus diuinos honores mereantur.

(12) Suggerit alias caussas odii.

(13) *Maximilianum* intelligit, qui regias imagines generis sui proferre potest, nempe ex atauis, *Rudolfum* Imperatorem iam nominatum. Summam gestorum in vltimum huius operis librum adscribam, super illud; *dextraque* Rudolfus *Colla superiectis ducens* Otthacarum *ahenis*. Ex maioribus autem *Albertum* primum, qui, vt idonei scriptores referunt, ob bellicam gloriam Principum suffragio, & *Bonifacii* Pontificis assensu dicitur Imperator: qui tum a Gallis læsam ecclesiæ maiestatem vindicaret. Item *Albertum* secundum, magnum sibi patruum, pietatis eximiæ Principem: quem ideo rebus humanis, cum biennio tantum imperasset, ereptum, omnium gentium consensus dixit, quod indigni essent eo Principe illius temporis mores. Virtutis tamen suæ ingentia reliquit argumenta. Nam breui hoc temporis spatio Morauos ac Sarmatas intra suos fines quiescere compulit. Prasconem Boemum, factionis hæreticæ caput, ita attriuit, vt tota Boemia sibi cederet. In Turcas autem profectus, Synderouiam castellum ad Danubii ripam munitissimum obsidens, dum copias

copias in itinere maiores expectat, oppidani deditionem fecere. Ipse Austriam repetens, apud locum, cui *Longa villa* est nomen, dysenteriæ morbo confectus est. Proxime autem refert tertium diuæ memoriæ *Fridericum*, Imperatorum omnium innocentissimum, pacatissimum: cuius illud proprium fuit, quod omnes ante se Principes a diuo Iulio & vitæ & imperii diuturnitate superauit. Nemo diutius vixit, nemo solus diutius imperauit, nemo innocentius regnauit. Leonoræ matris suæ origo deriuatur a validissimis Gothorum Ducibus, qui per seriem quatuor atque octuaginta coronatorum Regum perpetua successione Hispanias ad hæc vsque tempora tenuerunt. Recte igitur a Poeta dictum est: *Audierat venturam progeniem a magno sanguine Austriadum.*

(14) Id est, Septentrionem & Austrum.

(15) Orientem. Tacet autem occasum: quia tota fere prouincia Europæ, quæ ad occasum vergit, Christo nomen dedit.

250 *Hic dolor, hæc rabies, vnde implacabile numen.*
Diua Viconitio (1) (*si famæ credere dignum est*)
Ingessit stimulos, scelerisque exorsa nefandi
Moliri est ausus, cum Pannonium (3) *Sylacæum* (2)
Cepit, & armato laceraui milite ciues (4).
255 *Belliger* Huniades (5) *extra deserta Getarum* (6)
Impulit inflexo pugnantes Iazygas (7) *arcu*
In Styriam (8), *& magnis bello abstulit arua colonis,*
Qua felix auro, & pingui patet Austria gleba (9).
At nihil his actum est (10), *iam seditione Vianam* (11)
260 *Imbuit, atque odium popularibus intulit ausis.*
Proh scelus, & summa Cæsar (12) *spectabat ab arce* (13)
Armatas acies, & corda ferocia vulgi.
Quid memorem Belgas (14), *Morinos* (15), *gentesque repostas*
Oceanum ad magnum, quas impulit illa furentes
265 *In Dominum seuire suum? iamque arma Leponto* (16)
Obtulit, & Veneti (17) *maculauit sanguine ripas,*
Diua odii memor antiqui, serpentibus atris
Sæuit adhuc, pugnæque duces interfurit æstro.

(1) Omnia incommoda, quæ passi sunt *Fridericus* Imperator, vel *Maximilianus* Cæsar, Palladis inuidiæ ascribit.

(2) Celeiam, seu Giliam oppidum vetus Styriæ intelligit, opus P. Syllæ existimatum. Illic per otium multa & egregia Romanæ vetustatis monumenta collegimus, quæ coniecturam faciunt, Syllaceum olim dictum.

(3) Quoniam Styria ea ex parte iungitur Hungariæ.

(4) Breuiter, vt rem habeas, *Ioannes Viconitius* genere Boemus, *Vlricho* Ciliensi Comite ab *Vladislao*: *Ioannis Huniadis* filio trucidato, relictæ *Vlrichi* coniugis nomine oppidum defensandum cœpit. Optimates *Friderico* Cæsari terræ possessionem tradendam censent, ceu legitimo domino, defuncto iam absque liberis vltimo comite Vlricho præfato. Quo facto & *Viconitius* a fide defecit, tradens arces *Friderico*, pecunia ab eo accepta. Sed mox pœnitentia ductus, Imperatorem iam sibi securum, corruptis oppidanorum plerisque, hora constituta, cum octingentis militibus intromissus, cuncta miscere armis cœpit. Reliqua *Sylvius* in descriptione Styriæ.

(5) *Matthias* Rex Hungariæ, filius *Ioannis* de *Huniad*: cuius præclara facinora scribunt *Sylvius* & *Callimachus*. Ferunt tamen, Regem *Matthiam* iactasse genus e *Coruina* Romanorum gente, & ob id pro signo coruum habuisse. Id ipsum Germanorum nonnulli faciunt: ignari, non vllam esse in Italia nobilitatem, quam non eo Germani aduexerint, *Campano* Italo teste. Ceterum *Belligeri* epithetum meruit, vel ob gesta in Turcas bella, quibus nullus fuit infestior, nullus cum ea gente prosperius bellauit, aut cum his plura & tam secunda fecit prœlia. Contra Boemos, Hussitanos bellum quoque gessit septennio: post quod in vrbe Olomucensi de Boemia coronatus est. *Stephanum* Waiuodam cum magna manu contra se venientem, noctis silentio fudit fugauitque.

(6) *Strabo* dicit Græcis eos Getas dictos, qui vtrumque Istri latus incolunt. *Iornandes* autor est, Gothos dictos olim Getas, diu Pannoniam tenuisse. *Sylvius* vero scribit, Getas, quos partim Walachos, partim Transyluanos nominant, Hungarorum imperium subiisse, latiusque gentis imperium esse, quam ipsa Hungaria.

(7) Nunc Transyluanos, qui & olim *Metanastæ*, adiacens Tybisco amni. Hos *Matthias*, quia alio creato Rege, ab eius fide defecerant, imperata facere coegit, ad quod fortasse Poeta respiciens dixit, *impulit*.

(8) Nam, vt dicitur, conniuente *Friderico* Imperatore bellum gessit in Austriacos populos: quo, minus sibi obedientes alieno gladio perdomaret, vt ait *Albertus* Saxonicarum rerum scriptor lib. 13. Eo bello Viennam, Nouam ciuitatem, totamque fere Austriam

ſtriam in ſuam poteſtatem redactam. Cæſar *Maximilianus* recuperauit, patre viuente. Huius belli meminit *Cimbriacus*, cuius poema eruditorum iudicio cum antiquitate certat. *Etiam*, inquit, *belligeri ſeruebant Pannonis arma, Auſtriacas preſſura vrbes, dum Cæſar ad oras, Filius Oceani ſuſtas vlciſcitur iras.*

(9) Pannoniæ olim pars erat. *Oſtriam* ſunt qui eam appellant. Habuit nomen prius *Orientalis Marchia*. Hanc autem quam hodie ſeruat appellationem, ab orientali vento, alii a ſitu, quod ad orientem vergat, ſortitam putant. Iungitur ea Pannoniæ ad ortum ſolis, Bauariæ ad occaſum: qua ad ſeptentrionem ſpectat, habet Morauiam, Styriæ montes ad meridiem. Regio ferax, ac vini abundans, ſemper lætiſſimis pabulis referta.

(10) Hoc eſt, Pallas his malis, quibus ipſa fuit autor, ceu multum leuibus, minimique momenti, etiam ab externo hoſte illatis, haudquaquam ſatiata, curauit & ciuile odium excitare: quo reuera, ne Poetam fingere putes, tres primum Principes in Auſtriacæ prouinciæ capite Vienna, inter ſe exarſerint, copioſe ſcribit *Syluius* in Europa. Quanquam Poeta ad hoc non reſpexit, ſed ad obſidionem arcis Viennenſis, quæ ſecuta eſt contra *Fridericum* a ciuibus Viennenſibus, adiutis *Alberti* fratris viribus.

(11) Regionis caput *Viennam* hodie intelligit. Olim *Flauianum* fuit, vt quidam opinantur: mox prima ſyllaba detrita, *Vianum*, poſtremo *Vienna*. Sunt qui malint credere, a ſuburbano fonte, cui nomen ſit, *Vienna*, vrbem nomen adeptam. Olim *Flexum*, quantum ex *Ptolemæi* collocatione cognoſci poteſt.

(12) Fridericus.

(13) Viennenſi, quæ omni genere tormentorum oppugnabatur: adeo, vt Cæſar a Boemorum Rege petere auxilium compulſus fuerit: & ſimul per literas, *Pium* Romanum Pontificem rogare, ne Boemum Regem ſub id tempus deuoueret diris eccleſiaſticis, quod is iam aperto in Huſſitanam ſectam abiuerat: quod vt a Pontifice impetrauit, Boemus *Fridericum* liberauit aſtu, vt neque periret, neque vinceret.

(14) Seditionem Belgarum intelligit contra *Maximilianum*. Vel reſpexit ad ſcelus Brugarum, quorum inſidiis *Maximilianus* ſtatim poſt regni initium retentus fuit; de quo latius in octauo libro dictabimus. *Ammianus* libro decimo quinto duplicem *Belgicam*, primam & ſecundam ponit, quæ hodie in *Burgundia* nomen abiit, itidem duplicis, ſuperioris & inferioris. Vt omnis Belgica in Germaniæ appellationem & Imperii iura ceſſerit, *Peutingerus* in *Sermonibus* ſuis conuiualibus tractat.

(15) Horum meminit *Maro* in fine ſeptimi. Teruanos nunc vocant.

(16) Heluetio.

(17) Hoc eſt, Lacus Conſtantienſis, inferioris ſcilicet, qui & *Cella lacus* dicitur. *Veneti* nomen a colore marino, qui cæruleus eſt, accepit. Alio nomine *Acronius*, non *Acromus*, vt hactenus apud *Melam* perperam lectum eſt, vt diſſerit erudite *Vadianus* in epiſtola illa doctiſſima ad *Rudolfum Agricolam* Iuniorem, & nos etiam latius aliquanto in enarratione *Stauroſtichi* diximus.

Ergo quæ vigilans humentibus hauſerat vmbris
270 *Dux, ſecum euoluit: dein lecto deſilit aureo,*
Inuituſque die (1) *lucem Phœbumque moratur.*
Extulit interea croceas aurora iugales (2).
In nemus ire parat, ſtygioſque inuiſere Manes.
Enſe latus munit, clypeum arripit, vnde videres
275 Phalſgrauidum *genus, & proauos, & fortia bello*
Pectora, Boiugenumque aciem (3), *cum latius arma*
Eridano, & domitis ſuderunt agmina ripis:
Hinc Byorix, Ambronque ferox (4), *& Cimbrica caſtra*
Picta videbantur, Catalumque timere furorem (5)
280 *Aſpiceres, fractaſque niues* (6), *& montibus alas.*
Præcipites, & aquis pontem indignantibus (7) *altum.*
Nec non indomiti & fulgentes Saxones armis,
Francorumque manus, Herulique, & belliger Hunnus
Apparent, raptæque vrbes, & prælia quondam
285 *Horrida Toctuſagum* (8), *pulſataque Noria Bois.*
Mille etiam priſcis circum argumenta figuris
Viuunt, mille viri deſcriptis vultibus halant.

(1) *Die* gignendi eſt caſus antiquus. *Maro*: *Libra die ſomnique pares.*

(2) Feminino genere protulit: quoniam & puellæ apud *Auſonium* trahunt auroræ currum.

(3) Laudat antiquum genus Boiorum, vnde ipſe trahebat originem. Boios autem ripas Eridani occupaſſe, indeque a Romanis eiectos, ad Iſtrum conſediſſe, *Strabo* author eſt, vt in principio ſtatim diximus.

 (4) Hi

(4) Hi Cimbrorum Reges, dum Romani rerum arcem tenerent, prorupere in Italiam, fusi fugatique a Mario, vt *Plutarchus* in eius vita meminit.

(5) Nam *Catulus*, qui contra Cimbros copias ductauerat, desperauerat illos ab Alpium transitu arcere posse.

(6) Per quas atque glacies nudi, vt *Plutarchus* ait, conscenderant iuga Alpium, vt potius robur atque animi elationem ostentarent, quam id quod in vsum ac necessitatem veniret, efficerent.

(7) Cimbri, vbi prope flumen Atisonem castra posuere, vt per aquas tranarent, tumulos qui iuxta aderant scindentes, tanquam gigantes cæsas trabes, atque montium præcipitia, & terræ aggeres, atque coniugatas scalas in fluuium comportabant: qui fluxum aquarum frangentes, pontem quassabant vastis roboribus, quæ ad fluuium traxerant. Multi ex militibus Romanorum terrefacti, maioribus relictis castris, secessere.

(8) Gens Gallica, quæ cum Bois antiquissimam Norici ciuitatem *Noriam* deleuerunt: a qua fortasse *Noricum* dictum est.

Itur in antiquam siluam (1), *Rhenoque remenso,*
Sacra Ithaci (2) *miranda petit, cum nocte silentes*
290 *Ad superos veniunt vmbræ, vix margine plantam*
Intulerat nemoris, tremere omnia visa repente,
Atque imo mugire solum, gemitusque per auras
Audiri, & tristes compleri murmure lucos.
Substitit ille, ferumque extra capulo eripit ensem,
295 *Intenditque aures, veluti sub luce maligna*
Exploraturus, si quid præsenserit hostis.
Arrigit auditum: pronusque in verba moratur.
It tamen, & gressu impauidus nemus intrat opacum
Horrida perquirens Ithaci (2) *penetralia Vatis*
300 *Sacrorum sedem, nigrans quam vallis obumbrat.*
Et negat admitti calidos Hyperionis (3) *ignes:*
Sed noctis patiens, & tetris fumida siluis
Religione locum stygio sacrauerat Orco.
Intus perpetuæ plenum caliginis antrum
305 *Demissum ad Manes, sacræque in faucibus ipsis*
Vestibulum ante aræ, circum pallentibus vmbris
Bacciferæ Taxi (4), *candentisque vmbra Laburni,*
Et pomis viduata suis Cybeleia pinus (5),
Apparent: tristi feralem lampade cedrum (6),
310 *Atque sepulchrales medio de funere raptas* (7)
Cernere erat splendere faces (8): *mox omnia Vates*
Lustrat, & an quisquam teneat nemus, horridus inde
Voce tonans, estis quicunque, ait, ite profani
Hinc procul (9), *& cœptum timidi ne accidite sacrum.*
315 *Tunc Heros primum viui sibi fluminis artus*
Sparsit rore leui, atque olli se se obtulit vltro.
Obstupuit Vates. Quis te, inquit, casus adegit (10),
Infandum penetrare nemus? quo numine fretus
Huc tendis? locus vmbrarum est, age fare vicissim.
320 *Quem contra affatur breuiter sic Boicus Heros* (11):
Non me casus agit, defunctas ire per vmbras,
Sed Diuum monitus, & chari iussa parentis
Per loca nigra situ, stygio sacrata Tonanti
Impellunt: dudum laui me gurgite viuo,
325 *Accessique tuas Vates purgatus ad aras.*
Nunc quid ego exquiram paucis, aduerte, profabor (12).

(1) In qua essent arbores multis seculis auctæ.

(2) Vlyssis ab Ithaca, Vlysse tantum clara. *Cicero*; *At si vos id, quod iure debet, vestra patria de ectat, cuius tanta vis est, vt Ithacam illam in asperrimis saxulis, tanquam nidulum affixam, vir sapientissimus immortalitati anteponeret.*

(3) Hic Cæli Terræque filius, vt *Hesiodo* placet, ex Thia, vt canit in hymnis *Homerus*, ex Euryanassa sorore Solem, Lunamque, & Auroram suscepit. Sed & ipse Sol Hyperion, & Hyperionides a patre vocatur. *Papinius*; *Pronos Hyperionis meatus.*

(4) Taxo & Laburno arboribus abundare Germaniam *Plinius* dicit.

(5) Quia

(5) Quia olim sacra matri deum.

(6) Quod in feralibus sacrificiis, quæ mortuis fieri solebant, cedrus adhibebatur.

(7) Ouidius: *Eumenides tenuere faces de funere raptas.*

(8) Erant autem taxeæ, ad demonstrandam perfectionem feritatis. *Papinius* in octauo Thebaid. *Nec dum illum aut trunca lustrauerat obuia Taxo Eumenis.*

(9) Sic *Maro* libro sexto: *Procul, o procul este profani.*

(10) Artificiosa hominis furentis ac indignantis interrogatio, quæ breuiter fit.

(11) Dux *Robertus.*

(12) Id est, loquar: compositum pro simplici. Vel respexit ad bellum, quod sciebat futurum, licet exitum illius ignoraret. *Profari* enim latine est, quod Græci *prophetare* dicunt, id est, futura prædicere. *Vlpianus* de Ædilitio edicto. *Si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliqua profatus esset*, id est, prædixisset.

Bellum ingens, si forte tuas quoque perculit aures,
Exoritur, mecumque omnis Germania pugnat.
Longa mali series, neque enim sat tempora(1) fando
330 *Sufficerent, tu bella mihi tantum effer ad auras*
Ventura, & casus (nam tu potes) ede futuros.
Per nigri regna alta Iouis, per numina subter
Infernum iuranda polum (2), & caligine mersa
Oro velis, si fata sinunt (3), si Iuppiter aulæ
335 *Annuit infernæ(4), & nostri Diis cura remansit(5),*
Effari, ac nobis belli recludere finem (6),
Venturumque sinas Erebo (7) prænosse laborem.
Dixerat. Ille atrox oculis (8), cui plurima mento
Canicies inculta iacet, gliscitque videndo,
340 *Igneus ore vapor, rabiesque inserta sororum*
Eumenidum, tales depromit pectore voces:

(1) Multi dies.

(2) Antarcticum, *quem styx atra videt, manesque profundi.*

(3) Nunc etiam dicimus ominis causa, *Si Deus voluerit*, de re cuius exitus pendet a Dei fauore.

(4) *Dis pater*, Græcis *Pluton.* Huius imperium *Pythagoras* existimauit a lacteo circulo incipere: quia animæ inde lapsæ, videntur iam a superis recessisse. Inde primam nascentibus alimoniam lactis ait offerri: quia primus animis motus a lacteo incipit in corpora terrena labentibus.

(5) Præter Diagoram, Epicurum, & paucissimos alios, dixerunt veteres philosophi, curare Deum humana: quod & sacræ literæ testantur, dum referunt, nihil eum odisse eorum, quæ fecit.

(6) Id est, aperire exitum.

(7) Erebum quandoque *Maro* obscuritatem quandam, quæ sit apud inferos, videtur accipere: quandoque flumen eiusdem loci. *Varro* tamen Orci Deum fingit Erebum, Noctis parentem. *Seruius* suspicatur Erebum inferorum secessum quendam, quem teneant, qui cum virtute vixerunt, & adhuc in campos Elysios non admittuntur.

(8) Describit vatem fere, vt Cumæa Sybilla a *Marone* describitur.

Si te tantus amor bellum, si tanta cupido
Noscere sollicitat, Manesque (1) videre profundos,
Hæc tibi sunt peragenda prius, quam cernere quicquam
345 *Detur, & antiquis mecum considere sacris,*
Hac depone ensem, clypeumque sub arbore, & vna
Lethæam intonsum circum caput aggere Pallam,
Tenareæ Iunonis (2) opus (3), quo sæpe solebat,
Pulchrior vt fieri voluit, sibi comere crines,
350 *Et se Tartareo placituram offerre marito.*
Illa mihi dono quondam dedit, illius ergo (4)
Numinis infernos libato sanguine Manes
Placabant olim, qua tempestate biremis
Dorica, & appulsus fortuna huc venit Vlysses,
355 *Egregiamque suo de nomine condidit vrbem (5)*
(Vt fama est) posuitque aram, cætusque silentum
Exciuit, statuitque sacrum, fierique quotannis
Consuetum populis, donec libare per vmbras
Desiit humanum iam mitior ara cruorem(6).

360 *Dixerat. Inde duos (7) nigrantes cornua (8) tauros*
Plutoni Stygio, totidemque ad vulnera vaccas
Magnæ (9) Hecate (10) promit, dirisque vltricibus (11) agnas.
Dein tali impauidum aggreditur sermone Robertum:
Funde merum (12), & falsam sparge inter cornua frugem,
365 *Cum flammam ex ara, lumenque micare videbis.*
Ipse soporiferum iactat per inane papauer,
Lethiferam taxum, tristique ex ilice frondes,
Temporaque exornat circum stygia cyparisso (13)
Infausti pecoris prærusa pelle recinctus (14).
370 *Inde manu lignum medio de funere raptum*
Caluitiumque hominis, sparsique per aera busti
Infandos haurit cineres, & ruminat ore
Quæ Thelmessiaco (15) mussantur carmina ritu.
Non secus Ææi Circe (16) sub rupibus antri (17)
375 *Horruit, & nigri Manes stimulauit auerni.*
Quæ potuit firmare polos (18), & cogere Lunam,
Sidera torquere, & diuellere montibus ornos.
Incipit effari, luctantemque euocat Orcum,
Addidit & Dryidum *cantus (19), & Thessala verba (20)*
380 *Femineis vlulata modis, Nilotica quicquid*
Claudit, Cocytum vertens in carmina Memphis (21),
Nec non Athracii miscet mala murmura Vatis (22).
Tunc velut Ogygio stimulatum Penthea Baccho (23)
Cernere erat voluentem oculos, fit spiritus olli
385 *Maior, & in pleno luctatur pectore clausus.*
Extemplo micuere ignes, & sponte per aram
Eluxit flamma, & tædæ exarsere rogales.
Tunc Heros falsamque molam, & spumantia Baccho
Cymbia perfundit nigrantis cornua tauri.
390 *Stat Vates cultros vibrans, dein talibus hiscit:*

(1) Quos veteres deos inferos, quasi bonos, nam manum aiebant bonum, supplices metu mortis venerabantur. Autor *Ælius Stilo.* Sunt, qui dictos arbitrentur, quod per omnia manarent, quos ab auguribus ob id inuocari mos esset.

(2) Ad differentiam cælestis.

(3) Vel quod eam neuerit: vel quod ei sacrificata sit a Romanis matronis. Lege *Silium* libro septimo.

(4) Pro, *causa illius.* Maro. *Illius ergo venimus.*

(5) *Tacitus* nominat *Asciburgium.* Id hodie *Emerich* vocatur, vt putant.

(6) Et responsa cessasse Deorum, & sacra veterum sub CHRISTI aduentum, frustra operata, vanaque cessisse, ita ferme queritur apud Eusebium *Porphyrius*, Christianorum capitalis hostis: Nunc vero, inquit, mirantur, si tam multis annis peste ciuitas vexatur: cum & Æsculapius, & alii Dii longe absint ab ea. Postquam enim Iesus colitur, nihil omnino commodi a diis consequi possumus.

(7) *Plutarchus* tradit, parem numerum inferis dicatum, imparem superis. Maro, *numero Deus impare gaudet.*

(8) Veteres nigri villi victimas immolare solebant. Tibullus: *Concidit ad magicos hostia pulla deos.*

(9) Inferorum reginæ Proserpinæ. Huic *Orpheus* in Argonautico triplex caput esse affingit, dextrum equi, sinistrum canis, medium hominis, & quidem rustici. *Ouidius* in Fastis. *Ora vides Hecates in treis vergentia formas.*

(10) Propter vim potestatum, quoniam lucet in cælo, ferit in terris, & torquet in inferno.

(11) Quod nullum scelus inultum prætereant.

(12) Ritus sacrificii.

(13) Stygio Plutoni sacra.

(14) Ex instituto magico, euocaturi dæmones, nigri pecoris pelle vestiebantur.

(15) In Lycia Magiam viguisse, apud *Plinium* legimus, cuius Thelmessos ciuitas est.

(16) Hæc Medeæ credita soror. A *Seruio* filia solis dicta: quia clarissima fuit meretrix: & nihil sole clarius.

(17) Vnde a Propertio Ææa Circe appellatur insulæ nomen ab Æta rege.

(18) Nota eiusmodi de Medæa apud *Ouidium.*

(19) Id est, incantationes, quibus sacerdotes Galli vtebantur. Vnde incantare, & excantare in xii tabulis legitur, qui fruges alienas excantasset, & qui malum carmen incantasset.

(20) Id est, magica: quod Thessala gens præter ceteras hoc nomine notata est.

(21) Ægyptii

(21) Ægyptii quoque plurimum magia polluerunt. Vnde Mosem, sapientissimum illum prophetam, magiæ scientissimum gentium scriptores prodiderunt.

(22) Duos Athraces lego. Alterum, a quo Ætoliæ populi Athraces dicuntur. Alterum Thessaliæ patrem, qui primus artem magicam apud Thraces constituit. Vnde *Papinius*, Athracia arte dixit in primo Thebaid. pro magica superstitione.

(23) Omnes in orbe impios Bacchus sustulit, vt ingeniosa finxit vetustas: sed maxime Pentheum & Lycurgum: hunc, quod vites incideret: illum vero, quod Baccho sacrificantes rideret.

Æternæ noctis (1), caligantumque animarum
Arbiter (2), horrendique Hecate Regina barathri (3),
Et Chaos (4), & Plegethon (5), consuetaque sæpe vocari
Limoso Styx (6) atra vado, & liuentia nigri
395 *Flumina Cocyti (7), ripæque Acherontis (8) auari (9),*
Et vos, o Diræ (10), fontium timor (11), atra flagello
Tisiphone (12), Alectoque (13), hydrisque armata (15) Megæra (14),
Et custos Erebi (16), Vates ego sacra Thyoneus (17)
Conficio (18), vobisque lito, maioraque vestris
400 *Munera libo focis: taurumque his vulnere dictis*
Inuadit, iugulatque animam: dein cetera mactat
Corpora, & accensis imponit viscera (19) flammis:
Accipite hæc, inquit, libamina vestra, sacrisque
Annuite, & superas iam iam migrate sub auras.

(1) Euocat vmbras, inuocatis rerum primordiis, quæ in elementorum erant confusione.

(2) *Plutonem* intellige, quem Græci inferorum Principem dixere, & diuitiarum Regem: quoniam nihil esset corruptibilium rerum, quod ad illum omnino non perueniret. Nec abhorret ab Hebraica & nostra disciplina, qua mammona iniquitatis & dæmonem & diuitias intelligimus.

(3) *Barathrum* Græci vocant, quaquauersum præcipitem locum, vnde emergi non possit. Instar eius, in quem rerum capitalium damnatos Athenienses olim deturbabant. Inde *Barathrum* pro pernicie *Demosthenes* vsurpauit. *Hammonius* ait: Barathrus & Barathrum *distant hoc. Genere enim masculino signat eum, qui digna carcere patrauit: neutro, locum, in quem noxii coniiciebantur.*

(4) Tenebræ infernales, a similitudine earum, quæ sub illa rerum confusione ab initio fuerunt, vt est apud *Hesiodum*, cum non dum sol & reliqua sidera officium suum præberent. Ouidius: *Nullus adhuc mundo præbebat lumina Titan, Nec noua crescendo reparabat cornua Phœbe.*

(5) Inferni fluuius, flammarum globos voluens. Maro: *Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis Tartareus Phlegethon.* Et nostræ literæ, apud inferos esse produnt lacum ignis & sulphuris.

(6) Scilicet a Diis, concipientibus iusiurandum per Stygiam paludem. Vel quia a diis & hominibus odio habentur, qui ad deiurium procliuiores sunt. Vel quia, iuxta *Hesiodum*, omnibus elementis antiquior est aqua.

(7) Inferni & hic palus a Styge manat, vt *Homerus* in Odyssea. Alii fluuium voluentem lachrymas aiunt. Nam mæror styx est: inde cocytus, id est, gemitus deriuatur.

(8) Ad Heracleam Ponti fluuius est, ab Acheronte Mariandynorum Rege dictus. Alter apud inferos a poetis fingitur, ad exprimendum mærorem, quo carissimos quosque vita functos efferimus.

(9) Quoniam insatiabilis animarum est Orcus.

(10) Furiæ treis, & suo quamque nomine recenset. *Eumenidas* Græci vocant, nos modo *furias*, modo *diras*, quasi deorum iræ.

(11) His enim inferi nihil habent sæuius, nihilque immanius. *Hesiodus & Epimenides* eas sanguine pudendorum Saturni, quæ patri Iupiter amputauit, editas aiunt. *Maro* nocte genitas autumat. *Hunc mihi da proprium virgo sata nocte laborem. Papinius* Acherontem patrem tribuit: *totidemque sacris Acheronte nefasto Virginibus.*

(12) Quoniam cædes vlciscitur: vt placet iis, qui verborum rationes apud Græcos interpretando scrutantur. Vnde Maro: *Sontes vltrix accincta flagello Tisiphone quatit.*

(13) Iisdem autoribus dicta, quod nullum scelus inultum prætereat.

(14) Ab inuidendo: *megaro* enim inuideo est.

(15) Primus Æschylus, vt refert *Pausanias*, implicitos serpentibus crines furiis esse finxit: quem postea alii gregatim secuti sunt.

(16) Cerberum illum tricipitem fingunt poetæ pro foribus inferni custodem excubare. Tibullus: *Nunc niger in porta serpentum Cerberus ore Stridet, & æratas excubat ante fores.* De Erebo diximus superius.

(17) Sacerdos Bacchi.

(18) Id est, *sacrificia*, *victimam*. Quæ sic fiebant. Primo vates sanguinem libabat: deinde immolabat: tertio reddebat: quarto litabat.

(19) Id est, *carnes*, imitatus *Maronem*, qui ait: *Et solida imponit taurorum viscera flammis.*

405 *Finierat ritus, & verba precantia Vates;*
Cum subito auditæ voces, sola cœpta moueri,
Vicinasque labare vrbes, & murmure vasto
Immanes referunt tremuisse sub æquore Phocas.
Flumina ad vmbriferas Vosegi (1) *rediere cauernas*
410 *Rapta Mosæ, Rhenique vadum sub tartara tellus*
Accepit, Syrtisque (2) *ingentem condidit alueum.*
Obnubitque polum caliginis vmbo (3), *retroque*
Vulgus anhelantes (4) *luna fugiente, retorsit*
Tartareum currus, summoque a vertice luci
415 *Agmina fugerunt, errant quæ montibus illis*
Nympharum, vt supero visa est Proserpina mundo (5).

(1) Is non idem est, & *Vosagus*, vt aliqui putant. Vt libro octauo, vbi & de *Mosa* Belgicæ fluuio exactius referam. Hic namque liber præter institutum grandescit, etiamsi multa post me memoranda relinquo.

(2) Accipe *Rhenana*, vt alibi dicit, *Charybdim Rhenanam*. Est locus, quem ipse vidi, non longe sub Baccharaco, ad diuum Goarem, teutonice, *zusam Gevver*: vbi Rheni flumen rotatu quodam circumagitur. Estque illic periculosior nauigatio, ob ingentem aquarum vim, quam accolæ arbitrantur illic absorberi.

(3) Scita similitudo, sumpta a clypeo, quo teguntur corpora. Est enim vmbo tumor ille medius in clypeis. Vnde & *Papinius* vmbonem montium dixit.

(4) Constructio est; *Tartareum vulgus retorsit retro*, pro retrocedere fecit, anhelantes currus, luna fugiente.

(5) Tanquam apud inferos sit alius mundus. Fuere non pauci, qui alium crediderunt mundum. Multi item: qui partem mundi asseruerunt, in qua perpetuæ essent tenebræ.

Dii quibus & Phlegethon (1) *curæ est, animæque silentum* (2)
Quæ colitis sedes, & inania (3) *tartara Ditis,*
Vestrum opus incipio, sit fas mihi condita nocte,
420 *Sit terris demersa loqui. Iam prima per vmbras*
Ante omnes carpebat iter Trinacria virgo (4),
Raptori coniuncta suo, deinde ordine longo,
Non aliter quam si grus inter nubila clamans
Iuncta volet (5), *pennisque secet stridentibus auras,*
425 *Succedit siluæ genus innumerabile vulgi.*
Grosius interea Vatem (6) *vocat; Ille quis, inquit,*
Quis nouus huc nostram accessit mortalis ad aram?
Quæ sibi, dic Vates, vnde hæc fiducia facti?
Cæruleam extemplo vittam demonstrat auernæ
430 *Iunonis munus* (7), *tumido tunc ore resedit*
Ira Dei, & nigri placantur murmura cœtus.
Dum per cuncta oculos voluit Mauortius Heros,
(8) *Ecce per obscuras vmbras, feraliaque antra*
Pallente incedit mæstoque Georgius *ore,*
435 *Boius horrescit: qualis cum Luna pauetque*
In cælo, & stygios magiæ (9) *pallescit ad hymnos* (10).
Protinus exiluit turba (11), *dein talibus vltro*
Aggreditur dictis: Num te mea cura, Roberte,
Cerno oculis? num te video? num te alloquor? heu
440 *Me nimis inuitum rapuit mors improba, non tu,*
Si superis agerem vitam, si vescerer aura,
Numina vt eliceres Erebi, loca turbida adires.
Bellandi caussam Manes mihi fama sub imos
Attulit, & dolui (12) *: sed quid? regnat ne* Philippus?
445 *Ec quid agunt pueri? quid nata? age fare vicissim.*
Excipit, & contra effatur sic talibus heros:

(1) Color e *Maronis* sexto.

(2) Scilicet, *secreta inferorum*. Nam hominum vmbræ loquuntur.

(3) Propter vmbras: quoniam cum apparent, sensui tactus non resistunt, vt corpora. *Seruius* dixit, vmbras inferos, animas cælum petere.

(4) *Proserpina*, hæc apud Ennam Siciliæ rapta

rapta fuit a Plutone, vt *Strabo* & *Solinus* tradunt. Sulpitius apud *Lucanum*, pro *Ænna*, *Ennea* legit: vt plerique etiam apud *Claudianum*, *Æna*, pro *Ætna*, reponunt.

(5) Si nosse cupis non pauca admiratione digna de gruibus, petenda ea tibi sunt, ex *Plinio*, *Solino*, *Aristotele* (qui multa prodit de prudentia earum cap. decimo nono de natura Animalium) ac diuo *Ambrosio* cap. 15 lib. quinti Hexameron. Et quia hæ gregatim veniunt, ideo dixit, *iuncta*, Græci eas γεράνους vocant, Latinis ex sono & voce earum nomen sumptum est.

(6) *Minoem* vel *Rhadamanthum* intelligas necesse est: vterque iudex apud inferos iustissimus, vel vulgo cogniti. Hic autem, tanquam sacerdos scelus commiserit, quia externos sacris interesse patiebatur, quis nam esset, interrogat.

(7) Hanc ex bono exemplari lectionem substituimus: cum deterius habeat, *munusque sacratum Iunonis stygia*, sensu imperfecto. *Ira Dei* Plutonis, Minois vel Rhadamanthi.

(8) Hic sumpta occasione, *Georgium* obuiam facit, a quo *Robertus* multa de magia, ac nomina vmbrarum didicit.

(9) Magicam incantationem.

(10) Nomen sua moneta Latium non percussit, vt magus dicatur. Sicut Horatiano placuit interpreti, non a magis particula deducitur: non Græcum, non Chaldæum, non Ægyptium, sed Persicum est. Quid autem significet, & quotuplex magia fuerit, copiose tractat *Picus* iunior toto libro septimo, qui illius ergo de superstitiosa, prænotione aduersus magiam inscriptus est. Audi & seniorem differentem in Apologia: Nullam esse scientiam, quæ nos magis certificet de diuinitate Christi, quam Magia ac Cabala.

(11) Eadem locutionis figura *Lucanus* de anima Pompeii dixit, *Prosiluit busto*.

(12) Vel propter iudicium Cæsaris, vel absolute, propter bellum.

Postquam te nobis, sic Dii voluere, repente
Abstulit atra dies (1), *veniet quæ semper acerba,*
Semper tristis erit, mecum sors inuida cœpit
450 *Luctari: neque enim victa ceruice sub illa*
Occubui, sed contra omnes ardentior ictus
Intendi clypeum, regnoque potitus, ad arma
Prouocor Austriade, & ducibus, quos nostra triumphis
Diues alit regio, tantumque audire Deorum
455 *His rebus responsa super, belloque futuro*
Inquirens, ferale nemus Vatemque petiui.
Sed quid plura loquor? regnat pater (2), *& tua proles* (3)
Implet auo pueros (4): *sed tu per sacra profundæ*
Non temeranda Deæ, cultrosque, arasque piandas,
460 *Dic rogo* (5), *cogantur quam longa ab origine Manes*
Fontibus a stygiis superas euadere ad auras.
Quis trahit huc animas? quæ gens? num cuncta mouentur
Tartara? vel certis labor est? vel parcitur vmbris?
Fabor, ait, nec vana quidem. Quam prospicis artem,
465 *A Ioue principium fuit* (6), *& cœlestis origo,*
Hinc delapsa polo late descendit ad oras
Persidos (7), *& magno pollens Zoroastre* (8) *per orbem*
Irrepsit Memphim, Syriæque inuecta per vrbes
Dira superstitio (9), *multisque fluentibus annis*
470 *Ad Lyciæ Thelmesson iit, dein Thessala regna.*
Sæpe vbi femineis (11) *descendit menstrua* (10) *olympo*
Cantibus, & tristes Phœbe despumat in herbas (12).

(1) Quasi diceret, *Ante fatale tempus exactum*.

(2) Nunc respondet duci *Georgio*, qui rogauerat, *Sed quid? regnat ne Philippus?* &c.

(3) Filia tua, mihi vxor.

(4) Hoc est, *imbuit institutis & moribus tuis*.

(5) Petit de origine magiæ, de potentia & vi artis, de vmbris, & an omnes, vel aliquæ cogi possint.

(6) Narrat originem magiæ cælestem, qualis plurimis sæculis credita est.

(7) Magiam cœpisse in Oriente, & Persas in ea versatos omnes affirmant.

(8) Consensu scriptorum, Zoroastri magicarum artium inuentio attributa est. Quæ tamen illi, nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem contra suos prodesse inimicos potuerunt. A Nino quippe Rege Assyriorum, cum esset ipse Rex Bactrianorum, superatus est, vt tradunt *Iustinus* & *Siculus Diodorus*.

(9) Tu vide *Plinium*, qui asserit, magicam omnium artium fraudulentissimam, miraturque, quomodo in toto terrarum orbe plurimis sæculis valuerit: refertque caussam, ob quam putat id accidisse. Lege diuum *Augustinum*, quo nemo ex nostris melius magicam

magicam tractauit materiam, cum maxime in ciuitate diuina, tum alibi. *Picus* autem, omnia quæ faciunt ad magiæ rationem, in librum iam nominatum contraxit.

(10) Integra & solida.

(11) Medeæ, vel Circes: vt illud Maronis; *Carmina vel cælo possunt deducere Lunam.*

(12) Nam postquam carmine Lunam de cælo deduxerint, non prius permittunt ipsam in cælum redire, quam spumas demiserit, quibus postea vtuntur ad veneficia. *Lucanus* in sexto: *Et patitur tantos cantu deprehensa labores, Donec suppositas propior despumet in herbas.*

Orphea quid memorem(1)? quid Circen, aut Prothea magnum(2),
Carpathio varias vertentem gurgite(4) formas(3)?
475 *(5) At periere olim Vatum monumenta priorum(6),*
Atque arti contracta(7) fides, retroque relabi
Paulatim cœpit, stabili sunt omnia fato(8)
Per certas reuoluta vices, siluisse Lebetas
Vidimus Epyri(9), Prænestinæque sorores(10)
480 *(11) Fatidicam Æaei liquerunt hospitis(12) vrbem.*
Quin etiam quercus referunt oracla dedisse
Hercynia in magna(13), voluit quas alta vetustas.
Nec miror quondam hæc periisse arcana Deorum.

(1) Magum sapientissimum fuisse, vel ex hoc loco colligimus. Eius enim descensum ad inferos Poeta videtur tribuere magiæ: in quam & *Picus* iunior retulit: quanquam receptum est iam, propter harmoniam viam ad inferos impetrasse.

(2) Quem & Græcus & Romanus Homerus cecinere, præsentia, præterita, & futura nosse.

(3) Quibus a poetis introducitur, & propterea ab *Ouidio*, ambiguus nuncupatur. *Diodorus* autor est, Protheum Ægypti regem fuisse, qui ob multarum rerum peritiam, in varias verti formas diceretur.

(4) Carpathus insula contra Ægyptum, inter Rhodum & Cretam media, à qua vicinum mare ad Ægyptum vergens, Carpathium dicitur, *Acrone* teste. Hic aliquando regnauit Protheus, relicta Pallene patria: ad quam tamen reuersus est. Quod ostendit *Maro*, de Protheo loquens: *Hic nunc Emathiæ portus, patriamque reuisit Pallenem.* Lege *Domitium* primo Siluarum Papinii.

(5) Diluit, quod sibi obiici posset. Periit hæc ars, nec inpræsentiarum tantum fidei adhibetur. Fateor, inquit: cum hoc idem quam plurimis rebus quoque ei accidere videatur, quia omnia reuoluuntur fato quodam, & serie naturæ per quasdam vicissitudines, & id probat exemplis.

(6) Satis diximus de vatibus in *progymnasmatis Reuchlinianis*, ac *Staurostichi* enarrationibus, vbi omnia copiose ad fastidium vsque.

(7) Non omnino perdita, sed diminuta fama magicæ arti.

(8) Diuino decreto: quod est immutabile, certis temporis vicibus, nunc concedens, nunc auferens, nunc læta immittens, nunc tristia. Namque *rerum omnium vicissitudo*. Hoc autem *fati* nomen, senior *Picus* ex veterum tradit monumentis in quadruplicem significationem posse accipi. Vt fatum vel ipsa natura sit. Vel caussarum series, ordoque, nexu necessario cuncta producens. Vel siderum constitutio, cum quid nascitur, aut concipitur, aut inchoatur. Vel diuini consilii executio certa, ineuitabilisque successus. Exempla si petes, ipse dabit.

(9) Referendum est ad formam oraculi Iouis Dodonæi, quod ex quercu illius nomine dabatur. Vnde superius dixit. *Quid vos Chaoniæ quercus.* Id enim lebetibus æreis vndique cinctum erat. Quod tamen *Aristoteles* refellit.

(10) Quæ sortes fortunæ Prænesti extrahebant, quas *Liuius* scribit aliquando fuisse extenuatas. *Picus* iunior in Sexto de prænotione sortium narrat genera, atque confutat.

(11) *Papinius* in Siluis: *Et Prænestinæ mallem migrare sorores.*

(12) Intellexit Prænesten Latini regis filium, Vlyssis nepotem. Latinus enim, vt ait *Solinus*, Vlyssis & Circes filius fuit: Latini Prænestes. *Maro* autem dicit Latinum Solis & Circes filium. Vnde Ææus dicitur ab auia Circe, quæ Ææa a poetis, vt & a nostro superius dicta est. Idem *Maro* libro septimo dicit, Præneste conditum a Ceculo Vulcani filio.

(13) De qua Poeta libro octauo, & *Cæsar* libro sexto plura, & nos in *Staurostichi* enarrationibus retulimus, atque inferius commode dicam.

Aspice defectum(1) nostram quoque ferre quotannis
485 *Naturam, rursusque nouis gaudere figuris.*
Frondiferum, vt perhibent, flammæ splendentis, Epopon
Vis æquauit humi, montanasque eruit ornos,
Aeque cacuminibus campestris forma remansit.

Tanta-

Tantalon, & Sipylum, Phœnicumque obruit vrbes(3)
490 *Sub vastum natura*(2) *solum, rursusque subinde*
Accipimus natas turbata per æquora terras,
Et celsam Prochiten(4), *& egentem numine Delon,*
Ignaramque Rhodon miracula ponere Phœbo(5).
Quid moror? ipsa suis vicibus(6) *nox humida fungens*
495 *Phœbi pellit equos*(7), *hanc ilicet effugat atram*
Clara dies, pars sidereo de vertice mundi
Prona ruit, partem assidue vertigo supinat.
Nunc æstas lapsa est, sed & hanc quoque prouocat alter
Annus, & obseruat glacialis frigora brumæ.
500 *Omnia prætereunt, redituraque tempora certo*
Discimus exemplo(8) *rerum, sic forsitan, ipsa*
Quæ vacat, ars repetet(9), *nec Vatibus antra carebunt.*
(10)*At quæ nos Superis vis attrahat, accipe paucis.*

(1) Probat non solum artes periisse defectu naturæ, in qua nihil terrestre æternum est, sed etiam in ciuitatibus & montibus, videri possit naturam quodammodo defecisse, ac per vices ablatum reddidisse: vt in Epopo monte, & Tantalo, ac Sipylo vrbibus: rursus in Prochite, Delo, & Rhodo. Hæc Poeta ex *Strabone* sumpsit.

(2) Terræmotus.

(3) Vnde relicto patrio solo, Assyrium stagnum, mox mari proximum littus incoluerunt: condita ibi vrbe, quam a piscium vbertate, Sidona appellauerunt. Nam piscem Phœnices Sidon vocant. De Phœnicum diuitiis, nauigandi peritia, artium inuentione, ac situs nobilitate, scribunt omnes, potissime *Plinius* lib. quinto, *Mela* primo libro, *Q. Curtius* lib. quarto, *Strabo* decimo sexto, *Lucanus* in tertio, *Ptolemæus* lib. quinto Tabula quarta Asiæ.

(4) Maro: *Tum sonitu Prochita alta tremit.*

(5) Hoc dicit, quod altera Dianæ, altera Apollini dicata fuerit: vel vtraque Apollini. Autumarunt enim gentes, in Delo (quæ Ægæi maris insula est, inter Cyclades) Apollinem & Dianam ex Latona natos. Vnde Maro: *Delon maternam inuisit Apollo.* Hic ex tripode respondebat, oraculumque apud mortales summam fidem obtinuit: qualem & Pythium habuisse testatur *Strabo*. Rhodus Lyciæ insula est, multis, vt alicubi diximus, vocata prius nominibus: in ea ciuitas est Lindus, in qua Rhodienses Dianæ sacrificantes, dies aliquot apud aram eius prorogabant, atque inibi perpetuo manebant. Inde natum prouerbium, *Rhodiorum oraculum*: vbi quis de re minuta, nimium crebro, nimiumque diligenter sciscitatur.

(6) Per temporis vicissitudinem, ostendit rerum omnium vicissitudinem. Sumpto colore ex *Horatio*, qui lib. Carminum quarto scribens ad Torquatum, per verni temporis descriptionem, rerum omnium vicissitudinem signat.

(7) Horum nomina pete ex lib. transformationum secundo.

(8) Vulgo dicimus, experientia.

(9) Pro, in pretio erit, quæ nunc desita habetur & in desuetudine.

(10) Nunc transit ad artis vim & potentiam.

Carminibus magicis, sacroque accersimur ore.
505 *Nam simul, atque imas animas*(1), *& tartara pulsat*
Vocibus(3) *atque Erebi pallens adsibilat vmbris,*
Sistimur huc omnes(2), *solum nos improba Vatis*
Vis trahit ad Superos, inuitaque cernimus astra.
(4)*Nam potis est, Phœbumque retro, cælique meatus*
510 *Vertere, & ex atris conuellere nubibus ignes.*
Hinc responsa petit, venturaque pandere terris
Nos credit mortale genus, sed vera profabor.
Quis rerum seriem promet(5)? *penetrale quis alti*
Ingreditur fati? nulli se præbet habendum
515 *Ipse tenor mundi*(6): *quot enim mortalia corda*
Voluimus in dubiis(7)? *Furor est secreta mouere*
Fatorum(8), *Vates*(9): *sed finge, arcana Thyoneus,*
Et populus mersura tibi monstrauerit arma,
Quid iuuat, o miseri, tristes prænosse labores,
520 *Atque malis, tantum, nec adhuc venientibus angi?*
Fata immota manent, aderunt, quæ tanta cupido
Sollicitare Deos(10), *cantuque lacessere Manes?*
(11)*Nunc animas Erebi dicam, quas carmina Vatis*

 Nulla

Nulla mouent, nullusque labor, quasque improbus vrget
525 *Ad Superos error: patet atro limine cuique*
Tænarus(12), *admittitque omnes, rectosque, malosque,*
Qui regni diuersa petunt(13). *Phlegethonte sub imo*
Innumerum sontum genus(14) *est, & turba malorum,*
Luxus vbi, fastusque perit, nec pollet honorum
530 *Ambitio, cunctis sceleris data pœna peracti.*
At cui concessum(15) *veros cognoscere Diuos*(16),
Virtutemque animi cælestem æquauit agendo(17):
Qui vitæ caruere dolis(18), *quem nulla peredit*
Maiestas regnique timor, cognata reuisunt
535 *Sidera*(19), *felicesue petunt examine campos,*
Quos nostri Elysios olim dixere priores.

(1) Quæ sunt in profundiore inferorum loco. Innuit autem, quod magicus sacerdos nullam relinquit animam, quam non euocet: vnde sequitur:

(2) Intellige tamen de damnatis, vt inferius patebit. Inferorum autem ordines nouem a *Marone* distinguuntur in sexto. Lege illic & *Seruium*.

(3) Hoc est, vocum confusione & diuersitate: quam *Lucanus* describit his versibus: *Latratus habet illa canum, gemitusque luporum, Quod trepidus Bubo, quod Stryx nocturna queruntur, Quod strident, vlulantque feræ, quod sibilat anguis: Exprimit & planctus illisæ cautibus vndæ, Siluarumque sonum, fractæque tonitrua nubis. Tot rerum vox vna fuit.*

(4) Argumentum a minori ad maius. Erat autem priscis persuasum, carmine Magorum, solem inhiberi, lunam despumare, elementa concuti, mentes hominum turbari, vt *Apuleius* indicat, & *Augustinus* meminit. *Lucanus* quoque plurimis versibus vim ostendit magicam lib. Pharsaliæ sexto.

(5) Innuit veritatem sempiternam ex æternitate fluentem, præsciri non posse: singulorum vero fata posse perscrutari.

(6) Æterna veritas.

(7) Siquidem responsa dabantur ambigue. Vnde *Plinius* magicam artem recte asserit intestabilem, vanam & inanem. Estque apud eum singulare caput, de vanitate Magiæ.

(8) Iuxta *Plinium*, dementis est hominis fata perscrutari, quæ cum vitari non possint, & priusquam mala eueniant, velle angi & torqueri.

(9) Magus.

(10) Scilicet inferos, Plutonem, Proserpinam, & ceteros.

(11) Mutatus ordo est. Nam prius *Robertus* interrogauerat, quæ gens, nunc cuncta mouentur tartara? Sed artificiose factum, vt inde vmbrarum nomenclatura aptiorem finem rei daret.

(12) Hoc est, aditus ad inferos: quem finxerunt esse in Tenaro promontorio, propter locum, qui in eo erat, cauernosum, ad quod referri potest. Vel imitatus est *Maronem*, qui dixit: *Facilis descensus auerni, Noctes atque dies patet atri ianua Ditis.* Nimirum significans, homines omni tempore in fata concidere.

(13) Ex dogmate Platonicorum tractat duplex genus animarum, alterum damnatorum alterum piorum: illi pro sceleribus pœnas luunt: hi vel cælum, vel Elysios beatorum campos petunt. Vnde inquit inferius: *Pii carminibus magicis addicti non sunt, neque coguntur.* Si qui autem veniunt, sponte id faciunt, non coacti. Sed qui iudicio Superum damnati sunt auerno, eos magicum carmen cogit. Quare de impiis intelligendum, quod superius dixit, & nos admonuimus: *Sistimur huc omnes.* Porro apud Phædonem *Socrates*: *Puto*, inquit, *non vnam esse ad inferos viam, sed multos tramites, multosque anfractus habere.* Et *Christus* ait, latam & patentem esse perditionis viam: econtra cælestem arctam & cliuosam.

(14) Quorum multitudinem *Maro* volens exprimere, dixit: *Mania lata videt.*

(15) Non enim omnibus, sed hiis duntaxat paucis, dicente Seruatore: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Ad quod illud *Maronis* non inconcinne referri potest: *Pauci læta arua tenemus.*

(16) Hoc est, sectari diuinam legem, quæ constat in vitæ innocentia, quæ est prima illa stola euangelica, de qua in commentariis nostris, quos in euangelicam narrationem dictamus, latius scripsimus.

(17) Talis debet esse vita vere christianorum, ne cum moribus vitæ professio pugnet.

(18) Qui vitiorum blanditiis non sunt illecti ad castra voluptatis.

(19) Iuxta *Socratem*, cuius sententiam *Cicero* refert lib. 1. Tusculanarum. Vel loquitur secundum eorum opinionem, qui deprehenderunt, bene viuentium animas ad superiores circulos redire, vt scripsit de Pompei anima *Lucanus.*

Extra axem, Phœbique vias(1), *vbi mille peractis*
Solibus(2), *ad superas, rediture in corpora*(4), *terras*
Cælestes animæ(3), *Lethæa obliuia potant*(5).
540 *Gens nullo turbata sacro*(6), *nullisque coacta*
Carminibus, lucos populi camposque colentes

Aereos

Aereos(7), ſolemque ſuum(8), ſua ſidera norunt.
Sed quoque & hii, magni velut ad ſpectacula Circi
Turba ingens, Latios, pellecta cupidine, ludos
550 *Inſpectura ruit, veniunt ad ſacra volentes.*
At qui iudicio Diuum damnantur auerno
Dant ſceleris pœnam(9), atque etiam parere vocatis
Eſt opus, & gelido Vatis conſidere luco.

(1) De Elyſiorum ſitu non conueniunt autores. Alii putauerunt eſſe circa lunarem circulum, alii in medio inferorum, alii in fortunatis inſulis.

(2) Pro annis. Frequentius tamen pro diebus, item pro ardore & radiis ſolis.

(3) Etenim, vt *Maro* dixit: *Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo Seminibus, quantum non noxia corpora tardant, Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.* Diuus *Hieronymus* in commentariis in Eccleſiaſten refert, animas noſtras antequam ad corpora iſta deſcendant, verſari apud Superos, & tam diu beatas eſſe, quamdiu cæleſti Hieruſalem & choro perfruantur angelico.

(4) *Quibus*, vt *Maro* cecinit, *altera fato Corpora debentur.* Arbitrabantur enim, non omnes animas ad corpora reuerti: & ſi quæ reuerterentur, autumabant id fieri generatione corporum illorum, quibus ipſæ necterentur: aliaque eſſe corpora tum ſpecie, tum numero: ſpecie, ob malæ actæ vitæ prioris merita: numero, cum recte obiuerant viuendi munera: & id fieri poſt aliquot ſæcula.

(5) Et hoc Platonicum vel *Maronis* carmine notiſſimum eſt: *Lethæi ad fluminis vndam Securos latices, & longa obliuia potant.*

(6) Sacrificia.

(7) Alludit ad inſulas fortunatas, in quibus aliqui, vt ante dictum eſt, Elyſios campos poſuere: quos nominat aereos, quoniam in eis eſt largior æther.

(8) Sibi congruum: ex *Marone* color ſumptus.

(9) Iudice Rhadamanto, qui, iuxta *Maronem*, *Caſtigat, auditque dolos, ſubigitque fateri, Quæ quis apud ſuperos, furto lætatus inani, Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.*

Sed nunc te verbis tantum ne demorer, illuc
Aſpice Chryſaoram(1) atque triformem Geryonea(2),
555 *Orthonque(4), & ſtabulis, quem perdidit, Eurytiona(5)*
Amphitrioniades(3) ſacræ in magnis Erythiæ(6).
Illas Heſperidas(7), contra ſerpentibus artis
Gorgonas(8) has perhibent, dextra, læuaque bimembres
Perlege nubigenas(9), & agentem Monychon(10) ornos,
560 *Arctonque, Vrionque, ſagittisferumque Mimanta(11).*

(1) Chryſaor & Pegaſus equus ex ſanguine Meduſæ orti. De quibus ita *Heſiodus* in Theog. Meduſæ cum Perſeus caput abſcidiſſet, Chryſaor, ac magnus equus Pegaſus exiluit. Hunc autem, quoniam ad fontes Oceani natus eſt, Pegaſum appellant: ille autem quia in manibus aureum enſem geſtauit, *Chryſaor* eſt appellatus. *Nam ſonat enſis ἄορ, ſonat & χρυσὸς, aurum.*

(2) Ex iam dicto Chryſaore, miſto Callirœ, Oceani Melyti filiæ, fabulantur poetæ Geryonem natum. Fabulam multis proſequitur *Diodorus Siculus* libro quinto. Lege *Iuſtinum* libro vltimo, & *Seruium* ſeptimo Æneidos libro, & accipies vnde *triformis* dictus ſit.

(3) Hercules Amphitrionis filius creditus, cum Iouis eſſet: eo quod eum, & Iphiclum vno partu enixa ſit Alcmena.

(4) Canem.

(5) Bubulcum.

(6) Sumpſit hæc Poeta ex *Heſiodo*, cuius verba ſubſcribam. Hunc, ſcilicet Geryonem necauit Herculea virtus: quod & Adato in ſeptimo boum cauſſa in Erythia inſula, occiſoque Ortho cane, & bubulco Eurytione, circa inclytum Oceanum, ad ſacram Tirynthem boues impulit. Tametſi quidam putent, Herculem boues ex alia inſula abduxiſſe: nempe Hypate, vt ſcribit *Ariſtoteles*, & *Ælianus* refert, *Solinuſ*que indicat.

(7) Has cuſtodia pomorum aureorum peruigilis draconis excubiis notiſſimas fecit. Lege *Seruium* quarto Æneidos ſuper illud: *Heſperidum templi cuſtos.* *Palephatus* fabulæ rationem ſcribit multo aliter. *Solinus* item aliam.

(8) De quibus *Heſiodus* in Theogonia, *Ouidius* quarto Transformationum, *Lucanus* in nono, *Diodorus Siculus* libro quarto. Fuerunt autem Phorci filiæ. Vnde & Phorcides a patre cognominatæ ſunt. Earum nomina, vt canit *Heſiodus*, ſunt: *Euryale, Sthenoque potens, multiſque Meduſa Nota malis.*

(9) Centauros intellige, ex Ixione & Nube ortos: quorum nomina *Ouidius* refert. *Bimembres* autem dicuntur, quoniam hominis anteriorem partem, equi poſtremæ iunctam habebant. *Seruius* Centaurorum fabulam ad hiſtoriam reducturus, maiorem fabulam confinxit. Tu lege *Palephatum* & *Diodorum Siculum.*

(10) Centauri nomen.

 (11) *Verſus*

(11) Versus *Hesiodi* in Aspide, vbi Lapitharum, Centaurorumque pugna describitur in Herculis scuto. Hæc pugna ab *Ouidio* refertur libro Transformationum duodecimo.

Iamque alio deflecte aciem, Romanaque cerne
Agmina, quæ nunquam satiata cupidine regni
Arma per Eoas(1) gentes, tremefactaque rubri(2)
Littora, perque Arabum, vetitos duxere recessus.
565 *Qua male thurilegas(3) vidit gens martia Carras,*
Hi duo sunt Crassi(4), sed quæ crudelior(5) ante
Vmbra venit, Sylla est, patrio qui sanguine campum(6)
Fœdauit, Tiberimque vado(7) spumante coegit
Corpora Tyrrheno fluitantia mergere Ponto.
570 *Pone subit Marius(8). Quis enim truculentior illo*
Extitit vnquam epulas inter mensasque nefandas?
Substulit Antoni manibus, lacera ora(9), cruentis.
(10)*At qui se mæstis ostendunt vultibus, ac te*
Auersis spectant oculis, lumenque recondunt.
575 *Primus Romuleis Seruilius acer(11) in armis*
Carpit iter: signatque gradu vestigia lento
Cassus(12): at qui altum premit imo corde dolorem,
Scaurus(13) erat: quem pone ferox non debilis hasta
Manlius(14) insequitur, cunctique hæc littora norunt,
580 *Iamque dolent, trepidique vident regna horrida bello.*
Quippe olim fusi, nostroque a Marte fugati
Formidant etiam madefactos sanguine campos.
Parte alia indomitum(15), torua sub imagine Drusum
Iam specta, qui Marte Salam(16), Rhenique bicornis
585 *Spumantes multo fœdauit sanguine ripas.*
Hic est qui bello Byrchanem & Bructeron armis
Inuasit, gelida qua fertur Amusius(17) vnda.

(1) Orientales.

(2) Non a colore: nam eo non abhorret a ceteris, vt ait *Q. Curtius*, sed ab *Erythro* Rege, id est, *Rubro*, qui ex suo nomine mare appellauit. Idem scribit *Arrianus*. *Procopius* lib. belli Persici primo, naturam huius maris refert, item *Mela* libro tertio.

(3) Propter regionem aromatum feracem.

(4) Pater & filius. *Liuius* & *Cicero* tradunt, filium a militibus interemptum, patrem vero se ipsum confodisse. *Lucanus* in vnum Marianum militem, Fimbriam dictum, vtriusque necem retulit.

(5) Quia Sylla omnes, quos incolumes reliquerat Marius, trucidauit. Is, *Cicerone* teste, pulcherrima & iustissima victoria de Mario, turpissime vsus est, nam in tyrannidem conuertit.

(6) Hunc locum sumpsit ex secundo *Lucani*. De Sylla *Plutarchus* plura, *Cicero* in officiis, *Plinius* de Viris illustribus, *Val. Maximus* in variis capitibus, & diuus *Augustinus* lib. de ciuitate Dei.

(7) Id Valerius scribit cap. secundo de crudelitate.

(8) Huius item crudelitatem *Lucanus* scribit libro iam dicto, *Plutarchus* in vita eius copiose, vt & meminere fere omnes scriptores.

(9) Antoni, pro Antonii, clarissimi illius Oratoris, cuius caput truculentissima bellua *Marius*, manibus lætis, inter epulas, per summam animi ac verborum insolentiam aliquandiu tenuit, & suæ mensæ sacra eius sanguine contaminari est passus. Authores *Appianus* & *Plutarchus*. Vnde Poeta dixit: *Epulas inter, mensasque nefandas.*

(10) Nunc descendit ad gloriam & victorias Germanorum veterum. De quibus *Tacitus* exactius. Et *Irenicus* noster libro quinto, capite, de damno Romanis a Germanis illato. Et indubie *Plinius* in viginti libris rerum Germanicarum scripsit, non in modicam Germanorum iacturam amissis, vel potius retentis, vt suspicatur *Albertus*.

(11) Hic cum Sulpicio longo consulari potestate contra Gallos Senones, quos Teutones superius diximus, missus, profligato toto Romanorum exercitu, autor fuit illius cladis Alliensis inter nefastos dies relatæ. Lege *Liuium* in quinto.

(12) Idem scribit, L. Cassium Cos. a Tigurinis Gallis, pago Heluetiorum, qui a ciuitate secesserant, in finibus Allobrogum, cum exercitu cæsum esse.

(13) Hic a Cimbris fuso exercitu captus est: & cum ad concilium ab his euocatus deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam perdituri, eosque diceret Romanos vincere non posse, a Bolo Rege, feroce iuuene, occisus est.

(14) Cognomento Marcus. Nam & alii Manlii fuere viri clari. Huius autem meminit *Tacitus* & *Velleius Paterculus*.

(15) Quantum potest toto opere victorem Drusum dissimulat Poeta. Hic Byrchanem

nem Germani Oceani insulam domuit, & Bructeros bello lacessiuit, ac inter Amusium & Rhenum fluuios crure fracto obiit, vt vult *Liuius*. *Tranquillus* eum morbo periisse tradit.

(16) Ex monte Pinifero, qui est in terra, vt nunc aiunt, Aduocatorum, teutonice, *Voitland*, quatuor flumina oriuntur, quorum *Celtes* noster meminit elegia decima secundi libri Amorum, his versibus: *Francia, Germano mihi stirps & origo Poeta, Hercynia medio cincta beata sinu, Quam Mœnus mediam perlambit vitifer oram, Cuius quadrifluo nascitur vnda iugo, Pinifer is, cuius de vertice flumina quatuor, Quatuor in partes orbis amœna cadunt. Mœnus ad occasum Francorum fertur in oras, Sala sed Arctois perditur Albis aquis, Ægra sed Eoi pedit ardua regna Boemi, Sed Nabus Istrinis insinuatur aquis.* Idem scribit in Germania, tit. de tribus iugis & montibus Germaniæ, versu heroico haud contemnendo. Rursum meminit in descriptione vrbis Norimbergæ, quam soluta edidit oratione. Cæterum Piniferum vocant nostra lingua *Fichtelberg*. Porro Sala quoque, vt tradit *Ptolemæus*, est nomen multarum vrbium, in diuersis prouinciis: vtpote Mauritaniæ, Hispaniæ, Pannoniæ, Asiæ, Armeniæ. De Sala *Plinius* cap. primo Quinti.

(17) Hunc fluuium alibi Amasium, & Amissium appellat, non sine autoritate, vt *Vadianus* admonuit in nuncupatoria epistola ad Gurcensem. Circa hunc fluuium habitasse videntur Bructeri secundum *Strabonem*. Oritur autem in Hassicis montibus, quos Abnobios *Ptolemæo* vocatos putant, Padeburnam & Monasterium non ignobiles ciuitates alluit.

Talia dum memorans genero socer omnia pandit,
Apparet turba in media, mæstissima vultu
590 *Vmbrarum effigies. Tunc heros Boicus inquit:*
Cur mæsta hæc vmbra est? lachrymisque os implet obortis?
Dic rogo. Quem contra breuibus sic incipit ille:
Hic est Quintilius(1): longa ipsa exordia, longæ
Ambages, sed summa sequar fastigia rerum(2).

(1) Qui a Cheruscis & Cattis, cum tribus legionibus necatus fuit: quod tam iniquo animo tulit Augustus, vt præ dolore caput parieti concutiens, exclamaret: *Quintili Vare, Redde legiones.* Reiicienda eorum opinio est, qui dicunt, stragem hanc in Vindeliciis contigisse.

(2) Id est, capita, significans se velle rem breuiter attingere.

595 *Fœderibus fractis(1), qua tempestate Sicambri(2)*
Deseruere fidem, pactamque resoluere pacem
Est visum bello, sæuos animare Cheruscos(3),
Occepit rabies pugnæ, pepulitque Caicos
Rumor, & Abnobio trepidantes vertice(5) Cathi(4),
600 *Romanos contra sumpserunt arma potentes,*
Quintiliumque atra fuderunt strage Latinum.
Nec minor Herminii(6) effigies, vultusque minaces
Apparent læua: is nunquam deuictus, at anceps
Sæpe fuit pugna, & quantum, Germanice, cladum(7)
605 *Perpessus fueris, quoties nec abiueris æquo*
Marte, tui seruant bellum memorabile Fasti(8).

(1) Violatis, ex quibus plurimæ nascuntur lites. Vtinam eam christiani Principes pangendorum fœderum rationem haberent, quam in christiani Principis institutione præscripsit *Roterodamus*.

(2) Quæ hic Poeta tangit, scribunt *Florus* in quarto, & *Strabo* in septimo libro. *Quibus*, inquit, *fides adhibita fuerat, ii magnas clades intulerunt: sicuti Cherusci*, & cetera. Sed hanc pugnam nemo copiosius candidiusve retulit in literas, quam *Velleius Paterculus*, qui vltra treis legiones, totidem alas, & sex cohortes addit.

(3) Pro Thuringis accipit, vt mihi videtur. Nam eos olim Saxoniæ veteris, & Marchiæ partem habitasse, verisimile est. Nam ad Albim fluuium habitarunt. Vnde *Claudianus* canit: *Et ingentes Albim liquere Cherusci.* Caicos *Lucanus* in primo: *Et vos crinigeros bellis arcere Caicos Oppositi*, quos omnes Geographi *Caucos* nuncupant: quorum *Tacitus* meminit in nobili illo libro *de moribus Germanorum*, inter Germanos & immenso spatio patentem, & nobilissimum populum asserens. Vnde Cauci maiores & minores.

(4) Et horum idem pluribus verbis meminit. Pro Hessis, vt & eruditis plerisque placet, posuisse certum est; cum dicat:

(5) Siquidem Abnobii montes, vt iam dictum est, Hessiam a Westualia dirimunt.

(6) Alii *Arminium* appellant, fortissimum Regem Germanorum: de quo lege *Tacitum* in libris nuper repertis, inuenies

illic tantum abfuisse, vt a Romanis vinci posset, vt etiam sæpe victor fuerit, sæpissime autem anceps e pugna discesserit.

(7) Drusi gestorum in Germania meminit *Tacitus* lib. primo, *Florus* in quarto, *Ouidius* secundo Tristium, & in consolatoria ad Liuiam.

(8) Hoc puto dixisse, quod ei Fastorum libri ab *Ouidio* nuncupati fuerint: vel quod in illis gesta eius contineantur.

At qui per siluam ingenti, perque agmina, cœtu(1)
Vmbrarum incedunt, Cyaraxes(2) Medus, & vna(3)
Astyages(4): illac Darius Persa: sed ante
610 *Cyrus it(5): en Xerxes terror maris 6), omnia miscens.*
Aspice vt insurgit comptus mitra: illius armis,
Calcatumque fretum, iunctumque Propontida(7) dicunt,
Epotosque amnes(8). Sed tu modo respice, quantus
Rex trabea insignis, superat media agmina Sidon(9)
615 *Interea, & lætas supereminet Italus vmbras.*
Hos quondam regnasse ferunt, qua panditur ingens
Hercyniæ nemus, & gelidos alit vmbra Sueuos(10).
Nec longe apparent Galli(11), toruumque(12) minantes,
Vix nostras spectant Aquilas, infestaque damnant
620 *Sceptra Ariouisti(13) præformidata Tyranni(14).*

(1) Ita legendum, vt in præuia castigatione admonuimus: quia superius dixit; *Luxus vbi fastusque perit*, hic luxus stare non potest. Esset enim sibi ipsi contrarius.

(2) Ex Herodoto colligimus, post Assyriorum regnum a Medis euersum, multo deinceps tempore nullum fuisse genti Regem, singulasque ciuitates populari imperio vsas. Demum Cyaraxem insignis iustitiæ virum, a Medis Regem constitutum, eumque ceteris gentibus in societatem allectis, omnium consensu late imperium obtiuisse: cuius deinceps posteri sint rerum potiti ad Astyagem vsque, quem Cyrus Persæque regno & vita spoliarunt.

(3) Ac si regna quæque singulari centuria apud inferos distincta manerent, dixit, *vna*.

(4) Vnus e septem Magis fuit, qui Persis post Cambysem septem annis præfuerunt. Huic astutia regnum obuenit, vt *Valerius* refert: & nos in carmine *de Cruce* copiosius annotauimus, & simul nonnihil de syllabæ ratione. Hic post multa præclara facinora, cum in Athenienses mouisset, a Miltiade in campis Marathoniis, vt superius dixi, superatus est.

(5) Quia regnauit ante Darium. Huius *Cyri* historiam scripserunt *Xenophon* philosophus octo voluminibus, *Herodotus* & *Iustinus* libro primo, item ceteri. Præterea mira eius memoria in literas relata est a *Plinio*, *Solino*, *Valerio* & *Quintiliano*. Hic cum Persis diu imperasset, a Tomyri Scytharum Regina cum ducentis millibus Persarum cæsus est. Dictus autem *Cyrus*, a *Cyro* flumine, vt *Strabo* dicit.

(6) Nam, vt *Iustinus* ait, naues habuit decies centum millia numero: quem, vt *Valerius Maximus*, itemque diuus *Hieronymus* testantur, de alta prospectans specula, fleuisse fertur, quod post centum annos nullus eorum superesset. Sed &, eodem *Iustino* auctore, terrorque gentium, nondum bello in Græcia infeliciter gesto. Huius potentia nihil est celebratius, præcipue apud *Herodotum*, *Plutarchum*, *Iustinum* & ceteros.

(7) Idem *Lucanus* libro secundo, & *Lucretius* tertio, *Claudianus* item in Rufinum secundo. Intelligit autem Hellespontum. Nam auctores referunt, hac Xerxis exercitum per septem dies, totidemque noctes, nullo tempore intermisso, angustias Hellesponti, constrato in nauibus ponte, transiuisse. Fertur tunc quidam Hellespontinus dixisse: *O Iupiter, quid nam tu sub specie viri Persæ, & accepto Xerxis pro Iouis nomine Græciam vis exterminare?* Propontis autem ex eo dicta, quod ante pontum sit sita.

(8) Halym fluuium significat, quem *Herodotus* tradit haustum potu fuisse a Persis. Vnde Poeta libro tertio ait, *quos potus Halys celer alluit vndis.*

(9) Hos Poeta veterum Sueuorum Principes, seu Reges facit.

(10) Hi enim partim vltra, partim citra siluam habitant. Autor *Tacitus*.

(11) Respexisse videtur ad hoc, quod veteres Romani Gallos & Germanos vno vocabulo appellabant. Vel absolute protulit, ad vicinitatem alludens. Porro Gallos alii a candore, quod Gallorum corpora ob immensa frigora modo lactis albescant. Quod sane non discrepat ab illo *Maronis*: *Virgatis lucent sagulis, tum lactea colla.* Alii a gallo gallinaceo nomen sortitos volunt: quod instar alitis huius in Venerem proni sint. *Porphyrio* autor est, Gallos magno mercari adulteria, vel propter diuitias, vel quod incensioris libidinis sint. Vnde prouerbium cœptum dici, *Gallis hanc*. In mulierem cupidam & tergiuersationibus vtentem, quibus ingens pretium extorqueat ab iis, quibus copiam sui corporis factura sit.

(12) Pro torue.

(13) Incliti veterum Germanorum Regis, de cuius in Gallos expeditione diuus *Cæsar* multa.

(14) Regis.

(14) Regis. Ita enim antiquo nomine Rex appellabatur. *Herodotus* enim Crœsum tyrannum dixit. Item *Maro*: *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.* Nomen autem Tyranni temporibus Archilochi in vsum venit, vt *Hippias* autor est: quippe quod nec *Hesiodus*, nec *Homerus* vsquam posuit.

Tunc heros, quæ forma hominis, quibus horridus ille
Vultibus incedit, tantusque insurgit ad auras?
Dic, rogo, quod monstrum: quæve hæc sub Tartara labes?
Talia dicentem alloquitur sic vmbra vicissim:
625 *Hunc olim fama est (1), Terræ omnipotentis alumnum*
Germano regnasse solo, Numenque fuisse
Gentibus ignaris, memorantque Tuistona dictum.
(2) Non talem Ætnæis vastum Polyphemon in antris,
Maioremque ipsos intendere Brontea folles
630 *Crediderim, aut versis sudare Pyracmona massis.*
Hic pius in primis habitus, Iouis arma superbos
Cæumque, Cræumque, Hyperionaque, Iapetumque (3)
Temnentes fugit fratres, & nauibus altum
Oceanum emensus, nostris Deus appulit oris.
635 *O, si vnquam sedes superum, tibi tendere ad imas*
Fata darent, viuoque altas innare paludes,
Maiora his multo, vmbrarum simulacra videres.
(4) Namque ibi Titanas, pulsant qui vertice nubes,
Tantum infra terram mersos (5), quantum æthere ab alto
640 *Ingens si caderet pondus (6), nonoque peracta*
Interualla die, surgens aurora videret,
Iupiter occuluit, septumque ex ære recinxit (7)
Et nigram triplici murorum ex ordine noctem
Apposuit, supraque ingens caligine tetra
645 *Opprimit hos tellus (8), duro chalybe Ennosigæus*
Affixit postes, custodes carceris atri (9),
Centimanus Briareus, Cottosque, Gigesque feruntur.

(1) Crediderim scitæ huic fabellæ occasionem dedisse *Tacitum*, quod Poeta aliquando legerit apud eum, a Germanis celebrari antiquis carminibus *Tuistonem* Deum Terra editum. Eruditorum consensus hinc *Tuist* commune Germanorum omnium vocabulum deriuat. Porro de *Tuistone* Deo, & huius filio *Manno*, rursumque huius tribus filiis *Ingæuone, Herminone, Istæuone*, commode paulo post referemus. Fingit autem Poeta, Tuistonem fuisse fratrem Titanum, qui contra Iouem conspirarunt: tamen quia pius fuit, fratrum scelus fugiens, Germaniæ littoribus appulit.

(2) Vult Tuistona corporatura excessisse staturosos Polyphemum, Brontem, & Pyracmona, de quibus latiuscule in secundo. Diuus *Augustinus* improbat *Lucretii* opinionem, excessiuam & immanem corporum magnitudinem negantis. Gigantes fuisse, sacræ scripturæ autoritas habet, in Genesi, Ecclesiastico, & Baruch.

(3) Ex Theogonia *Hesiodi*, qui inquit: *Terra concumbens Cælo, peperit profundum Oceanum, Cæumque, Creumque, Hyperionaque, Iapetumque, Theamque, Theminque, Mnemosynenque, Phœbenque, & Thetin.* & cetera.

(4) Locus totus ex *Hesiodo*: quem & *Maro* imitatus est in sexto de tartari profunditate. Quid autem poetæ indicent hac fabula, ex *Cicerone* constat.

(5) Victi enim in tartara deiecti sunt, ligati tanto interuallo in tartaro infra terram, quanto cælum ipsum a terra distat.

(6) Incus enim si nouem diebus ac noctibus in terram cadat, decimo terram tangeret: totidem diebus ac noctibus a terra in tartarum perueniret.

(7) Nam vbi Titanes sub obscura caligine mersi sunt, æreum septum est: circum autem nox triplici ordine fusa est: supra terræ & immensi maris radices sunt. His non exitus est. Portas enim æreas Neptunus imposuit, murusque vtrinque circumambit. Vnde dicit: *Duro*

(8) Neptunus autem *Ennosigæus* dictus est: quod terram quatiat. ἐνόω enim quatio, γαῖα terra.

(9) Scilicet, Briareus, Cottos & Giges, qui fideles Iouis custodes finguntur, omnium fortissimi ac pulcherrimi. Briarei meminit *Maro* in sexto. Habebant autem singuli quinquaginta capita, & centum manus: vnde Centimani.

Verum mors cunctis longe est immanior vmbris,
Et somni soror, & pallentis filia noctis.

Huic

650 *Huic ſiquidem aereum caput eſt*(1), *tenus inguine putri*
Ex terra corpus, quæ pendent crura, putares
Eſſe vndas, liquidoque inflecti errantia motu.
Hæc infra ſupraque innixa, hinc inde recuruis
Hunc manibus veſtrum præcingit ferrea mundum,
655 *Nunc geminas huc flecte acies, magnaque potentem*
Luminibus luſtra venientem Mannona(2) *prole*(3)
Numen & ipſum olim populis, genus vnde ſuperbum(4),
Oceanum iuxta fluit, & pugnator Itæuon(5).
Aſpice nunc Dryudas(6), *aluit quos Gallia, vates,*
660 *Vt perhibent, olim patria qui ſede relicta*
Fatidico noſtros ſubiere examine lucos,
Sacraque in Hercynia poſuere cubilia ſilua(7).
Hi montes metiri audent(8), *terraſque iacentes,*
Sideraque, & motus, quæ ſit natura Deorum(9)
665 *Inquirunt, quæ vis illis, & ſcire feruntur*
Interiecta polo, quantum plaga diſtet, vtroque.

(1) Innuit Poeta, nihil eſſe inaccesſum morti. Nam volantia, terreſtria, maritima, ſub lege mortis continentur. Et idcirco fingit illi caput aereum eſſe, corpus terreum, crura aquea.

(2) Sic ſcribendum, non *Mammona*. *Mannum* enim *Tuiſtonis* filium intelligit.

(3) Nam ex tribus huius filiis paulo ante nominatis, populi Germaniæ nomina ſunt ſortiti. Quippe Oceano proximi, *Ingæuones*: medii, *Herminones*: ceteri, *Iſtæuones* vocati. *Ingæuones* volunt eſſe Cimbros & Teutonas, autore *Plinio*. Idem *Herminonum* gentes recenſet Sueuos, Hermunduros, Cattos, Cheruſcos. Videntur eſſe Saxones hodie, aut certe Pomerani. *Iſtæuones* putant quidam eſſe Germanos illos, qui ad Rhenum vergunt.

(4) Quoniam, vt *Tacitus* confirmat, Germaniæ populi nullis aliis aliarum nationum connubiis infecti, propria & ſincera, & tantum ſui ſimilis gens extitit. Et quia idem autor eſt, omnibus fuiſſe truces & cæruleos oculos, fortaſſe ſuperbum dixit, quod illinc potiſſimum ſuperbia deprehenditur.

(5) Pro *Iſtæuon*. Idem & *Claudianus* facit: quod a *Ioachimo Vadiano* in epiſtola liminari notatum eſt.

(6) Sic potius legerem, quam *Druydes*, nam a quercubus, quas colebant, dicti ſunt. δρῦς δρυὸς ſignificat *quercum*. Vnde & *Amadryades*, non *Amadruyades*, quas ex quercubus naſci credidit antiquitas. Alludit autem ad hiſtoriam Tiberii; a quo Dryudes ex Gallia eiecti, in Germaniam migrauerunt.

(7) Lege cap. tertium *Celtis* noſtri in deſcriptione vrbis Norimbergæ, illic inuenies, quæ faciunt ad hunc locum.

(8) Ex *Mela* hæc omnia quæ ſequuntur de Dryudibus, ſumpta ſunt. Lege eum libro tertio, *Caſarem* ſexto commentario, *Plinium* item iuxta finem decimi ſexti, *Ammianum* libro decimo quinto, item *Lucanum* in primo, & *Strabonem* libro Geographiæ quarto.

(9) Ea enim erat opinio, quod ſoli Dryudes haberent veram Dei cognitionem: quorum aſſertio erat, animas non interire. Fuere autem apud diuerſas gentes, diverſis nominibus ſapientes eorum appellati: vt Dryudes apud Gallos: Prophetæ apud Hebræos, vel Senedrim, vel Phariſæi, vel Cabaliſtæ. Apud Indos Gymnoſophiſtæ, apud Ægyptios Sacerdotes, apud Græcos Philoſophi, apud Perſas Magi, & ſic de aliis. Sicut etiam regia dignitas peculiaria apud diuerſas nationes habet nomina, vt Rex Ægyptiorum, qui prius *Ptolemæus*, poſtea *Pharao*: Perſarum, *Artaxerxes*: Romanorum, *Cæſar*: Indorum *Praſtan*, qui nunc corrupto vocabulo dicitur *Presbyter Ioan*. Quamobrem lapſus ſum, vocabulum *Praſtan*, in carmine *Pici* de Cruce, in fine ſuſpicans eſſe Indici oppidi nomen.

Dixerat. Extemplo peragens inferna Sacerdos
Sacra Erebo, tonat ore Deos, circumque per vmbras
Bacchatur patiens diuum, nec numinis expers(1),
670 (2)*Non ſecus Euboico*(4) *Vates*(3) *immanis in antro*(5)
Fœta(6) *Deo*(7), *viſa eſt ſaſtum mugire repente*
Dardanio(8) *Æneæ, cum centum ingentia clauſtra*(9)
Sponte ſua patuere fores, regnique futuri
Chalcidicæ(10) *exhauſit diuæ reſponſa Sibyllæ*(11).
675 *Circumerrant vmbræ, motiſque Megæra flagellis*
Tartarei nutu, iubet alta ſilentia, Ditis.
Illicet omnis ager, montes atque antra quieſcunt.

Nullaque

Nullaque dat voces, repetitaque murmura vallis.
Talia tunc imo Vates de pectore promit:

(1) Quia iam posset implere oraculorum sermones.
(2) Comparatio sumpta ex sexto libro Æneidos.
(3) Cumæa Sibylla.
(4) Cumano.
(5) Specum apud Cumas describit *Aristoteles* cap. 28. de Admirandis in natura.
(6) Plena. Maro, *Loca fœta furentibus austris.*
(7) Apolline, qui vaticinio præesse creditus est. Innuit autem diuinum illum instinctum, quo mens concitatur a corpore abstracta, vbi animus acrius exarserit. Nam si humana quadam sagacitate præuidentur, non vaticinium, sed prudentia & coniectatio appellatur.
(8) Troiano. *Nam Troia Dardanus autor.*
(9) *Seruius* accipit, finitum numerum pro infinito.
(10) Cumææ, quoniam Euboenses ex Chalcide, condidere Cumas, vt & Neapolim tenuerunt.
(11) Huius sacellum *Silius* describit libro duodecimo, Maronem longo tamen interuallo imitatus. Cumana autem Sibylla proprio nomine *Phemonoe* dicta est, *Seruio* teste. Alii Amalthæam, Demophilen, vel Herophilen. *Iustinus* philosophus & martyr, scribit Cumææ se vidisse mansiunculam Sibyllæ, edoctumque ab vrbis incolis & modum & ordinem, quibus in dandis responsis vtebatur. Porro Sibyllæ quæ & quot, & quo tempore floruerint, *Lactantius* scribit libro primo, diuus *Augustinus* libro decimo octauo ciuitatis diuinæ: & ego plura scripsi super illud *Prudentii*; *Ecce, quem vates vetustis continebant seculis*, in Hymnum eius, *Ad omnes horas.*

680 (1)*Bellum ingens, cædesque cano, Rhenumque cruore*(2)
Spumantem aspicio, venient in regna Boemi(3)
Auxilio, Martemque cient, Francosque sub ictu
Prosternent primo(4)*, atque vndabit sanguine Rhesus*(5)*.*
Te quocunque trahet fortuna, ardentior ito.
685 (6)*Ne dubita, dabitur requies finisque malorum,*
Nam te victurum promittunt Numina Regem.

(1) Vaticinium super futuro bello.
(2) Propter motum Cæsaris in transrhenana Elsacia, cui *Mortinania* nunc nomen est; & Lantgrauii Hessorum gesta in Rheni ripa.
(3) Boemicam pugnam designat, quæ refertur libro decimo, vt ante dictum est.
(4) Ita enim contigit. Nam Francorum equitatus, cum primum Boemos inuasissent victus est.
(5) Fluuius prope Regenspurgam, de quo libro quarto Poeta fabulam fingit.
(6) Omnia hæc amphibologiam habent, namque in vtramque partem interpretari possumus, vt illud: *Aio te Æacida Romanos vincere posse.* Lege *Herodotum* libro primo.

Vix ea finierat, temere omnia visa sub imis
Extemplo pedibus, nemora alta, domosque ferarum
Excussas, nigrasque canes vlulasse per vmbras
690 *Accipimus, motoque sacras de vertice Nymphas*
Hercynio plorasse ferunt, mox protinus omnis
Vmbrarum cœtus, Vatisque effugit imago.
(1)*Non secus Hippotades*(2)*Tyrrhena ad littora*(3) *soluit*
Carcere ab Æolio(4)*, Boreamque, Austrosque procaces*(5)*,*
695 *Qui terras quatiunt, & tempestate sonora*
Incumbunt pelago, tumet altis fluctibus æquor
Ionium(6)*, & motas vix continet ancora puppes.*
Sic Manes stygii, turbæque Acherontis auari
Surgentem liquere diem. Cum Delius vmbras(7)
700 *Exoriens, afflaret equis: pars illicet antrum*
Irrumpit, repetuntque altas sub tartara pœnas.
Pars qua flagrantes ignes Saxonia tellus(8)
Euomit, atque aditum speluncis continet atris,
Ad Manes rapitur, trepidat sub gurgite Tethis
705 *Cimbrica*(9)*, & horrescunt glaciali Hæmodes*(10) *in vnda.*
Expauit tunc Luna polo, currumque reflectens
Delius, occiduis rursus remeauit ad ortum
Axibus. Vt quondam mæstæ videre Mycenæ(11)

Obscurum, & radiis versum pallentibus Argos.
710 *Boicus interea visu rerum adstupet heros,*
Frigidus & coiit per membra rigentia sanguis,
Atque vbi sint oculis vmbræ circum omnia lustrat.
Adsilet omne nemus, tantumque per aera summum
Auditæ voces, Vates quoque lapsus ad auras,
715 *Liquerat ancipitem: tunc ille sub arbore fixa*
Corripit arma manu, dein talia vocibus infit:
Dii quibus vmbrarum cura est, Erebique silentis,
Infernæque animæ, nigrantisque arbiter Orci,
Annuite inceptis belli, firmumque, ratumque
720 *Sit quodcunque sacri referunt oracula Vatis* (12).
Centum ego, cum patria dabitur me sistere terra,
Constituam ante aras taurorum terga nigrantum,
Sacra Ioui Stygio, atque Hecate (13) *sua munera ponam.*
Nec templi non stabit honos, aræque dicatæ.
725 *Dixerat, & secum Vatis responsa volutans,*
Bellorum finem felix dabit exitus, inquit,
Hostilisque acies nostris superabitur armis.
(14) *Heu Diuum ignaræ mentes, heu conscia veri*
Nequicquam ratio, fatoque hebetata Deorum.
730 *Hæc vbi, discedit, vastæque silentia siluæ*
Egrediens, dulces terras patriamque reuisit.

(1) Comparatio sumpta ex principio primi Æneidos.

(2) Æolus, Iouis ex Sergesta Hippotæ Troiani filia, ventorum rex. *Varro* scribit, Æolum ex fumo & nebulis insularum quibus præfuit, futura flabra ventorum prædixisse. Hinc imperitis visus est ventorum habere potestatem. Autores habes *Plinium, Solinum, Strabonem, Polybium.*

(3) Lege *Seruium* super illud Maronis, *Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor.* Extat libellus *Myrsili Lesbii*, qui de Tyrrhenorum origine inscribitur.

(4) Maro. *Hic vasto rex Æolus antro, Luctantes ventos, tempestatesque sonoras, Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.*

(5) Ventos, species pro genere, figura celebrata apud poetas.

(6) Quod Adriatici pars est, vt *Strabo* dicit, antea *Saturnium* dicebatur. *Ionio* nomen dedit, *Ionius* Dyrrachii filius, quem imprudenter a se occisum in mare proiecit Hercules: vt defuncti memoriam prorogaret. Autor *Appianus.*

(7) *Seruius* ait, Diis inferis morem fuisse, noctu sacrificia fieri: quod etiam in cantionibus magicis fieri ex *Theocrito* colligitur. Vbi mulier illa Myndii iuuenis amore capta, Lunam alloquitur, vt sibi & Hecati terrestri cantaturæ bene resplendeat.

(8) In Saxonia enim montes flammas euomere incolæ referunt, creduntque, vt Siculi de Ætna, viam esse ad inferos. Meminit huius *Celtes* noster in descriptione Hercyniæ.

(9) Chersonesum Cimbricam, siue oceanum Pomeranicum intelligit.

(10) Septem insulæ sunt eo nomine in sinu Codano. *Plinius* alias septem *Hebudes* numerat, quarum *Mela* non meminit: nisi quis pro eo quod est, *septem Hemodes*, quinque Hebudes substituere velit, vt *Hermolaus* indicat. Quod tamen *Vadianus* noster non probat: quod *Mela* breuitatis studio, quæ nota insigniaque sint, præterit.

(11) De Mycenis & Argis lege *Strabonem* libro 8. Alludit autem ad fabulosam & commentitiam cœnam Thyestæam, sumpto colore ex quarto Thebaidos. Lege interpretem *Lactantium* super illud; *Militis vicina nullo inuere Mycenæ.* Construitur autem sic: *vt Mycenæ videre, & Argos vidit obscurum*, scilicet, solem, & versum ad ortum radiis pallentibus, ne aspiceret scelera Atrei & Thyestis.

(12) Significat ergo *Robertum* male oraculum interpretatum fuisse.

(13) Proserpinæ. De ratione nominis lege *Ianum Parrhasium* doctissimum interpretem, super illud Claudiani; *Ecce procul ternis Hecate variata figuris*: in primo de raptu Proserpinæ. Legimus alicubi Hecatem de Christi anima interrogatam, respondisse, viri pietate præstantissimi fuisse illam animam, & in cælum ascendisse.

(14) Color sumptus ex quarto Æneidos: & est exclamatio pathetica.

AVSTRI-

AVSTRIADOS
LIBER II
ARGVMENTVM.

PRæsagia futurarum cladum recitantur, oratoresque Cæsaris ad Robertum *missi, qui de bello paceque agerent. Interim Cæsari, dum Augustam repetit, ab Alpinis pastoribus quædam de monstro recensentur, quibus se auxilium præbiturum pollicetur. At Diana, quam in toto opere Cæsari fauentem introducit, ab Orthygia insula rediens, de Pallade conqueritur, inibique plura mala recenset ab eadem Austriadis illata. Conscia ergo Cæsarem venatum iturum, se in Nympham vertit. Interea Cæsar magna Ducum comitante caterua, in siluas pergit. Qui dum fido* Lango *comitatus, ad vallem descendit, ingentis vrsum magnitudinis reperit, cuius originem ad Orthum, Gerionis canem, refert. Hunc necat Cæsar. Egredienti vallem se obtulit Diana, cui Cæsar per occasionem belli Bauarici originem narrat. Diana quædam futura super eodem vaticinatur: sequitur Cæsaris Augustam reditus. Celebratum conuiuium. In fine laudes* Mariani Bartholini *canuntur, quas in* Langum *permutasset, nisi eius iam mortui Genio in somnis exterritus fuisset.*

(1)*NVntius interea varias perlabitur vrbes*
Rumor, & exciti Martis canit horrida bella,
Armari populos, & tristia ad arma vocari
Arctoam gentem(2), *mentesque infausta mouebant*
5 *Signa Deum*(3): (4)*nam visa polo Bellona trabalem*
Excussisse sudem, & violentius igne Tonantis
Cum serpentifero piceos ciet ægide nymbos,
Hercyniæ sacro vibrasse a culmine siluæ
In Rheni turbata sinus(5), *gelidasque per Alpes*
10 *Igniuomo referunt exustas fulmine quercus*(6).
Sic turbati animi, & vario vexata tumultu,
Flectitur huc illuc bello Germanica pubes.
Dumque ea diuersis agitabant motibus vrbes,
Magnanimus Cæsar curis ingentibus(7), *acris*
15 *Principium euoluens belli*(8), *cladesque futuras,*
Destinat extemplo, auroque, electroque rigentem
Exarmare manum, populosque accendere Marte.
Sed primum statuit patrio de more legendos
Quinquaginta viros, rapidosque ad littora Rheni
20 *Ire iubet, pacemque ferant, bellumque* Roberto
Malit, vtrum exposcant, vetito ni cedere regno
Annuat, indicant Martem: sic fatus: at illi,
Nec mora, festinant iussi mandata ferentes.
(9)*Interea Augusti Cæsar remeabat in vrbem*(10),
25 *Cum subito gelidis pastorum ex Alpibus agmen*
Emicat, atque omneis turbans clamoribus vmbras,
Cingebat longa vastas indagine siluas.
Mirari primo, sed mox perquirere caussam

Cæsar auet, coramque iubet contendere turmas.
30 *Extemplo properant iussi, gerit ille bipennem,*
Roboris hic nodo est, hic torre timendus obusto,
Hunc sparus(11) exarmat, vmis Bellona sub armis
Incitat agricolas, aciemque impellit agrestem.
Tunc Rex: Qui strepitus? quid vos nemora alta fragore
35 *Concutitis: totasque incingitis agmine siluas?*
Dicite pastores? num Diis nemoralibus(12) vllis
Est sacer iste dies, aut Pana vocatis(13) ad aras?
Quem contra paucis loquitur sic pastor Ophelces:
Monstrum infandum, ingens, quo tota exterrita ab altis
40 *Diffugiunt armenta iugis, passimque vagantur*
Montibus, hic errat: quid enim natura creauit
Sæuius? horresco referens: nam rite recordor,
Cum me quadrifidam, cunctis vrgentibus, ornum
Scindentem aggressum est, opera interrupta relinquo,
45 *Arripioque fugam, & taxum, quæ forte dabatur*
Obuia, subsilio, vix præ formidine ramis
Detineor, gelidusque fluit per viscera sanguis.
Quid tibi tunc cordis fuerat(14)? quid mentis Ophelces?
Iamque lues aderat frendens, spumantiaque ora
50 *Huc illuc voluit, Libycæ ceu forte leænæ(15)*
Cum gliscit ieiuna fames, per Atlanta(16) feruntur
Indomitæ, & vastis replent mugitibus vmbras.
Tandem treis, memini, cum sol breuioribus ambit
Mortales radiis, hiemem frigusque reducit(17),
55 *Culmine me miserum taxi considere noctes,*
Quid memorem infandas cædes, vidi, hei mihi, vidi
Corpora natorum, soliti qui montibus istis
Herbida candentes ductare ad pabula tauros,
Mandier, & diris crepitare in faucibus ossa,
60 *Frustaque cum multo semesa relicta cruore:*
Infandam a nobis Dii talem auertite pestem.
At tu qui caussam iamdudum intelligis omnem,
Fer, precor, auxilium, monstrumque expelle nefandum.
Dixerat. At contra breuiter sic talia Cæsar:
65 *Omnia percepi, pastor, fortissima pubes,*
Vosque mihi vestram nec rem narrasse pigebit.
Lux etenim cum nona diem, solque aureus orbem
Lustrabit radiis, pelletque aurora tenebras,
Hos circum montes cuncti lecto agmine sunto,
70 *Ipse adero, præsensque mea cum gente iuuabo.*
His Cæsar dictis, Augusta ad mœnia pergit.

(1) Magnitudinem belli ostensurus, recitat prodigia Deorum, quæ semper aliquid magni significant: autor est *Valerius Maximus* de prodigiis.

(2) Germanicam. Quotquot enim de Germania scripsere, eam sub *Arcto*, id est, *Vrsa* comprehendere. Duæ autem feruntur, maior, & minor: illa *Helice*, hæc *Cynosura*.

(3) Quinque signorum genera obseruabant: ex cælo, ex auibus, ex tripodibus, ex quadrupedibus, ex diris.

(4) Color ex *Statio* sumptus, qui sic Bellonam introducit. Vel vt iræ & inuidiæ Bellonæ, quam in libro primo describit, memor videatur.

(5) Hoc dicit propter Palatinum, quocum bellum est gestum.

(6) Vnde dixit superius, infausta signa Deum. Quoties enim quercus fulmine tangitur, vtplurimum malum portendit, iramque Deorum demonstrat: cum quercus sibi dicatas fulmine exusserit.

(7) Laus Cæsaris in re bellica.

(8) E pusillo enim maximum ortum vidimus: non etiam dixerim, e simulato verum.

(9) Festiuam occasionem inuenit, qua dilatam consulto Norici belli narrationem diffusius narraret: ac etiam vt Cæsari gratificaretur, qui venatione plurimum delectabatur. Nam optimi Principes, autor est *Dion*, venationem exercent, vt rem optimam saluberrimamque, vnde corpus obustius,

stitui, & anima fortior efficitur, & quæ sequuntur, ostendunt in venatione bellica omnia exerceri.

(10) Nostrates scriptores de vrbis nomine variant & conditore. Pleraque fabulosa mihi videntur. Constat autem olim Rhætiæ ciuitatem fuisse, videlicet inferioris. Hodie autem Sueuiæ caput est, dicta *Augusta Vindelicorum*. Reliqua tradit *Irenicus* in dictione *Augusta*, lib. ennarratæ Germaniæ vndecimo.

(11) Telum rusticum, non bellicum. *Spara* nonnulli numero multitudinis protulerunt. *Salustius*, sparos dixit in bello Catilinæ.

(12) Quoniam antiquitas putauit, saltibus & siluis Deos præesse, vt Syluanum, Dianam. Lege *M. Varronem*.

(13) Maro: *Pan curat oues, oniumque magistros*: cuius effigiem *Seruius* graphice exprimit.

(14) Apostrophe ad se ipsum.

(15) Sic habet codex scriptus: & magis placet, quam, *velut atra*.

(16) Mons Libyæ cantatissimus ad Oceanum Hesperium: a quo Atlantis regio, in qua sol occidit.

(17) Siquidem, vt cælestium rerum scriptores tradunt, sol a principio arietis, vsque ad principium cancri calidus est & humidus, denigrans & augens. A principio autem cancri, vsque ad principium libræ, calidus est & siccus, maturans. A principio libræ vsque ad principium capricorni frigidus est & siccus, faciens declinare mista ad diminutionem. Et a principio capricorni vsque ad principium arietis frigidus est & humidus. De dierum diuersitate Poeta plura scribit libro octauo. Porro id, quod ad hunc locum haud inconcinne facit, ascribam; videlicet, Miratur *Chrysostomus*, cur cum omnis ignis alta petat, in sole contrarium Deus fecit: ipsius enim radios ad terram conuertit, & lucem fecit inferius vergere; tantum vero dicens ipsi: *Persta tu, inferius prospice & hominibus luce, propter illos enim factus es.* *Lucretius* probat in quarto, radios solis excæcare.

Iam nox atra polo, & densa caligine mundus
Obruitur, suadentque micantia sidera somnos,
Cum zephyri posuere, silent siluæque, feræque,
75 *Quadrupedumque genus, homines, pictæque volucres,*
Et semota iacent solitis animantia curis.
Interea Ortygiæ(1) *remeabat Delia luco,*
Qua iuga(2) *Solmissi*(3), *sacrumque reuiserat amnem*
Cenchrion(4), *& vigiles Deli Curetes in antro*
80 *Cymbala pulsantes. Etenim Saturnia Iuno*(5),
Sic memorant, olim insidias molita parenti(6) *est*
Latonæ(8), *quærens partus abolere Deorum.*
Tunc vero hostiles, æris trepitantibus(7), *aures*
Curetes(9) *clausere Deæ*(10), *quo mystica ritu*
85 *Festa simul celebrant*(11) *Leleges Caresque*(12) *quotannis.*
Ergo illinc diua excelsas inuecta per auras(13),
Sic secum: Nunquam ne irarum comprimet æstus
Seua Iouis proles(14)? *rigidisque armata chelhydris*
Insultans, iterum ne odiis miscere profanis
90 *Audaces animos volet? & nihil esse putabit,*
Quæcunque Austriadas contra fuit ausa potentes?
Quid memorem excitas gentes, populosque rebelles(15)?
Atque Voconitii dirum scelus(16)? *ipsa furorem*
Mentibus ingessit, placidumque(17) *inimica Tyrannum*(18)
95 *Marte lacessiuit, Morinosque*(19), *extremaque mundi*
Littora Belgarum pictis certare couinis
Impulit, & mentes acreis accendit ad arma.
Quin etiam in somnis stimulat Deus ore Robertum,
Sollicitatque animos bello, neue ipse relinquat
100 *Intentatum aliquid, stygios inuisere Manes*
Imperat, & fontes animarum euoluere pœnas.

(1) In qua colebatur: eadem enim quæ & Delos est, vt plures consentiunt. Sic a coturnice dicta, quæ græce ὄρτυξ. *Homerus* tamen diuersam facit a Delo. Nam in hac Apollinem, in illius lucis Dianam natam canit.

(2) Iuga montium nomen acceperunt ab ipsa continuatione, qua iunguntur, vt scribens de limitibus ait *Hyginus*.

(3) Mons qui luco Ortygiæ imminet: in quo dicunt Curetas armorum sonitu Iunonem obtudisse ex æmulatione insidiantem: quo auxilio eam Latonæ partus latuit: autor

Strabo libro quartodecimo, vnde hunc totum locum Poeta sumpsit.

(4) Idem scribit *Strabo* in hoc amne, qui per Ortygiæ lucum fluit, Latonam ex partu lotam.

(5) Saturnus ex Rhea sustulit Iouem, & Iunonem, ac Neptunum. Iunonem a iuuando nominatam credo, inquit *Cicero*: quam Græci Heram appellant: vnde Heretum oppidum in Latio, quasi Iunonium, quod in honorem Heræ, id est, Iunonis a Græcis conditum est: autor *Solinus* capite octauo.

(6) Id est, matri ipsius Dianæ: quamquam Æschylus Ægyptios secutus, vt *Parrhasius* refert, Dianam editam esse scribit ex Cerere, non Latona. Ouidius lib. Metamorph. sexto, vbi partum Latonæ describit, eam eleganter Gemelliferam appellat diuam: quia gemellos pepererit, Apollinem & Dianam: ad quod alludens Poeta dixit, *partus Deorum*.

(7) Sicut & Saturnum, ne vagitu puer Iupiter se proderet, excogitato nouo lusus genere, clypeolis æneis inter se concurrentes, æris tinnitu, atque numerosi pedis compositione, qui dactylus ab eis dictus est, celauerunt.

(8) Hoc nominis a clementia morum sortita est apud Græcos, ex interpretatione Platonis.

(9) Curetum fabulosam originem Diomedes grammaticus exequitur, & de his quoque *Strabo* pluribus disceptat.

(10) Iunonis.

(11) Meminit item *Strabo* libro iam citato.

(12) Ita Poeta coniungit, vt *Maro* in fine octaui, & *Ouidius* libro Transformat. nono, quoniam videlicet, inter se sunt contermini. *Solinus* inquit: *Bœotii iidem sunt, qui Leleges fuerunt.* *Seruium* a *Beroaldo* incusatum, quia dixerit Lelegas Carasque fuisse Insulanos, *Vadianus* noster defendit a calumnia, primo in *Melam* commentario, vbi scribit, Cares incertæ originis: vt quos alii Autochthonas, id est, indigenas, nonnulli Pelasgos, alii Curetas existiment: gens vsque adeo armorum pugnæque amans, vt aliena etiam bella mercede conducti, soliti sint agere. *Strabo* inter alia libro decimoquarto narrat, Cares vsque adeo præcelluisse in rebus bellicis, vt passim apud Poetas, arma bellica, *Carica* cognominentur. Carum laudem, vt *Roterodamus* noster autor est, his temporibus æmulari videntur Heluetii, gens bello nata, simplex alioqui, ac minime malum hominum genus: ceterum ob crebrum militiæ vsum, & vitæ in Caribus incuriam quandam, prouerbio locus datus est: *In Care periculum*: quod *Erasmus*, vt omnia, doctissime explicat.

(13) Aurarum nomine datur intelligi proprie tenuis quidam ventus, qui gignitur ex resolutione crassioris aeris, qui rarior puriorque fit quodam motu & impetu caloris sibi contrarii.

(14) Designat Palladem, quæ, vt diximus, in toto opere hostis Cæsaris introducitur.

(15) Innuit defectionem Viennensium ad *Matthiam* Regem. Rebelles dicuntur, qui in fide non permanent, & iussis potestatum repugnant. *Henricus* Augustus eius nominis septimus: *Pronuntiamus*, inquit, *quod illi omnes & singuli sunt rebelles & infideles nostri Imperii, qui quomodocunque publice, vel occulte, contra nostrum honorem & fidelitatem, rebellionis opera faciunt, & contra nostri Imperii prosperitatem aliquid machinantur, contra nos, seu officiales nostros, in his, quæ ad commissum eis officium pertinent, rebellando.*

(16) De quo in primo diximus.

(17) *Fridericum* tertium Imperatorem, pacis atque otii studiosissimum, quam, vt *Egnatius* ait, tenore perpetuo quatuor ac quinquaginta annos (tot enim rerum potitus est) coluit: seu fatum id fuerit, quietiore Germania, quam multis retroactis ætatibus, seu prudentia verius id Principis effecit. Nihil ab initio antiquius habuit, quam tuendæ pacis studia. Optimo ergo iure *placidus* dicitur, hoc est, mitis, sedatus: epitheton enim quietis est placida, & a placeo deriuatur: quod quæ quieta sunt placeant.

(18) In bonam partem accipiundum, vt apud *Maronem* hoc vulgato versu: *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.* Et in hoc significatu Poeta frequenter vtitur hac dictione, vt admonebimus opportune. *Euripides* quoque eo in significatu tyrannidem pro imperio vsurpauit: extat versiculus in Isagogico *Porphyrii* Phœnicis: quanquam, vt alibi relatum est a nobis, praue legi solet, in codicibus latinis, pro *primum*, *Priami* quidem species digna est imperio. Etiam si contendat *Baptista Pius* vir doctissimus, legendum non *proton*, sed *Priamum*, quod illum *Homerus* pulcherrimum inducat: reliqua ipse probamenta primo in *Lucretium* commentario adducit. Ceterum vsus obtinuit, Tyrannum in malam partem accipi, & eum significare, qui posthabito & neglecto omni aliorum commodo, sibiipsi dumtaxat prospicit, & propriæ mentis cupidine dominatur.

(19) Innuit seditionem Brugensium & Belgarum in Cæsarem *Maximilianum*, cuius etiam in primo meminit.

Hæc hausi, quanquam per nigra silentia (1) demens
Crederet occultam, puroque ex æthere vidi,
Quid vacat? (2) en etiam mæstas bacchata per vrbes
105 *Pugna Erebi Numen, furialibus excitat armis*
Pectora, iam cælo pugnet Pater (3) atra coruscans
Fulmina (4), & Austriadas trudatque, adigatque sub vmbras (5)
Iratus,

Iratus, vel nubigero compellat ab Hemo(8)
Belliger Edonias(7) *Mauors*(6) *in bella Phalanges,*
110 *Verum ego, scandescant Superi licet, armaque contra*
Suscipiant, obstabo ferox, operaque iuuabo
Magnanimum Austriadem, qui me veneratur(9), *& aris*
Lancibus imponit fumantibus exta quotannis,
Et modo tergeminam(10), *modo me Perseida prolem*(11),
115 *Nunc Cererem vocat*(12), *accensos facturus ad ignes*
Sacra Deis(13): *meritis num plane ingrata viderer*
Ni praesens olli faueam?(14) *nam Iuppiter olim*
Magnorum iussit lateri me assistere Regum,
(15) *Et parere his multo partos sudore triumphos,*
120 *Nec, quamuis ortu*(16) *Libycisque superbiat hydris,*
Terrebit Pallas: nam mi quoque Iuppiter ipse
Est pater, ingentesque arcus, pharetraeque minaces
Haud desunt: si bella volunt, pugnemus & ipsi(17).

(1) Subaudi, Lunae, iuxta *Maronem*, qui ait, *tacita per amica silentia Lunae*. Vel *per nigra silentia*, id est, terribilia, vt idem: *nunc ipsa silentia terrent*. Tunc autem dicitur lunae silentium, seu luna silens, vt *Marcus Varro* & *Plinius*, cum nihil tenebris cernitur, sed non ita tamen, vt ipsum interlunium, aut lunae coitum plane intelligamus, vt docet *Politianus* in Miscellaneis, refutans Seruianam sententiam.

(2) Hoc libro quoque primo scriptum est.

(3) Permissio, rhetorum color notus, cum id fieri permittere videmur, quod summopere fieri nollemus, vt illud *Maronis*, *I, sequere Italiam, ventis pete regna per vndas*.

(4) Nociua pestiferaque, quae mortem exiliumque portendant. *Albertus* noster, Augurum inuenta ad fulminum discretionem friuola asserit, & absque consideratione philosophica: nec dignum censet, vt disputetur contra ea, quasi nulli rationi innitantur.

(5) Sic, vt apud *Maronem*, quem Poeta feliciter imitatur, legendum est, *& non abigat*. Vel *Pater omnipotens adigat me fulmine ad vmbras*.

(6) Pro Mars, a maribus, quibus in bello praeesse creditur, appellatus est, vt docet *Varro*.

(7) Vel Edonas, pro Thracias, vt apud *Papinium*; *Edonios currus*. Edon Thraciae mons, a quo Edonii populi dicti sunt, meminit *Plinius* capite vndecimo quarti.

(8) Nam in tantum altitudinis abit Hemus, vt Euxinum & Hadriam ex summo vertice ostendat.

(9) Scilicet, propter venationis studium, & colit etiam sacrificiis, meque multis nominum praeconiis celebrat. Artificium Poetae, ne videretur sine caussa Dianam introduxisse fauentem Caesari.

(10) Maro: *Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianae*. Nam quorundam opinione, eadem est Iuno, Diana, & Proserpina: ex quibus Hecate, vt est apud *Lucanum*, commune numen efficiatur.

(11) *Hesiodus* in Theogonia tradit Asteriam ex Perseo Titane Hecaten genuisse: vnde *Perseis* dicitur. Hunc Iupiter elementa subiecit, & caelo ereboque potentem fecit, vnde & Hecate dicta est, vt ex eodem didicimus *Hesiodo*. Maro, *Ter centum sonat ore Deos*. Sic enim doctissimus *Ianus* hunc locum interpretatur, vt dicat Hecaten a saga ter inuocatam, quam per centum Deos obscure quidem, verum peritissime designauit, ad amplissimam Deae potestatem, & nominis rationem simul alludens. Id ab ἑκατὸν trahitur, quod apud Graecos idem valet, quod centum.

(12) Philosophi dicunt, non esse nisi vnum Deum, & vnam Deam, qui pro ratione officiorum variis nominibus appellantur. Vnde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant: item Lunam eandem Cererem appellant, eandem Dianam, eandem Iunonem, eandem Proserpinam: & sub aliarum quoque appellationum varietate venerantur.

(13) Id est, sacrificaturus. Dicimus autem, *facio tauro & ariete*. *Maro* in Palaemone: *Quum faciam vitula, pro frugibus ipse venito*.

(14) Sumptus locus ex *Hesiodo*: *In iudiciis*, inquit, *apud Reges venerandos sedet*. Dicit autem Caesari deesse vel ob hoc minime posse, cum sibi hoc officium a Diis immortalibus attributum sit, vt regum latera sectetur.

(15) Et hoc ex eodem, qui bonam, ait, Dianam in certamine: quibus enim ipsa fauet, ii vi & robore pulchrum praemium sibi acquirunt facile.

(16) Quoniam Pallas fingitur nata ex capite Iouis.

(17) Interdum Latini poetae more Graecorum Deorum nomina vtroque genere protulerunt, credebant enim promiscui esse sexus. Nam θεὸς, pro Deo & Dea poni vsitatissimum. Sic Maro: *Descendo ac ducente Deo, flammam inter & hostes Expedior*. item, *nec dextra erranti Deus abfuit*. Nam illic *Venus*, hic *Iuno* intelligitur.

Dixerat.

Dixerat(1). *Interea bigis rutilantibus Eos*(2)
125 *Sustulit os sacrum, vultuque retexit Olympum.*
Tunc Diua in nemus & lucos se contulit altos(3),
Qua Cæsar venturus erat: monstrumque domandum,
Cælestes vultus, Phœbæosque exuit artus(4),
Quæ velocipedem summis de montibus Opim(5)
130 *Finxerat errantem, vel agentem in retia ceruos.*
Vel poterat Dryadum(6) *formosior vna videri,*
Fibula cui limbum(7) *collegerat arcta fluentem*(8),
Et roseo sparsi pendebant vertice crines.
Qualis per Cynthi lucos(9), *aut per iuga sacræ*
135 *Orthygiæ*(10)*graditur nullis comitata Napæis*(11).
Interea pharetris, arcuque armata iuuentus,
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine Regem
Expectant, ardent animi concurrere monstris,
Et timidas(12 *alto depellere vertice damas.*

(1) Circumlocutio orientis diei.

(2) Aurora, hoc est, subrutilans ille color aeris solarem globum antecedens: qui vbi apparuit, iam non aurora, sed dies est, radiis aerem collustrantibus.

(3) Id est, montes. Siquidem Diana vagari fingitur a poetis, & per nemora montesque oberrare. Quin domicilium etiam subinde mutat, nunc apud Superos agens, nunc apud Inferos. Nec specie quidem semper eadem, vnde dicit;

(4) Intelligit autem cursus solares. Nam Diana, quæ & Luna in cælo, modo pleno orbe, nunc mutila, nunc nulla, velut solis discipula obsequitur cursibus fraternis. Scrutatores rerum naturalium, varias opiniones prodiderunt de splendore lunæ, vtrum habeat proprium, an notho lumine luceat. De septenaria lunaris luminis dispensatione pulchre *Macrobius*, & nos alicubi dictauimus. Obiter addam, nos a diuo *Ambrosio* in Hexamero admoneri, ex mystico lunæ mutabilis exemplo, nihil rerum humanarum esse posse, quod non aliquando resoluatur.

(5) Epithetum nimis græcissat. Opis nympha fuit, cuius etiam *Maro* meminit, & habet primam longam. Filia Cæli & Festæ, quæ etiam *Rhea* dicitur, primam habet breuem.

(6) Arborum Deas antiqui *Dryades* appellauerunt, quoniam δρῦς apud Græcorum vetustissimos commune plantarum omnium nomen erat.

(7) Limbus muliebre vestimentum, purpuram in imo contutam habens. *Maro* tamen pro fascia accepit, quæ ambit partem vestis extremam.

(8) Solent enim vestes laxiores, quasi vndatio fluctuare & perfluere.

(9) In quibus vim propriam Diana exerit, sicut in cælo Luna.

(10) Ipsi scilicet, Dianæ, nam in ea, vt paulo ante dixi, colebatur.

(11) Nymphæ florum, ab eo quod est νάπη, vel νάπος, εος: quod latine saltum, vel campum significat. Et quia in recessibus intra montes flores optimi nascuntur, ideo apposite dicit, Dianam nullas comitari Napæas per iuga gradientem.

(12) Sic proprio epitheto appellantur a *Marone* & *Horatio*. Martialis *imbelles* vocat.

140 *Primus ibi ante alios, circumdatus agmine magno*
Emicat Albertus, *vastisque sonantia gestat*
Tela humeris, alacer vultu, dignusque videri.
Hic curam ingentem premit, & sub pectore versat
Venturum excidium populis, cædesque cruentas.
145 *Parte alia æripidem* 1) *campo calcaribus aureis*
Vrget equum indignans, nitidoque hastilia ferro
Concutit, & rapidos præuertitur(2) *æmulus Austros*
Lantgrauius *Mauors*: *qualis Pangæa peragrans* 3)
Thrax agit Odrysias(4) *Adomantæasque cateruas*(5).
150 *Segnior haud illo* Virthymberzentius *heros*(6)
Altum inuectus equo, spumantibus ora lupatis
Laxans, puluercam cursu mouet æthere nubem.
Olli gemmatum(7)*subnectit fibula cornu*
Aurea, & agglomerat textura, atque implicat auro
155 *Labentes in terga comas crinemque fluentem,*
Spicula bina manu(8): *Phœbo velut esse putamus*(9),
CumDryopas(10)*Clariosque*(11), *& Ie clamantia Pæan*(12)
Agmina per Lyciam(13),*& saltus impellit Imaui*(14).

Hinc

Hinc Brunsuychides(15), *cui paruo in corpore virtus*
160 *Summa viget*(16),*qui gentis auos memorabat* Othones(17).
Pube aderat iuuenum,Cadmi nec iturus ad vrbem(18)
Tydeus OEnides magno secus hæsit Adrasto.
Nec te Iuliaci(19) *imperium populumque regentem*
Præteriisse sinam, diuinæ prolis alumne(20).
165 *Pone ardens* Casimirus *adest,sequiturque parentem,*
Cui vix purpureæ nigra lanugine malæ
Tinguntur, duro sed habentur casside dignæ.
Nec non & pictis heros Zornensius(21) *armis*
Fulgebat : qualem Nymphæ Cyllenides(22) *olim*
170 *Parrhasis*(24) *memorant, venantem Oriona*(23) *siluis.*

(1) Propter ferreas soleas.

(2) Et *prauerto* & *prauertor* dicebant antiqui.

(3) Comparatio maxime apta. Thraces enim robustissimi, quales venatio requirit. Pangæus mons Thraciæ.

(4) Odrysarum gens Thracica, cuius imperium ab vrbe Abderorum ad pontum vsque Euxinum extendebatur. Odrysarum solum Hebrum fundit, ait *Solinus.*

(5) Alii Odomantes, Thraciæ populum scribunt, atque sine spiritu.

(6) Huius genus moresque *Nauclerus* scribit.

(7) Gemmis distinctum ornatumque. Gemmosum enim dici volunt, quod totum e gemmis sit.

(8) A parte totum. Nam mucro sagittæ proprie spiculum dicitur.

(9) Apollinis nomen. Quatuor hæc refert, & medicum, & vatem, & iaculatorem, & musicum.

(10) A Dryope Lycaonis filio, gens vetusta, prope Parnassum, debellata ab Hercule, ac traducta in Peloponesum, vt ait enarrator *Apollonii* Poetæ. Sunt & alii Dryopes in Illyrico.

(11) Colophonios : qui Clarium oppidum habitabant, in quo Apollo colebatur, &, vt apud *Macrobium* est, sacerdotes eius aqua sumpta fundebant oracula, vnde & *Clarius* dictus.

(12) Sic legendum, vel *Io*, cum liber typis excusus perperam habeat, *& se clamantia.* Ie autem ferire & iaculari significat. *Io* vero particula, modo exprimit lætitiam gestientis affectum. Ouidius : *Dicite Io Paan, & Io bis dicite Paan.* Modo dolorem innuit. Tibullus: *Vror Io, remoue sæua puella faces.* Quanquam arbitror apud *Ouidium* legendum *Ie*, vtpote alludentem ad Latonæ matris adhortationem: quæ cum ex Chalcide Dianam & Apollinem in Delphos transportaret, euenit forte fortuna, vt iuxta specum in quo Pytho latitabat præteriret. Vbi vero iam prosiliens Pytho impetum ferret in illos, Latona mulierum more territa, filii auxilium inclamauit his verbis, *ἵε παῖ*, id est, *iaculare fili.* Ibi Apollo, qui tum forte arcum gestabat, misso telo Pythonem interemit. Vnde in sacris Apollinis canentes Latonæ vocem referebant, *ie Paan.*

(13) Vbi magna superstitione colebatur, vt ipsum nomen Lycius Apollo, & Lyciæ sortes fatentur. De Lycia vide *Strabonem* & *Plinium.*

(14) Montis, qui ab Indico mari incipiens, continuo tractu Asiam diuidit, vt Apenninus Italiam: variaque sortitur nomina, quæ *Plinius* refert. Dixit autem *Imauum*, intelligens Taurum, qui sic appellatur vbi Lyciam, seu Lyciæ conterminam Ciliciam attingit. Perinde ac si Danubium apud Vlmanates nauigaret quispiam, ac diceret, Istrum nauigasse: cum Istri nomen alibi incipiat.

(15) *Ericus*, qui cum fratre *Heinrico* paternam ditionem diuisit.

(16) Iuxta illud, ni memoria labor, Papinianum: *Maior in exiguo regnabat corpore virtus.*

(17) Genus nobilissimorum Ducum Brunzuygum, *Albertus* refert cap. vicesimo primo Noni Saxoniæ. Siquidem Saxonicus est sanguis, a Brunzuygo, oppido memorabili magno & populoso nomen accepit, cuius fit multa mentio apud eundem autorem: vt generis potentia temporis vicissitudine decreuit, annales nostri tradunt, & idem *Albertus* omnium diligentissime, qui & eodem studio trium Augustorum *Othonum* res præscripsit. Horum virtute, vt obiter de his dicam aliquid, & Christiana pietas, & res Italica respirauit.

(18) Thebas, quas e Phœnicia profectus Cadmus in Bœotia condidit, ex oraculo præuiam bouem secutus, vt cecinit *Ouidius.* Vnde vniuersa qnandoque Bœotia *Cadmais* dicta est, vt docet *Thucydides.*

(19) *VVilhelmum* Ducem Iuliacensem & Bergensem intelligit, qui autore Cæs. *Maximiliano*, vnicam filiam suam *Ioanni*, *Ioannis* Ducis Cleuensis filio coniunxit : atque ita treis Ducatus ad vnius gubernium accessere. De quorum initiis *Irenicus* scribit libro tertio.

(20) Fingit Iuliacensem familiam e sanguine Iulii Cæsaris prognatam. Neque temere tamen : siquidem fertur Iulius condidisse Iuliacum, cuius fit mentio apud *Antoninum.*

(21) *Comitem* signat de *Zorno*, qui præfectus aulæ fuit Cæs. *Maximiliani.*

(22) Archadicæ, a Cylleno monte.

(23) Satellitem Dianæ, de quo alibi dicabimus.

(24) Arcadicis, ab oppido Parrhasio.

Postremo Austriadæ fidus vestigia Langus(1)
Præcedit, regni curas sortitus(2) *& orbis.*
Hic nitet ante alios forma pulcherrimus(3) *omnes,*

 Non

Non ſecus humentes(4)*vel cum nox ingerit umbras,*
175 *Vel ſurgens aurora diem lucemque reducit,*
Lucifer(5)*aſtrorum ſplendens ſupereminet*(6) *ignes.*
Quem niſi belligerum præformidaret amantem(9)
Alma(8) *Venus*(7), *Cyprum ſecum rapuiſſet in altam*
Læta, vt perpetuos olim ſibi iungeret annos.
180 *Præterea innumeri, quos elicit æmula virtus,*
Regem expectabant: tandem ſtipante caterua
Egreditur Cæſar(10), *qualis cum corniger Hammon*
Heſperidum in ſacros(11) *pubem Garamantida lucos*
Educit, ſedet ille altum, vultuſque verendos
185 *Exerit, & viſo gaudentque, pauentque tonante.*
Aut cum cælicolis curru ſpectandus eburno
Offertur, ſacraque nouos ciet Elide ludos(12).
Itur venatum, rumor volat agmine facto
Paſtores trepidare iugis, Alpinidos vrſæ
190 *Induit hic pellem, ſudibus ferus ille præuſtis*
Vmbriferos cingit montes atque inuia luſtra,
Hic ſuſpenſa rudi geſtabat retia conto.

(1) *Matthæum* Cardinalem Saliſburgenſem intelligit, ex *Langerum* familia Auguſtana: quem toto opere, vt marginarium admonet ſcholium, tanquam Achaten Maronianum Cæſari adhærentem inducit.

(2) Sapienter quidem. Nam, vt fertur, vir vnus haud videt omnia.

(3) Quoniam, vt ex *Ciceronis* verbis colligimus, pulchrum corpus bonæ menti paratur: quæ cum ſint vulgata, non adſcribam.

(4) Quia nox humida eſt.

(5) Cum antegreditur ſolem: cum autem ſubſequitur, *Heſperos* vocatur, & intelligit Veneris ſidus æmulum ſolis & lunæ.

(6) Eſt enim Lucifer tantæ claritatis, vt eius radiis vmbræ reddantur, *Plinio* autore. Hic etiam *iubar* dicitur, vt dicit *Seruius*. Ceterum ex octauo *Maronis* Poeta hunc ſumpſit colorem.

(7) Peculiare hoc Veneris epithetum apud Lucium. *Pio* teſte.

(8) Sancta, ſiue pulchra: vel alens, ab alendo, autor *Pompeius*.

(9) Id eſt, Martem. *Non fuit in toto notiſſima fabula cælo*, vt eſt apud *Ouidium*.

(10) Comparatione innuit, talem fuiſſe Cæſarem, qualem fas eſt credere Iouem eſſe, cum ſe ad Heſperidum hortos ſtipante Garamantum pube confert.

(11) Quoniam Iunonis horti erant.

(12) Olympicos ſcilicet, quos Hercules in honorem aui materni Pelopis edidit, vt ait *Solinus*. Quo autem ordine Pelops Herculi coniunctus erat, docet *Lactantius* in principio Sexti Thebaidos, ſuper illud Statii: *Hunc pius Alcides Pelopi certamine honorem.* Docte plura de Olympicorum inſtitutione & ſucceſſu ſcribit *Cælius Rhodiginus*.

Vt ventum in ſiluas, cunctos labor euocat ardens,
Hic tortas laxare plagas, hic tendere neruos
195 *Incipit, hic lato vibrat venabula ferro.*
Figebant alii laqueos, altoſque pererrans
Hic montes, cornu pubem ſtimulabat adunco,
Monſtrabantque vias alii: ſic ordine longo
Indagant ſiluas, & vi nemora alta recludunt.
200 *At Rex haud timidas montis de vertice damas,*
Vel ceruos glomerare fuga, propiuſve ſagittis
Optat agi, aut imis ſpumantem in vallibus aprum.
Sed monſtrum(1) *ceu Parthenius*(2) *Calidonius vmbris*
Arduus Hippomanes ſequitur, totumque recurrit
205 *Per nemus, ingentique vocat clamore ſequentes.*
(3)*Vallis opaca fuit, quæ circum vmbonibus altis,*
Et ſcopulis præcincta iacet, ſtant vndique rupes
Nubiferæ, tantum ſciſſis vi cautibus, horrens
Semita, monſtrificæ vallis contendit ad imum.
210 *Illic fons nitidus, prædulcibus adſtrepit vndis*
Flumen agens, ſacrumque caput, crineſque madentes
Diffundit per prata vagus, ſceniſque coruſcis
Gaudet, & Herculea prætexere tempora fronde(4).
Ille locus Nymphis ſacer eſt. nam ſæpe videres
215 *Arcadio huc diuos arceſſere Pana Lycæo*(5).
Cum flatuam Harpalicem, vitreoque Hyalitida vultu
Inſequitur, Tegeæ minus ſibi Mænala(6) *curæ,*

Aut

Aut Homoles(7)*gelidi virides circumdare saltus.*
Fonde sub aduersa, penitusque in valle reposta,
220 *Magnum immane patet scopulis ingentibus antrum,*
Obscuroque aditu, tenebrisque in faucibus horret,
Monstrorum hæc sedes, vrsosque, luposque rapaces
Audires fremere, & prætortis cornibus vros(8).

(1) Alludit ad fabulam Atalante, quam narrat *Ouidius* in decimo Transformat.

(2) Arcadicis. Mons enim est Arcadiæ Parthenius, inter clariores præcipuus, in quo frequenter venari solita est Diana cum virginibus, vnde & nomen ei, vt ait *Seruius*. Exstant & *Probi* quædam glossemata, quæ, teste *Iano*, sic habent. Parthenius Arcadiæ mons dictus a virgine Atalante, quod in eo exercebatur.

(3) Topographia, vel potius Topothesia, id est, ficti loci descriptio, qui, secundum *Lactantium*, est ex licentia poetica. Idem enim vult topographiam dici, vbi veri loci facies demonstratur.

(4) Populea. Est enim populus arbor Herculi sacra.

(5) Hic mons sacer erat Dianæ atque Fauno. De priore Papinius; *Illas e lucis Hecate speculata Lycæis.* De Fauno Maro; *Panos de monte Lycai*, in quo olim templum nemini licebat ingredi. *Plutarchus* & *Hyginus* autores.

(6) Arcadica, a Tegæa Arcadiæ oppido, cuius meminit *Homerus*, vt scribit Homerus, vt item *Pausanias*. Deducitur inde muliebri genere *Tegeatis*, masculino *Tegeates*, & *Tegeaus* apud *Propertium*; *Et calami Pan Tegeae tui.* Nam sicut nemæa nemeæus facit, sic etiam tegæa tegeæus. Quin & *Tegeaticus.* Papinius: *Et de Mænalia volucer Tegeaticus vmbra.*

(7) Hic, vt Otrys Thraciæ montes a *Marone* cantati: *Descendunt Centauri, Homolen, Otrynque niualem Linquentes.*

(8) De his plura *Cæsar* sexto commentario belli Gallici, & ego latius in septimo huius operis libro dicam.

Huc se magnanimus, Lango *comitante, per vmbras*
225 *Contulit Austriades, dein fontem & flumen adorat,*
Atque Deas, Nymphasque loci: dumque omnia lustrat,
Exploratque oculis, Rex ense decorus & arcu,
Ecce ruens summo vicini culmine montis
(1)*Monstrum infandum, ingens, satiatum cæde ferarum,*
230 *Speluncam petit infrendens, concussa fragore*
Ingenti nemora alta tremunt: velut orbe profundo
Eliciant Hecaten, Manesque, & tartara vertant
Thessalici cantus, gemat atro Tænarus(2) *ore,*
Argolicæque labent vrbes, Phœbeque tremiscat.
235 *Vel cum se vastum referunt Cyclopes in antrum*
Ætnæi(3), *audires Siculas mugire cauernas.*
Illi indignantes, nemus a radicibus imis
Conuellunt, tolluntque caput, nec celsius vlla
Populus Herculea cælo se subiicit(4) *vmbra.*
240 *Versus erat, ceu fama recens peruenit ad aures,*
Horrendum visu monstrum, cui lumina toruo
Intus opaca micant capiti, gliscitque per ora
Infrendens rabies, vastisque e faucibus extra
Eructat spumas, & inanem polluit auram.
245 *Exæquat dorso montes, & cruribus altas*
Exuperat quercus, dentes tribus exerit vlnis,
Saturnique refert intortis vnguibus Harpen(5).
(6)*Inarimem*(7) *quondam sub terras*(8) *tristis Echidna*
Incoluit, Nymphe vultu, tenus inguine serpens
250 *Inferius, sæuo quæ mista Typhaone natos*
Horrendos peperit, custodem(9) *Cerberon Orci*(10),
Cuius demersos terret vox ærea Manes(11),
Lernæamque Hydram(12), *quam ferro atque ignibus hausit*
Amphitryoniades(13) *cum belligero Iolao.*
255 *Sed primum ante alios latrantem sustulit Orthum*(14)
Oceano in magno, nullumque hoc sæuius vsquam
Progenuit natura nefas, tribus ora relaxat
Faucibus hic, triniumque caput, tria guttura pandit.

Interea Alcides(15) Erythæo in littore victor
260 *Geryonem extinguit(16), monstrum domat, inde reuectus*
Infandas cædes populis ostendit Iberis(17).
(18)Mox & Bebrycios(19) montes, & inhospita transit
Volcarum(20) regna, & longe possessa colonis
Arua Tricastinis(21), qui monstri dum inficit agros,
265 *Vicinasque Alpes, infractaque saxa veneno,*
Prociduis tellus guttis, & sanguine fœta
Virus alit venis, recipitque in viscera tabem,
Et partum iuuat infandum calor, atque agit intus(22).

(1) Demonstratio, color rhetoricus, cum ita verbis res exprimitur, vt ante oculos esse videatur.

(2) Promontorium Laconiæ, clarum marmore laudatissimo, vt scribit *Plinius*. Ferunt illic ad inferos aditum patescere, quem eleganter describit *Seneca* in Hercule furente.

(3) Quia Siciliam inhabitauerunt, iuxta fabulas poetarum, fulmina Ioui sufficientes: vnde dixit Poeta noster: *Audires Siculas mugire cauernas.* *Hesiodus* treis memorat, *Asteropem, Brontem, & Argem*: & Cyclopas appellatos ait, quod vnus singulis oculus, & is in media fronte circinnatæ rotunditatis esset. Eosdem circulares cæli vertigines repræsentare *Zeno* disputat. Alii ex ipsis nominibus cæli tempestates interpretantur.

(4) Id est, extollit. Maro: *Et corpora saltu subiiciunt in equos.*

(5) Vnde alibi, *Saturnida conficit Harpen.* Ita dicta est falx Saturni, qua Perseum caput Medusæ abscidisse dicunt, vt apud *Lucanum*.

(6) Narrat versum ab Echydna traxisse originem, quæ inferne serpens erat varius ac crudelis: superne autem vultum habebat virginis, vt est apud *Hesiodum* in Theogonia.

(7) Composita dictione nostri accipiunt, insulam in ora Campaniæ, de qua longe *Strabo* disceptat. Eadem *Pithecusæ* memoratur ab historia quam *Suidas* refert.

(8) Echydnæ enim fuit sub terris spelunca sub curua petra, a Diis ac mortalibus longe seiuncta, vt idem *Hesiodus* cecinit.

(9) Ianitorem, qui vestibulum seruat.

(10) Plutonis. Orcum Plutonem significare docet *Plautus*, ita loquens: *Apud orcum te videbo.*

(11) *Latrans trifauci*, vt dixit *Maro* & *Seneca*; *Hic saeuus vmbras territat Stygius canis.* Qui terna vasto capita concutiens sono, regnum tuetur: & Poeta statim; *tribus ora relaxat Faucibus, trinumque caput, tria guttura pandit.*

(12) A Lerna lacu Argiuorum: quæ tantæ magnitudinis fuit, vt eam Hercules sine nepotis Iolai auxilio nequiuerit conficere: cuius symbolum exponemus in fine Noni, super his verbis: *Et semper plagis viuacibus hydram.*

(13) Hercules.

(14) Vide, quæ primo diximus commentario super illo versu, *Orthumque & stabulis quem prodidit Eurytiona.*

(15) Hercules.

(16) Notum id ex *Marone*.

(17) Hispanis. Nam quæ nunc a rege Hispano Hispania dicitur, ab amne prius Ibero Iberia dicebatur, autor *Trogus*: eiusdem regionis alluens oras mare Iberum fertur.

(18) Sensus est: cum Hercules victor ex Hispania rediisset, monstri veneno, quod in terram fluxit circa Alpes nata esse varia monstrorum genera.

(19) Id est, Pyrenæos, lege *Silium* in tertio, & de Bebryciis populis *Val. Flaccum* in quarto.

(20) Gens est prouinciæ Tholosanæ. Meminit eorundem *Plinius*, & Volcarum nomen apud *Ptolemæum* celebre est. *Mela* gentis quoque meminit in descriptione Rhodani, & *Silius* in tertio, vnde Poeta hunc locum sumpsit.

(21) Accolæ hi sunt Druentiæ fluuii, qui iter Hannibalis aliquantulum remoratus est, cum sit transitu difficillimus, *per agros erumpens.* Vnde *Silius*: *Turbidus hic truncis saxisque Druentia latum Ductoris vastauit iter.*

(22) Id est, dat vires, & impellit ad generationem. Videtur accedere ad eorum sententiam, qui principium rerum naturalium volunt esse quatuor elementa, vt *Empedocles Agrigentinus*. Sed qui quatuor ex rebus posse omnia rentur, ex igni, terra, atque anima procrescere, & imbri, magnopere a vero longeque errasse videntur: autor est *Lucretius*.

Monstrificum extemplo natum genus omne ferarum,
270 *(1)Hinc alces(2), vrosque boues(3), Geticumque bisontem(4)*
Creuisse accipimus, machlinque(5) per æquora vectam.
Insula nunc vastis nutrit Codanonia(6) siluis:
Nec minor hac eale(7) nigranti fœta veneno
Prodiit ex terra, gerit alta hæc lurida fronte
275 *Cornua(8), & alterno ruit in certamina motu.*
Visus & ichneumon(9), liquida se mergere terra(10),

Et

Et Phœbo siccare cutim, nunc femina, nunc vir(11),
Naturæque potens, formas variantis hyæna(12).

(1) Aduertendum, animalium sicut & ceterarum rerum, secundum locorum qualitatem euenire diuersam omnino generationem. Siquidem sunt animalia, quæ non nisi locis calidioribus proueniant: vt elephantes, leones, serpentes. Alia, quæ locis tantum frigidis procreentur: vt bisontes, vri, alces, tragelaphi. Multa, quæ locis omnibus generentur: vt boues, equi, sues, cerui. Quos Africa propemodum sola non gignit, vt *Herodotus* & *Plinius* testantur.

(2) Apud nos & *Alces* inflexione tertia, & *Alce* prima, vt Græci, adnotauit *Hermolaus*: qui & refert cap. decimo octaui *Plinianarum castigationum* de alcis verba, quæ dicunt *Capitolinus* & *Pausanias*. Nota sunt, quæ de hac fera *Cæsar* tradidit commentario sexto, & *Solinus* cap. tricesimo secundo. Ego libro octauo commode adscribam *Erasmi Stella* verba, quæ docent, hallucinatos esse, qui de alce scribunt ea, quæ de machli fera potius intelligenda sunt.

(3) Ex *Plinii* verbis satis patet, quos hodie bubalos vocamus, alios esse a bubalo Pliniano.

(4) Id est, Scythicum, quoniam Scythia bisontes quoque gignit: licet alias paucissima gignat animalia, fructuum inopia. Scribunt & de hac fera *Plinius* libro octauo, *Cæsar* libro iam citato, *Solinus* cap. quo supra. *Plinius* item tradit huius feræ vsum in medicinis lib. vigesimo octauo.

(5) Ex *Plinii* verbis deprehendimus, hanc feram esse alcibus haud dissimilem.

(6) Scandinauiam intelligit, a sinu Codano: cuius meminit *Plinius* libro quarto. Et *Solinus*, qui ait: *Scandinauia insula e regione Germaniæ, mittit animal, quale alces, Plinius nominat* machlin.

(7) Innuit, non solum monstri sanguine nata esse monstra septentrionalia, quorum meminit *Plinius* libro octauo, sed etiam quæ in aliis orbis partibus esse dicuntur. De quibus *Plinius Aristoteles* & *Solinus* quædam. Describit autem Poeta eleganter ealen, iuxta *Plinium* ipsum: quem vide cap. vicesimo primo octaui.

(8) Id est, supra modum pallida. Vnde rana lurida *Varroni*, & venena lurida poetis dicuntur.

(9) Huic cum aspide, vt *Plinius* autor est, perpetuum & internecinum bellum est: meminit item *Strabo*.

(10) Hoc est, limo, in quo se sæpius mergit, & postea sole siccat. Lege *Plinium* libro octavo, vbi bellum ichneumonis & aspidis exponit. Quod & *Lucanus* innuit in quarto hoc versu: *Aspidas vt Pharias cauda sollertior hostis Ludit.*

(11) Quoniam utrumque retinet sexum. Ichneumones certamine inter se congrediuntur. Victus pro femina patitur, partuque victoria deprehenditur. Præterea Latonæ & Lucinæ sacrum dicunt.

(12) Quoniam & Hyenis vtramque esse naturam, & alternis annis esse marem, alternis feminam fieri, & parere sine mare, creditum est. *Aristoteles* negat. Multa mira de ea produntur, quæ plurima in Africa gignitur. Sed maxime sermonem humanum inter pastorum stabula assimilare, nomenque alicuius addiscere, quem euocatum foras laceret, vt est apud *Plinium*.

(1)*Ergo inter diros partus, terræque nocentis*
280 *Progeniem infandam, dictu mirabile, monstrum*
Exeruit caput, & villosos extulit artus
Vrsus humo, rapuitque fugam, transque insilit alta
Celtarum(2) *nemora, atque Alpes*(3) *insedit apertas.*
Inde genus, prolesque, & adhuc millesima pestis(4)
285 *Errabat silua in magna, montesque per altos*
A stabulis armenta fugat, visuque nefandum
Nymphæ desertis fugiunt Alpinides vmbris.
Hanc cuncti inquirunt, reserantque indagine siluas.
Interea Cæsar, strepitus cum venit ad aures,
290 *Immensusque fragor, quibus antra nemusque repente*
Mugiit, expectat cupidus, positisque sagittis,
Quas iubet ex humeris fidum suspendere Langum,
Ensem vulnificum vagina extraxit eburna.
Ecce autem longe turbata apparet imago
295 *Ingentis monstri: ac veluti sub rupe leonem*
Frondiferæ Nemees(5), *nodoso robore fretus*
Aspexit primum Alcides, & creuit vtrinque
Pugnandi rabies, cauda saxa aspera pulsat
Alter, & Argolicas longum mugire Cleonas(6),
300 *Atque Ioui sacrum credas Apesanta*(7) *moueri,*
Amphitryoniades mota ferit aera claua,
Perlustratque oculis, qua parte haud irrita dextra

Vulnus agat: sic Cæsar erat, sic horrida monstro
Effigies, feruetque oculis ardentibus ira.

(1) Concludit vrsum a principio illinc natum esse, a quo hic vltimus superstes adhuc erat.

(2) Vno nomine Græci Gallos omnes Celtas nominant. Et in Celtico *Appianus* Senones, qui vrbem incenderunt, Celtas vocauit. De populis Galliæ lege *Ammianum*, qui Galliam minutatim dispartitus est in multiiugas prouincias.

(3) Etymum alpium in *Staurostichi* commentario explicaui, ne adscribam, quæ de variis alpium vocabulis *Alciatus* Mediolanensis in annotationibus suis in *Tacitum* scribit: caussa est autor elegantis commentarioli in librum *de moribus Germanorum* eiusdem *Taciti*, qui hæc ante me excerpsit atque vulgauit.

(4) Hoc est, vltima. Ouidius; *Tua sit millesima puppis.*

(5) Silua Arcadiæ insignis, leone illo victo & strangulato ab Hercule.

(6) Cleone mediocre oppidum in via situm, quæ ex Argo Corinthum ducit. Vnde leo Nemeæus, etiam Cleonæus dicitur. Papinius; *Ante Cleonæi vestitur prælia monstri.* Lucanus; *Ille Cleonæi proiecit terga leonis.*

(7) Apesas mons est Nemeæ, vt & Pindarus & Callimachus testantur. Vnde Iupiter Apesantius.

305 *Ventum est ad pugnam, laxat bipatentibus ora*
Faucibus Orthigena(1), & dictu, visuque tremendum,
Ore vomit saniem, semesaque membra virorum
Eructat per inane, & verberat aera tabo.
Stat Cæsar contra, quid enim tremefecerit illum?
310 *Intenditque animum: veluti cum Delius(2) ardens*
Prostrauit calidis luteum Pythona(3) sagittis.
Nec mora, dum patulo monstrum crudescit hiatu,
Impatiensque sui per vulnera corruit, olli
Transabiit costas Cæsar mucrone corusco.
315 *Protinus infecta est effuso sanguine tellus.*
Contra ira indignans, gemitum sub nubila tollit
Horrendum, quo imæ valles(4), nemora, inuia lustra
Siluarum, & motæ longum intonuere cauernæ.
Nescit stare loco furor igneus, obuia cædi
320 *Fit monstro rabies maior, gaudetque periclo.*
Atque vt in Hercyniis certantem Iazyga(5) lucis(6)
Accipimus, contraque ferum sæuire bisontem
Cornibus ille arcu impauidus, teloque corusco
Ingentes harmos transuerberat, & latus haurit(7),
325 *Ingemit horrendum pestis, toruumque minatur,*
Vicinæque tremunt impactis cornibus vmbræ.
Sic ferus instabat Cæsar, nixusque cruento
Vrgebat mucrone feram, & villosa lacessit
Tergora(8), iam cædens, modo non: vt sanguinis atri
330 *Debile profluuio paulum certamina Cæsar*
Decertare videt, meditataque voluere monstrum
Effugia ad montes, scopulosaque tendere in antra.
At non hoc telum stillans impune cruore,
Rex ait, effugies, altumque insurgit in ensem
335 *Extemplo, & mediam ferit inter tempora frontem,*
Partiturque immane caput, ruit ardua moles
Cum gemitu, & vasto tremuit sub pondere tellus.
Sternitur horrendum visu, sparsoque cerebro
Sæuit adhuc, oculisque ferox pallentibus horret,
340 *Ne quicquam eluctans: tandem indignantia soluit*
Membra anima, & moriens sub tartara monstra reuisit
Centauros(9), Orthumque canem, Scyllasque biformes(10).

(1) Vrsus genitus ab Ortho cane, vt diximus.

(2) Apollo. Iuxta Callimachum, apud quem Delos ipsa sic loquitur: *Sed ex me Delius Apollo vocabitur.*

(3) Respexit ad veritatem fabulæ: vt etiam alibi, *& radiis siccauit humum*, inquit. De vi & potestate solis *Macrobius* scribit libro primo de somnio Scipionis. *Pontanus* elegan-

eleganter cecinit, cur Apollo dicatur Pythonem occidisse, lib. de *Stellis* primo.

(4) Sic ex bono libro priorem lectionem emendauimus.

(5) Transiluanum.

(6) Eleganter a Poeta libro octauo Hercynia describitur, quare omnem nostrum de ea sermonem in illum locum seruamus.

(7) Petit. Maro, *Latus hauris apertum.*

(8) Id est, Villosam pellem, vt idem; *Tergora diripiunt costis*, pro pelles & coria detrahunt.

(9) Quorum mentio facta est libro primo. Hos fuisse negat *Lucretius* cum ait: *Sed neque Centauri fuerunt, nec tempore in vllo Esse queat duplici natura & corpore bino Ex alienigenis membris compacta potestas.* Idem sentit *Aristoteles.*

(10) De his monstris duodecimo Odysseæ *Homerus*, & lib. Æneidos tertio *Maro*. Inibi fabulosa diligenter *Seruius* retulit. Reuera tamen Scylla scopulus est in freto Siculo, vt est apud *Plinium & Salustium.* *Albertus* noster libro de Animalibus vicesimo quarto, vt citatur a bonæ fidei autoribus (ego enim hoc careo codice) ait, Scyllam esse piscem marinum, monstruosum, crebro in mari quod Italiam attingit, habentem figuram virginis, sed rictum oris maximum, & dentes acutissimos: ob hoc canibus esse succincta perhibetur, vterum habere belluinum, caudam vt Delphinum, carnibus delectari, & homini maxime inimicari.

Interea Austriades spoliis & cæde recenti
Arduus incedit, sequitur vestigia Langus
345 *Illius pone, & palmas* (1) *vix flumine viuo*
Abluerat. Subito cum se coram obtulit vltro
Dissimulata Deam, præstanti Delia vultu,
Osque, habitumque gerens, qualem gerit illa, vbi Cynthi
Venatrix gelidos siluarum indagine lucos
350 *Circuit, & ceruos* (2) *telis agit, omnia vultus*
Mortalis, roseoque fluunt a vertice crines.
Postquam congressi, tunc Rex prior (3): *Eia age, num quem*
Vidisti socium, ingenti clamore frementem
Nympha per hos saltus? voces te audisse per vmbras
355 *Crediderim, & certe, ni me tua fallit imago,*
Auguror esse Deam, (4) *namque his persæpe soletis*
Vos Dryades, sacræque in montibus esse Napææ.
Quisquis es, Alma faue, & dextri pedis omina firma (5).
Talibus affatur dictis. Contra illa vicissim
360 *Incipit: Audiui longe, iamque omne resultat*
Alpinum clamore nemus, densa agmina ab altis
Decurrere iugis, & valle feruntur aperta.
Et ne tantopere fallaris imagine nostra,
Nympha ego sum nemorum (6), *dexter tibi Iuppiter adsit:*
365 *Sed tu qui tandem* (7), *nam te genus esse Deorum*
Credidi, vt aspexi vultus, & fortia bello
Pectora: tunc breuiter sic Rex placido ore profatur:

(1) Pro *dextram*, reposui *palmas*, sic enim in emendato reperi libro. *Seruius* secundo in Æneidos commentario, exponit, *flumine viuo*, id est, semper fluenti & naturali.

(2) De his *Aristoteles* capite quinto, *De naturis animalium*, quem referunt *Plinius* & *Solinus*; Ceruos dictos ἀπὸ τῶν κεράτων, hoc est, a cornibus. *Varro* & *Pompeius* dictos putant, quod *Cerata*, id est, cornua gerant, quasi Cerui, *G* in *C* mutata.

(3) Totus color sumptus ex primo *Maronis.* Sed illic Venus interrogat, hic Cæsar.

(4) Ratio coniecturæ, qua conatur eam ostendere deam.

(5) Sensus est. Quisquis sis, dextro pede adsis, & propitia nobis. Sic etiam apud *Maronem*; *Et nos & tua dexter adi pede sacra secundo.* item, *ferte pedem*, pro præstate fauorem, & adeste & venite. Verbum ex augurum arte sumptum. Vulgo dicunt, *bonis auibus*, quod & ab augurum obseruatione sumptum est.

(6) Nam Diana se in nympham vertit, & deam dissimulauit, conscia Cæsarem venatum iturum, vt superius patuit.

(7) Non vacat, vt neque apud *Maronem*, sed denotat affectum loquentis, quæ quamuis mira breuitate interrogauit, tamen plus quam vellet temporis consumpsisse dolet. Dixit ergo, *tandem.* Nam animo properanti nihil satis festinatur.

(1) *Ille ego sum Cæsar, magno de sanguine cretus*
Austriadum, pugnaxque mihi Germania (2) *seruit* (3),

Sarma-

370 (4)*Sarmaticis*(5) *vicina plagis, quam Cimbrica frangit*
Vnda(6), *arctantque Alpes*(7), *& duplex Gallia claudit*(8).
Praeterea huc quae me sors attulit, accipe paucis.
Monstrum infandum atrox, & formidabile terris
Irruere hos solitum montes, & pascua laeta,
375 *Cunctaque ab vmbriferis armenta expellere siluis.*
Hac animam effudit dextra, iacet horrida labes,
Et scelus inuisum mortalibus, & sacris Diis.
Quare agite, o Nymphae nemorum, Faunique bicornes(9),
Et Siluane parens(10), *& agrestis Numina Panos*(11),
380 *Tuque caput fluuii, sacrataque fontis origo*
Magnorum sedes Diuum, si praemia tantus
Promeruit labor, & polluta sede remoui
Infandam pestem, & monstrum exitiale peremi,
Oro, faucete omnes, dabitur si(12) *cernere ferro*(13)
385 Phaligraphidem *contra, vetitasque reposcere terras.*

(1) Color *Maronis*. *Sum pius Æneas*, & cetera. Nec magno Principi dedecori datur, si se suamque originem laudet, modo talis sit, vt eius laudes merito a se ipso extolli possint. Neque enim in Principem egregium illam cauillationem arbitror, *Aliena laudas, qui genus iactas suum*, & turpis laus in ore proprio. Siue, vt nunc vulgus dictat, malignos esse vicinos illi, qui ipse sui laudator fuerit. Et *Seruius* apud ignotos praedicare de se omnino licere asserit. Nam de Ænea dicit, cuius modo verba libauimus. Non scientibus ipsum, sed nescientibus de se loqui, vel vt heroem loqui, cui quam mentiri turpe erat, tam vera reticere. Homericus quoque Vlysses ait, suam famam vsque ad caelum venisse.

(2) Poeta eam in octauo particulariter describit, vbi & nos dictabimus, quae videbuntur opportuna. Bono epitheto *pugnax* dicitur, vel iuxta illud Lucani: *Omnis in arctois populus*, & cetera. Vel quod, vt *Tacitus* autor est, Germanicae genti quies est ingrata: cui etiam pigrum & iners videtur, sudore acquirere, quae possis sanguine parare.

(3) Vtinam tam vere, quam contrarium eius scribit *Syluius* in Germania sua. Poeta tamen respexit ad hoc, quod fieri debet, & non quod agitur, iuxta aureum Iurisconsulti verbum qui ait & admonet, non tam respiciendum esse quod Romae agitur, quam quod fieri debet.

(4) Breuiter Germaniae terminos complectitur, ad *Taciti* descriptionem.

(5) Polonicis. Nam Vistula Poloniam a Germania disterminat. Sunt autem Poloni Sarmatae Europaei. *Procopius* Sarmatarum nomine ait appellari Gothos, Vandalos & Alanos, eandemque esse nationem, tantum ducibus, quorum nomina accepere, esse discretos.

(6) Oceanus Germanicus, quem Cimbri accolunt. Apud quos *Ouidius* somno regiam aedificauit.

(7) Quae Germaniam ab Italia submouent.

(8) Antiquitus Germaniae terminus Galliam versus Rhenum habuit: inde latiores factae vires Germanorum, Belgicam occupauerunt. Autores circumferuntur *Procopius* & *Agathius*: praetereo Chronographos & Annales nostros.

(9) Pinguntur cornibus in fronte caprinisque pedibus. Diuus *Hieronymus* scribit in vita *Pauli Eremitae*, Satyrum beato Antonio obuiam factum, interrogatumque respondisse: *Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi, quos vario delusa errore gentilitas Faunos Satyrosque, & incubos vocans colit.* Religioso ergo & multiscio (vt *Pii* vtar verbo) autori magis credendum, quam negantibus esse id genus animantia.

(10) Hic siluarum deus est, ac aruorum & pecorum patronus.

(11) Per hunc vniuersae substantiae materialis dominator significatur: vnde nomen *Panos* impositum, quod totum significat. Lege primum Saturn. *Macrobii*.

(12) Argumentum est, *Maximilianum* non praecipiti consilio, sed maturo hoc bellum mouisse, vbi negotium domi, &, vt aiunt, inter parietes componi nequiuit.

(13) Pro, praeliari, vel arma assumere & pugnare, vt apud *Plautum* in argumento, ni fallor, Amphitryonis.

Excipit haec Phoebe(1): *quondam si rite recordor,*
Quod memoras bellum, & regni mauortia facta,
Fatidica in siluis solita est praedicere Thespis(2).
Centum annos vixisse ferunt, centum ora Deorum
390 *Munere cui data sunt; nam cum furor intus anhelans*
Spiritibus titubare(3) *sacris, audire tonantem*
Fas erat, hanc siluam, circumque tremiscere montes,
Multa super bello dixit, semperque canebat

Te fors

Te fore victorem, domitisque ex hostibus alta
395 *Signa relaturum, & te quantum viribus audes*
Haud ignorabit, gens cultu asperrima & armis
Boica(4), Reginum cum sanguine polluet Ister(5)
Infectus, riuique fluent e monte cruoris.
Hinc Copestigenas(6) victos magnumque canebat
400 *Martis opus, tumefactasque Æni cladibus vndas.*
Interea exanimis(7) lachrimas longumque trahebat
Cum gemitu voces, meminique audire querentem,
Et verbis culpare Deos, heu perfida fata,
Heu crudele nefas, toti iuuenilibus annis
405 *Eripuere orbi, Regum recidiua propago(8).*
Cuius erit terra tumulatum corpus Ibera,
Tu ne cede malis, perstant immota(9), suumque
Fata tenent cursum; nam te post tanta tuorum
Funera, post curas domitas, victosque labores
410 *Excipiet gremio victorem Oenotria tellus(10),*
Romanas arces, populos, Latiumque(11) videbis
Armipotens, & iura dabis(12), gentemque togatam(13)
Restitues, & eris sacra quoque Iuppiter arce(14).
Ne tamen incassum labantur tempora fando.
415 *Eia age dic nobis, repetens ab origine bellum.*

(1) Id est, respondet, vel subsequitur verba Cæsaris. Sic Maro: *Tum sic excepit regia Iuno.* Huius verbi vsum varium tradit *Nonius.*

(2) Nomen vatis: quam fatidicam vocat, vt a *Marone* Mantho appellatur, diuinitate scilicet prædita, vaticinans.

(3) Pro, *titubabat.* Sic frequens *Salustio.*

(4) Intelligit Boemicam pugnam prope Ratisponam.

(5) Vnde libro decimo sic cecinit Poeta: *Sanguine colles Humelti fumant calido, riuique cruoris Mœnia Regini, atque Istrum infecere tepentes.*

(6) Expugnationem arcis & oppidi *Kopffstein* designat, quam in vndecimo describit.

(7) Scilicet Thespis, hoc est, conturbata, & accepit pro exanimata. Nam exanimum, *Donato* teste, mortuum est & occisum: exanimatum vero, conterritum atque conturbatum. Quamquam nonnunquam exanimatus pro extincto & mortuo accipitur, vt ab *Apuleio*, & apud historicos persæpe.

(8) Mortem *Philippi* Regis innuit, de qua Poeta incidenter lib. 9.

(9) Vnde fatum immutabile, ineuitabile, inexorabile & ineffugibile dicitur.

(10) Quod contigit paucis ante annis, quam emigraret e viuis. Siquidem cum validissimo exercitu, quadraginta enim millia peditum in castris habuit, Italiam ingressus, traiectis Mintio, Oleo & Abdua, Gallos Venetosque in fugam vertit. Sed Gallos intra Mediolanum obsedit: & nisi quorundam perfidia obfuisset, triumphum omnino tanti belli aut egisset in Italia, aut in Germaniam reportasset.

(11) Pars pro toto. Ea enim est, Italiæ portio, in qua Saturnus latuit a Ioue filio pulsus.

(12) Leges condes.

(13) Romanos, quorum est toga.

(14) Sensus est, quod Cæsar his honoribus & veneratione a Romanis excipietur, qui Ioui Capitolino exhibebantur, cui sacellum erat in Tarpeio monte. Porro Capitolini Iouis qualis effigies fuerit, & a quo dicata, refert *Plinius.*

Tunc Rex Austriades, suspiria pectore ab imo
Alta trahens, inquit(1): Dii talem auertite casum
Cælicolæ(2), seruate domum, seruate nepotes
Ad mundi imperium. Mors si interruperit annos,
420 *Et spes concepta, & magnarum exordia rerum*
Nequicquam extiterint, belli est iniuria longa,
Sunt longæ ambages: si te tamen ardor habendi
Hæc mouet, incipiam, caussasque ab origine pandam.

(1) Prudentiam Cæsaris notat ac pietatem, qui statim in *Philippum* filium mentem coniecit. Et sensus est. Si Diis placet, vt spes concepta de filio, quem ad magna rerum exordia protulerunt interrumpatur, saltem ipsis Superis cura sit Austriacæ domus, & nepotum, *Caroli* scilicet, & *Ferdinandi.*

(2) Deos non ob aliud appellant cælicolas, vt autor est *Aur. Augustinus* lib. decimo ciuitatis Dei, nisi quod cælum colant, non vtique venerando, sed inhabitando: quasi quosdam cæli colonos.

(1)Norica regna, tuas si casu venit ad aures
425 *Nomen, fœta viris tellus & diuite gleba(2),*
Narrantur variis quondam possessa colonis.
Primus enim ante alios sibi Noricus incola terras
Asciuit vacuas, & adhuc vestigia seruant,
Vt memorant patres, & gentis origine gaudent(3).
430 *Vnde olim quæ nulla manet quoque Norica(4) dicta est.*
(5)Romulidum interea fugiens victricia signa
Gens armis opibusque potens, atque horrida bello,
Deseruere Padi campos(6) oramque togatam.
Hos memorant Boios, qui qua fluit alpibus Ænos(7),
435 *Incoluere solum, transque Istri flumina vectis,*
Fertur in Hercynio creuisse Boemia luco(8).
Iamque aucti & fama per Norica rura potentes,
Sceptra diu tenuere loci, fluit vnde superbum(9)
Et genus, & proles, & fortia pectora bello
440 *Boiugenum Heroum: treisque alto a sanguine creti*
Imperium rexere Duces, sine prole recessit
Primus, & hunc Stephanon *dixere(10), suique reliquit*
Heredes regni fratres: quorum edidit alter
Henricon: *huic natus regno successit: ab illo*
445 *Diues opum atque auri, clarusque* Georgius *armis*
Iura capit sceptri, pulchram qui coniuge prolem
Sustulit, hæc iuueni materno sanguine(11) iuncta
Nubit, & hinc regnat Boiorum in sede Robertus.
At magnum armipotens Hernestona *procreat alter,*
450 *Hic te,* Alberte *senex, ex te tua maxima proles(13)*
Editur, & quamuis delapsum sanguine ab vno
Partitum genus, & sedem discreuerit ætas(14),
Noricam hic gentem, regnumque reposcit auitum
Impatiens patriis, quod femina regnet in aruis.

(1) Refert orginem gentis Boioariæ, & situm eius ex *Strabonis* sententia describit. Noricis enim Boioarii successere.

(2) *Strabonis* tempore inculta fuit & deserta regio, vnde Poeta ad suum respiciens tempus, diuitem & frequentem populis dicit. Et certa nunc est cultissima, claraque magnis & ambitiosis ciuitatibus; & pluribus nobilissimis oppidis.

(3) Noricum montem, vt arbitror, intelligit. Quamquam Norimbergenses, vt scribunt Chronographi, nec Boioarii, nec Francones videri volunt: sed tertium quoddam & separatum genus. Et hodie Noricum appellatur ea portio terræ Boioariæ, quæ inter Danubium & Norimbergam iacet.

(4) Scilicet, a Noricis condita, & a Boiis, vt *Cæsar* scribit, deleta.

(5) Sequitur *Strabonem*, qui recitat priscis temporibus plurimas Gallorum gentes Padum incoluisse, e quibus amplissimi fuere Boi & Insubres, & qui olim cum Gesatis Senones per viam Roma potiti sunt. Hos Romani posterioribus annis perdiderunt: Boios vero e finibus eiecerunt, qui inde migrantes circum adiacentia Istri loca cum Tauriscis habitarunt. qui inter Noricos numerantur.

(6) Etymum Padi referam infra.

(7) Noricum enim inter Lycum & Ænum fluuios positum est.

(8) Diximus superius, Poetam Boios pro Boemis intellexisse, secutum eorum opinionem, qui volunt Boios a Tauriscis victos vlteriorem ripam fluminis Istri incoluisse, vbi nunc Boemia est, silua Hercinia vndique cincta, Albi fluuio media irrigata.

(9) Nobile. Maro; *ceciditque superbum Ilium.*

(10) Eleganter simul & docte factum a Poeta est, vt a necessariis incipiat, & obsoleta obliterataque fugiat. Nam ab ouo incipiendum non esse, præcipit *Horatius.* Et lineam *Georgii* Ducis primo prosequitur.

(11) Erat enim vxor *Philippi* Palatini, germana soror *Georgii* Ducis, & mater *Roberti.*

(12) Genus *Alberti* describit.

(13) Significat, reor, *Alberti* filios, Cæsaris nepotes.

(14) Id est, quamuis partitum genus per lineas scilicet duorum fratrum, quorum ab altero *Georgius* descendit, ab altero *Albertus*, & diu fuerint inter has duas lineas sedes

ſedes diſcretæ: tamen quia *Georgius* ſine maribus deceſſerat, *Albertus* iure ad ſe redi re *Georgii* dominium arbitrabatur: nec pati poterat, vt heredes terrarum feminæ fierent. Vnde dicit: *Noricam hic gentem* &c. *Albertum* intelligens.

455 *Tantæ ergo ad noſtras orientia iurgia litis*
Cum delata forent aures, placare furorem
Inſtitui, curamque mihi, ſceptrumque volentes
Commiſere(1)*Duces, regnoque vt cederet*(6)*alter,*
Et genus(2), *& leges*(3), *& auorum elapſa propago*(4)
460 *Compulit*(5). *Indignans*(7), *fas omne abrumpit, & armis*
Inuadit cunctos, atque occupat arua Robertus,
Dotaleſque vrbes, & connubialia regna,
(8)*Quæ iuſta imperii, & ſtirpis ditione potenti*
Alberto *obueniunt, ſceptrique herede repulſo,*
465 *Et noſtri contemptor habet, dominuſque per alta*
Oppida deuectus populis dat iura ſubactis.
Sed quid ego has voluo, memorans ab origine cauſſas?
Quanquam animos aliæ noſtros antiquitus vrgent(9).
Regnandi furor hinc, & pugnæ immenſa cupido
470 *Mentibus illapſa eſt, iam dudum intelligis vnde*
Principium extiterit belli. Nec plura loquentis
Effulſit Diana oculis, Diuamque(10 *fateri*
Se voluit coram, ſubitoque euaſit ad auras,
Sublimis quacunque meat, micat orbita(11), *qualis*
475 *Eſſe ſolet mundo cum ſidera lapſa*(12)*relinquunt*
Immenſi ſplendoris iter; tunc Cæſar adorans
Numen, ait, te ſancta ſequor, quæcunque Dearum,
O adſis tandem, fortunaſque aſpice noſtras.

(1) Id eſt, *commendauere.* Quidam tamen *commendo* & *committo*, ſic ſeparant: vt *commendemus* non cognitis, *committamus* cognitis. *Terentius* iunctim protulit: *Ego me tuæ commendo & committo fidei.*

(2) Id eſt, ius ſanguinitatis & agnationis.

(3) Nempe, vt aiunt, feudales: quæ excludunt feminas a ſucceſſione dominiorum. Niſi inueſtitura fuerit facta in patre, vt filii & filiæ ſuccedant in feudum: tunc enim ſuccedit filia, filiis non extantibus, vt eſt in titulo *de ſucceſſione feudi*, lib. *de feudis* primo.

(4) Quoniam in linea *Georgii* Ducis mares defecerant.

(5) Scilicet *Robertus.*

(6) Quod ad ſe, propter matrimonium, ſpectare putabat, vnde inferius dicit, *connubialia regna.* Ceterum ſi *Alexander* Papa has inſolitas tædas non probaſſet, lis nulla foret ſecuta.

(7) Ipſe ſcilicet *Robertus* propter hoc Cæſaris iudicium.

(8) Scilicet regna, hoc eſt, dominium eorum populorum & terrarum, quibus dominabatur *Georgius*, ſocer *Roberti.*

(9) Ex induſtria tacet occultas Cæſareani odii cauſſas in Palatinos, quos quidem vbique in opere, vt oſtendemus, mirifice extollit.

(10) Pro Deam.

(11) Signum rotæ in vdo ſolo eſt, hic pro tactu illo ac ductu ſplendoris.

(12) Iuxta vulgatam opinionem: vt autem id fiat, docet *Plinius* libro ſecundo.

Dixit, & ad ſocios reditum parat, inuia tranſit
480 *Siluarum, nemorumque, & opaca ſilentia, greſſum*
Inde rapit celerem, qua prominet horrida caſu
Præcipiti rupes, altoque aſperrima caute
Conſurgunt pinnæ ingentes, & nubila tranant
Culmina ſaxorum, victor tamen ardua Cæſar
485 *Exuperat montis, ſummoque in vertice ſedit:*
Atque vt tantorum viuant monumenta laborum,
Signa triumphato fixit cæleſtia ſaxo(1).
His cornu exactis violentius aſtrepit vnco,
Heroaſque ciet, ſocioſque per auia ſiluæ
490 *Sollicitos: ſonituſque vt eorum perculit aures,*
Conuenere omnes, Regem cernuntque, pauentque,
Intenduntque aciem, & replent clamoribus auras,
Quiſque timet molem immenſam, & labentia ab alto
Saxa iugo, ne prona ruat tutela ſaluſque
495 *Orbis*(2), *& arctoum cælum ſibi vendicet aſtrum*(3).

Tunc Rex vt vidit trepidantem a culmine turbam,
Impauidus prætentat iter, nec hiantia quicquam
Saxa timet, volat inferius: stat pendula pubes(4)
Pastorum, montisque ima in radice moratur.
500 *Rex aderat tandem, fluit vndique turba, nemusque*
Consonat, & strepitu siluæ collesque reclamant.
Vt paulum sedati animi, vocesque remissæ,
Incipit effari Cæsar, remque ordine pandit:
Scilicet, vt monstro concurrerit, atque cruentis
505 *Obruerit telis, & valle reliquerit ima,*
Ingentem eructans animam: sic omnia Cæsar
Narrat, & exertum ferventi cæde madentem
Mucronem ostentat: iam læti rebus ad vrbem
Se referunt, plaudun tque omnes: crebra intonat æther(5)
510 *Voce hominum, strepit omnis ager, longeque resultat*
Ænoum littus(6). Rex hasta insignis & ense
Ibat ouans(7), iuxtaque Duces squallentibus armis
Vrgent aeripedum spumantibus ora lupatis.

(1) In valle Æni iuxta pagum Cirleum, est rupes immensæ altitudinis, in cuius medio ingens antrum visitur: illuc Cæsar crucifixum humeris excelsos superans cautes portauit: vt hodie in hodiernum diem vsque imago illa a transeuntibus non sine admiratione cernitur. Tanta dexteritate Cæsar erat in ascendendo montes.

(2) Si Cæsar, tutela & salus orbis, appositiue.

(3) Pythagorice, vt & *Maro* & *Lucanus*.

(4) Vel dubia, vel intenta rei admirandæ, quam scilicet edidit Cæsar in ascendendo montes, vbi dominicam crucem affixit.

(5) Id est, aer, qui inter cautes & montium flexus reciprocas reddit voces, quæ Græcis dicuntur Echo. Hanc *Ausonius* dixit aeris & linguæ filiam.

(6) Id est, ripa Æni. Et improprie videtur dixisse littus, cum ex obseruatione grammaticorum littus maris sit, & ripa fluuiorum. Quod expressit *Ouidius* illo versu dimidiato: *pro ripis littora pulsant.* Apud *Apuleium* obseruatum est, ripam dici maris.

(7) *Massurius* autor est, pedibus ingredi ouantes: & *Halicarnassaeus* id confirmat, scribens quemadmodum Posthumius ouans introiuit: primum, inquit, pedes ingreditur, nec in curru sicut triumphator; deinde non picta veste, nec ornatur trabea, qui peculiaris est Consulum Ducumque amictus: præterea non eodem vtitur sceptro, quo ille, qui triumphat. *Seruius* tamen enarrans illud Maronis, *Sola fuga nautas comitabar ouantes*, dicit, qui ouationem meretur, & vno equo vtitur, & a plebeis vel equitibus Romanis deducitur ad Capitolium, & de ouibus sacrificat. Vnde *ouatio* dicta. Est autem *ouatio*, minor triumphus: cum hostium nomen humile est, aut cum incruenta victoria obuenit, Ideoque oualis corona, myrtea erit, tanquam non Martius, sed quasi Venereus triumphus foret. Est enim myrtus arbuscula Veneri dicata.

Nec mora, pastores, qua victum est Cæsare monstrum
515 *Festini trepidant, aras, ludosque quotannis*
Instituunt, vbi sacra Ioui solennia læti
Victori celebrant, magnoque vt prisca vetustas
Alcidæ(1), relinuntque(2) cados(3), ducuntque choreas
Intonsi(4) iuuenes, pueri, innuptæque puellæ,
520 *Austriadæ laudem & lætum pæana canentes.*

(1) Quamuis *Cæsar* in Commentariis prodidit, Deorum numero eos solos a Germanis existimari, quos cernunt, videlicet, Solem, Vulcanum, & Lunam: Herculem tamen, atque Martem venerantur: autor est *Tacitus*.

(2) Id est, recludunt. Terentius, *relenui dolia omnia*, hoc est, aperui.

(3) Vinaria vasa, quæ antequam nomen dolii prolatum esset, *calpar* dicebantur, & *cadus*. Maro: *Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.*

(4) Imberbes.

At Rex Augustam properedum tendit ad vrbem,
Multa super bello secum, placet ire per hostes(1),
Ablatasque vrbes, gentesque reposcere ferro
Imperio arreptas: pietas tamen alta refringit
525 *Ardentes animos, & corda furentia Marte.*
(2) *Ante oculos etenim videt arma, virosque nefandis*
Cædibus infectos, patrioque in sanguine tinctam

Arctoam

Arctoam gentem, varioque examine rerum
Multa animo voluit, propriasque quod esse videbat
530 *Insontes caussas: Bella hæc, bella, inquit, agamus,*
Intrepidique, iubente Deo(3), *in media arma ruamus.*
Illa dies aderit, qua nostro Marte Robertum
Expulsum regno, mecum certasse pigebit.
Hæc secum, tacitasque premit sub pectore curas.
535 *Iamque propinquabant vrbi, volat obuia pubes*
Vindelica, ardentes pueri, matresque Lycææ(4)
Vndique concurrunt, tandem stipante caterua
Excipiunt Regem, lætique ad limina ducunt
Primores patrum(5), *Proceresque Ducesque sequuntur.*

(1) Propter iustam caussam, inferius enim dicit: *proprias quod esse videbat Insontes caussas*; pietate tamen retrahi videbatur.

(2) Subiungit rationem. Dicere autem rem esse ante oculos, vel videre, vim habet prouerbii, quod est: *Ante pedes* quo significatur, quod obuium, quodque vel præsens adest, vel imminet. Terentius; *Istuc est sapere, non quod ante pedes modo est videre, sed etiam illa, quæ futura sunt, prospicere.*

(3) Diana scilicet, quæ superius Cæsari victorias pollicita est. Ostendimus Deum marem & feminam significare.

(4) Id est, Augustanæ, a Lyco flumine, quod vrbem alluit.

(5) Qui primi sunt, & veluti Principes senatus, qui etiam Primates, & a quibusdam Summates, ab aliis Optimates appellantur. Prisci autem Primores adiectiue protulerunt: & eius appellatione summas quasque res significabant.

540 (1)*Stat domus excelsa, & sublimibus alta columnis*
Ad cælum porrecta caput, foribusque superbis
Ærati strident postes, laquearia(2) *fulgent*
Auratis trabibus, squallet(4) *pars omnis in auro*(3),
Belgicaque intonsis pendent aulæa(5) *Britannis*(6)

(1) Topothesia est, id est, ficta descriptio, vt illa apud Papinium: *Est locus Inachia dixerunt Tanara gentes.*

(2) Dicimus laquearia, & lacunaria cameras cœnationum. Lacus quoque dici posse docet *Seruius.*

(3) Sic legendum, & non par omnis in auro.

(4) Referta est, densata & onerata. Huius elegantem vsum verbi apud veteres tradidi in commentariis Hymni *Prudentii*, qui a plerisque inscribitur, *de Miraculis CHRISTI.*

(5) Sunt aulæa panni & vela picturata, & versicolori textura spectabilia, quæ Græcis quidem vocabulis, sed apud Latinos visitatis peripetasmata, & peristromata nominantur. *Belgica* autem vocat, vel quod apud Brabantinos insigni Belgicæ nomine populos fiunt: vel quod aulæa ista fuerunt Burgundionum Principis, & Belgarum maximi Ducis, qui occubuit in bello, quod ab eo gestum est in *Renatum* Lotharingium.

(6) Aulæa enim colore distincta, & simulachris hominum intertexta fuisse, constat ex illo Maronis; *Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.* Vnde a *Plauto* belluata tapetia dicta, a textura belluarum, quæ in aulæis hoc genus decenter intexuntur. Quod autem Britannos vocat intonsos, vel ad tempora nostra respexit, quia intonsi sunt: vel intonsis dixit, pro valde tonsis. Nam *Cæsar* in quinto l. refert commentario, quod omnes Britanni se vltro glasto inficiunt, quod cæruleum faciebat colorem: atque hoc horridiores sunt pugna, aspectu capilloque sunt promisso, atque omni parte corporis rasa, præter caput & labrum superius.

545 (1)*Rex ipse interea sublimem ascendit in arcem*(2),
Prospectumque oculis lustrat, populosque iacentes,
Incultumque solum, Cererem(3) *nec amantia prata:*
(4)*Siue quod est illis curæ minus arua colendo,*
Frangere(5)*humum, & semen sub tristibus abdere sulcis*(6):
550 *Siue quod infaustum glaciali sidere cælum*
Vrit arenosas terras(7), *alimentaque secum*
Abstrahit, & sterilis(9) *depascitur*(8) *arua coloni,*
Illic nulla seges(10), *nec prela liquentia Baccho*
Cernuntur, tantum vacuis armenta videres
555 *Errare in pratis, gelidoque in flumine mergi,*
Cum feruens calidum comburit Syrius(11) *æquor.*
Respicit & late fluuios, Vindamque, Lycumque

Miscentes vndas, & nomina littoris, vnde
Antiquam gentem, populumque, vrbemque vocarunt
560 *Vindelicam, atque etiam sic dicta Lycatia tellus*(12).

(1) Capta occasione Augustæ vrbis solum describit.
(2) Efficta est a Poeta.
(3) *Fulgentius* nescio quid indictum posteris sequens, Cererem ex eo dictam suspicatur, quod græce χαρὰ gaudium dicitur: & ideo illam frumenti Deam haberi, quod vbi plenitudo fructuum sit, gaudia semper abundent necesse est: quod & ipsum prouerbium indicat, *sine Baccho & Cerere friget Venus.* Siquidem ex supra abundanti bibendi & edendi vsu libido solet accendi, & inter caussas flagitii Sodomorum in sacris literis posita est panis saturitas.
(4) Subiungit duas rationes sterilis & inculti soli. Prima est incuria & negligentia hominum, qui mercimonio magis victum quæritant, quam cultura terræ. Secunda est inclementia cæli, hoc est, frigiditatis aeris.
(5) Scindere aratro siue ligonibus. *Maro* dixit *vertere*, quod est, vt ait *Donatus*, in aliam partem penitus transferre.
(6) Quia in sterili solo.
(7) Est enim tam frigoris, quam caloris. *Maro & Lucanus: aut Borea penetrabile frigus adurat, Vrebant montana niues.*
(8) Depopulatur, absumit.
(9) Tenuis, pauperis vel tristis: vt lætus dicitur, cui sunt pinguia & feracia arua.
(10) Id est, frumentum. *Varro* nomen a satu deduxit. *Maro* pro terra posuit in quarto Georgic.
(11) Lege interpretes eiusdem super hoc versu libri iam citati: *Iam rapidus torrens sitientes Syrius Indos Ardebat cælo.*
(12) Apud *Ptolemaeum* Lycatii inter Vindelicos ponuntur.

Interea occiduo fessis properabat olympo
Phœbus equis(1), *pallensque polo subduxerat vmbras,*
Instituunt de more dapes(2), *& fercula*(3) *promunt,*
Regiaque exornant positis conuiuia mensis,
565 *Hi cura ingenti nitidis laquearibus aureos*
Suspendunt lychnos(4), *atque igne micante tenebras*
Discutiunt noctis, lucent alta atria flammis.
Hi Cererem expediunt(5), *hic cymbia lacte madenti*(6)
Depromit, famulisque tonant cursantibus ædes,
570 *Regificoque ardent luxu*(7), *carchesia*(8) *Baccho*
Spumant, & late vasorum argenteus ordo(9)
Instruitur, puroque auro(10) *memoranda supellex.*

(1) Nomina exprimit *Ouidius* secundo Metamorphos.
(2) Hoc est, patrio more: & est conuiuii descriptio.
(3) Ab eo quod in mensam inferantur.
(4) Quod vocant Græci λύχνον, Latini *lucernam* dixerunt. Vnde *lychnobii* dicti, qui id noctu faciunt, quicquid alii interdiu solent facere, vel res præposteras agunt.
(5) Panem extrahunt, proferunt.
(6) Vsitatissimus Germanis cibus, lac & butyrum, ex quibus plurima edulium genera conficiuntur.
(7) Vt crapulam & vinositatem significet. Latinum non est. Significat enim morum solutionem, vt superius, *luxus vbi fastusque periit*: & profusam impensam, vt hoc loco.
(8) Pocula sunt, vt *Macrobius*, ignorata latinitati, & sola Græcia celebrata.
(9) Vulgus *Credentiam* appellat. Nomine vasorum intelligimus omnia, quæ aliquid intra se continent. De maiorum nostrorum vasis extat elegans caput apud *Irenicum* libro secundo.
(10) Hoc est, mero. Antiqui *putum* dicebant. *Plautus* purum putum sycophantam dixit, in quo nihil probitatis inest, ex omni vitio concretus: qualis delator & calumniator esse debet. *Gellius* tradit vsum huius verbi apud antiquos.

Iamque aderat Cæsar, squamantem grandibus auro
Vestem(1) *humeris*(2) *aptat, Tyrioque*(3) *recumbit in Ostro*(4).
575 *Astrifero qualem accipimus considere magnum*
Axe(5) *Iouem, & sacra libantem pocula dextra.*
Ornatique sedent proceres, mensisque recumbunt,
Indulgentque mero, nec non de more vetusto
Sollicitant epulas dono spumantis Iacchi(6),
580 *Inque vicem potant omnes, nullumque putabant*(7)
Lætitia maiore diem, moremque secuti(8)
Dulcibus irrorant mensis bona vina volentes
Quæ Rhenus, Nicerusque(9) *vehit, quæque ardua Treuir*(10)
Nutrit, vbi placidi surgunt vineta Mosellæ(11).

(1) Innuit

(1) Innuit copiam, densitatemque auri in squamarum speciem intexti. Sic Maro, *Per tunicam squalentem auro*, dixit: hoc ipsum significare volens, qua de re abunde *Macrobius* libro Saturn. sexto.

(2) Vt superius. *vastis* de Cæsaris humeris dixit, illius corporis robur & egregium habitum indicaturus.

(3) Optimum epithetum. Nam legimus Tyrum ob decus purpuræ, quam fert libertate donatam a Romanis. Hanc Hebræos *Sur* nominare volunt. Habita metropolis Phœniciæ, quanquam Sidon reluctata est: qua cum de magnitudine, pulchritudine, & antiquitate contenderat, tametsi ab Homero celebrata Sidon, Tyri nulla mentione facta. Christus vtriusque meminit, vbi prædicit in die iudicii remissius agi cum Tyro & Sidone, quam cum plerisque Iudæorum oppidis, in quibus prædicauerat, & supra naturam signa fecerat.

(4) Purpura.

(5) Cælo. Quanquam axis proprie, iuxta *Procli* finitionem, dicitur ipsa linea. quæ mundum dimetitur. Et *Theon* scribit, axem imaginariam esse lineam, cuius puncta poli nuncupantur. Eo autem dictus est axis, quod circa ipsum agatur cælum.

(6) Intelligit morem inuicem propinandi apud Germanos. Ebrietatem non tantum Germanis, verum & omnibus gentibus ascriptam docet *Irenicus* noster cap. decimo octauo libri iam citati.

(7) Non desideratur verbum. Nam *est*, *erat*, & *fuit*, plerumque absunt cum elegantia sine detrimento sententiæ. Lege *Macrobium* libro sexto.

(8) Scilicet antiquorum, qui vt melius locus fragraret, odoris vinis ac croco spargebant triclinium.

(9) *Nicer* apud antiquiores, vt *Liger* Galliæ fluuius. Est autem *Nicer is* Sueuiæ fluuius, quem hodie Germanice *Necker* vocamus, quidam *Neccarum*, de quo inferius latius dicam. *Niceris* meminit autor Panegyrici Constantino Constantii F. dicti.

(10) *Tacitus* scribit Treuiros & Neruios circa affectationem Germanicæ originis vltro ambitiosos esse: tanquam per hanc gloriam sanguinis a similitudine & inertia Gallorum separentur. Treuiros liberos facit *Plinius*. *Lucanus* testis est, eos ciuili bello inter Cæsarem & Pompeium interfuisse.

(11) Fluuius hic vel Ausoniano præconio notissimus est. Corripuit autem, ipsum *Ausonium* imitatus, quod ante me doctissimus ille *Vadianus* noster obseruauit. Bono autem epitheto vsus est: Nam ad *Mosellam* conuerso sermone *Ausonius* cecinit: *Tu placidis prælapsus aquis nec murmura venti Vlla, nec occulti pateris luctamina saxi.*

485 *(1) Æneadum(2) interea sapiens Orator ab arce*
Venerat, atque thoro Regis consederat alto,
Et stupet, & pompas oculis titubantibus haurit.
Hic Marianus *erat, quem Tusco vertice fudit*
Sublimis Perusina domus(3), quam Lydius amnis(4)
490 *Astrepit, atque vllo lacus indelebilis æuo*
Attollis Thrasimene caput, ripamque vetustas
Faunigenam memorat tenuisse antiquitus Aunum(6),
Hæc patria est olli(7), nobisque, & sanguine ab vno
Edimur: ille tamen virtute insignis ad astra
495 *Euolat(8), & celso pulsat iam vertice olympum.*

(1) Poeta in fine huius libri patrui sui *Mariani Bartholini* laudes canit: imitatus *Maronem*, qui vltimo libro Georgicon laudes *Pollionis* fuerat prosecutus, quas postmodum in fabulam Orphei commutauit. Hic est *Marianus*; qui a *Iulio* Pontifice in duodecimuiralem iudicem, quod *Auditores Rotæ* vulgus appellat, cooptatus est, cum prius in Hungariam cum Cardinali *Rhegino* profectus fuisset. Inde Orator a *Iulio* creatus, in Germaniam, ad Cæsarem *Maximilianum* mittitur, quo tempore notariam ego præstiti operam *Petro Bonomo* Episcopo Tergestino, tum magno Romani scrinii apud *Maximilianum* magistro: qui cum & honoris & officii gratia frequens accederet *Marianum*, ipse quoque studio & cura Poetæ, qui patruum sequebatur, in clarissimi viri amicitiam receptus sum. Sed cum defunctus oratorio munere Romam rediisset, æstiuis caloribus, dum Sublaci amœnitatem petit, aquarum frigiditate æger Romæ periit.

(2) Romanorum, Lucretius: *Æneadum genitrix.* Silius: *Ordior arma quibus cælo se gloria tollit Æneadum.*

(3) *Perusia* antiquissima Etruriæ ciuitas est, notissima Marci Antonii fuga & Augusti obsidione: cuius meminit *Lucanus* & *Propertius*. Ab *Augusto* dicta est *Augusta Perusia*, quod eam dilectam a se instaurarit.

(4) Id est, *Tybris*, qui Vmbriam a Tuscis diuidit, mille fere passus a Perusia labitur. *Lydius* autem dictus, quoniam Lydi Etruriam incoluerunt, autore *Strabone*.

(5) Lacus est inter Clusium, Cortonam & Perusium positus, ditioni Perusinæ subiectus, vt apud *Campanum* est. Memorabilis clade Romanorum & victoria Annibalis. Lege post *Liuium* quintum *Silii* librum.

(6) Sic *Silius* ipse: *Qua vada Faunigena regnata antiquitus Auno. Nunc volente die Thrasymeni nomina seruant.* Vide quæ ascribit interpres.

Patriam

(7) Patriam suam Poeta & sanguinem docet.

(8) Nam vt Lucanus: *Non illuc auro positi, nec thure sepulti Perueniunt, sed qui vita caruere dolis*, vt superius Poeta cecinit.

Nascenti Lucina(1) *diem felicibus horis*
Concinit: artifice re Dei, sortesque locutæ(2),
Et Dodonæas pulsauit(3) *virga Lebetas,*
Nec tacuit de te Vates Ammonidos(4) *aræ*
500 *Vera loqui, & vitæ Deus incrementa profari,*
Effudisse tibi nascenti carmina Delphos(5),
Assyriamque vmbris(6) *pepigisse silentibus astra*
Iam læta, & Memphin cæli secreta mouentem(7).
Nec non Carphatio Vatem cecinisse sub antro(8)
505 *Crediderim, & toto patefacta oracula mundo.*
Nam simul ac luci te prodidit Ilithyia(9)
Infantem, gremio suscepit Pallas Athene(10),
Inde ad Erichthæas(11) *secum te transtulit arces,*
Instruxitque animos faciles, infantiaque ora
510 *Finxit, & æthereus solio Pater annuit alto.*

(1) Infantium præsidem Lucinam esse nemo ignorat. *Ouidius* etymum vocis his versibus reddidit. *Gratia Lucina dedit hac tibi nomina lucus, Vel quia principium tu, Dea, lucis habes.* Vnde *Lucetia* quoque, sicut & *Iupiter Lucetius* dictus est.

(2) Oracula respondisse significat, quæ sortium nomine proprie accipimus. Quanquam & genus quoddam particulare diuinitatis habetur. De sortibus plura diximus. *Ioan. Francisci Pici* Staurostichon in schola Tubingensi enarrantes, super illos versus: *Tergeminique micant tali, quos inclita Christi Iecerat innocui sortitus tegmina miles.*

(3) Super Dodonæo oraculo superius quoque satis explicatum est.

(4) Hinc oracula quoque petebantur. Exempla suppeditant *Silius* & *Curtius*.

(5) Diuitiis celebre hoc fuit oraculum, vt apud *Diodorum* legimus.

(7) Propter Chaldæos dicit. Est enim Chaldæa regio, in qua Babylonem fuisse legimus, Assyriæ fere caput. Hi obseruatis quibusdam siderum cursibus ac rationibus, futura prænoscebant, lege *Ciceronem* in diuinatione.

(7) Respexit ad Prophetas Ægyptiorum. *Plinius* Memphin quondam arcem Ægypti regum fuisse tradit, dicta a *Statio* in Siluis *inuida*: quia Memphitici sacerdotes arcana mysteriorum cum nullo communicabant. Fuerunt Ægyptii naturalium rerum studiosissimi, & astrorum peritissimi.

(8) Id est, *Protheum*, de quo in primo. Extat fabula apud *Homerum* libro quarto, & apud *Maronem* Georgic. item quarto.

(9) Refert *Acron*, Lucinam hoc nomine mystico in sacris nominatam, & sic ab *Homero* vocatam.

(10) Sic absque diphthongo in fine scribendum: quoniam est epithetum Palladis frequenti in vsu apud Græcos: quanquam nonnullis placet, vt potius Athena Pallas nuncupetur, autor est *Athenagoras*.

(11) Id est, *Athenienses*. Ab Erichthæo Erichthidæ, vt Cecropidæ a Cecrope, & Codridæ a Codro, Thesidæ a Theseo nuncupati sunt. *Stephanus* notat duplices appellationes, a patria scilicet, & habitatore.

(1)*Salue cura Deum, salue non digna fileri*
Progenies? quid sancta canam primordia pubis,
Ætatisque decus? tantarum euoluere rerum
Nequicquam enitor cumulos: namque acta putantes
515 *Obruimur, laudumque ingens iam panditur æquor.*
Hinc stimulat pietas, hinc & sollertia iuris,
Hinc iusti sincerus amor, venerabilis omni
Parte sui: quacunque meat, subridet eunti
Tellus, & subitos ponunt freta concita ventos,
520 *Celsaque placato fugiunt caua nubila cælo.*
(2)*Hunc olim gelidis Pannon suscepit in oris*
Iura ministrantem populis: hunc eia age fandum,
Quantum Germanæ gentes venerentur, adorent.
Vt primum æthereas(3) *transcendens attigit Alpes,*
525 *Labentisque Æni*(4) *fluctus, grauidamque metallo*
Tellurem(5); *sensit faustum Germanica pubes*
Illius aduentum, currunt de montibus altis
Agricolæ, & totam circumdant murmure vallem.

Donec

Donec Vindelica haud longe expectatus ab vrbe,
530 *Clarorumque Ducum, primorumque agmine magno*
Suscipitur: quantum egregio decus enitet ore
Mirantur cuncti: & coram vt data Rege(6) facultas
Dicendi, siluere poli(7), nidosque reliquit
Ales, vt audiret, mediaque pependit in æthra(8),
535 *Et matutinos firmarunt sidera cursus*
Dulcibus hic verbis, tanta est facundia linguæ,
Tænarios domito(9) Manes placaret Auerno,
Aoniasque iterum(10) posset componere Thebas.
Hæc maiore Deo, maioreque digna camæna
540 *Ordimur, seu nubigeras mens ire per Alpes,*
Calcatasque niues, ingentique obsita bruma
Regna canam, seu quos populos inuisit & vrbes,
Danubiique alto(11) quos pertulit amne labores.

(1) Conuersio est ad *Marianum.* Et in vsu est appellare inanimata quandoque. Nec ab hac re abhorret vsus sacrarum literarum, quæ cælum & terram, ac alia prorsus inanima citat ad audiendum. Hinc illud Esaiæ: *Audite cæli, auribus percipe terra.*

(2) Diximus iam superius, *Marianum* cum Cardinali *Regino Petro* Siculo, Pontificio legato, profectum in Hungariam.

(3) *Aereas*, hoc est, in aerem protensas.

(4) Scribe Æni, qui Noricum, siue Bauariam a Vindelicis diuidit.

(5) Significat vallem Æni, vulgo *das Inntal*, abundantem, feracem, & diuitem ferri & argenti. Metalla dicuntur venæ, vnde aurum atque argentum, & huius generis alia proferuntur. Diuus *Hieronymus* pro auro accepit, ad Marcellam de laudibus Asellæ scribens.

(6) Cæsare *Maximiliano*, ad quem Orator a *Iulio* Pontifice missus erat.

(7) Et quæ sequuntur per hyperbolen accipienda sunt. Poeta enim summam patrui eloquentiam, vt certe erat facundus supra modum, innuere volens, apta id & eleganti hac expressit hyperbole.

(8) Id est, aere. Silius: *Si sensit in æthra Librantem visus aquilam.* Pronunciabant autem & masculino & fœminino genere, nunc masculino tantum. Dictauimus super etymo vocis huius aliquanto, vt omnia illic plura, in interpretatione hymni, quem *Prudentius* cecinit, in omnes horas, siue de Christi Seruatoris miraculis.

(9) Ad Orpheum respexit, cuius descensum ad inferos scribit *Ouidius* decimo Transformat. & *Maro* in fine quarti Georgicorum. Vnde autem hæc emerserit fabula, refert *Palephatus*, explicant item *Horatius* & *Macrobius.*

(10) Hoc respicit Amphionem citharœdum, cuius lyræ harmonia Thebanos muros exædificatos fabulantur lapidibus sponte insilientibus, vt *Papinius* in primo Thebaidos. Dicuntur Thebæ Aoniæ, ab Aone rege filio Neptuni: vel a monte Bœotiæ. Nam ipsa est Aonia iuxta *Lactantium*, & *Seruius* meminit apud *Maronem. Dionysius* contra vsum Thebas singulariter protulit; Nam, *Hanc habitant*, inquit, *homines multi, pariterque opulenti Qui veteris claraque colunt sub mœnia Thebes.*

(11) Nam ipso per Danubium nauigante, nauis vna absorpta est, altera cum equis arenæ hæsit.

Hæc dum magna loquor, retro maiora supersunt,
545 *Quæ si cuncta sequi prætentem, Pelio Ossam(1)*
Ocius imponam, Cumæaque tempora norim(2).
Huius enim mores crinem flectente(3) Sueuo
Teste canam, nouit vitam ferus incola siluæ
Bructerus (4) Hercyniæ, lataque palude(6) Sicamber(5)
550 *Cinctus, & ad famam vastis Saxones ab oris*
Deseruere Albim(7), siluarumque inuia(9) Franci(8).
Quid Morinos dicam? Belgas? quid littore magno
Oceani errantes populos(10)? tibi munera Treuir(11)
Obtulit, & lato vicina Colonia(12) Rheno
555 *Condignas cecinit laudes, & honoribus auxit.*
Viue, vale, o nostris semper memorande camœnis.
Hactenus hæc placido Cæsar Germanice vultu
Accipe(13), nunc acies & bella horrentia Martis
Prosequimur maiore chely, & tua pandimus arma.

(1) Hic morem Græcorum, quo etiam Latini vtuntur, secutus est. Non enim abiicitur vocalis. *Maro* in primo Georgicorum: *Conati ter sunt imponere Pelio Ossam.* Vide

Vide ibi *Seruium*, & de his montibus Thessaliæ lege *Solinum*.

(2) Id est, numerauerim Sibyllæ Cumææ annos, *Papinium* imitatus in Siluis. *Propertius* Elegiarum secundo, Sibyllæ ætatem, pro quantumuis longa posuit, quæ & in prouerbium abiit. Hanc *Maro* longæuam sacerdotem vocat. Vide quæ *Seruius* hunc enarrans locum adscripsit.

(3) Vnde *Tacitus* de Sueuis, *Insigne*, ait, *gentis obliquare crinem*, quod iam *calamistrare* dicunt, a calamistro instrumento, quod calefactum in cinere adhibent ad crispandum crines: a quo ministerio dicitur *cinerarius*, & *cinislo*, vt *Porphyrius* & *Varro* tradiderunt: cuius rei meminit etiam *Maro*: *Vibratos ferro calido, mirrhaque madentes.*

(4) A quibusdam refertur populus Germaniæ inferioris, Frisiis proximus. Ex his fuit Veleda virgo fatidica. *Strabo* auctor est, circa Amasim fluuium Bructeros habitasse. Hos Drusus nauali prœlio superauit. Vnde ab Austro in Aquilonem dilapsi, ad Oceanum hodie Pruteni putantur. Facile namque Bructeros in Prutenos sermo conuertit.

(5) Geldrensis.

(6) Nam ad vtramque ripam Rheni incolunt Sicambri. Horum meminit *Martialis* & *Iuuenalis*, *Cæsar* & *Suetonius* in Augusto.

(7) Quoniam Saxonicum nomen, gens maxima & latissima, incipit vltra Albim: qui in duo spatia Germaniam disterminat, autore *Strabone*: qui tradit etiam Romanos non transcendisse fluuium Albim. Olim a Sueuis tenebatur Australis Germaniæ pars trans Albim, de quo *Lucanus*: *Fundat ab extremo flauos Aquilone Sueuos Albis.*

(8) Quos nunc *Francones* vocamus, de quibus inferius, quanquam & *Franconum* meminit *Cicero* in epistolis ad Atticum. *Francorum* autem nomen haud facile apud veteres reperies.

(9) Sunt enim in Franconia multæ siluæ & multa venatio.

(10) Significat Poeta, vt arbitror, Cimbricam Chersonesum, gentem notissimam Romanis cladibus: vel Scandinauiam insulam ad septentrionalem Oceanum, ex qua diuersæ nationes egressæ sunt: quas recensent *Iornandes* & *Vrspergensis*.

(11) Indicat patruum etiam apud Treuiros Pontificii legati munus obiuisse.

(12) Hanc memorant vrbem a Claudio Cæsare conditam, & ab eius coniugis nomine nuncupatam Agrippinam.

(13) Nam huiusmodi laudandi genus humi serpat necesse est, ergo reuersurus ad arma, veniam petit a Cæsare, & altius insurgit.

AVSTRIADOS
LIBER III.
ARGVMENTVM.

POstquam exempta fames, Enipeus cantor bellum Byzantiacum canit, atque in primis de origine Turcarum, de Furiis, atque Pharnacis vmbra, qua Turcas stimularunt ad suscipienda arma. Sequitur catalogus Scythicarum gentium Asiæ, & Europæ. Cumque circa Mæotim paludem conuenissent, tres habitæ orationes sunt. Inde celerrima Turcarum Byzantium versus nauigatio describitur, repentinaque oppidi obsidio & pugna. Interim Apollo suæ vrbis misertus, cuius etiam origo recensetur, ante Iouem conqueritur. Cui Iuppiter prædicit futurum Turcarum imperium. Obiterque Triptolemi Lyncique fabula narratur; vnde Ceres cum Scythas odio prosequeretur, Regem Byzantii de futura clade in somnis admonet. Nec mora, vrbs & incendio, & armis superatur, ac duorum militum in pugnando laudes describuntur. Rex a Salmoneo obtruncatur: exitus hic vrbis. Inde oppidorum insularumque enumeratio, quas post Turcæ occupauerunt. Sequitur ipsius cytharædi hortatio contra Turcas: Cæsarisque oratio, qua demonstrat, prius pacandam patriam, deinde arma in Turcas sumenda esse.

Postquam exempta(1) fames, mensisque(2) micantibus auro(3)
Instauratus honos, frontique est reddita demum
Lætitia, & Bacchi laxarunt munera mentes(4):
(5) Personat aurata testudine(7) pulcher(6) Enipeus,
5 *Non canit errantem lunam, non furta tonantis,*
Nec iam vulgatos Electræ Atlantidos ignes
Scilicet, vt magno cretus(8) Ioue Dardanus, isque
Edit Erichthonium, nec Caucason(9), vnde Promethei est
Fabula, Cyrrhæo flammam rapientis ab axe;
10 *Parrhasiam sed enim gentem(10), pontumque niualem,*
Armatosque Asiæ populos(11), Turcasque(12) canebat,
Horribiles bello, atque alto sic incipit ore:

(1) Interpres Maronis, *exempta*, id est, *fugata* exponit: vt sufficientia, non autem affluentia quæsita sit. Contra videtur Poeta sumptuosam cœnam descripsisse, dixit enim: *regificoque ardent luxu.*

(2) *Athenæus* inquit: *Erat prima, & secunda, & tertia mensa: & tripodes, quibus innitebantur mensæ apposita, quæ nunc* Magides *vocantur*, mensas *nominabant & epulas in ipsis positas.* Apud Romanos vero, testibus *Varrone* & *Festo*, quadratis mensis in castris vtebantur, quas *Cibilas*, a cibo vocabant: domi rotundas habebant.

(3) Vasis, poculis & instrumentis mensæ, puro auro instructis & argento, vt meminit libro secundo.

(4) Quoniam, vt apud *Homerum* est, *Vt pellant homini curas Dii vina dedere.* Vnde & *Ouidius* cecinit: *Cura fugit, multo diluiturque mero.* *Socrates* apud Platonem laudat vinum in conuiuio modice sumptum: quod haud aliter quam Iouis imber plantas leniter irrorans vegetiores facit, quam impetu descendens, ita merum moderatum virtutem excitare, alacrioremque animum ad officia reddere: immodicum vero obruere. Neque enim funerales epulæ alia de caussa inuentæ, quam vt per vini cibique recreationem, defuncti desiderium, ex eoque mæstitia comprimatur. Diuus *Paulus* Timotheo iubet, vt stomachi tenuis gratia modico vtatur vino.

(5) Vt citharœdi in conuiuiis canerent, antiquis morem hunc fuisse, ex capite de Musicæ laudibus apud *Quintilianum* colligimus.

(6) Vt Apollo, cuius artis erat imitator.

(7) Cithara. nominis caussam refert *Seruius.*

(8) Non, *certus*, legendum.

(9) Apud multos Taurus nominatur. *Curtius* tamen distinguit.

(10) Id est, *Scythicam.* Scythia enim sub Vrsa est, quæ Arctos dicitur: & Parrhasii epitheton a Parrhasio Arcadiæ oppido.

(11) Expunge, *que*, dictionem coniunctiuam.

(12) Horum patriam inferius describit.

(1) Qua Boreas gelidis Scythiam(2) diuerberat alis,
Perpetuique ruunt imbres, & lubricus anguis(3)
15 *Armatam torquet nimbis algentibus Arcton(4),*
Riphæi insurgunt montes, niuibusque sub altis(5)
Horrescunt scopuli ingentes, vallesque profundæ
Perpetuas densa ducunt caligine noctes(6).
Immanis regio, Mæotidas aspicit vndas,
20 *Hanc habitant circum gentes, populique paludem*
Innumeri(8), matrem vndarum(7) qua littora Ponti(9)
Nunc Asiam curuis vrgent anfractibus, & nunc
Europam, & Scythicum cursu flectuntur in arcum(10).
Nauigat obscuras vbi Tauricus accola(11) fauces,
25 *Allatratque vndis littus spumantibus Ister(12),*
Et septingeminus(13) Peuces(14) ferit æquora Nymphæ,
Cycladas(16) hinc sparsas in fluctibus astrepit Ægon(15),
Totaque ad Herculeas vrgens agit æquora metas(17).
Qua breuis Oceano(19) patet exitus(18) Atlantæo(20),
30 *Gurgiteque immenso vastarum ambitur aquarum*
Orbis(21), & effuso circum, iacet insula Ponto.

(1) A loci descriptione orditur, & Bosporum Cimmerium, id est, Scythicam plagam intelligit. Autore *Aristotele*, venti qui ab Arcto prodeunt, vocantur *Boreæ.*

(2) Et hanc expunge copulam, legeque fine, *que*, Scythiam.

(3) Draco custos hortorum Hesperidum, a Iunone inter sidera collocatus.

(4) Inter duas arctos videtur collocatus, factoque sinu corporis, minorem Arcton concludere, & pene pedes eius tangere. Lege *Hyginum*

Sunt

(5) Sunt enim ibi perpetuæ niues & intolerabilis rigor, vt *Mela* scribit.

(6) Nam sol illic non quotidie, vt nobis, sed primum verno æquinoctio exortus, autumnali demum occidit, & ideo sex mensibus dies, & totidem aliis nox vsque continua, vt *Strabo* testatur. Vnde *Ouidius* in hac regione conuenienter Somno Deo regiam ædificauit, lib. Transformationum 11.

(7) Scythæ *Maotin* vocant *Temerinda*, quod significat, *matrem maris*. Et *Dionysius* ait: *Et matrem Ponti perhibent Maotidis vndam.* Sic *Auienus*; *Scytha late barbarus oras Incolit, & matrem Ponti cognominat vndam.* Idem tradit *Polybius*.

(8) Hos numerant *Plinius* capite septimo sexti, *Strabo* lib. 11. & *Pomponius* in fine primi.

(9) Incidenter Pontici maris cursus describitur.

(10) Vnde a *Dionysio bimaris* dicitur, ob eius arcualem figuram.

(11) Designat Tauricam Chersonesum.

(12) Danubius enim permensus totam Europam vastis sexaginta fluminibus, quæ Poeta in sequenti lib. miro ingenio recitat, in mare Ponticum euoluitur.

(13) Totidem namque quot Nilus ostiis, sed tribus tenuibus, reliquis nauigabilibus effluit. Autores *Mela*, & *Herodotus*.

(14) Insulæ, quam facit primum Istri ostium, quod *sacrum* nominat.

(15) Frequens dictio apud *Papinium*, pro *Ægæo mari*.

(16) Has *Mela* nominat, *Dicta Cyclada*, quia in orbem iacent. *Cyclos* enim orbis est & circulus.

(17) Significat columnas Herculis.

(18) Nam illinc maria exeunt, & nunquam illuc, vt alia faciunt maria, reciprocantur.

(19) Qui quamuis vnus sit, plurima nomina sumit. Vt docet *Solinus* & *Ambrosius* in Hexamero.

(20) Hic est in finibus Hesperiis.

(21) Nam cingitur æquore tellus.

(1)Ergo has desertis Arabum de finibus acti
Turcæ olim coluere plagas, Tanaimque bicornem(2)
Venari sueti, raptasque auertere prædas,
35 *Barbaraque incultis magalia(3) figere siluis.*
Illic nulla seges(4), crescentia frigus adurit
Gramina, & arentes glacialem perdere brumam
Herbarum vires certum est; vnde aspera quaque
Vertaris regio est: hinc extera quærere regna
40 *Impulit atra fames(5), alienaque littora, & imas*
Scrutari gentes, longeque inquirere bello
Decantatam Asiam(6), & spumantibus æquora remis
Diuitis Europæ(7), nostrumque lacessere mundum.
Errantes Scythiæ populos: it fama repente,
45 *Concordesque acuit mentes stygialis Erictho.*

(1) Redit ad materiam, dicens Turcas Arabum de finibus actos. Quod stare non potest, nisi tantum de Maumete intelligatur, qui Arabs fuit. *Sylvius* in Europa sua de gentis origine copiose scripsit: diligenter item *Egnatius*, in Romanis Principibus.

(2) De ortu huius scriptores variant. Poeta *Mela* accedit. *Strabo* dicit ortum Tanais ignorari.

(3) Tuguriola: quæ & mapalia.

(4) Vnde *Dionysius*: *Heu miseros homines habitant qui finibus illis*, & quæ sequuntur, faciunt ad hunc locum.

(5) Alludit ad Ouidianam fictionem, qui famem describens libro Transformationum octauo, sedem ei in Scythia tribuit.

(6) Propter relata fortasse bella varie ne ea gesta. De nomine plura in commentarios suorum hymnorum *Picus* retulit.

(7) Et huius ratio nominis apud eundem. Terminos autem apud *Pomponium* reperies. Dici autem & *Europiam*, notauit *Stephanus*.

Damnata (vt perhibent) antiqui Pharnacis vmbra(1),
At(2) simul accepit Riphæo a vertice bellum
Europam contra atque Asiam ruere, omnia miscens
Hydrigeras(3) magnæ famulas Iunonis auernæ,
50 *Qua specus Herculeis Acherusia panditur antris(4),*
Impulit ad Tanaim, atque vndæ Mæotidos oram.
Vtque altos tetigit montes, atque horrida bruma,
Æquora camporum, furiarum infecta veneno,
Corda virum, stimulatque fames(5), gens Barbara nostræ
55 *Conuenit exitio Europæ, memorare potestis*
Musæ Olympiades(6), quanto ruit agmine tellus
Infida, & populos Scytha quos armauerit olim.

(1) Fingit vmbram Pharnacis, qui Ponti Rex fuit, Furias ab inferis excitasse, quibus comitata per Acherusium specum exiit, ac animos Turcarum Scythicarumque gentium ad arma capessenda impulit.

(2) Corrige, *Ac simul accepit*.

(3) Pro crinibus enim serpentes habere finguntur.

(4) Quoniam illinc Hercules, vt *Mela* scribit, ab inferis Cerberum extraxit.

(5) Vnde eleganter dicta *malesuada* a *Marone*.

(6) A locis sunt sortita nomina, quæ sparsim apud autores: omnia congessit *Lilius* in Syntagmate.

Argolicam(1) inprimis Tanaim Mæotide ripa(2)
Effundit belli rabies, gelida alta palude
60 *Vrgetur patriis(3) Borealibus insula ventis,*
Rhombitiæ(4) sulcantur aquæ, totamque Tyrambem(5)
Exagitat furor, & trepidos impellit Oranos(6).
Nec non Cepæi(7), pontique ad littora Sindi(8)
Tela vehunt læti, totamque Apaturon(9) in armis
65 *Cernere erat, Veneremque sacro struere agmina fano.*
Vnde giganteo Tirynthius(10) antra cruore
Tingens Argolicas remeauit victor ad vrbes.
Quosque Calystonii spumans ferit vnda Lagoi,
Dein Zygii(11), Valique, & pexo vertice Seres(12),
70 *Sarmataque(13), & magico pugnans stridore Cohatra*
Fama exarmantur belli, Tanaimque colentes
Iaxamatæ(14), & fuso gaudentes sanguine Cottæ(15).

(1) Propter Græcorum coloniam, quæ ad Tanaim quondam fuit, a Polemone Colchorum Rege diruta.

(2) Paludis huius fit mentio apud Priscos, de qua *Iornandes* scribit in historia Gothorum, & in origine Hunnorum.

(3) Pro *peculiaribus*. *Aristoteles* in Meteoris duodecim ventos numerat, quorum in *Plinio* latina nomina reperies.

(4) *Ptolemæus* maiorem & minorem ponit Rhombitem paulo post Mæotidem, ex Rhomborum frequentia nominatum. *Straboni* commemorantur Rhombitani accolæ fluuii Rhombitis.

(5) *Ptolemæo* ponitur in ripa Mæotidis ciuitas.

(6) Populi circa Mæotidem ipsam, horum meminit libro 6. *Plinius*.

(7) *Cepa* oppidum in aditu Bospori, quorum quatuor referuntur *Pomponio*.

(8) Hysteron proteron, id est, *ad portum littoris*. *Pomponius* Sindones populos, & Sindo oppidum refert. *Dionysius* Sindos populos ait vicinos Tanai.

(9) Hoc oppidum *Plinii* tempore, vt idem prodidit, pæne desertum fuit iuxta Cimmerium, quod antea Cimbricum vocabatur.

(10) Hercules.

(11) Dionysius: *Post hos Eniochi, gennis quos Græcia tellus, Et Zygii iuxta vinunt.*

(12) Hoc genus plenum iustitiæ & commercio *Mela* asserit.

(13) Asiaticus. Duplex est enim Sarmatia, Europæa & Asiatica.

(14) De his lege *Pomponium*.

(15) Et hi circa Mæotim habitant.

Mouit & Argolicos bellorum rumor Achæos(1),
Cercetiosque acres(2), & duro Marte Laconas
75 *Heniochos(3), cymbaque fretum secat aspera Tazos(4),*
Littora mitratos fuderunt Colcha maniplos(5),
Linigerumque genus(6), Pharioque furentia sistro(7)
Agmina bellantum, nec vertice defuit alto
Caucasus(8), & rigidas armauit Iberia(9) turmas.
80 *Et niueum Albanus(10) sulcauit Alazona(11) miles*
Nocte magis quam luce videns, canibusque superbis(12)
Insultat pugnæ, & crudo vorat agmina morsu.
Et quos inflexa Scythicus sinus abluit vnda
Æquoris Hyrcani(13), Nomadesque(14), & pellibus hirti(16)
85 *Sauromatæ(15), & pictis pugnator Persicus(17) armis.*
Hinc & Moschus atrox(18), curuisque imposta Trapezus(19)
Littoribus, Chalybumque furor, qua Pontus & æther
Gente sonat, reboant montes, vt forcipe massa
Voluitur, & vastis resonant incudibus æra.
90 *Inde Genetæi(20) rupes tetigere tonantis*

 Rumo-

Rumores belli, motus Zaberenus(21), *& antro*
Vmbrifero Philyræ, & sparsis Byzores(22) *in agris.*

(1) *Hi Troiana post prœlia gentis Aschalaphi Regis victricia signa sequentes, Dispulsi ventis, istas venere sub oras, Dionysio.* Achæorum quoque Ponticorum meminerunt *Plinius, Mela, Strabo.*

(2) Dionysius: *Post hos Cercetii, iuxta quos Axenus altis Fluctuat æquoribus.*

(3) Sine aspiratione scribit *Barbarus Eniochos* in principio, vltimam aspirans: quod & *Camers* facit. Igitur *Eniochos*, pro *Heniochos* legendum. Laconas ex Iasonis exercitu habitasse Eniochiam autor est *Strabo*, quod & *Dionysius* indicare videtur, dicens: *Eniochi, genuit quos Græcia tellus.*

(4) Insula est, quam *Mela* libro secundo primam numerat inter eas insulas, quæ nostris littoribus magis imminent, ab Hellesponti Europæo latere orsus. Hæc *Tazos* vino suo, quod *Tazium* dictum est, & nuce optima, cuius *M Varro* meminit, celebris. *Plinius* capite septimo libri decimi quarti. Sita e regione Abderæ.

(5) Quoniam Colchi ab Ægyptiis originem habuerunt, apud quos erat vsus mitræ, idcirco mitratos dixit. Hi pueros veteri Ægyptiorum ritu circumcidunt. Autor *Diodorus.* De Colchis *Dionysius* sic scribit, *Intima sed Ponti post fines Tyndaridarum Ægypto missi Colchi tenuere coloni.*

(6) Alludit ad morem Ægyptiorum in vestibus.

(7) Latino *i* scribendum *sistrum*, & *Phario* legendum. Est sistrum instrumentum stridulum & sonabile Isiacorum peculiare, qui ob id *Sistrati* nominantur. *Pharium* appellat a *Pharo* Ægypti, notissima Cæsaris dictatoris colonia.

(8) Summitates huius montis adeo præcelsæ sunt, vt ab eis sol scindi videatur. Maximam autem orbis partem circuit iugo continuo, non eodem seruato nomine. Plura enim dederunt ei gentes vocabula. Autor est *Iornandes*, qui multis verbis Caucasum ipsum describit. Porro proditum est Alexandri exercitum septem & decem dies consumpsisse ad superandum Caucasum.

(9) Ab his Iberis Scythiæ de quibus *Ptolemæus* & *Plinius* in sexto, *Varro* existimat Iberos Hispaniæ originem traxisse: Contra *Dionysius* illos ab his descendisse scribit.

(10) Albanorum originem Italicam *Trogus* repetit, & eos huius memores originis exercitum Pompei Mithridatico bello vti fratres salutasse. *Solinus* ait, quoniam albo crine nascantur *Albanos* dici, *Dionysius* Albanos facit bellaces, vnde puto eruditissimum *Richardum* nostrum *militem Albanum* appellasse.

(11) Huius fluminis meminit *Valerius Flaccus.*

(12) Sumpsit hæc Poeta ex *Dionysio, Solino*, & *Plinio*, qui appellat canes fidissima auxilia, nec stipendiorum indiga.

(13) Quod & *Caspium* dicitur.

(14) Scythici sunt enim & alii *Vagi* dicti, quod pecorum pabula sequantur. Eadem tamen genti origo.

(15) Ita Græcis, nos *Sarmatas* vocamus.

(16) Mores gentis *Pomponius* in tertio refert, & plura *Herodotus* in quarto.

(17) *Pomponius* Pæsicarum in tertio quoque meminit.

(18) Asiaticum intelligit. Lege Melam in Summa Asiæ descriptione.

(19) Idem tradit oppidum esse Chalybum maxime illustre.

(20) Huius meminit *Valerius Flaccus* & *Barbarus* in emendationibus Plinianis in descriptione Scythicarum gentium.

(21) Lege *Tibarenus*, vt apud *Dionysium*: *Hinc pecorum est diues nimirum gens Tibarenum*: & *Valerius Flaccus* libro quinto, *Inde Genetæi templum Iouis, Hinc Tibarenum Danides post terga lacus.* Ceterum Tabereni Chalybas attingunt, quibus in risu, lusuque summum bonum est, vt *Mela* tradit, & *Flaccus* lib. iam citato. *Strabo Tabarnos* nominat. Iustissimi sunt illi, nec prius prœlio congrediuntur, quam diem, locum & horam ex fide hosti denunciarint.

(22) Horum fit mentio a *Plinio* cap. quarto decimo sexti, a *Val. Flacco* lib. itidem quinto, & a *Dionysio*; *Byzores primi, quos iuxta terra Bechirum, Macrones post hos pariter, Philyresque sequuntur*, in descriptione Asiaticæ plagæ, quæ a Colchide in Bosporum vsque Thracium protenditur.

Non tot habet frondes Othrys, non collis Hymetti
Tot flores, tellusque Arabum tot mittit odores:
95 *Quot properant ad bella viri, nouus impulit ardor*
Mossynæcosque(1), *& sudibus Macronas obustis,*
Armataque cohors(3) *vibrabat Amazone*(2) *peltas*(4),
Thermodoontiaca(5) *præformidanda securi,*
Quosque Iris, quos potus Halys(6) *celer alluit vndis.*
100 *Nota olim vt perhibent, sitienti littora Medo,*
Atque vmbram in pelagus curuam deflexa Sinope(7)
Quos alit, armantur pedites liquere Cimolin(8),
Et gens aeream Teuthrana(9) *Carambida*(10) *vidit*
Commotam, & trepidum buxo pallente(12) *Cytorum*(11).
105 *Vnde ruens pugnæ sua spicula vellit Amastris*(13),

Ponti-

Ponticaque(14) obscuro linit Heraclea veneno,
Nigra inter scopulos(15) gignens aconita sagittas.
Accola Callichori(16) remeans vbi corniger Indo
Bacchus Pampineis ornauit tempora vittis,
110 *Lauit & Eoo madefactos sanguine thyrsos.*
Martem inhiat, vel qui Byzantia mœnia contra(17)
Exarsere odio, sceptramque odere Tyranni
Vulgus hebes, dominoque nouo parere parabant
Instabiles populi, sic nos contraria semper
115 *Fata trahunt, & clade noua lætamur & armis.*
Nec contenta manent vno sub Principe regna,
Sed mutare vices(18), cupiuntque, cupitaque damnant
Sæpe, nec euentu mens vlla quiescit in vno.
Quippe nouum inuit demens Europa furorem
120 *Essedonum(19), capit arma manus, gaudetque parentum*
Funere, quique Bycem curuam cinxere paludem.
Iamque Agathyrsææ(20) temnunt sua plaustra(21) cohortes,
Et linquunt rapidi pecuaria nota Satarchæ(22).

(1) Mosyni *Dionysio*. Dicti quod super arboribus habitant. Turres enim *Mosyni* vocantur, quæ vox & lignea domus interpretatur. Autores *Strabo* lib. 12. & Mela 1. Nec me præterit hos & *Durataos* appellatos græca dictione, qua vtitur *Lucretius* in medio primi, quamuis alii nequicquam pro hoc vocabulo *Durens* legunt.

(2) Apud *Diodorum* de illis magis fabulosa quam vera inuenies. *Amazones* a dextræ mammæ carentia dictæ sunt. *Mazos* græce, latine *mamma*.

(3) Appositiue, & respexit ad legem, qua res militaris & arma viris interdicebantur, & solæ feminæ erudiebantur ad militiam.

(4) Scuta erant breuia, quibus peculiariter Amazones vtebantur. Has *Maro*, quia in modum lunæ figuratæ erant, *lunatas* appellat.

(5) *Dionysius* & *Herodotus* referunt, Amazones relicto flumine Thermodoonte, cum in sedibus suis essent debellatæ, apud Sauromatas consedisse.

(6) De *Iri* & *Haly* fluminibus præter alios *Valerius Flaccus* libro quinto. Labitur Iris iuxta Amasieum vrbem Strabonis patriam. Et *Dionysius*: *Iris continuo liquidus percurrit in æquor. Post Halys est fluuius.* Potum autem *Halym* dixit, quod a Medorum exercitu exhaustus fuerit, vt *Herodotus* narrat. Hunc fluuium *Lucanus* in tertio Crœso fatalem dixit. Crœsus enim Lydorum Rex, cum contra Cyrum Persarum Regem bellum gerere statuisset, Apollinis oraculum consuluit, cui sic Pythia respondisse dicitur: *Crœsus perdet Halym transgressus plurima regna.* Vel vt secundo *de Diuinatione* ait *Cicero*: *Crœsus Halym penetrans magnam peruertet opum vim.* Hostium vim sese peruersurum putauit, peruertit autem suam.

(7) Vrbs Ponti *Straboni* a Milesiis condita. De Sinope fabulam mitto, quam *Flaccus* & *Dionysius* referunt, & *Diodorus* in quinto.

(8) Oppidum Cappadociæ *Plinio*, Paphlagoniæ *Mela*. Eadem regio, nomen diuersum.

(9) Teuthraniam Mysii antiquitus tenuere. Supra Æolida & partem Troadis in mediterraneo est, ibi Caicus amnis oritur, gens ampla per se, cum totum Mysia appellaretur. *Plinius* autor in quinto. Est & eius nominis oppidum *Stephano*, a Teuthrante patre Telephi, qui & heros Teuthrantius.

(10) Promontorium est Ponti prope quod Halys ingreditur.

(11) *Straboni* olim Sinopensium Emporium. Nomen accepit a Cytoro Phryxi filio. *Mela* in descriptione Paphlagoniæ.

(12) Est enim buxo frequens, *Marone* teste, *Et algentem buxo spectare Cytorum.*

(13) Metropolis Paphlagoniæ.

(14) Sunt enim & aliæ Heracleæ. Ordo est. Pontica Heraclea gignens nigra Aconita inter scopulos linit sagittas obscuro veneno. Alludit ad fabulam extracti Cerberi ab inferis, e cuius spumis natum est aconitum præsentissimum venenum, per Acherusiam specum iuxta Heracleam Ponti.

(15) Nascitur inter cautes, quas Græci *Aconas* dicunt. Vnde nomen veneno.

(16) Camarithas designat iuxta Callichorum fluuium habitantes, in quo flumine Bacchus post subactam a se Indiam primum *Abluit Eoo rorantes sanguine Thyrsos*, vt *Val. Flaccus* cecinit, a quo hunc locum mutuauit Poeta.

(17) Sentire videtur, quid hi, qui odio Imperium Orientis prosequebantur, vt Turcos ad bellum motos senserunt, cupidi nouarum rerum, Turcis magis quam Imperatori Græcorum hæserunt. Ceterum huius vrbis nomina & originem annotauimus, vt omnia, fusius in *Staurostichi* commentariis. Hæc a Maumete expugnata est anno post natum Seruatorem millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, vt *Siluius*, tertio, vt alii scribunt.

(18) Quam vere hoc dicat, nos ipsi videmus

demus, & quotidie experimur, recentibusque admonemur exemplis, vt potenti sceptro nimium nemo confidat. Siquidem Imperia, vt cetera quæque mortalia & fluxa, vicibus fortunæ ab aliis ad alios transferuntur. Nil tamen in orbe vicissitudine regnorum est mutabilius, cui rei monstrandæ omnis *Frisingensis* Antistitis labor insudauit, & *Cyprianus* autor & martyr gloriosus, non merito, sed sorte ipsa regna variari comprobat, libro *de Idolorum vanitate*.

(19) Inter anthropophagos in Asiatica parte numerantur *Essedones*, qui & ipsi nefandis funescantur inter se cibis. *Essedonum* mos est parentum funera cantibus prosequi, vt scribit *Solinus* cap. vigesimo quinto. Meminit item *Mela* in principio secundi, & *Strabo* libro vndecimo. *Herodotus* in Melpomene.

(20) Hi ambiunt Mæotida. *A Dionysio* & *Marone picti* & *fortes* appellantur: pingunt enim ora & artus, vt referunt *Plinius* & *Mela*.

(21) Quæ pro sedibus habent. Vnde *Hamaxabitæ* dicti.

(22) Hi vsu auri argentique damnato in æternum se a publica auaritia abdicarunt. Scientes nimirum, auro multa subesse mala. Hinc, vt canit *Ouidius*, *ortum Omne nefas, fugere pudor, verumque, fidesque, In quorum subiere locum, fraudesque dolique Insidiæque & vis & amor sceleratus habendi.* Lege *Plinium* in quarto, & *Melam* in principio secundi.

Quosque Thoantææ(1) populos vocat ara Dianæ(2)
125 *Ad cædem, & tinctos humano sanguine cultros,*
Subsidio traxere duces, Hypanimque bibentes(3)
Ante Examphæo dulces quam misceat vndas,
Mox & Echidneam misit gens barbara prolem (4),
Agminaque ærisonus Scytha formidantia Tauros(5).
130 *Nec vos Axiacæ(6), Braccataque(7) turba silenda es*
Sarmatiæ, inque lupos vertentes corpora (9) Neuri(8).
Et iam Carcinites(10) centum sinus ingemit alnis(11),
Spumeaque horrentes spargunt in æquora Taphræ (12).
Mille etiam populi veniunt, mille agmina passim
135 *Armatorum hominum Mæotia littora circum*
Cernere erat, multæque ruunt sine nomine gentes.
Non secus ac placidi remeat cum temporis aura,
Trans pontum glomerantur aues atque agmine denso
Perturbant terras, & pennis aera vertunt.
140 *Armati stabant proceres, cunctique fremebant,*
Et cupiunt Asiam quamprimum inuadere bello,
Europæque imos tumefacta per æquora portus(13)
Quærere, & Argolicis Tanain ditare triumphis(14).
Tunc Methydes Peryphas(15), trepidantis ductor Alani(16),
145 *Corpore qui magnum Cyclopem, altumque Typhoea*
Vincit, & eloquio par est, sed viribus impar
Plus lingua, quam Marte valet, spectanda furenti
Lumina subiecit vulgo, paulumque moratus
Incipit affari populos, ac talia promit:

(1) A Thoante rege Tauricæ Chersonesi.

(2) Vnde a *Luciano* in Dialogo Iunonis & Latonæ *hospitum interfectrix* appellatur.

(3) Apud *Plinium*, *Solinum*, *Diodorum*, *Melam*, & *Vitruuium* huius fit mentio fluminis, qui non longe a mari, ex paruo fonte, cui *Examphæo* nomen est, adeo amaras aquas accipit, vt non dulcis hinc defluat. *Dionysius* eiusdem nominis flumen in Indiæ descriptione refert, quem *Plinius*, nisi in eo mendum sit, *Hypasin* nominat.

(4) Basilides populos intelligit, quibus ab Hercule & Echidna generis principia sunt, mores regii, arma tantum, sagittæ. Autor *Mela*.

(5) *Scythotauros* græce protulit, vna dictio est & paterni casus. Legens *Plinium* in quarto, *Pomponium* in primo, item *Solinum*, discet Taurorum gentem maximam fuisse, scilicet, triginta populorum, & *Taurоscythas* montana incoluisse. Dicti autem *Scythotauri*, quasi Scythæ Tauri montis accolæ. Solent pro victimis aduenas cædere. Lege *Seruium* secundo in Æneida comment.

(6) Gens Scythiæ, a fluuio *Axiace* nomen, qui a barbaris *Hester* dictus, ex Peunicis iugis, quæ Carpatho cohærent oritur. Axiacæ, vt *Solinus* ait, in Europa siti neque mirantur aliena, neque sua diligunt.

(7) Totum enim Braccati corpus, & nisi qua vident etiam ora vestiti, *Mela* dicit. Per braccas autem vestes hirsutas ad septentrionem sitis vsurpatas intelligimus. *Ouidius* libro de Tristibus tertio, *Pellibus hirsutis arcent*

tis arcent mala frigora bracca. Oraque de toto corpore sola patent.

(8) Budinis hi proximi sunt, coacti aliquando ob serpentum ingruentem copiam sedes relinquere, autore *Herodoto*. *Hermolaus* nominandi casu *Neuroe* scribit, non *Neuri*, Græcam secutus voculæ rationem.

(9) Nam, vt *Mela* scribit, singulis tempus est, quo si velint in lupos, iterumque in eos qui fuere mutentur. Quod ipsum quandam in Arcadia gentem potuisse, *Plinius* dicit libro octauo, & ex M. Varrone capite decimo septimo lib. *de ciuitate Dei*, decimo octauo *Augustinus* retulit. *Ouidius* de quadam Thraciæ ad Pallenen palude similia refert lib. Met. vltimo.

(10) Ab vrbe *Carcine*, quæ in eo est vt apud ipsum *Melam* legimus.

(11) Nauibus.

(12) Eodem autore, quod inter Mæotidem & Sinum est, *Taphra* nominatur.

(13) Vt ita legas sensus exigit, & non pontus.

(14) Vel triumphis, quos antiqui Græci adepti fuerant. Aut triumphis, quos propter futuram victoriam contra Imperatorem Byzantii, qui & Græciæ Imperator dicebatur consecuturi erant.

(15) Methei filius.

(16) De *Alanis* in alio loco.

150 (1)*Bellum ingens, proceres! & magna paramus euntes*
Ad gentes Asiæ, Europamque lacessere Martis
Ignaui haud opus est, freta si tentabimus, alto
Cyaneæ(2) *occurrent pelago, totumque moueri*
Credideris Pontum, & saxis concurrere saxa,
155 *Vnde per errantes fluctus vix vlla superstes*
Nauis agit remos(3), *medio properanda recursu est*
Ipsa fuga, & montes vitandi, vndæque ruentes,
Fluctiuagos quanquam nobis superare furores
Concessum superis, prope magni aduare necesse est
160 *Littora Byzanti*(4), *Rex ipse tremendus in arctis*
Faucibus obstabit, totaque Propontide(5) *contra*
Excipiet populos, timeo Thracum(6) *arma, suumque*(7)
Bosporon, & gentes, fluctu quas perluit Ægos,
Naufraga vbi mediis iacet Attica puppis in vndis,
165 *Transtraque cum remis subter vada cæca feruntur.*
Fingo, fretum pateat, nulloque premamur ab hoste,
Vela quis imponet ratibus? quis gnarus aquarum,
Turbatique salis scopulos vitabit opertos?
Quis flantem Boream(8)? *quis noscet idonea puppi*
170 *Tempora*(9)? *quis placidis committere lintea ventis?*
Quis furor, o proceres? quæ sors temeraria belli
Sollicitat mentes? Ignota petuntur & armis
Fœta virum tellus, atrox ruet agmine Leuon(10),
Et Dacum manus(11), *& crinito vertice Mæsus*(12),
175 *Pannon*(13), *& inculto propior male Sarmata*(14) *Mosco,*
Quotque vndis populos Germanicus(15) *alluit Ister.*
Ergo si patriæ pietas(16) *tenet vlla, furorem*
Pellite, & externi flammam compescite Martis:
Si tamen hic animas effundere vultis, eamus
180 *Per mare, per terras, adsum, meme ipse, meumque*
Obiiciam caput, & dicar comes vnus in armis
Indecoris non esse animi. Sic talia fatus,
Spem vultu simulat, circum pauor intus anhelans
Corda quatit, rabies decreuerat effera cunctis,
185 *Pugnandique oblatus amor, sic Pontus, vt vada*
Exeris os, mulcesque Deos Neptune marinos,
Et ponit fluctus, & tempestate remota
Taurominitanum(17) *Siculus mare nauita tranat.*

(1) Oratio, qua persuadetur bello abstinendum esse. Probat a difficultate, & ignorantia nauigationis, a difficultate victoriæ.

(2) Petræ sunt Ponti, *Straboni* paruæ insulæ, *Dionysio* & *Herodoto* planetæ, quasi mobiles & erraticæ appellatæ.

(3) Figura poetis frequens, id est, *vix vlli remi agunt*, pro impellunt, *superstitem nauem*.

(4) Constantinopolis.

(5) *Propontis* est, vbi paulatim mare ex angustiis spatiatur, seu, vt vtar *Mela* verbo,

bo,

bo, expandit. *Hellespontus* vero vocatur, vbi primum se mare coarctat.

(6) Scilicet gentis ferocis. De hac scribunt *Mela* circa principium secundi, *Solinus* capite decimo quinto, *Strabo* libro septimo, *Syluius* paulo post principium Europæ.

(7) Recte *sinum*, quia in Bosporo *Byzantium* est, nempe Thracio. Est enim & Cimmerius. *Ægos* Flumen Thraciæ naufragio Atticæ insigne, vt Poeta significat, *Melam*, qui idem dicit, secutus.

(8) Vim huius venti explicat *Ouidius* lib. Transformat. sexto, item *Plinius*, & *Aul. Gellius* in secundo.

(9) Hoc est, quando tutum & sine periculo nauigandum sit. Non enim eadem nauigatio, quod *Plinius* notat in secundo.

(10) Læuonum *Ptolemaus* meminit in commemoratione Germanicarum Insularum ad finem libro secundo.

(11) *Dacum* pro *Dacorum*, & *Dionysius* dixit: *Dacorumque manus.* Nunc, vt quibusdam placet, *VValachi* nominantur. Ea autem regio, quæ modo *Dacia* dicitur, veteribus *Chersonesus* dicta est.

(12) *Ptolemao* superior & inferior Mœsia post Illyricum & Pannonios. Scio nonnullis persuasum Mœsos esse, qui Bulgari vulgo appellantur. Quod mihi falsum esse videtur testimonio Danubii, cuius ostia sunt in Mœsia. Igitur *Mœsii*, quos *VValachos* dicimus.

(13) Hungarus. *Syluius* Europæas res auspicatur a Pannoniis & Hungaria, vtriusque terminos conferens. Porro quot gentes eam regionem occupauerint, Antistes *Otto*, & *Abbas Vrspergensis*, item alii retulerunt. Qui hodie Pannoniam inferiorem incolunt, a Scythis se traxisse originem prædicant, & Hungaros ab Hungaro eorum Rege nomen habere. Qui plura cupiunt legant epistolam vicesimam primam, lib. Epistolarum vicesimi quarti *Francisci Philelphi*.

(14) Polonus, quem dicit, male propiorem inculto Mosco propter victoriam Sigismundi Regis Poloniæ, quam ad fluuium Borysthenem contra Moscorum Imperatorem adeptus est. Per anticipationem tamen accipiendum est, vt illud *Maronis* in sexto, *portusque requirite Velinos.* Caussa huius belli a Poeta in libro, quem *Hodœporicon* inscripsit, refertur.

(15) Propter originem, quam in quarto libro refert.

(16) Quæ vsque adeo insita est, vt, quod eleganter scripsit *Lucianus* in Encomio patriæ, patriæ fumus luculentior homini videatur, quam ignis alibi. Vnde apud *Homerum* Vlysses optat videre surgentem terræ natalis fumum. Vnde & ductum prouerbium, *Patriæ fumus igni alieno luculentior.* Adi Chiliades *Erasmi.*

(17) Id est, *Siculum*, a *Tauromino* illustri Siciliæ oppido.

(1)Venerat interea Polemo longæuus(2), Ibera(3)
190 *Matre satus, genuit cuius vetus Acra parentem,*
Sed sua Myrmecio traduxit tempora pago(4)
Extorris patria, huic nullum virtute, vel armis,
Consiliove parem Scythicas(5) regnasse per oras
Commemorant, postquam siluere: hic aggere ab alto
195 *Linigerum caput ostentans, his vocibus hiscit;*
Non ego tantarum, socii, molimine rerum
Sollicitor, maneat vobis modo vita superstes,
Ibitis in clades Asiæ, mihi fortior ætas
Hæc foret, o vtinam, primosve referrer ad annos(6)
200 *Cum fregi Albanos(7), pepulique e monte Thoonas(8)*
Caucaseo, & vetitas spoliaui milite portas.
Sed vitæ pars lapsa meæ est(9), quodque abstulit ætas
Roboris, ingenio(10) sollers natura rependet.
Ergo si qua fides senio præbetur & annis(11),
205 *Audite hæc, proceres, stat Cherronesus(12) ab alto*
Circumfusa freto, quo templum, arasque cruentas(13)
Virgineæ statuere Deæ, cui verus 14 in antro
Fatidico Vates litat, atque arcana sub auras
Quæ sunt, quæ fuerint, quæ sunt ventura canebat(15),
210 *Vt recolo, cum Martis amor temereque iuuenta*
Me rapuit bello, & crudelibus impulit armis.
Quare si Martis mens est cognoscere finem,
An fuat hoc nobis bellum exitiale cauendum,
Mittite Partheniæ(16) scitatum oracula Diuæ,
215 *Mittite & ad Danai templum memorabile(17) Achillis,*
Vel qua Phryxææ(21) gens Colcha(18) horrenda fatigat
Numina(19) Leucothoes(20), sacramve requirite Lunam,

Albanæ numen gentis(22), quo montibus errant(23)
Afflati, & trepidos miratur Iberia Vates.
220 *Quique magis furit, & maiore impellitur œstro,*
Is sacer, & sacra deuinctum membra catena
Relligio, Diuæ mactandum destinat aræ
Indigenæ, hinc simul atque exhausta piacula ritus
In dubiis responsa petunt, quæ numina diuum
225 *Annuerint, eadem nobis peragenda sequamur.*
Si spem suppeditant Superi, & sperare triumphos
Promittunt, capite arma citi, & vexilla volentes
Tollite, & in pelagus læti compellite naues.
At si nos contra Vates arcana mouebunt
230 *Inuisos Superis, quid frustra littus arandum*
Classibus, atque inter Symplegadas(24) æquore mergi.
Cur Scythiam patimur? satius nos condere terris
Pauperibus, propriosque lares atque antra tueri,
Quam diuis cæpto auersis, & numine læuo
235 *Classe peregrinas belloque lacessere terras.*
Plura adnectentem vox deficit, ortaque vulgo
Seditio est, alii infectis decedere rebus
Consulere, & placidam vitæ captare quietem,
Secretas alii Diuorum exquirere mentes
240 *Solliciti, verum ii quorum sententia bello*
Scrutandi Europam, pacem damnare, Deosque
Temnere, & innumeras secum compellere gentes.

(1) Hæc oratio tota in persuasione posita est, & consilio.

(2) Apta persona electa. Ætas enim sapientiæ est condimentum.

(3) Hispana, ab Ibero amne nauigabili, propter quem vniuersam Hispaniam Græci appellauere Iberiam.

(4) Qui est Bospori Cymmerii, *Mela* autore, meminit *Plinius*, & indicat *Ptolemæus*.

(5) Quibus proprie nomen Scythæ remaneat, patet ex octauo *Ptolemæi* in Europam tabula.

(6) *Maro* præteritos dixit; hoc est, si talis nunc essem, qualis eram.

(7) Color ex octauo *Maronis*, vbi Euander Pallanta filium ad bellum iturum alloquitur. Ex eo dicti quod albo crine nascantur, vel ab Albano flumine, quod per Albaniam decurrit. Autor *Plinius*. *Iustinus* dicit eos ab Albano Italiæ monte nomen tenere, quod inde Herculem, quum extincto Geryone armenta eius per Italiam duceret, sequuti fuerint.

(8) Hi ad Caucasum habitant, quod Poeta innuit.

(9) Designat iuuentam, quæ adolescentiam sequitur, qua ætate, vt physici dicunt, sanguis integer est, qui senio diminuitur.

(10) Industria, consilio, prudentia. Nam, vt Diuus *Hieronymus* in Amos prophetam scribens, inquit: *Senectus auget sapientiam, prudentiam quoque ac consilium suppeditat. Senio*; Velut plurimarum rerum vsu perito.

(11) Quod senex multa meminerit superioribus acta seculis. Innuit autem ad magnarum rerum gubernationem, tum sapientiam, tum multorum experientiam requiri. Has autem vsus esse filias Afranium Poetam prudenter & lepide scripsisse refert *Gellius*.

(12) Peninsulam Græci Chersoneson vocant, quasi terrestrem insulam.

(13) Scilicet, Dianæ Tauricæ.

(14) Sic scriptum memini in alio exemplari, non *dirus*.

(15) Versus *Homeri* est, item *Hesiodi* & *Maronis* in Georgicis de Protheo.

(16) *Virginea*, vt iam dixit. Sic enim a virginitate *Parthenia* dicta est, & Maro *Parthenias* appellatus ab insigni modestia & verecundis mor bus. Quod præter alios *Ausonius* testatur in epistola ad Diuum Paulinum.

(17) Id in Leuce insula erat quæ Achillea propterea nominata est. *Mela* & *Plinius* huius meminere.

(18) Iberis & Albanis finitima, huic, *Strabone* teste, celeberrimum fuit Leucothoes templum.

(19) Pro *carmina* ex emendatiore codice *numina* reposui. Scribit enim *Herodotus* Leucothoæ ab incolis immortalium honores tribui.

(20) Hæc *Ino* & *Albunea* apud Latinos dicitur, Cadmi & Harmoniæ filia fuit, quare suspicor, pro *Hermionem* legendum esse *Harmoniam*.

(21) Epitheto, ni fallor, admodum longe repetito, nempe a conditore. Perhibetur enim hoc templum a Phryxo conditum secus flumen Phasim.

(22) Idem *Strabo* commeminit. Habuit & Luna templum in Ægypto, quod *Herodotus* veracissimum autumauit.

 (23)Sen-

(23) Sensus non patitur, vt *erras* legatur, sed minutius fortasse hoc, quam adnotari debeat.

(24) Quo in loco sint, autores minime conueniunt, nec quidnam proprie sint consentiunt. Nam alii petras, quos sequimur, alii excitas vndas & petris collisas, alii, vt *Strabo*, *Plinius*, insulas faciunt. Dictæ sunt autem *symplegades* a mutuo congressu. *Symplegma* concursum significat. *Cyanea* vero a colore nigranti ab vndarum concursu. *Herodotus* inquit, Græci illas *planctas* vocant, quamuis plerique, vt & ego, *planetas* legant, vt & apud *Plinium* pro *planiciei* reposuit *Hermolaus*. At *Io. Fran. Picus* legendum *planctæ* arbitratur.

(1)*Vt siluere omnes, se tunc* Othomannius(2)*Orchas*(3)
Androphagum(4) *de gente satus coram obtulit vltro*
245 *Spectandum cunctis, furibundoque ore minatur,*
Indignis Scythiæ populis: ite, ite per altas
Assuetasque niues, & vos ignobilis æui
Viuite degeneres, inquit, quis nesciat olim(5)
A nobis mortale genus, gentesque renatas,
250 *Et prolem exhausto dignam subcrescere mundo,*
Vnde olim Ianum(ceu prodidit alta vetustas)
Trans Hellen(6), *scopulosque, & saxa minantia Ponti*
Italiam petiisse ferunt; vos terror ab vndis
Sulcatis toties remouet, Regemque timetis,
255 *Angustumque fretum, quid enim dementius illo*(7)?
Vela quis imponet ratibus? quid perdita iactas
Verba miser Periphа? populosque in pace reponis?
Primus Anacharsis(8), *Riphæa ab origine*(9) *cretus,*
Perdocuit firmare rates, & verrere Pontum,
260 *Commotasque salo teneat velut anchora puppes.*
Primus & æs conflare nouum Scytha, Lydus(10), *& arcum,*
Et pharetras, magno natus Ioue(11) *prodidit infans.*
Num periere artes? nobisque ablata facultas
Infandum pelagus vetitis accedere velis?
265 *Est Bryomas, magnusque Gyges, Glaucusque, Thoasque,*
Quemque tulit terris memoratum Armozica Nereus(12).
Gnari omnes sulcare fretum & contexere naues,
Saxaque, & horrisonos soliti cognoscere ventos(13).
Quod Polemo suadet, senio confectus & annis,
270 *Scrutari diuum mentes, hæc futilis ætas*
Ista iubet, tempusque teri in discrimine mauult,
Quam peragi bello, & quantum olim Marte feroci,
Nunc tantum sermone valet(14), *quid Delphica demens*
Templa siles? Phariumque bouem? quid corniger Hammon
275 *Intactus? sacræque Hecates Perseidos aræ?*
Gemmantem his dictis, vagina extraxit eburna
Impatiens gladium, quicunque remanserit, inquit,
Hostis erit patriæ, dixit. circumque ferentem
Lumina, sollicitum aiunt ingessisse furorem
280 *Mentibus, vsque adeo strepitus, vocesque resultant*
Montibus, & Ponti stridor diuerberat vndas.
Non secus Ionii campos, atque æquora late
Corus agit, tristisque Aquilo, Libyamque remensus
Africus, & moto conturbant littora fluctu,
285 *Quisque volat, perflatque vndas, & turbine magno*
Personat horrendum, & vinci negat; inde fugatis
Hostibus arreptum propriis mare flectit habenis,
Atque potest quo vult titubantem impellere Pontum
Victor, & indomitus spumantibus imperat vndis.

(1) Hac oratione non modo animi persuadentur, sed impelli quoque ac cogi viderentur ad bellum capessendum.

(2) *Othomanni* filius, de quo *Syluius* in rebus Thraciensibus.

(3) Pro *Orchanes*, de quo idem scribit *Syluius*. Poeta autem hæc Turcarum nomina, vt & in Germanicis interdum propter heroici versus decorem vel inflexit, vel mutauit,

tauit, vt hic *Orchas* pro *Orthanes*, qui rem inchoatam a patre, vt refert *Syluius*, prosecutus, Turcorum Imperium propagauit.

(4) Ex industria ex crudelissima gente ortum scribit. Nomen autem ab effectu sumptum est, quasi *homonori*, quod homines instar ferarum vorare consueuerint, ad quos referri potest, vt *Camers* notat, illud in Asinaria Plautinum Adagium, *Lupus est homo homini*. Plurimas antem gentes vesci humanis carnibus passim tradunt scriptores grauissimi; harum meminit idem *Camers* in Collectaneis in poetas.

(5) Hic locus declaratur ex secundo fragmento *Catonis* de Originibus, vnde Poeta illum sumpsit.

(6) Idem *Cato* tradit, fate Scythica Ianum venisse in Vaticanum, a quo ipse *Deus Vaticanus*. Lege quæ *Annius* in Vertunianam *Propertii* scripsit.

(7) Ac si dicat, quid magis ratione alienum. Et refellit omnia obiecta.

(8) Probat a scientia nauigandi.

(9) Scytha enim erat, de cuius inuentis *Plinius*, vbi denotat, quæ quis inuenerit in vita.

(10) Hoc ipsum scribit *Aristoteles*.

(11) Scilicet, *Scythes*, vt *Plinius* ait. Alii sagittas Persen, Persei filium, inuenisse ferunt.

(12) Sensus est. Et est *Nereus*, quem tulit, id est, protulit, edidit. *Armozica*, oppidum Scythiæ in terris memoratum.

(13) Citantes tempestates marinas, quales perhibent a Meridie Austrum, ad Orientem Notum, Africum ad Occidentem. Vnde Poeta inferius, *atque æquora late Corus agit, tristisque Aquilo Libyamque remensus Africus, & moto conturbant littora fluctu*.

(14) Senilis eloquentia maxime probatur, & in pretio habentur eorum opera, qui in extrema senecta scribunt, vt in adagio quodam *Roterodamus* admonet. Quin & Nestoris Pyliorum Ducis facundia in prouerbium abiit, vt idem explicat, dicens: Homerum huic, vt tria secula, ita plus quam mellitam quandam facundiam affinxisse

290 *Arma vocant cuncti, pharetrasque, arcusque minaces*
Expediunt, bellique Orchas *designat* Amattem(1)
Esse ducem, sæuumque patri Salmonea(2) *iungit*
Ad pugnam, iubet & scindi de vertice naues
Riphæo(3), *cæsisque vndas impellere siluis.*
295 *Nec mora, festinant operi, totamque moueri*
Aspiceres Scythiam, feruet mare nauibus altis,
Ponticaque accipiunt glaciales carbasa ventos.
Iamque rates pelago, iamque arma, ducesque feruntur
Europam contra, atque Asiam, cum fama per æquor
300 *Euolat, & tali rumore Propontida miscet,*
Vicinasque vrbes, Scythicum genus æquore magna
Classe vehi, & gelido properantia lintea Ponto
Ægæum in pelagus, Lesboaque littora ferri(4),
Remque auget(5) *dictis, horrendaque nuntiat arma.*
305 *Extemplo pauidas subitus timor occupat vrbes,*
Arma parant populi, curruntque ad littora Thraces,
Pilatæque manus funduntur ab Hellesponto.

(1) Et hic vitauit nominis asperitatem. Nam *Amurates* dicebatur. Is fuit ipsius *Orcanis* filius, qui rem quoque vt auitam & paternam adauxerit, apud *Syluium* legimus.

(2) Et hoc etiam flexum nomen, *Solimanus* enim vel *Solmanis*, vt *Syluius* scribit, dicebatur. *Amuratis* filius, qui tamen breui fato functus: re omni ad fratrem *Pazaitem* deducta.

(3) Interpres *Dionysii* admonet, Riphæos Scythiæ montes sine aspiratione scribi, quam tamen *Seruius* adhiberi præcipit ad differentiam Ripæorum Arcadiæ montium.

(4) Sensus est, talem terrorem incusserat animis fama, vt non solum Byzantium contra arma moturi essent Turcæ, sed inuasuri etiam Ægæi insulas & Lesbon aggressuri.

(5) Vnde *Ouidius* cecinit, *& auditis aliquid nouus adiicit auctor*.

Venit Bebrycia(1) *genus insuperabile bello,*
Et Mysi indomiti(2), *& sublato Mæones*(3) *arcu*(4),
310 *Quique Asiam, Phrygiamque*(5) *colunt, & flumina potant*
Lydia(6), *& Ionias*(7) *cycnis modulantibus*(8) *vndas,*
Anchialum interea cursu, Crunonque relinquunt*(9). *al. Egialum
Et Mariandynos(10), *Erithynaque*(11) *saxa, sinistra*
Nautæ, fluctisono dextra concurrere cautes
315 *Cyneasque pelago*(12), *& Byzantii littora miles*
Prospicit, & contra plenis it mœnia velis.
Iam Scytha per littus(13) *diffunditur, æquora classis*

Occupat, & vasto telorum turbine muros
Agmina certatim inuadunt, stant turribus altis
320 Armati ciues, & saxa ingentia torquent,
Et pice flagranti positas in littore puppes,
Sulphureisque vrunt tædis, atque ignibus atris,
Vndique fit clamor, bellum terraque, marique
Insurgit, primusque vrbi ferus intonat armis
325 Salmoneus, multoque madens in sanguine Amartes,
Increpitat pugnam ignauam lentasque sagittas:
O genus æternum, & terris seruata propago(14),
Scandite iam murum, & Mæotica signa per vrbem
Ferte alacres, quid vos Byzantia mœnia terrent?
330 Dixerat. incumbunt pelago, sonat icta profundo
Verbere tonsarum, & remis spumantibus vnda.
Annixique altos tormento impellere muros
Insultant, iaculisque ardens prætexitur aer,
Non tot Erichthoniæ(15) pulsarunt curua triremes
335 Littora Sicaniæ(16), nec coniurata Mycenis(18)
Aulis(17) vicino vidit tot lintea portu.

(1) *Arriano* post Chalcedonios Bebrycii sunt.

(2) Etiam abs quibuslibet læsi & impetiti.

(3) *Lydi.* Ni fallor, diximus *Lydiam* antea vocatam *Mæoniam*.

(4) Hoc dicit propter vsum, vt autumo, Lydorum, quos notatos legimus, quod ad capessendum bellum æquo propensiores fuerint. Audiuit & gens hæc male multis nominibus, quæ autores passim referunt, & furti imprimis, quod non discederent, nisi re quapiam sublata, & propterea fortasse dixit, & vsus est verbo *sublato*, ad vtrumuis intellectum faciente. Quid si referas a Lydis sublatum arcum iuxta historiam. Cyrus enim de victis Lydis imperauit, vt cauponiam exercerent, neque arma tractarent, sed veste ad terram vsque demissa vterentur, quæ olim mollitiem indicabat, vt ad eum modum veluti in feminas transformati, ad rebellionem fierent inutiles. *Zenodotus* autor, ab *Erasmo* in Chiliade secunda citatus, in relatione adagii. *Lydus cauponatur.* Sed prior sensus magis placet.

(5) Geographi duas ponunt, *minorem* & *maiorem*. *Minor* eadem & Epictetus & Asia minor. Altera *Orientalior*, quæ *maior* appellatur.

(6) Scilicet, Pactolum, Iordanum, Hermum, Caystrum, Meandrum omnium maximum.

(7) *Caystrum* intellige, qui ex Ioniæ mediterraneis in Ægæum tendit.

(8) Secutus *Dionysium*, qui & in hac regione ponit cantum cycnorum.

(9) Verior lectio est, *Anchialum interea cursu, Crunonque relinquunt.* Nam *Mela* est *Crunos* portus in littoribus Istro proximis & inter vrbes *Anchiales* connumeratur.

(10) *Arriano* gens Paphlagonum vicina Sangario flumini vbi Heraclea est. *Straboni* videtur e Thracia profecta.

(11) Sunt maris pontici prope Paphlagoniam scopuli duo *Erithyni* a colore appellati, quod tellus in ea parte rubricata videatur.

(12) Sequitur eos, qui ponunt Cyaneas insulas ante Bosporum Thracium. Nauigationem ergo direxerunt inter littora Asiæ & Symphlegadas, vnde illis insulæ dextræ & littorales Asiæ populi sinistri occurrebant.

(13) Poeta rem breuiter perstringit, vt qui iam digressione hæc scribit. *Sylvius* fideliter & diligenter extendit, deplorans ignauiam christianorum Principum, quod Græcis auxilium non tulerint. Taxat & *Campanus*.

(14) Alludit ad primatum humani generis, qui omnium scriptorum consensu Scythis attributus est.

(15) Id est, *Attica*, denotat classem illam nobilem Atheniensium in Sicilia amissam, vt *Plutarchus* in Nicia tradidit. Aliter, *Non tot Agenoria.* Et hoc magis placet. Nam vtroque modo scriptum vidi in exemplari Poetæ. Significat autem triremes Carthaginenses. Historia notissima est.

(16) Siciliæ.

(17) Portus Eubœæ, quam hodie *Nigropontum* appellant.

(18) Ex *Pomponio*, qui ait, Aulis Agamemnoniæ Craiorumque classis in Troiam coniurantium statio, quamquam Poeta, quia dicit: *Vicino portu* videtur velle non in Aulide fuisse classem Græcorum, sed in vicino sibi portu. Nec defuerunt antiqui, qui id crederent, qua de re latius disserit *Strabo*.

(1) Interea siluæ cæduntur, turris in auras
Erigitur trabea, & tabulis crescentibus vrbi
Instat, & armato completur milite moles.
340 Hinc vectes & saxa volant; hinc pestifer ignis,

Nigrantique ruunt male olentia sulphura tæda,
Venerat illa dies, qua lamentabile regnum
Eruerent Turcæ, nostrisque ornata triumphis
Barbara Riphæas victricia signa per alpes
345 *Gens ferret, nostroque orbi intercluderet æquor.*
Nox ruit interea, & crescens pallentibus vmbris
Distulerat pugnæ rabiem, iacet humida transtris
Pars Scythicæ pubis, pars curuo in littore ponunt
Corpora, & humentes capiunt ad sidera somnos.
350 *Gliscit in vrbe timor, vigiles per culmina clamant*
Custodes arcis, iamque altera venerat orbi
Clara dies, croceisque polo Tithonia bigis
Fulserat: at Scythicæ reuocarunt arma cohortes.
It stridor cælo, reclamans vocibus Helle
355 *Perfremere horrendum, Termontiaque arua(2) fragore*
Ingenti tremere, & subter (mirabile dictu)
Aufugere immanes turbata per æquora Phocæ.
Heu vrbem inuisam superis, quam vidit ab alto
Nec pater omnipotens, nec iuuit Appollinis (3) ara.
360 *(4) Fama est Argolica vento Lacedæmone vectos*
Consuluisse Deum, magnique oracula Phœbi.
Quo tandem immensi per tot discrimina Ponti,
Per varios casus, & mille pericula rerum
Compulsis, finem præberent fata malorum,
365 *Vt Deus egregiam circumdare mœnibus vrbem*
Præcepit, dignam statuendæ quærere sedem
Argiui scrutari oras, cum Dorica puppis
Hellespontiacæ summisit lintea fauci,
Et celerem angusto firmauit littore cursum.
370 *Hic vrbem egregiam statuunt, & mœnia condunt*
Spumanti vicina salo, Chalcedone contra,
Atque suo ductor dixit de nomine Byzas.
Ergo dum pugnant, & cædibus alta fatigant
Mœnia, & Argolicæ Scythicus furor ingruit vrbi,
375 *Delius, & Rhodopen oculos, & littora Thracum*
Torsit, & armatam classem, terraque furentes
Aspexit populos, regnumque quod ipse, domosque
Puppe Terapnæa (5) quas condere iusserat actos
Strage premi infanda, tractosque in funera ciues,
380 *Fumantes firmauit equos, magnumque tonantem*
Inuadit dictis: quid te, pater optime, contra
Vrbs molita mea est (6)? circumstant vndique gentes
Per mare, per terras, & ni tua cura ruentem
Excipiat, nostri cadet ingens gloria Ponti.
385 *Cretheos Æmonii (7) magno de sanguine Phryxus (8)*
Aurea trans pontum, qua Colchidis ora recedit,
Vellera deuexit, Nephelæaque (9) deinde sacrauit.
Dona tibi, o genitor, prolique tuenda reliquit
Nostræ, vt Thessalico raperentur ab hospite (10) furtim
390 *Scilicet, atque aurum Æsonias (11) veheretur ad vrbes,*
Multaque præterea fileo ludibria templis
Facta meis, serua hunc populum; nam cetera tali
Pensabis dono, Scythiamque his disiice flammis,
Atque iter ad Manes calcatum Acherusia pande
395 *Limina (12), & horrisonas sub tartara merge sagittas,*
Hostilesque incende rates, aut obrue Ponto:
Vel si te pietas retinet (13), fac desinat armis
Hoc genus infandum, regnumque reuisat auitum,
Atque pharetrigeræ referant sua signa cohortes

400 *Ad Tanain, tristemque iram compescat* Amartes(14).
Talia sic fantem, solio tunc Iuppiter alto
Excipit omnipotens(15)*: fatis vrgentibus instat*
Vrbi summa dies, & ineluctabile tempus.
Non longe cladis meta est, nec Delphica tantum
405 *Oppida*(16)*dificient, sed nostro oracula*(17)*templo*
Rapta quoque, & summo lugebunt vertice sellæ(18).
Non erit Arcadiæ locus integer, omnia flammæ
Consument Scythicæ, bimarisque arsura Corinthus,
Ictibus æthereas prosterni ingentibus arces
410 *Cernet, & æquari Pelopis tecta alta superbi*
(Infandum visu) mediis iam Cycladas vndis
Aspicies, Delumque tuam, Myconemque cremari,
Igneque Riphæo trepidam fumare Lebynthum.

(1) Adi *Sylnium*, quem Poeta hic sequitur. Luculenter enim *Sylnius*, quia soluta oratione, & vrbis oppugnationem, & Constantinopolitanorum munitionem, item religionem ac supplicationes describit.

(2) Id est, *vicina loca Thraciæ* tremebant. *Trimontium* locus est Thraciæ ad Philippopolin apud Rhodopen montem.

(3) Qui ibidem vrbis fundamenta ponenda responderat.

(4) Hic per occasionem originem vrbis recenset, de qua *Strabo*, *Volaterranus*, *Sylnius*, & nos in *Stauresticho*.

(5) Lacedæmonia.

(6) Innocentem & immeritam ostendit, cum offensæ caussam perquirat.

(7) Probat sibi multas a mortalibus iniurias illatas, & vno tantum artificiose exemplo vtitur. Non enim multis vtendum erat, cum vrbs sua a Turcis oppugnaretur.

(8) Hic Iouem auum refert, fuit enim Athamas, qui apud Isthmum regnauit, pater Phryxi Crethei frater, quem Æolus Iouis filius genuit. De quibus plura *Hyginus*, & statim in principio *Valerius Flaccus*.

(9) A Nephele Phryxi matre.

(10) Iasone.

(11) Thessalicas ab Æsone, cuius multa mentio apud *Ouidium* in Transformat.

(12) In ora Pontica specus est *Acherusius* ad manes peruius, autores *Mela*, *Plinius*, *Solinus*, *Ammianus*. Nomen sumptum ab *a*, sine, & *cheron*, lætitia, quod locus is, quo per Acherusium specum iter est, fit omni penitus lætitia vacans. Est & Italiæ palus *Acherusia*, prope Puteolos & Cumas, propter Herculem, Theseum & Pyrithoum, quos ad inferos descendisse crediderunt antiqui.

(13) Correptio, est figura nota.

(14) Pro *Amurates*, & non legendum *amantes*. De hoc *Amurate Sylnius* multa meminit.

(15) Iouis vaticinium futuri Imperii Turcarum.

(16) Vt *Byzantium* a *Byza*, iubente Apolline conditum.

(17) Quanto in pretio Delphicum fuerit oraculum, *Herodotus* ostendit.

(18) Meminit pluribus *Strabo* huius oraculi, item *Lucanus*.

(1)*Hæc multos olim gens regnatura per annos*
415 *Donec in arma ferox magno Germanica pubes*
Seruiet Austriadum generi, quo sanguine cretus
Trans Hypanin, vltraque feret victricia Thulem
Signa triumphatam, & Scythico dominabitur orbi,
Ventura hæc terris, hominum cum pastor habenas
420 *Lydius*(2)*excipies, nec non Pallantidos arcis*(3)
Sceptra Leo, *& sancto Latialem numine Romam*
Sublimem efficies, votisque vocabere terris.
Hæc ait, & magno nutu aurea sidera torquet,
Perque polum incedens stellis ardentibus, imas
425 *Despiciens terras, Irim Thaumantida ab alto*
Æthere demisit, tetramque alimenta referre
Imperat in nubem vndarum, volat ipse tricuspi
Fulmineus, tonitrusque ciet, ruit igneus æther,
Totaque pulsantur piceis Byzantia nimbis
430 *Mœnia, & horrificis Boreas circum euolat alis,*
Et defrænatis voluuntur cursibus amnes,
Instat tempestas oculis & grandinis horror.
Pugnabant cæci, & nubis clauduntur amictu,
Deseritur pugna, & curuo se littore condunt.
435 *Humentes Scythiæ populi, postesque reuulsos,*

Ærata-

Ærataque minas nutantes mole relinquunt.
Interea nox atra polo surgentibus astris
Ingruit, & fessos dulcis sopor alligat artus.
Stant muro excubiæ, Rexque alta in nocte quieti
440 *Se dedit, & somno curas mulcebat inanes*(4).
(5)*Mopsopia, vt perhibent, curru deuectus ab vrbe*
Triptolemus, cælo sacratos impulit angues,
Dona ferens Cereris, Scythicas iam desuper vrbes,
Et pontum geminos deflexerat axe iugales.
445 *Sceptra loci & regnum tunc Rex crudelis habebat*
Lyncus, & hospitio venientem suscipit amplo.
Inuidet iuuentis, & nocte silentibus vmbris
Ferro hostem aggreditur, celeri scelus hausit olympo(6)
Alma Ceres, Regemque noua indignata figura
450 *Induit. illum acri compensans lumine*(7) *curru*
Bacchus pampineo(10), *frænatam in Nebrida*(9) *versum*(8)
Alligat, inuaditque Indos, vbi cornua tollens
Nigra corymbifero victor ciet agmina Mero(11).
Ille odium Cererem Scythicum contra impulit almam.
455 *Exercere genus lucentem qualis Eleusim*(12)
Deuehitur curru, sertisque recentibus ornat
Spiciferum caput, & geminos agit alta dracones(13).
Talem sese offert, & Regem nocte sepultum
Inuadit dictis: tu nunc agis otia somno
460 *Fatorum ignarus, Byzantique immemor vrbis.*
Surge age, nam terris cum crastina fulserit hora
Collucere faces, & mœnia capta videbis.
Dixerat, & tenues subito delapsa per auras
Multa super fatis cunctantem, & multa parantem
465 *Poscere, deseruit, visa est quoque ab æquore summo*
Cærulea in somnis affari talibus Helle(14):
Heu fuge direptas terras, fuge littora Ponti,
Multaque præterea superum portenta Deorum,
Suprema vnde dies, vrbisque miserrima cædes
470 *Agnosci poterat. Trepidus Rex protinus alto*
Desiliit lecto, & medias parat ire per vmbras,
Cum subito excelsa penitus micat ignis ab arce,
Summaque fumantes rapiunt incendia turres.
Talia cunctanti Regi, Melanius Arcas
475 *Hostis habet muros, inquit. vidi ipse, refracto*
Belli ferratos diuelli cardine postes.
Sic ait, & tenebris pauidum se miscuit atris.

(1) Dicit duraturum Turcarum Imperium vsque ad tempora *Maximiliani* Cæs. a quo postea delebuntur.

(2) *Leonem* Pontificem Maximum significat, qui nunc post Iulium Secundum Ecclesiæ præest, a *Capnione* in nuncupatoria quadam epistola & *Erasmo* in Chiliadibus, tum aliis locis pluribus laudatus.

(3) *Romana*, a *Pallante* Euandri filio, siue a Pallantio oppido Arcadiæ, vt *Solinus* & *Halicarnassæus* sentiunt.

(4) Propter necessariam fati voluntatem.

(5) Orditur fabulam Triptolemi & Lyncis Regis Persarum, quæ est apud *Ouidium* in Transformationibus. Animaduertendum quod *Lyncus* dixit, & non *Lynx*, vt alii: ad differentiam puto inter Regis nomen & animalis. Innuit autem Cererem adhuc memorem antiqui odii in Scythas, admonere Regem in somnis de futura clade.

(6) Id est, *vidit*. Maro, *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.* Annotatiuncula in margine indicat, cur dixerit *celeri olympo*, nempe ad Lunæ naturam respiciens, quæ & Ceres dicitur, quam rem *Macrobius* abunde tractat, & *Maronis* interpretes tangunt, super his verbis: *Vos o clarissima mundi Lumina Liber & alma Ceres.*

(7) Confusus ordo, vt est, illud Maronis, *mediisque in fluctibus ara Saxa vocant Itali.* Notarunt *Seruius* & *Quintilianus*. Est autem constructio: Bacchus compensans acri lumine, scilicet, Lyncum.

(8) Id est, mutatum.

(9) Hoc est, alligatam fræno currui Bacchico. Illum inquam alligat Bacchus.

(10) Pro curru.

(11) Mons est in India, vbi altus Bacchus fuit. Vnde, vt ait *Pomponius*, locus fabulæ datus Iouem Bacchum in femore aluisse. Nam per hoc nomen Græci femur etiam significant. Abundare illum corymbis, ait *Plinius*.

(12) Propter sacra nocturna, quæ facibus accensis fiebant, vt diximus superius.

(13) Vehi draconibus Ceres fingitur, propter Lunæ varios circumflexosque meatus.

(14) Phryxi soror, quæ in pontum cadens mari nomen dedit *Hellespontus*. Fingit hanc quoque velut numen vicini maris Regem de fuga admonuisse.

Interea armorum sonitus clarescit, & vrbem
Horror habet, veluti cum Pergama celsa tenebant
480 *Thersandrus, Pyrrhusque ferox, & dirus Vlysses*(1)
Teucrorum imperium iuratum transtulit Argos(2).
Vndique stricta acies, hinc Vali, & Sarmata ferro
Incumbunt, Cottæque fremunt, gaudentque cruore
Iaxamatæ, Chalybesque ruunt, Neurique luporum
485 *Pellibus horrentes, Phyliræque rudesque Satarchæ,*
Byzeresque feri, & peltis decertat Amazon.
Parte alia trepidos inuadit Iberia ciues,
Atque Albana cohors, Nomadumque exercitus omnis
Funditur, & rapidis non defuit ira Cobatris,
490 *Irrumpuntque omnes, cæduntur limine primo*
Portarum excubiæ, resonant clamoribus vndæ.
Discurrunt passis matresque, nurusque capillis,
Et natis comitata cohors infantibus ibat
Per tenebras, perque arma virum, Scythicasque sagittas.
495 *Vrbs ruit in flammas, miserorum corpora passim*
Cæduntur, rapiturque adytis Byzantia gaza(3).
Eoo interea surgebat lumine Titan,
Augetur passim cædes, vasto omnia luctu
Complentur, fugiuntque omnes, & lata viarum
500 *Constipantque Scythæ, & strictis mucronibus instant*
Fulminei. haud aliter rabies infanda luporum
Ieiuna compulsa fame, stat faucibus atris
Atque inhiat prædæ, & pecora inter inertia sæuit.
Iam Byzantiaci(4) *properabat ad alta Tyranni*
505 *Atria* Salmoneus, *Scythica stipante caterua.*
Quem simul atque amplo venientem a limine vidit
Rex, fugit, inque domus sese penetralibus abdit(5).

(1) De his *Maro* in secundo. Scribas *dirus* sine *y*. Nam *dirus* dicitur Deorum ira missus.

(2) Argiui in Aulide portu iurarunt euersionem Troiæ. Maro, *Non ego cum Danais Troianam euertere gentem Aulide iuraui.*

(3) Vt inferius referam.

(4) Apud *Syluium* & qui expugnationis huius seriem per literas posteritati dederunt, aliter inuenio, qui dicunt duos milites, Græcum alterum Theophilum Palæologum, alterum Dalmatam Ioannem pro portis murorum vrbis diu solos Turcarum impetum sustinuisse. *Bartholinus* tamen dicit ante fores regiæ domus necatos.

(5) Veritas historiæ habet, vt *Syluius* scribit, Græcorum Imperatorem, cum non vt Regem decuit, pugnaret, sed fugeret, in ipsis portæ angustiis cecidisse, tum oppressum calcatumque obiuisse.

Fama Charisthenium(1) *bello flagrante Mycenas*
Armata misisse manu, Ieuonem*que*(2) *Pyræum*(3)
510 *Iunxisse & bello, quo non Taulantius*(4) *oris*
Vir fuit in patriis, & pace animosior alter.
Hi duo vestibulum Regis, vastamque silentes
Portam adseruabant, etenim te subtrahis illa
Fœde Ligur pugna(5), *nec fusi sanguinis vltor*
515 Iustiniane *fugis, tum luce coruscus ahena*
Orchas*que, Polemonque ferox, & dirus* Amartes
Tela parant, limenque petunt, & sanguine tincti
Threicio insultant portis, illi horrida contra
Arma retundentes, hostes a limine pellunt.

Vtque

520 *Vtque feræ telis circum stridentibus vltro*
Incumbunt ferro, & quanto magis ingruit hostis
Mucrone infesto, iis tanto magis effurit ira.

(1) Hoc nomen immutatum est a Poeta.

(2) Pro *Ioannem*, mollitum est hoc nomen, vt annotatiuncula in margine testatur.

(3) *Illiricum*, *Dalmatam*. Pyræi enim populi sunt Illyrici, vel proximi Illyricis Liburnis Istris, vt est apud *Melam*. Illyricas gentes, si *Siluio* fidem damus nostra ætas *Sclauos* appellat, & alii Bosnenses, alii Dalmatæ, alii Croatii, Istri, Carnique nuncupantur. Ceterum Sclauorum nomen latissime patere ostendit autor Chronicorum regni Polonorum.

(4) Et Taulantii inter Illyricos populos numerantur, quorum meminit etiam *Lucanus*.

(5) Designat *Ioannem Iustinianum*, apud Ianuam Ligurum Metropolim nobili loco natum, qui in hac pugna vulneratus, vbi fluitare sanguinem suum animaduertit, clam sese pugnæ subtraxit, cumque in Peram diuertisset, inde Chium nauigauit, ibique seu vulnere, seu mæstitia morbum incidens inglorius vitam finiuit. Felix si in ipsis Bysantii mœnibus animam exhalasset, inquit *Syluius*.

(1) *Dii! quibus hanc vrbem, iunctumque Propontida Thracum*
Mens fuerat Regi externis defendere bellis,
525 *Cur æquis summo hæc oculis spectatis olympo?*
Iamque Charisthenius *madido sudantia tabo*
Tela vibrat, roratque effusi sanguinis vnda.
Ipse pharetrigeras impellit in arma cateruas
Salmoneus, *Periphasque simul, solumque petebant*
530 *Marte* Charisthenium, *nec cedit Achaicus ardor,*
Sed contra ignauum violentius increpat hostem,
Milleque iam fracto pendent vmbone sagittæ.
Interea ille ardens crudum Pythoenta, Lycumque
Setigerum, & longo pugnantem Amythaona cæstu
535 *Ense necat, vomit ille animam, Ladumque Agathyrsa*
Matre satum obtruncat, nec segnior ante (2) *Pyræus*
Pugnat, & infanda prosternit cæde ruentes
Sauromatas, fractoque expellit Amazona baltheo.
Alter Thissagetas (qui dudum e rupibus altis
540 *Proruerant) iam victor agit, Taberenaque fundit*
Agmina, brachatumque (3) *Gyan, cui Pythia mater*
Ingessit stimulos, quæ Ponti effascinat hircos (4)
Voluit humi, mæstumque Thagen agit obuius ensi,
Quisque animam, fusoque madent in sanguine postes.
545 *Quantum Martis amor crescit, violentaque surgit*
Impacata fames pugnæ, tantum horrida cædes
Augetur, ruit Argolicus iam fulminis instar
Impetus, aut quando gelidi fumantia Pindi
Alta ruens quercus diuellit saxa, nemusque
550 *Prosternit, vastoque resultant antra fragore* (5).

(1) Exclamatio pathetica.

(2) Id est, *paulo ante*, vt significet & hos ad bellum descendisse, de quibus superius in relatione aliarum gentium nullam fecerat mentionem. Hi sunt vicini Turcis, *Mela* tradente.

(3) More Sarmatarum brachis opertum.

(4) Ostendit in matre fuisse vim effascinandi, cum dicat hircos effascinare solitam. Effascinationem in teneris animantibus pollere ex *Marone* colligitur, vbi ait, *Nescio quis teneros oculis mihi fascinat agnos*, tamen posse adultos partus etiam effascinari autores habes *Plinium* & *Solinum*. Interpres Pauli in Epistola ad Galatas hoc verbo vsus est, quo vero sensu, *Erasmus* indicat.

(5) Cacephatos est, vt illud Maronis, *& Dorica castra*. Nescio an de industria Poeta id fecerit, vt fragor etiam in versu sentiretur.

(1) *Ecce autem armipotens magno cum turbine* Amartes,
Arguit ignauam pugnam, telumque trabale
Torquet in aduersos hostes, fremituque sonoro
Id volat, & triplici insidit ferale cruenti
555 *Ære* Charisthenii, *taurique ingentia findit*
Tergora, & effracti clypei mora scinditur ærea.

Ilicet atra repens descendit ad inguina pestis,
Perculit & vires, animamque inuasit Achiui.
Ille cadit moribundus humi, sociumque requirit
560 *Lumine, & vltorem poscit necis, alta Pyræum*
Ira dolorque rapit, miseri iam pallida fato
Ora tegit clypeo, vibrataque tela repellens,
Argolicos Manes iterumque, iterumque querelas
Nominat ingeminans, & funus deflet amici.
565 *Ac subito vt tygrim catulos rapientibus Indis*
Ira agit impatiens, volucremque impellit in hostem,
In turmas ruit, & Sibyna(2) *crudescit acuta,*
Autoremque necis quærit Taulantia proles.
Nec mora, terrifico ceu turbine voluitur Auster,
570 *Ingruit & Ponto, & motas circumtonat vndas,*
Crescit Amastriaco violentior ira Tyranno,
Atque coruscanti telo furibundus Amartes
Stat contra, sed postquam nequicquam horridus hostem
Inuadit, frustraque suos prædestinat ictus.
575 *Saxum ingens, quod forte via sub turribus altis*
Ceciderat, rapuit, nixusque per aera torquet.
Heu fatum inuisum, fremit & persibilat auras
Pondus, quaque ori mentum coniungitur imo
Irruit hostile, & fractis furit ossibus, ille
580 *Vt moriens sua fata videt, pallentis amici*
Desuper incubuit corpus, sic deinde quieuit.
(3)*Felices animæ, dum Cæsar, & Austrius orbis*
Progenies reget Imperium, Rhenusque bicornis
Seruiet, & dominos rerum visura nepotes
585 *Transferet in cælum nostros Germania diuos,*
Fama per ora virum, tenuesque volabit ad auras.
Nec mora conuellunt postes, longa atria lustrant
Porticibus vacuis, Byzantia gaza(4), *suppellex*(5),
Thraiciique patent luxus, rapiuntur ab hoste
590 *Regis opes, Scythicæque aperitur curia turmæ*(6).

(1) Veritas historiæ id Maometi tribuit, qui defuncto Amurate gubernacula regni adeptus est.

(2) Genus teli quod Illyricis & Liburnis in vsu fuit, autor est *Ennius*, vt est apud *Sextum Pompeium*.

(3) Color sumptus a *Marone* in morte Nisi & Euryali.

(4) Sunt enim, vt *Syluius* scribit, inuenti non pauci thesauri, quos in ipso belli principio infelices suffoderunt ciues, quibus si pro defensione vrbis vsi fuissent, suam fortasse vitam & patriæ libertatem seruassent. Coacti autem serui verberibus & tormentis dominorum abdita scrutari & eruere.

(5) Etiam eodem *Syluio* autore. Templum Sophiæ, Iustiniani Cæsaris opus, toto orbe famosum, & cui alterum comparari nequeat, nudatum sacra supellectile, ad omnes spurcitias patuit: ossa martyrum, quæ fuerant in illa vrbe pretiosissima canibus obiecta & suibus, Sanctorum imagines aut luto fœdatæ, aut ferro deletæ: Altaria diruta, in templis ipsis aut lupanaria meretricum facta, aut equorum stabula. Idem scribit, vt Seruatoris nostri simulacrum irrisum, atque iterum cruci fuerit affixum.

(6) Erat enim victorum infinitus numerus, quorum impetu in ingressu portæ octingenti circiter milites ex Latinis Græcisque periere.

Ecce cruentatis manibus iam cæde recenti
Raptabat Regem Salmoneus(1), *fœdaque tabo*
Ora, & purpureo concretos sanguine crines,
Ante fores limenque locat (miserabile visu)
600 *Exanimum corpus, spoliatque, & Regis ademptas*
Exuuias ostentat ouans, quatit omnia, & altum
Vociferans volat in cædem, ceu vertice torrens
Alpino ruit, & vasto cum murmure siluas
Abstrahit ingentes, & saxa sonantia torquet.
605 *Vndique conueniunt matres, & pectora plangunt*

Innuptæ

Innuptæ puerique, & femineo vlulatu
Hellespontiaci resonabant æquora Ponti.
Fit passim cædes, Turcæ dominantur in vrbe.
Sic placitum superis, jam summa incendia turres
610 *Aureaque insiliunt lambentes sidera flammæ*
Perque domos, perque alta ducum pallatia & vrbem
Ignis abit, teter per multa volumina fumus
Euolat, & qua non poterat Vulcania pestis
Ire, tenent gladii, Scythicusque intermicat ensis,
615 *Tela parata neci*(2), *nulli parsum, accipit omnes*
Atra dies(3), *fœdos nisi qui seruantur in vsus*(2).
Exitus hic vrbis, iam fama per aera pennis
Præpetibus volat, & Thracum sublimior vrbes
Emathiamque petit, veloxque per oppida fertur
620 *Dorica, & affatu Pelopæas*(4) *territat vrbes.*
Mox abit in nubes, & iam super æquora magno
Remigio alarum propellitur, omnia miscet,
Tercentumque tonat linguis, Asiamque pauentem
Sermone inuadit vario, pauidasque per aures(5)
625 *Infandum canit excidium, lacerata capillis*
Ingemit, & diro funestat murmure terras.
Tunc subito capere arma viri, portasque nouare
Vrbibus, & celsas implere molaribus arces,
Armaque pars senio, & rubigine pallida tetra
630 *Expoliunt, raptor tanquam prope mœnia* Amartes
Afforet, atque Asiæ diffunderet agmina campis.

(1) Id fingit Poeta. Nam Imperator, vt diximus, dum fugeret, oppressus est.

(2) Sic *Syluius*. Non dignitas, non ætas, non sexus quemquam protegebat. Stupra cædibus, cædes stupris miscebantur. Senes exacta ætate, feminas viles ad prædam in ludibrium trahebant. Vbi adulta virgo, aut quis forma conspicuus incidisset in manus rapientium, diuulsus.

(3) Inauspicata, secundum veterum superstitionem, cuius meminit *Plinius* lib. septimo, cap. quadragesimo, & *Erasmus* centuria quinta primæ Chiliadis.

(4) Id est, *Peloponessiacas*.

(5) Lege, *timidasque per auras*.

(1)*Nunc me* Pazeites, *nec non vocat alter* Amartes(2),
Hunniadisque fugam(3), *& rorantes sanguine Varnas*(4)
Mens agitat, gestitque animus per vulnera ferri
635 *Europæ, & toto seriem deducere bello.*
Moles longa retro est, Taberenane fulmina(5), *& vltra*
Excitas Tanaim gentes & bella canemus
Horrida, palmifera præformidante Damasco 6 ?
His igitur, ne longa sequar primordia rerum,
640 *Hismariæ pereunt vrbes, Orpheaque*(8) *quondam*
Sithonis(7), *& patulos longis vlulatibus agros*
Bistoniæ replent matres, serpitque ruina
Per Macedum campos(9), *& summo vertice pastor*
Horruit Orbeli(10), *nec non & Æantia pubes*(11)
645 *Et Libethra*(12) *suis Scythiam male vidit & vndis,*
Ossa ingens, Pindus(13), *Lapitharum a sedibus Othrys*
Euulsus, Nymphas sæuus Bœbeidas(14) *horror*
Armorum, & clades viridantem perculit Orcon(15).
Nec te Triptolemi serpens defendit Eleusis(16),
650 *Non Argis quondam belli*(17), *non fama Mycenis*
Profuit antiqui, nec Liber & Herculis ira(18)
Ingentes Thebas, Cadmæaque mœnia iuuit,
Iam declamatus Bromio aduentante Cythæron(19)
Deseritur sacris, atque exululata relinquunt.
655 *Nota triennales trepidantes Orgia*(20) *Bacchæ.*

 (1)Innuit

(1) Innuit se trahi quodammodo ad canendum de reliquis Turcarum tyrannis, nisi absterreret eum rerum moles. *Pazaites* duos inuenio, alterum, qui patri *Amurati* eius nominis primo, nam & duo *Amurates* fuere, vt Poeta quoque indicat, successit, Thraciam Mesiamque magna ex parte subegit maiora facile consecuturus, si per eius infelicem exitum licuisset, quem si forte requiris, apud *Syluium* inuenies. Alterum filium *Mahometis*, expugnatoris Bysantii.

(2) Duos quoque lego *Amurates*, alterum filium *Orcanis*, cuius superius mentio facta est, alterum filium non eius quidem, qui Constantinopolim expugnauit, sed alterius *Mahometis*, qui fratri Mosi sine liberis extincto successit. Poeta tamen ficte, vt admonuimus, alteri *Amurati* tribuit expugnationem vrbis Bysantii.

(3) Nomen illi *Ioannes* erat, natione Walachus haud claro sanguine ortus: verum vir magno animo, dextro ingenio, & virtutis amator. Hic, vt *Syluius* meminit, Ladislai partes in Hungaria secutus, ingentes Hungarorum & Polonorum copias fudit, primusque omnium apud Hungaros Turcorum acies & frangi, & vinci posse monstrauit.

(4) Locus ingentis stragis a Turcis nostris illatæ, duce *Amurate* secundo. Ex hac pugna Hunniades, vt peritus rei militaris fatum prædixerat, non creditus, sese ante finem pugnæ in tutum recepit, vt ait *Volaterranus*. Et idcirco dixit *Hunniadis fugam*. Huius pugnæ seriem *Syluius* scribit, qui & autor est *Amuratem* victorem interrogatum, quidnam tristior esset victis iam hostibus, respondisse: Nollem hoc modo sæpius vincere.

(5) *Tamberlanum* intelligit a Tabernis, vt scholium declarat, Asiaticis oriundum; alludens ad nomen, alii tamen Tartarum, siue e Turcarum genere fuisse volunt: verum quisquis is fuerit, proditum est, hunc *Tamberlanum* decies centena millia hominum in castris habuisse, de cuius triplici tentorio extat caput primum apud *Crinitum* de honesta disciplina libro primo. Dixit autem, *fulmina*, respiciens ad id, quod *Tamberlanes* iactitare solebat, nempe se Dei esse iram. Nec verbo res defuit, crudelissimus enim Tyrannus plures Asiæ vrbes deleuit, homines tanquam pecora trucidauit. Adde quod *Pazaitem*, cuius paulo ante memini, vinctum prandens quasi canem sub mensa sua comedere iussit, ascensurus equum, eo tanquam scabello vsus est.

(6) Hanc nobilissimam Syriæ vrbem diripuit atque incendit, *Syluio* teste. De Damasco lege *Plinium* capite decimo octauo, libri quinti.

(7) Thracia.

(8) Ab Orpheo, qui Thrax fuit. Recenset autem ordine prouincias & vrbes Turcico Imperio subactas.

(9) Hi latissime patent, plures enim continet regiones, quas *Mela* nominat.

(10) Mons Thraciæ, vbi Orpheus habitauit.

(11) Ab Æante amne Macedonum iuxta Apolloniam; meminit eius *Strabo* libro sexto & septimo, *Mela* item in Macedonia.

(12) Cantatissimus fons *Libethrus*, quem præsidium poetarum *Solinus* appellat, hinc a poetis *Libethrides Musæ* appellantur. Lege *Seruium* super septima Ecloga. *Strabo* autem nono Geographiæ lib. *Libethrum* dicit esse nympharum antrum & speluncam quandam.

(13) Nostro, ait *Syluius*, tempore nobilissimi montes Olympus, Pieris, & Ossa. Pindus insuper & Othrys Lapitharum quondam sedes Turcorum Imperio parent, penes quos quinque & septuaginta vrbes fuisse olim *Plinius* affirmat.

(14) Meminit Bebæi fontis *Ouidius* in transformationibus: item *Plinius* & *Hermolaus* in emendationibus.

(15) *Lucanus* Tytaresum nominat libro sexto. Ferunt hunc amnem in Peneum descendere, quem admissum non recipiat, sed olei modo supernatantem breui spatio portatum abdicet.

(16) Sensus est, non incusserunt timorem, quia Ceres & Triptolemus dicantur habere serpentes, quibus vehantur.

(17) Quod gesserunt contra Troianos.

(18) Vterque Thebanus fuit, alter Semeles, alter Alcmenæ ex Ioue filius. Iram autem accipe pro indignatione, qua in domandis monstris afficiebatur, adeoque bili obnoxium ferunt, vt comitialem morbum pateretur, qui ab eo *Herculanaus* est appellatus, seu potius referas ad furorem, quem astu Iunonis concepit, filiosque suos esse hostes arbitratus interemit: vnde *Seneca* est tragœdia, *Hercules furens*.

(19) Sententia est, inuadentibus Turcis, & omnia deuastantibus deseruntur sacra Bacchi, quæ a Mænadibus in monte Cythærone fieri consueuerant.

(20) Sic cum *i* latino scribendum, alii a verbo græco, quod furorem significat, alii a montibus, in quibus sacrificia fiebant, dicta putant.

Hinc furor Arcadiam & gelidi delubra Lycæi
Inuasit, Pholoemque, & nymphas nonacrinas,
Pisæasque vrbes, & in oppida Achaica fertur
Infandus furor, & nondum vana mistus Enipeus
660 *Alpheo expauit, turbatique Elide ludi.*
Quid Pelopis tecta alta canam? bimarisque Corinthi
Isthmon, & euictæ miserandas Helladis vrbes?
Quo me Cyrrha rapis? quo me Cephissus, & vnda

Castalius

Castalius sacra? & vocales carmine Delphi ?*
665 *Non Athamanteæ cladem Calidonis, & amnem*
Athracium Ionii maculantem sanguine littus
Dissimulabo, nec exhaustum iam Marte profano
Leucatenque, Argosque, & Acarnano Acheloo
Vincula coniecta, & frænatas Pontibus vndas.

* Propter oraculum Delphicum.

670 (1)*Nec metam Europæ tantorum habitura malorum,*
Sed transuecta fretum gens cultu asperrima & armis,
Angustas iterum fauces, Asiamque pauentem
Inuadit bello, rapitur Chalcedonis ara,
Sacra Ioui magno, positumque ab Iasone templum
665 *Bithynæque vrbes, Nymphæque rapacibus vndis*(2)
Ascanio fugere lacu, Mysique, Phrygesque.
Inde etiam Ionias manauit pestis ad vrbes,
Quas nec tutata est pereuntes Latmia Phœbe(3),
Branchiadæque arcus(4), *nec Amazonis ara*(5) *Dianæ,*
680 *Quid Cares memorem? quos ire per arma furentes*
Bubasides videre nurus(6). *quid Marte reuulsum*
Et Cragon(7)*& Lymiren*(8), *& Xanthon*(9), *& horrida*(10) *Vatis*
Templa Dei(11)? (12)*quot vos positæ super æquora Naxos,*
Dulichumque, Sameque, & siluis densa Zacynthos(13),
685 *Neritos, & Chalcis, Siphnusque, & parua Seriphos*
Perpessæ clades? saxi Paros inclita vena(14)
Iam gemit, & Gyaros, Strophades, viridesque Donyssa,
Insulaque altisonis quot fluctibus astrepit Ægon.

(1) Hactenus de Europæ regionibus, quas Turcæ occuparunt, nunc de Asiaticis.

(2) Propter Iollam Herculis ibi raptum, vt cecinit *Valerius Flaccus.*

(3) A monte *Latmo* Ioniæ, fabula nobili.

(4) Id est, *Apollinis*, ab oraculo dicto olim *Branchidæ*, nunc Didymi autor est *Pomponius* a *Brancho* Apollinis Cathamito, cuius *Lucianus* meminit in dialogo Amoris & Iouis.

(5) Patronymice protulit *Amazonis Amazonidos.* Templum Dianæ Ephesiæ intelligit ab Amazonibus conditum; vulgata sunt quæ de hoc scribunt *Strabo, Plinius, Solinus.*

(6) Id est, *Cariæ mulieres*, vt est apud *Ouidium* in Transformationibus, *Pomponius Bubessum* dicit, non *Bubasum*, geminato ss.

(7) Montem Lyciæ.

(8) Oppidum & flumen illic.

(9) Hanc *Strabo* inter sex maximas Lyciæ ciuitates connumerat. *Plinius* testatur tempore suo fuisse sex & triginta, cum olim septuaginta fuerint. Sunt eodem nomine duo fluuii, alter Lyciæ, alter Phrygiæ. Ergo lapsus est Volscus interpres Heroidum Ouidii, dicens, Xanthi fontes esse inter Thelmessum & Pataram Lyciæ vrbes, miscerique cum Simoente.

(10) Propter religionem templi, quæ introeuntibus horrorem gignat.

(11) Apollinis Patarei, cuius oraculum celebre fuit vanæ gentilium superstitioni.

(12) Demonstratis Europa & Asia a Turcis occupatis, nunc ad insulas Ægæi descendit.

(13) *Maro* nemorosam vocat.

(14) Ob marmor Parium cantatissimum, de quo multa *Plinius.*

* *Quare agite, o proceres & tu Germanice Cæsar!*
690 *Trans Pontum, Scythiamque, atque hymbribus obruta regna*
Pergite, & Armenias olim frænate sagittas(1).
Iam video Euphratem descendere, & agmina Tauro,
Assyriamque, & bello altum exardere Niphatem(2),
Et festinantem nostros Babylona triumphos
695 *Et rapere, & raptas Eoa ad littora prædas*
Vertentem, Casiumque Iouem(3), *Byblonque*(4), *Tyrumque,*
Sidonem, & Libanum externis seruire tyrannis(5).
Quin etiam per agros palma fragrantis Idumes
Chaldææ venere manus(6), *sæuitque cruenta*
700 *Sacra Palæstinæ*(7), *& memoranda per oppida Memphis,*
Hosti præda sumus, iam fulget Maurus in armis,
Pugnacesque manus contra mouet astrifer Atlas.

Quod si vestra genus mora debellare superbum,
Et defrænatas longe propellere gentes,
705 *In patrias venient sedes, gelidasque per alpes*
Signa ferent, legesque dabunt, etiam ne videbis(8)
Persarum, Europæ gentem Sophytida tellus
Nauibus Ægæo infestis? quando ergo erit olim
Tempus vt Austriadum tremat Africa terra tumultu(9),
710 *Atque iterum pontem ferat indignatus Araxes*(10)?
Dixit, & inflammatum animum mentesque reliquit
Heroum, curua pulsans testudine Enipeus.

* Hortatio ad Cæsarem, & reliquos Principes, vt maturent expeditionem Turcicam.

(1) Sic legendum iuxta emendatius exemplar, *olim*, pro *belli*, hoc est, iam vt apud *Papinium* in Achilleide, *Olim dolet altera vinci.*

(2) Hic mons dirimit ab Armenia Assyriam.

(3) A Casio monte Arabiæ, cuius meminerunt *Solinus* & *Mela*. Illic olim Ioui delubrum fuit, nunc prope locus est Pompeii Magni sepulchro inclitus. Reperio etiam alterum eodem nomine montem in Seleucia proximum Antiochiæ.

(4) Nunc, vt quibusdam placet, *Gibeleth* nuncupatur. Plura de ea vrbe *Stephanus*. *Byblon* a iunci copia, quem Græci *byblum* appellant, nominatam putent.

(5) Quasi dicat, repetenda hæc armis a nobis, tanquam propria, cum antiqui Imperatores militari iure, & longa possessioe vendicauerint.

(6) Babylonia Chaldæorum caput, vt inquit *Solinus*, nunc sub Persarum Imperio regitur. Babyloniam ergo quæ ad alteram Nili ripam est, Chaldæorum Coloniam putauerim ex antiqua Babylone migrantium, a Saladino nunc Mahometicæ sectæ, vt ita dicam, Pontifice possidetur.

(7) Propter natalem locum & sepulchrum Seruatoris nostri Christi.

(8) Quasi dicat, hoc tantum restat ad perniciem Europæ, vt Persæ quoque eam inuadant.

(9) Hoc hemistichium extat apud *Ciceronem* de Oratore ad Quintum fratrem libro tertio.

(10) Sic etiam *Maro* dixit,

Pars cupit Hyrcano bellum exercere sub Oxo,
Pars celerem Armeniæ confestim inuisere Tigrim,
715 *Horridaque armigeris pulsare Artaxata signis.*
Pars Scythicas spectare plagas, hic ire per vstos
Ignoti Garamantis agros, pars vincere Mauros.
At iam iam Ægypti Phariis quatere oppida sistris,
Et latratorem telo propellere Anubim(1),
720 *Bubastimque*(2) *sacram, & Diuæ lunaria frontis*
Cornua spiciferæ(3), *variisque coloribus Apim*(4)
Fœdare, & bello quæsitum inuadere Osirim(5)
Visum aliis, Nilumque alto turbare cadentem(6).
Dumque huc atque illuc ardor Mauortius errat,
725 *Legati*(7) *vndisono redeuntes littore Rheni,*
Reddita belligero referunt responsa Roberto,
Scilicet hunc pugna & bello contendere malle,
Cedere quam regno, dulcesque relinquere terras.
Nec Martem indictum, & pugnam renuisse nocentem.
730 *Tunc Rex Austriades solio sic orsus ab alto:*

(1) Et *Maro* quoque ait, *Latrator Anubis*, de quo *Diodorus*. Nec parum multa prodidit *Herodotus* de Ægyptiorum sacris & moribus,

(2) Vt apud *Melam* legitur, non *Bubasta*.

(3) Id est, visum aliis fœdare cornua lunaria frontis Diuæ spiciferæ, id est, Cereris. Hunc declarant locum verba, quæ *Lactantius* interpres *Papinii* scribit super hoc versu in Thebaide.

(4) Pomponius, *Bos niger certis maculis insignis.* Idem *Plinius*, idem *Solinus* tradunt.

(5) Poeta se orsim ponit ab Api boue, cum aliqui sint, qui Apim, Serapim, & Osirim pro eodem accipiant.

(6) Cataractam Nili intelligit, vbi tantus aquarum fragor est, vt qui ibi habitent, surdi sint, autor est *Cicero* in libello de Somnio Scipionis. *Lucanus* item Cataractæ huius meminit.

(7) Qui missi describuntur libro secundo.

**Magnanimi proceres, quorum mihi cognita virtus,*
Sperabam parta iam pace quiescere regnum,

Nosque

Nosque alio transferre nefas, socialiaque arma
Vertere in externos, patriamque cruore tueri:
735 *Sed quoniam saeui passim inuasere tyranni,*
Nullaque raptores tangit pietatis imago
Tantorum facie scelerum, quis temperet iras,
Atque animam timeat mediis effundere in armis?
Qui Scythiam inuadet(1), rapidumque videbit Orontem,
740 *Et Maurum imbellem vincet Germanicus ensis?*
Quandoquidem sunt bella domi? iam perfidus hostis
Occupat Europam, Libycas tenet anchora puppes
Littus ad Hispanum, querimur: vellemus in armis
Illico perfremere, & populos superare furentes,
745 *Ii longe a patriis absunt regionibus. Acer*
Hostis adest, vestrasque potens sibi vendicat vrbes.
Quid vos par facere est? non extera quaerere regna
Nunc opus: at iusto patriam defendere(2) Marte(3),
Libera quae simulatque erit, & pietate suorum
750 *Defensum Imperium, Tanais timet(4), ipsaque supplex*
Se debet Babylon, nec plus se nubifer Atlas
Armabit, verretque hostilibus aequora remis.
O genus armipotens, superis gratissima proles,
Desidiane animi tanta? consuetaque bello
755 *Pectora mollescunt? perstet sententia vestro*
Et regno(5), patriaeque, penatibus, & sacris Diis
Consuluisse prius, varias quam quaerere terras
Increbrescat amor. Stat Pallatinus in alta
Arce ferox(6), nostrisque inhiat violentior aruis,
760 *Nec quemquam timet, & iam formidabile bellum*
Illum oratores referunt, pugnamque futuram
Moliri impauidum, ac frustra repetuntur ab illo
Nostras quas tenuit sedes, Hagenoia tellus(7)
Testis erit nobis, & iampridem oppida capta
765 *Antiquae Helsatiae, vobis quot & abstulit vrbes*
Colligite, atque vtinam falsum sit, latius acrem
Instruit hic animum, & iam parto(8) degere nescit
Vestra, nisi hunc contra virtus insurgat, & iram
Arceat, atque sui regni intra limina cogat.
770 *Praeterea quoties tacitas humentibus vmbris*
Nox operit terras, visa est regionis imago
Ante oculos nostrae, passos laniata capillos
Saepe queri, & nigram ferri lachrymosa per auram.
Quin etiam in somnis genitor meus increpat arma,
775 *Abiectasque aquilas, & corda infracta timore.*
Nec non & Thespis, superum quae arcana Deorum
Callebat Vates(9), olim ventura canebat
Excidia, & stragem populis, belloque peracto
Nos fore victores, & dudum Iuppiter alto
780 *Intonuit laeua, sic nos Ioue in arma volente,*
In caedes, strictique aciem mucronis eamus.
Dixerat, inque animos pugnae spirarat amorem:
His accensi omnes Baccho, mensisque remotis
Stant auidi Martis, vultuque ferocia corda
785 *Noscere erat, cunctos subit haec sententia ferro*
Cernere, & Arctoo pacem componere mundo(10).

* Caesaris oratio, quae posita est tota in rationibus, quibus probat bella geri non posse, nisi prius domi pax sit.

(1) Locus a maiori ad minus.

(2) Vim hostium a liberis, ab vxore, a pecore, a domesticis latebris propellere.

(3) Si quidem iure naturae vim vi repellere fas est. Sed vt id Christiano conueniat, & quatenus decreta Patrum, in quibus

bus bellùm approbari videtur, recipienda sint, tam vere, quam pie *Erasmus* disserit centuria prima Chiliadis quartæ, Adagio primo.

(4) Innuit: si Germanicum nomen concordiam amplecteretur, facile fore, vt totum orbem subiugaret. Idem *Campanus* in oratione Ratisponensi idem *Sylnius* in Europa, idem Poeta noster in oratione Augustana, idem *Huetenus* sentiunt.

(5) Probat vendicandam patriæ amore, & Deorum pietate libertatem. Per alterum oppida occupata intelligit, per alterum templa, vt suo loco dicemus.

(6) Potentiam *Palatini* significat. Nec quisquam arbitretur hic detrahi Palatinis. Oportet enim decorum personæ seruari, quod per prosopopœiam fieri necesse est, vt tradunt *Cicero* & *Quintilianus*. Quomodo enim Cæsar animos incitauisset, si Palatinum pium, sibi amicum, ac beneuolum illis dixisset? recitandæ ergo erant caussæ, quibus animi ad inuidiam excitarentur, etiam si falsæ fuissent. Quare admonitos facio lectores, tantum abesse, vt hic Palatinos notet, vt etiam dubium sit, vtrum maiores sint laudes Cæsaris in hoc poemate, an Palatinorum.

(7) Oppidum Elsatiæ, dictum ab Agenore, vt affingit Poeta alibi, quare, si verum esset, dictionem sine spiritu scribendam putarem.

(8) Id est, *acquisito*. Itaque expunge *pasto*, & repone *parto*.

(9) De qua superius libro secundo.

(10) Id est, *Germanico Imperio*. Vasta cum sit prouincia Germania haud immerito *alter mundus* potest appellari.

AVSTRIADOS
LIBER IV.
ARGVMENTVM.

QVartus liber gentium populorumque descriptionem habet, & primo Cæsaris gentes enumerat. Inde fœderis Suevici, quod tripartitum est: In eo enim Principes, Prælati, Ciuitatesque numerantur. Inter ea iuuenis cum baculo de more ad indicendum bellum mittitur. Inde Cæsar in Noricum cum exercitu proficiscitur, vnde Danubiani Numinis oritur in eum indignatio, qui statim flumina in consultationem vocat, & per occasionem iugis sexaginta fluuiorum, qui in Danubium exonerantur, descriptio, deque Danubii fonte plura. Sequitur Cæsaris & militum in Danubio pugna, & inde discessus, eiusdemque cum Regina verba de rebus Insubrium: qui mox cum exercitu in Prischauium agrum profectus, Othoburgium obsedit, inibique pugna varia, sed in primis duellum Cæsaris & Oebali, qui de se multa refert: quorum in auxilium Venus & Diana descendunt, clarum vtrinque certamen: sed victa Venus in cælum aufugit. Oebalus iam iam moriturus, Cæsarem vt se mandet sepulturæ, rogat. Cæsar cum militum furorem composuisset, ad Oebalium corpus proficiscitur, idemque sepulturæ mandat.

* *DVmglifcit sic ira animis, vulgata potentes*
Fama mouet populos, tunc omnes arma capessunt
Illyricæ in primis patrio de more cohortes(1)
Armantur Sibynis(2), *Bacchæ Pucina relinquunt*
5 *Prela Tegestrææ*(3), *Natisumque*(4), *nouemque Timaui*
Transcendunt fontes(5), *portusque arx alta Naonis*
Excitur, Carnusque audax(6), *cui corpus Ibera*
Cetra tegit, iuguloque in pugna mussat obeso(7).

* Sequitur catalogus gentium, quæ *Maximiliano* militarunt.

(1) Propter aliqua oppida, quæ Cæsar in Illyricis tenet, prius a Venetis possessa. Illyrii

Illyrii seu Liburni (inquit capite quinto secundi lib. *Florus*) sub extremis Alpium radicibus agunt inter Arsiam & Titium flumen longissime per totum Adriatici maris littus effusi. Lege *Plinium* cap. vicesimo secundo libr. tertii, & *Appianum* in Illyrio, qui scribit Polyphemum Cyclopem ex Galatea genuisse Celtum, Illyrium & Gallum, a quibus Celtæ, Illyrii & Galli nomen habent.

(2) Diximus *Ennio* autore, vt est apud *Sextum Pompeium* genus teli fuisse peculiarissimum Illyricis populis.

(3) *Plinius* vini Pucini meminit, nunc nos *Ribolium* appellamus, ex Tergesto suauissimum affertur. Sed hi versus sic legendi sunt: *Armantur Sibynis Baccha Pucina relinquunt Prela Tegestraæ* Nam Græci *Tegestre* dicunt, & apud *Dionysium* legitur *Asty Tegestraon*. Interpres itidem vertit: *Alta Tegestraon postrema mœnia terra*. *Artemidorus* autem (vt *Stephanus* scribit) *Tergestrum* nominat. Latini *Tergeste* vocant, vnde noster alibi libro vndecimo *Tergestinos maniplos* dicit. Nam *Pomponius*, *Plinius*, *Strabo*, si sincera est translatio, *Tergeste* scribunt.

(4) Alii dicunt *Natisonem*. Lege *Sabellicum* in descriptione patriæ.

(5) Nouem enim capitibus exit, vno tamen ostio, mare Adriaticum ingreditur. Maro, *Per ora nouem vasto cum murmure montis It mare prœruptum*.

(6) Ni fallor, respexit ad rebellionem Carnorum sub *Maximiliano* Cæsare, qui Hungarorum exempla secuti sunt, qui paulo ante in Principes viros Pannoniæ conspirarant, tantamque inde cædem editam ferunt, vt diuersis locis supra quadraginta millia cæsa censeantur, tandem victi pœnas luerunt, quare arbitror hunc versum additum postea a Poeta, cum multo ante opus confectum fuerit, sed non editum. Tumultum hunc, seu mauis seruile bellum in literas retulerunt, & Poeta noster in Itinerario, & *Cuspidianus* & *Ludouicus Decius* in tempora Sigismundi Sarmatarum Regis. *Cetra* Scuti genus. Maro, *Lauas cetra tegit*.

(7) Id est, *tumenti*, omnes enim fere Carni strumis laborant. Dicunt aquarum naturam hoc efficere. Nam autor est *Albertus* noster, qui montes incolunt, frequenter nodosa & strumosa habent colla & guttura, propter aquam, talem in eis phlegmaticam superfluitatem generantem.

Inde Carenthani(1) *trepidam eduxere phalangem*
10 *Villacio*(2), *sequiturque Luentium*(3), *& altior illo*
Gurcia(4), *quæ variis pedites emiserat armis.*
Quinquaginta Bebras(5) *centum delecta iuuentus*
Pila gerunt humeris, cæstus fert cetera pubes.
Oppida quid Styriæ(6) *memorem? Greciasque cateruas*(7)?
15 *Armigerumque genus? qua despumantibus vndis*
It Drauus impatiens, & multo fertilis hydro(8).
Nec mora, disiectis antiqua Celeia(9) *muris*
Petouioque(10) *ingens (velut indicat alta vetustas)*
Arma parant, equitum turmas hæc, illa cohortem
20 *Emittit peditum: sed longe animosior ibat*
Belliger Austriades, & mœnia lata Vianæ(11)
Conueniunt circum populi, effusumque videres
Et Cremesum(12), *Sthaniumque*(13) *ferox, & prædia lætos*
Rhætia(14) *deserere, & Mauternia rura*(15) *colonos.*
25 *Quique habitant Cetii*(16) *summis in collibus vrbes.*
Inde Anasina phalanx(17), *primo Styra*(18) *in agmine secum*
Velsinos (19) *ducit, simul & Gemunda*(20) *profundum*
Turba lacum, & rupis Traustauidos(21) *antra relinquunt,*
Et manus Istricola in bellum ruit aspera Lynza(22).

(1) Carinthiæ limites moresque gentis *Syluius* in Europa scribit.

(2) *Villach* vulgus appellat, oppidum est famosum, ditione Antistitis Bambergensis.

(3) *Luentz* oppidum intelligit, a quo vallis ipsa nomen accepit.

(4) Hæc clara est sede episcopali, cuius Antistes olim inter sacri Imperii proceres numerabatur.

(5) Hoc est, *quinquaginta pedites gerentes bebras*. *Bebra* autem est teli genus. Nomina & genera telorum adnotauit diligenter *Crinitus*, libro tertio & decimo, de honesta disciplina.

(6) Et hanc *Syluius* describit. Oppida recensui libro primo. De Drauo inferius

(7) Sic sine diphtongo scribendum, ab oppido *Gretz*,

(8) Accolæ fluminis Draui referunt, aliquando maximam vim serpentium visam in flumine.

(9) Huic Comites præfuere patrum nostrorum memoria, quo iure in Austriacam domum abierit primo relatum est. Antiquitatem loci referunt veterum Romanorum inscriptiones & monumenta, quorum multa collegimus, dum illic ageret Cæsar *Maximilianus*.

(10) Nos *Pettau* vocamus, & ipsum oppidum vetustate nobile.

(11) Viennæ, vt dicam inferius.

(12) *Krems.*

(13) *Stain*, oppida Austriæ inferioris ad ripam Danubii.

(14) Oppidulum *Rhetz* dictum significat, nobile musa *Gracchi Pierii*, ad quem *Celtes* noster elegans in mores aulicos scripsit carmen, lib. Odarum secundo, si forte requiris.

(15) Pagus est *Mautra* dictus, non ignobilis ob soli fertilitatem.

(16) Scilicet montis, quia patria voce *Kalenberg* dicitur. Hunc de Parocho suo exteris notum fecit, cantatissima fabula posteris per rythmos tradita.

(17) Prouincia Anasi, *das Land ob der Enns*, cui a fluuio *Anaso* nomen est, olim Norici Ducatus portio, tradita est a *Friderico* primo Austriæ Principibus titulo Marchionatus sacri Imperii, qui & tum ipsam Austriacam Marchiam iussit esse Ducatum, vt legimus apud *Ligurinum* Poetam nobilissimum.

(18) Hac ædificiis clarior vrbs alia non est in Anaso.

(19) Incolas oppidi *VVels*, quod alluit Trauna fluuius. Insigne morte *Maximiliani* Cæsaris, patria *Erasmi Strenbergii.*

(20) *Gemünden* oppidum ad lacum Traunæ intelligit.

(21) Mons est ad Traunam fluuium editissimus, quem accola vocat *Traunstein.*

(22) Ad Danubii ripam situm est *Lyncium* nobile Anasinæ regionis emporium, vnde dixit *& manus Istricola.* Hic obiit Cæsar *Fridericus* pater *Maximiliani.*

30 *Ii signa extollunt Aquilæ, Martisque futuri*
Festinant auidi, pars læuam ancilibus (1) ornat,
Præmunitque latus framea, pars more Catheias(2)
Teutonico gerit, & loro prædestinat ictus(3).
Gemmatoque omnes auro, tortisque refulgent
35 *Torquibus, armati proceres, galeisque micantes*
Coniferis, duro gestant humeralia ferro,
Thoracem connexa super, rapit æquora cursu
Miles, & æripedem impellit cataphractus anhelum
Goricius, sacraque fremens volat agmen ab vrbe(4),
40 *Qua se Noriciis(5) Atesinum vallibus infert,*
Vastaque percussis liquere incudibus æra.
Nigrantes populi, cæcisque horrenda cauernis
Shotia(6), & armatis campus deferuet Halæus(7)
Ciuibus, ardentes qui deseruere Salinas.
45 *Et iam nubiferas linquunt castella per alpes*
Durati niuibus populi, & qui diuitis arces
Circum habitant Tyroli, regio quo nomine dicta est.
Inde Tridentini(8), & populi venere bilingues(9)
Bessenii, Cornique, & plebs cetrata Salurni,
50 *Bolzanumque(10) ferax mercis(11), cogitque morantes*
Clusinos ea fama duces(12), tua Bryxina proles
Ante omnes visa est sumptis fulgentior armis,
Parte alia vallis circundata montibus altis
Quadriuia(13), hæc patribus dicta est Amnaona priscis,
55 *Tela capit, falces Trameni(14) conflat in enses*
Vinitor, impellitque acres ad munia belli
Cura Ameranæos(15), atque Octumiudicum ad oram
Peruenit rumor Rhætbique ex alpibus altis
Tyrrhenamque manum(16), & celeres egere quadrigas.
60 *Algoui(17), & armigeræ pubes animosa Briganti(18)*
Pilati aduentant, plenas Constantia lintres
Telorum impellit remis, longeque resultant
Per Venetum vecta arma lacum, propiusque videtur
Incola neglectis ferri Neleburgius agris,
65 *Ad bellum fremit Hegouius, similique furore*
Corripitur Rotheburga manus, Nicerumque remensa
Soncouiis se iungit equis, tacitusque furentem.
Nec te Friburgi, nec vos nemora atra(19) silebo,
Fraxinea horrificas vibrantia tela per vmbras,
70 *Nec non Vindelicus, & qui nunc fertur in illis*

Esse

Esse locis, iuxtaque Alpes colere arua Sueuum(20)
Ingentes clypeos aptare, & pila videres
Fœdere coniunctum magno(21), sunt longa relatu
Principia, atque olim variis orientia caussis.

(1) Ancile posuit pro scuti genere. Ceterum de ancilibus lege *Plutarchum* in vita Numæ Pompilii.

(2) Germanorum proprie telum erat, & meminit *Maro*.

(3) Quia cum feriebant loro, quo telum alligatum erat, retrahebatur.

(4) *Inspruck* intelligit, quam *sacram vrbem*, puto, ideo appellat, quod Cæsar eam velut præcipuam sedem frequentarit.

(5) Sequitur hic *Strabonem*, qui Ænum *Atesinum* appellat, & idcirco Poeta inferius de Anaso flumine dicit: *Dubiusque binomine ripa*, intelligens fortasse illud appellari oportere etiam *Ænum*.

(6) *Swatz* oppidum significat, cuius & meminit *Picus* in Staurosticho.

(7) *Hala* est vrbs opulenta mille pass. ab Æniponte.

(8) De his inferius.

(9) Duas callentes linguas, nempe Germanicam & Italicam. Sunt autem e pagis quos proximo nominat versu.

(10) Nos *Botzen* vocamus.

(11) Propter mercatum qui illic in anno bis celebris est.

(12) Non satis intelligo quid velit, quamquam scio *Clusam* oppidum esse, per quod e Brixina transitus fit a proficiscentibus ad Bolzanum. De Brixina inferius.

(13) *Codobrium* nunc vulgus vocat. Dicta est *Amnaona*. Rationem nominis nequiui hactenus inquirere.

(14) *Traminium* pagus, vino, quod in collibus nascitur præcellens, nobilis, exportatur in exteras nationes, Baigariam, Sueuiam & Rhætiam.

(15) Ab *Amorano*, quod oppidum est, vt dictum est, Tyroli arci, a qua regio ipsa Tyrolensis dicta est, vicinum.

(16) Quoniam Rhætus ex Tuscia venit, & eam partem inter Alpes & Istrum habitauit, quæ hactenus ab eo Rhætia dicta est, autor *Trogus* libro vicesimo. Idem scribit *Plinius* capite vicesimo tertii.

(17) Inter Rhæticos olim connumerati.

(18) Diluit errorem quorundam doctorum virorum, qui asseruerunt Constantiam Brigantium esse, cum Brigantium oppidum sit seorsum a Constantia, Hoc lacui Brigantino nomen indidit, quem *Plinius* facta literæ vnius transpositione *Bigrantinum* vocat.

(19) Id est, gentes nigræ siluæ, quæ sic nostra lingua appellatur, & est pars Hercyniæ.

(20) Transmigrationes gentium in dies fieri manifestum est. Sueui in media fere Germania positi olim erant lata gens. Nunc autem Sueuiam intelligimus Vindeliciam & partem Rhætiæ, & idcirco dixit, *qui nunc fertur in illis esse locis*.

(21) Originem refert fœderis Sueuici. Hic duas refert caussas, tertiam scribet, vbi de Norimbergensibus loquitur, de quibus copiosius *Nauclerus*.

75 **Burgouiæ (vt memorant) tellus, atque oppida, quæ inter*
Vindelicos Istrumque iacent, subiere Georgi
Boiugeni imperium, qui late extendere fines
Inuigilans, auro prædiues & vbere glebæ
Sub iuga consilium crinitos Marte Sueuos
80 *Posse trahi cœpit, vicinaque protinus arua*
Occupat, & trepido potitur vi Martis Otingo(1),
Deuictique sacras Rocheburgi(2) *sæuit in aras*
Hac primum populos coniunxit origine fœdus.
**Ast alii diuersa, & te*, Friderice, *recensent*
85 *Fœderis autorem, qua tempestate potentes*
Inuasit Venetos senior Tyroleius Heros(3),
Raptaque Regini ducibus sunt mœnia Boiis.
Tertia iam causa est, alio se differet alma
Calliope, nunc & populos, & missa canemus
90 *Auxilia, & iunctas bello memorabimus vrbes.*

* Primam dicit caussam. Ducem *Georgium* Bauariæ cognomento *diuitem*, qui Sueuos sub iugum mittere deliberauerat.

(1) *Oetingen* pagum agri Burgouii intelligit.

(2) Cœnobium est in eodem agro *Rocheburgum* dictum, iuxta oppidum *Weissenborn*.

* Secundam caussam vult *Albertum*, qui Reginonem, id est, Ratisponam vrbem Imperii occupauit. Hoc autem fœdus sub

Friderico Augusto ictum est primo, tum confirmatum a *Maximiliano* Cæsare filio.

(5) *Sigismundus*, Tyroli Princeps, ille omnium sua ætate Principum liberalissimus. *Albertus* enim Bauariæ Dux, vt a *Sigismundo* heres Tyroli fieret laborauit, aliterque fieri non posse animaduertit, nisi astu vteretur. Persuasit *Sigismundo* vt bellum sumeret contra Venetos, ac sua reposceret, vt is pecuniis & viribus extenuatus cogeretur postea *Alberti* vires ac auxilium requirere. Rei *Fridericus* Imperator non ignarus prudentia sua ita egit, vt a *Sigismundo* heres interim crearetur, quod vt quantum posset *Albertus* turbaret, Ratisponam occupauit, ac arma contra *Fridericum* sumere velle videbatur, quare *Fridericus* cum Sueuis fœdus percussit, exactisque hostibus Reginonem recuperauit.

Prima Moguntiaci(1) *micuerunt agmina ab oris*
Bertholdi(2), *sequiturque* Iacobus(3), *& almus* Vriel(4)
Zolrensis*que sacer*(5), *& tanti Martis origo*(6),
Boiugena Albertus(7), *multis legionibus arce*
95 *Munychia*(8) *properat, generisque is Norica rura*
Per seriem repetit, Rugorumque aspera Princeps(9)
Gesta Filectei(10) *referens animosa Tyranni.*
Bella inhiat, priscoque acres descendere regno
Cassubios secum(11), *& venturo Marte frementem*
100 *Vandalon aspiceres.* Virthymberzentius *Heros*
Instruit antiquos Decios(12), *montanaque proles*
Prosequitur Pelegarda(13) *ducem, qui turbine belli*
Innumeros scribit populos, & auita reposcit
Oppida, trans Enti ripas(14), *quantumque laboris*
105 *Hauserit is bello, post me admirabitur ætas.*
Tu quoque Dux Badæ, *non inferiora secutus*
Auspicia ad Martem properas, qua cana vetustas
Antonina tuis ostendit munera(15) *thermis.*
Primus & hic ordo est(16), *arasque, & sacra relinquit*
110 *Fana Moguntiaci, delubra, ignesque Lyceos*(17)
Relligiosa cohors, vadit nec segnior illis
Campiduna(18) *phalanx, atque Eluagensius*(19) *hasta*
Insignis miles, populus Salmonidos oræ
Villaque(20), *Augiæque minor*(21), *Vineæque*(22) *Rotumque*
115 *Bergi*(23) *opus accelerant, æterna nec abfuit aris*
Vesta suis(24). *trepidas campo, quæ fuderat alas,*
Pone Hugon(25), *fratresque duo*(26), *fœcundaque proles*
Natorum, & paruo properat Volfangus *Otingo.*
Zolrensis*que ferox alter, Pincernaque magni*
120 *Imperii* Albertus *veteri mouet arma Lyburgo*(27).
Quique equites ducit saxosa Elephantis ab arce(28),
Præterea innumerum genus alto a sanguine cretum.

(1) Sueuicum fœdus trifariam diuisum erat. Primi in eo Principes erant. Secundo Prælati, Tertio Ciuitates. Et hunc ordinem sequitur Poeta.

(2) Huius vitam *Bertholdi* e familia Comitum Hennebergiorum, auunculus meus eleganter scripsit.

(3) A *Liebenstein*, equestri familia natus.

(4) Et hic e clara eius ordinis *Gemmingerum* stirpe fuit. Cui successit, qui nunc cum Magdenburgensi & Halberstatensi Moguntinam tenet ecclesiam, *Albertus* e Marchionibus Brandenburgensibus natus patre Electore.

(5) *Fridericus* Episcopus Augustensis, ex *Comitibus* de *Zollern*.

(6) Id est, caussa tanti belli, vt libro primo relatum est.

(7) Eorum scilicet, pater, qui hodie Bauaris imperant.

(8) *Monachium* intelligit claram Boioariæ vrbem, & Principum sedem. Dixit autem *Munychia* ad græcum nomen.

(9) Marchionem *Casimirum* intelligit.

(10) Is bellum cum *Odeacro* gessit, vt diximus primo libro.

(11) Alludit ad titulos, quibus etiam hactenus vtuntur Margrauii.

(12) Vt se Decii pro rep. vouerint, pulchre scribit *Gellius*, & meminit *Eusebius* libro

libro Temporum. Tu autem intellige *Decios*, id est, *Teccenses* populos, quorum Duces suam ad Decios referebant originem. Horum ditio accessit Regulis Wirtembergensibus, vt *Nauclerus* ostendit. Vnde se *Duces* hodie *Teccenses* appellant.

(13) Comitatus *montis Pelegardi* subditos intelligit, cuius titulo etiam hactenus vsi sunt Principes Wirtembergenses.

(14) *Æneam* hunc fluuium *Capnion* appellat, de quo inferius latius dicam. Alluit vrbem Phorcensem.

(15) *Antonius* illic multi nominis thermas ædificauit, vnde adhuc Germanico nomine a Thermarum nomine *Baden* appellatur.

(16) Hactenus de principibus, nunc de Prælatis.

(17) *Augustensem* Episcopum intelligit a Lyco flumine, vt supra dixit, *matresque Lycaa*.

(18) *Campidona* dicitur vulgo, oppidum iuris Imperialis, cuius & *Celtes* meminit, Germanice *Kempten*.

(19) *Elvvangensem* intelligit. Est locus ecclesia insignis, quæ sacri Imperii Principem, nomine Præpositi sustentat.

(20) *Salmansuiler* cœnobium est insigne, cuius Abbati parent coloni multi, ideo dixit *populus Salmonidos ora*, pro terræ, regionis, ditionis.

(21) Est enim & maior, quæ *Reichenau* ab incolis appellatur, quæ & ipsa olim eminentissimum Imperii Principem sustentare poterat. In hac Marci Euangelistæ corpus ostenditur.

(22) *VVeingarten*.

(23) *Rotenberg*. Sunt & hæc cœnobia quorum Abbates coniuncti fuere in Sueuico fœdere.

(24) Indicat Vestalium quoque cœnobia in eo fœdere coniuncta fuisse.

(25) *Comes a Monteforti*.

(26) *Ioannes & Viricus*.

(27) Nos *Lymburgum* dicimus, coactus versu dixit *Lyburgum*.

(28) Interpretatus est germanicam dictionem. *Comitem* enim intelligit de *Helffenstein*.

**Tertia dein veniunt coniunctis fœdere magnis*
Vrbibus auxilia, in primis ad munia belli
125 *Turma Argentorato*(1)*violentior exit equestris,*
Hinc Augusta, sacro tantum quæ surgit alumno(2),
(3)*Quæque emensa vltra est feruentem littora zonam*(4)
Nauibus oceanum(5), *& rubri trans littora nouit*
Quæ Regum imperia, & qua Calecutidos oræ(6),
130 *Taprobanesque altus declinet Delius vmbras.*
Nec non Vindelici, tellusque Licatia secum
Armantur, campoque fremit gesata iuuentus(7)
Alerio(8), *& gelidi complentur milite ripæ*
Pegnitii, propere qui regna inuadet Othonis(9)*.
135 *Pone Vlmanatum placido decurrit ab Istro*(10)
Turba ingens hominum, Niceroque Eslingides alæ
Nec non & vacuum fontem liquere salutis(11)
Gens habilis pugnæ, sequiturque ardentior Hallis,
Norlingique hominum, genus implacabile pugnæ.
140 *Quæque tenet patrium collis sibi nomen ab vmbra*
Antiquis memoranda viris, hic Flauius aras
Præclaras statuit, armisque eiectus ab Istro
Æneadum prius, his consedit Rhætus in oris,
Vnde etiam priscis dicta est hæc Rhætia tellus.
145 *Lindauiumque feros telo, remisque Brigantas*(12)
Muniit, & sacrum petiit Genyndia fœdus.
Incola Memmingi, Bibracumque, & Vimpina currus
Aptant militiæ, atque alio sese ordine(13) *rursum*
Campiduna armat legio, visuraque primum(14)
150 *Verdea Austriadas acies & Martia tela.*
Villaque Fullonis(15) *turba & Luthyrchidos oræ,*
Aulenumque vetus, & formidanda Buchori(16)
Insurgit pubes, alia ratione(17) *nec vllo*
Fœdere coniunctus bello furit Hassius *heros.*
155 *Visus & vmbriferis rapidas diffundere ab antris*
Melibocus(18) *turmas equitum, longumque frementes*
Abnobii montes, & quas non suggerit ordo,
Mille animæ properant variæ & sine nomine gentes.

*Tertium

* Tertium locum ait in Sueuico fœdere ciuitatibus datum.

(1) *Strasburgo*, de cuius nominis ratione aliquanto pluribus agemus libro octauo.

(2) Allusio ad *Matthæum Langum*, Cardinalem Gurcensem qui patricia gente Augustensi ortus.

(3) Laus Augustensium a mercatura.

(4) Orbis terræ per quinque zonas siue fascias pro rerum diuersitate discernitur. Lege *Plinium* in secundo, *Macrobium* eodem de Somnio Scipionis, *Martianum* libro sexto, *Maronem* primo Georg. *Tibullum* quarto, *Claudianum* primo de Raptu, nostrum *Richardum* libr. octauo.

(5) Dicit *Horatius* fuisse eum audacissimum, qui primus fuerit nauigare ausus. Hanc humanam temeritatem eleganter *Claudianus* cecinit in præfatione *Raptus*, & *Seneca* in Medea.

(6) Ad quam nauigatione per Lusitanos reperta nauigant. Sensus est opinor, nouerunt mercatores Augustenses, in quam partem sol declinet vmbras suas iuxta illud *Lucani, miratur vmbras non esse sinistras.* Nam illi qui habitant Taprobanem vel Calecutium, habent contrarias vmbras a nobis. Nam existente sole, verbi gratia, in tropico cancri, cum ad nos maxime accedit tendentibus nobis ad occasum, vmbræ sunt dextræ, illis item ad occasum tendentibus, sunt sinistræ, rursus cum per austrinam plagam nauigant Taprobanem versus a Gadibus fiunt illis vmbræ dextræ, nobis a septentrione in orientem sinistræ. Nec iis qui extra zodiacum positi sunt mutantur, nisi quod accessione vel remotione solis longiores fiunt aut breuiores, vt per gnomonem facile colligere possumus, quare miror, *Plinium* ita facile errasse, constanter asserendo, nihil habitari in terris, quam quod zodiaco subiacet, monstra autem in siluis gigni, quoniam Venus duos gradus latitudinem zodiaci excedit. Si autem ita esset aliquando & nobis etiam, vt in Syene contingit, vmbræ fierent a vertice. Sed quidquid a Syene septentrionem versus incolitur, extra Zodiacum est, quantumuis enim accedat sol ad nos, siue ad cancrum, vmbræ nunquam cadunt nisi obliquæ ad septentrionem.

(7) Id est, *telis Gallicis armata. Gesos* viros fortes dicebant, vnde Poeta inferius dixit, *quos misit Gallia Gesos.*

(8) Norinbergenses vocant *Haller VVyse.* Locus est ad ripam amnis Pegnesii peramœnus. Lege *Celtem* capite quarto in descriptione Vrbis.

(9) *Oden VValt* a nostris dicitur, siue ex *Othonis* Imp. donatione Amberbacensis cœnobii, siue ex loco non ignobili *Odenoheim*, vbi *Otho* in venationibus pernox agebat, vt idem *Celtes* in libro iam citato scribit.

* Ducis, & hoc dicit propter oppida, quæ a Palatinis tenebantur.

(10) Quoniam paulo supra Vlmanates in Rhætia oritur Danubius, vt suo loco dicemus.

(11) Interpretatio vocis Germanicæ *Heilprun.* Quod oppidum est haud incelebre iuris Imperialis.

(12) Intelligas illos, qui Brigantinum lacum accolunt. Nam de Brigantio oppido superius scripsit. Brigantinus autem lacus dicitur Constantiensis. Acronium & Venetum *Pomponius* appellat, alibi Poeta *Tiberii lacum* dixit, eo quod, vt refert *Strabo* Tiberius illo ad inuadendas Sueuorum gentes vsus est.

(13) Quia superius propter prælatos dixit, *vadit nec segnior illis Campidona phalanx*, hic autem propter ciuitatem ipsam *Campidona armat legio.*

(14) Vt paulo inferius scribit. Cæsar primo Danubianam Verdæam versus castra mouit.

(15) *Pfullendorff* oppidulum, vt & *Leutkirch.*

(16) In tertio pede videtur peccatum in syllaba. Sed idem facit Maro. *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.* Adi *Seruium.*

(17) Lantgrauium Hassiæ seorsum ponit, quia alia quam fœderis ratione venit ad hoc bellum.

(18) Mons est Westfaliæ, vt etiam Abnobii, qui ex alpibus, vt dictum est, continuo facto iugo in Westfaliam protenduntur.

**Principium interea belli seriesque futuri*
160 *Diuiditur, variisque fremunt regionibus arma;*
Dux siquidem Decius(1) *vexilla volantia ripis*
Diffundit Niceri; Cubos(2) *Rhenumque lacessit*
Lantgrafii *furor, & cetratum*(3) *Bacteron*(4) *vrget.*
Quique excelsa colunt Segduni(5) *mœnia patres*
165 *Hercynia in magna, qua regnum, atque oppida Othonis*
Antiqui steterant decertauere, potentes
Trans quoque Alexander *Rheni furit agmine ripas,*
Pellæis qui claret auis(6), *& nomine Regum.*
Nec minor insurgit contra violentus Odechi
170 *Mœnia* Burgrauius *Princeps, atque instruit arma.*

* Diuisio belli.

(1) Wirtembergensem intelligit, superius enim dixerat *VVirthymbergentium heros Instruit antiquos Decios*, vt inferius latius indicabimus.

(2) *Cubi a Chaubis* differunt. *Cubi* enim citra

citra Rhenum in Germaniæ: Chaubi vero vltra in belgica ripa sunt.

(3) Id est, *scutatum. Cetra* enim scutum erat rotundum & breue. *Liuius* Cetratorum militum in Macedonico bello meminit.

(4) Nam *Basteri* & *Brusteri* dicuntur, qui, vt Poetæ videtur, Westfaliam tenuerunt.

(5) Sequitur opinionem quorundam, qui dicunt ex distantiis *Ptolemai* colligi Norimbergam *Segdunum* posse appellari. In qua sententia *Celtem* Germanum Poetam alioqui eruditum fuisse video, qui singulari opere Norimbergam celebrauit.

(6) Alludit ad nomen Alexandri. Iuuenalis, *Vnus Pellæ iuueni non sufficit orbis.*

At Cæsar trepidas inuadere destinat vrbes
Norici, & Albertum *secum coniungere castris.*
Iamque sui armantur populi, iam pila Sueui
Gestabant humeris pedites, circumque Lycæa
175 *Littora perfremere, & Martem incusare morantem.*
Tandem magnanimus phaleris ardentibus auro
Cæsar equum ascendit, circumdatus agmine magno
Armatorum hominum, cui duro cassida ferro
Suffultos operit crines, & lamina pectus
180 *Ægidos*, & lateri feruens effulminat ensis.*

* Thoracis. In priuatis enim personis thorax dicitur: cum induit Imperator ægis dicitur, vt est apud *Martialem.* Poetæ item Ioui attribuunt, & Græci *ægiochum Iouem*, id est, habentem ægida dicunt.

† *Mittitur interea iuuenis, qui more parentum*
Indicat bellum, claregatumque(1) *per vrbes*
Pergat, & elato baculo fera nuntiet arma.
Austriades igitur rebus sic rite paratis
185 *Verdæam petiit, qua se Vernesus in Istrum*
Ingerit, & vasto condit sua nomina fluctu.
Visaque vt inuicti splendentia Cæsaris arma
Formido inuasit proceres(2), *qui fœdere iuncti*
Hostilem in cædem, & bellum commune ruebant,
190 *Omnia ne Cæsar late sibi vendicet armis,*
Pacta soluturus, totumque repente subactum
Noricon asciscat; talisque it rumor ad vrbes
Illius aduentu trepidas, ceu subter anhelans
Tellurem quateret Boreas, & verteret imo
195 *Fundamenta domum, quo summa palatia, templa,*
Ingentesque cadunt turres, planctusque, timorque
Gliscit, & exangues pressant(3) *ad pectora natos*
Sollicitæ matres, fugiuntque labantia tecta.
Armorum interea strepitus, clangorque tubarum
200 *Ingens auditur, subterque meabilis horror*
Fertur aquas, Istrique meat spumantis ad aulam.
Tunc subito vt magni tumefactas perculit aures
Danubii, excelsa madidum caput extulit vnda
Numen, & a summo palantes prospicit amne
205 *Austriadas, motasque vrbes, atque obice postes*
Muniri, & circum rapidam sua mœnia pubem
Lethiferos lapsus, vastosque locare molares.
Tunc Xantho Beoremque vocat(4), *quibus imperat almos*
Acciri Diuos fluuiorum, qui sua pulsant
210 *Littora, & in gremium recipitque fouetque cadentes.*
Protinus obliquo fluctus secat vtraque motu
Immanes, pars inferior tenus inguine pisces
Spumea tortilibus propellunt æquora caudis.
Virginis os, vultusque illis super eminet algam,
215 *Et proni in fluuium crines, Hysmenia quales*
Leucothoe(5) *diffundit aquis, aut subdola Siren*(6).
Nec mora aui similes, iunctæ Vlmanatibus ambæ

Incubuere vadis, Reginique æquora vasti
Straubingumque petunt, dein fœtam mercibus vrbem
220 *Augusto augurio*(7)*quondam quæ condita fertur*
Petauium(8),*& latis properantem cornibus Ænum*
Exuperant, sacrique inuisunt mœnia Lynci(9).
Mox vbi naufragi subter vada cæca Trudeli(10)
Danubiana fremit nequicquam adeunda Charybdis.
225 *Errantes vbi sæpe rates absorbet hiatus,*
Interque & cautes, & saxa sonantia voluit.
(11) *Hinc Cremesum, & magnæ pallatia culta Vianæ*
Prætereunt celeres, nec non antiqua superbi
Mœnia Claudonyi, Phlexique, & Amantina linquunt
230 *Littora, Lussoniumque ferax, & Iazigis oram,*
Siluicolasque alto trepidantes vertice Dacos
Videre, & Mysos, quis lac mulgetur equarum(12).
Iamque Triballorum fines, iamque arduus Hæmus
Visitur, & gelidi regio transcenditur Axii
235 *Vsque etiam Peucen, & qua septem ostia voluens*
Præruptum in pelagus, vasto cum murmure fertur
Ister, & vndarum trepidum subit agmine Pontum.
Adnantes fluuios adeunt, & nuntia portant
Verba, & solliciti mandato Numinis vrgent.

† Hic mos seruatur vsque in hodiernum diem a nostris.

(1) Antiquo vsus est verbo, cuius meminit libro primo *Titus Liuius*. Est clarigare nihil aliud, quam clara voce ablata repetere. Romani siquidem cum alteri bellum indicere volebant, patri patrato, quod genus sacerdotii erat, demandabatur prouincia, qui ad fines hostium profectus clara voce bellum indicebat, vnde clarigo verbum. Poeta propter versum dixit *claregatum*.

(2) Albertinos scilicet, & hinc fictio Danubii inferius, per quam, vt in notatiunculis marginum legi, Principum suspicionem significauit. Vnde subitus Cæsaris ex Norico discessus, quamquam & fluminis eadem tempestate incrementum fuit maximum, & ingentes pluuiæ.

(3) Maro, *Pressabimus vbera palmis.*

(4) Nymphas Danubii. *Xantho* accusandi casus græcus, vt illud Ouidii, *Miseramque relinquere Dido.*

(5) A flumine quod prope Thebas labitur.

(6) Quoniam cantu somnolentos facit nautas, inde nauim mergit. Apud *Homerum* Vlysses sociorum aures cera obturat, ne Syrenum cantum audirent. Est & Syren insecti genus, api non dissimile. *Suida* autore.

(7) Alludit ad nomen, quia a volatu auium dicta est.

(8) *Patauium*, augusto enim augurio condita fuit, vt etiam in Italia *Patauium*, antiqui enim vt de Romulo & Remo legimus, nullibi vrbem condebant, nisi prius captato auium augurio: qui mos in frequenti vsu obseruandi scilicet auium volatus, fuit apud Germanos. *Tacitus* est autor, & nos libro primo diximus.

(9) Propter *Fridericum* Augustum dixit, vbi diu permansit.

(10) Alludit ad vocem nostram *Strudel*, qua locus ille in Danubio periculosus nauigantibus significatur. Primo autem inter cautes ingenti boatu fremit aqua, vbi hærent aliquando naues & dehiscunt, & hanc scyllam dicere possumus, mox charybdis superanda est, vbi aqua quodam vehementi rotatu voluitur, adeo vt non nisi validis remis nauis euadat. Significauit ergo vtrumque periculum, cum *vada cæca* dixit & *charybdim*.

(11) Prosequitur nympharum cursum pontum vsque diligenti locorum descriptione.

(12) Id recitat *Strabo* vbi de Mysis loquitur. Idem duas ponit Mysias, alteram Olympicam, alteram circa Caycum & Pergamenum agrum vsque in Teutraniam & Istri ostia. Est autem *Homeri* hemistichium, quamquam non ignoro nonnullis videri *Homerum* ponere Mysios in Asia. Poeta tamen sequitur opinionem eorum, qui volunt *Homerum* meminisse Mysiorum in Europa vltra Istrum, quos alii Mœsios vocant, ex autoritate veterum marmorum, quamquam a Græcis ambo Mysii appellentur.

240 (1)*Principio ante omnes Perseæ cursibus vndæ*
Conueniunt æquis, & Campidunius Iler
Deserit Algouios, genus insuperabile bello,
Diuitis hinc Vlmæ descendit Plausus ob oris,
Burgouiusque(2) *altas infertur Gynsus ad vndas*

Danubii

245 Danubii, & de se dictam præterfluit vrbem(3).
Ramilachumque rapax, longaque in valle refusus
Præntius, & felix Laugeno Verghus alumno,
Mox Egue, *Zusimique(4) amnes, Vernessus ad alta *al. Zusimi
Spumeus euoluit Verdææ mœnia cursum.
250 Infra autem strepitus velocis Smutteris ingens.
At leni contra descendere gurgite Egyssus
Auditur, planisque Lycum stupet accola ripis
Sic fluere, & rapido nymphas vlulare sub amne.
Iam properat Suter, & Parrhi violentior alueus
255 Arsacidesque Ilmus, & tu quoque turbidus vndis
Altimula, gelida allaberis amne Chebelas.
Hunc & Abis, Rhegusque minax(5), & Nabus ab antro
Pinifero, mitisque Laber, Iserisque fluenta
Pone ruunt, nec Phylsa minor, quem Volphagus æquat.
260 Ripaque nec cursus voluis Gyssæa minores
Vastior. at longas interluis(6) Aenus Alpes,
Labentemque cies Boiorum a montibus Ilsum.
Rhenauique Auarum fluctus, Nymphæque sorores
Grenyseæ(7) properant, Gemundæisque refusus
265 Traunus aquis, Anasusque(8) volat, dirimitque potentes al. Inasus
Austriadum populos, dubiusque binomine ripa
Laureaci, in vastum cursu deuoluitur Istrum,
Nec non Orcyniis Nendus de montibus ortus
Miratur, vitreum longe quanto impete fertur
270 Herlacium, quantasque trahit celer Ipsyus vndas,
Vtque rapax simula Styriis ruit Erlaphus antris
Venaque Pylachii lenis, fontesque Melyci,
Nec placidis te campi vadis, nec Trasme silebo,
Nec te, quod retinet regio prope Tullia nomen
275 Pone Vienna Deis nostris sacer. hoc quoque montes
Oppidaque, & priscæ gaudent cognomine siluæ,
Piscosusque Phyla, & tranabilis vnda Sueci
Hinc Leyta Austriadum, dirimit qui Pannona terris
Marcomanumque assurgit aquis, quibus altera ripa
280 Danubii increscit, Carnuntique astrepit vrbi,
Cæruleusque Arabon, Styriis de cautibus ora
Attollens, veteris disterminat arua coloni.
Nec piger it Granis, Boghusque, sed amplior illo
Sarmaticis se mole iugis euoluit in Istrum.
285 Mox Drauus impatiens(10) vndarum examine vasto
Perstrepit, & spumans fluctu diuerberat astra,
Intonat hic Istro, & contra nitentior vrget
Et saxa, & montes, & fluminis antra profundi.
It Saus interea, & magnis allabitur vndis,
290 Squamigeris inuectus equis, hauritque morantem
Imperturbati Drinonum littoris amnem,
Sollicitatque Dei monitu, longumque Tybiscum
Carpathio ciet ore iugo, qui fessus in antro
Sederat, & secum requiescere iusserat vndas.
295 Nulla mora vt sensit se terque quaterque citari
Prosilit ingenti strepitu, quo curua reclamant
Littora, quo siluæ, & saxorum impellitur agmen.
Et iam Sardonio trepidat de vertice Moschus,
Miranturque Daci tumido properare Rhabosum
300 Gurgite, & inflexi turbari stagna Marisi(11),
Nympharumque choris sublimis ire Ciabrum
Vluifer(12) attonito cursu metiendus Alutas

Vndas quadriiugo spumantes verberat axe;
Extremusque venit Mysorum Hierassus ab oris.

(1) Res miræ indagationis pariter & ingenii. Sexaginta enim flumina, quod a nullo hactenus factum, recitantur, quæ in Danubium exonerant, cuius opinionis est *Plinius*, & *Solinus*.

(2) Quia per Burgouiam labitur.

(3) Scilicet *Ginsburgum*.

(4) Legendum, *Mox Egus*, *Zuzimique amnes*.

(5) Sine aspiratione scribe *Regus*.

(6) *Aenus* diuidit dipthongum, vt etiam in hac dictione *Pontanus* fecit.

(7) Sorores dixit propter duo flumina hoc ipso nomine appellata. Sic superius *Perseas vndas* dixit, duo intelligens eiusdem fere appellationis flumina, quæ statim ad ipsum fere Danubii fontem ingrediuntur.

(8) Vel *Anasus*, vtrumque autores vsurpant, alterum autem frequentius.

(9) Quoniam, vt dixi, *Strabonem* sequitur, qui dicit *Atesinum* appellari, quem nunc nos *Ænum* dicimus, ac *Ænum* fortasse non incongrue dici posse *Anasum*, quoniam, si interualla locorum colligimus ex *Ptolemæo*, anceps sum vtrum *Anasus* dici debeat *Ænus*, aut quem *Strabo Atesinum* nominat. Tamen hac in re vt cuiusque erit iudicium, ita sentiat, alibi tamen *Atesinum* dicit *Ænum*.

(10) *Tacitus* inquit Drauus *cursu vehemens*, Sauus *autem placidus fuit*.

(11) Meminit *Strabo*.

(12) Ab *vlua vluifer* legendum.

305 *Sic turmatim omnes vasto cum murmure fontem*
Istri adeunt magni, limenque, & Numen adorant
Vndarum, sedemque sacram, fluuiumque potentem.
Hic ortu gelidis(1) sacro caput exerit vndis
Ex leni, sic fama, iugo, fuit Abnoba nomen
310 *Olli, sed vocem(2) iam mutauere priorem*
Monte sub aerio, quos Rhætia pascit, Adula(3).
Extemplo sed aquis fluuiorum exauctus, oberrat
Immanes populos, & regna exortia gentis.
Lethiferos quod alat pisces(4) ab origine vanum est.
315 *Sic etenim ignari patres, mendaxque vetustas*
Asserit, Armeniæ ceu fons & Lydia ab ortu
Traduntur partus eniti stagna nocentes.
Nec (quamuis Perses descendat ab alpibus amnis,
Et fontem Abnobium cursuque augescat & vndis)
320 *Credimus hoc non esse caput (5), quo denique cuncti*
Se referunt fluuii, subeuntque madentia musco
Atria, & immensum tophis surgentibus antrum.

(1) De ortu Danubii autores non consentiunt. Poeta *Plinii* & *Ptolemai* sententiam sequitur. Apud *Plinium*, Abnobam legimus, item apud *Ptolemaum*, vt diximus, *Abnobiorum* montium fit mentio, quare apud *Tacitum* arbitror legendum ex *leni Abnoba iugo*.

(2) Ordo est; sed mutauere vocem priorem illi, quos Rhætia pascit sub monte Adula.

(3) *Plinius*, Abnobius *Ptolemæ*. Sequitur ergo vtriusque opinionem.

(4) Locus est apud *Plinium*, vbi de medicinis aquarum loquitur, vbi etiam de hydro stagno.

(5) Constructio; Nec non credimus hoc esse caput scilicet Danubii, quamuis Perses amnis descendat ab alpibus, quod est contra *Strabonem*, qui dicit oriri Danubium ex alpibus.

Porta ingens primo, & scabris domus alta patescit
Porticibus, madidaque ingens specus accipit aula
325 *Flumina, pro foribus custos stat peruigil Esox(1),*
Vestibulumque tenent Nymphæ Perseides(2) amplum.
At vero introrsum squallentia tecta lacunat
Purpureus murex, conchæ, testæque renitent
Humida saxa inter mediæ, quaque ipse sedebat
330 *Ister erat locus, & pars longa remotior antri.*
Iam satur ille annis æuoque verendus, obibat
Labentes musco, viridique vligine crines.
Quem Xanthe formosa pedes, Phialeque, Psecasque
Errabant circum, & pulcherrima Lysianassa

Carpebat

335 *Carpebat Cypriis popularia numina flammis.*
Tandem multicauo residens in pumice, cuncta
Perlustrans oculis, fluuiorum stante corona,
Incipit effari: Dubiam sententia mentem(3)
Nostra diu tenuit, totus ne effusus in vndas
340 *Ad mare deferrer, ne me Germanica tellus*
Susciperet gremio, nostroque tumesceret ortu?
An vestrum auxilium peterem? nam mi fuit anceps,
Vtrum tentarem, potior sententia visa est,
Vobiscum hæc peragi, summa hæc. iam tota sub armis
345 *Austria agit nostri pilata ad littoris vndas*
Agmina, & infertur Boiorum mœnia contra.
Iam strepitus nostras ingens peruenit ad aures
Armorum, atque ipsi pugnaces vidimus alas
Ardere, immeritasque aciem conuertere in vrbes,
350 *Scilicet vt fœdis maculetur cædibus vnda,*
Vestraque descendat teter quoque ad ostia sanguis.
Ite ergo & fontes, totasque resoluite venas,
Et tumido lata arua vado, camposque patentes
Mergite, vt Austriadis iter eripiatur, & alto
355 *Immersi fluctu tentent minus aspera nostris*
Prœlia littoribus, fœdentque cruoribus amnes.
Vix ea finierat, strepitu gliscente per antrum
Confremuere omnes, resonant caua saxa fragore,
Nec mora, Danubii rursus per magna reuecti
360 *Flumina, corripuere fugam, totisque feruntur*
Viribus, atque suos repetunt cum murmure fontes.
At Lycus, & Vinda(4), atque vna Tyroleius Ænos(5)
Detrectant iussa, & tacitum se continet antro
Quisque suo, simulatque, vndas hausisse parentem
365 *Oceanum, & tenui vix posse insurgere ab ortu.*

(1) Fingit *Esocem* pro portis aulæ Danubianæ positum, quem nunc *Hausen* germanice dicimus. Capitur in Pannonia frequentius. *Plinius* huius piscis meminit.

(2) Alludit ad duo flumina, quæ statim prope fontem Danubium ingrediuntur, *Persen* & *Persenium.*

(3) Pollet in orationibus mirum in modum Poeta. Hæc in genere deliberatiuo posita est oratio. Non est impediendum iter Cæsaris, immo est impediendum, tum vrbium vtilitate, quas flumine suo hactenus visus est custodiuisse, tum dedecore suo & fluuiorum, cum propter cædes futuras videat cruore enectorum corporum infectum iri. quare deliberat obstandum, quominus prœlia in ripis suis committantur.

(4) Propter Sueuicum fœdus, cuius caput inter ciuitates est Augusta.

(5) Quia Cæsar Tyrolanæ prouinciæ Comes est. Nolebant enim contra Cæsarem hostilem animum ostendere.

Ecce ruens Ister vastarum impulsus aquarum
Molibus, exuperat ripas, campisque vagatur
Vndisonans, veluti per Cenchrum vectus Apollo,
Aut fuluum ingressus flammato Hyperione monstrum
370 *Luctantem nigris Nilum propellit ab Indis(1),*
Nec tantum increscens superat sua littora Ganges,
Incertus quo fonte cadat, fugiuntque per Alpes
Agricolæ, atque altis nutant in montibus vrbes.
Hic armenta trahit, siluasque & lustra ferarum,
375 *Et saxa, & rupes, atque alta cacumina secum.*
Interea rapidos voluunt ad littora cursus
Defrænati amnes, & fontibus ora relaxant,
Vndarum patefacta domus, iam latius alueum
Pandit Ister, gaudetque effundere brachia campis,
380 *Miraturque simul piscosum Rheson abesse(2)*
Auxilio: verum ille atris ingrata cauernis
Fata vocans, charam vxorem lugebat Acasten,
Thraicii neptem Regis, quam duxerat ante

Dardaniæ in campis, quam fraus pellacis Vlyssi
385 *Candentes auferret equos, illumque necaret.*
Vnde etiam illius voluit de nomine dici
Rhesus, & hunc viuens sic Thressa vocabat Acaste,
Posteritas Regum, & Reginum nominat vrbem(3).
Quique Getas(4)*Mysosque vident, vasto obiice pronam*
390 *Constipant vndam, & contra luctantur in amne,*
Camporum iam lata tenet, perque arua viasque
Expatiatur aquis, fluuiorum maximus Ister.

(1) Idem etiam dicit *Maro*. Nilum scilicet ab Indis descendere. Vbi *Seruius* dicit, similitudine coloris Æthiopes quoque nigros Indos dixisse. Ego vero Indos in Æthiopia esse non negauerim. *Eusebius* enim in Chronicis tradit, Indos aliquando in Æthiopiam migrasse, Vnde opinio hactenus ineruditorum fuit *Prestem Ioannem* in India vltra Gangem esse, quod falsum Lusitanorum nauigatione repertum est, cum is apud Indos Æthiopiæ sit; non vltra Gangem.

(2) Fabula est de *Rheso* flumine Ratisponæ. De *Rheso* autem Rege Thraciæ, & vt ab Vlysse & Diomede interemptus fuerit, lege *Maronem*: item *Ouidium* in Heroidibus. Fictio autem hæc Ratisponæ fortunam respicit, quæ cum olim florentissima fuerit, nunc ad inopiam redacta est, per *Acasten* pristinas opes & regales pompas significans, per pellacem Vlyssem, Ducem, de quo superius dictum est, intelligens.

(3) Ego in antiquissimis tabulis *Reginonem* inuenio apud *Peutingerum*.

(4) Dicit, qui aquas subministrare non poterant, obiiciebant se cursui Danubiano, vt inde tumefactior redderetur, & transiliret ripas.

**At Rex vt molem vndarum, passimque vagari*
Ingentem aspexit fluuium, longeque sonantes
395 *Auditi fremitus, pulsataque fluctibus astra,*
Substitit impauidus, rerumque ignarus adorat
Numina, quæ subter labuntur gurgite vasto.
Quæ vis naturæ est? huc forsitan æquora Nereus
Obiice terrarum conuulso & montibus egit,
400 *Arctoum mersura solum. sic talia secum,*
Intorquet telum in fluctus, gemuere sub ictu
Excesi cautes, concussaque littora circum
Ingenti tremuere sono: ceu Iuppiter altos
Fulminibus quateret scopulos, ruerentque per vndas
405 *Annosi lapides, motumque tremisceret æquor.*
At Rex armipotens auro, electroque refulgens,
Pergere in aduersas vndas, nec parcere cursu.
Non secus Oceano fertur Neptunus in amplo
Iratus, Pontumque secat, cum littora torquet
410 *Fluctibus, & late vicinas territat vrbes.*
Interea fremit Ister aquis, vastumque moueri
Aspiceres cumulum vndarum, contraque sonantes
Irrumpunt fluctus, montesque feruntur arenæ,
Ipse super vehitur curru Deus, altaque miscet
415 *Æquora, & impellit molem, mugitque, fremitque*
Horrendum, fluuiosque iubet sua tollere cornua.
Inde acies turbatur equis, iamque acta profundo
Hærent arma vado, iam pila natantia fas est
Cernere, & horrisono demergi corpora monstro †.

* Sequitur Cæsaris & militum in Danubio pugna.

† Ita Palinurus apud *Maronem* appellat mare.

420 *Tunc Rex extollens duplices ad sidera palmas:*
**Iuppiter omnipotens, Reges cui cura tuendi,*
Si mortem oppetere, atque anima diuellere corpus
Nos (ait) ordiris, melius precor astrue fatum.
O ter felices, quibus est occumbere bello
425 *Concessum superis, supremaque funera passi*

Arma

Arma inter potuere mori. Sic talia fantem
Obruit vndarum globus, & densata volumen
Ingens æquora agunt. tunc Iupiter æthere summo
Despiciens, Irim propere Thaumantida misit,
430 *Hæc addens: Istro, qui iam tenet omnia fluctu,*
Dic, coeat ripis, proprioque nec exeat alueo.
Quod nisi paruerit, sumptis delabere pennis
Trinacrium ad littus, aulaque arcesse Sicana
Vulcanum, vt flammis audacem torreat Istrum.
435 *Dixerat. Illa volans iuxta caput astitit amnis,*
Atque Iouis mandata refert, flammasque minatur.
Tunc simul atque alta Thaumantida sensit ab vnda
Danubii numen, vectum super æquora curru,
Palantes compescit aquas, omnesque residunt
440 *Numinis ad nutum fluctus, placata quiescit*
Vndarum rabies: veluti cum turbine denso
Nigrescit Pontus, ventorumque agmine facto
Vis rapidas aperit Syrtes, atque omnis ab imo
Pulsatur tellus, spumantque ad littora fluctus.
445 *At vero vt flantes linquunt freta cærula Cauri,*
In sese redit, & tumidas mare temperat iras.

* Color sumptus ex primo Æneidos.

Tunc Cæsar, iam vincat, ait, nostroque triumphet
Inuidia auspicio†, nunc cedimus, & fore tempus
Quo nos vera fides, seruataque fœdera poscent
450 *Ire iterum in cædes, victosque auferre periclo.*
Sic fatus sese paulatim gurgite ab alto
Subtrahit, & Regem sequitur sic cetera pubes.

† Hic innuit suspicionem Principum, de Cæsare exortam.

Interea Diana polo delapsa per auras
Danubium vrgebat dictis, fluuiosque morantes
455 *Maturare fugam, Regemque per aera nimbo*
Sublatum, Augustam velox Dea vexit ad vrbem.
Inde Hyleerotem(1), *Cynthi quæ sola per vmbras*
Secum venari, secumque errare solebat
Fida comes, roseæ mutato virginis ore
460 *Ire in castra iubet,* Langum*que affata potentem:*
Cui Rex discedens rerum concessit habenas,
Imperet armatas vrbem traducere turmas
Vindelicam(2). *mærens iam se Regina ferebat*
In thalamum(3), *belli rabiem & crudele querentem*
465 *Excidium populis, erat haud oblita suorum*
Funera, nec poterat menti dare sola quietem:
Sed longe ante alios Cæsar sibi charior omnes
Cordi erat, & Martis totam suspensa periclis
Ducebat noctem insomnem, dum coniugis illam
470 *Cura subit, pugnæque acris formido fatigat.*
Ingressus tecta alta domus, sese obtulit vltro
Cæsar, & ancipitem Reginam his protinus ambit:
Cur mæsta es coniux? quæ te premit anxia cura?
Quin age & inceptos mecum meditare triumphos,
475 *Cum tu victa sacro Regina per oppida curru*
Insubresque tuos, Gallosque vehere togatos(4).
His dictis, ingens vestis diffibulat aurum,
Denudatque artus Reginæ, atque oscula libat,
Et fouet amplexu, veluti cum Iuppiter almam
480 *Dardaniæ excepit Iunonem in montibus Idæ.*

(1)Ab

(1) Ab more filuarum compositum nomen.

(2) Augustam.

(3) *Blanca Maria*, vxor Cæsaris *Maximiliani*, dum hæc aguntur contristabatur de absentia Cæsaris.

(4) Aliter accidit, nam morte præuenta est, *Togatos* autem dixit, quod Cisalpinis Gallis in Italia toga sit cum Latio communis.

**Et iam clara dies transacta nocte rubebat*
Lampade Phœbæa, bigisque micantibus Eos(1)
Rettulerat miseris curas animantibus ægras,
Protinus armato procedit milite Cæsar,
485 *Prischauium inuasurus agrum, quem fluctibus vrget*
Hinc Rhenus, tumidoque humectat spumeus alueo,
Hinc nigra prospectat patrio de nomine silua.
Tunc subito aduentus dubias it rumor ad vrbes,
Nec quid agant gnaræ, secus haud cum carbasa vento
490 *Franguntur, fluctuque graui ratis ipsa fatiscit,*
Concurrunt mæsti nautæ, votisque fatigant
Numina, cum decimæ(2) surgit fragor arduus undæ.
Iam passim trepidare viri, pars turribus altis
Alpinas aptare sudes, casusque molarum.
495 *Is formidando torquenda phalarica telo*
Armatur diuersa locis, partem timor vrget
Et Diuum auspicia, atque fides violata potentis
Arma sequi Austriadæ, interea Offemburgia Cæsar
Arua petit, circumque vrbis volat agmine muros.
500 *Nulla mora, effusi ciues, & tempora ramo*
Palladio euincti, pacem veniamque precantes
Recludunt vrbem, & Regem intra mœnia ducunt.
His actis, rapidas Ophoburgia(3) in arma phalanges
Educit, primoque iubet petere ocius vrbem
505 *Legatos, secum breuibus mandata ferentes,*
Vt sese dedant ciues, portasque recludant.
Sin aliter, bellum indicant, nec plura locutus
Circumdat valloque acies, & robore munit.

* Rursus Cæsaris expeditio in agrum Brisgouium, vbi Offenburgi oppidi pugna describitur.

(1) Aurora.

(2) Id est, *maxima*. De decimo fluctu, qui tantopere velut a conspirante poetarum choro celebratur extat elegans caput, apud Miscellanea *Politiani*.

(3) *Othobergia* legendum. Nam *Othobergi* arcem a Cæsare expugnatam intelligit, modo illam vrbem appellans.

Iamque Atlantiacas volucrem Pyroenta(1) sub vndas
510 *Merserat, & vultum detexerat Oceano nox,*
Tunc nigri discors imis Dea sedibus(2) Orci,
Quæ secum e furiis vnam coniunxerat atris,
Vrbe furens tota, per nigra silentia noctis
Pugnandi rabiem, subitosque in Marte furores
515 *Effundit, tacitosque efflantia pectora somnos*
Excitat, inde abiens ciuesque, vrbemque reliquit
Irarum voluentem æstus, passimque videres
Arma vocare viros, crudo & se accingere Marti.
Dumque huc atque illuc sæuit furor, orta nitebat
520 *Inducens aurora diem, cum Regis ad vrbem*
Deueniunt legati, & Serentanus(3) *vt aptum*
(Hunc etenim exiguo fidentem corpore Cæsar
Diligit ante omnes, curasque interuocat altas)
Affatu nouit tempus, sic incipit ore?
525 *Armipotens Cæsar, magno de sanguine cretus*
Austriadum, iussit nos hæc mandata ferentes,
Pro re pauca loqui, vult ergo atque imperat, omnes
Vt sese dedant ciues, portasque recludant,

Sin

Sin aliter, bellum præsens indicimus vrbi,
530 *At vos auxilii patriæ, nunc rebus egentes,*
Consulite in dubiis. breuiter sic talia coram
Effatus, tacuit. tunc passim murmura vulgo
Exorta, vt primum parua exalbescere Pontus
Tempestate parat, Notus æquora subter anhelans
535 *Euolat inter saxa, imisque remugit in antris,*
Vixque refert tacitum per littora curua fragorem.
Tunc discordis Abas excitus numinis(4) ira
Pergite, & hæc vestro Regi mandata referte;
Vrbem si cupiet dedi, portasque recludi,
540 *Non verbis, sed Marte petat, bellumque volentes*
Expectamus, ait. sic fatus, lapsa per omnes
Voxque, furorque simul, strepituque alta atria clamant.
Nec mora discedunt legati, & sæua reportant
Responsa ad Regem, remque omnem ex ordine pandunt.
545 *Illicet armisono strepuerunt cornua cantu,*
Nunc huc nunc illuc cursatur, Cæsar ad arma
Prosilit, & solus cunctis spectatur, & ardent
Illius ante oculos alacres occumbere campis.
Non secus ad ripas Hebri, aut Oeagria rura
550 *Æripedes Mars flectit equos, & turbine fertur.*
Alcides hic aptat duros, temone Cateias,
Iungit hic Hercynio, pars tela trabalia vibrat,
Ardentem interea in muralem lampada portam
Rex iacit, & calido iam strident cardine postes.
555 *Tunc Gabretæis quassantur tympana truncis(5),*
Itque fragor cælo, veluti cum Phlegra(6) gigantes
Protulit, & montes in montibus, ardua saxis
Saxa super posuere, Deosque egere pauentes.
Iamque propinquabant muris, Casimirus *Halarco(7)*
560 *Quadrupedante furit, iaculisque armatus acernis,*
Corpora subnixus pedibus, ferit obuia muris.
Parte alia cetratus adest Hericonius(8) *heros,*
Nodosaque ruit condensa in prælia quercu.
Hærent parietibus, pellunt, pelluntur & ipsi
565 *Turbine saxorum, atque animas efflare sub armis,*
Hæc laus, hoc decus est, atque indefessa cupido
His inferre iugum, his se libertate tueri.

(1) Sic etiam profert *Valerius Flaccus*, declinatur enim *Pyrois Pyroentos*, & est solis equus ab igne dictus, vt *Æthon* & *Phlegon* ab ardore.

(2) Huius imaginem in carmine de bello inter Cæsarem & Pompeium *Petronius* erudite expressit. Versiculos eius retulimus in enarrationes *Staurostichi*.

(3) Denotat *Cyprianum* de *Serntein*, *Maximiliani* Augusti Cancellarium.

(4) Quoniam suam sedem in Deorum cœtu non est sortita discordia.

(5) Id est, *sectis* in Gabreta *silua*, *cuius fit mentio apud Ptolemæum.*

(6) Id est, *campi Phlegræi.* In Græcia sunt, & in Italia, vbi *campi laboris* appellantur, illic Iupiter, hic Hercules cum Gigantibus pugnauerunt, De Iouis pugna fabula nota est.

(7) Equi nomen.

(8) *Hericum* Brunsuicensem intelligit.

At Rex hortari, pugnæque accendere pubem
Dulcibus alloquiis: animæ o felicibus, inquit,
570 *Natæ astris, Martisque genus, date tela per hostes,*
Ferte facem, & sulfureo iam fulmine portas
Vrite, nec victo præformidetur ab hoste.
Dixerat: æripedem voluens, duo spicula torquet
Horrendum in postes, gemuerunt æra sub ictu,
575 *Et moto tremuit nutans arx ipsa profundo.*
Tunc velut Astræi prorumpunt carcere venti

Æolio, & timido(1) colliditur Adria fluctu.
Procursum in cædem, fortes ingentia voluunt
Saxa viri, & iactis defendunt mœnia flammis,
580 *Franguntur scalæ, subeuntesque atterit ictus*
Annosæ de mole trabis, tragulisque Sueuus
Fertur humi miles, propius duo fulmina belli
Et Brunsuychides, *& longe animosior illo*
Irruit in cædem Langus(2), *quem candida mater*
585 *Extulit in lucem, magnarum ad culmina rerum,*
Hunc pietas & cana fides, mensque ardua magno
Æquabit cælo, & Latium mirabitur vni
Ius belli pacisque datum(3), quantumque pauoris
Incutiet populis, dum se Germanicus ensis
590 *In Venetos effundet agros, gentemque togatam*
Transferet Imperio, debellabitque superbos
Littoris Euganei, iunctosque in fœdere Gallos.
Tempestas eadem bellorum, & Cæsaris arma
Inuadent, magnasque ruent (sic auguror(4)) vrbes.
595 *Hic ergo intrepidus telo, facibusque sub æreis*
Assultat portis, perfractoque obiice, in ipsum
Erumpens aditum, framea retro vrget acuta
Effusum vulgus, matrum ferit aera clamor.
At Rex vt postes patefactaque limina vidit,
600 *Non secus ac segetes Boreas agit, & sibi cedit*
Propulsata Ceres, latosque volumine campos
Immenso quatit, & timidis rapit arua colonis:
Sic pugna furit Austriades, sic ingruit vrbi
Sternens cuncta solo, Thaumantisque aclide pectus
605 *Transadigit, Pyrnumque Getam, Pheronemque, Labumque,*
Clauigerumque Gyan mersit stygialibus vndis.
Dumque horrescit ouans, cunctis pauor, aduolat ipsa
Arce globus iuuenum, veluti cum fluctus ab alto
Euulsam Calpin(5), Balearicaque æquora frangit.

(1) Tumido lege:.

(2) Miræ Cardinalis Gurcensis laudes, cui Poeta minister a sacris fuit plures annos.

(3) Cum scilicet a *Maximiliano* Cæsare Romam missus fuit, qui de bello paceque apud *Iulium* Secundum, iterum apud *Leonem* Decimum Pontifices ageret. Proconsulari potestate *Langus* bis Prouinciam ingressus est. Ego diploma primum conscripsi, alterum *Bannisius*.

(4) Verum fuit Poetæ augurium. Nam multo antequam Cæsar contra Gallos & Venetos Italiam cum exercitu ingrederetur, hæc fuerant composita.

(5) Respexit ad gesta Herculis, qui dicitur mediterraneis æquoribus viam ex Oceano perfractis montibus fecisse.

610 * *Diua adsis, seu Phocaicas tua plectra per vrbes(1),*
Seu ripæ ad sacram resonant Holmæidos(2) vndam,
Bella, virosque refer quibus astris gloria sese
Cæsaris extollit, venturoque orbe propagat.
Iamque aderat pilata manus, Regemque requirunt,
615 *Perlustrantque oculis, globeisque(3) nunc mollibus vrgent;*
Nunc frameis acres, telisque minantibus instant.

* Horatiani in arte memor præcepti dicit, *o Diua adsis descripturo*, scilicet pugnam Cæsaris. Licet enim poetis iterum inuocare, cum aliquid immensum grandeque accidit, quod etiam *Maro* facit in principio septimi.

(1) Propter Parnassum in Phocide montem musis dicatum.

(2) Id est, *ripa* Holmii *fluminis*, qui in Parnasso est. Huius meminit *Hesiodus* statim in principio Theogoniæ, & *diuinum Holmium* appellat, ad quod Poeta respiciens, *sacram*, vt puto, *vndam* dixit.

(3) Copula, *que*, abundat.

Hos inter iuuenis, quo non præstantior alter
Arctois fuit in terris, nec fortior armis,
Clarus stirpe patrum, nomen fuit Oebalus(1) *olli,*

Quis

620 *Quis vigor, & Martis pugnandique emicat ardor;*
Hic ergo immensis feriens clamoribus auras:
Huc huc arma viri, telis terite obuia tela
Ignaua contorta manu. sic fatus, in hostes
Prorumpit medios, nunc magno turbine glandes
625 *Torquere aduersum ingentes, nunc pellere gentem*
Austriadam, magnosque duces. cum Cæsar ab alto
Et fugere, & capta Tyrolæos vidit ab vrbe
Retro ferre pedes, & desperare triumphum;
Tunc Hyrcana velut viduo furit vbere tigris
630 *Montibus, & magno lustrat nemus omne fragore;*
Haud secus ense ferox excussa per agmina fertur,
Purpuream ostentans aciem, rotantiaque arma
Sanguine cæsorum, nunc hos, nunc increpat illos:
Heu pudor, exclamat, vecorsque in pectore virtus,
635 *Ite, o Germanæ, Germani haud amplius, ite,*
Atque mihi hunc Martem pugnamque relinquite soli.
Sic ait, & sæui media in discrimina belli
Euolat, arcentesque arcet, frænatque ruentes.
Parte alia intrepidus pugnans Hericonius *heros*
640 *Agmina dispulerat; ciuesque, vrbemque sonoro*
Terruerant horrore tubæ. tunc Oebalus *armis*
Et facie insignis, qualem gerit æmula Phœbe
Cum puer æstiua lasciuit Latmius, (2) *vmbra,*
Inuadit Regem, & sublata missile dextra
645 *Intorquet telum, raptum per inane quod altum*
Sibilat, & conum Regis transuerberat aureum.
Haud mora cornipedis magno furit impete in hostem
Cæsar, & autorem furibundo prouocat ore:
Quo fugis, en adsum, decus est & gloria forti
650 *Marte viro oppetere, atque animam perflare sub armis.*
Sic fantem fugit ille, & sese subtrahit hosti.
Rex instat tamen, & iam iam prensare videtur,
Cum subito vacuas velox delapsus in auras
Decipit, hostilem dextram & se cursibus aufert.
655 *Sic & in Hercynia capreæ fugere Laconos*(3),
Aut cum dulcisoni per littora curua Cayci
Ipsa Iouis querulos ales(4) *dispellit olores*(5).

(1) Fictum nomen, vt patet inferius, idcirco quoniam Lacones fortissimi inter Græcos habiti sunt. Credebantur enim Eurotæ fluminis vnda, in quam infantes mersebantur duriores ac fortiores reddi, de quibus plura apud *Plutarchum* in Lycurgo.

(2) Endymion.

(3) Canes venaticos, ex *Laconia* enim celebrati. Canes diuersorum generum memorat *Pollux.*

(4) Aquila. *Aristoteles* tradit sex genera Aquilarum. Aquilæ pennam, vel rebus aliis consertam, semper remanere incorruptam, tanquam huius auis etiam extinctæ reliquiæ dominentur, *Ælianus* autor est. Præterea magnis hæc congreditur animalibus, etiam ceruo. Lege *Plinium.*

(5) Cycnos. Hi tantum ab aquila infestantur, cui magnopere resistunt, vt scribit *Aristoteles.*

**Iamque propinquabant prato, quod plurima circum*
Rupes (mirandum est) tophis pendentibus ambit,
660 *Vna via est aditus cunctis, eademque regressus,*
Nec nisi sese vno diffindit tramite circus
Naturæ cælestis opus, mediumque pererrat
Algidus exesis descendens cautibus amnis,
Illuc conuenere prior Rex: eya age postquam
665 *Sors tulit huc ambos, namque, o fortissima proles,*
Mirabar, quæ tu ense ferox in Marte gerebas,
Qua patria, quibus altus auis? dic oro. loquentem
Excipit ille, genusque suum, patriamque recenset.

* Ficta topographia, id est, loci descriptio, vt etiam *Maro* facit in primo libro Æneidos, in descriptione portus, vt annotat *Seruius*.

Qua lata Ogygii(1) *tolluntur mœnia Tulli*(2),
670 *Belgarum armigeris olim possessa colonis,*
Quos & posteritas Lotharingos(3) *nomine dixit.*
Antiquis sum clarus auis, qui ab origine prisca
Sparta huc exilio pulsi venere relicta,
Vnde mihi nomen, verum quo tempore, ferro
675 *Italiam armipotens Byorex*(4) *inuasit & igne.*
Hic sibi femineam Cimbra de coniuge prolem
Substulit, & nostris cum forte appelleret oris,
Hanc ægram patriæ, & charis commendat amicis,
Quæ postquam Mario cessit victoria belli
680 *Infandamque patris mortem, fatumque suorum*
Audiit, Oebalio(5) *coniuncta est nubilis Othri,*
Vnde genus, stirpemque traho, neque enim ordine priscos
Fabor auos, de me breuibus sic accipe Cæsar:

(1) Id est, *antiqui*, ab *Ogyge*, antiquissimo Athenarum Rege sumptum epithetum, in qua significantia sæpe Græci verbo vtuntur.

(2) Vt *Ptolemæo Tullum*, ita nunc quoque *Tullensis vrbs* appellatur, Episcopali sede clara.

(3) A *Lothario Lotharii* Imperatoris, *Caroli Magni* nepotis filio, quod in fratrum diuisione hæc ei in portionem cederet Prouincia.

(4) Emenda *Byorix*, de quo in vita Marii *Plutarchus*.

(5) Id est, oriundo ex Lacedæmone, sumpto epitheto ab *Oebalo* Spartæ Rege.

Vt sæuis genitor puerum diuelleret armis
685 *(Horrida nam Druidum bello me oracla ferebant*
Olim occasurum) siluis me condidit altis,
Atque arcus, pharetrasque dedit, vestemque virilem
Exuit, atque inter nymphas errare solebam,
Nec non barbarico teneras mihi tegmine suras
690 *Arctabam, crinesque dabam diffundier aura.*
Hic nymphe(1) *potius quam vir credebar, & annos*
Bis septem in siluis lustrans nemora alta peregi,
Interea ex nymphis pulcherrima Lyriopæa
(Solus enim secum viuo me in flumine laui)
695 *Ardet amans, nostrosque oculos sibi gestit apisci,*
Vnde faces iactabat amor, quid plurima fando
Commemorem? vt primum Veneris data copia nobis,
Pergimus in siluas, fidoque coimus in antro.
Tunc simul ac vigiles nympharum venit ad aures
700 *Nostri fama doli, latebræque, & dulcia furta,*
(Namque vterum heu miseræ tumidum detexerat error)
Hanc Dryades quærunt, & Oreades, atque Napeæ
Exitio, & longe iam conclamata per vmbras
Lyriopæa amnes, & Lyriopæa cauernæ,
705 *Saxosusque veni mons Lyriopæa sonabat.*
Quæ subito vt sensit se quæri, lumina tollens
Ad superos, tales effudit pectore voces:
Promerui, mutate, precor, me in saxa, meumque
Infandum caput, aut flagranti fulmine ad vmbras
710 *Ipse adigat pater. & sic fata, replebat obortis*
Illa sinum lachrymis, quid enim pudor imperat? ægram
Mærens sola animam quam primum effundere in auras
Et cupit & tædet, dubioque in fine moratur.
Tunc subito (infandum dictu, ac mirabile monstrum)
715 *In latices abiere pedes, & candida in vndam*
Vertuntur crura, in limum ceu vertice crines
Extiterant abeunt, summoque in gurgite pendent,

Vena

Vena fit ex oculis, fletusque immurmurat imo,
Vnde etiam scabro gelidus fons manat ab antro.
720 *Illicet vt casum audiui, compendia lustro*(2),
Arripioque fugam, patriamque, patremque reuiso
Calcantem, & lætus per auitos deferor agros.
Hic nympham exutus, cingor fulgentibus armis.
Verum auidum belli, genitor me sæpius ortis
725 *Detinuit lachrymis, tandem sic fata trahebant,*
Vt vidit non posse animum retinere furentem,
His compellauit lachrymans me vocibus vltro:
(3)*O mihi si primos annos, quibus ipse recordor*
Hercynio pugnasse iugo, cum Prothea magnum
730 *Straui, cum centum iam cæso, armenta per vmbras*
Setigerosque sues, & ouilia victor abegi,
Præberent Superi, nunquam ista pericula solus
Susciperes, dilecte puer, nunc denegat ætas,
Heu tecum me posse mori, miserere parentum,
735 *Respiceque ante tuam morientem limina matrem.*
Quo ruis? Ha saltem placeat me condere in vrna
Ante fugam, aut artus flammis adolere supremis(4).
O spes occiduæ multum expectata senectæ,
Men' linquis? per ego has lachrymas, & casta parentis
740 *Viscera, perque istos circum mea tempora canos*
Obtestor, nunc necte moram, nec Cæsaris arma
Tenta, dura precor, sed & hanc mihi transfige vitam(5).
Dixit, & amplexum ingeminat, tremebundaque figit
Oscula, & ex animis collo suspensus inhæret.
745 *Tunc velut indomiti excutiunt insueta iuuenci*
Pondera, vel Libycæ Garamantum vincla leænæ
Effugi, hancque auidus pugnæ, me contuli in vrbem.

(1) Sic absque diphthongo legendum, est enim nominandi casus, & inflectitur *hæc nymphe, nymphes*, græca inflexione.

(2) Vel circumdo, vel colligo sarcinas.

(3) Color ex *Marone* de Euandro & *Pallante*.

(4) Varii enim fuerunt funerandi modi, vt ex autoribus colligere promptum est. Quod ad hunc locum attinet. Mos apud Romanos comburendi a Sylla cœpit, teste *Plinio*, verito talionem, eruto C. Marii corpore. Desiit autem in Antoninis.

(5) Sensus est: viue fili mi, potius tuam vitam mihi, hoc est, in gratiam meam, quam cupias a Cæsare interfici.

**Talia dum memorat Venus alto & Delia olympo*
Diuersis coiere locis, Cypris alma Cytheris
750 *Et Papho, hæc sacra discesserat hospita Delo*(1).
Tunc Diana prior, veræ iactantia laudis
Aucta tibi Cytheræa dolis, si femina victa est
Inter Amadryadas longe mihi charior omnes
Lyriopæa tuis, hausitque miserrima flammas,
755 *Cum mea me Delos venantem sacra teneret.*
Et pœnas sumpsisse parum est. quin agmen Amorum
Cypri vehis tecum, & sæuis armata sagittis
Bella paras, iterumque oblita sub Ilio alto
Tydidæ vulnus(2) *molli mauortia vibras*
760 *Arma manu, non sic furiis obnoxius istis*
Cæsar erit, ne necte dolos. Sic talia contra
Orsa Venus: quid nostra ferox tibi dulcia quondam
Obiurgas tela? & nobis magni obiicis arma
Tydidæ? scis te demens per saxa ferarum
765 *Latmia Mæandrum, Cydrelæumque Myunta,*
Cum nostris, tantum gemeres iam saucia curis
Errasse, & dulcem frustra Endymiona vocantem,
Auxilium petiisse meum? nunc Delia fastu

Nescio quo tumida es, partesque secuta potentis
770 *Cæsaris, armisonam contra fera iurgia iactas*
Pallada(3) *mortalem, quæ olim natabus es ausa*
Et menti præferre Iouis(4)*, iam nulla Deorum*
(Proh scelus) astrifero regnat sapientia cælo,
Namque tuo superata Ioue est, mortalibus vllis
775 *Ne dum præponis magnum & memorabile pectus*
Austriadæ. At nostrum non sic, & Numen, & arcus
Nequicquam Paphii, flammæque Cupidinis ibunt.
Talia subridens olli Venus alma locuta est.

* Ne aliqua in parte desit, Poeta qua Cæsarem non extollat, hoc figmento intelligi vult, quam animus Cæsaris a libidinibus penitus alienus sit, qui nullis se illecebris sinat corrumpi.

(1) In qua frequenter hospitari solet, vel allusit ad hoc, cum primum Iunonem fugiens in Delo insula hospitio suscepta fuit.

(2) Id est, *Diomedis*. Hic *Tydei* Etholiæ Regis & Deiphilæ filius fuit, qui Venerem, Æneæ in pugna suppetias ferentem, vulnerauit, vt est apud *Maronem*.

(3) Ac si dicat. Non miror equidem, quod ita contra me superbias, cum etiam Pallada contemnas, nec erubescas mortalem Cæsarem præferre filiabus Iouis.

(4) Alludit ad ortum Palladis, quæ, vt inquit *Hesiodus*, ex capite Iouis orta est. Caput ergo mentis sedes, & per mentem sapientiam intelligit, nam dementem quoque insipientem dicimus.

Interea Austriades paucis affatus, ad arma
780 *Prosilit, & rapidos metitur in æquore cursus.*
At contra belli cupidus non segnior ibat
Oebalus, *& lato sæuit vis Martia campo,*
Ensem alter vibrat, claua furit alter acerna,
Aureaque ambobus sublimi in vertice fulget
785 *Cassida, & horrentes diffundit in aera cristas;*
Tunc velut excussa terris cum nube corusca
Fulmina bina ruunt, volat æthere Iuppiter atro.
Ambo acres animis, armis fulgentibus ambo
Insignes ineunt pugnam, ardentesque duello
790 *Ingeminant ictus, quibus alta cacumina rupes,*
Saxaque, & exesæ longe sonuere cauernæ.
Oebalus *aduersum putri rotat æquore loro*
PulueruIentus equum, Regemque inuadit, & inquit:
Quo fugies? nunquam hæc te nostris subtrahet armis
795 *Sæua dies, Rex, extremo tibi debita fato.*
Sic ait, & rigido squallentibus ære lacertis
Tela vibrat, Regemque vrgens, instatque, premitque
Impatiens, pugnaque minax secat aera trunco,
Nunc pectus, nunc ora ferit, nunc pondere vasto
800 *Regem abigit: vires olli Venus alma ministrat.*

*At Cæsar, veluti Getulas arma leænas**
Principio vitare ferunt, & temnere fraudem
Hostilem: at postquam violentior ingruit hastis
Venator, fuluasque iubas, & colla sub auram
805 *Tollere, & immenso deferri in tela furore;*
Conceptam agglomerat rabiem, nec fundit habenas
Rex primo irarum, sed postquam audacia cernit
Vulnera, tunc auidus certandi increbruit ardor,
Et ruit in pugnam, & violenta perfremit ira.
810 *Ac iuuenem aggressus, qua cassida lubricus anguis*
Implicat, & circum tortus caua tempora serpit,
Ensem agit indignans, perge, & Calcanta reuise
Nunc ait, infelix, quantum o meliora secutus
Auspicia in siluis, dixit: vulnusque profundum
815 *Emicat, exanguisque ater cruor inficit ora.*

* Quoniam in *Getulia*, quæ Libyæ pars est, nobiles leones nascuntur.

Tunc

Tunc Venus armatum contra struit agmen Amorum,
Ipsa autem niueos per inane impellit olores,*
Et ridens certamen init, cestique reflexo
Aurea carbaseos nodo substringit amictus,
820 *Et telum vibrat, quo cælum, hominesque, feræque,*
Squamigerumque genus sub aquis, pictæque volucres
In flammas, & in arma ruunt, penitusque sub haustis
Vulnus alunt venis, cæcoque vruntur ab igne.

* Dicatæ enim sunt aues Veneri.

**Vtque Deum agnouit, veniam præfatus, in illum*
825 *Effurit Austriades, molleisque repercutit ictus.*
Nec mora, circumstant natorum armata sagittis
Turba ingens, verruntque alis stridentibus auram,
Iniiciuntque faces, & in intima pectora condunt†.
Arma sonant Regis, Paphio tonat æreus vmbo
830 *Turbine, nec tanto potis est se Marte tueri.*

* Imitatus *Maronem*, qui *Deum* etiam de *Venere* dixit: vel quia barbata eius imago erat apud Lacedæmonios, vt indicat *Ausonii* epigramma: vel more Græcorum, qui promiscui sexus Deos Deasque esse putauerunt.

† Non referas ad personam Cæsaris, sed ad naturam Amorum.

Protinus indignans contra se Delia pugnæ(1)
Expedit: hic tuus est nequicquam inuentus Adonis(2),
O Cytherea, inquit, gelidi & Simoentis ad vndam,
Nec Phrygium roseis Heroa(3) amplecteris vlnis.
835 *Sic ait, & velox in Cyprida torquet hiulcum*
Telum vastum, ingens & inexuperabile pondus.
Illa instructa dolis, rapidum subterfugit ictum
Atque fugam meditantem, & telo pressat inanem.
(4)Exclamat Cæsar: non sic impune per vmbras
840 *Ceu fugit ex oculis canis vmber, & inter anhelans*
Agmina ceruorum sæuit, glomerataque morsu
Dissipat; extemplo per cœtum inuectus Amorum;
Sic furit Austriades, victorque immania tela
Vibrat, & Idaliæ(5) distringit sæua mamillæ
845 *Vulnera sub niuea, scissus fluit æquore cestus,*
Dulceque purpureo manat pro sanguine nectar(6).

(1) Id est, ratio naturaque ad resistendum voluptatibus prompta.

(2) Puer dilectus a Venere, de quo habes caput apud Miscellanea *Politiani*, & *Seruius* plura in Bucolicis.

(3) Anchisen.

(4) Per hoc figmentum, vt admonet in margine annotatiuncula, nobis cauendum est, ne libidinis appetitus, *telum*, id est, rationem nobis eripiat. Nam cum semel amittitur, perpetuo vincimur: nisi Cæsar, id est, virtus ipsa auxilietur.

(5) Id est, *Veneris*, quæ in *Idalio* colebatur. Maro, *Est Paphos Idaliumque mihi, sunt alta Cythera.*

(6) Imitatur *Homerum*, qui dicit Deos carere sanguine, & nectar fluere cruoris loco.

Vt Venus infectam grandi se vulnere vidit,
Agmina Natorum vocat, & sublata remittit
In Paphon, ipsa abiit cælum sublimis in altum,
850 *Inque sinum lachrymans magni est conquesta parentis.*
Quam sic omnipotens solatur Iuppiter ægram:
Perfer ait, toleraque graueis, mea Nata, dolores,
Fata vrgent, superantque Deos(1), & voluere Parcæ
Omnia, sic placitum. belli Mars arbiter olim
855 *Passus Aloidas fortissima corpora fratres(2)*
Vincula moliri: & forsan periisset in illis,
Hunc nisi Maiugenæ tollendum Eribæa(3) dedisset
Mercurio, qui clam (namque is Deus est quoque pollens
Præstigii) vacuo Mauortem exemit ab ære.

860 *Vulnere quin etiam*(4) *Alcidæ Saturnia Iuno*
Percussa indoluit: stygium quid in arma furentem
Plutonem memorem? qui telo saucius illo est(5).
Dixerat, & Natæ cruciatus fouit acerbos.

(1) Quid christianis de fatis sentiendum sit, tradit diuus *Augustinus* libro diuinæ ciuitatis quinto. Poeta hic antiquorum opinionem de Fato sequitur.

(2) Huius loci sensum pete ex sexto libro *Maronis*.

(3) Quæ etiam *Iuno* appellatur.

(4) Idem est apud *Homerum*, qui canit Herculem Iunonis papulam vulnerauisse telo trisulco, cum animaduertisset Deam Eurystheo imperasse, vt tot labores Herculem subire cogeret.

(5) Hercules Pylum Nestoris patriam bello aggressus est: Pluto Nestori & fratribus auxilium tulit: qui dum cum Hercule pugnat, vulneratur. Idem *Seneca* tetigit, dum ait, *Effugit tenui cuspide saucius, Et mortis dominus pertimuit mori.*

Hercynidum interea Nympharum turba per auras
865 *Dianam exportant, roseaque in valle recondunt.*
Cæsar adhuc feruens pugna, & præturbidus æstu
Martis, ad exanguem iam iam volat Oebalon. ille
Perdiderat grandi confectas vulnere vires,
Et caput in teneros moriens deflexerat harmos.
870 *Vtque solent crebra iam proni grandine flores*
Præ tenera languere coma, vel lata per arua
Procidere occiduo lethæa papauera(1) *collo.*
Ille tamen cubito innixus, fœdosque cruore
Attollens vultus, & pallida morte futura
875 *Lumina, sic Regem supplex affatur ouantem:*
(2)*Vicisti tandem, lætorque hoc vulnere, Cæsar*
Effudisse animam, nec dignior exitus vlla
Morte parandus erat: sed postquam frigore membra
Soluentur, precor, adde rogo: ne præda ferarum
880 *Fiant*(3), *aut putres iaceant inoperta per agros.*
Præterea si vnquam patrios inuisere fines,
Et Calcanta senem dabitur, mæstamque parentem
(*Magnanimi patris pietas tibi si qua remansit*)
Egregiam mortem(4), *& casus solabere nostros.*
885 *Dixit, & infernas anima est delapsa sub vmbras.*

(1) Soporem inducentia. Maro, *soporiferumque papauer.*

(2) Pathetica deprecatio.

(3) Funerare in bello corpora, vt testatur *Ælianus*, primus Hercules monstrauit: quum antea hostium corpora proiicerentur, teste *Homero*, *Hæc auibus prædam tribuit, canibusque cruentis.* Porro sunt, quibus viuentibus cura sepulchri sit pompa; sed id Christianæ modestiæ non conuenit. Cyrus moriens apud Xenophontem, *Meum corpus pueri*, inquit, *quum decessero, nolite neque in auro, neque in argento, neque in aliquo alio lapide collocare, sed statim terræ reddite*, & quæ sequuntur, *Volaterranus* taxat, sacerdotio præsertim dicatos, funeris ac sepulchri pompam expetere.

(4) Modus loquendi, & significat: *solabere illos egregia mea morte, quippe qui a te interemptus moriar.*

Interea captam victor volat ense per vrbem
Cæsareus miles, sternit cuncta igne manuque
Hostili, clamorque virum, clangorque tubarum,
Tympanaque, & rudibus resonabant æra flagellis.
890 *Nil sparsum cædi, tolluntur in æthera voces,*
Horridaque immensos expandunt arma furores.
Dumque interfuso satiatur sanguine miles,
Cæsar adest insignis equo, cestoque superbit
Idalio(1), *rigidis præreptaque cingula bullis*(2)
895 *Gestat ouans, gentis casum miseratus & vrbem:*
Demulcet dictis animos, & temperat arma.
Non aliter venti diuerso ex orbe profecti

Bella gerunt, trepidoque illisa tonitrua mundo
Fulmineum extollunt impacta nube fragorem:
900 *Sicanio at postquam profert caput Æolus antro,*
Seditione vacant, & bella incepta relinquunt,
Iratique fremunt, vecte & duro obice clausi,
Atria concutiunt resonantibus ardua saxis:
Sic Cæsar, sic miles erat, sic Martius horror
905 *Placatur, iam cuncta fide capit inde sequestra.*

(1) Sic legendum, & non *costo*. *Costos* enim Veneris cingulus est illé efficax, vnde adagium, *Cestum habent Veneris.* cuius vsum duplicem tradit *Erasmus Roterodamus.*

(2) Bullæ cingulorum ornamenta dicuntur. *Calphurnius* in Bucolicis; *Alternat vitreas lateralis cingula bullas.* Et Poeta in sequenti libro, *Et nitidis squallentia cingula bullis.* Et rursus, *Et picturatis splendentia cingula bullis.* Est & tumor ille inanis, qui visitur in aquis, momento temporis enascens simul & euanescens.

Protinus armato procedit milite Cæsar
Corpus ad Oebalium, circumque exercitus omnis
Funditur, & flauos miratur puluere crines,
Oraque iam nigro fœdataque membra cruore.
910 *Nec mora, sublatis cadit ista securibus ilex,*
Mortiferæ taxi(1), *& coniferæ cyparissi*
Procumbunt flammarum vsu, rogus illico in auram
Tollitur, atque ingens lignorum increscit aceruus.
Interea corpus fœdatum in flumine viuo
915 *Abluitur, totosque oleum perfunditur artus.*
Imponuntque pyræ ramo frondente cupressi.
Irrorat cunctos, plenaque incumbit acerra
Ladus, & armato Cæsar ter milite lustrat
Congeriem, ter defletos iam voce suprema
920 *Oebalios manes iterumque iterumque vocauit,*
Æternumque vale dixit. Iamque ignibus atris
In cineres abiere artus: quos protinus aureo
Imposuere tubo(2), *fractisque a culmine saxis*
Instituunt(3) *versu fatum monstrante*(4) *sepulchrum.*

(1) Quia dormientibus sub vmbra venenum est. Vnde *toxicam* dictam tradit *Plinius.*

(2) Morem antiquorum notat, quorum cineres in terreis tubis & vasis oblongis condebantur. Aurelius Augustinus sepulchrorum memoriam, sumptusque funeris magis viuorum consolationem dicit esse, quam defunctorum vtilitatem. *Ambrosius* astipulatur, dicens: *Quid proficit sepulchrorum superbia? damna sunt potius viuentium, quam subsidia mortuorum.*

(3) *Cicero* de Legibus, excitari vetat sepulchrum altius, quam quinque diebus absoluatur, nec lapide condi plus, quam capiat laudem defuncti incisam, nec plus, quam quatuor versibus elegis.

(4) Hoc est, *genus mortis referente.* Idcirco *fatum*, non *factum* legendum.

AVSTRIADOS LIBER V.

ARGVMENTVM.

QVintus continet gesta Alberti *Ducis, & primo eius orationem ad milites. Inde Landouii obsidionem, cui* Georgius Rosoburgus *pro Palatinis praeerat, quod cum tueri non posset, noctu fugam arripuit, non citra militum* Alberti *suspicio-*

suspicionem. Inde frustra ab Albertinis *Neoburgum obsessum, missosque ad oppidum oratores, Polydamantisque seditionem, eiusdemque superbam orationem, quadamque & præsagia, & vaticinia futurarum cladum. Interea* Phalsgrauidæ *Braunam aggrediuntur: diuque cum pugnatum fuisset, oppido potiuntur. Hoc Cæsar cum accepisset, veritus, ne* Alberti *exercitum quoque inuaderent, subsidio venit: eiusque consilium circa rem bellicam describitur. At Pallas nuntiat* Roberto *coniunctas acies esse, & futuram pugnam. Interea Vcalegos explorator capitur, qui Cæsari ex summo montis iugo* Roberti *phalanges enumerat, & per occasionem hanc catalogus, quem consulto prætermiserat, describitur. Sequitur pugna atrox, non solum hominum, sed etiam Dearum. Nam dum* Cæsar *ac* Robertus *duello certant, Palladis & Dianæ certamen ingens recitatur. Vulneratur Pallas a Cæsare, sed a Mercurio dirimuntur. In fine Polydamantis subsidium & mors, &* Roberti *non sine laude ex pugna discessus: quo Poeta eius futuram mortem significauit.*

* *SOlverat Arctoo meritas in littore(1) Cæsar*
Exequias tumulo, dederatque nouissima verba(2),
Cum subito totum percurrit nuntia Rhenum
Fama, mali rectique loquax(3), vt vicerit armis
5 *Indomitum genus, atque Othobergi strauerit arcem(4).*
Te quoque dux Badæ(5) *montes, & saxa Gerunthi(6)*
Aiebat superasse, atque inuidiosa Tyranni
Præsidia, ipsis & mortalibus(7), & sacris Diis(8).
Tunc subito riguere animi, timor omnibus idem,
10 *Ne circum streperent regalia cornua muros.*
Nec mora, deduntur cuncti, poscuntque sub altis
Cæsaris inuiti felices fascibus vrbes.

* Memoriam defunctorum venerandam esse, omnes fere gentilium scriptores præcipiunt, & multæ parœmiæ admonent. Nobis diuina scriptura edisserit, quomodo Iudas ille Machabæus, vt cognouit in Sion, ciuitate Regis magni, populum sibi subditum a Palæstinis hostibus occisum: & scrutatione diligenti facta, inuenta idola in finibus suorum, statim pro vno quoque eorum ad Dominum, qui ad miserandum facilis & paratus, munera propitiatoria attulit. Item diui Apostoli in tremendis vitalibusque sacramentis, memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt. Quod adhuc firmiter atque adeo sine contradictione obseruat Apostolica & Catholica ecclesia Christi & Dei, a finibus vsque ad fines terræ, ab eo tempore vsque in præsens, & in finem mundi vsque. Omnino hoc neque vane, neque absurde, neque temere, fortuitoue ordinatum est. Quæ enim Christiana religio erroris nescia suscipit, & in tot sæcula seruat inconcussa, minime vana sunt, sed vtilia, Deo placita, salutique nostræ conducibilia plurimum.

(1) Respectu Italiæ tota Germania sub Arcto posita est. *Et in littore* dixit, pro, *in terra*, vt Maro, *iacet ingens littore truncus*, de Priamo dixit ad aram Hircæi Iouis interfecto.

(2) *Vale, & Salue*, autore *Varrone.* Vnde Maro, *Salue æternum mihi maxime Palla, æternumque vale.* Idem tradit, in funeribus sic quondam a præcone dici solitum: *Ollus letho datus est.*

(3) Est enim, quicquid de aliquo diuulgatur, siue in bonum, siue malum: diciturque interdum de re inueterata. *Rumor* tantum de re recenti.

(4) Hoc ideo dicit, quia fama semper auget rem dictis, vt superius dixit, *Lesbeaque littora ferri.*

(5) Et hoc famæ est augmentum.

(6) Denotat arcem *Geroldisegi.*

(7) Propter mercatores & ciuitates.

(8) Propter Abbates vicinos. Vel simpliciter accipe dictum schemate prouerbiali admodum poetis familiari.

Interea

Interea(1) vndisonum dum trans parat agmine Rhenum
Deuecto Helsaciam, & rapti confinia regni
15 *Irruere, armipotens per Norica rura quiescit*
Nequicquam Albertus, *varias sed ab arce phalanges*
Munychia educit, telisque armata iuuentus
Intexto squallere auro, duroque orichalco
Cernitur, argentumque nitet, pallensque electrum
20 *Vndique, & æripedes phaleris gemmantibus ardent.*
Quæque armis via fœta est, vt varia agmina magnum
Compleuere forum, Princeps sic aggere ab alto
Incipit Albertus, *gratoque hæc ore profatur:*

(1) Dum Cæsar Elsaciam, hoc est, oppida quædam iuris imperialis in Elsacia sita in fidem suam recipit, *Albertus* ex Monaco copias educit.

* *Hactenus, o socii, conabar meque, meumque*
25 *Conseruare genus vobis, neu bella per arua*
Norica feruerent, odiis exorsa profanis.
Vos testes duco, multos optata per annos
Pax fuit, & nullis audita est buccina campis,
Vndique pendebant nigra rubigine & æuo
30 *Consumpti chalybes. at nunc horrentia nobis*
Instant bella viri, iustam dinoscite caussam.
Iam vestros prædantur agros, iam funditus vrbes
Diruere incipiunt hostes, contraque feruntur
Securos patriæ. quare quod cernitis, ipse
35 *(Testor quæ norunt bellandi Numina caussas)*
Obiiciam caput, vt vestris a mœnibus absit
Quæ se Boiugenas expandit flamma per vrbes.
Addo quod & Cæsar referens victricia signa,
Arguit abiectos animos, Martemque mouere
40 *Nos iubet, atque armis ablata reposcere regna.*
Parte alia Abnobiis deductum e montibus agmen,
Vrget Lantgrauius, Virthymberzentius *heros*
(Vt fas est) ad bella volat: quid Norica castra?
Excitumque hoc Marte genus? iam scimus vt altis
45 *Proruat in pugnam commota Sueuia lucis:*
Nos solum ignaui iusto sine Marte fruemur
Hac aura? aut nulla pensabimus otia laude?
Quod petimus nostrum est, proprium ni fallor habendi.
Dii caussa certare iubent, & Iuppiter æquus
50 *Inceptis aderit(1), fundetque in pectora vires.*
Vos modo confirmate animos, magnumque parate
Pugnandi robur, dextrasque assuescite Marti.
Nosco animos, vultusque truces, nosco ora triumphis
Digna virum, & belli facile victura labores.
55 *Nec vos prætereat, quæcunque pericula nobis*
Sors dabit, experiar primus(2). Nec plura locuto
Assensere omnes(3), & resplendentia tollunt
Pila viri, circumque fremunt, & castra moueri
Quam primum vellent, teloque occurrere telis.

* *Alberti* oratio, qua suos ad arma sumenda hortatur, versatur in locis communibus.

(1) Quia manca est omnis mortalium industria, omnisque conatus, ni fauor aspiret diuinus.

(2) Id optimi Ducis officium.

(3) Indicium beneuolentiæ suorum quam imprimis Ducem oportet habere.

60 *At Dux sat belli gnarus Martisque futuri,*
Tercentum exarmat currus, & ab arce ruentes
Munychia spectant matres, nuptæque puellæ
Mœnibus ex altis, atque amnica murmurat vnda
Vocibus, & vulgi votis obtunditur aer.

65 Itur Landauum, cuius ſtant mœnia ripæ
Alta Iſeris, celſæ tolluntur ad æthera turres.
Huic equitum peditumque manu Rhodomontius vrbi
Gorgias* præerat, duruſque, feroxque ſub armis
Tormentis, foſſiſque, atque altis molibus vrbem
70 Cinxerat: vtque tubas ſenſit crepitantiaque æra,
Quemque ſuo iubet eſſe loco, & propellere primos
Aggreſſus belli, primiſque obſtare periclis.
Hic laus, hic labor eſt, nullo delebilis æuo.

* Hic Georgius de Roſenberg eſt appellatus, Francus natione, inter ductores Palatini exercitus præcipuus.

Talia dum memorat, campo ſe exercitus omnis
75 Fuderat, & muros equitum iam cinxerat alis.
Cetera pars longo figit munimina campo.
Interea alpinis Phœbo de montibus vmbræ
Occiduo ſubeunt, & ſidera cœpta videri.
Tunc ſeſe peditesque, equitesque in caſtra reducunt,
80 Atque mero indulgent, & ſomno corpora curant.
Et iam tranſierat reuolutæ buccina noctis
Tertia, tum ſubito Albertus (1), Caſimirus, & heros
Zornyus euentum belli, caſuſque futuros
Secum agitant: alto tandem cum craſtinus ortus
85 Fulſerit Oceano, latos placet vndique muros
Cingere tormentis, portaſque inuadere flammis.
Dum belli heroas ſic cura agit, aurea vultu
Erexit croceos Aurora, diemque reuexit.
Inuadunt vrbem, tormentaque curribus altis
90 Imponunt, omneſque volant ad mœnia turmæ.
Pars facibus ruit ad portas, pars mœnia acernis
Subſiliunt ſcalis, tonitrus pars excitat æreos,
Et muros quatit, & turres, & templa Deorum.
Gorgias contra intrepidus, dextraque, animoque
95 Decertare pari, nec non ſic cetera pubes
Suſcipere ingentes auſus, muroſque tueri,
Horrendaſque trabes, lapidumque ingentia voluunt
Pondera, nec locus eſt, qui tempeſtate furentis
Mauortis careat, conuexa irrumpit olympi
100 Pugnantum clamor, fremitus, clangorque tubarum,
Et longum, & vaſtum tonat ærea machina (2) belli,
Condenſoque diem fumo, & caligine cælum
Obnubit, fierique Chaos, noctemque putares.
Pars muri iam ſtrata ſolo eſt, adituſque pateſcit
105 Hoſtibus, & ponto niſi ſe merſiſſet Ibero
Cynthius, hæc belli lux iam ſuprema fuiſſet.

(1) Innuit vigilantiam & ſollicitudinem Ducum, quos non decet ſolidam dormire noctem. Vnde & *Maro* Æneam ſuum aliis dormientibus, vel voluptati indulgentibus, aut vigilantem facit, aut certe excitat, fingitque cogitabundum, ſobrium, & de futuris agitantem animo.

(2) Quæ ex ſonitu *bombarda* vocatur: ingentis ponderis, tam ſaxa quam ferreos globos igne impulſa euomit: recens Germanicum inuentum. Vnde lib. nono dixit Poeta, *monſtrum damnabile terris, Quod ferri lapidumque globos iaculatur & ignes, Nube diem, & tetra obtexens caligine ſolem: Inuentum Germane tuum.* Sunt tamen qui huiuſmodi apud priſcos etiam fuiſſe velint ex verſibus *Maronis*; *Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas, Dum flammas Iouis & ſon tus imitatur Olympi, Quatuor hic inuectus equis, & lampada quaſſans, Per Graium populos, Mediaque per Elidis vrbem Ibat ouans, diuumque ſibi poſcebat honorem Demens, qui nimbos & non imitabile fulmen Ære & quadrupedum curſu ſimularat equorum.*

Sic vtrinque animis laſſatis (1) pugna dirempta eſt.
Dux ipſe interea multos horrentia clauſit
Arma dies, tantum ne quiſquam exiret ab vrbe

Sollici-

110 *Sollicitus, cæli nutus & sidera seruat*
Dextera, tunc vetitos sibi promissura triumphos.
Vt tempus venisse ratus, tunc imperat omnes
Venturo capere arma die, & tormenta parari
Landouii excidio, quod cum venisset ad aures
115 Gorgiæ, *subito fugiendi cœpit ab vrbe*
Consilium, cum nigra polum discluderet vmbra,
Et premeret placidus mortalia pectora somnus.
Et iam vix cælo tollebat cornua Phœbe,
Atque incerta viæ mortalibus astra micabant.
120 *Ductor* Phalsgrauides, *secumque animosa iuuentus,*
Semirutas moles murorum, vrbemque relinquunt,
Pergentes tacite per nigra silentia noctis,
Atque ita per medias acies, perque obruta somno
Corpora, & armatas tuti euasere phalanges.
125 *Incertum, ne dolo vigilum, an sic fata trahebant.*
Incolumes ergo cum primum abiisse relatum est
Phalsgrauidas, *vastamque vrbem, murosque iacentes*
Deseruisse, fugam, strepitumque audisse virorum.
Vt nullum inuenit Dux Boius, æstuat ira,
130 *Hinc tales tumido depromens pectore voces:*
Nusquam tuta fides (2), captum atque in vincla coniectum
Permissum est, inquit, non ignorantibus hostem
Elabi a vobis, commissa nefarius ille
Non luit, & sacra ceu victima fugit ab ara.
135 *Martius, his dictis, Neoburgi (3) ad mœnia ductor*
Dirigere hostiles turmas aciemque parabat.
Sed primum tentare fidem, & mollire precando
Constituit ciues. tunc Lynzius Astur, & acris
Hyphiades, quibus hanc Dux curam iniunxerat, ambo
140 *Hostilem adproperant excelsis mœnibus vrbem.*
Mirantur, qui gentis honos, quæ fortia bello
Pectora, qui vultus vigeant Martisque cupido.
Dum lustrant vrbisque minas, surgentiaque astris
Culmina murorum, tractasque in nubila turres,
145 *Concilium ciuesque vocant, & stante senatu*
Incipit Hyphiades, & talibus orsa capessit:

(1) Pro *animis defessis*. non ergo *lassatus*.

(2) Quoniam *Georgius* non erat sine suspicione proditionis militum *Alberti*. Vsque adeo *nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur*.

(3) Danubiani, sunt enim & alia eius nominis oppida Rhenana.

Aduentus nostri fuerit quæ caussa, videtis,
(1) *Egregii ciues, furor vndique, & vndique bellum*
Exoritur, tanti quis non primordia Martis
150 *Nouit? & exertum coniuncta in viscera ferrum?*
Dii tantum prohibete nefas, ne sanguine ab vno
Danubii fluctus, Iseræaque ferueat vnda.
Non equidem ignari, gens quantum exasperet armis
Norica, quæ rabiem nescit componere belli.
155 *Quare agite, o ciues, dextram coniungite dextra,*
Albertum*que vocate, atque intra mœnia læti*
Excipite: æterni sint nobis numina testes,
Quam cupit hos meritis muros ornare triumphis
Dux noster, Boiisque magis colere omnibus vrbem.
160 *Boiugenas reget hic populos, sedemque locabit*
Perpetuam regno, pacemque, & fœdera iunget
Auspiciis diuum, lateque superba trophæis
Visa diu vetitis, gens nostro Marte subacta,

Vltro præbebit timidas in vincula palmas.
165 *Victor adest Cæsar, qui Boica ad oppida tendit,*
Cognatas aucturus opes, iamque innatat Istrum:
Huc flammatus eques, deuictoque agmina Rheno
Diriget in vestros fines, & strage replebit
Cuncta hominum. Quid Marte truci, dextraque potentem
170 Lantgrauium *memorem? Euanthis furit Hassia*(2) *secum*
Littoreque armantur mauortia castra Salæo(3):
Parte alia bellum Virtymberzentius *heros*
Mouit, & horrisonis populat trepidantia turmis
Regna Palatini, & iam sic Deus annuit alto(4),
175 *Desperata salus populis, dominoque* Philippo(5)
Depressit fortuna caput(6), *quid prorogat vltra*
Inuidiam(7)? *regni motus, venturaque Boiis*
Excidia, & magni vires fractura Roberti?
An solum Albicolis tutari sceptra Boemis
180 *Quamquam se totis, fundant Hermundura*(8) *regna*
Viribus, & nostri spretor Multauia(9) *ritus*(10)
Effera calcatis huc transferat agmina ripis,
Credet? & in tuto spem ponere? proh inscia veri
Auerso(11) *mens acta Deo, tantumne feretis*
185 *Exitium ciues? suprema ne funera passi*
(12) *Cernetis dira consumi mœnia flamma?*
Dixit, & orandi facto sic fine quieuit.

(1) Artificiosa oratio & rhetoricis coloribus plena, tota posita est in persuasione.

(2) Bacchico furore concita, ab *Euan Euanthis Euanthidos* deducitur. Hoc autem dicit, quia semper *Lantgrauium* furibundum introducit.

(3) Id est, *ripa* Salæ *fluuii*, qui labitur per Westfaliam, inter quem & Rhenum cum Bructeris bellum gerens fracto crure Drusus oppetiit.

(4) Respexit ad illud in fine libri tertii: *Et dudum Iuppiter alto Intonuit læua.*

(5) Vt *Maro* Dominum *Æneam* appellauit in quarto.

(6) Iuxta eorum loquitur opinionem, qui rerum humanarum commutationem in fortunæ potestate sitam esse volunt, quam tamen Christiani non agnoscunt, omnia Dei prouidentiæ tribuentes. Sed neque veterum sapientes ei minimum tribuerunt. *Salustius* ad Cæsarem scribens inquit, vt ait *Appius* in carminibus, *Faber quisque fortunæ suæ est.* Et in procemio Iugurthini ignauos atque socordes dicit, cum virtuti ac diligentiæ desint, falso fortunam incusare, ad eamque infelicitatem suam referre. Et *Iuuenalis*: *Nullum numen habes si sit prudentia, sed nos Te facimus fortuna deam, cæloque locamus. Aureiium Augustinum* pœnitet ea fortunæ tribuisse, quæ Dei prouidentiæ sint. Depressit igitur caput fortuna iuxta communem mortalium affectum, quos pudet in calamitoso rerum statu conspici ab iis, quibus aliquando visi sint florentes.

(7) Scilicet, sublata caussa, vel mox auferenda, vt sequitur.

(8) Id est, Boemica. *Tacitus* tradit apud Hermunduros Albim fluuium nasci; quem constat in Boemia oriri.

(9) Item fluuius Boemiæ.

(10) Hoc est, nostræ religionis, ritus enim proprie de sacris intelligitur. *Syluius* pluribus refert in historia sua Boemica, vt gens hæc nostram spreuerit religionem.

(11) Irato.

(12) Conclusio pathetica.

* *Stabant ancipites cuncti, cuneosque per omnes*
Fluctuat huc illuc plebes, & nescia certi
190 *Iam quid agat, dubiasque tenet sententia mentes.*
Tandem Polydamas, quo non furiosior alter,
Induit arma minax, sese titubante senatu
Conicit in medium, rupitque silentia vulgi
Fatorum ignarus, violentoque ore profatur:
195 *Quod scelus, o ciues, vano cur victa timore*
Pectora vestra labant? quæ tanti caussa pauoris?
Pro re pauca loquar, neque enim facundia nobis
Quærendi caussas, vter hoc sibi iustius armis
Vendicet imperium, diriment has prælia lites,

Ensis

200 *Ensis erit iudex*(1), *non magni Cæsaris ardor:*
Nec quæ Munychia properant ex arce Phalanges
Impune ad nostros conuertent agmina muros.
Dedant se Helsatii, pictisque armata Couinis
Belgarum soboles, viuant, auraque fruantur
205 *Indecores animæ: quibus est interrita virtus,*
Semper amant cum laude mori, fatumque paciscí.
Forsitan externo cariturum Marte Robertum
Creditis? & solo committere regna Boemo?
(2)*Quicquid multifido mundi spectatur ab Istro,*
210 *Quique Borysthenidas rupes, Mæotia quique*
Littora circum habitant, Tanaisque in flumine potant,
Qui nostras dirimit terras, Asiamque rescindit
Europa, & nostro præbet confinia mundo,
Ad tantos venient motus, properabis ab altis
215 *Riphæis Roxane*(3) *iugis, tinctisque veneno*
Sarmata Amaxobios duces in castra sagittis (4),
Qua vastis fluit Indus aquis, contraque renitens
Ganges aduersum cursu delabitur eurum(5),
Descendent ad bella viri, totamque ciemus
220 *Assyriam, claramque Ninon*(6) *cernetis eorum*
Auxilio rigidos Acesinem impellere Mallos(7).
Orbis erit noster, nec plus de Cæsare quicquam
Fama canet, soli cunctis dominabimur oris (8).
Sic ait, atque ensem vagina extraxit eburna,
225 *Excitat abiectas, acuitque in prælia mentes.*

* Polydamas. Scholium adscriptum in margine notat per hunc *Polydamanta* seditiosissimum quemque, & rationi minime parentem intelligi.

(1) *Melanchthon* id non dissimulans in oratione dicta in funere Maximiliani: *Ipse hoc scio*, inquit, *pars illorum malorum, cum comitiis Augustæ habitis multa vtrinque iactata essent, Palatinum nihil respondisse, nisi vt sui cum telo essent, vindicandam armis Bauariam.* Flaminius apud *Silium* religionis spretor, ait: *Sat magnus in hostem Augur adest ensis.*

(2) Tam magno animo, vel potius tanto furore Polydamanta captum fuisse introducit, vt non solum victoriam de Cæsare, sed etiam de toto mundo sibi polliceatur.

(3) Qui & *Rhoxolani* dicuntur, populi vltra Sarmatas, quibuscum Sarmatæ continua bella gerunt. Nunc *Rutheni* appellantur: quorum Imperator Magnus *Basilius*, quem Cæsar *Maximilianus* fouebat, dum inter eum & *Sigismundum* Regem Sarmatarum non conueniret: superiori anno defunctus est. Christiani dicuntur *Rutheni*, Græca tamen secta, lingua semidalmatica, sicuti fere & Lituania & Polonia vicinæ regiones. Bifariam autem diuisi. Qui dicuntur *Albi*, vicini Lituaniæ, ex nomine fluuii Moscouii, ac Moscuam regiam habent. Alteri *Rubri* appellantur, orientaliores ac Borysthenі propinquiores.

(4) *Amaxobii* inter Sarmatas connumerantur, dicti quod in turribus vitam trahebant.

(5) *Homerus* quatuor tantum ventos facit, *eurum, austrum, fauonium, aquilonem.* Horum ortum *Ouidio* tradente his versiculis nouimus: *Eurus ad auroram, Nabathæaque regna recessit, Persidaque, & radiis iuga subdita matutinis, Vesper & occiduo quæ littora sole tepescunt Proxima sunt zephyro: Scythiam septemque triones Horrifer inuasit boreas, contraria tellus Nubibus assiduis, pluuioque madescit ab austro.* Patet ergo orientem plagam vsque Persidem & Nabathæorum prouinciam, quæ ab Arabia incipit, expositam euro, quo flante Ganges & Hæmodo monte Indiæ, vt inquit *Pomponius*, fluens in Indicum mare septem ostiis dispergitur.

(6) Ninus iuxta & vltra Tygrim. Nini ædificium, & regia octo annorum spacio, denis hominum millibus extructa: Cuius modica adhuc dicuntur extare vestigia.

(7) Hoc est, cernetis *Mallos* accolas Acesinis fluminis, impellere Acesinem, scilicet nauibus, seu remis, in auxilium nostrum profecturos. *Acesines* nobilis fluuius: qui, vt & *Mallorum* meminerunt *Arrianus* & *Curtius*, ingreditur Indum.

(8) Ea est impotentis & excæcati animi arrogantia, vt plura sibi semper quam par sit, polliceatur.

Exclamat tunc vulgus hebes(1), *sequiturque malorum*
Quod dederat fortuna caput(2), *placet ire per ipsa*
Vulnera, & in patrio dextras maculare cruore:

At

At quos sors melior(3) ducit, temeraria damnant
530 *Dicta patres, regnique vident præsaga ruentis*
Nuntia, plebeio semper damnata furore.

(1) Rationis, consilii, iudicii inops & expers,

(2) Autorem. *Terentius* in Adelphis; *Te esse huius rei caput.* Vocari enim præcipuam negotii partem, aut autorem rei, exempla passim obuia sunt. Eundem in modum & *arcem* dicimus rei cuiuspiam.

(3) Nimirum ratio, prudentia, industria.

Namque super celsa, quæ infra despectat in vrbem,
Arce audita loqui cornix(1), ac premere voces
Humanas, fatumque Deo spirante profari:
235 *Heu miserum, quid bella paras? superabere certa*
Lege Deum, & medio feruentis turbine Martis
Arripiere tuis, solioque locabere olympi.
Hæc patrum turbare animos: sed maius in vrbe
Prodigium fecere Dei: nam fulgur ab alto
240 *Horrentes per inane faces, sudumque trahebat.*
Quod postquam fumo lucentem clausit olympum,
Demersitque iubar densa caligine Phœbi,
Indigetes(2) petit igne Deos, arasque calentes.
Non secus ipse tonans nebulosa cacumina Pindi,
245 *Alpinasque niues, gelidumue effulminat Othrin.*
Aut cum flagrantis Libyes conuersus ad oram
Imbelles Mauors, summumque exterret Atlanta.
Præterea fleuisse feras, Manesque sub vrnis
Insolitis vlulasse modis, Ereboque relicto
250 *Persephonem mediam furias agitasse per vrbem*
Accepimus, passimque sacri incrementa per agros
Danubii(3), & multas disiectas flumine villas.
Vtque iræ patuere Deum, & discordia mundi
Visa palam, timuere omnes, puerique, nurusque
255 *Templis dona ferunt(4), sacras voluuntur ad aras,*
Numinaque exposcunt veniam facta impia quondam
Si qua forent soluenda patrum, præsensque piandum
Sit sceleris quicquam. Dum talia voce precantur,
Patricio assurgit mulier de sanguine creta,
260 *Quam Diuum exagitat verus furor(5), illa sub auras*
Effatur secreta poli, lachrymosaque pandit
Exitia, & magnas ventura in prælia cædes,
Tales fatidico referans e pectore voces:

(1) Cornicem habere vaticinium & loqui palam est, vt illud in Domitiani vita refert *Suetonius*; *Nuper Tarpeio consedit culmine cornix, Cum bene non potuit dicere, dixit, erit. Plinius* multa de cornice, item *Macrobius*, & interpres super hoc *Maronis*; *prædixit ab ilice cornix.*

(2) Idem Interpres qui sint *dii indigetes* in Georgica scribens, docet.

(3) Secundum antiquos, qui dixerunt Nilum *vatem*. Nam quid futurum erat, aquarum incremento præmonstrabat.

(4) Nam, vt scribit *Ouidius*; *Flectitur iratus Iuppiter ipse datis.* Et nobis remedia propitiando Deo, ipsius Dei verbis data sunt. Nempe misericordiæ meritis peccata purgari apud Salomonem legimus. Quod item in Psalmis Spiritus sanctus declarat & probat, dicens: *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* Diuus *Cyprianus* scripturarum testimonio colligit, orationes nostras ac ieiunia minus posse, nisi eleemosynis adiuuentur.

(5) Ea enim diuinatio quæ ex vatibus, siue prophetis est, si data diuinitus, semper est vera: Sin minus, etiam quandoque vera, vt placet *Augustino*, qui Maronem in Ecloga Pollionis de Christo vaticinatum esse dicit, ac Annam pontificem de liberatione populi, asinam quoque Balaam locutam. Diuinatio autem quæ ex arte fit, falsa deprehenditur, non solum ex euentu rerum & experientia ipsa, sed ex autoritate philosophorum & astrologorum qua de re vterque *Picus* pluribus libris disputant: nostri doctores item. Verum *Thomas Aquinas* non nihil ei concedit, corporis videlicet dispositionem, motum sensuum ad res varias, partim etiam horum ratione intellectas. Nam corruptis ex aliquo astro sensibus, intellectus etiam patitur: voluntas autem nullo pacto attingitur, liberaque semper & incolumis permanet.

Quis

Quis furor o superi? iam pila minantia cerno,
265 *Cædeque spumantes fluuios humentis Adulæ*(1).
Quæ volitant animæ circum(2)? *nosco eruta magni*
Fata Ducis, natique, & charæ coniugis vmbras.
En venit Hercyniis bello gens effera siluis,
Regina peritura solo: tantum ne feretis
270 *Dii spectare nefas? His dictis, torua vagatur*
Lumine, & exacto iam lassa furore quieuit.
Sic Deus Eois agitat Nyseidas(3) *antris,*
Thebanasque nurus, stimulos cum sentit Agaue(4),
Et furit Ogygias(6) *Euanthis*(5) *turba per vmbras.*
275 *Tunc dira instabilem terrent præsagia plebem,*
Patriciumque genus, ne rursus terra fretumque,
Aer & vasto splendentia sidera mundo
Sint priscum passura Chaos(7), *confusaque rerum*
Forma, indigesta redeant elementa figura.
280 *Polydamanta tamen possunt haud vlla mouere*
Signa Deum: cui dira intus furialis Erito(8)
Gliscit, & arma vocat, plebemque ad bella pauentem
Hortatur, suadetque omnes ea temnere Diuum
Fulmina. quid? nescit(9), *cum se, calor æthere summo,*
285 *Ceu nobis*(10) *quondam patres memorare solebant,*
Materia superante(11) *pati, nimiumque recusat*
Impatiens, natura inquit: sunt astra polusque(12)
Librato coniuncta gradu, globus aere terræ
Tollitur, ipsa sinu magnum fert Nerea laxo,
290 *Quod superest, mundumque ipsum, seriemque fatigans*
Respuitur(13) *passim: hinc hominum pecudumque repente*
Monstrifici partus(14)*: hic alto ardere cometem*(15)
Vidimus, atque modis flagrantes æthere miris
Effulsisse trabes, stellamque arsisse cadentem.
295 *Hinc tonitrus fiunt, & fulgura sæpe sereno*
Visa polo(16), *& pauidas terrentia fulmina gentes.*

(1) *Danubium* intelligit, qui ex *Adula* monte, vt proximo diximus libro, oritur. Prædicit autem futuram cladem Boemorum.

(2) Vaticinatur mortem *Roberti* Palatini, coniugis & filii, quæ libro decimo multis versibus describitur.

(3) Id est, *Bacchas*, in *Nysa* monte Indiæ, vnde Bacchus *Nyseus* dicitur.

(4) Hæc Cadmi filia ex Harmonia, de cuius furore *Statius* in Thebaide statim in principio, & ibidem interpres *Lactantius*.

(5) Furens.

(6) Thebanas.

(7) Iuxta *Ouidium*, qui de Chao plura statim in principio operis Transformationum.

(8) Scribendum *Ericto*. Deam hanc finxerunt, quæ contentionem seminaret, a qua nomen habet.

(9) *Quid* suspendenda est dictio: *nescit*, inquit, *calor pati, se superante materia.*

(10) Per interpositionem legendum, nam ea quæ audierat ignarus naturalium caussarum recenset.

(11) *Aristoteles* in principio tertii Meteororum.

(12) Ostendit temperamentum quoddam esse in elementis & rebus superioribus, quod Græci *antipathiam* dicunt.

(13) Vult innuere: quotienscumque vel humore nimio attracto, vel calore superante, temperamentum illud exceditur, a natura eiici: quod quidem in sideribus fieri respicimus, a quibus scintillæ velut ex lucernis multo repletis oleo eiiciuntur.

(14) Credit Poeta, monstra in siluis gigni ex hac fæce, vt ita dicam, rerum naturalium: quæ cum vim non habeat perfectæ creationis, monstrificos edat partus: quos tamen *Plinius*, vt a nobis relatum est antea, Veneri attribuit.

(15) Si longa & lata flamma apparet more calamorum ardentium in campis, aut longa tantum, & Hœdus vel Dalus: seu discurrens & ardens astrum videbitur, aut vehemens & condensa fuerit flammatio, & quasi sphærica, tunc cometes erit a *coma* dictus: Si longa, *pogonias* ex barbæ similitudine. Ambo tamen cometæ vocabulo, commemorantur & alii a *Plinio* præter Aristotelem Cometæ. *Xiphias*, omnium placidissimus, in mucronem fastigiatus. *Acontias* iaculi modo vibrans. *Pithetes* doliorum figura. *Ceratias* cornu specie. *Hippias* equina iuba. Venti ab his, & æstus & siccitas, tum etiam Principum mortes portendi dicuntur. Cur autem raro fiant, & qua cæli parte, tradit *Aristoteles*.

(16) De hiis omnibus lege *Plinium* lib. secundo, in cap. *Vbi fulmina non cadant*. item *Aristotelem* in principio tertii lib. Meteororum.

Creditis, o miseri(1), *parua hæc momenta quietos*
Sollicitare Deos, istisque inuoluere curis?
Arce Tonans placida regnat, fruiturque beata
300 *Pace nec in nostras flectit sua lumina sedes.*
Nec vos femineæ moueant ludibria vocis.
O vere lymphata Deo, Bacchoque repleta,
Dedidicit Cortyna loqui(2), *non Pythia sacro*
Fert antro responsa magis, nec vera Tonantis
305 *Amplius Idaliæ præbent oracla columbæ*(3),
Desinimus nouisse Deos, solum ensis & arma
Concedunt nobis meriti commercia cæli(4).
Dixit, & abrupto passim sermone vagatur,
Accenditque animos dictis, ac suggerit iras.
310 *Non sic Oceano fluctus voluuntur in alto,*
Aut cum Ryphæo Boreas de vertice pronus
Taurominitanæ turbat vada cæca charybdis,
Vt plebes vulgusque minax (sic fata iubebant)
Fluctuat huc illuc, Martisque furore trahuntur,
315 *Ignari, quid sorte datum, quo subdola belli*
Perducat fortuna(5) *reos: sic vndique clamor*
Per ripas Iseris, vallesque reuerberat imas.
Legatosque iubent patria discedere terra,
Ite aiunt propere, Regique hæc dicite vestro:
320 *Non illi in nostros ius esse impellere fines*
Armatas acies, dextraque & fœdere iungi
Poscere nos vanum, qui Marte tuebimur vrbem,
In cædes chara pro libertate ruentes:
Bello opus, hæc summa est. his dictis sæua reportat
325 *Hyphiades responsa, & Polydamanta recenset*
Vocibus instabilem stimulasse ad prælia turbam.
Tunc Dux magnanimus(6), *quo non præstantior alter*
Boiorum tellure fuit, seu cominus ense
Pugnandum foret exerto, siue eminus hasta,
330 *Voluit cuncta animo, & curarum impellitur æstu.*

(1) Epicureorum opinio erat, Deos nihil curare mortalia, secundum quam hoc *Maronis* accipiendum est, *Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat.*

(2) Vt etiam vere cessarunt oracula, aduentu Seruatoris nostri, vt testatur *Eusebius* de præparatione Euangelica.

(3) Significat Dodonæum oraculum, quod per columbas capiebatur, vt diximus. *Columba* autem *Idalia*, quia Veneri dicatæ.

(4) Apud gentes viri fortes summa laude efferebantur. E nostris *Mantuanus Carmelita*, eos æternum sibi comparare nomen apud posteros putat, qui armis religionem nostram tutantur. Machabæorum nomen, qui pro defensandis patriis legibus pulchram oppetiere mortem, inclitum est: quorum exemplo scio nonnullos magno & excellenti ingenio præditos, fas putare Christianis capessere arma in Turcas. Ego *Erasmo* accedo, qui pie autumat, subigi posse Turcas certis illis hominis Christiani notis, nempe vita innoxia, studio benemerendi etiam de hostibus, inuicta omnium iniuriarum tolerantia, pecuniæ contemptu, gloriæ neglectu.

(5) Anceps, dubia belli alea.

(6) *Robertus*. Accipe *magnanimum* pro viro forti, rei militaris perito, atque vt nunc aiunt, manu prompto.

Et iam ver tepidum, & solito fulgentior annus
Dispulerat de monte niues, & læta fugarat
Temperies nostris brumalia frigora terris.
*Phalsgrauides *tunc arma mouens rapidum ilicet Æuum*
335 Gorgiam *petere, & Praunam properanter ad vrbem*
Dirigere hostiles turmas, & cingere muros
Obsidione iubet. Delecto milite ductor
Mandata exequitur velox, tribus agmina castris

Effulsere

Effulsere vrbi : extemplo per mœnia ciues
340 *Armati trepidant, ærataſque excita currunt*
Præſidia ad portas: alii de turribus altis
Proſpectant acies, fuſaſque per æquora turmas.
Dum ſic attoniti perſtant, & poſſe tueri
Diffidunt ſeſe, inſtructas properare cohortes,
345 *Et vexilla vident ferri ſublata per auras :*
Tunc arma arma vocant, concurritur vndique telis,
Vimineoque horret ſcutatus in aggere miles
Pro portis, ſæuique inhiat præludia belli.
Ecce autem infeſtæ iam propugnacla phalanges
350 Phalſgrauidæ *inuadunt, paloſque, trabeſque præuſtas*
Corripiunt, fidoque intextas vimine crates
Diſcindunt : contra miles Praunæus ab alto
Hoſtilem frameis, ſaxiſque ingentibus, iram
Arcet ab incepto : ſic par fortuna duorum
355 *Viſa diu : tandem Martis gliſcente furore,*
Phalſgrauidæ *fracto pepulerunt aggere in vrbem*
Præſidium, muroſque inuaſiſſent, niſi præceps
Sol Tarteſſiacas ſubiiſſet Delius vndas(1).
At ciues intus trepidare, & vulgus inerme
360 *Præſidium arguere ignauum, ſigniſque latenter*
Detrectare vident pugnam, vultuſque fugaces.
Poſtera ab Oceano roſeis Aurora rubebat,
Cum nigri humentes abiiſſent aeris vmbræ,
In cælum ſubuecta rotis, tunc Martius horror
365 Phalſgrauidum *inuadit muros, clangorque tubarum,*
Æreaque immenſum diſrumpunt tympana cælum.
Qui ſubito externi rumor peruenit ad aures
Militis, Ænanæ ferrata repagula portæ
Abſcidit, & fugiens potiundam deſerit vrbem
370 *Hoſtibus, atque vltra pauidum ſe ſurripit Ænum.*
Vt fuga præſidii viſa eſt, patefacta repente
Vrbs Pallatinis(2) *ductoribus, ii ſine cæde*
Ingreſſi, ſtatuunt læti ſacra præſtitibus Diis.

* Iam deſcendit ad geſta *Roberti*, qui Praunam expugnauit, oppidum Bauariæ inferioris, in ripa Æni ſitum.

(1) Ita legendum, vt in exemplari manu ſcripto, non *vmbras*.

(2) Scribendum cum duplici *ll*. Nomen enim fingit Poeta inferius, tractum a ſocio Herculis ex *Pallanteo* Arcadiæ oppido.

Phalſgrauidum *interea Cæſar victricia ſigna,*
375 *Ac ſimul & turpi victam certamine*(1) *Praunam*
Accepit, magnum Albertum, *fratremque ſub armis*
Volphangum *ardentes, Noeburgi mœnia contra,*
Armorumque minas, iramque inferre nocentem.
Tunc illis metuens, animoſi tela Roberti,
380 *Iræ etenim exciderant animo, cum Norica caſtra*(2)
Deſeruit, motoque indignans ceſſerat(3) *Iſtro,*
Auxilium parat, atque infeſtis agmina ſignis
Helſaciæ intrepidas quæ iam conuerterat vrbes,
Ducit ouans, Iſerimque petit. iamque arua tenebat
385 *Fœta*(4) *armis, cum fama volat, ſpargitque repente*
Subſidio innumeras Regem ductare cohortes :
Non aliter fractæ vires, quam ſi ſua Mauors
Vibraret lato feruens haſtilia campo,
Infræneſque Getas, gelidumque impelleret Hæmum.

* Scribit Poeta Cæſarem veniſſe auxilio *Alberto*, & ſi paulo ante animum eius ſuſpectum cognouerat. Id a Poeta factum eſſe indicat annotatiuncula, vt Cæſaris animi fortitudinem, ac in ſuos pietatem oſtenderet.

Albertinos milites pu-
a vnus ductorum vir

(3) Prisganium inuasurus agrum, vtin … arto cecinit.

(4) Plena.

n.
erea Albertus magna … pante caterua,
ur cunctos: auget pr … ntia robur
ibus, gaudent domin … spectare loquentem:
ocii, mecum qui per a … crimina belli,
dubios Martis casus, f … tela fuistis,
pus adest, inquit, quo … ostrum auctura perenne
ortuna decus, iam non … a quærite ab armis.
nis armor belli tanto e … a milite maior,
anto maior erit famæ … adumque cupido.
it Cimbri testes(1), Lat … que per arua furenteis
utones, & Belgis rapta … nfinia terræ.
estis lentus Arar(2) & p … o Lingones arcu.
Æduus, & rapidis certa … gens Sequana bigis
Rege olim victa, & nostri … emefacta cateruis,
Degeneres non arma feru … sed ad otia proni
Indecorem segnes ducunt … nomine vitam.
Nunc haud externis bellu … committimus oris,
Pro patria pugnare datu … ent oppida nobis
Rapta palam, & nostris p … ibent considere regnis.
Quod genus hoc hominu … quis non Teutatis adoret
Iam sacra, & diris horre … m altaribus Hæsum?
410 Bellum iura premit(3), r … o dominamur, & ipsas
Prosequimur cædes(4), … que omne licentia rupit(5),
Vincimus Hyrcanas gent … s(6), & Taurica regna(7)
Delectu scelerum: iamq … ipsa minora Vetoldi(8)
415 Acta trucis, viuos vrsor … m in pellibus artus
Insuere, atque feris den … m obiectare solebat
Immanis: sed nos num … d damnabimur ipsi
Tam viles animæ? picto … hit aduena curru
Ingentes prædas, terit … ia, raptaque castra
420 Arbitrio premit ille suo … semper ne feremus
Hoc tantum durare nes … in limine sæuit
Iam bellum, & patriis … u capti degimus oris.
Tollite nunc animos, & … estra insueta domari
Pectora, dictorum mem … s estote meorum,
425 Cæsar adest, nostrosque … uat in Marte labores.
Qui belli maturus am … quod fulmen in illo est
Vt ruit in cædes, vt tur … coniicit hastam.
Sic ait, & verbis pugna … inspirat amorem,
430 Signa iugo, & rauco str … Cæsaris alta
Et longum sonuere tub … uerunt cornua cantu,
Crinibus intonsus mic … perque agmina Cæsar
Tandem acies coeunt, … & fulgentibus armis.
Tollitur, ac reuehit se … iam nox humida cælo
… optata quietem.

(1) De hiis, *Teutonis* item, vnde *Teut*… …nc *Heso*, quorum paulo post Poet… …it, diximus in primo.

(2) Vel *Arionistum* intelligit, vel Ca… …ostrum, quos legimus in Galliam…

(3) …ter arma silent leges, nullum ha… …æquitas, religio ludibrio est, fa… …ni nullum omnino discrimen. … simul atque belli sæua tempe…stas ingruerit, Deum immortalem, quam ingens malorum pelagus occupat, inundat, obruit vniuersa. Abiguntur armenta, proteruntur segetes, trucidantur agricolæ, exuruntur villæ, & mille alia mala, quorum multa recenset *Roterodamus* non vno dumtaxat loco: peculiariter tamen in explicando celebrato illo adagio, *Dulce bellum inexperto*.

(5) Tam pestilens est bellum, vt non minus

minus impios efficiat, quam ærumnosos. Hoc fonte nobis tam ingens latronum, raptorum, sacrilegorum, percussorum turba scatet.

(6) Latrocinio deditas, veterum scriptorum testimonio.

(7) Tauroscytharum immanitas, & plus quam belluini mores ex prædictis passim innotuerunt, & autores tradunt.

(8) Poeta haud ignarus, delectationem afferre varietatem, veteribus noua subiungit exempla. Nam hic *Vetoldus* imperante Cæs. *Sigismundo*, Vladislai frater eius, qui ad Poloniæ regnum vocatus fuit, Lituaniæ dominabatur, tanta vir crudelitate, vt dicto non audientes, insutos pelle vrsina, vrsis ad hoc nutritis obiiceret. Ferunt item arcum tensum gestasse, vt si quem aliter incedere ac volebat, conspicatus esset, confestim confoderet. Multos quoque per ludum interemisse dicitur. Rex a *Sigismundo* Cæsare factus, ante decessit, quam diadema indueret.

435 *Tunc Rex* Albertum *verbis affatur amicis:*
* *Quod contra vertis Noeburgum haud consulo bellum:*
Quandoquidem ingentes nos contra armare phalanges
Phalsgrauidem *fama est: ne Marte premamur vtroque,*
Linquenda obsidio, campique, atque ora Byburgi.
440 *Qua Phylsi tenuis perlabitur vnda, petenda est.*
Illic comperio metari castra Robertum,
Et nos (si qua via est) meditantem inuadere, longo
Fessos Marte dolis, ergo placet arma repente
Phalsgrauidem *contra, & fortunam vertere belli.*
445 *Sic ait, & tacito curarum voluitur æstu*
Boius: interea fessus se miles in altam
Demergit noctem, & placidæ dat membra quieti.
Postera iam Phœbo rutilante Aurora micabat,
Vasa legi mandant, & semisepulta labore
450 *Corpora curari, & signo iuncta inde moueri*
Castra dato: peragunt alacres mandata manipli.

* Laudat tacite Cæsarem a consilio rei militaris, cuius aliquanto gloriæ cupiditate patrem vicit: qua factum est, vt cum illum virum artibus pacis prædicet Germania, hunc non possit & bellicis, & ciuilibus decoris maximi facere. Tirocinium egit maximis confectis rebus in Flammingis, Brabantinis, Hollandis, Sicambris: idque tale, vt in eo vtramque fortunæ vicem sit expertus.

Ægida habens(1) *tunc Diua ferox, quis fallere possit*
Numen? vt occultos alta præsensit olympi
Sede dolos Regis, vultusque imitata, habitumque
455 *Exploratoris, ventura renuntiat arma*
Phalsgrauidæ, *qui consilio dextraque potentem*
Byspeichen(2), *vltro compellans vocibus, inquit:*
Postquam pugnandum est, res optatissima magnis
Diis oblata mihi, tantoque impensior acris
460 *Gliscit amor belli, quanto grauioribus ausi*
Auspiciis, metam dabimus requiemque laborum?
Rex etenim (vt fama est) in nostras dirigit oras
Cognatas acies, Martemque exposcit apertum.
Quicquid id est lætor, nam vel victoria belli,
465 *Vel lethum*(3) *dabitur, decus est vtrumque sub armis.*
Quare age rumpe moram, peditumque equitumque vicissim
Incipe delectum(4), *quæve hic sit copia lustra.*

(1) Colores sumpti ex *Marone* de Iunone, qui nullibi quiescebat vt infesta esset Troianis.

(2) Nomen ductoris exercitus Palatinorum.

(3) Cum aspiratione scribenda est dictio, cum illi origo sit græca tradente *Varrone* libro de lingua latina tertio. *Lethe* obliuio: inde *Lethum* dictum, quasi conueniat in obliuionem abire, qui vita excesserit. Et vulgo putant ominosum plurimum de vita defuncti loqui.

(4) Id sedulo faciendum admonet Xenophon, ne numerus intercidat, deinde equos prouidere, vti boni sint ac laboris patientes, neu strigosi, neu calcitrones, qui inter alios inutiles sunt, sæpeque cum res agi oportet turmas dissipant, ordinesque rumpunt, equitem quoque bonum inutilem reddunt.

At Cæsar maturat iter, perque ardua montis
Ductat anhelantem pubem, tenebrisque reuectis
470 *Haud longe castris aberant, factoque silendi*
Indicio, Albertus *placido sic incipit ore:*
(1)*Felices animæ, quibus amplum Martia nomen*
Perpetuo lux vna dabit, nunc auspice vobis
Cæsare pugnandum est, felicia signa sequamur,
475 *Quem ve probant sua facta Deum, victoria nostra est,*
Stent rapti fines, recidiuaque Noria (2) *cordi*
Condita Boiugenis olim, qui rupe Vesunti
Huc vecti, in nostra steterunt(3) *regione coloni,*
Vnde & adhuc retinet felix sibi nomina tellus.
480 *Sic ait, interea tenebrosa per auia noctis*
Ecce cruentatus manibus post terga reuinctis
Vcalegos(4), *magna peditum stipante caterua*
Ducitur ad Regem: coram qui talibus illum
Affatur dictis: Quis tu? quo tendis? & vnde
485 *Nocturnum moliris iter*(5)? *Suspiria ab alto*
Corde trahens, Phœben, & conscia sidera facti
Sic testatus ait: Magne o Rex, nomine dicor
Heu miser Vcalegos, ibam tua castra, tuasque
Exploratum acies, quo me sors impulit atra,
490 *Et data magnanimo sollers mihi cura* Roberto
Exhalare animam: verum hæc infausta parentum
Perpetior scelere, atque meo dant sanguine pœnas.
Fabor enim, qua flauus habet sua regna Sicamber,
Vrbs fuit insignis bello, & prædiuite gleba.
495 *Hic mihi regnat auus, sedemque, & sceptra tenebat*
Ille loci: interea (nam te meminisse putandum est)
Belgarum auxilio, Martis cum turbine, ad vrbem
Venisti patriam, & strauisti mœnia victor(6).
Narrata hæc patribus, Scythico ruit Hunnus ab Istro(7),
500 *Horridaque in nostros conuertit tela penates,*
Tunc auus, insigni dictus qui nomine Teuthras,
Vt casum vidit patriæ, commendat amico
Phorbanti vxorem, natum rapit impius alueo
Qui nondum infelix solidum compleuerat annum,
505 *Et vehit in siluas*(8), *pedibusque in vincla reuinctis*
Suspendit, linquens auibusque, ferisque vorandum.

(1) Crebras & elegantes orationes apud hunc Poetam legimus, nimirum ex industria factas, vt hac in re, vel æquaret alios, vel omnino superaret.

(2) Huius meminit oppidi *Cæsar* in commentariis, & nos de eo superius.

(3) Ea forma, qua *Maro, Steteruntque comæ,* & *Terentius* vsi.

(4) Explorator Palatini: qui postquam de se dixerat, per occasionem gentes & auxilia Palatini recenset. Argumentum indicat dilatum, & artificiose quidem meo iudicio, in hunc locum gentium Palatinarum catalogum. Nam mira est in hoc Poeta varietas, non minus eruditionis, quam delectationis plena.

(5) Ceu magis suspectum.

(6) Ante hoc, & post etiam bellum Noricum, in Geldrenses arma Cæsarem mouisse nostra habet memoria. Ego peracto bello Norico contra Palatinos, iam candidatus aulæ Maximilianææ, Cæsarem cum filio *Philippo* Rege Castellæ, tunc Belgarum Archiduce, in Sicambriam irrumpentes sequutus sum: vbi oppida quædam expugnata in fidem recepit, Coloniamque Agrippinam cum triumpho rediens, pacem Palatinis ac toti Germaniæ reddidit, de qua re vltimo libro Poeta cecinit, & nos illic amplius commemorabimus.

(7) Id est, a parte Scythiæ. *Apollonius* Poeta dicit Istrum ex montibus Hyperboreis currere per mediam Scythiam & Thraciam: vbi scinditur, partim in mare fluere Ponticum, partim Adriaticum, per quem dicit Argonautas venisse. Quod nunc minime apparet. Cæterum Hunnos duplices iuuenio: Asiaticos, quos supra Caspios & Albanos ponit *Dionysius.* Simacatus quidam est autor *Eustathio* in descriptione orbis, Hunnos circa Boream & Orientem consistere, eosque Turcas a Persis appellari. Alii sunt Hunni Europæi, quorum meminit *Procopius* lib. 5, diuersis tamen in locis. Ex

Ex quibus deprehendimus, Hunnos, qui Pannoniam cœperunt, Europæos fuisse, colonos forte Hunnorum Asiaticorum. Hosque simul eandem esse gentem cum Turcis, & Iazis, & Zanis, qui a Iustiniano superati sunt per Theodorum, vt autor est *Agathius*. Verum diuersis cognominibus appellati, ex ducibus plerique nomen habentes. Ex his postea Hungari, quasi Hunnari appellati: qui anno salutis circiter quadringentesimum duce Keue Pannoniam ingressi, ad Tulnam Austriæ locum contra Romanos victores fuere, in quo prœlio dux ipse occubuit. Plura item *Iornandes* & *Paulus* de Hunnis. Cum his Carolus bellum gessit, vt diximus, quos penitus ex solo Germaniæ substulit. Extare adhuc alteram Hungariam non longe ab ortu Tanais, Pannonicæ lingua & moribus pæne similem: idololatram tamen *Sylmius* scribit.

(8) Sumptum ex fabula Oedipi, iuxta *Silii* descriptionem.

Post hæc acta, feris Cimbrorum inferna Megæra
Aera per nigrum transuecta redibat ab armis,
Iamque super Batauos(1), *& iam super alta volabat*
510 *Ardua siluarum: gemitusque vt perculit aures,*
Excepit puerum, & gressus simulata seniles
Qua pastor septis pecua armentarius ambit
Phalsgrauidæ *magni venit, fatumque redemptum*
In peius, puerum infantem cui tradit alendum.
515 *Hunc postquam virtus, & auorum suscitat ardor*(2),
Ignarus patriam repetit, diroque parentem
Coniugio iungit propriam: cui nocte silenti
Portentum (sic Dii voluere) apparuit ingens.
Visus enim serpens squamis fulgentibus vltro
520 *Repere, & immenso torquere volumine terram,*
Spirarumque orbes, atque ora micantia linguis
Infauste posuisse sinu, lapsusque repente
Per tenebras, nigri properasse in tartara Ditis.
Hæc nato post nupta refert: qui tempora voluens
525 *Atque fugam patris, siluaque quot egerit annos*
Agnouit scelus infandum, raptusque furore
Per scopulos, per saxa volat, lucemque perosus
Ipse sibi infausta defodit lumina dextra,
Atque suam Hercynio vitam transegit in antro.
530 *His satus auspiciis, genus hoc a sanguine duco,*
Hac gignor serie, quare nil miror, habenas
Fortunam effudisse suas in nostra malorum
Exitia. His dictis iam clara rubescere Eoo
Cœperat alma dies(3), *tum collem ascendit in altum*
535 *Cæsar & Vcalegos, vnde prospectus ad ima*
Castra erat, & latas poterant numerare phalanges.

(1) *Cornel. Tacitus* libro vigesimo multa de Batauis prodidit. Conuenit inter plerosque doctos, eam insulam, cuius meminit *Tacitus*, esse, quam nunc Hollandiam vocant. Terram omnibus studiosis, cum primis Germaniarum, semper & celebrandam, & venerandam: vt quæ nobis suum *Roterodamum* dederit. Miror *Ambrosium Bergomatem* tam fœde lapsum, qui *Batauiam* olim, nunc *Bauariam* dici tradat: cum Bauari ad Danubium, Bataui non multum a ripa insulam Rheni colant, quod vel ex ipso *Cornelio* deprehendisset. Sed lapsum hunc fortasse quiuis mediocriter doctus aduertere potuit.

(2) Vt liberi fere parentes referre solent.

(3) In codice scripto legi, *Cœperat orbe dies*, vt sit, *orbe Eoo*, quam lectionem probam magis puto.

Tunc Rex fare, inquit, quæ gens, quoue ordine turmæ
Militiam seruent? contra sic ille profatur:
At postquam merito(1) *labentem sanguine vitam*
540 *Heu video, hæc animo Cæsar cape dicta: per hostes*
Si tibi (quandoquidem mens est auidissima Martis)
Tela inferre placet, verbis (haud mentior) hisce
Adde fidem: armipotens(2) *duro sude lata* Robertus
Vallauit castra, & tuto munimine cinxit.
545 *Ille est, qui multa peditum comitante caterua*

Incedit

Incedit, latoque effulget in agmine clauo(3).
Hic medium retinet spatium, roburque virorum
Circum habet: at læua vili contentus amictu
Crinibus & barba prolixa, atque obsitus æuo
550 Gorgias *seruat partes* Rhodomontius *illas.*
Dextra autem cernis quem versicoloribus armis,
Hic est Byspeiches, *pro castris* Auchius *ante est,*
Atque datæ custos stationi(4) *fidus inhæret.*
At primi ante alios, mazaris(5) *sueta iuuentus*
555 *Heluetii, quos pone vides (nisi fallor) ab alta*
Arbitror Hercynia Chamum Ambergamque dedisse(6)
Ad bellum, atque vna iunctam Calminzida pubem.
Qui vero ex alia consistunt parte, Sicambros(7)
Esse reor, cerne intortos de more capillos
560 *Gentibus, atque æquor longis horrescere telis.*
Iuxta autem manus est, gemmarum diues & auri,
Gallica(8), *pugnaces Belgæ*(9), *& præturbidus Axon*(10),
Quique colunt Vogesum(11), *& fulgentibus Hæduus armis.*

(1) Ob pactam proditionem: cuius mercedem id genus hominum raro accipit, vt quod frequens intercipiatur.

(2) Laus *Roberti* in re militari.

(3) Hunc *Silius* & Pontifici tribuit. *Sacrificam lato vestem distinguere clauo.*

(4) Vel commendatæ, vel ipsis stationariis militibus.

(5) Teli genus, quod peculiarissimum fuisse Heluetiis tradit *Cæsar* in commentariis.

(6) Oppida sunt Palatini ad Boemiæ siluam posita.

(7) Qui infesti semper Cæsari fuerunt, diximus enim hos hodie Geldrenses putari, quos *Cæsar* traiecto Rheno se fugasse dicit in commentariis.

(8) Quoniam in eo bello Palatino Galli non defuerunt.

(9) Quorum mox aliquot populos recenset.

(10) Lucanus, *Longisque leues Axones in armis.*

(11) Et huius meminit in primo *Lucanus.*

Tunc Cæsar: Qui cultus, ait, tam Martius illis
565 *Quos video, & denso qui sistunt agmine iuncti?*
Cui sic Vcalegos. Memorant ex arce profectos
Budorii(1), *primam seruant qui ex ordine classem:*
Inde locus populis proaui concessus Othonis(2),
Extolluntque leues duri Neomarctides(3) *hastas:*
570 *Hos sequitur Neoburga cohors*(4), *fidique Roani*(5),
Lanzuthique tremenda manus, longamque feroces
Byrcasidæ(6) *linquentes arcem, cominus omnes*
Decertare auidi, atque animas effundere Marte.
Quare hanc, o Cæsar, ne multo sanguine pugnam
575 *Præsentem efficias, nec non sine cæde tuorum,*
Quæ peragenda putem (paucis aduerte) docebo:
*Est locus in castris *Neoburgi*(7) *mœnia contra* — *al. *Koburgi*
Expositus, trabibusque altum subiecta minatur
Innexis specula, & late prospectat in agros,
580 *Hoc factum, vt quando congressi hostilibus armis,*
Vera hinc cum Martis mota face signa darentur
Vicina auxilium bello trepidaret ab vrbe.
Quare inuade locum nullo munimine tutum,
Sed patet, infesto si quisquam est conscius hosti.
585 *Dixit, & effuso vitam cum sanguine fudit.*

(1) *Heidelbergam* intelligit oppidum ad Neccarum situm, in quo Palatinorum Rheni est sedes. Id *Volaterranus* in descriptione Germaniæ corrupte vocat *Etelbergium*, & lapsus inter Norici ciuitates numerat. Ibidem etiam Herbipolensi ciuitati emporium nostrate, quod Franconefurti est, attribuit: eodem errore, & eligendi Imperatoris locum Herbipolim dixit.

(2) Quos nos patria lingua *Oderwalder* appellamus, puto designatum populum.

(3) Forte quod diutinam sustinuerint obsidionem Norimbergensium.

(4) In

(4) Ita legendum, non *Keburga*, oppidi huius & superius mentio facta est.

(5) *Raynum*, vt vulgo nominatur, accipe. Ergo expungendum *Kappa*, & reponendum *R. Fidum* dixit, quia multotiens obsessus nunquam a Palatinis defecit.

(6) Inflexit vocabulum, vt versui concinne responderet: designat *Byrckhausam* oppidum, in cuius montis dorso longissima posita arx est, in qua *Georgii* Ducis Bauariæ ingentem vim thesauri repertam a Palatinis fuisse, fama erat.

(7) Vt supra, ita & hic *Neoburgi* legendum est.

Hæc Cæsar voluens, noctu explorare cohortem,
Quod pugnæ exorsum capiant, quæve intus oberrent
Excubiæ in castris, vel si Theutrantius(1) *illa*
Finxerit Vcalegos: talem Raibertus *ad vsum*
590 *Turmarum ductor, piloque animosus & ense*
Sansius *eligitur, qui centum ab origine Franca*
Præclaros memorabat auos, ii iussa facessunt,
Seque manu iuuenum, croceos aurora priusquam
Subiiceret vultus, muniti ad robora valli
595 *Contulerant. vigilans longe Dux* Auehius *inquit:*
Qui vos? vnde equitum turma hæc? sic fatus ab alto
Fumiferam extollit pinum. mox Sansius *olli:*
Castrenses propere portas reclude, Enyalius(2)
Hic ego sum, fortisque manum mecum aduehο pubis
600 *Subsidio. his dictis tacuit Dux* Auehius, *artis*
Atque doli ignarus vallum portasque recludi
Iussit, & auxilium admitti, Bacchoque foueri.
Sansius *vt bifidi simul intra robora valli*
Illæsam atque auidam pugnæ videt esse cohortem,
605 *Instruit, & iuuenes armata per agmina trudit,*
Et volat in cædem, primosque in tartara mittit
Tyrnastem, Phyalumque, & magni Drapidis vmbram,
Qui bello infaustus non dextris venerat armis
(3) *Vnde Sedunensem Rhodani fons alluit vrbem,*
610 *Et radit sparsos fluuio crescente Varagros*(4).
Hunc(5) *fama est rapida gelidis ex alpibus*(6) *vnda*
Per Viberum campos labi, longoque refractu
Ostrifero(7) *madidum caput occultare Lemanno.*
Hic iras placare ferunt, & gurgite aperto
615 *Luctantem laxare vndam, qui victor inerti*
Indignatus aqua, & concepto turbidus alueo
Humectat scabra pendentes rupe Gebennas(8).
Inde per immensum sinuoso littore campum
Delatus, tumidis Ararim(9) *permiscet arenis,*
620 *Binaque Phocaico dein subiicit ostia Ponto*(10).

(1) Ab auo cui Theutras nomen affictum a Poeta, qui insigne id dixerat, fortasse respiciens ad Thespiades appellatos a poetis Theutrantia turba, a Theutrante Thespii patre. Vnde apud Deianeiram *Ouidii*, pro Thestitia, aut Thespiæa legendum Theutrantia turba, autore *Politiano* & *Egnatio* obseruatore.

(2) Martis cognomen sibi assumpsit, qui apud Græcos *Ægyaleos* appellatur.

(3) Per digressionem Rhodani ortum & cursum describit. Hic fluminum in Narbonensi omnium maximus ac rapidissimus, ex Alpibus per fines Allobrogum orientem versus fluit vsque Lugdunum, inde conuersus tribus ostiis in mare Gallicum desinit. Eius etymum *Plinius*, & item diuus *Hieronymus*, a Rhodiorum colonia vrbe citerioris Hispaniæ venire volunt.

(4) Quia in montibus sparsim habitant.

(5) Scilicet, Rhodanum.

(6) Ni fallor, quas nunc *S. Bernardi* vocant, *Cæsari* summæ appellatæ, qui & eas latronibus purgauit. In his volunt *Veragrorum* caput esse, vicum, vbi cœnobium *sancti Mauritii*, Sedunensis diœcesis.

(7) Quia ostreis abundet. *Plinius* dicit ostrearum viuaria instituisse ante omnes Sergium Oratam in Baiano, qui & optimum saporem Lucrinis ostreis adiudicauit. *Ostreum* apud *Senecam*, & *Ostrea* apud *Gellium* femininum. *Spartianus* in Heliogabalo ostreas & liostreas dixit.

(8) Vrbs *Gebenna Cæsari Genua* appellata, iuris Germanici imperii. Gebennensem agrum patrum nostrorum memoria nobilitauit secessus *Amedei* primi Subaudiæ Ducis: qui deinde ob abstinentiæ clarique nominis famam, inuitus in concilio Basiliensi Pontifex factus, mox concordiæ gratia sese sponte abrogans, *Nicolao V* sedente, Cardinalis ac Legatus remansit, simul cum

 his,

his, quos ipse Cardinales prius creauerat. Felix Princeps, & nimium felix, si senium suum ecclesiasticis titulis non fœdasset, vt *Syluius* ait.

(9) Qui vna cum Duri ex eodem, quo Rhodanus, monte exeuntes, atque vna corriuantes, in Rhodanum iuxta Lugdunum commiscentur. Arar vero lenis adeo defluit, vt nescias in vtram partem descendat. Vnde superius Poeta eum appellat, *lentum*. Habetur clarus ponte Cæsaris vno die militum opera fabricato.

(10) Id est, Massiliensi. Nam prope Massiliam mare ingreditur. Massilia Phocensium colonia est. Vnde a *Silio* Italico est *Phocaica balista* appellata *Massiliensis*. De Massilia diuus *Hieronymus* in epistolam ad Galatas. Massiliam Phocenses condidere, quos ait *Varro* trilingues esse: quod græce loquantur, latine & gallice, Hæc ciuitas Pompei partes secuta: a Cæsare per vim expugnata fuit. Libertate antiqua vtebatur, nec prætoribus prouinciæ parebat, vt ait *Plinius*. Cur autem Phocenses communi consilio patrium solum reliquerint, Galliam Narbonensem adeuntes, ibidem florentissimam ciuitatem Massiliam condiderint, scribunt *Herodotus* libro primo, *Strabo* quarto. Meminit & *Horatius* libro Epodon. *Stephanus* Phocæam vrbem Ioniæ facit, cuius denominatiuum Phocæus, & Phocaus, & alteram eiusdem nominis in Mycala Cariæ. Est autem & Phocis Bœotiæ, de qua mentionem fecimus in primo.

Ergo laxatis cuneis furit ense satelles
Cæsaris, & largo maculatur sanguine tellus.
Sic passim in castris trepidatum, vmbone Robertus
Rapto ait: O miseri, quo vos insania ducit?
625 *Quidve mali fortuna parat? sedate tumultum.*
Dixerat. interea fracto fugit obice valli
Byspeiches, *atque arma vocat, ferte obuia pilis,*
Vociferat, nunc pila viri, dolus hosticus errat
In castris, passimque omnes cæduntur inermes:
630 *Perculit vt primum arrectas vox militis aures,*
Corripit arma, ruitque ipsa in discrimina pugnæ.
At prior ante omnes animosus imagine patris
Phalsgrauides *bello insignis, facto agmine ab alto*
Detrudit vallo rigidas vmbone cohortes.
635 *Non aliter Nasamon, Cyrenarumque colonus*(1)
Regnantem media fugiunt basiliscon(2) *arena.*

(1) Sub Cyreniaca regione, *Plinio Pentapolis* dicta, a numero ciuitatum, quæ in ea continentur *Cyrene*, *Apollonia*, *Barce*, *Arsine*, *Berenice*. Libya est serpentum ferax, latissima gente, diuersisque immixta populis: quapropter *Ptolemæo* Libyophœnices, & Libyegiptii ponuntur: & interior Libya sub Æthiopibus nigritis: iuxta hos Nasamones populi & Garamantes: & paulo supra Marmaridæ ad Ægyptios pertinentes. *Plinius Nasamonas* etiam dicit antea *Mesamonas* a Græcis vocatos, ex argumento loci medias inter arenas sitos. *Dionysius* autor est, Nasamones a Romanis domitos, ob trucidatum ab eis Lentulum Ducem ad eos confugientem.

(2) Tanta enim fertur acuitate veneni, vt quamuis breuissimus; palmum enim non excedere dicitur, serpentem quamlibet magnum halitu suo extinguat. Si quis autem vel baculo eum tetigerit, breui tempore intereat.

Aurora interea rutilantibus aurea bigis
Expulerat tenebras, lucemque reuexerat orbi.
Tunc Cæsar: properemus, ait, nisi fallit imago,
640 *In castris pugna est: en* Sansius *vt furit hasta,*
Hippolytusque, Rhebasque simul: iam cedere retro
Incipiunt, densaque virum iam mole premuntur.
Sic ait, & primis fortem procedere signis
Imperat Albertum: *sequitur quem ex arcibus audax*
645 *Munychiis pubes, duroque exercita bello.*
Iam cursu rapitur celeri, iamque ardua montis
Liquerat, & plano deduxerat agmina campo.
Pone instat Cæsar, vestigiaque impiger haurit,
Subsidio intentus pugnæ. Simul atque per auras
650 *Effulsere Aquilæ, vexillaque nota* Roberto,
Protinus e castris aciem producier omnem
Imperat, atque auidas diffundier æquore turmas.
Dumque volant turmatim omnes, vallisque refractis
Exiliunt equites, infelix Sansius *hostis*
655 *Impete suffossus, vitam cum sanguine fudit.*
Nec mora, concurrunt acies, flagrantibus atrox
Desæuit Bellona animis, madet imbre cruento

Tellus

Tellus, & nigro fluitantia corpora tabo
Calcantur resupina solo, expirantiaque auram
660 *Congesti crescunt super ipsa cadauera trunci.,*
Dum pede pes teritur, mistusque vmbonibus vmbo
Traditur, & madido pugnatur cominus ense.
Albertus *iam cæde madens, iraque redundans*
Ingruit hostile, Auletemque, & Hyapida magnum
665 *Atterit, & qui nondum formidabat Anireum,*
*Vertumnumque senem, natumque, & pellice Tusca**
Leucothoum Androcidem tetro demersit auerno.
Ac velut Armenio currens de vertice tygris
Immanes Arabas ferit, Assyriamque frementem
670 *Præuastis populatur aquis, & gurgite laxo*
Cum stabulis armenta trahit: sic martius Heros
Ense minax per castra furit, madidusque cruore
Multorum valido prosternit corpora ferro.
Nec minus instabant Volphangus, *& impiger hasta*
675 Zornyus, *& glauco pugnans* Casimirus *halarco.*
Gorgias *primam vt vidit trepidare phalangem,*
Pilatam educit contra in certamina pubem,
Et pugnam instaurat; volat ille, atque æquora circum
Pulsat equo, & lato frendit gesatus in aruo,
680 *In densosque agitur cuneos, telumque coruscat.*
Vt procul Albertus *sæuo Mauorte cruentum*
Agnouit, rabies gliscit vesana furenti,
Ignoransque modum calidæ indignatio pugnæ.
Protinus impatiens grandi ferit agmina pilo,
685 *Et vetitum patefecit iter, totisque subinde*
Viribus exarsere acies, exhausta iuuentus
Obruitur, passim cædes, tetra vndique mors est
Effususque cruor, tolluntur in æthera voces,
Singultusque graues scopuli & nemora alta remittunt.
690 *Cernere erat laxosque arcus & Auentica*** *tela,*
Armaque, quæ Alpicolæ bello aduexere Lepontii†
Sparsa solo, cæsasque manus, & brachia, & harmos,
Atque hominum truncos, & busta iacentia campo.

* Pro *Rhætica* puto accipiendum, quoniam Tusci olim Rhætiam incoluerunt.

** Id est, *Heluetica*: ab *Auentino*, vt quidam, nescio tamen quibus autoribus, monte, circa Lucernæ lacum.

† Heluetiorum gens.

Interea lux alma polo fulgebat ab alto,
695 *Lustrabatque Iuræ*(1) *roseo iuga lumine Titan:*
Tunc maiora graui renouantur prœlia cæde.
Cæsar adest insignis equo, contra horridus ense
Instat Phalsgrauides: *mirandi exorsa duelli*
(2) *Vos canite, o diuæ Libethrides: ira furorque,*
700 *Immanisque subit rabies, votumque cruoris*
Ingentes animos, paulumque moratus vterque
Alterius spectare artus, & fortia bello
Pectora, fulmineosque oculos, vultusque minaces
Mirari: tunc alta velut per nubila venti,
705 *Humentesque ruunt Austri*(3) *Boreasque*(4) *niualis*(5).
Aut cum vere nouo Zephyris genitalibus(6) *aura*
Spirat, & ardentes ineunt certamina tauri.
Concurrunt, quatitur tellus, atque astupet æther.
Tunc Rex armipotens vibratum effulminat ensem
710 *Vrgebat contra, aut vitabat adacta* Robertus
Vulnera: sed Cæsar telum fatale coruscans,
Non bene protecto plagam defixit in harmo.

Protinus exiluit calidus cruor: arma Robertus
Vt fœdata videt, vasto ruit impete, & Heulon(7)
715 *Vrget equum, grandemque premit calcaribus aluum,*
Æstuat irarum furiis, & conscia virtus
Increpat ardentem, sic crebros ense sonoro
Ictus congeminat, horrendumque intonat hosti
Phalsgrauides, *putrique armorum fragmen arena*
720 *Emicat, obtusique enses, parmæque refractæ,*
Atque iubatorum phaleræ calcantur equorum
Gemmatæ, & nitidis squallentia cingula bullis.

(1) *Ptolemæo* Iurassus.

(2) Obseruo huic Poetæ familiare esse Musarum petere auxilium, quoties Cæsaris pugnam descripturus est. Musæ autem *Libethrides* dictæ a spelunca nympharum in Helicone.

(3) Ventis quibusdam, vt testatur in Problematis *Aristoteles*, alia aliis regionibus vis est ac natura, Hellespontias Atticæ terræ, insulisque vicinis imbrem adfert, Aquilo Hellesponto ac Cyrenæ, Auster Lesbo. Atque hic cum apud alios sit tepidus & pluuius, Africæ frigidus est ac serenus, vbi rursus Aquilo pluuius, autore *Plinio*, apud quem autor est *Fabianus*, Austrum in Ægyptum non penetrare. Qualis est Atheniensibus Scyron, qui idem Hellespontias vocatur, reliquæ Græciæ ignotus. Narbonensi Galliæ Circius a turbine & vertigine sic appellatus: siue Certius, vt vocat *Cato*: ventus apud illos clarissimus, nec vlli violentia inferior. Idem non modo in reliquis cæli partibus ignotus, sed ne Viennam quidem eiusdem prouinciæ vrbem attingens. Sunt & alii permulti cuiuscunque regionis indigenæ, vt apud *Gellium* testatur Fauorinus.

(4) Nos *Aquilonem*.

(5) Frigidus.

(6) *Fauonii* latine.

(7) Nomen equi.

Dum furit ira animis, Pallasque, & Delia ab æthra(1)
Labuntur, rixamque ineunt, ac iurgia iactant.
725 *Vixque aberant pugna: quid enim? nunquam ne repostum*
Irarum cumulum linques Tritonia virgo?
Quod scelus hoc? at fata manent immota(2), *tuisque*
Plectere insidiis, facinusque inuita dolebis
Commissum, & qua nunc exorta superbia tanta est
730 *Gorgone*(3) *non semper spero iactaberis ista*(4):
Nec rere huc Martem, quem cælo asperrima Pallas
Vicisti, & magnum strauisti verbere Numen(5),
Descendisse polo. sic Delia. At altera virgo
Ægida concussit, circum caua saxa nemusque
735 *Intonuere, vadoque amnes tremuere profundo.*
Ac velut ad scopulos demissus ab aere summo
Accipiter(6) *volat, aut magno cum turbine ab alto*
Saxum ingens cadit, & propulsat pondere terram:
Delia sic Pallasque ruunt, Isterisque residunt
740 *Cautibus, atque acrem prospectant æquore pugnam.*

(1) Describit certamen Palladis & Dianæ, quarum altera pro Cæsare, altera pro Palatino pugnabat.

(2) Diuina decreta non commutantur, vt humanæ leges: quæ pro tempore variantur, quemadmodum & mores & voluntates. Vnde perpetuo epitheto, fatum immutabile.

(3) Notissima fabula est.

(4) Per contemptum, vt illud *Maronis*, *aut quid petis istis*.

(5) Cum enim Mars & Pallas in contentionem venissent, Pallas percussit pugno Martem, qui percussus in terram cecidit, vt est apud *Homerum*.

(6) Multa accipitrum genera commemorat *Aristoteles*.

Interea Austriades sæuum iam presserat hostem
Deiecturus equo, iuguloque instabat inermi.
Ter Pallas percussa sinus, terque Ægide acutos
Pulsauit scopulos, illoque ruisset in arma,
745 *Ni Ioue demissa a magno Cyllenia proles*(1)
Saxifica fieri vetuisset Gorgone pugnam.

Tunc Dea corripuit hastam indignata trabalem(2),
Qua domat heroas, cœtumque irata Deorum.
Hac igitur Regem aggreditur, vastaque tremebat
750 *Voce solum, atque imæ resonabant murmure valles.*
Non aliter cælo ventis luctantibus intra
Humenteis nubes miranda tonitrua clamant.
Adstupet Austriades, mox percipit(3): *Eia age, fatur,*
Pugnandum est iterum superis: nosco improba Pallas
755 *Nosco iram, glaucosque oculos*(4), *atque horrida tela.*
Talia dicentem inuadit, lignoque trabali
Ingentem frangit clypeum, sub pondere Cæsar
Ingemit: vt quando percussa securibus ilex
Prona ruit, lateque altum dant saxa fragorem.
760 *Ecce autem verita arma Deæ Diana furentis*
Lethifera in Regem volat obuia, pone fluebant
Corytique graues olli, læuesque sagittæ,
Vulnificumque manu iaculum Dictynna(5) *coruscans,*
Arcet ab incepto sæuam Tritonida Marte.

(1) Mercurius.

(2) Cuspidem.

(3) Latenter innuit acumen intellectus Cæsaris, vt vere illo præditus erat: vt qui non summas res modo & abditas a sapientibus, quos frequens admittebat, prolatas capiebat, sed nouas quoque in medium acutissimas quæstiones non facile, quamuis exercitato & ingenioso enodandas proferebat.

(4) Ita fingunt oculos habere Palladem poetæ. Vnde a Græcis quoque *Glaucopis* Athene *Pallas* dicitur. *Aristoteles* de Animalibus ait, glauciores oculi propter humoris prauitatem interdiu melius cernunt: nigriores noctu ob debilitatem: quod minus a visibilibus & luce mouentur. Homo tantum inter animalia variis oculis. Quos minimum attrectari iubet *Galenus*. Si leuis morbi sit caussa, tantum noxia subtrahenda, quæ quatuor sunt, fumus, sol, lectio, vinum immodicum: aqua prius tepida, deinde frigida diluendi: & si oporteat, lacte & oleo rosaceo liniendi. Si altior incubuerit causa, quæcunque illa sit, maxime hoc remedium proderit, in Commentariis Cæsaris Augusti repertum, *Plinio* referente.

(5) *Diana*: quare ita appellatur *Solinus* refert.

765 *Nam dum magnanimum Regem premit illa, suasque*
Ingeminat vires per inane, volatile telum
Delia (quod vasto stridens vmbone pependit
Palladio) intorquet: tonat ictus, & arma Mineruæ
Increpuere sono, & longe caua saxa reclamant.
770 *Tunc Pallas rabie feruens, effundit in hostem*
Se totam, Diuamque ferit, pronamque sub ictu
Sternit humi, vibratque ardens immania tela
(1)*Desuper, atque forent nisi Dii sine sanguine nati,*
Concessumque frui cæli immortalibus auris,
775 *Hæc fuerat suprema dies*(2), *campumque cruore*
Fœdasset Diana suo: iam cominus acre
Cæsar vt aspexit pugnantes, ingruit hosti,
Palladaque horrisono ingentem diuerberat ictu,
Qua niueæ vertigo manus cadit altior orno
780 *Hasta Deæ, lapsum conata attollere pondus*
Deficit, atque alta Tritogenia vritur ira,
Et fremit immensum Boreas velut arcticus(3) *inter*
Et saxa, & siluas, pontoque immugit anhelo(4).
At genitus Maia, præpes Cyllenius ales,
785 *Spectator pugnæ scopulo consederat alto,*
Protinus hic monitu magni Iouis inquit, abite
Cælestes Diuæ, durumque relinquite Martem,
Sic Iouis imperium, dixit: læuaque tonatum
In cælo sensere Deæ: volat aspera Pallas,
790 *Atque senem Chirona petit*(5), *qui fessus in antro*

Hæmonio(6) lectas curam impendebat in herbas.
Iuppiter interea nubem demisit olympo,
Inuoluitque aciem, atque oculorum lumen ademit.
Hic finis pugnæ. nam dum vestigia quærit
795 *Nequicquam Austriades, labens se surripit hostis.*

(1) Hic versus, vt & sequens corrupte & perperam leguntur hoc modo, *Desuper, & quoniam Dii sunt sine sanguine nati Hisque immortalis vita conceditur aura.* Quos ita ex Poetæ exemplari restituimus. *Desuper, atque essent nisi Dii sine sanguine nati, Concessumque frui cæli immortalibus auris.*

(2) Sensus est: Hæc dies fuerat suprema Dianæ, nisi Dii essent nati sine sanguine, & propterea fruerentur, iuxta *Homerum*, aura immortali.

(3) Flat enim aquilo a septentrionibus.

(4) Metaphora, a currenti furentique equo.

(5) Sumptus color ab *Homero*, qui cecinit Plutonem apud Pylum Nestoris patriam, vt superius diximus, ab Hercule vulneratum, Pæonem peritissimum in castris Græcorum medicum incolumem reddidisse. Chiron autem Phyliræ & Iouis filius fuit, de quo plura *Hyginus*. Ab hoc Æsculapius medicinam, Astrologiam Hercules, Achilles citharam didicere. Argonautarum medicus fuit: multarumque herbarum vires ac naturas deprehendit. Vnde herbæ genus ab eo inuentæ *Chironia* appellatur.

(6) Thessalico.

Dumque hæc in castris diuersa in parte geruntur,
Vicina auxilium fessis duxerat ab vrbe
Polydamas sceleris fabricator, & impius arma
Induerat, quos dira fames(1), & auara libido(2)
800 *Præcipitat belli, iamque inter Martia tela*
Vociferans volitat: sunt hæc, ait, omnia claro
Missa polo? hæc nostris horrentia fulmina templis?
Verum si patria Superi sunt vrbe piandi,
Ense scelus soluam, & præsenti cæde sacerdos
805 *Iratum placabo Iouem, pubemque litabo*
Hostilem, Taranique(3) sacra instaurabo quotannis.
Dixit, & in medium longa sude prosilit agmen.
Non secus Æthiopum fuluo nemora inuia tauro(4)
Turbantur, cum sæua fames per viscera serpit,
810 *Diffugiunt, trepidantque feræ de montibus altis.*
Sic Diuum contemptor erat, turbamque fugacem
Prosequitur velox, atque acrius atterit agmen,
Contemnitque mori. sed quis cælestia rumpet
Fata Deum, legemque dabit pollentibus astris(5)?
815 *Strauerat ille aciem, & vacuis victricia campis*
Extulerat iam signa palam, cum tractus ab ira
Wolphangus *iaculum longis amentat(6) habenis,*
Atque in clamantem tenso pede dirigit hostem,
Qualis Ithyræo cornu leuis exit arundo,
820 *Vel cum depugnat verso gens Parthica(7) neruo(8).*
Tale per immensum stridens volat aera telum
Atque hostem fatale petit, cetramque rescindit,
Quam Tartessiaco in pugnam de more gerebat:
Æratosque orbes chalybum, septemplice gyro
825 *Distrahit in partes varias, penitusque sub ima*
Viscera delapsum fortes depascitur artus.
Extemploque cadens moribundus corpore vasto
Pulsat humum frendens, oculisque minacibus horret.
Non aliter Phario percussa leæna veruto(9)
830 *Concidit, & rictum spumantem vulnere torquet,*
Sic olli rabies creber ferit ilia pulsus,
Et calidæ effuso vacuantur sanguine venæ,
Vmbraque tartareas fugit indignata sub vmbras.
Nec finis pugnæ, præsenti cæde superbus
835 Volphangus, *per castra volat, nec segnior ille*
Ingenti campos replebat cæde Robertus,

Interea

Interea ductis pugnantem cornibus hostem
Clauserat, & fusos iam victor Cæsar ab amplo
Æquore dispulerat pedites, tunc Francus anhelo
840 Gorgias *in Marte furens, quando vndique cernit*
Indignatam aciem, versosque in terga maniplos.

(1) Vel quod Deo irato eueniat, vel quod ad dira quæque mortales adigat, vnde & malesuada. Diuus *Cyprianus* libro contra Demetrianum, imputandem Christianis mala, quibus tunc mundus vrgebatur, probat famem non cælum, sed auaritiam facere.

(2) Insatiabile studium pecuniæ vtcumque conquirendæ. Qualem olim militiam L. Catilina collegerat, talem & hic Polydamanta innuit contraxisse militem.

(3) Codex manu scriptus *Taranis* habet, vt *Taranes* sit nominandi casus. De sacris lib. primo dictum est.

(4) *Plinius* libro octauo, *Atrocissimos*, inquit, *India habet tauros silnestres, maiores agrestibus, velocitate ante omnes, colore fuluo, oculis caeruleis, pilo in contrarium verso, rictu ad aures dehiscente, iuxta cornua mobilia, tergoris duritia silicis omne respuens vulnus, feras omnes venantur. Ipsi non aliter quam foueis capti feritate semper intereunt.* *Diodorus Siculus* lib. quarto hanc feram pluribus verbis elegantissime exprimit. Postremo de eadem hoc modo sermonem concludens, ait: *Merito igitur Troglodita hanc bestiam optimam iudicant, cui a natura inditum sit leonis virtus, equi celeritas, robur tauri. Quodque maximum est, haud inferior natura ferri.* In hoc autem *Diodorus* ab aliis discrepat, quod eum non in India, sed Æthiopia reperiri asserit. Sed esse potest, vt bene admonet *Camers*, vt tam in India, quam in Æthiopia reperiatur, propter consimilem situs qualitatem, cælique influxum non absimilem.

(5) Siderale iudicium, quod circa hominum genituras versatur, quid astra & animo & corpori polliceantur, Christiana disciplina, quæ non sine lumine semper esse credita est, omnino damnauit, quia penitus incertum sit, nec facile deprehendi possit, deturque propterea paulatim occasio, præsertim in eruditis, in Fati opinionem delabendi, quæ itidem a nostris doctoribus reiecta est. Loquitur igitur Poeta iuxta veterum superstitionem, profitens interim Christianum placitum, nempe, nihil contra humani animi arbitrium valere.

(6) *Lucanus*, *iaculum amentauit habena.*

(7) Originem eius pete ex *Strabone*, *Trogo*, & *Herodiano*. In vniuersum Parthi regionem frugiferam colunt, omniaque præter oleam ferentem, ab occasu Mediam, a septentrione Hyrcaniam, ab oriente Asiam, ab austro desertam Carmaniam habent, montibus cincti. Finis inter eos & Romanos Euphrates, regni caput Hecatompylos *Plinio*.

(8) Post tergum enim sagittas mittunt.

(9) Iaculi, seu potius sagittæ genus.

Magnanimum affatur breuiter sic ore Tyrannum(1):
Nonne vides quanto in nostros furit impete Cæsar,
Vtque fugam iam quisque parat? quid in arma Roberte
845 *Prorumpis frustra? tenet omnia Marte satelles*
Hosticus, & multa satiatur cæde tuorum.
Talia sic fantem, nequicquam intelligit Heros,
Accensus Martis rabie, & præturbidus æstu,
Iam solo res summa viro, quosque æmula virtus
850 *Impulerat secum fatali occumbere campo,*
Dat stragem populis, teloque horrendus vbique est.
Dumque huc atque illuc, ceu præcingentibus armis
Armenias agit ira Tygres Mysosque bisontes(2),
Proruit in pugnæ flammas, Martemque cruentum.
855 *Intonuit cælo, & vox exaudita per auras:*
Heu fuge fortunam belli(3), *deuictaque castra*
Desere, teque ipsum ventura ad fata reserua:
Ductores fugere tui, victasque phalanges
Byspeiches *tantum, &* Rhodomontius *ense tuentur.*
860 *Vt Superum iussa, & vocem Dux auribus hausit,*
Accepitque fugam sociorum, protinus omnes
Qui secum voluere mori, Martisque peracti
Æternam sibi qui laudem peperere sub armis,
Instruit in cuneum, verbisque ita fatur amicis:
865 *Audite hæc, socii, denso nunc claudimur hoste,*
Et iam præda sumus, nostræ solum ense salutis
Ostendatur iter, mecum nunc ite per hostes.

Si

Si cui magnanimo præcursant pectore laudes,
Audendum est victis, vos non sine labe retentam
870 *Ductores auram indecores consumite, clamat:*
Quæ laus, o viles animæ, nos proroget æuo?
Et vitam instauret(5) *Martis memorabile fatum?*
Dixit, & aduersum velox prorumpit in hostem(6),
Efficiens mucrone viam, sequiturque iuuentus
875 *Pone ferox, laxasque secat condensa cateruas.*
Vt virtus patefecit iter, castrisque relictis
Per campos tenuere fugam, Dux lumina flectens
Desertum ad vallum premit altum corde dolorem,
Et rursus tentare acies(7), *& prœlia ferro*
880 *Stat cordi, atque iterum sese obiectare periclis.*
At Rex, quandoquidem fama aduentare Boemos
Phalsgrauidæ *auxilio, iungendaque protinus arma*
Senserat Alberto *mouit sua signa relicto*,
Atque iterum Helsaciæ repetit properantius vrbes.

(1) Id est, Dominum, ita enim antiqui appellabant. *Maro: Pars mihi pacis erit, dextram tetigisse Tyranni*, & in quarto *Nomadum Tyrannos* dixit, id est, *Dominos.*

(2) Hos gignit Germania solum & Scythia. Vnde *Mysos* pro *Moesiis* accipias. *Ptolemaus* Moesias duas in Europa post Illyricum & Pannonios, superiorem & inferiorem ponit. Vnde qui Asiaticas habitant, Mysias prouenisse dicuntur. Illæ *Mysia*, ex *Moesia* nominantur.

(3) Scilicet aduersam. Laus *Roberti* a pietate in Superos, cum eos de ipso curam habuisse in periclis describat.

(4) Restitue lectionem, vt sequitur, eritque versus clarior. *Vos non sine labe retentam Ductores auram indecores consumite, clamat: Quæ laus o viles animæ?* Siquidem immortalem gloriam egregie fortiterque gesta pariunt. Vnde dicit *memorabile fatum*, id est, gloriosa mors.

(5) Id est, Nomen nostrum famamque longa posteritas celebrabit.

(6) Magnanimitas *Roberti* significatur in rebus aduersis superandis.

(7) Idem de se dicit Æneas apud *Maronem* libro secundo. Vnde laus maxima fortitudinis & animi ad rem militarem promptissimi.

AVSTRIADOS
LIBER VI.
ARGVMENTVM.

Gesta feliciter a Duce Wirtymbergensi describuntur: sed prius Palladis querimonia est, qua a Cæsare victa fuerat. Itaque dum curru per aerem vehitur, Robertum *videt, qui paulo ante a pugna discesserat, quem ad virtutem viam docet, ventisque susceptum in patriam pertulit. Interea Wirtymbergensis Dux trans Entium castra mouet, eiusque oratio ad milites, miraculumque in eo visum, eiusque interpretamentum a Phorbio augure factum: obiterque Cæsaris somnium narratur, cui Deus Opt. Max. apparet, imperatque, vt Decium Ducem sollicitet ad tuendum ædes sacras. Quod cum Duci Cæsar significasset, Maulprunnium monasterium, quod Palatini occupauerant, obsedit. Inibi pugna atrox: victor tandem ad Prethenium obsidendum proficiscitur, vnde Palatini* Ludouici *precibus discedit, & ad Pesychemium castra posuit. Parte alia* Robertus *Traustanium*

ſtanium oppidum aggreſſus eſt, quo poſt acrem pugnam, vi potitur. Interim ex Peſychemio nuntius Palatino obſidionem narrat. Is cum præſidium non miſiſſet, oppidum ſe Duci dedidit: quædamque in fine oppida ab eo victa recenſentur.

VT procul a caſtris trepidantia ſigna Robertus
Rettulit, alternæ præformidabile cædis
Bellum animo voluens, Pallas deuecta per auras
Phylliridæ cani medico remeabat ab antro:
5 *Illa ſub arctoo bigas firmauit olympo,*
Atque oculos defixit humi, infrænesque Sicambros,
(1)**Saxones*(2)*acres, Morinosque, extremaque mundi*(3) *al. Baſtarnasque
Littora, & indomitos Rheno claudente(5)*Batauos*(4)
Deſpicit, innumeraſque alias ſine nomine gentes,
10 *Quas alit auriferis felix*(6) *Germania campis*(7).
Tandem Boiorum flexit ſua lumina terris,
Alpinaſque vrbes, & regna potentia Marte,
Quæ pater vndarum percurrens maximus Iſter
Luſtrat, vbi (ſic fama canit) vrbs Noria quondam
15 *Magna dedit leges populis, rexitque ſuperbum*
Imperium: ſed nunc omnis iacet vrbis imago,
Pannoniamque ſuper(8) *celeri deuecta couino,*
Quaque potens bello magnos alit Auſtria Reges.
Necdum etiam Diuæ crudeli Marte receptum
20 *Vulnus, & Oebalii ſors immatura ſepulchri*(9)
(Quamquam & Cæſareo victam dolet enſe ſororem)
Exciderant animo, cupit iram explere calentem,
Atque imo tales promit de pectore voces:

(1) Penitus corrupta dictio. Nam *Baſtarnæ Straboni* populi ſunt ad Pontum: quare reponas ex emendato exemplari.

(2) Quorum origo varie traditur. Ego *Alberti* nouiſſimi rerum Saxonicarum ſcriptoris opinioni accedo, qui ex verbis *Taciti* facit coniecturam, multa, quæ *Tacito* de Cattis commemorantur, gentis Saxonum propria eſſe. Et vt quandoque per errorem librariorum fiunt infractiones, non eſſe a veri ſimilitudine, ſi quis contendat, pro *Saxi* vocabulo eſſe vſurpatum *Catti.* Idem *Albertus* limites nobiliſſimæ prouinciæ verius depingit, quam ſcribit, cap. primo, libri primi Saxoniæ.

(3) *Maro* in fine octaui Æneidos. *Extremique hominum Morini.* Hos *Solinus*, item *Mela* ad Gallicum oceanum extremos orbis facit, niſi ſequeretur inſula Britannia, velut alter orbis. Hodie *Ternani* dicuntur, teutonice *Terrenſenſer*, vt ait *Irenicus.*

(4) Qui ſint diximus. Hos & *Tacitus* a virtute nimirum bellica commendat. *Lucanus truces* vocauit, *Sulpitius* recte feroces interpretatus eſt, quales martiales etiamnum vidimus.

(5) De hoc latius libro octauo.

(6) Diues.

(7) Quod iam *Tacitus* ipſe, ſi ab inferis rediret, fateretur, ita omnia a priſca facie receſſere. *Sylnius* Germaniam mirum in modum commendat: liber extat vulgo cognitus.

(8) Pannoniam ſuperiorem intelligit, vbi Auſtria prouincia Imperatorum altrix poſita eſt. Notandum autem eſt, morem volantium expreſſiſſe, qui vario flexu feruntur: vt etiam *Maro* ſtatim in principio ſexti de Dædalo loquens, *gelidas*, inquit, *enauit ad Arctos*, cum in Siciliam eſſet volaturus, quæ in meridiana plaga poſita eſt.

(9) De *Oebalo* ſuperius, pro quo Venus pugnam contra Cæſarem geſſit.

(10) Id eſt, *Venerem*, ex Ioue enim Pallas & Venus nata eſt.

En ego bellipotens rigidis armata chelydris,
25 *Quæ olim centimanos proſtraui cæde Gigantes*(1),
Quæ Martem vici(2), *concuſſi fulmine diro*(3)
Curua per Euboicum fumantia littora pontum,
Nunc autem (ſic fata volunt(4)) *ſum fabula cælo.*
Sed noſtri o vtinam ſic obruta fama Deorum
30 *Peruigiles tantum & patris veniſſet ad aures,*

 Non

Non equidem Austriadum superatam Marte dolorem:
Sed temnor passim mortalibus, & mea vibrat
Exhorrentem hydro nequicquam læua Medusam.
At mihi non deero, sequor atris agmina flammis
35 *Austriadum, atque imo Furias Acheronte ciebo*(5).
Sic fata, infausto remeantem Marte Robertum
Vidit, & indoluit, grandique accensa furore
Prona ruit cælo: veluti cum flammea(6) *longo*
Stella cadit(7) *tractu, & candenti lampade*(8) *signat*
40 *Æthera, qua nitidam producit semita lucem.*
Sic Diua est, quacunque pedem currumque reflectit,
Ostentat cæleste iubar, Numenque fatetur.

(1) Palladem enim fuisse auxilio Ioui contra Gigantes autor est Hyginus.

(2) Homericum figmentum, vt proximo tetigi libro.

(3) Hunc locum iratæ Iunonis verba apud *Maronem* non multo post primi lib. Æneidos principium satis explicant, vbi de Aiace Oileo sequitur.

(4) Quoniam omnia, vt poetæ volunt, item plerique philosophi, fato reguntur, & subiiciuntur, etiam ipse Iupiter. Vnde is veluti cedens apud Maronem, *Fata*, inquit, *viam inuenient.* Et Tragicus quidam apud *Senecam*; *Ducunt volentem fata. nolentem trahunt.*

(5) Factum non reperio in poemate. Et idcirco dicendum, quod loquatur velut furore amens: qui cum abit, minus facimus, quam quod dixeramus.

(6) Ex capite quarto lib. primi Meteororum Aristotelicorum pete caussas flammarum in summo aere apparentium, & ibidem de sidere volante, siue stella decidua.

(7) Ab eo, quod sic nobis apparet. Vnde *Ouidius* dixit, *Interdum stella de cælo sereno Et si non cecidit, potuit cecidisse videri.*

(8) Face.

Protinus armigeræ currum Tritonidis Heros
Agnouit, supplexque Deam veneratus adorat.
45 *Tunc illa has sacro fudit de pectore voces:*
Nec tua te virtus, nec fortis dextera bello
Vnquam deseruit. nam quantum vidimus acrem
In pugnam ruere, & quantas in prœlia cædes
Moliri intrepidum, sed fato obstante dolorem
50 *Hunc pone, & quæ sint peragenda aduerte, profabor:*
(1)*Vade age & hanc rupem, quæ cælum vertice pulsat*
Exupera, atque impelle gradum. primum ipsa volenti
Difficili tentanda via est, sudorque, laborque
Sunt olli comites, atque otia pellit ab alto:
55 *Sed postquam ad summum concessum euadere culmen,*
Gaudia pertentant animos, & blanda voluptas,
Atque exactorum dulce est meminisse laborum.
Hinc te ergo excipiam ventis, & nubis amictu
Aera tranabis medium, tutusque reuises
60 Phalsgrauidas*que tuos, patriamque veheris in vrbem:*
Ne vereare, adero, & ventos frænabo volantes,
Interea ne frange animum, spemque altius effer,
Inuictusque mane. nam sæuas Iuppiter æquus
Mulcebit mentes, dulcemque ad regna vocabit
65 *Progeniem, natosque tuos, paruosque nepotes:*
Qui tandem æternum ventura in pace quiescent.
Hæc mihi pollicitus Diuum pater, atque hominum Rex.
Sic vbi fata, ciet Boream Argestemque per altas
Oceani errantes fluctus, Hyrcaniaque vndis
70 *Littora pulsantes, extremæque æquora Thules.*
Ergo iussa facit præpes, talique precatur
Voce Deam: Te sancta sequor, te supplice dextra
Adueneror, salue, & tanti miserere laboris.
Hæc ait, & celsæ saxosa cacumina rupis,
75 *Enormesque vias, & densis obsita dumis*

Byspel-

Byspeichi *pubem linquens, agmenque superstes,*
Euasit tandem & ventos expectat inanes.
Tunc subito Argestes montem pernicibus alis
Circuit, admotoque tremiscunt vndique siluæ.
80 *Non tamen Æolio veluti cum missus ab antro*
Ægæum, Ioniumque mouet, cautesque, vadumque
Scyllæum, & pulso frangit freta iuncta Peloro,
Sed miti Heroa amplexu (namque Arcticus vna
Sepserat, & Boreas patriæ non immemor oræ(2))
85 *Extollunt per inane poli, gestantque per auras*
Quem vitreo nubis Dea circumfudit amictu(3).

(1) Virtutis viam ostendit, ad quam ire non possumus, nisi per maximas difficultates & labores. Locus est sumptus ex Ergis *Hesiodi*. Receptum est, Pythagoram quoque hanc virtutis figuram posuisse. Vnde carmen apud *Maronem* legitur; *Litera Pythagora discrimine secta bicorni*. Sed, vt annotatum est ab *Erasmo*, apparet olim huius elementi figuram nonnihil diuersam fuisse ab ea, quæ nunc est. Prodici fabula de Hercule & virtute, & voluptatibus notissima est.

(2) Quoniam septentrionalis plagæ est ventus.

(3) Idem facit *Maro* in primo Æneidos.

(1)*Dumque ea molitur Pallas, fortissimus Heros*
Tercentum præclarus auis, quos Martia quondam
Protulit, & variis ornauit Roma triumphis(2),
90 Wirtymberzensi *armatos mouet arce manipios,*
Antiqui memor ille odii, bellique vetusti
Quod secum multos Talacherus(3) *gesserat annos,*
Nec Lyndesmitis *feruens iniuria mente*
Exciderat: verum occulto sub corde volutans
95 *Vindictam, spectare diem & melioribus vti*
Auspiciis, si vnquam vellet fortuna, parabat.
Vt fractum longo præsensit Marte Robertum
Esse Palatinum, tempus ratus, Entium ad amnem
Castra mouet, gelidasque vehit trans agmina ripas.
100 *Aduentu cursare omnes, trepidare per vrbes.*
Non secus orbatam Gangericus accola Tygrim
Et timet, & clausa pauidum sese occulit vrbe,
Luctantemque feram, & rabiem spectare furentem
Impatiens: quatit illa solum, camposque superba
105 *Balantum pecus, & latis magalia septis*
Circuit, insidiasque altæ prædestinat iræ.
Sic Heros fertur, sic infandus timor omnes
Sollicitat, pauitant miseræ matresque, nurusque,
Longæuique patres: sed quos calor excitat armis
110 *Deserere ante diem, pugnaque effundere vitam*
Armantur, clypeosque nauant, chalybumque trilices
Aruina(4) nigra nudant ærugine pingui(5),
Aut fossas ducunt, aut scabra ad mœnia pronis
Marmora agunt humeris, aut propugnacula bello
115 *Instaurant, vallantque horrendis molibus vrbes.*

(1) Nunc ad gesta Ducis Wirtembergensis describenda descendit.

(2) Sequitur annales, qui tradunt, nobilissimam *Teccensium Principum* familiam, genus suum ab antiquis Romanis habuisse. Quare Poeta alludens ad priscum cognomentum, *Decium* appellat interdum Ducem *VVirtembergensem* quod is & *Teccensis* sit. De vtraque domo, apud *Nauclerum* fit mentio.

(3) Hostes fuerunt progenitorum suorum, partes secuti Palatinas. Quos, vt ipse inquit, Palatini ad bellum inferendum impulerunt. Bella inter Palatinos ac Comites Wirtembergi *Nauclerus* retulit in Chronographia sua. Posterius emolliuit nomen *Lyndenschmidt*.

(4) Id est, ferri texturas: *trilices*, hoc est, tertio textas, quamquam etiam arbitror *trilicia arma* esse genus illud, quod annulis paruis simul contextis fit, quo ad inguina tuenda ac femora vtimur.

(5) Pulchre indicat morem Germanorum in expoliendis armis.

Iamque dies, alterque dies illuxerat orbi,
Purpureoque aurora polum bis viderat ortu,
Tunc Dux ingentes voluens sub pectore curas,
Herboso iussit figi tentoria campo,
120 *Dein pubem affatus placido sic incipit ore:*
Bella sub hac terra, & præreptis gessimus oris
Alterutrum grassata caput, tandem inuida nobis
Crinitos(1) *sors pressit auos, nec iura, nec æquum*
Iuppiter omnipotens summo despexit olympo,
125 *Quin furor hostilis nostras delapsus ad vrbes*
Ingentes rapuit prædas, gentemque coactam
(Pro scelus) audiui domino seruire Roberto.
Namque mihi quondam puero narrare solebat
Multa pater, meque ad damnum seruabat inultum.
130 *Quis* Lyndesmitem, *prædatoremque nefandum,*
Et nostris temere Regem Thalacheron in aruis
Prætereat? tantum nobis impune ferendum est
Dedecoris? tantum patriis regnabit in oris
Externus miles, terraque fruetur auita?
135 *Progenies, prolesque Deum sata sanguine magno,*
Credite, quod nunquam Cæsar sine numine Diuum
Bella mouet, victorque redit, Rhenoque subacto
Cingit Chaonia victricia tempora fronde.
Quare agite, o socii, dextras assuescite Marti,
140 *Et mecum, si qua est tantarum gloria rerum,*
Si pudor & patriæ pietas, iniuria si qua
Mentem agitat, raptique soli seruatur imago,
Alpinas aptate sudes, & pila volenti
Tollite nunc animo, & pauidum conuertite in hostem.
145 *Tu cœptis Bellona*(2) *meis, & culte Sueuo,*
Tu Vulcane pater(3), *claram qui Lemnon*(4), *& alto*
Fumantem Liparen(5), *& feruentem Strongylon*(6) *vndis*
Incolis, & Chalybum Diis tela timentia promis,
Aspirate precor, promptosque animate maniplos.

(1) Intonsos, quia Sueui.

(2) Inuocat Bellonam tanquam bellorum præsidem, ignarus tamen, quod in Germanos irata fuerit, vt in primo libro diximus.

(3) *Tacitus* autor est, Sueuos veteres Isidem coluisse. Nescio quo autore Poeta Vulcanum quoque Sueuis cultum scribat.

(4) *Seruius* octauo Æneidos scribit caussam, cur Vulcanus dicatur in Lemnon incidisse. De cultu Vulcani in Lemno *Val. Flaccus* secundo Argonauticorum, & *Statius* quinto Thebaidos. Metropolis Lemni *Solino Hephæstia.* Græci *Hephæston* Vulcanum dicunt, Inde *Hephæstian Vulcaniam*, & *Hephæstion* Vulcani templum.

(5) Vnde insulæ nomen ex sexto libro *Diodori Siculi* patet. *Seruius* nobilissimus interpres, *Physiologia est*, inquit, *cur* Vulcanus *in his locis officinam habere fingatur inter Liparen & Ætnam, scilicet, propter ignem & ventos, quæ apta sunt fabris.*

(6) Quod rapæ figuram habeat, id est, in rotundum acutumque tendentem, ei nomen datum, quoniam Græci στρογγύλην rapam vocant. *Strabo Onostrongylam*, id est, *rotundam* nominat. Reliqua de ea *Solinus.*

150 *Vix ea finierat, subito cum flamma coruscans*
Labi visa polo, quæ supra vertice sidit
Magnanimi Herois, nec non (mirabile dictu)
Lambere flauentes crines(1), *& tempora pasci.*
Mirantur cuncti, & gelidos stupor occupat artus,
155 *Reque labant subita, quid sit, quid nuntiet, optant*
Explorare viros(2), *quibus intemerata patescunt*
Ætherei secreta poli: tunc Phorbius augur
Cui fibræ, saliensque iecur(3), *limesque volantum*(4),
Quid vox obscœnæ volucris(5), *pallorque cometæ,*
160 *Atque serenato labentia fulmina cælo*(6),

Quia

Quid medio creet axe faces(7), *sunt omnia* (*mirum*)
Occultis manifesta modis(8), *non inscius ille.*

(1) Idem *Maro* scribit Asconio contigisse.

(2) Notum prope omnibus est: quantopere veterum superstitiosa sedulitas in futuris prænoscendis elaborauerit: quantoque studio ac diligentia auguria omnia, extispicia, & reliqua diuinandi genera coluerit. Vnde *Cicero* dicit libro primo de Diuinatione, Romanos nihil sine auspicio fecisse. Idem ait *Val. Maximus* cap. primo secundi libri. *Plinius* auspiciorum repertionem, eorundemque materiam copiosius tradit, capita pete ex Indice *Camertis*, viri vndequaque doctissimi.

(3) Proprie, quia viuentibus nobis cor salit.

(4) Nam tam a voce, quam a volatu augures capiebant auguria. Vnde ex eorum disciplina, quæ aues diræ & ominosæ, quæ rursus felices & auspicatæ crederentur, sumptum est, vt & cum rem feliciter, aut secus cedere significamus, bonis, aut malis auibus dicimus. Exempla promit *Erasmus.*

(5) *Bubonem* significat, qui inauspicatissimi ominis habitus est. Idque in publicis maxime auspiciis, ex quo etiam funebrem vocarunt. Hinc illud notum, *Fœdaque fit volucris venturi nuntia luctus Ignauus bubo, dirum mortalibus omen.* Quin & in coruis dirum & ominosum est habitum, sicubi glutiunt, & vocem velut strangulati emittunt. Quanquam de coruis & cornicibus varia traduntur, si quando ad læuam, aut ad partem dextram conuolitent.

(6) Quia naturaliter non nisi nubilo cælo fiunt. Sic igitur prodigiose. Legimus M. Herennium Decurionem in Catilianis prodigiis sereno die fulmine ictum. Autor *Plinius.* Varia ac pæne incredibilia scribunt autores de fulminibus: ex nostris *Plinius*, & *Seneca.*

(7) Earum sunt genera duo, *Lampades*, quæ sunt plane faces: & *Bolides. Faces* vestigia longa faciunt priore ardente parte. *Bolis* vero perpetua ardens longiorem trahit limitem.

(8) Ab his modis futurorum inuestigandorum omnino desistendum monuit Christus Dominus, cum discipulis id scire petentibus sic inquit: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.*

Talia vaticinans mandat sua dicta per auras:
Ne trepidate viri, læuo Deus omine firmat
165 *Cœpta, nec inuito molimur numine bellum.*
Si quid mens agitat veri, & Grynæus Apollo(1)
Prædicit ventura mihi, si nuntius ales,
Quem video læua(2) *cæli regione volantem,*
Et voce, & cursu magni Iouis abdita pandit:
170 *O genus elapsum superis, sobolesque perennem*
Regnatura diem(3), *Diuosque auctura propago,*
Quot tibi molitur felix fortuna triumphos?
Innumeras vrbes, immensaque regna, Ducesque
Debellabis, eruntque tua immortalia semper
175 *Facta, quod & victo non dedignabere victor*
Parcere, & ablatas reddes vltro hostibus vrbes(4).
Quare agite, o Proceres, meritos indicite honores
Bellorum Diuis, & numina magna vocate.
Nec mora, gramineo surgunt de cespite sacræ
180 *In campis aræ, fragantque, & olentia circum*
Thura calent pecudes, stant sacris vndique mystæ(5)
Accincti, & Diuis spargunt bona vina(6) *volentes:*
In primis Heros, niuei inter cornua tauri(7)
Et salsam frugem(8), *& spumantia pocula fundit,*
185 *Demulcetque Deos donis, pecudumque litatis*
Corporibus, læti Diuum pæana canebant.
Non aliter Libyci cirum delubra Tonantis(9)
Gens inhiat sacro, & numen Nasamones adorant.
Vel cum legiferæ Cereri(10), *patrique Lyæo*(11)
190 *Agricolæ lectum mactant pecus, & sua largo*
Despumant passim bene olentia cymbia lacte.

(1) A *Grynæo* nemore vbi colebatur, ad *Grynæam* Ætoliæ vrbem.

(2) Ergo felici & auspicato omine, iuxta augurum disciplinam, quam *Plinius* refert.

(3) Secus accidit, nam paucis ante annis exactus. Exemplo est, vt ludat in humanis diuina potentia rebus.

(4) Vt inferius patebit.

(5) Dicuntur, qui sacris alicuius numinis sunt initiati. Symmystæ, qui iisdem mysteriis sunt initiati. Diuus *Hieronymus* ad Pammachium: *Non magnopere cures, quid imperitorum de ingenio tuo rumusculi iactitent, sed prophetarum quotidie medullas bibas, Christi mystes, patriarcharum symmystes.*

(6) Non enim fas fuit vti ad sacra vinis promiscuis, sed certis: quod indicat *Plinius.* Significabant autem mero mentis integritatem.

(7) Sacrificium plenum & perfectum putabatur constare ex sue, tauro, hirco, ariete: vocaturque *Tryttis.* Sed Atheniens. sue tantum constabat, ariete, hirco, sicuti apud Romanos *Solitaurilia* ex sue, oue, tauro.

(8) Apud *Horatium* & *Tibullum*, item *Macrobium*, & *Calium* cap. 1 libri septimi Antiquarum Lectionum, varium reperies ritum immolandi sacrificii, iuxta veterum superstitionem. Sed & Iudæis salis vsus in sacrificiis fuit, vt Lex Mosaica iusserat, Leuitici. 2; *Quicquid obtuleris sacrificii, sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal.* In sacris Christianorum literis ob salis miram naturam sæpe pro sapientia solet accipi. Hinc ab Apostolo *Paulo* ad Colossenses 4 cap. dictum est: *Sermo vester in gratia sit sale conditus.*

(9) *Iouis Hammonis*, qui colitur in forma eius arietis, qui sitienti Libero patri fontem effodit, cum illac exercitum duceret, secundum *Seruium*, siue Herculi, vt ait *Herodotus. Diodorus* aliter. *Lucanus* in 9 scribit, Catonis exercitum venisse ad templum Iouis Hammonis, cuius habita est mentio supra.

(10) Conuenit inter omnes, Cererem primam in Creta leges reperisse, caussam ponendi leges explicat *Horatius* Satira tertia, primi sermonum, *Lucretius* lib. 5 Veritas autem habet, primum Mosen a Deo edoctum hominibus leges tradidisse.

(11) Baccho, qui *Lyaus* appellatur, quoniam soluit animi curas: id quod Vticensis Cato in se quandoque periclitatus est, vt ait *Plutarchus.* Inde *Liberum* quoque dictum plerisque placet. Sed *Alexander* ait ita vocatum, quod pro communi Bœotiæ libertate pugnauit.

Oceano interea Titan demersus Ibero,
Iam nota(1) Austrini lustrabat littora Ponti,
Corpora sollicitis demens mortalia curis,
195 *Ecce serenato(2) delapsum numen ab axe*
Innumeris fulctum stellis & sole corusco,
Qualis vbi auroram rutilanti lucifer igne
Ante oritur, tenebrasque fugat, Phœbumque reducit,
Helsaciæ petiit fines, vbi Martia castra
200 *Cæsar habet, Martemque nouum, pugnasque parabat*
In somno, & vigiles curas in nocte premebat,
Effigies immensa Deo, vultusque micantes
Astra quibus cælumque mouet, circumque beatis
Vallatur populis, medio quos orbe bicornis
205 *Luna capit(3), iuxtaque locum meruere Tonantem.*
Hunc pauet omne genus cælo, terræque, marique
Quicquid inest(4), intusque meat, vel pascitur extra
Æterni cursus legem(5), & commercia mundi(6)
Et solis, lunæque vices, & sidera lapsu
210 *Circumscripta suo(7), Nabathæosque alligat euros(8),*
Fulminaque, & spatiis freta decrescentia certis(9).
Ergo vt olympiaca Saturnius(10) Elide(12) fulgens(11)
Apparet nocte in media, somnoque vacantem
Vocibus Austriadem compellans, talia fatur:

(1) Id est, hac tempestate cognita. Alludit ad nauigationem Lusitanorum per Æthiopiam vltra torridam zonam, multis, vt referunt, gradibus.

(2) *Ecce*, dictio semper aliquid magnum ac repentinum significat. *Maro*; *Ecce autem a Tenedo.* Describitur hic Dei Optimi Maximi simulacrum & effigies, quam dicit Cæsari in somnis apparuisse.

(3) Iuxta quorundam opinionem. Nam aliqui dicebant, vt fuit *Hesiodus*: beatorum animas ad beatorum insulas migrare: alii, ad Elysios campos, seorsum ab inferis locum: alii, verti in sidera, alii, in olympo locum esse cum ceteris Diis: alii, in corpore lunæ beatorum sedem esse crediderunt: alii, in quadam parte ætheris purissimi: quibus *Lucanus* assentiri videtur, scribens in principio noni, illuc Pompei animam peruenisse.

(4) Scilicet, terræ, mari & cælo, hoc est, quicquid mundi circumferentia clauditur: quod ipse Poeta declarat cum dicit, *Intusque meat.*

(5) Hoc est, cælestis.

(6) Id est, nostri orbis societatem, quæ nobiscum communis non est, sed sola Deorum immortalium sedes, vt ita dicam.

Nam

Nam & Poeta dixit, *pascitur*, alludens ad opinionem poetarum, qui dicunt, Deos nectare & ambrosia vesci, celebrare conuiuia, nuptias,& cetera huiusmodi. Cur autem ea tribuantur Diis, pete ex Mythologorum promptuariis.

(7) Id est, suo ipsorum ortu & occasu, qui siderum cursus appellantur. Quos si requiris, *Plinius* tibi monstrabit, & e nostræ ætatis cælestium rerum scriptoribus *Pontanus* facile princeps. Porro labi, proprie de sideribus dici secundus in principio Fastorum *Ouidii* admonet versus, *Ortaque sub terras, lapsaque signa canam.*

(8) Ita scribendum affirmarim, non *austros*, iuxta *Ouidium*; *Eurus ad auroram, Nabathaaque regna recessit.*

(9) Statis temporibus. Accessus & recessus marium diuersi diuersas caussas attulerunt. Quidam ventis id ipsum totum tribuunt. *Aristoteles* & *Heraclitus* a sole maris fluxus & refluxus fieri existimant. *Timaus* flumina caussatur per Celtarum montes Atlanticum irrumpentia. Sunt qui in sidera hunc redigant effectum. Seleuci mathematici opinionem *Camers* enarrat in *Solinum*. Plato, vt *Plutarchus* refert, in elationem quandam huius caussam confert. *Pythea Massiliensis* opinio verior. Is enim scribit, maris accessus lunæ fieri incremento: a diuerso decremento recessus fieri. *Probus* in secundum Georgicorum *Maronis* scribens, ait æstus maris ad lunæ motum & rationem fieri: cui assignat quinque motus. *Macrobii* sententia petatur ex primo de somnio Scipionis libro: *Plinii* ex cap. nonagesimo nono secundi libri mundanæ historiæ, qui teste *Camerte*, nihil non tradidit eleganter simul & copiose, quod ad huius rei notitiam pertineat. Ex nostris vide diuum *Ambrosium* cap. 7. quarti Hexameron, & *Vadiani* nostri commentarios in principio tertii Geographiæ *Mela*.

(10) Iupiter.

(11) Quia ex auro eius simulacrum erat, vt *Strabo* commemorat inter ingentia olympici Iouis dona, lib octauo.

(12) Elis Peloponnesi regio, vbi delubrum est Olympici Iouis certamine gymnico & singulari sanctitate insigne, autor *Pomponius* in secundo.

215 *Cæsar magnanime, & Diuos auctura(1) propago,*
Aduenio Superum Rector, præque omnibus vnum
Ipse velim te, fide Deo(2), templisque, tholisque,
Quæ passim miles sceleratis occupat armis
Præbere auxilium, si iam pietatis imago
220 *Vlla viget, votique reos damnare cupido(3)*
Asserto Superis, & Numen ab axe vocari.
Fœda Palæstinæ taceo ludibria terræ(4).
Verum animo stant fixa meo, victamque Sophenem(5),
Et domitum Ægypti pronum Carmelon(6) in æquor
225 *Agmine barbarico, sæuique Serapidos(7) armis*
Vlciscere, tuos poscunt hæc prælia fasces(8),
Cum mare pulsabis flammato milite rubrum,
Et septingemini calcabis littora Nili,
Cum partem inuises Scythiæ, & Mæotica vinces
230 *Regna, & victorem mirabitur arcta Propontis(9),*
Classeque rostrata Nepheleias ingemet Helle(10).
Me noua nunc agitant, Cæsar, iam vidimus alto
Nostra Palatinis violari templa sub armis.
Atque vbi sacratis lucis, araque piabant
235 *Erecta, & largis placabant Numina donis*
Turba sacerdotum, nunc Marte & sanguine multo
Fædantur loca sancta situ. quid Numina cæli
Perpetimur? vestrum ne genus, Germanica pubes,
Infandis audet factis contemnere Diuos?
240 *Nunc cape, quæ peragenda tibi sint maxime Cæsar:*

(1) Sane non ad morem Romanorum, qui defunctos Imperatores, etiam sceleratissimos tyrannos, miris cærimoniis in Deos referebant: sed iuxta nostræ religionis sanctificationem, vt ita dicam, referendum est, quod Cæsari simulacrum Dei nostri, vt dictum est, finxerit apparuisse.

(2) Constructio. Ipse velim, fide Deo, per interpositionem legenda verba sunt, *præbere te auxilium templis*, & cetera.

(3) Familiare est poetis illud, quod sequitur, pro illo, quod antecedit, ponere. Sensus ergo est; Si cupis in Deorum numerum referri, vt eos, qui tibi vota fecerint, persoluere possis. *Reus* enim *voti*, astrictum voto significat: *damnatus*, absolutum. Maro; *Constituam ante aras voti reos.* Et alibi; *damnabis tu quoque votis.*

(4) Propter Hierosolyma & sepulcrum Christi, quæ ab Ægyptiis cum Principum Christia-

Christianorum dedecore occupantur.

(5) *Sophene* prouincia iuxta Palæstinam *Mela*. *Ptolemæus* eam in Armenia maiori statuit, *Strabo* inter Taurum Antitaurum eodem in loco. Sophenorum celebris populi meminit *Plinius* in sexto. Est autem ordo verborum. Tu vlciscere Sophenem victam, & Carmelon domitum ab agmine barbarico, & ab armis Serapidos, nam hæc prœlia poicunt tuos fasces.

(6) Diuus *Hieronymus* in commentariis in Amos cap. primo, *Duo sunt, ait, montes, qui vocantur hoc nomine. Alter in quo fuit Nabal Carmelus, maritus Abigail, ad australem plagam. Alter iuxta Ptolemaidem, qua prius vocabatur Acho, mari imminens, in quo Helias propheta flexis genibus pluuias impetrauit.* Idem autor est *Carmelum* & græce & latine dici, Hebraice autem *Chermel*.

(7) Hoc est, *Saladini*, qui Ægyptiis imperabat & Memphim tenebat, vbi Apis colebatur. Hic *Saladinus* Hierosolymitanum regnum euertit 8 & 80 anno, quam a Gothefrido & aliis Christianis Ducibus fuerat recepta, Anno autem humanæ salutis 6 & 80 supra vndecies centesimum.

(8) Id est, *labores*. Vel allusit ad Consules Romanos, qui in castra cum insignibus consularibus proficiscebantur.

(9) Quæ breui transitu Asiam ab Europa diuidit. Illic Darius I & Xerxes in Græciam transfretarunt.

(10) A *Nephele* matre.

Æneadum Decius *Dux sanguine cretus auorum,*
Ablatas vrbes, & regnum Marte reposcit
Diuulsum, concit populos, totamque sub armis
Virthymbergon(1) *habet, qua dulces vitifer vuas*
245 *Fert Nicerus*(2)*, multoque fluunt læta arua Lyæo,*
Bellaque magnanimo peragenda in corde volutans,
Militiam gelidi iam contulit Entii ad vndas.
Hunc verbis hortare tuis, pugnamque volentem
Exercere iube, & templis arcere profanos.
250 *Seruantur maiora tibi, cœptisque futuris*
Semper ero præsens, teque, & tua facta iuuabo.
Dixit, & ingentem ducens per inania lucem
Ad cælum rapitur, Titaniaque astra(3) *reuisit.*
Tunc pius Austriades vultu manibusque supinis
255 *Prosequitur Numen, tacitoque hæc corde reuoluens*
Iussa Dei, cum prima polo caput extulit Eos(4)*,*
Treis oratores iubet ire, Heroaque magnum
Sollicitare Iouis monitu, atque accendere Marte.

(1) Prouincia Wirtembergensis a principio sub appellatione Comitatus tres habuit differentes inter se nominibus & castris dominos. Primus *Vrachi*, secundus *Bentelspachii*, tertius *Grieninga* Regulus vocabatur. Verum postea in duas partes conflatus est, ita vt vnus *Stutgartæ*, alius *Vrachæ* præesset. Nostra vero ætate, in vnum Principatum redacta est prouincia, Cæsare autore *Maximiliano*, *Eberhardo* Barbato ex Comite Duce creato, gentilitiisque insignibus auctis & titulis. Huius *Eberhardi* primi Ducis Wirtembergæ virtutes *Nauclerus* pluribus verbis commendat, & auunculus meus singulari carmine complexus est.

(2) Hodie *Neccarus*, qui inter maximos fluuios, qui Rheno approximant, connumerandus est. Hic enim, vt *Irenici* verbis vtar, Taxagetum, Rotenburgam, hodie *Rotvvil*, vt putant, Tubingam, Eslingen, Canstadium, Marpachium, Laufenium, Hailprunn, Wimpinam, Peilsteinium, Heidelbergam, Laudenburgum præteriens, iuxta Manheim Rheno immergitur. Maximi autem fluminum, qui Neccarum petunt, tria sunt: quorum duo *Coquus*, & *Iagusta*, nunquam vno miliari a se inuicem absunt, pæne 13 miliaria currentes. *Coquus* non procul ab Alen oritur per Hallim, Ingelfingium, Forchtenbergium, Sinderingium, Nouam ciuitatem delatus, in loco Kochendorf dicto, ad Neccarum transit. *Iagusta* vero, *die Iagst*, non longe a Zebingen exortus per Lauchen, Dominorum Teutonicorum oppidum, Eluangium, Kreilzheimium, Landenburgium, Krauten, Scheutern, *VViddern*, præterfluens, iuxta Iaxfeldium Neccaro immergitur. *Æneas* quoque fluuius, *die Entz*, a *Capnione* nostro in 1 Verbi mirifici lib. appellatus, *Entius* a Poeta, iuxta Phortzheimium, Capnionis patriam, Nagoltam suscipiens, prope *Besiken* in Neccarum abit. *Nagolta* vero ab oppido sui nominis delatus ad Calbium oppidum descendens, sese in Entium iuxta Phortzheimium abscondit.

(3) Vel astra, vel solem, vt interpretatur *Seruius* lib. 6. *Diodorus* scribit, cælum ex pluribus vxoribus suscepisse filios 5 & 40, ex quibus 10 & 7 ex Titæa ortos, proprio nomine singulos: communi autem omnes a matre appellasse Titanas. Sol autem & Luna, vt *Hesiodus* in Theogonia tradit, Hyperionis, Titanis & Rheæ filii fuerunt, vnde Sol *Titan*, & Luna *Titanis* appella-

appellatur. *Calius* ex Pausaniæ thesauris refert, Titana creditum Solis fratrem, regionem ad Asopum, sicuti ferunt indigenæ, habitasse primum, & ab eo dictam Titanem. Verum, *vti ego*, inquit, *censeo*, *vir sagax fuit* Titan, *& temporum anni obseruator diligens, & quando auctiora sol faciat semina, & arborum percoquat fructus, ac proinde solis frater habitus.* Vnde coniectatio euidens, cur *astra Titania* dixerit *Maro*.

(4) Aurora, vnde *Eous* orientalis dicitur.

Vt primum Vlricus *Regis mandata recepit,*
260 *Audiit, & Diuum non hæc sine numine bella*
Tanta geri, antiquo precibus de more peractis(1),
Castra mouens heros, Maulprunia templa(2) *petiuit,*
Phalsgrauides *paulo miles quæ inuaserat ante.*
Angustæ hæc claudunt valles, scopulique, minæque
265 *Saxorum ingentes, montesque vmbonibus altis*
Desuper incumbunt, locus insuperabilis armis,
Et situs impatiens pugnæ est, seque ipse tuetur.
Vt motus patuere Ducis, strepuere per alta
Culmina cornicines: pauor vndique, & vndique muris
270 *Concursum, instaurant laxis ingentia portis*
Claustra viri, trepidique aptant munimina belli.
In primis armata cohors, quæ templa tuetur
Circum deductis præmunit mœnia fossis,
Et tormenta parant, & propugnacla tribuni
275 *Constipant telis, saxisque molaribus horrent*
Mœnia, & infando feruet ballista furore.
At Decius *bifidis heros tentoria vallis*
Sepiri iubet: extemplo de montibus orni
Abnobiis, scissæque cadunt a culmine siluæ,
280 *Procumbit montana*(3) *abies, Germanica*(4) *taxus,*
Et quæ Chaoniis(6) *reddunt oracula lucis*(7),
Fatidicæ(5) *quercus, & amicis glandibus ilex*(8),
Tempore quo nulli cerealia(9) *pabula norant*
Agricolæ, nullusque solum sulcarat arator(10):
285 *Amphitryoniadæque arbor*(11), *Cybeleia pinus*(12)
Vellitur, & patulo gaudentes vertice fagi.
Nec mora, pro castris iacitur vallum, arctaque tantum
Vallis habet spatii, quantum mauortia poni
Castra queant, aciesque vtrinque inuadere Martem.

(1) Satis constat, nunquam fere Romanos bella suscepisse, nisi prius sacris rite peractis, ex *Val. Maximo*.

(2) *Maulbrun* Sueuiæ monasterium ditissimum, Cisterciensis ordinis, sub tuitione Comitis Palatini. Auunculus noster scribit extructum olim a *fratribus* de *Neuenburg*, qui huc translati sunt. Vnde adhuc Abbas *noui castri* huius visitator, vt ita loquor, existit. Ceterum quod ad hunc locum & historiæ veritatem pertinet, Venerabilis pater *Nicolaus Baselius*, Rhenani nostri testimonio, non tam integritate morum, quam non vulgari literarum cognitione sane quam celebris, in Auctario Naucleriana chronographiæ gesta bello Bauarico posteritati tradens: *Dux*, inquit, *VVirtembergensis* Vdalricus, *dum in Bauaria contra* Rupertum *Rex cum sibi adherentibus bellum ageret, iussu Regis & mandato sibi exercitum validum peditum & equitum admonuit: atque missis ad Heidelbergam publicis literis diffidatoriis*, Philippo *bellum indixit. Itaque contractis copiis peditum non minus viginti millium pugnatorum, & equitum plus minus octingentorum, in Palatinum mouit, castra metatus in agro Mulbrunnensi ad villam* Illingen *nominatam. Vnde nonnullas villas dicti cœnobii igne combustas pertransiit, atque ipsum cœnobium, quod castelli more satis munitum exstitit, obsidione cinxit. Verum admotis Dux bombardis & machinis, primum fortalitium quoddam, quod ipse Comes Palatinus longe antea in monticulo pro defensione monasterii plurimis expensis extruxerat, satis munitum, atque in arcis modum collocauerat, aggreditur, quassatumque machinis destruxit. Deinde ad muros monasterii arte bellica mouens, turres, domos & murum ipsum bombardarum ictibus demoliri fecit.*

(3) Hæc enim, vt ait *Plinius*, expetita nauigiis arbor est, & in excelso montium, ceu maria fugerit, sita.

(4) Quod ea abundet Germania.

(5) Traditur quercus arbor subiecta tutelæ Iouis fuisse vocalis, & responsa dedisse consu-

consulentibus. Quod testatur *Maro*; *Atque habita Graiis oracula quercus*, autor *Probus*. Alii referunt columbas, vt a nobis quoque mentio facta est superius, in oraculo fuisse vocales.

(6) Epiroticis. Species est pro genere. *Chaonia* pars est Epiri: vbi fuerunt siluæ & quercus proceræ, vt ex *Marone* licet colligere.

(7) A sensu contrario dictus, quod non luceat, vt *Seruio* placet: aut certe ab ignibus & luce sacrificiorum, quæ illic fiebant. Nam nullum erat templum sine luco, vt *Strabo* docet.

(8) Quercus, ilex & robur e glandiferarum genere sunt, & inuicem ponuntur apud poetas, teste *Parrhasio*.

(9) Nam vt apud *Maronem* legimus & *Ouidium*, vt & omnes concordant, prima Ceres reperit fruges, & ferro mortales vertere terram instituit. *Ouidius*; *Prima Ceres unco glebam dimouit aratro, Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris.*

(10) *Iosephus* tamen, cap. quarto primi Antiquitatum Iudæorum scribit, Cain primum terram arasse.

(11) Id est, populus, dicata Herculi.

(12) *Arbor grata Deum matri*, siquidem *Cybeleius Attis Exuit hac hominem, truncoque induruit illo*, vt *Ouidius* scribit lib. Transform. decimo. *Pinea nux*, apud *Martialem*; *Poma sumus Cybeles.*

290 *Vt tempus pugnæ visum, ferrique parandi*
Talibus (affatus cunctos) Dux vocibus hiscit:
Tollite nunc animos, altasque intendite vires,
Magnanimi Proceres, vincat vagus armiger Indos,
Iam quicunque volet superet saxa alta Nyphatis(1),
295 *Hyrcanumque mare, & Partho det iura subacto.*
Nos vero Diuum monitu pellamus ab æde
Hanc belli flammam, & sacros reparemus honores,
Abnobiique Iouis(2) *sublata piamina templo.*
Hoc decus, hæc fama est, & victor Cæsar in armis
300 *Iam veluti ignauos nos arguit: aspera cordi*
Alberti *stant facta Ducis. Quid bella mouentem*
Lantgrauium, *& magno trepidantia castra senatu*
Commemorem? vos (Diisque volentibus(3), *& Ioue dextro,*
Qui nostros grato pensabunt fine labores)
305 *Præcipitate moram, gentemque arcete profanam.*
Vix ea finierat, tuba tortilis agmina concit
Ad pugnam, & curuo Mauors accenditur ære:
Vndique perstrepere, & sonitu Cybelæa resultant
Tympana(4), *iam montes, latebrosaque saxa reclamant,*
310 *Et longe Hercyniæ ingentis nemora alta tremiscunt.*
Vtque datum belli signum, volat æquore Martis
Bellona armipotens, motoque agit agmina sistro,
Impellitque animos, & pugnæ suggerit iram.

(1) Montis, supra Assyriam ad finem maioris Armeniæ, fœtus tygribus, vt scribit *Strabo*.

(2) Qui in templis colitur Abnobii montis.

(3) De re futura, cuius exitus pendet a Dei fauore, nunc etiam vulgo dicunt ominis caussa: atque ita nos loqui *Iacobus* Apostolus docet.

(4) A ritu sacrorum *Cybeles* dicta, quibus in sacris vtebantur.

Hostis vt armatas denso videt agmine turmas
315 *Deferri in pugnam, & sepiri milite templum,*
Sistit pro muro intrepidus, vastosque molares
Deiicit, & duros clypei septemplicis orbes,
Loricæque moram, & Chalybum contexta rescindit,*
Multaque sanguinea prosternit corpora terra.
320 *Hos inter iuuenis, quo non præstantior alter*
Volcarum tellure fuit, ceu cominus ensem
Vibraret, sumptisue repelleret agmina gesis,
Olli nomen erat Lauso, facto impete talem
Expromit vocem, furibundaque pectora rumpit:
325 *Quis timor, o socii? quæ tanta ignauia nostro*
Pectori inest? clausi trepidamus, & hostica muros
Victrix inuasit pubes, tantum ne tuemur
Nos saxis, flammaque locum? iam pergite, & amplo

Pugnemus

Pugnemus Marte, atque æratas vellite portas.
330 *Dixit, & euulso clausos trahit obiice postes,*
Et vetitum recludit iter: tunc agmine facto,
Bella foris tentant, & valle feruntur aperta.

* Id est, contextus chalybes.

At Dux vt longe sublato puluere vidit
(Ipse etenim vallo segnes, turbamque morantem
335 *Hortari ad pugnam, verbisque accendere Martem)*
Aduentare viros, fulgentesque ære phalanges,
Hostiles nouit, falcatam protinus Heros
Contra aciem struit, atque effuso contulit hosti.
Nec mora concurrunt hastis, it clamor ad auras.
340 *His timor est vinci, Martis decus arguit illos,*
Sic animo pugnare pari, nec cedere campo.
At Dux, Bistonio(1) qualis Mars puluere sæuit,
Sublimi prouectus equo, per tela, per enses
Irruit, & crudo miscet Mauorte cateruas,
345 *Vique viam quærit, fœdatque, repletque cruore*
Æquor(2), & herboso prosternit tabida campo
Corpora, lethalique ferit mucrone maniplos.
Saxa volant, non sic miles Balearicus(3) acrem
Prosilit in pugnam, & saxorum contegit atra
350 *Nube polum, surgit clamor, tremefacta resultant*
Littora, qua vasto ruit vndarum agmine Rhenus,
Densanturque in bella globi, stat pectora contra
Pectus, & effuso miscetur sanguine sanguis,
Procumbunt fortes animæ, cladumque furore
355 *Increbrescit amor pugnæ, fluuiosque cruoris*
Membrorum lapsum, & ferientia corpora terram
Cernere erat, nimbo telorum ac pondere ferri
Obruitur, madidoque iacet gens Martia(4) campo.
Dum furor hos agitat, funestaque prælia circum
360 *Armipotens Bellona volat, pars altera muris*
Ingruit, & valida frangunt testudine postes.
Diruitur paries, altoque cacumine turres
Fractæ mole labant, cæloque æquata videres
Ingenti ad terram sterni fastigia motu.
365 *Parque tamen fortuna dabat contraria robur*
Obsessis, pugnant acres, subeuntiaque altis
Corpora detrudunt muris, ipsæque ruinæ
Tela dabant, crebris sonat ictibus æreus vmbo.
Iam sude, iam forti subeuntia corpora telo
370 *Depellunt, saxisque terunt muralibus arma.*
Non tot in Hercynia frondes brumalibus auris
Arboribus lapsæ feriunt terram, aut caua pulsans
Littora, Saxonicam fluctus mare voluit in oram(5)
Quot bello pereunt animæ: non magna supremis
375 *Busta calent flammis, tumulove locantur auito,*
Sed frænatorum pedibus calcantur equorum.

(1) Thracio. *Bistonii* enim populi sunt Thraciæ, apud quos Mars deus colebatur, Vnde superius: *Mars agit Odrysias, Odomanteasque cateruas.*

(2) *Solum.*

(3) Alludit ad inuentum fundæ, quæ primum apud *Baleares* reperta fuit. *Mela* in Hispania contra Tarraconensia littora sitæ. *Maioricam & Minoricam* appellant, a dispari quantitate. Has fundas bellicosas Græci *Gymnesias* dixere, quod incolæ nudi æstatis tempore iactu fundarum se exercerent. Nam vitam ibi aliquando nec vestibus, nec calceis assuetam egerunt, ternis bifidis armati fundis. Vbi matres liberos arte iaculandi solent instituere, neque enim fas est cuiquam maxilla panem terere, nisi prius ipsum lapidem fuerit indeptus iacentem super trabem in locum metæ. Ita quidam scripsit Lycophron, vt ali-

vt aliqui Latinorum traduxerunt. Quem *Florus* cap. octauo libri, tertii imitatus, prope similia retulit, *Vadiano* teste commentario secundo.

(4) Bellicosa.

(5) Saxoniæ pars, quam veteres *Nordalbingiam* vocarunt, nos Holsatiam, Dietmarsiam, & Stormariam, ad orientem habet terminum veterem vrbem, olim inclitam: nunc solum casas rusticas præferens oppidulum *Stargard*, Wandalico nomine, quod sonat *Aldenburg* lingua Saxonum, latine *veterem vrbem*: ex qua orientem versus, per littora maris Germanici vsque in Prussiam Wandalica gens omnia ditione tenebat. Nunc vero Saxones impleuere, exturbatis per tempora vetustis habitatoribus: nisi quod claræ vrbes per hoc littus sparsæ a Saxonum gente exædificatæ: parent tamen Principibus antiquæ gentis Pomeraniæ atque Magnopolis: lingua autem tota est Saxonica. Autor est *Albertus*, Saxonicarum rerum scriptor diligentissimus. Sed & *Irenicus*, Germaniæ præco, omni laude dignus, Saxonicum nomen multos populos claudere, & vsque ad Oceanum & vtrumque mare extendi, & Balteum mare Pomeranicum dici obseruauit.

**Et iam iam aggeribus fractis, penetralia victor*
Inuadit miles, victricia signa ruinam
Exuperant, splendentque altum vexilla per auras,
380 *Hostiles trepidant alæ, & statione relicta*
Diffugiunt, fusisque globis, & milite fracto
Templa patent, priscisque penatibus, & magnis Diis
Sacrifici apparent ritus, aræque dicatæ
Cædibus innumeris pollutæ & sanguine diro.
385 *Incassum Siculis feruent incudibus æra,*
Atque Iouis frustra fulmen micat: impia postquam
Et scelerum impunes patitur Deus, hinc reor ipsos†
Securos nostri mortalia temnere Diuos.

* Poeta ordinem rei non est secutus, sed more Poetarum multa affingit, vt hic pugnam pugnatam. Porro ne rem, vt vere gesta est, desideres, ea se iuxta *Baselii* narrationem in hunc modum habuit: *Vbi, demolitis cœnobii muris vi tormentorum, præsidium in eo fortium virorum a Palatino collocatum, vidit: quoniam nullum eis aliud vel subsidium, vel auxilium, nisi sola fuga supererat, sub certis conditionibus monasterium Duci tradiderunt. Itaque monasterium ingressus Dux cum suis obtinuit, & eos, qui fuerant de parte Comitis Palatini, iuxta conditum libere, quo vellent, abire permisit, susceptaque monasterii aduocatia, monachos reuocari fecit. Secesserat enim Abbas cum fratribus ad Spiram confugii gratia, paucis admodum senioribus in cœnobio relictis.*

† Ex eorum persona dictum puta, qui rerum inferiorum atque hominum curam Deo adimunt. Hi autem iuxta vaticinium Ezechielis, vt diuus enarrat *Hieronymus*, famem & gladium sustinebunt. Sed de ipso quoque iudicio Dei, & vindicta scelerum, ac virtutis præmio, omnes pene Græcorum antiqui poetæ, notitiam aliquam habuisse videntur, cum Elysios campos, & fortunatas beatorum insulas, nec non Tartarum & Phlegethonta decantarunt, illos proborum præmia, hos vero improborum pœnas: quos postea poetæ latini sunt imitati. Et eousque processit *Maro*, vt alienis etiam meritis ad Elysios campos peruenire posse voluerit, canens: *Quique sui memores alios fecere merendo.* Quod carmen in penultimo libro Diuinæ ciuitatis citat *Augustinus*, & inter alia scribit, *Mirari soleo apud* Virgilium *istam Domini reperiri sententiam*, Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt & ipsi recipiant vos in æterna tabernacula. Christiani ergo est, Dei patientia non abuti, qui cum habeat in potestate vindictam, mauult diu tenere patientiam, sustinens scilicet clementer & differens, vt si fieri potest, multum malitia protracta aliquando mutetur, & homo in errorem & scelerum contagione volutatus, vel sero ad Dominum conuertatur, ipso monente & dicente: Nolo mortem morientis, quantum vt reuertatur & viuat. Et iterum: Reuertimini ad me, dicit Dominus. Et iterum: Reuertimini ad Dominum Deum vestrum, quoniam misericors & pius est, & patiens & multæ miserationis, & qui sententiam flectat aduersus malitias irrogatas.

Protinus vt capto strepuerunt cornua muro,
390 *Et latas Aquilæ fudere in mœnibus alas,*
Sublatus clamor, trepidum noua terruit hostem
Fortuna, atque graui pubes perculsa timore
Dissipat hærentes acies, retroque relabi
Incipit, & turmæ fugiens dat terga ruenti.
395 *Dux instat, vastumque fremit, nunc ille veruto,*
Nunc arcu certamen adit, nunc obuia ferro

Corpora transadigit, rorant iam sanguine campi,
Patribus, & passim deferuent æquora bustis.
At Lausus, Mauors quem tristia ad arma vocarat
400 *Pugnator, postquam fractas videt esse cohortes,*
Disiectasque acies, clamans: Pro Iuppiter, inquit,
Iam victi fugimus, raptas discurrit ad aras
Hostilis præda, superest nihil, omnia nobis
Abstulit vna dies, & ineuitabile fatum(1).
405 *Siccine viuendum est? auraque fruamur inulti?*
O ter felicem bello, cui munere Diuum
Contigit oppetere, o faustam Calchantida prolem(2),
Cuius in auxilium venit Dea, vulnere tandem
Regis agens animam, nostris tua nomina fastis
410 *Inseris, & fama pulsas iam vertice olympum.*
Nunc moriamur, ait, propiusque per arma ruamus.
Sic effatus, equi velox spumantia laxat
Fræna, indignantemque premi calcaribus aureis
Vrget, & in densos fumantem dirigit hostes;
415 *Pannonis haud aliter cum per venabula frendens*
Vrsa furit, moriensque suæ iam prodiga vitæ
In ruit arma volens, tristesque irata sagittas
Impetit, & vasto discerpit vulnera morsu.

(1) Id enim, vt tradit Plato, totaque Academia ratum & fixum est, & magna atque æterna necessitate ducitur.
(2) *Oebalum*, de quo superius dictum est.

Cæde replet iam Lausus humum, gaudetque supremis
420 *Cladibus, atque vltus vitam finire cruorem.*
Dum furit impatiens vitæ, totumque ruina
Agmen agit, dextra qui tela sonantia torquet,
Hunc simul Vlricus *crudeli Marte furentem*
Aspexit, contra aggressus, diuerberat hasta
425 *Iam trepido femur, & vitalia vulnere grandi*
Perstringit: cadit exanimis, nec verba loquenti,
Effugit in ventos vita, & se miscuit vmbris.
Vtque viri casus, victriciaque arma per ædes
Visa repente, omnis pubes, & Martia turba
430 *Consternata fugit, teloque inoperta relictis*
Terga dabant templis: & forsitan illa fuisset
Vltima lux bello, nisi nocte oriente, tenebris
Tethis ad Oceanum rapidum Titana vocasset.
Sic Phœbo fugiente acies & pugna dirempta est.
435 *Deseritur cædes, spoliisque superbus opimis*
Ibat miles ouans, Dux curru inuectus eburno
Ingreditur templum, atque aras amplexus, & ignes
Prosequitur precibus, ponitque immania dona.
Interea croceis fulgens Tithonia(1) *bigis*
440 *Surgebat, vultuque alpes lustrabat eoo,*
Itur ad exequias, mandantur corpora terræ
Quæ sub Marte truci, & sæuis cecidere sub armis.
Munus vt exactum, supremaque funera fletis
Sunt data corporibus, tunc Dux, fortuna sequenda est(2),
445 *Inquit, & armorum iuuat indulgere labori.*
Hæc vbi, discedens confertum protinus agmen
Educit, pubemque omnem petere ocius altum
Præthenium iubet, & carris componere vallum.

(1) Aurora.
(2) *Fortuna* a *fors* dicitur, quia res humanas feriat, hoc est, agitet & regat. Dicimus autem singulariter fortunam vel deam, vt vetustas putauit, vel casum, per quem res hominum voluuntur instabiles & incertæ. Pluraliter vero pro bonis fortunæ, præcipue pro diuitiis dicimus fortunas.

Pontanus libro de fortuna secundo: *Bene*, inquit, *atque ex ipsa veri cognitione qui dixerunt fortunam nihil prorsus esse aliud, quam inopinum euentitiumque caussarum concursum quendam atque coitionem.* Expressius autem, nec minus e re ipsa, qui naturam esse quandam, eamque sine ratione, seu ipsius impetum quendam naturæ professi sunt. *Lactantius* pictam a veteribus fuisse testatur cum copia & gubernaculo, tanquam opes tribuat, & humanarum rerum teneat regimen. Vnde a *Marone* non vno loco, & a plerisque vocata est *omnipotens*: quod pro arbitrio possit diuitias commutare, victorias largiri, pauperem sublimare, & opulentum deprimere. Propterea *Salustius* in Catilinario: *Profecto*, inquit, *fortuna in omni re dominatur. Plinii* libro mundanæ historiæ secundo cap. septimo, verba de eiusdem potestate etiam nunc vulgo dicuntur. Nam nullus est quantumuis ieiunus autor, qui non aliquid super hiis luserit, quique vel non extulerit fortunam, vel interdictis non incesserit. Sed eorum sententia mille est manibus explosa, qui fortunam putarunt deam, vel ea & casu omnia fieri. Cum nihil sit quod diuinam prouidentiam effugiat: a qua & si semper est, atque hinc *Æsa* factum sit nomen, ea denique perseueret: tamen vnicuique sua distribuuntur, vnde *Nemesis* nomen emersit. Diuersique promuntur effectus, quorum alii per se, alii ex accidenti, alii necessario, alii, vt neotericis dicitur, contingenter eueniunt. Quare quod vni vel casu, vel fortuna quandoque euenit, neutro modo alteri potuit euenisse: quod manifestum sit exemplo protrito in scholis Theologorum, de seruis ignorantibus, quid sibi sit occursurum, cum mittuntur a domino euenturæ illius rei gnaro & scio, quod enim casu illis, aut fortuna contingit, domino relatum, tantum abest a casu, vt præuisum etiam & præmeditatum fuerit: Indeque solet elici, quæcunque hic aguntur, quanquam ad diuersas possunt referri caussas, & modo naturaliter, modo casu, modo fortuna facta iure dici: prouidentiæ tamen Dei, quam nihil aut effugit, aut effugere potest, si accepta referantur, nihil in ea vel casus, vel fortunæ, vel naturalis necessitatis reperiri, sed placiti & voluntatis Dei, qui sua infinita bonitate libere producit, conseruat, regit omnia, & quæ sui capacia sunt, si non obstiterint, beat. Hæc hactenus adscribenda duxi operæ pretium: vt cognoscant, qui omnia fortunæ arbitrio subiiciunt, toto se, vt dicitur, cælo aberrare: multa ob institutam breuitatem consulto præteriens, quæ legenti mihi sese obtulerunt.

Hic regio antiqua est, velut indicat alta vetustas,
450 *Quam bello rigidi quondam domuere Cheruscæ.*
Quorum Præthenius Princeps (si credere dignum est)
Vrbem præclaram statuit, sibi mœnia fixit,
Prætheniamque suo dixit de nomine gentem.
Hæc demum voluente die, & labentibus annis
455 *Phalsgrauidæ cessit, sacræ qui munere tædæ**
Auspiciisque olim tenuit dotalibus agros.

* Titulum possessi oppidi indicat, nempe dotalem. Erat enim olim Principum Badæ, vt *Irenicus* relatum scribit.

(1)*Dux ergo insignem multis cum millibus vrbem*
Obsidione premit, tormentorumque labantes
Turbine dilacerat turres, pinnasque minaces,
460 *Æratosque ruit laxa compagine postes.*
At fama interea vt belli pernicibus alis
Nuncia Phalsgrauidæ Ludouici *venit ad aures,*
Præthenium petiit, fido comitatus Eolpo(2):
Qui simul atque Aquilas, & signa micantia vidit,
465 *Sic ait: O quantum nobis hæc castra minantur*
Exitii, quantasque faces, nostræque ruinas
Gentis habet: prohibete nefas, auertite pestem
Dii quibus in terris cura est: arcesque Philippi
Despicite: atque feri rabiem compescite Martis.
470 *Dixit, & armatum celeri pede transit ad hostem,*
Atque acies inter graditur leuesque sarissas(3),
Vt fuit ante Ducem, & libertas est data fandi,
Incipit: Egregiæ laudes, Dux inclyte, & ipsa
Quam medio exerces semper clementia(4) *bello,*
475 *Huc nostros traxere pedes, gratumque dedere*
Vim tentare animum: neque enim facta absfore dictis

Arbitror

Arbitror, ad nostras quantum fama attulit aures.
Quippe tua ad superos tantum nec gesta, nec ardens
Ferretur virtus, nisi te cælestibus astris
480 *Insereret pietas, operumque exacta paterent,*
Quare per genium, manesque, vmbrasque tuorum
Linque, oro, has terras, tantis nec cladibus hauri
Immeritam gentem: & quando potes ipse, precantem
Solue metu populum: quæ tanta iniuria mouit
490 *Dux animum? atque vrbem fecit fortuna nocentem?*
O male Præthenio sunt his Duce condita terris
Mœnia. nam primum sensere per arua cohortes.

(1) Et ne hac in parte fides historiæ tibi desit, candide lector, haud grauabor tibi tradere verbis *Baselianicis. Occupato cœnobio Mulbrunnensi, progrediens inde Dux Kintlingensem agrum, de dominio ipsius monasterii, potenter sibi subegit, & Palatini oppidum* Brettam *obsidione cinxit, castra metatus versus aquilonem oppidi. Firmata vero obsidione, muros, turres, ædificia quaque bombardis fortiter impellere cœpit. Verum qui intus erant, fortiter rem agentes, in Ducis papiliones machinas direxerunt, seque oppidumque viriliter defensarunt. Verum cum ex otio, vino delibuti & inebriati, machinarum & bombardarum custodes vna dierum somno dediti securiores se existimarent, oppidani de oppido prorumpentes, otio vacantes & somno custodes aggrediuntur, cadunt atque occidunt, bombardasque nonnullas rapiunt violenter & demoliuntur. Fit clamor ingens & insolitus, atque tumultu in castris facto, correptis armis in hostem procurrunt nostri, & mutuis casi gladiis, ceciderunt viri ex vtraque parte plus minus ducenti. Durante autem obsidione, tandem* Ludouicus Philippi *Comitis Palatini filius natu maior, in papilones Ducis* Vdalrici *venit: quem multo cum honore suscipiens* Vdalricus, *in tentorium suum introduxit: inter eosque de soluenda, vt secuta est, obsidione tractatum.*

(2) Ni fallor, a *spe* nomen posuit, quod *spes* seruet hominem in rebus duris, iuxta illud Ouidianum, *Spes bona dat vires, animum quoque spes bona firmat. Viuere spe vidi, qui moriturus erat: Spes* autem græce dicitur ἐλπωρὴ, & ἐλπίς.

(3) Id est, *expolitas.*

(4) Scribit *Seneca* nullum clementiam ex omnibus magis quam Regem ac Principem decere. Inculcandum assidue Regibus Principibusque reliquis Theodosii Principis monitum, cum ad filium loquens sic inquit: *Sis pius inprimis, nam cum vincamur in omni Munere, sola deos æquat clementia nobis.*

Romulidum cum sæua feros bellona Cheruscas(1)
Armauit, quondam rupto qui fœdere(2) *Chauco*
495 *Quintilium adiuncto*(3) *fuderunt*(4) *Marte latinum,*
Quis modus, o Superi, dabitur? nunquam ne malorum
Proculcanda dies? passi sumus omnia, tantum
Hoc superest, veniant Persæ, Parthique fugaces,
Marmaridumve genus(5), *pronusque in vulnera Mazax*(6),
500 *Et quicquid Scythico claudit Mæotica Ponto*
Interfusa palus, vnde est via profundis
Æquoribus, laxique patent per Nerea cursus,
Qui nostras rapiant terras, incendia captis
Vrbibus iniiciant, deprædatosque sub hasta
505 *Venundent populos: sed tu, Dux inclite, quantum*
Laudis habes vicisse vrbem, quæ semper inermis
Extitit, & multos pacem seruauit in annos?
Parua hæc ne tenta, maius tibi Iuppiter æquus
Destinat imperium: verum si tanta gerendi
510 *Bella auidus, nescitque pati, aut succumbere virtus,*
Hostiles per agros(7), *Rhenique per aspera sæui*(8)
Littora, confertasque acies, incendia, mortes
Verte illuc vrbes(9), *& iura reposce duello.*
Quid ciues meruere mei? num finibus ignes
515 *Ingessere tuis? raptosve vssere penates?*
Non equidem tanti prisci statuere coloni
Vrbem quam bello laceras, fiducia victis
Non dum tanta viris, populum ad commercia dextræ
Dux trahi, susceptisque, precor, iam desine ab armis.

Poeta

(1) Poeta sequitur eos, qui opinati sunt *Cheruscos* a Friburgo vsque Bruxellam, & vltra vsque Heidelbergam se extendere, hodieque *Creichganienses* appellari. Verum hii longe a sententia *Cornelii* recedunt, *Strabonis* item & *Claudiani*. Ex quibus coniectamus, *Cheruscos* olim Saxoniæ partem, & partem veteris Marchiæ tenuisse.

(2) *Strabo* in principio Septimi. *Quibus*, inquit, *adhibita fides fuerat, hii magnas clades intulerunt: sicuti Cherusci & eorum ditioni subiecti. In quibus tres Romanorum ordines militum, cum Imperatore* Quintilio Varo, *fœderibus fractis per insidias obtruncati sunt.*

(3) Frisio. Siquidem *minores* Chaucos Frisios, *maiores* vero *Saxones* putant.

(4) Hanc horrendam & exitialem sub Varo Quintilio cladem describit *Tacitus* libro primo. Quam mœstiter hanc ipsam cladem Augustus tulerit, docet *Suetonius* in eius vita titulo vicesimo tertio.

(5) Populi sunt *Marmaridæ* ad Ægyptios pertinentes, paulo supra Nasamones & Garamantes, Romanis armis deuicti. Vnde *L. Florus* in Augusti laudem scribens libro Quarto. *Pœnis & ille*, inquit, *rediro Marmaricus, sed modestior in æstimanda victoria fuit.*

(6) *Cappadox.* Est enim *Mazaca* ciuitas Cappadociæ maxima, in honorem Augusti Cæsaris *Cæsarea* nuncupata. Alii volunt, pulso Archelao Tiberium *Cæsaream* appellasse. Vnde *Gregorius Nazianzenus*, & *Basilius* fuere.

(7) Hoc est, in paternas ciuitates.

(8) Id est, exerce sæuitiam.

(9) Quasi dicat: Si gloriam quæris in armis, superandi sunt fortes & potentes, vt est pater meus *Philippus*: in victis nulla laus militaris esse potest. Hunc sensum indicat scholium adscriptum: quod tamen in Poetæ exemplari, vnde codicem meum emendaui, non vidi appositum.

520 *Dixerat. at cuneos*(1) *vt vox est lapsa per omnes,*
Placantur fera corda virum, clementia mulcet
Pectora, ceu dulces hiberno tempore nidos
Per mare veliuolum cum felix incubat ales
Alcyon(2), *& fluctus sedat futura marinos:*
525 *Desistunt venti, & vesana Propontidos ira*
Subsidens, æstusque vado, montesque remittit
Vndarum, & facili patitur caua lintea cursu.
Tunc Dux hæc contra sedato pectore fatur:
Quod nos in vestras bellum conuertimus oras,
530 *Nil mirum: patrias sedes, nostrumque* Philippus
Imperium rapuit: multum est, quod fabula mundo
Errat de nobis, cum raptis vrbibus acri
Inuidia exarsit, Lyndesmitemque *nefandum*
Iuuit, & in nostros fines Thalacheron *adegit.*
535 *Non fuit hoc animo, neque enim mihi quæro triumphos,*
Antiquas repeto sedes, & auita tueri
Iura volo imperii, Deus annuit, & mihi cælo
Signa dedit, misso in crines Saturnius igne.
At si me nunquam Diuum mandata mouerent,
540 *Oppidave, aut rapti bello confinia regni*
Vrgerent pectus, ruere hæc ad prælia Cæsar
Sollicitat: sequor hunc, nec non sua iussa facesso.
Testor ego hoc caput, atque vmbras, cineresque meorum,
Nunquam hæc in vestris gessissem prælia terris,
545 *Me nisi traxisset raptarum iniuria laudum.*
Verum tu postquam sedem, dotaleque regnum
Restitui poscis, supplexque in castra petisti
Præbemus veniam populis, duroque volentes
Soluimus a bello, pacemque indicimus vrbi.
550 *Nec piget oblatis donis certare priorem.*
I felix, & solue tuam formidine pubem.
Finierat, tunc contra orsus sic talibus ille:
Vellem pro meritis magnas, Dux inclite, grates
Reddere, Dii superi testes mihi: sed fruar aura
555 *Dum viuens, & ero postquam sub tartara lapsus,*
Dum fluet Oceanus, metuetque sub æquore mergi(4)
Arctophylax(3), *Phœbique diem iubar afferet orbi,*
Nunquam animo egregii labetur gratia facti.

(1) Milites

(1) Milites in formam cunei redactos. Rariores enim primi incedunt, quibus vis maior densiorque succedit. Ordinantur autem ad aciem hostium proscindendam, & impressionem faciendam.

(2) Auis marina, latine *Alcedo* dicitur, vt autor est *M. Varro* libro de lingua latina tertio. Ne quis *Alcyona* apud *Plautum* in prologo in Crassinam legat pro *Alcedonia.* De hac aue sic refert *Plinius* libro decimo cap. trigesimo secundo, *Alcyone paulo amplior est passere, colore cyaneo, ex parte maiore, tantum purpureis & candidis admixta pennis: collo gracili ac procero. Ea fetificat bruma, qui dies* Alcyonides *vocantur. Neque apparent, nisi mari tranquillo, maxime Siculo. Faciunt autem septem ante brumam diebus nidos, & totidem sequentibus pariunt. Hi dies & nautis sunt noti. Nam in his tempestatem non metuunt. Nidificant autem medio in mari. Nidi pila figura paululum eminenti, ore perquam angusto, grandium spongiarum similitudine, ex spinis aculeatis compacti, tanta duritie, vt ferro incidi nequeant. Franguntur ictu valido, vt spuma arida maris.* Hactenus *Plinius.* Verum de numero dierum dissentiunt scriptores: quod a *Pylade Brixiano* obseruatum est, vt scribit super hæc *Plauti* verba. *Alcedonia sunt apud forum.* Quæ *Erasmus* ille magnus speciem prouerbii gerere comprobat ex Græcorum commentariis.

(3) Sic appellatur, quod adhibitus vt quidam custos vrsæ videatur. Dicitur & *Bootes*, siue *Bubulcus.* Quod *Manlius* affirmat, & *Auienus* hoc versu: *Arctophylax, siue, vt veteres cecinere, Bootes.* Quod & Poeta libro octauo sic expressit, *Graio de nomine dictus Arctophylax pater est.* Idem tamen esse *Bootes* dicitur. Quia in modum *bubulci* plaustrum sequitur. Magnus sideris ambitus, aliis ad Icarum, nonnullis ad Arcadem Iouis ex Callisto filium referentibus, vnde *Arcadia* dicta sit, vt ait *Pausanias Pharrhasio* teste.

(4) Nam adeo cardini iunctus est, vt nunquam totus occidat, ac opinione prospectantium in eisdem vestigiis stare existimetur: Vnde *piger* & *tardus* a Poetis appellatus est, hac nimirum ratione mathematica.

Nox ruit interea, tenebrarum, & noctis opacæ
560 *Interuentu, abiere Duces, vltroque citroque*(1).
Postquam pacta fides, Heros(2) *velut humidus auster*
Subiicitur Ponto, vel cum nimbosus(4) *Orion*(3)
Saxonium inuadit pelagus(5), *sic vndique signis*
Effurit elatis, consumitque omnia flamma,
565 *Prosternitque solo disiectis oppida muris,*
Antiqui tandem Pesychæmi ad mœnia venit,
Qua vitreus Niceri Nagelia(6) *iungitur alueo,*
Et late positis cœpit circumdare castris.
Tunc subito trepidare omnes, vt visa repente
570 *Picta per herbosos figi tentoria campos.*
Non aliter, quam si terræ absorberet hiatus
Iactave funestam lampas consumeret vrbem,
Dum timor attonitos agitat, tunc prouidus Aiax,
Qui genus antiquis fertur duxisse Thuringis,
575 *Prosilit in medium vulgi, dein talia fatur:*

(1) Barbari *hinc inde* dicunt, pro quo *vtrobique* latinus. *Erasmus* noster adnotat centuria tertia Chiliadis primæ, *vltro citroque* prouerbiali figura dici, valereque perinde, quasi dicas, *huc atque illuc.* Fieri autem venustiorem metaphoram, quoties ad mutuam altercationem, disceptationem, confabulationem rixamue refertur. Quod vides a Poeta nostro obseruatum.

(2) Dux *Decius.*

(3) Orionis fabulam varie narrat *Hyginus* libro secundo. *Seruius* vero libro primo Æneidos. Quibus adde quæ *Parrhasius* scribit secundo commentario in Claudiani raptum: quo teste *Hesiodus* ait Neptunum compressa, non vt inuersus *Hygini* codex habet, *Euryale*, sed vt *Nicandri* scribis interpres, *Hicelo* Minois filia, Orionem procreasse.

(4) Nam signum est famosum tempestatibus. Et a *Plinio* horridis connumeratur: *Hæc*, inquit, *ab horridis sideribus exeunt Arcturo, Orione, Hædis.*

(5) De hoc paulo ante diximus, ibi, *Saxonidam oram.*

(6) Fluuium, quem *Nagoltam* nos vulgo dicimus, cuius in Neccari descriptione memini, Poeta intelligit, vocis asperitatem ob carminis decorum, vt solet, declinans mutauit.

Vtendum est paucis, inquit, produxit in arctum
Iam nostrum fortuna caput, tentanda salutis

Qua datur ipsa via est: en vndique cingimur armis,
Inque pares bello, tanquam pecus abdimur vrbe.
580 *Quare agite, & veris animos aduertite dictis.*
Induciæ primum, pugnæque vacatio tantum
Bisquinos oranda dies, neu buccina Martem
Excitet, admotaque ruant testudine postes:
*Interea gelidas Iseris mittamus ad oras**
585 *Qui magno belli narrent exorsa* Roberto.
Si ferat auxilium, & fessis succurrere rebus
Ipse volet, duremus, ait, Martemque feramus.
Sin aliter, iuncta feriamus fœdera dextra,
Vlricum *& læti nostram ducamus in vrbem.*
590 *Nunc vtrum vobis placeat decernite ciues.*

* Significat *Landshutum*, vbi *Robertus* morabatur, cuius mœnia Iseris fluuius radit.

Stabant ancipites, tandem in discrimine tanto
Inducias poscunt. Dux annuit, ictaque vtrinque
Pax, bisquinque dies siluerunt arma, sequestro(1)
Sub Ioue, & hostiles presserunt tela cohortes.

(1) Id est, *conciliatore*, &c., vt vulgo dicitur, *mediatore*. Nam notum est *Sequestrem* vulgo appellari eum, cuius electi fidem vtraque pars sequatur, vnde & vocabulum a *sequendo* factum. Apud Iurisconsultos *Sequestria actio* datur, de eo quod *sequestro ponitur*. *Maro* in vndecimo Æneidos, *pacem sequestram* posuit pro induciis.

595 *At vero armipotens mouit sua castra* Robertus
Traustanium, & multis cinxit legionibus vrbem.
Vtque acies visæ, vtque arma, & fulgentia campo
Signa Palatini, trepidatum est vndique in vrbe.
Hi reparant murorum lapsus, hi caua tortis
600 *Ballistis onerant, alius sub mœnibus ignes*
Suscitat, atque sudes fuso succendit oliuo.
Ast alii aereas turres, pinnasque minaces
Ascendunt, palos, & tela immania tollunt,
Saxaque, plumbatasque, & auita ærugine glandes.
605 *Nec mora,* Phalsgrauides *extollere signa maniplos*
Imperat, aggredierque excelsam mœnibus vrbem.
Tunc cælum & montes, siluæ, vallesque profundæ
Intonuere, solumque tremiscere subter anhelans
Quadrupedantum longe visum est impete equorum.
610 *Iamque tribus fit pugna locis, iam miles acernis*
Subnixus gradibus scandit scutatus ad alta
Culmina murorum: contra feruentibus hostis
Depellit sudibus, saxisque molaribus instat
Phalsgrauidis, ardensque oleum super arma profundit.
615 *Occumbunt fortes animæ, necat Asteriphontem*
Funditor Aulibates, ast Elor Ethyngius Heucho*
Clamanti intorta fauces transuerberat hasta.
Sic cadit Eurynomes, sic & desultor Opæus:
Euomit ille animam framea, sed hic interit arcu.
620 *Parte alia Alcionus, Naublesque, & Phadenius Phux*
Mœnia dura ruunt tormentis, ardua moles
Prona cadit, longoque horrescunt saxa fragore.
At sua Phalsgrauides *portas impellit ad altas*
Vexilla, euellitque æratos cardine postes
625 *Vt via facta, ruunt omnes, armisque pauentem*
Inuadunt vrbem infestis, atque obuia cædunt
Corpora, ciuilique madent in sanguine tela.

* *Vegetius* de re militari cap. decimo quarto libri tertii, *Funditores*, ait, *sunt*, *qui fundas ex lino vel setis factas, contorto circa caput brachio dirigunt saxa.*

Dum

Dum sæuit Bellona ferox, dumque ira cruenta
Gliscit, & vrbanam superat vis Martia plebem,
630 Phalsgrauidæ *occurrit magno, laniata capillos*
Turba nurum, pacem lachrymis veniamque precatur
Procidua ante Ducem: precibus qui victus, ab æstu
Desinit armorum, & victa dominatur in vrbe.
Nuncius interea Pesychemi mœnia linquens
635 *Traustanium petiit, atque obsignata tabellis*
Offert magnanimo patrum mandata Roberto.
Quæ simul ac legit, curarum examine voluit
Distracto hinc inde animo: stant Norica cordi
Bella, nec auderet dotalem inglorius oram
640 *Deserere, & populos, dulcesque relinquere terras.*
Multa super meditans secum, dein talibus hiscit:

Non ita magnanimos primo succumbere in ictu
Fortunæ, bellique decet, frangique periclis.
Difficilis captu regio, sublimia in auras
645 *Mœnia tolluntur, Nicerus*(1)*que, atque Entium vtraque*
Alluit in parte, & tenuis Nagelia cingit.
Addo arces(2) *etiam, duratos Marte labores*
Quis vestrum ignorat? patrios vix agmine campos
Attigit Vlricus, *trepidatis? quo pudor ille*
650 *Armorum cessit, Martisque abiere furores?*
At postquam sic fracti animi, sic perdita virtus,
Hostem non armis, vllave lacessere pugna
Est opus, at clausis defendere mœnia portis,
Auxilio nobis dum belliger arma Boemus
655 *Sumat, & extremo miles fremat excitus Albi.*
Cum primum hic aderunt, vrbem, vestramque iuuabo
Fortunam: perstent ciues, durentque labori
Interea(3), *patriisque abigant a mœnibus hostem.*

(1) Id superius enarratum est.

(2) Habet enim oppidum arcem, & eam, vt *Baselius* ait, munitissimam.

(3) Id est, dum hæc aguntur. Nam particula *interea*, inquit *Seruius* super primo versu decimi libri Æneidos, *præterita negatis coniungit futuris.*

Dixerat, at trepidam præpes festinat in vrbem
660 *Nuntius, & coram simul ac data copia fandi,*
Exponit responsa Ducis, dum tempus inerti
(Nam bisquinque rubens aurora reuexerat ortus)
Consilio premitur, Decius *volat agmine Princeps*
Aggrediturque ferox magnis clamoribus vrbem,
665 *Cepissetque: nisi penitus luctantibus Austris*
Ingentes orti motus, quibus almaque tellus,
Fluctiuagumque mare, & vestigia nostra sub imo
Oppositi contra, & manes tremuere barathri.
Tunc passim trepidare patres, sermoque vagari
670 *Talis in vrbe; Dies cum crastina fulserit, Heros*
Arma ciet, nostrosque inuadet milite muros.
Heu quales gerit ille minas, num præda vehemur,
Innuptæque ibunt famulatum in castra puellæ?
Quin pacem æternam patriæ, magnumque vocemus
675 *Heroa in fœdus: sic passim verba feruntur,*
Et circum aereos pubes cubat anxia muros.
Interea exoritur iubar(1) *omnipotentis*(2) *olympi:*
Tunc pugna diffisi animi, iuuenesque, patresque
Pergunt ad portas, ingentiaque æra resoluunt,
680 *Victoremque Ducem, & florentes ære cateruas*
Accipiunt læti: curruque inuectus eburno

Iuramento adigit populos, fœdusque sacratum
Teutonico de more ferit Ratheius(3) heros.
(4)Inde Leostenium(5) sinuosi ad Cocchenis(6) vndas
685 *Inuehitur: tunc sese vrbesque, arcesque videres*
Dedere victori, nec non Vespergon(7), & vdis
Condita Iastadii 9) Mechymolia(8) mœnia ripis
Vi capit, & tandem defessus Marte quieuit.

(1) Proprie *lucifer* dicitur, quod iubar lucis effundat, a quo quidque fulgens ita nominatur. *Probus* in catholicis, *Iubar*, inquit, *numero semper singulari splendorem duci signat.* Maro, *It portis iubare exorto.*

(2) Non ignoro nonnullis placere magis, vt apud *Maronem*, quem vbique feliciter Poeta sequitur, legendum, *omnipatentis. Tunc pugna diffisi animi, iuuenesque, patresque Pergunt ad portas.* Scribit id *Baselius* etiam hoc modo: *Incolis autem bombardarum lapides iactos ferre non valentibus, neque aliunde sperantibus, munitionem sub conditione salutis Duci* Vdalrico *dederunt.*

(3) *Romuleus*, a Romanis originem trahens. *Ratheius* mons Troiæ est. Vnde Romani *Rathei* dicuntur, vt *Æneadæ* ab *Ænea* qui ex Troia venit. Vtitur *Rathei* epitheto frequenter *Silius Italicus.*

(4) *Baselius* sic; *Dux obtento cum arce oppidulo* Boseckheim, *collocatis inibi præsidiis, Comitatum* Ludouici *de* Leostein, *partis Palatini Comitis manu armata vallauit, omnemque Comitatum, & quæ suæ ditionis erant, igne ferroque vastauit, & in deditionem accepit, maxime castrum Leostein cum villis Groß vnd Klein Ingersheim: quibus obtentis, in Comitatum VVinsperg mouit exercitum, incensis per circumitum villis: castrum vero vallauit obsidione, quod firmiter expugnatum obtinuit. Inde progrediens,* Nouam ciuitatem *pari sorte in deditionem accepit, Deinde* Meckmül, *oppidum obsidens, in suam redegit potestatem.* Hæc *Baselii* verba, Poetæ, vt ipse vides, lumen inferunt, & versus ob mutata nomina obscuros reddunt penitus claros.

(5) *Irenicus* Germaniæ illustrator candidus testis est, Comitatum *Leosteinensem*, olim *Levvinsteinensem* appellatum, esseque venerandæ antiquitatis regionem.

(6) Vulgo *Kocher* dicitur, & latine *Coquus.* Hic in loco a suo dicto nomine *Kochendorff* Neccharum ingreditur, vt retulimus.

(7) *VVinspergum* intelligit.

(8) *Meckmullenia*, vt ita dicam.

(9) *Iagusta*, cuius etiam superius mentionem fecimus.

AVSTRIADOS
LIBER VII.
ARGVMENTVM.

LAntgrauii Hassiæ *gesta narrantur, quem furiosum aliquantulum fuisse Poeta introducit. Is ergo cum exercitu* Chaubos, *oppidum Rheni inuadit, qui præsidia Heluetiorum habebant. Ibique nonnulla de Heluetiorum democratia. Inde* Lantgrauii *oratio militaris de inuadendis muris noctu, pugnaque atrox describitur. Cumque fere victor* Lantgrauius *videretur, imbri tonitruque exterriti Lantgrauidæ in castra redeunt. Ilicet Dux moræ impatiens, castra mouit,* Odenhemium *inuadit,* Stheniumque *oppida. Inde Vrsino in monte tropæa ponit. Elatus gloria iterum* Chaubos *repetit, eiusque strategema describitur, pugnaque cum triginta Chauborum exploratoribus. Sequitur præparatio pugnæ naualis. Interea* Sunebergh *cum* Gesfeltum *occupauisset, a Palatinis illic oscitabundus capitur. Simulque Chauborum nauale a Lantgrauidis comburitur. Chauborum oratores centum Budorium petunt, nauesque auxilio deducunt. Sequitur pugna naualis*

in

in Rheno, & Pallantiæ turris Rhenana origo: sed voce Deum audita, Haßiada, & tonitru exterriti, classem ad littora vertunt.

INterea(1) *Abnobiis deduxerat agmina siluis*(3)
(2)Lantgrauius *Dux, sceptra tenens quo magna Thuringis*
(4)*Hassia contigua est, & Bructera vergit ad arua*(5).
Hic armat ter mille equites, passimque vagatur
5 *Marte furens, & cuncta quatit, nec viribus vllus*
Par erat, aut mediis quisquam violentior armis.
Non aliter Nysæ frænatas vertice(6) *tigres,*
Thyrsigeramque nigros pubem(7) *commouit ad Indos*
Bacchus, & armatas in bella Mimallonas(8) *egit.*
10 *Hinnit equus, pulsatque solum, tremit hausta sub imo*
Tellus, ipse ferox, acerque in prœlia turmas
Instruit, & Rheni positos in littore Chaubos
Inuadit, vallumque locat: dein bella per vrbem
Chauborum(9) *indicit, famaque exterritat hostem,*
15 *Gestarum cuius rerum se tollit olympo*
Gloria quantum armis, quantum supereminet omnes
Ingenio, haud vtinam furor & violentia Martis
Tanta foret, mediis victor fulsisset in armis,
Venturumque sibi nomen peperisset in æuum.

(1) Particulæ huius vim ad finem præcedentis libri ex *Seruii* autoritate diximus.

(2) Scilicet *VVilhelmus* cognomento *Medius*, pater *Philippi*, qui iam dominatur. Nam *Ludouico*, qui, Ænea *Syluio* teste, Romanum Imperium oblatum, ob literarum ignorantiam recusauit, tres *VVilhelmi* successerant. Porro *Lantgrauii* vocabulum interpretari video *Comitem Prouinciæ*. *Hassiæ Lantgrauiorum* genus *Irenicus* non præteriit. Iam autorem habes, si forte requiris, vnde petas, apud quem legimus *Lantgrauiatum Hassiæ* olim ad Thuringorum dominium attinuisse, & sub *Othone* Tertio ac *Gregorio* Quinto in *Lantgrauiatum* esse redactum, cum prius tantum Comitatus extiterit. *Hassones* vero, si sit aliqua *Saxonum* portio, vt mutata pro consuetudine Græcorum, *h* litera in *s*, aut e contra pro *Sassonibus Hassones* sint dicti, parum constat, inquit *Albertus*.

(3) Quæ Westfaliam vsque porrigi diximus.

(4) Nomen regioni inditum a monte *Hasso*. *Thuringis contigua*. Ad Abnobios montes. Ab aliis partibus habet Franconiam, Sueuiam, Saxoniam. Sunt qui putant olim Cheruscos incoluisse Thuringiam.

(5) Id est, Westfalica, quia Hassiæ montes Westfaliam excipiunt a meridie. Colligitur autem Bructeros coluisse partem saltem Westfaliæ, quoniam Amasis fluuius per Westfaliam labitur, inter quem & Rhenum Drusus cum Bructeris loci accolis bellum gessit.

(6) Id est, a vertice *Meri* Indici montis, ad cuius radices, autore *Curtio*, *Nysa* vrbs est clarissima & maxima, vt *Mela* inquit. Ab hac vrbe Bacchus *Nysæus* dictus est. Is enim multis cognominibus, vt quarto Transformationum canit *Ouidius*, nuncupatus est. *Stephanus* de Vrbibus, vrbes decem esse tradit, quæ *Nysæ* fuerint nuncupatæ. Vel ideo dixit, *a vertice*, quoniam Bacchus Indos subegit, apud quos solum & Hyrcanos tigres gignuntur. Inde fingitur Bacchus a tigridibus trahi. Artem captandi tigres, diuus *Ambrosius* Hexameron libro sexto exequitur. Est autem huic feræ inditum nomen a velocitate. *Medi* enim *tigrim*, *sagittam* dicunt, ait *Plinius*. Inde propter miram huius animalis pernicitatem, creditum est zephyrum ventum habere maritum. Ex hac opinione a *Claudiano* Poeta tertio raptus Proserpinæ scriptum est, *Fremit illa marito Mobilior Zephyro*, quem locum contra fidem veteris literaturæ *Parrhasius* corruptum adnotauit.

(7) Exercitum ferentem thyrsos.

(8) Bacchas, quæ & *Mimallonides* apud *Persium*.

(9) Horum facit mentionem *Strabo* libro septimo. Sed non arbitror esse, quos nos *Cubos* vocamus. Arrisit vetus, vt opinor, vox Poetæ: quamquam mox & *Cubos* dicit, & alibi.

20 *Iam Tartessiacas demerserat ora sub vndas*
Occiduus Titan, somnusque animantia habebat.
Chaubis nulla quies, senio pars arma situque,
Pars clypeos mundant, chalybumque in Marte trilices
Instaurant, velluntque altis ex montibus ornos:

25 *Hi fossas ducunt, circumdantque aggere muros:*
Prospectant alii latas ex vrbe phalanges,
Miranturque, pauentque simul, spesque omnis in ipsos
Versa erat Heluetios, primum quos liquerat vrbis
Custodes, remeans ad Norica regna Robertus.
30 *Hii tragulis*(1) *ruere in pugnam, & torquere nocentes*
Mazaras sueti, bellatoremque vocare
Alciden(2) *votis, & duro tympana trunco*
Quassantes in fata ruunt(3), *nulloque pauentes*
Turbine bellorum, genus insuperabile, pugnant.

(1) Teli genus, vt etiam mazaræ, quibus olim Heluetii in bello vtebantur. Dicta *tragula* est, quod infixa scutis traheretur.

(2) Herculem. Vel illum antiquissimum, cuius *Cornelius* meminit, & quem *Peutingerus* noster Alemannum Deum credidit extitisse. Vel illum Corneliano priorem, ac ætate maiorem, Osiridis filium. Alemanni simulacrum in Augæa ad nostra secula delituit, iuxta Constantiam: vbi non longe a suo nomine villa *Alma* vocatur. Scribit *Irenicus*.

(3) Id queritur *Vadianus* his verbis: *Nimius nonnunquam (pace meorum Heluetiorum dixerim) nimius est impetus. Nec est satis valere viribus, nisi ipsis magna industria vtaris.*

35 (1)*Aurifero (vt fama est) riparum margine Rhenus*
Qua ruit ore tonans, illic sua regna gubernant(2),
Saxosasque habitant valles, qui viribus acres
Auxere Imperium(3), *transque Alpes iura ministrant,*
Præclarasque regunt Italis in finibus vrbes(4).
40 *Iis igitur curæ est pro muris cernere bello*
Deligere excubias, & aperto marte phalanges
Condensas struere, & titubantem accendere plebem.
At contra lustrare locos, murumque videre
Lantgrauius, *qua parte queat trabe frangere dura*
45 *Mœnia, & antiquas arces diuellere fundo.*

(1) Laus Heluetiorum. Dicit autem *aurifero*, quia in quibusdam locis Rhenus arenas habet, ex quibus aurum fit: vnde etiamnum aurei Rhenenses dicuntur.

(2) Originem Rheni, de quo etiam Poeta latius in sequenti libro, referemus ibidem, nonnulla primo libro diximus. Admonendum hic duximus Lectorem, de Suitensium Heluetia Poetam verba facere: quæ ad ortum Brigantinos & Aduallam habet: ad meridiem Insubres, Alpes Hannibalis, Gebennam: ad occidentem Burgundiam, Iurassum: ad septentrionem Basileam, iuxta descriptionem *Irenici*. Nam Heluetii, de quibus *Cornelius*, vt indicat Commentarioli in libellum *Taciti* de moribus & populis Germaniæ, autor, quisquis is fuerit, doctissimus certe, incoluere regiones, quæ Comiti Palatino, Marchionique Badensi, & Spirensi Episcopo parent. *Alciatus* qui in commemoratione Heluetiorum nonnihil lapsus est, & *Vadianus*, vt ille vere ait, Heluetiorum in literis decus, putant Heluetiorum vetustorum tractum hodie habitare e Germanis illuc profectos. Reliqua de Heluetiis apud eosdem: *Sylvius* gentis moribus iniquus est, & autor Soliloquii pro pace Christianæ reipublicæ.

(3) Id *Mela* in vniuersum de Germanis prodidit, *Ius*, inquit, *in viribus habent.* Idque maxime si lacessitus quis sit iniuria. Vnde *Vadiano* teste, illa certi iuris in Germania quondam duellorum seueritas. Hæc hodie Hispanis familiaris est: adeo, vt Cæsar *Maximilianus*, Princeps alioqui ecclesiasticæ disciplinæ cultor obseruantissimus, quod illa duellum Christianis prohibuerit, nobilissimis duobus Hispanis, tandem duelli campum aperuerit diu negatum, morem gentis prius edoctus rescripto Regis *Ferdinandi*, huius qui iam imperitat *Caroli* aui materni.

(4) Hoc dicit, vt puto, propter pacta certa inita cum Rege Gallorum super Ducatu Mediolani: vel quæ sibi dicuntur vsurpasse a tempore exacti *Ludouici*, quem grauissimi viri Gallis hostibus ab eis proditum in literas retulerunt: quorum nonnullos citaui in scholiis meis, quæ scripsi in librum *Pontani* de immanitate, quam perpetuam Suitensis nominis infamiam iustius diluisset, si modo potuisset ille. Cui bilis mota, quod alicubi scriptum est, *Schaphusam* a Principibus Austriæ ad coniuratos Suitenses defecisse. *Cernere* pro decertare, & decernere. Sic Maro, *Inter se coiisse viros, & cernere bello.*

Nox erat, & Proceres vocat ad tentoria primos
Vlricum Saxona(1), *Ducemque* Kunistea(2) *belli,*

Dein

Dein tales promit sedato pectore voces:
Cernitis, o socii, quanto rapienda triumpho
50 *Vrbs datur hæc nobis, nihil est meminisse peracti,*
Quid refert, rudibus moliri incendia(3) villis,
Agrestes populare domus, & prædia ferro,
Incolumes tantum sultis(4) modo linquere Cubos?
Hic decus, hic laus est, Proceres agite, horrida tela,
55 *Et frameas(5) vibrate manu, vel more parentum*
Feruida Teutonicis(6) properate in bella cateiis.
Quis pudor, & belli & laudum, neglecta cupido,
Ceruicem oblatis vetat obiectare triumphis?
Nos Bellona vocat, suadentque silentia noctis
60 *Inuasisse vrbem, crapula somnoque sepultam.*

(1) Nomen familiæ est, non gentis.

(2) Comitem *regii Lapidis. Künigstein*, quorum ditio & sedes haud longe abest a Francofordia, nobilissimo illo Germaniæ emporio.

(3) Taxat Poeta latenter Lantgrauii militem, qui plurima loca, etiam sacra templa igne absumpsit. Audiuit male & ipse *Langrauius* ob hæc incendia, vulgoque furiosus, qualem vbique Poeta introducit, vt plerisque locis deprehendimus, creditus est. Quanquam Poeta in militem culpam transfert, & artificiose, vt omnia.

(4) Pro, *si vultis*, ita vtebantur antiqui, vt *Festus* meminit.

(5) Germanis proprie frameam concessam esse insignes autores tradunt. Copiose *Irenicus* libro quarto Germaniæ Exegeseos tractat varia Germanorum tela & arma.

(6) Quod alii a Germanis his non legantur vsi cateiis, vt refert *Irenicus*, qui vult *Maronem* hoc versu, *Teutonico ritu soliti torquere cateias*, metaphorice alii asseripsisse. Idem scribunt esse, qui putant *cateias* scuta fuisse prælonga, pene totam corporis inferioris partem tegentia, qualia Boemorum scuta, solo, dum præliantur, infixa referuntur, *ein Tartsch.*

Dixerat, & tacitos flectens ad mœnia gressus,
Incustoditos scalis inuadere muros
Cœpit, vbi excelsum surgentibus aera pinnis
Culmina frangebant murorum, peruia nulli
65 *Dumque ea molitur, quernæque minacibus hærent*
Parietibus scalæ, & muros subit vnus & alter,
Pondere franguntur ligna, & deiecta cadentum
Scuta dabant sonitum, vigilemque it rumor in vrbem.
Vt casu miserum & longum gemuere ruinæ,
70 *Ignari trepidant. Alii inter tela ruebant:*
Accendunt alii tædas, & noctis opacæ
Discutiunt tenebras: clamant matresque, nurusque,
Formidantque viris, fraudemque ignara iuuentus
Cursitat huc illuc. Tandem Leucontius Andes
75 *Antiquis prognatus auis, Leucisque* profectus*
Anteuolans, cristas & scuta nitentia vidit,
Et scalis iterum muros ascendier altos,
Atque locum inuadit, multosque a culmine turbat,
Vociferans: huc arma viri, depellite vestris
80 *Mœnibus hostiles dextras. En vndique nostros*
Miles habet muros. His dictis ingruit hosti.
Tunc subito Heluetii Chauborum ex arce ruentes
Plumbatis armata cohors, trabibusque præustis
Instaurant animos: alii insultantia bebris
85 *Agmina detrudunt, & pila tricuspide ferro*
Euibrant equites, quo vllum non sæuius ictum
Telum infert, cum sese hostilibus applicat armis.
Saxa alii iactant, semifractasque columnas.
Hos timor audaces, & mortem temnere bello
90 *Desperata salus cogit, longisque cateiis*
Vociferantem altis pellunt de mœnibus hostem.
Parte alia ærisono portarum in limine primi

Certant

Certant Vlricus Saxon, *ductorque* Kunisteus,
Nec non sanguineo indignans effulminat ense,
95 Lantgrauius, *contraque iubet ruere agmina muros.*
Diffugiunt omnes, iam propugnacula victor
Miles habet, trepidi linquunt iam mœnia Chaubi.
Cum subito tenebras optata crepuscula Phœbi
Expellunt, referantque dolos: tunc rursus ab alta
100 *Arce globus iuuenum magno clamore repellunt*
Lantgrauidas, gliscitque atri vis ignea Martis.

* *Strabo* hos, quem Poeta sequitur, eos hodie velint nominari. *Peutingera* supra Heluetios ponit. Sunt qui *Tallenses* iuxta Mediolanos habitant.

Et iam Dux aderat, scalisque innixus acernis
Aggreditur muros: qui postquam mœnia vidit
Deserta, & fugere, & victori cedere Chaubos,
105 *Armatam excutiens dextram, dat signa flagello*
Impeteret latos tormento vt machina muros
Turrifragis aries: extemplo cornibus alta
Saxa quatit, pinnasque trahit ceruice reuulsas,
Vltra autem rapidum, qua Belgica littora Rhenum
110 *Feruida flammatos efflabant æra*(1) *molares*(2)
(Nam simul horrendo pulsantur turbine cautes)
Territa anhelat humus, cælum, nubesque, fretumque
Astupet, & Nymphæ subeunt vada Rhenides ima.

(1) Tormenta bellica, quæ nos a sonitu nunc *bombardas* appellamus, vt dictum est, & *Cataneus* in descriptione bombardæ testatur, *Boarda, siue placet bombarda magis, quod dicta boatu, seu bombo procul.* & cetera.

(2) Ignitos lapides.

Pugnatur passim, euaduntque, tenentque potentes.
115 *Lantgrauidæ muros, vrbem timor angit, vbique*
Concursum. Hic telo in pugnam ruit Ardennæo(1),
Hic volat Hercyniis condensa per agmina truncis,
Fert Glycias hastam, cæstu Pythis, Idor acernis
Ingruit Emathio cædi de more sarissis(2),
120 *Fustibalum*(3) *Thermonta iuuat, quo torquet in auras*
Saxa, & vulnifico committit bella flagello.
Exclamant pauidæ matres, & culmine ab alto
Antiquas iactare trabes, casusque domorum.
Dumque furor Thermonta agitat, ruit obuius Idmon,
125 *Qui Biturix genere*(4) *& patria, sed cæde parentum*
Exilio damnatus erat, deuictaque visens
Regna Sicamborum, multos latuisse per annos
Fertur, nec sceleris soluisse piacula tanti:
Hic tegere incocto taurorum tergore crines,
130 *Villosoque ferox corpus centone*(5) *solebat:*
Qui cernens Thermonta procul, volat impete vasto,
Et iuuenem telo moribundum sternit arena.
Vociferans Thermon, quis me adiuuat? Idora semper,
Idora commemorat, repletque vlulatibus auras.
135 *Non secus Ascanii in nemore*(8) *Amphitryonius Heros*(6)
Incautum(9) *clamabat Hylam*(7), *curuæque sonabant*
Dilectum valles, speleæque saxea nomen.
Dum gemit infelix Thermon, volat Idor, & inquit:
En Thermon, en vltor adest: nec plura locutus,
140 *Vibrans Æmoniam dextra impellente sarissam*
Torquet, & effractis transuerberat Idmona costis.
Hic cadit exanimis, rupto pulmone cruorem
Euomit, & largo fœdatur sanguine tellus.

Dumque gerit Thermonta humeris pius Idor, ab alto
145 *Saxum horrendum ingens, & ineuitabile pondus*
Corruit, & medio defixit vertice vulnus.
Non secus ac scopulos summis de montibus vndæ
Ingenti feriunt casu, conuulsaque ad imum
Saxa ruunt, plantæque simul, taxique minaces,
150 *Ille cadit per prona miser, fractoque cerebro*
Illico purpuream moriens euasit ad auram.
Occurrunt socii Telamon, Lartesque, Procasque
Hassiadum proles, quos inter Martia tela
Dux flagrans animo vocat alta ad prælia voce.
155 *Hic armis grauior, scutumque & fissile robur*
Vibrat, & ærato defendit casside crines.

(1) A silva Ardenna: quæ & Arduenna appellata: quæ a Metensibus vsque ad Aquisgranum porrigitur, dicta *Achtervvald*, ait *Irenicus*.

(2) Teli genus, vt dixi, apud Macedones frequens. Vnde dixit, *Emathio de more*, quoniam, vt inquit *Plinius*, Thessalia quoque in Macedonum nomen cessit.

(3) Fustis est longus pedibus quatuor, cui per medium ligatur funda de corio, & vtraque manu impulsus prope adinstar onagri dirigit saxa. Autor est *Vegetius* de re militari libro tertio. Dicitur autem a *fuste & ballo*, quod significat *iacio*, Vnde *fustibalum*, non *fustibulum* scribendum.

(4) Id est, *ex gente Biturigum*. Duplices inuenio *Bituriges*. Alteros *Aquitaniæ*, alteros prope *Santones*. Meminere horum *Cæsar*, *Strabo*, *Plinius*.

(5) Id est, operimento grossiori. Nam idcirco appellatur stragulæ genus, quod multis pilis ac longis abundet. Castrorum ac pauperum frequens vsus.

(6) Id est, *Hercules*.

(7) Nam Hercules amissum Hylam diu clamauit. Fuit *Hylas* Thiodamantis filius Dryopum Regis, quorum gens subiecta Parnasso fuit. Hic patre interfecto, Herculem secutus, studio eius virtutis ardens, cum ex comitatu Argonautarum in Mysiam Hercules recessisset, ad materiam quærendam remi, quem fractum volebat reficere, & Hylas ad hauriendum aquam Ascanii fluminis vrnam extulisset, dum accedit ad ripam, adamatus a nymphis, & raptus est: propter hunc Hercules comites deseruit, nec deinceps secutus Iasonem. Hunc cum periisse cognitum est, sacra ei instituta sunt: quibus mos fuerat, vt eius nomen clamaretur ad instar Herculis magno, vt dixi, clamore, Hylam inclamantis. Hinc a *Marone* dictum est, *Vt littus Hyla, Hyla omne sonaret*. Et *Val. Flaccus* 3. Argonaut. *Rursus Hylan & rursus Hylan per longa reclamat Auia.* Ex hoc clamore, vt *Camers* refert, *Tarreas* in prouerbiorum collectaneis autor est parœmiam sumptam, Hylam inclamare de his, qui aliquid inani labore prosequuntur. Vsum adagii docet *Erasmus*.

(8) Ascanii lacus & *Strabo* lib. 12, & *Propertius* meminit elegia vicesima primi in principio.

(9) Quia in fontem cecidit, vt etiam innuit *Iuuenalis*; *Vrnamque secutus*.

Et iam victor erat, cum desuper ignibus atris
Intonuere poli, creberque e nubibus imber
Desiluit piceis, & nox præuenta tenebris
160 *Vtramque inuasit magna formidine pubem.*
Hi repetunt arcem, fugit ad tentoria miles
Hassiades, cælumque timet, flammasque Tonantis.
Dux tamen impauidus, quis enim non cesserit astris?
Dispersas recipit turmas, reditumque repente
165 *Imperat, & fossis muniri, atque aggere vallum.*
Et iam sub nigro turbata tonitrua cælo
Desierant, Phœbique iubar rutilantius ibat,
Festini redeunt ad propugnacula Chaubi
Diruta, & euersam mirantur ab ariete(1) molem,
170 *Illicet instaurant muros, fossasque profundas*
Educunt, atque arma parant: stat mœnibus altis
Horrida(3) sulphureis feruens ballista(2) sagittis,
Monstrum infame, atrox, quo dirum Iuppiter olim
Enceladum strauit telo, magnumque Typhœa,
175 *Quem nunc flammiuomis ardens premit Ætna cauernis.*
Hæc frangit scopulos, ac sæua incendia miscet
Vulneribus, montesque volans transuerberat altos.

(1) Machina bellica. Sic appellata, vel quod habet durissimam frontem, quæ subruat muros: Vel quod more arietum retrocedat, vt cum impetu vehementius feriat. Vt fieri debet, tradit *Vegetius.*

(2) *Nonio* est instrumentum, quo maiora & grauiora saxa iaciuntur. Idem videtur *Vitruuio.* Sed tamen, inquit, *nulla ballista perficitur, nisi ad propositam magnitudinem ponderis saxi.* At *Vegetius* pro instrumento quodam fune intento, vel neruo, quo spicula iaciantur, longiusque mittantur accepisse videtur. Parique significatione *Lucanus.* Quia autem nomen hoc a græco verbo βάλλω, quod vt diximus, *iacio* significat, descendit: ideo duplici *l* scribendum est, quanquam pæne in consuetudinem venerit, vt vnico tantum scribatur: nec minus tum syllaba longa sit. Poeta vero videtur hoc loco ballistam accipere pro instrumento illo, quod vulgo dicitur *Mörsel*, e quo sulphurei globi iaculantur: vel pro ipsa etiam bombarda.

(3) Ab effectu.

Ac contra Dux ipse moræ in diuersa trahebat
Impatiens animos, mediaque in nocte refigi
180 *Signa iubet, totisque acer legionibus vrbem*
Pergit Odenhemium, Drusique inuectus in agros(1)
(Sic memorant, vbi busta Ducis, subiectaque moles
Visitur, adscitis quæ dat cognomina terris)
Castra locat, bellumque indicit protinus vrbi.
185 *Nulla mora, inuadit muros: contraque ruebant*
Nequicquam ciues, fractisque effulminat Heros
Obiicibus portarum, & in arma cruenta virosque
Proruit effossos, passimque miserrima cædes
Editur, iniectæque absumunt omnia flammæ.
190 *Sic victor præda & spoliis discessit onustus,*
Vangionumque(2) *petit littus, Dux turbinis instar,*
Et Sthenon(3)*aggreditur, citius quam castra locarat*(4),
Vi potitur muris, vltraque minantia Rheni
Vexilla inuexit ripas, montemque reuisit
195 *(Vrsinum dixere patres*(5)*) vbi dura laborum*
Erectis posuit victor monumenta tropæis.

(1) Sepulcrum Drusi prope Mogontiacum esse, constans & communis fere existimatio omnibus est. Eius rei *Eutropius* & *Otho* Frisingensis Episcopus testes sunt locupletissimi: ne citem *Cunradum Celtem* rerum Germanicarum exactissimum peruestigatorem. Vulgus hodie *Glandis lapidem* vocat, a figura scilicet, quam hac tempestate præ se fert. Nam habuisse olim pyramidis figuram, complures sunt qui opinentur. Altitudinem habet centum pedum, & planitiem in cacumine pedum octo: ex quo colligi facile potest, altiorem aliquanto eam fuisse. Basis eius in circumitu patet centum & duos ac triginta pedes. Sunt tamen, vt refert autor collectaneorum Antiquitatum Moguntiacarum, qui coniectura ducti, molem hanc Aurelii Alexandri Imperatoris Romani Mameæ F. monimentum putent: hac fortasse, quod *Eusebius Cæsariensis* refert in Chronicis, Alexandrum occisum Moguntiaci tumultu militari, quodque ab *Ælio Lampridio* historico scribitur, Alexandrum cenotaphium in Gallia Romæ sepulchrum amplissimum meruisse. Vnde & illud quoque adiiciunt, Moguntiam nostram Germaniæ, tum atque Galliæ fuisse caput. Videtur autem Poeta communem secutus opinionem, velle vicinam quoque regionem Drusianam appellatam. Fuit Drusus Tiberii Neronis, & Liuiæ, Drusillæ filius, fraterque Tiberii Cæsaris, & Augusti priuignus, qui Rhætos & Vindelicos Alpium populos domuit, vt scribunt autores. Huic, cum violento equi casu afflictus paucis diebus vita decessisset, ob prouinciam præclare administratam *Germanici* nomen decretum est. Tiberius corpus eius pedibus toto itinere prægrediens, Romam vsque peruexit, autor Suetonius.

(2) Id est, *VVormatiensium*, inflexo *Funganiorum* nomine, vt quibusdam placet. Nam finitima regio *Fungau* dicitur,

(3) *Stein* arcem signat in Rheni ripa sitam.

(4) Innuit celeritatem in victoria.

(5) Parum id mihi constat. Puto autem signari *Bericum* monasterium Hassiæ, vbi fama est, crucem e terra creuisse.

Iunxerat interea velox ter cornua Phœbe,
Noctiuagisque inuecta rotis, lustrabat olympum,
Nulla Duci concessa quies, iterumque cruenti
200 *Mens agitat molem belli, dolet, & sua Chaubos*

Arma

Arma pati impunes, quando iis victoria belli
Integra diripitur, sic secum, & luce reuecta
Castra mouens iterum Chauborum ad littora pergit.
Iamque furens aderat, curæque, iræque coquebant
205 *Ingentes animos, quo pacto inuadere muros*
Possit, agit secum, nunc huc, nunc fluctuat illuc.
Qualis ab Inoo surgit cum turbida Ponto(1)
Tempestas(2)*,voluensque fretum, nunc verberat ortum,*
Nunc ad Amyclæi Nilotica regna Canopi(3)
210 *Fœcundam Ægyptum*(4) *torquet spumantibus vndis.*
Talis erat Dux ipse, animum mentemque volutans
Pene sibi haud constat: tandem placet ire, oculisque
Perlustrare vrbem, sed qua via tutior esset
Ignorat, versatque dolos secum: & sibi vestem
215 *Induit agricolæ, qualis prope littora Rheni*
Vberibus frangit glebosa noualia sulcis.
Exin Dux solus Chauborum pergit ad vrbem;
Et moles spectare nouas, atque omnia circum
Perlegere ille oculis, cratemque annectere muris
220 *Vimineam, & madido portas prætexere tergo*
Effusam cernit pubem, intentusque virorum
Sollicitum miratur opus, versatque, trahitque.
Dum per cuncta oculos properat qua vertice Rhenus
Voluitur assiduo, & resonantia saxa cauernis
225 *Verberat, & crebris anfractibus alluit vrbem:*
Illic vasta quies, paucisque habitata colonis
Pars erat, atque vllis incustodita patebat.
Pro muris stat fossa ingens, quæ gurgite laxo
Excipit inuectas Alpini(5) *fluminis vndas.*
230 *Hic sub rupe caua, & pendentis fornice saxi*
Bissenas religant lintres, totidemque Liburnas(6)
Ad belli casum, & placida statione triremes.
Vt vidit nauale vetus, facilemque subinde
Ostentari aditum, qua cæca absumere nocte
235 *Antiquas poterat flammis violentibus alnos,*
Hinc repetit castra: interea deuexerat vmbras
Nox terris, tacitoque micabant sidera mundo.

(1) Hoc est, ab ea parte Ægæi, in quam se *Ino*, Cadmi & Hermiones, vt omnes, vel Harmoniæ, vt *Hesiodus*, filia, Athamantis vxor, & Liberi patris nutrix, præcipitauit e Scyroniis saxis. Fabulam refert *Ouidius*, quarto Transformationum: quo loco scopulum eum, ex quo se *Ino* præcipitauit, eleganter describit. *Imminet aequoribus scopulus*, &c.

(2) Illic enim mare sæuo, ac procelloso vento Cauro agitatur: quem Athenienses a saxis Scyroniis *Scyronem* nominant.

(3) *Amyclæ* oppidum Laconiæ, Castoris & Pollucis altrix. Vnde *Amyclæi* Maroni dicuntur. Idem *Amyclaeum canem* commendauit. Ita & Poeta *Amyclaeum Canopum*, oppidum & ostium Nili dixit, a *Canopo*, classis Menelai gubernatore ibi mortuo & sepulto; vt *Strabo* ait libro vltimo & *Mela* in 2. *Vadianus* vocabulum per *b* literam aliquando scriptum testatur, *Quintiliano* autore.

(4) Quæ irrigatione Nili fœcunda fit. Vel ad illud respexit, quod septem vno partu filios in Ægypto pariant feminæ, vt *Trogus* autor affirmat, *Solino* referente. *Aristoteles*, cui, vt ait doctissimus *Camers*, ob singularem doctrinam magis credendum est, ait in terra Ægypti mulieres parere sæpe tres, sæpe quatuor: sed quinque cum plurimum nascuntur. Quomodo autem plures simul gigni possint, apud philosophos inquirendum est. Ceterum partus monstrifici nulla est, quam requiras caussam, Siquidem creditum est, nec ab re quidem, ob hominum crimina imminentia mala quibusdam prodigiosis præmonstrari signis. Id autem accidere credunt aquarum natura. Vnde a *Plinio* dicitur *fœtifer potu Nilus*.

(5) Rheni ab ortu.

(6) Nauigii genus in Liburnia, quæ Dalmatiæ pars est, inuentum. De Liburnis nauibus plura *Vegetius* de re militari lib. 4.

Nec mora, terdeni lunæ per opaca feruntur
Deliquia(1)*, armati pedites, siluisque sub altis*

240 *Conduntur, qua parte datur prospectus in hostem,*
Exploraturi, quæ sint munimina vallo,
Qui vigilent, quiue arma parent: dum singula furtim
Rimantur, pulsusque pedum, densusque resultat
Armorum fragor, & murmur diuerberat aures
245 *Magnanimi Herois: cupit ire & cernere caussas*
Nocturni strepitus, quæue illis agmina siluis.
Antiqua in nemore atque ingens erat æsculus(2) atro,
Quæ tantum ad Manes imos, ac tartara mittit
Radices, quantum ramos per nubila tollit.
250 *Illinc nodosum dependens caudice(3) robur*
Ad terram euulsit: nec ei sors dextera facto
Defuit, alituum obtenta sub nocte tenebris
Præsidio est vsus(4), quorum fulgente per vmbras
Remigio alarum, & iactis per compita pennis
255 *Nocturnum molitur iter, plumasque secutus,*
Pendentem vidit galeam, cristasque micantes
Arboreo in trunco: qualis, cum obtexitur aer,
Iam pleno Phœbe micat inter nubila vultu.
Postquam, sic fama est, Ophobergia mœnia Cæsar
260 *Vicit, Pryschauiosque inuasit milite campos;*
Hostiles cuncti exuuias, & opima ferebant
Squallentes auro galeas, nitidoque orichalco(5),
Et picturatis splendentia cingula bullis(6);
Pars teretes ocreas, & scuta recurua, secures,
265 *Pilaque, pars clypeos patrias referebat ad oras:*
Magnus auis, atauisque potens, & belliger Ostreus,
Dum repetit Sueuos, dirum & mirabile monstrum
Apparet silua in media: quo non fuit vlla
Importuna magis labes, quam Sarmata telis
270 *Et niue durati nequeunt superare Geloni:*
Hunc veteres dixere vrum(7), qui per nemora alta
Taurinis crudescit cornibus(8), & ferit astra.

(1) Ita etiam *Plinius* libro secundo appellat defectum in sole & luna.

(2) Color ex secundo Georgicorum *Maronis* sumptus. Æsculus arbor est glandifera, ab edo, nam eius fructu olim homines vescebantur. *Plinius* inquit, *glans optima in quercu, atque grandissima, mox Æsculo.*

(3) *Caudex* dicitur in arbore, quod supra terram simplex assurgit: in herbis vero *caulis* appellatur.

(4) Hoc non sine autore dicit Poeta. Nam *Plinius* in *Hercynio*, inquit, *Germaniæ saltu inusitata genera alituum accepimus, quarum plumæ ignium modo colluceant noctibus.* *Dionysii* interpres de his auibus sic de Hercynia silua inquit; *Hæc pascit volucres (mirum) fulgentibus alis, Queis ducibus noctu cernuntur flexa viarum.* *Solinus*, cuius verba Poeta fere protulit, ita scribit; *Saltus Hercynius aues gignit, quarum pennæ per obscurum emicant & interlucent, quamuis obtenta nox denset tenebras. Vnde homines illius loci plerumque nocturnos excursus sic destinant, vt illis vtantur ad præsidium itineris dirigendi, praiactisque per opaca callium rationem viæ moderentur indicio plumarum refulgentium.* *Ammianus* apud Agathyrsos, siue Achillis Dromon huiusmodi aues esse Alcyonibus similes perhibet. *Albertus* noster has aues *lucidias* nuncupat, ab effectu. *Celtes* autem noster, qui pluribus annis Germaniam experiundarum nostratium potissimum rerum caussa peragrauit, de his loquens auibus, *Nihil*, inquit, *habeo compertum. Multa enim defuisse, quæ hodie non sunt, & multa renasci in rerum natura, quæ olim non fuerunt, constat, noua cælestium corporum (si quid in mundo nouum aliquid emergere potest) factum crediderim.*

(5) Sic dictum, quod in montuosis locis reperitur, ὄρος significat *montem*, & χάλκος *æs.* Orichalcum pretiosum fuisse ex *Plauto*, *Horatio* in arte, & *Lucretio* colligimus.

(6) Diximus libro quarto bullas esse ornamenta cingulorum. Est præterea bulla insigne colli puerilis suspendiculum, ingenui aurea, seruilis scortea. Sic dicta a græco βουλὴ, quod significat *consilium*: quia illis veluti monumentum & memoria esset, consilium rebus omnibus adhibendum esse: & ideo illam corporis partem, hoc est, pectus attingebat, vbi naturale manet consilium, vt *Festo* placet.

(7) Gallica vox est, autore *Macrobio*,
qua

qua feri boues significantur. *Seruius* græcam vult originem ab ὄρων, id est, a *montibus*, vbi potissimum versantur. Germanice eos *Vrochssen* vocamus. Imperitum vulgus *bubalos* vocat, & barbare, vt ait *Irenicus* ex *Solino*: cum bubali pene ad ceruinam faciem in Africa procreentur.

(8) Sunt enim omnium taurorum maximi, & fortasse adeo, vt currus cornibus erexisse dicantur. Quin & hominem cum equo cornibus ventilare posse, *Albertus* noster asserit.

Quem simul ac vidit, subito per membra cucurrit
Infandus tremor, & vox faucibus hæsit anhelis,
275 *Non secus imbelles aquilam timuere columbæ,*
Aut fuluum pastor populantem armenta leonem(1).
Iamque aderat monstrum infrendens, ratioque subinde
Nulla fugæ, inuentæque piget, nec tendere telo
Audet in aduorsum, tandem sic vltima semper
280 *Cura*(2) *Deum, & pietas extremo est indiga casu.*
Ostreus extollens duplices ad sidera palmas,
Iuppiter omnipotens(3)*, inquit, qui fulmina torques*(4),
Et nutu mortale genus, mundumque gubernas,
Da precor auxilium, ne nostra in viscera pestis
285 *Sæuiat, aut cornu miserum*(5) *discerpat adunco,*
Has tibi dilecta exuuias, monumenta laborum
Suspendam quercu, necnon cum limina primum
Contigero patriæ, nostris cadet hostia cultris,
Et centum ducam tauros ad sacra volentes(6).
290 *Sic fatus, querno suspendit munera trunco.*
Audiit ista Tonans, & nigri fulminis ignes
Excutiens dextra iecit Summanus(7) *ab alto,*
Ingentemque ferit telo inter cornua taurum.
Ille cadit resupinus humi, nemus omne tremiscit,
295 *Saxa tonant, imæque omnes dant murmura valles.*
Non aliter succisa ruit de montibus ornus
Antiqua insternit plantas, & caudice duro
Dat sonitum, fractæque gemunt sub pondere cautes:
Sic victor Diuum auxilio, sua munera liquit
300 *Chaoniæ in quercu, & patrias remeauit ad oras*
Incolumis, sacrosque Ioui instaurauit honores.

(1) Hunc fame compulsum stabula pastorum, armentaque inuadere tradit *Homerus*, vt refert *Volaterranus*, carne camelorum vesci, autor est *Herodotus*, qui quondam in camelos Xerxis frumentum ferentes impetum fecisse leonem commemorat. Saturitatem dierum inedia, vel simia deuorata, vomitionibus purgat. *Plinius* genera leonum duo, libro mundanæ historiæ octauo, totidem *Aristoteles* libro naturæ animalium nono tradit. *Solinus* autem genus trifariam scindit capite quadragesimo.

(2) Notat mortalium in Deum pietatem adeo lentam esse, vt non nisi malorum excitetur tempestate.

(3) *Apuleius* in libro de mundo, refert Orpheum de Ioue illa dixisse: *Iuppiter omnipotens est primus, & vltimus idem, Iuppiter est caput, & medium, Iouis omnia munus, Iuppiter est fundamen humi, ac stellantis olympi, Iuppiter & mas est, & nescia femina mortis, Spiritus est cunctis, validi vis Iuppiter ignis. Et pelagi radix, sol, luna est Iuppiter ipse, Omnipotens rex est, rei omnis Iuppiter ortus.*

(4) Fulminum plura genera *Seneca* docet in quæstionibus. Fingunt autem poetæ Iouem fulmen iaculari, quod sontes ac impios iusto iudicio puniat.

(5) Misero modo: vel afflictum & miseratione dignum, si legis *discerpat*, vt codex scriptus habet, mihi prior lectio magis placet.

(6) Duo significantur, primo sacrificium illud maximum centum victimarum, quod dicitur *hecatombe* græcis, & a *Iulio Capitolino* his verbis describitur: *Hecatombe tale sacrificium est: centum aræ vno in loco cespititia extruuntur: & ad eas centum sues, centum oues mactantur*: secundo morem antiquorum tangit, qui, si victima aræ stetisset, credebant sacrificium Diis gratum fieri: si a victimario fugisset, impium credebant & non gratum Superis. Idcirco dixit, *volentes*, spontaneas, non renitentes. Cetera ex *Macrobio* de victimarum ratione, si voles, cognoscere potes.

(7) Iupiter, vt ita dicam, nocturnus. Siquidem *Plinius* libro secundo tradit, Ioui diurna fulmina, Summano nocturna assignata esse. *Summanum* quasi *summum manium* dictum volunt.

(1)*Hanc igitur galeam capit imperterritus Heros*
Lantgrauius, *siluaque habitent homines ne, feræ ne*
Inquirit, tacitumque petit per opaca tumultum.
305 *Iamque aderat, præsensque, viri, quo pergitis inquit?*
Quidue armis densatis iter? num tuta per vmbras
Est via? Pro scelus infandum. Nec plura locutus(2)
(Norat enim Chaubos scrutatum castra petentes)
Insultantem acri percussit Pocryda nodo.
310 *Hic cadit, atque animam mistam cum sanguine fudit.*
Concurrunt socii, Phlegyas, durusque Thylemon,
Et senio iam canus Atax, vultuque superbus
Euronius, ducens genus a Saxone vetustum,
Inuaduntque Ducem: sic cum pluuialibus Hædis(3)
315 *Ionio in magno fluctus agitantur, & altos*
Compulsant scopulos, fremituque in saxa feruntur:
Stant tamen immotæ cautes, cursuque refracto
In sese redeunt vndæ, victæque resident.
Haud aliter Phlegyan, sæuumque Thylemona, & acrem
320 *Euronium furor impellit: ruit ille bipenni,*
Vulnificas iacet hic Theutisco more cateias.
Durior ille tamen scopulis, solidoque adamante
Stat contra, truncumque vibrat: visoque recedit
Lantgrauio *tremebundus Atax, pauidusque Thylemon.*
325 *Non tulit hoc Dorylas, proiecto sed pede telum*
Contorsit vehemens, secat aera stridula cornus,
Et rude vulnifica tegumentum cuspide frangit
Magnanimi Herois, sed non tulit illa cruorem:
Reiicit excussam Dux illicet, & dolor intus
330 *Æstuat, & nigro sudant præcordia felle,*
Impatiensque iræ furit, & ramalia(4) *quassans,*
Vno treis animas ictu sub tartara misit.
Inde petit Phlegyan, qui pelle Alpinidos vrsæ
Protectus, binis committit prælia gesis:
335 *Quis te ait, eripiet nobis? truncumque reflectens*
Ad caput ingeminat vires, & tergore fracto
Inuadit costas, iamque ad præcordia lapsum
Crudescit vulnus, gelidis mox eruta venis
Effugit manes anima indignata sub imos.

(1) Idem fingitur a *Statio* in Thebaide.

(2) Orditur pugnam *Lantgrauii* cum triginta Chauborum exploratoribus.

(3) Super *Tauri* cornua est signum, cui *Auriga* nomen est. Hunc *Tauro* vna clara stella coniungit. Retinet autem *Auriga* stellas duas, quæ *Hædi* vocantur: quorum & ortus & occasus tempestates grauissimas facit. Oriuntur autem cum Scorpione mense Octobri, vt ait *Seruius* super hoc *Maronis* versu, *Quantus ab occasu veniens pluuialibus Hædis*, libro Æneidos nono. *Vegetius* post menses reputatos nauigationi tutos, Octobrem ob *Hædos* pluuiales ponit inter tempus incertæ nauigationis, & discriminis propioris.

(4) Ramorum fragmina. Persius, *Et ramale vetus.*

340 *Pergit victor ouans, qualis fame concita tigris*
Armenium pecus inuadit, nunc ore cruento
Agrestem ruit in taurum(1), *nunc impete vasto*(2)
Turbat equos, solidam trepidans quatit vngula terram,
Excelsosque petit montes(3), *& flumina tranat.*
345 *Haud aliter gliscit timor illis, inde per alta*
Culmina diffugiunt, stat solus Marte Cleobus
Inuictus, reuocans fugientem in prælia Chaubum.
Hic etenim (vt memorant) pellectus amore Cyenes
Chaubigenæ, extremis Mysorum venerat oris(4)
350 *(Namque illic regnasse ferunt) fratrique relicto*
Imperio, vt belli casum præsensit amatæ(5)

Venit

Venit in auxilium ((6)quid amor non imperat(7), audet(8)?)
Imbellem ne vnquam post fata reprehenderet hastam,
Degeneresque animos, sæuum ruere acris in hostem.
355 *Ac prior aggressus, vibrat telum, inde sub alam*
Vulnus agit dextram: sanguis fluit horridus atro
Ore, minis oculisque tumens: vinci dolet Heros,
Instat atrox, pugnæque ruit, roburque coruscat.
Hic molem refugit saltu, & se subtrahit hosti,
360 *Et noua bella parat: volat igneus æquore siluæ*
Nunc costas feriens, nunc crura, parumque moratus
Respicit ingentes artus, visisque tremiscit.

(1) Est enim & siluestris, cuius alibi mentio facta est.

(2) Pro *impetu*, vt & *Lucretius* dixit libro sexto, & *Papinius* lib. Thebaidos septimo, vbi *Lactantius* interpres dicit, *Statium* antiptosin fecisse. *Pius* ait, antiquos *hic impetis* dixisse.

(3) *Solinus* de huius feræ pernicitate sic scribit: *Nihil tam longum est, quod non breui penetret, nihil adeo antecedit, vt non illico assequatur.*

(4) *Plinius* libro quinto *Mysiam* in Phrygia collocat. *Strabo* libro duodecimo regiones quasdam commemorat inter se finitimas, puta Phrygum, Bithynorum, Mysorum, Dolonum, item qui iuxta Cyzicum accolunt Mygdonum, ac Troianorum: neminem autem inficias ire, quin vnaquæque suis finibus sit circumscripta. Verum eos fines ad amussim diiudicare, id neutiquam facile. Porro de Phrygiis ac Mysis prouerbium quoque vulgo iactitatum fuisse versibus trimetris græcanicis, quos *Erasmus* latine in hæc reddidit verba, *Sunt separati Mysiorum termini, Phrygumque, sed finire perquam est arduum.* Huius rei caussam adducit: quod hi populi non satis stabiliter tutati sint suas sedes, sed subinde aliunde alio depulsi, terminos incertos reddiderint.

(5) Scilicet Cyenes.

(6) Per interpositionem legendum. De amore scribentes multos id nominis comminiscuntur. Nisi fortasse, quod *Ranisio* placet, diuersis appellationibus eundem intelligi velint. Triplicem reperio amorem. Primum *diuinum*, cum incorrupta mente & virtutis ratione conuenientem. *Secundum* corruptæ voluntatis passionem. *Tertium* ex vtroque permixtum, quæ & *Platonis* fuit sententia. *Aristoteles* quoque idem pæne, diuersis tamen verbis asserit dicens. *Primum* propter honestum, *secundum* propter delectabile, *tertium* propter vtile. Nec sane in amoris diffinitione inter autores conuenit. Amor enim secundum Platonicos, nihil est aliud, quam pulchritudinis desiderium. *Theophrastus* sic; *Amor est animi concupiscentia, quæ celerem habet ingressum, tardum vero regressum.* Diuus *Hieronymus* libro secundo in Iouinianum, *Amor formæ, rationis oblinio est, insaniæ proximus, turbat consilia, altos & generosos spiritus frangit.* Aliter *Mancinellus* in Maronem, aliter *Beroaldus* in Apuleium. *Fulgentio* nihil aliud est amor, quam flamma. Apud *Crinitum* cap. quarto libri de honesta disciplina decimi sexti scitu dignam reperies amoris definitionem. Ceterum amorem tricipiti Chimæræ comparant plerique, cui leonis caput, capræ ventrem, caudam draconis indiderunt. Quod amor leonis more inuadat: medio tempore libidinem, quam designat capra, animal in Venerem procliue: postremo, quod venenum in cauda serpentis frequens alumno suo propinet, id est, pœnitentiam voluptati comitem afferat, quod etiam diuus *Hieronymus* ad Amantium presbyterum scribens docet: *Omne peccatum,* inquit, *post factum pœnitentia sequitur. Sola voluptas ipso pœnitentiæ tempore, præteritos patitur stimulos, vt (in his quæ corrigere cupimus) rursus sit delinquendi materia.* Vnde non absurde *Propertius* dixit, *Omnes humanos sanat medicina dolores, Solus amor morbi non amat artificem.* Quamquam fuere inter gentiles, qui huic occurri possi dixerint. Qua de re lege *Plinium* capite sexto tricesimi, & cap. nono vicesimi quarti. Nobis vero remedia contra libidinem præscripta, tradit e multis nonnulla *Roterodamus* in aureo Christiani militis compendio.

(7) Ergo eleganter a *Pio* secundo libro Elegiarum *sceptrifer* est appellatus, & a Pamphilo Saxo *imperiosus.* Nam vt *Ouidius* in epistola Phædræ ad Hippolytum, *Quidquid amor iussit, non est contemnere tutum, Regnat, & in dominos ius habet ille deos.*

(8) Scilicet Cleobus, & est constructio: *Cleobus audet ruere acris,* pro *acriter,* in sæuum hostem, ne vnquam reprehenderet, scilicet Cyene, hoc est, suggillaret, taxaret imbellem hastam, & degeneres animos post fata.

Tum vero haud aliter scopulosa Ceraunia(1) tranans
Venentum telis sus Epirotica(2) sæuit,
365 *Et fremit horrendum, calidoque effulminat ore(3),*
Protinus irarum frendens retinacula soluit.
Sic Heros, viresque, æstusque recolligit alto

Marte

Marte furens, teloque ferum ferus impetit hostem.
Mons erat excelsis scopulis, & cautibus horrens,
370 *Vnde æuo lapides consumpti, & fragmina ad imum*
Corruerant, illinc ingenti pondere saxum,
Quod vix quinque viri, quos præsens protulit æuum
Tollere humo possent, adeo natura relabi
Cernitur(4), *inque dies consumi degener ætas,*
375 *Corripuit, vibratque altum: tremuere profundæ*
Ad iactum valles, medioque vmbone pependit
Saxum ingens, teloque hostis discussit habenas.
Labitur exanimis, ruptoque adaperta cerebro
Fit cutis, & moriens charam vocat ore Cyenen.
380 *Interea & miseri iam singultantia corda*
Purpuream eructant animam, quæ lapsa sub ima
Tartara, defunctos manes, sociosque reuisit.

(1) Sic dicta, quod fulminibus infestentur, autore *Seruio* & *Acrone*. Sic & a *Marone*, *Lucano*, *Ouidio*, *Claudiano*, *Auieno*, *Mela*, *Solino* vocantur. *Plinius*, *Ptolemæus*, *Horatius*, *Martianus*, & plures alii *Acroceraunia* nuncupant. *Horatius* appositiue Ode tertia primi carminum, infames scopulos *Acroceraunia* nominat, propter atrocitatem naufragiorum, quæ ibi multi patiuntur, vt ait *Porphyrion*. A *Cerauniis* Epirus incipit, vt scribit *Plinius*.
(2) Aper.
(3) Dentes enim apri vim fulminis habent, eodem autore.

(4) Iuxta *Homerum*, qui, vt refert *Plinius* libro septimo, iam ante annos prope mille non cessauit minora corpora mortalium quam prisca conqueri. Atque idem *Plinius* scribit obseruatum esse, mensuram humanæ staturæ indies minorem fieri, rarosque patribus proceriores, consumente vbertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat æuum. Ex nostris diuus *Cyprianus* contra Demetrianum scribens, ait: *Illud primo in loco scire debes, senuisse iam mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea prævalebat.*

Dispulerat noctem nostro sol aureus orbe
Igne nouo, croceisque fugauerat astra quadrigis,
385 *Vulneribus data cura Ducis, deinde ordine narrat*
Consilium, Martisque dolos(1), *& fortia facta*(2).
Nec mora, succidi teretes de montibus ornos
Imperat, & trabibus celeres contexere naues.
Efficiunt mandata citi: subit ille per alta
390 *Siluarum, remosque rudes, & transtra recidit:*
Compinguntque foros(3) *alii, longosque rudentes*
Intorquent, spirasque (4) *immanes explicat Othreus*
Insignis faber, & cæsa erigit abiete malos,
Feruet opus iuuenum passim, crescitque videndo.
395 *Non aliter massam voluunt incude cyclopes*
Sicania ardentem, magnus nouat ægida Brontes
Palladium, & sæua componit Gorgone crines,
Fulminei Steropes Iouis ignes, Martia fræna
Feruidus, atque Harpen Saturnida(6)*conficit Arges*(5).
400 *Stant alii ad folles, obseruat Mulciber* (7) *ictus,*
Et maturat opus, formataque temperat arma.
Instant sic operi iuuenes, secat ille bipenni
Robora, & annexa rimas compagine iungit:
Hic clauum figit, auget præsentia vires
405 Lantgrauii, *laudatque manus, seruatque magistros*
Ante opus: ii celeres subiecto robore naues
Impellunt tereti, aut humeris vecta innatat alnus.

(1) Iuxta illud Maronis, *Dolus an virtus quis in hoste requirat?* hodie *strategema* vocant.
(2) Cædem exploratorum.
(3) Tabulata nauium: ab eo quod incessus ferant, & est generis masculini, & numeri tantum pluralis, *fori*, *fororum*. Autor *Seruius* super hoc *Maronis* in quarto Æneidos libro, *Implessemque foros flammis.*

(4) *Pomponio* spira dicitur & basis columnæ vnius tori, aut duorum: & est genus

nus operis pistorii, & funis nauticus in orbem conuolutus, ab eadem omnes similitudine.

(5) *Maroni* est Pyracmon: *Hesiodo* Arges in Theogonia: Diximus hos Ioui ac ceteris Diis arma fabricare.

(6) Id est, falcem Saturni.

(7) Vulcanus, quod ignis existimatur, qui mulcet ac domat omnia. Hunc fabulantur poetæ in monte Ætna, quem *Moncibelum* hodie vocari dicit *Pius* in Lucretium, quasi *Mulciberis* montem, & exercere Brontem, Steropen & Pyracmona, ad opera fabrilia. Facit autem *Mulciberis*, & *Mulcibris*, autore *Prisciano*. Dicimus & *Mulciberi*.

(1)*Dum noua sic classis, naualiaque arma parantur,*
Alberti *iussu* Suneburgius *occupat Heros*
410 *Gesseltum dixere locum, fraudemque timeret*
Cum minime hostilem, nullas circundare muros
Excubias noctu, aut portas custode teneri
Iusserat, it passim tiro, atque ignobilis otii
Cura tenet miseros, nec plus meminisse peracta
415 *Bella iuuat, cæloque ingentem extendere famam.*
Hæc cum Gorgiæ (*quis enim sollertior illo*)
Explorata forent, illuc per inhospita tendit
Clam loca, & ignauum(2) *fertur violentus in hostem.*
Vix ergo roseas surgens aurora iugales
420 *Impulerat, creperique albebant temporis*(3) *vmbræ,*
Ecce autem infestis, vino, somnoque sepultos
Inuadit telis Gorgias *ductor*(4): *ad hostem*
Vt sensit vecors armatum miles adesse,
Qui potuere fugam rapiunt, Suneburgius *Heros*
425 *In media arrepto dum proruit agmina pilo,*
Vi capitur: sic miles ouans, spoliisque superbus
Captiuis, prædaque ingente recessit onustus.

(1) Id est, dum ad bellum nauale naues parantur a Lantgrauio, interea *Comes* a *Sunnebergo*, latine *Solimontio*, ductor, seu vt promiscuum nunc vulgus, capitaneus copiarum Albertini exercitus, *Geisenfeltum* oppidum occupauit: vbi cum minime hostem timeret, a *Georgio Rosenbergio* capitur.

(2) Securum.

(3) Dubiæ lucis. *Crepera* enim res, vt *Nonius* inquit, *dubia* dicitur. Vnde & *crepusculum* dicitur *lux dubia*: & senes *decrepiti* in *dubio vita* constituti. Et *creperum bellum*, anceps dicitur.

(4) Scilicet copiarum Palatinarum.

At vero armipotens Rhenana ad littora classem
Lantgrauius *propere belli fabricauerat vsu:*
430 *Qui mox delegit iuuenes, fortissima bello*
Pectora, dein breuiter, quæ sint peragenda, profatur:
Ite ait, & flamma Chauborum amburite classem,
Quæ sub rupe caua, atque annosi fornice saxi
Adsilet, & tuta vndarum statione quiescit,
435 *Vasta vbi pars vrbis, nulloque habitata colono*
Felicem facto vobis accommodat vsum.
Dixerat. at flammis audax armata iuuentus
Transiliunt vallos, ac per compendia nota
Intenti ad facinus mussant, classemque requirunt.
440 *Iamque globis flammarum aderant, tunc primus Artes*(1):
Accelerate gradum socii, sic talia fatus,
Fumiferum intorquet telum(2): *ratis vncta calore*
Linquitur, inque vado laxa compage residit.
Haud aliter mediis pressis de nubibus ardor
445 *Saxonias vrit pinus, voluitque sub vndas.*
Vnanimes alii iactant tædasque, sudesque
Vulcano populante rates: furit ignea pestis,
Nunc tonsas(3), *nunc transtra cremans, lateque vagatur*
Fumiuomus vortex, orasque, & vela perurit,
450 *Rostra alii resecant, alii de rupibus altos*
Corripiunt malos, vertuntque in flumina puppes.

 Iam

Iam crepitare ignes, fum[illegible]que vndare per vrbem
Densus, præfurua replens [illegible] caligine muros.
Excitæ excubiæ, subit a[illegible] fastigia Pollux,
455 Agnoscitque dolos, & co[illegible]u personat vnco.
Tunc subito armati trepi[illegible]ant, facinusque requirunt.
Lantgrauidæ classem inc[illegible]idunt, & littora circum
Collucent flammis, inqu[illegible], ferte obuia tela.
His dictis tota cunctos ex [illegible] vrbe ruentes
460 Aspiceres, sed nigra time[illegible]t spectacula noctis,
Pellereque infandos au[illegible]ent nec puppibus ignes;
Sed longe spectant: velut [illegible] cum Martius agnos
A stabulis lupus eripuit[illegible] stat pastor in alta
Formidans specula, & n[illegible]quicquam voce minatur.
465 Vritur interea classis, va[illegible]oque sub amne
Mergitur, & facibus ru[illegible]es, scopulique tepescunt.
It clamor cælo: pueri i[illegible]nuptæque puellæ,
Exanimis postquam cu[illegible]tis pauor omnis abiuit,
Ad littus properant, re[illegible]dentque vlulatibus auras.
470 Desierant ignes, planctu[illegible]nque coercuit ægra
Chauborum pubes, spect[illegible]nt vada turbida fumo,
Nullaque discernunt pr[illegible]scæ vestigia classis.
Interea residens sublim[illegible]in aggere Pollux
Instabat cornu, reditu[illegible]ue canebat ad vrbem,
475 Discedunt mæsti, fluu[illegible]mque, & littora linquunt.

(1) Videtur nomen a Marte tractum [illegible] apud Græcos Ares dicitur. Infam[illegible], Et quos Ares Ares decet sonar[illegible] cialem putat: fortasse quod interpr[illegible] uauit alicubi apud Erasmum, graue[illegible] dum sanctum Theologum, optatu[illegible] christianis omnibus esse Batauas aures, quo pestilentes huius Poetæ facetias, aut non admitterent, aut certe his non caperentur.

(2) Bombardam.

(3) Remos, Festo: quod tondentur ferro.

At iuuenes cæca fre[illegible] caligine noctis
Castra petunt, Domin[illegible]que adeunt: at magnus Aretes(1)
Quam primum, vt bre[illegible]r coram data copia fandi,
Cuncta refert: penden[illegible]ue alii, spectantque loquentem.
480 Dux gaudet facto, ac l[illegible] sic incipit ore:
O animæ insignes bello, [illegible] itur ad astra,
Pergite, & auspiciis v[illegible]et seruate secundis,
Et mecum belli quæso [illegible]lerate labores.
Afferet vna dies, post [illegible]a pericula nobis
485 Post domitos casus, re[illegible]em metamque laborum,
Qua diues cernet raptos ex hoste triumphos
Hassia, & Abnobiam [illegible]m laudabit ouantem,
Dixit, & hæc vol[illegible] animo nihil absore credit
Quin vrbem capiat Ch[illegible]borum: & classe parata,
490 Ingentes pinus, vnc[illegible]ue innare carinas
Aurifero in fluuio, & spumantes æquore remos
Aspiceres, fluctusque [illegible] imo feruescere fundo.
Nec mora, cæruleis [illegible]rebant flumina tonsis
(Alpinus, Thrasyas[illegible] Ligur, Mysusque Ephialtes,
495 Codrus, & Hercynio [illegible]ratus frigore Phorcys)
Non aliter tonsi ve[illegible]nt ad bella Britanni(2),
Nauibus euerrunt [illegible] versicoloribus(3) vndas.
Ipse super tanta pr[illegible]fectus classe, tribunos
Eligit(4) Argæon, q[illegible] nauibus Andecrinis(5)
500 Præsideant, aliis c[illegible]um data cura regendi.
Dumque aptant c[illegible]ssem, & fluuio compellitur alnus(6).

(1) Ex bono exemplari repo[illegible] Arces, Aretes, vt supra.

(2) Ostendimus libro secundo ex com[illegible] mentariis Cæsaris, priscis morem fuisse Britannis, vt totum corpus raderent, glastoque ora inficerent.

(3) Id

(3) Id est, variis coloribus variegatis & pictis. Idem etiam tradit *Cæsar*.

(4) Nomina eorum, qui præerant classi, *Vegetius* refert de re militari libro quarto: ministeriorum vero, quæ in naui multa sunt, *Budæus* in annotatione l. primæ ff. nautæ, caupones, stabularii.

(5) Apud eundem vide, quæ sint naues hæ. Poeta posuit pro genere nauium aptissimo ad pugnandum.

(6) Est alnus humoris patientissima, fabricandis apta nauigiis: quod aquis obruta diu non corrumpitur, vt innuit *Vitruuius* libro secundo, titulo de materie cædenda, his verbis inter cetera de alno loquens: *Ita quæ non potest extra terram paulum tempus durare, ea in humore obruta permanet ad diuturnitatem*, & Lucanus, *Fluctibus aptior alnus*.

Centum oratores(1) *festini montis ad oras,*
Budorii trepidant, miserandæque ordine coram
Commemorant casus vrbis, stragemque suorum,
505 *Exustasque rates, nec non naualia Rheno*
Prælia moliri Hassiadas, fluctusque sub alnis
Feruere iam totos: quare per numina Diuum
Implorare fidem(2), *qua magnum Heroa secuti*
Phalsgrauidem, *vtque fero possint obsistere Marti*
510 *Auxilium expetere, & facto sic fine silebant.*
Talibus at contra verbis sic incipit Heros:
O vtinam nostras solus mouisset ad vrbes
Lautgrauius, *tantumque effunderet Hassia turmas:*
Non equidem vestros fregisset machina muros,
515 *Nec circum Abnobiis tepuissent littora flammis.*
Cæsar adest(3), *vetitumque mihi per bella, per hostes*
Obiecisse caput, vestrisque occumbere campis.
Vos seruate fidem(4), *reque ipsa, opibusque iuuabo.*
Nunc ite, & nostræ retinacula scindite classi.
520 *Nulla mora, his dictis, vicina ad littora tendunt,*
Deducuntque alto varias e gurgite naues.
Extemplo repetunt Chaubos, iam præpete cursu
Euolat vncta abies, ceu torta Cydonia fertur
Cornus(5), *& Eoos stridens præuertitur*(6) *Euros.*
525 *Iam mali apparent longe, iam carbasa cernit*
Alta ex arce Hyas, cornu vocat vndique ciues,
Classis adest, inquit: currunt puerique, virique,
Femineumque imbelle genus, stant littore curuo,
Excipiuntque(7) *rates, & contis vincula nectunt.*

(1) Qui ad Palatinum patrem Heidelbergam profecti sunt, pro suppetiis petendis. Oppidum hoc *Budoris Ptolemæo*, vt diximus, consentientibus nostræ ætatis eruditis. *Heidelberga* autem, teste *Irenico*, a nigrorum vacciniorum, vel prunorum multitudine nomen accepit, quæ teutonice *Heidelber* dicuntur.

(2) Sensus est. Scilicet, vt Palatinus ea fide eos prosequatur, qua fide ipsi prosecuti fuerant *Robertum* filium, hoc est, partes eius. Constructio autem est, implorare fidem, auxiliumque expetere, vt fero Marti possint obsistere.

(3) Innuit nullos Germaniæ Principes timuisse Palatinum, præter Cæsarem.

(4) Quasi dicat, In fide vobis non deero. Nunc autem vestra interest.

(5) Arbor est, ex qua optimæ vsque in hodiernum diem sagittæ fiunt, & tela ad iaciendum, vnde a *Marone stridula* vocata. *Cydonia* autem dicta est, id est, *Cretensis*, ab vrbe *Cydone*, quæ nobilis in Creta est, quam sagittandi peritam ostendit *Strabo*. Scribit *Diodorus* in sexto, *Apollinem arcus sagittandique fuisse repertorem.* Hinc Maroni, *Cressa pharetra*.

(6) *Præuerto* dicebant antiqui, & *præuertor. Eoos* Ab Eo, vnde flant. *Eurus ad auroram, Nabathæaque regna recessit*, vt supra diximus.

(7) Non *suscipiunt*, vt codex habet impressus, sed *excipiunt*, vt scriptus. Quis enim nescit, quod excipimus venientes proprie?

530 *Vt fama Hassiadum, percussit certior aures,*
Aduenisse nouas Chauborum ad littora pinus(1),
Mussabant cuncti, formidantesque repente
Voluunt huc illuc animos, totisque vagantur
Castris: quos inter surgens violentior Heros

535 *Tales expromit voces, ac turbidus instit:*
Nunc vbi de vestris, vbi nunc iactantia verbis
Cessit? vbi vires, laudumque accensa cupido?
Aduenere rates(2), *fugiamus ad Hassia regna*
Indecores, nostrisque iterum occultemur in oris,
540 *Scilicet vt fausto de nobis Marte triumphet*
Hostis, & alterius fiat victoria belli
Iam parta, & tanti rapiatur fama laboris?
Dixit, & auersus cunctis se subtrahit, inde
Loricas auro intextas, nitidoque orichalco
545 *Induit, & tortos contexit casside crines,*
Fert vibrans hastile manu, sic percitus ira
Armatum ruit ad littus, classemque parari
Imperat, & lituo signum dare Martis adunco(3)
Ænopylum, pugnaque animos accendere cantu.
550 *Vt sonitus strepuere graues, & tessera*(4) *belli*
Promulgata, omnis pubes volat, armaque passim
Conclamata, gerit falcem(5) *hic, qua carbasa possit*
Scindere, & in fluuio spumantes mergere puppes:
Teutonicas alii gestant de more bipennes(6):
555 *Hi contos, naphthamque*(7) *parant, tædasque picemque,*
Et saxa, & pharetras, & acuti fulminis ignes(8)
Æratis aptant ratibus, naualeque bellum
Accelerant auidi, & circum caua littora complent.

(1) Nouam classem, vel nouum nauale. Sic alnum *Claudianus* accepit, pro omni nauigio, teste *Parrhasio* doctissimo interprete. *Suidas* pinum inter arbores coniferas numerat. Sed & ille editus aura, ventoque sibilus pini proprius est. *Papinius* siluarum quinto: *Qualiter a'ta comam siluarumque gloria pinus, Seu Iouis igne malo, seu iam radice soluta Deficit, & nulli spoliata remurmurat auræ.* *Septimius* in agraria, *Pinea brachia cum trepidant, audio canticulum zephyri.* *Nemesianus* ecloga prima, *Nobis ne vento garrula pinus Obstrepat, has vlmos potius fagosque petamus.* Græca fabella tradit, arborem pinum gemere, quoties a Borea perflatur, eius necis autore. Lege iam nominatum *Parrhasium* libro primo Raptus Proserpinæ. *Vitruuius* libro proxime citato autor est, opera, quæ ex cupresso & pinu constituuntur, permanere ad æternam diuturnitatem: quod is liquor, qui inest, penitus in corporibus earum, habet amarum saporem, qui propter acredinem non patitur penetrare cariem, neque eas bestiolas, quæ sunt nocentes.

(2) Per contemptum profenda: vt est illud dicendi genus apud Maronem. *Nunc Lyciæ sortes, nunc & Ioue missus ab ipso Interpres diuum fert horrida iussa per auras: Scilicet is Superis labor est.*

(3) Intorto, inflexo. Tubæ genus satis notum.

(4) Signum agnoscentiæ, quod in bello datur. *Cretam* hodie dicunt, *die Creid.* Sunt & alii huius vocis significatus: sed nihil ad hunc locum.

(5) Hanc *Vegetius* libro quarto inter naualia tela ponit, & his verbis capite vltimo eiusdem libri describit: *Falx autem dicitur acutissimum ferrum, curuatum ad similitudinem falcis, quod contis longioribus inditum, callatorios funes, quibus antenna suspenditur, repente præcidit, collapsisque velis liburnam pigriorem & inutilem reddit.*

(6) Per has, eodem *Vegetio* tradente, in medio ardore pugnandi peritissimi vel nautæ, vel milites cum minoribus scaphulis secreto incidunt funes, quibus aduersariorum ligata sunt gubernacula, quo facto, statim capitur tanquam inermis & debilis nauis. Quid enim salutis est ei, qui amiserit clauum?

(7) Bituminis genus *Naphtha*, quæ igni vel longius posito, statim accenditur: cui etiam, vt *Marcellinus* ait, si auicula insederit, breui præpedito volatu subuersa penitus euanescit. Hac item credunt illitam a Medea fuisse coronam Creusæ, quam cum capiti imposuisset, ipsa totaque domus Iasonis combusta est. Meminit huius rei *Plinius* libro secundo, qui & aliis in locis *Naphtha* facit mentionem.

(8) Id est, conti, sudis præusti. Maro, *sudibusque præustis.*

Et iam fama volat, & tristia nuntiat arma
560 *Lantgrauidas armare rates, bellique dedisse*
Classica venturi: tunc Chaubi ad littora pergunt,
Expectantque acrem rostratis puppibus hostem.
Tollitur in vasto(1) *turbati flumine Rheni*
Sublimis scopulus, quem desuper ardua turris

Ad

565 *Ad cælum erigitur, Chauborumque imminet vrbi.*
Namque, vt fama vetus, remeans Tirynthius oris
Alta Erythia(2) tuis, & regis victor Iberi
Trans Pyrenæos montes, ad flumen abegit
Rheni armenta boum, pauitque in littore tauros,
570 *Et molem erexit mediis in fluctibus altam*
Factorum monumentum ingens, sociique sepulchro,
Quem secum Arcadio deduxit Pallantæo(3),
Seruat adhuc priscum turris Pallantia nomen.
Hæc frustra tentata diu, tremefactaque duro
575 *Lantgrauio, solida est, & acutis cautibus hæret.*
Huc ergo lapidum cumulis armata iuuentus
Læta subit pugna, naualiaque orsa moratur.

(1) Venusta fictio de *Pallantide* turri Rhenana, a qua posteri deinde *Pallatini* dicti sunt. Porro ad Chauborum vrbem locus est Rheno circumdatus, Teutonice *Pfaltz*, a quo, vt non omnino Poeta finxisse videatur, receptum est *Pallatinos* nuncupatos. Etsi me non latet, nonnullos esse, qui nomen hoc tractum putent, ab oppidulo quodam in Mosellæ ripa sito, *Pals* dicto: sub ditione tamen hodie Antistitis Treuirensis, Si recte dictum memini, *Vitruuio Palatio* id fundamenti genus est, quod in aquis, aut in vliginosis, aut concongestitiis locis fieri videmus: a *palis*, qui in terram depanguntur, dictum vocabulum: quod obiter hic referre libuit. Sed quod ad nostrum locum facit, non grauabor adiicere verba *Irenici* ex capite quinquagesimo libri tertii Exegeseos: qui reiectis duabus de prima *Palatinorum* origine opinionibus, eorum sententiam sequitur, qui origine ipsos Germanos dixerunt, & a *palatio* dictos, palatio enim præfuerunt, quando cum Imperatoribus militabant. Cuius honoris meminit *Ammianus Marcellinus* libro vicesimo, vbi *Palatii* decurionatum, non vltimæ dignitatis ordinem fuisse demonstrat. Nec vna familia hunc ordinem obtinuit. Siquidem idem *Irenicus* multos *Palatinos*, vt alii, memorat. Catalogum *Comitum Palatinorum Rheni* texuit *Irenicus* libro citato. *Nauclerus* item diligenter. Ab his petendum, si quid vltra desideras, quandoquidem institutæ breuitatis memores, per rerum capita dumtaxat discurrimus, autores indicantes.

(2) Gerionis insula, de qua dixi in primo libro.

(3) *Solinus* in principio scribit *Pallantæum* oppidum ab Arcadibus conditum, sed propter incommodum vicinæ paludis, quam præterfluens Tyberis fecerat, profecti Reate postmodum reliquerunt. Historiam explicat *Dionysius* secundo Antiquitatum libro. Ab hoc oppido nonnullis dictus Romæ mons *Palatinus*. Aliis a *Palanto* Hyperborei filia, quæ ex Hercule Latinum peperit. Aliis, quod *Pallas* ibi sepulta sit. *Seruio*, a filia Euandri *Palantia*, vel certe a *Palante* eius filio. *Maroni*, a *Palante* auo Euandri. Caussam diuersitatis huius assignat *Seruius* circa finem septimi Æneidos.

Interea Abnobiis impellitur ardua remis
Vncta larix(1), & sulphureis horrenda sagittis
580 *Hassiades scandunt ad propugnacula turmæ.*
Hostica stat contra nauis, primumque Dryopas
Aggreditur cornu, rostrumque minante liburna
Dirigit, & contra propulsas atterit alnos.
Hoc pugnæ exorsum, hæc vdi Mauortis Enyo(2).
585 *Nec mora, prærupto tolluntur gurgite voces,*
Æratæque volant agitata per æquora pinus.
Dux proram sinuat, vasto dein impete fertur
In Procrin: qui summa tenens fastigia turris
Sulphureas intra iactat tabulata cupressus,
590 *Vnde rates (mirum) mediis in fluctibus ardent.*
Hunc calamo, qualem pubes Rhiphæa(3), veneno
Armat(4), & hostilem diuerberat Ægida(5) Byzas(6),
Transadigit: cadit ille alto moribundus, & æquor
Ebibit, atque animam spumantibus occulit vndis.
595 *Tunc subito exanimes socii, dare lintea retro*
Conantur, sed longa abies(7), dum remige velox
Effugit ad littus latebroso pumice, fracta
Mergitur, ac fluctus laxa compage receptat.
Vrinant vasto demersi gurgite nantes,

 Fluctuat

600 *Fluctuat hic tabulis: pars fragminis antennarum,*
Aut mali frusto insidunt, natat Orphiton æquor
Ærato inuectus remo, Leucusque Phonartes
Per medios audax vncta trabe labitur hostes.

(1) Nauis ex larice confecta. *Larix*, vt inquit *Plinius*, materia abieti longe præstantior, vim incorruptam habet, ac humori contumacem. Vnde nauibus ex larice confectis gloria ingens datur. Adde quæ de larice scribit *Vitruuius* lib. secundo.

(2) Id est, *pugna*. Nam Græcis *Enyo*, Bellona est. Vnde Mars quoque *Enyalius*, id est, bellicosus a Græcis dicitur. Quanquam aliqui malint *Enyalium* Bellonæ filium esse. Aliquando autem *Enyo* pro furore belli accipitur.

(3) Id est, Scythica, apud quos iaculorum sagittarumque vsus est.

(4) Asiatici enim, & præsertim Scythæ veneno sagittas inficiunt.

(5) Hostile scutum.

(6) Scytha. Alludit enim ad tempora sua, quibus Turcæ Byzantium occupauerant.

(7) Longa nauis, ex abiete enim, vt dixi, naues fiebant.

Ecce autem summo præpes de flumine Pistris(1)
605 *Pellitur, atque æquor Rheni secat ære bicornis*(2).
Huic Phorbas præerat, teloque armatus hiulco
Proclamat longe: Remis vada scindite ciues,
Armatasque inferte manus, en quantus in alta
Puppe volans Dux ipse furit: iam mergimur vndis,
610 *Ni vos præstetis solitas in prælia vires.*
Dixit, & ardentem nixus pede lampada torquens
Proruit ingenti rostro, retroque repellit
Abnobidam(3) *nauim. Veluti cum fluctibus ipsi*
Pelluntur fluctus, aut densus grandine nimbus
615 *Truditur ad terram nimbo, cum creber in æthra*
Fit tonitrus, terrentque cadentia fulmina mundum:
Vtraque sic ratis est: rapidas fugit illa per vndas,
Hæc sequitur, iactantque faces Phorbantia(4) *pubes,*
Roboreque ærata irrumpunt tabulata trabali.
620 *Dum victo insultat victor, Dux ingruit hosti*
Lantgrauius, *vertitque vndas, ac fulminat ignes.*
Quales fumiferi iaculantur ab ore Veseui(5),
Stupea flamma volat, laterique infixa Liburnæ
Vrit, & obscuro densatur nauita fumo.

(1) Etymum vocis pete a *Seruio* super hoc *Maronis* versu in quinto serii operis libro: *Velocem Mnestheus agit acri remige pistrim.*

(2) Superiores poetas etiam *Rhenum bicornem* dixisse in principio primi libri enarrauimus. *Seruius* in fine septimi Æneidos scribit, *Bicornis*, quia duos habeat alueos: de quo latius in sequenti libro omnis bonæ eruditionis pleno & fusius dictabimus.

(3) Hassicam, a montibus Abnobiis: quos *Celtes* noster Obnobios vbique vocat.

(4) A *Phorbante* præfecto Palatinæ classis.

(5) Incendium *Vesui* notissimum est, ex *Seruii* & aliorum *Maronis* interpretum verbis, super illud, *Talis dies erat Capua, & vicina Veseuo Ora iugo*, libro secundo Georgicorum. Porro qui montes semper ardent, scribit *Plinius* libro mundanæ historiæ secundo. Nec ignorandum, *Veseuum*, aliis *Vesbium*, nonnullis *Vesubinum* nominatum. *Plinius*, vbi ab hoc monte exurgentem nubem intuitus, propius accessit, rem totam intellecturus: & vndique flamma instante, dum perseuerantius inceptum exequitur, crassiore caligine spiritu intercluso, concidit in medio duorum seruorum, vt scribit *Plinius* nepos ad *Cornelium Tacitum*, qui auunculi sui obitum petebat.

625 *Sergius a turri sociique enixius alta*
Deiiciunt lapides, flammasque, & fulminis instar
Tela, vorantque ingenti accensas turbine lintres.
Augetur clamorque virum, sonitusque rudentum,
Belgicaque horrescunt nauali littora bello.
630 Lantgrauium *euitat Phorbas, clauumque reflectens*
Fertur in Alcanthem: stant rostra minantia rostris
Obuia, & infando reuolutas turbine pinus
Excipiunt, iactantque simul: fit pugna vicissim

Ardens

Ardens. hinc plures nequicquam innare videres
635 *Gurgite sub vasto(1), qua spumans vortice Rhenus*
Voluitur assiduo, & raptat vi corpora fundo.
Stant tamen omnes intrepidi, volat ære Sycopas,
Alcanthemque ciet pugna: ruit obuius Harpax,
Venerat Hassiadæ magna qui Martis ab vrbe(2):
640 *Vtque simul congressa abies, pilatus vterque*
Pugnat pro rostris, tacitoque intercipit vnco
Quisque ratem, certantque pares iam cominus ambo,
Ille Semiramio calefacta bitumine(3) tela
Torquet in aduersum, populatrix flamma Cheruscos
645 *Haurit(4), & æthereas rapiunt incendia turres(5).*
Excutitur nauta, & mediis in fluctibus errant
Remigiumque, virique simul: furit alter acernis
Asseribus(6), duroque ratis ferit ariete costas(7).
Franguntur tabulæ, malus labat, ipsaque in imo
650 *Laxatur sentina vado, & compagine(8) fracta*
Per Rheni campos puppes voluuntur vtræque,
Turbidaque effuso depingitur vnda cruore.
Cleuius Orbantem iaculo ferit, hic Thrasycontis
Fulmineus Getico transuerberat ilia neruo.
655 *Exanimes ambo proni labuntur, & amnem*
Inficiunt tabo, spumasque ad littora voluit
Vnda cruentatas, quondam velut Actia templo
Æquora Leucadius de summo vidit Apollo(9).
Et iam perfractas vortex penetrauerat alnos
660 *Turbidus, inque vado puppes alliserat imo.*
Merguntur cuncti, scutataque turba sub amne
Voluitur, & pressos transfundit in æthera questus.
Dux aderat præsens, nantemque in gurgite vasto
Alchantemque, Gyanque luporum terga gerentes
665 *Ad sese recipit, telumque effulminat acre*
Aduersam in puppim: gemit illa, & pondere magno
Dat sonitum, excussoque tremit temone magister.
Dux flagrat pugna, atque irarum effundit habenas,
Nunc tædas, nunc saxa iacit, teloque coruscans
670 *Immani, nautis victor super instat & vrget.*

(1) Locum superius descripsi.

(2) *Marpurgum* intelligit, Hassiæ metropolim, a *Marte* dictam, olim villa, vt refert *Irenicus*. Hanc Lanus, quem excipit Rhenus iuxta oppidulum sui nominis *Lanstein*, præterfluit. Sunt qui *Marckburgum* a *Marcomero*, *Marcomeri* Regis Francorum filio, nominatum velint. *Ptolemæus Amisiam*, teste eodem *Irenico*.

(3) Sunt lacus plures ex sese bitumen emittentes, quod Græci *Asphalton* vocitant. Est lacus sub Babylone amplissima magnitudine, quo bitumine & latere testaceo, constructo muro Semiramis Babylonem dicitur circumdasse, vnde dixit *Semiramium bitumen*. Item Tope in Syria, Arabiaque Numidarum lacus sunt immani magnitudine ex se maximas bituminis moles emittentes. Id autem in caussa est, quod iuxta huiusmodi lacus crebræ sunt bituminis lapidicinæ. Fit ergo, vt cum per bituminosam terram eruperit aquæ vis, secum extrahat, & cum egressa fuerit secernitur, & ita bitumen a se reiicit.

(4) Consumit.

(5) Quia in nauibus ligneæ turres ædificantur. Nam vt *Vegetius* scribit, in maioribus Liburnis, propugnacula turresque constituuntur, vt tanquam de muro ita de excelsis tabulatis facilius vulnerent, & perimant inimicos. Vel summitatem mali intelligit, vbi velut ex propugnaculo quodam pugnatur.

(6) Eidem *Vegetio* asser dicitur, cum trabs subtilis & longa ad similitudinem antennæ pendet in malo vtroque capite ferrato. Hunc siue a dextra, siue a sinistra parte aduersariorum se iunxerint naues, pro vice arietis impellunt, qui bellatores hostium, siue nautas sine dubio prosternit ac perimit, ipsamque nauem sæpius perforat.

(7) Versus proceleusmaticus, quod optimorum poetarum exemplo Poeta noster vtitur.

(8) *Compago*, quæ *compages* etiam dicitur, significat commissuram tabularum. Maro, *Laxis compagibus omnes Accipiunt inimi-*

inimicum imbrem, cuius nominis paternus casus, a plerisque *compagis* enunciatur, ab aliis etiam *compaginis*. Quod *Ouidius* vsurpat, & *Manilius*, etiamsi *Probus* & *Seruius* refragantur.

(9) Leucadia insula est e regione Ambracii sinus, vbi Actium promontorium est cum templo Apollinis, nobili Augusti, M. Antonii, & Cleopatræ pugna nauali memorabile. Superbissimum eius belli apparatum *Plutarchus* in Antonio explicat. *Leucadia rupis* & *fani* etiam Apollinis, meminit *Strabo* libro Geographiæ decimo: scribitque ibi saltum fuisse, ad sedandos amores valere creditum. Vnde Sappho prima dicitur ab excelsa se deiecisse petra, *Menandro* autore. Quamquam non conuenit inter autores, quis primus *Leucadium saltum* tentarit.

Non aliter Phorcus(1) *curua maris æquora concha*
Commouet, aut latos exterret fuscina campos
Neptuni: fugiunt nymphæ Oceanitides, ipse
Inous Colchos repetit cum matre Palæmon(2):
675 *Sic Ducis aspectu fugiunt cuncti, & sua vertunt*
Carbasa, nec tantis audent concurrere telis.
Stabant plorantes miseræ per mœnia matres,
Exorantque Deos, vocesque ad sydera tollunt.
Nec mora, vox tenues sic est horrenda per auras,
680 *Quæ montes tremuere omnes, audita proferri:*
Hassiadum proles, verso da lintea cursu,
Ac retro propera, nostram neve attere gentem(3):
Sic placitum Diuis. tacet inde, atque æthere fulmen
Concussum medio: signum hoc solet esse Tonantis
685 *Cum niueum Rhodopen, aut altum effulminat Othryn,*
Illicet armipotens Diuorum iussa reuoluens
Lantgrauius, læuo cedendum censuit astro(4),
Tunc flectit cursum, classemque ad littora vertit.

(1) *Varro* hunc Sardiniæ regem fuisse refert, & ab Atlante cum magna copiarum parte nauali prœlio deletum, tantum sui desiderium populis reliquisse, vt inter maris deos relatus sit. *Hesiodo* Ponti filius est Thaumantis, & Nerei frater. *Probus* duos *Phorcos* ponit, alterum maris deum, alterum Regem in Africa.

(2) A matre *Ino*, patronymicum: quod *Seruius* monet apud idoneum autorem notandum. *Ino* autem postea *Leucothoe* & *Albunea* dicta est. Huic Phryxus templum in Cholco ædificauit, vt diximus alibi.

(3) Mira Palatinorum laus, cum Superi de his curam habuerint.

(4) Id est, propitio Palatinis. Neque enim *læuo* pro *sinistro* intelligas, referens ad Lantgrauium. Nisi credas Poetam Græcos secutum, qui quod *læuum* nos dicimus, ipsi *dextrum* dicunt, & faustum significant, vt apud Ciceronem legimus libro de Diuinatione secundo. Sed prior sententia placet. Maro, *Intonuit læuum*. Hoc autem intelligitur de signis ex cælo captis, nam illic quæ *læua* sunt, nobis intuentibus *dextera* offeruntur, eodem *Cicerone* autore in fine libri de Vniuersitate. Idcirco læuum in cælo, dextrum ac fauorabile significat.

AVSTRIADOS

LIBER VIII.

ARGVMENTVM.

LEucippe Palatinorum nutrix, & solers, Philippo *Palatino somnium narrat: scilicet, se Dea duce in orbem lunæ raptam fuisse: multaq; de lunæ vastitate narrat ac natura, de harmonia cælesti, sphæris, de polis, & mundi terrarumque sectionibus, de æquinoctiis, & solstitiis, & dierum æquatione diuersitateque, de eclipsi solis & lunæ, de occasu ortuque siderum: deinde ad quorundam siderum fabulas descendit. Postea quadam de principiis rerum narrat. Deinde diuisionem orbis terrarum prose-*

prosequitur, & ab Africa exorsa, multum illic immoratur, pluraque de Nili origine atque incremento. Item de Atlante Mauritaniæ monte, de Syrtibus, & ceteris locis. Mox Asiam breuiter percurrens Europamque, ad particularem Germaniæ descriptionem, in qua immoratur, descendit: vbi multa de Danubio, Rheno, & Hercynia silua refert. In fine locum inter beatos Roberto *parari se vidisse prædicit, breuique eius futuram mortem vaticinatur.*

*IAm matutinus croceæ Pallantidos(1) ortus
Reppulerat noctem, lucemque reuexerat orbi.
Nec mora: Leucippe(2) gressu titubante senili,
Olim Phalsgrauidum fuerat quæ maxima nutrix,
5 Sollersque ingenio(3) facundas hauserat artes,
Pergit ad excelsas ædes, atria alta parentum,
Atque hæc magnanimo pandit longæua Philippo,
Cælestes præfata Deos(4) & numina olympi:

* Tria in hoc libro continentur. *Meteora*, *Cosmographia*, *Vaticinatio de Apotheosi*, id est deificatione *Roberti*.

(1) Auroræ, a Pallante vno ex Titanibus, *Hesiodo* autore in Theogonia, vt alibi indicauimus. Ferunt *Pallantis* cadauer *Heinrici* III Imp. tempore villicis fodientibus, prope Romam repertum tantæ magnitudinis, vt mœnia adæquaret, teste *Nicolao Beraldo*.

(2) Palatinorum nutrix.

(3) Neque enim hic sexus a natura tarditatis, aut hebetudinis damnatus fuit. Vetusta enim secula *Musas*, *Sibyllas*, *Pythias* habuerunt: Socratici *Diotimam* suam atque *Aspasiam* celebrarunt. Pythagoræi philosophantes feminas mirantur. Græca poetrias illas iactarunt monimenta, *Telesillam*, *Corinnam*, *Sapho*, *Aniten*, *Erinnam*, *Praxillam*, *Cleobulinam*, & ceteras. Romani *Lalii* & *Hortensii* filias, & *Cor. Gracchorum* matrem, matronas quantumlibet eloquentissimas proferre possunt. Maiores nostri *Rosuidam*, vt nostrum seculum *Catharinam Byrckemeram*, & *Constantiam Peutingeram*, Veneti *Cassandram* suam, Politianico præconio nobilem, venerandæ opponere vetustati promptum habent.

(4) Tetigit morem antiquorum, qui nihil in sacris, nihil publice orabant, nisi præfamine quodam Deus inuocassent. Maro, *Præfatus diuos.* Lege *Valerium* in præfatione operis sui: meminit item *Plinius* Iunior in exordio Panegyrici, quem Troiano Augusto dixit. Morem hunc seruat ecclesiasticus ritus in auspicandis Canonicis horis.

Vos immortales Superi, vos sidera testes
10 *Inuoco, ait, nobis si dantur somnia vera,*
(Sæpe etenim pars illa animi(1), quæ purior extat,
Haud rationis inops, vera & tranquilla quietis
Somnia dat, recipitque Deo prænosse futura)
Effari liceat(2), quasque ipsa miserrima vidi,
15 *Pandere res altas, mirandaque prodere terris.*
Tu (precor) adde fidem, atque futuris consule rebus.
Tunc ille: O nutrix, capite hoc mihi charior, inquit,
Dic rogo, dic agedum, & quæ sint hæc somnia narra.
Solue animum curis. At contra talibus illa
20 *Orditur: Miseri cum nocte teguntur opaca(3)*
Mortales, altoque polo volat humida Phœbe,
Visa mihi ante oculos Diuæ splendentis imago(4)
Sistere labentes glauco temone quadrigas,
Meque vna secum iussit considere curru.
25 *Iam super humentesque, plagasque, & nubila, curuo*
Axe ferebamur, cum se Saturnia Iuno(5)
Obtulit, & nigro præcaligantia peplo(7)
Ora gerens(6), læua turbata tonitrua promit(8).
Dextra impellit aquas, atque alta ceraunia pulsat

30 *Grandine, & attonito gignit miracula mundo*(9),
Atque huic sub pedibus præuastæ pondera massæ(10)
Cernuntur, iuxtaque sedens(11) *Thaumantias Iris,*
Sole coloratos(12) *gignens in nubibus arcus.*
Inde cito immensum vectæ super aera cursu,
35 *Æthera non stabili vicinum ascendimus astro*(13),
Innctaque multiuagæ rapimus confinia Phœbes
Regna Iouis magni(14), *qua fulmen & Ægida vibrat,*
Et matutino qui temperat astra recursu(15).
Vtque ingens spatium, laxataque regna bicornis
40 *Attigimus lunæ*(16), *stupui, quam vasta videbam*
Æquora camporum, fluuiosque e montibus altis
Perstrepere horrendum; quid celsas eloquar vrbes
Oppidaque, & tractas ad sidera vertice turres?
Tunc Deus ille mihi(17), *paucis longæua profabor:*
45 *Aduerte, o nutrix, remque omnem ex ordine pandam:*

(1) Hunc locum, quem a *Platone* mutuatus est, tractat *Cicero* iuxta finem libri primi de Diuinatione.

(2) Ratiocinatio. Si dantur nobis somnia vera, quemadmodum dicunt cum animus defæcatus est, ergo liceat nobis effari & pandere res altas.

(3) Proprium noctis epithetum. Nam *opacum* est, vbi sol non admittitur, quemadmodum *apricum* expositum soli dicimus. Idcirco *nox opaca* dici potest, etiamsi Luna splendeat.

(4) Palladis. *Glauco tenmone* Alludit ad epithetum *Palladis*, quæ *glaucopis* dicitur ab oculis glaucis, vt libro primo tetigi.

(5) Quoniam a Physicis Iunoni attributus est, & per Iunonem aerem intelligimus.

(6) Vultum.

(7) Id est, nigro velata amictu, nigro velo operta. Est enim *peplum* palla feminea. Maro, *Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant.* Dicunt dicatum esse Palladi. Hoc autem dixit Poeta significans naturam aeris. Nam is, vt dicit paulo post, nebularum, nubium vaporumque a terra emergentium sedes est. Vel respexit, quoniam ita ornatam Iunonem esse *Martianus* etiam *Capella* in Philologia sua tradit.

(8) Hæc, item pluuiæ, grandines in aere gignuntur. Vide Meteora *Aristotelis* & *Pontani*.

(9) Vt cum legitur pluisse carnibus, lateribus, sanguine, lacte, quæ omnia diligens lector apud autores, præcipue *Liuium* reperiet.

(10) Fingunt pedibus Iunonis incudem appensam, quoniam terra ab aere sustentatur, & tanquam punctum in medio collocata est. Supra autem propter pondus esse non potest, nec infra contra circumfuso renitente aere.

(11) *Iris* Iunoni dicata est, quia ex nubibus & solis radiis creatur.

(12) Maro, *Mille trahens varios aduerso sole colores.* *Aristoteles* autor est, iridem habere colorem puniceum, viridem & purpureum, non quod vere sint, sed appareant. Idem generationem iridis, eiusque accidentia tradit libro Meteororum tertio, *Plinius* mundanæ historiæ secundo. *Seneca* libro naturalium quæstionum primo, diuus *Ambrosius* capite vigesimo septimo libri de Noe & Arca. *Auerroes* non recipit ab Aristotele dictum, iridem non maiorem semicirculo. *Albertus* autem noster, quod raro fieri de nocte tradat, contra ait, in eodem mense bis vidisse nocturnam Iridem.

(13) Id est, Lunæ, vt patebit inferius. Inconstantem enim naturam habet; instabilitate & mutatione perpetua sua pene monstro similis, a *lucendo* appellata. Vnde Solomon, *Stultus sicut luna mutatur*: quod diuus *Ambrosius* scite explicat in Sermone de Lunæ defectione. Eadem & *Lucina*, & *Diana*, quod noctes quasi dies efficiat. Nam in remedium tenebrarum ab architecto mundi Deo inuenta est, quæ ex se nihil omnino lucis habet. Accipit enim, vt & reliqua omnia sidera lumen hauriunt, a fratre suo sole, quicquid lucis ad nos transmittit. Lege *Pontanum* in principio primi de stellis.

(14) Physici aerem Iunoni, ætherem Ioui consecrarunt, vnde de Ioue & Iunone fabulantur, quotienscumque Iupiter cum Iunone coiret, creari fulmina. Nota fabula apud *Ouidium* de Semele: quæ petiit, velle cum Ioue concumbere, vt Iuno secum concumbere solita erat. Vnde Semele cum tota domo conflagrauit. Fictum autem est, quoniam ex calore & humore fulmina creantur.

(15) Id est, bono, salutari. *Manum* enim antiqui *bonum* dicebant. A *mane*, *matutinus* deducitur, *Plinius* scribit, quicquid astrorum aspicit Iupiter, suo intuitu ea lætiora fieri: quod innuere Poeta videtur.

(16) Hic punctum scribi debet. *Stupui.* Sequitur illos, qui dixerunt, in corpore lunæ alterum orbem esse.

(17) Vel quia non nouerat Mineruam esse, vel quia, vt diximus libro secundo, Dii promiscui sexus censentur esse.

Princi-

Principio quæ regna vides, quosque aspicis orbes
Omnia sunt lunæ, varium & mutabile sidus(1)
Permeat, & rigidi nunc sese aquilonis ad oram
Flectit, & ad pluuios contermina porriicit austros (2).
50 *Nunc alibi, quam credis, erit, cæloque subinde*
Dissimilis fit luna sibi: iam nulla repente,
Et iam tota micat: repetit modo tarda cubile,
Et modo per tenebras pernicibus euolat alis.
Hac Atlantæi fluctus(3), *& Cimbrica Tethys*
55 *Pelluntur: fas est fugientem Saxona motam*
Sæpe videre vndam, & totis electra(4) *natare*
Littoribus, titubat cum alto Glessaria(5) *ponto,*
Et legit auricomus pallentia succina Læuon(6).
Sed tantum lucis lampas sibi Delphica(7), *quantum*
60 *Elargitur habet, nitet æmula & effugat umbras.*
Fertur & Athracio(8) *terras afflata veneno*
Appetere, & magico pallescere Luna susurro(9)
Cum Phæstos, Gortynaque, nec non inclyta Lyctos(10)
Cypria percutiunt Idæis æra(11) *flagellis*(12),
65 *Sollicitantque Deæ aduentum*(13), *sonituque reclamant*
Littora Lethæa(14) *& Minoum perstrepit antrum*(15).

(1) Lege caput nonum *Plinii* libro secundo, vbi hæc omnia examussim reperies, & in prioribus commentariis nostris, vbi omnia verbosius inuenies.

(2) Sacrificali verbo vsus est, quod significat, *porro iacie*. Maro, *Extaque salsos Porriciam in fluctus.* Vide *Macrobium* de ritu Sacrorum libro Saturn. tertio.

(3) Credunt maris accessus & recessus ac inundationes fieri lunari vi, afflatu ac potentia. Cuius rei memini satis superque libro sexto.

(4) Vbi, & quomodo nascatur electrum, & quod solum in Germania, & quod idem, quod, succinum, de generibusque & virtute eorundem, atque vt colligatur copiosissime tradit *Irenicus* lib. 7. cap. pluribus.

(5) *Plinius* lib. naturalis historiæ tricesimo septimo: *Certum est*, inquit, *gigni in insulis septentrionalis oceani, & a Germanis appellari Glessum.* Itaque & a nostris vnam insularum ob id *Glessariam* appellatam, Germanico Cæsare ibi classibus rem gerente, *Austraniam* a Barbaris dictam. Alibi hanc insulam idem *Austeraniam* nominatam dicit, vt in altero loco error sit. *Irenicus* discreuit, *Glessariam*, nunc *Sudam* appellari scribens, *Austraniam* vero, *in dem Strom*. *Tacitus*; *sed & mare scrutantur, ac soli omnium succinum, quod ipsi* Glesum *vocant*, &c. *Plinius* tamen & *Solinus* in India etiam succinum prouenire tiunt: licet in Germania optimum: plurimumque. De quo *Stella* in primo de Borussiæ antiquitatibus libro copiose scribit & eleganter. Id hodie *Augstein* appellatur, quod instar vitri pelluceat. Alii, quod id oculis prosit plurimum.

(6) Quod in *Lauiitum*, seu *Lauuterum* littore electra frequenter reperiantur, vltimo fere Germanici maris, quot Suetios [illegible].

(7) Solis.

(8) Id est, magico, ab *Athrace*, magiæ sectatore, de quo libro primo.

(9) Antiqui rerum naturalium ignari, cum luna pallebat, iis emori videbatur: sumpta a morientibus similitudine, hoc est, cum lumine sibi a sole denegato parum fulgebat, vel in coitu erat, credebant magicis incantationibus Lunam laborare: qua in re plurimum Thessalæ mulieres pollebant. Vnde Menandrinæ fabulæ *Thessala* nomen. Hanc vanitatem *Ambrosius* redarguit capite octauo quarti Hexameron.

(10) Oppida Cretæ notissima, de quibus *Strabonem* visito, quo non alter scripsit de Creta accuratius. Cretensis enim fuit. Poeta innuit in Creta pollere artem magicam. Super qua re cum aliquando sermonem haberemus conuiualem apud amplissimum virum *Iacobum Bannissium*, memini Poetam, qui tum aderat, mira retulisse, quæ de quodam viro sene & religioso dicebat se de magia Cretensium vsque adhuc durante accepisse. Affirmabat senex ille, se multoties cum Cretensi quodam comedisse, qui multos annos a femina Cretensi in asinum versus, onera gessisset. Item duas aues in quibusdam Cretæ scopulis nec pastum petere, nec potum, querulasque volantium voces per aerem audiri, creditumque, homines magicis incantationibus Cretensium mulierum in illas aues versos.

(11) Quoniam, vt autor est *Plinius*, æs in Cypro insula repertum est: quamuis alii malint alibi.

(12) Ab Ida monte, qui etiam in Creta est: vnde *Idæi Dactyli*.

(13) Id est, lunæ. Veneficæ enim mulieres ad deducendam lunam æra percutiebant. *Ouidius* de anu, quæ lunam deducebat, *Themesæaque concutit æra.*

(14) Lethæus fluuius Cretæ, qui Gortynam oppidum præterfluit.

(15) Quod in eo nouem per annos immoratus *Minos*, hauserit a Ioue leges & decreta, postea Cretensibus ab eo promulgata: quarum æmuli & sectatores fuerunt Græcorum optimi atque primarii. Autor est *Strabo* libro decimo.

(1)Tunc ego: Quis sonitus nostras Dea perculit aures?
Vnde oritur? qua parte poli? Mox illa vicissim
Sic ait: Ad superas quantum potes, erige sedes
70 *Lumina, quoque modo possis cognoscere, fabor:*
Primus(2)qui se oculis offert(3)Atlantius(4)Arcas(5)
Emicat: hinc pernox & Phœbo præuius aster(6)
Regna tenet, qui dum exortos Hyperionis ignes
Præcedit cursu, tunc nomen Lucifer olli est.
75 *At cum Pyrenem, & fuluos transcendit Iberos(7)*
Occiduus Titan, mutato nomine Vesper
Dicitur, atque idem alterno tamen vnus in ortu(8) est.
Inde iubar Solis flammis rutilantibus astra
Permeat, & cursu totum discriminat annum(9),
80 *Thrax super hunc Mauors, rigidumque effulminat ensem(10),*
Vt cernis, visusque mihi iam pronus in Hebrum(11)
Exarmare Getas, Ciconasque(12) agitare niuales.
Hinc placidi nitet ora Iouis, sed in arce suprema
Algenti posita est Saturnia Zona recessu.
85 *Astrorum octauus retinet sibi circulus ignes(13).*
At reliqui duo sunt, quorum piger alter ad Indos
Se voluit trepidante gradu(14), rursusque reuisit
Hesperiam rediens alternis motibus vndam,
Vltimus(15) auersos de littore voluit Eoo
90 *Sphærarum motus(16), secumque agit & trahit orbes*
Inuitos, noctemque supra solemque reducit.
Qui cum non parili spatio(17), nec motibus iisdem
Voluantur, contraque alto nitentia mundo
Interualla sonent, & tardius astra ferantur
95 *Falciferi remorata senis, citiusque recurrat*
Luna vices, pulsusque grauis iungatur acuto(18)
Qualibet, & varie Sphærarum intermicet apsis(19),
Exoritur sonus ille, tuas qui mulceat aures(20).

(1) Interrogat de harmonia cælesti, quam dicit caussari Minerua ex motu sphærarum. *Pythagoras* censuit, omnia ex musica constare: vnde secundum tonos dimetitus est sphærarum interualla, quæ Diapasōn perfectum in Musica octo vocum consonantiam faciunt. Quod latius ex *Plinio* & *Censorino* prosequitur eruditissimus *Dubrauius* in secundo *Martiani Capellæ* libro de Nuptiis. Adde tu *Macrobium* in Somnio Scipionis.

(2) Scilicet, supra lunam.

(3) Mercurius. Hanc stellam Græci *Stilbontem* nominant. Paruum dicunt astrum, si cum Lucifero componatur, acuto & radiante lumine, versatili ingenio atque natura, qualiscunque enim fuerit comes, quem nanciscitur, tale & ipsum continuo redditur. Ea res locum aperuit fingendi, nuntium esse Mercurium, ministrumque Deorum: quando eorum viribus potestatique obsequitur.

(4) Quia Atlantis Nepos. Horatius, *Mercuri, facunde nepos.*

(5) Quia in Cyllene monte Arcadiæ Maia Mercurium peperit. *Maro* libro Æneidos octauo. *Vobis Mercurius pater est, quem candida Maia Cyllene gelido conceptum in vertice fudit.* Vnde & ipse Mercurius *Cyllenius* dictus est.

(6) Scilicet, Venus, Lucifer, vt ipse Poeta declarat. *Pernox* proprie dicitur luna, cum tota nocte lucet. Transfertur ad homines qui tota nocte vigilant, vt *Aul. Gellius* Socratem *pernoctem* dixit. Significauit ergo pernoctis vocabulo Hesperum cum nocte lucere, qui solem subsequitur: nos Vesperum dicimus Varroniana autoritate, vt cum dicit, *præuius Phœbo*: Luciferum intelligit, quem Græci Φωσφόρον vocant.

(7) Vel ad colorem respexit gentium, quæ fuscæ sunt: vel ad arenas aureas, quas dicunt flumina in Hispania vehere: vel quia in effossione auri olim laborabant. Vnde *Silio* Astur gens Hispana dicta est, *concolor auro.*

(8) Sic *Papinius*: *Et alterno deprehenditur vnus in ortu.*

(9) Ab eo enim vicissitudines istæ mundanæ

danæ proficiſcuntur, de quibus lege *Plinium* capite ſexto ſecundi. Quot vero diebus ſol curſum ſuum compleat, adhuc inter Aſtrologos non conuenit, vt vidimus ex ſententiis eorum, qui proximis annis ſcripſere ſuper ratione Romani Calendarii emendandi: quod illud a vero ſolis curſu diebus haud paucis aberrarit. Porro ſi cum ſolis, de quo nunquam poſſent, vt ait *Vitres*, pro dignitate ſatis multa dici, tum cæterarum erraticarum vires, item ſignificationes ac decreta noſſe cupis, quartum adi *Pontani* librum de rebus cæleſtibus.

(10) Alludit ad naturam ſideris, quod vi atque ardore ſuo præſidere bellis creditur. Vnde & *Herculis Aſtel* dictum, quod ille bellis, violentiis, rapibus, direptionibus, latrociniis, & aliis, quæ bellum fieri gaudet, multum delectatus fuerit. Aſtrologi Martem igneum præ ceteris eſſe ferunt: & idcirco Iupiter Saturni frigiditate, & Martis calore dicitur temperatus.

(11) *Seruius* in fine quarti Georgicorum ſcribit, Hebrum amnem ex fontibus Rhodope montis dilabi.

(12) Thraciæ populi, quorum matres Orpheum vatem diſcerpſere. Fabula notiſſima, apud *Maronem* libro iam citato, & *Ouidium* libro Tranſmutationum 11.

(13) Stellas, quas *fixas* vocant.

(14) Id eſt, titubante rotatu, ſi quidem recentiores nonam Sphæram *titubationis* appellant, voluitur autem ab occaſu ad ortum.

(15) Primum mobile dicunt. Id ab oriente in occidentem reliquas ſphæras trahit auerſas: quoniam naturali motu reliquæ in occidentem tendunt. *Albertus*, *Signa*, inquit, *ab Occidente in Orientem diſponuntur ordine naturali ſecundum motum planetarum: ſed ab oriente in occidentem ſecundum motum primi mobilis diſpoſitione prepoſtera diſponuntur.*

(16) Contra nitentes. Natura autem factum tradit *Plinius*, vt contrario hoc ſphærarum motu, ac, vt ita dicam, certamine, aer ſegnis non fit.

(17) Colligit ex interuallis magnitudineque Sphærarum varia, ac etiam motu ipſo creari harmoniam. Nam ſecundum Pythagoram, non pari tonorum ſpacio ſunt omnes Sphæræ. Illud Pythagoræ refert *Plinius* cap. 22. libro ſecundo.

(18) Hoc oſtendit *Macrobius* commentario in Somnium Scipionis ſecundo.

(19) *Apſis* proprie apud Græcos *curuaturam* ſignificat. *Plinius* vero accipit pro parte illa ſumma, infimaque circulorum in Sphæris, vnde *imam* dicit & *ſummam apſidem*. Recentiores vero ſummam & imam augem dicunt in hemicyclis Planetarum. Mihi autem videtur hic poni pars pro toto, vt cum dicimus *puppim*, *proramue*, pro naui. Hoc nempe ſenſu. Cum quælibet ſphærarum vario motu, varioque interuallo ſint, oritur illa cæleſtis harmonia. Motum Planetarum varium *Plinius* indicat. Verum verba eius non adſcripſimus: quod ſciam plura a principe Mathematicorum inter Germanos annotata, cui neque *Macrobii* ſententia in vniuerſum probatur. Is ſe ipſum olim & nomine & opere prodet egregio.

(20) Vnde *Plato*, cum non videret quibus vocibus concentum illum cæleſtem conferre poſſet, cæli ſonos, *Sirenes cælorum* appellauit: quæ omnium ſuauiſſimæ atque dulciſſimæ eſſe vulgo dicuntur: ita multum vt nauigantes ab inſtituto queant curſu auertere, & amiſſo periculorum ſenſu, in mille diſcrimina morteſque ſuauitate ſua tranſuerſos agere ac præcipitare.

(1)Aſt ego, vbi moles Sphærarum extrema(2) mouetur,
100 *Cui volucris motus, & vaſtum pondus inhæret,*
Vtque hoc partita eſt(3) totum (4), natura ſit, an ne
Conditio terrarum eadem(5)? dum talia contor,
Incipit illa. Poli duo ſunt(6), quorum Arcticus(7) alter,
Quem vos aſpicitis, tranſque Orchadas(8), & freta Thules
105 *Longa Caliſtonia(10) duce littora quæritis Vrſa(9).*
Alter(11) ad Antipodas, & quæ veſtigia gentes
Contra habitant noſtra, atque imo pulſatur ab Auſtro,
Demerſus terraſque alias, populoſque profundos
Verticibus premit ille ſuis: ſic cardine mundus(12)
110 *Circum agitur duplici. Dein qua Ripheius vmbo(13)*
Tollitur, atque vrget glacialis plauſtra Bootes,
(14)Signa micant ſena(15), & totidem tellure ſub ima
Qua medius tepet axe dies(16), Antarctica dicunt.
Verum hæc ſufficient nobis, ſi tempora fando
115 *Proſequar(17), & veri cauſſas reſerabo latentes.*

(1) Faceta petitio, vbi nam tanta moles ſuſpenſa ſit? vbi voluatur?

(2) Id eſt, primum mobile, cuius impetu mouentur cuncta.

(3) Senſus paulo abſtruſior. Interrogat autem quomodo natura partita ſit.

(4) Id eſt, Machinam cæleſtem.

(5) Hoc eſt, vtrum aliquod commercium, aliqua ſocietas ſit nobis cum cælo. Reſpondebit autem inferius Minerua, terram eaſdem fere diuiſiones habere, quæ feruntur eſſe in cælo.

(6) Horum alter *Septentrionalis*, alter *Austrinus* dicitur.

(7) Id est, *Septentrionalis*, qui semper in nostra habitatione apparet. *Austrinus* contra, qui semper, vt ad nostrum horizonta conditur. Sunt tamen in terra quædam loca, in quibus Polus, qui semper nobis conspicuus est, iis qui ibi degunt haudquaquam cernitur: qui vero nobis perpetuo occultus est, iisdem conspicuus euadit. Rursus quoque locum quempiam in terris inuenies, vbi ambo poli æquabilem in horizonte situm habent, autor *Proclus*, *Linacro* Britanno interprete.

(8) Insulæ maris Germanici, in quarum numero discrepant autores. *Mela* triginta eas esse dicit. *Plinius* & *Martianus* quadraginta. Ex verbis *Isidori*, autoris non omnino spernendi capite sexto quartidecimi Etymologiarum, *Camers* suspicatur eum legisse in Soliniano codice triginta tres. Parent hodie Regi Scotorum. Fama est apud Orchadas arborem esse maritimam, quæ supra amnium ripam enata, fructum ferat nonnihil anatibus similem: eumque cum maturuerit decidere: quod si in vndas cadat, mox animatum enare ex vndis, & esse volucrem: putrescit vero cum in terram cadit. Meminit *Sylvius* in Scotiæ descriptione, & recenset *Vadianus* commentario in Pomponii Geograph. 3.

(9) Quoniam Septentrionales populi hac potissimum in nauigando vtuntur.

(10) Quia in Arcton sidus Septentrionale Lycaonis filia Calisto migrauit ex Vrsa, in quam Iunonis indignatione, cuius erat pellex, mutata dicitur. Fabulam narrat *Ouidius* & *Hyginus*.

(11) Scilicet Polus meridionalis, qui & *Antarcticus*, quod Arctico oppositus sit, demersus ad Antipodes & gentes, quæ contra nostra vestigia habitant, & quæ ab imo austro pulsantur. Porro Antipodum situm, in quo non solum antiquitas, sed & *Albertus* noster, qui sub *Rudolfo* Habspurgo Imperatore floruit, lapsus est, non facile paucis verbis absoluerim. Nam & Periœcorum & Antœcorum situs ratio prius consideranda venit: quod coincidat hoc respectu, illo autem in diuersum abeat: quæ omnia *Vadianus*, cuius ingenium postera mirabitur ætas, in principio primi in *Melam* commentarii copiose & acute tradit & explicat, sed & non minus erudite disserit & conuincit, vt *Lactantius* & *Augustinus*, clarissima religionis nostræ lumina, frigide nimis Antipodum habitationem negarint.

(12) Cœlum.

(13) Id est, mons, seu scopuli Ryphæorum montium. Sic *Statius*, vt, nisi fallor, dictum est ante, *umbonem* etiam *montis* pro *tumore* posuit, sumpta similitudine a tumore in scuto, qui *umbo* dicitur.

(14) Alia est diuisio, postquam incepit a polorum diuisione.

(15) Nam hoc semper necesse est, vt sex signa superius sint, & totidem inferius infra nostrum horizontem. Carmina de duodecim signis ex *Manilio* in commentarium Reuchlinianorum progymnasmatum retuli, quæ & interpretatus sum eo loci. Quare si quid cupis de eorum natura & viribus cognoscere, illinc mutuabis, si meliora non habes.

(16) Quoniam in meridiana plaga calores ingentes sunt.

(17) Nam inferius de iis dicet. Nunc illud prosequitur, quod petierat natura, vt natura hoc totum partita fuisset.

Nunc autem quodcumque vides, terrasque, polumque,
Quinque tenent Zonæ(1)*, glacies & frigora damnant*
Extremas, horretque gelu pars vtraque mundi.
Verum quæ media est, quanquam intractabilis æstu
120 *Credatur, sed vana fides*(2)*, non frigore lædi,*
Nec feruere plagam voluit Deus: at niue(3) *flammam*
Miscuit, atque inibi posuit mortalibus almam
Temperiem, & regnum vobis habitabile fixit.
Sic etiam reliquas(4) *quas hæc plaga tangit vtrinque*(5)
125 *Mortales habitant, qui plusve, minusve premuntur*
Frigoribus(6)*, solemque vident, vt cominus ardet,*
Aut longe inualidus spargit sua lumina Titan.

(1) Locus sumptus a *Marone* in Georgicis, iam inde a vetustissimorum tractatione vulgatissimus. Harum discrimen nobilissimus Grammaticus *Probus* tradit, vt e manu accipi possit. Vt autem antiquitas ipsa in earum tractatione lapsa fuerit, eruditissimus *Vadianus* multis ostendit verbis commentario primo nuper citato: & Poeta noster antiquos veritatis ignaros arguit. Credebant enim sub æquinoctiali plaga habitari non posse: quod equidem mirari nequeo, cum intellexerint Onesicritum prius, mox Annium Polycamium Taprobanem insulam perlustrasse, cuius maior pars sub Æquinoctiali Zona posita est, de qua *Plinius* citra delectum falsa pro veris tradidit, vt idem *Vadianus* studio veritatis, non captandæ gloriæ probat euidentissime commentario in Melam 3. Porro *Auicenna*, *Ptolemæus*: & *Albertus* noster tradunt, eandem regionem temperatam esse: quia quanto maiore calore in die afficitur, tanto maiorem refrigerationem in nocte longa solis distantia recipit: alias refert *Albertus* rationes in lib. de natura locorum.

(2) Anti-

(2) Antiquorum, qui propter caloris exuberantiam illic habitare non posse putabant.

(3) Frigore nocturno, vt recentiores, item etiam, vt iam relatum est, *Ptolemaus* & *Auicenna* deprehenderunt.

(4) Scilicet duas. Diluit etiam eorundem opinionem de plagis Septentrionalibus, quas credebant omnino propter frigora habitari non posse. Compertum enim est vltra Thylem habitasse, & nunc ex littore nostro vltra eam sæpissime soluere.

(5) Abusus est verbo: sed respexit ad connexionem Zonarum, quæ vt se inuicem tangant necesse est.

(6) Hoc est, maiora, vel minora frigora patiuntur, prout gentes propinquiores sunt, vel remotiores a sole.

**Forsitan vnde dies & nox librata(1), requiris*
Æquales seruent cursus, vel laxet eosdem,
130 *Laxatosque arctet rursum, qua post modo duplex*
Solstitium fit parte poli, sic accipe paucis:
Signifero(2) nunquam discedit tramite Phœbus:
Qui dum cornigerum vectorem Nepheleidos Helles(3)
Permeat, & primas amburit lampade partes(4),
135 *Tantundem spatium nox atra diesque recurrit.*
At cum se ad Taurum(5), prolemque Atlantida(6) confert
Ad Boream versus(7) fraternaque sidera(8) Titan
Tollitur, atque supra terram fastigiat orbem,
Inde gradu maiore dies, & tempora veris(9)
140 *Orta micant, & humum pingunt vaga prata Lycæam(10).*

* Tertia diuisio est, ab æquinoctiis, ab incremento, decrementoque dierum, a solstitiis.

(1) Æqualis ponderis cum die. Sumpta metaphora a libripende: & æquinoctia intelligit, quæ ab ipsomet Poeta satis clare describuntur. Æquinoctium autem dicitur, cum diei noctes æquantur. Solstitium vero, quia in conuersione Solis ad aliud hemisphærium, vel ad nos rursus reuertentis, videtur stare sol, cum minime stet.

(2) Zodiaco. Nominis rationem pete apud *Macrobium* 2 de Somnio Scipionis commentario, & *Pontanum* libro de rebus cælestibus primo. Sunt tamen & aliæ a nobis relatæ alicubi. Idem multis verbis explicat, quo ingenio, quibusue instrumentis fuerit ab Ægyptiis repertus Zodiacus.

(3) Id est, *Arietem*. Notissima fabula apud *Hyginum*, tunc primum fit æquinoctium.

(4) Hoc est, primum gradum Arietis. Siquidem recentioribus placuit scriptoribus, appellare *gradus*, quas Latini veteres *partes* vocauerant, cum a Græcis dicantur *moria*. *Pontanus* autor lib. eodem. Sequitur autem in hoc recentiorum opinionem, qui dicunt, æquinoctium inchoari in 1 gradu Arietis. Antiqui autem, vt *Plinius*, *Martianus*, ceteri, dicunt in octaua parte incipere.

(5) Hoc est, secundam partem veris, siue medium.

(6) Id est, *Pleiades*, quæ Atlantis filiæ dicuntur. Maro, *Ante tibi Eoa Atlantides abscondantur*. De hiis haud multo post commode referam.

(7) Quoniam ipsæ in Boreali polo positæ, cum Tauro sunt, puta in eius cauda. Alii ad sinistrum Persei genu locant.

(8) Id est, *Geminos*, tertiam, siue vltimam veris partem. Siquidem hæ sunt veris partes, quod dicitur prima ipsius anni ætas: quæ sicut omnis ætas constat principio, medio, & fine. Veris igitur principium cum sit in Ariete constitutum, prima pars ætatis eius humido plusculum abundabit: medium, id est, pars secunda, cum in Tauro collocetur, ac medium ipsum inter principium constituatur & finem, humido, calidoque sic afficitur, vt ab altero in alterum pedetentim abeat, crescente iam die, & sole in altiorem cæli partem gradatim succedente. Quo fit, vt finis verni temporis, hoc est, vltima eius ætatis pars sit calidior, cum sol ipse Geminorum signum altissime prouectus peruagatur. Est itaque Taurus temperatum signum, cum sit calidi atque humidi particeps, ac medius, atque ita quidem particeps, vt finis eius in calidum longiuscule recedat ab humido. Quocirca *Ptolemaus*, vt refert *Pontanus* libro rerum cælestium quinto, Taurum ὑπόθερμον, quod latino nomine *subcalidum* dicitur, vocat: traditque initia eius, ac præsertim loca Pleiadibus proxima ventos ciere, itemque terræ motus, &c. Ex his patet sensus Poetæ: qui vult, postquam sol ab Ariete discessit, accedens Taurum & Geminos, dies maiores fieri & pingi.

(9) Vel absolute numero multitudinis pro vnitatis posito, vel, vt supra narraui, potest intelligi.

(10) Hoc est, *Vindelicum*. Hoc tamen accipiendum est secundum rationem situs nostri: cum in partibus calidioribus, vt in Italia, ante Martium incipiat ver, vt ex *Columella* colligimus.

(1)Mox vt Lernæi qua deflagrantia Cancri
Brachia panduntur, regioque altissima cæli est(2),

Peruenit

Peruenit, & totidem consistit partibus, illic
Solstitium memorant fieri(3): *cum feruidus axis*(4)
145 *Torret agros, paruaque cibum bos ruminat vmbra,*
Cum se Caucasea voluit de rupe(5) *bicornis*
Indus, & excursu est Patale(6) *stupefacta niuali,*
Inde Mycenæi dum permeat ora Leonis(7),
Diminuitque dies, & Tauri lucibus æquat(8).
150 *At postquam illinc sol abiit, flauamque reuisit*
Erigonen(9), *vector meat iisdem Athamantius*(10) *horis*(11).

(1) Significat in Cancro solstitium fieri æstiuale, vt vulgo dici solet. Neque enim me latet, vt ex *Stabio* nostro didici, & subinde apud doctissimum nostrum *Vadianum* legi, verum solstitium inter vltimum Geminorum & Cancri primum gradum esse. Improprie ergo loquuntur, qui in Cancro, aut Capricorno solstitium esse dicunt: cum ad prima potius signorum initia fiant. Simile est de punctis æquinoctialibus. Vnde vtriusque signi denominationem suscipere possunt, vt *Collimitius* in commentariis Sphæræ docet. Ceterum æstiuale solstitium, cum sol maximum accedit ad nos contingit, & in Syene Ægypti vrbe nullæ vmbræ iaciuntur: quia perpendicularis illic sol est, nec vlterius nos petit. Vnde error *Plinii* facile conuincitur, qui dicit: omnia Zodiaco subesse, præsertim quæ habitantur, quia si hoc esset, aliquando accideret, vt nos etiam in Germania, vel sub Germanico parallelo constituti, perpendiculares vmbras haberemus. Alludit autem Poeta ad fabulam Cancri in astris positi beneficio Iunonis. Narrant eam *Hyginus*, *Aratique* interpres. Aliter *Pontanus* libro de Stellis secundo.

(2) Sic habet emendatior codex: quanquam & *breuissima* legi potest, qua locutione vtitur *Vitruuius* de Astrologia disputans, sumpta, vt arbitror, similitudine ab itinerantibus. Prior lectio magis placet. Quod postquam sol ad primum Cancri punctum (vt maneam in verbis vulgi) peruenit, non habeat, quo Septentrionem versus progrediatur vlterius.

(3) Scilicet cursum suum in Austrum conuersurus. Vnde a Græcis punctum illud *Tropicum* vocatur: a nobis solstitium, quod per aliquot diecula, detrimentum ipsum lucis vix appareat, tanquam sol ipse sistat, cum tamen minime stet, vt dictum est.

(4) Solaris currus.

(5) Dixi antea, continuo dorso Caucasum in Indiam vsque extendi.

(6) Insulæ nomen Indicæ, cuius meminit *Strabo* libro quintodecimo.

(7) Fingunt poetæ duos ab Hercule leones interfectos, & vtrumque inter astra relatum. Vnum tamen, & quidem maximum signum est. Ad quod cum sol venit, incipiunt dies decrescere, vt vult Poeta. Terra aduritur, exsiccantur flumina, & fruges concoquuntur, vt *Arati* verba, Germanico Cæsare interprete, testantur. Et signum ipsum ab hac efferuescentia nomen accepisse ab astrorum peritis, *Pontanus* quinto Cælestium rerum libro scribit. *Mycenæum* autem dicit, quod in ea regione, vbi *Mycenæ* sunt, nutritus fuerit, vnde & *Nemæus* eadem ratione dictus est ab aliis.

(8) Correspondent enim sibi aliqua signa in spatio & horis dierum, vt *Iulius Maternus* atque *Pontanus* abunde explicant. Græci has mutuas correspon{s}iones, seu consensiones *Amiscia* vocant.

(9) Virginem, quæ inter Leonem & Libram in Zodiaco locum tenet. Quod in hac signiferi orbis portione arescant sic omnia, vt siccitas, quæ suapte natura generandis rebus male idonea est, regnare incipiat, signum Virginis sterile putatum est. Quod & græce *Agonon*, hoc est, *infœcundum*, parumque omnino genitale.

(10) Phryxus Athamantis filius, de quo superius.

(11) Scilicet, quibus in primo, hoc est, verno æquinoctio meatat.

(1) *Exin terrigenæ Phaetontis fabula*(2) *Chelæ*
Accipiunt Phœbum, gradibus tunc voluitur æquis
Nox spatio contenta die(3), *quo corniger ibat*
155 *Ammonis veruex*(4): *sed cum Scorpius*(5) *offert,*
Occasumque petunt, cum Pleiades Atlanteæ(6),
A mediis progressa plagis(7), *laxata dierum*
Interualla secat Phœbeia lampas, & arctat
Centaurum Chirona(8) *petens: sed & arctius illis*
160 *Dat vobis spatium, & lucem brumalis Apollo*
Cum gelida Idæi Capricorni(9) *signa recurrit.*

(1) Designat alterum æquinoctium, quod fit in Libra, quod vetustissimi Græcorum, vt *Pontanus* ait, *Chelas* vocauere libentius. *Maro* primo Georgicorum, *Qua locus Erigonen inter Chelasque sequentes*, id est, *Libram*. Optat enim Augustum inter Libram & Virginem collocari. Nam a Chelis Scorpionis Libra sustineri videtur, vnde aliqui pro vno tantum signo acceperunt. Huius signi considerationem apud

apud *Pontanum* ipsum vide, in tractatione rerum Cælestium.

(2) Nam cum equi solis ad Chelas Scorpionis peruenissent, exterriti aurigam Phaetontem excusserunt. Nouissima fabula.

(3) Id est, *dei*, antiqua inflexio, vt admonuimus, similem a *Marone* locutionem in testem aduocantes.

(4) Id est, *Aries*, in quo alterum æquinoctium fit, nempe Vernum.

(5) Hoc signum est fulminosum & flagrans, *Martis domicilium* ab Astrologis dicitur. Lege *Manilium* libro secundo & quarto. Vetustissimi Latini *Nepam* dixere. *Columella* de *Nepa* haud infrequens est mentio. *Cicero* quoque in Arato, *Atque oculos vrget pedibus pectusque Nepai.* Caussam relati in astra signi, pete ex secundo *Hygini.* Scorpius autem dicitur a *scorpizo*, quod est spargo. Spargit enim *chelas*, id est, brachia.

(6) Secundum Musæum, fuerunt Atlantis filiæ septem, ex quibus sex claræ sunt, vna obscura. Hinc *Ouidius* dixit, *Quæ septem dici, sex tamen esse solent.* Latini *Vergilias* vocant, de quibus inferius Poeta. Pherecides autem dicit fuisse filias Lycurgi. Harum nomina putantur, *Electra*, *Alcinoe*, *Celeno*, *Asterope*, *Merope*, *Taygete*, *Maia.* *Columella* scribit, quod decimo tertio, & duodecimo Kalend. Nouembr. solis exortu, *Vergiliæ* incipiunt occidere.

(7) Sic legitur in meliori codice, hoc est, ab æquinoctiali puncto Scorpionem versus. Æquinoctialis enim plaga media est inter duos tropicos. Nam, vt inquit *Albertus*, *portio terræ quadraginta octo graduum est, quæ supponitur spatio duorum tropicorum.* Declinat enim sol ad Aquilonem versus tropicum æstiualem fere per viginti quatuor gradus, per totidem declinat ad meridiem versus tropicum hyemalem. Et est ordo: Phœbea lampas a mediis plagis progressa, cum se primum offert Scorpius, adimens iubar occiduo Orioni, cum Pleiades occasum petunt, secat laxata interualla, id est, spatia dierum, quæ prius fuerant laxata. Sensus autem est, Cum sol discedit a mediis plagis cæli, vbi fit æquinoctium, & ingreditur Scorpium, tunc incipiunt dies decrescere, & nox augeri: sed magis in Sagittario, maxime autem in Capricorno minuuntur, vbi minimus totius anni dies est, qui *Bruma* appellatur.

(8) Sagittarium Centaurorum iustissimum. Caussa, quæ hunc astris indiderit varie traditur: mihi *Pontani* figmentum probatur.

(9) Quia in Ida monte dicitur nutritus, & cum Ioue profectus ad Titanorum bellum, quem Iupiter victor astris intulit, aliter alii. Lege *Hyginum*, & *Arati* interpretem.

Altera solstitia(1), *aereas tunc nix tegit Alpes,*
Et septena trahens hæret Scythico ostia Ponto,
Quadriiugi patiens plaustri(2) *Germanicus Ister,*
165 *Noricusque gelu vadit super accola crustas.*
Cum vero Iliacus sibi iungit Aquarius(3) *orbem*
Titanum, solisque iubar, tot continet horas
Scorpius, occiduo adimens iubar Orioni(4).
Mox sol cum Zephyri mundum genitalibus auris(5)
170 *Mulcent, Idalios pisces*(6) *petit, & sibi lucem*
Submiti, spatiis miratur Libra sub iisdem.

(1) Hiemale solstitium intelligit: in quo sub Aquilonari plaga dicit ita frigora increbrescere, vt Danubius onustis curribus per glaciem transfretetur.

(2) Faciunt ad hunc locum, quæ scribit *Ouidius*, Danubio glacie rigescente de Scythis Istrum transeuntibus, eaque loca depopulantibus, libro tertio Tristium, in elegia quæ incipit, *Si quis adhuc istic.*

(3) Huic signo id nominis inditum perhibent, quod eius exortu imbres plurimi fiant. Quidam volunt Ganymedem eum esse Troili & Calliroes filium: qui cum Ida monte venaretur, ob nimiam pulchritudinem a Ioue adamatus, & per aquilam raptus, inter astra est collocatus. *Nigidius* aliter.

(4) Libro sexto dixi, hoc sidus inter horrida connumerari. Fabulam eius varie narrat *Hyginus* libro secundo, *Seruius* 1 Æneidos. Porro quod ad hunc locum facit, scribit *Hyginus*, Orionem occidere exorta Scorpionis posteriore parte, & Sagittario ex Oriente: cum Cancro vero toto corpore exurgere, aliter *Lactantius* Grammaticus, aliter *Columella.*

(5) Eo enim spirante sata increscunt, vitaque ac alimentum plantis augetur. Et *Horatius* quoque *genitalem auram Fauoni* dixit. *Columella* ait, *Fauonii spirare incipiunt septimo idus Februar.*

(6) In quos se Venus conuertit. Lege *Hyginum.* Idalium Cypri nemus est, vt scribit *Seruius*, in quo est oppidum breue, vbi templum habuit Venus, vnde apud *Maronem* ait ipsa, *Est Paphos, Idaliumque mihi, sunt alta Cythera.* *Idalia* idcirco dicta poetis. Ipsa apud eundem, *Aut super Idalium sacrata sede recondam.*

(1) *Præterea ne te lateat, quæ caussa nigrantis*
Sit lunæ, solemque oculis vis auferat almum,

Aduerte. Occiduis cum sol a Gadibus(2) *infra*
175 *Mergitur, atque imas austri defertur in oras,*
Exoritur nox atra polo, subeuntque per auras
Terrestres vmbræ: quantumque is(3) *tendit ad ima,*
Æthereas tantum obnubit caligine sedes.
Tunc simul ac Phœbe terrarum attingitur vmbra,
180 *Vel caput vmbriferi inuisit, caudamve Draconis*(4),
Obduci tenebras visum est, sidusque hebetari(5).
Sed cum se paulo(6) *meta dimouerit illa,*
Non passim defectus erit, nec tota nigratur
Luna nitet minus, aut plus, vt vicina propinquat.

(1) Nunc descendit ad caussas physicas. Incipit autem a deliquio lunæ & solis. Lunæ eclipsis fit, per interpositionem terræ perpendiculariter inter solem & lunam. Eclipsis autem solis fit per interpositionem lunaris corporis inter visum nostrum & solem. Fit autem in cauda, vel in capite Draconis. Fictus locus ab Astronomis, vbi sol & luna conueniunt supra vel infra terram ad inuicem e regione.

(2) Sunt columnis Herculeis famosæ. De his vide *Plinium*, libro quarto, *Solinum*, capite trigesimo sexto, *Strabonem* iuxta finem tertii, *Diodorum* libro sexto, *Herodotum* quarto.

(3) Scilicet, Sol.

(4) Quia eclipsis siderum vmbras gignit, quæ non nisi, vt diximus, in Dracone fit.

(5) Plinianum verbum est.

(6) Eclipsis enim lunæ varia est, prout portio terræ inter ipsam & solem interponitur. Nam si perpendiculariter terra interponitur inter vtrumque sidus, totam nigrari lunam necesse est. Si media pars, media obscuratur: cum ea lunæ portio lumen a sole accipiat, quæ solem videt. Idem & in sole accidit, qui plus & minus Eclipsim patitur, prout luna plus & minus ad caudam vel caput Draconis accedit.

185 (1) *Hæc eadem cum plena rotis se subiicit altis,*
Atque loco(2) *signi, quo sol defertur eodem,*
Inde faces pereunt, & Pythius(3) *obiice lunæ*
Aufertur terris(4): *sed non hic disperit*(5) *omni*
Parte poli. Phœbe nam quanto laxior orbis
190 *Terrarum, tanto pater est quoque Liber*(6) *vtroque*
Vastior: adde etiam magni diuortia(7) *mundi,*
Quis(8) *terram, lunamque Deus, solemque diremit;*
Quare in comperto, cum Delius orbe feratur
Quantum aliis adimit, tantum mox suggerit illis
195 *Luminis, & nunquam terris se condit vbique.*
Vnde idem Boreæ(9) *non est defectus & Austro,*
Nec radiis Augusta caret(10), *nec rursus ademptos*
Accipit, vt Thebæ ingentes, & torrida Memphis.

(1) Hic tractat deliquii solaris rationem, quam paucis iam tetigi, & mox aliquando pluribus.

(2) Hoc necessarium est, vt sub eodem signo luna & sol simul coeant, vt solaris eclipsis fiat. Alias si sol in Aquario, & luna in Libra esset, qui fieri posset, vt sol obscuraretur, non video: cum nulla sit, vt ita dicam, vicinitas tramitis.

(3) Sol a fabuloso illo serpentum maximo *Pythone* cognominatus: de quo lege *Ouidium* primo Metamorphos. libro, & *Pontanum* de Stellis itidem libro primo, illic inuenies, cur Apollo dicatur *Pythonem* occidisse.

(4) Id est, Sol nunquam totus eclipsatur. Reddit autem rationes mathematicas. Prima, quia sol longe maior quam luna est & terra. Secundo, propter interualla corporum: nempe, terræ, lunæ, solis. De magnitudine autem antiqui dicebant solem duodeuigesies terram superare magnitudine, vt autor est *Cicero* de Natura Deorum: terram autem magnitudine superare lunam in tertia parte. Recentiores multo vastiorem solem faciunt, ac magnitudinis fere incomprehensibilis. Si ergo sol & terra magnitudine lunam exuperant, sol, a nobis per minus interpositum corpus luna, tanto præsertim interuallo a visu nostro discretum, adimi totus non potest, hoc est, vniuersaliter, nam vno in loco totus adimi bene potest, verum tamen alibi nihilo minus lucebit. Si autem propior visui nostro luna foret, fortasse totus adimi posset, quod patet oppositione digiti ad oculum: sed propter distantiam ac interuallum fieri non potest, quod etiam per eundem digitum ab oculo semotum longinscule, ostenditur. Sensus igitur est, quemadmodum *Stabius* noster candide mihi illum tradidit, *Non hic disperit omni parte poli*, hoc est; Non vbique in omni parte terrarum polo seu cælo subiecta.

(5) Id

(5) Id est, eclipsatur.

(6) Sol, quem ideo *patrem* dixit, quod sol & homo generant hominem, & certe omnium rerum creatio soli attribuitur, *Liberum* autem, vt Maro, *Liber & alma Ceres.* *Macrobius* enim autor est libro Saturn. primo, Neuium dixisse *Liberum* solem a Romanis appellari, quod *liber & vagus* est. Sunt tamen qui illud *Maronis* putant de Baccho intelligi debere, cum ex *Varronis* inuocatione, tum *Plutarchi* autoritate, qui in quæstionibus multas caussas affert, cur *Dionysius*, id est, Bacchus *Liber pater* fuerit appellatus. Poeta sequitur quod receptum est, & *Seruio* ac *Macrobio* probatur.

(7) Distantiam, interualla.

(8) Pro quibus.

(9) Vult, quod cum sol in Boreali polo eclipsim patitur, Australes, id est, Meridionales populi non sentiant.

(10) Declarat quod modo dictum est. Verbi gratia, Augustæ Vindelicorum eclipsis videtur, Thebæ & Memphis vrbes Ægypti non videbunt. Contra cum apud illas eclipsis fit, apud Vindelicos & ceteros Germaniæ populos minime intelligitur. Hoc autem accidit, propter magnitudinem solis, vt dictum est.

(1) *Tunc ego, quo pacto labentia sidera Pontum*
200 *Occasura petant, rursusque oriantur olympo,*
Cum vespertino rutilant maris æquora Phœbo,
Edoceas me, Diua, velim. Mox talia contra
Orsa est: Se radiis vbi Phœbus(2) *iunxerit astro,*
Pallescit iubar, & demersos occulit ignes.
205 *Mox oritur cum Phœbus abest*(3), *rursusque videtur.*
Sic etiam nascente die(4), *rursusque cadente*
Astra ferunt cum luce iubar(5), *nec non rapit*(6) *infra*
Occasura furor magni irrequietus olympi.

(1) Nunc ad siderum ortus & occasus descendit.

(2) Præsentia enim solis occidere videntur sidera, quæ splendoris magnitudine occultantur, nec videri possunt. Et dicitur occasus siderum *heliacus.* *Helios* enim *Sol* dicitur.

(3) Ortus *heliacus* designatur, cum scilicet ab eodem astro, quod præsentia sua celauerat, discedens, absentia pristinam restituit lucem.

(4) Describit *ortum Chronicum.*

(5) Scilicet, cum ab horizonte emergunt.

(6) Cum scilicet cum ipso die occidant. Lege caput tertium autoris *Sphæra*, in quem *Collimitius* noster commentarios scripsit.

(1) *Signorum interea ne te quoque in ordine fallat,*
210 *Pars obliqua oritur, pars recto permeat ortu,*
Cum sua ab æstifero sumunt exordia Cancro,
Donec Phillyrides(2) *intercipit, astraque rursus*
Recta die, totidemque vmbris obliqua reuectis
Insurgunt, cum vel tristis hiems*(3), *contraque feruntur*
215 *Dum Titan prima Capricorni in parte refulget.*
(4) *Cum vero æquales noctes cum luce videntur,*
Terna obliqua meant, totidemque oriuntur olympo
Recta gradu, similesque capit nox humida leges.
(5) *Sed te ne tantum nutrix morer, aspice ad Arcton,*
220 *Ingens vt laxet sinuosa volumina serpens*(6),
Amplexumque tenet cum pellice Nonacrina(7).
Huius virgineum perhibent violasse Tonantem
Ignara Iunone thorum: sed coniugis illa
Furta sciens commissa, Ceteida(8) *vertit in vrsam*(9):
225 *Quam pater omnipotens antiqui conscius ignis*
Transtulit in cælum, & formam pensauit honore.
Hæc nunquam occidua est. nam qua gelidissimus axis
Voluitur, & nunquam descendit in æquora vertex,
Iuppiter Arcadicam posuit regione Calisto.

(1) Alibi etiam sic versus scriptos legi, *Signorum interea ne te quoque in ordine fallat, Pars erecta die, pars noctu obliqua resurgunt*, & secundo versu, Donec *Phillyrides sese ingerit, astraque rursus Prona die, totidemque vmbris inflexa reuectis.* Ego tamen priorem lectionem non immuto, cuius sensus est: Existente sole in principio Cancri, quando maiores dies sunt, tunc interdiu rectum ortum sex signa habent.

Nocte vero totidem signa oblique oriuntur. Item cum sol in principio Capricorni est, contrarius fere fit signorum ortus. Nam in die sex signa oblique oriuntur, in nocte vero totidem directum habent ortum.

(2) Sagittarius, quem poetæ *Chironem Centaurum* esse fabulantur, *Saturni* in equum mutati, & *Philyra* filium, vnde superius dixit, *Centaurum Chirona parens.*

(3) Lege: *Insurgunt cum tristis hiems*, vt castigatus habet codex.

(4) Docet sole existente in principio signorum æquinoctialium, scilicet Arietis & Libræ, tunc interdiu tria signa recte, & tria oblique oriuntur, similiter noctu rectum obliquumque ortum habent.

(5) Vt reficiat animos, quos longa tenuit disputatione de motu ortuque siderum, fabellas interserit, opportune tamen.

(6) Qui cauda capiteque inflexo vtramque Vrsam complectitur. Vide *Hyginum.*

(7) Id est, *Arcadica*: & *Calisto* intelligit, quæ a Ioue stuprata fuit. *Seneca* in Hercule furente, de Calistone & ceteris inquit, *Pellices cælum tenent.*

(8) *Calisto*, Cetei filiam secundum *Artium*, Lycaonis autem, vt ait *Hesiodus.*

(9) Nempe eam, quæ a magno sortita est nomen. Lege principium secundi Astronomicon apud *Hyginum.* Hæc nunquam occidua est. Narratur fabula ab eodem *Hygino.* Ratio autem est, quia polus Arcticus adeo supra nos est, vt & si rotatum habeat, tamen ob hoc nunquam a visu nostro discedat. Lege *Firmicum* in apologia Matheseos.

230 *Tunc ego: Nunc postquam fando traducimus horas,*
Dic age, dic, quisnam qui tardo incedere plaustro(1)
Cernitur, & prolem obseruat Psophitida(2) *custos?*
Ordiar (illa inquit) pandamque ab origine factum,
Aduerte. Vt quondam retulit mihi corniger Euan(3),
235 *Icarus in terris*(4) *quo non fuit æquior alter,*
Vt primum vites, & Bacchi repperit vsum,
Actæos(5) *petiit fines, sparsitque per agros*
Thesidum(6) *vini, quos secum vexerat, vtres.*
Nec mora, pastores grandes spumantis Iacchi
240 *Mulctras*(7) *hausere, & dono incaluere recenti,*
Vsque adeo vt furerent, & triste bibisse venenum
Credentes, morti dedunt(8) *qui iuuerat autor*(9).
Sed nata Erigone, postquam patris impia sensit
Funera, per montes circumque miserrima pagos
245 *Perrexit lachrymans, & cæco excita furore*
Abrupit laqueo vitam, & se substulit auræ.
Icaridos(10) *Bacchus, patrisque misertus, vtrumque*
Transtulit in cælum, & Graio de nomine dictus
Arctophylax(11) *pater est, idem tamen esse Bootes*
250 *Dicitur: illa*(12) *suum commutans virgine nomen*
Sub pedibus iacet(13), *& calido dextram ingerit*(14) *orbi*(15).

(1) Quod in modum bubulci sequitur, vt diximus, vnde *Bootes.* Plaustrum autem sunt Septentriones. Tardus autem est sideris motus, vnde piger a poetis appellatur, & inde *tardus* epitheton *bubulci* proprium est. Maro, *tardi venere bubulci.* Nam legendum sic est, non, vt *Seruius* & alii, *subulci*, vt declarat *Parrhasius* commentario in Raptum Claudiani 2.

(2) *Erigonem*, quæ ad aspectum Bootis constituta est, a *Psophide.*

(3) Baccho cornua adpinguntur, propter ferocitatem, quæ ebrios sequitur. Ouidius, *Accedant capiti cornua, Bacchus eris.* *Euan* Bacchi cognomen. Vnde *Euantes* Maroni, interiectio est laudatiua. *Lucretius* in quinto, *Euius Euan.* *Euius* autem dictus a patre Ioue, quum illi in Giganteo prœlio affuisset, & Rhætæum gigantem interfecisset, ex quo facto Iupiter ita eum laudauit, *Eu ie*, id est, *bene fili.* Autores *Acron*, & *Porphyrio.*

(4) Recitat Icari fabulam Deorum miseratione in Bootem conuersi. Lege *Hyginum.*

(5) Atticos.

(6) Quibus Theseus præerat.

(7) A *mulgeo*, quod est lac traho, fiunt *mulctra* & *mulctrale* eodem significatu. Alii dicunt *mulctram* tempus esse, quo mulgentur animalia: & *mulctrale* vas in quod mulgentur.

(8) Subaudi, eum scilicet Icarum.

(9) Qui a Libero patre traditam colendi vini, in hominum vsum rationem, monstraret.

(10) Erigones.

(11) Figuram huius stellæ, quæ & Arcturi nomen habet, vide apud *Hyginum* libro secundo.

(12) Erigone.
(13) Scilicet Bootis.
(14) Id est, extendit.

(15) Versus calidam zonam, ita enim figuratur. Vide *Hyginum.*

Aspice

Aspice vt Andromades effulget vertice sidus(1),
Et serpentifero Polydectius(2) ægide(3) Perseus,
Quique ab Eleusina(4) cereales vrbe quadrigas
255 *Flexit(5), & alipedum iuga mirabatur equorum*
Græcia: sed longum est Vulcani dicere amores(6).
Vt micat Engonasis, & Phorbas Isocleus(7)
Serpentem manibus premit(8) & vincitur eodem.
Et Cycnus Ledæ(9), & septem lyra(10) ab Arcade(11) neruis
260 *Pacta(12) Deo, qua summa Orpheus(13) Pangæa peragrans*
Traxit saxa ferasque, & vulsit montibus ornos,
Placauitque vmbras Orci, fatoque redemit
Eurydicen, nato o mater crudelior illis(14)
Calliopea tuo, quæ dum Proserpina Adonim
265 *Concedis, nuribus Thressis Cytherea furorem*
Iniicit, atque iisdem cantor discerpitur Orpheus
Ornaturque sacra fulgens testudine(15) cælum.

(1) Apud eundem figuram eius viste. Hæc Mineruæ beneficio polo indita est. Clara Eurypidæo cantu.

(2) Ab alumno *Polydecte* Seriphi Rege.

(3) Alludit ad fabulam Gorgonis a Perseo interemptæ, cuius dudum meminimus. Colitur illic Perseus & Athenis.

(4) *Erichthonium* dicit, qui ex Vulcani semine & terra natus est. Nota fabula apud *Ouidium*.

(5) *Maronis* in Georg. illud notissimum est, *Primus Erichthonius currus*, & cetera. Tradunt anguineos pedes habuisse. Veritas autem est, Erichthonium in curru ferri solitum, vt crurum pedumque deformationem celaret.

(6) Id est, recitare amorem ac desiderium Vulcani in Mineruam. *Engonasin* alii *Herculem* dicunt, supra Draconem collocatum, alii *Cetea*, alii *Thamyrim*. Adi *Hyginum*. Est autem per admirationem legendum, vt illud Maronis, *Vt perii, vt me malus abstulit error*.

(7) Id est, *Ophiuchus*, qui a nostris scriptoribus, vt ait *Hyginus*, *anguitenens* dictus est, supra Scorpionem constitutus. Eodem autore dicitur *Phorbas* Triopæ filius, ex Ifocla Mirmydonis filia: vnde *Isocleum* dicit.

(8) Sic figuratur etiam. Vide *Hyginum*.

(9) Notior est fabula, quam vt hic pluribus repeti debeat, quam & *Hyginus* scribit.

(10) Et huius fabulam idem narrat.

(11) Mercurio, caussam ante dixi.

(12) Iuxta illud Maronis, *Septem compacta cicutis*. *Horatius* Mercurium *curuæ lyræ* parentem appellat: de cuius chordulis inuentis *Plinius* in capite de inuentione rerum, libro septimo.

(13) Cui a Mercurio data est, alii ab Apolline ei datam scribunt.

(14) Scilicet vmbris & fato Erebi. Fabula est, Venerem cum Proserpina de Adoni puero contendisse ante Iouem. Calliopea Orphei mater iudex in hac caussa sententiam dedit. Adoni vtramque dimidia anni parte frui debere. Irata propterea Venus, quia totum Adonim sibi concedi volebat, Thressis mulieribus furorem iniecit: accensæque amore Orpheum frustatim discerpserunt. Alii autem, quia præpostere libidinis repertor fuit, discerptum putant. Ni fallor, diximus Orpheum Poetam, autore *Aristotele*, nunquam fuisse, & hoc Orphicum carmen Pythagorici ferunt cuiusdam fuisse cerdonis, vt refert *Cicero* libro diuinæ naturæ primo. Per exclamationem igitur patheticam inquit: *O mater Calliopea, quæ Orpheo crudelior fuisti, quam vmbra Orci*: quippe quæ propter iudicium tuum de Adoni, caussam dedisti vt discerperetur Orpheus.

(15) Id est, Cythara. Alludit ad inuentum cytharæ, de quo ante retuli.

Nunc Hyadas specta nymphas, Dodonidas(1) olim
Pasithoen, Ambrosiam, Eudoram, pulchramque Coronin
270 *Plexauræque, Polissoque, auricomamque Thyenen,*
Quæ quoniam altrices Bacchi dicuntur, easdem
Iuppiter omnipotens nostro coniunxit olympo.
Has prope Pleiones(2) natæ, quas esse secutum
Bissenos referunt sæuum annos Oriona(3),
275 *Vergilias(5) dixere alii(4), quarum incipit ortu(6)*
Æstas, atque hiemem occasus(7) frigusque reducit.

(1) Secundum *Pherecidem*, quas ipse *Dodonidas* appellauit Liberi patris nutrices, a *Dodona* Epiri ciuitate. De his *Ouidius* libro Fastorum quinto, *Ora micant tauri septem radiantia flammis, Nauita quas Hyadas Graius ab imbre vocat. Pars Bacchum nutrisse putat, pars credidit esse Tethyos has neptes Oceanique senis.* Quare autem *Hyades* vocantur, docet *Gellius* capite nono libri tertii decimi. Earum nomina refert

Hyginus, quæ in priori editione aliquantulum variata sunt. Ego versus a Poeta recognitos, vt in bono exemplari legi, substitui.

(2) Oceani filiæ ex Atlante, vnde & *Pleiades*, vt diximus. Sunt tamen & aliæ nominis caussæ, quas *Picus* refert secundo in Hymnis commentario.

(3) Dixit propter sideris naturam, quæ inter horrida numeratur, autores citauimus libro sexto.

(4) Scilicet, Latini.

(5) Quod earum ortu ver finem faciat, vt ait *Festus*. Et de *Pleiadibus* loquens *Ouidius* libro Fastorum quinto, *Tunc mihi non dubiis autoribus incipit æstas, Et tepidi finem tempora veris habent.* Alii tamen a verni temporis significatione *Vergiliis* nomen inditum existimant, quod primæ nauigationis tempus ostendant. Propertius, *Sit iners tardis nauita Vergiliis.*

(6) Fit autem, vt tradit *Plinius*, sole Tauri partem XXV obtinente, sex diebus ante Maias Idus: quo tempore *Columella* quoque omnes inquit Vergilias apparere.

(7) Eodem autore paulo ante Idus Nouemb. hiemem inchoat occasus Vergiliarum.

At plaga(1), *quæ albescit longo inter sidera*(2) *tractu*
Maxima, & obliquum incedens, via lactea cæli est.
Rhea etenim, vt memorant, postquam impius ore vorabat(3)
280 *Saturnus prolem, magnum paritura Tonantem*
Commendat terræ: quæ læta excepit alendum
In Creta, & noctis secum nigrantibus vmbris
Pertulit ad Lycton(4), *dieque recessibus imis*
Abscondit terræ(4), *atque alto occultauit in antro.*
285 *Rhea autem lapidem, quem fascia cinxerat, ipsi*
Saturno exhibuit: cui cum premere vbera matrem
Iussisset, facta est fuso via candida lacte.
Possem multa tibi veterum monumenta referre
Astrorum, quæ prona vides, quæque ardua surgunt
290 *Per gelidi conuexa poli, vel quæ rapit infra*
Oceanus, Phœboque iterum pallente remittit.

(1) Astronomi *Lacteum* vocant *circulum* æquinoctialem contrarium, caussam *Hyginus* monstrat libro primo. Deformat autem eum ad finem secundi. In hunc locum Scipio Ciceronianus ait, proficisci animas eorum, qui beate vixissent. Adi *Macrobium*.

(2) Quorum est refertissimus, & ideo etiam præter ceteros circulos tam insigni, tamque denso est splendore, vt lactis præ se ferat speciem, a qua nostri eum *Lac cæli*, Græci autem *Galaxiam* dixerunt. Vt autem veterum philosophi parum scite de eo ipso circulo diffinierint, *Aristoteles* ostendit libro Meteororum primo, & recenset *Vines* in vigilia. Poeta suo more fabulam interserit, sumptam ex Hesiodi Theogonia. Scribit is: cum Rhea paritura esset Iouem, consuluit parentes cælum & terram, quid agendum esset, cum Saturnus omnes filios deuoraret: quia in fatis esse audierat, filium ex eo nasciturum, qui e regno eum pelleret. Iouem ergo cum peperisset, clam ad Lycton oppidum Cretæ, vbi pinguis sit populus, misit. Hunc terra capiens, occultauit in alto antro siluosi montis caprini. Rhea interim lapidem cinxit, Regique deorum dedit: qui partum esse arbitratus, in suum ventrem posuit, id est, deuorauit. Alicubi legi, si recte memini, lapidem hunc *Abadir* vocatum fuisse.

(3) Sic habet emaculatum exemplar: quamquam non video, quid obstet, ne legas, *vorarat*.

(4) Interpretatus est verbum *Hesiodi*, qui ait: *Diuina sub recessibus terræ.* Vel expone *dia*, id est, *generosa*, vt *Seruius* interpretatur. Prima magis placet.

(1)*Nunc autem medio postquam nox humida cursu*
Labitur, & splendet Phœbe, tibi discere fas sit
Quicquid terrarum ex alto spectamus olympo,
295 *Scilicet Europam, Libyenque, Asiamque*(2) *potentem,*
Tu modo da faciles dictis præsentibus aures.

Tunc ego: Cunctarum superans decus vna Dearum,
Pollicitis insiste tuis, & pande iacentes
Mi terras, memoraque vrbes, partitaque regna.
300 *Dicebam, cum Diua inquit sic talia contra:*

(3)*Principio tellus, aer, atque æquora Ponti,*
Quemque prope aspicimus(4) *calidis regionibus æther*
Congeries rerum fuit, informataque moles.
Nullus erat mundus, confusa elementa vicissim,

Horren-

305 *Horrendum dixere Chaos, discordia siccis*
Flumina pugnabant terris(5), *cumque aere tellus,*
Ignis aqua: tunc alta Deus super æquora vectus(6),
Extulit os sacrum, & tantos componere motus
Instituit. sedesque dedit, partitaque fixit
310 *Imperia, atque vna stabili compage reuinxit,*
Formauitque nouum concordi fœdere mundum.
Nam primum fit terra Chao(7), *noctesque silentes,*
Tartaraque, vmbrarumque domus: gratusque subinde
Creuit amor(8), *qui membra ligat Diuumque hominumque*
315 *Consiliumque adimit, & pectora concitat æstu*(9).
Æthera nox peperit, cælum terra, altaque Ponti
Flumina, & oceanum, terras qui fluctibus ambit,
Inde hominum, Diuumque genus, variæque animantes
Creuere, & vestros habitarunt Dii quoque montes(10),
310 *Sed terra in primis, atque arua iacentia, quæ vos*
Incolitis, medio pendentibus aere siluis
Circumfusa manent, & inertia pondera molis
Haud possunt illo contra nitente moueri(11).

(1) Facta longa de rebus cælestibus, mentione, iam ad terrarum descriptionem descendit.

(2) Sentiunt plerique, omnes tres has partes terræ nomen accepisse a femellis. *Herodotus* tamen autor est, a nemine mortalium compertum esse, vnde huic terræ, quam *Europam* vocamus, id nominis accesserit: de cuius laudibus scribit *Strabo* perquam pulchre, vt ait *Vadianus*.

(3) Sumptus locus ex principio Transmut. Ouidianarum, notior, quam vt hoc loco adscribi debeat.

(4) Quoniam æther circulo lunari proximus est.

(5) Id est, humiditas cum siccitate. Vnde *aridam* aliqui simpliciter pro *terra* posuerunt. Quo autem distent, docet diuus *Ambrosius* capite quarto tertii Hexameron.

(6) In *Mose* legimus, *Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Vnde *Ausonius* in oratione matutina, *Qui super aequoreas volitabat spiritus vndas.* Lege concionem secundam Hexameron apud *Basilium* Magnum, ac caput octauum primi Hexameron *Ambrosii*. *Plato* intelligebat aerem, qui & spiritus dicitur: vid. *Picum* in Heptalo, quo nemo rerum creationem acutius tractauit, ita tamen ne desideres facilitatem. *Augustinus* rerum creationem vt sciret, a Deo petiit.

(7) Sequitur *Hesiodum* de creatione rerum, secundum quem primum Chaos factum est. Inde terra immortalium pauimentum, tartaraque in occulto terræ secessu. Postea amor creatus est domitor Deorum atque hominum, qui membra ligat, mentemque ex pectoribus haurit. Ex Chao autem Erebus, noxque nigra facti sunt: ex nocte æther & dies, quos mixta Erebo peperit. Terra autem æqualem sibi genuit, cælum astriferum, deorum sacrorum sedem perpetuam, Pontumque, nullius mixta consuetudini. Postea vero cum cælo cubans, Oceanum peperit vorticosum. Tu fabulis omissis, pete quos iam citaui autores, &, si carmine delectaris, Hymnum primum *Pici* Iunioris concine.

(8) Secundum *Lucianum* in dialogo de Amore, dicentem, *Perperam ais, te puerum esse: quippe qui multo antiquior es Iapeto.* *Plato* item tradit antiquissimam fuisse Amoris creationem. Nam ex Chao, id est, prima materia, seu prima natura rerum natum affirmat: propter commixtionem elementorum, commerciumque rerum inter se contrariarum, quæ nullo modo colligari connectique inuicem potuissent, nisi natura prius Amorem genuisset, vnde illa colligatio fieret mutua elementorum: quam *concordiam discordem* nostri dicunt, ac quandam ex contrariis temperantiam. Græci *sympathiam*, & *antipathiam* dicunt. *Cicero* de natura Deorum tradit, Erebi & Noctis filium. Exponit autem Amorem Hesiodium Zeno æthereum, teste *Parrhesio*: quod vterque igneus est.

(9) Maro, *Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque, Et genus aequoreum, pecudes, pictaeque volucres In furias ignemque ruunt, Amor omnibus idem.*

(10) Innuit quod idem scribit *Hesiodus*, *Genuit*, inquit, *montes longos, gratiosos Deorum recessus, Nympharum, quae habitant per concauos montes.*

(11) Sumpsit hunc totum, vt arbitror, locum ex capite quinto primi Natural. hist. Plinianæ, quem candidius tractat & facilius etiam *Macrobius* capite vltimo primi in Somnium Scipionis commentarii.

(1) *Hoc igitur quodcunque vides, discriminat ætas*
325 *Priscorum in partes, dubiaque ab origine Nilus*(2)
Eoas tepidis terras seiungit ab Afris,
Hunc memorant non posse datum(2), *qua fontis origo*

Præci-

Præcipitet, Meroenque(3) *suo circumfluat aluo.*
Verum hic Æthiopum, qua gens mare torrida Phœbo
330 *Accolit Hesperium, & Mauro sulcantur arenæ*(4),
Fœcundum attollit caput 5), *ac de montibus altis*
Vt spectas, ruit, & putres pinguescere campos
Certum est, Ægyptum cum fœtifer obtegit vnda
Amnis, & excursu regionem oblimat inertem(6),
335 *Credas & Zephyros*(7), *& sideris incrementum*
Phœbei(8), *vim ferre vado, Cancrumque potentem*
Sole superiecto Nilo dissoluere venas.
Siue quod Etesiæ(9) *contra luctantibus vndis*
Per campos tumida impellunt septena vagari
340 *Ostia*(10) *: sed veri causas cognosce latentes.*

(1) Enarratis rerum principiis, describit orbem terrarum trifariam diuisum, vt scribunt fere omnes, *Plinius* in principio tertii, *Strabo*, *Mela*, *Solinus*, *Capella*, *Orosius*, *Augustinus* capite decimo septimo sextidecimi ciuitatis Dei. *Salustius* autem in Iugurthino asserit, quorundam opinionem fuisse, terram in duas partes diuisam.

(2) Qui & *Melon* dictus est a Latinis, vt ait *Seruius*. Sed & alia plurima fuisse ei nomina apud veteres, refert *Diodorus Siculus*.

(2) Poetæ fere omnes, teste *Camerte*, scribunt Nili originem penitus ignorari. *Lucanus* in 10. *Arcanum natura caput non prodidit vlli*, & quæ sequuntur: & *Tibullus*, *Nile pater, qua non possum te dicere caussa? Aut quibus in terris occuluisse caput.* Autor est *Seneca*, si comprehendi posset, vnde crescere incipiat Nilus, caussæ quoque incrementi inuenirentur.

(3) Præclara hæc insula, & earum, quas Nilus ambit, prope maxima, nomen habet a *Meroe*, Cambysis sorore, vel, vt *Diodorus* ait, matre ibi mortua, cum ad Æthiopas ingressus esset, autore *Strabone*.

(4) Mauritaniam designat inferiorem. Duas enim faciunt Geographi *Mauritianas*: quarum situm tradit *Ptolemæus* cap. primo & secundo libri quarti. Nomen inditum ab incolarum nigredine: Græci enim *Mauron* nigrum dicunt.

(5) Ad inundationem respexit, vel fœtiferum Nili potum. De Nili fœcunditate multa scribunt *Herodotus*, *Diodorus*, *Plinius*, *Mela*, *Solinus*, & *Lucanus* in fine operis. Sed & superius nonnihil ea de re relatum est.

(6) Bene *inertem*, quia nihil gigneret, nisi Nili inundatio esset.

(7) Caussas incrementi Niliaci varie traditas refert *Plutarchus* capite quarto de Placitis Philosophorum. Eandem tractant materiam *Herodotus* in secundo, *Strabo* libro vltimo, *Seneca* quarto Naturalium Quæstion. *Diodorus Siculus*, *Mela* primo, *Solinus* capite quadragesimo quinto, *Marcellinus* vicesimo secundo, *Lucanus* in vltimo: cuius sententiæ astipulatur diuus *Ambrosius* capite decimo quarto de Noe & Arca, *Lucretius* item libro sexto varias caussas refert.

(8) Hoc tradunt *Herodotus*, *Diodorus*, *Plinius* & *Seneca*.

(9) Hæc fuit Thaletis physici sententia: cuius ratio ab *Aristotele* & *Seneca* reuellitur. De Ethesiis *Aristoteles* a principio libri tertii Meteororum.

(10) De iis lege *Diodorum* libro primo, *Ammianum* libro vicesimo secundo, & *Ptolemæum* capite quinto quarti. Picturam vide eorum tabula tertia Africæ, apud eundem *Plinium* capite decimo quinti, & *Camertem* in Enarrationibus Soliniani Polyhistoris.

Vndarum Oceanus(1) *pater est, subterque silentes*
Viscera terrarum fluuiosque vndasque ministrat.
Et quantum in nubes altas densatur aquarum,
Fluminaque accipiunt, tantum quo venerat humor
345 *Egeritur, recipitque ingens sua munera Nereus.*
Laxior at quanto est, maiorque cuniculus, vnde
Compressi serpunt fluctus: sic vastior auras
Verberat, atque vdis infertur apertior aruis
Impetus, & fractis tumidus fluit amnis habenis.
350 *Quin etiam Austrinis subter trahit æquor ab oris,*
Et cæcas deuoluit aquas, tollensque supinus
Cornua Amasiadas(2) *interfluit arduus vrbes*
Solstitio, nam tristis hiems, qua nascitur, horret(3),
Vnde fit vndanti Nilo vis maior aquarum.
355 *Credere sic fas est: neque enim flagrante negarim*
Sole trahi(4), *tepidis cum flumina anhela cauernis*

Si

Se condunt, tractasque cauis ab hiatibus vndas
Suspendi, fierique palam incrementa per agros.

(1) Poeta nititur physica quadam ratione probare, incrementum Nili fieri ab oceano. Scilicet subministratis ei per subterraneos meatus vndis: atque vt plus, minusue aquarum per cuniculos subministratur, ita incrementa Nili, vel maiora, vel minora, fieri, quoniam non defuerunt, vt apud *Melam* legimus, cuius verba mox ascribam, qui dicerent fluuium circa Antichthonas nasci, cæcoque alueo subter maria in nos rursus emergere. Idcirco dicit, *Quin etiam Austrinis subter trahit aequor ab oris, Et cæcas deuoluit aquas, tollensque supinas.*

(2) Id est, *Ægyptias.* Ab *Amasi* rege Ægypti, cuius meminit *Lucanus* in nono *Plinius* & *Mela* testantur, regnante hoc in Ægypto, viginti millia vrbium fuisse. Hic violentius quam ceteri regnauit, vt ait *Diodorus.* Sepelitur in immensa pyramide, cuius *Herodotus* meminit & *Lucanus*; *Non mihi pyramidum tumulis euulsus Amasis, Atque alii Reges Nilo torrente natabunt?* Ferunt ante Amasim in Ægypto fuisse Reges trecentos & triginta.

(3) Sic *Mela*, cuius locum Poeta mutauit. Quod si est alter orbis, suntque oppositi nobis a meridie Antichthones, ne illud quidem a vero nimium abscesserit, in illis terris ortum amnem, vbi subter maria cæco alueo penetrauerit, in nostris rursus emergere, & hac re solstitio accrescere, quod tum hiems sit, vnde oritur. *Vadianus*, enarrator *Mela* doctissimus, verum id esse, etiam si in nostro orbe oritur, pro Anaxagora explicat. *Vadiano* nostro alter non est, qui copiosius, eruditius & consideratius ea, quæ ad Nili naturam quoquo modo accedere possunt, tractauerit.

(4) Nonnulli, inquit *Solinus*, affirmant fontem eius qui Phiala vocatur, siderum motibus excitari, extractumque radiis candentibus cælesti igne suspendi, non tamen sine certa legis disciplina, hoc est, lunis cœptantibus. Idem Plinius tradit capite nono quinti.

(1) Addo niues, imbresque loci, quos despicis, illis
360 *Exhorrere iugis, qui summo a vertice fusi,*
Currentem augescunt Nilum, cum feruida lampas
Hesperios coquit Æthiopas, Maurosque bilingues(2).

(1) Libuit eruditiss. *Vadiani* nostri, verba asscribere, & quod elegantia sint, & lumen Poetæ versibus inferant, *Sol*, inquit, *ad Cancri tropicum accedens, locum facit imbribus meridianis & affluentia aquarum, vt* Aristoteli, Nearcho, Agathargini, Gnidio, *&* Diodoro *cum primis videtur: rursum vero ad Cancrum accedens, niues ex altissimis illis, quæ supra* Mauritaniam *&* Numidiam *sunt, montibus soluens, vt flumina illic accrescant pari ratione efficit, vt* Democritus *asserit. Fit itaque, vt illic imbribus exortis, hic solutis niuibus, vnda per medias solitudines effluant, & vario fluxu tandem corriuent, Nilumque conferciant, vt ad tantam inundationem sufficiat. Crescunt vero sensim, pro vt illinc Sole latius abeunte, crebriores imbres fiunt: hoc vero magis accedente, eo vehementius niues soluuntur. Hoc sole Geminos tenente, fieri potest: quamquam in Cancro primum Ægypto reddantur aquæ. Fluxus enim longissimus est, & perpetuis ambagibus suspenditur. In Leone ergo est abundantissimus, aquis vtrinque ingruentibus. In Virgine decrescit: quod tum sol declinationem citius variat, in Æquatorem imminens, & meridianam plagam, quæ intra tropicum Capricorni est, æstu rursum premens, imbriumque materiam exurens, in Libra enim iam residet, vt* Plinius *scribit.*

(2) Quoniam duplex est Mauritania, vt duplex Æthiopia.

Nec mirere tamen(1)*, si corpora adusta calore*
Vsquam illic non esse niues, nec ab imbribus vllis
365 *Pulsari. dant signa plagam: namque aspice magnum*
Atlantem, cui nos olim debere fatemur(2),
Sed male pro meritis Libyes deuectus in oras
Acrisionæus(3) *pensauit munera Perseus.*
Quippe vbi Gorgoneos affixit in ægide vultus,
370 *Palladio Oceanum linquens, & Dorcadas altas,*
Ad Mauros deflexit iter, qua vidit Atlanta(4)
Signantem spatia, & voluentem sidera cæli
Obliquæ autorem Sphæræ, tunc inuidus ille
Vertit in hunc montem, mediis qui surgit arenis(5),
375 *Astriferumque alto propulsat vertice olympum.*
Qui quamquam exurat Maurusia Delius arua,
Et nudos calor Autololas(6)*, sub nubibus atris*(7)
Piniferum condit caput, horrescitque videndo.

Nix humeris olli, & glacies dependit ab altis
380 *Cautibus, & largos per concaua saxa fluores*
Præcipiti est spectare vado(8), non ora Atlantis(9)
Æthiopum diuersa plagæ, dat nomina mons hic
Oceano, Æthiopes illic, & vtrinque videmus
Errantes Mauros(10), qui olim sensere potentis
385 *Fræna Iubæ(11), dirique manum tremuere Syphacis(12).*

(1) Respondet tacitæ obiectioni. Posset enim quispiam dicere, quo pacto in Æthiopia niues esse possunt, cum calores illic diuturni sint & vehementes? Ad confutandum autem vtitur similitudine viciniotis nobis loci, scilicet montis Atlantis Mauritaniæ, vbi quoque calores esse ingentes, incolarum color ostendit, qui nigra sunt facie: tamen, vt inferius dicit, in ipso monte sunt niues altissimæ, cum alias regio intolerabili calore afficiatur. Et per hanc occasionem mundi regiones recenset ab Atlante monte, *Pomponium Melam*, qui etiam ab Africæ descriptione auspicatur, vt puto, imitatus.

(2) Scilicet, qui cælum a casu sustinuit. Nota fabula. Fictum idcirco, quoniam Astrologiæ fuit peritus, deque Sphæra primus inter homines disputauit. Locum item fabulæ præbuit, Herculem cælum ab Atlante susceptum sustinuisse, quod Hercules ab Atlante Astrologiam didicerit. Annotat *Seruius*, Atlantem, *Telamonem* latine dici, sicut Nilum *Melonem*, vt parum ante diximus. Fabulæ meminit *Hesiodus*, in Theogonia, cuius versus latine citat doctissimus *Camers* in Solinianis, vt de Hercule carmina *Claudiani*.

(3) Perseus. Persei & Gorgonum fabula exposita est. Dicitur autem *Acrisioneus* ab *Acrisio*, quem inter ludendum Perseus disco inuitus interfecit.

(4) Perseum fuisse in Africa, atque in vertice Atlantis scribunt *Plinius* capite primo quinti, *Solinus* in Libyæ descriptione, & *Ouidius* quarto Transmutationum libro.

(5) Eleganter montem hunc describit, vt *Maro* quoque libro primo, & quarto Æneid. Et *Solinus* ait, *Atlas mons e media arenarum consurgit vastitate.*

(6) *Autololes* Africæ populi, sola pedum pernicitate memorandi. *Silius* in tertio, *Nec non Autololes leuibus gens ignea plantis, Cui sonipes cursu, cui cesseris incitus amnis: Tanta fuga est, certant penna, campumque volatu Cum rapuere, pedum frustra vestigia quæras.* Et *Claudianus*; *Repetunt deserta fugaces Autololes.* Hinc non inelegans prouerbium, *Autololibus fugacior*, de homine mira pedum pernicitate prædito, vel cuius (vt inquit *Maro*) *pedibus timor addidit alas*, vt *Camers* adnotauit.

(7) Tacite rationem physicam explicat: quia tantæ est celsitudinis, vt frigidam aeris plagam attingat, repercussioque radiorum solarium, vnde calor gignitur in ea aeris parte, non nimium possit.

(8) Id est, fluuio.

(9) Innuit Æthiopum plagam non esse dissimilem Mauritaniæ, propter calores. Præterea vt Æthiopes nomen dant Oceano, qui Æthiopicus appellatur: ita Atlas facit, vt suo nomine mare quoque Atlanticum appelletur. Sumpsit hæc, vt sequentia omnia de Atlante, ex *Plinio* & *Solino*.

(10) Alia ratio, quod vtrobique Mauritania est. Nam aliqui dicunt Nilum oriri in iugis inferioris Mauritaniæ, qui ibi *Nigris* appelletur.

(11) *Hic vtriusque Mauritaniæ regno potitus est*, ait *Solinus*. *Plinius* idem scribit, adiiciens, studiorum claritate memorabiliorem, quam regno.

(12) *Syphax* Numidiæ Rex, cuius historiam copiose scribunt *Liuius*, *Frontinus*, *Salustius*, *Florus*, *Silius* decimo septimo. Is quoniam ictum cum Romanis fœdus fregerit, & Carthaginensibus adhæserit, victus tandem, & captus a P. Scipione, vita functus, in triumpho ductus est. *Silius* libro vltimo, *Ante Syphax feretro residens, captiua premebat Lumina, & aurata seruabant colla catena.*

(1) Hunc igitur summo qui vertice nubila pulsat,
Quis credat non ferre polos, & lambere lunam(2)?
Nocte strepunt nemora(3), & crebris micat ignibus vmbra,
Cymbalaque audiri fama est, Faunosque bicornes
390 *Exultare sono, lasciuaque tympana truncis*
Pulsari, & Satyros cantu producere noctem.
Sed cum clara dies humentem repulit vmbram,
Cuncta silent, nullusque locis auditur in illis
Mortalis, solum horror inest & maxima montis
395 *Religio, siluisque Deos errare sub altis*
Plebeios fama est. nam postquam stellifer Atlas
Sustinuitque Iouem, atque humeris fulciuit olympum,
Numina, quæ occuluit, scabrisque recondidit antris,
Seruat adhuc, secumque tenet, neue vllus oberrans

400 *Montibus inspiciat Diuos, in luce silendi*
Mos illis, sed nocte sonant, arcentque profanos.
Hinc nomen populis, & adhuc memorantur Atlantes
Ambagum immunes somni, gens impia Phœbo.
Quippe vt ab Oceano rutilum crinitus Apollo
405 *Exerit os, rursusque diem componit olympo,*
Hunc sequitur diris(5), & numinis arguit ignes.

(1) Hinc auspicatur locorum descriptionem.

(2) *Solinus; In viciniam lunaris circuli, vltra nubes caput condit.*

(3) Hæc Poeta, vt iam diximus, a *Plinio* mutuauit; lege eius caput primum quinti libri. Similia scribunt *Strabo* libro Geographiæ decimo septimo & *Herodotus* quarto.

(4) Et hæc tradit ipse *Plinius* cap. octauo quinti libri, & prope eadem scribunt *Mela* libro primo; *Solinus*, vbi intimas Libyæ gentes memorat; *Herodotus* libro quarto; *Capella* sexto, & *Arianus*; *Diodorus* autem, quæ de Atlantibus refert, multo ab iis aliena sunt. Lege eum libro quarto.

(5) Dum ipsis est circa verticem: nam tunc ob moram intolerando æstu afficit. Vnde, vt ait *Solinus*, *diris solis exortus excipiunt, diris occasus prosequuntur, vstique torrentis plaga sidere oderunt Deum lucis.*

Aspice qua Hesperidum siluæ tolluntur, & olim
Auricomum nemus, & non veri poma draconis(1).
Namque ibi transfundens sinuosa volumina Tethys(2)
410 *Huic similis tractu est, tortisque exæstuat vndis,*
Vnde locum vulgo nacta est sibi fabula mendax.
Respice & infrænes Numidas(3), fractique Iugurthæ(4)
Imperium, Syphacisque(5) vrbes, & regna Micipsæ(6),
Getulumque genus(7), Massæsylosque(8) furentes,
415 *Quique fluit tumidus ripis titubantibus Ancon(9).*
Nonne vides quantum turres extollat in auras
Tabraca(10)? Romuleique olim memoranda Catonis
Vrbs nece(11), quam parua est? Rathææque æmula Romæ(12)
Carthago(13) vt iacet? & vix noscitur vrbis imago(14).
420 *At quæ non longo sunt condita mœnia tractu*
Thasson(15), & vndates Syrti pulsante Theenas(16)
Appellant: vbi torta vadis, conuulsaque vento
Æquora(17) dant sonitum, refluitque, fluitque repente
Instabilis natura freti(18), nunc aurea lambit
425 *Sidera, & exurgens præteruolat aera fluctus.*
Nunc hæret, pressoque illidit gurgite puppes(19)
In breuia, & scopulos, subterque latentia saxa.

(1) Declarat fabulæ veritatem, vt refertur a *Plinio & Solino.* Nam *Palephatus* aliter in libro, quem de falsis historiis inscripsit, vt libro primo retuli. Fabulam scribunt *Diodorus* in quarto, *Lactantius* interpres secundo commentario, *Seruius* in quarto Æneid. super illud, *Hesperidum templi custos.*

(2) *Solinus* de hortis Hesperidum, & peruigili dracone, *ne famæ licentia*, inquit, *vulneretur fides, & ratio hæc est: flexuoso meatu æstuarium e mari fertur, adeo sinuosis lateribus tortuosum, vt visentibus procul lapsus anguineos fracta vertigine mentiatur. Ita quod hortos appellauere circumdat. Vnde pomorum custodem interpretantes, strauerunt iter ad mendacium fabulandi.*

(3) *Strabo* autor est libro Geographiæ vltimo, Numidas ante regem Masinissam a communibus hominum moribus exulasse. Vel dixit *infrænes*, respiciens ad Carthaginem Romæ æmulam. Sunt & aliæ gentes Nomades appellatæ, ob consimilem nominis caussam, quam tradit *Plinius.*

(4) *In hoc fuit*, inquit Florus, *quod post Hannibalem timeretur. Quippe Rex callidissimus, populum Romanum armis inclytum, & inuictum opibus aggressus est: & citra spem omnium, fortuna cessit, vt Rex fraude præcipuus, fraude caperetur.* De bello contra Iugurtham gesto, habes *Salustium*: meminit *Plutarchus* in vitis Marii & Syllæ, item *Frontinus*, *Eutropius*, *Orosius*, *Eusebius*.

(5) Cuius iam memini, sed minutius fortasse quam adnotari debeat, mediam huius vocis syllabam esse ancipitem. Nam superius exemplo *Iuuenalis* extendit, hic breuem protulit, vt *Claudianus*; *compulimus durum Syphacem.*

(6) Filius hic fuit Regis Massiliorum Masinissæ, qui octuagesimo sexto anno filium procreauit, autores sunt *Plinius*, *Val. Maximus*, *Solinus.*

(7) Sub Atlante meridiem versus Getuli sunt, gens maxima Athenodoro Garthea.

Sub Augusto a L. Cosso, qui *Getulicus* est cognominatus domiti, scribit *Florus*.

(8) Hanc gentem extinctam esse *Plinius* autor est. Furentes dicit, propter crebra bella, in quæ fuit prona, quibus & tandem attenuata & protrita est.

(9) *Inter* Icosium *&* Vtisiam *Numidiæ vrbes* Ancus *&* Nabar *effluunt*, inquit *Mela*.

(10) Minoris Africæ oppidum eodem autore *Mela*. Silio *Sabarra*, aliis *Tabarra*: quod minime mirum est. Barbara enim vocabula, vt admonent *Hermolaus* & *Vadianus*, non semper eodem sono vtraque lingua efferri consueuerunt.

(11) *Vtica*, quæ, vt *Strabo* ait, facile prima hoc littore habita est secundum Carthaginem. Nam diruta ea, metropolis fuit receptaculum Romanorum ad res in Libya gerendas, fato Catonis insignis, vt inquit *Solinus*, de cuius interitu lege *Gellium* capite decimo octauo decimi quinti, *Lactantium* eodem capite de falsa sapientia, *Augustinum* libro primo Ciuitatis Dei. *Valer. Maximum* in tertio, *Ciceronem* primo Officiorum & Tuscul. quæstionum. Laudes huius *Catonis* scribunt præter supradictos, *Liuius*, *Plinius*, *Plutarchus*, *Hirtius*, *Seneca*, *Lucanus*, *Horatius*, ceteri.

(12) Id est, *Troiana*, a monte, qui in Troia est, vt diximus.

(13) Huius situm, magnitudinem ac potentiam scribit *Strabo* libro vltimo. Quando item, & a quibus, & quo astu condita est, docet *Iustinus* libro 18. Idque canunt *Maro*, & *Silius*, vterque libro primo.

(14) Sic legendum ex emendato exemplari, pro eo, *& vix vrbis continet vmbram*, vt editio vulgata habet. Fuit autem pluries a diuersis restituta; sed non ad pristinum splendorem. *Strabo* diuo Cæsari instaurationem eius asscribit, alii aliis.

(15) Retuli libro tertio huius situm insulæ, vino suo quod *Thasium* dictum est, celebris *Plinio*.

(16) Sic *Ptolemæo*, non *Theano*. Syrti ἀπὸ τοῦ σύρειν, id est, a *trahendo*: quoniam fluctus ita trahit aquas, vt in littore sicca arena relinquatur aliquando. Sunt autem duæ Syrtes, maior, & minor, de quibus *Lucanus* in nono, *Silius* in fine tertii, *Salustius* in Iugurthino, *Mela* libro primo, *Solinus* in commemoratione Africæ, *Plinius* libro quinto, *Strabo* libro vltimo.

(17) Idem scribit *Salustius*. *Plinius* tamen, quo cum *Mela* & *Polybius* conueniunt, æstum Syrtium cælo magis quam tempestatibus tribuit. *Solinus* Syrtes inaccessas vadosum & reciprocum mare efficere ait. Reliqua apud autores iam citatos. Libuit adscribere, quod a *Camerte* obseruatum est. Ex Syrtium natura, & nauigandi illac difficultate prouerbiali figura a *Lucano* dictum, *Syrtes audax sperat sibi cedere virtus*, in rem arduam & factu difficillimam dici consueuit. Rursus cum ingens periculum euaserimus, consimili figura dicimus, *Traiecta syrtes*. Vtitur hac *Propertius* libro tertio.

(18) Syrtes intelligit.

(19) *Polybius* lib. primi Punici belli secundo, C. Seruilium, & Gn. Sempronium iuxta Meningen Lotophagorum insulam classe in vado hæsisse scribit, magno periculo: propterea, quod eam maris fluxus in arido destituisset: mox vero ab vnda redeunte sublatam, eosque hoc modo periculum euasisse.

Sed quæ lata palus procul est(1) a littore Syrtis,
Edidit armatam iam primum Pallada(2) terris,
430 *Vnde suum cognomen habet Tritonis ab vnda.*
Quare vt natalis lux(3) fit celerrima sacri
Virginei, trepidant cœtus, ludicraque magnæ
Indigenæ (vt fama est) celebrantes festa Mineruæ,
Et plaudunt turbæ, & campo salit innuba pubes.
435 *Hinc Oea, Cinyphs vagus, deinde altera Leptis,*
Lotophagumque genus(4), Cyrenarumque coloni(5)
Fratribus & nunquam delebilis ara Philenis(6).

(1) Alii aliis in locis paludem hanc statuerunt, vt *Plinius* obseruauit.

(2) *Silius* libro tertio; *Hinc qui stagna colunt Tritonidos alta paludis. Qua virgo (vt fama est) bellatrix inclita lympha, Inuenta primam Libyes perfudit olim.* Et abunde inter cetera superius dictum est, quod ad illam primum apparuisse Palladem vetustas credidit. Quanquam sint aliæ nominis caussæ, itidem a nobis relatæ.

(3) Idem scribit *Mela* libro primo. *Hinc Oea, Cinyphs vagus, deinde altera Leptis. Solinus* inquit, *Achæi Tripolim lingua sua signant de trium vrbium numero, Oea, Taphra, Leptis magna*, secundum lectionem *Vadiani*. *Camers* enim *Hermolai* censuram secutus, reposuit *Taphra*, *Abrotani*, *Leptis magna*. Non it tamen infitias, esse in Africa vrbem, quæ *Oea* dicta est, per *æ* diphtongum: quoniam per *a*, Colchica vrbs est, ex qua Circen *Æeam* cognominant, vt diximus alibi. Poeta autem *Mela* verba protulit, nam is ait, *Vltra est Oea oppidum, & Cinyphs amnis per vberrima arua decidens: tum Leptis altera.* Duo namque sunt eiusdem appellationis oppida in Africa, vtraque ad Syrtes posita, de quibus *Melam* lege, & illic *Vadianum*.

(4) De horum situ inter autores non conuenit. Lege eundem *Vadianum*. Nomen populo dedit *Lotos* arbor suauissimi fructus, de qua plura *Plinius*, *Theophrastus*, & *Dioscorides*: & græco prouerbio locum, Latine, *Lotum comedisti*.

(5) Dixi-

(5) Diximus Cyreniacam regionem vocatam *Pentapolim*, a numero ciuitatum, quæ in ea continentur, supra nominatarum. Percelebris famæ olim fuit regio: quod viros rebus magnis idoneos aluerit. Omnium autem Cyrene clarissima, quæ nomen etiam circumiacenti regioni dedit. Reliqua copiose tradunt clarissimi illi duo enarratores, alter *Mela*, alter *Solini*.

(6) Phileni fratres a Carthaginensibus missi contra Cyrenaicos, viui sepulti sunt, & se vitamque suam reipublicæ condonauerunt. Vnde eo in loco fratribus a Carthaginensibus consecratæ, & priuati honores domi instituti. Historiæ meminit *Valerius* & *Salustius* in Iugurth.

Nec procul, o nutrix, magni delubra Tonantis
Aspice, quæ steterant olim, qua paupere templo(1)
440 *Corniger a nudis colitur Nasamonibus Ammon.*
Hasbytæ(2) *vicina tenent, oramque subinde*
Contigui Garamantes arant, qui nulla putarunt
Connubia, exortes tædæ, nec fœdera norunt,
Sed passim qua sæua trahit, retrahitque cupido,
445 *Exercent Venerem, communemque itur in vsum*(3).
Verum vt cuncta scias(4), *retro quæ surgit ad auras*
Vrbs antiqua potens, & quæ Cornelia castra(5)
Respicit, & Libycum portu procumbit in æquor(6).
Diua, inquam, quis sceptra tenet? tunc illa vicissim
450 *Sic ait: Infidis Rex hic ferus*(7) *imperat Afris,*
Hæc Thunex(8) *olim, dein nomine dicta Thynissa est.*
Iamque erit ille dies(9), *cum trans freta tendet Iberus*
Miles, & armata Libycas rate perleget vndas,
Diripietque vrbes, populisque immanibus Vzan(10),
455 *Hispanamque aciem, & gentes mirabitur actas,*
Exitio Libyes, & fracto Rege Thynissæ
Perget Adyrmachidum cum Rex Vaccæus(10) *in oram,*
Arctaque barbaricis imponet vincla Alitambis.

(1) Sequitur *Lucanum* qui ita etiam de Ammone Ioue cecinit in nono. Vnde *Politianus* Domitium Insamis Poetæ notat interpretem, quod templum Ammonis pauperrimum inter magnificentissima orbis terrarum ædificia connumerarit, capite quinquagesimo secundo primæ Miscellan. Centuriæ.

(2) Sic *Plinio*, & *Herodoto*, *Dionysio Asbystæ*. *Hermolaum* lege de hoc nomine differentem.

(3) Idem scribunt *Mela* libro primo, *Solinus* in Æthiopiæ descriptione, *Plinius* libro quinto, *Lactantius* tertio, Aristoteles capite secundo secundi Politicorum, diuus *Hieronymus* aduersus Iouinianum. Sunt & aliæ gentes matrimoniorum expertes, quas tetigit apud Solinum *Camers*.

(4) De industria crediderim hoc a Poeta factum, quasi quod Minerua oblita fuerit recensere de Thynissa oppido. *Tunis* veteres, de quo *Polybius* recentiores *Thynissam*, *Tunetum*, item *Tunicium* alii vocant, vt retuli in scholiis in immanitate *Pontani*.

(5) Quoniam *Cornelius Balbus* eam regionem, vt superius tetigi, armis Romanis subegit.

(6) In sinum Carthaginensem.

(7) Intelligit Regem Tunisæ, sic nunc appellant, quocum Hispaniarum Rex *Ferdinandus*, *Caroli* Quinti auus maternus, ingentia gessit bella. Est is hodie, vt aliæ pleræque regiæ in Africa ciuitates, *Carolo*, ceu Hispanorum Regi, tributarius.

(8) Sic etiam appellatur ab *Appiano*, *Marcellino*.

(9) Vaticinio rei euentus respondit.

(10) Id est, *Hispanus*. *Vaccæi* enim sunt populi Hispaniæ, quorum *Tyde* vrbs, cuius *Silius* meminit, hodie *Tude*, vt ait *Volaterranus*. *Vaccæorum* fit mentio apud *Diodorum Siculum* libro sexto.

Dixit, & Ægypti flexit sua lumina terris(1).
460 *Monstrat & Arsinoen*(2), *& centeno cardine Thebas*(3),
Spectantemque alti cataractam Elephantida(4) *Nili,*
Bubastin(5), *Memphimq; sacram*(6), *Argolicamque Canopum*(7),
Atque Sayn(8), *vigilemque Pharon*(9), *iam littus Abydi* (10),
Memnoniasque vrbes(11), *Ptolemæorumque superbum*
465 *Imperium*(12), *antiqui cantataque mœnia Lagi*(12),
Incertique omnes ostentat Osiridis vrnas(13),
Isæumque Serapin(14), *& Idaliam Momemphim*(14),
Sistraque(15) *latrantis miratur Anubidis*(16) *æra,*

Quæque sub imperio tenuit regnator Amasis(17),
470 *Et Meroen*(18),*bifidumque amnem*(19),*extremamq; Syenem*(20).

(1) Huius situm, formam, magnitudinem, incolarumque mores, copiose scribunt *Herodotus*, *Strabo*, *Diodorus*: ex quibus colligimus, non fuisse olim eos Ægypti terminos, qui modo sunt. Hæc plura quam alia omnis regio mirabilia habet: quorum præter eos qui supra meminere, *Iustinus*, *Eusebius*, ceteri. Nomen terræ inditum dicunt ab *Ægypto* Beli filio. Huius fertilitas etiam inter angustos limites respondet Libyæ & Syriæ, quas vtrinque vicinas habet: in Adagiumque abiit, *Sulcus Ægypti Libyæ arenas non curat*, refert *Vadianus*.

(2) Ptolemæorum ædificium, vt Berenice ex feminis.

(3) Iuuenalis, *Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis*. Destructa quondam a Cambyse, ab Osiri condita. Totam fuisse pensilem tradit *Plinius*. Porro *Stephanus* docet, nouem vrbes fuisse, quæ *Thebæ* dictæ sunt. Ægypti Theben. *Cato* est autor hanc vicos habuisse ad tria millia, portas centum, vnde *Hecatompylos* Homero, cuius versus refert *Strabo* libro vltimo.

(4) Quoniam apud Elephantidem oppidum cadit Nilus. Sunt autem in Nilo, autore *Diodoro* cataractæ plures.

(5) In hac Dianæ templum, quam *Bubastin* nominant, clarissimum fuit; meminit *Herodotus*.

(6) Propter Apidis cultum. Hodie *Alcayrum* dici, & regiam Sultani esse putant.

(7) Propter Menelai gubernatorem, illic, vt diximus, sepultum.

(8) A qua Saytani *Herodoto*.

(9) Quod nocturnis ignibus flagrat in nautarum salutem. Lege *Marcellinum* lib. 22 post *Plinium* & *Solinum*.

(10) Regionem & territorium, vt ita dicam; multa de hac vrbe *Strabo*, *Plinius*.

(11) Quæ Memnonis regis Imperio subiectæ erant, vt Abydos ipsa, autor *Solinus*.

(12) Indicat Alexandriam, & quidquid sub Ptolemæorum imperio fuit. De vrbe Alexandria tot ab historicis relata, vt nemo fere sit, qui non eius excellentiam plene norit. Primus Ptolemæus apud Alexandrum maxima fuit autoritate, Lagi filius: mortuo Alexandro, Ægypto, Africæ & parti Arabiæ imperauit. Huius filius fuit Ptolemæus Philadelphus, Stratonis Philosophi discipulus, qui mirabilem illam bibliothecam condidit. Quicunque autem Alexandriæ & Ægypto regnauerunt, Ptolemæi sunt appellati. Durauit eorum regnum vsque ad Ptolemæum Dionysium, qui vt Dictatori Cæsari gratificaretur, caput Pompeio abscidit, ideoque dicit, *Antiqui cantataque mœnia Lagi*. Respiciens ad originem Ptolemæorum, qui a *Lago* deriuantur, cuius meminit *Lucanus* in quinto: vbi inuehitur in Ptolemæum ingratum Pompeio, quem iussit interfici, quanquam esset eius beneficio in regno confirmatus. Alexandro magno Ptolemæus Lagi militis gregarii filius successit in regno Ægypti, a quo reliqui Ptolemæi, vt iam dictum est, deducti sunt. Horum texit seriem *Strabo* libro geographiæ decimo septimo.

(13) Osiris cum a Typhone fratre dilaniatus esset, inuenta eius frusta Io eius vxor occulte variis in locis sepeliuit, ne scilicet a Typhone iterum eruerentur: & idcirco dixit, *omnes vrnas incerti Osiridis*. Hanc rem diffusius narrat *Diodorus Siculus* in primo.

(14) Ab Iside dictum. De quo multa apud *Eusebium* de præparatione Euangelica. *Lactantius* sentit eundem esse Osirim, qui & Serapis, sed mortuo Osiri Serapidis illi appellationem tributam, sic & Romulo post mortem Quirino nomen fuisse. Intelligit autem templum Serapis, seu Apis.

(14) Ciuitatem Ægypti, in qua ædes erat Veneri sacra, meminit huius vrbis *Herodotus* in Euterpe. *Strabo* autem dicit, *Momemphitæ Venerem colunt, & sacram Vaccam alunt, quemadmodum Memphitæ Apin*.

(15) Erant & argentea & aurea, teste *Apuleio*.

(16) Sic & a *Propertio*; *Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim*. Maro *Latratorem* appellat, vt diximus. Hunc capite canino fingunt Ægyptii, custodem esse Isiaci corporis ac Osiridis, Iuuenalis *derisorem plangentis* populi vocat satira sexta, quod in sacris Osiridis lamentabantur in principio, deinde quasi repertum producebant, mærorenque in gaudium vertebant.

(17) De hoc plura *Diodorus*, & *Herodotus*, quos vbi legeris, cognosces hunc felicissimum fuisse, diximus pauca de eo pro breuitate instituta.

(18) Et paulo ante huius mentio facta est Insulæ.

(19) Id est, *Nilum*, qui in duas partes apud Meroen diuiditur, altera ex parte *Astaboras*, altera *Astapus* dictus est. Vbi rursus coit, ibi nomen hoc capit, autor est *Mela*.

(20) Intellige quantum ad Ægypti terminos pertinet. Nam *Solinus* inquit, *dominis Ægyptia esse incipit a Syene*, loquens de Nilo: extremam ergo, scilicet vrbium Ægypti.

Mox Arabas(1), *Syriamque docet, claramque Sophenen,*
Sidonemque(2), *Palæstinamque*(3), *& regna Seleuci*(4),
Et septem duplici regionem flumine monstrat(5).
Hac ait Euphrates(6), *piger hac de vertice*(7) *Tigris*
475 *Labitur*(8) *Armenio*(7), *sed mox cum flumine Medos*
Abluit, augescit cursum(9), *veloxque sub ima*

Mergi-

Mergitur, & vasto frangit sua cornua Tauro(9).
Inde Semiramiam ex alto Babylona(10) *recenset.*
Chaldæumque genus, Dariique(12) *inuia*(11) *regna.*
480 *Inde tuas Carmane*(12) *plagas, portusque remensa est*(13)
Oceano in magno, & Gangem memorauit & Indum.

(1) Arabia enim post Pelusiacum ostium Nili incipit, ad mare rubrum pertinens. Syria autem introrsus tenet littora terrasque. Hæc in multas diuiditur regiones. Nam in ea est, inquit *Mela*, & Mesopotamia & Damascene, & Adiabene, & Babylonia, & Iudæa, & Sophene.

(2) Id est, *Phœnicem*, in qua vrbs *Sidon* maritimarum vrbium antequam a Persis caperetur maxima, vt autor est *Mela*. Ab ea *Sidonia* Dido dicitur, & *Sidonias ostentat opes* dixit.

(3) Quæ Sophenæ, quæ Syriæ pars est, iungitur. Illa a *Palæstin* olim illic metropoli nomen habet. Vnde *Palæstini*, qui iidem cum his sunt, quos sacra historia *Philistim* & *Philistinos* nominat, de quibus in libris Basileon fit mentio.

(4) Id est, Antiochia. *Pomponius*. A sinu ingenti Phœnicis *reliqua pars Syriæ incipit, cui* Antiochiæ *cognomen additur, & in ora eius vrbes Seleucia, Paltos, Berítos, Laodicea, Arados.*

(5) Id est, *Mesopotamiam*: quam vocem interpres Dionysii apposite transtulit in latinum *Medamnem*, quasi *mediflumiam*. Quod medias has terras amnes flumine cingunt, scilicet *Euphrates* & *Tigris*, *mesos* medius, *potamos* fluuius dicitur.

(6) *Moses* cap. 2 Geneseos, *Iosephus* eod. cap. primi Antiquitatum, scribunt hæc flumina ex Paradiso effluere, vt & *Phison*, id est, Gangem, & *Geon*, hoc est, Nilum. Quod nonnullis non aliter verum esse videtur quam allegorice. Contra diuus *Augustinus* sentit, diluens quæ in contrarium adduci solent. Diuus *Hieronymus* interpretatur Euphratem frugiferum, siue crescentem. Astipulatur sacer *Ambrosius* capite tertio eius libri, quem de Paradiso inscripsit.

(7) Vt *Solinus* scribit, *Tigris in Armenia maioris regione caput tollit, miro quam lucido conspicuoque fonte in loco edito*, vnde dixit, *vertice*. *Plinius* tamen in planitie oriri dicit, vnde *Camers* censet apud *Solinum* legendum, *haud edito loco.*

(8) Siquidem eodem autore, primum pigre fluit, nec cum suo nomine. At cum fines Medorum inuectus est, *Tigris* statim dicitur, nomine indito a velocitate. Ita enim, inquit *Plinius* & *Solinus*, appellant Medi sagittam, vt dictum est superius.

(9) Sic *Plinius*, a quo Poeta hunc locum sumpsit, de Tigri loquens, *Transuectusque*, ait, *occurrente Tauro in specu mergitur, subterque lapsus a latere altero eius erupit.* Hoc ipsum *Solinus*, D. *Augustinus*, & alii plures tradunt non solum de Tigri, sed ipso quoque Euphrate: quem maior etiam fundit Armenia, teste *Solino*. Sunt qui vnum vtrique flumini fontem dant, vt *Moses*, *Boetius*, *Lucanus.*

(10) A Semiramide conditam, quondam Chaldæorum caput, qui, vt inquit *Diodorus*, Babyloniorum sunt antiquissimi. Sunt autem & ipsi Mesopotamii. Chaldæos Deo similes, *Dionysius* ait, quod iactabant se prædicere futura cum ex astris, tum aliis rebus plurimis. Id autem non nisi Dei, vel Deo pleni proprium esse, nostrates Theologi comprobant, dicit *Camers.*

(11) Inaccessa.

(12) Regis Persarum notissimi, cuius in primo meminit quoque Poeta.

(12) Nam vltra Persidem Carmania est, maioris Asiæ regio. Diximus libro primo de duplici Carmania.

(13) Recensendo scilicet vsque ad Gangem & Indum flumina Indiæ.

(1) *Hinc alias vrbes, populosque, & Bactra veneno*
Exarmata docet(2), *Parthosque in Marte fugaces*(3),
Hyrcanumque fretum, & Scythicos mirata recessus(4)
Ostendit, Tanaim ingentem(5), *qui diuidit alueo*
485 *Europam, atque Asiam*(6), *& mundum discriminat vnda.*
Et nilo par nomen habet(7), *nec desinit illic,*
Sed totam Armeniam(8), *Cilicasque*(9), *antrumque canebat*
Corycium(10), *Phrygiosque lares*(11), *& Pergama Troiæ,*
Humentemque Idam(12), *& pelagus, cur inde feratur*
490 *Ægeum in præceps*(13), *undasue reciprocet vndas*(14).

(1) Id est, ab India recedens, incipit narrare mediterraneas, vt ita dicam, plagas.

(2) Quoniam Bactriani sagittas veneno inficere consueuerunt, vt Parthi, Medi, & ceteri Asiatici populi.

(3) Proprium Parthorum epithetum.

(4) Vt plurimum enim Scythæ montes inhabitant inaccessibiles.

(5) *Strabo* incertæ ait esse originis. Vero tamen simillimum est, ex Riphæis descendere, qui immanibus iugis Arcton prospiciunt. De hoc vide elegans, vt omnia, scholium *Vadiani* apud *Melam* iuxta primi finem.

(6) *Dionysius*, Europam Asiæ Tanais disiungit ab oris.

(7) Quia

(7) Quia, vt Nilus in meridiana plaga, Africam ab Asia diuidit, sic etiam Tanais in septentrionali Asiam ab Europa disiungit.

(8) Quæ in maiorem & minorem diuiditur Armeniam.

(9) Quibus Cilices finibus terminentur, docet *Ptolemæus* in quinto, & prima tabul. Asiæ. Cilices tum mendacii tum furacitatis nomine male audiuerunt, vt adagium inde natum admonet. Hoc nomine nunc vulgo notari Traiectinos refert *Erasmus*.

(10) In quo optimus crocus nascitur, teste *Strabone*. Hunc specum copiose describit *Mela*. Meminit *Lucanus* in tertio & octauo. Est & eius nominis specus in Parnasso monte, de quo *Herodotus*, *Strabo*, *Statius*, ceteri.

(11) Phrygum sedes, quarum tutelares dii Penates existimantur, eosdem & Lares vocabant, teste *Parrhesio*. Sino, deos Penates testatur apud *Maronem* in secundo, ibi, *Vos æterni ignes*. Phrygum regio amplissima est, diuiditurque in maiorem & minorem, estque frequentis pluribus vicis quam vrbibus. Phryges cum ceteris de vetustate contendunt, autores habes *Plinium*, *Ptolemæum*, *Curtium*, & *Eusebium* de Præparatione Euangelica. Sortita est autem regio nomen a Phrygio oppido Macedoniæ, siue Brygio, vt gentili Macedonum lingua nominatur. Vnde colonos aiunt profectos in Phrygiam. Alii a Phryxo, quasi Phryxios, literarum immutatione: quod is illuc primum delatus ab ariete fuerit.

(12) Ex *Ida* enim *Homerus* tradit multa oriri flumina.

(13) Hoc est, semper deorsum tendat Gades versus.

(14) Instar ceterorum marium. Ægæum enim mare semper ad Oceanum tendit, & nunquam reciprocatur: & idcirco nonnulli crediderunt, omnium marium, etiam ipsius oceani Mæotim paludem parentem esse, vnde omnia maria originem haberent, autor est *Dionysius*.

(1)Iam Thracum montes oculis, & Achaica lustrat
Mœnia(2), iam centum magnæ canit oppida(4) Cretæ(3).
Mox Italos monstrat fines(5), venturaque pandit
Bella per Ausonias terras(6), cum turbidus alueo
495 *Eridanus(7) fluet, & spumabit sanguine littus,*
Hinc Pyrenæas alpes(8), Gallosque frementes
Laudat, & Hispano fecit sibi littore finem.

(1) Nunc Europam prosequitur, in qua parum immoratur, ac tanquam a notioribus pedem retraxit. Montes autem sunt notissimi poetarum cantu, *Hæmus*, *Rhodope*, *Orbelus*. De Thracum moribus lege *Solinum* post *Herodotum* & *Melam*.

(2) Achaiæ vrbes, *Pisas*, *Elidem*, ceteraque, quarum Geographi meminere.

(3) Apud *Appianum* legimus, Insularum quasdam singulariter *magnas*, quasdam *minores* a Græcis dictas. Sunt autem magnæ, *Cyprus*, *Creta*, *Rhodus*, *Eubœa*, *Sicilia*, *Sardinia*, *Cyrnos*. Reliquæ ab his comparatione quadam minores nuncupantur. Vel dicit *magnæ*, propter mira plurima, quæ in ea facta traduntur, quorum meminit *Solinus* præcipue.

(4) Inde *Hecatopolis* cognominata. *Maro* de Cretensibus, *Centum vrbes habitant magnas*. Ouidius, *Non hoc, quæ centum sustinet vrbes Quamuis sit mendax Creta negare potest*. Nam inter alia vitia, mendacium fuisse peculiare vel diui *Pauli* testimonium probat ob Epimenidis versiculum ab eo citatum in epistola ad Titum. Refert *Erasmus* aliquot prouerbia de Cretensibus vsurpata, quorum legislator multa contra morum honestatem sanciuit, quæ notauit *Aristoteles* lib. Politic. 2.

(5) Intuere primam tabulam Europæ sextam *Ptolemæi*, vt videre Italiam videaris: mox limites inquire: tum qui sit Apennini procursus obserua. Inde insignia oppida, fluminaque, vt vltra citraque iacent, visu sequere eo modo, quo tradit *Mela*. Sic admonet *Vadianus*.

(6) Prognosticon futurorum bellorum Cæsaris *Maximiliani*, & Gallorum ac Venetorum, quæ postea contigere. Italiæ populos, vrbesque *Plinius* late describit, *Silius* in 8. *Maro* octauo item & decimo, *Strabo* aliquot libris, *Mela*, *Solinus*, item ceteri.

(7) Scribit *Appianus*, Eridanum & Rhodanum flumina paruo inter se spatio caput exerere. *Ex his*, inquit, *alter per Celtas, qui supra Alpes incolunt, in Tyrrhenum mare diffunditur, alter vero intra Alpes supra Ionium sinum elapsus, pro Eridano Padi nomen assumit.*

(8) Pyrenæo Hispaniæ, Galliæque disterminantur promontoriis in duo diuersa maria proiectis. De Pyrenæis montibus plura scribit, vt alibi indicauimus, *Silius* in tertio, quamuis fabulose: tamen, vt ait vere *Camers*, eleganter. Item *Strabo*, *Mela*, ceterique. Hispaniæ laudes pete a *Cælio Rhodigino*: qui & de Gallorum moribus nonnulla scite recollegit libro antiquarum lectionum decimo.

Et iam desierat, cum sic ego talia contra:
Omnia percepi, felix Dea, tu modo regna
500 *Norica(1), Germanosque meos, patriamque(2) recense(3).*
Annuit, & breuiter sic talibus orsa capessit.

(1) Et rerum ſcriptores, & Geographi non conueniunt in Noricorum deſcriptione. Conſtat quoque Noricam regionem olim non fuiſſe, vbi nunc ſita eſt. Quorundam ſententia eſt quos Poeta ſequitur, eos eſſe *Noricos*, quos hodie *Bauaros* appellamus. De Noricis diligenter, vt omnia de Germanicis rebus, ſcripſit *Irenicus* libro primo.

(2) Sentit, vt puto, *Heidelbergam*, & loca Palatini ad Rhenum.

(3) Hoc eſt, *ab alto oſtende*. Hic ergo ſumpta occaſione, diffuſiore ſtilo Germaniæ deſcriptionem proſequitur.

Poſtquam Parrhaſias(1) *amor eſt nunc ire per vrbes*(1),
Germanumque ſolum, & populos luſtrare potentes(2),
Incipiam(3). *Gelidis qua Rhætia*(4) *diuidit Arcto*
505 *Montibus*(5) *Heſperiam, niuibuſque ingentibus horret,*
Clauditur externis nunquam violabile regnum
Gentibus, atque vltra Germania panditur Alpes(6).
At qua Sol oriens ſpargit ſua lumina Titan,
Iſtula(7) *Sarmaticos*(8) *fines diſcriminat amnis*
510 *Cimbrica naufragum qua porrigit Amphitrite*(9)
Littus, in extremo finitur margine tellus.

(1) Id eſt, *Arcto Vrſa expoſitas*.

(2) Hoc eſt, gentes inſignium virium, animoque ad arma cruoremque prompto. Cauſſam refert *Ariſtoteles* in Problematis.

(3) Incipit a terminis Germaniæ, cuius diuiſionem & ſitum *Irenicus* late tradidit, optimorum autorum fidem ſecutus.

(4) Huius pars *Engedini* hodie dicti, ſupraque eos in Rhenum vergentes *Curienſes*, a *Curia* vetuſtiſſimo oppido: quique in *vallem Velinam*, & *Larium lacum* vergunt, bellicoſiſſimi, & Heluetiis tranſrhenanis fœderati, in ortum *VVa'gauii*, Algauii, & pars Ateſini, fortes & ipſi, & ad arma promptiſſimi Ducum Auſtriæ, autor *Vadianus*. Enarrator *Solini* cap. 34 ſcribit ex veteribus Geographis ac Hiſtoricis, non exacte deprehendi, quinam noſtro tempore Rhæti ſint. Plura de Rhætis recollegit *Irenicus* cap. 24 primi Germaniæ enarratæ.

(5) Iuga *Rhæticonis* altiſſimi in Rhætiis montibus intelligit, cuius *Mela* meminit. Sunt autem varia iugorum nomina, neque continua, neque paris altitudinis: inter quæ etiamnum vallis vetuſti nominis reliquias ſeruat *Prettikevv* dicta, *p*, litera addita, vt facile, corrumpuntur vocabula: alias *Rethikevv*, hoc eſt, *Rhætico*, teſte *Vadiano*.

(6) Quos *Silius*, quo inter latinos poetas, eodem iudice *Vadiano*, nullus vberius elegantiuſque ſcripſit de Alpibus libro tertio. *Claſas nubibus rupes, ſuppoſitaque cælo Saxa vocat.*

(7) *Mira*, inquit *Vadianus*, *nominis variatio, nam* Viſula, Iuſtula, Iuſtilla, Iſtula, Viſtula *vocatur*. Huius ortum & exitum retulit *Syluius* in deſcriptione Boruſſiæ, ſeu, vt nunc dicitur, Pruſſiæ, & *Celtes* noſter vltima elegia primi Amorum.

(8) Polonicos. Sarmatiæ namque iuſta pars hodie Polonia, dicta a planitie videlicet terræ, quam ipſi *Pole* etiamnum vocant. Teſtis eſt *Vadianus*.

(9) Mare ſcilicet, ſiue ſinus, qui *Codanus* dicitur, refertus inſulis, quarum crebris anfractibus vadoſus fit, & nautis infeſtiſſimus, propter creberrima naufragia. Quod & Poeta indicat, dicens, *in naufragum littus*. De Amphitrite Neptuni fabuloſa *Hyginus* proſequitur.

(1)*Vltima ad occaſum veteres confinia Belgæ*(2)
Sidonio poſuere ſolo(3), *Morinoſque iacentes*(4)
Aſpice, & externis calcatum nauibus æquor.
515 *Eoas & opes Iccæi ad littora portus*(5),
Et vetitum iam nomen aquis(6), *vbi vidimus olim*
Centum Geſoracum ſubeuntia carbaſa littus(7),
Nunc alio translatus honos, nec defuit auſis
Vis Superum(8), *ſed longe abſint primordia rerum*(9).

(1) Vltima confinia occaſum verſus dederunt Belgæ. Intellige, quod ipſi diuidebant Galliam a Germanis incluſiue, vt ita dicam: tamen quoniam *Ptolemæo* Belgæ Germani populi ſunt, & ipſe in Belgicam ſuperiorem & inferiorem facit Germaniam, bene incipit Poeta a *Morinis*, hoc eſt: ab vltimis ex eo latere Germanorum populis.

(2) Referendum puto ad vetuſtatem gentis, non ad terminos; quia Germaniæ terminum antiquum Rhenus dabat. Vnde *Ligurinus*, poeta Germanus, vt *Leonardus Pricardus* teſtatur in epiſtola ad *Hieronymum Busleidium*, veteres fere omnes ſecutus, Rhenum iuxta Wormatiam Gallos & Germanos ſeparare dixit, *VVormatiamque petit, medio vbi gurgite Rhenus Gallica Germanis ſeparauit rura colonis.* Et quamuis Belgas plerique ſcriptorum nomine donent Gallorum: conſtat tamen origine Germanos eſſe, & in nomen Germanicum abiuiſſe. Qua de re Auunculus noſter in Germania, *Peutinger* in conuiuio, & nouiſſime omnium late diſ-

ſeruit *Irenicus* cap. 18. & 19 primi Germaniæ Exegeſeos.

(3) Hoc eſt, *Germanico Imperio*, a Sidone rege, veterum Sueuorum: cuius meminit *Tacitus*, & ſi recte memini *Cæſar* etiam nouo deducto epitheto. Nam ſi Græci ac Latini ab Inacho Inachios, a Pelope Peloponeſum, ab Heſpero rege Heſperiam, ab Oenotro Oenotriam, Italiam appellauerunt; cur aliis quoque gentibus non liceat a præſtantiſſimis Regibus regiones ſuas nominare? Hoc a Poeta neque infeliciter tentatum in hoc opere video, hic & alibi, cum dixit, *Vacionaſque nepotes*, intelligens *Noricos*, ſeu *Noricios*, a *Vacione* Rege Norici.

(4) Littorales enim populi ſunt. Maro, *Extremique hominum Morini.* Vel *iacentes* dixit, reſpiciens ad fortunam Brugarum. Oppidum enim in Morinis ſitum eſt, quod olim florens fuit, nunc iacere videtur, & depreſſum eſſe.

(5) *Ptolemæus*, & *Cæſar* pluribus huius meminit. Eſt in littore Morinorum commodiſſimum præbens in Britanniam traiectum, inquit *Cæſar*.

(6) Id eſt, vetita fama & ſublata penitus: cum alio ſit emporii locus translatus.

(7) Pro *Geſoriacum*, verſus neceſſitate. Hodie *Caleſium*, alii arcem *Sluſa* vocant. Hoc portu, dicit *Mela*, Morini nihil habent notius. At enarrator illic adnotauit *Ptolemæum Geſoriacum* a *Brugis* magno interuallo ſeparare.

(8) Fauor numinis.

(9) Notat tacite perfidiam Brugenſium, quorum inſidiis Maximilianus, vt tetigit in primo, detentus fuit. Quod *Cimbriacus* poſteritati tradidit his verſibus, *Belliger in Gallos iam tum Rex arma mouebat Per Brugas, igitur factis gens effera iniquis, Compoſitis tenuit captiuum fraudibus illum Nil ſic ſperantem, portiſque exire vetabat, vel maius facturæ nefas, ni bella moueri In ſe continuo, atque vltricia ſigna venire Audiſſet.* Meminit item *Carmelitanus Poeta* in fortuna *Gonzaga*. *Albertus* latiſſime rem, vt acta eſt, ſcribit libro Saxoniæ decimo tertio.

520 *Menapios*(1), *Tungroſque*(2) *vides*, *Moſamque*(3) *fluentem*
Ex Vogeſo(4), *qui dum Rheni ſe fluctibus æquat*
Longior eſt tractu(5), *& productior exit in æquor:*
Supra autem (mirum dictu) Nabalia velox(6)
Haurit iter, fluuioſque ſecat, luctanſque ſub imas
525 *Tranat aquas, magnumque adigit ſibi cedere Rhenum,*
Vixque Moſæ retinet rapidum intra littora curſum:
Hic habitant Bataui(7), *debellatuſque Sicamber*(8),
Quæque fuit profugo ſedes contermina(9) *Catto*(10).

(1) Prima breui protulit infamis Poeta diſtichis. Idem facit *Maro* in dictione Italiæ, & apud recentiores: quorum tamen poemata cum antiquis certare poſſunt. Animaduerto quoque Venetias proferri, & Venetiam regionem prima longa. Menapii nunc Iuliacenſes putantur.

(2) *Marcellino* inter ſecundæ Germaniæ populos numerantur. Siti ſunt, vt hodie dicunt, in prouincia Leodienſi, extatque adhuc oppidulum hoc nomine, clarum olim ſede Epiſcopali, quæ poſt ad Traiectum ſuperius, teutonice *Maſtrich*, deinde Leodium translata eſt.

(3) Huius meminerunt *Cæſar*, & *Marcellinus*.

(4) De hoc monte, *Phileſius* in carmine, ipſi Vogeſo conſecrato, erat enim *Vogeſigena*, ſic cecinit, *Mons Vogeſus ſummis Rhætis ex Alpibus ortum, Et viridi coſta te quoque Treuir adit, Gallica Teutonicis qui ſeparat arua colonis, Et Mediomatrica mox videt vrbis agros. Odilia in ſummo requieſcit vertice montis, Odilia Alſatici gloria ſumma ſoli.*

(5) Nam cum cornu ſiniſtrum Rheni quod ad occidentem flectitur, excipitur a Moſa, moxque amiſſo nomine Rheni ab accolis appellatur *Vahala*, deferturque a Moſa in Oceanum longiore tractu, quam alterum Rheni cornu.

(6) Fluuius eſt, qui ex *Weſtfalia* ita præceps in Rhenum defertur, vt impetu Rheni curſum frangat, reluctantibuſque vndis, victor ad alteram ripam euadat: nec impetum deſinit, donec Moſæ fluminis obiectu curſus impetus coerceatur.

(7) De his diximus ſuperius, & pleriſque aliis populis, qui hic recenſentur: quare ne cui ſim faſtidio, temere nihil repetam. Iam enim, etiam inuito, ſcholia accreſcunt, & in verboſos, ni ſtudio conſtringam, commentarios abibunt.

(8) Reſpexit ad victoriam contra Ducem Sicambrorum, id eſt, Geldriæ, quem coegit veniam petere. Illum ego Bruſſelis Brabantiæ ad Cæſarem, filiumque Philippum venientem vidi.

(9) *Proximi* Cattis, inquit *Tacitus*, *certum iam alueo Rhenum, quique terminus eſſe ſufficiat*, Vſipii ac Tencteri *colunt.* Idem de *Cattis* late ſcribit.

(10) Eodem *Tacito*, tum ceteris ſcriptoribus conſtat a Druſo Suſipedes, Tencteros, & Cattos perdomitos, & Marcomanos ad internecionem deletos, vel alluſum eſt ad traductionem populorum ab eodem Druſo factam, de qua *Suetonius*, *Florus*, *Horatius.*

Inde Cleuenates(1), *vicinaque rura Lobyci*(2),
530 *Geldubaque*(3), *& rigidi gens formidanda Guterni*(4),

Et

Et domiti Eburon(5), *pollutus sanguine Cottæ*(6),
Luppiaque(7), *& latis antiqua Colonia muris,*
Hos Vbios dixere olim(8), *sed tempore omisit*(9)
Ripa, prior Rheni quod nunc tenet altera, nomen.

(1) *Cliuenses* vulgo, quos *Vsipios* olim dictos quidam opinantur: alii in Sicambris numerant.

(2) Arbitror signi.

(3) Alii *Gedulba*, teste *Irenico*, locus Germaniæ inter Moguntiam & Coloniam iuxta Rhenum vt *Raimundus Marlianus*, homo sui temporis eruditissimus, & enarrator Ptolemæi tradunt.

(4) Idem *Marlianus Gugernos* scribit, dicitque esse, qui *Cugernos* malint. Sunt populi Germaniæ prope Rhenum & Geldubam, *Angarios* hodie vocant, teutonice, *Engern.*

(5) Nunc *Leodienses* siluæ Arduennæ, vicini inter Mosam & Rhenum.

(6) Hoc dicit, quia Cotta cum Titurio Sabino Cæsaris legato, cumque toto exercitu ab Eburonibus trucidatus est, per colloquium circumuentus. Lege *Cæsarem* in quinto, & *Florum* in tertio.

(7) Nomen vrbis est vltra Rhenum sitæ. Est & fluminis, de quo inferius.

(8) Plura de his *Tacitus* libro vigesimo.

(9) Idem autor est, Vbios olim alteram Rheni ripam habitasse, ab Agrippa translatos vlteriorem incolere ripam, collocati super eam experimento fidei, vt arcerent, non vt custodirentur, ac libentius Agrippinenses conditoris sui nomine vocari, quanquam Romana Colonia esse meruerint.

535 *Aspice iam molem, frænataque flumina Druso*(1),
Atque Moguntiacum subiecto nobile busto,
Vitiferumque amnem(2), *durosque in Marte Nemetas*(3),
Quique colit Bacchi montes, & iugera Treuir(4),
Vangionesque acreis, pugnatoremque Tribocum(5).
540 *Non longe Austriadæ metiri castra videntur*(6)
Helsatia in magna(7), *trepidatque Hagenoia tellus,*
Sletstadiumque ingens(8), *bellisque asperrima Baros*(9).

(1) Nam, vt ait Florus, *per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim, per Rheni quidem ripam quinquaginta amplius castella direxit: Bonnam, & Gesoniam cum pontibus iunxit, classibusque firmauit. Inuisum atque inaccessum in id tempus Hercynium saltum, patefecit.*

(2) Arbitror *Mosellam*, seu, vt Ptolemæo placet, *Obrincam* fluuium intelligere: qui a Treuiris labens, vitiferis hincinde non collibus modo, sed montibus quoque surgentibus in Rhenum ad Confluentiam descendit.

(3) Hos nunc *Spirenses* esse doctorum consensus est. Sunt tamen & haud inerudití, qui non vana ducti ratione, coniectantur *Nemetas* esse *VVormacienses*, & hos esse *Spirenses.* Est autem *Spira* vrbs hodie inter Germanicas haudquaquam postremi nominis: neque solum Episcopali sede insignis, verumetiam templo admirandæ structuræ, & Christianorum Cæsarem, seu, vt *Erasmus* ait, Regum Germaniæ sepultura nobilitata.

(4) Ciuitas Treuirorum, cuius etiam ardens Poeta, vt a diuo *Hieronymo* citatur, meminit in 1; ruderibus, ædificiisque quæ hactenus extant, vetustatem ostendit. *Alluit Mosella*, vt in 2 libro Poeta scribit.

(5) Id est, *Argentoratenses*, qui valido equitatu in pugna Bohemica militarunt Cæsari. *Tribocisium*, inquit autor Commentarioli in Taciti librum de Germania, *qui circa Argentoratum habitant.* Vnde ea ciuitas, *Straßburg*, quasi *Trebock* vulgo vocatur, detorto nonnihil vocabulo, ceu fieri solet. Nam quod tradunt, post Attilæ deuastationem hoc vocabulum adeptam, fabulæ simillimum est. *Conradus Celtes* in descriptione Hercyniæ, *Tribocos*, inquit, *a tribus quercubus antiqua religione nymphis consecratis* includit: qui cum Germani in Galliam erumperent, in altera Rheni ripa, expulsis Gallis, consedere, Tribocesque corrupto vocabulo, qui & Argentinenses dicti sunt. *Rhenanus* noster, vbi restituit Argentoratensi Ecclesiæ suum nomen, pro *Argentea retensis* legendum admonens, *Argentoratensis, ab Argentorato*, ait, *quam maiores nostri transito Rheno cum magna parte Belgica occupatam, mox pro sua lingua commoditate duabus primoribus syllabis spoliantes, & Torato burgum adiicientes, primo* Toratburg, *deinde* Stratisburg *appellarunt, vt in antiquis codicibus adhuc legitur: hodie* Straßburgum *vocamus.* Huius florentissimæ vrbis laudes tetigit *Erasmus* in scholiis in epistolam Hieronymi ad Gerontiam: latissime autem *Gebuilerus* in Hecatostícho Panegyrico.

(6) Nam Cæsar cum exercitu in Helsatia erat, vt libro quinto in fine cecinit Poeta.

(7) *Magnam*, vt puto, vocat, cum propter multas ciuitates, castella oppidaque munitissima, inter quæ facile patria mea *Selestadium*, iam pridem Erasmico clarum præconio, principem tenet locum secundum *Strasburgum*: tum ob innumeros pagos, quos nunc villas appellant, & regio alioqui non longe lateque patens complectitur. Constat enim quatuor milia passuum, vbi latissima est non excedere, & longitudinem habere

bere non amplius viginti millium. Reliqua quæ tam ad situm, quam quæ faciunt ad nobilissimæ huius cognitionem prouinciæ, abunde refert *Gebuilerus* in Panegyrici iam citati Scholiis.

(8) Repetebantur enim a Cæsare, vt ceteræ sociæ ciuitates, seu *Imperialis*, vt aiunt, *Aduocatiæ* membra, cuius caput *Hagenoia*, patria mea, *Archiuum*. Quod autem patriam meam ingentem appellat, cum sit oppidum non admodum magnum, neque diuitiis potens, aut nobili mercatu famosum, non alia puto ratione, quam qua regionem ipsam magnam dixit. Vel respexit ad clarissima ingenia, quibus præ ceteris, si vnquam antea, certe iam maxime floret, vel vno *Beato Rhenano*, quem multi alii nequeant referre: de quo tam vere quam eleganter *Erasmus* ille magnus cecinit in Encomio patriæ, sic eam alloquens, *Vt sileam reliquos, non te satis ille Beatus Rhenanus, lingua doctus vtraque beat?*

(9) Signat eam, vt mihi videtur, regiunculam Hercyniæ siluæ, quæ hodie dicitur, *vff der Bar.* Huic *Comites* a *Furstenberg* præsunt, altrix bellicosi populi, & præcipui in peditatu nominis. Non satis autem intelligo, cur eam trepidantibus connumeret, cum hæc militauerit Cæsari. Quid si *Barram* haud incelebrem Helsatiæ pagum intelligimus? Is enim Palatini partes acrius tutatus est.

Cernis vndas, Tiberique lacum(1), coluisse Brigantas(2)
Fama locum: cernis ingentem de vertice(3) Rhenum(4)
545 *Alpinos qui stagnat agros(5), & montis Adulæ(6)*
Per rupes, per saxa volat, gentemque repostam
Irrigat Heluetios(7), & non dignatus inerti
Se miscere lacu(8), ceu venerat exit ab illo
Totus(9), & ex scopulis cataractæ immanibus altæ(10)
550 *Personat horrendum, fremituque Alpina tremiscunt*
Oppida, vt in præceps fluuius ruit, & nisi cursum
Frænaret Syrtis(11), vastaque voragine tellus,
Posse etiam credo Vogesi transcendere rupes,
Vastaque trans rigidos augescere littora Francos.
555 *Hic etenim, vt spectas, scopuli sub gurgite, & ima*
Saxa tonant, stridentque alto vada cæca fragore,
Vique rates fundo raptat Rhenana Charybdis,
Vnde amnis pars magna perit, rursusque renasci
Attollique caput memorant, & latius inter(12)
560 *Torta Couinarios(13) pandi sua cornua Belgas.*
Dextra fons Niceri est(14), qui vitifer exit in vndas
Amnis, & inflexo Rheno demergitur alueo,
Budoriumque iugum(15) digito demonstrat, & inquit,
Hic Palatinus læta sedet altus in aula,
565 *Et populos regit, & Rhenum sibi vendicat armis.*

(1) *Constantiensem* lacum *Tiberii* dicit, vt alibi quoque, quoniam, vt autor est *Strabo*, Tiberius eo lacu ad inuadendos Suenos vsus est.

(2) Nam, vt autor est *Marcellinus*, Rhenus iam adiutus niuibus liquatis ac solutis, alta diuortia riparum abradens, lacum inuadit rotundum & vastum, quem *Brigantium* accola Rhætius appellat. Ita enim legendum, & non, vt vulgo, *Murgantium*, Nimirum a *Brigantia* oppidulo vetustissimo. Id adhuc haud longe a Rheni ostiis meridiem versus pristina lacus littora retinet, sedes *Comitum* de *Montfort*.

(3) Copiose a nobis in *Stauroftichi* Enarrat. Relatum est, cur ex locis summis, sublimique vertice eminentibus maximi oriantur fluuii.

(4) Et illic de huius omnium Germaniæ amnium celeberrimi ortu atque cursu diximus, quæ repetere hic supersedimus: quoniam breuitati studemus, & res ipsa quoque notior est, quam vt dici oporteat. Hunc etiam eleganter describit *Ceres* elegia penult. tertii Amorum.

(5) De Alpinis populis *Plinius* in 3, *Silius* itidem in 3, ibidem Rheni quoque meminit obiter, *Claudianus* latius de bello Getico.

(6) Recens nomen Poetæ, nam *Abnoba* nomen prius fuit, vt in 4 cecinit. Ex hoc autem, vt & Danubios, secundum antiquos, Rhenus ortus est.

(7) Sunt enim hi intra Rhenum & Rhodanum.

(8) Lacui, scilicet Constantiensi.

(9) Sunt enim qui amnis vndas reliquis impermixtas, medium lacum traiicere sibi persuaserunt e vulgi sententia. Quod tamen non esse, obseruatum est; etiamsi ab ostiis paulo ampliori impetu, quod grandia vbique flumina solent, sese immergit. Falsissimum quoque est, aquæ eum esse limosæ, cuius colluuie Rheni vndæ videlicet nec tardentur, nec inquinentur.

(10) *Cataracto* Græcis idem est, quod cum impetu impello, vnde *Cataractæ* fluuiorum, intra angustas rupes sæuientium dicun-

dicuntur, qualis illa Nili famosissima. Sed præter eas, quarum *Ammianus* meminit, sunt & aliæ Cataractæ Rheni, vnde in præceps ruit. Nam apud *Laufenbergum* oppidum, supra Basilienses, etiam miro aquarum fragore ex alto cadit Rhenus, quod & ipsi vidimus.

(11) De Rhenana Syrti superius mentio facta est. Sensus autem hic est: quia tanto impetu, aquarumque mole Rheni flumen euoluitur, vt nisi absorbente Syrti aquarum vim, impetus mulceretur, fore vt & Galliam, & Germaniam inundaret.

(12) Particulam coniunctiuam, quæ defuit, ne claudicaret versus, reddidimus.

(13) A *covino covinarius*, pro eo qui *covinum* regit. Erat autem id vehiculi genus familiare Belgis. Lucanus *Et docilis rector monstrati Belga covini.* Vsurparunt hoc ipsum Britanni, vt ex *Mela* constat.

(14) Respexit ad nauigantes Rhenum, quibus Nicer fluuius, seu, vt vult Poeta, Nicerus, dexter occurrit. Intelligit autem, vt diximus, Neccharum, qui haud longe a Danubii fontibus ortus, per Wirtembergensem Ducatum lapsus, moxque in occasum versus Rhenum seorsum illabitur.

(15) Palatini regiam.

(1) Nunc vero Oceani populos, atque extima mundi
Regna sequar, vastisque amplas regionibus oras.
Illuc flecte aciem, primique in littore curuo
Stant Phrysii(2), torrensque Salas, & Amyssius(3) vndis
570 *Hic fluit, & Lupiæ(4) turgescens sanguine ripa.*
Longa retro series. neque enim vacat arma referre
Herminii, vtque tulit male Bructeros aduena Drusus(5).
Qua nunc Vestalius(6) surgit gens Martia campis,
Hic Phrygiam coluere Deam(7), quæ Pergama Troiæ
575 *Diruta ab Argolico linquens arasque Tyranno,*
Huc direxit iter, transuectaque littora Thraces
Mysorum petiit fines, & inhospita rura
Pannoniæ, tandem siluis se condidit altis
Hercyniæ, docuitque ignaros Vesta nepotes,
580 *Et Diuos colere, & flammas adolere perennes.*
Et quoniam sedemque sibi, ritusque futuros
Æternas statuens aras Dea, condidit, huius
Posteritas voluit de nomine dicier ætas.
Abnobii supra montes, quosque Hassia nutrit
585 *Arua serent populi, voluuntque incendia belli*
Sub Duce Lantgrauio: propius vicina Thuringos
Accolit, & paruis transitur Otcuna(8) phaselis.
Has quondam sedes veteres tenuisse Cheruscos,
Horrendamque situ nemorum coluisse Bacenim(9)
590 *Crediderim, sed fama vetus deperdita rerum est,*
Vixque reor vestras rumor peruenit ad aures,
Qua sua pugnaces habitarunt regna Cauchi(10),
Ostrogothique acres, & qua Phrys incola(11) messes
Demetat, ignotis communia rura Grutungis.

(1) Belgarum vrbes recensuit, & quædam citra Rhenum loca: iam repetit Oceanum, vt inde iterum auspicetur.

(2) De his vide *Sylvium*, qui & situm & mores gentis in Europa describit. *Tacitus* in Neronianarum rerum historia Frisiorum meminit. *Albertus* ridet Frisiorum libertatem lib. Vandaliæ 10, pro qua haud inuiti mortem oppetunt.

(3) Varie hic fluuius ab autoribus nominatur, quos *Irenicus* citat libro 8. Hodie, *Vadiano* teste, *Ems* vocatur, quasi *Emisus*, corrupto vocabulo. Ortus hic in Westfaliæ montanis inter Frisios, & quos hodie Bremenses vocant, Oceano miscetur.

(4) Scilicet fluminis, iuxta quem multa ab Herminio Germanorum Rege gesta sunt. Lege *Tacitum* in libris nuper repertis. Exitum Lupiæ, quem *Irenicus* nostra lingua *Lendici* scribit, autores variant: cum alii in Oceanum, quos Poeta sequi videtur, alii in Rhenum, alii in Visurgim deferri velint.

(5) Hoc est, vt male sufferre potuit Bructerorum impetum, quibus cum inter Amasim & Rhenum pugnauit, ceciditque. Admonui alibi, Poetam Drusum victorem ob gloriam Germanorum, quantum potest, dissimulare.

(6) *Westfalicis.*

(7) Asserit Westfalos, quasi Vestalios, a Dea Vesta dici.

(8) Nunc *Oktenam* dicunt.

(9) Silua multi nominis apud nos, & *Cæsarem* in comment. Sunt qui eam ab Hercynia seorsum ponant. Ego magis accedo his, qui dicunt partem esse: quemadmodum & Abnobios Alpium.

 (10) Diph-

(10) Diphthongum diuisit.

(11) Per analogiam *Phrys* dictum est a Poeta. Nam *Phryx* dicitur, vnde *Phrygius*: *Libs*, vnde *Libycus*: *Tros*, vnde *Troius*: ita & Poeta dixit; *Phrys*, a quo deriuatur *Physius*.

600 *Sed longe ante alios Saxon ditissimus agri,*
Insignis bello, & præclarus origine Regum(1)
Accolit ingentes campos, atque ampla gubernat
Oppida. Sed varias, Nutrix, quoque respice gentes,
Quas Visera(2), *atque Albis*(3),*quasque alluit vltima Tethys,*
605 *Qua rutilus medio diffunditur æquore*(4) *Cimber,*
Orbeque semotæ(5) *resonant in fluctibus altis*
Orchades, Arctoumque ferens vaga succina littus,
Qua modo Glessaria in vasto iacet insula Ponto.
Byrcane quam lata patet(6), *rursusque furentes*
610 *Emissura Gothos*(7), *euersoremque Totillam*(8)
Ausoniæ, & Thuscas rapidum ceu fulmen in vrbes.
Hinc Scandia(9) *ferox, olim quæ pauit Oonas*(10),
Et solitam pedibus gentem procedere equinis(11).
At quæ nauifragis in fluctibus(12) *extima Thule est,*
620 *Noctis vbi, solisque breues discriminat horas*
Solstitium, surgatque dies vix comperit, an nox,
Longius hæc(13) *Codani repetenda est æquoris vnda*(14).

(1) Propter Othones.

(2) Allusit ad recens nomen, nam Visurgis hodie *die VVeser*, tanquam dicas, *der Virsurg*, vt ait *Vadianus*. Exit per Ducatum Brunsuicensem in Oceanum.

(3) Quem & *Albium Strabo* vocat. Ad hunc olim fuit, vt diximus, Sueuorum sedes. Hodie Saxones clara gens adhabitant: corriuat e Boemorum iugis, aliquotque, quorum Sala præcipuus est, amnibus acceptis, vbi Hamburgum clarum oppidum attigit, in Oceanum egreditur.

(4) Signatur sinus, qui *Codanus* dicitur, cuius meminit *Plinius* libro 4.

(5) Egreditur littora, & de insulis Germanicis quædam recitat.

(6) Sic legendum: & non, *quæ late patet*, vt habet castigatus liber.

(7) Ordo verborum mihi videtur sic texendus. *Hinc Scandia ferox rursus emissura furentes Gothos*, & cetera, *quæ olim pauit Oonas*. Neque enim, *rursusque furentes emissura Gothos*, referas, ad Byrcanem, nisi diceres Poetam alteram pro altera posuisse. Nota figura, vel *Seruio* interprete in Bucolico.

(8) Qui & *Baduila* dicebatur, *Paulo Diacono* teste, qui obiter tangit huius felicissimi Gothorum Regis gesta circa finem lib. rerum Romanarum 17. *Sabellicus* vero diffusius lib. Enneadis octauæ 3 & 4 narrat.

(9) *Solinus Gangamiam* vocat, aitque *nihil in ea magnum præter ipsam*. *Plinius Scandinauiam*, alii *Codanoniam* appellant, vt *Mela*: aitque, vt magnitudine alias, ita fœcunditate antestare, Poeta *Scandiam* media longa dixit, vt recentiores. Quæ autem iuxta illam comperta habeant, recollegit *Irenicus* lib. 10.

(10) Ab *Onis Oones* populi, atque ipsa insula *Oone*, quibus vescuntur, nomen habent. Græcis ὠὸν *ouum* dicitur. Horum meminere *Cæsar* in quarto belli Gallici commentario, *Plinius* lib. quarto, *Mela* tertio, *Solinus* cap. tricesimo.

(11) Græci *Hippopodas* vocant, quod humana vsque ad vestigium forma, in equinos pedes desinat. Eosdem quos iam citaui, habes autores. *Vadianus* enarrator Melæ adnotauit, Græcos fabulandi licentiam in remotissima quæque retorquere. Longinquitas enim, vt *Strabo* scribit, non facile redargui potest.

(12) Hæc autore *Pomponio* Belgarum littori apposita est, Graiis, & nostris celebrata carminibus, cuius tamen historiam obscuram fecit eius in vltima loca remotio: etiamsi nemo fere scriptorum sit, qui non eius meminerit. Putant id nominis datum insulæ, quia ob nimiam a sole distantiam caliginosa sit: & obscura, plerumque Græcis enim θολὸς *turbidus* & *niger* dicitur. Vnde *Statius* eam decenti epitheto appellauit *nigram*, quarto Syluarum, & quinto *nigrantem*. *Fluctibus occiduis fessoque Hyperione Thulen*. Sic enim legendum videtur, non autem, *natantem*. De ea, & solstitio lege *Seruium* primo Georgicorum: & ceteros: *Plinium* & *Strabonem*, vtrumque lib. quarto, *Melam* tertio, *Martianum* sexto, *Solinum* cap. tricesimo quinto. De solstitiis duobus superius.

(13) Intellige *indagauimus*, *perlustrauimus*.

(14) Si tabulam Europæ octauam, aut rectius tabulam *Nicolai Germani* reliquis *Ptolemæi* adnexam contuleris, quis *Codanus* ille, quantusque sit, intelliges. *Calres* el nomen a Gothis deriuat vltima primi Amorum elegia, *Plinius* & *Mela* refertum & magnis, & paruis insulis scribunt.

Quæque colunt duri borealia Teutones(1) *armis*
Littora, dicam acreis, durosque in prælia fratres(1).

625 *Et nimium pugna ſæuos Eluonas(2) equeſtri,*
Sarmaticis gelidus quos Viſtula(3) ſeparat agris.
Supra habitant Lyſii(4), tortaque Hermundurus(5) haſta,
Oquenuſque ferox(6), & Martis ſanguine læti
Marcomani(7), atque truces, gens haud ſpernenda Boemi,
630 *Qui referunt proauos antiqua ab origine Gallos(8):*
Hos alit Hercynia(9), & tanquam velut obiice vaſto
Externis natura ſolum, ſedemque tueri
Montibus aereis, ſcopuliſque ingentibus ambit.
Hæc quondam priſcis, quæ ſacra ſub Hercule magno
635 *Creditur, Heluetio ſumit de vertice ſilua*
Principium, quæ lata ſupra, quæque implicat infra.

(1) Milites *ſanctæ Mariæ Teutonicorum* ſignat: quos *fratres* vocat, quia videntur præ ſe ferre quandam religionis ſpeciem. Hi citra vltraque Viſtulam fluuium iuxta littus vrbes Rhoxanos vſque tenuerunt, vt aliqua etiam oppida mediterranea in Sarmatia, quorum aliquot amiſerunt bello, quod cum Sarmatarum regibus geſtum eſt. Horum Liuonia Germanici littoris plaga fere tota eſt: hoc autem a Poeta dictum eſt, quoniam Poloni dicunt, prouinciam illam, quæ ſub Teutonum Principe eſt, vltra Viſtulam Germaniam non eſſe, cum in Germaniæ nomen Sarmatia quoque, Daci, Iazyges, Myſi aliquando venerint.

(2) Nunc tenent horum ſedes Pomeranorum vltimi, dicuntur & Elui.

(3) Hac tempeſtate Germanum nomen a Sarmatis diuidit.

(4) Nunc Sleſii.

(5) Populus Boemicus. Nam, vt diximus, in Hermunduris Albis oritur ex eo Hercynii nemoris ſaltu, quæ hodie ſilua Boemica dicitur.

(6) Puto gentem inter Morauiam.

(7) Corripuit item penultimam *Silius*, *Qua modo Marcomanos, poſt horrida bella, feroſque Sauromatas.* Ceterum quod Marcomani olim tenuerint ea loca, vbi nunc agunt Morani, *Velleius* autor clariſſimus, de Marcomanorum Duce Maroboduo loquens, oſtendit his verbis: *Eratque etiam eo timendus, quod cum Germaniam ad læuam & in fronte, Pannoniam ad dextram, a tergo ſedium ſuarum haberet Noricos, tanquam in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur.* Autor Commentarioli in Tacitum, ab equis nomen putat Marcomanos adeptos: quia equum ſua lingua *Celtæ*, id eſt, Germani *marcam* vocabant. Citat verba *Pauſaniæ*, ex quibus idem coniectat, quem equitem auratum latine vocamus, olim *ein Dritter* dictum, ob duos adiunctos equites: deinde vero *Ritter*, *d*, litera expuncta. Admonet quoque, a *marca*, quod *equum* ſignificat, equorum ſeu ſtabuli magiſtrum *Marckſteler*, etiamnum appellamus: & equitum præfectum, *ein Marck grafen*. Militaris enim dignitatis & officii nomen eſt vtrumque.

(8) Sequitur *Strabonem*, qui ſcribit Boios Gallorum gentem a Romanis fugatos, vltra Danubium ripam incoluiſſe, vt diximus. *Tacitus* autem monſtrat, ante ſua tempora Marcomanos, eiectis Bois, de nemoroſis locis occupaſſe Boemiam, quæ a Bois nomen retinuit. Vana igitur eſt & fabuloſa gentis origo, quam *Sylnius* tradit. Eſt enim Vandalica, vt pulchre conuincit *Albertus*.

(9) *Idem* lib. Vandaliæ primo deſcribit Boemiam: verba non adſcripſimus, quia codex excuſus eſt. Sumpta autem occaſione, multa refert de ſilua Hercynia: quam idcirco appellatam innuit, quod Herculi olim ſacra fuerit, vnde datum ſiluæ nomen. Idem *Tacitus* ſentire videtur, qui dicit Sueuos fugiſſe in ſiluam Herculis. Noſtri autem arbitrantur hanc ſiluam a pice, ſeu reſina, quam Germani *Hartz* vocant, nomen inueniſſe, *Hartzvvalt*, alii a pinuum abundantia, *Schvvartzvvalt*, hoc eſt, *nigra*, dicta. *Camers* aſpirat eis, qui græcam originem dicunt, ſuperius relatam, ni memoria fallor. Sunt autem huic, quemadmodum Tauro in Aſia, priuatim multa nomina, prout aliæ atque aliæ gentes adhabitant, cum tamen eadem ſilua ſit. *Heluetio ſumit de vertice ſilua Principium.* In Heluetiis initium accipit, & ad Dacos vſque porrigitur, ſecundum *Cæſarem*. *Celtes* eam extendit: quem Poeta ſequitur, vt patebit inferius. Hanc nouem dierum ſpacio putat *Cæſar* expeditum emetiri poſſe, multo pluribus *Mela*. Eamque præter *Strabonem*, *Cæſarem*, *Pomponium*, eleganter deſcribit *Celtes* noſter cap. 3 Norimbergæ. Is enim, vt *Irenicus* ait, in nullo famam ſuam immortalitati plus mandabat, niſi in Hercyniæ ſiluæ abſolutione: in eo enim tantum labore ſuo profecit, quantum omnes, quorum cura fuit Hercynii. Sed & idem *Irenicus* lib. 8 de hac ipſa ſilua, eiuſque magnitudine, rebuſque in ea creſcentibus, quarum Poeta quoque hic mentionem facit obiter, egregie ſcribit: quæ qui volet, illic requirat.

Indigenas, Cattoſque, immanſuetoſque Cheruſcas
Iam cerne, atque vagos inarata per auia Francos(1),
Qua(3) placidus curſu Mœnus(2) fluit amnis aquarum(3),
640 *Ingentes lucos, quercuſque habitare ſilentes,*

Hinc

Hinc olim Carolus(4) *gestarum examine rerum*
Maximus effulsit, tantoque extollitur ortu.
Nunc etiam natale solum, transque algida Rheni
Flumina, cum patrios cuperet protendere fines,
645 *Arma tulit, Rhodanoque iniecit fræna superbo*(5),
Detinuitque diu populos atque oppida regni.
Vnde & Francorum dicti cognomine Galli,
Nec non & centum celebrata Sueuia pagis(6)
Hanc coluit siluam, possessaque Sidone tellus,
650 *Qui vestri, vt memorant patres & longa vetustas,*
His tenuit Rex sceptra locis, placidoque Sueuos
Imperio rexit, proprioque a nomine gentes
Dixit Sidonias, & erunt quoque Sidones olim(7).
Hinc Almoni vndas(8), *Quadosque*(9),*& inhospita tangit*
655 *Carpathii nemora, atque vltra se porrigit oram*
Sauromatum, populisque horret vicina Getarum,
Et Scythicum Tanain, & depictos Agathyrsos,
Vltimaque Europæ spectat confinia regni,
Hac vri(10), *toruique boues, & monstra ferarum*
660 *Vasta errant silua, & nulla suffragine*(11) *crurum*
Subnixæ Hercyniis errant in montibus alcæ:
Quæ simul ac placidus lassos sopor alligat artus,
Erectæ captant somnos, & quercubus altis
Hærent corporibus, plantisque cubilia seruant.
665 *Sed prius ancipiti venator Sarmata ferro,*
Vt statio nota est, media plus parte ferarum
Proscecat, impacto casuros pondere truncos,
Mox cum grata quies, somnusque animalia terris
Inuadit, mulcetque animos, quibus hæserat illis
670 *Procidit arboribus, damnans sua pondera monstrum.*

(1) *Orientales* intellige. Vulgus *Francones* vocat, *per iniuriam*, inquit *Albertus*, cum illi verum nomen Galli abstulerint. Seruant tamen nonnulli scriptores illi prouinciæ suum nomen & honorem, vt *Franciam* vocent *orientalem*. Sed hoc vix patiuntur Galli, pro solita gentis elatione, indignati, si Diis placet, quod Germanos patres, & regni sui fundatores iubeantur agnoscere. *Vagos* puto dicit, a studio militandi. Insigniter autem valet equis, eosque Hercynia editissimis iugis per circuitum obfirmans veluti natiuo muro ambit.

(2) Tertii inflexus est *Tacito Mænis*. Quidam hunc fluuium *Moganum*, quidam *Mogum* vocant. Non oritur ex montibus Boemicis, vt *Syluius* dicit, sed, vt in primo diximus, ex autoritate *Celtis*, in pinifero monte. *Plinius* dicit in hoc flumine, & in Nilo tantum sylurum piscem inueniri, quo in loco *Hermolaus Barbarus* vir doctissimus errauit, asserens *Aenum* legendum esse, non *Mænum*. Cum *Mænus* non inferior sit *Aeno*. De syluro Mœni *Celtes* nihil competit, diligentissimus Germanicarum rerum indagator.

(3) Ostendit eum esse nauigabilem, curuum tamen. Non aliter est in Germaniis, qui hoc magis fluat. Apud Moguntiam Rheno miscetur. Qui græce callent, fluuii huius apud Græcos nullam fieri mentionem obseruarunt.

(4) Francum *Carolum* natione, non Gallum tradit. Monstrant hodie in Francia Germaniæ locum natiuitatis eius, & celebri memoria conseruant, vt ait *Albertus*: qui & præclara aliquot *Caroli* facinora in Saxonicis rebus commemorat. Quæ, ne desiderarentur diutius, aut sparsim fastidienter perquirerentur, nuper effecit insignis ille meliorum literarum antistes *Nuenarius* Comes.

(5) Significat bellum Aquitanicum, quo sub regni initia defunctus est.

(6) *Cesar* id scripsit in Commentariis. Inde colligit *Irenicus*, apud Germanos antiquitus non vrbes, sed pagos tantum extitisse. De Sueuorum pagis *Bebelius* scripsit plura.

(7) Id est, Sic appellabuntur in posterum, cum scilicet a me sic fuerint appellati.

(8) Alluit vrbem *Aureatensem*, quæ *Aichstadium* nostra dicitur lingua. *Celtes* noster, qui *Almonum* cecinit in Odis, cunctos exuperare sapore flumine pisces, autor est. *Carolum* Magnum exemplo Herculis & Xerxis animo agitasse, de Rheno in Danubium nauigare, & proinde ab Euxino in extremum Oceanum copias traiicere, si in Regnesum & Almonum fluuios, qui decem millibus tantum distant, eiusmodi fossa duceretur, quæ esset nauium capax. Sed propter iuges pluuias & terram, quæ fabulosa

losa erat, opus fieri non potuit, quantum enim terræ a militibus interdiu egestum erat, tantum noctibus humo iterum relabente subsidebat. Accessit ad tam pulcherrimi operis retardationem vltima Saxonum defectio.

(9) Varias hic populus sedes habuit; quas pete a *Cæsare*, *Orosio*, *Eutropio*, *Spartiano*, & ceteris. Vt autem totum hunc locum facilius intelligas, *Celtis* nostri verba adscripsimus, qui de Hercynia loquens, *ad Meridionale* inquit, & *Orientale eius latus Marcomanos, & Quados attingens, & ab his in Carpathum Germaniæ caput, qui & Suenus est, consurgens Iazygibus, Basternis, Dacis, Getisque contermina gentibus. Sed ad Carpathi montis (qui frons Germaniæ) radices, reducto in Septentrionem impetu, supra Vistulæ & Odera, Memuli, Tibisci, Nestri, Borysthenis & Tanari, ac Tanais (qui Europæ & Asiæ limes) fontes per Sarmatiam Europæ per Agathyrsos & Sauromatas, id est, Poloniam, Litifaniam, Massoniam, Brussiam, Liuoniam immenso spacio & infinito tractu ad Europæ vsque fines diuagatur, cum ipso terrarum orbe desinens.* Hæc *Celtes*

(10) De his libro secundo dictum est.

(11) Partes, quæ in anterioribus pedibus dicuntur *genua*, in posterioribus *suffragines* nuncupantur. Ceterum quæ hic scribit de impedito flexu, accliuique somno, atque captura alcium Poeta, sumpsit ex *Solino*. Verum *Stella* circa finem primi Antiquitatum Borussiæ, *Hallucinati sunt*, inquit, *qui alcem nullo suffraginum flexu dixerunt, neque quietis caussa procumbentem, verum acclinem arbori somnum capere, quæ ad insidias a venatore incisa, feram vna affligit, ac concidit: quodque & pascendo retrograditur ob superius labrum prægrande, quasi progrediendo pasci nequeat.* Quæ singula non de *Alce*, sed de *Machlin* fera, illi haud dissimili, quam Scandauiam mittere aliqua prodidere, dicta sunt.

(1) *Nunc vero Rhetos, & Bryxantæ*(2) *sequemur*
Littora, vbi vasto surgit cum murmure fontis(3)
Danubius, cursuque(4) *fluens petit æquora longo*(4),
Et septingemina(5) *Ponti mare diuidit*(6) *vnda*(5).
675 *Nam quamuis sacrum caput occultare paludem*
Fama sit, obscuris voluit compressa cauernis
Cornua, & æquoreas subter propulsat arenas.
Accola deinde Lyci est, & quæ memoratur ab amne,
Et pace insignis, belloque Lycatia tellus.
680 *Iam vicina vides qua ripa, Velaunia rura*(7)
Vndis belligeri spumantibus irrigat Æni.
Et Regis Vacionis(8) *opes, & Norica regna*
Fœta armis, Tyrolique vrbes, quosque Austria nutrit,
Qua genus Austriadum, & dicti de nomine Reges.
685 *Hinc Styrios, Carnosque rudes, iuguloque tumentes*(9),
Cerne Carenthanos, regnumque nec vtile bello.

(1) Iterum vnde discesserat, cum de ortu Rheni loqueretur, incipit.

(2) Rhætica, Danubiana. *Brixantæ* enim gens est in Rhætio *Ptolemæo*. Alii, arbitror, *Brigantas* appellant. Vnde *Lacus Brigantinus*, vt retuli.

(3) De ortu Danubii lib. 4 dictauimus.

(4) Nam per immania magnarum gentium labitur, autore *Mela*: desinit tamen alio nomine, quam exoritur, vt statim in principio primi dictauimus.

(5) Septem ostiis, secundum *Ammianum*, *Val. Flaccum*, *Ouidium* de Tristibus, *Statium* quinto Syluarum, *Pomponium* secundo, & *Solinum*, quæ idem cap. 23 refert: item *Strabo* in 7, & *Plinius*: qui vna cum *Tacito* sex tantum ostia tribuunt. *Herodotus* autem, & *Claudianus*, *Arrianus*, *Avienus* & *Rhenanus* quinque. *Hæc diuersitas*, inquit *Camers*, *euenit ex eo, quod quintum & sextum ostiorum Danubii languidiora sunt ceteris.* Septimum vero, vt inquit *Solinus*, pigrum ac palustri speciem, non habet quod amni comparetur, vnde quod Poeta hic de septimo ostio dicit, plane fictum est.

(6) Siquidem tanto impetu euoluitur, vt prodatur in quadraginta millium passuum longitudine vinci mare, dulcemque intelligi haustum.

(7) Nomen antiquum apud *Ptolemæum*

(8) Hic Noricorum Rex fuit, cuius *Tacitus* meminit.

(9) Alibi de *Carnis* dixit, *obesum inguluum*

Hactenus hæc(1), *vltra Pannos, Iazasque videntur,*
Quæque olim prisci tenuerunt oppida Daci(2).
Tauricaque infamis regio, Mysique fugaces,
690 *Lætum autem vastæ patet insuperabile regnum*
Sarmatiæ, Regumque altrix(4) *Lituania tellus*(3),
(6 *Sponteque nascentis fœcunda Podolia*(5) *messis*(6).
Inde Borysthenides ripæ(7), *quarum impius vndas*

(8)Inficiet multo deuictus sanguine Moscus(9).
695 *Amissamque gemet trepidans Nogardia(10) pubem,*
Oppidaque immanis iuxta colit æquora Lenos,
Pallidaque Oceano(11) quærit electra sub alto.

(1) Scilicet de *Germanis*.

(2) Nunc *Walachos* tenere placet multis eruditione præstantibus.

(3) Recens nomen est, *Stella* dictos ait olim *Alanos*, & *Licalalanos*. Limites eius pulchre describit *Callimachus* Geminianensis in præfatione historiæ de clade Varnien. *Sylius* mores gentis in Europa scribit. Latissime autem *Albertus* noster in Wandalia vtrumque complexus est.

(4) Quoniam Reges Sarmatiæ, qui hactenus imperant, inde originem habuerunt, vt idem *Albertus* ostendit cap. 35 vndecimi Wandaliæ: dicitque alibi de domo Poloniæ, incomparabilem esse sua magnitudine cunctis Principum per orbem Christianum familiis. *Quam enim gentem dabis tam late imperitantem? Teneat Hispaniarum Rex hodie propitio Deo, omnem Hispaniam quinque regnis distributam, adiecerit magnum Bæticæ regnum, quod Granata vocant, pace eius dixerim, Poloniæ domui par esse non potest. Tria enim latissima regna hodie complectitur. Tenet* Vladislaus, *senior inter fratres, regna Hungariæ cum Boemia. Tenet* Ioannes Albertus *ipsam Poloniam.* Alexander *frater magnum Lituaniæ Principatum, frater Rege Poloniæ, nulla parte minor.* Hæc *Albertus*. Vilnam Lituaniæ metropolim, ac Principis domicilium esse, notius est, quam a Scholiographo referri debeat.

(5) Vltimi Europæ ad orientem ac septentrionem anguli, quem Sarmatiam dixere meridionale latus, quantum est inter Thyram, Axiacumque amnes ad Euxinum mare porrectum, & plerisque in locis maxime circa littus Ponti etiam vltra Axiacum, Podolia nunc appellatur.

(6) Nam, vt fertur, cum segetes secantur, granis, quæ cadunt sponte nutriente terra, fecunda fit messis. Tanta soli est bonitas, atque aeris temperies. Vnde non mirandum, quod de incolis scriptores tradidere, scilicet, quod furari quid sit, ignorant: neque mirantur aliena, neque sua diligunt.

(7) De *Borysthene* fluuio, qui Polonis *Neper* dicitur, & in Bycem paludem supra Tauricam, quæ Tartaria appellatur, exoneratur, *Herodotum* in Melpomene legito. Ceteros prætereo, quod nemo diligentius *Herodoto* de hoc scripserit fluuio.

(8) Superius quoque tetigit hanc pugnam *Sigismundi* Polonorum Regis, qua potitus est in Moscos ad Borysthenis ripam. Hanc *Piso* eleganter descripsit in epistola quæ circumfertur, ad *Ioannem Coritium*. Extat item ea de re doctissimi *Damisci* Silua, in Poetæ nostri Itinerario, qui per anticipationem hæc retulit. Multo enim ante opus hoc compositum fuerat, quam hæc pugna commissa fuerit. Sed antequam ederetur, addita insertaque operi, pleraque enim Viennæ Austriæ ductu *Georgii Collimitii* Mathematici, ac *Vadiani*: Augustæ vero *Conradi Peutingeri*, mutauit, restituit.

(9) *Hamaxobitæ* olim, quos nunc *Mosemitas* vocant, alii *Mosonios* malunt.

(10) Oppidum ad lacum Lymidem, vt a *Damisco* accepi, quod accolæ Moscorum appellant præter Moscouiam metropolim, ipsi *Neugartiam* dicunt. Est & *in Liuonia*, vt scribit *Vadianus*, *oppidum* Nogardia *percelebre, eiusdem prope cum* Thule *declinationis. Ibi sole Cancrum transeunte adeo tenebræ dilucidæ fiunt, vt tesserarum iactus in alueolo ludenti facile cernantur. Ita referunt dignissimi fide mercatores, qui illuc pellium gratia Scythicarum quas exportant, æstiuo maxime tempore pergunt.*

(11) Iambus videtur hic in versu, quem *Quintilianus* tradit in heroico carmine locum non habere. Sed *Maro* quoque i produxit hoc versu, *Nam tibi Tymbre caput Euandrius abstulit ensis.* Sed nullibi peccatum, quoniam, teste *Capella*, i, ambiguum est, quod & a *Stoa* capite 1 Epographiæ sextæ refertur.

Possem multa tibi veterum signare locorum:
Verum alio me cura rapit(1). sic fata, repente
700 *Ad mediam lunam, vastumque accessimus orbem.*
Hic vbi perpetuo ventura in secula viuunt(2)
Felices animæ, & quorum cælestis origo
Extulit ad Superos mentem, & se miscuit astris
Diuinæ virtutis amor: dumque omnia lustro,
705 *Ingentem aspexi cœtum, heroasque, patresque,*
Magnanimosque Duces, rebarque videre tuorum
Et genus, & proauos, & quos tulit Austria Reges:
Plenis hi calathis bene olentes spargere flores
Cælicolæ, hi nectar nitidis diffundere mensis,
710 *Et cantu ductare choros, atque ordine longo*
Consistunt alii, intextisque aulæa Britannis(3)
Pendent parietibus, nec non fragrabat amomo(4),

Et

Et myrrha(5) plaga sancta situ, iam balsama(6) circum
Sudabant diuersa locis, felicibus vmbris,
715 *Quicquid habet tellus costi(7) Panchaia(8) misit.*

(1) Scilicet, Qua de futura morte *Roberti* afficiebatur,

(2) Omnes fere hæreticos animæ salutem, hoc est, immortalitatem concedere, *Tertullianus* asserit, lib. de resurrectione. Pauca diui *Cypriani* verba, quibus adhortatur nos ad cogitandam immortalitatem, plus afficiunt & rapiunt animum, quam arguta de animarum immortalitate disputatio. De cuius natura diuus *Hieronymus* in lib. contra Ruffinum, copiosius vero *Augustinus* variis in locis scripsere, vt alios prætercam. Si te carmen iuuat, *Prudentium* adi, sanctos in Apotheosi versus de natura animæ lecturus.

(3) Sic enim nutrici videbantur, cum nulla sit cælestium rerum cum nostris comparatio.

(4) *Amomum* herba est suauissimi odoris, non modo in Arabia, sed in Ponto, Armeniaque nascens, vt *Plinius* scribit. *Cinamomi* vero (quod quidam tradunt sic dictum; quod cortex eius in modum cannæ sit rotundus & gracilis) *Dioscorides* facit plures species, quæ ab ea regione, cui gentiles sunt, suis quæque nominibus separantur. Reliqua, quando incidimus in cinamomi mentionem, pete ex capite quinto noni de historia plantarum apud *Theophrastum*: qui, vt & *Plinius*, existimat fabulosa esse, quæ de cinamomi collectione *Herodotus* retulit.

(5) Quicquid de myrrha memoratu dignum referri potest, *Plinius* complexus est, item *Theophrastus* cap. 4 libri iam citati. *Albertum* nostrum, vt frequenter, ita nationis odio, vt puto, studiose nimis *Camers* taxat, quod *Auicenna* de myrrha locum nulla eius mentione in suum transtulerit opus, quod de vegetabilibus & plantis scriptum reliquit.

(6) Legimus de balsamo *Plinium* libro mundanæ historiæ 12. *Theophrastum* lib. modo citato, item *Dioscoridem*, quo, eodem *Camerte* teste, de balsamo nemo autorum scripsit copiosius: meminit quoque *Auicenna*, quocum conuenit *Albertus* noster. Adde quæ scribunt *Strabo*, *Tacitus*, *Solinus*, *Egesippus*, *Iustinus*, *Seruius* 2 Georgicorum.

(7) *Plinius* scribit; Radix & folium Indis est maximo pretio. Radix costi, gustu feruens, odore eximio, frutice alias inutili, primo statim introitu amnis Indi in Patale insula. Duo sunt eius genera, nigrum, &, quod melius, candicans.

(8) Maro, *Totaque thuriferis Panchaia pinguis harenis.* Claudianus, *Quicquid thuriferis spirat Panchaia siluis.* Ouidius, *Sit diues Amomo, Cinnamaque Costumque suum sudataque ligno Thura ferat, floresque alios Panchaia tellus.* *Panchaia*, Persidis regio, ab Rege *Panchoio*, vt *Probus* inquit. Hæc flagrantissimo solis sideri subest, propterea gignit odoramenta, quæ tunc præstantia, multaque proueniunt, cum solis ardoribus in terræ venis humor excoquitur, autor est *Theophrastus*.

Tunc quæ læta dies, inquam, quæ gaudia tangunt
Cælicolas, mi Diua refer. Mox talia contra
Incipit: Hinc caussa est, altum cur vecta per æthram
Lustrasti lunam ingentem, sedesque piorum,
720 *Scilicet, vt lætosque Deos, cælumque videres*
Expectare diem, atque obitu gaudere Roberti.
Hæc rector ventura mihi Saturnius olim
Prædixit: cum sancta poli, terræque ciebit
Numina, & in solio considens Iuppiter alto
725 *Rumpet iter fati(1), nostrumque vocabit in astra*
Phalsgrauidem, *sedemque dabit, regnumque piorum.*
Heu nimium propere(2) raptus mortalibus ille est.
(3)*Nullus enim Diuum superis acceptior astris*
Vnquam erit in terris pietate insignis & hasta.
730 *Ergo cum stamen voluant sua fata supremum,*
Lætantur, gaudentque sinu pia Numina talem
Excepturu virum, & vestigia floribus ornant.
(Sic propere mandata tulit Cyllenius ales)
Qua Superum turmas infra videt altior axis.
735 *Hinc timor, hinc curæ nobis, versamque dolemus*
Fatorum seriem, & voluentem inimica Tonantem
Concilia, & nostris cælum procedere damnis
Quis ferat? Interea, Nutrix, vt Sole nitescent
Ardua siluarum, perge, & mandata Philippo
740 *Nostra refer, postquam Diis immortalibus ire*

Sic visum, teneat pacem, sobolique futuræ
Consulat, & sævis famæ nec deroget armis(4).

(1) Quod in principio decimi scribetur.

(2) *Ante diem*, vt dici solet.

(3) Laus *Roberti* a pietate & fortitudine

(4) Hoc est, *nomine suo*, quoniam omnino victoriam Deorum voluntate sit amissurus.

Dixerat, & fesso meditantem plurima somno
Ilico deseruit, mediaque euanuit aura.
745 *Tunc ego, me simul ac Numen, somnusque reliquit,*
Desilio, e stratis, voluensque hæc omnia mecum
Iussa sequor, magni si sunt hæc vera Roberti,
Dii prohibete tamen; meliora capessere fas est,
Nam fari me cogit amor, tu consule rebus
750 *Dum potes ipse tuis, atque ori parce senili,*
Nec morem incuses: omnes ducuntque, trahuntque
In longum sua verba senes. Sic fata, quieuit.

AVSTRIADOS

LIBER IX.

ARGVMENTVM.

SEquuntur verba Philippi *Palatini ad Nutricem, qui narrat etiam prodigia, quibus aliquid mali futuri suspicabatur, atque vt hac auertantur, Iouem orat. Sequitur præparatio belli Norimbergensium, vbi tertia caussa fœderis Sueuici, quam in quarto libro consulto omiserat, narratur. Digreßio ad nauigationem* Philippi *regis, vbi de eius morte. Inde per reassumptionem Norimbergensium exercitus describitur, & Senatus decreta, ac obiter comitatus Feretti nominis origo. Sequitur* Stromari *ductoris exercitus oratio ad milites. qui quidem ad* Lauphenii *obsidionem proficiscitur, quo post crebras pugnas potitur. idem* Herbruchium, Ætheniumque *occupat. Interea digreßio est ad quadam Cæsaris, Principumque quorundam gesta. Inibique de origine* Agenau. *item* Beyspech, *dum* Phylshophenium *inuadit, ab Albertinis non sine cæde reiicitur. Iterum ad gesta Norimbergensium reuertitur, vbi oppugnatio* Neomartii *opp. acerrima describitur, vnde inglorii discesserunt. Dum hæc in terris patrantur, Iupiter Deorum Dearumque concilium indicit, vbi Poeta multum in eorundem nomenclatura immoratur. In fine quorundam, qui ex domo Austria in Deos relati fuerant, nomina recitantur.*

A*T Dux*(1) *tum cæli cursus, tum sidera voluens*
(2)*Enarrata animo, terrasque amnesque fluentes*
Miraturque timetque simul, certumque putabat
Consiliis hæc acta Deum, nec numine vano
5 *Prædici, summoque trahens suspiria corde,*
Nec tu prima (inquit) Vates es facta malorum
Nutrix, nec generis primum tua somnia nostri

Funera

Funera prædicunt: per summa palatia bubo,
Et diræ(3) vltrices Orci(4), stridoribus altos
10 *Concussere arces: mediis penetralibus anguis,*
Horrendum dictu, squamis, atque ore trisulco
Exiluit, mediumque trahens per inane volumen
Dira lues, thalamum petiit, lectumque iugalem(5)
Tortilibus nodis, spirarumque orbibus hausit(6).
15 *Instamus cuncti, dirumque auertere monstrum(7)*
Conamur gladiis nequicquam. nam sua postquam
Membra thoro posuit, mediis euanuit auris.
Præterea ex adytis voces, & murmura sacris
Silua vbi thuricremas operit Tritonidis aras,
20 *Suppremum cecinere diem. Sic ore locutus,*
Humentes oculos Superum ad conuexa supinat,
Atque ait, O genitor, qui cælum & sidera torques,
Exaudi, si digna precor, nos respice ab alto,
Et nostri miserere: potes namque omnia solus
25 *Iuppiter, & fati leges abrumpe seueras.*
Non equidem inuideo, quod Cæsaris acta, suumque
Nomen ad astra ferat, sed tu genus aspice nostrum.
Nil regni curæ est, nec te fera deprecor arma,
(8)*At quæ Pegnitio properant de littore(9) turmæ,*
30 *Iam sternant bello, & regnum populentur Othonis*
Hercynia in magna, pugnaque ardente senatus
Diues opum, patria depellat sede Philippum(10),
Hanc modo tu prolem serues mihi Iuppiter vnam.
Sic fatus, lachrymis pectus madefecit obortis.

(1) *Philippus* Palatinus.

(2) Quæ omnia non nisi diuino instinctu enarrari poterant.

(3) Furiæ, de quibus superius.

(4) Quod sontes torqueant.

(5) Prodigium futuræ mortis coniugum, scilicet *Roberti* & vxoris.

(6) Id est, defatigauit circum spiras trahendo: vel hausit: id est, ita operuit, texit, vt hausisse, id est, traxisse, ad sese videretur. Maro, *ille impiger hausit Spumantem pateram.*

(7) Portentum, prodigium, idem significant, autore *Cicerone* in diuinatione libro primo.

(8) Norimbergensium exercitum, & copias intelligit. Mentionem autem facit ea de re, quia mox bellum Norimbergensium cum Palatinis scripturus est, quia intellexerant iam copias contra se mouisse.

(9) Ripa amnis Pegnesi, qui vrbi influens per medium illam abluit, diuiditque. Ratium tamen & nauigii vtcumque solutis niuibus, aut effusis imbribus, sociæ vndæ, & confluus humor intumuerit prorsus impatiens est: piscosus alias & fertilis amnis, lapidoque & vario genere piscium vbertim scatens.

(10) Attende ingentem in filium charitatem. Non enim detrectat regno cedere, vt modo filius seruetur: quod pauci factitarunt. Cum multo plura occurrant exempla, quibus admonemur, ob diram regnandi libidinem non abstinuisse patres a filiorum morte, propter affectati principatus ac regni suspicionem.

35 *Belgarum interea rumor perlabitur vrbes,*
Armatas acies mouisse in bella senatum,
Confertoque acres inuadere milite Francos(1).
Germanos olim(2), Vacionesque(3) nepotes
Lata per Herculeam coluisse magalia siluam(4).
40 *Et raptu vixisse ferunt, non pace, nec vlla*
Bello vnquam potuere capi, sed more ferarum
(5)*Aufugere in* nemora, & tetris immersa cauernis* *al. sinu
Venatu lustrare feras, & flectere neruos,
Siluestri quondam gens formidanda rapina,
45 *Nullaque vicinis habuit commercia terris,*
Sed vacuis regnante antris, montesque per altos
Insidias passim moliri, ac tendere fraudes,
Vnde iter infandum nullus, nisi forte coactus
Carpebat nemore immenso, siluaque viator.

(1) Qui erant partium Palatinarum.

(2) Hic narratur illa tertia Sueuici fœderis caussa a Poeta dilata, de qua lib. quarto sic dixit, *Tertia iam caussa est, alio sed differet alma Calliope.*

(3) A *Vacione* Rege Germanorum, alii *Vancionem* scribunt.

(4) Sic restituimus versum, qui corrupte ita legebatur, *Lona per Hercynias coluisse magalia villas.* Cur autem *Herculeam* dixit, proximo libro declaraui.

(5) Et hic corruptus versus sic legendus est, *Aufugere in nemora, & terris immersa cauernis.*

Interea monitu magni Iouis, aurea magno 50
Sceptra sub imperio, & mundi traduntur habenæ
Austriadæ: lætantur agri, lætantur & amnes,
Totaque in assuetos effundit Rhætia flores,
Roscidaque alpina distillant arbore mella.
(1) Non læsus nunc pacis amor, securus vbique 55
Limes, & in tuto sub Cæsare viuitur ætas.
Dii Regem seruate diu(2), seruate nepotes.
Quo me Phœbe rapis? quid me inter bella furentem
Ordiri impellis lachrymas, planctumque mouere?
Iam manibus vis omnis abest. ibit ne sub vmbras 60
Terrarum decus, & iuuenilibus obrutus annis,
Regna sub aurifero deserta relinquet Ibero?
Quem flebit Germana cohors, & Belgica pubes,
Cum sibi Diis vetitum tentabit nauibus æquor.
Heu quantum laudis mors immatura refringet. 65
Nam siue ærisoni pugnator in æquore cursum
Flectat equi, libeat seu propugnare sagitta,
Hic cursu superat cunctos, & certius ictum
Nullus agit: siue in nuda certare palæstra
Mens fuerit, seu fulmineos ex montibus apros 70
Impulerit, nullus iuuene est animosior alter.
Quis canat edomitasque niues, tolerataque belli
Fulmina, & exhaustos neglecto vertice nimbos?
Quod strages dederit populis, quod vicerit hostes,
Dum feracrinitus contra mouet arma Sicamber. 75
Vsque adeo ne Deum manet implacabile fatum,
Grandiaque orsa premit rerum(3). Iam littore classem
Soluerat Oceani, Morinosque reliquerat aluo.

(1) Laudes Cæsaris Maximiliani. *Dii Regem seruate diu, seruate nepotes.*

(2) Hic faciendum interuallum est. Vtitur enim Poeta artificio, dedita opera nomen potiis Regis *Philippi* silentio præterire volens, nisi numine Phœbi impulsus, raptusque coactus fuisset scribere hic per digressionem nauigationem *Philippi* in Hispaniam, tacitumque eius mortis vaticinium.

(3) Id est, principia, quæ rerum magnarum in eo futura videbantur. Tetigit hæc obiter *Roterodamus* in Chiliadibus, vbi deplangit immaturum *Philippi* interitum: colligitque eleganter, neminem esse mortalem vsque adeo cælitibus vicinum, quin bulla sit.

Cum subito strepitum vndarum, tortosque volentes
Concussor(1) maris & terræ Neptunus ab imo 80
Hausit, & in summa glaucum caput extulit vnda.
Atque suum aspiciens ingenti classe per æquor
Regalem fueri prolem, dignumque sub vndis
Esse Deum, tunc secum inquit, Nunquam ne procellis
Liber ero? semper ne meos immanibus austris 85
Addictus, curis atque æuo defessus(2) annos
Discruciem? cælo si regnat Iuppiter alto,
Pacem habet æternam, nec mittit fulmina solus(3):
Sic etiam tristes perpendet frigidus(4) vmbras
Frater(4), vbi fesso sortes parat Æacus olli: 90
Ast mihi sorte datum regnum est(5), cui tradere habenas
Alterius vereor: quod enim hoc est seruitium vsquam
In terris monstrum? taceo, alit(6), ardua pulsat

Sidera

Sidera, & in scopulos sese erigit, & vada subter
100 *Vela trahit, nautas pascunt immania cete,*
Atque nisi horrisonos æstus, rabiemque tridenti
Mulcerem, frænumque mari, atque ruentibus vndis
Iniicerem, latas operirent æquora terras,
Nil agit(7) Oceanus, nec amabilis Amphitrite(8),
105 *Et vitreis tu Dorimanes(9) iam cana sub antris.*
Est noster quicunque labor, quem ferre recuso
Vlterius, regnoque parem, sociumque vocabo,
Qui nunc per nostras defertur classibus vndas,
Submergamque rates, raptumque in sede locabo
110 *Æquorea mecum subter mare, cuius in alta*
Dextra erit vndisoni dominatrix fuscina Ponti.

(1) Græci *Ennosigæon* dicunt.

(2) A situ formata dictio. Est autem *situs* mucor ille, qui propter vetustatem contrahitur, vt *obsitum* dicimus, & *rem situm contraxisse*, cum propter vetustatem infecta est. Claudianus, *squalent immania fœdo Sceptra situ.*

(3) Quasi dicat, vicarios habet, vt Summanum, ceterosque, quibus iaciendi fulmina vis attributa est.

(4) *Pluto* scilicet habet Æacum, Rhadamanthumque, quibus iudicandi officia iniungit.

(5) Iupiter, Neptunus, Pluto, fratres germani, regna vniuersi orbis, ita quidem inter se partiti sunt, vt Ioui cælum, in quo regnaret sorte datum sit. Neptuno obtigit totius oræ maritimæ potestas. Plutoni vero in tertiam sortem inferna obuenerunt. Quamquam vero tres isti fratres ad hunc modum diuisa imperia teneant: videntur tamen, quod ait *Seruius*, communem regni totius habere potestatem, sicut & ipsa elementa, quæ retinent, physica ac naturali inter se quadam ratione iunguntur. Quam rem etiam ipsorum numinum sceptra significare ait: quoniam Iupiter trifido vtatur fulmine, Neptunus tridente, Pluto tricipite Cerbero. Sed & diadema in capite quisque pro regni conditione maxime idoneum gestare perhibetur, quippe Iupiter serto, Neptunus cana ac spumante, Pluto nigra ac furuescente cingitur corona. Sic præterea de hac sortitione Neptuni & Plutonis, deque opibus & imperiis vtriusque, *Cicero* ad verbum, *Aqua, restabat*, inquit, *& terra, vt essent ex fabulis tria regna diuisa. Datum est igitur* Neptuno *alteri* Iouis, *vt volunt, fratri maritimum omne regnum: nomenque productum, vt* Portunus *a* portu, *ita* Neptunus *a* nando, *paulum primis litteris immutatis. Terrena autem vis omnis, atque natura* Diti *patri dedicata est: qui* Diues, *vt apud Græcos* Pluton, *quia & recidunt omnia in terras, & oriuntur ex terris.* Sic *Cicero*.

(6) Rationes dicti recenset: quas breuiter perstringit *Plinius* in proœmio secundi & tricesimi naturalis historiæ. Nemo autem est, qui ignorat *Altanos* ventos appellari: cum ex *alto*, id est, mari flare incipiunt: & *Apogæos*, cum e terra in altum redeunt.

(7) Pro Deo, pro numine posuit, vel pro Nereo.

(8) Neptunus vxorem habet *Amphitritem* Deorum omnium benignam hospitam, ac nutricem. Siquidem sidera pasci, aliqua ab antiquis iam diu recepta, etiam multis argumentis confirmata fuit opinio: quam secutus *Plinius*, in dulcibus aquis lunæ alimentum esse scribit, sicut in marinis solis. Potest idcirco *amabilis* dici a Poeta. Vel potius referri ad Neptuni amorem, qui hanc deperiit, & fugiente tandem internuntio Delphine potita est, iuxta fabulam, quam refert *Hyginus*, & *Ouidius* in Fastis.

(9) Hæc Nerei vxor fuit, ex quo quinquaginta genuit filias, vt inquit *Hesiodus*, eadem etiam pro mari ponitur. Maro, *Doris amara suas non intermisceat vndas.*

Sic ait, & curru pro viribus(1) incubat atris
Fluctibus, obstrusosque imo trahit æquore ventos.
Confestim tumidi tolluntur in æthere montes
115 *Vndarum, pelagique atra vada concita Cauris*
Tempestate sonant, & torto vortice raptant
Corpora vi fundo: trabibus resoluta fatiscit
Compago, frustraque vocant sacra numina nautæ.
Exoritur nox atra oculis, passimque feruntur
120 *Remigia in fluctu, & iam Neptunus, vbi ingens*
Rex superans æstum conflictabatur Iberus,
Vt raperet vicinus erat, pronamque sub æquor
Voluebat puppim, cum Iuppiter æquus ab alto
(Nam Reges, Regumque genus sibi cura tuendi)
125 *Talibus alloquitur prolem Cyllenida(2) verbis:*

I nate,

Inate, & sumptis trepida(3) *nunc æthere pennis,*
Et fratrem æquoreum, qui iam maria omnia prædo
Concitat, aggredere his dictis, atque argue fraudis,
Scilicet imperium pelagi, sæuumque tridentem
130 *Idcirco sibi sorte datum, qui temperet vndas,*
Et moueat quocunque velit, sibi grandia Ponto
Assurgant vt monstra suo, quid nostra lacessit
Fulmina? & in Reges audet temerarius ille
Moliri insidias? nostra hæc(4), *sua tentet. & vltra*
135 *Haud fatus, tacuit. Sumptis Cyllenius alis,*
Nec mora, iussa facit, summisque ex alpibus amnem
Permensus Rheni(5), *dein læua extrorsus oberrans*
Aurea Gessoraco(6) *flectit talaria Ponto,*
Auriferosque(7) *alto quos territat vnda Britannos*(7)
140 *Commota, & toto disiectas æquore puppes*
Vidit, & euulsos Neptunum frangere remos,
Atque hunc magnanimum Regem iam crine tenentem(8),
Inuadit dictis: Quibus o Rex Ennosigæe(9)
Impetis maria alta dolis? non fraudibus vti
145 *Imperium*(10) *decet, atque instar regnare Tyranni*(11).
Æquora habes, & sorte datum vibrare tridentem
Per freta, per fluctus, & eo compescere Pontum
Quem circum monstra, & proni Tritones oberrent.
Quid tentas nunc regna Iouis? temerataque temnis
150 *Fulmina*(12)? *& in Reges tantum Deus æquoris, audes*
Moliri insidias? (13) *etenim sunt sub Ioue magno*
Et Reges(13), *Regumque genus: sic fatus, vt ales*
Ad prædam clausis decurrit ab aere pennis.
Deuolat, & manibus Regem diuulsit ab vdis,
155 *Disiectasque rates, atque ipsum ad regna Britanni*(14)
Appulit, & socios tuta in statione reliquit.

(1) Pro virili sua.

(2) *Mercurium*, a *Cyllenio* vt diximus, monte omnium qui sunt in Arcadia altissimo, cui nomen imposuit *Cyllenus* Elati filius, vt *Pausanias*, vt alii cum *Stephano* volunt, Nympha *Cyllene*, quæ illic educauit Mercurium, aut ex Ioue peperit, vt ait *Cornelius*, teste *Parrhasio*. Receptum tamen est, Mercurium esse Iouis & Maiæ, quæ Pleiones & Atlantis filia fuit, vt apud Græcos *Aratus*, *Maro Hyginusque* e nostris refert.

(3) Non dixit, *labere*. Nam *labi* paulatim ferri significat. Maro, *Labere nympha polo.* Sed dixit, *trepida*, id est, *festina*, *velociter vola*. Ceterum Mercurius, inquit *Seruius*, ideo pennas habere dicitur, quia citius omnibus planetis in ortum suum recurrit.

(4) Scilicet Reges, iuxta *Horatium*, qui ait, *Reges in ipsos Imperium est Iouis.* Tradunt Astrologi, qui habent Iouem in genitura, magnos Principes fieri, vel Reges, vide sextum capitulum lib. tertii apud *Firmicum*, & *Pontanum* libr. de rebus cælestibus quarto. Idem cecinit *Hesiodus* in principio Theogoniæ. Verum *Seneca* grauis autor, & amœnissimi, vt ait *Tacitus*, ingenii, dixit, *Aut Regem, aut fatuum nasci oportere.* Nam quemadmodum, inquit *Rhenanus* noster, in fatuis, risu quæcunque fecerint, excipimus, sic Regum quoque facta nemo non probat. Proinde verissimum est, facultatibus, licentiaque & assentationibus ali Principum vitia. Et nisi stulti fuissent olim Reges, non essent tot libri illorum fatuitatibus referti, hoc est factis non tam stultis sæpe numero quam sceleratis ac impiis cædibus & bellis: quibus in hoc mundo nihil stultius, vt explicat *Erasmus* in adagio, *Dulce bellum inexpertis*, tum alibi.

(5) Ita nauigantibus nobis per Rhenum ab Alpibus agendum est, extrorsus enim, hoc est, læua Belgæ sunt.

(6) Pro *Gesoriaco*, id est, Belgico, nunc Callesium vocant.

(7) *Diuites.* Arbitror enim ad Regem Britannorum allusisse, eius qui nunc regnat, patrem, qui omnium Regum Europæ ditissimus auri habitus est. Ad quem nos multas Cæsaris *Maximiliani* iussu dictauimus literas, dum scribæ fungerer officio. Gallorum opes *Budæus* ostentat lib. de Asse tertio & quarto.

(8) Innuit hoc scito figmento, actum iam de *Philippo*, cuius res etiam tenera eo venerat, vt extra humanum consilium & auxilium esset, necessitatique & Deo concedens, securusque & intrepidus mortem expectaret, Huius fatalis nauigationis cursum eleganter descripsit *Aloisius Marlianus*, qui socius malorum fuit & indiuiduus comes. Is defuncta coniuge, Tudensem Pontificatum adeptus

adeptus, in comitiis nuper ad Wormatiam excessit e viuis. Extat epistola ad *Iacobum Bannissium*, quæ mea nuper opera in lucem emersit, digna enim, vel ob argumentum videbatur, vt ad posteros transmitteretur.

(9) Nuntii fidelitas notatur, qui eisdemmet verbis refert, quibus nuntium peragendum acceperat, vtcumque Maronem imitatus.

(10) Sic scribendum, & non *imperimum*, dictio prorsus nihili, vt sit contentum pro continente.

(11) Vide quæ scribit *Aristoteles* capite decimo quarti Politicorum, & quæ illic *Iacobus Faber* adnotauit. Pulchre *Seneca*, vt tyrannus a Rege distat, prosequitur libro de clementia primo. Ad tyrannum & non bonum principem pertinet Photini monitum, cum sic is apud *Lucanum*, Ptolemæum alloquitur, *Ius & fas multos faciunt, Ptolemæe, nocentes: Dat pœnas laudata fides*, & post, *Sidera terra Vt distant, & flamma mari, sic vtile recto, Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta Incipit, euertitque arces respectus honesti, Libertas scelerum est, quæ regna inuisa tuetur, Sublatusque modus gladiis*, & infra, *Exeat aula Qui vult esse pius, virtus & summa potestas Non coeunt, semper metuet, quem sæua pudebunt*. E diuerso ad bonum Principem, & non ad tyrannum pertinet *Claudiani* ad Honorium monitum, quod haud grauabor adscribere, cum id aureo carmine Poeta elegantissime complexus sit, & *Zasii*, illius magni in iure nostro sacerdotis, sanctum desiderium mentem subeat, dum inquit, *Quam bene se haberet, si celeberrima huiusmodi carmina, diuino scripta ingenio, Principibus Romanis tam operose ingererentur, quam solet frequenter eius potestas (laxatis aliquando modestiæ habenis) per blandimenta fortasse, vel supra immensum efferri & extolli.* Sic autem inter alia *Claudianus* Imperatorem hortatur, *Tu licet extremos late dominere per Indos, Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent, Si metuis, si praua cupis, si duceris ira, Seruitii patiere iugum, tolerabis iniquas Interius leges: tunc omnia iure tenebis, Quum poteris Rex esse tui.* Et paulo post, *Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit Occurrat, mentemque domet respectus honesti. Tu ciuem, patremque geras, tu consule cunctis, Nec tibi, nec tua te moueant, sed publica vota. In commune iubes si quid, censesue tenendum, Primus iussa subi: tunc obseruantior æqui Fit populus, nec ferre vetat, quum viderit ipsum Autorem parere sibi, componitur orbis Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis.* Et quæ sequuntur.

(12) Quasi dicat, temeritate tua videris Iouis fulmina contemnere.

(13) Quomodo & in arcanis literis scriptum legimus, *Cor regis in manu Dei.* Et alibi, *Cornua in manibus eius*, pro eo quod est, *regna*, vt est moris scripturarum, autore *Hieronymo*.

(14) Marlianus: *Exclamatum est*, inquit, *a nautis, terra, terra, omnes nos læto clamore terram salutauimus. Erat terra Anglia, sinus caput Portani vocatur. Quod si a nautis præteritus fuisset, vt minimo minus fuit, locus ille, in certam & ineuitabilem mortem ferebamur, nam nec nauis vlterius contra tempestatem, quæ & tota die & nocte debacchata est, stare poterat, & altera die in vada Flandriæ etiam nolentes trudebamur.* Hæc ille.

Tunc sale tabentes artus, atque humida passim
Transtra Caledonio exponunt in littore(1) *Belgæ,*
Armaque arenoso pandunt nauali campo,
160 *Et Phœbo siccantur opes, & regia gaza.*
Nox ruit, interea curarum voluitur æstu
Neptunus, tristem compescere nescius iram.
Concilium indicit: simul at vox lapsa per vndas
Æquorei venere Dei, & scopulosa frequentant
165 *Oceano in medio vitrei prætoria Regis*(2).
Tunc Rex pumiceo considens turbidus antro,
Regna Iouis monitu dudum temerata recenset,
Egregiamque sibi dolet abstraxisse rapinam
Mercurium. Elatis aderat reuerentia verbis(3).
170 *Exorti passim fremitus & murmura vulgo,*
Sed vanum tentare Iouem: sic agmine facto
Desæuitum vndis(4), *& rupto limite Ponti*
Belgica ab effuso demergitur æquore tellus.
Diffugiunt matres, pressosque ad pectora natos
175 *Exportant, trepidique senes, timidæque puellæ*
A rapidis vectantur equis, pars acta quadrigis
Excipitur, præuenta freto sub gurgite moles
Omnis abit, monumenta patrum stant vulsa(5) *metallis:*
Marmora Synadiis(6) *subter freta, sic iuga rupit*
180 *Herculeus labor*(7), *& Bethym diuulsit ab Afris.*

 (1) Id

(1) Id est, Britannico. Nam Caledonia silua *Ptolemaeo* est in Britannia. Vnde etiam *Ouidius* Britannos *Caledonios* appellat. Non enim ea in parte, vbi Caledonia silua est, factum est naufragium: sed idcirco dixit, quia omnes sic per hoc epithetum intelliguntur. In hunc Caledoniæ recessum appulsus Vlysses aram posuit, *Solino* teste, de qua libro primo diximus. Non tacendum, & in Ætolis vrbem esse *Calidonem*, iuxta Euenum amnem. Verum vocabula sillabis dinosci. Nam *Calidon*, vt notauit *Vadianus*, pro Ætolio oppido penultimam corripit: pro Britanniæ silua producit, *o* litera correpta, testes aduocat *Lucanum* & *Martialem*, quanquam sint, qui *e* litera scribendum contendant, vt Poeta fecit.

(2) Sumpta similitudine a prætoribus, ad quos edicto publico omnes conueniunt. *Asconius*, veteres, inquit, omnem magistratum cui pareret exercitus prætorem appellauerunt, vnde & prætorium tabernaculum eius, & in castris porta prætoria, & hodie quoque præfectus prætorio. Cum igitur Imperium Romanum ad monarchiam deuenit, Principes Romani equitem vnum Romanum prætoriæ cohorti, aut cohortibus etiam præfecerunt, & prætorio suo, id est, aulæ, quam lingua vulgaris hospitium Regis appellat. Vnde præfectus prætorio hodie dici potest, qui magnus magister hospitii, seu, vt nostri, domus vel curiæ dicitur, teste *Budeo*. Ceterum, cum plebi, vt *Liuius* scribit, ad consulatum factus esset aditus, vicissim patribus concessum est, vt prætorem crearent, qui a *præeundo* (vt voluit *Fenestella*) prætor dicitur. *Varro* a præeundo dictum putat, de cuius potestate pluribus *Fenestella*. *Iuuenalis* prætorem pro Imperatore posuit, & alicubi pro eodem Consulem & Prætorem. Id quod adnotatu dignum putauit. *Budæus* asserit, libro Annotationum in Pandectas.

(3) Multum enim interest, cuius ore verba proferantur. Nam si idem a paupere dicatur, idem a Rege, non esse idem videbitur, vt innuit apud Euripidem Hecuba his verbis, *Erasmo* interprete, ad Vlyssem loquens, *Si vel male hæc autoritas dicat tua flectet, quod a leuibus profecta oratio, & a probatis, non idem valet eadem.*

(4) Veritas est, & puto latenter Poetam illuuionem illam Oceani signasse, quæ patrum nostrorum memoria sexaginta annis fere elapsis contigit, qua multa millia passuum continentis Oceanus submersit. Vbi ipsi vidimus adhuc eminentia domorum ac templorum cacumina, turresque. Vnde neutiquam abhorret a vero, quod *Aristoteles* in Meteoris tradidit, perpetuam esse vicissitudinem, in terræ, mariumque situ & circa partes variatione. Accedit libro vltimo *Strabo*, *Plinius* secundo, *Mela* primo, *Solinus* cap. quarto decimo, *Ouidius* Transformat. quinto & decimo, ceteri. Ex recentioribus *Pontanus* in Meteoris. Poeta noster in primo.

(5) Eruta.

(6) Id est, pretiosis lapidicinis & marmorariis. Nam *Synadum* marmor in maximo pretio habitum fuit apud antiquos. Metallum autem de omni materia dici potest: quod alia post aliam inueniatur, verbi gratia, inuento auro, postea inuenitur argentum, post argentum plumbum: abusiue tamen ad marmorum venas, vt ita dicam, transferimus.

(7) Quod naturæ varietate contigit, prisca fabulositas tribuit Herculi. Scilicet, Iunctos olim, vt *Mela* ait, perpetuo iugo diremisse colles, atque ita exclusum antea mole montium Oceanum, ad quæ nunc inundat, admissum.

Dum Rex vndarum hæc agitat, mansuraque in æuum
Vincla aperit Ponti, terrasque inuadit apertas,
Maturare fugam iubet Aliger(1)*: ilicet omnes*
Stauratam(2) *læto propellunt remige classem.*
185 *Iamque Caledoniæ radunt confinia terræ*(3),
Ingentesque vident flexus, quibus irrigat agros,
Mobileque exultans infertur Alaunius(4) *æquor.*
Hinc Isacæ cursum, & latis Durotriges aruis,
Obliquique vndas Tamari(5), *Volibamque relinquunt,*
190 *Arduaque effugiunt prærupti saxa Gobæi*(6),
Præcipitesque dolis Venetos(7), *Ligerimque sinistrum*(8),
Et quos diues alit versis Aquitania(9) *campis*(10).
Iamque sinum ingentem præterlabuntur, & ima
Littora, & accessu maris exundare Garumnam(11)
195 *Prospiciunt, motamque æstus per fluminis Antron*(12),
Miraturque noua Tarbellicus(13) *incola Pontum*
Classe premi, & pulsi currunt rumore Ruteni(14),
Vt Pyrenæos(15) *concessum attingere montes,*
Hesperiam(16) *ingenti nautæ clamore salutant,*
200 *Cantaber*(17), *& velox*(18) *correptis Vardulus*(19) *armis*
Aduentu trepidant, atque auro concolor Astur(20)
Montanis exultat equis, cum præpete(21) *Leucos*(22)

Transa-

Transabiit cursu(21) *scopulos*(22), *longique remensa est*
Ingentes Nerii(23) *rupes*, *fœcundaque radens*
205 *Marmora Cassitero*(24) *Minii*(25) *ratis haesit in vnda*,
Vltimaque Hesperia, & populi per littora classem
Callaici(26) *excipiunt laeti*, *& fatalia*(29) *Regi*(28)
Rex senior(27) *sceptri concessit iura*(29) *nocentis.*

(1) Mercurius.

(2) Pro *instauratam*, id est, *redintegratam*. Nam *Varro* ait, *Macrobio* teste, *instaurare* esse *insuper nouare*.

(3) Id est, Britannicae. Poeta eleganter a Britannia vsque ad extremam Hispaniae plagam, vbi Gallici sunt, nauigationem describit.

(4) Ptolemaeo Britanniae fluuius, & *Alani* populi diuersi ab *Alanis*.

(5) *Ptolemaeo* Tamara, Melae *Tamaris*, flumen secundum, vt ait, Arotebratum portum, de quo *Strabo* libro 3.

(6) Promontorii.

(7) Populi maritimae in Gallia orae, quos Caesar nauali proelio in potestatem redegit. Vocat autem *praecipites dolis*, quia legatos, quod nomen, vt ipse Caesar ait, ad omnes nationes sanctum, inuiolatumque semper fuisset, retentos in vincula coniecerint. Reliqua de Venetis apud eum. Sed & Veneti Adriatici hoc nomine male audiunt, lege orationem *Ludouici Heliani* ad Maximilianum.

(8) Fluuius est Narbonensis potissimus, qui prouinciam eam a cetera Gallia diducit.

(9) *Gallia omnis*, inquit *Plinius*, *comata vno nomine appellata*, *in tria populorum genera diuiditur*, *amnibus maxime distincta*: *a* Scalde *ad* Sequanem Belgica: *ab eo ad* Garumnam Celtica, *eademque* Lugdunensis: *inde ad Pyrenaei montis excursum* Aquitania, Armorica *ante dicta est*. *Vadianus* hodie a Gallis *Guienne* vocari scribit. *Volaterranus* tradit Aquitanos a ceteris Gallis corporibus & lingua differre, magisque Hispanis similes, quibus finitimi sunt.

(10) Perinde fertilibus.

(11) Vnde more ipsius pelagi saeuientis exurgens iactat nauigantes. Meminere huius multi, nemo tamen, vt refert *Vadianus*, de eo diligentius *Mela* scripsit. Verba non adscripsi, quod autor sit vulgatissimus, & impeditum eius opus *Vadiani* scholiis explicatum.

(12) Ex eodem hic locus sumptus est, vbi de Garumna loquens, *In eo est insula*, inquit, Antros *nomine*, *quam pendere & attolli aquis increscentibus ideo incolae existimant*, *quia cum videatur editior aquis obiacet*: *vbi se fluctus impleuit*, *illam operit*, & quae sequuntur.

(13) Nunc Tarinensis ad Aturi ostia prope Pyrenaeos, ait *Volaterranus*.

(14) Nunc *Rutenenses* eodem autore, inter Aquitanos antiquos nomen seruantes.

(15) Hoc est, mare, quod e regione Pyrenaeorum est, qui Galliam ab Hispania diuidunt.

(16) Hispaniam. Sunt enim Hesperiae duae. Lege *Seruium* primo Aeneidos super illud, *Est locus Hesperiam*.

(17) Cantabri situ locorum inter vltimas Hispanorum connumerantur gentes, ab Augusto subiugati, quorum tamen & peior & altior & magis pertinax in rebellando animus fuit, vt dicit *Florus*: & *Horatius* alludens, *Cantaber sera domitus catena*. *Orosius* multa de Cantabrico bello libro sexto scribit, *Eutropius* septimo, *Suetonius* in Augusto. Laudes Cantabrorum *Silius* cecinit libro tertio & quinto. *Mela* inquit, *Cantabrorum aliquot populi*, *amnesque sunt*, *sed quorum nomina nostro ore concipi nequeant*. Quod argumentum est, longe a Romana lingua alieno eos tum sermone vsos fuisse.

(18) Agilis, manu promptus.

(19) Eundem cum Cantabris, eodem autore, tractum tenent Varduli.

(20) Eodem epitheto vtitur *Silius*; *Sed scelerum caussas aperit Deus*, *improbus Astur Visceribus lacerae telluris mergitur imis. Et redit infelix effosso concolor auro. Astures* enim, quorum tractus *Asturia* nomen habet, olim gens aurifodinis nobilitata, & equis: quod Poeta notat, dicens, *Montanis exultat equis*.

(21) Est enim equis illis, qui *Asturcones* vocantur, patria lingua *Chinae*, nostra, vt puto, *Genneter*, non vulgaris in cursu gradus, vt ait *Plinius*. Sunt autem inutiles bello. *Silius*; *His paruus sonipes*, *nec Marti notus*, *at idem Aut inconcusso glomerat vestigia dorso*, *Aut molli pacata celer trahit esseda collo*.

(22) *Trileucos* geographiae tabulae habent.

(23) Citerioris, quae & Tarraconensis, Hispaniae promontorium, quod occidentalis & borealis Hispaniae lateris finis est. Nunc *sancta Maria* finis terrae dicitur, vt scribit *Volaterranus*. Porro in Tarraconensi sunt haec regna, quae vni tamen *Carolo* parent. *Nauarra*, quod inter Cantabros continetur: *Castelia*, quod inter Callaecos & Astures: *Arragonia*, quod inter Celtiberos ac Tarraconenses. *Volaterranus*.

(24) Signat insulas *Cassiterides*, *Ptolemaeo* numero decem, a stanni copia: quae iam desiit, & in proxima nunc Britannia cernitur, vt dicit idem *Volaterranus* Graecis *Cassiteros* stannum dicitur. De his *Plinius* in quarto, *Strabo* tertio, *Mela* eodem, *Solinus* cap. 36, *Diodorus Siculus* sexto.

(25) A *minii* abundantia in illis terris *Minio* amni nomen datum est. Lege *Iustinum*.

(26) Pro *Callaeci*, diuisa diphthongo, tenent inferiora littora vsque ad Nerium promontorium. Horum est *Flauium Brigantium*

Ptolemaeo, *Antonino* autem *Brigantium* tantum. nunc *Compostella*, prope quam *sancti Iacobi*, vt ait *Volaterranus*, oraculum.

(27) *Ferdinandus* socer.
(28) *Philippo* genero.
(29) Qui paulo post in Hispania obiit.

Heu regnum inuisum Superis, heu classe petitas
210 *Praecipiti sontes terras, quis temperet aegros*
A lachrymis oculos? quis singultantia corda
Leniat? O felix, quantum sperare iubebant
Te fortasse Dei, quantum vis improba fati
Abstulit Hesperia, & nocti demersit acerbae.
215 *Namque sub occasu quae sunt, solemque cadentem*
Aspiciunt, quaeque alta polo complectitur Arctos,
Quicquid & ad Siculos exporrigit Itala tellus
Imperii fines iam dudum sceptra petebant
Belgica, sub leges vnius Regis itura.
220 *Vlterius vetuit*(1) *ventura*(2) *retexere Apollo*
Fata Deum(3)*: tu nunc, penes est quem latius vnum*
In terris regnum, sis o Germanice Caesar
Fortunae exactor: tua te regat ardua virtus.
Orta cadunt(4)*, finis cunctis mortalibus idem*(5)*,*
225 *Angustique dies*(6)*, & vita precaria nostra est*(7)*.*
At Martis nos vrget opus(8)*, iam creuerat aequus*
Pacis amor populis, vitamque fugarat agrestem,
Et mores domuit vetitos, Sueuumque rebellem
Impulit ad leges, cum Norica castra senatu
230 *Insigni ac terra alma viris se iunxit in iisdem*
Foederibus, magni factis & rebus adesse
Pollicita Austriadae: quae postquam sensit iniquo
Marte Palatinum vrgeri, sopitaque nondum
Extiterant odia, atque augendi regna cupido,
235 *Arma parant Patres, variisque agitata senatu*
Consiliis sunt bella prius, qui censuit vrbis
Delectum fieri, & validam dare nomina pubem.

(1) Noluit aperte praedicere mortem *Philippi*, vetitus a numine: ne scilicet, malorum futurorum praescientia, antequam venirent, angeremur, fictum est.

(2) Dixit, respiciens ad filios, quorum magnitudo immensa futura erat.

(3) Apostrophe ad Caesarem, quem dicit esse debere trutinatorem fortunae, & quantum in rebus humanis possit prospicere, quae non nisi virtute, ac animi magnitudine superari potest.

(4) *Haec sententia mundo data est, haec Dei lex est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant, vt infirmentur fortia, & magna minuantur, vt cum infirmata & diminuta fuerint, finiantur*, dicit *Cyprianus* contra Demetrianum.

(5) Sententia catholica, & a poetis celebrata. Videlicet, *Hic primus & vltimus ordo. Tendimus huc omnes.* Haec est domus vltima, & quod pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas, Regumque turres.

(6) Breue tempus. *Siquidem*, vt idem in eundem eleganter scribit, *in ortu adhuc suo ad finem natiuitas properat: sic quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat, vt nemo mirari debeat, singula coepisse in mundo deficere, cum totus ipse iam mundus in defectione sit & in fine.*

(7) Hoc est, cuius vsura precario fruimur, cum in arbitrio alterius positum sit: eam cum vult, repetendi. *Apuleius*, Quid ad *precariam vitam* me reducitis? *Vlpianus*, *precarium* diffinit, id esse, *quod precibus petentis vtendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit, patitur.* Vnde *precariam* rem dixerunt, quae quasi commodato accepta sit, & iuris alieni censeatur. *Ouidius* de Acheloo, *Quid fore te credis, falsum qui versus in anguem Arma aliena moues, quem forma precaria celat.* *Donatus* ait, petimus precario, poscimus imperiose, postulamus iure.

(8) Sensus est: Plura canerem in hanc sententiam, nisi inchoatum opus vrgeret.

Iam croceis Aurora rotis surgebat Eoo
Littore, & auricomo terrae iam sole micabant,
240 Stromarus *Eurydamas*(1) *consensu in bella senatus*
Describit populos, obseruantissimus aequi
Qui fuit, & dextra nullis aequandus, & armis,
Primus inire aciem, postremus cedere pugna,

Militiae

Militiæ follers, qui formam, & tempora norat;
145 *Seu ducendus erat densos equitatus in hostes,*
Seu frænanda manus, tardamque lacessere pugnam
Vtilius, durumque in cornua vertere Martem.
Iamque sub(2) Alerio miles conuenerat(2) vdo
Hoc campo est nomen) gentemque moratur agrestem,
250 *Falcatosque axes, quos prætor agebat Homertes.*
Prima cohors Scythiæ cristatam more gerebat
Cassida, & induta horrescit femoralibus æreis,
Aspera fustibalo committens bella cruento.
Quæ sequitur pileis non aspernabilis hasta,
255 *Intortos operit crines Syriisque thiaris,*
Pro clypeis huic gerra(3) manu, vastique dolones(4),
Et mos gemmato mucronem annectere baltheo,
Quas regit asper equo, pedibusque in Marte Seleucus.
Pone subit gens bello atrox, quæ membra Sisyrnis(5)
260 *Contegit, & crurum tenus exarmata refulget,*
Eooque acres inuadit acinace pugnas.

(1) *Stromarus* nomen proprium & verum. *Eurydamas*, vt quæ sequuntur, *Homertes*, *Seleucus*, ficta sunt nomina, per quæ vera significantur: quæ ipse inuestigassem, si commodum fuisset.

(2) Nam quatuor fontes illum irrigant. Lege *Celtem* cap. quarto, Norimbergæ. Huic campo est nomen Teutonice, *Hallervvyss.* Arbitror ego nomen prato a familia *Hallerorum* obuenisse. Locus is quingentis passibus longitudine patet, latitudine angustior Idem scribit *Celtes.*

(3) Id est, *Cetra*, pharetris subterpendentibus, vt ait *Herodotus* lib. septimo, vbi armaturam Persarum refert. Porro *gerra*, inquit *Festus*, *crates viminea*, Athenienses cum Syracusas obsiderent, & crebro gerras poscerent, irridentes Siculi *gerras* clamitabant. Vnde factum est, vt *gerra* pro nugis & contemptu dicantur.

(4) *Seruius* lib. septimo super illud, *Pila manu, sæuosque gerunt in bella dolones*, dicit, *dolonem* flagellum esse, intra cuius virgam latet pugio: a *fallendo* græce dictum, id est *dolo*, quod decipiat ferro, cum speciem ligni præferat. *Tranquillus* in Claudio; *Reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone, ac venatorio cultro, præstolantes, alter vt egressum theatro, alter vt sacrificantem apud Martis ædem adoriretur.*

(5) *Herodotus* lib. modo citato, *Caspii*, inquit, Sisyrnis, *quod est genus penulæ, induti, arcus gentili more arundineos gestabant, & acinaces.* *Horatius* acinacem pro omni gladio vsurpauit, vt interpretes vno ore referunt, Ode septima & vicesima primi carminum. Varia armorum genera in *Staurostichi* Enarratione retulimus.

Quarta autem legio pardorum(1) pellibus harmos
Vestit, arundineas & certatura sagittas
Saxo acuit, (2)capreæque vibrat tela horrida(2) cornu;
265 *Hæc sub Atocle meret(3). Duxisse Autharchida(4) quintam*
Sternacem referunt, solita est quæ montibus altis
Fraxinea timidos defigere dorcadas hasta.
Hæc pellem auritæ frontis gestabat equinæ
Voluentis per inane iubas, quæ vertice summo
270 *Dependent, auresque vtrinque ad tempora vibrant.*

(1) Sunt pardi pantherarum mares. Quidam ab iis pantheras solo candore discernunt. *Solinus* scribit, pardorum adulterinis coitibus degenerare partus leænarum, & leones quidem procreari, sed ignobiles. Meminit & *Plinius* libro 8. Hos adulterinos coitus leænarum cum pardis eleganti carmine *Claudianus* in consulatu Manlii Theodori complexus est: quod *Camers* ante me adnotauit in Solinum.

(2) Significat arcum, cuius extremitates cornuum caprearum mucrone ornantur non modo, sed vt fortiores etiam sint.

(3) Hoc loco sine diphthongo scribendum, vt vel ipsa syllabæ ratio admonet. Sic Lucanus, *ære merent paruo.* Nam *merere*, pugnare est. vnde *emeriti milites*, qui completis stipendiis militiæ sacramento soluti sunt. *Maro* in Georgicis, *emeritos boues* appellauit, vt *Claudianus* iugales.

(4) Autarchi filia. Vterque *Homerus* fingit Penthesileam aduersus Græcos ad bellum Troianum venisse.

Armati astabant omnes, Martemque ciebant.
Interea Patres sublimis in arce Dianæ(1)

Conueniunt, agitantque feri primordia belli.
Et tandem Arſanes(2) *fecit ſic verba ſenatu*(3):
275 *Quandoquidem ardentes animos, aciemque videmus,*
Facto opus eſt Patres, Cæſar nos fœdere iunctos
Iam vocat, incuſatque moram, tempuſque ſubinde
Conſiliis labi: veſtros ſint fata Sagunti(4)
Ante oculos. nam dum Rhæteia(5) *conſulit ægros*(8)
280 *Roma*(6) *Patres*(7), *Quintum cunctatoremque*(9) *requirit*
Interiit flamma(10), *& Tyrio gens victa Tyranno*(11).
Quare cum primum pubem deducere ab vrbe
Decretum vobis, extemplo caſtra petendum
Auſtriadæ reor, & ſociis ſocia arma cateruis
285 *Iungendum: ſic nos Aquilis victricibus vrbes*
Deuictas fauſto repetemus, & oppida bello.

(1) Multi referunt in arce fuiſſe Dianæ templum. Meminit *Celtes* autor non ineruditus in deſcriptione vrbis Norimbergenſis.

(2) Fictum & hoc nomen. Sequuntur autem tres orationes. Prima perſuadet, quam primum mouenda caſtra, nec conſiliis nimium tempus terendum, Cæſarique coniungendum exercitum. Secunda perſuadet, vt flamma a patria, ſiue ab occupatis oppidis belli remoueatur, petendam Palatini patriam: diluitque conſilium Arſanæ de iungendis copiis. Ita enim ad patriam tuendam, Palatinæ copiæ reuocabuntur: vtiturque Hannibalis exemplo. Tertia oratio, quæ vtramque opinionem refellit, multis probat argumentis, Ducis *Othonis* oppida inuadenda eſſe.

(3) Senatui. Libuit de ſenatu, ſenatoribuſque aliquanto latius ſcribere: quod res alioqui cognitu digna, non cuilibet obuia eſt, & in errorem tracta, digna flagris, *Budæo* cenſore, Accurſii ignorantia, vel certe confidentia. Senatum a Romulo inſtitutum fuiſſe *Liuius* teſtatur his verbis; *Cum iam virium haud pæniteret, conſilium deinde viribus parat. Centum creat ſenatores: ſiue quia is numerus ſatis erat: ſiue quia ſoli centum erant, qui creari patres poſſent.* Patres certe ab honore, Patriciique progenies eorum appellati. Hic ſenatus paulo poſt in duas velut factiones, maiorum ſcilicet, minorumque gentium, & ex centenario ducenarius factus eſt. De qua quidem appellatione maiorum minorumque gentium idem *Liuius* meminit, vbi de Tarquinio Priſco, & de Tarquinio Superbo eius filio loquitur. Erat autem vnus in ſenatu, qui Princeps ſenatus dicebatur. Quanta autem auctoritas ſenatus fuerit, licet ex *Liuio* intelligere libro primo ab vrbe condita. Senator nomen ordinis erat, non magiſtratus. Tres enim erant ordines Romæ, *Senatorius*, *Equeſtris*, & *Plebeius*. Ordo *Senatorius* ampliſſimus ordo vocabatur. *Cicero* pro domo ſua ad Pontifices; *Quid cum Senatum pro me non modo propugnare ampliſſimum ordinem, ſed etiam plorare & ſupplicare mutata veſte prohiberent, ne tum quidem ius erat?* Et de Prouinciis conſularibus; *Reduxit me cum illo in gratiam ordo ampliſſimus.* Itidem ſæpe *Liuius*, & *Paulus* in l. nuru. de legat. tertio. Maieſtatem eius ordinis dignationemque *Liuius* proſequitur. Varia autem Senatus legendi ratio fuit diuerſis temporibus. Nec prætereundum ſilentio, in rebus momentoſis, aut ad exemplum pertinentibus, Senatores non minus centum Senatuſconſultum facere poterant, vt videtur ex *Liuio*. Verum duo Senatuſconſulta vno die non fiebant: id quod, innuit *Capitolinus* in Maximino. Quomodo autem Senatores in Senatum ire cogerentur, *Cicero* Philippica prima docet. Prehendi Senatores iuſſu Conſulis poterant. Lege *Valerium* libro quinto, *Gellium* quarto. Idem *Gellius* libro duodecimo docet, quid ſit prehendere, & qui magiſtratus prehenſionem, quique vocationem habuerint, & qui vtrunque, aut etiam neutrum. Ceterum intercedere Senatuſconſulto Tribuni plebis poterant, vt ex *Liuio* & *Tacito* conſtat: vt cautum erat in duodecim tabulis. De Senatu Senatoribuſque pluribus refert *Budæus*, vnde hæc obiter excerpſimus, in copioſiſſima annotatione l. vltimæ de Senatoribus.

(4) Ab exemplo. Eſt autem *Saguntum* Hiſpaniarum oppidum vltra flumen Iberum, paſſus mille ferme a mari, oriundi a Zacynto inſula dicuntur. Autor *Liuius* libro primo ſecundi belli Punici. *Silius* Saguntum eleganter in primo quoque deſcribit.

(5) Cur ſic, iam dictum eſt.

(6) Alluſum ad illud vulgatiſſimum, *Dum Romani conſulunt; Saguntum perditur.* *Florus* ait, *Non ſtatim ad arma procurrunt, dum prius more legitimo queri malunt.* de quo more lege *Feneſtellam*.

(7) Senatores, quorum collegium Romani, vt *Plutarchus* autor eſt, *Patres Conſcriptos* appellabant. Quod nomen & dignitatis plurimum, & inuidiæ minimum præ ſe fert. Sed ab initio tantum *Patres* dicti: poſtea a ſcriptis in eum ordinem, pluribus *patres conſcripti* vocati ſunt. Vnde *Feſtus*; Patres *dicti ſunt*, inquit, *qui ſunt* Patricii *generis*: Conſcripti, *qui in ſenatu ſcriptis ſunt annotati.*

(8) Tardos.

(9) Hoc eſt, dum Q. Fabium cum collegis in Africam mittit ad percunctandos Cartaginenſes, publico ne conſilio Hanni-

bal

bal Saguntum oppugnasset? Cætera *Liuius* libro modo citato. Vnde *cunctatorem*, expone, *percunctatorem*. Sunt enim propriè cunctatores, vt a *Budeo* didicimus, qui Pythagoricorum verbo *Echemythi* vocantur: quod significat, sermonis homines parcissimos, qui aures duas habere se, vnicam linguam in caussis etiam publicis meminerint.

(10) *Florus* de Saguntinis lib. secundo loquens, *Interim iam nouem mensibus fessi*, inquit, *fame, machinis, ferro, & igne. Versa denique in rabiem fide, immanem in foro excitant rogum: tum desuper se, suosque cum omnibus opibus suis ferro & igne corrumpunt.* Idem fecisse aliquando Cappadoces scribit *Iustinus*. Hac clade Saguntinorum nihil est cantatius. Scribunt enim eam fere omnes tam Latini quam Græci, *Liuius*, *Plutarchus*, *Appianus*, *Polybius*, *Eutropius*, *Orosius*, *Augustinus*, *Silius*, *Valerius Maximus*. Quotas, vt vulgo ait, non vbique adscripsimus, quas suo more *Camers* non negligit, quoniam autores, qui nunc prodeunt denuo, ferunt indices secum locupletes.

(11) *Hannibali*, cuius mores *Silius* describit in principio primi, ibi, *Ingenio motus auidus*, & *Liuius* aliquanto latius.

His dictis tacuit, contra sic ore locutus
Sæualdos: Aliter nobis sententia, Patres,
Ingruit, ad Rheni ripas, & regna Philippi
290 *Signa volent, populentque agros, face cuncta manuque*
Hostili inuadant: sic Martis fulmina nostris
Arcebunt humeris, cogentque redire paternos
Quemque lares, stabit spes interrupta Roberto,
Quem patriæ reuocabit amor, curæque parentis.
295 *Sic & Amilcarides*(1) *Byrsæ*(2) *remeauit ad arcem*
Sidoniæ(2), *Tyrios quateret cum machina muros*
Ausonia, & duras ferret cum Scipio leges(3).
Quod iunctis tentanda senex legionibus arma
Consulit Arsanes, tutum est, maiore nec vlla
300 *Auspicio sunt bella quidem: quid? ne indiget vlla*
Cæsar opis? nostrisque simul sua facta putatis
Digna admisceri? furiis agitatus(4) *in hostem,*
Lantgrauius *solus vadit. iam viribus acer*(5)
Albertus *fert arma suis: nos ire veremur*
305 *Qua fortuna Duces alios trahit, & Deus vrget.*
Quare agite, o Patres, quamprimum auellere signa,
Hostilesque inuadere agros, Rhenumque iubete.

(1) Hannibal Amilcaris filius, eius qui cognomento *Barcb* dictus est, primamque secundum filium inter duces Pœnos gloriam obtinuit.

(2) Carthaginis arcis, quæ ita appellabatur in edito loco vrbis sita, lege *Appianum*.

(3) Id est, *conditiones pacis*, super quibus inter ipsos colloquium fuit, de qua tamen non conuenit. Visæ Hannibali iniquiores, vnde *duras* dixit, lege autores supra citatos.

(4) Attende, vt hunc Principem semper furiosum in bello inducit.

(5) Significat celerem, austerum, seuerum, vehementem, prouidum, diligentem: quæ omnia huic Principi quadrant.

Sic ait, ancipiti trepidabat curia(1) *motu.*
Tum quisque antiqui(2) *spectabat in ora*(3) *Gerarchi,*
310 (4)*Cui non consilio quemquam Germanica tellus,*
Eloquioque tulit similem: sed tempus, & arctæ
Res suadent paucis, quid sentiat, edere verbis.

(1) *Curia* locus est, vt *Festus Pompeius* inquit, vbi publicas curas gerebant. Itidem *Varro* & *Nonius* asserunt, a *cura* deductum nomen affirmantes. Inde *Curiales* dicti, qui de *Curia* sunt, vt *tribules* qui de *tribu*: & *municipes*, qui de *municipio*. *Curio*, magister curiæ appellatur, cui cura est eorum, quæ ad curiam pertinent.

(2) Iam annis grauis: ne veteris dixeris, cum quadam fere contumelia. Antiquus enim fere semper exprimitur cum quadam dignitate.

(3) Apud antiquissimos Romanorum, vt a *Valerio Maximo*, & a *Gellio* relatum est, neque generi, neque pecuniæ præstantior honor tribui, quam ætati, solitus, maioresque natu a minoribus colebantur, ad Deum prope & parentum vicem. Atque in omni loco, inque omni specie honoris priores, potioresque habiti.

(4) Huius affert *Aristoteles* rationem, quod iuuenis rudis sit earum rerum, quæ in vita versantur. Vnde *Claudianus* eleganter, *Tenero tractari pectore nescit Publica maiestas*, & Poeta inferius, *forsanque viderer Rerum vsu, & canis paulo sapientior annis.* Siquidem ætate prudentiores reddimur.

Si

Si posset nostrum peragi sine sanguine bellum,
Et Martis conceptus amor, ferrumque sileret,
315 *Consulerem, Patres, aliter, forsanque viderer*
Rerum vsu, & canis paulo sapientior annis:
Sed postquam duro decretum est cernere ferro,
Statque acies campo sublatis horrida telis,
Maturanda via est, neque enim aduersabor inesse
320 *Vim dicto Arsanæ, sed mutant tempora leges*(1).
Vndique Mars sæuit, quis enim non inuida contra
Budorii fert arma Ducem? ceruicibus olli
Cuncta domans, terror, Virthymberzentius *instat:*
Parte alia inuasit Cubos non segnior illo
325 Lantgrauius, *villas qui sternit & oppida flammis.*
Nec memoro Austriadem magnum, modo quem nemus atrum
Victorem bello vidit, trepidumque Robertum
Deuictis pugnæ spoliantem turbine castris.
Nunc autem Helsatiam inuasit, camposque Feretri(2).
330 *Sic memorant:* (3)*Dictator vbi cum vicerit hostes*
Iulius(3), *extemplo Romani nominis*(4), *altam*
Erexit quercum, posuitque hostilia tela,
Mastrucas(5), *sagaque*(6), *&*(7) *virgatas margine*(8) *pallas*(7).
Vnde & ab erecto (si verax fama) tropæo
335 *Nunc prisca asciscunt veteres cognomina terræ.*
Quare illi(9) *haud opus externis, qui cuncta subegit,*
Inniti auxiliis, nec Rhenum inuadere, nostram
Ad rem conducit: quando maioribus armis
Ille lacessitur, Ducibusque potentibus hæret.
340 *Quin potius nostras confinia ad oppida vires*
Vertamus, magnique antiqua in Pergama Othonis.
Nam cum debilibus discedens liquerit vrbes
Præsidiis (fama est) Rhenumque petiuerit hostis,
Huc iter vrgendum est, huc dirigat armipotentes
345 *Eurydamas populos, & anhelet Martius ardor.*
Nostra hæc sunt, hæc nostra, inquam, ciuesque tyranno
Oppressos, duplices ad sidera tendere palmas
Cernere erit, vestramque manum, ferrumque vocantes.

(1) Scilicet militiæ.

(2) Comitatum *Ferretensem* intelligit. Est is in Helsatia, & patria lingua *Phyrt* vocatur. Innuit autem efficta historia *Feretri* Comitatum, non *Ferreti*, vt nunc vocant, appellandum esse.

(3) *Plutarchus* in Probl. *Dictator*, inquit, *creatus omnium magistratuum imperium inhibet, ad seseque transfert, præterquam tribunorum plebis.* Hi enim soli dictatore creato non cessant. *Cicero* regnum appellat perpetuam Cæsaris dictaturam, quæ post mortem Cæsaris Senatusconsulto sublata est in perpetuum. Lege eundem in Philippica prima.

(4) Scilicet *Phoretri*: quo nomine Romani vtuntur, quamquam græcum magis arbitrarer. Nam Græci *Pheretra* appellant omnia, quæ in pompa aliqua feruntur, vt sunt Deorum hominumque imagines, argentum, aurum, hostium spolia. Quid autem *Feretrum* apud Romanos fuerit, declarant verba *Liuii*, lib. ab Vrbe condita primo. *Spolia*, inquit, *ducis hostium cæsi suspensa, fabricato ad id apte ferculo gerens, in Capitolium ascendit: ibique quum ea ad quercum pastoribus sacram deposuisset, simul cum dono, designauit templo Iouis fines, cognomenque addidit Deo,* Iupiter Feretri, & quæ sequuntur.

(5) Genus vestis castrensis est, quo Sardi plurimum vtebantur. *Quintilianus* dicit cap. decimo primi Institutionum Oratoriarum, ex industria Ciceronem peregrino hoc vocabulo vsum. Idem *mastrugatos latrunculos* dixit, de prouinciis Consularibus.

(6) Militaris vestis genus, vnde *sagati* milites dicti. Maro, *virgatis lucent sagulis.*

(7) *Seruius* ait, *Palla est vestis muliebris deducta vsque ad vestigia.* *Nonius* quoque, *Palla*, inquit, *est honesta mulieris vestimentum*, hoc est tunicæ pallium. Viris autem etiam in Gallia peculiaris erat, *Martiali* teste, *Dimidiasque nates Gallica palla tegit.*

(8) Id est, in *extremitate*, *in limbo*, lineis quibusdam ad virgarum similitudinem variegatas distinctasque.

(9) Scilicet *Cæsari*. *Haud opus externis, qui cuncta subegit.* Carmen ex bono exemplari sic legendum restituimus.

Talia

Talia dicenti, quamquam vox dissona vulgi,
350 *Assensere Patres, camposque inuadere Othonis*
Eurydamanta iubent: qui postquam se appulit illuc,
Perlustrat loca cuncta oculis, munitaque castra
Disponens, bifido circumdedit agmina vallo,
Atque ita per noctem somnos captauit opacam
355 *Miles, & excubiis castrorum cura per vmbras*
Demandata, iubar donec splendentis olympi
Elargitum ægris oricus sua lumina terris.
Vt primum lux alma polo, Phœbeaque lampas
Emicuit, cunctos iussit consistere in armis,

360 *Atque ait, O socii, & bello spectata iuuentus,*
Vestra diu quæ iam tantum respublica Martem
Ordiri cupiit, ferroque extendere fines,
His posita est manibus, quarum tollenda per ora
Virtute est hominum, quæ tanto impensius instat,
365 *Maior amor quanto est patriæ*(1)*, pietasque suorum.*
Nec vos magnanimi robur deterreat hostis,
Noricaque innumeræ tremefacta per arua phalanges.
Nam vigor, atque animi virtus non plurima vincunt
Agmina, & a magnis oritur victoria factis.
370 *Audendum est ergo ciues. Quid Susa sagittis*
Horrida(2) *commemorem? & frænantes æquora Persas*
Spartanos timuisse Duces(3)*, & mœnia Dyrces*(4)
Exæquata solo(5)*? & fusam per cærula classem?*
Vnde etiam tali lætam Salamina(6) *triumpho*
375 *Accipimus, pulsumque Asiæ per littora Xerxem?*
Nec te prætereo felix Numantia bello(7)*,*
Quæ quondam victus positis hostilibus armis
Pace abiit fœda, quam non tulit aspera Roma.
Hi paruæ cessere manu(8)*, nec profuit olli*(9)
380 *Vndique concitum genus, & discordia mundi*
Agmina Achemenio(10)*medicantia tela veneno*(10)*.*
Quid vos exemplis(11) *intentos demoror armis?*
Velle sat est, socii, magnis ornare triumphis
Vos decet egregiam patriam, vestrumque senatum.
385 (12)*Aduolat Hercynia crudelis valle Boemus*
Auxilio, qui vrbes tueatur, & arua Philippi.
Num pauor hic animis illabitur? estis in armis
Nequicquam virtute pari? lethi o mihi vultus
Laudandi semper, dignique in prælia motus.
390 *Nosco truces gestus, nosco ora petentia Martem,*
Non aliis iam Roma viris vrbs principio rem
Æquauit cælo, tenui cum Marte(14)*Quirinus*(13)
Crustumerosque, Atinamque, & pauperis oppida Bolæ(15)
Vicit, &(16) *Ausonio cum retulit arma*(17)*Tonanti*(16)
395 *Nos etiam parui fuimus, nunc sancta precemur*
Numina, dent faciles cursus, & cœpta secundent.
Non deerunt Decii(18)*, & victu contentus agresti*(19)
Fabricius, sæuique ardentia fulmina Brenni(20)*.*
Quare agite, æternam bello (si templa penatum,
400 *Et Diui indigetes, & sacri numina fontis*
Pœnicii(21) *sordescit amor, patriæque futurum*
Ornamentum animis abiit) perquirite famam.

(1) Quantum animorum, viriumque patriæ charitas sumministret, intelliges ex *Iustini* verbis, quæ commode mox adscribam. Habes alia apud *Valerium* exempla. *Susa* Fuerunt regia vetus Persarum a Dario Hystaspis filio condita, vt autor est *Plinius.* Tradit *Strabo* Susam partem esse Persiæ, quæ Susa habet vrbem clarissimam, huius vrbis meminit *Lucanus*, & *Propertius*, vterque libro secundo.

 (2) Quo-

(2) Quoniam, vt diximus, Persæ & Parthi, omnesque fere Orientis gentes sagittis bella conficiunt, vt autor est *Plinius*.

(3) Vt *Leonidam*, qui cum trecentis millibus commilitonibus ad Thermopylarum angustias cecidit. Lege *Iustinum* & *Val. Maximum*. *Herodotus* in Polyhymnia varie hanc narrat historiam, recitatque epigrammata interfectorum.

(4) Id est, Thebanos Duces. Epaminondam. De quo Thebani occupandæ vrbis Lacedæmoniorum spem cœperunt: non tamen aggredi incautos potuerunt. Quippe senes, & cetera imbellis ætas, cum aduentum hostium persensissent, in ipsis portarum angustiis armati occurrunt, & aduersus quindecim millia militum non amplius centum iam effœtæ ætatis viri pugnæ se offerunt: tantum animorum, viriumque patriæ, & penatum conspectus subministrat. Pauci sustinuere senes aciem, cui par ante diem vniuersa iuuentus esse non potuit. In eo prælio duo Duces hostium cecidere, scribit *Iustinus*.

(5) Respexit ad tempora sua, hoc est, quæ nunc diruta sunt.

(6) *Pomponius*, *In Attide*, inquit, *insula est nota stupro Helenæ & Salamis, excidio classis Persicæ notior*. De Persarum ad Salaminem clade, lege, si vis, *Plutarchum* in Themistocle, & *Iustinum* libro secundo.

(7) Quippe quæ sine muro, sine turribus, modice edito in tumulo apud flumen Durium situata, quatuor milibus Celtiberorum, quadraginta milium exercitum per annos quatuordecim sola sustinuit, nec sustinuit modo, sed sæuius aliquanto perculit, pudendis fœderibus affecit, autor *Florus*: qui paulo post de Hostilio quoque sic scribit, *Hostilium deinde Mancinum, hunc quoque assiduis cædibus ita subegerunt, vt ne oculos quidem, aut vocem Numantini viri quisquam sustineret: tamen cum hoc quoque fœdus maluere, contenti armorum manubiis, cum ad internecionem sæuire potuissent*, & quæ sequuntur. Cæterum cum *Floro* concordant *Eutropius*, & *Orosius*. *Plinius*, & *Liuius* aliter de numero Romanorum occisorum.

(8) Pro *manui*.

(9) Scilicet *Xerxi*.

(10) Achæmeniis sagittis veneno infectis, Propertius, *Non tot Achæmeniis armantur Susa sagittis*. *Achæmenia* a Parthorum Rege *Achæmene*, quibus peculiare erat, vt dictum est, spicula venenare.

(11) Hoc est, argumentis a simili: quibus constat sæpissime hominum pugnatorum virtute accidisse, vt paruæ copiæ maximas fuderint fugauerintque.

(12) Tacitæ obiectioni responsio.

(13) Romulus cur sic dictus fuerit, docet *Ouidius* secundo Fastorum.

(14) Paruis copiis.

(15) Romuli victorias latissime referunt *Dionysius Halicarnasseus* libro secundo & *Liuius* primo.

(16) *Ioui Feretrio*, de quo supra, eiusque nominis ratione plura scribit *Propertius* penultima elegia quarti, item *Plutarchus*, & *Festus Pompeius*, & præter alios *Valerius Maximus*.

(17) Hoc est, spolia suspendit, quæ *opima* dicebantur, lege *Varronem*, & *Plutarchum*, *Valerium*, ac *Propertium* locis iam citatis.

(18) Id est, qui instar Deciorum pro salute reipublicæ se deuouebunt.

(19) Vnde *Claudianus*, *Contentus honesto Fabricius paruo spernebat munera Regum*. Id scribunt omnes, & notius est quam referri debeat. Habeat Cæsar Carolus Fabricios, & victor gentium erit. Vtinam non sint, qui non admodum magno pondo auri fidem postponant, cum Fabricius oblatam sibi a Rege Imperii partem repudiarit.

(20) De hoc satis multa *Iustinus* libro quarto & vicesimo, & *Plutarchus* in Vita Marii.

(21) Vt supra, & sic castigatior habet liber: potest tamen legi etiam *Pegnesi*, de quo in principio huius mentio facta est.

Vix ea finierat, cum pubes omnis ad auram
Vulpigeras quassare hastas, & promere Martis
405 *Venturi signum: reboant super æthera voces,*
Tympanaque, & lituis Mauors accenditur æreis.
Non aliter furor hos agitat, quam si sua Ianus
Belliferrati(1) *reseraret limina templi,*
(2)*Cum Mars indomitus, centumque euinctus ahenis*
410 *Frangit claustra, acuitque animos in bella furentes.*
At contra vt rumor Boiorum venit ad oras,
Inuasitque aures magni vaga fama Roberti,
Illico delectos equites, peditumque cohortem
Tironum auxilio misit, qui finibus hostem
415 *Eiiciant, pauidasque vrbes tueantur Othonis.*
Sin paribus signis nequeant se fidere, campo
Detrectent pugnam, donec fulgentibus armis
Subsidium gelido Boiemus(3) *conuehat Albi.*
Nec mora, perrexere Duces, verbisque pauentes
420 *Ambibant populos, nec non munimina bello*

Instau-

Instaurant, vrbesque nouant, & mœnia condunt.
(4)*Præterea siluas Teutisco more recidunt,*
Annosam taxum, scabrisque e rupibus ornos
Robora, coniferumque genus, tiliasque sequaces,
425 *Et patula ad Superos tollentem brachia fagum,*
Obiiciuntque viis siluarum, & compita claudunt,
Transuersisque negant trabibus popularier hostem.

(1) Sic Maro, *Belliferratus rapit Saturnia postes.*

(2) Alludit ad *templum Iani*, de quo *Liuius, Dionysius, Maro, Silius, Ouidius, Claudianus, Seruius, Macrobius, Florus,* ceteri. Quoties *Ianus* clausus fuerit, scribit *Florus* in fine, meminit *Augustinus* libro ciuitatis 3. Augusto imperante tertio Iani porta clausa est, cuius rei eleganter meminit in fine sexti *Orosius.* Nota sunt *Horatii* carmina, *Ianum Quirini clausit*: & cetera ex quintadecima quarti carminum. Sub has in toto orbe armorum cessatione, Rex pacificus, Christus Deus & homo, ex virgine nasci dignatus est.

(3) Nam ex Boemia copias stipendio conduxerat Palatinus, de quibus suo loco dicemus. Scribitur autem & *Bohemus*, & *Boemus*, & *Bæmus* per diphthongum.

(4) Morem Germanorum tangit, qui cum bella ingruunt, siluarum compita transuersis trabibus intercludunt.

Lauphenii interea Eurydamas ad mœnia tendit,
Et tormenta vehit belli, vetitasque recludit
430 *Connexu trabium valles, iter obice victor*
Pandit inaccessum, siluarumque ardua tandem
Egreditur, campoque phalanges sistit aperto:
Vt longe armorum sonitus, strepitusque pauentis
Quadrupedantum aures hostis perculsit equorum,
435 *Tunc armati omnes, turresque, & mœnia complent,*
Saxaque subuectant humeris, vastosque molares.
At Cyrus armipotens iuuenum lecta agmina bello*
Instruit, & dictis ciues affatur amicis;
Vos o bellorum decus, & fortissima pubes,
440 *Haud nos puluereo Martem committere campo,*
Sed portis instare decet, murisque cruenta
Deiicere arma manu, clypeosque effringere saxis,
Exiguum ostentant præsentia bella laborem,
Cum victis pugnare datur, vulgoque coacto
445 *Arma inter siluas, & acutos sumere dumos.*
Vos modo sollicitas de pectore demite curas.
Iam ciues, capite arma citi, date tela per hostes
Intrepidi, & circum vis Martia perfremat vrbem.
Dixerat. Interea Eurydamas ad mœnia tendit,
450 *Castraque subiecto munit fidissima campo,*
Qua missas poterant audire, & reddere voces.
Interea placidam suadens nox atra quietem
Præcipitat, retegitque polum crescentibus vmbris.
Tum vero Eurydamas animo vigilante volutans,
455 *Quis modus ad pugnam, quo belli exordia sumat*
Principio, & quæ sit sternendis machina muris
Aptior, insomnem totam producere noctem(1),
Atque diem, belli cupidus, Phœbumque morari.
Nec pugnæ præsentis erat modo cura, sed olli
460 *Rumpebant altos Neomartia*(2) *mœnia somnos.*
Nec non Lauphenidæ, simul & Cyrus vndique muros
Lustrare, & pugnas secum conferre futuras.

* Qui præsidii loco erat.

(1) Alibi diximus, quæ pertinent ad boni Ducis officium.

(2) Quia erat oppidum munitissimum, teutonice, *Neomarck.* Cetera enim captu facilia videbantur, illud autem difficillimum, vt contigit. Nam inde, vt inferius describitur, re infecta discessit.

Nox abit interea, tunc Segduneia pubes(1)
Arma capit, totisque fremunt densa agmina castris.

465 *Iam strepit omnis ager, resonant clangore tubarum*
Hercyniæ valles, iam signa vndantia contra
Aspiceres vrbem inferri, ceu sub mare Delphin(2)
Turbam agit æquoream, & fauces inuadit Abydi(3):
Sic densi ad muros belli cum mole feruntur,
470 *Connectuntque humeris scalas, Vulcaniaque*(4) *vrbi*
Tormenta impellunt, monstrum damnabile terris.
Quod ferri, lapidumque globos iaculatur, & ignes
Nube diem, & terræ obtexens caligine solem.
Inuentum, Germane, tuum(5), *sic & noua semper*
475 *Ingenia extundant varias mortalibus artes.*

(1) *Norimbergensis.* Nam *Segodunum* a *Ptolemæo* nominatam *Norimbergam* dicit, *Celtes.*

(2) Græca dictio *Delphin*, qua longo vsu pro latina vtimur, ait *Camers.* De Delphinis sic *Maro* 5 Æneidos, *Prælia ludo Delphinum similes, qui per maria humida nando Carpathium, Libycumque secant, luduntque per vndas.* Delphinorum formam sic eleganter explicat *Ouidius* tertio Metamorph. libro, *Falcata nouissima cauda est, Qualia dimidiæ sinuantur cornua Lunæ Vndique dant saltus, multaque aspergine rorant, Emergunt iterum, redeuntque sub æquora rursus, Inque chori ludunt speciem, lasciuaque iactant Corpora, & acceptum patulis mare naribus efflant.* Celeritatem autem in nando, quæ prouerbio locum dedit, *Delphinum nare doces*, eleganter describit *Manilius* quinto Astronomicon, vt non minus eleganter eorum impetum in pisces reliquos, vnde Poetæ comparatio. Cecinit *Papinius* nono Thebaidos, *Qualis cæruleis tumido sub gurgite terror Piscibus, arcani quoties deuexa profundi Scrutantem Delphina vident, fugit omnis in imos Turba lacus, viridesque metu stipantur in algas, Nec prius emersi, quam summa per æquora flexus Emicet, & visis malit certare carinis.* Ad idem *Silius* libro 15, *rapida ceu bellua ponti Per longum sterili ad pastus iactata profundo Æstuat, & lustrans natantem in gurgite prædam, Cum procul in fluctu piscem male saucia vidit Absorbet late permixtum piscibus æquor.* Ex Homero vtraque comparatio sumpta est, inquit idem *Camers.* Hinc contrario sensu prouerbiali figura in Diris suis a *Marone* dictum est, *Ante lupos rapient hædi, vituli ante leones, Delphini fugient pisces, aquila ante columbas.* Reliqua de Delphinis *Plinius* libro 8, *Aristoteles* de Natura Animalium, *Solinus* cap. 22 de Bosporo Thracio inquit, *Hæc profunda Delphinas plurimos habent.*

(3) Abydos vrbs Leandri amore pernobilis, extat de hoc ipso amore apud *Musæum* libellus, item apud *Ouidium* perelegans epistola.

(4) Bombardas intelligit.

(5) Fato quodam Germanica ingenia ceteris præstant in ære tractando: vt absoluta, quæ quotidie edunt opera, docent. Insigniter autem diuina illa impressoria ars, Argentorati primum per *Io. Mentel*, *Schotti* nostri auum, Anno Christi 1444 inuenta testatur, simul cum bombarda. Cuius inuentionem multi monacho concesserunt, alii cuidam *Petro*, vt refert *Irenicus* libro quarto, cap. nono, quod de *Inuentione Bombardarum* inscriptum est. Eodem autore, annus tunc millesimus & supra trecentesimum octuagesimus agebatur, quando Bombardarum tonitrua a Germanis sunt reperta. Exteri deuouent, & execrantur autorem: qui minime tamen memoria debita defraudari debet: quod physica ratione rem omnium (vt fatear) quæ crudelitatis impulsu sibi ipsi mortalitas nostra excogitauit, crudelissimam repererit: cum autores turpissimarum, nefandissimarumque rerum, suos repererint admiratores, vtinam non etiam studiosos sectatores, profecto digni, vt ictu bombardici fulminis eant in puluerem. Eleganti carmine bombardæ descriptionem conclusit *Cataneus*: quod cum alii commentatiis suis adscripserint, ipse breuitatis studio præteriui.

Vtque vrbem contra elatis procedere signis
Visa acies, staurant portas, & mœnia firmant
Lauphenidæ, iaciuntque ingentia saxa, superque
Horrescunt pilis, abiguntque, & sanguinis atri
480 *Rore madent enses: instant hi frangere portas,*
Vellereque arato stridentes cardine postes.
Incepto ii crebra telorum grandine pellunt
Audaces animos: sic fluctus fluctibus altos
Cernimus vrgeri, collisaque littora clamant,
485 *Pumicibusque cauis sonitum mare reddit anhelans.*

Iam passim furit effusis Mars sæuus habenis,
Vndique ferri acies, fractarumque æra pulsat
Scalarum fragor, atque armorum casus ab alto

Intre-

Increbrescit, humique super ruit arma virum vir(1).
490 *Nec timet euentum belli cristatus Homertes,*
Sed fera sectilibus committit bella dolabris.
Agmina pone acris pugnant gerrata Seleuci.
Parte alia Autharchis muros inuadit, & vrget,
Et trepidantem altis impellit Athoclea verbis.
495 *Quid differs segnis? grandi num voce tonantem*
Audis Chortebum(2)? *pugna qui prouocat, & te*
Nominat ignauum? si quis pudor, arripe telum.
Talibus affantem verbis, & plura volentem
Dicere, transadigit vibratum Autharchida ferrum,
500 *Emissaque animam trusit sub tartara voce.*
Tunc paulo concussi animi, retroque relabi
Segdunæa cohors visa est: contra horrida tela
Lauphenidæ iaciunt: madet atro sanguine tellus.
Effurit Eurydamas, & quadrupedante superbus
505 *Sæuit equo, largisque fluunt sudoribus harmi.*
Sic modo victores, modo victi Martis alumnum
Consumpsere diem, bellumque ita nocte diremptum est.

(1) Hoc est, vir cadit humi super arma virum, pro virorum.

(2) Alii codices *Chorebum* habent, emaculatus *Chortebus*. Verumque meo iudicio stare potest. Nam vt hic Poeta primam producit, ita *Maro* alicubi in simili nomine corripuit. Verum in nominibus propriis, præsertim non eandem personam significantibus, licentiæ locus est.

At Cyrus exactam cædem, patriæque futuros
Agnoscens casus, nec spes erat, vnde vocaret
510 *Auxilium, hortatur miseros se dedere ciues.*
Sic etiam cunctis visum est, cum crastinus ortus
Fulserit, & nigras aurora fugauerit vmbras
Legatos mitti, pacemque, & fœdera posci.
Tertia iam lux alma polo splendebat Eoa,
515 *Panduntur portæ, turmas inducit ouantes*
Eurydamas, lætique omnes Pæana canebant,
Auspiciis Diuum acceptis, & Marte secundo.
Protinus Herbruchi fines, atque arua peragrat
Althenii victor, putrique immersus arena
520 *Metatur castra, & crebro post mœnia lapsu*
Exæquata solo, turresque, minasque reuulsas
Vi potitur, cum sexta dies iam pila teneret
Infesta, & dubiis fremeret Bellona sub armis.

(1)*Dumque ea iam trepidos, non æquo Marte geruntur*
525 *Phalsgrauidas contra, non segnius arma potentis*
Cocchenis(3) *ad gelidas erecta Neapolis*(2) *vndas*
Vlrici(4)*patitur, tandem victricia tela*
Mechymoli in campis(5)*fessus diffuderat vrbis,*
Armorumque graui paulum laxauerat æstu.
530 *Parte alia infesti populata per arua Soberni*
Sæuit Alexander(6), *premit indignatus Adechum*
Rugorum Princeps(7): *sed longe animosior armis*
Cæsar in extrema pugnabat Agenoris ora,
Nomine corrupto, quæ nunc Agenoia dicta est.
535 (8)*Fertur enim Cadmus, iussu*(9) *vagus exul ab oris*
Phœnicum, Europam quærens, & furta Tonantis,
Hunc coluisse locum, atque sui de nomine gentem
Appellasse patris, qua etiam gentilibus aris
Sacra repertores celebrant Phœnicia Diuos(10).
540 *Hanc pretio memorant emptam, magnique remissam*
Imperio Austriadæ, multisque fluentibus annis

Dura Palatini perpessam sceptra tyranni(11).
Hanc subito sine Marte capit : sic mœnia ciues
Colmarii(12)*Austriadæ pandunt : sic hospita Bari*(13)
545 *Fit pubes, multoque viri, innuptæque puellæ*
Vndique spumantes turmis crateras Iacho
Cesareis frustum Cereris, zythumque propinant(14),
Grandiaque exportant melliti pocula Medi(15).
Nec mora Sonchauios montes, penitusque repostam
550 *Alcratium petiit, victor, lateque per oram*
Imperat Helsatiæ Cesar, recipitque Philippo
Ablatas vrbes quondam, populosque pauentes
Componit, mulcetque animos, clausamque resignat
Iustitiam, & sanctis confirmat legibus vrbes.

(1) Nunc ad alios Principes, quos interim pugnasse verisimile erat, egreditur. Vel repetitio est, non sine arte & exemplo.

(2) *Noua ciuitas*, quam nostra tempestate nobilitauit *Petrus Guntherus*, non modici inter eruditos, & iuxta bonos viros nominis.

(3) Qui & *Coquus*, vt in Neochari descriptione commemorauimus.

(4) Ducis Wyrtembergensis.

(5) Pro, *ad campos*, sic enim bonum habet exemplar. Meminit huius in fine sexti.

(6) Dux Bauariæ.

(7) Marggrauius *Casimirus*.

(8) Fingit *Agenoream* regionem, quæ vltra Rhenum est inter Matram & Sornam fluuios, nunc *Hagenavv* dicitur, ab *Agenore* nomen vendicasse: & dictam *Agenoriam*, sed per ætatem paulum immutato vocabulo dici nunc *Hagensiam*.

(9) Scilicet Patris Agenoris. Nam alibi etiam scriptum vidi, iussu patris. Tamen priorem lectionem non improbo.

(10) Hoc est, sacra quæ fiunt Phœnicum more Diis repertoribus, qui reperiendis rebus amissis præsunt, vel quos ob huiusmodi caussam inuocamus.

(11) Id est, domini, sic Maro, *Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.*

(12) *Colmariam*, qui ab auspicio columbarum dictam volunt, *Columbariam* scribunt. Alii a claua Herculis, quam illic temulentus perdidit, nomen inditum fabulantur, ad insigne vrbis quo etiamnum vtuntur respicientes. Sed mihi merum commentum videtur. Argentuariam olim in *Stauros ticho* Enarrationibus diximus. *Irenicus* in dictione *Argentuaria* dicit, aliis patriam meam Selestadium Argentuariam intelligi: ex eo, quia sex ab *Argentina* distet miliaribus.

(13) Declarauimus locum lib. proximo.

(14) Id est, Ceruisiam. Nam quæ ceruisia apud nos appellatur, apud Ægyptios dicitur Zythum. *Columella* de cultu hortorum, *Vt Pelusiaci proritet pocula Zythi.* Apud Hispanos *Cerea*, *Plinius* est autor. Vsos autem Germanos hoc potus genere, scribit etiam *Strabo*. Fit autem ex frugibus coctis, & lupo salictario: recentiores lupulum vocant.

(15) Aliud genus potionis, quo Boemi ac Pannonii plurimum vtuntur, dulce est, quoniam incoctum, vt arbitror: etiam mel admiscetur, vulgus *Medonem* vocat.

555 *At Phylsbophenium, Phylsi de nomine dictum*
Fluminis, atque vnda quod Rhæticus alluit Ister,
Bysspeichês *dum Marte premit, tentatque potiri :*
Inuadunt fortes meditantem talia ciues,
Pugnatumque diu, atque anceps certamen vtrinque
560 *Extiterat : tandem multa cum cæde suorum*
Hostis abit, vetitam linquens inglorius vrbem.
Sic passim horrendi crudescit Martis Enyo,
Totaque lethifero mota est Germania bello.
(1)*Nec minus vmbriferos trepidare per auia Francos*
565 *Aspiceres, cum visa palam vexilla per auras,*
Hostilique premi Neomartia mœnia pube,
Quæ vallo ingenti, & multis legionibus acer
Cinxerat Eurydamas : & iam Sol aureus orbi
Bis noctem intulerat, bis luce fugauerat vmbras,
570 *Cum frustra fortuna loci tentata remansit,*
Vixque intra iactum micuerunt agmina teli.
Tunc Cymmon(2)*nocte in media, atque silentibus vmbris*
Multa animo voluens, simul atque aurora nitentem
Rettulit alma diem, coram sic omnibus inquit ;
575 *Incassum, o socii, bellum tentamus, aperto*

Marte

Marte negant pugnam, solum certamina muris
Expectant auidi: dextra sunt vndique montes,
Aeriique horrent scopuli, non altius Oeta
Tollitur, aut timidis vitanda Ceraunia nautis.
580 *Ad læuam in planos ad nos quæ panditur agros*
Defendunt turres, & propugnacla, minæque
Murorum ingentes, pulsantiaque ardua nubes.
Quid terimus tempus? non si Phlegræia tellus
Rursus centimanos agitaret in arma gigantes,
585 *Demoliri vnquam poteris, vel vincere bello*
Hanc vrbem Eurydamas: & quam reor esse nocentem
Præcipitanda mora est, aderunt, sic fama vagatur,
Indomitæ gentes pugna, totusque Roberti
Albis(3) *in auxilium vacua vehit agmina Praga.*
590 *Nosco equidem crudele genus, certandoque quantum*
In clypeum surgat, quantasque effundat habenas
Irarum, a nobis Dii talem auertite pestem,
Et prohibete nefas. Dicentem talia toruo
Spectabat vultu Eurydamas, simulataque norat
595 *Pectora, quo bellum fatale auerteret vrbe,*
Namque Palatinis ocultum semper adhæsit
Partibus, atque animos fautor remouebat ab armis,
Quem contra Eurydamas fantem sic turbidus inquit;
Si tantum factis Cymmon, dextraque valeres
600 *Quantum omnes superas ore, excellisque loquendo,*
Sub iuga venissent Bysalthæ, & Eous Orontes,
Byzeresque feri, & frænum indignatus Araxes(4):
Sed quia vel nolis, vel nescis prælia forti
Exercere manu, nec Martis honore decorus,
605 *Antiquos imitaris auos, nunc tempora belli*
Prolatas verbis, & fœderis autor iniqui
Consulis, aut pacem fœdam, aut clam subtrahis armis
Audaces animos. I nunc, & magna senatu
Verba tona in medio, & te dictis effer ad auras.
610 *Scilicet incassum tentabimus aspera bella,*
Aduentat crudele genus, vastasque per Istri
Flumen agit puppes, soboles Mauortis alumna.
Nun Byorix, Ambronque ferox, nun Vandalus acer
Arma mouet? nostra hæc veniat, sciet obuia quantum
615 *Tela valent, nec nos, vt te, timor occupat iste.*

(1) Reuertitur ad gesta Norimbergensium.

(2) Similem hunc facit *Maximian.*

(3) Fluuius, qui ex Hermunduris ortus, Pragam Boemorum metropolim alluit, bifariamque Saxones diuidens, in mare Germanicum deuoluitur. Et nota Poetæ artificium, quia per transitum sæpe facit mentionem de venturis Boemis, & quasi in his victoriam certam fere omnes arbitrabantur: hoc autem facit, vt maior inde videatur gloria Cæsaris, qui eos vicerit.

(4) Alibi scriptum est, *& pontem indignatus Araxes*, & est hemistichium *Maronis.*

Dixerat, interea miles Neomartius hostem
Nequicquam timet, & muros fulgentibus armis
Circuit, & quernis resonant caua tympana truncis.
**At vigil Eurydamas cæsis de montibus ornis*
620 *Tormenta instaurat, lignisque informibus ingens*
Exorditur opus: primum latera ardua tortis
Sepit viminibus, patulamque altrinsecus aluum
Excepturam homines, aditu laxauit inani.
Ac ne flamma vorax, iaculata a mœnibus altis,
625 *Vreret impactam molem compage soluta,*
Pellibus Vrorum, & taurino tergore cingi
Imperat ingentes præuasti corporis artus.

Hac

Hanc molem Eurydamas iuuenum lecto agmine complet,
Inuitamque vrget, trepidantique ingerit vrbi.
630 *Dein iubet, vt roseos aurora retexerit ortus,*
Arma parare viros, crudo & se accingere Marti
Atque ait: in lęuam flectetur machina partem:
Vos dextram seruate, atque altos cingite muros.

* Hic testudinem, machinam bellicam describit, lege *Vegetium*.

Vix ea finierat, cum se Neomartia pubes
635 *Armatam effundit portis, fataleque lignum*
Aggreditur flamma, ferroque, & grandine teli.
Eurydamas contra latis erumpere castris
Hostilis cum visa acies, & pulueris atri
Inuolui nubes, mucronibus agmina densis
640 *Semirecincta iubet, turmæque, alæque ruebant,*
Cristatique equites laxis certamine loris
Arua fuga rapere, & calidis trepidare sub armis.
Iam coniunctæ acies, & iam feralibus aruis
Ante volat Mauors, cæsorum stridor olympum
645 *Verberat, implenturque ægris singultibus auræ.*
Eurydamas furit asper equo, impellitque morantes
In pugnam, torquens Leumæo hastilia ferro,
Impete qui primo perimit Colybumque, Gyamque,
Saxonemque Balyn, & quem tulit obruta cœno
650 *Terra Sicambrorum contorto crine Trymethem,*
Nec tibi septemplix certanti profuit vmbo
Rhæte ferox, quondam qui sanguine cretus Hetrusco(1)
Tyrrhenos extollis auos, priscasque secures,
Nec non Romano gestatos consule fasces,
655 (2)*Et male voluentem tacitum penetrale magorum,*
Et Druydum cantus, & præpetis omnia pennæ,
Dii iuuere Tagem: nam dum se surripit hastæ
Alchionis, retro labens (miserabile visu)
Impegit caput in saxum, fractoque cerebro,
660 *Fatidicam multo vitam cum sanguine fudit.*
Augetur fragor armorum, circumque furentes
Martis equos fremere, & Bellonam sanguine tinctam
Accipimus visam, atque ardentis mole duelli
Inter anhelantem peditumque, equitumque furores,
665 *Turgentemque minis Antherona, equasque Seleuci,*
Et pauidum belli furiis incendere Athoclem,
Sic pugnat conserta acies, atque vndique ciues
Vrbe ruunt, summaque Ducis volat arce Roberti
Præsidium, & fuso committunt ordine pugnam.

(1) Quia Rhætus ex Hetruria venit in Rhætiam, vnde prouinciæ nomen datum.

(2) Sensus est, Dii male iuuere Tagem voluentem, & cetera, hoc est, non profuere sibi. Alludit autem ad nomen. Nam *Tages*, vt autor est *Plinius*, haruspicinæ inuentor fuit, & Hethruscæ disciplinæ. Lucanus, *Finxerit ista Tages.*

670 *Non aliter velox extra deserta Getarum*
Gens ruit in præceps pellecta cupidine belli,
Quam nulla inducit certantem industria, tantum
Et sæuus furor, & clementia suggerit arma.
Parte alia ad muros induxerat agmen Homertes,
675 *Claustraque portarum disruperat æratarum.*
Vociferans Dorylas, summatum currit ab arce,
Quid vos, o miseri, quid vos o pigra moratur
Machina? quæ vestras cœpit dementia mentes?
Hic dolus est inquit, quid vos hic tempora ciues

Nequic-

680 *Nequicquam teritis? iam Segduneius altos**
Hostis habet muros, oculis hisce agmina vidi,
Nos aciem contra, atque minantia vertere signa.

*Lege, *Segduntium altos Hostis habet muros.* Diximus, *Segdunos* Norimbergenses nunc vocari.

Vix ea finierat, iuuenum globus emicat, aluo
Tormenti exacta, Mauortisque impete vasto
685 *Instaurat lassi pugnam, cædemque morantem,*
Inuaditque hostile latus, stragemque cruentam
Edit: at insano Neomartia victa timore
Turba fugit, repetitque vrbem: ceu carcere fracto
Barbara anhelantes horrens Hyrcania tigres,
690 *Aut Atlantiaco fuluos de monte leones*
Maure paues, trepidasque fuga: iam sulfure & atro
Igne dies tegitur, fractusque reuerberat aer
Armorum strepitu, & morientum vocibus imæ
Implentur valles, omnisque admurmurat vmbra.

695 *Vt patuere doli, Phlegyasque, vnaque Lycetes*
Increpitant ciues, vos, o fœdissima proles,
Quo ruitis? firmate gradum: nescitis, vt errat
Iam dolus in castris: vos hic pugnatis, & vrbem
Hostis habet, miseri retro hinc iam cedite pugna.
700 *His dictis, cuneum primæuo flore iuuentæ*
Instruit, & medio Phlegyas se subtrahit hosti.
Instabat ferus Eurydamas, sensimque recedens
Agmen agit telis, atque intra mœnia pellit.
Et ni vasta ruens aditum cataracta negasset,
705 *Imperio tandem vetita potireris in vrbe*
Eurydama: sed fata obstant: nec segnius instat
Mœnibus, & flamma, & telis infandus Homertes.
Tunc timidæ matres, pueri, innuptæque puellæ:
Festinate viri, & rebus succurrite fessis,
710 *Hostis adest, clamant, fulgentque in mœnibus alæ.*
Nec mora, concurrunt omnes, sæuusque Lycetes
Euolat, & primus mediis intermicat armis,
Vociferans vltro, ciues, Mars obtulit horam
Qua bello egregii, & factis tollamur ad astra,
715 *Instate: agglomerant omnes viresque, manusque,*
Atque ministerium læti subiere cruentum.

Herbipoli(1) *interea fulgentes ære cateruas*
Subsidio venisse vrbis, summaque receptas
Arce volat rumor, maioraque nuntiat arma.
720 *Protinus Eurydamas, vnaque animosus Homertes*
Discedunt pugna, pubemque in castra reducunt.
(2)*Dumque hæc in terris ardent mortalia bella,*
Et nunquam miseris regnandi exacta cupido,
Iuppiter omnipotens, cæli qui sidera torquet,
725 *Multa super belli finem, metamque volutans,*
Concilium indicit Diuis, & lumine sancto
Torua tuens(3), *longe magnum concussit olympum.*

(1) Dum vndique pugnatur, per posticam portam vrbis subsidium ingressum est, missum ab Episcopo Herbipolensi: quare tanquam cum nouo & recenti milite essent pugnaturi Norimbergenses, animo fracti sunt.

(2) Artificiose Poeta ad Deorum consilia digreditur, ne Norimbergenses ob non partam victoriam lædat. Itaque concilium Deorum a Ioue indicitur, multorumque Deorum nomina describuntur, vbi magna & Cæsaris & Palatinorum laus denotatur: quia Dii videntur habere curam rerum Cæsaris: & Roberto inter Deos sedes constituitur.

(3) Id est, torue.

Diique, Deæque omnes, Vati memorate, quot estis,
Vestrum opus incipio: nam vos venistis, & omnes
730 *Qui terras, fluuiosque altos, quique æquora late*
Incolitis, iussu magni Iouis astra petistis.
Principio mater(2) fuluas turrita(3) leænas
Exagitat(4) per inane poli, torquetque per auras:
Hanc circum(5) Corybantes erant, Dictæaque turba(6),
735 *Semiuirumque genus crepitantia percutit æra(7).*
Pone antiqua Deum soboles, quosque ipsa vetustas
Consentes(8) memorat, selectique ordine Diui(9)
Conscendunt biiugos, & prima intermicat omnes
Magna Iouis coniunx(10), quæ densa septa caterua
740 *Altum Agamemnoniis cælum penetrauit ab Argis(11).*

(1) Sequitur *Ennium*, cui in descriptione duodecim Deorum; qui maioris nomenclaturæ appellantur, & sex fœminæ, & tot mares sunt. A Deabus incipit *Martianus* lib. primo de Nuptiis, vbi Distichon refert Ennianum, *Iuno, Vesta, Minerua, Ceres, Diana, Venus, Mars, Mercurius, Iouis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.* & apud *Suetonium* hic extat versiculus, *Sexque deas vidis Manlia, sexque deos.*

(2) Scilicet *Deorum.* Terra ob multiplices effectus Deorum mater appellatur: vocataque est *Cybele*, caussam nominis a *Fulgentio* pete, & plura scribunt *Marcellinus* & *Fenestella.* Historiam *Cybeles* refert *Diodorus* libro quarto.

(3) Quia vrbes sunt in terra, & in iis turres.

(4) Pro, *agitat*, hoc est, flectit quo velit. Erant enim duo leones mansueti, *Varrone* teste, vnde Claudianus *blandos* dixit, hoc est, compressa cauda ludibundos, vt ait interpres, quasi venienti assurgerent. Nam crebrior caudæ motus animi atque iræ in leonibus signum est, vt post Aristotelem scribit *Plinius.* Quid vetustas sub hoc figmento intelligi voluit, docent *Lucretius* & *Macrobius.*

(5) Corybantes, Idæos, Dactylos, & Curetas eosdem plerique putant. Nonnulli pusillum quoddam discrimen adhibent: vt longa disceptatione *Strabo* disputat.

(6) Id est, *Cretensis*, a *Dicte* oppido, quod *Pomponius Dictinnam* nominat libro secundo.

(7) Id est, *sonantia.* Ex omnibus inanimatis æs habere vocem creditur. Hinc *Homerus* Chalcum appellat *vocale.* Pythagorici tradunt æs afflatis omnibus & lymphatis admodum consonare, propterea cymbala fiebant ex ære. *Papinius* in Achilleide, *Pulsumque exercita pulsu Æra tacent.*

(8) Dicti, quod iis omnium consensu sacra fiebant, propter vbertatem soli, vnde *Consentia sacra* dicta sunt, vel quia ipsi consentirent agriculturæ. Sunt autem duodecim, quos nominatim *Varro* inuocat, in præfatione lib. primi de re rustica. Artificiose autem *Consentes* Cybelem sequuntur, qui ob culturam terræ inuocantur.

(9) Nomina eorum secundum *M. Varronem* sunt ista, *Ianus, Saturnus, Genius, Orcus, Liber pater, Luna, Tellus, Sol.* Hæc autem nomina, vt diuus *Augustinus* ait, vtrum propter maiores in mundo administrationes selecta dicuntur? an quod populis magis innotuerunt, maiorque est eis cultus exhibitus?

(10) *Iuno* scilicet. Nam Iupiter post eiectum patrem habenas cælestis regni aggressus, duxit *Iunonem*, *Cererem*, & *Themin* in vxores. A *Iunone* habuit *Curetas* filios, a *Cerere* Persephonen, a *Themi* Mineruam, vt commeminit *Homerus* & *Eusebius.*

(11) Vbi templum erat inter Argos & Mycenas positum: vnde *charus Argos* appellat apud *Maronem.*

Hinc & flaua Ceres(1) sacra quæ flectit Eleusi,
Ad iuga panda boues: Æneia(2) deserit ignes
Vesta(2) suos, cycnoque Venus(3) modulante reliquit
Idalium(4), Paphiasque aras(5), atque alta Cythera(6)
745 *Ambrosio gratum fundens de vertice amorem(7),*
(8) Quo superi, stygiique Dei, quo numina ponti,
Mortalesque, feræque omnes, pictæque volucres
Vincuntur, seruantque acres in pectore flammas.

(1) Saturni & Opis filia, vt *Eusebius* & *Hesiodus* in Theogonia ostendit. Fruges toto orbe propagandas per Triptolemum instituit. Prima dedit leges, propterea, in Eleusio oppido, quod condidit Triptolemus de nomine patris, sacra ab eodem facta, *Thesmophoria* appellata. A *creando* dicta Ceres: vel, vt placet *Ciceroni* a *crescendo.*

(2) Ab Ænea: quod sacrum huius deæ ex Troia secum attulerit, vt tradidere quidam. Reliqua pete ex *Dionysio Halicarnasseo.* Duas Vestas fuisse notissimum est.

(3) Vt rentur quidam, a latinis appellatur a *ve* priuatiua & derogatiua particula, & *νοῦς mens*: quod lasciuia, quæ per Venerem significatur, mentem infringat, & supplantet robur ingenii.

(4) Ab *Idalio* nemore, & inibi breui oppido,

pido, quod *Stephanus* scribit ab euentu nomen accepisse. Superius indicauimus Venerem dictam *Idaliam*.

(5) Celebre fanum habet Veneris *Paphos*, in cuius quadam area non pluit, ait *Plinius*.

(6) Venus orta primum mari ad *Cytheram* insulam quinque passuum a Malea distantem appulit. Vnde *Cytherea* nomen tulit, autor *Solinus*, & *Eustathius*.

(7) Amœnum, lasciuum, voluptificumque, quo illecta cuncta animantia ad fœtum & sobolem stimulantur, iuxta *Senecam* in Hippolyto, *Excedat age dum rebus humanis Venus, quæ supplet ac restituit humanum genus, Orbis iacebit squalido turpis situ, Vacuum sine ullis classibus stabit mare, Alesque cælo deerit, & siluis fera.*

(8) Sic *Lucretius* a lepida Veneris compellatione primum auspicatus librum cecinit, *Æneadum genitrix, hominum diuumque voluptas Alma Venus*, & paulo post, *Per te quoniam genus omne animantum Concipitur, visitque exortum lumina Solis.* Fingunt enim poetæ, Deos adulteros, & muliebris formositatis appetentes, iuxta illud Ouidianum, *Dii quoque habent oculos, dii quoque pectus habent.* Accedit illud *Plauti*; *Inter amatorias leges datum sibi innotet, quam libeat, propitium deum, si magis religiosa fuerit, Tibi dicat, tu pro illo ores, vt sit propitius.*

Inde sagittiferos(2) Amphionio Aracyntho(1)
750 *Educit Dianæ cohors(2), & permeat astra.*
Præterea anguitenens properat Tritonia virgo(3)
Consilii Iouis & fati haud ignara futuri(4).
Nuntius & celeres aptans Cyllenius alas
Deserit Arcadiam, quæ se mutare figuris
755 *Insolitis perhibent homines, faciemque luporum*
Induere(5), & decimum purgatos rursus in annum
Sumere mortales vultus, hominemque fateri,
Aureaque huic nodo stringens talaria nectit
Fibula, gemmatoque fluunt sub tegmine crines.

(1) Ad illud *Maronis* respexit, *Canto quæ solitus, si quando armenta vocabat Amphion Dyrcæus in Actæo Aracyntho.*

(2) Cœtum Virginum, quæ sagittas ferebant, instar eius. Nam sagittarum thecam vel otiosa Diana non reponit. Maro, *Illa pharetram fert humero.*

(3) Minerua.

(4) Quoniam Iupiter ei prædixerat, vt supra testata est Pallas: tamen respexit ad illud, quoniam Minerua Iouis mens interpretatur, sapientesque indies præuident futura.

(5) Nedum veteribus, sed etiamnum nostri temporis hominibus creditum est, posse quadam magica arte homines in lupos omnino conuerti. Hinc a *Marone* in Pharmaceutria dictum est, *His ego sæpe lupum fieri, & se condere siluis.* Et a *Propertio* quarto, *Et sua nocturno fallere terga lupo.* *Ouidius* septimo Transformation. libro; *Inque virum soliti vultus mutare ferinos Ambigui prosecta lupi.* Et *Plautus* in Amphitryone, *Nam verum est*, inquit, *quod olim est auditum fabularier, mutatos Atticos in Arcadia homines, sed sæuas belluas mansitasse, nec vnquam deinde parentibus cognitas.* Ex hac hominum opinione ortum adagium dicit *Camers*, *Versipellem se facit, quando lubet.* In hominem vafrum & astutum, cui ob perfidiam & inconstantiam minime credendum sit. Vtitur ea figura *Plautus* prima & nona Comœdiis, *Plinius* libro octauo. Sed an natura patiatur homines in lupos, vel in rem quampiam speciei alterius commutari, non parua apud peritiores concertatio est. *Herodotus* & secum plures, vt idem *Camers* adnotauit in *Solinum*, vbi is inquit, *Neuri, vt accepimus, æstatis temporibus in lupos transfigurantur*, fabulosum existimat, id quod naturali ditionum sit rationi. Specierum enim differentia, vt Aristoteli placuit, a forma rerum vltima esse sumit. Non posset ergo homo lupus fieri, nisi anima ipsa hominis, in lupi animam verteretur omnino, id autem fieri natura non patitur. Forma enim perfectissima, non nisi subiectum perficit sibi simile. Opinatur *Ioannes Scotus*, tantam esse huius singularis animæ ad proprium corpus proportionem, vt ipsa non possit aliud corpus informare, quam suum. Ergo nec multo minus lupi corpus quoquo modo rationalis anima potest perficere. Pythagorici animarum hominum in bruta transmigrationem ponentes, non negarent, posse forsitan hominem lupum fieri, vt de Minoe, vel Rhadamantho dicitur, *Exæquat damnum meritis, & muta ferarum Cogit vincla pati, truculentos ingerit vrsis, Prædonesque lupis fallacibus vulpibus addit. At qui desidia semper, vinoque grauatur, Indulgens Veneri, voluit torpescere luxu, Hunc suis immunda pingues detrudit in artus.* *Nicolaus Lyrensis* insignis Theologus, in commentariis Exodi quærit, An virtute Dæmonum, qua incantatores vtuntur & magi, potuerit fieri, vt virgæ in Dracones verterentur? Duo is de ea quæstione dicta probat. Vnum, quod reuera virgæ non fuerint in Dracones conuersæ. Alterum, quod id factum fuerit quadam apparentia, & vera sensuum illusione. *Franciscus Maron* super cap. septimo tertii de Trinitate diui Augustini, quatuor de artibus ipsis magicis affert documenta. Extat de hac ipsa re notabilis apud *Augustinum*

ſeptuageſima & nona quæſtio eius libri, qui octuaginta trium quæſtionum inſcribitur: multa apud eundem reperies cap. decimo octauo voluminis eiuſdem numeri Ciuitatis Dei. Quid ſi iis hominibus eueniat, quod Nabuchodonoſori accidiſſe cap. quarto Danielis ſcriptura teſtatur? Quo loco plura idem *Nicolaus* docte refert. Scribit *Pauſanias*, Lycaonem Arcadem, quum ad Iouis Lycæi aram puerum immolaſſet, ac humanum ſparſiſſet cruorem, mox in lupum fuiſſe conuerſum: idque quadam Deorum indignatione, verum eſſe exiſtimat. Idipſum cap. viceſimo ſecundo octaui retulit *Plinius*. *Stephanus Niger*, Lupus, inquit, ex homine factus alius quidam præter Lycaonem in IouisLycæi ſacrificio dicitur, non in perpetuum. nam ſi, dum eſſet lupus, humanis carnibus abſtinuiſſet, decimo poſt anno aiunt rurſus ſibi reſtitui: quod ſi ſecus feciſſet, lupum perpetuo eſſe.

760 *(1)Nec non fluctiuoma Neptunus ab Amphitrite*
Portunnum miſit: ſenſit Vulcania Lemnos(2)
Tardipedem(3)*petere aſtra Deum*(3)*: crinitus Apollo*(4)
Luſtrabat longum radianti vertice olympum.
Belliger hinc Mauors gelido præturbidus Aemo
765 *Cornipedes impellit equos: & fulminat haſta.*
Pone ſubit Bellona ferox(5)*, flagroque cruenta*
Corripit ignauos, & pugnæ perfremit ira.
Venit & Ægypto nequicquam vlulatus Oſiris,
Et latratorem ſecum compellit Anubim,
770 *Agminaque æriſono iungit Nilotica ſiſtro,*
Thurilegique ſuum numen miſere Sabæi(6).

(1) Notat Principum noſtrorum morem, cum nolint, vel non poſſint intereſſe publicis conſiliis Germaniæ, mittunt Oratores. *Portunnum* ergo miſit numen maximum, quippe qui portubus omnibus præſit. Idem a Græcis *Palæmon* dicitur, item & *Melicerta*. Quidam in huius gratiam Iſthmiorum ludicrum eſſe conſtitutum prodidere.

(2) Quoniam Vulcano ſacra eſt. *Papinius* in quinto Thebaidos, & *Flaccus* ſecundo Argonauticon.

(3) Reſpexit ad fabulam: ob caſum enim claudus fingitur. Siquidem Vulcanus cum deformis eſſet, & Iuno mater minime ei arriſiſſet, in inſulam Lemnon ex cælo a Ioue calce deiectus eſt, illic nutritus a Sintiis. Alii dicunt, in Lemnum a Ioue præcipitatum, quod contra Iouem matri opem tulerit, vnde *V. Flaccus* libro iam citato cecinit, *Mox etiam pauida tentantem vincula matris Soluere, prærupti Vulcanum vertice cæli Deuoluit.* *Homerus Cillopodion* appellat Vulcanum, quod claudicantibus eſſet pedibus, quia *cillos* dicitur claudus & debilis pede. Porro rationem deificationis Vulcani ſuperius, vt & phyſicam claudicationis diximus.

(4) *Parrhaſius* ſuper illud *Claudiani*, *Sic crine fruaris Semper Apollineo*, *Apollinis cognomen eſt*, inquit, *Acerſecome*, id eſt, *intonſus*: quod nunquam radii a fronte ſolis auelli poſſunt. Eius cæſariæ Latona mater anxie delectabatur: vt apud Tibullum obſeruatum eſt.

(5) Apte ſequitur Martem, cuius ſoror eſſe dicitur.

(6) *Hi propter thura Arabum clariſſimi ſunt*, inquit *Plinius* libro ſexto, & *thura præter Arabiam nullis, ac ne Arabia quidem vniuerſa*, Idem ait libro duodecimo. Intelligit autem *Sabin*, cuius *Plinius* quoque meminit cap. decimo quinto libri iam citati. *Thus collectum*, inquit, *Sabotam Camelis conuehitur, porta ad id vna patente. Digredi via capitales leges fecere. Ibi decimas Deo, quem vocant* Sabin, *menſura, non pondere ſacerdotes accipiunt: nec ante mercari licet. Inde impenſæ publicæ tolerantur. Nam & benigne certo itinerum numero Deus hoſpites paſcit.*

Inde Lares(1)*, Ianuſque biceps*(2)*, Syriamque vagata*
Decreto(3)*, &*(5) *inſtabiles voluens Adraſtia*(4) *currus*(5)*,*
Vna omnes ſubiere polum ſacrique Penates,
775 *Erdaque telluris Diua*(6)*, & Germanica ſecum*
Euolat Hercynio ad ſuperos Aurinia(7) *luco.*
Sanctaque Cecropiis diſceſſit Aglauria(8) *templis.*

(1) Diximus vetuſtatem deos vrbium præſides, ædiumque priuatarum cuſtodes *Lares* exiſtimaſſe & coluiſſe.

(2) Chriſtianus *Maro* libro de ſacris diebus primo ſic cecinit de Iano, *qua de gente, vel vnde Veneris, hoc noſtro nondum cognoſcitur æuo, Propterea ſuper hoc aliquid memorabile fandum. Ianus hic, vt perhibent, clara de ſtirpe gigantum Maximus ille fuit Noe, qui ſæcula Pyrrhæ Deucalioneos fluctus preceſſit, & vndas Ogygias*, & inferius, *Ianus ei cognomen erat, de nomine tractum Aſſyrio Iain, vinum dixere Latini. Ipſe etenim primus vitis vinique repertor Fertur, & id talis nomenclatura docebat. Sed Ianum primi, qui rectius illa ſonabant, Nomina dixerunt mox, intera*

Altera tertia prisco Pulsa loco, fecit fraudato nomine Ianum. Fingitur esse biceps, quoniam duo secula vidit. Vnum quod pinnis auctum mare sustulit, vnum Quod successit aquis, & ab hac propagine fluxit.

(3) Dea Syriæ, cuius meminit *Plinius* cap. decimo tertio quinti. Locum restaurauit *Hermolaus.* Hactenus enim *Ceto* lectum esse.

(4) Hanc quidam Nemesim deam esse putant, insolentiæ & arrogantiæ vindicem, quæque spes immoderatas & vetet & puniat. *Strabo Adrastiam* dictam tradit, non ab aufugiendo, sed ab *Adrasto* Rege, qui primus huic templum constituerit prope Cyzicum. Est autem *Cyzicus* & ciuitas & insula nobilis in Propontide. Idque Antimachi Poetæ versibus confirmat, quos *interpres Strabonis* sic vertit, *Est dea, quam Nemesim dicunt, dea magna potensque, Quæ bona cælestum concessu cuncta deorum Possidet, huic primus sacratam condidit aram Fluminis Æsapi gelidas Adrastus ad vndas, Atque ibi nunc colitur, seruatque Adrastia nomen.* Vertit & *Erasmus* in Chiliadibus, cuius extant versus. Adscribam, quod *Dubrauius* obseruauit. Hanc prisci Theologi ineuitabilium legum reginam esse voluerunt, tam impotente quidem potentia, vt recte facere iubeat, vetet delinquere: & si imperium abnuas, magno statim ac solido mulctet infortunio: videt enim, auditque omnia: vtpote quæ non aliud sit, atque diuina prouidentia. Propterea que Socrates apud Platonem, vbi maxime optat, ne leges a se latas aut fraus humana abrogaret, aut vis tyrannica tolleret, hanc ipsam Adrastiam sollicitissime rogat, earum curam libens volensque vti suscipiat. Verum Poeta pro fortuna videtur accepisse, quam inter Deas etiam antiqui posuerunt, quo minus etiam, vt *Plinius* ait, de Deo plana coniectatio esset. Lege cap. septimum libri secundi mundanæ historiæ. Vt autem *Aristoteles Adrastiam* a Nemesi, a fortuna, a necessitate, ab æsa, & cæteris definierit, *Franciscus Picus* docte refert in secunda parte libri de prouidentia Dei.

(5) De volubili fortunæ rota adnotauimus nonnulla ex Anticlaudiano in primum Reuchlinianorum progymnasmatum chorum, ac primam quinti actus scenam.

(6) Germanos olim *Erdam*, id est, *tellurem* coluisse, *Tacitus* in libro de moribus Germanorum indicat his verbis, *Nec quicquam notabile in singulis, nisi quod in commune Nerthum, id est, terram matrem colunt, eamque interuenire rebus hominum, inuehi populis arbitrantur.* Nos cum autore commentarioli in hunc ipsum Taciti nobilissimum libellum, legendum putamus *Hertam.* Nam hodie, Germani terram *Herd*,* quidam absque spiritu, *Erd* & *Erdtrich* appellant. Fuit autem facilis librarii lapsus H in N.

(7) Hæc, ni fallor, sub Tiberio Imperatore pro dea habita est a Germanis. Meminit eius *Tacitus*, & ni fallor, *Plinius* quoque. Sed & *Velleda* diu apud plerosque numinis loco habita, sub diuo Vespasiano, testis est idem *Tacitus*, &, vt aiunt, oculatus. Hanc coram adire alloquique negabatur, quo venerationis plus inesset, idem scribit libro vicesimo.

(8) Huius & sororum mentio est apud *Ouidium* libro Transformationum secundo, vbi nequicquam *Raphael* interpres pro *Aglauros* substituit *Agraulos.* Ceterum *Actæus* primus in Attica regnauit: quo vita defuncto, *Cecrops* gener imperium suscepit, cui tres fuere filiæ, *Erse, Aglauros,* & *Pandrosos.*

Venit & Inoo (1) *celebrata Palæmone mater*
Leucothoe, fugiens mitratos (2) *barbara Colchos.*
780 *Altaque Iuturnæ numen petit astra Latinæ.*
Quid memorem Ægocerontque (3), *Hyadas* (4), *septemque Triones* (5),
Et tardum (6) *cælo flectentem plaustra Booten* (6)?
Quicquid (7) *labentes* (8) *deuoluens circulus annos* (9)
Continet, atque alio (10) *vergentia sidera* (9) *mundo* (10)
785 *Maturant parere Ioui: quid in æquore mersas*
Et Clothen, Panopenque loquar, flauamque Alimedem (11)?
Cyrene (12) *mater viridis Peneos* (13) *ab vndis*
Exerit os vitreum, placido discedit Enipeo (14)
Infelix Tyro, & dilectas deserit vndas.

(1) A matre *Ino*, quæ & *Leucothoe* dicta est, vt diximus alibi, & de templo eius apud Colchos. Vulgata sunt quæ scribunt de ea *Seruius*, & *Placidus* interpretes nobilissimi.

(2) Quoniam ab Ægyptiis, vt diximus, originem traxerunt, apud quos mitræ vsus erat. *Iuturna Latinæ.* Romanæ, carmine *Maronis* & *Ouidii* notissimæ.

(3) A latinis *Capricornus* dicitur.

(4) A latinis dicuntur *Suculæ.*

(5) Ita rustico quodam verbo *boues* appellati sunt, quasi *terriones*, hoc est, arandæ colendæque terræ idonei. Inde sidus,* quod figura situque simile plaustro videtur, *Amaxan* Græci dixerunt, nostri *septentriones*, a iunctis bobus, id est a septem stellis, ex quibus quasi iuncti triones effinguntur, vt existimat *Ælius.* Non est autem hoc loco tmesis. Sunt enim duæ dictiones, quæ iunctæ quidem septentrioni nomen efficiunt.

(6) Cur sic appelletur, dictum est prius. Alii *pigrum* vocant.

(7) Obliquus scilicet, per quem Solis

iter annum conficit, vt edisserit *Macrobius* primo Saturn. Hic autem circulus *Zodiacus* appellatur, ab effigie animalium, quæ ζῶα græce dicuntur. Solus hic latitudinem ex omnibus circulis adeptus est. Nam cum ceteri sola longitudine censeantur, & patere non possint, in Zodiaco latitudinem signorum capacitas exigebat, quæ duabus lineis & ecliptica desinitur. Hunc *Claudianus* scite *lætissimum* vocat, hoc est aspectu iucundum: quippe qui tot cælestium flammarum luminibus illustratur.

(8) Vt Maro, *Vos o clarissima mundi Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum.*

(9) Signa. Siquidem *stellæ* singulares sunt. *Sidera* vero, quæ in aliquod signum stellarum plurium compositione formantur, vt *Aries*, *Taurus*, & id genus alia.

(10) Occidentia sub terris. Ouidius, *Lapsaque sub terras, ortaque signa canam.*

(11) Nomina sunt nympharum fluuiorum.

(12) Orphei mater, Maroniano cantu nobilis.

(13) Fluuius Thessaliæ nominatissimus, vt in fabulis nostris est. Is *Araxes* antea dictus est: quod per abrupta montium se proruat, vt scribit *Eustathius* in Dionysium. Præter Ossan, Olympumque decurrit, collibus dextra læuaque molliter curuis, nemorosis conuallibus in Thessalia facit, quæ Tempe vocant, vndisque apertioribus Magnesiam interluens in Thermæum sinum conditur. Eiusdem filius *Atrax* fuit, ex *Bora* nympha susceptus Hippodamiæ, pater eius, quæ Pyrithoo nupsit, a qua Thessala gens *Atraces*.

(14) Fluuius itidem Thessaliæ, in quem mutatus Neptunus, Tyro Salmonei filiam circa fluuium spatiantem rapuit: vnde dicit, *infelix*, propter amorem. Fabulam recenset *Strabo*, meminit item amoris Enipei & Tyrus *Propertius*. Porro Neptuni metamorphosim canit *Ouidius* libro sexto. ibid. *Te quoque mutatum.*

790 *Tuque Ister viduis mansti sine numine ripis,*
Maximus Europæ fluuiorum: nam tua Xanthe(1)
Astra subit, secumque Erato(2), *Glaucequc sorores*(3):
Hæ, quo se tantum iactat Germania Rheno
Exiluere(4) *ambæ, & cælum petiere volatu*(5).
795 *Præterea Aonio modulantes vertice Musæ*(6),
Atque antiqua Themis(7), *semperque errabilis Io*(8),
(9)*Lymphaque & ingentes varians Thaumantias arcus*
Cælitibus roseo vultu se miscuit altis.

(1) Superius etiam Danubio has nymphas tradidit.

(2) Scilicet cum Xanthe Erathe.

(3) Rheni nymphæ, & *Glauce* sine diphthongo scribi debet, vt sit declinatio græca.

(4) Id est, extra salire, quo flumine Germania tantum extollitur. *Herodianus* maximum dicit. *Cæsar* altissimum & latissimum facit. *Plutarchus* rapidissimum & immensæ latitudinis scribit in Cæsare.

(5) Sic ex bono exemplari legendum, non *volantes*.

(6) Musarum duo genera celebrat *Musæus*, alias sub Saturno maiores natu, alias Iouis & Memoriæ filias.

(7) Nam *Themis* Cæli & Terræ filia, per orbis initia redditur ab *Hesiodo*. Aut *antiquam* certe dixit, vt ab altera Themide distingueret, Euandri matre, quæ longe post fuit, *Carmentis* alio verbo dicta, vt est apud *Plutarchum*. *Themis* apud Græcos, id est ius fasque dea esse credita est, autore *Festo*, quæ suaderet hominibus id petere, quod fas esset, eandemque esse ipsam atque fas existimabant. Vnde *Themistes* oracula & consilia, consultaque & lege sancita dicuntur, *Eustathio* teste, Homeri enarratore. Alii *Themin*, vel *Themista*, vtroque enim modo dicitur, ius & iustitiam esse putant, eandemque consiliorum oraculorumque præsidem esse: propterea Homerum *Themistevein* verbum, quod vaticinari & oracula dare significat, pro leges ferre, iura reddere, accepisse Odysseæ decimo, ad huius oraculum Deucalion & Pyrrha profecti sunt, vt cecinit *Ouidius* libro Transformat. primo statim in principio.

(8) Elegantissima epitheta vtrique dedit. Infinitas orbis partes accessit *Io*, œstro a Iunone immisso. Fabula extat apud *Ouidium*, apposite igitur *errabilis*. Huius numen non solum apud Ægyptios, sed & apud Romanos colebatur, sub Iuuencæ specie, *Isis* vocata, vt alibi diximus. Et *Prudentius* noster libro aduersus Symmachum secundo his versiculis expressit: *Isis enim & Serapis, & grandi Simia cauda, Et Crocodilus item, quod limo, Lauerna, Priapus. Hos tu Nile deos colis, & tu Tibris adoras.* Accedat & *Iuuenalis*, *Sic candida iusserit Io, Ibit ad Ægypti finem, calidaque petitas A Meroe portabit aquas, vt spargat in ædem Isidis antiquo quæ proxima surgit ouili.* Cæterum, *Picus* obseruauit, eo tempore Isidem cœpisse Romæ exulare, quo Christianæ imperium fidei per orbem vniuersum propagari oportebat. Christo autem in Ægypto perlato, ex Ægypto Isis aufugit, vt cecinit in Hymnis.

(9) Bene vtrumque simul posuit. Nam Iris non gignitur, nisi repercussione radiorum in nubes, vbi aquarum domicilium est. Lympham autem coluerunt antiqui, autor est *Capella*: quia credebant vi nominis aliquos posse in furorem verti, quos *lymphaticos* di-

cos dicebant, qui nymphæ cuiusdam imaginem vidisset in aqua. Græci νυμφολήπτους vocant, quasi Nympharum spiritu correptos, his helleborum medetur, ait *Plinius*. Reliqua de nymphis dictauimus in Hymnum *Prudentii* de miraculis Seruatoris.

(1)Sed primæ ante Iouem nentes mortalia fata(2)
800 *Astiterant Diuæ, quæ magni dicta Tonantis*
Excipiunt, calamoque notant, & magna Deorum
Concilia æterni condunt annalibus æui.
Vis autem læua(3), & Zelus spolia ampla gigantum
Ostendunt, qui regna Iouis, templa aurea cæli
805 *Vertere terrigenas quondam vetuere Tyrannos,*
Vltricemque deam(4) Euentum(5), trepidumque Timorem(6)
Ætheriasque animas(7), & mortis imagine Somnum(8),
Turmatim ascendisse ferunt. (9)Quid Erichthea dicam
Orgia(10) Cecropii(11) celebrant qui festa coloni,
810 *Oreque saxifico terrentem Persea Diuos.*
Et decantatum Nemæo Alcida leone?
Hic secum astriferos profert sua monstra per axes,
Stymphalidas(12), cæstusque Erycis(13), victum Erymanthi
Colle suem(14), & semper plagis viuacibus Hydram(15),
820 *Raptaque deuictis Acheloia cornua ripis(16),*
Quæque tulit Danaas fulgentia poma Mycenas(17),
Theseaq;(18), & raptum discinctæ(20) ab Amazone(19) baltheum.
Iam Tenedi misere Deum(21), iam Græcia sacros
Tyndaridas(22) dedit, & iuratum Roma Quirinum(23).

(1) Parcæ, quæ, vt *Martianus* ait, sententias Iouis orthographæ studio veritatis excipiunt, vtpote librariæ Superum, Archiuique custodes: quam sententiam Poeta pulchre expressit.

(2) *Atropos*, rapti temporis, *Clotho* extantis, instantis autem *Lachesis*.

(3) Sic est scriptum in meliori exemplari, & ita legendum puto: quoniam paulo inferius loquitur de timore. *Hesiodus* in Theogonia tradit *Stygem ex Pallante Zelum*, *Victoriam*, *Potentiam*, *Vim*que genuisse: accidisseque, vt Iupiter omnes Deos ad concilium vocaret, pollicitusque est, vt quicumque vellent secum pugnare contra Titanas, se honorem illis summum exhibiturum. Prima autem *Styx* Oceani filia cum filiis suis venit, & Ioui paruit: quare Iupiter illi numinis vim maximam elargitus est. Diis enim maximum voluit esse iusiurandum: filiis autem apud se imposterum sedendi locum concessit. Veritas autem est: quoniam erga Deum duo effectus fiunt, colitur enim, & timetur: & idcirco fictum est, Timorem scilicet, & Zelum semper Ioui assidere: quoniam hiis duobus demptis Deos nullos fateri necessarium esset. Vnde Dei nomen apud Græcos deum significat & timorem. Et *Statius* ait, *Primus in orbe Deos fecit timor.* Cuius fratrem *Zelum* dicunt. Quia religio fine timore pæne nulla esset. Alias autem quas *Hesiodus* tradit potentias, Deo ipsi attribuuntur, scilicet *Victoria*, *Potentia*, *Vis*.

(4) Id est *Rhamnusiam*. Credebant enim antiqui, deam esse vel numen quoddam Fortunæ, quo sontes sceleratique punirentur. Ouidius, *Exigit & dignas vltrix Rhamnusia pœnas.* Dicta est *Rhamnusia* a *Rhamnunte* Eubœæ oppido.

(5) Romani *Euentum* bonum & malum coluerunt.

(6) Bene Euentui Timorem subiunxit. Nam semper in euentu rerum suspensi sumus & timemus.

(7) Id est, Genios, Heroasque, ac Lares, quibus æther sedes est. Diximus alicubi ex Plotini sententia, animos hominum in malos & bonos Dæmones verti. Bonos autem, vt tradidit *Varro*, & *Hesiodus* idem sentit in Ergis, in Heroas, Lares, Geniosque verti, ac ætheris sedem illis constitutam esse, siue, vt vult *Hesiodus*, insulas, quas Beatorum appellant. Malos vero in Cacodæmonas, Lemuresque, ac Manes transformari. Quamobrem malim hic legere pro *nocturnos Lemures*, *Ætherias animas*, vt exemplar castigatum habet: etiamsi priorem lectionem non omnino improbo. Namque poeticæ est licentiæ, alterum sæpe pro alio ponere, vt *Castorem* pro *Polluce*, *Philomelam* pro *Progne*: & sic hic *Lemures* pro *Geniis*, ac Heroum animis a Poeta positos.

(8) Princeps medicorum *Somnum μικρὸν θάνατον* hoc est, *paruam mortem* vocat. Proinde dictum ab Ouidio, *Stulte quid est Somnus? gelidæ nisi mortis imago. Longa quiescendi tempora fata dabunt.* In hanc sententiam *Plinius* inquit: *Malignum vero & breue in his etiam, quibus largissime contingit, vniuersum vtique æui tempus intuentibus. Quid quod æstimatione nocturnæ quietis, dimidio quisque spatio vitæ suæ viuit? Pars æqua morti similis exigitur, aut pœna, nisi contingit quies: nec reputantur infantiæ anni qui sensu carent, nec senecta in pœnam viuacis.* Cæterum, ne cui dubium sit, cur Poeta Somnum cum animabus æthereis coniunxerit, ascribam carmina *Maronis* ex libro

quinto

quinto, vbi circa finem loquitur de Palinuro, qui a Deo *Somno* submersus est, videturque sentire *Somni* sedem in æthere esse, & inde ad Palinurum descendisse. Carmina autem hæc sunt; *Ecce Deus ramum lethaeo rore madentem, Vique soporatum Stygia, super vtraque quassat Tempora, cunctantique natantia lumina soluit. Vix primos inopina quies laxauerat artus, Et super incumbens, cum puppis parte reuulsa Cumque gubernaculo liquidas proiecit in vndas Præcipitem.*

(9) Nunc ad eos descendit, qui cum bene beatoque vixerint, Dii facti sunt. *Erichthonius* Atheniensium Rex fuit, quem pro Deo coluerunt.

(10) Sacrificia. Generaliter enim ea significat sacrificia, quæ Diis fiunt. Etiamsi non Baccho, aut Cereri fiant.

(11) *Athenienses* a *Cecrope* Rege. Vt dictum est, tradunt bicipitem fuisse, propterea quod primus fuit, qui marem feminæ matrimonio coniunxit. De Perseo quæ ad hunc locum faciunt vulgata sunt, & diximus superius.

(12) Scilicet *aues*, apud *Stymphalum* lacum: dictas etiam *Ploides*, quod in aquis degerent, ab Hercule interemptas arte & ingenio. Nempe æneæ tabulæ sonitu pulsæ ex Arcadia, vi enim superari non poterant, propter innumeram multitudinem. *Stymphalis* enim, vt *Homerus*, & *Pausanias*, oppidum, fons, & palus Arcadiæ.

(13) *Eryx* Veneris filius, viribus cum præstaret corporis, cum Hercule cæstibus pugnauit: tandem occumbens. Ab hoc *Eryce* monti Siciliæ nomen inditum est, de quo & *Erycina Veneris* templo, ac festo eius in vrbe Roma lege, quæ scribunt interpretes *Ouidii* super illud, *Numina vulgares*, lib. Fastorum quarto.

(14) Hoc est, *Aprum*. Vnde nomen assecutus est *Erymanthus* oppidum, mons, & amnis Arcadiæ: fluuium celebrat in Iouis hymno *Callimachus*, amniumque candidissimum vocat, montem *Solinus*, & *Eustathius*, oppidum *Pausanias*. Scribit *Parrhasius* enarrans hunc *Claudiani* versiculum, *Non Erymanthæi gloria montis aper*, hunc, & Calydonium eadem sue natos esse. Scrofæ nomen *Phæa*, sed a *Cromyone* Corinthi pago, vbi diuersata est, *Cromyonia* vocitatur, vt tradit *Strabo*. Hanc sustulit Theseus, vt est apud *Plutarchum*. Meleager Calydonium, Hercules Erymanthæum nimium astu, vt prosequitur idem *Parrhasius*.

(15) Latine dicitur *Excetra*, quam *Simonides* nonaginta capita habuisse canit, *Alcæus* quinquaginta: ex quibus si quod amputaretur, duo renascebantur. Hanc Hercules, adiutus ab Iolao, superauit: qui recisum continuo caput, subiectis flammis inurebat Herculis iussu. Porro Herculanorum laborum, a poetis, vt superius indicanimus, celebratorum omnium longe difficillimus ac maximus Hydra Lernæa, malum pertinax, ac propemodum inexpugnabile illi, qui iam omnia deuicerat: cuius symbolo veteres inuidiam exprimere voluisse satis indicat *Horatius* in Epistolis, cum ait: *diram, qui contudit Hydram Notaque fatali portenta labore subegit, Comperit inuidiam supremo fine domandam.* Neque vero parum concinne, vt ait eleganter *Roterodamus*, veteres illi videntur inuidentiæ symbolum *Excetra* tribuisse primum palustri malo, quod (quemadmodum tradunt etiam naturalium caussarum vestigatores) magis huic morbo sint obnoxii, qui humili abiectoque animo præditi sunt. Sunt autem quibus sanguis inest frigidior, eamque ob caussam & apud Nasonem, *Inuidiæ domus est in vallibus imis Abdita, sole carens, non ulli peruia vento, Tristis, & ignaui plenissima frigoris, & quæ Igne vacet semper, caligine semper abundet.* Neque vero cum simplici portento res, sed centum armato capitibus, quorum si quis vnum aliquod execuerit, in eius locum procinus duo suppullulent. Ea videlicet inuidentiæ natura est, vt si contra luctaris, magis ac magis irrites: si quando coneris splendore virtutis opprimere, tum insurgat acrior, & intumescat. Hic si recidas, illic maior oboritur: carptim extingui non potest, vix tandem obruitur. Verum id perpaucis contigit, ac vix etiam ipsi Herculi. Quanquam enim liuor velut ignis, alta petit: est tamen omnino aliquid vsque adeo perfectum & illustre, vt eo non possit attingere. Quo loci peruenille sese gloriatur *Horatius*, cum ait, *inuidia quia maior, Et iam dente minus mordeor inuido.*

(16) Miscuit fabulam simul, & allegoriam fabulæ: quoniam *Achelous* Acarnaniam ab Ætolia diuidit, solitusque erat ita vtramque regionem inundare, vt limites confunderentur, litesque sæpe orirentur inter incolas. Hercules ergo aggeribus vim fluminis compescuit, atque intra alueum fluere coegit. Per *Acheloum* antiqui Græcos imitati, qui *Acheloum* pro aqua posuerunt, dixerunt. Lege *Macrobium*, vbi interpretatur versum Maronis, *Poculaque inuentis Acheloia miscuit vuis. Achelous* cum *Thoas* antea diceretur, ab *Achelao*, qui ex Thessalia Alcmeonem secutus est, nomen accepit.

(17) Lucanus, *Rettulit Argolico fulgentia poma tyranno.* Sed qui grauiorem historiam sequuntur, dicunt ingentem illum & famosum Hesperidum hortorum custodem Draconem, fuisse pastorem cognomentum Draconis ab asperitate morum sortitum: cuius insigni pulchritudine greges cum Hercules abegisset, affinitas nominis fabulæ locum dedit, vt aurea poma subrepta dicerentur: quod μῆλον apud Græcos & *ouis* & *pomi* commune nomen est.

(18) Scilicet ab inferis liberatum. *Plutarchus* apud Molossorum Regem hoc contigisse scribit in vita Thesei.

(19) Quam *Rhodius Apollonius Hippolyten*, nonnulli *Dylicen*, & vnus *Ibicus* nouam commentus historiam, ex *Briareo* natam refert, teste *Parrhasio*.

(20) *Cinctus* absolute expeditus & strenuus,

nuus; vt contra discinctus mollis & effeminatus dicitur. Hinc Augustus Cæsar milites, in quos animaduertebat, descinctos in conspectu Ducis stare cogebat, vt ignominia notaret, vt *Macedo Polyenus* auctor est.

(21) *Tenem* scilicet, cuius meminit *Cicero* actione in Verrem secunda, *Nihil cum Verre*, inquit, *de quotidianis criminibus acturus sum.* Chio *per vim signa pulcherrima dico abstulisse. Item* Erythris *&* Halicarnasso Tenedo *præterea pecuniam quam eripuit*, Tenem *ipsum, qui apud* Tenedios *sanctissimus deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse, cuius ex nomine* Tenedus *nominatur, hunc ipsum, inquam,* Tenem *pulcherrime factum, quem quondam in comitio vidistis, abstulit magno cum gemitu ciuitatis.* Item *Strabo* libro Geographiæ decimoter io.

(22) *Castor* & *Pollux* post mortem Dei habiti a gentibus, & in cælum fabulose relati; præter ceteros autores habes *Ciceronem* de natura Deorum, & *Horatium* in epistola ad Augustum.

(23) Hoc est, *iuramento affirmatum* inter Deos fuisse, & visum in cælum ascendere. Lege historiam apud *Dionysium* & *Liuium* in morte Romuli, cuius translationem in Deum narrat *Ouidius* in fine quarti & decimi Metamorph. *Cicero* in principio primi legum. Cur autem *Quirinus* dictus fuerit, locum apud *Ouidium* in Fastis superius ostendimus. Prior editio *cantatum* habet: sed *iuratum* magis placet, vt emaculatus codex.

825 (1)*Ecce autem astrifera, qua tollitur altior axis*(2)
Sede, choro descendit auum tua maxima proles,
Alberte(3), Ernestusque *suos veneratur* Othones:
Henrici *subeunt pone & vestigia adorant*
Sacra Leopoldi(4): *sed longe excelsior ibat*(5)
830 *Cum bello tum pace grauis, qui infanda parantes*
Oceani domuit populos, Morinumque subegit(6).
Hic est qui sapiens olim sine Marte furorem
Vicit Pannonium, & cunctando restituit rem(7).
Nec dedignatus(8) *tantum est tibi, maxime Cæsar,*
835 *Virtutum decus*(8), *in partem te iungere regni*(9),
Hic numero Diuum insigni, trabeaque decorus
Sidereo in solio iuxta micat astra Tonantis.
Vt late fulsere Dei, & quæque ordine notis
Numina consedere locis, cœtuque silente,
840 *Talia depromit tereno Saturnius*(10) *ore.*

(1) Diximus particulam hanc semper aliquid magnum importare, & propterea Heroas Austriacæ domus, quos in Deos relatos dicit, ceteris Diis præponit.

(2) Antiqui, vt dicebam, in æthere circa lunarem circulum, vel in corpore ipsius lunæ posuerunt. Puto autem, quia dicit animis Principum Austriæ altiorem sedem ac sublimiorem sede ceterorum Deorum attributam esse, allusisse Poetam ad magnitudinem domus Austriæ, quæ ætate mea Germaniæ, Belgicæ, Hispaniæ fere toti: in Italia Dannis, Appulis, Calabris, Salentinis, Brutiis, Lucanis, Campanis, ac parti Cisalpinæ Galliæ imperat.

(3) *Rodolfi* Habspurgii Cæsaris filium denotat, qui patri in Imperio successit, vt libro primo adnotauimus, super illud, *Venturam a sanguine magno Progeniem audierat.* Nescio quo consilio Poeta miscuerit Habspurgensi familiæ antiquos Austriæ Principes, qui stirpis Leopoldinæ nomenclaturam sortiti sunt: quorum origo ex inclitis Sueuorum ductoribus fuit, qui ei genti olim imperitarunt, qui hodie Sueuicum nomen referunt. Vtriusque gentis Principum seriem & catalogum texuere *Nauclerus* & *Irenicus.* At *Stabio* nostro Habspurgense genus non alter diligentior tradidit.

(4) Hic ob maximam eius in Christi religionem, obseruantiam, beneficentiamque in pauperes pius atque liberalis dictus, cuius calcaneum in quadricubitali defæcati argenti arca conditum, maxime cum clauderet miraculis nostra memoria, curante *Maximiliano* Aug. in diuos relatus est, Pontif. Max. adsentiente, & præeunte *Mariano Barthonino* patruo Poetæ: corpore eius ex humili sepultura, ad ornatissimum mausoleum translato, quod in ditissimo templo Neoburgæ Austriacæ colitur. Hic se, dum viueret, Marchionem Orientalem appellauit, & ex *Agnete* Imperatoris Cæs. *Henrici* Quarti Aug. filia, ac *Friderici* Senioris Sueuiæ & Franconiæ Ducis, Imper. Cæs. *Friderici* primi Aug. aui, relicta vidua, sustulit inter ceteros filios *Othonem* maximæ eruditionis virum, & ob morum grauitatem Frisingensis ecclesiæ Episcopum declaratum, cuius historia rerum gestarum a mundi initio ad Eugenii Tertii Pont. Max. Cæs. quæ *Conradi* Tertii Aug. eiusdem Cæs. *Friderici* patrui tempora, abundantissimarum rerum copia & sententiarum varietate in libros septem digesta, vt ad *Maximilianum* scribens ait *Peutingerus* noster, citatur a grauibus authoribus.

(5) Designat *Maximiliani* patrem *Fridericum* Augustum. Eligitur, Imperio vacante, ad annum a Christo quadragesimum post mille quadringentos, adolescens tum moribus maturus, annum ætatis agens vicesimum sextum, vel circiter.

(6) Expeditionem contra *Brugenses*, qui in *Marinis* sunt, intelligit, cuius a nobis mentio habita est libro primo, vt & belli *Mathiæ* Hungariæ Regis cum *Friderico*, quod hic quoque innuit Poeta.

(7) Erat enim Fabio Maximo propior quam Scipioni, multa reponens in cunctationem, nihil illi de celeritate conficiendæ rei: notauit id *Campanus*, ceteri. De Fabio versus ille Ennianus celebratur, *Vnus qui nobis cunctando restituit rem.*

(8) Producam externum testem & grauissimum, nempe iam dictum *Barbarum.* Producam & alterum *Pandulfum Collenutium*, quando in ore duorum vel trium stat omne verbum, vnique testi, nec Catoni creditum est. Quid vterque de *Maximiliano* dixerit, & vere quidem, pete ex luculentissimis eorum orationibus.

(9) Scribit *Albertus* cap. primo lib. decimi tertii Saxoniæ, *Fridericum* de iungendo & adsciscendo filio a Principibus interpellatum respondisse, *Filium nos nostrum propius agnoscimus*: nec voluisse vlla de re minus, vt ferunt, audire quam illa. Id siue ex sententia dixerit, siue quadam simulatione prætulerit, siue etiam magnum opus administrandi Imperii eviscerati filio auerterit, incertum est. Poterat tamen illum ad mutandam sententiam inflectere, & maturior nunc ætas filii, & recens de hostibus victoria. Magno enim ore multorum efferebatur, quod sine paternis armis, sine amicorum ope, tantam in Gallos & Flandrios rem peregisset: quamuis pro magnitudine hostilium virium satis erat vicisse, dum tantis armis non cederet. *Hermolaus* item astipulatur ille *Barbarus*, qui in oratione ad *Fridericum* ipsum, *Verebaris*, inquit, *modestissime & grauissime Imperator, ne si precibus Principum omnium protinus annuisses, aut charitati patris in filium, aut ambitioni datum esse indicaretur, parum tibi videbatur, præstare Cæsarem in alios, nisi aduersus te ipsum quoque præstitisses*, & quæ sequuntur.

(10) *Iupiter*: quo epitheto poetæ sant iratum Iouem intelligere, vt etiam de Iunone. Sic superius, *Bellisferrates rapit Saturnia postes.*

AVSTRIADOS
LIBER X.
ARGVMENTVM.

Decimus habet Iouis orationem, qua deliberat, accelerandum Roberti *Palatini fatum: inibique nonnulla temporum suorum clades recitantur. In fine orationis, occulte, ne Deorum animi ad pathos mouerentur, vxoris quoque, & filii mortem innuit. at Pallas, postquam decretum est, rogat Palatino diuinitatem dari. Sequitur & Dianæ oratio, Iouis iusiurandum in Cæsaris felicitatem: qui mox Mercurium ad Parcarum sedes mittit, vt fatum* Roberti *interrumpant: vbi Parcarum sedes describitur: pestisque ab inferis euocata,* Robertum *inuadit, qui post querimoniam tam desidis exitus moritur. inde vxoris super ipsum lamentatio, ipsiusque ac filii repentina mors. Accurrit pater, qui super corporibus patheticam, sed grauitatis plenam orationem habet. deinde mandantur sepulturæ. Sequitur belli Boemici descriptio, non longe a Ratispona, quam Reginonem alii dicunt, Poeta Reginum appellauit, vbi mons solis est. Inde Cæsaris oratio ad milites,* Langique *ad eum responsio, quorundamque Principum, qui eidem bello interfuerunt, nomina. pugna atrox, multorumque cædes ingens. Iamque ad currus peruentum erat, cum Pallas Doridem, Oceani vxorem, petit, impetrat vndas, nubesque concit. pluuia immensa oritur, vtrinque pugna relicta est. Diana cum dolos nouisset, Messanam Siciliæ petit, Phœbumque fratrem, qui*

illic

illic stabulauerat, cum equis rogat, vt nubes dissipet, interim fama Roberti *mortem attulit, concussi Boemorum animi, qui tandem vertunt terga fuga, & Cæsar victoria potitur.*

AEternas mundi leges(1), & fœdera rerum
Iam connexa,(2)mihi voluendo ex ordine(3), nunquam
Mens fuerat damnare(2), diemque abstrudere terris,
Ex quo me Alcmenæ iunxi(4), magnumque creaui
5 *Amphitryoniaden, & nox mihi paruit ingens,*
Occuluitque iubar plus æquo Pythius alto
Oceano, & fratrem mirata est Luna morantem.
Sed nunc Cælicolæ magni, & genus omne Deorum,
Siderei sedem quicumque subistis olympi,
10 *Audite hæc, animisque omnes mea figite dicta.*
Bella diu in terris Regum viguere, nec ulli
Pugnando innumeras pudor est deperdere gentes:
(5)*Nam quot Tarpeia vidi de rupe triumphis*
Parthenopem egregiam(6)? *quantas lux vna tenebras*
15 *Attulit? Insubres*(7) *memorem, quos Gallica pubes*
Alterno fractos motu, varioque tumultu
Perdomuit, victrixque Padi calcauit arenas?
Transiit hoc animo, nec me fortuna peracti
Sollicitat: veniet lustris labentibus ætas,
20 (8)*Qua puer insignis regno potietur auito,*
Et Cisalpinas exactis hostibus vrbes
Inuiset: verum Cæsar Germanicus vna
Cura mihi, & mundi regio, qua labitur Ister:
Iam contra insurgens commouit bella Robertus,
25 *Arctoosque replet sociali cæde penates.*
Et quamuis Marte, inuisa Tritonide, Cæsar
Exuperet, victorque aquilas, & signa reportet;
Surgent bella iterum populis, maioraque mundo
Funera, replentes crebris plangoribus auras,
30 *Tristia lugebunt natorum vulnera matres*(9).
At si Phalsgrauides *venturis viueret actis:*
Nunquam pax bello fieret: maiora refellit
Hic sceptra(10),*ille parem non vult*(11),*nec fœdere iungi.*
(12)*Ergo innexa chaos repetant elementa, diesque*
35 *Differeat, Phœbusque suo declinet ab ortu?*
Impia ne radiis retegat tot facta reuectis?
(13 *At non sic, præstat sed bello imponere finem,*
Quem fore sic video, magnum si Marte Robertum,
Cuius ab astrifero dudum spectastis olympo
40 *Pugnaces animos, fontesque in bella furores,*
Ante diem morti dedam, secumque nouandi
Crescentem belli spem: ne nocitura futuris
Interrumpat iter rebus: nam plurima magno
In Latio Rex bella geret(14), *cum Gallicus horror*
45 *Proteret Insubres, atque Adria fulserit armis.*
Sic pater effatus longum tremefecit olympum.

(1) *Plato* Deum ad sui exemplum ait mundum effinxisse, *Aristoteles* sempiternum esse vult, *Epicurus* plane interiturum, *Xenophanes* sempiternum, corruptionis expertem, *Pythagoras & Stoici* genitum a Deo: sed ex sua quidem natura nequaquam interitus immunem. Æternum esse mundum tradidit *Iulius Firmicus* in secundo, inter alia asserens, non facile posse originem mundi ratione concipere, aut explicare humanam fragilitatem. Deflagraturum mundum minatur Heraclitus, autor est *Themistius* libro Physicorum tertio. Porro mundum duraturum ad sex annorum millia putarunt mul-

ti: & *Hieronymo* videbatur. Theologi tradunt primam mundi creationem factam fuisse in primi temporis æquinoctio, id est, verno: qui dies intelligitur vndecimus Kalendarum Aprilis, hoc est vicesima secunda Martii dies, quando primus est Paschatis dies, id est, primi mensis dies primus. In lege enim mandatum est, vt vndecima die, primi mensis vespere se præpararent ad pascha faciendum decimaquarta mensis die, id est ab vndecimo. Iam enim vesper decimi diei in vndecimum lucet, vt ab vndecimo Kalendas Aprilis initium esset primi mensis, autor diuus *Augustinus*. Sacris literis concordant gentilium plures, qui mundi natalem tribuunt verno tempori, hinc *Maro* Georgicorum secundo cecinit, *Non alios prima crescentis origine mundi Illuxisse dies, aliumue habuisse tenorem Crediderim, ver illud erat, ver magnus agebat Orbis & hibernis parcebant flatibus Euri, Cum primum lucem pecudes hausere*, & cetera. Similia scribit & in quinto *Lucretius*.

(2) Hoc est, nunquam subiit ratio aliqua hactenus, qua ego impellerer, vt leges & fœdera rerum damnarem in futurum.

(3) Id est, qui in futurum etiam, vt prius, volui deberet. Ceterum pro *subiit*, reposui *fueras*, iuxta melius exemplar.

(4) Nam tunc videtur Iouem seriem rerum interrupisse, cum tres noctes pro vna in concubitu cum Alcmena computatæ fuerint, solque, atque cetera sidera cursum suum naturalem non retinuerint. Sed obsecro, quid Plinianum illud videtur, qui ait, ætate sua septem dies vtrumque sidus, id est solem & lunam, quæsitum? Arbitror ingentes fuisse nebulas: vel quod in puteis quæsierint.

(5) Deplorat calamitates Italiæ, Regni Neapolitani scilicet, & Galliæ Cisalpinæ.

(6) Hæc vrbs, de qua plura *Procopius* libro primo de bello Gothorum, ob multa insignis, sed Maronis vatis sepulchro celeberrima. Nomen accepit a *Parthenopes* Sirenis sepulchro, vt tradit *Plinius*, & scribit *Silius* in principio duodecimi. Augustus postea Neapolim esse maluit. Hoc nominis, vt *Strabo* docet, sortita: quoniam eam variæ gentes incoluerint.

(7) Mediolanenses.

(8) Quamquam scholium excuso codici asscriptum refert ad Ducem Mediolanensem *Maximilianum*, qui restitutus a *Maximiliano* Imperatore ætate nostra, ipse sui ac patriæ proditor, arcem Mediolanensem, Ducatumque in manus Gallorum tradidit: ego tamen ad *Carolum* tum Hispaniarum, vt aiunt, infantem, hoc est, Principem, refero. Nam cum hæc scribebantur, puer erat. Et dixit, *Regno potietur auito*; quoniam *Ferdinandus* Rex eum omnium regnorum suorum heredem reliquit.

(9) Ad cladem Boemicam respexit.

(10) Scilicet, *Robertus*.

(11) Scilicet, *Albertus*.

(12) Per interrogationem legenda sunt.

(13) Quasi dicat, Ordo, quem statui, delendus non est, sed modus inueniendus, vt bello tandem finis detur. Pereat ergo *Robertus*, & secum crescens belli spes, id est filius, in quo fortasse fatum erat, vt paterna odia imitaretur.

(14) Prognosticum verissimum futurarum cladum & rerum a *Maximiliano* Imperatore contra Gallos gerendarum: quas eleganter scripsit *Aloysius Marlianus* Mediolanensis, cuius ante feci mentionem.

Stabant ancipites Diui, nec pergere contra
Audebant dictis: tunc Pallas Gorgone sæua
Ante Iouem sistens, mæsto sic incipit ore:
50 *O hominum rector, Diuumque æterna potestas,*
Numine qui cælum torques, quæ tanta lacessunt
Iurgia te, genitor(1)? *iuuenem quod dedere morti*
Immeritum ante diem, & dotali expellere regno(2)
Immotum sedeat? nunquid sacram Elidis ædem,
55 *Altaque Maurusi*(3) *rapuit delubra Tonantis*(3)?
En ego bellipotens, capitisque excelsa paterni
Progenies iam vilis ero, frustraque gigantes
Strauimus(4), *atque altis serpentem affiximus astris*(5),
Qui parte hac propius(6), *totidemque reflectitur illa*
60 *Orbibus, atque duas intermeat algidus Arctos.*
Non ego quem foui in terris, iuuique superstem(7),
Infandum, o Superi, vitali pellimus aura.
Scilicet(8) *hoc pacto dominus*(9), *victorque per orbem*
Imperium terræ Cæsar regat, omnia solum
65 *Respiciant, rerumque decus post tollat in astra,*
Atque iterum effuso iactet se sanguine Diuum(10).
Quid iuuat, e belli flammis, fatoque Robertum
Conseruasse meum, & vento vexisse per auras,
Si tanta a rerum mole, & flagrantibus armis
70 *Abstrahis ante diem, & iuuenili surripis æuo?*

Verum

Verum si hæc fati sedet alto in corde voluntas,
Non veto: sed saltem mundi da maxime rector
Huic iter ad Superos, atque inter magna relatum
Sidera, fac numen(11)*: sic nec mentita videbor,*
75 *Quæ toties illum dixi post fata iubentem*
Te sperare polum, qui factus numen ab alto
Pulvereas acies(12)*, atque aspera bella videret.*
Pollicitis, tu, magne pater, precor annue nostris.
Dixerat. At contra surgens Diana locuta est:

(1) Hoc est, quibus iniuriis commoueris ad hæc? Nam *iurgium* contentio est, *Iniuria* contumelia.

(2) Prætexit ius dotis, quod in hoc, vt nostri aiunt, casu locum non habet. Id superius indicauimus. Conatur autem arguere Iouem ab iniustitia.

(3) Id est, *Iouis Armarii*, a populis sic appellati.

(4) Quoniam cum Ioue contra gigantes pugnauit.

(5) Fabulam refert Hyginus, figuramque eius cælestem describit, cuius intersectiones ecliptica discernunt loca.

(6) Caput Draconis & caudam eius intelligit, de quorum tamen loco genethliaci, vt de significatione quoque diuersa prodidere.

(7) Pro *superstitem*, vt Maro *extinxem* dixit, pro extinxissem.

(8) Per contemptum (nisi sit declaratiua particula) accipitur. Maro, *scilicet is Superis labor est*, & Terentius, *Id populus curat, scilicet.*

(9) Per derisionem, vt *Maro* in 4, *Dominum Æneam* dixit.

(10) Propter Venerem & Palladem superatas a Cæsare.

(11) Quod deberet in cælum transferri non ignorabat Pallas, quod inferius refert Iupiter: sed cupiebat, vt numinis loco haberetur a mortalibus, multi enim fortasse cælo fruuntur, & tamen numina dici non possunt, sed beati, numen tantum eorum, qui in Deorum numero asseruntur, nomen est.

(12) Denotat pugnam Boemicam.

80 *Credebam, o genitor, veteris fera iurgia litis*
Discessisse animo paulum, sed Palladis ira
(Cum nunquam nostris contraria desinat actis(1)*)*
Cogimur effari, coramque has fundere voces.
Ex quo Iunonem fugiens Latona furentem
85 *Appulit instabilem deuecta per æquora Delon,*
(2)*Obi venturam magna de stirpe canebas*
Heroum prolem, dextraque, opibusque potentem,
Quæ regeret terras, quas arcticus alluit Ister.
(3)*Et tandem in Latium bello transiret apertis*
90 *Alpibus, Austriadumgenus hoc fore, rite recordor*
Dicere te, genitor, curam tibi, Iuppiter, vni
Augere hanc gentem, magnaque ab origine Reges
Seruare, atque illis mundi committere habenas.
Dicta precor serua, veniat translatus ad astra
95 *Vt iubet, & currus per sidera torqueat Heros.*
Nulla mihi inuidia est(4)*, iam prælia spectet olympo,*
Cæsareasque acies, ita nec mentita coletur
In terris Pallas, detur? nunquamne quietum
Diua geres animum? aut tolles cum Cæsare litem?
100 *Tunc decuit seruasse modum*(5)*, cum Belgica mouit*
Menapio(6) *exoriens contra gens littore bellum,*
Gens infræna ferox, vbi te per castra, per enses
Vidimus armatam, & magno cum turbine Martis
Oceani vrgentem populos, pugnamque cientem,
105 *Cumque tibi vetitum iussu Iouis arma sorori*
Enceladi, quæ inuisa Deis dementia(7) *fertur,*
Porrexisti amens obscura in tartara mersæ.
At si præteriti stimulat te vulneris ardor,
Austriadem contra quæ te impulit ira potentem?
110 *Cæsar cura Deum, multos dominabitur annos.*
Annuit omnipotens hoc Iuppiter, ipsa querelas
Iam pone, & fatis parere assuesce futuris.

(1) Nullus adeo vehemens affectus est, qui non longinquitate temporis minuatur atque mollescat. Solus inuidiæ liuor indies magis atque magis augetur. Pluribus *Plutarchus*, magnusque *Basilius* hoc vitium detestantur.

(2) Laus maxima gentis Austriæ ab antiqua origine, & quasi ad imperium terræ voluntate Deorum natæ.

(3) Alludit ad *Maximilianum* Cæsarem.

(4) Vt scilicet Mineruæ de successu Cæsaris.

(5) Tacite Belgarum furorem in Cæsarem arguit.

(6) Belgico.

(7) Fingit Poeta *Enceladi* sororem fuisse, qui gigantum antesignanus fuit & princeps. Claudianus, *Ipsius Enceladi fumantia gestat opima Summi Terrigenum Regis.* Alii Porphyrionem tradiderunt & Alcyoneum. *Enceladum* vero Ætnæ suppositum canit *Maro*: & *Callimachus* ad hanc sententiam græce scribens, *Immanem Enceladum triquetris premit insula terris.*

His dictis, (1) Cytherea, sui haud oblita cruoris,
Mussat(2), & apta sibi meditatur tempora fandi.
115 *Cum solio omnipotens considens Iuppiter aureo*
Incipit: Inter vos tantas componere lites
Tempus adest, mihi quod facto est opus, ipse facessam.
Quod quæris dabitur(3), Pallas, Latonia Phœbe
Phalsgrauidem *accipies, medioque locabis in orbe.*
120 *Nec Ducis egregii tristabere Cynthia fato.*
Hæc etenim ventura tibi stant condita mente.
Ætheriam in sedem cum numina sancta vocarem(4)
Prædixi, nec pollicitis fraudabere nostris.
Interea Cæsar toti dominabitur orbi.
125 *Sic fixum est animo, Manes obtestor auerni,*
Et stygii fluuia atra vadi, sat fulmen Oilei(5)
Sit tibi, & Euboicus conterritus igne Caphareus.

His dictis tremuere apices, & culmina olympi.
Inde pater solio descendens Iuppiter alto,
130 *Sideream in sedem, Diuum comitante caterua,*
Se confert, mundumque alta despectat ab arce.
Sic omnes abiere Dei, cœtuque soluto,
Quisque suas repetit sedes, & templa reuisit.

(1) Scitum figmentum, quare non loquitur Venus: quia vbi diuina ratio casto corpori iuncta est, Veneris illecebris locus non datur: quod per Palladem & Dianam intelligimus.

(2) Id est *tacet.* Ennius, *Non possunt mussare boni*, & Terentius, *Mussitanda iniuria est.* Potest hic quoque poni pro *dubitat*, *cogitat.* Maro, *Mussat Rex ipse Latinus.* Vel, *mussat*, murmurat. Idem, *fit sonitus mussantque.*

(3) Nam prius quoque Iupiter Palladi erat pollicitus, vt *Robertus* transferretur in cælum.

(4) Id est, cum destinarem, statuerem indicere concilium Deorum. Nam antequam vocaret Deos, ventura prædixerat Palladi: vnde prius somnium nutricis describitur.

(5) *Aiacis*, Oilei filii. Sensus, hoc satis est, te de illis vindictam sumpsisse & iram. Vt autem Græci circa *Capharum* grauissima tempestate fatigati fuerint, superius enarratum est.

Nec mora, Parcarum iubet agmina sæua sororum
135 *(Quas modo scribendi solito dissoluerat vsu(1))*
Mercurium petere, interruptaque poscere fata(2).
Nec mora, præpetibus Maia satus(3) euolat alis
Parcarum ad sedem. stat circumferreus olli(4)
Prædurusque obex, solidoque adamante Dearum
140 *Sunt postes, atque ære gradus, clausosque recessus*
Nulli fas aperire Deum, nec scindere ferro.
(5) Hinc horæ, solesque, atque irremeabile tempus
Remigio alarum, & vario discrimine vitæ(6)
Nascuntur, pereuntque simul: latet orbita rerum(7)
145 *Ordoque(8), & (9) obducto primo stat limine regni*
Ore vigil cura(9), & digito dat signa tacendi(10).
Ergo illuc sumpto properat Cyllenius hydro(11),
Atque Iouis mandata refert, properandaque poscit

Fata

Fata Ducis. Contra cui sic soror vna profatur;
150 *Atlantis proles, & Diuum nuntius Arcas,*
Fata suo stant firma loco, sua quemque moratur
Certa dies, nullique datur mutabilis hora(12)
(13)*Sed tamen omnipotens cum Iuppiter omnia solus*
Et regat, & videat, sua iussa capessere fas est.
155 *Dixit, & officio indulgens, monet ore supremum*
Carmen, funereis deuoluens stamina fusis.

(1) Et id explicauimus ex *Capella.*

(2) Quoniam ante diem a fatis statutum moriturus erat *Robertus*, vide *Seruium* super hoc Poetæ, *Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.*

(3) Quatuor Mercurios accepimus, vnum Iovis & Maiæ filium, alterum Cæli & Diei, tertium Liberi & Proserpinæ, quartum Iouis & Cyllenes. Verum omnes ad Maiæ filium referuntur. *Maiæ* pater fuit *Atlas*, vnde Mercurius *Atlantis nepos*, vt supra dictum est, a poetis dicitur, vt a nostro mox, *Atlantis proles.*

(4) Describit Parcarum sedem, quam dicit ferro & adamante munitam. Nemo enim eas superare potest: de quibus sic ait *Hesiodus*: *Nox Sortes & Parcas, sæuas in puniendo, genuit Clotho, Lachesim, & Atropon, quæ mortalibus ab ortu bonum malumque præbent. Hæ Deorum atque hominum scelera insectatæ, nunquam ab ira desinunt, quoad is qui peccauerit meritas luerit pœnas.*

Clausosque &c. Sequitur opinionem de Fato. Id ita *Chrysippus* definit, *Fatum est sempiterna quædam & indeclinabilis series rerum, & catena voluens semetipsa sese, & implicans per æternos consequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque est.* Subesse autem Fato Deum arbitratos fuisse antiquos, tradit *Ennius*, vt recitat *Cicero*, Fatum summum exuperat Iouem, & *Maro* multis in locis, *Fata obstant.*

(5) Indicat ex Fato pendere omnia, omniaque Fato subesse. Vt autem ex reuolutione primi mobilis cæli tempus oritur, mira solertia diuus *Augustinus* indagauit, vt patet in eo opere quod *Confessionum* inscripsit. Quanta vero sit temporis iactura, docet *Seneca.*

(6) Quoniam bonum & malum, felices vitæ progressus ac infelices Fato attribuimus.

(7) Id est, semita. Vel perstat in eo quod *Chrysippus* dicebat, Fatum esse catenam voluentem sese, nam orbita, reuoluentium se rotarum vestigium in molli solo est.

(8) Per æternos consequentiæ, vt iam dictum est, ordines fatum implicans.

(9) Ordo verborum, Vigil cura stat ante fores Parcarum, obducto ore, id est, obligato, clauso. Sensus autem est: etsi nulla maior cura, quam de summa vitæ ac rerum nostrarum singulis momentis in nobis est: quia tamen nescimus, quid vesper vehat, multaque inter calicem & labra nobis nihil tale opinantibus occulto quodam rerum ordine interueniunt, idcirco Poeta obligato ore Curam describit, nihil enim certi promittit. Vnde merito a *Seneca* dictum est, *Nemo tam diuos habuit fauentes crastinum vt possit sibi polliceri.*

(10) Quoniam in occulto sunt Fata posita, nec a nobis percipi possunt.

(11) Id est, *Caduceo*, quem connexis vtrinque serpentibus figurabant: quod orationis Deus existimatur, cuius vis immanissimos quosque conciliat, vt apud *Macrobium* legimus, & *Hyginum*. Idcirco ab exteris gentibus in pacis argumentum prætendebatur, autor *Plinius*. Quin & Pacem petentes legati, *Caduceatores* dicuntur. Cato, *Caduceatori nemo homo nocet*, eosdem *Verbenarios* Varro, a *verbenis*, hoc est a sagminibus, quæ gestabant, appellauit.

(12) Nam sola mors ex omnibus Diis neque muneribus, neque promissorum spe capitur, vt canit *Æschylus*, nec ordinis, nec ætatis, nec fortunæ rationem habet vllam.

(13) Superius Deos Fato etiam subesse dixit: hic fatum ex voluntate Deorum immutari posse describit. Siquidem per Fatum prius intellexit seriem illam & ordinem incommutabilem: hic vero per fatum, exitum, finem, mortem in homine intelligit, id est diem fatalem. quid si pro ordine rerum hic quoque acciperes, iuxta dogma fidei nostræ, qui negamus omnino fatum esse, & a Deo omnia, vt vult, gubernari dicimus? An fato omnia fiant, *Plato* in Timæo disputat, & in illum *Chalcidius* interpres.

At Lusitano(1) *diffunditur Oceano nox*
Interea, densatque vmbris humentibus orbem,
(2)*Ecce autem pestis, monitu Iouis, extulit imo*
160 *Pallentes Erebo vultus: cui mortis imago*
Fit comes, & macies, (3)*noctique simillimus atræ,*
Ferreus est olli somnus(3), *luctusque, pauorque,*
Fatalesque ardent morbi(4), *pœnæque sequaces.*
Ipsa cruentata præcingens tempora vitta
166 *Terribili squallore, oculisque vndantibus horrens*(5)
Phalsgrauidæ *herois sedes, atque atria lustrat.*
Vt passim diri feralia semina morbi

Spar-

Sparsit, & inferna [...] fecit tabe penates,
Ad Manes rediit, [...] usque recondidit umbris.

(1) Hispanico. *Lusitaniæ* terminos scr[...] *Plinius* cap. 21 & 22 libri quarti. Re[...] idem lib. 3 et M. Varronis sententia, i[...] cæteros Bacchi comites *Lusum, & Lysa* fu[...] memorantur. hos ex suo nomine *Lusitan*[...] nuncupasse, idem refert & *Martianus* [...] sexto.

(2) Descriptio pestis ab effectu.

(3) Apud *Papinium* in decimo Theb[...] dos, & *Ouidium* in vndecimo Transform[...] est elegantissima *Somni* descriptio.

(4) Vnus inter mille modos mortis naturalis est, vt videlicet non morbo, aut vi, molestiaue, sed resolutione vita discedat. Siquidem vnicuique sua portio est humidi, in quem naturalis consumit calor agit: quo deficiente, instar lychni ardentis extinguitur vita. Sed pauci hac morte soluuntur. Morbis potius pereunt, suffocato calore et humore superfluo.

(5) Respexit ad mores hominum morientium, quibus hac illac oculi vertuntur.

170 *Protinus vt dira e[...] contactus peste Robertus,*
Excutitur somno: q[...]s enim tremor occupat artus?
Inquit, & infando(1) [...]pidant quo membra dolore(1)?
Quo vires abiere me[...] fatum ne paratis
Crudeles Parcæ? neq[...]
175 *Lege obitus, cunctis q[...]æquam terror ipsa*
Culpo locum(3), turpi[...]e se mortalibus offert(2).
Indignorque thoro, s[...]ne adimi mihi fine(4) labores,
Effudisse animam, [...]em inter Martis alumnos
Cur, testor Diuos, & [...]on vltima fata dolerem.
180 *Mortis, & luminago [...]conscia numina nostræ*
Hoc merui(5)? dixit [...]labentia sidera cursu,
Deficit, atque anim[...]conatus tollere corpus,
Non aliter Pharia [...] peste eluctante fatigat.
Torquetur, spirisque [...]percussus arundine serpens
185 *Saxa, & lethiferum [...]ingentibus aspera pulsat*
Vt vires periere, ia[...]diffundit ab ore venenum.
Singultantem anim[...](6), caudaque inflectitur ima.

(1) Qui fari non possit. Porro quod hor[...]temus & mirum in modum ob sui nequitiam offendit, & ab auribus atque animo abhorret, id infandum nefandumque dicimus.

(2) Apud Apostolum scriptum est, *Statutum esse hominibus semel mori*: a qua quidem lege nec alienus esse voluit Christus. Placitum theologorum est, quamquam genus humanum ratione corporis ex elementis conflati dissolui consentaneum est, ob remedium nihilominus Adamo collatum poterat non dissolui, si Dei mandata custodiuisset. Verum, vt non est, quod nos miseros homines atrocius affligit, quam terror mortis, qua in primo Adam omnes sumus mulctati, ita in morte & resurrectione Christi ea consolatio denuntiatur: qua non maior humano generi nuntiari possit, scilicet, commune malum omnium, mortem, esse ita victam, ita credentibus subiectam, vt ad vitam (quam videtur absorbere) cogatur plus ceteris cooperari. Vnde *Prudentius* noster Poeta sanctus, in exequiali carmine, *Mors*, ait, *ipsa beatior inde est, Quod per cruciamina lethi Via panditur ardua iustis, Et ad astra doloribus itur*, & inferius, *Mors hæc reparatio vitæ est.*

(3) Magnitudo animi *Roberti* ostenditur.

(4) Morte vili, ac segni. Quod maxime Æneas apud *Maronem* queritur, illos ter & quater felices iudicans, qui pro focis, aris, & patria fortiter pugnantes occubuerant.

(5) Vt scilicet tam desidem mortem oppeterem?

(6) Sic legi debet, vt est in emendato codice.

(1) At patris [...]herei iussu Cyllenius ales
Descendit, virg[...]nque gerens, qua tristia pandit
190 *Tartara, pallent[...]sque animas, Manesque profundos*
Euocat, hac iter[...]m defunctos destinat Orco.
Nec mora, luct[...]temque obitum, vitamque resoluit
Aliger attactu virge: spirabilis aura
Effugit ad Superos: (2) venienti cornua pandit,
195 *Ingentemque sin[...]m laxat Titania Phœbe(2).*
Hic, vbi terrestr[...]s(3) animæ, quas ferrea virtus(4)
Et labor, & pietas, & rerum victa cupido(5)
Extulit ad cælum, ventura in sæcula viuunt.

(1) Lo-

(1) Locus sumptus ex *Marone* nouissimus. Vnde etiam Græci *Diactoron*, id est, *deductorem ad inferos* nominant Mercurium.

(2) Id quod superius Iupiter erat pollicitus, & etiam in somno Nutricis visum fuerat.

(3) Non origine, sed conuersatione & domicilio. Corpus enim e terra est, quod animæ inhabitant.

(4) Huius iter summis conatibus inter acerba sectandum monstrat compendio *Prudentius* noster libro aduersus Symmachum secundo: latius autem *Lactantius* libro sexto.

(5) Sola enim Dei fide viuens, & fiducia rerum exutus assequitur viam Dei.

(1) Protinus attonitas inuasit coniugis aures,
200 *Quæ vigilans longam famula cum Celide (2) noctem,*
Depingebat acu chlamydem (3), circumque retorti
Cornua Danubii contexere cœperat auro,
Fama mali, ruit exanimis,ferturque per alta
Atria bacchantum similis, fœdatque cruenta
205 *Ora manu, laceratque suos miseranda capillos.*
Vtque virum aspexit, nequicquam conscia fati
Proruit, exanimesque amens amplectitur artus,
Pallenti tales erumpens ore querelas:
(4) Me miseram, vigilo ne? an mortem coniugis orba
210 *Somnio? si viuis, responde. Veh mihi, non plus*
Cor salit (5), heu (6) nullus sentitur spiritus (7) oris (6).
Men' linquis? saltem vita o mihi charior ipsa,
Hausissem extremos animæ fugientis hiatus.
Quo mea spes abiit, belloque exercita virtus,
215 *Quam totiens laudaui, animique nec indiga vlxi?*
Nunc quid agam infelix? hostilibus ambior armis
Femina, num raptis ducar captiua triumphis?
Vel circum aspiciam turmas, lateque furentes
Cæsareas acies, quas tu terere (8) ante solebas?
220 *Quid loquor, o demens, funesto nectite collo*
Vincula vos famuli, aut corpus fluuialibus vndis
Mergite, & iniusis animam diuellite terris.
O nimium felix (9), si connubialia sacra
Dii nunquam tali pepigissent nostra marito.
225 *Nunc morere, hæc summa est, thalami fata inuida nostri*
Annuite optatis, & me quoque mittite ad vmbras.

(1) Laus vxoris *Roberti* ab ingenio & honestate.

(2) Nomen famulæ.

(3) Flumina enim in limbo chlamydis depingebantur acu. Maro, *Purpura Mæandro circum Melibœa cucurrit.*

(4) Sequuntur miserabiles & patheticæ orationes.

(5) Tangebat enim manu latus sinistrum, vbi cordis sedes. *Auicenna* scribit, cor primam virtutum omnium esse radicem, ac membris cunctis aliis suas elargiri virtutes, quibus membra ipsa nutriuntur & viuunt, quibusve comprehendunt & mouent. Scribunt medicorum quidam, cor læsum illico mortem trahere. *Solinus* ait, *Conuenit inter omnes, corda primum ex vniuersa carne formari*: quod tamen plures philosophi negant, vt ab *Camerte* adnotatum est. Multa de corde scribit *Aristoteles* capit. decimoseptimo primi Naturæ Animalium, & cap. quarto tertii de Animalium partibus.

(6) Adhærebat enim os ori.

(7) Id est, halitus.

(8) Atterere, conterere.

(9) Respexit ad illud, quod caussa sui tot bella exarserant.

Sic effata, animi, fletusque dolore fit impos,
Incumbensque super lachrymis rigat ora supremis.
Dii votum hauserunt (1) Superi, vocemque precantis,
230 *Nam subito, infandum visu, ac mirabile monstrum*
Apparet, nulloque olim delebile in æuo,
Inficitur misera (2) & morbo consumitur illo
Vociferans; trepidant famulæ, collapsaque membra
Suscipiunt, altasque replent clamoribus aulas.
235 *Illa & adhuc tollens oculos in morte grauatos;*
Natum frigidulo singultu ore cientem,

Extrema ut vidit moriens ... , ita voce locuta est:
Chara mei soboles, & pat... ris dulcis imago,
Viue precor, patremque r... esfer virtute, vel armis.
240 Eripior tibi, nate Deis, ... sic fata, querentem
Deserit, atque imos visit ... subter tara Manes.
Aureus interea puer ex... itiale venenum
Ebibit, atque una misero... rum fata parentum
Subsequitur comes. Haud ... aliter (3) Phthiotica Tempe
245 Amittunt flores, scindit ... quos falce canori
Accola Penei, botrosue p... er ardua Treuir
Immites, placidi iuga de... bacchata Mosellæ (4).

(1) Id est, intellexerunt. Maro, vocemque his auribus hausi.

(2) Veritas habet, quod post Roberti mortem filius, post filium mater mortua est: tamen Poetæ mutare ordinem placuit.

(3) A Phthia urbe Achillis, cuius Maro meminit. Tempe proprie sunt amœnissima loca Thessaliæ, a temperie dicta, vt scribit Lactantius libro primo Thebaidos. Accipiuntur tamen & pro quocunque amœnissimo secessu ac loco, vt Dionysius de Tempe Pho... niciæ.

(4) Plinius libro quarto, in eo cursu Tempe vocantur, inquit, quinque millium passuum longitudine, & ferme ... attollentibus se dextra læuaque ... Intus sua luce viridante ... Peneus viridis calculo, amœno ... amine, canorus auium concentu ... litatem vini, montesque Baccho ... ferax.

(5) Adfer...

Iamque dies splender... Polo, ter... ue micante
Fulserat Oceano vultu... Tithonia co... ... que per auras
250 Exoritur plangorque ... rum, strid... et urbem
Immensus, totamque f... et lymphat... signis.
Consternata cohors, & ... lamentabil... ... ures,
It fama interea char... genitoris ... usque furorum
Qui postquam infanda... mortem, ad... vidit,
255 Agnouit, ruit impatie... s, ut corp... it
Auersi fugere oculi, ... fusque refle...
Inuitos pietas, vocem ... dolor hausera... (1) ingens:
Sed tacite natum voca... , ah, crudu... que nepotis
Prosequitur fatum lac... rymis, atqu... aurea quondam
260 Aspicit ora nurus, & v... s indolet ille...
Qui tandem cuicto solu... sic ora dolore...
(2) Quæ Diuum inuie... ... aut quis te ... ibi casu ademit
Plus oculis dilecte mei... ... bi Martis ho... ... ores!
Hoc superare hostes? ... que exoptare ... triumphos!
265 Certe, nate, parum ... te cœlestibus ... illis
Debeo, nec solum infe... fata impia c... ... ipso,
Atque tua nec morte q... error, sed qu... ... mihi vita
Iam superest, flendiqu... miser præser... ... in usus.
Quam verum heu nob... Nutrix lon... ... profana est,
270 Nunc recolo responsa ... cum (3), dir... ... que volucres,
Squamigerosque angue... en Dorica ... (4) profanis
Intentata viris, entr... ad sidera ... ... Manes.
At solus ne tu superus... hærere per... ... !
Vxor adest, fatique c... ... ues, ceu in ... ... marito
275 Dum viuebat erat, sic ... ultima fata ... ... cata est.
Coniugis o pietas! sed ... tua sors im... ... a letho
Temersit, miserande ... cer? quam ... ... paterna parentis
Effigies, animique vi... o, quanta ... ... que futuro
Præsidium regno, & ... bis lux ... ... alit atra.
280 Nunc postquam Super... sic visum ... pergite ad astra
Felices animæ, vosque ... stis solem... curis,
Æternumque valete, ... inquit. Sic fatus, obortis
Os implet lacbrymis, ... nul & flet cætera pubes.

(1) Euacuauerat, extraxerat, ademera...

(2) Seruat in hac oratione decorum personæ:

næ: eſt pathetica, ſed grauitatis admodum plena.

(3) Quæ a Diis acceperat. Sed hæc ficta a Poeta. Erat enim *Philippus* ſincera fide, quæ non patitur ad magos, ad diuinos, ad dæmones quoque currere.

(4) Propter aram Vlyſſis, de qua libro primo. *Dores* populi ſunt Græciæ, vnde & *Dorica lingua*, qua *Theocritus* eclogas ſcripſit: & *Dorica caſtra* dixit *Maro*. *Tatianus*, vt refert *Picus* ſecundò commentario, cum videret Græcos diuerſis linguis abuti, *Dorienſium*, inquit, *non eadem cum* Atticis *loquutio*, Æolici *quoque non conſonant* Ionicis: *tanta vero cum ſit altercatio, vbi opus non erat, ambigo, quemnam* Græcum *appellare conueniat*. *Euſtathius* Doricam regionem eandem *Æolicam* cenſeri putat, vt *Pindarus*, qui *Dorice* ſcripſit ſuam cantilenam, frequenter nuncupat Æolicam.

Interea Argæus, nec non fortiſſimus vna
285 Byſpeiches *priſco ingentem de more ſub auras*
Erexere pyram(1), *deploratasque cupreſſus*(2),
Et tædas adolent pingues, ſtant deſuper arma,
Enſeſque, clypeique, & raptæ in Marte ſecures(3):
Nec non & famuli latices, & ahena miniſtrant,
290 *Frigenteſque lauant artus, & membra perungunt,*
Componuntque alto defleta cadauera buſto,
Auerſis lentum ſubdentes vultibus ignem.
Hinc(4)*Scenitæi redolentes thuris aceruos*
Inſpergunt, ignis fuſo madet ater oliuo,
295 *Collapſique ruunt cineres, ter more parentum*
Circueunt equites flammas, peditesque viciſſim
Armati, ter voce vmbras, Maneſque ſalutant.
At Pheneus furua præcinctus tempora vitta
Oſſa legit, cineresque cado componit eburno.

(1) In ſepeliendis corporibus antiquam ſequitur conſuetudinem, cuius meminit *Plinius* libro ſeptimo.

(2) Diximus, vt opinor, Diti ſacratam cupreſſum, atque ideo pro foribus ædium poſita, funeris erat indicium: non omnium, ſed nobilium tantum, quod innuit hic *Lucani* verſus, *Et non plebeios luctus teſtata cupreſſus*. *Verrius* in funerandi officio cupreſſum adhiberi putat, quod arbor hæc reciſa non repullulat, ſicut ex mortuo nihil eſt ſperandum. *Cato* ſcribit, cupreſſum arborem eſſe natu moroſam, fructu ſupernacuam, baccis tortuam, folio amaram, odore violentam, ac ne vmbra quidem gratioſa, materie rara, vt fruticoli generis. Vnde celebratum illud *Phocionis*, *Verba cupreſſis ſimilia*: quæ pulchra videntur & ſublimia, cæterum inutilia & fructu carentia.

(3) Sic ex emendato exemplari legendum eſt.

(4) Id eſt, *Arabici*. *Scenitæ* enim inter Arabes numerantur: qui cauſſam nominis inde ducunt, quod tentoriis ſuccedunt, nec alias domos habent, vt ait *Solinus*. Sed & hoc ipſum explicat *Plinius* his verbis; *Scenitæ & ipſi vagi: ſed a tabernaculis cognominati, quæ ciliciis metantur, vbi libuit*. *Cilicia*, autore *Aſconio*, texta ſunt de pilis, in caſtrorum vſum atque nautarum. Ceterum Græci *Scene* & *Scenos*, habitationem tabernaculumque dicunt, inde *Scenopegia* Iudæorum.

300 (1)*Dumque ea perficiunt, ſupremaque funera condunt,*
Helſatiæ Auſtriades remeans iam victor ab oris(2),
Haud poterat patrias ſic ferre impune feroces
Boiemos populare plagas, totumque ſub armis
Miſceri littus, populoſque indigna ferentes
305 *Seruitia, & diris obnoxia regna rapinis.*
Protinus(3) *Ænanis deductum a pontibus agmen,*
Et Tyroli pubem, (4)*Tauriſcæoſque maniplos*
Seligit, atque equites(5) *Regum quos Auſtria terris*
Diues alit(6), *ſupraque Anaſum*(7) *quot & alluit infra*
310 (8)*Tranſtana æthereo qua ſurgit vertice rupes,*
Altaque piniferum caput inter nubila condit,
Atque Argentorato(9) *florentes vrbe cateruas,*
Belgarumque globos, quos ſtruxit in agmina Treuir,
Nec non Vangiones, & duros Marte Nemetas
315 *Apparat, & tanto trepidat Germania bello,*
Conciet & populos, cunctaſque in prœlia gentes
Sollicitat: vitrei verrunt hi lintribus vndas

 Pegnitii,

Pegnitii, & Vindæ mile ... s iam linquit arenas,
Hercyniæque acris Sueuus ... genialibus vmbris
320 Discedens in bella ruit, P ... lonæque pharetræ
Gestantur, taxique leues ... flectuntur in arcus(10).

(1) Sequitur præparatio pugnæ Boemi-
cæ.
(2) Ita reperi in exemplari bono.
(3) Interpretatur vocabulum Germani-
cum, *Insprugk*, quod in antiquissimis etiam
tabulis, quas *Peutingerus* nunc penes se ha-
bet, in quibus *Pontes Æni* scriptum est.
(4) Scilicet, qui inferiorem Norici par-
tem & Austriam incolunt: ibi enim *Tauriscos*
habitasse, sunt qui credant, cum quibus Boii
bella gesserunt, expulsi vlteriorem ripam
Istri incoluerunt, vt diximus ex *Strabone*. Est
manipulus, seu *maniplus* fascis manu factus,
accipitur quoque pro *paruo exercitu*. Inde
manipulares milites dicti. Existimant non-
nulli *manipulum* centuriæ partem esse: atque
inde dictum, quod sub Romulo pauper adhuc
Romanus exercitus, *manipulos* hastis alligati
pro signis gerebat.
(5) Hoc vocabulum inter ea numeratu
appellatiua, quæ grammaticorum placito ir
proprietatem transeunt.
(6) Satis id explicatum est tum libro pri-
mo, tum alibi.
(7) Fluuius qui prouincias diuidit, qu
supra infraque Anatum appellantur. ali
hunc fluuium innuit appellari posse *Ænum*

Æsinum verò esse, quem nos *Ænum* dici-
mus. Sed *Strabonem* tantum sequitur.
(8) Mons altissimus est, qui *Tramo*
fluuio nomen dedit: ex cuius vertice a quar-
ta vigilia, vt de *Casio* Arabiæ monte tradit
Plinius, solem videri posse arbitror. Sinit
vt obiter id dicam, qui nullo autore, tamen
vt *Camers* ait, *Casium* montem eum putent,
qui in sacris literis *Sinai* nominatur. ...
Justinus Sinaeum nuncupat, quem (inquit) ...
...

Parte alia ad pugna ... *agmina cleris*
Gens incerta Dei(1), & ... *cultu tollere* ... *profana(2),*
Pars contis armare ma ... *us, pars* ...
325 *Horrendum stridet, pa* ... *m nemus* ... *remigit.*
Hi gestant ventura ru ... *s in bella* ...
Nonnulli ingentis deco ... *o tergore* ...
Pretexunt capita, & ... *pugnantum* ...
Expectant auidi Mart ... *m, laudique* ... *ort ferarum,*
330 *Velle mori, fatoque il* ... *is occumbere* ...
Interea Austriades ... *elox allabitur* ...
Regini(3), atque vndas ... *trans prouehi* ... *agmina Rheg(4).*

(1) Non autem hoc intelligendum est, ... di, qui eccle-
quasi prorsus de Deo nihil sciat, vel dubia si ... quibus plur ... Romanæ minime parent, de
cum Apostolus doceat Rom. 1 nomen Dei ...
manifestum esse omnibus. Nisi enim ei ... (2) Siqu ...
notitia diuinitatis inextinguibiliter omnib ... sanguinis D ... adorationem corporis &
hominibus indita, nunquam fuisset idolo ... triam eiciu ... in Sacramento in idolola-
tria inuenta. Cur enim idola coluerunt, ... Deum nostr ... herbaceum, aut siligneum
si quod diuinitatem aliquam esse omnes p ... blasphemantes.
suasum habuerunt? Vnde puto propter T ... (3) *Ra* ...
boritas dixisse, & Waldenses, qui & Pigh ... appellarun ... quam antiqui *Reginum*
to. (4) Flu ... *Ratisbona*, de quo libro quar-

(1) *Danubium iuxt* ... *locus est,* ...
Non Cerere, & raro ... *oscissa est* ... *vbertibus vber,*
335 *Sed nemorum ingentes* ... *umbras,* ... *omere tellus,*
Accipimus, solisque e ... *annum* ... *hochoque sacratas*
Seruat opaca ingens, ... *rimo mo* ... *silua*
Paulatim sese, summ ... *que in* ... *ipse supinat*
Planities, vastumqu ... *equor,* ... *lata est*
340 *Laxaturque vagans,* ... *campo* ... *algidus Ister,*
(2)*Ceu tepidis(3) flu* ... *Indus aqu* ... *aperto*
... (4) *forsitan atro*

Impul.

Impulsus Cauro(5) maiores concipit vndas(4).
Et septem(6) Scythico maior vomit ostia(6) Ponto.
Hic sua Martigenæ(7) posuerant castra Boemi.
345 *Huc cursum tenuit Cæsar, paruoque diremptus*
Interuallo, alti fixit munimina valli(8).

(1) Topographia, id est loci descriptio.

(2) De Indo *Dionysius* sic scribit, *Qui ponto rapidus rubro contrarius exit. Gurgite nam celeri rectus decurrit ad Austrum, Caucasijs oriens primum de montibus altis Diniduæ cuius Patalene cingitur vnda.* *Strabo* lib. 15 scribit, quindecim flumina vniuersa mentione digna, quæ in Indum influunt, ex quibus omnibus auctus est: vbi ad centum stadia, vel, vt alii tradunt, ad quinquaginta tandem duobus ostiis in Australe mare immitti, & Patalenam insulam facit. *Philostratus* libro secundo Indum flumen late describit. De eo multa *Arrianus* gestorum Alexandri lib. vlt. *Curtius* lib. 7, *Diodorus* lib. 3, *Herodotus* lib. 4. *Indus* ab incolis *Sandus* appellatus est: non aqua solum agros lætificat, & mitigat, sed eos etiam conserit. Magnam enim vim seminum secum frumenti, similiumque dicitur deportare, lege *Ciceronem* lib. Diuinæ naturæ 2. Proditum est, Alexandrum Magnum nullo die minus stadia sexcenta nauigasse in Indo, nec potuisse ante menses quinque nauigare, adiectis paucis diebus. Megasthenes tentata Indi commentatione, sexaginta amnes eius prodidit, vt apud *Plinium* est.

(3) Vel ad loci qualitatem, vel fluminis vim referri potest.

(4) Quoniam totidem flumina Danubius, quot Indus, in quem, vt modo dixi, sexaginta perennes fluuii ingrediuntur, recipit. Quod etiam de Danubio tradit *Plinius*: quorum nomina Poeta lib. 4 eleganter prosecutus est.

(5) Maro, *Semper hyems, semper spirantes frigore Cauri.*

(6) *Marcellinus* lib. 22, *Danubius*, inquit, *oriens prope Rauracos montes, limitibus Rhæticis per latiorem orbem protentus, ac sexaginta nauigabiles pene recipiens fluuios, septem ostiis per hoc Scythicum latus erumpit in mare*: quorum nomina referunt, vt diximus, lib. 8 *Plinius*, *Strabo* & *Marcellinus* ipse: nec ostiorum diuersitatis caussam præteriuit silentio.

(7) Propter rei militaris studium.

(8) Quod ex vallis fiat. Est autem vallus firmior palus. Maro, *Exacuunt alii vallos, furcasque bicornes.* Item, *Et vallos primus sub tecta referto.* *Plinius* & *Columella* vallos pedamenta & ridicas appellant. A vallo interuallum, spatium quod inter palos est, vallum castrense constituentes: quamuis pro omni spatio accipiatur.

Et iam tempus erat, quo se Bellona furore
Induit, & signo feralia nuntiat arma.
(1)*Tunc Cæsar, Magni Proceres, sociique laborum,*
350 *Obtulit alma dies, tempusque optabile nobis*
Marte nefandum, inquit, terris inuadere monstrum.
Contemptor Diuum(2), contra iam miles in arma,
Nulla habita ratione furit, totamque rapinis
Producit vitam, nostrisque a finibus hostis
355 *Ingentes abigit prædas: quid diruta castra,*
Infandasque loquar cædes? ritusque ferarum?
Dedecus o nostri generis, quo prisca virorum
Nobilitas abiit? nunquid patiemur inulti
Hanc passim labem nostros errare per agros?
360 *Felices vmbræ, atque olim memoranda vetustas*
Æneadum, a patriis quæ non modo mœnibus hostes
Reppulit externos, verum & qua lumina Titan(3)
Exerit, Herculeasque(4) videt per cærula Gades(4),
Vel qua(4) Riphæus piceis circumuolat alis
365 *Per Scythiam Boreas(5), vel qua Nabathæa(6) pererrat*
Regna, & Erythraeis(7) stridens furit Auster(8) in vndis(7).

(1) Innuit, Germanos semper inuictos fuisse: tentatos tamen, & Romanorum victorias ceterarum partium orbis terræ recenset, vt inde maior sit Germanorum gloria, si Romanos vicerint aliquando. Immoratur autem in iis recensendis: quod ex industria opinor factum a Poeta. Cæsar enim historias callebat examussim: quod quidem ad Imperii gubernacula, & ad rem militarem plurimum Principi conferre arbitrati sunt plerique viri magna eruditione prædití.

(2) Absolute dictum puto: quamquam referri potest ad defectionem gentis a Romana ecclesia. Si modo Romanam ecclesiam non agnoscere, de Deo male sentire est.

(3) Eleganter quatuor mundi partes describit. Sic *Lucanus* primo Pharsaliæ, *Vnde venit*

venit Titan, & cetera. & Poeta noster primo quoque lib.

(4) Dionysius; *Est*, inquit, *Ponto tellus circumflua prima Cui nomen Gadis, statuas hac Herculis inter A Tyriis colitur, Cotinusa vocata vetustis.* Hinc a *Lucano* in septimo, & *Silio* libro decimosexto, *Gades Tyria* nuncupantur, & *Statio* Sylua prima tertii *solis cubilia*: quod exacto die motu sol illuc occidat, & lucem terminet, ad quod respiciens Poeta dixit, *Titan videt per cerula Herculeas Gades*, designans occasum.

(5) Septentrionalis.

(6) *Nabathei* populi sunt felicis Arabiæ, a *Nabatho* dicti. *Nabathes autem*, vt ait *Stephanus*, & eum secutus *Eustathius*, is est qui ex adulterio nascitur: & forte gentinomen prauum ex actis est. *Strabo* autor est Augusto Cæsari rem male aduersus Arab… cessisse Ælio Gallo, qui Orienti præerat … cepto a Nabathæorum legato, cui nomen … Sylæ: qui securi postea Romæ percussus est … Apud eas gentes admodum dites nos erat, … pœna publica punirentur, qui substantias … minuerent: contraque iis, qui auxissent, h…

… nores decreti. *Nabathea* autem regio ab Arabia incipit, eamque intra se continet, quæ vsque ad mare rubrum ex latere dextro, Persicum ex sinistro, Indicumque ex superiori parte protenditur.

(7) In mari rubro. *Nominis ratio superius relata est. Strabo non solum Arabico sinu & Persico, sed & magno etiam mari ad* Austrum, quod extra sinum vtrumque iacet, *rubri maris* nomen esse dicit. *Et apud Eustathium* legitur *Erythræus Pontus* ab Arabico sinu longe diuersus.

(8) Is græce *νότος* dicitur, latine *Auster*: ab aquis hauriendis, vt quidam tradunt, quoniam nebulosus atque humectus est. Eadem Græci nominis ratio, nam *νότις*, *humor* apud eos appellatur, vt monet *Gellius*. Febres ac pestem mortalibus inuehit, vt Philosophi & Medici tradunt. *Horatius plumbeum vocat. Persius infelicem.* Spirat autem a meridie, vt scribit *Varroni*. Nobis parum gratus … *Aures enim bebetat, sensus* turdat, cap… dolores mouet, aliuum soluit, totum corp… efficit hebes, humidum, languidum.

(1) *Victrix Roma fui* … *testes du*… *fulmina belli*
Scipiadæ (2), & (3) *B*… *domitus* … *renataque Nili*
Ostia (4) *fœtiferi*, & (5) … *per vndas*
370 *Sicaniæ* (6), *pulsumque* … *bu* (7) *æquor*.

(1) Postquam generaliter dixerat, Rom… nos victores fuisse ab oriente, occidente, septentrione, & meridie, hoc ipsum nu… particularius exequitur.

(2) Prima per Pyrenæum iugum sig… Romana P. & Cn. Scipiones intulerunt, pr… lijsque ingentibus Hannonem, & Hasdrub… lem fratrem Hannibalis ceciderunt, aut *L. Florus*. Itaque Poeta primum bellum P… nicum notat, quod eleganter & compendi… canit *Silius* libro sexto per totum.

(3) *Iberus* amnis toti Hispaniæ nom… dedit, *Batis* prouinciæ, dicit *Solinus*. Ver… sunt *Plinii* capite primo libri tertii. *Bæ*… *a flumine eam mediam secante cognomina*… *cunctas prouinciarum diuite cultu, & quod*… *fertili ac peculiari nitore præcedit.* Et in… *Batis in Tarraconensi prouincia, non vt ali*… *dixere*, Mentesa *oppido, sed Tegensi exori*… *saltu*, & cetera. *Philostratus*, vt a Came… citatur circa principium lib. quinti, *Nam*… *runt*, inquit, *fluuium Bætim, qui maxi*… *Oceani naturam erga fluxum refluxumque* … *clarat. Excrescente enim pelago versus* … *tes, ex quibus fluuius fertur, spiritu quod*… *ipsum a mari depellente.* Regionem vero … eo flumine *Beticam* cognominatam op… mam, vberrimamque esse tradunt, ciuit… busque, & pascuis abundantem. Deriua… autem fluuius per omnes vrbes: agri v… egregie culti affatim omnia ferunt: cæli te… peries talis est, qualis autumni tempore … Attica esse solet. Ex verbis *Philostrati* ap… ret, dicit *Camers*, cur *Papinius* dixerit Sy… septima lib. secundi, *Attollat refluos in* … *fontes*.

(4) Et de Nili ostiis, & eius fœcundi…

… *Significat autem*, vt mihi … *diximus* … am Cæsaris contra Ægyptios, … *videtur* … Florus cap. secundo quarti … *cuius memi*… at pugnam eam, quæ ad Ægates … *Punico* bello Punico finem impo…

(5) *Signi*… *insulas P*… *f. it. Nec* … *quippe* … *armis grau*… *tia Carthag*… *mana classis* … *dam genere* … *nis agebatur* … *rostra speciem* … *momento tem*… *tum inter Sic*… *fragio suo op*… *victoria, vt* … *non quæreret* … *arcem nostro* … *deleta Carth*… *lybio latius* … *viris illustr*… *Supernacuum visum est*, … *vt ait Florus, quæ res a Po*… *scribitur. Meminit Plinius de* …

(6) *In*… profecti co… ab eo dict… contendit … cania dic… ante Troi… aduectis … Thucyd… voluit, … qui & … Philist… Italia … Sicilia … figura … nomen … *æ nomen ex Iberiæ fluuio Sicano* … *dederunt, vt ait Philistus. Sed* … *ciens Timæus*, longa disputatione … *digenas fuisse Sicanos, vnde Si*… *Sicania, inquit Solinus, dic*… *bello Sicanius Rex nomine dedit*, … *cum amplissima Iberorum manu*. … *cum primo Trinacriam dictam* … *fuissent, oriundi a flumine Sicano*, … *subscribens: sed postquam Siculi ex* … *insulam inere, victis Sicanis*, … *minatam, vnde & Triquetra ex* … *Sibyllæ quoque autoritas* … *a Trinacro heroe Neptuni filio* dedux…

deduxit. Sibyllæ carmen latinum ita fecit *Parrhasius*: ait enim in mentione Siciliæ, *Quam condidit heros Trinacus, æquorei regis Neptunia proles.* In quo huius nominis primam syllabam flatilem proculit, & absque r, vltimam. Nam, vt idem refert commentario primo, ex Græcis etiam nonnulli *Trinaciam* dixerunt. Id quod *Eustathius* obseruauit. Porro, *Trinacria quondam Italiæ pars vna fuit, sed Pontus & æstus Mutauere situm*, vt cecinit *Claudianus*.

(7) Pro nauibus, generaliter. Sic accipitur apud *Senecam*, & *Claudianum*. Est autem specialiter minoris formæ nauis, quæ ex integra alni materia cauatur. Diximus, vt opinor, fluuialem esse arborem, fabricandisque nauigiis aptam, autoribus *Vitruuio* & *Lucano*.

Quid memorem Parthum(1)*, Syriosque*(2)*, & olentia late*
Regna Sabæ(3)*, & pontem indignatum littus Araxis*(4)*?*
Sensere Autololes(5)*, & adusto corpore Mazax*(6)
Romuleas in bella manus,(7)*solisque Syene*
375 *Expers vmbrarum medio*(9) *cum Delphica lampas*
(8)*Ducit iter cælo*(9)*, nostrumque ardentior orbem*
Accendit radiis, propiusque a vertice fulgens
Per terras calidus spargit sua lumina Titan.
Solum Germani(10)*, gelidæ quas cernitis alpes*
380 *Rhætæos*(11) *domuere duces, Latiosque triumphos*
Victrici pressere manu: (12)*quid Bructera dicam*
Regna, & marmoreis qua fertur Amysius vndis?
Hic olim (fama est) tentantem prœlia Drusum
Exhalasse animam fato, (13)*quota sed tamen illo*
385 *Pars nostri domita est regni*(13)*? quid gesta perempte*
(14)*Nunc tua, Seruili, memorem? & te maxime gentis*
Cassi Romulidum? quid Mallia funera, & ipsam
Carbonis, Scaurique necem? Proh dedecus ingens.
(15)*Ergone de nostra dubitemus pellere terra*
390 *Hoc genus infidum*(16)*? pugnaque lacessere victa*
Agmina? quæ nullos norunt certaminis vsus,
Sed qua se effudit bellandi infræna cupido
Prorumpunt, hostemque vocant de more ferarum.

(1) Tria Romani contra Parthos bella gessere. Primum M. Crasso Consule. Alterum Duce Ventidio, quo Crassiana clades Pacori cæde pensata est. Tertium cum Antonio & Cleopatra: de quibus lege *Appiani* librum qui *Parthicus* inscribitur, *Plutarchum* in Vita M. Crassi, & M. Antonii, *Iustinum*, *Eutropium*, *Orosium*, alios. Scribunt fere omnes de hoc bello. Breuiter *Appianus* docet, Parthos decem & octo prœliis a Romanis superatos.

(2) Bello Syriaco quod gestum est a Romanis aduersus Antiochum Regem, vt late scribit *Appianus* in Syrio, & *Liuius* libro tricesimo quarto, & sequentibus, vt alios præteream: non aliud formidolosius fama bellum fuit, autor *Florus*.

(3) A *Saba* ciuitate ingenti rubro mari propinqua *Sabæi* populi, de quibus supra. Horum terra felicissima dicta, vt est apud *Strabonem*, in qua thus, myrrha, & cinnamomum, & balsamum, & odoratæ palmæ, & calamus nascitur: vnde *olentia* dixit, pro, odorem spirantia.

(4) Idem octauo Æneidos scribit *Maro*, & libro proximo Poeta. Oritur autore *Strabone* ex Armenia ad orientem, illatus vsque in Tropatiam, ad occasum septentrionemque deflectit, & primo Azara præterlabitur, deinde Arxata Armeniæ vrbem, postea per Araxinum campum in mare Caspium emittit. Fluuius hic, vt in Parthico *Appianus* tradit, & profunditate & celeritate difficilis admodum ad transeundum. *Curtius* scribit: Araxe *gignendo herbæ non alius aptior, quidquid alluit floribus vestiens*, & cetera.

(5) Sunt Africæ populi, Romanis armis subacti, velocitate pedum celebrati, vt alibi retulimus.

(6) Mazacenus. Cappadociæ ciuitas maxima *Mazaca* sub Argæo sita: qui niualibus iugis arduus, ne æstiuo quidem torrente pruinis caret, vt ait *Solinus*. Plura de *Mazaca* vrbe, cap. secundo sexti *Plinianarum* castigationum *Hermolaus Barbarus* annotauit.

(7) Vrbs hæc sita est supra Alexandriam quinque millibus stadiorum, in qua solstitii die medio nullam vmbram iaci, puteumque eius experimenti gratia factum totum illuminari, autor *Plinius*. Plura *Macrobius* secundo de Somnio Scipionis.

(8) Corruptissime leguntur hi versus, qui ita restitui debent, *Ducit iter cælo, nostrumque ardentior orbem Accendit radiis, propiusque a vertice fulgens Per terras calidus spargit sua lumina Titan.*

(9) Secundum nostrum visum, quia cum sol in Cancro ad nostri horizontis intuitum, dicimus tunc solem medium cœli tenere.

(10) Romanorum scilicet potenciam sæpe domuere. Id exemplis probat.

(11) Romanos.

(12) De Bructeris & Amisio fluuio dictum est antea, & Drusi item historia obiter recensita.

(13) Non inficiatur latenter omnino Drusum victorem fuisse. Sed illud quod vicit, *quota pars*, inquit, Germaniæ est? quasi dicat, minima.

(14) De Seruilio, Cassio, Mallio, Scauro libro primo dictum est.

(15) Argumentum a maiori ad minus. Romani, ait, totum orbem vicere, Germani

Romanos in re militari peritissimos. Dedecus est ergo Germani nominis, non posse patriam tueri a tam parua manu Boemorum, qui nulla arte bellandi, sed furore quodam feruntur.

(16) Vel dixit, vt Liuius, *Infida regni societas*. Vel respexit ad id quod superius dixit, de suspecto gentis cultu Dei. Primum magis placet; quia, vt ille vere dixit, *Nulla fides pietasque viris, qui castra sequuntur*. Quod autem ait, nullos norunt certaminis vsus, ad præsentem causam puta dictum. Siquidem Boemicus miles plerasque insignes victorias retulit de potentissimis hostibus.

At vos, o Proceres,

395 *Summa viget dextris, ... quibus experientia Martis*
Elicite ad pugnam: no... animisque volentibus, hostem
In mediis, quantum vir... tantum copia vulgi
Si nobis tanti dabitur v... ...us exquirit ur armis.
(1) *Vestra erit hæc laus, ... gloria belli ...*
400 *Dicar, & in regni cont... ...ae ego ... nomine Cæsar (2)*
Sin secus Arctois pulsi ... parte ... quiescam:
Externam quæretis o... sedibus, ...
Non bello ad Tanain, ... iam pe... Rhenis vndam
Pergitis, aut calidum ... ...que Bo... ditis axem:
405 *Non vos per Colchos, ... transit ... ia duce*
Assyriæ, aut Baccho sa... vasta sil... Nise (3).
Sunt vestræ, sunt bell... per cula... ...te (4) fracto
Iam regno, dextrosque ... domi, succu... ...lia Diuos.
Qui nobis toties super... vocate in p... ...edere
410 *Gentibus, & pactos ... nos ...sponsa ... triumphos.*

(1) Captat beneuolentiam in fine: sed non affectu caussæ propriæ, sed propter laudem nominis Germanici: quam probat ... quiri posse a facilitate, & a Deorum fa... re.

(2) Vt quidam *Maximiliano* par... equus, cum de eo rogatus quid sentiret, ...

...spondisse fer... ar. Ess magni nominis vadere.
(3) Hoc ... radices ... st, per Montem meroen, ad eo... dictum est ... Nisa vrbs posita est. De Mon...
(4) In ... Quo nihil p... in se diuisum ... materia partium studia scissa, ... nicissimi. Omne enim regnum desolabitur.

Dixerat: at contra sic claro a fan... ...parte certus
Orditur Langus. (1) Non ... hæc mihi te... ...mpore, Cæsar,
Multa loqui suadent, ... facto est opus ... omnia tecum
Corda tenes, auidasqu... vides ad præ... ...lia tuentes,
415 *Quo te cumque feret ... fortuna Deu... ...que, sequemur.*
Siue per Eoas gentes ... Hyrcanaque ... ...egna,
Felicesque Arabas, v... ...itumue ab o... ...igrine Nilum
Pergere mens fuerit, ...edum tibi ... ...rica tellus
Seruiat, & regni con... ...num parte ... ...rissimas,
420 *Tu modo rumpe mora... ...trimus ni... fallor in armis*
Egregii, actutumque ... ...at Boiemic... turba
Quantum Marte tru... & dextri ... bella valemus.

(1) Quia dum Romani consulunt, Sagu... tus perditur.

(2) Ita dicimus, quoties rem in celerit... consistere ... consilium ... opus est ... significamus, quæ omne excludit ... Alioqui vbi mature consulueris, ... ito, iuxta Salustii dictum.

Dixerat: interea t... ...o Corybantius ære
Personat, armarique ... ...ecies iube... ...ocius omnes.
425 *Nec mora, concursum ... ...astris, tre... ...dentesque cohortes*
Ad pugnam, atque a... ...dens cert... ...ique cuique cupido est.
Interea Cæsar fulgen... ...dus emicat ... non sibi proximus (1) aero
Fortior ante alios, ne...

Præmonuit

Præmunit perone(1) pedes, & more venusto
430 *Auratis suras(3) ocreis(4) affibulat(2) altas(3),*
Ingentesque artus, & viuida pectora munit
Thorace ærisono, & chalybum septemplice crusta
Induit arma, caput textura contegit aurea.
Postmodo vulnificum circum latus alligat ensem
435 *Formatum Styriis incudibus, vnde magistri*
Bello aptum effigiant chalybem, duroque metallo
Arma parant, qua se diffundit cornigera vndis
Mura(5), & Leumæam(6) cursu prope labitur vrbem.
Illic fama refert, & littoris incola diues
440 *Monte sub aerio, vnde est nomen ferreus olli,*
Innasci ferrum, quo nunc genus omne Scytharum
Armatur, nostrisque petit regna extera telis.
Pro scelus(7), ii siluas, Riphæaque saxa colebant,
Præformidantes rudibus contendere truncis,
445 *Expertes populi Martis, nomenque pauebant*
Europæ: at postquam diras accessimus oras
Spe lucri, atque ignota illis portauimus arma,
Finitimas terras populari, atque extera regna
Cæpere armati: iam Chersonnesson ab arcto
450 *Impellit Diana suam, iamque agmina fundit*
Panticapes, Tanaimque bibentes vidimus alas.

(1) More *Homeri*, qui minutissima quæque in armatura militis describit. *Maro* noster mihi grauior videtur in hac parte. Per *peronem* ergo calceum coriaceum intellexit, qui frequenti in vsu fuit apud milites Germanos. Dabatur enim dedecori sine perone armari. Plicabatur autem corium, in tenuissimasque rugas, vt ita dicam, contrahebatur, quod pedibus circumnectebant. *Pero* tamen apud antiquos pro rustico calceamento accipiebatur, autore *Seruio*, super hoc Maronis, *crudus tegit altera pero*. erat enim e crudo corio. Pellemque antiqui *peram* dicebant. Hinc fit adiectiuum *peronatus* Persio, *Nauum si poscas sibi peronatus arator*.

(2) *Fibula* circulus est ex auro, argentoue, aut ære, notissima *Columella* autoritate. Inde *fibulare*, *affibulare*, & *diffibulare*. Statius, *tergo chlamydem diffibulat auro*.

(3) Alta crura: & per hoc Cæsariani corporis decorem notat. *Sura* enim, licet proprie posterior pars cruris carnosa sit, pro toto tamen crure quandoque vsurpatur, vt hic, & apud *Maronem*, alios. Dicitur tantum homini messe sura. Fuit hoc nomine Proconsul quidam, cui, vt referunt *Plinius* & *Solinus*, piscator ex Sicilia, præter alia rictu oris comparabatur. Proconsulis huius in piscatorem Siculum iocum, & contra piscatoris in proconsulem petulantiam *Valerius* notauit. Proconsule enim dicente, mirari se, quapropter sui tam similis esset, cum pater suus in eam prouinciam nunquam accessisset: *At meus*, inquit, *Romam frequenter accessit*. Ioco namque lacessitam matris suæ pudicitiam inuicem suspicione in matrem eius reiecta, audacius, quam virgis & securibus subiecto conueniebat, vltus est.

(4) Quod crura operiat, tegatque dictam volunt ocream. *Cicero*, quod cruri opponatur.

(5) Fluuius Styriæ.

(6) *Leuben*, vernacula nostra dicitur, huic nomen fecit *Leumeam ferrum*, quod est optimæ temperaturæ apud Germanos, vt mihi retulit *Stabius* naturalium rerum scientissimus.

(7) Inuehitur in Christianos, qui propter lucrum arma ad infidelissimos hostes portant.

Interea croceas diffuderat orbe quadrigas
Sol oriens, roseaque polo ceruice micabat.
Tunc Cæsar lectos equites, fortissima quæque
455 *Pectora partitur, primasque in bella phalanges(1)*
Disponit, dextrumque illis defendere cornu
Præcipit, & sociis aciem fulcire cateruis,
In læuo totidem: frontem(3) pilata(2) tuetur
Militiæ(3) pubes(2), scutatorumque(4) cohortes(5)
460 *Sunt acie in media, & pugna robustior ætas.*
Rorarii(6) ante alios Thaurisci clara iuuentus
Tortilibus fundis, atque arcu, vt miles in oris(7)
Certat Achameniis(7), perguntque in bella Cydones.

 (1) Ordi-

...nendæ docet Ve-
...inium exactissi-

Martialis, *Et pi-*
cohors. Pilum,
...num, quasi peri-
Varroni.
milites, quos *Vitru-*
...m dici, quos Græ-

pars: ea constabat
...atis, vt ait *Callisthe-*
..., dimidio paucioriis,
...cta vero cohors est
...villaticæ, vt est apud

(6) Scilicet milites, qui armatura levi prælium primi committebant: quod vt ante pluuias cælum rorare solet, sic illi ante grauem armaturam qui prodibant, *Rorarii* appellabantur.

(7) Persicis. *Achemenii* olim insignes rebus bellicis fuerunt, qui nunc quoque Turcas miro odio prosequuntur. *Achemenes* primus Persarum, seu Parthorum Rex, qui quondam totum orbem tenuit. Ab eo secuti Persarum reges omnes *Achemenes* dicti sunt. Persæ quoque *Achamenii*, autor *Porphyrio*. Fuit & *Achemenidarum* familia, cuius apud *Herodotum* fit mentio. Interpres *Statii* octauo Thebaidos scribit *Achemenem* Parthon, seu Medorum ciuitatem fuisse.

...imum Albertus ... *...um duxerat arce potentem*
...ia ad pugnam pe... ... *...situmque phalangem*
...: & lateri frat... ... Vulphang... *...is inhæret,*
...unsuychides *du...* ... *Saxonas ... armis*
...at, læuaque loc... ... *s in parte ... sinistros*
...it motus. Sed ... ... *quis Mart... relinquat*
...um Princeps t... ... *...um? & ... nomine fraudet?*
...cum insignis f... ... *Casimiru... burnum*
(1) Ithyreis com... ... *...ittens bell... sagittis.*
mortiferum ter... ... *omn... s(4) alumnum(3)*
...s iaculis Titan... (2) *Pythona* ... *...erat,*
...iis purgauit hu... ... *...um(5), mic...* *æquore talis*
...latque, & equo ... *sublato Pul...* *campum*
..., & in gyros ster... ... *...acem contra...* *...it arctos,*
...nor Vlricus *seq...* ... *...itur Monfort...* *proles(6),*
...rensisque ferox, (8) *Solisque ex...* *...rce profectus(8),*
...atit, Princepsq... ... *sub armis ...* *...uet Analthi(9),*
...ge ante alios an... ... *...nosior emicat ...* *omnes*
..., auetque manu... (10) *inter di...* *...imina Martis*
...cere(10) hostiles, ... *sequitur vest...* *...ia magni*
...s, & docti subi... ... *æmulus(11) ...* *...a magistri.*

...*is. Ithyra* enim v... ...m, in ea parte, qu... Maro, *Ithyreos taxi...* ...ucanus, *Ithyreis cu...* ...gnificat autem, eo n... Parthi pugnare so...

...thona peremit. N... ...erpentis arcu Apollin... ...racus, & e nostris *T...* vocant, a Delphis. ...atum est, Latinos pro... ...us eius nominis vsus ... nonnullos vno eode... ...tem vrbemque, sed al... ...am masculino genere ... *...mmonius* etiam præcip... ...hi, qui Delphica Py... ...ullum nomen interp... ...em est *Pytho* Phocidis ...raculo Apollinis, cuiu... ...init *Orpheus*, & *Theo...* ...illic extinctus, Apoll... ...uit. Alii tamen non... *Pythi* puella, quam Mel...

...tho peperit ... pente supra ... relata sunt.

(3) Sed ... dicitur. ... *dem commen...* *tumulabit* ... claris Orato... *notabilis elo...* *stulti libert...* putant *alu...* hoc loco, ... plis iam pr... gue prop... *Augustin...*

(4) S... parens: ... ex illo ... Sylvano... deam co... esse eam ... Idem d... mines ... maria ... que ratione prosequitur vocabula reliquorum

... Neptuno. De Pythone ser... ...go nonnihil, & a Strabone plura

... *ipsa terra, quæ nutrit alumna ...re ad Messalam, Non illa qui... alumna Omnibus iniecta tellus ...rens. Tacitus in dialogo de ...ibus, Est, inquit, magna ista & ...entia, alumna licentiæ, quam ... vocant. Errant ergo, qui ...m accipi pro eo tantum, vt ... alius, nutriusque est, vt exem-... ...auimus, & est legere apud lin-... ...tatis studiosos, & apud diuum ... lib. de Ciuitate Dei.*

...æpe dicitur Plinio terra omnium ... lege eum in secundo. Notum est ...*anii in Epistolis, Tellurem porco, ... piabam,* terram antiquos vt ... *Chrysippus* dicebat, terram ... ...cebat, quæ ab aliis *Ceres* diceretur. ...dem, Æthera esse deum, quem ho-... ...vem appellarent: quique aer per ...maria transmearet, eum esse Neptunum: simili-... rum

rum deorum. Autor *Cicero* lib. Naturæ diuinæ primo.

(5) Latentem fabulæ allegoriam demonstrat, quæ a multis est relata, vt alicubi diximus.

(6) E familia Comitum *Montisfortis*.

(7) Acri hic erat in hostes animo, alioqui placidus.

(8) *Comitem* a *Sonnenbergo* intelligit, virum strenuum item.

(9) *Rudolfus*.

(10) Priusquam enim arma forent inuenta, pugnantes manibus se tuebantur: quas interdum conferebant, & inuoluebant, vt fit in lucta, implicitis etiam aliquando & pedibus, & manibus consertis, lege *Gellium*.

(11) Diximus, ni fallor, æmulum proprie dici eiusdem studii imitatorem cum voto superandi. hinc magister sibi pessimus, qui non habet quod sequatur.

485 *Non secus Æmoniis medico(2) puer hæsit in antris*
Phillyridæ(1), aut canum Phœnicem(3) ad Pergama Troiæ
(5)Dardania in magna victor dilexit Achilles(4).

(1) Chironi *Phillyra* filio, a qua *Phillyres* populi Macronibus vicini. Græcum Lexicon male, & contra vsum optimorum autorum præcipit, vt scribi debeat *Phillyra* mater Chironis geminato *ll.* sed *Philyra* herba vnico, quæ latine dicitur *tilia*. *Phillyrides* vero *ll* interdum recipit geminatum, quippe sæpe dictio deducta ab origine decidit. *Æneas* secundam trahit, quam *Æneades* corripit, *Priamus* prima profertur breui, *Priamides* longa: sic *Philos*, *Philyra*, *Phylace* præcedentes corripiunt, quæ in *Philosophus*, *Phi yrides*, *Phylacides* protrahuntur.

(2) *Chiron* medicus insignis, bonusque musicus, Achillem & Patroclum lyram pulsare docuit, *In nubila condere discos, & liquidam nudare palen, & spargere castus*, autore *Terentio*. Pueri nobiles erudiebantur literis, palæstra, & musica. Ait enim, *Fac periculum in literis, fac in palæstra, & in musicis: quæ liberum hominem scire æquum est.* Ceterum quam periculosa sit medicæ artis professio, vel Moria apud *Erasmum* indicat, & ipsius artis vere professor *Listrius*.

(3) Sapientem magistrum Achillis, de quo multa apud *Homerum*, & *Quintilianus* meminit lib. primo. Canicies sapientem indicare solet, vt pallor philosophum. Hinc *Gregorius Nazianzenus* in oratione contra Cynicum, interprete nostro *Rhenano*, *Neque tu mihi*, inquit, *iucundus es aspectu, quod aqualiculum extendas, cutemque belle cures: vtinam tibi canitiei pallorisque nonnihil inesset, ac afflöreret, vt saltem sapiens, & philosophus esse crédereris.*

(4) Thetidis & Peleos filius, cuius pueritiam, vt cetera, quam eleganti carmine *Statius* complexus est. Ex fabulosa Lycophronis historia nouenis cubitis adoleuisse dicitur. *Gellius* ex Varronis sententia affirmat, modum summum adolescendi humani corporis septem pedes esse: quod esse magis verum, inquit, quam quod *Herodotus* homo fabulator in primo historiarum inuentum esse sub terra scripsit, Orestis corpus cubita longitudinis habens septem, *quæ faciunt*, inquit, *pedes duodecim & quadrantem.* Sed ex his, quæ cap. decimo sexto septimi refert *Plinius*, *Herodoti* opinio quam *Varronis* & *Gellii* verior esse videtur. Porro solent etiamnum homines insigni cum proceritate, tum fortitudine præditi *Hercules*, *Achilles*, *Samsones*que vocari, vt pulchritudine *Absalones*.

(5) *Dardanus* Illyrii filius & nomen & originem genti dedit. lege *Strabonis* septimum.

Tisiphone interea quondam lymphata per vrbes
Phalsgrauidum heroum, rursus deuecta per auras
490 *Castra Boemorum subiit, totisque vagata*
Agminibus, mentes acuit, dirumque furorem
Suggerit, atque animos stygialibus horrida flammis
Bellandi inuadit: tunc omnes arma capessunt,
Quadriiugesque aptant currus, & spicula vibrant.
495 *Pars teretes contos, vulsasque e montibus ornos*
Exacuunt, vastisque replent clamoribus auras,
Gens in Marte ferox: alii spirantia laxant
Fræna, & cornipedes tortis calcaribus vrgent.
Fustibalos torquent alii, balearica tela(1)
500 *Ardentii latas saxis intexere fundas.*
Hos inter pergebat ouans(3) pulcherrima Panthe(2),
Mille agit(4) hæc nymphas, pharetrasque, sonantiaque arma
Quæque gerit, colloque arcum suspendit eburno
Ipsa, ac nunc celeres impellit in arma quadrigas,
505 *Nunc loro compescit equos: micat aureus olli*
Cassis, carbaseæque nitent in corpore vestes.
Qualis sese offert iuxta vada Thermodontis(5)

(6), curruque
) falcatis(8) p
magna(10) chor
fuluos(13) per
t Pantho, tal
bulum telum. Nam

, hoc eft, mulieris
fingit adfuiffe Boie-

itia geftiens.

ebatur, vt fupra dixi
nazones confederunt
mus. Aduertendum
mnes in Thermodon
od eft apud Græcos
: quod aliter in ca
eniret, cum media
amen ait, *Et tu fo*
ite turba. Et *Sil*
repit & tellus & Am
Vnde nofter non fi
gat: quamquam l
Quod tamen in em
mutatum. Quare
on muto lectionem.
bus imperauit pa
, quam Thefeo vir
es: & is vxorem du

enim hominem t
r eft *Valla.* Item
mbecillo eft ftoma
coquit, vt *cibus cru*
s & indigeftus. Se

n clarus medio
paruo inter fe
n, vtrumque
fremunt: prime
atur, parilique
ata liberior pug
*ftridore *volant*
iles turmæ: re
riadæ contra,
nina bellandi,
abant taciti,
dem *Homerus* fcribit

t Cæfar poftqua
globis, pugnamq
t in arma viros
cauo, Hercynii
t fonitum, frag
mbii fugere Dei,
eque colunt rip
a tremit clamor
us, irarumque
a volant, circum
itur, obnubunt
e oculos, medio
lique mortis am

… leui tranfuecta per æquor,
… ropellit Amazona peltis(9).
… o Corybantum(12) fepta Cybelle(11)
… Dindyma facra(14) leones(13).
… is fefe ore ferebat.

… pro viuo & vegeto interdum accipitur, vt exempla paffim obuia indicant.

(8) Id eft intortis.

(9) Scutis, quæ, diximus, breuiffima, atque in modum dimidiæ lunæ geftabant Amazones. Maro, *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis Penthefilea furens.* Hammonius ait, Amazonicam peltam fcutum effe fine vmbone. Confentit *Oppianus,* qui teftudinem marinam peltæ comparat. *Xenophon* inquit, *Pelta Amazonica hederæ folio perfimilis eft,* vt refert *Parrhafius.*

(10) Quia Deum mater.

(11) Bacchius pes eft, ex prima breui, & duabus vl… imis longis.

(12) Dix… imus eos, qui voluerunt in facrificiis magr… Deæ incumbere, fic appellatos a Corybant… qui fimul cum Dardano facra Cybeles i… Phrygiam detulit.

(13) E… fupra expofitum eft, cur a leonibus tra… tur: qua de re & Seruius, & alii multa vul… unt.

(14) Di… m matri facer mons imminens Cyzico … us, vt autumat *Philoftephanus,* quod illic … bera extiterint gemina, quæ *Didyma* Græ… vocant. Alii, quoniam *Didymis,* hoc e… duobus iugis allurgat. *Strabo* tantum nu… ero multitudinis, *Statius* fingulariter etiam … eclinant, *Cui vertice facra Dindymon* & c… *s decreuit montibus Ida.*

Splendebat Ph… bus olympo,
…patio, campoq… e diremptum
…ocat pugnam, … pariterque minaci
…que leui fort… na fub ictu
…agitur difcrim… ne bellum,
…andi copia, … agno
…, ineuntque … c ordine Martem
…onat nemus o… ac fragore.
…donec Mauorti… s ardor
…bicinque acc… aderet ære,
…tempus clan… ribus aptant.
…de Græcis & Tr… *ianis.*

…palantibus … mina vidit
…acrem d… ftere gentem,
…tunc omni… filua remugit
…elifaque ty… pauma truncis
…ad conte… irrumpit olympi,
…tremuere f… vndis,
…pifcofi … ... Rhefi.
…tirum, … ftitur que fub imo
…imus folut… habenæ.
…onie(ctis … cælandibus aer
…leftia te… pla fagittæ
…ne enfis … æthere flammis,
…, paribufque … arma ruebant

Certa-

Certabantque odiis, furor hos, hos gloria Martis
Impellunt, suadentque illis occumbere campis.
(1)*Adsis o Erato, & pugnarum exordia pande,*
540 *Sanguineasque acies, atque horrida bella canentem*
Diua mone, dextraque potens, quos miserit Orco
Magnanimus Cæsar. Iam se Bellona flagello
Fuderat in cuneos, animisque illapsa furorem
Præbuerat, totumque ferox transcurrerat æquor,
545 *Et iam victori fortuna arriserat hosti.*
Namque vbi Francorum(2) *fudit se equitatus in hostem*
Incaute, premitur, tormentaque rapta, fugæque
Præcipites iam terga dabant, fusique repente
Prima sub auspiciis inierunt bella sinistris.
550 *Creuerat hinc trucibus violentior ira Boemis*
Vincendi: (3)*siquidem Titan, ventique fauebant.*
Nam radios etiam aduerso vibrabat olympo
Phœbus in Austriadas, oculosque, aciemque retusam
Distringens, cæci in pugnam, cædemque ruebant.
555 *Nec non obductus ventis perflantibus aer*
Puluere, bellantum feriebat turbidus ora.

(1) Diximus poetis non licere temere inuocationem repetere, iuxta vulgatam apud *Horatium* doctrinam: sed cum rei magnitudo aut difficultas exigit, quod & noster vel hoc loco potuit absque omni reprehensione facere: cum in hac pugna rei omnis summa constet.

(2) Quos nos *Francones* nunc vocamus. Et verum est, quod dicit. Nam cum Francorum manus paulo audacior, quam par erat, cum hostibus congrederetur, tanquam in præludio pugnæ, fusi fugatique sunt.

(3) Et hoc contigit, eo enim prœlio Cæsariani ventum, puluerem, & solem contrarios habuerunt. Ceterum rerum cælestium periti, aeri tribuunt regiones mediam, imam & supremam: quæ loco sint diuersorum effectuum, qui patiantur, & ferantur in terram, aquarum, imbrium, niuium, grandinum, cometarum, ventorum, & similium, de quibus Meteora *Aristotelis*, & *Seneca* Naturales Quæstiones. *Pontani* Meteora celebrati a doctis, indicauimus alias. Porro quod ad hunc locum facit, *Aristotelem* secuti dicimus, ventum multitudinem siccæ exhalationis, quæ de terra prodeat, & circa terram moueatur: cuius principium motus superne dependet, origo vero de terra. Cur vero transuersi inspirent venti, non autem ascendant, cum tamen illa exhalatio suapte natura superna petere debeat, nihil exacte proditum est: vt audiuimus sæpe *Stabium* dixisse, qui de ventis singulare opus conscripsit. *Homerus*, vt scribit *Plinius*, quatuor tantum ventos nouit, a quatuor regionibus cæli, Eurum, Austrum, Aquilonem, Fauonium. Versus *Homeri* sic latine a *Theodoro Gaza* sunt redditi, *Cumque Euro incubuit, Zephyrusque, Notusque furentes, Sudificusque simul Boreas mala plurima voluens.* Hos *V. Flaccus* magnos vocat libro secundo. Habent autem singuli duos, quibus *Carolus* Magnus indidit patriæ linguæ vocabula.

Cornipedem tunc Cæsar agens, calcaribus aureis
Impetit ardentes acies, ac dissipat ense
Agmina, & obliquas, quas struxerat, inde cohortes
560 *Imperat acciri, laterique accendere pugnam.*
Ipse volans, passimque furens, qua plurima contra
Arma videt, (1)*dispalat iter: primoque Melargum*
Enecat, & putri moribundum sternit arena.
Inde Lycum, Pragæque(2) *simul plorantis alumnum*
565 *Dorchantem, Lacidenque Syrin, magnumque Lyceten*
Fundit humi, tectum raptorum(3) *pelle luporum*(4).
Nec te crudeli potuit tua mytra, Thearce,
Eximere a fato, transfossus pectora telo
Ipse cadaueribus super, & super obruta anhelans
570 *Corpora, semianimis proprium bibis ore cruorem*(5).
Non aliter Cæsar medio furit agmine victor,
Quam si Peliaco(6) *saturos in monte*(6) *bimembres*
(7)*Hyleum, Vrionque, & vulsas Hippason ornos*(7)
Iactantem, Alcides dextra detruderet vmbris.

AVSTI

...igenas (9) fla...
...mmoque exh...
...ns Bistonios

...eo sumptum. Is
... Tria sunt lu-
...canarii, ceruarii,
... sexto Naturæ
... *Albertus* scribit
...o secundo, fabu-
...quit *Camers* in
... Diuus *Ambro-*
...*es*, inquit, *si prior*
...*cipit*, *& despicit*
...*ablatæ*: *idem si se-*
...*ociam, & non pot-*
... proprietate sum-
...*in fabula*, vt *Te-*
...*upum in sermont-*
...erpretatur *Seruius*
...r latius in Chilia...

...*ato*, vt puto. Gen...
... mutui sanguini...
...*odotus* meminit, ...
...pologetico. S...
...atriam coniurati...
...unt *Salustius*, ...
...it *Solinus* Scyth...
...e vulneribus ip...

...iuium Thetidis ...
...i carmine *Catul...*
... vndecimo Met...
...Nuptias Honorii ...
...notitiæ obtulit, ...
...it, vt ait *Solinus*.
...ari versum imm...
... Nam apud ...
...ospitio Hercul...
...et e Pelio mo...
...se prior iniust...

...*lia insultan*...
...chides, *te*...
..., *fortesqu*...
...*cul Eudæ*...
...*culum, &*...
...(*infandum*...
...*thale femu*...
...*m frangit*,...
...*xtemplo san*...
...*dent*: *tun*...
...*sue monop*...
...*os agitur cu*...
...*nta*, *nec ex*...
..., *sed vulnisi*...
...*clamantem*...
...*s artus, ani*...

...l insigni ferita...
...lle notum, ac pa...

... *Pronusque* ...
... *umbon*...
...*nas mer*...
... *Spectans a*...
...*o pede to*...
...) *lapsum* ...
... *tegmenque* ...
...*a hic mora* ...
...*s, phaleræque* ...
...*velut Gangetica tigris*,
... *Iazica persurie alcis*,
...*s*, *tristemque requirit*
...*antem pelle sagittam*
... *Post terga vnebat*
... *ferit*, *populataque cuspis*
... *diuellit ab aura*.

... *vulnera Saron*
... *Furebat*
...*bat auerno*.
...*entat habenis*
...*uet in illum*.
...*que per auras*
... *profuit æra*.
... *cruento*

... de-
...iam

...*mis Sac*... curauit, vt Pholo
...*ruit* ...ntissimi vini cadus
...*apido* ... Centauri vinum
bellum, ... Hercules occasionem
suscep... interemit, aut inde fu-
protect... nomina cum voles apud
rapere ...ges, & *Ouidium*, vt alibi indica-
nadus, ...
grauit: ...
Diodorum ... itatus.
uimus.

(8) Iup... tes: quorum *Homerus* in tota
(9) Gig... ...rn meminit, in Odyssea aliquo-
Iliade nusqu... ium, non quasi diuini generis,
cies vt *mort*... ...t *Parrhasius*, qui & sparsim ho-
vt alii, testis... ...r esserit in commentariis suis eru-
...rum nomina
...ditissimis.

(10) Qua... in eo bello pro thorace vsus
fuerat, vt supr... ...a retulit ex *Hygin*. Est autem
hoc bellum g... ...ellum apud Phlegræos Campa-
niæ, seu Mace... ...oniæ ciuitatem. Vnde Phle-
græum vocatu... ...s, quidquid ad gigantas per-
tinet.

(11) Allus... ...um ad illud *Maronis* primo
Georg. *Conati*... *ter sunt imponere Pelio Ossam*,
Scilicet atque O... ...*ssa frondosum inuoluere olym-*
pum: *Ter pater*... *extructos disiecit fulmine mon-*
tes. Allegoria... *fabulæ* superius ostensa est
obiter. Adser... ...i bam ex quinto *Philostrati*
verba Apolloni... ...i *Tyanæ*, *Ego*, *inquit*, *gigan-*
tes fuisse dico, ...*alisque locis dirupta tumulis*
eiusmodi corpor... *ostendi*. *Non tamen*, *vt fer-*
tur, *cum Diis*... ...*ugnasse credo*: *sed forsan Deo-*
rum ades ac te... ...*pla violasse*. *Quod autem*
calum aggressi... ...*f*... ...*terim*, *nec illic deos consistere*
permiserint, *di*... ...*er* ...*insania quadam est*, *infanient*
etiam credere. ... Hac gigantum fabula, aut-
tore tertio Ca... ...*rainum Porphyrione*, ostendi-
tur, vires sine... ...P*rudentia* non tantum vanas
esse, verum ... ...*iam* sibi aduersarias. Hinc
sumptum Ad... ...gium quam verissimum, θεῷ...
...ac... ...*Deo pugnare*, de eo, qui stulte
Deo repugn... ...re ac contraire audeat.

...feram. Nam quos Latini *Pannonios* nuncu-
pant, a Græcis *Paones* vocantur.

Eeee

Ecce autem Langus *geminis*(1) *comitatus Areti*(1)
595 *Aggreditur pugnam, Caspem, Tmolumque, Zoanque,*
Et Lysum vasta perimit Calcanta securi.
Venerat hic bello comes infelicis Adauni.
Qui dum Danubium (residens in puppe) fluentem
Despicit, excutitur, mediisque inuoluitur vndis,
600 *Auxilio princeps Lysias, qui in bella Lysitas*
Duxerat, vnde suum retinet nunc (2)*Slesia nomen.*
Interea Pantho(3) *Nympharum vndante caterua*
Effurit in partes varias, & Iazice curru(4)
Torquet anhelantes inter fera tela iugales,
605 *Saxonum inuasura manum: non pertulit illam*
Per medias ardentem acies, cædemque parantem
Ense minax Casimirus, *erat qui tegmine cinctus*
(5)*Ibridos, & pellem nodo distrinxerat aureo.*
Sed longe exclamans: Ite, o gentis, ite fugaces
610 *Sectatum per lustra feras, montesque per altos*
Hercyniæ, & timidos scopulis depellite damas.
Non vestrum est hæc arma pati: sic fatus, in agmen
Defertur medium, & vasto quatit impete turmas.
Contra aderat Pantho, celerique inuecta couino
615 *Prouocat ad pugnam: subit ardor vtrimque, furorque*
Certandi, ancisam Heros ensis turbine peltam
Rescindit, ferrique ruunt septemplicis orbes,
Frangitur & chalybis duri mora, vulsa per æquor
Flamma fluit, largoque madet iam sanguine pectus.

(1) Duos eius puto significare fratres, quorum alter etiamnum viuit eques auratus: alter in obsidione Patauina periit. Nomen a militari virtute impositum videtur. *Ares* enim Mars est.

(2) Hæc post Morauiam sequitur haud ignobilis prouincia, quam fluuius Odera perlabitur, caput eius Vratislauia est: amplissima ciuitas priuatis ac publicis ædificiis magnifice ornata, *Syluio* teste, ac nostro *Celte*, lib. Amorum secundo, *Slesia, quæ pulchris habet oppida condita muris, Visa caput quorum culta Vratislauia.* Nomen autem regioni fecit fluuius *Slesus*, eodem autore. *Suenus, qui Slesum socium sibi conuocat amnem; a quo nunc nomen Slesia terra gerit.*

(3) Quam superius Hippolytæ comparauit.

(4) Quo scilicet more *Iazices*, id est, *Pannones* vtuntur. Currus enim eorum in cursu velocissimi sunt, aptissimique ad pugnandum.

(5) *Iber* animal terrestre: a quo & *Iberes*, iuxta *Hesychium*. Fuit & hoc nomine Herculis filius, vt *Eustathius* ait.

620 *Tunc illa haud aliter quam cum Libs*(1) *horruit hydra,*
Quam Numida obliquo perstringit vulnere velox,
Lustrat cuncta oculis, solum in certamina poscens
Vulneris autorem: sed dum mouet ægra(2) *securim*(3)
Vis abit(4), *& fractæ languescunt corpore vires,*
625 *Et consternatis mæret resupina quadrigis.*

(1) Pro *Libyca.*

(2) Pantho.

(3) *Securis* Amazonum propria fuit, a Penthesilæa Regina inuenta, vt scribit *Plinius.* Inde Amazones *Securigeræ.* Ouidius, *Prima securigeras inter virtute puellas.*

(4) Virtus, robur. Aliquando multitudo. *Salustius* (in Fragm.) *Qua tempestate ex Ponto vis piscium erupit.*

Iamque aderat victor, teloque micabat hiulco.
Quem contra, O iuuenis, quo non præstantior alter
In terris, miserere precor, sum femina Pantho,
(1)*Paruaque de nostra dabitur tibi* (1)*gloria morte,*
630 *Per genium nunc oro tuum*(2), *per candida colla,*
Quæ præfers æquanda Deis, oculosque micantes,
(3)*Sidera bina poli, moribundam, te rogo, ne plus*
Hauri animam, (4) *victam fateor: videre precantem*
Ista tui(4), *& coram duplices me tendere palmas.*

Dixerat

AVST

Ille suos acer
e inde oculos,
at, vicitque f
ras, inquit,
oscis, habe, vi
s membra mag
nt: sed tu m
exanimem ny
, verbisque fa

am illam *Maroni*

RIADOS

orum sque
subito
rum
claßica Martis
s nunc
fortis arma.
inter & enses
vulnere curant.

e die natali, qu
dari custodes, ma
appellemus, qua
m sentit *Seneca* a
Ergis: neque ho
iam locis, atqu
sci attribuebant
nobis moliatur
Hinc *Prudenti*
m secundo, *C*
tis unum? C
abulis, soleatis A
omnia membra V
illia multa. Qu
teres illos, vt nost
quuti, duos vnic
s vocant, ab i

ordio vitæ adscribunt: amicum,
da nostra procuret: malum, qui
bus in exitium nostrum immi-
Græci dicunt *Alastora*: quo
amus eos, quibus incommodo-
m maximam partem acceptam
ue etiam hodie vulgato sermo-
amomnino quidam his, aut illis
i, vt tanquam fatum quoddam
ue in perniciem illorum nati,
ssint, vnde & prouerbium, Go-
quod centuria prima Chiliadis
ce, vt omnia, idem Roterodamus

protinus
qui comm
modis om
neat. Hu
nomine vo
rum nostror
ferimus, id
ne. Sunt e
ita inauspica
malum, atq
iure videri p
nius malus,
primæ, erudit
explicat.

(3) Solem & Lunam intelligit.
(4) Sumpt us color a *Marone* in fine Ænei-
dos de Ænea & Turno.
(5) Velut præmollia, a quibus & mulier
denominatur.

a Cæsar den
, coguntque f
contemptor
que Phineus
rte ruunt,
las frangunt
s populatur
& vndison

furit agmine
os dare terga
ax, & fortis
& torto crine
que furore c
ensis ceu flu
ros, spumant
diuerberat e

& vna
Boemos.
Hiarbas,
Pheretes
ternas
bus Oxus(1)
que vrget
era cornu.

Sogdianam di
ommodum est
sum onera in
autor *Strabo.*
natura enim
n regionem, q
tem auro are

pariat. No
cellino, cete
nam in Ox
recipit, qu
Ab Oxo O
teris. Q
git. Arria

mum vero est ex *Curtio, Mar-*
Ochum ab *Oxo* alium esse,
Ochus fluit, maximos amnes
in Hyrcanum mare exonerat.
ga accolæ nominati, *Solino*, ce-
quam Hermolaus *Oxistage* le-
Oxidacem vocat.

metuens Cæ
ubet pugn
t, sciditq
& primo i
m inuadit
i: inde inge
llas, Pylle
ifer Rhoda
eam vomue
r cædes, v
i, atque e
ue, sanguin
t eripedu
passim Cæsa
stem, flau
t Aglauron
s Laomes, c

frons
succe
Lobos, ob
m qui
rum lates
cæsorum increscit
ferox, & fortis
deplorandusque
animam: iam tristis
inter busta peribant
is lapsas terit vngula
que enses, gemmataque
llus frontalibus aureis.
lum fatale coruscans,
ue Gelon, natumque
: clamat resupinus arenæ
t Argiletus equorum

ciesque laboret
ere robur.
aque pila
orserat ingens
haurit apertum
aceruus.
Agontes,
Phileuros
vtrinque
parmas,
fræna,
Casurgi(1)

Prædo-

Prædomitor, magnusque Lepas: augurque Phidenus
Doctus noscere aues, nec non responsa Deorum,
670 (2)*Et captum lituo signare per aera templum.*

(1) Ciuitas est Boemiæ, ita ab antiquis appellata, quæ hodie *Praga* dicitur. Cuius pluribus meminit *Syluius* in historia gentis. *Celtes* noster de ea in carminibus sic ait:

Visa non vrbs est meliore cælo,
Fertili gleba tua Braga cincta est.
Explicat septem hac spatiosa colles,
Quam rapax scindit fluuius per Albim,
Ambitu murorum, imitata magna
mœnia Romæ.
Exiens, nomen socios petentes
Fluctibus æquor.

(2) Romanorum morem tangit in captandis auguriis. Solebant autem, vt refert *Cicero*, & exactius *Liuius* libro primo ab vrbe condita, vt sacerdotes sedentes cum lituo designarent in cælo locum, quod templum ab intuendo appellabant, indeque auium volantium augurium captarent. *Est* enim *lituus*, vt inquit in Diuinatione *Cicero*, *baculus auguralis, ab altera parte, qua crassior est, incuruus.* Romuli lituus, ardente curia, cum minime arserit, pro miraculo habitum est. Maro, *Ipse Quirinali lituo, paruaque sedebat Succinctus trabea, læuaque ancile gerebat.* Alicubi legimus bacillum augurale ad Episcopos nostros translatum esse.

Iamque erat ad clypeos Cæsar, iunctasque quadrigas,
Castra quibus munire solent, & ponere vallum.
Ergo illuc metuens campo decernere aperto
Vlterius se hostis, trepidumque receperat agmen,
675 *Cum delapsa polo roseis circundata nimbis*
Pallas sollicitas voluens sub pectore curas,
Tethyos Oceanum petiit regna alta profundæ.
Illo forte die (1)*Venedum per littora magnus*
Oceanus pater(2), *& nymphæ Oceanitides omnes,*
680 *Et quas auricoma produxit Doride Nereus*(3),
Proteque, Eucrateque(4), *Saoque, & Lysianassa,*
Pasithea, atque Erato, & roseis optabilis vlnis
Eunice, Dotoque soror, formosaque risu
(5)*Glauconoe, atque Thetis, Thalieque adamabilis, huic se*(5)
685 *Splendidaque Eulimene, & Melite iunxere sorores*
Ambæ æuo similes, ambæ squallentibus ibant
Vestibus incinctæ, & splendorem a vertice vibrant.
Has pone insequitur natarum cetera pubes,
Nec non puniceos stringens sibi Glaucus(6) *amictus*
690 *Affuit, & Sirenes*(7), *Leucotidesque Palæmon*(8),
Et Triton(9) *curua vectus super æquora concha.*
Vixque alta æquorei replere sedilia saxi,
Cum metuens summo properans Tritonia(10) *cælo,*
Ingreditur Pontum: venienti protinus vnda
695 *Scissa locum dedit, & medium via secta per æquor.*

(1) Hoc est, accolarum Venedici sinus, qui notiore vocabulo *Codanus* dicitur, de quo plura superius.

(2) Quoniam Deorum originem instituit secundum Homerum; *Platone* teste, idem voluit *Hesiodus*, ait præterea *Orpheus*, Oceanum primum pulchrifluum coniugium inchoasse, qui cum Thetide germana se sua commiscuit.

(3) Omnium Ponti liberorum natu maximus ex Oceani filia Doride, nymphas genuit, quas a patre *Nereides* appellamus, autor *Hesiodus*.

(4) Nomina mutuatus est ab *Hesiodo*.

(5) Sic legitur in bono exemplari. Vnde non satis ex sententia in emendationibus prioribus correximus versum, qui ita corrigendus est, vt iam scripsimus. Nam *Thalie Thalies* penultima breui, filia *Dorides* & *Nerei* fuit apud *Hesiodum*: & *adamabilis* puto, non *amabilis* legendum.

(6) Cur *Glaucus* Anthedonius ex Eubœa piscator maris numen factus sit, *Athenæus* refert fabulam, & noster meminit *Roterodamus* prouerbio primo Chiliadis tertiæ Centuria prima. *Palephatus* ad historiam refert.

(7) Scilicet *affuere*. Secundum Homerum, vt ait *Eustathius*, duæ sunt, & sine nomine: secundum alios poetas tres, his nominibus, *Parthenope, Ligea, Leucosia*: quæ post Vlyssis transitum se in mare præcipites dedere, aliæque alibi emersere. Sirenas suauissimæ vocis mulieres fuisse græcanica extitit fabula, inquit *Suidas*: quæ in insula desidentes, vsque adeo prætemauigantes cantus suauitate oblectabant, vt vsque ad mortem eos ibi detinerent. Habebant autem a pectore ad su-

eciem, inferiora
lose sequuntur,
cie auiculas, qui-
nigantium aures
usicæ voluptatis
Verus autem
quædam marina
ngustum redacta,
is argutam reddit
nauigant, suam
amittunt, & vna
Palephatus prodit,
linimentis appul-
, apud se desidere
llorum deglube-
luscula de Sireni-
quoque adiiciam
non dissimile, au-

marmoreamq
equoribus,
& magni soli
bitat, strepit
deuecta locis
tacitas curs
seruant flucta
qui geminis p
rum excipere
dri(3) spectaba
r vitreas Bu
e(4), & Clau
stuleosque al
n thalamum
a, Deæ nota
e loco Nymph
xcepturæ,
ue in solio se

ntelligit. Et
eorgicorum li

rnu quod ad o
adit a Mosa e
uod nomen ad
a sentit alibi
erMosam.
xta Amisium
nsium appella
rabo vocat, v
Elb. Tacitu
oster de eo sic
lus mediam fl
m Rhenus, sic
Cimbriacum

uc compertu
utant nonnull
teris, *Gutalus*

im vetusti

Pallas;
ab æthereo
enio supple
enim victor

domum,
ata est regn
Præferre To
que pauet,
ia omnia m
Labentia terr
(1), *quæ max*
aret cornibus
Mosæ nisi rip
aquas, & fl
or nauigat
n(5), *Viadrum*
s irrumpere f
egina(8), *atqu*
st venientis in
Amphitritid
traque fit ob
Dea iungit

...ina vndarum, atque æquoris alti
...oles Iouis, huc ego cælo
...nimborum exposcere vires.
...austis Leonorius(2) *armis*

*Strabon*i, me
monio paul
vt *Irenicus* a
etunt.

(7) Hu
tamentis in
tuimus, e
non vt pri
pere flucti

(8) H
Claudian
thalamos
ri potest,
bio accepit
mis præposuisse
biculum est thalamus, in quo vir & mulier
nant. Sed & virginum sedes appellat *tha-*
lamos in Metamorphos. idem *Ouidius*, *Pars*
secreta domus ebore & testudine cultos Tres ha-
buit thalamos, quorum tu Pandrose dextrum,
Aglauros læuum, medium possederat Herse.

...tore *Suida* ... & armiger, vt
(8) ... *Plinius* in
... in quodam specu
(9) ... & inibi asserit
... de Nereidibus opinionem huma-
... habentibus. Non igitur mi-
... poetæ biformes Deos maris appel-
... on autem, quod scribit *Acesan-*
... *der*, Nept... no patre genitus est, ex Atlantis
filia Celen... las, vt placet *Callistheni*: quod
(10) P... emenos, id est, tertia mensis die
hæc Dea Tr... stus Athenis transfigebatur, vt
nata, qui ... *quatria*: vt inter reliquas nomi-
Romæ *Quin*... notauimus libro primo.
nis caufas ad

pendentia vidit
profunda
antis
tis flumina longe
iscent.
imus inter
æquor,
Vahalam,
umen Amisi,
rudes,
que, & magno Sueui(6)
aestus(7).
humida tecta
ago.
s, almam
a Ponti
honoro.

...init eius & Celtes, cuius testi-
... arte sumus vsi, eodem autore,
... Sueuum antiqui *Gutalum* dix-

... versum, quem in paruis anno-
... emendatum reliqui, sic, vt resti-
... emendato libro legendus est, &
... *Ostia, & ingenti Vistulam irrumu-*
De Vistula diximus.
... est, *sedem*, & *regiam*, vt illud
Caligantesque profunda Iunonis
... ad infernas Proserpinæ sedes refer-
... teste *Parrhasio*, *Ouidius* pro *conm...*
... in Heroidibus, *Nestio quem thala-*
... Quippe coniugale cu-
... hoc est prolem suscipiunt & germi-

Cuncta

Cuncta quatit, raptoque mihi iam gaudet honore.
Credo etenim, si alias Venedi per littoris vndam
710 *Direxistis iter, vestras pulsauerit aures*
Infandum hoc bellum, duraeque exordia pugnae,
Omnia tentaui, nec sic impune dolorem
Ille meum hauriret, & temneret arma Deorum.
Sed missa haec facio, veteres namque obruit iras
715 *Cura recens: furit Austriades, instatque Boemis*
(Qui ducunt cari(3) genus alto à sanguine Othonis(3))
Impius, & miseros infanda strage fatigat.
Vnde iter huc caelo diuertimus, & tua solum
Dori mihi seruata fides, modo tu Dea Ponti
720 *Adsis, & praestes tanta ad molimina vires.*
Quare age, Diua, precor, collectas vndique nubes,
Quas ego compellam vestrum descendere in aequor
Imbue aquis, tantum ne Martia Caesaris hasta
Saeuiat, & duro contundat Marte Boemos,
725 *Descendant pluuiae, & tonitru caelum omne reclamet,*
Cogaturque ferox media decedere pugna.

(1) Color sumptus ex primo *Maronis* de Iunone & Æolo.

(2) *Maximilianus Leonora* filius.

(3) *Othocarum* Regem intelligit, de quo lib. 1 sic dixit, *Cecropiae quondam Rex, est ita fama, Minerua Carus Otho templum erexit.* Hic fuit a *Rudolfo*, vt diximus, interfectus.

Dixerat: at contra Doris sic alma locuta est:
Quodcunque est pelagi, proles miranda(1) Tonantis,
Quot capiunt haec littora aquas, ad nubila transfer,
730 *Annuo, nec mi vnquam tua dicta refellere fas est.*
Hoc regnum commune tibi, & debere fatemur,
(2) Quae prius in nostrum direxti(3) lintea(4) regnum,
Atque per insolitum(5) Pagasis(6) mirantibus aequor(5),
(7) Numine cum ratis(8) acta tuo est, & fortis Iason
735 *Retttulit Æmonia pellem Creteida(9) puppe.*
Iamque maris noscuntur opes, nautasque pauentes
Numina damnamus votis cum supplice dextra
Fluctibus in mediis, & tempestate vocamur(10).
Quare pro meritis, neque enim pensabimus illa,
740 *Exequar haec, & me nihil experiere negantem.*
His spumans dictis aurum libauit, & olli
Grandia Menapii porrexit pocula zyti(11).

(1) Ex vertice praeter vsum nata.

(2) Quoniam duce Minerua *Minyae*, id est, *Argonautae* ex Pagasa soluerunt in Colchos.

(3) Pro *direxisti*, est syncope poetica.

(4) Vela, partem pro toto, notissima figura.

(5) Sequitur *Plinium, Ouidium, Statium*, & *Val. Flaccum*, qui tradunt prima freta pertaia Iasoni. Autorum diuersas super nauticae artis inuentione sententias *Parrhasius*, cui saecula nostra plurimum debent, recitat in principio lib. primi de Raptu Proserpinae apud Claudianum.

(6) Pagaseus sinus vrbem *Pagasam* amplectitur. autor est *Mela* in descriptione Macedoniae: inde Minyae Colchida petentes Argo nauem soluisse memoratur. De *Argo* naui fabricata, & vt oram soluerint *Minyae*, lege *Val. Flaccum* libro 1.

(7) Argonautis enim Iasoni, Herculi, Orpheo, & aliis Pallas & Iuno fuere auxilio.

(8) Quidam aiunt Iasonem non tantum vna rate Colchorum regionem penetrasse, sed classe optime instructa. Ratem hanc per operis initia *Flaccus* vocat *fatidicam*: non quod in caelum relata sit, vt aliqui suspicantur, sed quod Sophocles quercum, seu fagum *polyglosson* appellauit; ex hac materia constructam Argo nauis carinam, quae dubiis in rebus Minyas admoneret, vt ait *Parrhasius*, exponens hunc *Valerii* locum commentario primo in Raptum Proserpinae.

(9) *Aureum vellus*, cuius fabula notissima est.

(10) Lucretius, *Multoque in rebus acerbis Acrius aduertunt animos ad relligionem.* Nam vt *Plinius* eleganter protulit, *Praecipuus est tunc votorum locus, cum spei nihil est.*

(11) Ceruisiae.

AVSTR

mis gradi
erans, vbi
s, fertur
, atque alt
)dersa reg
altitonans
sedem conce
s altum pe
r Codani lu
mplo iussu
aptos per c
nigroque po
currus Cæs
nediis Frede
seuo contun
vastæ pressis
ubentque po
quassatur hu
xortæ rapit
cadit comm
rit imbre di
polum Parn
omne homin
oiectis repa
matrisque
r subitis ne
ur pugnam,
ingenti plu
ti animi, ret
t, clypeisque
r Cæsar, nec
Brunsuychi
)Auarpigena

IADOS

us, & vasti...
sese Deli...
ita, (1) ... Iuno
caligine ... nimbis.
... populit vndis.
... aquarum
... fluctus
... r amictu.
... atus ambit
... or armis
... emos.
... nde
... Austri,
... nis ab alto
... ebra.
... nimbus,
... a nigrantem
... dit,
... esque, fereque,
... is
... usci.
... itur vndis,
... instat,
... repente
... andi
... vestis.
... vna
... onius alter
... stra reducit.

furit, &
us(4) segn
Marte B
nubibus
perflantibu
s: ruit am
conuexa te
grandine
Sic(5) Pyrr
a vertice v
periit, voluc
uit semina sa
dit nos osse re
icquam exte
loque ferocio
, tonitruque
ad tentoria c
gunt sua corp
on fortissimus
pugnam, Sa
pubemque in

...bscuritas illustr... rator eloquen... inquit, qua... *sicut aiunt, te...* ...*cia, sicut Erasmus dicit, Roge... ... est cæcitas, & Cimmeriis ... bris inuoluta. Statim sic effert:* ...is distantiam plu... Cimmerium... Quam rem mul... quo neutiqu... ...*ccus* Argonauti... concinne eti... ...*aos, de loco tenebris obsito, &* ...ro Transformat... rit, de hom... *... accessus pateat.* Non in-... ...t diximus, son... obtusa omn... *ad animum transferri pote-* *Homerus*, cuius ... *Erasmo* ap... *scilicet, qui mente hebete &* ...itauit, a princi... ...*m*, scriptu... *sit, vt Camers putat.* Teste ...efert de Cimme... etymologi... *Græcos constanter per duplex* ...*Camers* ait, de C... eius Chili... *inuenitur, tametsi refragatur* ...*Strabo* a Cimme... ...ades, *quam adfert Eustathius.* Adi ...s ad Oceanum C... ...Sunt etiam C... ...s, Cumasque sit... ...huius loci *Lacta*... ...narum institution... ...rbium, *O cacum*... ...*riis*, vt aiunt, *ten*... ...em, cuius mens... ...& qui omnis om... ...Et hunc velut an... ...s, vt Lactantianæ a...

(3) Quoniam per Iunonem, vt superius diximus, aerem intelligimus.

(4) Dux ille Saxoniæ, Princeps Elector, cuius laus magna est in ore eruditorum.

(5) Fabulam refert *Ouidius* primo Transformationum.

(6) *Auerpi* antiquissimi Germaniæ populi fuerunt, qui partem illam coluerunt, quam nunc Saxones habent.

...mque Atlant... ...ostis de littore meta
...ebat, stellasque ... inter fulgebat Eoas
...a: quæ postqu... ... nouit Tritonidis astus,
...nias petiit sed... Ætnamque sonantem
...icibus flamma... ...m, & agentem ad sidera fumos
...tere igniuomo, ... Messanæ(1) littora quærit.

Illac

(2)Illac Phœbus equos (fama est) stabulatur arena
Iam fessos, soluitque iugo fumantia colla.
Atque hunc aggreditur mæsto sic talibus ore:
785 *Nulla ne tantorum dabitur, Germane, laborum*
Meta mihi? supplexque Deos tentare precando
Effugiam? (3)quid me vestigia longa sequentem,
(4)Erroresque vagos, atque alta silentia(5) tecum
Ferre iuuat?nobis quid menstrua tempora(6) prosunt,
790 *Visque immensa latens, & adhuc incognita terris(7),*
Qua fluit, & refluit feruens maris vnda Britanni(8),
Inque vicem proprios mutant vaga flumina cursus,
Purpureusque Haliacmon(6), olorinusque Caister(7)
Numina si cæli nos tanquam spreta iacemus?
795 *Arbitrioque suo victrix facit omnia Pallas?*
(8)Quin etiam (scelus infandum) tete ipsa, tuosque
Aspexi radios, humentia pellere ab imo
Viscere terrarum, nigrasque attollere nubes.
Scilicet vt voti compos Tritonia virgo
800 *Fiat, & abiectam videas, Germane, sororem.*
Quare age, rumpe moram, cum crastina fulserit Eos
(9)Discute nigrantes nubes, iubar effer in auras
(10)Non hostile velut radii prius, agmine facto
Cum venti, & densus turbauit lumina puluis,
805 *Ipsa ego in aeream sedem, magnæque volabo*
Iunonis solium, atque iras mulcebo furentes.
Dixerat: At Phœbus roseo de vertice fundens
Splendorem ingentem, dicto annuit: inde sorori
(11)Taurominitani libauit pocula Bacchi.

(1) De hoc oppido, quod, vt ait *Solinus*, Regio Italiæ oppositum est, præter ceteros *Thucydidem* lege lib. 6. *Zancle* antea dicebatur.

(2) Fingit Poeta, Dianam perceptis dolis Palladis, fratrem Solem petiisse in Messana. *Plinius* tradit hanc fabulam lib. 2. Nam cum mare prope Messanam quasdam sordes ad littus euomat, crediderunt Solis equos illic stabulari.

(3) Describit naturam Lunæ, quæ modo lucet, modo deficit: cuius rationem reddit libro quinto *Lucretius, Plinius, Solinus, Martianus, Diodorus,* ceteri. Autores sunt, in Taprobano nec Septentriones, nec Vergilias aspici: Lunam quoque non nisi ab octaua in sextamdecimam supra terras videri. Obseruant dies lunares rustici: quos tamen incertum est, an a naturæ caussis, an vulgi magis credulitate proficiscantur. Hasce obseruationes Hesiodi exemplo apud *Maronem* lege libro Georgicorum 1. & in Rustico *Politiani.*

(4) Allusum ad illud Maronis, *Errantem lunam, solisque labores.*

(5) Interlunium, seu coitum Lunæ *Seruius* intelligit. Verum ex *Politiano* id latiuscule expositum est supra.

(6) Quia luna singulis mensibus suos peragit cursus. Catullus, *Tu cursu Dea menstruo metiens iter annuum.* Vnde & a *Lucretio*, ceterisque poetis, luna *menstrua* appellatur. Apparet autem plusquam viginti septem dies, bis in coitu immoratur: quamquam accidere potest, vt vtrumque sidus eodem die videri possit, vt tradit *Plinius*, & recentiores. Item *menstrua*, profluuia muliebria vocant, quæ & *menses* appellantur: quoniam a luna proueniunt. Femina quæ menstrua fert, *menstruata*. Menstruum durat in pluribus mulieribus, vt plurimum quadraginta quinque annis, & in quibusdam vsque ad quinquaginta: & tunc desinunt muliebria, & cessat potentia generandi: In viris autem pluribus efficax est semen vsque ad sexaginta annos, & in quibusdam paucis vsque ad septuaginta, & tunc desinit in viris potentia generandi.

(7) *Pomponius* in principio tertii post multa, quæ disputat; Neque adhuc satis cognitum est, inquit, anhelitu ne suo id mundus efficiat, retractamque cum spiritu regerat vndam vndique. Si, vt doctioribus placet, vnum animal est: an sint depressi aliqui specus quo reciproca maria residant, atque inde in se rursus exuberantia attollant: an Luna caussam tantis meatibus præbeat, ad ortus certe eius occasusque variantur: neque eodem assidue tempore, sed vt illa surgit ac demergitur, ita recedere atque aduentare comperimus.

(8) *Plinio* autore Pytheas Massiliensis octogenis cubitis supra Britanniam intumescere æstus prodidit. *Strabo*, item *Cæsar* in commentariis plura de mari Britannico. Maris quoque Britannici *Cicero* libro naturæ Diuinæ tertio meminit, vbi naturæ potentiam, constantiamque extollens, Cottam sic loquentem

...o Euripo in mo-
...as fieri posse con-
...i? quid Oceani
...Libyamque ra-
...l æstus maritimi,
...ci, eorumque cer-
...l recessus sine Deo

...init Hesiodus.
...teste Plinio, item
...quem Poeta olo-
...undat, qui olores
...oque testatur lib.

...iam vigil obsc...
..., madidaque
...n tristis perni...
...ens passim mi...
...unc concussi a...
...e loco, trepid...
...antiue ineat
...s Oceano lucet
... & ardenti lu...
...que polo nube...
..., & calidis d...
...liter Zephyro
...durasque niu...
...fœtifero peret...
...Cæsar cupiens
...Alma dies,
...nubes, Proce...
...r, pretiumq...
...n auspicibus,
...es, currusq...
...r armatas ag...
...n sol medium...
...tis sonuere
... tonat omn...
...luereæ tol...
...s, atque h...
...r pugnam
...m: nam ve...
...ontra, sep...
...turba, tel...
..., duri qui
...unt (1) cly...
...nte alios f...
...Cæsar, flag...
...m, & me...
...it Taurisc...
...drauique t...
...Claudoniu...

... custodia... cebat mil... bus aduola... andi dira... mi, milesq... ue fugam... crimina be... detexit ab... rabat lampa... & Palladis... rupit nubila... elidus spirant... s, *concretaqu... sua *frigor... d pugnam ani... lux clarissim... es, dilataque... more Diis a... uare date tela... atra combur... in certamina... Phœbus lustra... bæ, signumqu... ager, calcat... tur in æthe... acies arma... ubem consc... mori, vel... more f... ter & ar... alacres in v... protecti corpora (1) longis... lenti casside, & auro... tem lampada torsit... acer defertur in hostes... cohors, & forti Alanas (2)... ces, Anasinaque in arma tumentum,... gelido deuexit ab Istro.

... nocti... s in herba, ... alis... Roberti... ue Boemus... e capessat,... i,... lto... de terras,... iras... flammis,... e Niphates... e summo... vento,... uare maniplos,... a cælo... ato... furor ipsis... er hostes,... e flamma,... armas,... at olympum,... dedere... tremiscit... nubes,... , cruentam... dere currus... acere dignum est.

...ira Palladis c...

(8) Physi... orum at-... oriente sol... huiusmodi in... tractione... conuertuntur... ab imo Viscere... alum... fit humentia, expone... Legu... est ratio physica. Solis enim... rarum... ciente, collectas nubes, nebu-...

(9) Et... calore inu... imus Cæsarianos milites aduer-... Iasque diff... solem, puluerem, & ventum.

(10) D... ... hos habuisse... st, Siculi.

(11) Id...

...s vsos clypeis... monefacit m... ni suæ duo... i non solum... d faciendum... Boemos... betin-... habebat... tegen-... castris... vallum, quæ curribus intermiscebant. Cly-peum neutro genere proferendum præcipit Caper. Titus præterea Liuius identidem clypea dicit. Trebellius, Clypeus, inquit, aureus, vel, vt grammatici loquuntur, clypeum mo-...

(2) Dionysius dicit, Martia pectora Alani. Hos Irenicus noster e Scandia emersisse scri-bit: mox sese diuisisse, parte vna in Asiam conce-

concedente: quos *Ptolemaus* ad Hyberboreos posuit, nunc *Tartari* dicti, vt ait *Sylnius.* Reliqua parte Vandalorum & Burgundionum auxilio, Francos e sedibus expellente, vt latius *Irenicus* refert. *Ptolemaus* illos Scythis asscribit. *Marcellinus* & *Iosephus* Dionysium secuti, intra Mæotidem eos concluserunt. *Capitolinus* in Vita Antonini Pii *Dacis* Alanos asscripsit. *Albertus* cap. 17 primi Saxoniæ refellit Gallici scriptoris commentum, de *Alani* nominis origine. Propius vero accedunt, qui cum *Iornande* Alanos e Gothis deriuant, quorum origo vere Germanica est, vt diximus. *Procopius* quoque testatur, Alanos fuisse locutos Gothice. Ad hoc ipsum *Luciani* testimonium *Irenicus* profert cap. 33 primi. Dicti autem sunt *Alani* a monte Sarmatiæ, autore *Stephano.* Manifeste labitur *Sabellicus,* vbi tradit *Alanos* hodie *Alamanos* nuncupari.

(3) Populi accolæ *Draui* fluminis, de quo libro 4. & plura *Albertus* noster, & *Arrianus* libr. primo gestorum Alexandrinorum.

At Brunsuichides *iuxta duo tela coruscans*
Dentibus infrendit, perque horridus arma repulsis
850 *Ingruit aggeribus, pugnæque accenditur ira.*
Sternitur infelix Bython, tristisque Machareus,
Oenomausque ferox, & cæso poplite Lydas
Obruitur, roseamque animam despondit auerno.
Fit cædes passim, Phenor Lyciam, Euphytus illum,
855 *Hunc Phorbas necat, & mediis in milibus acri*
Cornipede inuectus, raptusque furore per hostem
Terrificos ciet ore sonos, velut aspera campo
Bella mouens, magnis replet mugitibus agros,
Scintillatque oculos, sæuitque in cornua taurus.
860 *Vociferans contra* Albertus, *detraxit eburna*
Vulnificum vagina ensem, dein proruit, & qua
Parte minus vastos lorica armauerat artus
Vulnerat: ille graui cadit insanabilis ictu,
Et fugit expirans oculis errantibus astra.
865 *Non aliter quam si in stabulis lupus armentorum*
Sæuiat, occurrit prædurо robore pastor
Carnus, & ingenti rabie defertur in hostem,
Vibrans tela manu, semifractoque cerebro:
Ille ruens procumbit humi, rictuque lacessit
870 *Terram, & spumanti victorem exterritat ore.*
Parte alia flagrans desæuit Zornius *heros,*
Protectus dura tortos compagine crines,
Intrepidusque subit pugnam, perque obuia tela,
Perque hostes fertur, tantoque ferociter vrget
875 *Certandi, quanto violentior ira furorque*
Gliscit, desæuitque animis Mauortius ardor.
Non tot Caucaseas cum frigida tempora siluas
Destituunt(1)*, auibusque negat sua pabula Memphis,*
In Styriam(2) *præpes densas agit ardea turmas,*
880 *Quot volitant vmbræ circum, quot corpora terræ*
Fusa iacent, dictu mirabile, sanguine colles
Humecti fumant calido, riuique cruoris
Mœnia Regini, atque Istrum infecere tepentes.
Vndique sæuitum in cædem: iamque obiice fracto,
885 *Irrumpitque aditum, victorque it in agmine Cæsar.*

(1) Ex bono exemplari sic legendum magis probo, quam, *inuadunt.* Nam peracta apud nos hieme, peregrinæ aues ad nos reuertuntur; vt incipiente ad loca magis aprica euolent, vt est India, Ægyptus.

(2) Ipse quoque obseruaui, aduentante æstate in gentem ardearum vim in Styriam aduolare. *Præpetem* autem dicit, quod eius augurio *Ardea* vrbs condita fuerit, vt refert *Papinii* interpres. Nam maiores aues vocari *præpetes,* quæ volatu suo dant augurium, nemo est qui ignorat.

(1)*At Sais anguitenens, iactantem, & cuncta mouentem*
Despicit ex alto, sæuumque hastile coruscans,
Sic ait: En nobis arrepta potentia belli,
Viuimus indigni cælo, vetitumque per arma

Ire

usqueadeo to ... ferox violent ... rendum ingen ... cum cælo siu ... volitare fac ... & lapsæ cum ... Diuæ monstr ... it terra, & n ... onitu, atque ... imor attonitos ... nque acies, & ... morat enim sæu ... antes atri inst ... ctori, montis ... erga fuga. ... Princeps, qu ... te gradum, t ... at Phœbi vi ... actanti fauce ... e contorta m ... s cessit bello, ... nnes, lucent ... & passim ing ... ue, clypeiqu ... que iacent ve ... fulminis ... per inu ... um pecu ... vos fuga d ... oque occur ... s occumbere ... transuerbera ... ru: quo tur ... roiectaque l ... auulsis æquor ... tes spectantu ... raues, curru ... illa minantia ... cunctis ... inquit Agartes, ... eit inertes? ... ite telis, ... campis. ... hasta ... cadente ... inquiunt ... cristis ... aceruis, ... sque refracti, ... astris.

tiam a Propertio ... ypti, procul a m ... n hac Mineruæ t ... plum, & Psan... boni.

(2) Hæc ... initiei Regis sepulchrum ... ... omnia ex prioribus patent.

AVSTRIADOS LIBER XI.

ARGVMENTVM.

...es Boemi ... erga verte ... tur. Int ... im Phya ... unt, captiui Ratispo... boemiæ me ... Polim ing ... tes ex tanta superstes ... minis Pra ... sibus au ... essus, cædem nuntiat: ... ribundis ... iles, a ... dita est, superatis Her... minime t ... accessi ... corpora sepelienda fe... quo cor ... rum sep ... lsura essent, oratores ad Cæ... m pathe ... super c ... orporibus impetrata est. Se... andauisse ... Pragam redeunt. Interea Iu... idem vlci ... volens, nuntio Mercurio iubet, ... pstaidas ... xpeditionem parare. Itaque & ... untur, ... obsidio, pugnaque ingens, ac ... oratio, ... consulit, propter difficultatem ... remouen ... am; Cæsarisque responsio, qua ... is anim ... ostenditur. Tandem coacti oppi... rbitro) se ... æsari dedunt, atque de Penznauro, ... supplicium sumptum est.

Postquam

*POstquam omnes(1) tenuere fugam(2), perfumque(3) cruentis
Cædibus, & multo maduerunt(3) sanguine campi,
Cæsar iam fessas reuocans in castra cohortes,
Captorum turbam ingentem, manibusque reuinctum
5 Vulgus, (4) Regini victor præmisit ad (4) arcem.*

(1) Scilicet *Boemi.*

(2) Hoc est, terga verterunt, celeriter abierunt. Fuga enim autore *Marcello* & *Porphyrione*, velocitatem significat. *Homerus* inducit Fugam Pauoris frigidi & Horroris sociam. *Hesiodus* ait, Gorgonas terribiles habere crines & oculos, circa quam sunt Timor & Fuga. Apud *Maronem* Hector vir fortissimus Æneæ viro forti fugam persuadere tentat his verbis, *Heu fuge, nate dea.* Notum est, *Vir fugiens denuo pugnabit.*

(3) Respersi sunt. *Madere* proprie significat ebrium esse, & consequenter titubare. Tibullus, *Non festa luce madere Est pudor, errantes & male ferre pedes.* *Madulsam habet*, priscorum inoleuit adagio in ebrium. Sic lege, vt admonuimus in paruis annotamentis. Ridicula enim est omnino lectio prior, *per sumque trecentis cadibus.*

(4) Vrbem Ratisponam.

*Dumque ea molitur, miseranda cæde Phyaltes
Elapsus media, sed grandi vulnere tardus
Ingreditur Pragam*, & moribundus voce per vrbem
Incedens, bellumque atrox, & dira recenset
10 Funera, & inuisis deserta cadauera campis.
Vt vox femineas tam tristis perculit aures,
Formosas laniare genas, & tundere pectus,
Et consternatam exanimes vlulare per vrbem
Incipiunt: hæc funesta & mortalia damnat
15 Bella hominum, fatumque vocat crudele mariti:
Hæc natos plorat, miseroque orbata parente
Conqueritur, magnisque replent singultibus auras.
Par habitus cunctis, viduæque, orbæque ruebant
Pragides(1): Herculeasque(2) gemens Melithæa per(2) vmbras
20 Dilectum Rhodomanta vocat: iam personat omnis
Lamentis regio: (3) montes ah dura per altos
Discurrebat Agles, & connubialia sacra
Terque, quaterque vocat: mæsto stridore Boopis(4)
Crudeli ferit ora manu, nec lassa quietem
25 Vsquam agit: ac qualis compellitur acta per(6) vmbram
(5) Thyas (6) Echioniam, vel cum cerealis Eleusis
Pellustrat sacras accensa lampade siluas.
Has inter Pasithea gemens (miserabile visu)
Arua rapit passu, & (7) Lunæ spelæa peragrans.
30 Quas non illa domos? quæ non magalia mæsto
Pulsauit gemitu? quo crebrescente resultat
Ister, & infandæ(8) Phœbi iuga conscia cædis.*

* Boemiæ metropolim, quam præcedenti libro ex Ptolemæo *Casurgim* appellauit.

(1) Matronæ Pragenses.

(2) Diximus ex *Tacito*, Hercyniam syluam antiquitus Herculi sacram fuisse.

(3) Et hanc restituimus lectionem, pro *montesque o dura per altos*, vt dolentis interiectio sit.

(4) Fictum nomen a bouinis oculis.

(5) *Baccha*, quasi *furens*, a græco verbo *bulis*, quod *grassor* & *furio* & *impetum facio*, vt temulentorum mos est, significat: & trahitur prima tam apud Latinos, quam apud Græcos, vt docet *Nestor* contra *Tortellium*, dicentem, eandem esse originem dictionibus *Thyas, Thyoneus,* & *Thyasus*: quum rectior sit deductio duabus posterioribus dictionibus a *θύω*, sacrifico, seu rem diuinam facio, vnde eruditiores putant *Thiasus* per *i*, non *y*, & *Thioneus* scribendum. *Maro* Didonis furorem ceu feminæ amantis & desperantis Bacchæ quoque comparauit his verbis: *Bacchatur qualis commotis excita sacris Thyas.*

(6) *Thebanam*, ab *Echione* terrigena, nota fabula *Ouidii* de Cadmo, dum Thebas conderet. Lego apud *Nigrum* Chthonium, Hyperenora, Pelorum, Vdæum & Echionem a dentium satu Spartos cognominatos: & Echiona generum Cadmi genuisse Penthea Orgiorum contemptorem.

(7) Luna *Ptolemæo* silua est contigua Hercyniæ Boemorum.

(8) Nam vbi cædes facta est, mons est, qui *Solis mons* appellatur, vnde sequitur statim, *Sacratumque nemus Phœbo.* Pugna autem non longe a Ratispona inter Hercyniam & Danubium commissa est.

Hercyniam ſu
nimium lachr
montes, Mar
que nemus Ph
clypei, galeæ
unctoſque iac
rcum, via nu
nemus, quid(1
t captæ(2)fa
i talem a nobis
contra ſic ta
tiæ Ocypeti,
Dachaniæque
& Trigles, &
Eulimenequ
Auſtriadæ
m victis, nec
ermittat, tu
agnanimi fa
olim audiui,
ceani, (6) Bru
ſſoraco molit
adem contra,
Te aiunt victos
Te iram. Breu
n eſt peragi.
unt ventos,
, atque altu

peraram
manus, P
ſque
bo, iam
me, &
per hoſtes
caſtra trahamur?
ſum.
acyntho;
o mea Dori,
que ſorores,
& Haberiue,
& Melithea,
precande(4),
emari
a reponi,
(5) Regis.
attora bellum
hortes
mpo,
aque precantes,
s acrem
rate
is turba
a colla
e cothurno.

Ausque,
repetita
loque exu
elementia(
orinos per
tinaſque co
(7) prœlia c
acem, venian
(9), & Cæſari
er ſic talia fa
verſu tum nun
ſis per eburn
ſturas ſtringen

Spibrania
Agleque,
Aus mulce

…les. *Turba* pro… n, vel populat… ſeu diſſidentia… *bella.*

…i mores referend… honeſto vocal… quens verſus i… Vt puto, ad pri… o qui capieba… admodum d… *Auguſtinus*, o… editur ducta, … ccidi, a victor… ant, a ſeruand… intum primi… qua parte d… *Cum uno*… *anus*, l. quart… *homines appell*… *nera eſſe cæp*… *ontrarium ſer*… *eſt, hi, qui de*… *s* de ſeruis lo… *omines.*

…one hic dipl… , *Inſula Ionio*… feminarum n… us vrbium Bo… s & apud De… vt noſtra ta… exempla g… aperte oſtendi… m preces con… xorabiles eſſe… ficia, votaque,

(5) Lenit… temperantia a… vel lenitas ſu… conſtituendis… mi ad lenita… autem hæc… cum crudeli… tas animi in… omnibus vir… quam clem… Hæc in q… eam felice… in regia qu… eſt laudabi… dignius pl… ta, tamqu… *vincamu*… *clementi*… mentia. Eſt enim clementia … in poteſtate vlciſcendi: … perioris aduerſus inferiorem in … pœnis: vel eſt inclinatio ani… … in pœna exigenda. Eſt … crudelitati omnino contraria: … as nihil aliud ſit, quam atroci… exigendis pœnis, nullam ex … tibus magis conuenire ſcimus … tiam, cum ſit nulla humanior. … cunque domum peruenerit, … tranquillamque præſtabit, ſed … rarior, eo mirabilior. Nihil … nihil magno & præclaro viro … abilitate atque clementia. Tan… excellens hæc virtus eſt, *vt cum* … *animi Munere, ſola Deus æquat* … *nobis*, vt ſuperius indicauimus.

(6) Brugenſes.

(7) Scilicet contra Auſtriadem.

(8) Ad ſuperiora referas.

(9) Qua de re lege *Cimbriaci* Encomiaſti… cum qua… artum, ad cuius finem in hæc verba *Maximilianus* Brugenſibus veniam precanti-bus reſpondet: *Sileo, qua plurima poſſem. In vos ferre viri, lachrymas nec deprecor iſtas, Nec gemitus ſperno, nec tam pia verba precan-tum. Fortuna inuidiam agnoſco, ne fleta: li-benter Hanc vobis veniam damus, & miſerere ſcimus vltra Quam deceat, ſi veſtra velim non verba, ſed ipſa Facta ſequi, meritaſque re-poſcere crimine pœnas. Sed vos excuſent fle-tus, ſi fraude doletis Semota, ac vere ſcelerum vos pœnitet omnes: Quod ſi per fraudes, ſi me per falſa monetis Gaudia, poſt magni præ-ſentia Cæſaris arma, Vltorem ſperate Deum: mihi…*

mihi cedere regnis, Et vita, quando volet hæc fortuna placebit. Sic breuiter fatus, manibus lenat ipse iacentes, *Ac lætis iubet esse animis, & parcere fletu.*

Iamque propinquabant Istro, tunc maxima coram
Ocypetis sic fata nurum: (1) iam fluminis alti
Venimus ad ripas, vastus ferit humida fluctus
Littora, & exesis feruent vada cautibus ima:
65 *(2)Nec quisquam apparet tereti mortalis in alno,*
Atque iter obstruitur nobis obstantibus vndis.
Quin agedum, mecum hos æstus enate sorores
Spumantesque vdis manibus propellite fluctus.
Sic (vt auo quondam accepi (3)Pallantide Cyrno)
70 *Romulidæ nauere nurus, cum (4)Porsena bello*
(5)Martia concuteret trepidantis (5)mœnia Romæ.
(6)Nam lapsa e medio rupit fera vincla Tyranni
Et (8)Tuscum virgo transnauit Clælia 7)flumen 8).

(1) Hic quæretur fortasse, quare per pontem, qui Ratisponæ lapideus est, non transierint? Puto idcirco, & artificiose a Poeta, vt, scilicet eas furentes pæne & insanas introduceret, fictum esse.

(2) Ex bono codice hunc versum restituimus, cum prius non satis exacte legeretur, *Nec quisquam rapida apparet mortalis in vnda.* Intelligit autem rates, quæ ex teretibus trabibus compinguntur, quarum vsus est frequentior in Danubio.

(3) Pallantis filio.

(4) Porsenna Rex Etruscorum, pulsis ex vrbe Regibus, ingentibus copiis Romam inuasit, Tarquinios manu reducturus. Hunc tamen quamuis & armis & fame vrgeret, occupatoque Ianiculo ipsis vrbis faucibus incubaret, sustinuit, repulit: nouissime etiam tanta admiratione perculit, vt superior vltro cum pæne victis amicitiæ fœdera feriret. autor *L. Florus.* Scribunt hanc rem latius *Liuius* lib. 2, *Plinius* de viris illustribus, *Eutropius* in primo, Diuus *Augustinus* lib. Ciuitatis Dei 2. Meminit *Maro* libro Æneidos octauo, *Silius* in decimo.

(5) Tacite alludit ad *Ancum Martium*, ad quem vsque Regem sine muris vrbs fuit. Nam ad tutelam nouæ vrbis sufficere vallum videbatur; autor *Florus* in principio. Ancus præterea Auentinum montem & Ianiculum vrbi addidit. autor *Eusebius* libro temporum. Vel *Martia mœnia* dixit, vt *Martia Roma* dicitur. *Mœnia* autem dicuntur a *maniendo.* Idem priscis *mœnire* quod *munire.*

(6) Habes historiam hanc a *Val. Maximo* cap. 2 tertii, *Plinio* de viris illustribus, *Plutarcho* de laudibus mulierum, *Marone* octauo Æneidos, copiosius a *Silio* versus finem decimi, & a *Camerte* in annotationibus Claudiani de laudibus Serenæ vxoris Stiliconis.

(7) *Plutarchus*, alii *Cœliam*, appellant, si sincera est lectio. Erat autem vna ex obsidibus Regi data. Docet *Plutarchus* cap. 4 Parallel. quot & quales fuerint obsides Porsennæ dati, & quæ fuerint conditiones pacis.

(8) *Tiberinum.* Iuuenalis, *& qua Imperii finem Tiberinum virgo natauit.* *Claudianus* loco supra citato, *Rediensque per vndas Clælia Tibrinas.* *Seruius* tradit *Tiberim* in sacris *Tiberinum* dici. Primum illi nomen *Albula* fuit, ab aquarum colore, deinde a Rege Tuscorum *Tibris* dictus, vt *Maro* innuit cum dicit, *Asperque immani corpore Tibris, A quo post Itali fluuium cognomine Tibrim Diximus, amisit verum vetus Albula nomen,* & *Ouidius* in Fastis,

Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in vndis
Reddidit, hibernis forte tumebat aquis.

Sic ait, & suras altum succincta nitentes,
75 *Prima secat fluctus, summoque in gurgite pendet.*
Pone ruunt aliæ: velut inter nubila clamans
Grus volat, atque ducis sequitur sublata laborem.
Ah nimium infelix Pytho, dum littora quærit,
Pondere fœcundæ prolis, quod gesserat aluo,
80 *Obruitur, frustraque vocat sub flumine Dinos.*
Vtque datum curuæ reliquis appellere ripæ,
Regini tendunt turriti ad mœnia cursu
Præcipiti, atque altas inuisunt Cæsaris ædes.
Mirantur cuncti, & scissis (miserabile) peplis
85 *Femineæ caussam veniendi exquirere turbæ*
Instabant: illæ Austriadem clamore vocantes,
Austriadæ sacro longa atria nomine replent.
Tunc simul Ocypeti coram data copia fandi,
Procidit ante pedes, lachrymansque hæc incipit ore;

Deum sobol
longe qui fa
etimus cœtu
quas traxit
per saxa,
feris natorum
vnquam tet
d tumulum,
xores, anim
quæ circum l
ante oculos
cineres, spem
Caroli da, n
ec fieri præd
urbæ, letha
humi, nisi cæ
rum? Scythi
is crudele ge
a bello(8) *fun*
(9)*hostilis c*

s, & clem...(3)
... excelsi ...
tua limina ...
amor(4) *...*
mille ... sensus)
corpori ... coniugis artus
... terris,
... ntque quietem,
... atur imago:
... d regna nepotis
... precamur,
ferarum.
... er agros
... habet vrnam(7).
... ue niualibus oris
... aspera cultu),
... identur,
... sepulchri(9).

tus, post ...
arum ver ...
... e(5) *alta*
indigna ...
permitte ...
s quisque ...
m(6)*nemo ...*
Thracum ...
... s, gensque
... tia busta ...
... ceditur bor...

quod in fine No...
qua tollitur alti...
num, tua maxim...
sita est in demo...
suasione tota.
entiam a perso...
um in suos pieta...
probationibus p...
it.
Nam amor & o...
um affectuum
iuersum cum di...
um eius, quod a...
uamquam non c...
apropter ex diu...
us, diuersi amo...
n *Origenes* vn...
est in Canticor...
i ex re videli...
omen. Ita e...
rete, vnus de a...
o bene vtimur...
amemus & ver...
ster in peiora c...
& sanguinem.
Plato.
nquit *Cicero*,
sanguine coniun...
& diligens tr...
er libro tertio,
tem, quam iu...
quinto, *Pietas*
Dei notio ac reli...
us verissime d...
arationis euang...
tia scribit, pie...
, sed virtutes o...
. Alicubi leg...
& commodum ...
ti, summamin...
tem. Porro q...
uperius a nobis, ...
qui exequias po...
impertiuntur, n...

pii habentur.
meruit, quod ...
Argiuis sepult...
quam breuiter ...
ita loquens in...
tens Atticus ...
cu. Fusius *P...*
(4) Iuxta ...
arbitrabantur ...
exoluta iusta n...
(5) Neque ...
(6) Quo t...
habet vrnam.
(7) Sepul... *...itur, Lucano autore, qui non*
men est vas a... *...rum, tumbam. Propriè ta-* *...uatium notum.*
(8) Mort... *...orum corpora pro regionum*
consuetudin... *...aut cremabantur, aut huma-*
bantur, vt ... *apud Plinium legimus. Prior*
tamen fuit ... *sepeliendi cadauera consuetudo,*
quam crema... *...io secuta est: quod testatur Lu-*
cretius ad ... *...nem operis sui. Ordo autem*
cremandi ... *...dauera hic obseruabatur ab eth-*
nicis, quem ... *Poeta inferius promiscue refert.*
Pyram str... *...bant, ante quam cupressi statue-*
bantur: ... *...ulla est, quod hæc arbor cæsa non*
repullula... *Hæc, si funus militari viro fie-*
bat, fulg... *...entibus decorabatur armis: dein*
aqua cali*da afferebatur, qua corpus lauaba-*
tur: postea vngebatur, tunc exorto gemitu,
eius membra puluinari reponebantur: in-
super purpurea stragula coniiciebantur. Pars
astantium capulum subibant, & auersi subii-
ciebant faces. Congerebantur mox thura,
& odoramenta, vasa plena oleo in ignem mit-
tebantur, tanquam sacrificaretur inferis.
Cum igne in cinerem cadauer redactum es-
set, flammaque quieuerat, cineres vino laua-
bantur: sacerdos ossa colligebat, & in ossua-
rium, hoc est, repositorium ossium referebat.
Idem funeris socios aqua pura purgabat ra-
musculo oleagino prompta, dicebatque, *Ili-*
cet, hoc est, *ire licet*. Itidem *vale* dicebatur
post tumuli peracta solennia.

(9)Tan-

Theseus pietatis præconium
Creontem Thebanum Regem
... eorum denegantem trucidauit:
... historiam Sidonius Apollinaris
... it: Prohibentem busta Creon-
... gidas rupit Marathonide quer-
... pinus.
... eterum superstitionem, qui
... utas a corpore animas ante
... on concedere in Elysium.
... anum certe.

(9) Tanta est hominibus insita sepulchri cura. Etiamsi *Maro* dicat, iacturam sepulchri esse facilem. *Sepulchrum* ait *Seruius*, quasi *seorsum a pulchro*. *Donatus*, quod sine re pulchra sit. Appellatione autem eius omnis sepulturæ locus continetur.

110 *Non tecum vt quondam pugnauit Iazigis ardor,*
(1)Pannonicamque acri turbauit Marte(1)Viennam,
(2)Non, inquam, monstra, aut(3) sæua de tigride nati,
Non Lapythum turba(4), & diuulsas Morychus alnos
Miratus torquere Pholum, & cratere minantem(5),
115 *Sed Boiis creti,(6)Cæsar, qui cis vada Rheni*
Hercyniæ in medio posuere cubilia siluæ.
Gens armis, atauisque potens, vnde est genus alto
Principio exortum, quod nunc gemit ægra Casurgis(7).
Atque vtinam imbelles(8) forsan fera classica Martis
120 *Fugissent pauidi præformidanda mariti.*
Sæuire vlterius defuncta in corpora tantum
Dedecet Imperium, tristes mors obruat æstus
Irarum, deturque æterna exanguibus vrna.

(1) Austriacam *Viennam*. Est enim superioris Pannoniæ metropolis clarissima, cuius laudes *Silius* non tacuit.

(2) De monstris & caussis eorum lege nostrum *Albertum* in lib. de Animalibus, & *Augustinum* lib. Ciuitatis Dei decimo sexto. Quæ præter naturam fiunt, *monstra* dicuntur. vt pedibus ingrediens anguis, aut cum quatuor alis volucris, aut cum bruti capite natus infans, vel si iecur in coquendo distabuit. A *monendo* factum nomen, vt *Ælio Striloni* placet, quasi *monestrum*, quod monstret futurum, & moneat Deorum voluntatem. Consentit *Asinius Capito, Pompeiusque*. Cur autem monstra non viuant, caussam refert *Alexander Aphrod.* in Problematis.

(3) Specie adagiali profertur.

(4) Originem horum superius prosecuti sumus.

(5) Allusum ad cadum vini præstantissimi, quod Herculi hospiti Pholus deprompsit, vt diximus.

(6) A Boiis Boiemos deriuatos dicit, vt superius quoque, & nos autorem indicauimus.

(7) Mæsta Praga.

(8) Scilicet fuissent. Laudat suos a fortitudine, & latenter captat beneuolentiam a Cæsare. Nam lætis auribus audimus, cum dicimur fortes vicisse.

Finierat, cui contra orsus sic talia Cæsar,
125 *Permotus lachrymis, Neque (ait) solamine tempus*
Hoc eget, occubuere viri, quæ gloria maior
Supremam egregiis vitam quam claudere factis?
Quos potui iuui, post belli incendia cunctis
Ad patriam remeare datum(1), miserescimus vltro.
130 *Iam vestrum, quos nunc tanta est si cura cremandi,*
Corporaque in tumulis componere adusta supremis,
Ite pium genus(2), atque animas dissoluite curis(3)
Extremo affatu(4), & lachrymis decorate sepultos.

(1) Hoc est, concessum a me. Mira fuit Cæsaris & clementia & liberalitas. Omnes enim, quicunque ex ea pugna superstites fuerunt, incolumes, elargito etiam viatico, abire permisit.

(2) Vel ad sexus naturam referri potest: vel ad officium præsens, quod magis placet. Ostendimus enim paulo ante, maxime pios eos habitos, qui mortuorum sepulturam curassent.

(3) Hoc respicit, quod dixerat supra, more priscorum, *His animas exoluere terris Errans qua circum littus*, &c.

(4) Scilicet *vale*, vt notum est, & iam declarauimus.

Dixerat. Illa oculos tollens ad sidera, ita inquit:
135 *Iuppiter omnipotens(1), Regum cui summa potestas,*
Et tu quem intueor lustrans opera omnia Phœbe,
(Namque, vt es, antiqui credebant(2) te quoque numen)
Audite hæc fantem, tanto pro munere grates
Reddite vos: neque enim exiguam de Cæsare clemens
140 *Poscit opem officium, paruoque rependier est fas.*
Dii dent magna tibi, (3)Cetiumque vehare per altum
Victor, & (4)Euganeo frænantia vincula(4) ponto

icias, votisque D
it, inde omnes re
dixi alias, Reges su

e sole loquitur, videtu
d sit numen, alius De
ortu multæ non solu
etiam, vt idem tradi
sese orientem salutan
s colebant, cui mensa
generibus refertam p
nihil inuenirent, Sol
sci arbitrabantur. L
ppellatus, hoc est, *me*
eruenisse Apolloniu
us in prologo vete
pud *Philostratum*, q
sit, ipse adhuc n
uius mensæ Poeta i
ctabimus. Sed &
e qua sumptum A
e lautissimo conuiu

Sol hesperia v
batque polum,
ubito cunctæ ex
sa est, per plan
bi sunt loca cæ
tamen eunt la
tur, & siluæ
us horrificum
(1)Phœbeas
lia ad incerti
rum (3)quære
& erisono q
rocidue spe
que ibant g
dant lachry
imunt, vuln
ique ingen
insanæ ma
Ocypetis n
æ pars m
r ipsa cu
iserand
en merit
fili mis
r infelix
nefas at
redeat,
o? o nim
atque v
ustum ex
s & am
mmæ,
n cinere
nœbi mor
rri. Et
rtum pr
Poeta, &

...eum detexer...
...tenebras de...
...ximes, vt a...
...ruunt, monte...
...virum, mise...
...rymarum, fle...
...sto languore...
...& lucos subier...
...escunt lament...
...genia flumin...
...(4)Mareotic...
...rulum quatit...
...ant(5), trunc...
...tes, tabemque...
...is, hæ per pr...
...que lauant in...
...liuentiaque...
...s: sic prima...
...debita fune...
...neæ, tu...
...sent hæ t...
...rens? quo...
...Quod cane...
...solatia m...
...ratum ne...
...? quo perfidus ille...
...ec is quoque trudat ad umbras.
...; nimiumque oblite parentis,
..., dixit: flammisque peremptum
...ialibus, ipsaque velox,
...conditem se funeris atri
...unque sub ignibus hausit,
...auit vsta supremos.

...erat, nos quoque haud relatu indigna adnotaui-
...feras mus: quibus adde id quod *Albertus* in lib.
...dere. Meteororum secundo scribit, videlicet, quod
...idem Nilus decurrit sub monte, qui vocatur *Gu-*
ris: non tamen oritur in ipso: quia, sicut
dicitur

RIADOS ... *...* Chiliadibus.
...eus post ... Viennam
...dentes ... magno longo-
quod ... patria lingua Kalenberg,
... dicitur. Fabella cuius-
... olim illic parochi, celebris, &
... nolus.
(4) ...riane, hoc est, *Veneto*, ab Euganeis
populis, ...nde Veneti habuisse originem di-
cuntur, a...tore Liuio, in principio primi ab
Vrbe con...it. Cato in Originibus scribit, Ve-
netis cun...is primam originem Phaetonteam
esse, quæ...ræcis, inquit, occasionem men-
tiendi ded...de Phaetonte & Eridano. Po-
sterius mix...a ius nobilis stirps Troiana, a qui-
bus Patauiu...m illo conditore inclitum. Idem
fere scribit...C. *Sempronius* de Italiæ diuisione.
Seruii opini...reiecta est, quam refert super
hoc versu pr...imi Æneid. *Illyricos penetrare si-*
nus. Copios...ius Sabellicus.

...*st vnda,*
...*viserat orco.*
...*dire potestas*
...*sque per altos,*
...*abile, quaque*
...*ibus auro*
...*eclamant.*
...*cruentos,*
per (1)umbras.
Nili
Coptos Osirim(3)
...tacra sistro,
...sque per artus,
...cruoremque
...cordia lapsum
...lumine, & vngues.
...a cruentant
...eperti
...nati:
...ec ille Phileuros
...lumina, quæ nunc
...vulnus hiatu
...entibus annis
...? asteritus hostis

dicitur in Cosmographia, in exordio suo Nilus de secretioribus prodit. Dixit autem *lugentia flumina*, propter sacra Osiridi ab vxore constituta, in quibus sacerdotes Isidis, vt *Lactantius* retulit, deglabrato, hoc est, raso corpore solebant pectora tundere, & lamentari, ad exemplum Isidis, quæ Osirim quæreret, a Typhone fratre & Titanis interfectum, & viginti sex partibus perfractum. Inde apud Lucanum, *Nunquam satis quæsitus Osiris.*

(3) Papinius, *Seu te roseum Titana vocari Gentis Achæmeniæ ritu, seu præstat Osirim Frugiferum, seu Persei sub rupibus antri Indignata sequi torquentem cornua Mithram.* Siquidem Osiris, vt *Diodorus* autor est, apud Ægyptios, vt & alibi retulisse me puto, Sol est existimatus, qui & Titan & Mithra. A quibus & Luna sub nomine Isidis adorata est, inuentrixque habita tritici & olei, quæ prius ferunt inculta inter alias herbas delituisse. Osiris autem aratri ferebatur inuentor, eumque in Georg. probat *Seruius* a *Marone* subindicatum hoc hemistichio, *Vncique puer monstrator aratri.* Et *Martianus* quoque idipsum videtur voluisse, quod clarius aliquanto explicauit etiam septima primi *Tibullus*. *Primus aratra manu solerti fecit Osiris, Et teneram ferro sollicitauit humum, Primus inexperta commisit semina terra, Pomaque non notis legit ab arboribus. Hic docuit teneram palis adiungere vitem, Hic viridem dura cadere falce comam,* &c. Scribit Atheniensis *Athenagoras* Christianus Philosophus, acceptum Osirim pro ipsa frumenti semente: & *Eustathius* in Dionysium poetam, refert Tauros populos ab animali quadrupede tauro cognominatos: propterea, quod ibi iunctis bobus Osiris terram arauerit. Habes igitur nunc cur poetis *Frugifer* dicitur. *Fruges* autem commune nomen est omnium, quæ terra gignit, quæque in alimoniam verti possunt, vt iuris ciuilis autor *Iulianus* interpretatur: eorum damnata sententia, qui cuncta quibus homo vescitur, ita vocari putabant. Nam carnes, aut aues, aut feras, aut denique poma fruges haud recte dici. Sed in pomis Iuliano consensus eruditorum non accedit. Nam *Plinius* indicem dedit de arboribus frugiferis. *Pomum* vero, vt obiter id referam, generale quoque nomen est omnium fructuum, qui ex arboribus esui apti proueniunt. Dictum *Varroni*, quasi *potamum*, quod in eius insitione *potu*, id est aquatione indiget.

(4) Id est, *Ægyptia*. Est enim *Mareotes* lacus, qui & *Aracotes* dicitur, prope Alexandriam, quæ in Ægypto condita est. *Coptos* ciuitas Ægypti, cuius meminit *Plinius* libro sexto, vbi totum cursum ab Ægypto in Indiam exponit: item *Solinus* in Indico itinerario. *Strabo* quoque & *Papinius* in Syluis. Apud hanc proditum est, hirundines aggerem ædificare.

(5) Hoc est, *mutilos*. *Truncus* ramus arboris aliquando dicitur: aliquando corpus amputatum a capite, vt apud *Maronem* in secundo, *iacet ingens littore truncus, Auulsumque humeris caput, & sine nomine corpus.* *Truncum* demum vocamus omne, quod est mutilum, vt in hoc loco.

Imbelles sileant Indi, nec Thracia iactet
Vxores, quæ se quondam (si credimus) vna
180 *Coniugis extremo (2) morientis in igne cremabant.*

(1) In quas partes Indiæ politia distributa fuerit, multis tradunt *Diodorus Siculus* tertio Bibliothecæ, nam non pauculi illi, qui circumferuntur, sunt omnes *Diodori* libri: quadraginta enim scripsit, vt ipse præfatus est, volumina, perpetuæ historiæ, & operi ipsi Bibliothecæ nomen esse voluit, & *Strabo* lib. quinto decimo. *Arrianus* miratur vnde didicerit Megasthenes, Indicas gentes centum ac viginti duas esse. *Plinius* & *Solinus* inter Indorum exercitia & mores referunt. Multæ vxores in eiusdem viri coeunt matrimonium: & cum maritus decesserit, apud grauissimos iudices suam quæque de meritis agunt caussam: & quæ officiosior ceteris sententia vicerit iudicantium, hoc palmæ refert præmium, vt arbitratu suo ascendat rogum coniugis, & supremis eius semetipsam det inferias: ceteræ nota viuunt. Caussam huius non tamen satis probabilem tradit *Strabo* libro iam citato. *Propertius* huius legis libro tertio meminit, *Cicero* in Tusc. Quæstionibus, *Val. Maximus* in principio secundi, *Eusebius* sexto Præparationis, & diuus *Hieronymus* primo aduersus Iouinianum. *Propertii* versus recitat *Camers* in Enarrationibus Solinianis. De Thressis autem feminis in secundo *Mela*. *Ne feminis quidem*, inquit, *segnis est animus super mortuorum virorum corpora interfici, simulque sepeliri votum eximium habent*, &c. Item *Solinus* cap. decimo quinto de eisdem sic ait, *Quæ feminæ tenaces sunt pudicitiæ, defunctorum insiliunt coniugum rogos: & quod maxime insigne ducunt castitatis, præcipites in flammas eunt.* *Herodotus* hunc morem describens, *Singuli*, inquit, *vxores habent: quorum vbi quis decessit, disceptatio magna fit inter vxores, acri amicorum circa hanc rem studio, quænam dilecta fuerit a marito præcipue. Quæ talis indicata est, & hunc honorem adepta, ea a viris ac mulieribus exornata, ad tumulum a suo propinquissimo mactatur, vnaque cum viro humatur: ceteris vxoribus id sibi pro ingenti calamitate ducentibus.* Nunc tam tepidus vxorum erga maritos amor, vt si permutatio detur, *Morte viri, cupiant animam seruare catella.*

(2) Pro *mortui*.

Parte

alia ſtridens fu
Melitaa comis,
m Rhodomanta v
t, fugere oculi, l
or, clauſaque di
dem exanimis ru
ine te video coni
ſtitædæ, thalami
e pugnandi furor
ere mihi? quid h
it fortuna meis;
in externa, miſer
am, quid bella pet
ederis Martis? (4
habes regnum, c
gerumque genus?
iſti, at ſaltem(6)
iſeram, haud tant
quid agam infelix
ar? atque vno mi
alami fax læta me
lius errantes, fur
t, & ingentes lig
ſaitque virum ſu
ta querens, mane
cat ad funus, ſu
eque ſuum molitu
Annoſam fagum, &
Et vos o tiliæ, &
montana abies fla
Triſte miniſteriu
ruit, & ſtrepitu ſi
bant erecti tumuli
labant flammæ, f
uitur, atque altos

… ata mente vagatur … & pectora tundens … ocat, quem in … lachrymaſque … cum voce … to ſermone … me … oblitæ … aut quæ … es? certe … vino(2) *… terra. … doloſque … arma, … Erneſtida tentas? … lacessis, … s præſaga malorum … una tuliſſet, … fata dolerem, … manibus atris … bor in igne? … or umbras … circum? … acervas, … peregit, … olympi … busti. … bipenni*(9) *… cupreſſum, … pinus, … ipſe … columine cæſum … remugit. … aura … ila teter … montes.*

… ? quid … xtrane … ſceptra …)prob m … rs me te … coniunx … vitamne … anda crem … quid dem … hæc litt … um extrue … , exequia … cimos? & … maque mu … opus, ſecat i … gaudentem … (11) *Berecy… us iuuiſtis, … nemus alto … arum antrum … denſæque p… nuſque ad … perit caligine*

…, repone, *repreſſit*, vt … er. Id autem quod di… fectus ſupra vires aſc… ximi accidit, vt Phyſici …

… uino, quia ſuperius quo… *ſciſſa eſt vomere tellus.* … um propria herba au… in expoſitione Maron… *mperis & tuguri conge…*

… a particula eſt, vt illud … *infandum, amiſſis vni…*

… aximiliani, ab auo *Er…* … ico. Hic *Erneſtus* ex … iſſimi Maſoluiæ Ducis … Auguſtum: qui *Max…*

… ectionem poſita ſunt. … e ponitur. Maro, *Pr…* … talis neceſſitas. Inter… … ultate domeſtica. *H…*

Parte alia exanim… … geſtæ imponit(1) … lugens pia Doris Agartem, … lua: Paſithea reuulſis

tius ad Ari… ter Ariſti, … mirum eſt … cui aliqui… itur. Pli… animi, … furto mal… ſertim ſo… *Laus forte tua vivas ſapien… em, Cui placet alterius ſua ni… ſors. Et interdum ſumma, … extrinſecus acquiritur, ſors dici… in præfatione, Obnoxii profecto … licis ingenii eſt, deprehendi in … mutuum reddere: cum præ…*

(7) … tum, docet … *ex uſura.* … rianus adie… cum annoſ… *Sit bipennis*, & vnde compoſi… *Quintilianus* libro primo. *Poli…* … que protulit in Ruſtico, *Et querſ… ferro abturbare bipenni.*

(8) Quia in multos durat annos.

(9) Inde expolitum fuit … *feralis dicta*, vt ſupra ſatis iam …

(10) Lege *Maronis* interpretes ſuper illo verſu ſecundi Georgicor. *Nec tiliæ leues.*

(11) Id eſt, Cibeleia, iuxta illud de pinu, *Poma Iunus Cybeles.* Berecynthio in Phrygia, *Berecynthia* a monte *Veſta*, & dea Phrygia, in qua ſub nomine Cybele cur dicata, refert *Ouidius*, vt alibi indicauimus. Magna colebatur. Pinus

(12) Nempe triſte ſepeliendi officium.

Abstergit Pallantha comis: tu membra Boopi
Vestigas Lydæ, crebri quam triste per auram
220 *Respondent gemitus, repetitaque murmura vocum.*
Collidunt valles. & rupe gemiscit Apollo(2),
(3)*Lunaque, & aereis reclamat ab Alpibus horror.*
Non secus Argia(4) *mæstis cum venit ab Argis*
Coniugis ad funus, (5) *cui se comes vna sepulchri*
225 *Præstitit Antigone*(5), *nec tot languoribus ægra*
(6)*Euadne conquesta virum, cum Martis iniqui*
(7)*Oedipodinios acuit violentia fratres:*

(1) Pyræ, rogo, totum pro parte.
(2) Id est, *nemus*, mons Apollinis.
(3) Silua Lunæ.
(4) Vxor *Polynicis*, cuius lamentationem super cadauere mariti multis verbis *Statius* libro Thebaidos vltimo prosequitur.
(5) Hæc dum Polynicem fratrem defunctum furtim noctu sepelire molitur, adiuuante Argia, fuit deprehensa a custodibus Creontis: qui edicto vetuerat, cadauera Græcorum sepeliri, & pœnam mortem addiderat præuaricatori, vnde ait ipse apud Statium, *aut nece facta luet.* Iussu itaque Creontis iugulatur Antigone.
(6) Vxor fuit Capanei, & Martis filia credita, hæc, vt apud eundem *Statium* legimus, se in rogum mariti proiecit. Quod & *Ouidius* testatur hoc carmine, *Accipe me Capaneu, cineres miscebimus inquit.*
(7) *Eteoclem*, & *Polynicem*: quorum bellum scripsit *Ponticus*, scripsit & *Statius*. Id gestum est tanto odio, vt semet mutuis vulneribus confoderint, & alter super alterum moribundus corruerit: quorum impias & truces animas ita execratur *Statius* in vndecimo, *Ite truces animæ, funestaque tartara letho Polluite, & cunctas erebi consumite pœnas.*

Vt pia priscorum complerunt funera ritu(1),
Collectus cinis est, & adhuc feruente fauilla
230 *Contumulatur humi: saxisque sepulchra notantur*
Inscriptis, ne forte rudi sulcaret aratro,
Aut scrobibus ductis, confunderet incola manes(2).
Iam nox sidereum fuscis inuoluerat alis
Atra diem, rursusque polo splendebat Eoo
235 *Clara dies, Titanque bona face candidus ibat*
Littore ab Oceani, cum sic Melithæa profatur;
Maxima pars acta est, requiemque, locumque priorum
Vmbris reddidimus, materque amplectitur illas,
(3)*Communisque parens*, (4)*cunctis via panditur æqua*
240 *Exitii, finisque sui, mors omnibus vna est.*
Quid querimur? sedate animos, pietatis honore
Laudandæ remeamus, ait, reddantur in vrbe
Manibus(5) *inferiæ*, (6)*& primum nigrantia auerni*
Lustratæ bissena(7) *boum mactabimus aræ,*
245 *Tunc* (7)*iuga nec sacris Orci Regina*(8) *vacabit.*
Dixerat: assensere omnes, clausisque sepulchris
Concilio abscedunt mæsto, patriamque reuisunt.

(1) Quem paulo ante recitauimus.
(2) Id est *cineres*, vnde etiam vmbris pœna inferri posset, cum carerent sepultura. Credebant enim errare, nec quietem habere. Lucanus, *vmbraque erraret Crassus inulta.* Secundum hoc & illud supra dixit, *Animasque exoluere terris Errant qua circum littus, poscuntque quietem.*
(3) *Ouidius, Lucretius* in secundo, vbi de tellure loquitur, subdit, *Et nostri genitrix hæc dicta est corporis vna.* Item, *magna parens terra est, lapides in corpore terra Ossa reor dici.* Audi & *Plinium*, cuius sententiam Poeta breuiter expressit. *Sequitur terra*, inquit, *cui vni rerum natura partium eximia propter merita cognomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, vt cælum Dei, quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper, nouissime complexa gremio, iam a reliqua natura abdicatos, tum maxime, vt mater operiens, nullo magis sacramento, quam quo nos sacros facit: etiam monimenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, & memoriam extendens contra breuitatem æui: cuius numen vltimum iam nullis imprecamur irati graue, tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini.* Porro quod *Plinius* velit his verbis, *nullo magis sacramento, quam quo nos sacros facit*, superius expositum est. Ob hæc, tum plurima alia beneficia tellurem Deam esse, pro deaque coli oportere, statuit vana gentilitas. Lege *Plinium* in secundo, *Senecam* tertio Naturalium Quæstionum, diuum *Ambrosium* ter-

Lucretium lib. supra
inter cetera iustitiæ
quod cum ad exitum
æquo sumus. autor
tius, *Lydus Dulychio*
Consule cum Mario
Brachamanæ philoso
andam esse aiunt, &
um hominum con
natiuitatem ad veram
iis, qui recte philo
eos multa exercitatio
arationem, nihilque
us accidere dicuntur
um. Hæc & plur
iæ decimo quinto. N
s Propheta, mortis fu
s, leuibus verbis, du
somnum cepi, & exsu
rtem reddere amabiliss
issimam, vt in qua, sicu
ni nobis indubitata,
& vigilia promittatu
ertissimus de expergef
tione, qui dulci som
cur? At hic dicit, se non
niuisse: ideo euigila
vtilis & necessarius
instaurationem, vt *Arti*
Artus fessos, vt somn
Ita mors vtilis, & nu
n vitam parandam. I
anctorum quidam adn
ors, quam certissima vi
deranda est his qui si
llud *Ioannis* Euangelis
sermonem meum serua
debit in æternum: Qu
nonne non sentiet? n
tique, sed videbit solu
intentus oculis fidei,

)*Interea quærens*
piter, atque alio
adium alloquitur
nate, & cælo sui
geque in Arctoam
riadæ, prohibeque
a vehat: sunt cu
is, & ipse adero,
orum auspicium,
nia deuincet, su
piter his dictis.
Flectit ad Æthiop
lsa Iouis quoniam
rseumque polum(
bifero inuisit, dil

proposito manet, vt
finis imponatur, sed
um, quod frangere Dii
vult vt puniantur. H
escribit obsidionem &
di *Kufstein*.
e parenthesi inclusit.

resurrectionem per ... *ne videat quidem* ... pessima, *idem docet*, ... *exercitata, vt* ... confu- *accepteetur, iuxta* ... Sed *simul requisi* ... *Verum* ... *dira & dura* ... & iterum, *Mors* *nempe, pauore* ... *sissima*, ... *iuxta eundem Psalmographum* ... *inferis* soluuntur. Ma- *strum* ... *Sacrificia, quæ inferis* ... *quos immolet* ... *peccatorum* ... inferis secundum gentiles plura

(5) ... in primum Somnii Scipionis. Va- *ro, Vi* ... sacrificandi ritus passim poeta- *bris.* ... etes explicant. Verum si scire *Macrob* ... sacrificio defunctorum nostrorum *rios aut* ... sequendæ sint, scito præcipuum *rum inte* ... nium gratissimum Deo, oratio- *cupis, qu* ... in proximum charitatis officia, *animæ pr* ... *Damascenus* singulari sermone *esse, & o* ... st, ab Œcolampadio, quem in- *nem, tum* ... ntur, vel Dei potius filium, *quæ beatu* ... atem, Romanis donatus anno *prosecutus* ... *pii prosequ* ... *nempe veri* ... et, cum in patria erimus. *bus.* ... d mortem, vt ita dicam, bonam pe-

(6) Scili ... m qua binis simul insistis etiam
(7) Id est ... egimus enim, inguine palmulas, *ria, nam ing* ... s *talaria* dicta, id est, binas palmulas *accipitur.* ... *rum, inguine* ... Itur: ita ego hunc deducimus, *bas, binas tu* ... *cui bini allig* ... tur.

(8) *Heca* ... *Proserpina*: quæ etiam *Iuno* appellatur. ... *Lactantius* ait, Pythagoram duo hemisph ... ia dixisse, e quibus superum Ioui, inferum ... m, atque Proserpinæ tribuit. De quo *Clau* ... etiam in principio Raptus. *Pr*- *pinius*, Iouem ... profundum Plutonem, profun- dam Cererem ... Proserpinam dixit, quam *Ma-* *ro*, infernam ... Iunonem.

Bellis impon ... *Æoliis fœder* ... *fatum, dein* ... *finem* ... *Ægyptis delabe* ... *ndum,* ... *Sedem, regn* ... *mandat;* ... *domum* ... *ennis,* ... *aliæ, super* ... *que potentia* ... *nec Cæsar p* ... *icia nondum* ... *mecum Copse* ... *Atque laborum* ... *hanc esse* ... *get vltra* ... *se Cyllenius* ... *bello* ... *sedes, geritque alis* ... *filetque* ... *regia stabat ad Austrum* ... *beatam* ... *tangentem vertice Atlanta* ... *aque regna Deorum*(4).

detur autem mihi mores Regum notare, ac magnorum Principum, qui propter varias regiones, vno in loco esse semper non pos- sunt.

(3) Per quem volauit Perseus, rediens cum capite Medusæ.

(4) Æthiopes in multarum gentium no- mina

tinria diuiduntur. Ceterum quæ hic scribit, de *Macrobiis* intelliguntur, qui sunt vltra Meroen super exortum solis, latine *longæui* dicuntur. Dimidio enim eorum potentior quam nostra vita est. Hi *Macrobii* iustitiam colunt, amant æquitatem, plurimum valent robore, præcipua decori pulchritudine, ornantur ære. Auro vincula faciunt noxiorum. Locus apud eos est *Heliotrapeza*, opiparis epulis semper refertus, quibus indiscrete omnes vescuntur. Nam & diuinitus eas augeri ferunt. Hæc ex *Solino*. Cetera multis verbis prosequitur *Herodotus* in Thalia: cuius de *Solis mensa* verba adscribam. *Solis*, inquit, *mensa talis esse memoratur. Est in suburbano pratum omnium quadrupedum assa refertum carne quam per noctem singuli ciuium magistratus properant ponere. Ad eamque vbi illuxit, cuilibet epulatum licet accedere. Hæc ipsa terra reddi assidue, indigena aiunt. Et mensa quidem, qua* Solis vocatur, *talis esse fertur.*

Nam fama est illas aliquando inuisere terras
Cælicolas, Solisque epulo discumbere magnum
265 *Sæpe Iouem, amotisque illuc descendere curis.*
Nulla etenim gens est felicior, (1)*inuida plorat*
Conculcata fames auri, (2)*fraudesque dolusque*
Nullus ibi, (3)*nulla ambitio, nec*(4) *tristis honorum*(5)
Cura, nec (6)*aurati diues fortuna* (6)*sepulchri,*
270 (7)*Nulla superstitio, Diuos tantum igne per aras*
Fragranteis, & thure colunt, (8)*spectatur vbique*
Relligiosa fides Superum, qua Iuppiter æquus
Dicitur Æthiopum castis discumbere mensis.

(1) Esset vtinam Christianorum mos hodie: esset profecto, si episcopi, non desisterent cum *Chrysostomo* aduersus pecuniarum studium clamare. Eæ namque sunt omnium malorum caussæ. Quo vitio, vt careant, maxime refert pastores, qui non modo (si auari sint) exemplo, sed & autoritate: deinde, quod extremum est malorum, verbo nocent subiectis, dum aliud nec docent, nec doceri sinunt, nisi quod quæsitum vel auget, vel seruat, Quanto quis enim maiori dignitate fungitur, tanto vita & moribus sanctioribus præditus esse debet, huius ratio euidens: quod tunc obseruantior æqui sit populus, nec ferre vetat, quum viderit ipsum autorem parere sibi, *componitur orbis Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus Humanos edicta valent, quam vita regentis. Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

(2) Quod equidem non miror. Nam vt *Ouidius* canit, de opibus scilicet, & auro & argento, *ortum Omne nefas: fugere pudor, verumque fidesque, In quorum subiere locum fraudesque, dolique, Insidiaque, & vis, & amor sceleratus habendi.* Tolle caussam, certe & effectum tulisti, caussa autem & radix auaritiæ est diffidentia, seu fœda incredulitas, quod in Domino non confidimus. Fœdissimum sane incredulitatis genus est, non tantum Deo confidere, quod corpus alere possit, & velit, qui volucres cæli pascit, fœnum agri vestit. Igitur cum DEVS præceperit præcepto primo, vt non habeatur alienus Deus, hoc est, vt in nihil aliud confidatur, ipseque solus in omni necessitate inuocetur: patet, auaritiam esse idolorum seruitutem: quæ facit, vt Dominum non inuocent, nec ei credant: credant autem & inuocent potius aurum.

(3) Immoderata bonorum & laudis cupiditas. Et *licet ipsa vitium sit ambitio, frequenter tamen caussa virtutum est*, vt ait *Quintilianus.*

(4) Ab effectu. Medici præcipiunt curas graues esse tollendas ac fugiendas, hilariterque viuendum iis, qui senium & intempestiuam canitiem arcere volunt, ac diu viuere.

(5) Dignitatis, splendoris, magistratus, vnde Consulatus & Prætura honores dicuntur, & ius honorarium, ius prætoris, & cursus honorum gradus dicitur, cum honor honori succedit.

(6) Fuere enim plurimi huius rei studiosi, & Hebræi præcipue. *Aurati* autem, pro *aurei* posuit, hoc est, pretiosi valde, quo vocabulo & *Catullus* vsus est.

(7) Nomen commune, vanumque significat & damnatum religionis excessum, in multaque scinditur: qua de re pluribus *Picus* Iunior in quarto de rerum prænotione. Breuiter nos, sicut decet Christianos, oportet hoc scire, quod sine fidei pietate omnia sunt superstitiosa & damnabilia, adeo, vt nec Christus, nec Deus ipse vlli sit salutaris, nisi per fidem habeatur.

(8) Verissime hoc dicit, si ad nostram retuleris legem, nempe Euangelicam, siquidem fides nostra Deum cogit. Vnde non muto lectionem, etiamsi in emendatiore codice scriptum viderim, *dicitur* pro *cogitur*. Non nego tamen, ad Poetæ sensum satis apertum, melius *dicitur*, legi. Carminum scriptores in religioso, numeris obsecuti liquidam geminant, vt in *relliquiis*. Maro, *Troas Relliquias Danaum*, & alibi, *perque domos & relligiosa Deorum Templa*. Ceterum autore *Nigidio*, qui apud veteres nimis religioni & superstitioni sese alligabat, *religiosus* dicebatur. A nostris in bonam partem nunc *religiosus* sumitur, vtpote qui apprime vacet religioni: de qua & eius origine multa in libris de rerum prænotione disseruit *Picus*. Sed breuissimo compendio, religio, id est Dei cultus aliud nihil est, quam gloria Dei, iuxta illud Rom. 1, *Mutauerunt gloriam incorrupti-*

...m imaginis hominis.
...iud est, quam ei cre-
...um diligere. Quia
...um ducit, ac per hoc
...ui sperat in eum, po-
... bonum arbitratur,
... saluari : ac per hoc
...it : sapientiam, qua
... velit iuuare, tribuit.
...um esse, vere Deum
...mor sequitur in eum,
...s in tali Deo, ac pre-
...n de eo concipiens
... mendacem facit : qui
...entem, vel nescientem

vel nolentem facit ... necesse est ... inde translatu... humanum ... quid) fidit vel ... vires suas, vel ... tam opinionem ... prædicatam ... Deo) senserit ... huc fertur. ... omnia quæ ad gloriam Dei pertinent, ad ... ignominiam versa sunt, & tributa ei cui non debent ... Hæc quia e triuio non sunt, ad- scribere ... buit.

...fatus a Maia (1) ...
...t ad fines Libycos, ...
...tum, Memphinq...
...us adit magni, & ...
...nora, sublimes ali...
...uolat, & Pontum ...
...esperios petiit fines ...
...nis Ausonii (4), quæ ...
...cit (5) Oenotramque ...
...tasque vrbes, ...
...uit, traxitque al... ...
... Amerinæ (6) va...
...e Tridenti culta ...
...iues & emporium ...
...Brixina, quique ...
... Mænalioque alti l...
...Quorum visceribus ...
...ilis increscit vari...
...domus æterni stre...
...ntum coquitur, f...

... nius oris. ... perrat ... deinde ostia Nili ... noste Canopum, ... auras ... Rhodonque relinquens ... ma regna ... thera velius, ... resque genusque, ... tinas, ... lge. ... Lyeit (7), ... alinguis (8), ... udabilia Alpes ... lamina potant, ... montes, ... 3 erutaab atris ... ris. ... s ingens ... ribus era.

...cribitur Mercurii ab ... vsque.
...s dixit, propter stella... dicitur : eaque Ægy... ...ntur, vt testatur *Plini*... ...atem Phari insulæ, ... Nili erat : vnde nauig... in turri lumine osten... ...ui tradunt, *Canopus* fic... *Canopo* insula : quod ...tum fuerit. Sunt quo... *Canobum* scribant.
... , sunt enim, vt dixi... e quibus *Seruius* in ...

...*usoniam* Italiam appell... ...alypsus filius, vt *Pom*...

...cta est *OEnotria*. V... ... ab ... quod optimum in I... ...alia ... *Varro* dicit, ab *OE*... ...otro ... Lege *Seruium* prim... ... *Æ*- ...*oluere viri*. De Itali... ...di- ... habetur duodecimum ... ...ca- ...atonis. Italiæ term... ...mos ...*ppianus* in principio o... ...is ... primo tertii, & sexta ...u- ... opiose *Strabo* lib. quint... &

sexto, *Plini*... decimo, *Ca*... *pella* lib. se... *Camers*, ... Latinorum ... externi ... *Ouidius* ... *Halicarn*... narum. ... liæ temp...

... lib. tertio, *Maro*, septimo & primo Commentariorum, Ca- ... sparsim. Nemo, vt testatur ... nemo tam Græcorum, quam ... iam intactam reliquit. Qui Italiam incoluerint, refert Fastorum lib. Plura Dionysius primo antiquitatum Roma-... dit autem Poeta ad strages Ita- ...liorum.

(6) ... scribere ... ab ... suorum.

(7) ... oppido *Amerano* : vnde malim in Germ... *eranea*. ... est.

(8) Quia ... *enim* oppidum significat, vnde ... maxima vinorum vectura licam scilicet, ...

(9) Quia vtramque linguam callent, Ita- ... & Germanicam.

(10) Bolzanum intelligit, nos *Botzen*.

(11) Ligurinus *Bryxnoram* scribit. ... *Mercurii*, a *Mænalo* monte Arca-dix.

(12) Ænanam vallem significat, *das Innthal*, vbi ingens omnium generum metallorum vis eruitur.

(13) Quo pacto, & quibus autoribus me-talla reperta sunt, enucleat *Lucretius* libro quinto, paulo ante finem, ibi, *Quod superest* ...

æs, atque aurum, ferrumque repertum est. Autore *Plinio*, omnis solertia in metallicis, est perniciosum flatum euitare. Siquidem paruo temporis ambitu perire constat eos, si ventum a metallis egredientem hauriunt, quod *Lucretius* quoque indicat his versibus, *Denique vbi argenti venas aurique sequuntur Terrai penitus scrutantes abdita ferro Quales expiret scaptensula subter odores? Quidue mali sit, vt exhalent aurata metalla? Quas hominum reddunt facies, qualeisque colores? Nonne vides, audisue perire in tempore paruo?*

Dumque in diuersas flectit sua lumina terras
295 *Aliger, occiduo fuscis nox atra tenebris*
Surgit ab Oceano, curasque animantibus ægris
Arcebat nocturna quies, cum ventus, & aer,
Et mare fluctiuagum, filuæque, feræque silebant.
Nec mora, mobilibus pandens talaria plantis
300 *Labitur, atque Æni tortis Deus appulit vndis.*
Hic vrbs exigua est(1), *quæ valle recumbit*(2) *in ima,*
Innumerosque regit populos(3), *Tyrolumque gubernat:*
Iuxta alba fluit Ænus aqua, qui ex Alpibus altis
((4) *Cum veris tempus,*(5) *genitalisque aura* (5) *Fauoni*
305 *Aereasque niues, montanaque frigora soluunt*)
Flumine prociduo, vastum defertur in Istrum;
Hæc olim (vt memorant) (6) *Duce formidata potenti*
Sceptra (6) *Sigismundo, donec labentibus annis*
Austriadum accessit pars hæc, atque addita regno est.
310 *Ergo pererratis Tyroli Cyllenius oris*
Candida ad (7) *Ænoos flexit talaria pontes,*
Perque altam noctem volitans, vmbrasque silentes,
Cæsaris ingreditur sublata palatia cælo.
Atque his (exacti meditantem prœlia Martis)
315 *Inuadit dictis, magno Ioue missus olympo*
Hæc mandata fero: (8) *prohibet victricia nondum*
Signa vehas, sunt curæ aliæ, superestque laborum
Meta, aderit Diuumgenitor, transferue nec vltra
Hoc Iouis auspicium: tecum Copstenia bello
320 *Mœnia deuincet. Sic talia fatus, ad vmbras*
Peruolat Arcadiæ, sacrique æstiua Lycæi.
At Cæsar mandata Iouis: bellumque volutans
Indictum Superis, sontemque euertere gentem
Decretum (neque enim totos sopor hauserat artus(9),
325 *Quippe Dei vultus,*(10) *& verba sonantia norat*)
Corripit e strato corpus: namque axe micarat
Aurea lux, Phœbique iubar detexerat orbem:
Concilium vocat heroum, remque ordine pandit.

(1) Scilicet, *Pontis Æni*, teutonice, *Inspruck.*

(2) Iacet.

(3) Hoc dicit, vel propter regiam, quæ in ea est Principis Tyrolensis, vel propter supremam, quæ illic redditur, iustitiæ administrationem pluribus populis, qui subsunt Principi Tyrolensi: cuius reditus opulentum quoduis regnum æquare possunt, vnde, vt in *Staurostichi* enarrationibus dictauimus, ipsum oppidum vel ob hoc principale, vt aiunt, parlamentum famosum est in Germania.

(4) Sole primam partem Arietis ingrediente Ver incipit. *Pollux* ait, *Veris initium est spirante Zephyro*, vnde apud *Claudianum*, Enna, parens Florum, compellans Zephyrum, ait, *Pater o gratissime Veris, Qui mea lasciuo regnas per prata meatu, Semper & assiduus irroras flatibus annum.* Fingitur autem propterea in conuallibus sedere, quoniam flores & herbæ, vt canit *Hesiodus*, eius aura producit, vberiusque illic proueniunt. Hesiodium carmen ita *Catullus* interpretatus est, *Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni.*

(5) De *Fauonio* abunde *Plinius* libro decimo sexto, eum *genitalem mundi spiritum* vocans. Siquidem eo spirante, non solum plantis & satis, sed cunctis animantibus, ac ipsis etiam hominibus Veneris titillatio maior est. Hinc Alcmæon Cupidinem Chloridos & Zephyri filium dixit.

(6) Qui sine liberis decedens, *Maximiliano* opulentam reliquit ditionem: cuius populi prius etiam *Maximiliano* fidem iurarunt, quam *Sigismundus* ipse vita defungeretur: liberalissimus omnium sua ætate Principum, rem publicam priuatæ semper anteposuit, peperit sibi nomen apud posteros immortale Alpium aditu patefacto. Sed & aliis virtutibus claruit, prudentia, iustitia,

 fortitu-

Agricola sic de ipso
iderat ista Sigismun-
Inclita cui rerum est
uo melior terris, quo
s, & in duris tam ra-

us, Ænous, vt ab *Ino*,

io.
nerat a sensu : quod
ertim nimio. Intel

velut incertæ
s quo tendat iter
& in dubio ment
roes erant : pars
ant animos, for
bellorum : parti
ntanda fides, &
ndumque viris,
grauidæ ad partes
na etenim Helsati
Martis furor, & b
que & excitæ
vrbem seruasse
unam belli, pacem
am Austriadæ,
eichis, *dedique al*
augenda interuenie
ellum præteritum &
ce futura sit reponer
l illum, qui sequester
os, qui illud de quo c
pud illum deposueru
re dies, & pace sequest
siluas Teucri. Dici
inquit *Modestinus* Iu

mpus erat, quo
mouent in amor
viret omnis ager
ca rura comis (1),
nfandos questus,
sexcenti equites
ora, Byspeichis *i*
is, & occulto
dolo instructus,
tis Austriadæ,
lata libertas adit
us Hiphyanides,
rocunt, populant
ibus : ii trepidat
pugnam, nescitque
natus miles, nun
nc hostis : crescit
verior mihi videtur,
vernantia cingunt N
andum durum syllab

s, quæ versa est in P
Ouidium in Transforn
Sapphus : quod &
& *Probus* Grammatic

---

lexit hoc Alexander ... stratus, ænea concha ... extra cubile ... team : vt ... laxasset, ... vocem Deo- peret. Idem ... manorum Princeps ... simul clamanti-
(10) Vel quia ... dicitur : vel quia ... rum voce centum hominum ... um vastiorem esse.

per dispendia silua ... *viator* ... *trahitque.*
non ... *Deorum* ... *putabant*
versa ... *urbis*
manda ... *sequestra,*
& hec ... *erat ausu*
toribus ... *videtur.*
pace aug ... *prœlia Cæsar,*
orum de ... *erat æstus,*
plebes igna ... *gentes,*
gereret d ... *que secutam*
increbre
in fune
um, neutra
seruasse, fid ... *obruit vrbem*
onec dolus (2 ... *ratem.*
vi compul
consultus, q ... *occurrenti & quasi sequenti* ...
eos, qui cont

(2) Scilic ...
virtus quis in ... *Apud* ...
sultos est do ... *& bonis & malis. Vide* ...
placet, quæ ... *super hoc versu* ...
nici Hennon ... *Ne forte sensu quid dolo fab-*
traxerim.

rasteri per ...
pares, & con ... *cantauit*
(1) *cum se ve* ... *vibrant,*
nouat cum ... *cantibus ornant*
Itym nem ... *sulias ales* (2)
duro fidissi ...
u, per opac ... *mne reflectit.*
cis se litta ... *bello*
estem simul ... *runtur*
aucisque eq ... *condunt.*
s, strepit ... *& arma*
patefactisque ... *tur ad vrbem.*
ue domos, ... *canoro*
Plebesque ... *agmina portis*
dolos, quisque ... *minantur*
Cæsaris arma ... *ingruat inermis*
mor undique, ... *videntur,* ... *vrbi*
... *undique clamor.*

Bucol. *Varro* enim & nostri omnes aiunt, Philomelam versam esse in lusciniam, & Prognem, matrem Itys, in hirundinem.

(3) Scilicet, quod virum *Tereum* non potius interfecerit, quam *Itym* filium. Eundem *Itylum* appellat Catullus, *Qualia sub densis ramorum concinit vmbris Daulias absumpti fata gemens Ityli.*

Non

Non secus in Libya Getulæ armenta leænæ
Cum nocte inuadunt tetra, septisque refractis
Incumbunt prædæ, timidum pecus horret, & anceps
365 *An manus hostilis circum stabula alta pererret,*
An pastor, trepidatque intus, nescitque tueri
Se quoquam: at postquam fuluæ fremuere leænæ
Erumpit caulam, campoque immugit aperto
Turba boum, & vacuam linquit victricibus aulam.
370 *Sic Copstenigenas, nunc huc, nunc distrahit illuc*
Infandus timor, atque anceps fortuna malorum.
Vt patuere doli, factique apparuit autor,
Mutatique habitus, nullis mens pergere contra
(Nam signum excelsa dederat iam proditor arce
375 (1)Penznauros) *victosque lares, vrbemque relinquunt.*
Vt cum (2)*Sicanio flammæ iaculantur ab antro,*
Fulmina vicini fugiunt Ætnæa coloni.
Tandem Byspeiches *tota iam victor in vrbe*
Bis centum pedites, quos misit Gallia gesos(3)
380 *Præsidio iubet esse loci, & defendere muros.*
Displicuit dolus ipse Ioui, iurataque gentis
Fœdera nequicquam seruari exarserat ira
Ingenti, Regemque alto stimularat ad arma.

(1) Qui inferius capite pœnam luit.

(2) De incendiis montis Ætnæ scripsere *Lucretius, Maro, Ouidius,* & *Cornelius Seuerus,* autor est *Seneca*, cuius petas epistolam septuagesimam nonam. Veritatem ipsam duobus versibus explicat *Claudianus* primo de raptu Proserpinæ libro, *Seu mare sulfurei ductum per viscera montis Oppressis ignescit aquis, & pondera libras.* Plura quoque *Strabo* de Ætna scripsit.

(3) Diximus *gesa* genus teli Gallicum esse. *Cæsar* in commentariis autor est, *gesos* a Gallis viros strenuos in re militari appellatos.

385 *Interea ambigui Heroes sermonibus orsa*
Prolatant variis, nec re firmantur in vna:
Pars pacem, pars bella volunt: vt perculit vndas
Carpathii nigra aura maris, nunc flumen in Austrum,
Nunc Boream versus, Zephyriue impellit ad oras.
390 *Stat medio ratis acta freto, latere ardua Pontum*
Instabilem, & rostro spumantes reiicit vndas.
Sic diuersi animi, Cæsar tamen omnia voluens
Parendum est (inquit) Superis, Ioue præside belli
Optemus finem, consummatosque labores
395 *Marte sub extremo, & magnis numeremus in actis.*
Ergo agite heroes, Diis hæc poscentibus arma
Maturemus, ait. Sic fatus, Alastora(1) *misit,*
Deligat vt Marti populos, gentesque pererret.
Nec mora, cum primum tanti primordia belli
400 *Intellecta, ruunt iuuenesque, patresque vicissim,*
Armanturque vrbes, primusque Choraulus Atrides
(2)*Mœnibus eduxit resplendens agmen*(2)*Halæis,*
Hinc pedites centum fudit præclara metallo
Sbotia(3), *& antricolas descripsit in arma maniplos,*
405 *Suspendens altos calidis fornacibus ignes,*
Liquit & inuersum(4) *tunc Chyzipelos aratrum,*
Teutonicas patrio gestans de more Cateias.
Inde ruit (5)*Rhotoburga cohors, & pascua læta*
Incola deseruit, (6)*vitesque Amerinus Iacchi,*
410 *Nec mercatura pinguis* (7)*bis diuite Bolzan*
Defuit: armasti lectam quoque Brixina pubem,
Quæque olim fuerant coniunctæ fœdere gentes
Pilatæ aduentant, signa extollente Sueuo.
Sed prima ante alios (8)*Ænois agmina ripis*

Efful-

…nt, cupiuntque … acies spectare micantes
…e perstrepere, & … Martis tremere …
… & belli motus a… …x alta Naunisi…
… (10) Goriciæ su… …mpserunt arma …
…nemorem (11) La… …acique duces …
…iacique genus, sa… …oque horrentia Martis
…a (14) Phrisiaci, … Tergestinosque …
…ent Pucino qui p… …da liquentia Bacchi?

…, vt pleraque alia: cur… illinc mouit Cæsar cum nauibus, cum
…re, vel parum consul… terrestri itinere ad oppugnationem Kreff-
…rre. …niam …, quam superio…
…stein.

…atz intelligit, cuius P…
…ce sic meminit, vas…
…antro Effossum vari…
…es. Vide, si vacat, qu…
…tauimus.
…e, quia paulo ante su…
…ro Ducis Georgii fuera…
…gua hoc oppidum Kü…
… oppidum designat, vu…
…llat, est ad ripam Æni…
…Georgio seruierat.
…s, quæ in tutela Bacchi…
…anno celebratur illic …
…sprugk intelligit: quo…

(9) Vrbs dicta Portusnaonis, quam superio… Veneti occuparunt.

(10) … Comitatum Goriciensem Syluius Carinthiæ adiungit: ego in Carnis puto esse. Hic memoria defuncto Leonardo fine liberis … ultimo Goriciæ Comite, ad Austriacam domum deuenit.

(11) … Carnorum metropolis, Episcopali sede donata, procurante Friderico III sub Paulo II.

(12) … inter vrbes Græciam primum obtinet locum, & Principis sedem, nos Gretz appellamus.

(13) Id est, populum Foroiuliensium. Nam plura loca in Foro Iulii Principes Austriaci possident.

(14) Oppidum Carinthiæ Phrisacum.

…um properant po… …di, milesque
…ruit, interea (1) m… …lis turbo per…
…ebitur: gemit Æ… …um sub pond…
…ratumque caput … …euio vix erig…
… teli quodcunque … …e flamen,
…mæique enses, & … …enus, micat … …ā doma
…or, in ingentes a… …lexilis algida … …ærea cassis,
…ulnus: (3) quales … …us, (2) prone…
…ipimus, densumq… …ugnantem P… …sagittæ
…Macedum tela exp… (4) Scythas o… …fida ferre
…letus bello, ceu … …omunt, bifid… …ubere celum.
…Tanaim inuadit, … …uida vibra… …que secures,
…quoque mortifer… …ictoque agi…
…lia, plumbatæque … properas … …mina Ponto.
…ditor extollit, nec … …graues, bal… …as aspera glandes
…nmarum exarmat … …æua falari… …aque arma
… vecta, atque (6) … …globis, & … …vastis
… Onager lapidis … …fare tetro
… …calator hiulci.

…t puto, Bombardas.
…ctantur.
…o est, quales sagittas … lignea dicuntur, vnde & Falarica, telum
…igimus ferre pugna… quod e falis, id est turribus iaciebant. Maro,
…us Scythas obnubere … sed magno stridens contorta falarica venit, &
…imus. … per f, latinum scribendum est.
…n sagittis. Corrupte …
…batur, Crebrisque Sc…
…on vecta. Fala…

(6) Machina bellica est, qua plurimi aliquando lapides in sublime proiecti, intra vrbes maxima ruina domorum recidunt, vt docent Vitruuius & Vegetius. Est & Onager siluestris asinus.

…Et iam fama vola… …trepidas exterritat vrbes
…striadum aduentu… & (1) ventura signa ruinæ.
…n statuas sudasse … …runt, & sanguine multo
Defluxisse Ænum, … & celsam volitasse per arcem

Lampada, sublimi lambentem vertice molem.
445 *Præterea ex adytis vox exaudita profundis*
Nuntia fatorum, qua plebes dissona(3) vulgi
Territa: sed Galli pedites spem Marte fouebant,
Et situs impatiens pugnæ. nam celsa per auras
Erigitur condens caput intra nubila moles
450 *Difficilis natura loci, spesque ardua bello*
Posse capi, fluuius radit confinia montis,
Spumantesque imo propulsat vertice cautes.

(1) Prodigia futuræ arcis ruinæ.

(2) Sic hic in meliori exemplari legitur versus, quanquam non video, cur prior lectio mutari debeat.

(3) Discors.

At Cæsar lectam trans Ænon pergere pubem
Imperat, & curuo moliri in littore vallum.
455 *Vt longe micuere acies, ærisque refracti*
Auditi sonitus, pulsataque tympana circum,
Curritur huc illuc, pauidæque e mœnibus altis
Prospectant matres, & passis crinibus astant,
Auxilioque vocare Deos, vlulare per vrbem
460 *Excussisque manu radiis tremere innuba virgo.*
At qui fortunam mauult tentare ruentem,
(1)*Conscius infandæ fraudis, timor omnis abesto*
Exclamat, flammas ne Iouem, tonitrusve cientem
Creditis in nostros conuertere fulmina muros?
465 *Aut formidatos pauido Titanas olympo?*
Cæsar adest muris, quis tanti nominis horror
Inuasit mentes? aderit quoque & acer in armis
Byspeiches, *vastaque ruet violentior ira.*
Sic animos acuit dictis, plebemque labantem
470 *Ad pugnam*(2)*irritat. tunc omnes mœnia complent*
Innumeris lapidum cumulis, scabrosque molares
Circum aptant: hi pila nouant, Macedumque sarissas
More parant: hi pro galea capita alta leonum,
Villososque gerunt truculentis faucibus vrsos:
475 *Fraxineam hic hastam longis amentat habenis:*
Hic(3)*Erycis*(4)*cæstus Paphii,*(5)*tripilosque rudentes*
(6)*Clamat Io, extollens: dum sese ad bella volentes*
Exarmant ciues, Cæsar trans flumina vectus
Ænoa, vndisono florentes littore turmas
480 *Disponit, lustratque vrbem, quantumque recedant*
Interualla loci, num sæui machina belli
Acta queat populare domos, ruere alta superbæ
Fundamenta arcis, populoque inferre ruinam.

(1) Scilicet, iuratæ fidei violatæ. Quanta fuerit iurisiurandi religio apud Ethnicos, vel iurisprudentiæ autores docent: ne *Plauti*, ceterorumque poetarum dicta afferam.

(2) Incendit, inflammat.

(3) *Diodorus Siculus* autor est, *Butem* Regem Siciliæ fuisse, & ex Venere *Erycem* sustulisse, qui ob genus maternum in maxima gloria habitus est. Vrbemque in alio loco a se nominatam condidit, atque in arce templum matri posuit: cuius famam non vt alia pleraque vetustas minuit, sed indies auxit, vnde & Æneas in Italiam veniens vehementer honorauit. Idem fecerunt Carthaginenses magna parte insulæ potiti. Multo autem magis Romani, nam decem & septem ex fidelissimis vrbibus huic templo aurum pendere iusserunt, & milites qui id custodirent, posuerunt. *Landinus* Maronis interpres genus *Erycis* sic refert; Neptunus Amycum genuit ex muliere nympha. Hic a Polluce arte pugili superatus, cæsusque est, relicto filio, qui *Butes* vocatus est. Fuit autem Rex Bebriciæ, quæ post Bithyniam est. *Butes* autem post mortem patris ab Argonautis domo pulsus, Drepanum in Siciliam venit. Vbi a Lycaste nobili meretrice, quia formosus corpore esset, adamatus, ex ea *Erycem* genuit. Verum cum Lycaste propter pulchritudinem *Venus* appellaretur, *Veneris* filium *Erycem* dixerunt. Hic & diuitiis matris & viribus patris insolentior factus, ab Hercule ex Hispania redeunte occisus, & in monte propin-

...dicitur, sepultus est. ...vltimo, *Fama est Æ-... ...mpis His sudasse Ery-... ...cule magno Sicaninus ... littus.*

...oc Maronis versu ad ... *Seu crudo fidit pugnam ...* ...*bongatur*, ait, *castus*, ...significat, & pluralem ...quarta forma. *Cestus* ...ongo, tantum singu-... ...ficat cingulum Vene-...

ris efficacem ad ... amorium, quo illa ... ...lare. Vnde prouerbium ... *habere Veneris*, ... amorem ... enim ... *cas. Cestus autem* ... ...bantur.

(5) *A triumphantium ...* ferrea, vel plumbea ... & triumphanti. Funes bicubitalis vox est, ...

(6) *Exultantis ...*

...per cuncta oculos ... ...aret pars vna vrb... ...e defensa situ. na... ...ur, dirimuntque ... ...ustriades, cum l... ...adit, linquitque ... ...let omnis ager, n... ...t. Interea roseis ... ...it os sacrum, atq... ...ditur tunc Cæsar o... & pauidi trem... ...a, Corytique lac... ...rtur properasse ... ...isa est, tantoque ... vt longe turbo p... ...rat fracta collis... ...diusque boat, qua... ...um pulsantur (3) ...

...servat, ...negle... ...flumin... ...de con... ...m Nere... ...olum sub... ...emtorm... ...rore qua... ...bumente... ...s: gemit o... ...c sub infin... ...metuenda ... ...ro, saxosa ... ...pulsu exsib... ...nane volut... ...onitrua nub... ...cum fremit ... ...rupinæ litto...

...custode relicta ...que, tantum ...vasto ... terræ: ...pronus ...tibus astris, ...a sub altam ...is ... dispulit vmbras. ...nis ab imo ... Manes ...ue Ditis ...abere ...Lat ter, ...vnda Maleæ(2), ...a Ponti.

...criptio.

...torium Laconiæ a *M...* ...ctum: quod per quin... ...mari protenditur, a... ...neidos. Locus nau... ...vt admonet prouerb... *Malæam legens*, q... *Maro* libr. iam dict... ...r ad parœmiam all... *...sequacibus vndis.* Ite... ...dos lib. *Et rauca ci...* Idem in Tiburti... *...alea credenda ras...*

Significat & ... ...riculosam cir... sic Vlyssem ... *Erasmo*; *For...* *...vas, Sed ...* *que fluctusque* ... *...nere Cytheris.* ...dia commun...

...omero lib. Odysseæ nono, pe... Malæam nauigationem fuisse, ...euntem inducens, interprete ... patria rediisse ... Malæam ... Et ... Malæam autem dicimus ...

(3) Id est ... quibus mul... doctissime ... ligentius ...

...Siculi in quo Syrtes sunt, de ...rabo lib. vltimo, & Lucanus ... De Siculo vero freto nemo di... scripsit.

...ctis metuenda ... ...pulat, totaqu... ...s rerum, mol... ...um, & fundo m... ...mor, cædesque ... : hi rupta cau... ...petere antra ... ...i lamenta greg... ...tur, siluæque ... ...men afflictis ... ...at(2), qui mor... ...tra perstant, ...nt: sed cum... ...elut Oceano fl... ...unt extra, ...umque domos, ...rum genus, &

...domos, tecta ... ...furit viole... ...s concussa fa... ...tus lapis int... ...urum, iam ... ...loca peruia ... ...tollun... ...singultibus ... omnes languore ... ...bus, tantaque resultant. ...volunt extendere famam, ...estoque obiice(3) muros ...solo vis fulminis æquat. ...res crescente per agros ...izantque mapalia, villas, ...git alta ad culmina velox ...celeres præuertitur vndas;

...parentum ... vrbe, ...fecit ... ...rit imo. ...saxis vbique ...xis, ... ad astra ...aer...

Passim

Passim stant armenta boum, grexque omnis aquarum
520 *Depressus sub mole iacet: complexa maritum,*
(Aggeribus circum(5) clamantia littora fractis)
Mergitur exanimis spumantibus vxor in vndis.
Talis erat fortuna vrbis, talique minatur
Excidio Cæsar: sed dum vndique mœnia frangit
525 *Fulminis in morem tempestas acta ruentis,*
Gallorum extemplo celsa decurrit ab arce
Auxilio pilata manus, trepidamque per vrbem
Cursitat, & dubios trahit in certamina ciues,
Disiectosque nouant muros, iuxtaque profundas
530 *Educunt fossas, & propugnacula firmant.*

(1) Antique, nam *populo*, & *populor* dicebant antiqui. Maro, *populantque ingentis farris aceruos*, item, *& littora nostra Vi populat*, nunc tantum *populor* dicimus, autore *Seruio* in duodecimum Æneidos.

(2) Desunt.

(3) Id est, aggerata terra.

(4) Alludit ad maris inundationem, quæ hactenus durat in Belgis, de qua superius dictum est.

(5) Propter mare dixit: quod animal esse crediderunt, vt inquit *Pomponius*.

Talibus interea inuadens (1)Atralbius *heros*
(Inuidiæ fuerit stimulis ne agitatus, an vnquam
Haud iri euersum Superis concessa putarit
Mœnia, & incassum consumi tempora Marte)
535 *Austriadem alloquitur, coramque hæc incipit ore;*
(2)Haurite hanc animam Superi, vel fontibus vmbris
Mergite, nec renuo(3), nostros post funera manes
Frigida vel pascant deserto viscera campo
Obscœnæ volucres, animæque infestus oberret
540 *Spiritus, & nulla condatur corpus in vrna,*
Verus amor si me, & veteris memor inclite Cæsar
Obsequii, seruata fides non suadet & vrget(4),
Te coram hæc,(5)rumpens matura(6)silentia(7), fari.
(8)Bella paras olim nullos paritura triumphos,
545 *Nam quid moliris? num diruta mœnia credis*
Posse per has vndas, & late vortice vasto
Despumantem Ænum missis populare cateruis?
Esto, his nunc victor superes legionibus vrbem,
Atque animos iterum, iurataque fœdera firmes,
550 *Nun generi credes infido? protinus vt tu*
A cupida rerum turmas eduxeris vrbe,
Sacratum rumpent fœdus, dextrasque resoluent
Dum fortuna anceps, dum celsa inuicta manebit
Arx elata iugo, tolletque in nubila culmen.
555 *Aspice, qui montes, quæ saxa minantia cingunt*
Molem, indignantem vinci. Proh mœnia, quantum
Excidii, & cædis bello paritura minantur
Militibus nostris; at aperta lacessere bella
Vtilius. nam cum victor (quod numina faxint)
560 *Noricon inuises populosque, vrbesque furentes*
Frænabis; monstrum hoc, nulla superabile pugna,
Paulatim ex animo pulsa feritate quiescet.
Hinc fama, hinc decus est, non contra tendere montes,
Saxaque, & in scopulos moliri prœlia, campo
565 *Laus erit expugnare hostem, fremat æquore aperto*
Puluerulenta acies, densisque vmbonibus alæ
Concurrant trepidæ, & Mauortius horror anhelet.
Primus ego ante alios (quid enim promittere possum
Amplius?) extremam fundam cum sanguine vitam,
570 *Aut hominem inuisum, & sceleris caput omnis iniquum*

m per aperta …
: aut noſtra c …
nque nefas ſol …
, procerum …
ius libri ſcribitu …
n fuiſſe a Comi …
bium pro illius n …
ato : & fortaſſe, …
ius inſignia reſpexi

…rperbato. Haurit …
nimam, ſi verus am …
s obſequii rumpe …
uadet me fari hæc c …

…em legenda ſunt.
n modo ſuadet, ſed

…æ cogit, quæ diu ſi …
Fides dicitur ex …
, vt ait *Cicero* libro
ignificat etiam opem
Donatus. Maro, *Ty* …
Cæſar libro ſecundo
tione, &c. vt vulgus
rpauit. *Cæſar* hon …
orum cauſſa ſeſe eo …
conſeruaturum di …
aſſecurantia, vt vul …
pit; *Eumque ſeruis* …
eribus acceptis timent …
m confirmaſti, & Thc …
re inſiſti. Inde illa
numque fidem implor …
ſolent ii, quibus ali …
ua vis infertur. *In* …
d eſt, quod *feudum* …
Eſt in iure ciuili lo …
alicuius ſequi, pro
quem, cum quo rem
eſſe nobis velimus.
ua eſſe iubere, id eſt, ſp …
e, & appromiſſorem …
cipere. Inde etiam
s ſumere, id eſt, non
e. Exempla petas a …
tatione l. vltimæ ff.
labefactatam fidem ap …
rditum perditum dici …
ſuam, eſt ſeruare illæ …

… *rabam, vinctamque* … *adet in certamine* … *act. Nec plura* … *agnorum* … *Et ſidem ſuam* … negotia- … promiſſum dicunt, … *ſalutem locupletis* … maturum dicitur … *liberare, pro eo* … *tores & coactores* … *& non deeſſe promiſſo.* … *Plena conſilia* … acerbum eſt, nec marci- … quod nec … *Mare ait*, *Maturate* fugam ventis, … ne maiorem excitare tempeſtatem.

(6) … temperatum quoddam me- … ergo agendis. Auguſtus Cæſar … rebus ſit, vt inquit Macrobius, & … Gellius, duobus verbis contrariis … ſignificauit, … id eſt, … Quod dictum, vt Eraſmus noſter … inuenuſtam ænigmatis ſpeciem … Etenim ſi vim ac ſententiam … quam hæc tam circumciſa … in ſeſe complectitur, … grauis, … ratione … in hanc ſententiam, … numero non … digitum, quod … quod pro … & quidem …

pomum … dum, … pro … Signi … dium … quid … refert … græcis … *feſtina le* … explicat, … præ ſe fe … *eſtimes*, … *cum breuit* … *cunda*, … *ad arenam* … *facile diſceſſ* … *prouerbiorum* … *aliud eſſe* … *datur colum* … *foribus deſcr* … cetera.

(7) Res … eſt tutior, … etiam vel G … *tutum præmi* … nobilis illa S … tur, & apu … *nulli tacuiſſe* … ſum autem … Hymnum P … des præpar … tuliſſe. … Non temere diu apud homines … quam taciturnitas, … canico hoc prouerbio, … *Latinos prouerbii loco, Non* … *ſuit, nocere eſſe locutum.* … *græce in commentariis* … *ad omnes horas*, … *ſermonis diximus*, …

(8) Or … ſilio. Di … cultate, a … dendum … ria, cum … marte. … lentiam, … pugna, … rum. … *ecta eſt in diſſuaſione, & con-* … *det expugnationem a loci diffi-* … *is perfidia, cui etiam victæ fi-* … *ſit. conſulit ab vtilitate, a glo-* … *inis pugnandum eſſe aperto* … *a perſona ſui captat beneuo-* … *dicit, ſe aut moriturum in* … *toriam pro Cæſare reportatu-*

Tunc Cæſar paulum … *vultuſque*, (1) *oculoſque moratus*
terram (quid dict … *ferant, quid conſulat Heros*
noſcit) contraque … *ſus ſictalia fatur:*
Non hoc deſidiare … *mihi veredico, & alta*
cors ſceptra gero, … *tam clariſſima virtus*
ſcit Imperium : ne … *me pater ipſe creaſſet*
nſortem regni, ſoc … *que in ſede locaſſet*
me ſollicitis trepid … *nouiſſet in armis,*
ſine iam Diuos te … *, credimus: at te*
xa mouent, vaſto … *Æni vada concita fluctu,*
gentis temerata ſi … *s* (2)*: quid Regibus alcis*
gnoſcis vetitum? q … *ſumma incommoda belli,*
ua montes, qua ſax … *horrent, & inhoſpita Martis*
llitur ad cælum m … *es, ibi tendere vires,*

Et

Et gerere arma decet, dedignantesque peracto
590 *Fœdere debellare vrbes, & frangere muros.*
Sic monstrum superare meum est. Quod dicis aperta
Pugnandum esse acie, & campo decernere ferro
Ad rem conduci, maioraque gesta parari:
Nescis, crede mihi, quanta hac iactura sub arce
595 *Deliteat, nescis, qui se status occulat armis.*
Hic opus est bello: & quanto iactantius audes
Effari, tanto decet insudare periclis
Fortius oblatis, & dicta rependere factis.
At si te longi torquent fastidia belli,
600 *Perge domum, ac deses*(3) *patriis te conde sub oris*
Degenerem, & vita consumma tempus inerti.
(4)*Vos, o pugnaces animæ, quæ sanguine multo*
Æternum vobis famam peperistis in æuum,
Extremis durate malis. Sic talia fante,
605 *Iam piger astrifero splendebat ab axe Bootes,*
Nocturnique vlulare lupi, Faunique per vmbras.
At Copstenigenum versantur pectora curis,
Sollicitoque metu densa statione tuentur
Mœnia, nullius fessos sopor alligat artus.

(1) Sumptus color ex tertio decimo Transformat. *Ouidii*, vbi de Vlysse loquitur, quem, imitatus Homerum, scribit stetisse *oculis in terram defixis.* Præterea Principem illico respondere non decet, qui mos apud nos seruatur. Nam prius, quid respondeant, consulunt. Oratio autem tota posita in reiectione argumentorum.

(2) Quasi dicat, iterum violanda.

(3) Magis placet, quam si legas, *vecors.*

(4) In fine a beneuolentia ceterorum heroum desinit: ad quos eius apostrophe dirigitur.

610 *Interea exoriens terris Aurora micabat,*
Et matutino lucem detexerat orbi.
**Tunc* Brunsuichidem *Cæsar vocat, Eya age centum*
Delige bello equites, tecumque, ait, instrue pubem,
Qua cum vulsa imo ruet alto a culmine moles,
615 *Aggredere hinc vrbem, murosque inuade relictos.*
Haud mora, iussa facit, nec longe a mœnibus agmen
Occulit insidiis, sedes aptissima fraudi
E regione vrbis, qua se mons plurimus vmbris
Erigit ad Superos, specuumque exesa vetustas
620 *Horret opaca, cauoque feræ stabulantur in antro.*
Illic sese Heros delecto milite condens,
Tempus auet pugnæ, & Mauortis signa moratur.
At Cæsar postquam excidii tormenta parauit,
Feruida anhelantes mugitus machina rupit:
625 *Ingenti circum fremitu nemus omne tremiscit,*
Attonitasque etiam passim de montibus altis
Accipimus cecidisse feras, & hiantia fracto
**Saxa ruisse iugo, atque Alpes nutasse niuales.*
Frangitur aura sono, fumoque obnubitur aer,
630 *Et caligantem discurrit flamma per vrbem.*
Vt furor aeream violentior impulit arcem,
Commota est imo laxa compagine moles,
Et labat in casum: ceu semirecisa minatur
Ardua per siluas quercus lapsura ruinam,
635 *Aut cadit, aut cecidisse putes, dubiumque cacumen*
Huc illuc vertit: sic arcem hinc inde labantem
Aspiceres, fundoque altum crepitare sub imo.
Attonitæ stant turbæ intus, tunc celsus ab arce
Dum sonat Eurylochus, mentesque exasperat ære

 Turbine

...titur, cadit ... alto a culmine ...
..., & fracto m... ...culantur saxa ...
...at Boiemus ... Hylas, Problo...
...tque vetus l... ...pidum compa...
...ector, Diuum ... ...ue aeterna ...
..., auxilium, n... ...etrum ...
...aceret miseros ... sic fatus ...
...r mole abrupt... , vocem ... urget,
... ignito reuolu... ...as ab aere ...
...t omnes casum ... ...fundere ...
...iter vitae. dum ... ...e hos ...
...tebris equites ... Saxon... & alter,
... contraque iube... proced... ...ntibus vrbem.
...a vasta vrbis n... ...o custo... refractas
...rospiciunt, scal... subit ... teneri;
...is pauidam in... ...ant ... frementes
...or it interea po... ...s Saxo... ...ones ab alto
...um ingentes, & ...itaenia ce... ...doribus instant.
...unt timidi inca... ...rum, Galli ... subitu
...tem instaurant ... ...gnam, Sa... ...r equa,
...a agunt lapidur... ...saxisque ... ...ius edes,
...mque alternatiu... ...dubio fortu... ...etris(1).
...it, pugnaque co... ...rs accendit ... ...ulcania tellus
...ter aethereas li... ...uens Satur... ...tela,
...ab (2) Æoliis de... ...ni tela pha... armiger ...
...nus ad(3) Lipare ... , qua se (4) ... ...ra sagitta.
...t in fluctu, cud... ...que sonanti... ...nouis
...at & pedibus(5) ...assam rapit(6 ... ...que, doloque
...les, & igniuoma... ...raxit per in... ...osam(7),
...ater omnipotens ...to de vertice ... ...in vrbe,
...iciens, spretamque ... fidem, frau... ...gna
...ilem, statuit com... ...ssam plectere ... ...er hoc vrbe.
...ue ita fulminibus ... tota bacchat... ...ad astra.
... ait, horrendum ... ...u, secedite ... ...onantis
...Galli, sic fata v... ...ant, sic Iup... ...nitus passim
...xit, seque Iouem ... ...ssus migrauit ... cedere victi.
...que altae auditae v... ...ces, & vi... ...phalanges,
...lmina, tunc paui... ... ciues, tun... ...ferro(9).
...llica(8) pertremer... , & victori...
...ustriadum contra ... ...ugienti inst...
...uia sanguineo ster... ...ntes corp...

... est a Poeta.
... castigatus codex & st...
...sono, pro, *Saxa ruisse so...*
...ura sono.
...nsis Dux.
...ndum est, non *sagittis.*
...lcaniis, quoniam Æolus
...ulis Siculis imperauit:
...ae. De Æolo plura n...
...e raptu Proserpinae *Parr...*
...Æoliarum autem, quan...
...o facta est, nomina refer...
...o: aliquantisper tamen...
... *Solino. Ptolemaeus* cap. q...
...t quindecim insulas, quae
...unt.
... ait, Liparae *nomen ded...*
...*am ante* Æolum *rexit.*
... *Liparum* fuisse *Ausonis* ...

... ven... ab ... statu ... ssimus ... & ... Me... ... scre... ...arto ... iuxta ... Rex ... sta... ...egis filium.

...nia. ... *Liparis autem Gnidiorum fuit colo...* ...*us Siculus plura libro sexto.*

(4) Se... *us octauo Æneidos libr. super* illud, *Insula ... Sicaniam iuxta latus Æoliamque,* Physiolog... *est, inquit, cur Vulcanus in his lo*cis officin... *habere fingatur, inter Liparen &* Ætnam se... *dices, propter ignem & ventos, qua* apta sunt *Fabris.*

(5) A verbo graeco μάττειν, quod *subi*gere, *conspergere, pinsere, commollireque* significat. *Massa* dicta, triticea, vel hordeacea conspersio, quae graece μᾶζα dicitur, & *magmata* apud medicos vnguentorum veluti massulae, quasique pastilli, quae *Plinius* libro decimotertio *vnguentorum faces* interpretatur, id est, vnde vnguentum expressum est.

(6) Id est, *aquila*: quae *Iouis* ales idcirco esse dicitur, quod ex auibus sola nunquam

quam fulmine tangatur: & *armiger* eius, quia dimicanti illi contra gigantes dicitur fulmina ministrasse, hoc cur fictum, *Seruius* explicat in primum Æneidos.

(7) Id est, culpam. Sic Maro, *Vnius ob noxam*, vt docet *Beroaldus* contra *Seruium*, exponentem *noxam* pro *noxiam*. Iurisconsultus tradit *noxa* appellatione omne delictum contineri. *Plautus* in Mostellaria, *noxiam* pro culpa & peccato vsurpauit, *Tranioni remitte quaeso hanc noxiam caussa mea.* Nam scribendum est *noxiam*, & non *noxam* necessitate metri, & etiam ex antiquis codicibus, si Piladi fidem damus.

(8) Pro pertremebant, & cedebant, vsus frequens apud *Salustium*.

(9) Sic legendum, & non *ferre*.

*Dumque ea in extremo *diuersa inparte geruntur,*
Egregium Nereus Langum *compellat ab altis*
Mœnibus Eurychides, verbisque ita fatur amicis;
Eya age te nostri pietas tenet vlla, furentem
685 *Demulce Austriaden, iramque inflecte precando.*
Iam dedi cupimus: pueri, nuptæque puellæ,
Innuptæque, virique simul, matresque per vrbem
Orantes veniam trepidant, pacemque futuram.
Tu modo redde animum clementem Cæsaris vrbi.
690 *Qui vero extiterit rumpendi fœderis autor*
Plectatur, meritasque luat cum sanguine pœnas.
Dixerat: Hæc Regi Langus *mandata potenti*
Rettulit Austriadæ. Placuit sententia: sed qui
Contempsere fidem, iurataque fœdera Diuum
695 *Vt meriti luerent pœnas, vltroque, citroque*
Discussis rebus, pauidam Rex alta per vrbem
Signa vehit, mulcetque animos, & temperat iras.*

* Adscribenda præpositio, *in*, vt sit integer versus. *Dumque ea in extremo.*

* Semper hic Poeta clementiam Cæsaris, in quo maxima fuit, extollit.

Ecce autem infelix manibus post terga reuinctus
Penznauros *caput infandum, semenque malorum,*
700 *Ad cædem trahitur, summa detrusus ab arce,*
(1)Bissenos secum ille viros, iuxtaque (2)litandos
Vt sceleris, pœnæque reos in funera ducit.
Conclamant omnes, & percutienda securi
Corpora sollicitant, & vocibus intonat aer.
705 *Stabant demissi in terram sua lumina mœsti*
Fractores fidei, dubiaque in morte tremiscunt.
Ipse doli Princeps sæuum, toruumque minatur
Nescio quid vultu: veluti cum victima sacras
Ducitur ante aras, sæuitque in cornua taurus
710 *Mactandus Diis immortalibus, aspicit ægre*
Et salsas fruges, positosque in funere cultros.

(1) Qui secum scilicet, in proditione fuerunt. Posuit autem finitum numerum pro infinito. Nam plures cum *Penzenauro* interiere.

(2) *Necandos.* Est autem proprie *litare*, vt docet *Macrobius* libro Saturnal. tertio, sacrificio facto placare numen.

Tunc Rex increpitans dictis, quos ipsa nocentes
*Effecit *temerata fides, sub tartara mitti*
Imperat, & scelerum commissa piacula solui.
715 *Ipse supergraditur montem, celsusque reuisit*
Semirutam molem, pueri, matresque, nurusque,
Longæuique patres, & cetera turba virorum
Subsequitur, meritosque aris indicit honores.

* Cuius tanta est religio, vt hosti etiam seruanda sit.

AVSTRIA-

AVSTRIADOS

LIBER XII.

ARGVMENTVM.

IN vltimo libro cum iam annuus Martis labor fuisset, & iam fracti hostes, Cæsar etiam ex Sicambris triumphans reuersus, Coloniam Agrippæ petiit, quem prius Fridericus Palatini filius placauerat. Interea fama volat, Cæsarem Coloniæ triumphaturum: vbi Principes describuntur, & Belgicarum ciuitatum populi, qui ad visendum profecti sunt. Sequitur triumphi descriptio, ad quem spectandum Deos venisse Poeta fingit: tantoque rerum successui inuida præ ceteris Pallas, ante Iouem longa in Cæsarem oratione vtitur. cui cum Iupiter de rerum Cæsaris incremento aliqua vaticinaretur, Pallademque hortaretur ad Cæsaris beneuolentiam, idemque ceteri Dii facerent, & præsertim Aruinia, Hercynia olim Dea, odium deponit, atque in amicitiam Cæsaris redit. Quare in hoc vltimo & hominum, & Deorum pax facta est. His peractis, septem ludorum genera proponuntur: sed ante auorum manibus parentalia celebrantur. Inde certamina inchoata, quæ fuerunt quadrigæ, pugiles, cursus, palæstra, natatio, sagitta, discus.

(1) IAm sol labentem cursu præuerterat (2) annum
Quo belli rabies, & diri arsere tumultus,
Vastatæque vrbes, (3) coniuratæque ruinæ
Germanos acuere Duces, & Marte nefando (4)
5 *Norica disiectis iacuerunt oppida muris.*
(5) Cum sua torticomis referens vexilla Sicambris
Magnanimus Cæsar, præclara ad mœnia tendit
Romulei Agrippæ, qua laxis voluitur vndis
Rhenus, & auratis gelidum mare cornibus intrat,
10 *Flumine belligeros bifido claudente Batauos.*
Hic finem bello dedit, emeritasque cateruas,
Antiquosque equites functis seiunxit ab armis,
Ianum detrudens ferrata in templa bifrontem.

(1) Nec fictum a Poeta. Nam annum fere integrum bellum durauit.

(2) Id est, anteuerterat. Solis enim cursu annus absoluitur. Vnde solaris & annus vertens, & magnus quoque comparatione lunaris, qui breuis sit. Neque etiam ignoro alium magnum annum dici, quem esse voluerunt, omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, lege Hortensium *Ciceronis*. Extat libellus *Cornelii Vitellii* de die, mense, & anno, e diuersis autoribus collectus.

(3) Siquidem alter in alterius ruinam conspirauit.

(4) Quia quasi patria contra patriam pugnauit.

(5) Res ita se habuit. Cæsar cum Palatino, *Friderici* filii precibus, pepercisset, vtroque rogantem in gratiam recepisset, in Belgas profectus est: qui vna cum *Philippo* filio expeditionem contra Sicambrorum Ducem mouerunt, captis, dirutisque aliquot in Sicambria oppidis, impertita Duci venia, Coloniam Agrippinam ouans ingressus est, vbi omnes Germaniæ Principes, & Palatinus quoque ad Dietam venerant.

Nec mora Phalsgrauidum, Diuum pater, atque hominum Rex
15 *Ante etenim patriis* Fridericum *iusserat oris,*
Pergere ad Austriadem, atque animum mulcere precando,

Proge-

Progeniem fixam ad pacem, fœdusque vocauit,
Qui tandem æternum læti sine Marte quiescent.
Interea per inane volans it rumor ad vrbes
20 *Belgarum antiquas, & murmure littora circum*
Multiuago replet populos, primumque (1)*Tribotes,*
Et (2)*Borbetomagos, quorum probat alta vetustas*
Vangiones coluisse solum: quis more parentum
(3)*Mastrucis mos est nunc* (3)*versicoloribus vti,*
25 (4)*Alta triumphali procedere signa couino* (5)
Cæsaris, & festa redimitum tempora fronde
Vrbem flammifero Regem circundare curru.
Nec non & rigidi gemmatis Saxones armis,
Hi tercenti equites genus insuperabile bello
30 *Spectatum veniunt, frameisque ingentibus horrent.*
(6)*Toctusagum ex alia properant regione tribuni,*
Quamque regit pubem Vyrtimberzentius *heros,*
Hæ picturatæ, varioque colore micantes
(7)*De more exornant nitidis capita alta pyropis*(8).
35 *Venit & ingentes ducens de vertice Cattos*
Abnobio, & gelidas linquentem Bructeron vmbras
Lantgrauius, *vasti phaleras, & fræna gerebant*
Aurea cornipedes, magni per eburnea torques
Colla nitent, Tyrioque micat gens omnis in ostro.

(1) Argentinenses sunt, vel illis proximi populi, origo vocis dicta est superius.

(2) Vormatienses. Generali magis vocabulo *Vangiones* quoque dicuntur. Apud *Ptolemæum & Antoninum Bregetomagus* scriptum comperio.

(3) Sardum vestimentum est, vt diximus: sed hic Belgis tribuit.

(4) Triumphus Cæsaris, sed vere Coloniæ & Dieta habita est, vt diximus.

(5) Curru: propium autem hoc corruum genus erat Britannorum, & Belgarum. Vnde, vt quoque dictum est, *coninarii* dicuntur: vt *essedarii*, ab *essedo*, quod est vehiculi genus, apud Gallos primum inuenti.

(6) *Toctusages*, seu, vt apud autores scriptum inuenio, *Tectosages*, arbitror Franconiam olim coluisse. *Cæsar* autor est commentario sexto, iuxta Hercynium primo sedisse, iustitiæ & belli summam opinionem habentes, in egestate & patientia, vt Germani, manentes. Sunt & *Tectosages Plinio & Floro* in Asia dicti.

(7) Scilicet Germanorum, solent enim corollas gemmis, annulisque intersitis ferre.

(8) Carbunculis, de quibus lege caput septimum vltimi libri apud *Plinium*, & cap. primum tertiæ partis *Erasmi Stellæ* de gemmis. *Pyropi* meminit *Ouidius* in principio secundi Transformationum. Est autem *Pyropus* gemma lucens instar ignis, vnde & nomen sortita. A quibusdam *Apyrusta* vocatur, quod non sentiat ignes. Adscribam quod in secundum *Lucretii Pius* scribens admonuit. *Cum gemmam, quam* Ligurium *vocant in sacris literis, leges, scito,* inquit, *Hebraos antistites intelligere lapidem pretiosum, vel carbunculum: quo fit, vt multiscium* Hieronymum *mirer, qui profitetur ingenue, se nescire, quæ species gemmarum sit* Ligurium, *nec id se reperisse scribit apud autores de naturis gemmarum scribentes: quamquam in sacris literis* Lyngurinum *legendum putaui, sed perperam. Est enim* Ligurius, *autore* Harpocratione *ad filiam, lapis circa montem* Ligos *nominatum. Quidam dicunt eum esse populi arboris lachrymam. Quinam mons sit* Ligos *non memini me legisse. Satis est nobis* Ligurium *esse lapidem, & idoneum autorem reperisse, qui de eo mentionem faciat: quod eruditissimus omnium* Hieronymus *arx fidei negauit.* Hæc ille. At noster *Erasmus, Haud dubium* est, ait, *quando* Lyngurinus *sit legendum: nec mirum est,* addit, *hominem tantum, tantulum suffugisse lapillum, cum aliquoties non videamus & id, in quod incurrimus: quamquam meminit* Lyngurii Theophrastus, *& hunc secutus* Plinius. *Hunc ferunt nasci ex vrina* Lyncis, *vnde & nomen habet.* Lynx *animal est,* οὖρον, *vrina. Ea protinus concrescit in gemmam: sed inuidum animal protinus egestam vrinam terra operit, ne possit ab homine inueniri, ad multa efficax medicamenta. Valere enim ad eliciendos vesicæ calculos, & aduersus morbum regium, si gestetur, aut ex vino bibatur, non est dissimilis electro, siue succino: non enim solum attrahit festucas & lignum, verum ferrum, si sit tenuius.* Theophrastus *huius rei citat autorem* Dioclem. *At* Plinius *neutri credit hoc quidem in re, & negat vnquam hoc nomine gemmam visam.* Hactenus *Roterodamus. Camers* putat ex Lyncum natura adagium sumi posse, *Lynce inuidiosior,* in auaros, qui ne inutile quidem sibi, aliis indigentibus elargiuntur.

40 *Præterea infelix concessa pace* Philippus
Mox Pallatinis delectum ex vrbibus agmen

Ducebat secum, & crudelia funera nati
Ingemit, & tacitus premit altum corde dolorem.
(1)Aspice, vt euoluit humanas improba curas
45 *Magnorum fortuna Ducum: qui primus in arcto*
Antiquam tenuit sedem, lateque bicornis
Imperium gessit Rheni, nec faustior alter,
Vidit sceptra rapi, vidit miseranda suorum
Fata senex; (2)animi verum non languida virtus
50 *Hunc fouet, & (3)nondum(4)auersis(3)infracta repugnat.*

(1) Exclamatio in fortunam Palatini infaustam.

(2) Ad illud respexit, *vidit miseranda suorum Fata senex*, & est magna in Palatino laus, a magnitudine animi.

(3) Deuicta, nam præpositio *in*, auget, Maro, *Turnus vt infractos auerso Marte Latinos.*

(4) Id est, contemnit auersa, superat fortunam.

Iamque dies aderat, quo Cæsar in axe triumphans
Iret, & os sacrum populis ostenderet alto.
Tunc subito passim, totaque ex vrbe ruentem
Aspiceres pubem, pueri, innuptæque puellæ,
55 *Longæuique patres currunt per compita visum,*
Et Regis Pæana canunt: aulæa Britanni
Aptant parietibus, postesque tapetibus ornant
Æratos, hominum voces, clamorque resultat
Vndique.(1)Non aliter, quam cum (2)Eurysthea gerentem
50 *(2)Prælia, Echioniæ clamantes vndique matres*
Spectabant auidæ, bicolor cui tempora fronde
Populus ornarat, vastos leo cinxerat harmos
Lethifero quondam superatum Stymphalon(3) arcu,
Victaque ad Argolicum referentem monstra tyrannum.
65 *Vel cum perdomitis remeauit corniger Indis*
Cadmæum repetens (4)spoliorum Hysmenon(4)acerno.

(1) Hic paululum confusa est constructio, quam Græci *synchesim* dicunt: quæ, vt inquit *Donatus*, est hyperbaton vndique confusum, vt illud Maronis, *Treis notus abreptas in saxa latentia torquet, Saxa vocant Itali mediisque in fluctibus aras.* Et est ita ordo. Non aliter, scilicet, clamor resultat, quam cum matres Echioniæ vndique clamantes, auidæ spectabant gerentem prœlia Eurysthea, referentem Stymphalon superatum quondam lethifero arcu, & victa monstra ad tyrannum Argolicum: cui scilicet, gerenti prœlia populus bicolor ornarat tempora fronde, leo cinxerat vastos harmos, & Herculem intelligit, cuius labores abunde prosequitur *Diodorus.* Sed quid gestis Herculeis celebratius? Inter Maroniana opuscula enumeratur & illud cui titulus, *Monosticha de ærumnis Herculis.* Idipsum & inter *Ausonii* Poetæ scripta etiam reperitur sub hoc titulo, *Ausonii de duodecim laboribus Herculis.* Dubium ergo, *Maroni*, an *Ausonio* versus illos asscribi oporteat.

(2) Ab *Eurystheo* demandata; & est adiectiuum, vt ab *Orpheo Orpheus*, per diphthongum.

(3) Id est, aues Stymphali lacus Arcadiæ, quæ inter eius certamina enumerantur, vnde a *Papinio* quarto Thebaidos dictum est, cum de Arcadiæ locis scriberet, *Herculeo vulgatos robore montes, Monstriferumque Erymanthon; & ærisonum Stymphalon.* In cuius loci expositione *Placidus* inquit, virtute Herculis cognitos Erymanthon & Stymphalon: in altero aues, quæ Stymphalides appellantur, occidit. Ceterum & apud *Ouidium*, & *Senecam*, & *Martialem* animaduerto in dictione *Stymphalus* penultimam longam esse: hic tamen breuem protulit, vt *Ausonius* hoc carmine, *Stymphalidas pepulit volucres discrimine quarto.* Nec ratio deest: quia Alpha apud Græcos dicronum est, qua licentia & *Homerus* in quinto Iliados vsus, cum dixit: *Ares Ares brotologe*, & *Martialis* insinuat lib. nono, *Et quos Ares Ares decet sonare.* Nos etiam in aliquibus vtimur cum *Batauum* & *Syphacem* communi accentu proferimus, vt supra dictum est.

(4) Quæ ex India domita reportauit.

Interea pompæ subit ordo, Ducesque cruento
Spectantur capti bello, manibusque reuinctis
Turba ingens, sacro stant arma affixa feretro
70 *Heroum ex[illegible]iæ, debellatæque phalanges,*
Scuta virum, galeæ, & (1)cubitales (2)margine peltæ(1),

Coni-

Coniferique apices, frameæque, leuesque sarissæ,
Et curui vmbones, & rapta (3)*peterita Marte.*
Hinc solido ex auro (4)*crateras, &* (5)*aurea bullis*
75 *Cingula cernere erat, intertextoque verendum*
Electro fulgebat opus, nitidoque argento(6).

(1) Ancilia intelligit. Breuis enim scuti genus erat. *Plutarchus* in vita Numæ Pompilii multa recitat, quare *ancilia* dicta fuerint. *Dicuntur autem*, vt ipse inquit, *vel ab* an, *quod* circum *significat, quia in orbem essent figurata: vel ab* ancon, *quod est*, cubitus: *vnde etiam* Anconam *maritimam vrbem maris Adriatici sic dictam volunt: vel ab* anches, *quod est, remedium, cum* Ancilis *casu sedata fuerit pestilentia.* plura *Liuius*, & *Halicarnasseus.* *Ouidio* placet, *ancile* latinum esse vocabulum. Quidam *ancile* peltam Thraciam appellarunt. Ea est, vt Seruius ait, *scutum breuissimum in modum lunæ iam mediæ.* Cubitales ergo peltæ, id est parmæ, scuta, ad similitudinem anciliorum.

(2) Extremitate, circumferentia.

(3) Vehiculi genus *peteritum* est: & *Varro* arbitratur Gallicum esse vocabulum; vtitur hoc vocabulo *Horatius.*

(4) Non *crateres* scribendum, sic Maro, *crateras magnos statuunt*, & *Papinius* in Theb. *Ouidius* ceteri.

(5) Pro aureis bullis.

(6) Spondaicus versus est.

Sublimi interea Cæsar spectandus ab axe
Prouehitur, qualis victor Saturnius alto
(1)*Ossæam rabiem, & Titanum Pelion, atris*
80 (2)*Icit fulminibus, curruque per æthera vectus*
Cælicolas inter clarum lustrauit olympum.
Talis & Austriades alto sese ore ferebat
Maiestate grauis, trabeaque insignis, & auro
Nescio quid cæleste micat, diadema superstans
85 *Auratos operit crines, trepidique sub axe*
Quadriiuges impune fremunt, manduntque lupatos
Ore truci, spirantque altos e naribus ignes.
Non secus Eoo tollunt fumantia Ponto
Corpora solis equi(3), *replentque hinnitibus auras,*
90 *Voluentes hinc inde iubas, raptosque furore*
Miratur cursu tantum procedere Titan.

(1) Id est, *gigantum*, ab *Ossa* monte, quem *Pelio*, vt inquit *Maro*, imposuere rabidi, & irati contra Deos.

(2) Percussit, proprium hoc in fulminibus. Vocabulum Plinianum.

(3) *Pyrous, Eous, Æthon, & Phlegon*: quibus nomina ab effectu fuere imposita, vt exponit *Raphael* in secundum Transformationum librum *Ouidii.*

Interea fama est, (1)*Vbii dum Martia ciues*
Gesta canunt, lætoque vrbem circundare clauo
Incipit insignis Cæsar, curruque triumphat,
100 *Spectatum venisse Deos, & in æthere summo*
(2)*Inuidia carpsisse Iouem. Quid numina possunt?*
Hic fastu superat Diuos, nunc Iuppiter alter
Sicanio arripiet sudatum fulmen ab antro.
Talia flammato dum pectore Numina iactant
105 *Ante Iouem, sic Pallas ait; Proh rector olympi,*
Quid spectas, sufferisque pater? iam respice quantum
De Superis rapiat (3)*Regis* (4)*fiducia nostri.*
(5)*Nunc age, & intonsis* (6)*Euan quate*(7)*marmora thyrsis*
(7)*Rubra, coloratos trans Gangen transfer ad Indos*
110 *Militiam, aut* (8)*Bacchis vlulantibus Ismara* (9)*cinge.*
Est frustra quodcunque paras, superabere solo
Cæsare, qui domito reges Oriente subactos
Argolicas rediens duxisti victor ad vrbes.
I Mars sanguinee, & Geticis te conde sub oris
115 *Indecorem, solumque sacer tibi* (10)*Strymon, & Hebrus*
Seruiat, & gelido tantum placeris in Hæmo(11).
Nil extra tua fama volet, tu hominum, atque Deorum

Omnipotens rector? pudet, (12)*ah pudet ista profari* (13)
Te coram, ingenti iamdudum saucia cura,
120 *Diua vetor sceleris pœnas exposcere ab illo?*
Non Tritogenia (14), *Pallasue, aut filia magni*
Nuncupor esse Iouis? quando est mihi dempta potestas
Pugnandi in terris, (15)*tu inquam? tu fulmina condis?*
Lentaque (16)*nequicquam formari incudibus Ætnæ*
125 *Æra iubes?* (17)*flammaque vrbes feruere Sicanas?*

(1) Id est, *Agrippinenses*, qui prius quam ab *Agrippa* ad alteram ripam transferrentur, *Vbii* sunt appellati, autor est *Tacitus*.

(2) Id est, propter inuidiam in Cæsarem.

(3) Id est, *Cæsaris*: & per contemptum dixit, *nostri*.

(4) Pro *confidentia* posuit: quamuis etiam *Maro* in malam partem quoque vsus est, *Cernis quæ Rutulos habeat fiducia rerum*, id est *confidentia, temeritas*. Nam *confidentia* semper fere in malam partem accipitur. Plautus, *Qui me nunc alter est audacior homo? aut qui confidentior?* Terentius, *O ingentem confidentiam!*

(5) Per derisionem commouet ceterorum Deorum inuidiam in Cæsarem.

(6) Bacchi nomen, superius expositum.

(7) Æquora rubri maris.

(8) Abunde satis de sacris Liberi patris ante dictum est.

(9) Mons Thraciæ notissimus. Maro, *Ismarus aut Rhodope*.

(10) Flumina Thraciæ sunt. Exoritur autem *Strymon*, vt *Ptolemæus* ait, in montibus Thraciam & Macedoniam diuidentibus. *Plinius* & *Solinus* asserunt, dilabi ex vertice Hæmi montis. Circa hunc amnem Mars obequitare solitus, vt in Syluis canit *Papinius*. In hoc amne propter loci amœnitatem, & piscium abundantiam, æstiuis mensibus (nam hieme appropinquante Nilum petunt) ingens est gruum copia. Hinc a *Marone* decimo Æneidos dictum est, *Strymoniæ dant signa grues*. Et a *Lucano* quinto Pharsaliæ, *Strymona sic gelidum bruma pellente relinquunt Poturæ te, Nile, grues*. *Hebrum* vero amnem ex fontibus Rhodope montis dilabi scribit *Seruius* in fine quarti Georgicorum: dictumque ait ab *Hebro* Boreæ fratre. *Plinius* inter ea flumina enumerat *Hebrum*, quæ aurum deuehunt.

(11) Notissimus mons sua altitudine, vt dictum est. *Liuius* scribit Philippum *Hæmum* ascendisse, eius altitudinis pernoscendæ gratia. Situm ex *Ptolemæo* disces.

(12) Interiectio est, per quam Palladis dolor ostenditur. Maro, *Spem gregis ah silice in nuda connixa reliquit*. Aliquando admirationis vim habet. Plautus, *Ah, quid ais?*

(13) Pro *dicere, loqui*, seu *fari* posuit, vt sæpe poetæ solent, compositum pro simplici verbo vsurpare. *Profari* enim latine dicitur, quod Græci *prophetare* dicunt, id est, futura prædicere. Vlpianus; *Si seruus inter fanaticos non semper caput iactaret, & aliqua profatus esset*. *Fanaticus* autem seruus hoc in loco, pro *maniaco* accipitur: quales sunt qui melancholici dicuntur, autor *Budæus*.

(14) A *Tritone* palude, vbi primum visa dicitur fuisse, vt diximus. Vltimam autem longe protulit, vel quod, *a*, apud Græcos bitemporeum est: vel quod *Maro* itidem protulit in fine graui, *a*. *Seruio* reclamant poetæ classici, qui docet, quod in nominibus propriis syllabæ possint poni scribentis arbitrio. Nec *Bedæ* opinio vbique recipitur, dicentis autoritatem & necessitatem aliquando metrum violare.

(15) Verba indignationis plena, & inest irascentis replicatio, *tu, tu, inquam*.

(16) Id est, *non*.

(17) Omnia hæc per interrogationem proferenda cum indignatione; quasi dicat; cum tantam in Cæsare confidentiam videas, vt pæne tibi æquetur: non solum in insulis Vulcaniis tela deberent fieri, sed etiam per totam Siciliam, & omnes vrbes flammis ardere in conficiendis armis.

(1)*Centum præclaris Curetum ex vrbibus olim*
Saturnum patrem, & cælo te Iuppiter alto
Deiecisse ferunt, centumque ligasse catenis,
Imaque longæuum trusisse in tartara Regem,
130 *Scilicet vt cæli regnaret Cæsar in arce.*
Tu modo iam si qua est cordi tibi cura Deorum,
Et cælum seruare cupis, trifida arma resumens
Sidereum tutare polum, Diuosque pauentes,
Arctoumque preme Imperium, Borealiaque arma
135 *Discute: ne Cæsar curru subiectus* (2) *ouante*
Tollatur per inane, viamque affectet olympi,
Depulsoque ferox regno Ioue, permeet astra.
Dixerat. Assensere Dei, (3)*nec Delia præsens*
Concilio Diana fuit: nam vertice summo
140 *Constiterat Vogesi, iam despectura triumphum*

Austria-

Austriadæ magni, & lato certamina campo.
At contra pater est solio sic orsus ab alto;
Sancta cohors Superum,(4)quianam sententia mouit
Decertare odiis animos? cur vertere gentem
145 *Arctoam cupitis? tanta est cælestibus ira?*
Fata immota manent, opus hunc se tollere ad astra(5),
Et regere Imperium terræ, dare fræna superbis,
Indignantem orbem, & gentes superare rebelles,
Consortemque polo mecum nec habere refello.
150 *Qui dum nigra fluent Erebi, subterque meabunt*
Flumina, pallentes vmbras, dumque orbe remenso
Sidera in Hesperio properabunt æquore mergi,
Victor Cæsar erit, dominusque vocabitur orbis.
Hæc ego per Stygias male olentes sulfura ripas,
155 *Et Chaos æternum, & Manes Phlegetonte sub imo*
Annuo: iam paulum bilemque, iramque repone
In melius Pallas, fatisque assuesce futuris.
Sic ait, & nutu (6)longum concussit olympum.

(1) Valido vtitur argumento, ait enim; operæ pretium fuerat, profecto te, patrem, e cælo deiicere, & relegasse in tartarum, vt scilicet Cæsar in cælo regnaret, non tu. Et seruat decorum hic furentis personæ, quia hoc exemplo obiicit latenter Ioui impietatem, vt scilicet, cum in memoriam reduceret, quid egerit in patrem, vt regnaret, aliis ipse non crederet.

(2) Id est, excelsus, sublimis, nam subiicere, extollere est.

(3) Pulchra fictio poetica. Dicit enim, cum Dii hæc contra Cæsarem iactarent, Dianam præsentem non fuisse. Quippe quæ ex Vogeso triumphum Cæsaris lætabunda inspiceret.

(4) Vna dictio, qua vsus est *Ennius*, & *Maro* etiam, *Cælicolæ magni quianam sententia vobis Versa retro?* Hinc colorem Poeta sumpsit, & est sensus; Cur sententia mouit animos vestros, vt odiis certare velitis contra Cæsarem?

(5) Vaticinium futuræ gloriæ Cæsaris.

(6) Epithetum Græcorum est, qui *macron Olympon* dicunt.

Tunc exorta Deum passim sunt murmura, & omnes
160 *Pallada prospiciunt, verbisque precantur, vt illa*
Molliat æternas lites, & desinat æstus
Irarum Austriadas contra exercere potentes.
Sic Iuno instabat, sic cetera turba Dearum,
Almaque in Hercyniis præsens (1)Aruinia lucis
165 *Procidua ante Deam, poscit iam fœdere iungi*
Austriadas secum; tandem Tritonia virgo,
(2)Postquam Cæsareumque genus, stirpemque domari
Agnoscit vetitum, coram sic talibus orsa est,
Vicistis Superi, bilem, qua exarsimus olim,
170 *Dimissam facio, iam nunc, semperque fouebo*
Hoc genus armipotens, quo cum me iungere fœdus
Haud piget, atque Italo tela auxiliantia bello
Sentiet, & dictum iurato astrinxit auerno.
(3)At Venus exclamans, non sic mea vulnera abibunt
175 *Impune, & quantum mea vis, flammæque valebunt.*
Hostis ero, sequar indomitum, (4)cogamque fateri
Me semel esse Deam, sic talia fata quieuit.

(1) Quæ olim a Germanis in Deorum numero habita est, vates erat, incolebat siluam Hercyniam.

(2) Latenter potentiam Cæsaris significat. Nullus enim hostis in fine rerum fuit contra *Maximilianum* tam potens, vt non desiderauerit gratiam Cæsaris impetrare. Quod mea ætate multoties patuit, & nouissime maxime in tam graui bello, quod in Italia contra Gallos, Venetosque solus, & victor paucis ante diebus, quam moreretur, sustinuit: de quo vaticinatus est Poeta, quod futurum erat, dum Pallas statim subdit, *atque Italo tela auxiliantia bello Sentiet.*

(3) Arbitror hoc fictum a Poeta, quoniam nobiscum maius certamen non agitur, quam rationis & appetitus. Altera enim ab intellectu procedit, quo bonum malumque discernimus: alter corpori sensibusque insitus est, quotidieque de regno certant, ho-

ſteſque accerrimi ſunt: nec deſinunt a pugna, niſi victo altero, hoc eſt abolito corpore.

(4) Summa Cæſaris laus: cum innuat a cupiditatibus nunquam victum fuiſſe: quod mirum in homine, ne dicam Principe, qui mille ad libidinem rerum vias habent, videri poteſt, cum omnibus a natura inditum ſit, vt grata magis ſenſibus appetant, quam ingrata. Licet autem difficile admodum ſit, contemnere voluptatem natura nobis inſitam, cuius etiam vis tam late pateat, vt actionum, affectuumque noſtrorum ſit comes, ſequaturque vel illa, quæ agenda eligimus (cum honeſta, & vtilia iucundi ſpeciem præ ſe ferant) eo tamen magis contemni a nobis debet, quo laudabilius eſt, rem natura inſitam, &, vt ait *Ariſtoteles*, nobiſcum a pueris vna educatam, reprimere & continere, nam qui eam ſic abiecerit, vt quaſi radicitus euulſerit, is mihi videtur hominis oblitus, aut humana eſſe conditione maior, vt qui aqua & herbis in ſolitudine vitam ducunt, rerum Veneris omnino inſcii: quales fuiſſe Anachoritas plurimos, & ipſum illum *Ioannem* Baptiſtam memoriæ proditum eſt.

Interea Cæſar, Procerum ſtipante caterua,
Progenies Diuum, & genus alto a ſanguine cretum,
180 *Audite hæc, inquit, cordi & mea figite dicta,*
Annuus eſt belli curſus, ſi rite recordor,
Quo Martis rabies, triſtique horrenda flagello
Deſæuit Bellona animis, genteſque repoſtas
Sedibus Arctois in pugnam miſit acerbam.
185 *Nunc victor terris, ſic Dii voluere, piandas*
Arbitror eſſe vmbras, bellum quas miſit auerno
Ante diem, (1)fluuiique errant hæc littora circum
Soluendi a nobis cupidæ mortalibus auris,
Ac primum inferias patrique, vmbriſque dicabo
190 *Auſtriadum Heroum, quibus alta ad ſidera vectis*
Dona tuli, atque libens ſtauraui ſacra quotannis.
Poſtmodo cum primum per terras fulſerit almo
Septima lux cælo, Titanque obtexerit aſtra,
(2)*Quadriiugum ludos ſtatuam, cum carcere aperto*
195 *Exilit æripedum furor, & metam igneus optat.*
Hinc cæſtu quicunque volet, curſuque volantum
Decertare pedum, aut nudam exercere palæſtram,
Seu tranſnare vndas, & verrere flumina planta,
Aut melius quicunque arcus ſcit tendere eburnos,
200 *Quique grauem diſci maſſam collimat*(3) *ad vnguem,*
Adſint, victori referet ſua præmia virtus,
Donatique omnes facto certamine abibunt.

(1) Iuxta veterum opinionem, vt diximus, ſuperſtitioſam.

(2) Propoſitio omnium ludorum.

(3) Vocabulum proprie eſt eorum, qui arcu certant, nam *collimare*, eſt ad ſcopum ſagittam intentis oculis dirigere. Puto dictum, quoniam limis oculis ſagittandi vſus eſt: vel quia fortaſſe caput arcui coniungimus. *Limare* enim *coniungere*, *copulare* ſignificat. *Turpilius* in Leucadia, *Veritus ſum, ne amoris cauſſa cum illa limaſſes caput.* *Plautus* in Pœnulo, *At vide ſis, cum illa nunquam limaui caput.* *Nonius* ait, *Limare* limum ingerere, limo fœdare. *Limus* adiectiue, pro *tranſuerſo* ponitur, vnde *Plinius* ſcribit, leonem dolere, ſi *limis* ſpectetur oculis. *Limen*, id eſt lapis ſuperior & inferior oſtii, a *limo* deriuatur, quoniam tranſuerſe poſitum ſit.

Nuntia Belgarum fama eſt delapſa per vrbes
Interea, & vero paſſim rumore futuras
205 *Nuntiat exequias, nec non certamina in vrbe*
Prædicat Agrippæ: mora præcipitatur, & omnes
Conueniunt, latique replent vaga littora Rheni.
(1)*Primus enim ante alios,*(2) *fontis ferrugine gaudens,*
Qua ſacrum attollit caput auxiliaribus vndis
210 *Tongrus adeſt:* (3)*linquuntque ſuas Eburones aras.*
(4)*Hic etenim, vt memorant, ſaxo nigrante, quod alto*
Eruitur monte, & carris vectatur ad vrbes,
Conficiunt ignem, (5)*ſed non ardere prius, quam*
Humectetur aqua, lapidum perhibetur aceruus.
215 *Nec non & flauam,*(6)*quam Gallia pinſit Ariuckam*(7)

Vrbs

(8)*Vrbs secat, & niueis alitur gens mystica*(9) *crustis*(10).

(1) Descriptio populorum, qui ad triumphum Cæsaris spectandum venere.

(2) *Plinius* cap. secundo lib. trigesimi primi, *Tungri*, inquit, *ciuitas Galliæ fontem habet insignem, plurimis bullis stillantem, ferruginei saporis: quod ipsum non nisi in fine potus intelligitur.* Purgat hic corpora, tertianas febres discutit, calculorumque vitia. Eadem aqua igne admoto turbida fit, ad posterum rubescit. Audiui Medicum Tungrensem, qui hactenus affirmaret fontem durare: verum quod morbis mederetur aqua eius pota, nihil sibi constare. Igitur *Plinius* hoc, vt multa alia scripsit ex fide: aut natura mutata est fontis. Porro *ferrugo*, mucor ille, siue situs, vel vetustas, quæ in ferro sub terra vel longo æuo gignitur, vt ærugo in ære, quamquam ærugo etiam de ferro dicitur.

(3) Dixi *Eburones* dici, qui nunc *Leodienses* nominantur: & idcirco *suas aras* dicit, quoniam Leodium, quæ nobilissima vrbs est inter Belgas, hoc est inferioris Germaniæ populos, sacerdotibus plurimum abundat. Calamitatis eius, quam sub *Carolo* nouissimo Burgundionum Principe perpessa est, in literas retulit *Pontanus*: & latius ego aliquanto memini in scholiis, quæ scripsi in eum *Pontani* lib. qui est *de Immanitate* inscriptus.

(4) Et vere quidem, nam ex montibus eruunt saxa nigricantia, interlucida tamen, quibus ignem conficiunt.

(5) Vt rem habeas, ac ipsi vidimus; Congeries lapidum foco imponitur, relicto vacuo ad fomentum loco: quo accenso, irrorant aqua lapides. Compertum enim est, ignem concipere non posse, nisi aqua aspergantur. Mirum profecto, vt aqua igni fomes sit, an quia spiritus ignei in lapidibus sint, auditoque hoste statim exiliant, cognatisque se flammis applicent? an quia tosti suffocato infra terram calore, aquæ infusione poros, vt ita dicam, igne prius contractos aperiant? vt in calce, vt in carbone fieri videmus. Hic inter alios plerosque vel præcipuus locus est, quo super *Collimitio* nostro, physicarum rerum scientissimo, commentari cupiebam. Sed præpropera Cæs. *Maximiliani* mors nobis adeundi viri occasionem hactenus præripuit.

(6) *Seruius* autor est, apud priscos molarum vsum non fuisse. Fruges enim torrebant: & deinde in pilis pinsebant, id est tundebant, & hoc erat molendi genus: quod & suo tempore adhuc factitatum esse ait, vnde & *pistores*, & *pinsores*, & *pila* dicta sunt, vt ex *Varrone* colligimus. Ad hunc morem allusit *Maro* in primo Æneidos, *Et torrere parant flammis, & frangere saxo.* Molæ autem postea inuentæ sunt asinariæ quædam: quædam trusatiles, id est hominum opera versatiles. Aquariarum autem molarum loca, quibus nunc vtimur, *molettrinas* appellare possumus, vt arbitratur *Budæus*.

(7) Frumenti genus Galliæ peculiarissimum, ex quo candidissimus panis fiebat, mos seruatur adhuc. Nam in adagio est, *Eburones* tribus insigniri rebus; pane meliore, quam ex frumento; igne meliore, quam ex lignis; aere salubriore in ponte fluminis, quam alibi intra vrbem.

(8) Populus Leodiensis.

(9) Clerus, sacerdotes. *Mystæ* dicti, a verbo græco μυέω, quod est *initio*, quia dicuntur initiati mysteriis alicuius numinis: vnde & *Symmystæ* dicuntur, vt alibi diximus, iisdem initiati sacris. Alii trahunt a verbo μύω, quod significat *occulto*: quoniam nefas erat reuelare arcana mysteriorum.

(10) Neutro genere: in quo significat frustum panis, aut placentæ, aut alterius edulii. *Crusta* enim fœminino genere fragmentum tenue significat lapidis, aut ligni, aut vitri, aut gelu, aut alterius huiusmodi. Maro, *Concrescunt subita currenti in flumine crusta.*

Hinc haud vitiferi Treuir sulcator (1)*Obrinci*,
(2)*Bonnaque, & antiquis gaudens quoque* (3)*Lupia muris*
Defuit, &(4)*timidus nec fontibus aduena Brugis*,
220 *Et clara Austriadum titulis Hannonia*(5) *Regum*,
Extremique hominum(6) *Morini, totumque* (7)*Melinum*,
(7)*Machlinumque, & mercaturæ* (8)*Antuerbia felix*,
Et picturatis diues (9)*Bruxella tapetis*,
Innumerumque genus (10)*Gandauo fluxit ab vrbe.*
225 *Nec non & trepidum impellit tunc fama Nemetam*,
Atque Argentorato volat ad certamina pubes.

(1) Alii *Mosellam* appellant. Huius cursu *Ptolemæus* superiorem, inferioremque Germaniam disterminat. Citeriorem autem magnam Germaniam nominat *Obrincum*, seu mauis *Obruncam*, vt alii scribunt: *Syluius* Mœnum intellexit, sed falso, vt indicauimus prius, & ante me *Irenicus* noster.

(2) Vetustum oppidum ad inferiorem Rheni ripam situm, ad quartum supra Coloniam lapidem: nomen etiamnum retentat. Antistiti Coloniensi paret. *Ptolemæus Bonnam* appellat, celebre illic sacerdotum collegium est.

(3) Antiquum item oppidum in vlteriora ripa Rheni, ditionis, ni fallor, Ducis Iuliacensis. *Lupia* item numero multitudinis, vt *Athenæ, Venetiæ, Calabria* vrbs est. Autor *Mela* libro 2. Est & nomen fluuii Germaniæ, vt diximus: eumque esse coniectura est, inquit doctissimus *Vadianus*, quem *Neccharum* hodie

Ante omnes Priamum(3), *Francorum ab origine cretum,*
245 *Cernere erat : natumque sequi vestigia patris*
Marcomiron(4) : *sed paulo excelsior ire videtur*
Antiquo (5)Faramundus *auo, longeque potentis*
(6)Clotharii *effigies multo fœdata cruore*
Ducitur, & natum fugientem lumine toruo
250 *Aspicit. hic etenim post cædem, & fata parentis*
Imperium linquens, ad(7)*Auantica regna recessit,*
(8)*Egregiamque Apis de nomine condidit vrbem.*

(1) Arguere, ostendere est. Maro, *degeneres animos timor arguit*, id est, *ostendit*. Vnde Argumentum dicitur illud, quo nobis aliquid ostenditur breuiter. Idcirco hic pro titulis interpretor auorum, quibus quorumcunque gesta breuiter cognoscebantur. Sic etiam comœdiarum fabularumque argumenta dicuntur.

(2) Proprie defunctorum est : quod olim extra mœnia sepeliri consuerint cadauera. *Seruius* tamen scribit, *apud maiores omnes homines in suis domibus sepeliebantur, vnde ortum est*, inquit, *vt lares colerentur in domibus*. Hinc etiam vmbras *lares* vocamus. Veterum autem sepulchra in agris fuisse, cum multa comprobarunt, tum quod *Vlpianus* scriptum reliquit, diuum *Adrianum* pœnam statuisse aureorum quadraginta in eos, qui in ciuitate sepulchrum fecissent : quam fisco inferri iussit : & in magistratus eandem statuit pœnam, qui id passi forent, quin & publicari iussit locum, & inde cadauer transferri. Relatum tamen in Chronicis, Traianum intra vrbem solum omnium, & in foro sepultum, cum morbo apud Isauriæ Seleuciam interiisset. Sed Ducibus etiam datum ac posteris *Plutarchus* scribit, vt in foro sepelirentur.

(3) A quo domus Austriaca descendit. Rex fuit Franciæ Germaniæ, nunc per iniuriam appellatæ Franconiæ : cum verum illi nomen Galli abstulerint. Seruant tamen nonnulli scriptores illi prouinciæ suum nomen & honorem, vt *Franciam* vocent *Orientalem*. Sed hoc vix patiuntur Galli, pro solita gentis elatione, indignati, si Diis placet, quod Germanos patres, & regni sui fundatores iubeantur agnoscere, vt ait *Albertus* cap. primo lib. Saxoniæ secundi. Non desunt qui hunc Priamum dicunt ab Hectore Troiano habuisse originem : sed meræ nugæ, vt idem *Albertus* cap. 16 primi libri Saxoniæ his verbis ostendit. Quanquam de Francis maiores etiam ineptiæ memorantur, quod originem ducant a Troianis, & consederint ad paludes Mæotidas in Sicambria. Quid autem per tot egerint sæcula, quos Duces habuerint, ne somniare quidem possunt. Et quidem Sicambria non ad Mæotidas paludes, in Oriente, sed ad Rheni fluenta fuit in Occidente, teste *Cæsare, Strabone, Ptolemæo*, & omnibus cosmographis. Inepti homines eo confugiunt, vt dicant aliam Sicambriam fuisse hic & ibi, nec tamen vnum ex Geographis testem producunt : & vt mille tergiuersationibus vtantur, conuincit eos propria fabella de mendacio, quod aiunt sub Valentiniano Francos migrasse in Germaniam. Nam testes omni exceptione maiores, quos nominauimus, conuincunt, sub Diocletiano Francos habitasse in Germania, cum excurrerent ad prædam in mare Britannicum cum Saxonibus. Accedit alius testis diuus *Hieronymus*, quin in Hilarionis vita testatur, sub Constantino Imperatore venisse nobilem iuuenem ex genere Francorum, *Ea*, inquit, *gens media inter Suenos atque Saxones habitat*. Quid potest expressius dici? quid ad confutandum fabulam validius? neque enim accipi potest de Francia Galliarum, ea parte in qua sunt Parisii. Appellat item *Hieronymus Francam linguam* eam, quæ nunc est Germanica : quod *Erasmus* illic notauit. Regnauit autem Priamus Gratiani, vt quidam dicunt, Imperio, anno Dominicæ salutis trecentesimo octogesimo primo.

(4) Priami filium, quem Sicambriæ, Franciæ & Parisiorum Ducem appellatum constat. Quo argumento quidam asserunt, primum in Galliam ex Germania transisse, belloque Parisios occupauisse, vnde sibi nomen asciuit, vt Parisiensis Dux appellaretur.

(5) Id est, Priamo. Faramundus Priami nepos, Marcomiri filius, primus in hac gente Rex a Francis Galliarum declaratur. Floruit sub Honorio Imperatore. *Faramundo*, qui annis vndecim regnauit, successit *Clodius* ex eo genitus, a promisso capillo cognomento *Capillatus*.

(6) *Clotharium* secundum intelligit, qui ex Chilperico & Andouera natus est. Fratrem habuit *Merouæum* Prouinciæ, & *Theodoricum* Burgundiæ Reges. Hic ex Bertruda coniuge *Dagobertum* Franciæ, Burgundiæ, Austrasiæ (quam *Ritius* Austriam dicit) & Aquitaniæ Regem genuit, & ex Batilde vxore, natione Saxona, *Clotharium* tertium, & *Othobertum* Regem Prouinciæ, qui a *Gontranno* Rege Burgundiæ & Aurelienſium repetente in bello occisus est. Cuius filius *Othobertus* Gontranni potentiam fugiens, ad Auanticos fugit : vbi regali titulo demisso, Habspurgii arcem struxit, vnde & sibi & posteris suis nomen reliquit, nam omnes *Comites Habspurgii* dicti sunt. Hic autem Poeta tradit *Clotharium* a *Gontranno* necatum fuisse, eiusque filium e regno fugisse ad munitissima Alpium loca. Poetarum enim mos est, vt nomen pro nomine ponant. Alii, cum quibus vetustissima literarum monimenta consentiunt, ad montem, qui *Romarici* nomen habet, germanice *Rymmelsberg*, venisse volunt;

sunt: condita in eo arce, quam *Auendum* castrum appellarit: de quo statim latius aliquando. Nescio igitur qua fide tradant quidam Cæs. *Maximilianum* Romanos habuisse progenitores olim *Perleones Comites* montis Auentini, cuius familiæ etiamnum sint nonnullæ Romæ reliquiæ prope Sabellorum ædes, quæ prius *Perleonum* fuere: quibus cognomen dedit *Petrus*, *Leonis* filius, *Stephani* nepos, *Maximi* pronepos. Is magna in vrbe potentia autoritateque sub *Paschali* secundo fuerat. Cuius duo nepotes per seditionem ex vrbe profugi, ad Alpes venerunt: vbi circa Lucernæ lacum prædia & terras mercati, castrum in eo loco *Habenspurgum* excitarunt. At huic opinioni non modo annales Austriaci, & vetustissima monimenta reclamant, sed & hoc ipsum, quod illi tradunt, commentum esse ostendit: *alterum*, scilicet nepotum profugorum, fuisse Antistitem Argentinensem: cum tamen eius prorsus nulla fiat mentio in catalogo Pontificum, quem auunculus noster magno studio digessit. Vt taceam, quod inclita hæc Austrasiacorum stirps Principum longo ante tempore non solum præcessit Argentinensem ecclesiam, sed & ea primum illi, vt aiunt, lapidem posuerit. Est itaque verior eorum omnino sententia, qui nobilissimam *Habspurgiorum* familiam ex antiquorum Germaniæ Francorum Principum, deinde Galliarum & Austrasiacorum Regum sanguine deriuant. *Nauclerus* super tam varia scriptorum opinione generis *Rudolfi*, nihil pronuntiare voluit, non inscite dicens, summi Principis autoritatem a gestis rebus petendam, non a natione: quanquam & hæc fortassis est virtutis imago.

(7) *Auanticos* inter Narbonensis prouinciæ populos connumerat *Plinius* lib. 3. *Antoninus* credit *Auanticos* dictos ab *Auantico* Heluetiorum oppido, cuius excidium (apud *Tacitum* lib. Augustæ historiæ 17.) Cecinnæ milites poscunt. Id hodie Germanico vocabulo *Wyuelspurgum* vocamus. Veteres Heluetii, qui Galli erant, *Auenticum* dicebant. Bene igitur *Rhenanus* noster colligens euidens mutatorum cultorum argumentum, *Quid*, inquit, *Auentico, cum* Wyuelspurgo *conuenit?*

(8) Fingit Poeta *Apispurgium* oppidum apud *Auanticos* ab *Apis* nomine appellatum fuisse. Alludit autem ad antiquam Germanorum in Isidem religionem, quam magno cultu prosequebantur. Fingit ergo in honorem Isidis *Apispurgium* nominasse: quoniam Osiris maritus Isidis fuit, qui & *Apis*, & *Serapis*, vt diximus, appellatus est.

Vnde genus fluit Austriadum(1)*:longo ordine demum*
Succedit proauis Albertus(2) *imagine mæsta,*
255 *Lethiferumque gerit transfixo pectore vulnus,*
Impia crudelis detestans facta nepotis.
Hunc sequitur regnoque potens(3)*,dextraque*Rodulfus
Colla superiectis ducens Othocaron *ahenis*
Expirantem animam: a tergo stat proxima proles(4)
260 Hernestusque, Leopoldusque(5) *& maxima patris*
Effigies(6)*, iam digna Deo, nigrisque vehuntur*
Armentis, circumque atros ponuntur ad ignes.
Parte alia inferias, arsuraque munera Treuir
Gestabat lachrymans, meritosque impendet honores,
265 *Atque nouis ornant titulis: memoranda leguntur*
Facta Ducum, cum sæua dies,(7)*seriesque malorum est*
Germanas grassata vrbes, cum cedere victus(8)
(9)*Nec victor poterat, variisque euentibus actum est.*
(10)*Hinc iacta arma virum, clypei,currusque,tubæque,*
270 *Aureæ & æripedum phaleræ: præque omnibus ipse*
Spargit funereo spumantia pocula lacte
Cæsar, & (11)*hyblæas nascentia mella per vmbras,*
(12)*Corycium que crocum: molli cinis ater oliuo*
Fragrat, & infuso deferuent busta cruore.

(1) Eorum intellige Principum, a quibus descendit *Rudolfus* Habspurgius, Lantgrauius Alsatiæ, a quo longa retro serie paternum est genus *Carolo* Quinto, & *Ferdinando* Austriaco. Prisca enim gentis linea, quæ Sueuica erat, vt alibi dictum quoque putamus, fuit interrupta.

(2) Referendum est ad vetustam familiam Sueuicam, vel progenitores Habspurgiorum. Nam a *Rudolfo* accipi non potest vllus ordo: cum hic *Albertus* eius filius, dictus Imperator, a proceribus Germaniæ, pertæsis *Adolfi* Nassauii sordes & ambitionem, & suffragio *Bonifacii* Pontificis, & post *Adolfum* apud Vangiones prœlio superatum & occisum, a *Ioanne* fratris filio, interfectus fuerit post decimum Imperii annum. Habuit enim *Rudolfus* duos alios filios, *Hartmannum*, qui periit in vndis, & *Rudolfum*, patrem *Ioannis*, *Alberti* interfectoris.

(3) Inter-

(3) Interregnum a *Friderici* Secundi morte ad *Rudolfum* Habspurgensem per duodeuiginti annos fuit, vt Itali scribunt, & vt nostri, per viginti & tres annos: quo spacio quatuor super Imperio certarunt: *Henricus* Lantgrauius de Thuringia, qui in obsidione oppidi Vlmanatum sagitta periit: *Wilhelmus* Hollandus, qui in Frisiis occubuit: *Alphonsus* Rex Castellæ: & *Richardus* Comes Cornubiæ, frater Regis Angliæ. *Rudolfus*, vt a Principibus pari suffragio, ex Comite, vti tunc vocabatur, Imperator declaratus fuit, statim ex eo tempore rebelles (vt aiunt) Imperio, ob diutinam vacationem factos in Sueuia, Franconia, & Alsatia, nec non aliarum regionum, in ordinem redigere cœpit. *Othocarum* Regem Boemorum potentissimum, Imperialis iuris occupatorem, bello vicit, Austriacumque Ducatum, & quicquid illi accedebat, vel ditionis, vel iuris Imperio restituit, quod & obiter lib. 1 narrauimus. Habito Erfordiæ metropoli Thuringiæ conventu frequenti, supra septuaginta prædonum castra funditus diruit, multos ex Imperii rebellibus vltore gladio percussit, nihil omnino quod ad Augustum Principem pertinebat, neglexit. Italiam consulto partium studiis reliquit. A cuius ingressu cur abstinuerit, cum quandoque rogaretur, respondisse fertur apologo Horatiano, *Quia me vestigia terrent, Omnia in aduersum spectantia, nulla retrorsum.* Videlicet significaturus, nemini ex Germanis Principibus prospere aduentum in Italiam cessisse.

(4) Scilicet *Alberti* interfecti, & ab eo descendentium. Is suscepit, quos & superstites reliquit, sex filios, *Fridericum, Leopoldum, Albertum, Henricum, Othonem, & Rudolfum*, ex *Elizabetha* filia Ducis Carinthiæ & Comitis Tyroli.

(5) *Ernestos* tres, *Leopoldos* quatuor in hac linea reperio: quorum seriem texuit diligenter *Nauclerus*, exactius *Stabius* noster, cum in Arbore Gentilitia, tum in eo opere, quod magno labore & industria *Maximiliani* tam iussu, quam ingeniosissimi etiam Principis ductu absoluit: cui, *Porta honoris*, nomen inditum est. Ego solebam *delicium oculorum* appellare. Est instar arcus triumphalis, cuius interpretationem Germanicam & ryhtmos, *Strulius* Poeta & in prosam & carmen latinum transtulit. Cœpit item *Maximilianus* librum Genealogiæ suæ, in quo late referebat ea, quæ iam dictis operibus verius indicantur, quam explicantur.

(6) Scilicet *Friderici* Imperatoris, qui eius *Ernesti* filius fuit: qui ex Regina Poloniæ genuit V filios, *Rudolfum, Leopoldum, Ernestum, Albertum, & Fridericum.* Ex quatuor prioribus non remanserunt descendentes, vt ait *Nauclerus*. *Fridericus* autem postea Imperator, ex *Leonora* Portugalliæ Regis filia, treis liberos suscepit, *Christophorum, Ioannem, & Maximilianum.*

(7) Id est, ordo belli Norici.

(8) Scilicet Palatinus.

(9) Id est *Albertus*, non enim ad *Maximilianum* referas: quia exoratus statim pepercit.

(10) Quid in decorandis funeribus obseruabatur, ab antiquis refert. Idem *Huttenus* in Heroico Panegyrico obseruauit.

(11) Tria sunt loca, in quibus mel optimum prouenit, *Attica, Sicilia, Calimne* insula. In *Attica* præcipue *Hymeto* monte. In *Sicilia* apud *Hyblam*. Dubitat *Plinius*, quid sit liquor ille, vnde apes mel colligant. Qui naturam mellis persecuti sunt, tradunt idipsum plurimum vitæ hominum accommodum, eosque macrobios effici, qui mellis cibo vescantur assidue. *Democritus* interrogatus, qua nam ratione quis a morbis liber fieret? *Si melle*, inquit, *interna, extima vero oleo irrigaueris.* Is idem *Democritus* assidue melle vsus, in annum supra centesimum vitam protulit. Pythagoræ præterea sectatoribus, panis & mel plerumque cibus erat. Notum est de re in modum suaui dici, *Mellis medulla*, vnde & *Ennius* apud *M. Tullium*, quendam *Suademedullam* appellat, ob singularem suauiloquentiam. Nam quod optimum est, id videtur natura intime recondidisse, vnde & illa passim obuia, *in medullis & medullitus amare*, non dissident a simulacro prouerbiali.

(12) *Corycos* ciuitas est *Ciliciæ*, vt scribit *Seruius* libro 4 Georg. Inde aduehebatur Crocus omnium optimus, author *Dioscorides*. *Plinius* lib 22 cap. 6, Crocum gaudet calcari, & sic melius exit: quare seritur iuxta vias ac fontes: emittit florem cum folio in occasu Vergiliarum, eodem *Plinio* autore. Dicitur autem & *crocus* masculino genere, & *crocum* neutro, vt & apud Græcos. *Specus Corycius*, quem nullus, teste *Camerte*, copiosius describit *Pomponio Mela* libro primo. Habet nomen a *Coryco* vicino oppido supra dicto. Sed & *Solinus* de ipso specu multa in Ciliciæ descriptione. Est & eiusdem nominis specus in Parnaso monte, de quo *Herodotus* in 8, *Statius* 7 Thebaid. *Coryciumque nemus, propellentemque Lilaam.* Porro vnde natum sit adagium, *Corycaus auscultauit*, vbi quis id, quod agit, conatur dissimulare, tamen a curiosis deprehenditur, *Erasmus* explicat Centuria 2 Chiliadis 1.

275 *Tunc equites circum primo, turmæque dolentes*
Perrexere pyram, ter cuncti ex more sinistrum
Lustrauere rogum, terque arma illisa fragore
Horrendum tonuere, litantque ad busta bidentes;
Hic iacet in flammam pharetras, ii cingula soluunt:
280 *Libamenque vmbris donant: iamque ipse laborum*

Ordo exhaustus erat, cineresque elapsus in imos
(1)Mulciber, extremis tunc Cæsar funera verbis
Prosequitur, lætasque affatur talibus vmbras;
Felices animæ, quibus est (2)suprema peracta
285 *Sors vitæ, terrisque datum genus a Ioue summo,*
Iam salue atque vale, pigeat nec tendere ad alta
(3)Astra, vel (4)Elysios inter considere patres.
Nec vereare, diem quem nunc sacrauimus(5), olim(6)
Semper honorabo(7), centumque ad templa bidentes,
290 *Setigerosque sues, taurosque litabo quotannis*
Nigrantes tumulis, Manesque ad sacra ciebo.
His dictis magna heroes comitante caterua
Austriadem Leti magnum intra limina ducunt,
Et curas demunt epulis, & vina propinant.

(1) Vulcanus, ignis.

(2) Suprema verba, quæ vmbris dicebantur, vt Maro, *dixitque nouissima verba.* item, & *magna supremum voce ciemus.* Scilicet *Vale* & *Salue*, vt etiam alibi dictum est.

(3) In quæ putabant animas heroum defunctorum proficisci.

(4) Qui in campo Elysio sunt. In quo apud Græcos iusti demorantur, post mortem eo se conferentes, quemadmodum iniusti ad Cocytum vadunt. Hunc nonnulli apud inferos, nonnulli sub concauo orbis Lunæ esse putant, nec desunt qui Elysium putent esse ipsas insulas fortunatas. Lege *Strabonem* 1 & 3 Geographiæ lib. *Plautus* in Trinummo, *Sicut fortunatorum memorant insulas, quo cuncti, qui ætatem egerunt caste, conueniant: contra istoc detrudi maleficos, æquum videtur, qui quidem istius sint modi, hospitium est calamitatis.*

(5) Hoc est, sacris scilicet inferiis prosecuti sumus.

(6) In futurum.

(7) Indicat *Hecatomben*, quod sacrificii, vel immolationis genus maximum erat apud antiquos, cum centum scilicet victimæ immolabantur.

295 *Interea currus referebat septima cœlo*
Luna laboriferos, lucemque reuexerat orbi,
Optatumque diem Phœbus, quo quisque probaret
Virtutem, atque animum magnis assuesceret actis.
Iamque aderant festa redimiti tempora fronde
300 *Turba Coloniadum pueri, innuptæque puellæ,*
Fama vocat cunctos, pugnaturæque cohortes
Cæsarei properant clamata ad classica ludi.
(1)Est locus extra vrbem, quem passim vmbonibus agger
Ambit, & amplexu vallem tenet, algida sacro
305 *Silua viret luco, & cliui spectantur aprici*
Surgere paulatim, sedesque simillima circo(2) est:
Hic late apparent scabro subsellia topho
Natura confecta loci, qua Pana, Deosque
Siluicolas Dryadum sæpe indulsisse choreis
310 *Accipimus, Satyrosque Palem(3) incendisse bicornes,*
Cum ciet agresti siluestria numina cantu:
Illuc mane nouo, Phœboque rubentibus agris
Conuenere omnes, vocesque per alta volabant
Culmina saxorum, fractusque reuerberat aer,
315 *Siluarumque altis respondent plausibus vmbræ.*

(1) Adnotamentum marginarium primæ editionis admonet, vt est, Ficta loci descriptio. Circo enim Romano alludit, vbi huiusmodi ludi exercebantur.

(2) De Circo lege *Pii* doctissimi viri commentaria in Plautum. Circi autem Romæ tres fuerunt, Circus *Maximus*, Circus *Flaminius*, & Circus *Neronis* in Vaticano. Circenses autem ludi dicti, vel a *circuitu*, quod metas circumibant, vel quod vbi postea metæ fuerunt, olim *gladii* ponebantur, quos circumibant, ab ensibus *Circenses* appellati, quasi *circumenses*. *Seruius* 8 Æneid. notat Maronem dixisse *Circenses*, sine adiectione ludorum: sed eius sententiæ multorum veterum autoritas refragatur. Qui autem sint *Circenses ludi*, sat puto esse perspectum ex *Tranquillo*, *Seruio*, & ceteris.

(3) Pabuli Dea *Pales*, quam alii *Vestam*, alii *Deum matrem* esse contendunt, vt scribit *Seruius* libro tertio Geographiæ. Eius festa *Palilia* vocantur Persio, *Fumosaque Palilia fæno.*

(1)Ac primo Argyloras, prisco de sanguine cretus
Amphithii, qui Marte Getas, belloque furentes
Perdomuit, sed magna olli fortuna refrixit(2).
Nam pulsus regno, Cathorum venit ad oras.
320 *Ex illo satus hic, celeres ad fræna iugales*
Impellit, niueos maculis cingentibus harmos.
His furor indocilis, pedibus concussa remugit
Æratis tellus, inhiant(3) perflantibus altas
Naribus exuuias, optataque præmia palmæ.
325 *Mox Frisia regione Thoas, certaminis ardor*
Olli par gliscit, cum despumantia colla
(4)Quadrupedantum vel laxat, vel frænat equorum(5).
Impetit (6)alipedes, quos (si nos credimus) vndas
Æquoreas tranasse ferunt, & sæpius æstum
330 *Arctoo in Ponto perhibent superasse natando.*

(1) Nomina scribuntur eorum, qui curru decertauerunt.

(2) Quibus quamque potentibus nostra ætate iuris similis euenerit fortuna, meminit *Erasmus* in explicatione adagii primi centuriæ quintæ Chiliadis secundæ.

(3) Significat ita cupide appetere, vt hiatum oris emittas. *Inhiant*, interpretatur *Seruius*, habere desiderant, & dicimus *inhio illam rem*, & *illi rei*. *Apuleius* lib. 3 Asini aurei, *His inhians, & spe salutis alacer latus propius accessi.* Statius, *Fraternos inhiantem obitus.* Plautus, *Tuam hereditatem inhians, quasi esuriens lupus.*

(4) *Lucretium* sapit versus vel *Ennium*. Ludouicus Bigus; *Vel magno vel equo quadrupedante vehi.*

(5) Equi, vt quibusdam placet, ex eo dicti sunt, quod cum quadrigis iunguntur, æquari videantur, paresque forma & cursu similes copulentur. Qui fabulas consectantur, scribunt Neptunum percussa in Petreis Thessaliæ campis tellure, primum equum, animal, bellis aptum produxisse. Vnde *bellatoris* epitheton a poetis sortitus est. *Maro* Georg. 2, *Hinc bellator equus campo sese arduus infert.* Idem lib. 10 Æneidos, *& inter Bellatoris equi caua tempora coniicit hastam*, & vndecimo, *Post bellator equus positis insignibus Æthon.* Item *Ouidius* lib. Fastorum 1, *Nec bellatoris terga premuntur equi.* Idem lib. 15 Metamorph. *Pressus humo bellator equus crabronis origo est.* *Probus*, & *Seruius* primo libro Georgico, fabulæ originem ad naturam referunt. *Columella* equinum genus tripertito diuidit. De equis lege *Aristotelem* lib. octauo Naturæ animalium, *Varronem* secundo de Re rustica. Quando, & cur se equus homini subiecerit, canit *Horatius* Epistola decima primi. In generosis equis, vt aiunt veteres, quatuor expectantur, forma, pulchritudo, meritum, color. Hæc haud indocte quidem, vt *Camers* testatur, explicat *Isidorus* capite primo duodecimi Etymologiarum libri: quo loco abunde de equis disserit.

(6) Quasi habentes pedes alatos, ob miram leuitatem. Maro, *Alipedumque fugam cursu tentauit equorum.* Item *Maro* Christianus in Exhortatione ad Reges Christian. *Alipedes saliunt in equos, rapidissima tranant Flumina.*

Quin & Pannonio properans de vertice Lynceus
(1)Iazige præstat equo, & cursus regit ille volantes.
Segnior hibernis Boreas Ponto incubat alis
Euxino, verritque vndas, minus effurit Auster
335 *Feruida (2)gemmiferi cum turbat littora (2)rubri.*
Nec te transibo, Geticis duo fulmina frænis
Qui regis Harmontes, hic cinctus pelle leonis
(3)Infandum visu est, crudis micat intus abacta
Lux oculis, cadit anguitenens a fronte Medusa,
340 *Tortilibusque Afer nodis exsibilat aspis:*
Huius equi Austriaco certare in puluere sueti,
Sessorem excutiunt fremitu, vincuntque lupatos.
Inde Dryas, fortisque Linus, veloxque Melampus,
Ambo armis, curruque ambo, lucentibus ambo
345 *Est clypeis spectare pares, vter vrgeat axem*
Fortius, incertum est: sequitur quos cetera pubes.
Nec mora, (4)magnanimi scabrosa sedilia circum
Consedere Duces, circumfusæque cohortes
Mistaque montanas replerunt agmina rupes.

(1) Iazyges Pannoniæ inferioris populi sunt, contigui Transsyluanis: vnde optimi ad cursum ætate nostra equi aduehuntur.

(2) Mare rubrum duos, vt infra dicemus, complectitur sinus, *Persicum* scilicet, & *Arabicum*. In *Persico* vniones, id est margaritæ laudantur, conchæ genus, ex quo margaritæ vnionesque velluntur, *Berberion*, & *Berberi* ab incolis nominantur, pinnæ, aut pectunculi effigie. *Sabinus* & *Pomponius* iureconsulti margaritas nec gemmis, nec lapillis contineri satis constitisse aiunt, tit. 2. 34 Digestorum. Gemmæ enim, vt inquit *Pomponius*, sunt perlucidæ materiæ, vel vt smaragdi, chrysolithi, & amethysti: Lapilli autem contrariæ superioribus naturæ. Plures gemmæ sunt, quæ ab animalibus sortiuntur cognomina, vt *Carcinias*, *Scorpites*, *Scarites*, *Triglites*, *Ægophtolmos*, *Geranites*, *Hieracites*, *Æatites*, *Myrmecites*, & sexcentæ aliæ huius genus, vt ait *Camers*. Nec indignum relatu est id, quod ab *Budæo* annotatum est, dici fictitias gemmas, quæ scarificationi cedunt, *Plinii* testimonio, qui libro 35 scribit, *Fictitia gemma sacrificationi cedentes candicantiam fugiunt*, vbi forte *candicamia* septimo casu legi debet. Idem *Budæus* ordinem gemmarum autoritatis eruditæ recenset lib. de Asse 2. Sed quis ignorat, translatiue *gemmam* in *vite* dici a rerum rusticarum scriptoribus? quam eleganter explicat *Cicero* in Catone Maiore. Idem de perfecto oratore ad Brutum, *Rusticorum*, inquit, *metaphora sunt gemmare vites, lasciuire agros, latas esse segetes, luxuriosa frumenta*. Sed ad rubrum mare reuertamur, a quo Persicum sinum *Camers* ita separat, vt *Hieronymi* & *Iosephi* de Euphratis exitu, itemque *Herodoti*, *Curtii*, & *Diodori* sententiam, *Plinii*, *Solini*, & *Ptolemæi* contrauenire traditioni existimauerit. Quum hi tamen sola nomenclatura diuersi eundem sinum intelligant, est enim *rubri maris* pars sinus *Persicus*, quemadmodum & *Arabicus*, id quod *Plinius* & *Pomponius* docent, & *Strabo* testatur. *Herodotus* quoque lib. 4 sinum Persicum rubrum mare vocans: *Altera*, inquit, *ora a Persis incipiens porrigitur ad* rubrum mare, *quod & Persicum vocatur: dein gradatim Assyria, atque inde Arabia, desinitque in sinu Arabico*. *Plinius* lib. 9 de Vnionibus. Præcipue autem laudantur circa Arabiam *in Persico sinu maris rubri*. Est ergo, vt *Vadianus* noster colligit, rubri maris vocabulum generale *Persico* & *Arabico* sinu.

(3) Sic potius legerem, quam *infandus visu*.

(4) Pro *magnanimum*: vt mox, *repleruns*, pro *replebunt* legendum est, vt codex melior habet.

350 *At Cæsar populis, solio venerandus ab alto,*
Os sacrum ostendit, venientumque aspicit ora.
Qualis & aurigam melius vehat orbita campo,
(1)*Quisve acres defrænet equos, cursuque retardet*
Effusos, retrahatque, & gyros cogat in arctos.
355 *Dum mores, habitusque notat, dum singula lustrat*
Et dictis acuit magnis, animatque pauentes,
Carceribus clauduntur equi, normaque retenti
(2)*Obicis, hi fremitant, illi (mirabile visu)*
Claustra terunt, nequeuntque moram, nec tarda rotarum
360 *Bella pati, trepidant auidi, motuque magistros*
Sollicitant, altumque grauis cauat vngula terram,
Spumantisque auidus feruescit anhelitus oris.
Qualis in Arcadii Pholoes cum vertice vidit
Errantem(3) *Spartana feram canis: instat eundi*
365 *Huic furor: & crebris resonant latratibus vmbræ.*
Stat pastor, lorumque tenet, dextraque furentem
Sedat, & inuitos animos in vincla coercet.
Vtque pares visi, (4)Tyrrhena per æquora circum
(4)*Æra altum sonuere, ruunt per plana: veluti cum*
370 *Fulmina desiliunt, vel ab altis montibus amnes.*
Conclamant omnes passim, quis fortius eya
Impulerit radios, metæque reflexerit axem?
Talia vociferans fatur dum turba, feruntur
Ex oculis, & nube axes conduntur operti
375 *Puluerea, tantum voces, & verbera noscunt*
Proxima: feruet humus subter, flammæque volantum
Naribus exiliunt: superis pater astupet astris
Iuppiter, & Getico properans a Strymone Mauros,
Miratur pugnasque virum, currusque, manusque
380 *Insertas, & lora simul miratur adacta,*
Verbera, & aurigas largo sudore natantes.

It

It ſtridor cælo, ferit aurea ſidera clamor,
Viciniqúe omnes aſſultant vocibus agri.

(1) Hoc eſt, quis melius laxet in curſu. Depingit hic equorum Hiſpanorum morem, quos *Ianneios* appellant, qui miræ ſunt & docilitatis & dexteritatis. Getici equi, & Turcici, & quos Tranſyluanos appellamus, cum docilitate vincantur, curſu iugi & longo nullis cedunt. *Rauiſius Textor* in Epithetis refert locos, qui equorum præſtantia ſunt memorabiles. Porro equis ineſſe iudicium, documentis plurimis patefactum eſt, vt docet *Solinus* de equorum natura cap. quinquageſimo ſeptimo. Nomenclaturas eorum tradit *Rhodiginus* lib. antiquarum lectionum vndecimo.

(2) Ab *obice*, & non *obiicio*, vt ſenſus ipſe expoſtulat: vnde per ſimplex *i*, ſcribendum. *Seruius* dicit, *melius* hic obex, *quam* hæc obex *dicimus*. *Obices*, peſſuli, ſeræ, inquit *Feſtus*.

(3) Ita enim a regionibus appellantur, qui boni ſunt ſeminis. *Columella* octauo Agriculturæ lib. tria docet eſſe canum genera. Quali autem forma eſſe debeant canes, tradit ſecundo Agriculturæ lib. *M. Varro*. Plura item eo pertinentia refert *Columella*: ſed non niſi de Villatico cane ſcribit. De multiplici autem canum genere *Plinius* in decimo & *Ariſtoteles* lib. ſexto Naturæ animalium. *Columella* non aſſentitur iis, qui canes inter mutos cuſtodes annumerandos cenſent. *Nam quis* (inquit) *hominum clarius, aut tanta vociferatione beſtiam, aut furem prædicat, quam iſte latratu? Quis famulus amantior domini? quis fidelior comes: quis cuſtos incorruptior? quis excubitor inueniri poteſt vigilantior? quis denique vltor, aut vindex conſtantior?* Quod & a *Camerte* relatum eſt in enarrationibus Solinianis.

(3) Id eſt, *Laconica*. Canes ex Laconia laudantur a *Varrone*.

(4) Id eſt tubas, quæ ex ære fiunt, & ductiles appellantur. Tubam æneam *Piſeum Tyrrhenum* inueniſſe tradit *Plinius*. Inter *lituum* & *tubam* hoc diſtare inueni, *Acron*, inquit: *Lituus* equitum eſt, & incuruus: *Tuba* vero peditum eſt, & directa. *Gellius* ſcribit, quod tuba a ſonitu lituus appellata eſt. *Maro*, etiam ait, *Et lituo pugnas inſignis obibat & haſta*. Et Ouidius, *Non tuba directi, non æris cornua flexi*, & cetera. Quibus quidem exemplis apparet ferme *Acronis* differentiam conſtare.

Dum curſum agglomerant, obliquas flectit habenas
385 *Argyloras, curruque citus dat lora ſecundo,*
Hippeonque acrem, velocemque arguit (1) Æthon
Certantes ventis, & nubila prætereuntes.
Ii flauas iactare iubas, capita ardua ferre
Ad metam, & vaſtis diſrumpere flatibus auram.
390 *Non tulit Hermontes, (2) Piſcis tempora cinctus*
(2) Frondibus, inſultat contra, taliqúe morantes
Voce ſuos affatur equos; Proh dedecus ingens
Ardua Geſoracis geſtis certamina arenis
Victores, nunc qui vobis formidine tanta
395 *Crura labant? quæ deſidia hæc? agite ite, prioremque*
Eripite a palma, dixit. velocior Auſtro
**Argyloram (3) exequar curſu, iam cominus axes* *al. Argyloram
Axibus vrgentur, paribuſque per æquora iuncti
Decurrunt ſpatiis: dumque alter, & alter anhelans
400 *Impellit radiis radios, flammata rotarum*
Compago reſoluta ruit, ſtetit orbita pueri
Argyloræ defixa ſolo, longeque cadentem
Præterit Hermontes, campoque infertur aperto.
Dant plauſus tanto diſcuſſa ſedilia caſu,
405 *Dum volat ad metam ſubito perculſa pauore*
Vocum, armenta retrocedunt, duroque magiſtro
Fluctuat huc illuc ſonipes: tunc fræna relaxat
Ipſe Dryas, Linus inſequitur celeri axe Dryanta.
Parque Lyno Lynceus, interque Melampodis illos
410 *Arua rapit ſonipes læua, turbatque, abigitque*
Amborum fræna, & miſſus remoratur anhelos.
Indignum Linus exclamat ſe opponere campo,
Dum ruitur metæ. ſic altercantibus illis
Peruolat ante Dryas, ſed poſt ſua terga Thoanta
415 *Cernere erat, pronumque iubis vrgere iugales.*

Non

Non aliter pauidas Alpino vertice damas
Insequitur post terga canis, similisque tenenti
Fallitur, atque auido præda euanescit ab ore.

(1) Nomen equi, eodem nomine vnus ex equis Solis appellatur, item Pallantis apud *Maronem*, quem scribit lib. vndecimo, domini mortem fleuisse. Siquidem memoriæ proditum est, equis tantam esse in dominos beneuolentiam, vt prosperis eorum successibus hilares adhinnire, sinistros vero deflere sæpe numero visi sunt. Vide quæ hac de re oculata fide tradit *Rauisius* in vocabulo *Equus*. *Accursius* noster refert, Cæsarem triduo antequam moreretur, Asturconem suum flentem inuenisse, futuræ quidem mortis indicium. Quod fidem non caperet, nisi *Tranquillus* in eiusdem vita simile quid testaretur. *Proximis diebus*, inquit, *eorum greges, quos in traiiciendo Rubicone Marti consecrauerat, ac sine custodibus vagos dimiserat, comperit pabulo pertinacissime abstinere, vbertimque flere.* Equorum quorundam nomina a Poetis celebratorum recitat idem *Rauisius* loco supra citato.

(2) Id est, *triumphalibus*, nam victores in agone Olympico, quem in honore Olympici Iouis celebrabant, coronabantur. Fiebant autem inter *Pisam* & *Elidem*, vnde Iupiter *Pisaus* & *Eleus*. Maro, *Hic & ad Elei metas.* Quod genus ludi Græci *Pentlatum* dicunt, nos item *Quinquertium*: quia quinque artibus constabat, disco, cursu, saltu, luctatione, pugno. De his Græciæ ludis lege *Gellium*, & *Lactantium* grammaticum in principio sexti Thebaid. quod & alibi indicauimus.

(3) Argyloram legas, & infra Argyloræ, pro Argylori, iuxta exemplar emendatum.

Ecce Medusæis iterum serpentibus horrens
420 *Crinalem attollit contracta fronte cerastam,*
Transabiensque fuga, vicinos territat axes
Improbus Hermontes, aliosque coercet euntes.
Isque volat, veluti nigrantis Iuppiter aulæ(1)
Cum pulchram Sicula prædam deuexit ab Enna(2).
425 *Quem circum Eumenides flammas per inane rogales*
Extollunt, visoque polus pallescit ab hydro(3),
Et curru excutitur subita formidine Titan.
Dum nullo regit æripedes moderamine, circi
Liber equus per aperta vagans dispendia campo
430 *Lustrat, & intactam ter circum serpere metam*
Iam negat: ipse auidus dum fræna madentia collo
Attollit, gestitque miser retinere furentes
In caput elapsus, pronusque in verbera terram
Ore ferit: gemit excussis serpentibus atra
435 *Phorcynis, virusque altum vomit, & ferit auram.*
Ille indignanti similis, similisque minanti
Iniustos vocat ore Deos, iniustaque mundi
Sidera, & anguicoma denudat casside crines,
Impingitque solo: ferit vngue reuincta colubris
440 *Tempora, vipereumque furens terit ore venenum.*

(1) Pluto.

(2) Siciliæ oppidum, cuius laudes scribit *Cicero* in Verrinis, raptu Proserpinæ clarum. Vnde *Ennaea Ceres*, quia habuit iuxta *Ennam* augustissimum templum. Silius, *Hac Cerere Ennaa, Phario nec victa colono.* *Ennaa Cereris* simulacrum describit *Cicero* itidem in Verrinis. Constat autem & *Ætnam* oppidum in Sicilia esse, quæ *Adranium* quoque dicta fuerit: ea re factum, vt apud *Claudianum* lib. Raptus primo, vbi hic versus est, *Ætnea Cereri proles optata virebat.* *Ianus Parrhasius* doctissimus grammaticus, dubitat *Ætnaa* ne, an *Ennaa*, scribendum sit. Et *Ciceronis* codices fere *Ætnam* pro *Ennam* habent. At vero quoniam vrbem præcipuam fuisse *Pomponius* indicat lib. secundo, & *Cicero* eum locum in vmbilico Siciliæ esse, fama celeberrimum scribit *Ennam*, non *Ætnam*: vtrobique legendum existimat Vadianus eruditissimus. Id quod, ipso teste *Vadiano*, *Laurentius Abstemius* non incelebris grammaticus lib. Obscurorum locorum secundo confirmat. Quanquam videam apud *Claudianum* tam *Ætnea* legi posse, quam *Ennaa*: quod argumento raptus Proserpinæ non repugnet, hoc ne, an illo modo legas. Sunt qui apud *Valerium*, *Solinum*, & *Lactantium* *Ennam* legendum contendant, non *Ætnam*: & *Ennensem* Cererem campumque, non *Ætnensem*, de quo tamen quo minus certe pronunties, cum loci fecere finitimi, tum etiam quod affinia locorum nomina pro errore inuerti corrumpique, & in mutuum abire vsum potuerunt, vt *Vadianus* admonet, non parum prudenter.

Quidam

Quidam autem tradunt Proserpinam raptam a Plutone apud *Olestrum*, non longe a Cephiso flumine. Vide *Pausaniam* in Atticis. Proserpina, vt in temporibus ex Philocoro *Eusebius* refert, reuera ab *Orcho* Molossorum Rege, qui alio nomine *Adoneus* dictus est, rapta fuit, eo scilicet tempore, quo Erichthæus Atheniensium regnum tenebat, hoc est, circa annum octingentesimum supra tria millia ab orbe condito. Qui fabulosa ad physicam rationem conantur reducere, aiunt Bonam deam, quam & Persephonem vocant, virtutem seminum esse, Plutonem vero Solem: qui tempore hiemis remotiorem mundi partem perlustrat. Idcirco raptam ab eo Proserpinam dicunt, quam Ceres sub terra latentem quærit. Lege item *Fulgentium* lib. primo.

(5) Quoniam furiæ finguntur habere crines serpentium.

Non secus excussis Dyrcæis mœnibus Heros
(1)Oenides, (2)canibus diris agitatus auerni,
Ore truentato tristem (3)Menalippon (4)adedit.
Turbatum casu Cæsar, raptumque furore
445 *Demulcet verbis, & sæuas temperat iras.*
Terror equos agitat, creber quatit ilia flatus.
Ii tamen in cursu perstant, & forte propinquus
Substiterat metæ. contra indignatus euntes
(5)Emeritus sonipes, nunc hos, nunc impetit illos
450 *Calcibus, & morsu cunctos depellit hiante,*
Stat globus aduersum, & contra glomeratur, & vna
Vi tentat depellere equos, magis ardua perstant.
Tunc iuga sanguineus circum spumantia anhelat
Ora furor, gaudent nullo impellente magistro
455 *Effera laudato committere prælia campo.*
Dum pugnæ incumbunt, iunctos compagine currus,
Agyloras volat inde noua, nec tendere contra
Est ratus æripedes, læua deflexit habenas,
Obliquumque rapit præceps, ac deuia campi,
460 *Nec mora subtollens oculos ad sidera cæli*
Affatur Superos, adsis o Rector olympi,
Et tu qui vultu lustras mortalia Titan.
Hanc ego, si victor, vestris dabo munere palmam,
Suspendamque tholis, axes & lora dicabo,
465 *Dixit, & alipedes tortis calcaribus vrgens*
Felicem metam, tandem insperatus obiuit
Ter circum, propiusque intra tulit orbita gyros.
Sic tandem Argyloræ mansit victoria fræno.

(1) *Tydeus* Oenei Calydoniæ Regis filius.

(2) Id est, *furiis infernalibus*. Lucanus, *Iam vos ego nomine vero Eliciam, stygiasque canes in luce superna Destituam.* Dicunt canes apud inferos vocari, apud nos furias, apud Superos diras & aues. Maro, *Atque procul vt dira stridorem agnouit & alas.* Idem, *ne me terrete timentem Obscœna volucres.* tamen promiscue quoque posita reperies.

(3) Fratrem scilicet, vnde secundum legem, sicut etiam *Homerus* dicit, vt reus homicidii exularet, Tydeus conscius parricidii dimisit paternum regnum. *Statius* lib. Theb. primo, *Ecce autem antiquam fato Calidona relinquens Olenius Tydeus, fraterni sanguinis illum Conscius horror agit*, &c.

(4) Id est, penitus corrosit, comedit. Vsus est compositione a simili, *amo, adamo*: vnde *adesum* dicimus, & *exesum*, consumptum, corrosum.

(5) Id est, doctus, assuetus cursui. *Emeriti* enim *milites* dicuntur, qui a longa soluuntur militia. Nam *merere*, vt *Lucani* exemplo ostendimus, pugnare est.

Excipitur plausu vulgi, cinctusque corona,
470 *Aurea(1) sublata tangebat sidera dextra.*
Olli magnanimus Cæsar dat munere pulchras
Ex auro (2)phaleras, circum (3)Melibœa figuras,
Vt viuas, depinxit (3)acus: (4)ceu languida Thysbe
(5)Nocturnas egressa domos, custode relicto
475 *(6)Busta Nini quærit: ruit atro sanguine tinctus*
Ora leo, gestitque sitim sedare calentem.
Hæc fugit, hic sequitur, delapsaque carbasa fœdat

Dente cruentato: properans inuenta resumit
Pyrrhamus, atque oculos ad conscia sidera tollens,
480 *Testatur mortem infandam, simul horridus ensem*
Vagina eripiens, pectus transuerberat illo.
At Thysbe infelix, iam pallida morte futura
((7)Heu præsaga mali miseris mens) horret, & audet
Iam secura sui, flauentesque vngue capillos
485 *Scindit, & exanguem tremebunda voce per vmbras*
Pyrrhamon exclamat, compertus lumina tantum
(8)Extulit ad Thysben, visaque recondidit illa.
In dubio trahit ægra animos, furor vrget amantem
Ad scelus, & tandem mortis formidine abacta,
490 *Incumbit gladio, vitamque miserrima rumpit.*

(1) Mos Germanorum, in lætitia vibrandi ad cælum manus.

(2) Phaleræ ornamenta equorum sunt.

(3) A *Melibœa* Macedoniæ, vbi depingendi acu vestes, filisque sericeis flores, montes, flumina effigiare vsus erat. In phaleris ergo Thysbes fabula depicta erat, quæ auro ornatæ erant, sed ex panno confectæ. *Melibœam Philoctetes alumnus illuminat*, inquit *Mela*, quem Hercules cum hominem in OEta exuturus esset, suis sagittis donauit: & ne corporis reliquias monstraret, vetuit. Ad quod sexto libro *Lucanus* allusit, cum inquit, *Pretioque nefanda Lampados Herculeis fortis Melibœa pharetris.*

(4) Nota historia apud *Ouidium* ex quarto Metamorph.

(5) Statuerant enim Piramus & Thysbe, vt canit *Ouidius*, *vt nocte silenti Fallere custodes, foribusque excedere tentent. Cumque domo exierint, vrbis quoque tecta relinquant, Neue sit errandum lato spatiantibus aruo Conueniant ad busta Nini.*

(6) Id est, sepulcrum: cuius meminit *Diodorus Siculus* libro tertio.

(7) Sic omnino legendum ex restituto codice ad Poetæ codicis collationem.

(8) Color sumptus ab *Ouidio.*

Sed vos Hermontis fidissima cura iugales
Haud frustra tantum putri bellastis arena,
Hos Cæsar fræno, & pulchris donauit habenis.
At tibi, qui propius metam rapis æquora, Lyncem,
495 *Præbetur (1)Tyrio (2)rursum saturata colore (1)*
(3)Lata chlamys, vario viuit circumflua limbo
(4)Fabula Thesidæ, & miserandæ (5)Procridis ignes,
Atque amor (6)Alcestæ; rigidum cratera Thoanti
Ex auro donat Cæsar, quem (7) Pergama circum
500 *Finxit (7)Apollineo manus exudata labore,*
Cadmæasque (8)lyra tollentem Amphiona Thebas.
Inde Dryas quoque munus habet, fortisque Melampus;
Hic sibi gemmato circumdedit ilia baltheo,
Ille Thuringensi geminos tulit ære lebetas.
505 *Postremum famula Linus est donatus Eoa.*

(1) Dipapham vestem signat, id est bis tinctam, autore *Plinio.*

(2) Purpureo. Eodem tradente Tyrius color laudatur nigricans aspectu in colorem concreti sanguinis, & dicitur *Tyrius*, a *Tyro*, quondam insula Phœniciæ, quæ purpura & conchilio censetur.

(3) Viatorium, vt ita dicam, vestimentum erat, declarat *Plautus. Puer*, inquit, *cape chlamydem, & da pallium: tamen chlamydem hanc tene, vt si hæc vera non sint, rursus deposito pallio, eam sumam, atque inceptum hoc itiner perficere exequar.* Primus tamen Numa Pompilius in vsum recepit, autor est *Plinius.* Dixit ergo, *lata chlamys*, ad nostra tempora respiciens, & quodammodo ea suggilans, in quibus etiam chlamydes latissime fiant.

(4) *Id est, Phædra*, quæ Hippolyti capta amore fuit, vt latius *Seneca* in Tragœdia scribit, & *Ouidius* in Heroicis.

(5) Et huius fabulam idem canit in Transformationibus.

(6) Peliæ Regis Thessaliæ fuit filia, forma insignis, Admeto nupsit: hæc adeo maritum dilexit, vt in eius graui morbo, ex quo euadere non poterat, nisi aliquis eius loco moreretur, ita enim Apollo prædixerat, voluntariam pro mariti incolumitate mortem subierit. Hanc demum ab Hercule dicunt Admeti precibus retractam fuisse.

(7) Id est, quæ Apollo ædificauit. Nota historia apud *Diodorum* de Laomedonte: qui cum cingere muris Troiam vellet, operarios conduxit Neptunum & Apollinem: quibus absolutis, Diis mercedem soluere noluit. Illi indignati, Apollo pestilentiam immisit, Neptunus maris illuuionem, quæ abigi non potuerunt, nisi humana victima singulis annis

nis exponeretur marinæ belluæ: quod vsque ad Herculis aduentum seruare Troiani coacti sunt, qui etiam precibus Laomedontis exoratus, monstrum marinum, liberata Hesione, Laomedontis nata, interfecit.

(8) *Solinus*, ait; *Thebas condidit Amphion: non quod lyra saxa duxerit (neque enim par est, id ita gestum videri) sed quod affatus suauitate homines rupium incolas, & incultis moribus rudes ad obsequii ciuilis pellexerit disciplinam*, quod & *Horatius* in arte indicat,

Dictus & Amphion Thebana conditor vrbis,
Saxa mouere sono testudinis, & prece blanda
Ducere, quo vellet.

Protinus ærisoni tolluntur ad æthera cæstus,
Tergora cruda boum, multoque nigrantia plumbo
Pondera, concusso strepuere sedilia circo.
Fama est Ætnæis (si veri nuntia) campis
510 *His sudasse (1) Erycem, qui victus ab Hercule magno*
Sicanium effuso maculauit sanguine littus.
At satus Alcmena Thebas inuexit honorum,
Et diuæ spolium sacrauit Palladis aræ.
Verum post longi delapsum temporis æuum,
515 *(2) Cum se Chalcidicis (3) Germanica signa triumphis (3)*
Ornarent, tremere atque Istrum (4) Bœotica tellus.
Hic honor Austriacas olim est delatus ad oras,
Pannonidosque alta seruatus in arce Vianæ (5).

(1) De hoc pluscula libro vndecimo dictauimus.

(2) Fingit cæstus Erycis fuisse, quo victo, Hercules illos secum in Bœotiam tulit, & consecrauit Palladi. Germanos autem Imperatores, cum orientis rerum potirentur, in Germaniam transmisisse.

(3) *Euboicis*, nam *Chalcis* oppidum in Eubœa est, vnde *Cumæ* in Italia, quæ a *Chalcidensibus* originem habuerunt, *Euboica* dicuntur *Maroni* & *Chalcidici* loci accolæ, & Sibylla *Euboica*, & *Chalcidica*. Hic autem dixit ab Hercule consecratos cæstus, quoniam Eubœa & Bœotia, in qua Herculis solum erat modico æstu diuiduæ sunt, adeo, vt dubitandum sit, an numerari inter insulas debeat, ponteque inuicem iunguntur, autor *Plinius*.

(4) Vbi Thebæ sunt, Cadmi, Herculis, & Amphionis nomine insignes. *Bœotia*, ante *Cadmeis*, *Hyantis*, *Aonia*, *Ogygia*, & *Mesapia*, dicta, a quibus etiamnum illis passim apud scriptores cognomina sunt. Ceterum *Bœotia* rectius diphthongo in prima syllaba, & inde *Bœotius*: quanquam sunt hodie, non indocti Grammatici, qui *Boetiam* quoque, & *Boetum*, dici posse longo vsu suffragante, confirmant, vt ait *Vadianus*. Scribit *Pausanias*; *Bœotii omnes a* Bœoto, *Itoni, & Melanippes nympha filio, nomen sortiti sunt*. *Nicocrates* ait, *Bœotia cognominata est a* Bœoto, *Neptuni & Arnes filio*: vel a boue, quam Cadmus ex oraculo secutus, vrbem condidit, vt *Castor* scribit. Sunt qui a mentis tarditate dictos *Bœotios* velint, vnde adagium illud, *Sus Bœotica*: quo in rudes atque ignaros vti consueuimus: quod *Bœotii*, vt *Eubulus* in Cecropidibus, *Mnesimachus* in Busiride, *Alexis* in Trophonio, & *Achæus* in certaminibus testantur, ventri ac gulæ inseruientes crassa fuerint minerua. *Pindarus* præterea, nec non & *Cratinus* testantur, Bœotios quoque *sues* appellatos: quod ob sordidum ac solutum viuendi modum *Pindari* interpres ait accidisse. Quocirca Prepellus quidam ab Eratosthene, quid sibi de Bœotiis videretur interrogatus, respondisse fertur in hanc sententiam, *eum fuisse Bœotiorum inter se sermonem, quo vasa, si daretur loquendi facultas, vterentur*, quantum scilicet vnusquisque esculenti, poculentiue caperet, vnde quicquid insulsum esset, ac stultum, id *Bœoticum* dicebatur. Sic *Bœoticum ingenium Erasmus* in Chiliadibus explicat, pro *stupido*, ac *stolido*. Porro *Boeti* dicuntur ab Imperatore in vltima constitutione tit. *de tabulariis, scribis, & logographis, adiutores scribarum*, quos alii *subadiuuas*, alii *adiutorios* appellant, vt in l. *vnicuique. C. de prox. sacr. scrin.* βοηθῶ enim idem valet, quod *adiuuo*. Inde *Seuerinus Boetius* dictus, vt testatur *Alciatus* Mediolanensis: quem alii falsa voce *Boetium* vocant, quorum errorem, vt idem ait, confutat antiquum marmor, quod adhuc Derthonæ extat in diui Martiani cœnobio, vbi tumulus est, quem antiqua inscriptio, *Boetio, & Eutharico consulibus* factum ostendit.

(5) Hodie *Vienna* Austriæ, est enim & Allobrogum. *Vianam Plinius* nominasse videtur inter oppida Norica, *Hermolao* adstipulante. Cui sane & noster *Vadianus* accederet, nisi oppidum ipsum minime vetustum esse id argumento foret, quod nulla prorsus remotioris antiquitatis apparent vestigia. At infra Viennam interuallo viginti quatuor mille passuum ad Danubii alueum locus est, quem *Petronellam* vocant, cum maximi oppidi vestigiis: nam rudera passim ingentium ædificiorum extant, & tabulæ plurimæ latinarum literarum, tum & nummi Romanarum legionum, ad Istri ripas contra Germanos excubantium testes. *Ibi Vianam fuisse*, inquit, *non ausim asserere, tam diuersa sententium contentio, ne dicam audacia durat.*

Protinus exiliens rapido violentior Euro
520 *Agmine Saxonum in medium procedit Alartes.*
Huc precor, o Proceres, de tot modo millibus vnum
Mittite, ait, pugnæ, veniant quicunque, morabor(1),
Audaces animi: atque vtinam mihi monstra darentur
Taurominitanis qualem Polyphemon in antris
525 *Esse reor, vel cum rugit sub rupe Typhoeus*
Concussa, & moto cerealis fluctuat Ætna;
Aut Libs Anteus, Lapithumque(2) *immanior omni*
Hylæus turba: non hic cratera lyæo
Spumantem multo, vibrataque pocula Marte,
530 *Sed totum aspicies vndantem sanguine terram,*
Vulnificum medio cum proruit aere plumbum.
Attoniti tacuere omnes, pauor ipse silentes
Efficit, & nulli tentant contra ire furentem.

(1) Particula per interiectionem legenda.

(2) Quos Hercules & Theseus in nuptiis Pyrithoi vicerunt. Sedes habuere *Plinio* tradente in Pindo & Othry montibus.

Tandem Vandalica cretus de gente Menestheus
535 *Voce grauis, toruisque oculis, cultu horridus, atram*
Demulcens barbam, contra indignatur, & acer
Ærisonos vasto tollens cum murmure cæstus,
Ad cælum iacit, & sursum intra nubila condit.
Expauere Dei, tremuit nimbosus Orion,
540 *Et pallens celeri fugit* Proserpina curru.*
Stant hinc inde minæ, furor huic, illi aspera virtus
Et Marti par dextra ferox, sed disparis vsus
Consilium, stimulosque necis, viresque ministrat.

* Id est, Luna. Nam *Ceres, Hecate, Diana, Phœbe, Luna, Proserpina* pro eodem fere numine accipi diximus. Omnia enim nomina ad potentiam Lunæ referuntur. *Proserpina* enim idcirco dicitur, quoniam Luna cursu suo *proserpere* videtur, cum modo hac, modo illac deferatur: quare & *omniuagam* quoque dixerunt. Hinc etiam fictum, cum Cerere & Plutone concordiam initam, vt sex menses apud inferos, totidem apud matrem esset, propter cursum lunarem. Luna enim dimidium anni apud nos est, dimidium apud Antichthonas.

Vtque locum tenuere, oculis perlustrat vterque
545 *Alterius vires, aciemque in vulnera tendit.*
Visu animi stupere omnes, timor obstruit ora,
Non aliter quam si concurrant forte leones
Littore arenosæ Libyes, aut Indica tigris
Pugnam agat in tigrim: vasto silet æquore Ganges
550 *Attonitus, subterque pauens, celer Indus anhelat*
Erecta fremit aura manu: explorataque tandem
Pondera permensi, sese vigilantibus vna
Inuasere oculis, cæstu latera ardua pulsant,
Ingeminantque sonum, stridentque sub ictibus æra.
555 *Vtque cauis Auster frangit tumida æquora saxis*
Littora conclamant, siluæ, freta, nubila, montes.
Hic leuior pedibus, saltu stridentibus instat
Cæstibus: ast alter grandi maturior æuo,
Suetus Vandalicas inter certare palæstras
560 *Arte valet, vigor ingenio, experientia Martis,*
Nunc rotat aduersum, nunc in sublime fatigat
Brachia, nunc celeri declinat pondera lapsu.
Verum alter, cui non tantum rationibus vti
Mens furiis agitata potest, tantumque nocendi
565 *Prodigus, incaute totus ruit, & nocet ipsi*
Sæpe sibi, & vires animoso conficit ictu.

Cautior

Cautior alter erat: sæpe ingeniosus in hostem
Effurit vt præceps, fallitque, supraque minatur
*In caput, *ac læsis liuescit pondus in harmis.*
570 *Vincitur arte furor: tamen instat & ille, fremitque*
Dentibus horrendum, immane ac mirabile dictu
Sanguineus, tollitque altum super æthera crudum
Tergus, & in celeres intendit brachia gyros.
Sic ambo insurgunt, quales per prata feruntur
575 *Pugnantes tauri: vel cum duo flumina ripis*
Concurrunt, pulsique fremunt sub gurgite cautes.
Et iam certantem labor, & suspiria vtrumque
Ægra fatigabant: sed prouidus arte Menestheus
Sæpius ipse sibi, vacuoque pepercerat ictu.
580 *Atque vt perfractum pugnando vidit Alartem,*
Brachiaque ærisonos vix attollentia cæstus,
Erigitur, pugnamque nouus velut isset in ipsam
Cedentem toto cæstu ferus impetit aruo:
Nunc humeros, pectusque ferit, nunc tempora circum
585 *Illidit vulnus: fluit atro sanguine campus.*
Mox Saxon cadit infrendens, pallentiaque ora
Intorquens rabie, stridet graue: protinus omnis
Excutitur casus dira ad spectacula pubes.
Desuper incumbit victor, totumque supinat
590 *Pectus adhuc toruum, & flammas spirantia ad auras*
Guttura: cogissetque animam dimittere circo,
Ni Cæsar dextra finem, nutuque dedisset.
Accurrunt fortisque Dryas, acerque Melampus,
Egregiusque Thoas, stimuloque agitata furoris
595 *Pectora demulcent, &*forte Menesthea dicunt*
Victorem, exanguemque ferunt, stratoque reponunt.
Huic cæstum insignem,& longæuum cornibus Vrum
Præbuit Austriades, tanti pro munere Martis.
Prouocat interea, quos iam lanuginis ætas
600 *Prima tenet, nullaque gerunt ora aurea barba,*
Cursus, pacis opus, studium nec inutile belli.
Stant circum iuuenes euincti tempora ramis,
Stesichorus longe ante alios (cui plurima formæ
Gratia) se coram vultuque, oculisque micantem
605 *Certaturum offert: sequitur Saxonus Opheltes:*
Et victor Phrysia multum inclamatus arena
Alcydamas, celeres fama hunc præcurrere ventos,
Et gelidas inter deprendere Dorcadas Alpes.
*Nec minor hoc Thrasias, Phlegiasque, & *Auarpius Æbron,*
610 *Ocyor hic Parthi iaculo, cressisque sagittis.*
Multaque præterea properat sine nomine turba.

* Scribe, *ac*, vel, *&*, pro *as*, vt ipse sensus requirit.

* Id est, *casu*, vt scilicet iracundum animum demulcerent, non virtute victorem fuisse.

* Id est, ex prouincia Saxoniæ. Nam *Auarpi*, vt diximus, partem Saxoniæ incoluerunt.

Extemplo nudant artus, super aureus omnes
Stesichorus micat, huic vultus effulget imago
Pulchra, Deo similis: qualem (1) Tegeæus alumnus,
615 *Aut læta ostendit facie crinitus Apollo.*
Vt chlamydem posuere omnes, micuitque peruncta
(2) Nuda oleo de more cutis, sub limina clausi
Expectant auidi signum, quo grandinis instar
Corripuere dato spatium, volat ocyor Euro
620 *Vncta cohors, Parthique fuga, atque his tardius ipse (3)*

 Crede-

Credebantur equi, stupet aura notusque volantes.
Stesichorus iam prima tenet spatia, instat Opheltes
Attingens humeros, Thrasiæ sed tertia palma est,
Proximus Alcydamas, Phlegiasque, sed vltimus Æbron.
625 *Pone sequebatur puerorum incognita turba,*
Intenduntque pedes: iam paulum elapsus Opheltes
Stesichorum exuperat: celer huic par imminet asper
Alcydamas, paruoque tenet discrimine cursum,
Ambiguumque vter inde prior data signa subiret,
630 *Currebantque pares. sed non tulit ista secundo*
Stesichorus spatio, fundensque a vertice crines,
Auricomo veluti Paphius cum Lucifer astra
Exuperat cursu, cunctosque intermicat ignes,
Transadiit, celerique fuga præuertitur omnes;
635 *Pone subit Phlegias, spatiique extrema tenebat,*
Anteierat, sed forte pedem puer Æbron Opheltis
Supplantat pede, proh dulci sors inuida palmæ,
Hic cadit in vultum, putrique recumbit arena,
Stesichorus sic ante fugit, victorque propinqua
640 *Limina pronus init, foribusque irrupit apertis,*
(Stabant namque fores circo) cursuque secundo
Alcydamas fertur, sed tertius Æbron, eumque
Pone secat Phlegias, sed casu extremus Opheltes
Exclamat longe: si præmia prima darentur
645 *Stesichoro, indignum. nam me puer improbus Æbron*
Impediit, palmamque dolo mihi sustulit, inquit.
Sic fatus, lachrymis oculosque, genasque madescit,
Et Regem implorans, scindit quoque pectora planctu.
Stesichorus contra palmam petit: ipsa iuuabat
650 *Præstans ambrosios iuuenilis forma per artus,*
Et decus in vultu, lachrymisque accesserat ortis
Gratia, contenduntque pares. Compescite litem,
Cæsar ait, pueri, torquem qui primus habeto,
Hic tuus arcus erit, pharetras plebs cetera sumat,
655 *Sic omnes dono cursus Rex optimus æquat.*

(1) Mercurius, a Statio *Tegeatius* dicitur.

(2) Scilicet antiquo. Athletæ enim oleo vngebant se, vt minus prehendi possent, fluente lubrico olei humore. Præterea certo quodam victu vtebantur & necessario, ad comparandas vires firmitatemque corporis. Huiusmodi victum Athleticum *Aristoteles Anancophagiam* appellat in Politicis: quasi cibi sumendi necessitatem. Panis quo vtebantur, *coliphium* dicebatur. Iuuenalis, *Luctantur pauca, comedunt coliphia pauca.* De huiusmodi *Anancophagia* loquitur Apostolus prioris ad Corinthios nono, quem Apostoli locum pulchre enarrat *Budæus* in Annotationibus in Pandectas, indicans eiusmodi verbis Apostolicis vitam nostram instituendam esse ad exemplar Athleticæ. Porro Athletarum nomine gymnicos omneis intelligi voluit *Pollux*. Hii autem sunt *Palæstritæ*, id est, luctatores: *Dromeis*, id est cursores: *Pyctæ*, id est pugiles: *Discoboli*, qui discum in sublime iaculantur: *Haltici*, qui saltus pernicitate contendunt.

(3) Pro iuisse, & sic legas, non *ipse*, iuxta priorem editionem.

Post vbi currendi labor est exhaustus, ad vnctas
Signa viris micuere paleas(1), animosa citantur
Pectora luctantum. Properat quem gloria Martis
Tangebat iactator auum, stirpisque Machareus,
660 *Læuonum de gente satus, qui corpore laxo*
Cyclopem exuperans, cælum prope vertice pulsat.
Sed vigor effætus, roburque in mole refriget,
Nec sibi consimiles vires natura ministrat.

Qua-

Qualis nimboso deprenditur æquore vento
665 *Vasta ratis, crescunt vndæ, freta concitat Auster,*
Tempestasque mouet vulso vada cærula fundo.
Illa mare insidit, premiturque, & tarda supinum
Vix caput attollit hiscens compagine moles.
Hunc contra insurgens animoso pectore Tharcon,
670 *Sæpe (2)Caledonia solitus sudare palæstra,*
Haud timet ingentes artus, sed protinus extra
Vnxit (3)Palladio gaudentia membra (3)liquore.
Stabat vterque ferox, & oliuæ puluere fusum
Desiccant laticem, mox, ceu duo fulmina contra
675 *Proruerent, vel cæsa ornus propelleret ornum,*
Currunt in pugnam: ruit alta mole Machareus,
Nec bene curuatur, tantum trudebat: at alter
Pectus agens, humeris collum summittit, & vrget
Complexus medium dextra, læuaque reuincit,
680 *Exhauritque virum, & compressis ilibus arctat:*
Ponderibus premit ille suis, nexusque resoluit
Insertasque manus, tam creber anhelitus olli
Crescit, & humentes feruent sudoribus artus.
Conseruere manus iterum, nunc pectore pectus,
685 *Nunc genubus genua ægra labant, nunc pes pede contra*
Calcatur, nexuque parat crus crure ruinam
Ambobus, nunc terga retrocedentia Tharcon
Vi nectit multa, nodisque interplicat arctis,
Et vastum attollit (visu mirabile) monstrum.

(1) Id est, Palæstram. Maro, *Pars in gramineis exercent membra palæstris.* Genus luctæ quoddam *palæstra* dicitur, vnde *palæstritæ* dicti, qui eius sunt periti, & palæstrici. *Palæstræ* tamen appellatio artem omnem athleticam complectitur, vt ex *Quintiliani* verbis colligimus, *Si quis*, inquit lib. 2, *palæstræ peritus cum in aliquod gymnasium venerit, expertus eorum omni modo corpus animumque discernat, cui quisque certamini præparandus sit.* Et rursus; *namque erit alius historiæ magis idoneus, alius compositus ad carmen, alius studio iuris, vt nonnulli rus fortasse mittendi. Sic discernet hæc dicendi magister, quomodo palæstricus ille cursorem faciet, aut pugilem, aut luctatorem, aliudve quid ex iis, quæ sunt sacrorum certaminum.* Est & alia palæstra, quæ motus & flexus decentiam docet, quæ & *Chironomia*, lex gestus a *Quintiliano* dicitur in primo, *ab heroicis ipsis temporibus orta, & a summis Græciæ viris, atque ab ipso etiam Socrate, a Platone quoque in numero ciuilium posita virtutum, a Chrysippo in præceptis de liberorum educatione compositis non omissa.* Quam artem oratori necessariam esse, ipse idem late in 11 docet. Palæstra igitur decentiam illam significat, qua status, motus, flexusque corporis, ac omnes omnino habitus venustatem quandam, leporemque præ se ferunt: quam qui non didicerunt, ii *apalæstri* ab antiquis dicti sunt, vt apud *Ciceronem* in oratore perfecto. Itaque quales eorum motus, quos *apalæstros* Græci vocant, talis eorum mihi videtur oratio, qui non claudunt numeris sententias. Itaque *Quintilianus* in nono significare volens, orationem forensem nec plane numerosam esse debere, qualis Panegyricus ille famigeratus Isocratis, nec rursus numeris vacare, ita inquit, *Sicut enim quos palæstritas esse nolumus, tamen esse nolumus eos, qui dicuntur apalæstri.* Hodie autem huiusmodi institutores nulli sunt, id est *palæstrici*: quemadmodum nec *phonascos* habemus, id est formandæ vocis magistros, quales apud antiquos fuerunt: quorum ars *phonascia* a *Theophrasto* dicitur, vt idem *Budæus* libro suo supra citato, testatur. Hæc, vulgo quia cognita non sunt, libuit adscribere. Cetera ludicrorum genera, si petis, idem ille *Budæus* diligentissime collegit.

(2) Britannica.

(3) Hoc est oleo, quod Palladi dicatum ferunt. Olei natura, tepefacere corpus, & contra algores munire. Vsum eius ad luxuriam inuenere Græci, vitiorum omnium genitores, in gymnasiis publicando. autor est *Plinius*. *Diodorus* libro sexto scribit, quod Palladi olearum, oleique educendi inuentionem tribuunt. Nam ante huius Deæ ortum erat hæc arbor cum aliis siluestribus immixta, olei vsus aberat, cum esset ignota. Maro, *Adsis, o Tegæe, fauens, oleæque Minerua Inuentrix.* Præterea multa alia inuenisse volunt Palladem, de qua hoc ipsum testatur *Ouidius* 3 Fastor. hoc carmine, *Mille Dea est operum, certe Dea carminis illa est.*

690 *Non secus Herculeis (1)Libs (3)exudasse lacertis*
Fertur, & intacta, (2)sublatus in aere terra,

Olli

Indignantem animam tenues vomuisse per auras.
Nititur hic contra, & supra caput improbus astat
Mole graui, viresque premit Tharcontis, & ardet
695 *Olli felle iecur, magnoque effœtus hiatu*
Spiritus egeritur, fremit altum, turbidus ore
Eructat saniem, & vastis complexibus horret.
Intumuere tori rabie, raptusque pudore
Ingentes motu prægrandi concutit artus.
700 *Sic Elephas fixam mota cute discutit hastam,*
Quam curuo Garamas, Nasamonve intorserit arcu,
Excutitur Tharcon, digitorum vincula frangit
Tempestas, fortique abigit Tharconta repulsa.
Semiuir exclamans reditu violentior instat
705 *Tharcon, & Obnobios æquantem vertice montes*
Circuit, inque humeros pectusque, latusque minatur,
Insidiisque locum captat, ceu rupibus altis
(5)*Menalii* (4)*Pholoes, clausum lupus ambit ouile,*
Perlustratque oculis aditum. ruit arduus ille
710 *Aduersum, tantoque gemit sub pondere tellus.*
A latere interea Tharcon volat, ilia nexu
Alligat, exhaustamque premit iam viribus aluum.
Ille reluctanti similis, similisque cadenti
Arctatos crurum nexus, manuumque requirit
715 *Soluere nequicquam: at sublimem tollit in auras*
Distractis pedibus Tharcon, penitusque labantem
Trusit in obliquum: ruit alta mole Machareus,
Inque putri iacuit vultu resupinus arena,
Puluerea inficiens ora indignantia terra.

720 *Sic excisa abies, sic & Germanica taxus,*
Aereæque Orni, sic conferæ Cyparissi
Procumbunt, circumque imæ dant murmura valles.
Tandem surgit humo, fœdataque puluere Saxon
Ora gerit, victi Rex ad spectacula risit,
725 *Ceteraque erecti plauserunt agmina circi.*
Palmam Tharcon habet, viridique decorus oliua
Candida purpureis subnectit tempora tænis(6).

(1) *Anteus.* Huius cum Hercule luctam multis carminibus *Lucanus* cecinit lib. quarto. Meminit *Claudianus* in præfatione libri secundi Raptus, *Non cadere Anteo.* Plura *Dionysius* lib. 5. *Plinius* ait hæc fabulosissime ab antiquis narrata. Antei fabulam allegorice exponit *Fulgentius* secundo Mythologiarum libro. *Anteus*, inquit, *in modum libidinis ponitur, vnde & ἀντίον, contrarium dicimus. Ideo & de terra natus, quod sola libido de carne concipitur. Denique tacta terra validior exurgebat. Libido enim quanto carni consenserit, tanto surgit iniquior*, & cetera. *Parrhasius* scribit, *Antheus* flatili, τ, filius Antenoris, quem Paris amauit, & imprudens interfecit, vnde ad declinandam cædis inuidiam, Spartam fugit ad Menelaum: quod apud Lycophronem legimus. Idem nomen in Æneida *Maro* transtulit. *Anteus* alter absque aspiratione Neptuni filius ex terra susceptus, sexaginta cubitis adoleuit, vt autor est *Pherecydes.* Id diu fabulosum visum est, antequam suprema eius ossa Olympiam allata, miraculo fidem fecissent. *Plutarchus* ait, Romanorum Ducem Sertorium apud Lygennam oppidum Libyæ, effosso sepulchro, quod incolæ *Antei* dictitabant, humanum cadauer inusitatæ molis inuenisse.

(2) Nam *Anteus* prostratus, a terra matre vires accipiebat, & quidem maiores: ea re cognita a terra abstinuit Hercules, & sublimem domuit. Iuuenalis, *ceruicibus æquat Herculis, Anteum procul a tellure tenentis. Palephatus* huic fabulæ locum datum putat, quod esset implicandis explicandisque humi nexibus in palæstra peritissimus.

(3) Sic *Statius* lib. sexto, *Terrigenam sudasse Libyn.* Illic *Placidus* interpres scribit, id factum apud Sumentum Africæ ciuitatem.

(4) *Pholoe* mons in Arcadia.

(5) *Arcadici*: sumpto epitheto ab alio *Arcadia* monte, qui *Mænalus*, & *Mænala* dicitur, qui cum ceteris Diis alumnis inclaruit, *Solino* teste.

(6) Pro *tæniis*, per syncopen: & pro vittis posuit, hoc est ornamento capitis. *Maro* libro septimo, *fit longæ tænia vittæ*, vbi extremitates in vittis significantur.

Con-

Condiderat Titan iam fessus in æquore lucem,
Ruptum opus in circo, ludos vocat altera sacros
730 *Lux, ortusque (1) die: solio tunc surgit ab alto*
Cæsar, quem Proceres medium intra limina ducunt
**Septum armis: ipse altus mediis in milibus ibat.*
Phocaicis veluti Phœbus mouet agmina Delphis
Maternam in Delon, micat & supereminet omnes.
735 *Vel cum cælicolas inter se Iuppiter aureus*
Admiscet, curas paulum, fulmenque remittens.

Lucifer interea, & Sol fulgentissimus orbi
Aduexere diem, rursus stipante caterua
Egreditur Cæsar: sic inter sidera, & altos
740 *Surgens mane nouo resplendet (2) Phosphorus ignes,*
Tunc solio affatur cunctos, & talibus hiscit;

Accipite ergo omnes, animoque hæc figite dicta:
In primis fluuio nandum. (3) nam priscus auorum
Ludus erat, iuuenumque labor, cum Martia tela
745 *Ianus, & armorum tristes compesceret æstus.*
Adsit item quicunque arcus scit tendere eburnos,
Postremum iacto claudam certamina disco.
Sic ait, & rapido spumantem gurgite Rhenum
Perrexit: trepidant populi, studioque videndi,
750 *Non certaturi genus innumerabile vulgi.*

(1) Pro *diei*. nam vt superius autoritate *Maronis* ostendimus, antiqui *die*, in gignendi casu protulerunt.

(2) Latine *Lucifer*: de quo *Vitruuius* libro nono ita inquit: *Id autem maxime ita esse cognoscitur ex Veneris stella, quod ea cum solem sequitur, post occasum eius apparens, in cælo, clarissimeque lucens* Vesperugo *vocitatur*. *Plautus* in Amphitryone, *Nec* Iugulæ, *nec* Vesperugo, *neque* Vergiliæ *occidunt*. Aliis autem temporibus eum antecurrens, & oriens ante lucem, *Lucifer* appellatur. Huius sideris naturam Pythagoras Samius primus deprehendit, eodem *Vitruuio* & *Plinio* autore.

(3) *Natandi vsum*, inquit *Vegetius*, *æstiuis mensibus omnis æqualiter debet tiro condiscere, non enim pontibus semper flumina transeuntur*. Ideoque Romani veteres Campum Martium vicinum Tiberi delegerunt, in quo iuuentus post exercitium armorum, sudorem pulueremque dilueret. Ad quod respiciens *Horatius* libro Odarum primo, dixit, *Cur timet flauum Tiberim tangere?* Sed melius est, vt ad veteres Germanos referas, quibus iuge fuit studium nandi, etiam, vt *Mela* scribit libro tertio, sæua hieme. *Herodianus* item septimo libro multa de superioribus Germanis, deque amnibus Rheno & Danubio locutus, inter alia, vt *Politianus* transtulit, sic refert; *Sunt autem Germani peritissimi natandi, vt qui tantummodo in fluminis lauentur*. In eandem sententiam *Tacitus* tradens Germanos, vt fluminibus suetos, nandique peritia eximios, frequenter commendat. *Irenicus* pluribus libro Exegeseos secundo nostris nandi vsum vendicat. Durat hodie quoque id studium, sed quod sciam, vt *Vadianus* ait, hieme minus.

Iamque aduentarant ripæ, vis ignea pubem
Sollicitat, laudumque decus, sic quisque volabat
Ad fluuium, & sertis se versicoloribus ornat.

At primum Alcetes: & flauo vertice Pentheus
755 *Vangionum de stirpe satus: fratresque Melinus,*
Alter Imas, duo Pannonii: sed Rhæticus Aiax
Ante omnes arcto vestem diffibulat auro.
Membra nitent, extraque decus resplendet apertum
Pectoris, ipse oculos oleo de more perungit,
760 *Nudatosque artus: sequitur quem cetera pubes*
Phædimus, intonsusque Idas, pulcherque Pheneus
Et breuis Antenor: nasoque resectus Hyalcas:
Lyntius Hastidamas: tristique sub omine natus
Hyrcius: & tortis incedens cruribus Andes:

765 *Sarmaticusque Polas: vastoque assuetus in Albi*
Nare Capis, celeresque manu deprendere pisces.

Vt nudi effulsere artus, facto impete ripa
Desiliunt, fluuiique secant vada cærula palmis.
Exoritur nantum fragor, & stridore resultat
770 *Littus, vbi medias*(1) *rixam incepere per vndas.*
Nunc subter labuntur aquas, nunc desuper acti
(2)*Vrinantque vado, & vulsas ostendere arenas*
Quisque cupit: tectus spumis ingentibus Aiax
Enatat ante alios, & hians in gurgite vasto
775 *Victor erat, cursuque alacer ripam inde legebat.*

Qualis in Ionio Meliten, pulchramque Dionem(3)
Glaucus amans sequitur, viridique excelsus in alga
Nunc volat, & Ponto velox nunc mergitur imo.

Adnantem talis recta ceruice Melintus
780 *Prospiciens, quo pergis ait? simul ista locutus*
Voluitur in caput, & subter vada cæca reluctans
Fertur aui similis, flatumque occludit in aluo,
Impellitque manu fluctus, & separat vndas.
Miranturque moram cuncti, creduntque sub imis
785 *Vorticibus pressum, subito cum flumen ad auras*
Egreditur, sursumque caput, crinesque madentes
Attollit: turbat victorem, abigitque, premitque.
Ille leuis veluti sub flumina mergitur hasta,
Quam mox impatiens vnda eiaculatur ad auras.
790 *Pone hunc a tergo frangit spumantia Pentheus*
Æquora, nec lapsis requies datur vlla lacertis.

(1) Certamen, contentionem. *Cicero*; *Rixa* est inter competitores.

(2) Neutra voce protulit, vt *Columella* libro nono de anseribus loquens, *immrinadre* dixit. Significat autem *vrinari*, in caput mergi: quo verbo *Plinius*, teste *Budeo*, sæpius vtitur. Inde *vrinatores*, vt quidam volunt, ab *vrna* dicti. Quam vocem *Accursius* male interpretatus est in l. *nauis onusta*. ff. ad leg. *Rhodiam de iactu*. Homerus *Cybisteras* vocat, a verbo κυβιστᾶν, quod *in caput ferri, deuoluique* significat. Huiusmodi est enim habitus vrinantium, cum gurgites subeunt.

(3) Sic legendum, vt mutatum alibi vidimus. Nam *Thalia* pro nympha maris, & filia Doridos & Nerei penultimam correptam habet. Ceterum *Dione* vna ex filiis Oceani, & Tethyos filia fuit: *Melite* autem Doridos & Nerei.

Non equidem(2)*Europes*(1)*taurus sic nauit adulter,*
Prosecuitque fretum, nec sic sua brachia mouit
Pulcher Abydenus(3), *cum*(4)*Sestias*(5)*anxia cura*
795 *Spumantes per aquas adnantem vidit, & alta*
Turre dedit signum(6)*furtorum conscia lampas.*

Fluctuat vncta cohors, fremituque, & voce reclamat
Ripa amnis, stimulat cunctos sic ardua virtus.
Et iam Vangionum cretus de stirpe Melinus
800 *Cursu inhiat ripæ, leuis Idas, Stesichorusque*
Adnantes obliqua tenent, & viribus obstant
Remigiisque humerum, fugientemque inde Melinum
Impediunt, reuocantque fugam, clamoribus Andes
Excitus, motum, pedibus diuerberat amnem,
805 *Lænus Imas fertur: ruit alter in æquore Panno*
Dexter, & assuetus gelidum transnare per Istrum
Vix mouet excussis in flumine brachia palmis.
Hyrcius extremo luctans certamine, victus

A ra-

(7) A rapidis raptatur aquis, & vortice vasto
810 *Opprimitur, subterque imas reuolutus arenas,*
Expirantem animam sub gurgite condidit imo.
Dant lachrymas, casumque gemunt insontis amici.

(1) Nempe *Iupiter*. Nam, vt ad finem secundi Transformationum cecinit *Ouidius*; *Ille pater rectorque Deum, cui dextra trisulcis ignibus armata est, qui nutu concutit orbem, Induitur faciem tauri, mixtusque iuuencis Mugit, & in teneris formosus obambulat herbis.*

(2) *Europa*, Agenoris filia, quam in formam tauri conuersam Iouem abegisse notius est, quam vt hoc loco fabula referri debeat. Sed qui malunt sequendas historias esse, produnt Europam ipsam naue, cuius insigne Taurus esset, deuectam.

(3) Scilicet *Leander* ex *Abydo*: intra quam & *Seston*, contra positam septem stadiorum mare interlabitur *Plinio*. *Abydos* Asiæ est, & *Sestos* Europæ. Abydos ipsa nobilis Leandri fato in Hero pereuntis, & eo freto mersi, vnde *Leandrium Hellespontum* Silius dixit libro octauo, *Mille rates vidit Leandrius Hellespontus.* Tu vide, ne vbi producitur prima syllaba Græcorum de more, *Leiandrius* sit scribendum, vt apud *Ouidium* quoque scribi debere admonet eruditissimus *Baptista Egnatius.*

(4) Id est *Hero* puella, quæ in *Sesto* nata est.

(5) Hoc est amoris inter *Leandrum* & *Hero*. Ex *Ouidii* epistolis fabula notissima est. Extat de hoc ipso amore, vt dixi, apud *Musæum* libellus. Item meminit *Seruius* in Georgicis.

(6) Id est, amoris, Veneris, adulterii. Nam *furtum*, adulterium significat, & *dulcia furta* dicit *Maro*, quoniam clam fiunt & rapi quodammodo videntur. Hic locus sumptus est ex *Musæo*, qui Lucernam alloquitur in principio operis, quam *Hero* puella amanti signum ex turri dabat. Et *Statius* ait, *moritur prope conscius ignis.* Noster autem dicit, *furtorum conscia lampas.* Pulchra est in similibus poetarum zelus & æmulatio.

(7) Vnde superius dixit, *tristique sub omine natus Hyrcius.*

Interea Antenor, vultuque informis Hyalcus (1)
Alta tenent, Atacen superantes, Thersilochumque,
815 *Formosumque Idan, & flauo Penthea crine.*
Parte alia non segnis Imas, & Pannon anhelans
(2) Ambo pares annis, animoque, & viribus ambo,
Ambo sueti vndis, alternis nexibus arcti
Ripæ aduentabant primi: nam cetera pubes
820 *Lapsa erat, & longe vastis errabat in vndis,*
Et simul optata madidi potiuntur arena.
Dant plausum, fremitusque virum caua littora complent.
Poscit Imas palmam, Pannon negat, actus vterque
Inuidia est, creuere minæ, prior improbus ante
825 *Pannon ait, vici: irarumque impulsus ab æstu*
Proruit in crines, & verbere pectora plangit.
Infandum proclamat Imas, simul ilia nexu
Complicat, obliquumque ferox prosternit arena,
Luminaque iniecto niuentia puluere cæcat,
830 *Oraque contundit pugnis, genubusque reflexis*
Indignantem animam nixus premit: ille reluctans
Euellit crines, & morsibus instat iniquis.

(1) Quia, vt superius dixerat, *naso resectus erat.* Quanta vero deformitate deturpetur facies vel naso, vel naribus modo mutilis & resectis, admonet illud Maronis, *Et truncas inhonesto vulnere nares.* *Plautus* in Captiuis *denasabit*, pro *naso priuanit* dixit, verbo nouo oppido quam licenter ficto, a *de*, & *naso*, vt ait *Pylades.* Idem in Amphithryone adnotauit, *Plautum* neutro genere *nasum* protulisse, non aliter quam a *Lucretio* vultum; *referentes vulta parentum.* A naso *nasuti*, qui, vt *Lampridius* aduertit, viriliores ac belle mutoniati dicuntur, vnde parœmia *de nasatorum peculio*, vulgo extritum vtique, nasi magnitudine mutonis concipi quantitatem quoque. Nasi prognostica ex Physiologia notat *Galeotus* libro de Homine primo. Persæ homines habentes aduncum nasum amant, eosque pulcherrimos putant: eo quod *Cyrus* amatus maxime Regum aduncum nasum habuit, autor *Plutarchus* in Apophthegmatis. *Plinius* libro sexto tradit, gentes esse sine naribus, æquali totius corporis planicie. Alias superiori labro orbas. Alias sine linguis, & cetera. Narium fabricam & opificium eleganter describit *Lactantius Firmianus*

mianus cap. vndecimo, eius quod *de opificio Dei* inscripsit.

(2) Ambo, græca dictio, & apud illos per *o* longum scribitur, & ita vertitur: apud nos tamen Latini in multis, *o* mega in *o* breue mutant, vt Maro *Sidoniam chlamydem* dixit, & tamen *Sidones* per, *o* longum scribuntur. Lucanus, *Ædones Ogygio*: cum *Ædones* similiter per *o* longum scribantur. Item, *Ænotrii coluere viri*, in *o* breue mutata dictio, nisi mauis legere *Ænotri.* Nam *Stephanus* tradit *Ænotrus*, & *Ænotrius* possessiuum oriri. Sed &, vt in Reuchlinianorum Progymnasmatum enarratione ostendimus, vt illic omnia diffusius, apud Græcos frequens est vsus, vt *o* longum in breue mutent.

Exilit Alcetes fluuio, fraterque Melinus,
Atque alter Pannon, quartus sub littoris oram
835 *Phædimus, intonsusque Idas, pulcherque Pheneus*
Nabat adhuc, tortusque Andes, & turpis Hyalcas,
Hastidamasque acer: sed læua parte secabat
Antenor, iunctusque Polæ, Capys exit ab amne,
Concurrunt, dirimuntque ambos, animisque furentes
840 *Conciliant, Regemque peti in discrimine tanto*
Imperat Alcetes, trabea rate trans vada vecti
Iudicium magno Regis clamore requirunt,
Fœdati vultus, & tunsi pectora pugnis.

Dissona vox voti est, varium & mutabile vulgus
845 *Suffragi*(1)*, hic merita decorabat Pannona fronde,*
Hic nantem laudabat Imam, & ni palma daretur,
Iustitiam non stare loco: dum hinc indeque feruntur
Proni animi, Regis fecere silentia nutus.

Tunc ait, o iuuenes tantam compescite litem,
850 *Par fuit amborum virtus, par cursus in vnda.*
Rursus aquis tentandus honor, rursusque secandus
Gurges, & in cursu fraus absit, abite, simulque
Limite currentes flumen transcendite ab vno.

Sic fatus Cæsar, tacito tunc pectore supplex
855 *Puluerulentus Imas, fluuiorum numina adorat:*
Dii, qui per rapidos bigis decurritis amnes,
Labentes supra, subterque fluentia terras
Æquora lustratis, præsens aduertite numen,
Atque meas audite preces: tuque o mihi dexter
860 *Adsis, Rhene pater,*(2)*thalami Deus*(3)*arbiter olim,*
Namque tuo prolem proiectam in flumine Celtas
Explorasse nouam referunt: si littora tangam
Ipse prior, sacris fumantia lancibus exta
Imponam, & (4)*niueum mactabo in littore*(4)*taurum,*
865 *Porriiciamque altas fragrantia vina per vndas.*

(1) Pro, *suffragii*, quia pro libidine sua vulgus non ratione dat aufertque vota: nec certos in eo polliceri nobis fauores possumus.

(2) Hoc dicit propter veteres Germanos, quibus mos fuit, puerperia clypeis imponere, ac in torrentiorem Rheni partem abiicere. Ita enim legitimi ne filii essent, explorabant. Si enim suffocabantur aquis, adulterinos credebant: si incolumes recipiebant, ex se natos arbitrantes. Idem Psyllos factitasse, autor est *Plinius*: qui vt fidem coniugalem cognoscerent, filios statim editos inter serpentes abiiciebant. *Lucanus* in nono, *Fiducia tanta est Sanguinis, in terram paruus cum decidit infans, Ne qua sit externa Veneris mixtura timentes, Lethifica dubios explorant aspide partus.* *Silius* in primo, *Nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atir, tactuque graues sopire chelydros, Ac dubiam admoto sobolem explorare cerastæ.* Plura *Gellius* de Psyllis cap. vndecimo decimisexti Noctium Atticarum, *Herodotus* libro 4. Sed hæc gens interiit, a Nasamonibus capta, neque quicquam aliud præter opinionem de vestigio nominis sui Psylli reliquerunt, eisdem autoribus *Gellio*, & *Herodoto*, vbi supra.

(3) Hoc est cuius arbitrio puerperiorum fides committebatur, & qui esset iudicaturus de fide coniugali. Hinc *Claudianus* contra Ruffi-

Ruffinum, vbi laudat Stiliconis exercitum, quod Gallos habuerit Rheno probatos, *Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.* *Parrhasius* in tertium Raptus huius Poetæ librum scribens, *Extat*, inquit, *inter græca Epigrammata carmen incerti autoris, quod hunc ipsum morem pluribus verbis exequitur*: Id paucioribus numeris *Antoninus Calcaterra* adolescens amplecti tentauit, *Audaces rapido dubios in gurgite partus Explorant Celtæ* &c. Rheni namque accolas antiqui *Celtas* vocabant, posterior ætas cognomines amni *Rhenes*. autor *Stephanus.* Porro græcum epigramma noster *Irenicus* citat cap. 17 lib. primi, quod *Pius Bononiensis* versum in cap. vigesimum tertium Annotationum suarum posteriorum, retulit. Huius item rei meminit *Politianus* lib. Epistolarum octauo: cuius verba non adscripsi, quod huius viri monumentis nihil est in Germanorum scholis versatum magis. Haud tamen grauabor, quod apud *Irenicum* vidimus, diui *Nazianzeni* testimonium adferre, quod ita se habet, Κελτοὶ μὲν κρίνουσι γόνον ῥήνοιο ῥεέθροις, καὶ χρυσοῦ καθαροῦ ἄνθρακες εἰσὶ κρίσις, hoc est, *Progeniem Celtæ explorant sub flumine Rheni, Auri iudicium carbo nitentis erit.* Et idem *Nazianzenus*: ὡς νόθον ἐυγενὴς ῥήνου κρίθεντα ῥεέθροις. Id est, *Nobilis vt Rheni exploratus spiritus amnis.* *Proculus* iuris ciuilis autor dicit, *Arbiter is est, a quo prouocare non licet, sed aquo iniquumue eius dicto standum est.* *Seneca* de Beneficiis, *Melior*, inquit, *videtur conditio caussæ bonæ, si ad iudicem, quam ad arbitrum mittitur, quia illum formula includit, & certos quos non excedat terminos ponit: huius libera & nulla astricta vinculis religio, & detrahere aliquid potest, & adiicere: & sententiam suam, non pro vt iudex, vt iustitia suadet, sed prout humanitas, aut misericordia impulit regere*, vnde iudicium est pecuniæ certæ, arbitrium incertæ. Ad iudicium enim hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus, at arbitrum hoc modo adimus, vt neque nihil, neque tantum, quantum postulauimus, consequamur.

(4) Mactabatur Neptuno taurus. Maro, *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo.* Sic autem dixit, vt maiorem a numine Rheni fauorem impetraret, quasi dicat, tibi etiam taurum sacrificabo, qui solet Oceano & Neptuno sacrificari. Propterea aliqui credunt *Taureon* a Græcis inter epitheta Neptuno dari.

Audiit hæc Eratoque, Pherusaque, Dynameneque,
Plexaureque, Galaxaureque, &(1)Dorides omneis.
Vix fluuium tetigit planta, vix brachia mouit,
Cum subito ante fugit, mediisque elabitur vndis.
870 *Cærulei impellunt illum Tritones euntem,*
Flauaque Cydippe, roseisque Arethusa capillis
Adiuuat, & circum officio Portunus anhelat.
Ille volat præpes. sic (2)Menalian (3)Atalantam
Cernere erat, cum Parrhasios fugiebat amantes
875 *Per Pholoen, Nonacrinque, & gelidum Lampæum(4).*

Victor Imas tandem ripam legit, & prior ore
Attingit resupinus humum: atque in littore ponit
Tabentes artus: sequitur longo interuallo
Iam lassus Pannon, frendensque exæstuat ira.
880 *Contra exultat Imas, cymbaque vndante reuectus*
Donatur tauro candenti & casside pulchra.
Pannona(5) carbaseo Cæsar solatur(5) amictu.

(1) Id est quinquaginta Doridos & Nerei filiæ, quarum nomina numerantur ab *Hesiodo* in Theogonia.

(2) Quia per Arcadiam venari solita sit.

(3) Eiusdem nominis duæ fuerunt. *Altera* Cænei cursu nobilis: *altera* Iasii Argiuorum Regis filia. Propertius, *sæuitiam contudit Iasidos*, id est, *Atalantæ.*

(4) Montes Arcadiæ.

(5) Serica veste, quam nunc dici puto *Carmasinam.* *Carbasus* pallium quo feminæ amiciuntur, vel opulentiæ caussa, vt serico, aut lino tenui. *Maro* in octauo, *cum tenuis glauco velabat amictu Carbasus.* Idem in duodecimo, *Tunc croceam chlamydemque, sinusque crepantes Carbaseos, fuluo in nodum collegerat auro.* *Carbasa* item pro velis nauis intelligi a poetis, notissimum est.

Nec mora, conueniunt arcu, pharetrisque decora.
Turba ingens iuuenum, promuntque, acuuntque sagittas.
885 *In primis Saxonus Abas, & Tungrus Oraules,*
Auratis squallent sagulis, & tendere neruos
Assueti Scythicos, auidi certamina poscunt.
Parte alia Alcathous, pariterque(1)Tribotius Elmon,
Et Sueuus Lydas, & Machinæus Ianthes,

 Cor-

890 *Corrhadusque senex, claudus Lyris, & strabo Perseus,*
Arma parant, fixumque oculis niuentibus(2) *orbem*(3)
Prospiciunt, ineuntque acris præludia pugnæ.

Interea Antilochus Styriis in finibus ortus
Prosilit in medium, solitus qui sæpe volantes
895 *Figere aues, scopulisque auertere Dorcadas altis.*
Huic fertur quondam in siluis Dictynna dedisse
Arcumque, & pharetras: & cum certaueris, olli
Victor dixit eris: sic fama adoleuerat ingens,
Nec quisquam audebat contra contendere neruo.
900 *Verum altercando paulatim rixa coorta est,*
Ægre aberant pugna, vixque atra a cæde minaces
Continuere arcus. at Cæsar cum occiduus sol
Oceanum peteret, præsensque habitura nec esset
Lis finem, vetuit quenquam certare sagittis.

(1) Argentoratensis, *Strasburgensis.*

(2) *Niuere, & Conniuere,* est quodammodo oculos claudere. Vnde de Cæsare Dictatore legimus, quod in plerisque *conniuebat,* id est, non de omnibus putabat animaduertendum esse. *Erasmus* ille noster docet, prouerbiali metaphora, Conniuere *dicuntur, qui prudentes culpam, quam intelligunt, indulgentia tamen ac studio dissimulant, quasique non vident id, quod vident: quemadmodum vulgo loquuntur: Vt parentes ad leuiora quædam liberorum vitia conniuent. Et natura ad quædam adolescentia vitia, quasi conniuet. Et maritis ad quædam vxorum errata conniuendum. Et corrupti iudices in caussa conniuent.* Hallucinamur *imprudentes*, cæcutimus *nolentes*, conniuemus *data opera.* Sagittantes hoc more in sagittando vtuntur, vt limis conniuentibusque oculis sagittent.

(3) Scopum, signum.

905 *Tunc vocat ad discos*(1), *&*(2) *ahenæ pondera massæ,*
Ludorum extremum munus, quos elicit ardor
Longius emisso contendere viribus orbe.
Protinus ingreditur campum delecta iuuentus
Tres Lysii(3), *duo Saxones, cretusque Batauis*
910 (4)*Chordaulos, magnusque Bythes, Tyrolæus Asylas,*
Carnus, & Endymion, Styriaque Melaones ortus,
Helsatiusque Melas, & natus Amimone Phœnix.

(1) Hoc est, iaculandos lapides rotundos, ac pertusos, vt inquit, *Ammonius.* Ad lapides vero, vel manibus, vel fundis iaciendos exerceri, diligenter conuenit iuniores, autore *Vegetio.* Item *Plautus* de antiqua puerorum institutione loquens, *Ante solem,* inquit, *exorientem nisi in palæstram veneras gymnasii, profecto haud mediocreis pœnas penderes.* Ibi cursu, luctando, hasta, disco, pugilatu, saliendo sese exercebant magis, quam scorto. Quod de institutione Græcorum intelligendum. Romani enim id genus exercitiis non vtebantur, teste *Budæo.*

(2) Quæ sequuntur admonent hæc verba, *& ahena pondera massæ*, non referri posse ad eum Græcorum ludum, quo qui certabant halteribus vtebantur, sic enim vocabant plumbeas pilas, massulasve quibus vtraque manu se librabant, vt certius assilirent. Iuuenalis, *Et lassata manu ceciderunt bracchia massa.*

(3) Alibi *Lygii* scriptum inuenio. De *Lygiis* diximus super illud apud *Picum* de Cruce, vbi de Danubio loquitur; *Et Lygios tandem raptu tumefactus aquarum Euxinum ingreditur.* Alii legunt, *Tres Lysii*: & pro tribus *Slesitis,* dictum accipiunt.

(4) Sic legitur in emendato codice, & non *Chordus.* Dicit autem, *Bythes magnus,* quia ingenti fuit, vt sequitur, corporis habitu.

At primum Endymion discum capit: omnis in illum
Flectit turba oculos, spatiumque immane remensus,
915 *Nunc rotat in sublime*(1)*orbem, nunc pronus arenæ*
Illicet insurgit, celeremque innixus ad ictum
Vndantem emisso diuerberat aera disco.
Ille volat, flexusque trahit, compulsa velut cum
Fluctuat Assyrio velox, Parthoque sagitta,
920 *Læuus abit, casuque nequit contingere metam.*

Inde

Inde Bythes molitur opus, qui corpore ingno
Membrorum spatio ingenti, & ceruice superbit
Elata, tollitque altum, ceu tartara in imo
Insurgit (2)Titius, cum esu vacat improbus ales.
925 *Ipse suo tantum lætatur robore, disci*
Arte caret: nam dum alta oculis, signumque capessit,
Ad metam nixu horrendo dum ventilat orbem,
Elapsum manibus pondus cadit, irritus vlnæ
Conatus periit, dextramque reliquit inanem.
930 *Exoritur vulgi risus. Post tertius extat*
(3)Chordaulon, terra versans & puluere discum,
Quæ pars sit digitis, qua palma stet aptior orbi
Inquirit, pondusque librat, iactumque per auram
Immensis agitur gyris, & nubila lambit,
935 *Et rediens metam ternis prope constitit vlnis.*
Callidus hunc sequitur, doctusque hac arte Melaon,
Quem disco puerum teneris assueuerat annis
Coniugis orba parens (mirum dictu) alta solebat
Culmina, & impulsam transmittere flumina massam
940 *Protinus & dextræ, atque suæ non immemor artis*
Attollit, stipatque latus, digitosque, torosque
Consulit, vt patulo iam pugnaturus in agro
Taurus, Chaonia prætentat cornua quercu,
Inque aciem struit, & contra violentior hostem
945 *Corruit, experta committens prælia fronte.*
Nec mora, contorquens maturo turbine pondus
Collimat, longaque altum deflectit habena,
Et trahit ad signum, medioque in vertice metæ
Condidit, atque aliis vota interrupta repressit.
950 *Sic frustra Lysii, Saxonque, & Ammone natus,*
Atque Melas certare negant: Tyrolæus Asylas
Bile tumens, discum insignem certamine auorum
Contorsit rapidam Rheni violentus in vndam:
Amplius ad nullas, inquit, iactabere metas.
955 *Excipiunt plausu, laudantque Melaona cuncti.*

(1) Discum.
(2) De *Titio*, qui per iugera nouem, vt inquit Maro, *Terræ omniparentis alumnus est*, lege eundem *Maronem* libro sexto.
(3) Deleuimus *Endymion*, reposito vocabulo *Chordaulos*, vt supra: quia *Endymion* primum discum iecerat.

*Mox *apices dono afferri Cæsar iubet olli*
Purpureos, chlamydemque, infra quam cinxerat Æneo
Artificis manus, atque vndam discreuerat auro.
Ipse super vehitur curru, populosque reuisit,
960 *Exposcitque suum iam Martia Roma tonantem.*

* Pro *pileis*, seu *byrris*, vt vulgo dicunt, posuit. Dicebatur autem *apex* proprie virga lanata in summo flaminis pileo. *Maro* pro *summitate pilei* vsurpauit, *Ecce leuis summo de vertice visus Iuli Fundere lumen apex*, & abusiue pro *omni summitate* accipitur, eius diminutiuum est *apiculus*.

(1)Iam bisquinque meis multum euigilata per annos
Austrias, elapsa est manibus: sed Numina testor,
Me vetuisse diu, ne tam mea carmina partu
Immatura rudi, nec adhuc vulganda Latinis
965 *Exirent abolenda viris. Qui legeris hospes,*
Da veniam. Canimus nullis tentata camœnis
Arma prius(2), Cyrrhaque ferens de vertice Musas,

Pri-

(3)Primus ego ingredior Germana per oppida Vates.
Spero autem post me, quod si mea carmina Cæsar
970 *(4)Pacato accipiet vultu Germanicus olim,*
Semper erunt operi laudes, & gratia viuax.

(1) Est Poetæ protestatio: debetque statim sine interuallo subscribi, vt sit finis operis.

(2) Elegos noster *Celtes* primus apud Germanos scripsit, Heroico carmine *Ligurinus*: idem, vt putant, Germanus, res *Friderici* Primi non omnino infeliciter absoluit.

(3) Vt nostris suus quoque honor seruetur, intellige ex externa natione.

(4) Vt etiam accepit: neque Poeta sine munere abiuit, maiora, si vixisset Cæsar, accepturus.

N. GERBELIVS BARTHOLINO.

Euge tuum mirantur opus, tua carmina adorant
Pierides, ridet conciliata Venus,
Per virides lauros iurat crinitus Apollo,
Nil aliud toto dulcius orbe legi.

COLLATIO PAGINARVM

EDITIONIS SECVNDAE CVM NOVISSIMA.

VARIANTES LECTIONES

IN EGINHARDVM ET ANNALES ASTRONOMI.

VT ET

INDICES

IN TOTVM OPVS COPIOSISSIMI, RECENS ADIECTI.

COLLATIO PAGINARVM
HVIVS EDITIONIS
CVM PAGINIS EDITIONIS
SECVNDAE.
FACTAE M DC XIX.

ADiectum eſt deſignationi paginarum editionis ſecundae, vltimum cuiuslibet verbum, quo quis citius ac rectius, locum quem quaerit, in noſtrae editionis capitibus, verſibus, numeris notarum, paragraphis, prout res ferebat recens additis, atque a nobis paginarum noſtrae Editionis ſeriei vbique adſcriptis, inuenire queat.

Editio recens		Edit. II.
pag.	9.	pag. 1 Vixerit.
Eginh.	10.	2
	11.12. cap. 3	3 adeo vt
	12 13. cap. 7	4 triginta tres
	13.14.15. cap. 10	5 parte Galliae
	15.16. cap. 13	6 Tarſaticam maritimam
	16.17. cap. 16	7 veſtes &
	17.18.19. cap. 19	8 inſtituendos
	19.20. cap. 22	9 Delectabatur
	20.21.22. cap. 26	10 quando
	22.23. cap. 30	11 conſilium
	24.25. cap. 33	12 talis eſt
	25.26. - - -	13 donaria quae ad
	26.	14 curauit
A.Auſtr.	35.36. ao. 746	15 Caſinam arcem
	36.37. ao. 754	16 coronatus eſt
	37.38. ao. 759	17 iter fecit
	38.39. ao. 765	18 celebrauit
	39.40. ao. 769	19 finem imponeret
	40.41. ao. 773	20 conſumpſit
	41.42. ao. 776	21 Eresburgum
	42.43.44. ao. 778	22 Franci atque Alemanni
	44.45. ao. 781	23 celebrauit
	45.46. ao. 783	24 recepiſſet
	46.47. ao. 785	25 autoribus eius
	47.48. ao. 787	26 Cumque Pipinus
	48.49. ao. 789	27 ſed gens illa
	49.50. ao. 792	28 Epiſcopum
	50.51. ao. 794	29 & cum Aquaſgranum
	51.52.53. ao. 797	30 legatos Hunorum
	53.54. ao. 799	31 propter quae venerat
	54.55. ao. 801	32 populo acclamante
	55.56. ao. 803	33 Imperatoris
	56.57. ao. 806	34 pace conſtituenda
	57.58. ao. 807	35 in Italiam direxit
	58.59. ao. 809	36 commiſſoque proelio
	59.60. ao. 810	37 infectum
	60.61.62. ao. 811	38 Angandeo
	62.63. ao. 813	39 ac deinde
	63.64. ao. 814	40 ſcilicet
	64.65. ao. 816	41 eius inſolentiam
	65.66. ao. 817	42 niſi quam Niceph.
	66.67. ao. 818	43 conabatur
	67.68. ao. 819	44 reuertitur
	68.69. ao. 821	45 optimatum
	69.70. ao. 822	46 terra intonuit
	70.71. ao. 823	47 Accuſatus eſt
	71.72. ao. - -	48 regreſſus eſt.
	72.73. ao. 824	49 quinque menſes
	73.74.75. ao. 826	50 terminorum
	75.76. ao. - -	51 collocauit
	76.77. ao. 828	52 Nonantulae
	77.78. ao. - -	53 celebrauit 828
	78.79. ao. 830	54 coeuntes
	79.80. ao. 832	55 probator
	80.81. ao. 833	56 filiis mandauit
	81.82. ao. 834	57 naueſque
	82.83.84. ao. 835	58 quantocyus
	84.85. ao. - -	59 conſilio petito
	85.86. ao. 837	60 Adrebaldus

Editio recens.		Edit. II.
pag.	86.87. ao. 838	pag. 61 celebrauit
	87.88. ao. 839	62 viſa eſt
	88.89. ao. 841	63 priuare voluiſſe
	89.90. ao. 842	64 petendo
	90.91. ao. - -	65 Qua de cauſa
	91.92. ao. - -	66 ſepeliuit
Turp.	97.98. c. 2	67 iter meum
	98.99. c. 4	68 fugiunt
	99.100. c. 8	69 requieſcunt
	100.101. c. 9.	70 vnde poteſt ciuitas
	101.102. c. 11	71 honoribus propriis
	102.103. - - -	72 omnis exercitus
	103.104. c. 12	73 renuerunt
	105.106. c. 14	74 niſi tantum
	106.107. c. 17	75 Rainaldum
	107.108. - -	76 & manus
	108.109. - -	77 corroboratur
	109.110. c. [illegible]	78 volebant
	110.111.112. c. 19	79 expetita
	112.113. c. 21	80 & dedit ei
	113.114. c. 22	81 illo dimiſſo
	114.115. c. 23	82 nimis deſideraret
	115.116. - -	83 coniuncta
	117.118. c. 25	84 verſus
	118.119. c. [illegible]	85 Sepeliuntur
	119.120.121. c. 31	86 totius Galliae
	121.122.123. c. 32	87 funditus
	123.	88 collocatur
Liuthpr.	135.136	89 animaduertit
	137	90 Cap. II
	138.139. c. 2	91 appellatur
	139.140. c. 3	92 matheſin
	140.141. c. 4	93 atque magis coepit
	141.142. c. 5	94 Hungari
	142.143.144. c. 6	95 liberauit
	144.145.	96 Cap. VIII
	145.146. c. 8	97 papa Formoſus
	146.147. c. 9	98 diſpoſuit
	147.148. c. 11	99 ſicut erat animo
	148.149. c. 12	100 benedicitur
	149.150.151. c. 2	101 vertice
	151.152. c. 3	102 incommodi
	152.153. c. 4	103 validior
	153.154. c. 6	104 Chriſtianorum
	154.155. c. 7	105 ſed & oro
	155.156.157. c. 8	106 Baioariorum
	157.158. c. 9	107 exquiritur
	158.159. c. 10	108 promiſit
	159.160. c. 11	109 vitam tibi
	160.161. c. 12	110 cupido
	162.163. c. 14	111 Ioannes conſulit
	163.164. c. 15	112 dimiſiſſe
	164.165. c. 17	113 Phoebus
	165.166.167. c. [illegible]	114 pertulit noctem
	167.168. c. 20	115 teguntur
	168.169. c. 1	116 cloacas
	169.170. c. 2	117 exercebat
	170.171. c. 4	118 coniugio
	171.172. c. 5	119 mulierum
	172.173. c. 6	120 ab igne

COLLATIO PAGINARVM.

	Editio recens	Edit. II.		Editio recens	Edit. II.
pag.	173. 174. c. 7	pag. 121 appellatur	pag.	281. 282. no. 9	pag. 201 Amen
	175. 176. c. 9	122 vti caligis	Bell. Sa-	287. 288. v. 44	202 gregesque
	176. 177. c. 10	123 si quippiam	xon.	288. 289. v. 99	203 propiantes
	177. 178. c. 11	124 habebatur		289. 290. v. 154	204 fortis
	178. 179. c. 12	125 quid vobis iam		290. 291. v. 208	205 strage suorum
	179. 180. c. 13	126 Septentrione		291. 292. v. 19	206 parati
	180. 181. c. 14	127 prodesse		292. 293. v. 73	207 pignora soli
	181. 182. c. 3	128 inciperet		293. 294. v. 127	208 campis
	182. 183. 184. c. 4	129 coniugem		294. 295. v. 181	209 supplice voto
	184. 185. c. 5	130 diligenter		295. 296. 297. v. 3	210 furorem
	185. 186. c. 6	131 vita Comite		297. v. 57	211 proelia secum
	186. 187. c. 7	132 defunctus		298. v. 111	212 curis
	187. 188. c. 9	133 huiusmodi verbis		298. 299. v. 166	213 hostem
	188. 189. 190. c. 11	134 prae paucitate		299. 300. v. 220	214 fatur
	190. 191. c. 13	135 sed etiam scripturas		300. 301. v. 274	215 vel tu
	191. 192. c. 14	136 munit		301. 302. v. 295	216 dedent
	192. 193. c. 15	137 fortissimos	Rober-	308	217 appellatur
	193. 194. c. 17	138 tendit	tus	311. 312. c. 1	218 mulierum
	195. 196. c. 19	139 définiret		312. 313. 314. c. 2	219 ipse iubet
	196. 197. c. 2	140 dilectione		314. 315. 316. c. 4	220 abstrahebant
	197. 198. c. 3	141 periuri		316. 317. 318. c. 6	221 aut occiderunt
	198. 199. c. 4	142 vtinam possent		318. 319. 320. c. 2	222 qui tunc
	199. 200	143 Cap. VI		320. 321. 322. c. 3	223 & antiquae
	200. 201	144 Cap. VIII		322. 323. 324. c. 6	224 & domestici
	202. 203. c. 9	145 quatenus patrem		324. 325. 326. c. 8	225 consentiret
	203. 204. c. 10	146 ne offenderes		326. 327. 328. c. 9	226 recipiat
	204. 205. c. 12	147 dominumque tuum		329. 330 c. 3	227 cursu
	205. 206. c. 13	148 Ecclesiae		330. 331. 332. c. 4	228 comes vt miles
	207. 208. c. 15	149 Ad mulieres		332. 333. c. 5.	229 fatigata
	208. 209. c. 1	150 Deo largiente		333. 334. 335. c. 7	230 nobilitas
	209. 210. c. 2	151 domini nostri		335. 336 c. 9	231 prouinciam
	210. 211. c 5.	152 hebdomade		336. 337. c. 10	232 prouidit
	211. 212. c. 8	153 dispersa		337. 338. 339. c. 12	233 operibus suis
	212. 213. 214. - - -	154 omnem terram c. 6		339. 340. c. 2	234 praesidium diuini
	214. 215. - - -	155 Sergius Primicerius		340. 341. c. 4	235 ibi capta
	215. 216. c. 3	156 dignitatis c. 8		341. 342. 343. c. 6	236 recesserit
	216. 217. c. 5	157 in domino c. 10		343. 344. 345. c. 7	237 versi sine
	217. 218. - -	158 possit - - -		345. 346. c. 9	238 densitate
	219. 220. c, 6	159 & iuramento c. 11		346. 347. 348. c. 12	239 tradiderunt
	220. - - -	160 destinamus - - -		348. 349. 350. c. 2	240 iniustitiamque
	226. 227	161 relinquo		350. 351. c. 4	241 praecipuos
	229. 230. v. 47	162 rusticitatas		351. 352. 353. c. 5	242 si nobis necesse
	230. 231. v. 22	163 coniuge clara		353. 354. c. 6	243 & Comiti
	231. 232. v. 69	164 carperet auras		354. 355. c. 8	244 Amen
	232. 233. v. 124	165 satis ipsi		355. 356. 357. c. 3	245 animum gerens
	233. 234. v. 169	166 discordia fortis		357. 358. 359. c. 5	246 Damasci
	234. 235. v. 219	167 suadelis		359. 360. c. 6.	247 gladium meum
	235. 236. v. 272	168 denique tantæ		360. 361. c. 7	248 fortes tentaui
	236. 237. 238. v. 323	169 inferre fideli		361. 362. 363. c. 9	249 genasque
	238. 239. v. 371	170 munere plenae		363. 364. 365. c. 1	250 ecclesiam meam
	239. 240. v. 417	171 praenobile corpus		365. 366. c. 3.	251 permansit
	240. 241. v. 466	172 in aula		366. 367. 368. c. 5	252 & volunt
	242. Inscriptio	173 Adelhardum		368. 369. 370. c. 7	253 sicut positi
	242, 243. 244. v. 565	174 timidus rem		370. 371. 372. c. 9	254 numerus hostium
	244. 245. v. 615	175 discrimina tanta		372. 373. c. 10	255 ad ciuitatem
	245. 246. v. 662	176 faciei		373. 374. 375. c. 12	256 & dixit
	246. 247. v. 707	177 clementius ipsum		375. 376. 377. c. 14	257 cuius consilio
	247. 248. v. 758	178 fidelem		377. 378. 379. c. 3	258 reuertuntur
	248. 249. v. Inscr. XXV	179 creat		379. 380. c. 4	259 quos primitus
	249	180 Amen		380. 381. 382. c. 6	260 an pro amore
Vit. Hen	256. 257	181 texit		382. 383. c' 9	261 quod nunquam
rici IV.	257. 258	182 eius fisco		383. 384. 385. c. 11	262 indumentorum
	258. 259. c. 2	183 pugna congressos		385. 386. 387. c. 13	263 Amen
	259. 260. 261. c. 4	184 qui dicerent		387. 388. c. 3	264 absque mora
	261. 262. c. 5	185 non metuat		388. 389. c. 4	265 intrauerunt
	262. 263. c. 6	186 nec speculator		390. 391. 392. c. 6	266 venerunt
	263. 264. 265. c. 8	187 sibi imposuit		392. 393. c. 8	267 anathematizauit
	265. 266. c. 9	188 consuetudinis		393. 394. 395. c. 10	268 in manibus
	266. 267. c. 10.	189 praesensisset		395. 396. c. 11	269 si vllo
	267. 268. c. 11	190 nec orationis		396. 397. 398. c. 14	270 a poetis
	268. 269. 270. c. 12	191 immaturam		398. c. 14	271 sanat
	270. 271. c. 14	192 parasceve		415. 416. pr.	272 non poterat
	271. 272. c. 15	193 tutissima	Gunthe	416 - - -	273 1531
	272. 273. c. 16	194 legi	rus	445. 446	274 Ducatum
	274. 275. no. 1	195 spectaculum		446. 447. 448. 5	275 potestatum munera
	275. 276. no. 3	196 descende		448. 449. 450. t	276 Adelheida
	276. 277. no. 6	197 calamitates		550. 451. no. 2	277 Castulonensium
	277. 278. no. 6	198 inclusus		451. 452. v. 115	278 sed quae
	278. 279. no. 7	199 affectionis		453. 454. 455. v. 168	279 ibat
	279. 280. 281. no. 8	200 non habent		455. 456. 457. v. 194	280 nocentibus illam

Editio recens	Edit. II.	Editio recens.	Edit. II.
pag. 457. 458. no. 13	pag. 281 prǽterlabitur	pag. 588. 589. 590. v. 8	pag. 361 tempus
458. 459. no. 7	282 nobilitatem	590. 591. v. 48	362 frater
459.460.461. 462. v. 286	283 prudentia rerum	591.592.593. 594. v. 102	363 Polonos
462.463.464.465. v. 336	284 nouit	594. 595. 596. v. 143	364 ſuperbis
465. 466. v. 378	285 Rheno	596. 597. 598. v. 193	365 honoras
467. 468. no. 13	286 obtinuitque	598. 599. v. 247	366 arua
468. 469 - - -	287 ordin. Citter.	599. 600. 601. v. 291	367 cladis
469. 470. v. 406	288 prope ripa	601. 602. 603. v. 340	368 alma
470. 471. v. 449	289 auorum	603. 604. 605. no. 3	369 ſit gladius
471. 472. 473. v. 474	290 nobile factum	605. 606. no. 5	370 memoratus præſul
473. 474. 475. no. 6	291 conſiliarios	606. 607. v. 429	371 fideles
475. 476. 477. v. 540	292 curia coetu	607. 608. 609. v. 478	372 tendens
477. 478. v. 568	293 partes	609. 610. v. 533	373 relatis
478. 479. v. 600	294 futuri	610. 611. 612. v. 561	374 alter
479-480-481. 482. no. 12	295 Friſingenſis	612. 613. 614. v. 613	375 vnctio regis
482. 483. 484. v. 677	296 creſcere plumas	614.615.616. 617. v. 648	376 paſſi
484. 485. 486. no. 12	297 Baptiſtam	617. 618. v. 681	377 morum
486. 487. 488. v. 744	298 potentum	618. 619. v. 20	378 ſubire
488. 489. no. 11	299 ab Italicis	619. 620. 621. no. 9	379 pollicerentur
489. 490. no. 23	300 votis	621. 622. v. 91	380 vocabat
490. 491. 492. no. 9	301 & baſilica	622. 623. 624. v. 135	381 iram
492. 493. 494. no. 12	302 eſt medius	624. 625. no. 5	382 admittunt
494. 495. v. 108	303 montis	625. 626. 627. v. 212	383 potentum
495. 496. no. 6	304 oriundos	627. 628. v. 254	384 paſſo
496. 497. 498. no. 2	305 autor	628.629.630. 631. v. 308	385 perdat
498. 499. 500. no. 5	306 autorem	631. 632. 633. v. 355	386 plebis
500. 501. 502. no. 3	307 Oberto de	633. 634. v. 410	387 vultu
502. 503. v. 287	308 poſſet	634. 635. 636. v. 464	388 rerum
503. 504. v. 338	309 vrbis	636.637.638. v. 511. no. 5	389 militia
504. 505. 506. v. 388	310 furorem	638. 639. v. 569	390 diurnis
506. 507. v. 428	311 furore	639. 640. 641. v. 624	391 flamma
507. 508. 509. v. 482	312 vſu	641. 642. v. 678	392 inani
509. 510. v. 536	313 denſo	642. 643. 644. argum.	393 dantur
510. 511. 512. v. 590	314 téxtu	644. 645. 646. v. 45	394 ſagitta
512. 513. v. 638	315 ſepulchrum	646. 647. v. 97	395 locutum
513. 514. Argum.	316 reportant	647. 648. 649. no. 2	396 mira quædam
515. 516. 517. 518. v. 45	317 rerum	649. 650. 651. v. 165	397 ſalutem
518. 519. 520. v. 100	318 longo	651. 652. v. 212	398 tenebit
520. 521 v. 148	319 hoſtes	652. 653. 654. v. 253	399 Caeſaris ora
521. 522. 523. v. 203	320 cyclis	654. 655. no. 13	400 coeleſtibus
523. 524. v. 237. no. 2	321 Piſis	655. 656. 657. v. 331	401 quod illi
524. 525. v. 287	322 monebat	657. 658. no. 8	402 Laus Pompeia
525. 526. 527. no. 5	323 obſcurauit	658. 659. 660. v. 429	403 imago
527. 528. 529. v. 352	324 alumnos	660. 661. 662 v. 468	404 princeps
529. 530. 531. no. 7	325 Tardis proceſſibus	662. 663. 664. v. 491	405 licebit
531. 532. 533. v. 411	326 ſenatus	664. 665. 666. v. 507	406 relatu
533. 534. v. 450	327 plebe	666. 667. 668. no. 7	407 vſurpauit
534. 535. 536. 537. v. 490	328 auaro	668. 669. 670. no. 6	408 triuiale
537. 538. 539. v. 544	329 redemit	670. 671. v. 592	409 in illum
539. 540. v. 594	330 ira	671. 672. v. 621	410 fecit
540. 541. 542. no. 12	331 caeteris eſſent	672.673.674.675. v. 645. no. 4	411 feudalibus
542. 543. 544. no. 25	332 caterua	675. 676. v. 693	412 timorem
544. 545. v. 80	333 tumultu	676. 677. 678. v. 4	413 ſimultas
545. 546. 547. v. 134	334 caſus	678. 679. 680. no. 6	414 Indict. prima
547. 548. 549. no. 2	335 iurarunt	680. 681. v. 75	415 volenti
549. 550. no. 6	336 apud Plinium	681. 682. v. 95	416 grauatus
550. 551. v. 246	337 daturus	682. 683. 684. v. 110	417 ſuosque
551. 552. 553. v. 300	338 ſupellex	684. 685. 686. v. 159	418 aures
553. 554. v. 338	339 parabat	686. 687. no. 5	419 mendum eſſe
554. 555. 556. v. 382	340 vndis	687. 688. 689. v. 246	420 carinis
556. 557. 558. v. 422	341 greſſu	689.690.691. v. 275. no. 3	421 Bononienſi
558. 559. v. 476	342 noli	691. 692. v. 296. no. 8	422 ſubditos fuiſſe
559. 560. 561. v. 511	343 coronam	692. 693. v. 310. no. 2	423 ordinatione
561. 562. v. 557	344 labore	693. 694. 695. v. 361	424 videtur
562. 563. 564. v. 606	345 laborem	695. 696. 697. v. 418	425 peremptis
564. 565. no. 6	346 ambigeret	697. 698. 699. v. 465	426 tardior ille
566. 567. no. 3	347 reguli ſua	699. 700. no. 5	427 in quo
567. 568. 569. v. [illegible]	348 regni	700.701.702.703. v. 528	428 ſalubres
569. 570. v. 139	349 iram	703. 704. no. 6	429 longam eſſe
571. 572. no. 8	350 extant	704. 705. 706. v. 20	430 at nunc
572. 573. 574. v. 215	351 muris	706. 707. v. 52	431 ira
574. 575. 576. 577. no. 9	352 tempus	707. 708. v. 94	432 in illos
577. 578. no. 8	353 deditque maiorem	708. 709. 710. 711. no. 7	433 magni ſemper
578. 579. v. 314	354 proles	711. 712. no. 1	434 & dignitatem
579 580. 581. v. 361	355 Guibaldus	712. 713. v. 160	435 minores
581. 582. no. 13	356 è linteis	713. 714. 715. no. 2	436 principe Rom.
582. 583. 584. v. 415	357 paſſos	715. 716. v. 249	437 tulerunt
584. 585. v. 462	358 timorem	716. 717. v. 289	438 venena
585. 586. 587. v. 516	359 rapina	717.718.719. v. 299. no. 3	439 appellant
587. 588. v. 5[illegible]	360 ducatum	719. 720. 721. v. 349	440 vino

Edidio recens	Edit. II.
pag. 721. 722. v. 391	pag. 441 alnum
722. 723. 724. v. 445	442 plebes
724. 725. 726. v. 491	443 plebis
726. 727. v. 531	444 tenemus
727. 728. 729. v. 570	445 figuris
729. 730. 731. v. 621	446 vnus
731. 732. 733. not.	447 ſibi deſponſatam
733. 734. no. 11	448 in faſtis
734. no. 7	449 partum naſci
Con. 761. 762. §. 3	450 niſi valde
Chr. 762. 763. §. 17	451 magnitudinis
763. 764. §. 3	452 corruperat
764. 765. §. 5	453 homicidia
766. 767. §. 9	454 in Deum
767. 768 c. 4. §. 3	455 pullularunt
768. 769. c. 6. §. 5	456 deſolatam
769. 770. 771. c. 8. §. 5	457 eligitur
771. 772. 777. c. 1	458 comprobanda
777. 778. c. 3	459 Macedonum
778. 779. 780. c. 4	460 Sarra Columnio
780. 781. c. 7	461 rem & iure
781. 782. c. 10	462 cauſa cognita
782. 783. 784. c. 15	463 eſt inuectus
784. 785. c. 20	464 Interea
785. 786. 787. c. 24	465 itineribus
787. 788. c. 29	466 inauguratione
788. 789. c. 34	467 Campaniae
789. 790. c. 37	468 ſententiam
Barth. 1007. 1008. med.	469 apertam iſtam
1008. 1009. 1010. med.	470 eos retundit
1010. 1015. 1016	471 non plane
1016. 1017. argument.	472 reuiſit
1017. 1018. v. 20	473 vmbras
1018. 1019. no. 11	474 géſta eorum
1019. 1020. 1021. no. 8	475 de tertia lib. 6
1021. 1022. v. 60	476 alti
1022. 1023. no. 18	477 volumine ſuo
1023. 1024. no. 100	478 per arma
1024. 1025. 1026. no. 21	479 humanis quoque
1026. 1027. no. 12	480 non videtur
1027. 1028. v. 185	481 vmbris
1028. 1029. no. 6	482 arguit
1029. 1030. 1031. no. 21	483 cunctis animalibus
1031. 1032. v. 255	484 Getarum
1032. 1033. no. 17	485 Acromus
1033. 1034. v. 312	486 horridus indé
1034. 1035. 1036. v. 361	487 vaccas
1036. 1037. no. 3	488 coniiciebantur
1037. 1038. 1039. v. 424. no. 5	489 ſumptum eſt
1039. v. 469. no. 9	490 contraxit
1040. 1041. v. 498	491 alter
1041. 1042. no. 11	492 daret
1042. 1043. v. 556. no. 6	493 bubulco
1043. 1044. 1045. no. 15	494 tradit
1045. 1046. v. 614	495 Sydon
1046. 1047. v. 638	496 nubes
1047. 1048. no. 9	497 ſicut etiam
1048. 1049. v. 704	498 Tethis
1049. 1050. 1051. argum.	499 fuiſſet
1051. 1052. v. 48	500 Opheltes
1052. 1053. v. 100	501 Manes
1053. 1054. 1055. v. 117	502 Iuppiter olim
1055. 1056. no. 6	503 Graecorum
1056. 1057. no. 17	504 qui & eodem
1057. 1058. v. 209	505 ad imum
1058. 1059. 1060. v. 261	506 Iberis
1060. 1061. no. 12	507 Plinium
1061. 1062. v. 332	508 in antra
1062. 1063. 1064. v. 383	509 peremi
1064. 1065. no. 10	510 obfuiſſet
1065. 1066. 1067. no. 14	511 diſcretae
1067. 1068. v. 503	512 pandit
1068. 1069. no. 6	513 intertexta fuiſſe
1069 1070. v. 589	514 Iacchi
1070. 1071. 1072. v. 501	515 Delphos
1072. 1073. v. 542	516 & vrbes
1073. 1074. no. 13	517. inſurgit
1074. 1075. v. 18.	518 noctes
1075. 1076. v. 55	519 poteſtis
1076. 1077. 1078. no. 8	520 ſeptem & decem

Editio recens.	Edit. II.
pag. 1078. 1079. no. 9	pag. 521 Myſii
1079. 1080. no. 6	522 Europa ſiti
1080. 1081. 1082. no. 12	523 Walachos dicimus
1082. 1083. v. 231	524 terris
1083. 1084. v. 275	525 arae?
1084. 1085. 1086. v. 325	526 Amattes
1086. 1087. v. 363	527 rerum
1087. 1088. v. 418	528 orbi
1088. 1089. v. 473	529 turres
1089. 1090. 1091. v. 524	530 bellis
1091. 1092. v. 589	531 ille
1092. 1093. v. 639	532 rerum
1093. 1094. 1095. *	533 Delphicum
1095. 1096. v. 716	534 per vſtos
1096. 1097. v. 765	535 vrbes
1097. 1098. v. 5	536 Timaui
1098. 1099. 1100. no. 21	537 mons eſt
1100. 1101. no. 21	538 Sueuici
1101. 1102. v. 118	539 Othingo
1102. 1103. v. 158	540 gentes
1104. 1105. v. 188	541 iuncti
1105. 1106. no. 12	542 appellentur
1106. 1107. v. 294	543 vndas
1107. 1108. 1109. v. 347	544 ad aures
1109. 1110. v. 402	545 littora circum
1110. 1111. v. 457	546 vmbras
1111. 1112. v. 512	547 atris
1112. 1113. v. 567	548 tueri
1113. 1114. 1115. v. 621	549 auras
1115. 1116. v. 672	550 priſca
1116. 1117. v. 727	551 vocibus vltro
1117. 1118. v. 782	552 campo
1118. 1119. v. 835	553 pondus
1119. 1120. v. 889	554 voces
1120. 1121. no. 4	555 legendum
1121. 1122. 1123. v. 15	556 quieſcit
1123. 1124. v. 69	557 vrbem
1124. 1125. v. 118	558 Phoebe
1125. 1126. v. 172	559 heros
1126. 1127. v. 216	560 ſagittis
1127. 1128. v. 256	561 quondam
1128. 1129. no. 15	562 commemorantur
1129. 1130. 1131. v. 347	563 miles
1131. 1132. v. 402	564 bigis
1132. 1133. v. 454	565 habitumque
1133. 1134. no. 6	566 Poeta cecinit
1134. 1135. 1136. v. 548	567 amictu
1136. 1137. v. 601	568 recludi
1137. 1138. no. 1	569 domitos
1138. 1139. v. 686	570 voces
1139. 1140. v. 740	571 pugnam
1140. 1141. v. 788	572 tonatum
1141. 1142. 1143. v. 837	573 hoſtem
1143. 1144. v. 884	574 vrbes
1144. 1145. no. 10	575 nata eſt
1145. 1146. 1147. v. 77	576 inanes
1147. 1148. v. 131	577 in aruis
1148. 1149. no. 8	578 poteſtate
1149. 1150. v. 201	579 premebat
1150. 1151. v. 236	580 multo
1151. 1152. 1153. v. 263	581 inualerat ante
1153. 1154. v. 300	582 aſpera cordi
1154. 1155. v. 354	583 furore
1155. 1156. 1157. v. 398	584 buſtis
1157. v. 442	585 ſub armis
1157. 1158. v. 476	586 dictis
1159. 1160. v. 524	587 marinos
1160. 1161. v. 574	588 Thuringis
116 . 1162. v. 623	589 ad altas
1162. 1163. v. 677	590 olympi
1163. 1164. 1165. v. 4	591 vagatur
1165. 1166. v. 40	592 bello
1166. 1167. v. 74	593 Andes
1167. 1168. v. 127	594 per annos
1168. 1169. 1170. v. 172. no 2.	595 longa ſit
1170. 1171. v. 258	596 omnia circum
1171. 1172. v. 267	597 monſtrum
1172. 1173. v. 292. no. 7	598 volunt
1173. 1174. 1175. v. 355	599 ſub alam
1175. 1176. v. 374. no. 4	600 praeualebat

Editio recens	Edit. II.
pag. 1176. 1177. v. 436	pag. 601 vſum
1177. 1178. v. 490	602 carinas
1178. 1179. 1180. v. 538	603 regna
1 80. 1 8 . no. 1	604 a Palatio dictos
1181. 1182. v. 620	605 ingruit hoſti
1182. 1183. v. 670	606 &vrget
1 83. 1184. 1185. a gum.	607 vaticinatur
1185. 186. v. 38	608 recurſu
1186. 1187. no. 8	609 de quo lib. 1.
1187 1188. no. 9	610 mundanae
1189. 1190. no. 10	611 Septentrionale
1190. 1 91. v. 136. no. 4	612 recentioribus
1191. 1 92. no. 10	613 mearat
1192. 1 93. v. 170. no. 6	614 recondam
1193. 1194. 1195. no. 10	615 dictum eſt
1195. 1196. v. 239	616 Iacchi
1196. 1197. v. 269	617 Coronis
1197. 1198. v. 304	618 viciſſim
1199. 1200. no. 2	619 inuenirentur
1200. 20 . v. 359. no. 1	620 hoc vero magis
120 . 202. v. 388	621 vmbra
1202. 1203. 1204. no. 11	622 Solinus
1204. 1205. v. 445	623 in vſum
1205. 1206. no. 13	624 fruſtra Io
1205. 206. v. 484	625 alueo
1206. 207. 1208. v. 501	626 capeſſit
1209. 2 0. v. 5 9. no. 9	627 Notat tacite
1210. 1211. v. 542	628 Baros
1211. 12 2. v. 561	629 in vndas
1212. 12 3 1214. v. 593 no. 11	630 Phryſius
1214. 1215. v. 636	631 infra
1215. 1216. v. 662	632 alligat artus
1216. 1217. no. 5	633 ſiquidem tanto
1217. 1218. v. 710	634 ordine longo
1218. 1219. 1220. v. 747	635 Roberti
1220. 1221. v. 21	636 ſupinat
1221. 1222. v. 75	637 Sicamber
1222. 1223. v. 117	638 fatiſcit
1223. 1224. 1225. no. 11	639 modusgladiis
1225. 1226. no. 4	640 ſexaginta annis
1226. 1227. no. 17	641 ſermone vlos
1227. 1228. no. 7	642 precario
1228. 1229 1230. v. 278	643 Sagunti
1230. 1231. v. 290	644 cuncta manuque
1231. 1232. v. 338	645 armis
1232. 1233. v. 385	646 Boemus
1233. 1234. v. 416	647 campo
1234. 1235. 1236. v. 470	648 vrbi
1236. 1237. v 504	649 ſuperbus
1237. 1238. v. 558	650 talia ciues
1238. 1239. v. 607	651 armis
1239. 1240. v. 661	652 furentes
1240. 1241. v. 715	653 viresque manuſque
1241. 1242. 1243. v. 749	654 Aracyntho
1243. 1244. v. 756. no. 5	655 indignatione
1244. 1245. v. 773. no 4	656 Lege cap.
1245. 1246 v. 795	657 Muſae
1246. 1247. no 7	658 Heroum animis
1247. 1248. no. 16	659 Hercules ergo
1248. 1249. no. 5	660 patrem
1249. 1250. 1251. argum.	661 potitur
1251. 1252. no. 4	662 quaeſierint
1252. 1253. v. 83	663 fundere voces
1253. 1254. v. 136	664 poſcere fata
1254. 1255. v. 167	665 atria luſtrat
1255. 1256 1257. v. 208	666 ore querelas
pag. 1257. 1258. v. 256	pag. 667 reflexit
1258. 1259. v. 305	668 regna rapinis
1259 1260. 1261. v. 344	669 caſtra Boemi
1261. 1262. no. 1	670 languidum
1262. 1263. v. 3[illegible]	671 maxime gentis
1263. 1264. v. 413	672 praelia mentes
1264. 1265. v. 463	673 Cydones
1265. 1266. 1267. no. 1	674 origine deceſſit
1267. 1268. no. 12	675 in Phrygiam
1268. 1269. no. 3	676 exacte prodiens
1269. 1270 v. 585	677 profuit aeres
1270. 127 . 1272. v. 639	678 Martis
1272. 1273. v. 677	679 profundas
1273. 1274 v. 710	680 imago
1274. 1275. no. 11	681 Ceruiſiae
1276. 1277. v. 793	682 Caiſter ?
1277. 1278. v. 825	683 dilataque fato
1278. 1279. v. 881	684 ſanguineccolles
1279. 1280. argument.	[illegible]5 ſumptum eſt
1[illegible]1. no. 8	686 commiſſa eſt
1282. 1283. v. 68	487 fluctus
1283. 1284. v. 105	688 habet vnam
1284. 1285. v. 125	689 ſolamine tempus
1285. 1296. v. 164	690 Phileuros
1286. 1287. v. 180. no. 2	69 pro mortui
1287. 1288. 1289. v. 227	692 fratres
1289. 1290. no. 5	693 & omnium
1290. 1291. v. 268. no. 5	694 cum bonos
1291. 1292. no. 13	695 Lucretius
1292. 1293. 1294. no. 10	696 vaſtiorem eſſe
1294. 1295. v. 379	697 Gallia geſſos
1295. 1296. v. 426	698 erigit almus
1296. 1297. v. 481	699 machina belli
1297. 1298. 1299. v. 522	700 in vndis
1299. 1300. v. 374	701 ſtante corona
1300. 1301. v. 611	702 detexerat orbi
1301. 1302. v, 666	703 ſonantia tela
1302. 1303. v. 708	704 victima ſacras
1303. 1304. 1305. v. 18	705 foeduſque vocauit
1305. 1306. v. 50	706 repugnat
1306. 1307. v. 81	707 olympum
1307. 1308. no. 17	702 armis
1308. 1309. v. 174. no. 3	709 alter corpori
1309. 1310. v. 215	710 Ariacham
1311. 1312. no. 9	711 Machlinum vocat
1312. 1313. no. 3	712 idem Albertus
1313. 1314. v. 259	713 proxima proles
1314. 1315. no. 12	714 Ciliciae deſcriptione
1315. 1316. 1317. v. 319	715 adoras
1317. 1318. no. 2	716 dein gradatim
1318. 1319. v. 392	717 dedecus ingens
1319. 1320. v. 424. no, 2	718 parum prudentes
1321. 1322. v. 482	719 viget amantum
1322. 1323. no. 4	720 ſyllaba
1323. 1324. v. 549	721 Ganges
1324. 1325. v. 603	722 plurima formal
1325. 1326. v. 657	723 citatur
1326. 1327. 1328. v. 699	724 concutit artus
1328. 1329. v. 749	725 ſtudioque videndi
1329. 1330. v. 797	726 voce reclamat
1330. 1331. 1332. v. 842	727 requirunt
1332. 1333. v. 864. no. 4	728 pulcher Apollo
1333. 1334. v. 912	729 Phoenix
1334. 1335. v. 957	730 cinxerat Arno
1335. 1336	731 acceptuma

LECTIONES VARIANTES

ex editione EGINHARTI de vita, gestisque CAROLI M. *ab* IO. HERM. SCHMINCKIO *curata excerptae.*

Praefatio

		R.	S.
p. 9	v. 9	celeberrimi	*famosissimi*
	v. 12	vt de iis	vt de *his*
		meam notitiam	notitiam meam
	v. 20	vt omnia, quae nunc fiunt	vt omnia *penitus*, quae
	v. 22	allecti	*illecti*
	v. 33	nostri temporis	*moderni* temporis
	v. 34	irrationabilis caussa	irrationabilis, *vt opinor*, caussa
p. 10	v. 11	aliquid decenter	aliquid *me* decenter
	v. 16	quas nec disponere	*qui eas* nec disponere
	v. 20	praemeditatum esset	praemeditatum *haberem*
	v. 21	& scribendo	& *in* scribendo
		Cap. I	
p. 11	v. 20	praeparui	*perparui*
		ex qua	*&* ex qua famulos
		Cap. II	
	v. 43	se contulit in otium	se in otium contulit
	v. 51	in arce Casina	in *castro* Cassino
		Cap. III	
p. 12	v. 6	Francis imperaret	Francis *solus* imperaret
	v. 10	diuino natu	nutu diuino
	v. 14	regendam susciperet	*regendi gratia* susciperet
	v. 18	sed in eo plus suspicionis	plus *suspecti*
	v. 20	cum filiis & quibusdam	*& filii cum* quibusdam
	v. 21	fuga peteret	fuga *petiit*
	v. 22	se cum liberis suis offerret	se cum liberis suis *contulit. Et* Carolomannus------
		Cap. IV	
	v. 29	nec quicquam	*neque quisquam*
	v. 34	nihil de iis	nihil de *his*
		Cap. V	
	v. 40	eum frater	frater eum
	v. 41	susceptam expeditionem	susceptam *tamen* expeditionem
	v. 43	perseuerantia quadam perfecto	perseuerantia quadam *ac ingitate* perfecto
	v. 48	quod ni festine	quod ni *festinato*
		eum se expostulaturum	se eum
	v. 50	potestati submisit	*permisit*
		Cap. VI	
p. 13	v. 10	Haistolfum	*Haistulfum*
	v. 21	filium Pipinum	filium *suum* Pipinum
	v. 26	animo esset	esset animo
	v. 32	Post eius finem	post *cuius* finem
	v. 47	dediderint	dediderunt
		polliciti sint	polliciti *sunt*
	v. 48	dilatione dederint	------dederunt
	v. 49	susceperint	susceperunt
	v. 52	vt non facile aestimare possis	vt non *satis sit* aestimare
p. 14	v. 1	quam prosperis	quam *in* prosperis
	v. 2	vel ab iis	vel ab *his*
	v. 7	millia ex iis	millia ex *his*
	v. 8	vxoribus ex liberis	------& *paruulis*

LECTIONES VARIANTES

		R.	S.
		Cap. VIII	
	v. 17	Hoc bellum licet	*Hoc bello*, licet
	v. 19	apud Aſam	apud *Haſam*
	v. 29	nihil tamen ex iis	---ex *his*
	v. 32	nihil in iis	nihil in *his*
		Cap. IX	
	v. 44	eſt ibi	ibi eſt
	v. 51	quae iam inſtabat, protecti	---*profecti*
	v. 3	littoris praefectus	*limitis* praefectus
		Cap. X	
	v. 9	in extrema quadam parte	in extrema parte
	v. 15	obuiam Regi	Regi obuiam
	v. 16	ſeque cum gente	ſe cum gente
	v. 20	pro obſide retento	*obſidatus gratia* retento
	v. 23	in ſanctorum	ſanctorum in veneratione
		Cap. XI	
	v. 37	Regi ſubiecit	Regi *permiſit*
	v. 41	eſt finis impoſitus	finis eſt impoſitus
	v. 42	neque prouinciae, quam tenebat, ulterius praeeſſe	neque *prouincia*, quam tenebat, *ulterius* *Duci*-----
		Cap. XII	
	v. 47	hoc eſt, ſua lingua	----*locutione*
		Cap. XIII	
p. 16	v. 12	quae ab illo	quae *vel* ab illo
	v. 18	ab iis	ab *his* ſtrenuiſſime
	v. 29	Foroiulianus	*Foroiulii*
	v. 31	praefectus in Pannonia, cum	praefectus, cum in Pannonia
		Cap. XIV	
	v. 42	Vltimum contra	Vltimum *quoque* contra
	v. 50	quin putaretur	quin *potius* putaretur
	v. 51	fuiſſet morte	morte fuiſſet
		Cap. XV	
p. 17	v. 7	intra Rhenum	*inter* Rhenum
	v. 15	deinde	*dein* Italiam
	v. 25	& Danubium	*at* Danubium
	v. 28	Cum eis	cum *iis*
		Cap. XVI	
	v. 40	ab iis	ab *eis*
		ad eum miſſae	ad *illum*-----
	v. 51	paucos ante annos	ante paucos annos
p. 18	v. 2	& ob hoc quaſi	& ob hoc *ei*, quaſi
		Cap. XVII	
	v. 10	quotidie verſaretur	*aſſidue* verſaretur
	v. 11	& vtilitatem pertinentia	& *commoditatem*-----
	v. 12	praecipua fere non immerito	praecipua non immerito
	v. 15	qui tamen vno	qui vno tamen
	v. 19	nomen eſt Ingelheim	*vocabulum* eſt *Ingilenheim*
	v. 24	Molitus eſt claſſem	Molitus eſt *&* claſſem
	v. 25	quae & de Gallia	quae de Gallia
	v. 30	vſque Romam	usque *ad* Romam
		Cap. XVIII	
	v. 43	Deinde, cum	*Dein*-----
	v. 45	poſt annum repudiauit	poſt annum *eam*-----
	v. 48	Habuit & filias	Habuit & *alias* filias
	v. 52	e qua nihil	*de* qua nihil
p. 19	v. 4	vnquam inter eos ſit exorta	vnquam *inuicem* exorta ſit
	v. 5	ſuadente acceperat	ſuadente *vxorem* acceperat
	v. 6	tres nepotes ſuos, totidemque	tres nepotes, totidemque
	v. 8	magno fecit honore	*eum* magno-----

Cap.

LECTIONES VARIANTES.

		R.	S.
		Cap. XIX	
	v. 17	Tum filios	Tum *etiam* filios
		armis ac	& armis ac
	v. 20	Ex iis omnibus	Ex *his*——
	v. 22	Rotdrudim	& Rotdrudim
	v. 30	quem amicum præcipuum	quem *in amicis* praecipuum
	v. 35	nunquam iter	& nunquam iter
	v. 38	mirum quod nullam	mirum *dictu*, quod——
		Cap. XX	
	v. 48	mentionem nullam fecimus	mentionem *facere distuli*
p. 20	v. 3	in exilium acti	*exilio deportati*
		Cap. XXI	
	v. 15	& eorum suscipiendorum	& *in iis suscipiendis*
		Cap. XXII	
	v. 27	plurima in erat	plurima *adquirebatur*
	v. 37	hac re	hac *arte* Francis
	v. 39	iuste potuerit praeferri	*valeat anteferri*
	v. 41	continuo habitauit	*perpetim*——
	v. 42	& custodum	*ac* ——
		Cap. XXIII	
	v. 47	h. e. Francico	h. e. *Francisca*
p. 21	v. 7	solennitatibus	*festiuitatibus*
		Cap. XXIV	
	v. 19	tunc tamen	& tunc tamen
	v. 23.	antiquorum Regum gesta	antiquorum *res gestae*
	v. 24.	quos de ciuitate Dei inscripsit	*qui* de ciuitate Dei *intitulati sunt*
	v. 25	plus quam ter	plus ter
	v. 29	calciaretur &	calciaretur *aut*
	v. 32	introduci iussit	*introducere* iussit
		Cap. XXV	
	v. 40	sed & peregrinis	sed *etiam*
	v. 43	didascali munus subiisse apparet	etiam *didascalus* appareret
	v. 50	laboris impendit	——*impertiuit*
		Cap. XXVI	
p. 22	v. 10	Ecclesiam mane	——& mane
		nocturnis item	item nocturnis
	v. 11	quando eum valetudo	*quoad* eum——
		curabatque, vt omnia	curabatque *magnopere*, vt omnia
	v. 13	aut inferri	aut *inferre*
		Cap. XXVII	
	v. 25	verum trans maria	verum *etiam*——
	v. 26	Hierosolymas——	Ierosolymis, Alexandriæ atque Carthagini
	v. 28	amicitiam expetens	*amicitias*——
	v. 32	tam auri quam argenti	tam *in auro* quam *in argento*
		nec non & gemmarum	nec non & *gemmis*
	v. 35	S. Petri	S. Petri *Apostoli*
		non solum per illum	per illum non solum
		Cap. XXVIII	
	v. 43	Leonem multis	Leonem *Pontificem* multis
	v. 48	solennitas esset	*festiuitas*——
		Cap. XXIX	
p. 23	v. 12	Sed in iis	Sed in *his*
	v. 19	duodecim nominibus	——*appellationibus*
	v. 21	Mensium quidem	*Et de mensibus* quidem
	v. 26	nomina imposuit	*nomen* imposuit
		Cap. XXX	
	v. 51	eius consilium	consilium eius

Cap.

Cap. XXXI

		R.	S.
p. 24	v. 35	e ligno	*de* ligno
	v. 39	castris egressus	*castra* egressus
	v. 40	delapsam caelitus	caelitus delapsam
	v. 43	deorsum capite	capite deorsum
	v. 45	sine adminiculo	sine *amiculo*
	v. 48	laquearium	*laqueariorum*

Cap. XXXIII

		R.	S.
p. 25	v.	Testamenta instituit	Testamenta *facere* instituit
	v. 10	pecuniae ac vestium	*&* pecuniae ac--
	v. 13	Quidque ex iis	*Quicquid* ex *his*
	v. 20	pia consideratione	pia *& prudenti*--
	v. 27	diuidere possent	---*potuissent*
	v. 36	nomine perueniat	--*peruenires*
	v. 45	Salzburgum, Rotomagus, Treueri	Salzburgum, Treueri, Senones
	v. 46	Lugdunum, Remi, Arelatum	Lugdunum, Rothomagus, Remis, Arelas
	v. 49	quotidiano versaretur	---*seruaretur*
p. 26	v. 1	ac filiabus, nepotibusque ac neptibus	filiabus *suis filiisque, ac filiabus filiorum suorum*
	v. 8	aut vili--	aut *vilia* ad varios usus facta *supellectilia*
	v. 9	fulcra	*filtra*
		camera atque vestiario	camera *ac*--
	v. 18	vt ab iis	vt ab *his*
	v. 19	pretium in pauperes	pretium*que* in--
	v. 22.	vt vna ex iis	vt vna ex *his*

Cap. XXXIV

		R.	S.
	v. 35	Hildeboldus	*Hildebaldus*
	v. 37	Engilbertus	*Angelbertus*
	v. 38	Meginger	*Megingerus*
		Vnruchus	*Vnrochus*

Lectiones variantes
e codice mscr. *Annalium Pipini, Caroli M., & Ludouici* P. Cassellano excerptæ.

		R.	Ms. C.
p. 35	an. 741	haec illum ad spem profecturi	haec illum *maligno consilio* ad spem *profecti*
	an. 742	cui *Lucas* nomen est	*quod* Lucas *vocatur*
		administrabant	*habuerunt*
	an. 745	dimisit expeditionem	*dimissa expeditione*
p. 37	an. 755	propter erepta --- domina	*propter iustitiam* B. Petri *Apostoli a Rege Longobard. exigendam*
		montium angustias, quas clusas	*ad ipsas montium clusas*
		causa pro restituendis---- fuerant	causa *pro reddenda S. Romanae ecclesiae iustitia obsides*------
	an. 756	& ad reddenda ----- abstulerat	*& de reddenda S. Romanae ecclesiae iustitia*
		promissorum	*de promissis*
p. 38	an. 760	ecclesiis sua iura redditurum	*ecclesiarum iustitiam redditurum*
p. 45	an. 782	& audiuit & soluit	& audiuit & *absoluit*
		peruentum	*male* peruentum
		cum Rex suscepisset	cum Rex *accepisset*

Lectiones variantes
ex editione *Annalium Pipini, Caroli M., & Ludouici P. Andreae du Chesne* Selectae & excerptae.

		Lectio Reuberiano,	*Lectio Quercetani.*	
35	an. 741	maior natu	minor natu (quod malo cum reliquis Francorum Historicis)	233
		Suanihildae	Suanihildem	
	an. 743	Thederichum saepius alibi	Thedericum alibi	
		Hochsigburg	Ms. Hocseburg	
36	an. 747	Thuringiam	Turingiam	234
		Schaninge	Ms. Skahningi	

post,

LECTIONES VARIANTES.

	Lectio Reuberiana.	*Lectio Quercetani.*	
	post, *melius esse illum*—	addit Ms. vocari.	
an. 750.	Hilderichus.	Hildericus.	
	753.	751. 752. 753.	
37 an. 755.	propter erepta Romanae Ecclesiae per Regem Longobardorum dominia, Italiam manu valida	Ms. propter iustitiam B. Petri Apostoli, a Rege Longobardorum exigendam, Italiam cum valida manu ingreditur	
	pro restituendis quae Romanae Ecclesiae ablata fuerant	Ms. pro reddenda sanctae Rom. Ecclesiae iustitia	
	& ad reddendum ea, quae Romanae Ecclesiae abstulerat	Ms. & de reddenda sanctae Romanae Ecclesiae iustitia	
an. 756.	Hexarchatum	Eexarchatum	235
an. 757.	inuassati cum manibus	in vassaticum manibus	
38 an. 760.	se res	Ms. se res & iustitias	
an. 761.	Limouicam	Ms. Lemouecas	236
an. 762.	Toarcis	Ms. Thoarcii	
39 an. 766.	in Bituricam	Bituricam	
an. 768.	Ebervvicus	Ms. Ebroicus	237
40	Nouiomago	Ms. Nouiomo	
an. 769.	Dornoniam.	Ms. Dordonam	238
41 an. 773.	Gebennam.	Ms. Geneuam	
42 an. 776.	sine mora statuit exercitu esse petendam.	petere statuit	240
43 an. 777.	fallaciter.	Ms. feliciter	
	patria	& patria	
44 an. 778.	ceciderunt.	caeciderunt	241
an. 779.	Rhenum traiecit	Ms. Rhenum in eo loco qui Lipeham vocatur cum exercitu traiecit	
	Angeri.	Ms. Angarii	
	Mediolanensis Episcopus	Ms. Mediolanens. ArchiEpiscopus	
45 an. 782.	Geillone	Ms. Gillone	242
46 an. 783.	Hildegardis	Hildigardis	
an. 784.	Schaninge	Ms. Scahningi	243
	Draigni.	Ms. Draigiu	
	Dekidroburg.	Ms. Schidirbrug	
	Vagarna.	Ms. Waharna	
47 an. 785.	Witikindum.	Widikindum	
	Albionem.	Ms. Abbionem	
an. 786.	Britanniam.	Britaniam	244
	ipsum Ducem	& ipsum Ducem	
	Pferinga	Ms. Pfetringa	
48 an. 787.	Moguncíacensi	Mogontiacensi	245
an. 788.	Luitburga.	Ms. Liutburga	
	Boiarii	Baioarii	
49 an. 789.	Welatabi	Weletabi	
	Wiltzam.	Wiltzan	246
		quae sequuntur, vsque ad *praeminebat* inclus. vncis inclusa sistit *duChesne*.	
	& Pascha	& Sanctum Pascha	
an. 790.	in Wormatiam, vt alibi.	Ms. Wormaciam, vt alibi	
	Salae	Ms. Saltz	
50 an. 791.	Behemannos.	Ms. Beheimos in marg. Bohemos	
an. 792.	Ardulfum.	Ms. lege Fordulfum al. Fardulfum	
51 an. 793.	iter Pannoniam	iter in Pannoniam	247
	Almonum.	Ms. Alomonum	
	Rheno.	Moeno ita & Ms.	
an. 794.	Sintfelt.	Ms. Sinotfeldus	
52 an. 795.	Wiltzam	Wiltzan Ms. Vitzinum	248
an. 796.	Erichus.	Ericus Ms. Henricus	
	ex tota.	ex toto	
	post *Pascha* - - -	add. Ms. more solito	
53 an. 798.	Munda.	Ms. Minda	
	proficiscuntur.	Add. Ms. Nam Abotriti auxiliares Francorum semper fuerunt, ex quo semel ab eis in societatem recepti sunt.	
	Thrasico	Ms. Thasco	
	Sisinnium.	Sosimium	249
	septem	Ms. octo	

Erich

	Lectio Reuberiana.	Lectio Quercetani.	
54 an. 799.	Erichi.	Erici	250
	nam duo fuerunt	(nam duo fuerunt)	251
	Hipporhediam	Mſ. Eporediam	
55 an. 801.	Reate	Mſ. Teate	
56 an. 802.	Helmgaudum	Helingaudum	
	Nuceria	Mſ. Luceria	
	miſſo exercitu	Mſ. miſſo Saxonum exercitu	
	Tranſalbiones	Tranſalbianos	252
an. 803.	Caliſtus & Candidatus	Caliſtus Candidatus	
an. 804.	Mantua	Mſ. Mantua ciuitate	
57 an. 805.	Behemanni	Mſ. Behaimi	
	Lechonem	Mſ. Bethonem	
	Vogeſum	Mſ. Voſegum	
an. 806.	Wilharius	Mſ. Willeri	
	& teſtamenttum	eſt & teſtamentum	253
	Eginhartum	Eginhardum	
	Alemannia	Alemania	
58	Saeuiente, & Reubero & Quercetano placuerat, ſubſtitueram ex ingenio ſentiente, quae lectio probatur MSC.		
an. 807.	parte Piſcium	parte virginis, luna in XVI. parte piſcium (at cum prior editio cum Chesn. conveniat, error operarum erit)	
	II. Kal. Mſ. prid. Kal.		
	XVI. Kal. Mſ. XIII. Kal.		
	Sol ſtetit in XI. parte virginis	Sol ſtetit in XI. parte Piſcium & luna in XI. parte virginis (vt Reuber in margine)	
	& tentoria	& tentoria atrii	254
	Burchartum	Burchardum	
	(nam III. ibi cecidiſſe perhibentur)	(nam tria millia ibi cecidiſſe perhibentur)	
	Corſicam	Mſc. in Corſicam	
	&	pro eo	
	Patelaria	Patelaria	
59 an. 808.	Thraſiconem	Mſc. Draſconem	
	Reginholtum	Reginholdum	
	Ardulf	Mſ. Eardulf	
60 an. 809.	Bernhartus	Bernhardus Mſ. Bernharius	255
	trans Albim	Mſ. trans Albiam	
61 an. 810.	VIII. Id Iunii	Mſ. VIII. Id. Ianuar.	256
	Aron	Aaron	
	terrenaque	Mſ. ternaque	
	Sol VIII. Id Iun.	Mſ. VII. Id Iun.	
	XVIII. Kal.	Mſ. XIX. Kal.	
an. 811.	Hatto	Mſ. Haydo	
	XII· primoribus	Mſ. X. primoribus	
	Bernharti	Bernhardi	
	Vdo	Vodo Mſ. probat	257
	Thederichus	Thedericus Mſc.	
		Mſc. cuique nomini addit Comes	
62	Hancvvinc	Mſ. Ancum	
	Warſten	Mſ. Oarſtein	
	Vrin	Mſ. Vrm	
	Osfredi	Osfred Mſ. Osfrid	
	Heiligon	Mſ. Heilige	
	Sconovve	Mſ. Schenaovve	
	Avvin	Mſ. Aovvin	
	Britones	Brittones	
	Fanumque	Farumque Mſ. turrimque	
	Zauzi	Zauci	
	Cani, Zauci, Principes Auarum & Thudum & alii primores Sclauorum.	Mſ. Canirauci Princeps Auarum, & Thudum, & alii primores ac Duces	
an. 812.	Herioldum	Heriholtum	
	XDCCXL	X millia DCCXL	
	Arſapium	Arſaphium	
	Moeſia	Maeſia	
	XXV	XXV Millia	258
	Heriholdus	Heriholtus	

63 an.

		Lectio Reuberiana.	*Lectio Quercetani.*	
63	an. 813.	Bernhartumque	Bernhardumque	
		Crumas	Mſ. Crunas	
		acceſſit	Add Mſ. & iuxta portam ciuitatis caſtra poſuit	
	an. 814	regni autem XLVII	Mſ. regni autem XLVIII	
		Subactaeque Italiae XLIII	Mſ. Subactaeque Italiae XLIV.	
64		Patauinum	Pictauenſem.	259
	an. 815	Baldericho	Balderico.	
		nomine Sinlendi	in loco nomine Sinlendi.	
		Gerholtum	Gerholdum	
65		optime	opime.	260
	an. 816	Sigvvinum	Mſ. Siginum.	
		Abdirachmam.	Abdirachman.	
	an. 817	etiam Cadolach	etiam quia Cadolach. Mſ. Cadolane.	
		Albigarius	Mſ. Abgarius.	
66		impactum	impoſitum.	261
		Meginharii	Mſ. Reginharii.	
67	an. 818	V. Non	Mſ. VI. Non	
		accuſantes	Mſ. excuſantes	
	an. 819.	Luppus Centuli	Luppus Centulli	262
68		Baldrichus	Baldricus	263
		Dragomoſus	Mſ. Dragamoſus	
		Bingam	Bingiam	
69	an. 821.	Michaelis Comitis, domeſticorum &c.	Mſ. Michaelis Comitis domeſticorum	
70		Florus.	Mſ. add. ſuper Iſtri	264
		vincta	Mſ. iuncta	
	an. 822.	Sciſcia	Mſ. ſua	
		Behemannorum	Mſ. Behaimorum	
71		Predecentorum	Predenecentorum	266
	an. 823.	Meligaſtus & Celeadragus	Mſ. Milegatus & Cealadragus	
72		Adelhardus	Adalhardus	
		Liudemuſſum	Mſ. Liudemullum & Liudemulſum	
		annorum fere XXII	annorum fere XII.	267
		Frihſazi	addit dú Cheſne in margine Frihſaſi Mſ. Ternſazi	
		ad XV Calend.	Mſ. ad XII. Calend.	
		Gradenſis	Mſ. add. Veneticorum	
73	an. 824.	Praedenecenti	Predeneaenti	268
		minor	Mſ. iunior	
		Vaſconum	Waſconum	
74		Aeblus	Eblus	
	an. 825.	Wihormachus	Mſ. Wihomarchus	
75	an. 826.	Bertrichum	Bertricum	269
76		Ludouicus	Hilduinus	270
		Sueſſionam	Mſ. Sueſſionem, impreſſ. Sueſſionam	
	an. 827.	Beronis	Mſ. Berani.	
		Nouiomagum	Mſ. Niumagum	
		Hohrici	Horici	271
77	an. 828.	Nunantulae	Nonantulae	
		Vnde habet vetus Reuberiana vbi reliqua ſequuntur, ſed noua hanc Periodi laciniam omittit	*de quo loco* Lotharium filium cum magnis Francorum copiis ad Hiſpanicam marcam direxit	
		Tuſcia	Thuſcia	272
		Cal. Iul.	Cal. Iun. Mſ.	
		Solennitatem	Mſ. miſſam	
78		Cappellam	Capellam	
		Medio Iulio	Mſ. medio circiter Iulio	
	an. 829.	Sacroſanctae	Sacroſanctam	
		amplificatio regni.	amplificatio regni terreſtis	307
		Marfrido	Matfrido	
		Wermbriam	Werimbriam	
		Landini	Lauduni	
		Wermbriam	Werimbriam	
		Werino	addit in margine Warino	
		Lamberto	Lantberto	

	Lectio Reuberiana.	*Lectio Quercetani.*	
	quam post diuersi generis pœnas morte proposita adegerunt	quam vsque adeo intentata per diuersi generis pœnas morte adegere	
	vt	quatenus Imperator	
	inferret	conferret	
79	damnationi autem consentientes vulgus	adclamationi autem vulgi consentientes	
	detrudi	retrudi	
an. 830.	Neomagum	Niumagum.	
	Padræbrunnam.	Patrisbrunnam.	
	Walah	Walach	
	fracti	infracti	
	pœna	pietate	308
	Rodolfum	Rodulfum.	
	quod postquam gestum est,	addit : in purificatione sanctæ Mariæ, cunctis diiudicatis ad mortem vitam concessit. At Lotharium in Italiam, Pipinum in Aquitaniam, Ludouicum in Baioariam, ire permisit: ipse vero	
	quadragesimale tempus	quadragesimale tempus &c.	
80 an. 831.	Igilinheim	Ingelheim	
	qua ab initio	quæ sicut de se ait Job, ab initio	
	villa	villam	
an. 832.	& ad Augspurg	ad Ausburgum	
	correctionem	corruptionem	
	Treuerim	Treueros	
	ingruentibus	ingentibus	
	& indicto Turoni conuentu, filium Pipinum eodem vocauit. Eo vero patris conspectum non ferente, neque veniente, conuentus dimittitur. Hoc anno	Sed post paucum tempus idem ad Missam S. Martini populum conuocauit: filiumque Pipinum fugientem ad se quoquo modo reuocare voluit: Sed illo id refugiente, asperrima hiemis incubuit inclementia	
81 an. 833.	subornato	sub ornatu	309
	Episcopi Imperatoris præsumptioris audaciæ, asserebant	parum quid subripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus.	
	auctoritate	voluntate	
	hinc inde	inde	
	alio modo quam solebat	licet indecentius quam debuit	310
	partiuntur	partitur	
	vxor patris	vxor patris, a Ludouico Rege recepta	
	Cortonam	Tartonam	
82	Marlegium	Merlegium	
	& Meti vrbe relicta, transiensque Verduno	& Mediomatricum, quæ altero nomine Metis vocatur peruenit. Qua relicta ciuitate Verdunum appulit, &	
	munera ipsi deputata occulte obtulit: ille vero patri ea	occurrit, munera sibi deputata obtulit, patri missa	
	(cum tamen Leges forenses non contra vnam culpam semel commissam, bis inuehant, & nostra Lex habeat, bis non iudicari delictum)	quum ne forenses quidem leges, contra vnam culpam semel commissam, bis inuehant vindictam & nostra lex habeat, non iudicare Deum bis in lapsum	
	cogunt	& ante altare ponere cogunt	
	Eggerardus	Eggebardus	
	Bernhardus & Werinus	Bernardus & Warinus	
	venitque Lutetiam	& Parisiorum vrbem petiit	
an. 834.	Fggerardus	Eggebardus	311
	deiecti	dissipati	
	Burgundia	Burgundiæ partibus	
	austeritate atque	asperitate &	
83	occupati	suspensi	
	Instabat Quadragesimæ	Instabat sane sanctæ Quadragesimæ	
	Adrebaldus	Rebaldus	
	Gauselinus	Gautselmus	
	cui	quorum	
	futuros	forent	

alias

	Lectio Reuberiana.	*Lectio Quercetani.*	
82 an. 834.	alias	aliter	322
	suo	sui	
	requisituros	requisituri	
83	armis	cum armis	
	obuiaturos	obuiaturi	
	plus	plus se	
	ablati	oblati	
	Legati	praemissi Legati	
	miserant cum mandatis, vt Werinus	se miserant. Commandati sunt	
	vt	quatenus	
	deliberaret	deliberaretur	
	huic postulationi satisfaceret vt alio die ad se mitterentur	petitio eorum impleri posset filius eiusdem Imperatoris Lotharius, vt missi sibi in crastinum dirigerentur	
	supradictorum	praedictorum Virorum	
	vt	&	
	sed	Etenim vero	
	erant intimi	fruore ducebantur	
	Burgundiam transiens	ipse Burgundiam petiit	
	habero coepit	facere delegit	
	At hi	At vero ii	
	praedictum	dictum	
	eiectus erat	eliminatus	
	tamen praepropera	nequaquam tamen praepropere voluit	
	Dyonisii	Dionysii	
	ministerio	ministerio voluit	
	& ab Episcopis rursus	& per manus Episcoporum	
	voluit	consensit	
	laetitia visa est	exultatio exercuit	
	& iniurium passo	iniuriam patienti	
	fuerat	incubuerat	
	in permeabiles	imperuiabiles	
	liberatione & restitutione Imperatoris	illius absolutione	
	antiquam	in antiquam	
	redderet	rediret	
	digreditur	iter coepit	
	id multi hortarentur	multis hortantibus	
	vbi	vbi consistens	
	& qui	& eos qui	
	itemque	sed &	
	filium confugerant	filium eius confugium fecerant	
	cum ipso Ludovvico	sed & ipsum filium, qui ad eam veniebat, Ludovicum	
	Dum hic Imperator aliquantulum haeret	Quo consistenti, mediis Quadragesimae tempore, arridente etiam laetitia ipsius diei, & officii exhortante cantilena Ecclesiastica, ac dicentur Laetare Hierusalem, & diem festum agite omnes, qui diligitis eam.	
	vassorum & fidelium confluit	fidelium suorum ibidem occurrit	
	congratulantes	congratulans	
	in Aquitaniam, Ludovicum in Baioariam	in Aquitaniam cum laetitia dimisit	
	vero	autem	
	vnumquemque ad sua	ad loca sibi congrua	
	iussit	laetos peruisit	
	profectus	peruenit	
	ipsum Rachanio	Rataldo	
	& Pipino	sed & Pipinum filium	
	filium Carolum	Carolum	

LECTIONES VARIANTES.

	Lectio Reuberiana.	*Lectio Quercetani.*	
	peregit	cum solita deuotione peregit	
	DCCCXXXV. deest Quercetano		
83 an. 835	in Arduenna	per Arduennam siluam	
	Pentecostes	Sanctae Pentecostes	
	ad Romericum montem	in partes Romerici montis	
	Recedente autem in eum locum, quem diximus, Lothario	Sane recedente filio Imperatoris Lothario a patre, & in partes praedictas abeunte	
	Neustria	Neustriae partibus	
	Lambertus	Lantbertus	
	Marfridus	Matfridus	312
	eas	easdem	
	vi & armis tenere	propria vi retinere	
	ferentes	ferens	
	& alii Imperatoriarum partium	& alii multi Imperatoris partibus fauentes	
	in	contra	
84	ex illis	illis	
	conantur	nitebantur	
	debuit	decuit	
	administraretur	administraretur, & minus caute circumspiceretur	
	non exigua clade affecti sunt	non minimam calamitatem eis intulit	
	insperato	ex insperato illis	312
	vbi	ibique	
	Wilhelmo	Willelmo	
	caeteri autem	caeteri	
	vbi consistere	ibi consistere posse	
	eis	satis	
	esset	videretur	
	ipsis vt succurreret	vt eis suppetias ferret	
	circumvallaret	circumvallarat	
	Hic	Qui	
	eis subuenire voluit	deliberauit eis succurrere	
	Sed ea	Qua	
	Werinus	Warinus	
	Cauillonum	Cabillonum	
	conflagrata sunt	conflagrans	
	deditione primum vrbs capta	ad deditionem primum vrbs recepta est	
	post	post autem versa vice	
	direptionibus	primum quidem direptionibus	
	paruam	vnam paruam	
	Gauselinus	Gotselinus	
	Sunila	Sanila	
	Madalelinus	Madalelmus	
	Wilhelmi	Willelmi	
	Cauillono	Et Lotharius quidem eius filius a Cabillono	
	Aureliam	Aurelianam vrbem	
	Marualis	Matualis	
	collectis suis	iamque suis receptis	
	Fractus	infractus	
	Aureliam	Aurelianis	
	Lutetiam perrexit	Parisius ipse peruenit	
	festum	Missam	
	Hermoldum	Ermoldum	
	esse coeperant	emerserant	313
85	quod futuro vere indixerat sibi renuntiarent	Wormaciam renuntiarent, quod futurum transacta hieme & suadente vernali gratia indixit	
		835. Transegit ergo &c.	
	ante natalem Domini, quam festiuitatem Meti cum suo fratre Drogone celebrauit, solennitatem purificationis Mariae ibidem agendam statuit, quo etiam	ante Natalem Domini, vbi & iam populus	

quod

	Lectio Reuberiana.	*Lectio Quercetani.*	
	quod turpiter se deseruerint	de sui deiectione	
	talibus se solum molestari	extaediari	
	fugientibus	*fugientibus*. Sequenti vero Dominica, quae sacrae Quadragesimae initium, praecedebat in Metis ciuitatem Dominus Imperator, sed & Episcopi, & populus vniuersalis illius conventus venit, & inter Missarum celebrationem, 7. Archiepiscopi, 7. reconciliationis Ecclesiasticae Orationes super eum cecinerunt. Atque omnes populi, hoc viso, pro plenaria restitutione Imperatoris multas Deo gratias reddiderunt Post quae omnia Theodonis villam tam Dominus Imperator quam qui eius populus erant &c.	
	solennitatem celebrauit	solennitatem Metis celebrauit	
	836	deest Quercet.	
an. 836	Wormatiam	ciuitatem Vangionum quae nunc Wormacia vocatur	
	ad conuentum	ad celebrandum conuentum generalem	
an. 837	legati à filio venirent quam plurimi	affuere missi à filio, quos ipse praecepit, plurimi	
	Walha	Wala	
	Walhae	Walae	
	Algarium	Adalgarium	
86	studuit. At vero	Studuit: imitatus videlicet beatum David, qui multis insectationibus lacessitus à filio, mortem tamen eius aegerrime tulit. At vero	
	monens ne talia	commonens ne talia	
	ipse expeditionem in Frisiam suscepit	pergens	
	Folconem	Fulconem scilicet	314
	Folco	Fulco	
	Francoford	Franconoford	
	regionalium	regionarium	
	S. Martini festum	Missam S. Martini	
	Tricassinae	Trecassinae	
	Walah	Wala	
	Marfridus	Matfridus	
	Godefridus	Godofridus	
	Aginbertus Comites	Albertus Comes Pertensis	
	Burgarius	Burgaretus	
	Hoc eodem tempore Britones res nouas moliri coeperunt, sed nullo labore rursus sedati sunt	Hoc tempore Brittonnum impetus emotus est sed tam facile conquieuit, quam Imperator in eum spem posuit: cui veracissime dicitur: *Subest enim tibi Domine quum volueris, posse*	
			315
	Mense autem Februario magnus Episcoporum praesertim conuentus Aquisgrani habitus est	In ipsis etiam diebus, in quibus Purificatio beatissimae semper Virginis Mariae celebratur, Conventus quidam magnus, sed praecipue Episcoporum Aquisgrani conuenit	
87	agebatur	questum est	
	838	deest Quercetano	
an. 838	Aquisgrani	Huronici * Hunroci	
	839	837	
	me qui haec scripsi, & qui huius rei scientiam habere tunc credebar accitum percontari studuit	accitum quendam, itemque me, qui haec scripsi, & qui huius rei scientiam habere credebar percontari studuit	
	cometarum	cometarium	
	monstri	nostri	
	prorogante	praerogante	316
88	eosque precibus orationibusque diuinis diligenter vacare iussit	Missarumque solemnia per quoscunque potuit celebrari fecit: non tantum sibi metuens, quantum Ecclesiae sibi creditae prospiciens	
	filio suo	filio suo dilectissimo	
	effectum sortita non est	inofficiosa remansit	
	Imperator tota aestate Aquisgrani subsistens	In his Imperator tota aestate consistens indixit generalem conuentum autumni tempore	
	autumni tempore		
	medio namque Septembri	id est Septembri mediante	

 homi-

LECTIONES VARIANTES.

	Lectio Rodberiana.	*Lectio Quercetani.*
	homines aliis rebus Ecclesiasticis tamquam privatis	Satellites cum rebus Ecclesiasticis quam privatis
	Flaviniacensis	Flaviniacensis
	840	838
89 an. 840	[illegible]	alternam
an. 841		810
	Ludovicus	Ludovicus
	sibi vindicandam statuit	sibi adstringendam putavit & vindicandam statuit
	Bedwinum	Bedwinum * Hadonium
	Pictaviensis	nobilissimus Pictaviensis
	Episcopus	Venerabilis Episcopus
	Reginaldus	Reginardus
	itemque Bracharius Comes	nec non Heriveus * Ratharius similiter Comes
	Ernesto	Ernesto
	in Castillano urbe	in Cabillono
	patrem	fratrem (quod probo)
	hoc	haec studia
90	benigne	benigne juxta morem solitum
	Haec eo agente	840. Haec eo agente
	increscerent	concrescerent
	totum dare	cum flamma devorante totum solitum reddere
841	Qua peracta	Qua expleta
	Turingiam	Toringiam
	& per terram Sclavorum	Redemptio [illegible] itinere per Sclavorum terram
	Moguntiacae	Moguntiacae
	interius	inferius
	ac venerabiles Antistites	cum consolatione venerabiles Antistites & alii servi Dei quam placuerit. Interea quam erant
	Henricus Treverorum	Hechi venerandi Treverorum
91	Moguntiae	Moguntiae similiter
	per XL dies integros	solummodo per dies XL dominicum corpus
	evangelium	serpentum
	itaque de re sibi invicem congratularentur, tamen votum erat	vespere qui videbant quod eum, quem Chorus virtutum semper comitatus fuerat nunc perseverantia subsequens, quasi cauda hostiae totum eius vitae sacrificium Deo penitus acceptum reddebat: votum erat
	non solebat	nolebat
	petierunt	qui primum
	His dictis, tota illa nocte	His dictis (erat enim vespere Sabbati) praecepit, ut ante se celebrarentur vigiliae nocturnae, & signo Sanctae crucis pectus suum munaretur: &, quamdiu valebat, manu propria suam frontem, quam pectus eodem signaculo muniebat: quando lassabatur, per manum fratris sui Drogonis muniri id lieri poscebat. Mansit ergo tota illa nocte
	jussit Drogonem communionem sacram sibi tradere	jussit ministerium altaris praeparari, & per officium Drogonis missarum solemnia sibi celebrari: nec non per manus eius [illegible]
	fratrem aliosque astantes cibum sumere voluit	precatus est fratrem, & simul astantes, ut curandis corporibus operam darent, se tamdiu praestolaturum, quam diu illi refici paterent

LECTIONES VARIANTES.

	Lectio Reuberiana.	*Lectio Querceani.*	
	tenfkis pollicem digitis	tendo pollice cum arcualis	
	facie	acie	
	hors hors	Hora hora	119
92	Sed elevans ad caelum oculis	At vero elevatis ad caelum oculis (addit in margine Quercet. * Mſc. cod. Angelorum agmina ad se extrema conspexit venientia: illa laetus sic mandabat &c.)	
	hic	hoc	
	ille alacrius	illac laetius	
	dictum est	dictum est a veridico doctore:	
	frequentia	frequentia sumptus Imperatoris reliquiis	
	Metam	Metis	
	honorificentissime	sepelitur	

Sequuntur Epitaphia Ludovici P. & Drogonis, ut & Diploma.

INDEX I
SCRIPTORVM,
tomo hoc comprehensorum.

INDEX II
AVCTORVM
in praefationibus ac adnotationibus notatorum.

INDEX III

a) Pagorum medii aeui.

b) Regionum, populorum, urbium, vicorum, villarum, Monasteriorum &c.

c) Marium, fluuiorum, lacuum, riuorum.

d) Montium, vallium, camporum.

e) Siluarum.

in opere hoc occurrentium.

simul

Nonnullis ad eorum descriptionem *Geographicam* vel *Topographicam* facientibus adiectis, rebus (numeris tamen ubi eae inueniendae additis,) breuitatis causa praetermissis, aut Indici Rerum, quod I. R. notat, seruatis

exhibens

a) Pagorum medii aeui.

b) *Regio-*

b) Regionum, populorum, urbium, civium, villarum, Monasteriorum.

A.

B.

5) Regnorum, populorum, urbium, oppidorum, castrorum, Monasteriorum.

C

Carantania

[illegible]

[illegible]

5) *Regionum, populorum, urbium, vicorum, villarum, Monasteriorum.*

b) Regionum, populorum, urbium, vicorum, villarum, Monasteriorum.

Nurnberch

[illegible], *populorum*, *urbium*, *[illegible]*, *villarum*, *[illegible]*.

b) [illegible], populorum, urbium, vicorum, castrorum, Monasteriorum

b) Regnorum, populorum, urbium, vicorum, aliorum, Monasteriorum.

b) *Regionum, populorum, urbium, vicorum*

c) *Marium, fluuiorum, lacuum, riuorum.*

c) [illegible]

Oooo oooo 2 Mon-

d) Montium, vallium, [illegible] camporum.

e) Siluarum.

INDEX IV

Pontificum, Cardinalium, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, praepositorum, aliorumque clericorum

nec non

Imperatorum, Regum, Electorum, Principum, Comitum, Baronum, Nobilium, Eruditorum, aliorumque toga & sago Illustrium ac clarorum

Quorum hoc in opere memoria fit

Nomina

Ordine Alphabetico percensens, atque eos qui rebus gestis meruere in Indice rerum denuo adduci litteris I. R. signans.

A.

INDEX

Nominum Illustrium & Clar[illegible]

Hominum Illustrium ac clarorum.

[illegible] illustrium & clarorum.

INDEX

Hominum Illustrium & Clar...

H.

Hominum illustrium & aliorum.

 Indi-

INDEX

Hominum Illustrium & Clari...

Nominum Hispanorum & Clericorum.

Regin-

INDEX IV

Nominum illustrium ac clarorum.

Lauro-

Regnum Illustrium & clarorum.

Hominum illustrium ac clarorum.

Z.

INDEX V.

Rerum praecipuarum.

Statueram multa ad Ius Publicum & Antiquitates Germanicus spectantia adiicere, verum id Consilium festinatio Bibliopolae nimia intervenerit.

INDEX V

Rerum praecipuarum.

Zzzz zzzz

um 64,

I N D E X V

Rerum praecipuarum.

Comes

 est

conti-

Rerum praecipuarum.

INDEX V

Rerum praecipuarum.

N.

faro